HIEROZOICON SIVE BIPERTITUM OPUS DE ANIMALIBUS...

Samuel Bochart

Digitized by Google

INDEX CAPITUM
OPERIS
De Animalibus Scripturæ,
PARS POSTERIOR.

LIBER I.
De mundis Avibus.

CAP. I. *De Hebræo nomine* p.1
CAP. II. *De Columba pennis, collo, oculis, gemitu & volatu* p.8
CAP. III. *De Columbarum ſedibus* p.17
CAP. IV. *De Columbæ ſimplicitate, manſuetudine, caſtitate & timiditate* p.19
CAP. V. *De Columbarum & Turturum ſacrificiis* p.25
CAP. VI. *De Columba Noachi, & de Columbæ ſpecie quæ in Chriſti Baptiſmo apparuit* p.27
CAP. VII. *Probatur* חריונים *vel* דביונים *2. Reg. 6. v.25. eſſe Ciceris genus, non ſtercus Columbarum, ut hactenus creditum* p.38
CAP. VIII. *Avem* דרור deror *non eſſe hirundinem ut volunt, ſed columbæ feræ ſpeciem, puta turturem aut palumbum* p.51
CAP. IX. *De Turture* p.54
CAP. X. *De Hirundine* p.59
CAP. XI. *De Grue* p.68
CAP. XII. *Hebræo nomine* קורא kore *non ſignificari perdicem, ut hactenus creditum, ſed Ruſticulæ ſeu Gallinaginis genus* p.80
CAP. XIII. *Quid ſit* πέρδιξ θηρευτὴς ἐν καρτάλλῳ, perdix venator in cavea, *Sirach. 11. v.31.* p.89
CAP. XIV. *Varia Coturnicum nomina & variæ ſpecies juxta Hebræos* p.91
CAP. XV. *Solvuntur quinque quæſtiones de Moſis Coturnicibus.* p.96
CAP. XVI. *Prophetarum loca duodecim quæ ad gallinaceum genus referunt nonnulli interpretes* p.109
CAP. XVII. *De Galli cantu in Matth. 26. v.34. &c.* p.119
CAP. XVIII. *De Gallinæ affectu erga pullos ſuos in Matth. 23. v.37.* p.125
CAP. XIX. *In menſa Solomonis quid fuerint* ברברים barburi *ſaginati 1. Reg. 4. v.23.* p.127
CAP. XX. *De Pavonibus* p.135
CAP. XXI. *De voce* צפור tſippor, *quæ & quasvis aves ſonat, & ſpeciatim paſſerem. Hujus ſpecies juxta Arabes. Et de paſſere domeſtico, & ejus pipitu* p.145
CAP. XXII. *Prophetarum loca novem, quæ ad paſſeres referunt nonnulli interpretes, pleraq; parum certa* p.150
CAP. XXIII. *De providentia Dei circa paſſeres & aviculas in Matth. 10. v.29. & Luc. 12. v.6.* p.157

LIBER II.
De immundis Avibus.

CAP. I. *Aquila Rex Avium: Ejus nomen, roſtrum, pluma, calvitium, renovatio, color* p.161
CAP. II. *Aquilæ ala, volatus, nidus, victus* p.169
CAP. III. *De Aquilæ affectu erga pullos ſuos ex Deut. 32. v.11.* p.176
CAP. IV. *Aquila myſtica, Deus, Angeli, fideles, magni reges, maxime Aſſyrius & Aſſyriorum copiæ* p.182
CAP. V. *Probatur* פרס peres *eſſe Oſſifragam* p.185
CAP. VI. *Probatur* עזניה oznija *non eſſe Haliaetum ut volunt, ſed Melanaetum ſeu Valeriam aquilam* p.188
CAP. VII. *Milvum potius à volatu dici* דאה daa, *ut in Levitico, quam a viſu* ראה raa, *ut in Deuteronomio* p.191
CAP. VIII. *Probatur* איה aja *eſſe accipitris ſpeciem quam Æſalonem veteres, Germani* Smirle *appellant, nos* eſmerillon p.192
CAP. IX. *Probatur* דיה daja *eſſe vulturem nigrũ* p.195
CAP. X. *Corvi nomina, vox, color, ſedes, victus, ſpecies, &c.* p.197
CAP. XI. *Dei providentia circa Corvos* p.203
CAP. XII. *De Corvo quem ex arca emiſit Noe* p.2‥9
CAP. XIII. *De Corvis qui Eliæ panem & carnes afferebant prope torrentem Cerith 1. Reg. 17. v.3.* p.214
CAP. XIV. *Probatur* בת יענה bath jaana *eſſe Struthionem fœminam* p.217
CAP. XV. *Probatur* תחמס thachmas *eſſe Struthionem marem* p.231
CAP. XVI. *Explicatur de Struthione locus obſcuriſſimus Job. 39. v.16. al.13* p.238
CAP. XVII. *Explicantur Jobi reliqua de Struthione Job. 39. v.17. &c.* p.249
CAP. XVIII. *Probatur* שחף ſachaph *eſſe Larum aut Cepphum, unde* κεπφωθεὶς *Prov. 7. v.22.* p.263
CAP. XIX. *De Accipitre qui* נץ nets *Hebræis* p.265
CAP. XX. *De ave* כוס chos *dubitatur ſitne nocturnæ avis ſpecies, puta Bubo, Ulula &c. vel ab his diverſiſſima, Onocrotalus* p.272
CAP. XXI. *Probatur* שלך ſalach *à Græcis recte reddi* Καταῤῥάκτην Catharracten p.277
CAP. XXII. *Probatur* ינשוף janſuph *eſſe Bubonem* p.281
CAP. XXIII. *Probatur* תנשמת thinſemeth *eſſe Noctuam* p.285
CAP. XXIV. *Probatur* קאת kaath *eſſe Pelecanum & Ardeam, præcipuè ſtellarem i.e. Butaurum* p.292
CAP. XXV. *Variæ interpretationes vocis* רחם racham, *ubi multa de avibus* שרקרק ſerakrak, *Cygno, Pelecano & Merope* p.297
CAP. XXVI. *Ex Arabica lingua probatur* רחם racham *eſſe Vulturis ſpeciem* p.303
CAP. XXVII. *Ad ea reſpondetur quæ in caput præcedens poſſunt objici* p.311
CAP. XXVIII. *Variæ interpretationes vocis* חסידה chaſida *vel* aſida p.321
CAP. XXIX. *Probatur* חסידה chaſida *eſſe Ciconiam* p.326
CAP. XXX. *Hebræa voce* אנפה anapha *ſignificari avem aliquam valde iracundam, fortaſſe Arabicè* زمّج zummag *aquilæ genus cui ab iracundia nomen* p.335.
CAP. XXXI. *Probatur* דוכיפת duchiphath *eſſe Upupam* p.343
CAP. XXXII. *Probatur* עטלף ataleph *eſſe Veſpertilionem* p.349
CAP. XXXIII. *Immundarum avium numerus, & generales notæ; Harum prohibitio quomodo ad mores pertinuerit* p.352

LIBER III.
De Serpentibus.

CAP. I. Probatur אפעה ephe eſſe Viperam p.357
CAP. II. De Vipera Pauli, & cur Phariſæi dicantur progenies Viperarum p.367
CAP. III. probatur כפיר chephir & שחל ſachal non ſolum eſſe leonum, ut vulgo, ſed & ſerpentum nomina p.375
CAP. IV. Probatur עכשוב achſub eſſe Aſpidem p.379
CAP. V. Probatur פתן pethen eſſe Aſpidem. Ibi de Pythone quadam p.380
CAP. VI. De Aſpide ſurda quæ aurem obturare legitur, ne audiat vocem incantantium, Pſ.58,5.6. p.384
CAP. VII. Probatur צבוע eſſe ſerpentem varium, quem Hyænam vocarunt Græci & Ægyptii p.395
CAP. VIII. Probatur צמאון tſimmaon non eſſe Dipſadem, ut quidam poſt Hieronymum reddunt Deut. 8. v.15. ſed ſiticuloſum locum p.397
CAP. IX. Probatur צפע tſepha & צפעני tſiphoni eſſe Regulum ſeu Baſiliſcum p.399
CAP. X. Explicantur loca quinq; Scripturæ de Baſiliſco p.402
CAP. XI. Probatur voce קפוז kippoz Eſa.34. v.15. neq; Hericium, ut veteribus, neq; avis ſpeciem ſignificari ut recentioribus viſum, ſed ſerpentem Acontiam p.408
CAP. XII. Probatur שפיפון ſephiphon Gen.49,17. eſſe Ceraſten & Hæmorrhoum p.416
CAP. XIII. Probatur שרף ſaraph Hydrum eſſe & Cherſydrum, à quibus morſi Iſraelitæ anei ſerpentis aſpectu ſanati ſunt 421
CAP. XIV. De Draconibus p.428

LIBER IV.
De inſectis Animalibus.

CAP. I. Locuſtarum nomina & ſpecies p.441
CAP. II. Explicantur obſcura aliquot Scripturæ loca de Locuſtis p.454
CAP. III. De Locuſtis Ægyptiis Exod. 10,4. p.460
CAP. IV. De Locuſtis quid habeat Joel cap.1. p.464
CAP. V. De Locuſtis quid habeat Joel cap.2. p.472
CAP. VI. Quid de Locuſtis habeat Amos propheta p.483
CAP. VII. Joh. Baptiſtam veras Locuſtas habuiſſe pro cibo p.487
CAP. VIII. De Locuſtis myſticis p.493
CAP. IX. De Muſca p.496
CAP. X. Apum nomina & origo. Quomodo repertæ eſſe legantur in leonis cadavere. Eaſdem audire, æris tinnitu terreri, fumo pelli, & fortitudine eſſe inſignes, in varia Scripturæ loca p.502
CAP. XI. Loca quædam de Apum mellificio, quæ tanquam è Scriptura proferunt Patres Græci p.510
CAP. XII. De Melle & Cera p.517
CAP. XIII. De Veſpis & Crabronibus p.533
CAP. XIV. De Oeſtro ſeu Aſilo p.545
CAP. XV. Probatur ערוב arob eſſe Cynomyiam p.551
CAP. XVI. De Cynomyiis in Ægyptios immiſſis p.556
CAP. XVII. De Culice p.562
CAP. XVIII. De Pediculis p.572
CAP. XIX. De Pulice p.584
CAP. XX. Formicæ nomen Latinum, Græcum, Hebræum & Chaldaicum p.587
CAP. XXI. Explicatur Solomonis locus de formica Prov.6,6. Vade ad formicam, ô piger &c. p.591
CAP. XXII. Explicatur Solomonis locus alter de formica Prov.30. v.25. Quatuor iſta ſunt minima terræ, &c. p.598
CAP. XXIII. De Aranea p.603
CAP. XXIV. De Scarabæo in Græca verſione Habacuc. 2,11. p.611
CAP. XXV. De Tinea p.615
CAP. XXVI. Varia Vermium nomina, & de Vermibus in homine vivo & mortuo p.619
CAP. XXVII. De Vermibus in plantis, in ligno, & in cibis p.622
CAP. XXVIII. De Vermibus metaphoricis p.629
CAP. XXIX. De Scorpione p.632
CAP. XXX. De Cochlea ſeu Limace p.645

LIBER V.
De Aquaticis Animalibus.

CAP. I. Variæ Ranæ nomina p.651
CAP. II. Explicatio verborum Moſis de Ranis Ægyptiis Exod.8. &c. p.654
CAP. III. Explicantur Davidis duo loca de Ranis Ægyptiis p.667
CAP. IV. De Ranis myſticis p.670
CAP. V. Probatur בדלח bedolach Gen. 2. v. 12. & Num.11. v.7. non eſſe bdellium, nec cryſtallum ut volunt, ſed margaritam p.673
CAP. VI. Probatur פנינים peninim eſſe Margaritas p.680
CAP. VII. Refellitur Bootius qui פנינים eſſe corallium magno molimine contendit p.693
CAP. VIII. Eſther.1,6. דר dar Margaritam eſſe probatur, & pleroſque veteres ita interpretari p.708
CAP. IX. Multa ex Hebræorum monumentis de חלזון chilzon, id eſt de Cochlea purpuraria. Alia quædam obiter p.719
CAP. X. Hebræum תכלת thecheleth à veteribus hyacinthum vel hyacinthinum reddi, de quo colore dubitatur ſitne purpureus an cœruleus p.727
CAP. XI. Probatur תכלת thecheleth & ארגמן argaman eſſe marinæ purpuræ duo genera, quorum illud cœruleum ex hoc conchylii, hoc proprie purpureum fuerit ex purpuræ proprie dictæ ſanie factum. p.734
CAP. XII. De Ceto Jonæ p.742
CAP. XIII. Probatur נחש בריח ſerpentem vectis Eſa.27. v.1. eſſe Zyganam p.746
CAP. XIV. De piſce Tobiæ p.748
CAP. XV. בהמות Behemoth Job.40,10. non eſſe Elephantem, ut volunt, ſed Hippopotamum p.753
CAP. XVI. Job.40,20. &c. Leviathanis nomine non ſignificari Balænam, ſed Crocodilum p.769
CAP. XVII. Ad crocodilum referri reliqua de Leviathane Job.41. p.776
CAP. XVIII. Etiam à Talmudicis לויתן Leviathan pro Crocodilo ſumi. Alia Crocodili nomina p.791
CAP. XIX. De Sanguiſuga Prov.30,15. עלוקה Aluka aliud eſſe p.796
CAP. XX. Docetur שחלת ſecheleth Exod.30. v.34. eſſe onychen aroma: Et quid proprie ſit onyx p.803

LIBER VI.
De dubiis vel fabuloſis Animalibus.

CAP. I. De Tragelapho p.809
CAP. II. De Gryphe p.811
CAP. III. De Ixo p.813
CAP. IV. De Myrmecoleonte ibid.
CAP. V. De Phœnice p.817
CAP. VI. De Faunis Ficariis p.825
CAP. VII. De Piloſis & Satyris p.828
CAP. VIII. De Sirenibus p.829
CAP. IX. De Lilith, Lamiis & Strigibus p.831
CAP. X. De Onocentauris p.833
CAP. XI. De Verme שמיר Samir p.841
CAP. XII. De Monocerote p.843
CAP. XIII. Animalia terreſtria fabuloſa apud Arabes p.844
CAP. XIV. Aves fabuloſæ apud Arabes p.849
CAP. XV. Animalia aquatica fabuloſa apud Arabes. In quibus etiam aves marinæ. In fine multa de ambaro ſive ſuccino p.857
CAP. XVI. Probatur חשמל Haſmal in Ezekiele eſſe Aurichalcum. Ibidem de Chalcolibano 870

DE

DE SCRIPTVRÆ ANIMALIBVS, PARS SECUNDA.

Liber Primus,

DE *Mundis Avibus.*

CAPUT PRIMUM.

De *Hebræo* Columbæ nomine.

Columba *Hebraicè* יונה jona. *Non* ab opprimendo, *ut volunt*; *neque* à vino, *ut* οἰνὰς, *quæ* Syris ܟܪܡܝܘܢܐ charmiuno, *unde* Χάρμιον *una ex* Cleopatræ *ancillis*: *ſed à* Javan, *ſeu* Jonia, *id eſt*, Græcia, *ubi columbæ jam olim frequentes. Quod probant ſeptem Fabulæ vetuſtiſſimæ. Urbes quædam* Πολυτρήρωνες. Περιστερίδες, *ſeu* columbariæ inſulæ. *Columba ab* Abrahamo *oblata*, Gen. 15, 9. *Sacrificia ex columbis in Lege. Columbæ* Semiramidis. Semiramis *à* זמיר zemir, *ſeu* cantu avium, *dicta. Columba in* Aſſyriæ *Regis vexillo*, Semiramis *in columbam mutata. Columbæ à* Syris *cultæ. Harum eſus vetitus.* Artaga, Atergatis, Derceto. *Columbæ imago reperta in monte* Garizim, Cuthæorum *idolum.* גוזל gozal, *non ſolùm columbæ pullus, ſed & avium ejuſdem generis*: à pipitu *ſic vocatur. Columbæ* Semiramidis *ſylveſtres, non domeſticæ. Nominis ejus vera origo.* Semiramis *multò recentior, quàm putatur.* Aſſyrii *non habuerunt columbam, ſed aquilam pro militari ſigno.* Cuthæos *columbā coluiſſe, mera fabula.*

MUndas aves Sacri Scriptores paucis attingunt, una columbâ exceptâ, de qua plura habent, quam de reliquis omnibꝰ ſimul ſumptis. Itaq; de illa neceſſe eſt agere accuratius. *Columbam* Hebraicè יונה *jona*, dici volunt à Verbo ינה *jana*, quod *opprimere* ſignificat, quaſi omnium prædæ pateat. Quam in rem hæc *Poetæ* proferuntur,

Dat veniam corvis, vexat cenſura columbas.

Quod videtur longè petitum. Itaque conabor aliquid afferre veroſimilius. *Jerem.* 46, 16. & 50, 16. *Hebræa* verba מפני חרב היונה, *Græci* reddunt ἀπὸ προσώπου μαχαίρας Ἑλληνικῆς, *à facie gladii Græci*; Hieronymus, *à facie gladii columbæ*; Syrus, *à facie gladii* ܡܥܩܢܐ *cruciantis*; *R. Selomo*, & *Kimchius*, האונה, *opprimentis*: ſed *Chaldæus Paraphraſtes*, מן קדם חרב סנאה דהיא כחמר מרויא, *à facie gladii hoſtilis, qui eſt ut vinum inebrians*; quaſi היונה fiat à ין, id eſt, *à vino*, *Jod* & *Vau* permutatis. Indidem igitur יונה *jona*, pro *columba* deduci queat. Quod ſi ſequamur, יונה *jona*, propriè erit οἰνὰς, columbæ feræ genus *à vino* ſic appellatum. 1. Quia, *Euſtathio* auctore, eſt οἰνωπὸς τὸ χρῶμα, id eſt, *quæ vinum, vel uvas maturas colore refert*. 2. Quia vindemiæ tempore ferè apparet. *Ariſtoteles Hiſt.* lib. 8. cap. 3. Οἰνὰς δὲ τοῦ φθινοπώρου καὶ φαίνεται μάλιστα, καὶ ἁλίσκεται· *Oenas* (vel, ut *Gaza* reddit, *vinago*) *Autumno maximè apparet, & capitur. Athenæus* lib. 9. cap. 11. Ἡ δὲ φάψ, καὶ ἡ περιστερὰ ἀεὶ φαίνονται· ἡ δὲ οἰνὰς τοῦ φθινοπώρου μόνον· *Palumbus minor, & columba ſemper apparent; ſed vinago ſolùm Autumno.* Sed huic etymo repugnat *Hebræorum* uſus, apud quos יונה *jona*, vel יון *jon*, non eſt οἰνὰς, ſed *columba* in genere, & proprie *domeſtica*. Itaque *columba* οἰνὰς à *Syris* dicta eſt ܟܪܡܝܘܢ *charmion*, vel ܟܪܡܝܘܢܐ *charmiona*, voce compoſita ex duabus, ܟܪܡܐ & ܝܘܢ vel ܝܘܢܐ quarum illa *vitem*, hæc *columbam* ſonat. Quod ipſiſſimum fuit nomen unius illuſtrium illarum *Cleopatræ* ancillarum. *Græcè* id Χάρμιον ſcribitur, vel Χαρμιόνη, vel Χαρμιονώ. *Plutarchus* in *Antonio*, Εἰρὰς ἡ Κλεοπάτρας κουρεύτρια, καὶ Χάρμιον, ὑφ' ὧν τὰ μέγιστα διοικεῖται τῆς ἡγεμονίας· Iras Cleopatræ *tonſtrix*, & Charmion, *à quibus maxima imperii negotia adminiſtrabantur*. Et infrà, ubi de morte *Cleopatræ*, Τῶν δὲ γυναικῶν ἡ μὲν Εἰρὰς λεγομένη πρὸς τοῖς ποσὶν ἀπέθνησκεν· ἡ δὲ Χάρμιον, ἤδη σφαλλομένη, καὶ καρηβαροῦσα, κατεκόσμει τὸ διάδημα περὶ τὴν κεφαλὴν αὐτῆς. *Mulierum ejus quæ vocabatur* Iras *ad pedes ejus expiraverat*: Charmion *autem, jam lapſabunda, & capite gravata, caput illius diademate exornabat. Galenus De theriaca* ad *Piſonem* libri primi capite octavo, Καὶ τοῖς ὀνόμασι λεγόμεναι Νάειρα, καὶ Καρμιόνη· ἡ μὲν ἀνατλέ-

κνῶσα τὰς τρίχας εὐπρεπῶς, ἡ δὲ ἀποτέμνουσα τὰς ὑπεροχὰς τῶν ὀνύχων εὐφυῶς. *Et* (*Cleopatra* ancillæ) Naira & Carmione *dicta*; *quarum illa comam decenter implicabat, hæc extremos ungues dextrè præcidebat.* Tzetzes *Chil.* 6. Hiſt. 44.

Τῇ Κλεοπάτρᾳ τῇ σοφῇ, τῇ καὶ ὡραιοτάτῃ,
a) Lege πολλῶν. Καὶ ταῖς λοιπαῖς δὲ σύμπασι (a) πολλῶν ὑπερφερούσῃ,
Πρὸς ἐπιμέλειαν τριχῶν, καὶ τῶν ὀνύχων, ἦσαν
Χαρμιουνὼ, καὶ Τάειρα· τί δὲ δηλοῦσι τάδε;
Σύρον τὸν Τζέτζην βλέπε νῦν, Ἰσμαηλίτην ἅμα,
Καὶ ταῦτα διερμηνεύοντα ταῖς γλώσσαις ταῖς ἐκείνων.
Κατὰ Ἑβραίων γλῶσσάν τε, καὶ τὴν τῶν Σύρων ἅμα,
Χαρμὶ δηλοῖ τὴν ἄμπελον, Οὐνὼ περιστερὰν δὲ,
b) Lege φασιν. Τὴν, ἣν (b) φασιν οἱ Ἕλληνες περιστερὰν οἰνάδα,
Κατὰ Ἰσμαηλίτας δὲ, τοὺς Ἀγαρηνοὺς λέγω,
Περιστερὰν τὴν Τάειραν σημαίνουσάν μοι νόει.

Cleopatræ *ſapienti, & formoſiſſimæ, & ſupra reliquas omnes mulieres longè præſtanti, ad curam capillorum, & unguium, erant* Charmiuno *&* Taïra. *Hæc autem nomina quid deſignant? Syrum vide nunc* Tzetzem, *& Iſmaëlitem ſimul, & hæc illorum linguis tibi explicantem. Tam* Hebræorum, *quam* Syrorum *linguâ* Charmi *vitem ſignificat, &* Uno *columbam, quam* Græci *columbam œnadem vocant. At juxta* Iſmaëlitas, *ex* Agare *oriundos dico,* Taïram *mihi columbam ſignificare intellige.* Ex his collige in *Plutarcho* pro Εἴρας, & in *Galeno* pro Νάειρα, reſcribendum eſſe Τάειρας, vel Τάειρα, ut in *Tzetze*, qui rectè quidem ſcribit hanc vocem, ſed malè interpretatur. Quippe *Arabicum* طاير *taïr*, vel طايرة *taira*, *columbam* non ſignificat, ſed *avem* in genere. Unde *Chaldæis* טייר *tajer*, eſt *augurari*. Neque dividi debuit *Charmiuno* in *Charmi*, & *Uno*; ſed in כרם *charm*, & יונא *juno*. Interim non dubitandum, quin *Charmiuno*, vel *Charmiona*, verè ſit οἰνάς. Itaque יונה *jona*, per ſe non eſt οἰνάς, ſed *columba quævis*. quo poſito nulla apparet ratio, cur à *vino* dicta ſit יונה *jona*. Proinde aliud quærendum. Neque fortaſſe abſurdum erit, ut à patria columbæ יונים *jonim*, quaſi *Græca*, putentur fuiſſe appellatæ. *Græci* enim olim Ἴωνες *Jones* dicebantur, ut alibi probavimus: & *Hebraicè* יונים *jonim*, iiſdem literis, quamvis *javanim* hodie efferant, quia *Maſorethis* ità placuit. Columbas indè appellari duo potiſſimum ſuadent. Unum, quod apud *Plinium*, libri decimi capite vigeſimo nono, *Theophraſtus* tradit invectitias eſſe in *Aſia* columbas. Alterum, quod in *Græcia* columbas fuiſſe ab omni ævo hiſtoria fabularis abundè docet. Sic 1. *Dodonæam* columbam ajunt,

c) Herod. lib. 2. (c) ἑζομένην ἐπὶ φηγὸν, αὐδάξασθαι φωνῇ ἀνθρωπηΐῃ, ὡς χρεὼν εἴη, μαντήϊον αὐτόθι Διὸς γενέσθαι, *fago inſidentem, humana voce dixiſſe, in fatis eſſe, ut eò loci* Jovis *oraculum conderetur*, quod fuit *Græciæ* totius longè antiquiſſimum. 2. Ut à *Noacho*, ſic à *Deucalione* ferunt

d) Plutarch. in libro Vtra anim. (d) περιστερὰν, ἐκ τῆς λάρνακος ἀφιεμένην, δήλωμα γενέσθαι, χειμῶνος μὲν εἴσω πάλιν ἐνδυομένην, εὐδίας δὲ ἀποπτᾶσαν, *columbam, ex arca emiſſam, tempeſtatis ſignum fuiſſe, cum eodem rediit, & ſerenitatis, cum avolavit.* 3. Columbæ *Jovem*, in *Creta* vagientem, ambroſia dicuntur aluiſſe ex *Oceano* allatâ *Mœro Byzantia*, *Athenæi* libro undecimo,

Ζεὺς δ' ἄρ' ἐνὶ Κρήτῃ τρέφετο μέγας, οὐδ' ἄρα τίς νιν
Ἠίδεε μακάρων· ὁ δ' ἀέξετο πᾶσι μέλεσσι·
Τὸν μὲν ἄρα τρήρωνες ὑπὸ ζαθέῳ τράφον ἄντρῳ,
Ἀμβροσίην φορέουσαι ἀπ' Ὠκεανοῖο ῥοάων.

In Creta *nutriebatur magnus* Jupiter, *neque eum Beatorum quiſquam noverat. Is autem omnibus membris creſcebat. Ipſum porrò alebant in antro divino columbæ ambroſiam ex* Oceani *fluentis afferentes.* Quod ſumptum ex *Odyſſ.* μ', ubi columbæ

- - ἀμβροσίην Διὶ πατρὶ φέρουσιν,
- - *ambroſiam* Jovi *patri ferunt.*

Unde eſt, quod in *Plutarchi* Sympoſio, *Cleodemus Cherſiæ* Poetæ dicit, Εἰ τὴν ἀμβροσίαν τῷ Διῒ πελειάδες τινὲς κομίζουσιν, ὡς ὑμεῖς λέγετε, *Si ambroſiam* Jovi *columba quadam afferunt, ut vos*, Poetæ, *dicitis.* 4. In *Ægio*, *Achaiæ* urbe, *Jupiter*, in columbam mutatus, *Phthiam* virginem iniiſſe fertur. *Athenæus*, libro nono, Αὐτοκράτης ἐν τοῖς Ἀχαϊκοῖς καὶ τὸν Δία ἱστορεῖ μεταβαλεῖν τὴν μορφὴν εἰς περιστερὰν, ἐρασθέντα παρθένου Φθίας ὄνομα ἐν Αἰγίῳ. Autocrates *in* Achaicis *narrat etiam ipſum* Jovem, *virginem* Phthiam *nomine in* Ægio *adamantem, formam in columbam mutaſſe.* Ita etiam *Ælianus Variorum* libri primi capite decimo quinto. 5. *Argonautæ*, inter coëuntes *Symplegades* trajecturi, à *Phineo* vate moniti ſunt columbam emittere, quæ ſi ſalva per illas tranſiiſſet, ipſi quoque ſequerentur: quod & fecerunt. Hujus columbæ meminerunt *Apollonius* libro ſecundo *Argonauticωn*, *Aſclepiades* libro ſecundo Τραγῳδουμένων, *Apollodorus* libro primo *Bibliotheca*, *Hyginus* Fabula decima nona, & alii non pauci. 6 *Cteſylla*, *Alcidamantis Cei* filia, in partu mortua, cum efferretur, ἐκ τῆς σορῶν πελειὰς ἐξέπτη, καὶ τὸ σῶμα τῆς Κτησύλλης ἀφανὲς ἐγένετο, *columba è ſandapila evolavit, & Cteſyllæ corpus evanuit.* Ità *Nicander* libro tertio Ἑτεροιουμένων. Hinc *Ovidius* de *Medea* in aëre vecta *Metamorphoſeωs* libri ſeptimi Fabula duodecima,

Tranſit & antiqua Cartheïa *mœnia* Ceæ,
Quâ pater Alcidamas *placidam de corpore nata*
Miraturus erat naſci potuiſſe columbam.

7. Apud eundem (*Metam*, lib. 13. Fab. 4.) *Oenotropæ Anii* filiæ, ut pater *Anius Anchiſæ* narrat,

- - - - - *pennas ſumpsêre, inque*
Conjugis in volucres niveas abiêre columbas.

Id eſt, in *Veneris* aves, quæ *Anchiſæ* conjux fuerat. Quæ, utut fabuloſa, tamen ad ſcopum noſtrum faciunt. Indè enim hoc ſaltem colligas, ex eorum ſententia, qui has fabulas confinxerunt, columbas in *Græcia* ſemper fuiſſe. 8. Quid quod *Bœoticam Thisben*, & *Lacedæmoniam Meſſenem* à copia columbarum *Homerus* vocat πολυτρήρωνας *Iliad.* 2.? Et juxta *Smyrnam* ſeptem inſulas *Periſterides*, id eſt, *Columbarias*, recenſet *Plinius* libri quinti capite trigeſimo primo. Columbas igitur, poſt diluvium, primò in *Græciam*, & vicina loca contendiſſe, veriſſimile eſt, atque indè paulatim in reliquum orbem eſſe diſperſas.

Dices hæc afferri fruſtrà, cum antiquiſſimis illis à diluvio temporibus *Syriam* etiam fuiſſe πολυτρήρωνα tam ex ſacris probetur, quàm ex profanis Hiſtoriis. Nam in ſacris *Abraham*, quo apud *Græcos* nihil antiquius, jubetur offerre Deo turturem, & columbam, *Gen.* 15, 9. Et paſſim in Lege *Moſis* præſcribuntur ſacrificia ex turturibus, & pullis columbarum. Exempla vide *Levit.* 1, 14. & 5, 7. 11. & 12, 6. & 14, 22. & 25, 14. 29. & *Num.* 6. 10. In profanis etiam, *Abrahamo* æqualis, ut creditur, *Semiramis*, in locis deſertis, & petroſis, circa *Aſcalonem* expoſita fuiſſe narratur, ἐν οἷς πολλοῦ πλήθους περιστερῶν ἐννοσσεύειν εἰωθότος, παραδόξως τροφῆς καὶ σωτηρίας τυχεῖν τὸ βρέφος, *in quibus cùm columbarum magna copia nidificare conſuevisſet, infans miro modo nutrita & ſervata ſit.* Quin *Semiramidis* nomen indidem deducitur, quaſi ſit κατὰ τὴν τῶν Σύρων διάλεκτον παρωνομασμένον ἀπὸ τῶν περιστερῶν, *Syrorum lingua ſumptum à columbis.* Ità ex *Cteſia Diodorus* libro ſecundo. Et *R. Azarias*, in *Meor Enajim* capite vigeſimo primo, deducit à voce זמיר *zemir*, quæ *cantum avium*, & ſpeciatim *turturis*, deſignat *Cant.* 2. 12. verba ſic habent, נקראת סמיראמים אשר לפי דבריו
בלשון הארמי יורה על צפצוף העוף ולדעתי
הוא מלשון עת הזמיר הגיע בחלוף הזין בסמך
וכן בארמי פק רנטין זמרא דמנא זמרא
דפומא ולזה אות דגלה היה יונה *Vocatur*
Semiramis, *quod, juxta ipſius verba*, (id eſt, *Diodori*, quem citaverat) *linguâ* Syrâ *cantum avium ſigni-*

ſignificat. Quod videtur ſumptum ex voce זמיר *zemir, cum dicitur* Cant. 2, 12. " *Tempus* zemir, *id eſt, cantus, advenit, & vox turturis audita eſt in terra noſtra.* *Nam etiam* Syriace *in* Talmudico *Tractatu* Gittin *capite primo* זמרא דמנא zemara demana *eſt cantus organicus, &* זמרא דפומא zemara dephuma *cantus oralis. Atque ideo pro vexilli ſigno columbam habuit* Semiramis. Quin contendit in ſequentibus non ſolam *Semiramidem*, ſed & omnes *Aſſyriæ* Reges columbam habuiſſe pro vexillorum ſymbolo. Atque indè eſſe, quod pro *Aſſyriorum* ira, & gladio, *Jeremias* dixerat חרון היונה, *iram columbæ*, Jerem. 25, 38. & חרב היונה, *gladium columbæ*, Jerem. 46, 16. & 50, 16. Quod ex *Hieronymi* verſione confirmat, & *Thomæ Aquinatis* Commentariis in *Jeremiam*. Eodem etiam id refert, quod *Jeruſalem* Sophon. 3, 1. vocatur היונה, *columba*, quaſi *Propheta* eam arguat, שהיא במעשיה דומה לבבל אשר אות דגלה יונה, *quod in operibus ſuis ſit* Babyloni *ſimilis, quæ pro militari ſigno in vexillo columbam habuit.* Et hunc ſequutus *R. David Ganz*, libro ſecundo *Chronologiæ* ad Annum 1958. *Signum vexilli* Semiramidis *fuit figura columbæ. Quod vexilli ſignum imitati ſunt omnes* Aſſyriæ *Reges. Unde* Jeremias *capitis* 25. *verſu* 28. " *Propter iram* " *columbæ; & capitis* 46. *verſu* 6. " *Coram gladio columbæ.* His addunt veteres *Semiramidem* in columbam fuiſſe mutatam. *Diodorus* ubi ſuprà, Ἔνιοι δὲ μυθολογοῦντές φασιν αὐτὴν γενέσθαι περιστεράν, καὶ πολλῶν ὀρνέων εἰς τὴν οἰκίαν καταπετασθέντων, μετ' ἐκείνων ἐκπετασθῆναι. *Alii autem eam fabulantur factam eſſe columbam, & cum plures aves in domum advolâſſent, cum iis avolâſſe.* *Ovidius*, *Metam.* lib. 4. Fab. 2. ubi de matre *Derceto*,

An magis, ut ſumptis illius filia pennis,
Extremos altis in turribus egerit annos?

Lucianus in *Syria Dea*, Τὸ Σεμιράμιος τέλος εἰς περιστερὴν ἀπίκετο, Semiramis *in columbam verſa tandem eſt.* *Athenagoras*, in *Legatione* de eadem, Τὸ γὰρ ἀδύνατον, εἰς περιστερὰν μεταβάλλειν ἡ γυνή· ὁ μῦθος παρὰ Κτησίᾳ. *Nam, quod impoſſibile eſt, in columbam ſcilicet mulier mutata eſt. Fabula extat apud* Cteſiam. Unde eſt, quod apud *Syros*, & *Aſſyrios*, columbæ fuerunt in multo cultu: ut in *Diodoro* docet *Cteſias*, poſtquam *Semiramidem* à columbis enutritam, & nomen ſumpſiſſe narravit: ὡς ἀπ' ἐκείνων τῶν χρόνων, οἱ κατὰ Συρίαν ἅπαντες διετέλεσαν, ὡς θεὰς τιμῶντες· *Quas ab illis temporibus* Syri *omnes ut Deas colere non deſtiterunt.* Et poſt hiſtoriam ejusdem in columbam metamorphoſis idem addit, Διὸ καὶ τοὺς Ἀσσυρίους τὴν περιστερὰν τιμᾶν ὡς θεόν, ἀπαθανατίζοντας τὴν Σεμίραμιν· *Proinde etiam* Aſſyrios *columbam ut Deam venerari, ut* Semiramin *à morte vindicent.* *Xenophon* quoque *Cyri minoris* libro primo, ubi de *Chali Syriæ* amnis piſcibus; Οὓς οἱ Σύροι θεοὺς ἐνόμιζον, καὶ ἀδικεῖν οὐκ εἴων, οὐδὲ τὰς περιστεράς. *Quos* Syri *Deos putabant, eosque violare, ut & columbas, vetabant.* *Philo* apud *Euſebium* circa finem libri octavi *Præparationis Evangelicæ*, Ἀμήχανόν τι πελειάδων πλῆθος ἐπὶ τῶν τριόδων, καὶ κατ' οἰκίαν ἑκάστην, ἐθεασάμην. πυνθανομένῳ δέ μοι τὴν αἰτίαν ἔφασαν, οὐ θεμιτὸν εἶναι συλλαμβάνειν. ἀπειρῆσθαι γὰρ ἐκ παλαιοῦ τοῖς οἰκήτορσι τὴν χρῆσιν. *Immenſam columbarum multitudinem in triviis, & per ſingulas ædes* (Aſcalone) *vidi. Et mihi cauſam ſciſcitanti reſponderunt, capere nefas eſſe. Incolis enim jam olim illarum uſum fuiſſe interdictum.* Tibullus, *Elegiâ* octavâ,

Alba Palæſtino *culta columba viro.*

Al. *Syro*, aut *ſuo*. *Hyginus* Fab. 197. Syri *piſces, & columbas, ex Deorum numero habent; non edunt.* *Lucianus*, ubi ſupra, de *Hierapolitanis*; Ὀρνίθων τε αὐτέοισι περιστερὴ δοκέει χρῆμα ἱρώτατον, καὶ οὐδὲ ψαύειν αὐτέων δικαιεῦσι· *Columba ipſis videtur avium ſanctiſſima, ac ne eam quidem tangere æquum putant.* Item, Ὄρνιθας τοὺς μὲν ἄλλους σιτέονται· περιστερὴν δὲ μούνην οὐ σιτέονται, ἀλλά σφίσιν ἥδε ἱερή. *Avibus quidem aliis veſcuntur, ſed à ſola columba abſtinent, quæ illis ſacra eſt.* *Phornutus* libro *De Diis* in capite de *Rhea*, Ἔοικε δὲ ἡ αὐτὴ καὶ παρὰ Σύροις Ἀτάργατις εἶναι, ἣν διὰ τὸ περιστερᾶς καὶ ἰχθύος ἀπέχεσθαι τιμῶσι· *Videtur hæc eadem eſſe, quæ apud* Syros *Artaga* (aliis *Atergatis*, & *Derceto*) *quam abſtinendo à piſce & columba colunt.* *Clemens Alexandrinus* in *Protreptico*, Οὐδέ γε τῶν τὴν Φοινίκην Σύρων κατοικούντων (ἐκλήσομαι) ὧν οἱ μὲν τὰς περιστεράς, οἱ δὲ τοὺς ἰχθῦς οὕτω σέβουσι περιττῶς, ὡς Ἠλεῖοι τὸν Δία· *Neque eorum, qui in* Phœnice *degunt*, Syrorum *obliviſcar, quorum alii columbas, alii piſces tam impensè colunt, quàm* Elei *Jovem.* *Meor enajim*, ונמצאו קצת אמות שנכה אהבו את זכר סמירמיס ואות דגלה שאסרו על עצמן לאכול את בני היונה *Et gentes quædam repertæ ſunt, quæ* Semiramidis *memoriam, & ſignum vexilli ejus ita coluerunt, ut columbarum eſum ſibi interdixerint.* Neque *Samaritani* fuerunt ab hac ſuperſtitione immunes, ſiquidem *Judæis* credimus. *Talmud*, Tractatu *Cholin* cap. 1. fol. 6. a. de *Cuthæis*, ſeu *Samaritanis*, אמר רב נחמן בר יצחק דמות יונה מצאו להן בראש הר גריזים שהיו עובדין אותה *Dixit* Rab Nachman, Iſaaci *filius, Columbæ imaginem iis invenerunt, quam colebant in monte Garizim.* Gloſſa *Talmudici* Tractatûs *Avodazera* fol. 26. b. אין יכול כותי שמל לשם דמות שנמצאו בראש הר גריזים ועובדין לה עבודה כדאמר בהכל שוחטין ומלין את בניהם לשם יונה זו *Non circumcidet* Cuthæus, *qui circumcidit in nomine imaginis, quam invenerunt in vertice montis* Garizim, & illam colunt, *ut traditur in capite* (*Cholin* ſuprà citato, cujus initium eſt) *Omnes mactant: & circumcidunt filios ſuos in nomine columbæ hujus.* Meor enajim, קרוב בעיני להאמין שהכותיים אשר הושיב מלך אשור ובבל בשומרון לאות ולעד הכנעם באהבה אל מלכם ההוא אשר אות דגלה יונה חבבו אותה והקימוה לראותם בראש הר גריזים אשר עם שכם ראש ממלכת שומרון בימים ההם *Mihi perſuaſiſſimum eſt* Cuthæos, *quos* Aſſyriæ *&* Babyloniæ *Rex in* Samariam *deportaverat, in amoris, cultûsque ſignum, & teſtimonium erga Regem ſuum, qui columbam habebat pro vexilli ſymbolo, columbam amâſſe, & ſtatuam, quam colerent ei erexiſſe in vertice montis* Garizim *prope urbem* Sichem, *quæ tum erat metropolis regni* Samaritici. *Tſemach David* in *Templi ſecundi Chronologia* ad Annum 881. *Diebus* R. Meir *invenerunt* Cuthæorum *imaginem columbæ in monte* Garizim, *ut habetur capite primo* Cholin. *Et decrevit is, ut omnino judicarentur tanquam gentiles terræ.*

Ex his videatur poſſe confici tam in *Syria*, quàm in *Græcia* columbas ab omni ævo nidificâſſe. Tamen eſt, quod regeratur, nempe *Moſis* quidem ætate etiam à plebeiis in *Iſraele* oblatos fuiſſe בני יונה *pullos columbarum*, ut Lex diſertè præcipit: ſed, an *Abraham* idem obtulerit in quæſtionem poſſe vocari. Neque enim legitur obtuliſſe תור ובן יונה *turturem, & pullum columbæ*, ut jubetur in Lege *Moſis*, ſed תור וגוזל *turturem, & gozal*, quæ vox non ſolùm ſignificat *pullum columbæ* propriè dictæ, ſed & *pullum turturis*, & *palumbi*, & *liviæ*, & *vinaginis*, & avis alia, ſi qua eſt, quæ ad columbinum genus referatur. *Damir* in capite *De* القطا *alkata*, quomodo vocant *Arabes* quoddam palumbi genus, يقال القطا والحمام وانواعها امهات الجوازل والجوازل فراخها الواحد

الواحد جوزل Alkata *& columba, & aves homogeneæ dicuntur matres* algavvazil. *Et* algavvazil *ſunt pulli earum à ſingulari* gauzal. Porrò جوزل gauzal *Arabibus* id ipſum eſt quod *Hebræis* גוזל *gozal.* Proindè, quia ד *gozal* ſunt variæ ſpecies, cum *pipio* præciſè ſignificatur, quandoque additur διαφορετικῶς, gozal *columba pullus.* Ità in *Chaldæo Cantici* Paraphraſte capitis primi verſu decimo quinto, *Oculi tui ſunt* כגוזלין בני יונתא, *ut* gozalin *pulli columbæ.* Et *Vajekra Rabba* capite vigeſimo ſecundo de *Tito* Imperatore, קראו לרופאים ומצאו בו כמו גוזל בן יונה היה בו משקל שתי ליטראות, *Vocaverunt Medicos, qui (cerebro ejus diſciſſo,) in illo invenerunt tanquam* gozal *columbæ filium, ponderis duarum librarum.* A pipitu dicitur *gozal*, vel *gauzal*, ut Latinè *pipio.* Nam الجزل *algezel* eſt *pipitus* In *Alcamus* redditur صوت الحمام *vox columbæ*; nempe pipientis adhuc, & nondum adultæ. Itaque falluntur, qui גוזל *gozal*, referunt ad Verbum גזל *gazal*, id eſt, *rapere*; quia rapinæ eſt obnoxius. *Syri* per Metatheſim ܙܘܓܠ *zogal*, dicunt pro ܓܘܙܠ *gozal.* Sed *Pœni* olim *gozol.* Unde *periſtereon* Punicè חציר גוזול *azirgozol*, id eſt, *herba pipionis*, in *Herbario Apuleii* capite ſexageſimo quinto.

Jam de columbis *Semiramidis* poſſet id ipſum regeri. Quippe, licet etiam יונים *jonim*, id eſt, *columbas domeſticas*, & quæ propriè ſic dicuntur, coluerint *Syri* poſteriores in gratiam *Semiramidis*; ſylveſtres tamen columbas illi adfuiſſe vel ex *Cteſia* videtur poſſe colligi. Cum loca, in quibus degebant illæ columbæ, *deſerta* & *petroſa* vocet, ἐρήμους, καὶ πετρώδεις τόπους. Proinde nomen *Semiramidis* inde ſumptum ab *Heſychio* explicatur περιστερὰ ὄρειος, *columba montana*, Quam vocem eſſe *Arabicam*, non *Syram*, ut putatur, alibi docuimus, & ſcriptam fuiſſe *Serimam*, quod διὰ τὴν εὐφωνίαν *Græci* mutârunt in Σεμίραμιν. Nempe *Arabibus* حمام *himam* eſt *columba*, & سراه ſera *mons*, شعرا ſera *ſylva*, صحرا ſahra *deſertum*: ex quarum vocum una aliqua cum حمام *himam* juncta factum nomen *Serimam* pro *montis*, aut *ſylvæ*, aut *deſerti columba*. Qualis eſt compoſitio in verbis כרמין *charmion*, vel כרמיונא *charmiona*, de quibus dictum, & חריונים *chirjonim*, vel דביונים *dibjenim*, de quibus dicturi ſumus. Sed hoc præcipuum, quod ex hiſtoria *Semiramidis* columbas jam olim fuiſſe in *Syria* nullo modo probari poteſt; quia illius tempus eſt planè incertum. Nam, ſi *Cteſia* ſtamus, Scriptori valde fabuloſo, *Nini* uxor fuit *Semiramis*, cujus regnum incidet in *Abrahami* tempora. Sed *Semiramin* alii *Belochi* filiam faciunt, qui annis plus quingentis *Nino* poſterior fuit. Hinc *Euſebius* ad numerum 582. qui decimus eſt à morte *Joſuæ*; *Aſſyriorum octavus decimus* Belochus *annis* xxv. *cujus filia* Atoſſa, *quæ &* Semiramis, *regnavit cum patre annis* xii. Et *Photius* Auctore 186. de *Conone* Hiſt. 9. Ὅσα οἱ ἄλλοι περὶ Ἀτόσσης Ἀσσυρίας ἀναγράφουσι, ταῦθ' οὗτος εἰς Σεμίραμιν ἀναφέρει. *Quæcunque alii de* Atoſſa Aſſyria *ſcribunt is refert ad* Semiramin. Sed, quod mirere magis, ſi *Herodoto* credimus libro primo, *Semiramis* nonniſi πέντε γενεαῖς, *quinque generationibus*, id eſt, annis ad ſummum ducentis, *Nitocri* vetuſtior fuit, illius *Labyniti* matre, quem devicit *Cyrus.* Cum inter *Cyrum* & *Belochum* anni plus mille, inter eundem & *Ninum* anni intercedant mille quingenti, vel ſexcenti. Neque verò referri poſſunt geſta *Semiramidis* ad *Abrahami* ætatem, quâ Regem שנער, ſeu *Babyloniæ*, regulum fuiſſe colligere eſt ex *Gen.* 14. Et æquè incertum, quod quidam aſſerunt, *Babyloniæ* Reges columbam habuiſſe pro ſigno militari: cum vetus auctor nullus citetur, qui hoc referat. Et *Cyrum* veriſſimile eſt, poſtquam *Babylonios* imperio ſuo ſubjecit, eadem uſurpâſſe ſigna militaria, quæ habuerant *Medi* & *Aſſyrii* anteceſſores. Eum autem pro ſigno aquilam habuiſſe conſtat ex his *Xenophontis* libro ſeptimo *Cyropædiæ*, Ἦν δ' αὐτῷ τὸ σημεῖον ἀετὸς χρυσοῦς ἐπὶ δόρατος μακροῦ ἀνατεταμένος. *Erat autem ipſi pro ſigno aquila aurea in longa haſta extenſa.* Quod exinde *Perſarum* Reges omnes imitati ſunt. Idem *Xenophon*, Καὶ νῦν δ' ἔτι τοῦτο τὸ σημεῖον τῷ Περσῶν βασιλεῖ διαμένει. *Hoc etiam ſignum hodieque reſtat* Perſarum *Regi.* *Curtius* libro tertio, ubi de exercitu *Darii*; *Inter hæc aquilam auream pennas extendenti ſimilem ſacraverant.* *Philoſtratus* in *Heroicis* capite de *Themiſtocle*, Μῆδοι ταῦτα, καὶ Βαβυλὼν μέση, καὶ τὸ σημεῖον τὸ βασίλειον ὁ χρυσοῦς ἐπὶ τῆς πέλτης αἰετός. Medi *hæc, &* Babylon *media, & ſignum militare aurea ſuper haſtam aquila.* Itaque in *Jeremia* חרב היונה, non eſt *gladius columbæ*, ut quidem puto, ſed *gladius opprimens*, vel *devaſtans*, qualis *Babyloniorum* fuit ſub Rege *Nebucadnetſare.* Proinde de eodem dicit *Propheta* Jerem. 46, 14. אכלה חרב סביבך, *Te conſumpſit gladius circumquaque.* Sed & *Samaritanos* columbas coluiſſe prorſus eſt fabuloſum. Quæ idola coluerint, cum primùm ex *Aſſyria* in *Samariam* tranſlati ſunt, refertur 2. *Reg.* 17, 30. 31. *Viri* Babylonii *fecerunt* Succoth-Benoth, Chuthæi *fecerunt* Nergal, *&c.* At ibi de columba, aut ejus imagine ab iis culta, ne γρῦ quidem Sacra Hiſtoria. Neque id iis uſpiam à *Joſepho* objectum, qui multis locis acriter in eos invehitur. Videſis *Antiquitatum Judaicarum* librum nonum, & undecimum in fine; & libri duodecimi caput primum, & ſeptimum; & libri decimi tertii caput ſextum; & libri decimi octavi caput tertium, & quintum; & libri vigeſimi caput quintum. Neque ulla ratione potuiſſet conſiſtere columbæ, aut ejus imaginis cultus cum Lege *Moſis*, quam admittebant. Nam, ut taceam ſimulachra omnia toties, & tam diſertè, à *Moſe* prohiberi, quo tandem prætextu ab iis coli potuiſſet id ipſum animal, quod in ſacrificiis ad Deum mactare jubebantur? Tamen haud dubiè verum eſt, quod *Xenophon*, *Cteſias*, *Lucianus*, atque alii teſtes αὐτόπται aſſerunt, *Syros* & *Aſſyrios*, aut columbas ut Deas coluiſſe, aut ſaltem ab iis abſtinuiſſe tanquam à re ſacra. Sed quo præciſè tempore in *Syriam*, aut *Aſſyriam* invecta fuerit hæc ſuperſtitio, nemo facilè dixerit.

CAPUT SECUNDUM.

De Columbæ pennis, collo, oculis, gemitu, & volatu.

Pennæ columbæ argento obductæ, & pallore auri, Pſal. 68, 14. *Argentum unde dictum. Auri nomen* Æthiopicum. *Aurum cur pallidum. Pluma columbarum, & turturum quando aurea, & ad ſacrificia apta, inepta. In columbæ collo auri color, & varii colores, ſed ſolùm apparentes* Arceſilæ ἀκαταληψία, *&* Carneadis. *Oculi columbarum quales. Columbæ cur ad aquas libentius degant. Cur dicantur* in lacte lavari, *& manere ad plenitudinem*, *Cant.* 5, 12. *Avis, quæ propriam umbram rapit, varia nomina. Eam non eſſe graculum, ſed paſſeris genus.* Narciſſus Bœotus, *non* Lacon, *ut vult* Tzetzes. Hebræi *malè explicant locum* Cant. 5, 12. *Columbarum proprium, gemere, & murmurare. Locus* Ezech. 7, 16.

7. v. 16. *à* Græcis *aliter lectus.* *In* Theodoreto *lapſus interpretis.* *Explicatur locus* Nahum 2, 7. *Unum verbum pro duobus.* *Locus* Eſa. 60. v. 8. *Columbarum ſumma pernicitas.* *Inprimis, cum ad nidos revolant.* *Trepidant, id eſt, rapidè volant.* *Alarum unam comprimunt, ut alterâ volent.* *Illas tabellariorum vice fungi multis probatur.* *Quot paraſangas una die volent.* *Epiſtolam à columba ferendam, & columbam ad id emiſſam, quomodo vocent* Arabes.

COlumbæ deſcriptionem à plumis & pennis ordiri lubet, quarum pulchritudinem ſacer vates ita commendat *Pſal.* 68. v. 14. *Ala columbæ argento obducta, & penna ejus pallore auri.* *Ala* & *penna* per συνεκδοχὴν hic pro toto corpore. *Argento obducta*, id eſt, argenti inſtar ſummè albæ, & cum ſplendore quodam candidæ. Quippe argentum *Græcè* ἀργύρειον dicitur παρὰ τὸ ἀργὸν, τὸ λευκόν· & *argentea* vocantur, quæ maximè candent. Unde *Poeta* ἀργυρόπεζα Θέτις, id eſt, λευκόπους. Ita eſt in *Heſychio*, qui idem ἀργυροδίνην ποταμὸν explicat λευκὰ ῥεύματα ἔχοντα, & *Æneidos* libro octavo

- - - - - - - *argenteus anſer*,

teſte *Servio*, eſt *epithetum coloris.* Corvus quoque tum ales erat argentea, cum columbas æquabat albedine. *Ovidius Metam.* lib. 2. Fab. 7.

Nam fuit hac quondam niveis argentea pennis
Ales, ut æquaret totas ſine labe columbas.

In columbis enim quædam ſunt maximè albæ. *Varro, De re ruſtica* lib. 3. cap. 7. *Alterum genus illud columbarum eſt clementius, quod cibo domeſtico contentum intra limina januæ ſolet paſci.* *Hoc genus maximè eſt colore albo.* Aliquando ſcilicet, & alicubi, non ſemper nec ubivis locorum. Nam in *Græcia* albæ columbæ ſerò viſæ ſunt, nempe cum *Xerxis* copiæ ad montem *Atho* ſunt profligatæ. Quod in *Perſicis* diſertè tradit *Charon Lampſacenus*, qui tum vivebat, & ſcripſit ante *Herodotum.* *Athenæus* libro nono, Χάρων δ' ὁ Λαμψακηνὸς, ἐν τοῖς Περσικοῖς περὶ Μαρδονίου ἱστορῶν, καὶ τῆς διαφθορᾶς τοῦ στρατοῦ Περσικοῦ περὶ τὸν Ἄθω, γράφει ταῦτα " Καὶ λευκαὶ περιστεραὶ τότε πρῶτον εἰς Ἕλληνας ἐφάνησαν, " πρότερον οὐ γεγενημέναι. Charon Lampſacenus *in* Perſicis *de* Mardonio *agens, & de* Perſico *exercitu ad montem* Atho *profligato, hæc ſcribit;* " *Et candida co*" *lumbæ apud* Græcos *tum primum viſæ ſunt, cum antea nullæ fuiſſent*, nempe in *Græcia*, non *unquam*, ut perperam ibi habet interpres. *Ælianus* in *Variis* lib. 1. cap. 15. Χάρων δὲ ὁ Λαμψακηνὸς περὶ τὸν Ἄθω φανῆναι περιστερὰς λευκὰς λέγει, ὅτε ἐνταῦθα ἀπώλοντο αἱ τῶν Περσῶν τριήρεις περικάμπτουσαι τὸν Ἄθω· Charon *verò* Lampſacenus *aſſerit circa* Athon *viſas eſſe columbas albas, cum ibi perierunt* Perſarum *triremes* Athon *præterlegentes.* Sequitur in *Pſalmo*, ואברותיה בירקרק חרוץ, *Et penna ejus pallore auri* ſupple *obducta*, quod repetendum ex priore hemiſtichio. *Pallore auri*, id eſt, *auro palloris*, ſeu *pallido.* Tale *Habac.* 2. v. 6. עב טיט, *denſitas luti*, pro *luto denſitatis*, ſeu *denſo.* התואר במקום המתואר, prædicatum pro ſubjecto, ut hic habet *Kimchius.* *Aurum* vocatur חרוץ *charutz*, id eſt, *è terra effoſſum*, hic. & *Zach.* 9. v. 3. & paſſim in *Solomonis Proverbiis.* Unde fit *Græcum* χρυσός. Et *pallor auri eſt* ירקרק, geminatis literis, ut ſignificatio ſit intenſior. Itaque ab hoc ipſo Verbo fit *Æthiopum* ወርቅ: vvark pro *auro.* *Pallorem auri* Græci Interpretes rectè vocant χλωρίζοντα χρυσίον. Is enim verus eſt auri color. Hinc *Diogenes* rogatus Διὰ τὸ χρυσίον χλωρόν ἐστιν; *Cur aurum palleat?* reſpondit, Ὅτι πολλοὺς ἔχει τοὺς ἐπιβουλεύοντας. *Quia multos habet inſidiatores.* Ita eſt in *Laertio*, & *Catullus* in nuptiis *Pelei & Thetidos*,

O quam ſæpè magis fulgore expalluit auri!

Et rurſus ad *Juventium*,

Hoſpes inaurata pallidior ſtatua.

Et *Statius* ad *Maximum Junium* libro quarto *Sylvarum.*

Quando te dulci Latio *remittent*
Dalmatæ *montes, ubi* Dite *viſo*
Pallidus foſſor redit, erutoque
Concolor auro.

Et *Lucianus* in *Gallo* ad divitem avarum, Οἴμωζε, καὶ ἀγρύπνει, καὶ ὅμοιος γίγνου τὸ χρῶμα τῷ χρυσίῳ, προστετηκὼς αὐτῷ· *Plora, ac vigila, auroque intabeſcens, illi fias colore ſimilis.* Jam, ſi quæras, quorſum hic auri color columbis tribuatur, reſpondet *Kimchius* שיש בכנפי היונה נוצה שהמוצהבת כזהב, *In columbarum alis plumam eſſe auri inſtar flavam:* nempe in juniorum alis, poſtquam è nido exceſſerunt. Quod ipſum de turturibus *Talmudici* obſervant, atque hinc diſci quando ad ſacrificia aptæ, vel ineptæ ſint. Cum enim è columbis nonniſi pullos, & è turturibus nonniſi adultas offerri Lex jubeat, illos ad ſacrificia ineptos, has verò aptas tum demum eſſe volunt, cum plumæ in auri colorem flaveſcere incipiunt. Verba ſunt in Tractatu *Cholin* capitis primi folio vigeſimo ſecundo b. מאימתי התורים כשרים משיצהיבו מאימתי בני יונה פסולים משיצהיבו *Quando turtures* (ad oblationem) *rectæ ſunt? ex quo auri inſtar flaveſcere inceperunt.* *Quando pulli columbarum* (ad oblationem) *profani ſunt? ex quo auri inſtar flaveſcere inceperunt.* Et ad vocem משיצהיבו *Gloſſa* habet שהאי כנפי גופן גדולים וארומים ומוזהבים כזהב *quia penna corporis magna & rubra ſiunt, & flava ut aurum.* Et aliquanto ante, תחלה הציהוב כשמתחילין לזהב כנפים שמסביבות צואר *Initium flavedinis eſt, cum auri inſtar flaveſcere incipiunt pennæ, quas habent circa collum.* Ita etiam *Maimonides* in *Iſſure Mizbeach* cap. 3. §. 2. התורים כשרים משיזהבו *Turtures ad oblationem aptæ ſunt, ex quo aureum colorem habent.* Ubi *Gloſſa* eadem, quæ in *Talmude* ſupra. Sed & colla columbarum Soli oppoſita aureo colore ſplendent. *Philoſophus* in libro *De coloribus*, Οἱ τῶν περιστερῶν τράχηλοι, καὶ τῶν ὑδάτων αἱ σταλαγμοὶ φαίνονται χρυσοειδεῖς, τοῦ φωτὸς ἀνακλωμένου. *Columbarum colla, & aquarum ſtillæ videntur eſſe aurei coloris, tum cum lux repercutitur.* Alii ſolum variis coloribus fulgere ſcribunt. *Lucretius* lib. 2. verſu 800.

Pluma columbarum quo pacto in Sole videtur,
Quæ ſita cervices circum collumque coronat.
Namque aliàs fit uti claro ſit rubra pyropo,
Interdum quodam ſenſu fit uti videatur
Inter cæruleum virides miſcere ſmaragdos.

Philo in libro *De Temulentia*, Τὸν αὐχένα τῆς περιστερᾶς ἐν ἡλιακαῖς αὐγαῖς οὐ κατενόησας μυρίας χρωμάτων ἀλλάττοντα ἰδέας; ἢ οὐχὶ φοινικοῦν, καὶ κυανοῦν, πυρωπόν τε, καὶ ἀνθρακοειδές, ἔτι τε ὠχρόν, καὶ ἐρυθρόν, καὶ ἄλλα παντοδαπὰ ἴσχει χρώματα, ὧν οὐδὲ τὰς κλήσεις ῥᾴδιον ἀπομνημονεῦσαι. *Vidiſtine unquam columbæ cervicem ad Solis radios in ſexcentos colores variatam? Nonne puniceum, & cæruleum, & pyropi, & carbunculi, & pallidum, & rubrum, & alios habet colores omnigenos, quorum ne nuda quidem nomina referre facile ſit?* Quæ penè ad verbum exſcripſit *Euſtathius* in *Hexaemeron* pagina 29. *Nero* apud *Senecam Naturalium Quæſtionum* lib. 1. cap. 5.

Colla Cytheriacæ *ſplendent agitata columbæ.*

Plinius, libri decimi capite vigeſimo ſexto, *Columbis ineſt quidam & gloriæ intellectus.* *Noſſe credas ſuos colores & varietatem diſpoſitam.* Et libri trigeſimi ſeptimi capite quinto, *Carchedonii*, &c. *Colore incerti, & virentium in caudis pavonum, columbarumque collo plumis ſimiles.* *Auſonius* de anatibus *Epiſtola* tertia,

Tricolor vario pinxit quas pluma colore,
Collum columbis æmulas.

Sed hi colores ſolum ſunt apparentes. Itaque apud *Martianum* libro ſecundo *Arceſilas*, collum columbarum intuens, hac permotus varietatis incertitudine, amplius adſtruere ἀκαταληψίαν cœpit. Et *Carneades*, ut probaret incertos eſſe ſenſus noſtros, columbarum colla proferebat ad ſingulas converſiones colorem mutantia. Ita teſtatur *Hieronymus* ad *Pammachium* contra errores *Johannis Hieroſolymitani*. At *Oppianus* lib. 1. *Cynegeticωn* pullos etiam in ovo variis coloribus, iiſque veris, poſſe diſtingui docuit. Nempe ſi coituris fœminis objiciantur

- - - - - - - δαίδαλα πολλὰ
Εἵματα πορφύρεα· ταὶ δὲ κλιδὸν ὄσσε βαλοῦσαι,
Θυμὸν ἰαινόμεναι τίκτουσ' ἁλιπόρφυρα τέκνα,

dædala multa veſtimenta purpurea: illa verò limis oculis conjectis, animoq́; oblectata, pariunt purpureos pullos. Quod adduco libentius, quia ſimili arte *Jacobus* oves ſibi comparavit verſicolores.

Oculi columbarum ſponſæ tribuuntur *Cant.* 1. *v.* 15. & 4. *v.* 1. Et ſponſo quoque *Cant.* 5. *v.* 12. id eſt, puri, venuſti, ſimplices, caſti denique. Quod potiſſimum *Hebræi* hic intelligunt; quia columba ſolum conjugem reſpicit, neque oculos in ullum alium conjicit. *Rabbi Selomo*, משמכרת את בן זוגה אינה מניחה שידווג לאחר *Poſtquam compari ſuo deſponſata eſt, alteri ſociari non gaudet.* Et *Aben Ezra*, מנהג בני יונה שלא להתחבר אלא עם זוגה שלה *Columbæ non ſolent ulli alteri, quam compari ſuo conſociari.* Quod idem de palumbe poſtquam docuit *Ælianus Hiſt.* lib. 3. cap. 44. Ἐὰν δὲ, inquit, ὑποφθαλμιάσωσιν ἑτέροις, ἀθροιζόμενοι αὐτοὺς οἱ λοιποὶ, καὶ τὸν μὲν ἄῤῥενα οἱ ὁμόφυλοι διασπῶσιν, αἱ θήλειαι δὲ τὴν θῆλυν· *Si autem libidinoſos oculos in alios conjiciant, eos reliqui circumſedentes, marem quidem mares diſcerpunt. fœminam verò fœminæ.* Ubi nota verbum ὑποφθαλμιᾷν de libidinoſo aſpectu uſurpari, quia *oculi ſunt in amore duces.* Et ἐκ τοῦ ὁρᾷν γίνεται ἐρᾷν. Unde *Johannes* (a) ἡ ἐπιθυμία τῶν ὀφθαλμῶν. & *Petrus* (b) ὀφθαλμοὺς ἔχοντες μεστοὺς μοιχαλίδος. Quod malo ſuo expertus *David* (c) à Deo obnixè petiit, ut oculos ſuos averteret, ne viderent vanitatem. Et *Job* (d) cum iis fœdus pepigit, ut ne virginem aſpicerent. Anxiè quærunt interpretes quò hæc pertineant *Cant.* 5. *v.* 12. *Oculi ejus* (ſponſi) *tanquam* (oculi) *columbarum ad decurſus aquarum, lotarum in lacte, manentium ad plenitudinem.* Ego Sacrum Scriptorem hoc ſolum reſpexiſſe puto, quod columbæ ad aquas oculos habent excitatiores, quia ad eas libentius degunt. Proinde *Varro* (*De re ruſtica* libri tertii capite ſeptimo) in deſcriptione τοῦ περιστεροτροφείου, *Aquam puram*, inquit, *eſſe oportet, quæ influat; unde & bibere, & ubi lavari poſſint: permundæ enim ſunt hæ volucres.* Neque ſolum ad aquas deſcribuntur, ſed & ad plenitudinem, ſupple aquarum, (quomodo Scriptura paſſim agit (e) de maris plenitudine) id eſt, ad loca ubi aquæ ſcatent, & ad riparum altitudinem propè accedunt, ita ut ſint potu faciles. Eædem *lacte lotæ* dicuntur, id eſt, candidiſſimæ: ac ſi alba fierent, quæ lacte lavantur; ut nigra, quæ atramento. Tale illud *Job.* 9. *v.* 30. *Si lavero me aquis nivalibus, & mundavero ſmegmate manus meas.* Remotum eſt, nec alibi reperitur, quod quidem ſciam, quod *Gregorius* in *Cantica* capite quinto columbas ideò putat juxta fluenta reſidere, *ut volantium avium umbram in aqua videant, ſuper quam ſe projicientes, ungues rapacium ſic effugiant.* Sed videtur id ex parte ſumptum ex hiſtoria cujuſdam avis, quæ *Arabicè* vocatur خاطف ظله *chatipho-dhillihi*, quaſi dicas *raptorem umbræ ſuæ*; quia اذا راي ظله في الما اقبل اليه ليخطفه *cum umbram ſuam in aqua videt, accedit ad eam ut rapiat eam.* Ita *Alcamus*. In *Damire* aliter vocatur قرلا *koralla* voce *Perſica*, & رفراف *raphraph* à motitatione alarum, & ملاعب ظله *mulaibo dhillihi*, *ludens cum umbra ſua*, & aſſeritur eſſe في جنس العصافير *in genere paſſerum*, ſeu *avicularum*. Itaque non eſt graculus, in qua ſententia quandoque fui, quia de iis dicit *Tzetzes Chiliade* 4. Hiſt. 119.

- εἴπερ χέεις ἔλαιον ἔν τινι λικανίσκῳ,
Πρὸς τὴν σκιὰν τὴν ἑαυτῶν τοὺς κολοιοὺς κρατήσεις.
Ναρκίσσους ἄλλους Λάκωνας ὄντας τῶν φιλοσκιῶν.

Si in parva pelve oleum fundas, ad umbram ſuam graculos detinebis, ac ſi eſſent Narciſſi Lacones, *ex iis, qui propriam umbram amant.* Obiter nota *Narciſſum* non fuiſſe *Laconem*, ſed *Bœotum*, ut teſtantur *Ovidius Metam.* lib. 3. Fab. 5. *Conon* Hiſt. 24. *Strabo* lib. 9. *Hyginus* Fab. 271. *Pauſanias* in *Bœoticis*, *Claudianus* lib. 2. *de Raptu*, atque alii ſine numero. Tamen *Laconem* facit *Tzetzes* hic, & *Chil.* 1. Hiſt. 9. quaſi fuerit *Hyacinthi* popularis, quem illi confert *Hiſt.* 11. Quod μνημονικὸν σφάλμα in eo ferendum non eſt, qui in eo ipſo loco ita ſe jactat,

Οὐδὲ γὰρ μνημονικώτερον τοῦ Τζέτζου Θεὸς ἄλλον
Ἄνδρα τῶν πρίν τε, καὶ τῶν νῦν ἐξέφηνεν ἐν βίῳ·

Neq; enim magis Tzetze *memorem Deus ullum alium in vitam produxit, eorum qui fuerunt, aut nunc ſunt.* Et paulò ante dixerat ſe ſcire omnes libros. Sed, ut eò redeamus, unde digreſſi ſumus, *Hebræi* quæ nos ad columbas, ut ad columbarum oculos referant, ſacra verba ſic reddunt, *Oculi ejus ut columbarum* (oculi) *ad decurſus aquarum, lacte loti, inſiti in plenitudine*, id eſt, locum ſuum implentes ut gemma palam. Quod *Hebraicè* dicitur מלאת אבן, *plenitudo*, vel *impletio lapidis*, Exod. 28. v. 17. Ita *Aben Ezra*, & *R. Selomo*, qui oculos deſignari vult לא בולטות יותר מראי ולא שוקעות אלא יושבות מלאת גומא שלהם *non plus æquo prominentes, aut depreſſos, ſed ita ſitos, ut foſſam ſuam impleant.* Atque id ſequuntur novi interpretes. Sed in hac interpretatione nonnulla deſidero, primò, quòd ſic color lacteus oculis tribui videtur, quorum præcipua pars, id eſt, pupilla, nigra eſt, aut cærulea, &c. Secundò, quòd, quamvis lapides palâ incluſi *Hebraicè* dicantur אבני מלואים, *lapides impletionum*, id eſt, qui palam implent, & inſitio lapidis in palam מלאת אבן, *impletio lapidis*, tamen lapis in palam inſitus nuſquam dicitur יושב על מלאת, *manens ad plenitudinem.* Neque vero id dici poteſt. Quis enim pecuniam ad ſacci, aut vinum ad dolii plenitudinem manere vel ſtare dixerit, cum ſaccus pecuniâ, aut vinum dolio plenum eſt.

In columbæ voce aliquid querulum & gemebundum eſt. Proinde gemere dicuntur. Auctor *Philomelæ*,

Et caſtus turtur, atq; columba gemunt.

Virgilius Eclogâ primâ,

Nec tamen interea raucæ tua cura palumbes,
Nec gemere aeriâ ceſſabit turtur ab ulmo.

Martialis lib. 3. *Epigr.* 57.

Gemit hinc palumbus, inde cereus turtur.

Gregorius in *Jobum* lib. 32. cap. 4. *Scimus quia columbarum pulli, vel turtures pro cantu gemitum habent.* Et in *Cant.* cap. 1. *Columba in amore ſuo pro cantu gemit.* *Græcis* quoque id ipſum στένειν. *Theocritus Idyll.* 7. verſu 141.

Ἄειδον κόρυδοι, καὶ ἀκανθίδες, ἔστενε τρυγών,

Cantabant alaudæ, & cardueles, gemebat turtur. Hinc *Chryſoſtomus* Homilia *De turture*, Ἡ τρυγὼν ἡ φιλέρημος, ὅτε ἐν ὕλαις συγκοιταζομένη καλεῖ τὸν ὁμόζυγον, γοεραῖς κολακείαις τὰς κοιλάδας ἐνηχεῖ· *Solitarius turtur, cum in ſylvis decumbens conjugem vocat, lugubribus* adu-

a) 1. Joh. 2, 16.
b) 2. Pet. 2, 14.
c) Pſal. 119, 37.
d) Job. 31, 1.
e) 1. Par. 16, 32. Pſal. 96, 11. & 98, 7. &c.

adulationibus valles commovens. Alii turtures τρύζειν dicunt, & columbas γογγύζειν. *Pollux* lib. 5. capite 13. §. 2. cui titulus Ὀρνίθων φωναί, *Avium voces*, Εἴποις ἂν τρυγόνας τρύζειν, περιστερὰς γογγύζειν. Γογγύζειν eſt *murmurare.* Hinc *murmura* reperias pro columbarum gemitu: ut cùm *Gallienus* Imperator apud *Trebellium* in Epithalamio carmine de ſponſis dicit,

- - - - - non murmura veſtra columbæ,
Brachia non hederæ, non vincant oſcula conchæ.

At *Hebraicum* eſt הגה, quod *gemendi* verbo rectè redditur, cum ad luctum ubiq; referatur. Ita in *Ezechiæ* Regis cantico de morbo ſuo *Eſa.* 38. *v.* 14. ארגה כיונה, *gemebam ut columba.* Et *Eſa.* 59. *v.* 11. ubi agitur de *Judæorum* rebus afflictis, *Uncamus ut urſi nos omnes*, וכיונים הגה נהגה, *& ut columbæ gemendo gemimus*, id eſt, gravi & continuo gemitu. Sed & המה, quod propriè *fremere* eſt, ad columbarum gemitum pertinet, cum dicitur *Ezech.* 7. *v.* 16. כיוני הגאיות כלם הומות איש בעונו, *ut columbæ vallium omnes illi fremebant,* (id eſt, *gemebant*) *quiſq; propter peccatum ſuum.* *Septuaginta* pro כיוני הגיאות, *ut columbæ vallium*, legerunt כיונה הגות. Unde nata illa verſio, ὡς περιστερὰ μελετῶσα, *ut columba gemebunda.* Nam de columbis μελετᾶν illis *gemere* eſt. Proinde in hunc locum *Theodoretus*, Ὀδυρόμενοι γὰρ καὶ θρηνοῦντες περιστεραῖς μελετώσαις ἀπεικασθήσονται· στένουσι γὰρ ἔοικε τῶν περιστερῶν ἡ φωνή· Quæ omnino ſic reddenda, *Conquerentes enim, & lugentes columbis gementibus conferentur* (non *columbis ſublimibus*, ut hic habet interpres) *Gementibus quippe ſimilis eſt vox columbarum.* Sumitur quoque pro *luctuoſo gemitu* vox columbæ *Nahum* 2. *v.* 7. ubi regina *Ninives*, cum in captivitatem abducitur, comitantur ancillæ gementes, *tanquam voce columbarum, & pectora ſua tundentes.* *Hebræa* habent מנהגות כקול יונים, *deducentes tanquam voce columbarum.* *Deducentes*, ut volunt, hic idem, quod *comitantes*, & ſupplendum *gementes.* Nam *deducere* poſitum pro *deducere, & gemere.* Unum pro duobus. Quale *Prov.* 25. *v.* 22. *Capies carbones ignis ſupra caput ejus*, pro *capies, & pones.* Et *Pſal.* 68. *v.* 19. *Accepiſti dona hominibus*, pro, *accepiſti, & dediſti*, vel *accepiſti quæ dares.* Proinde reddit *Paulus, dedit dona hominibus*, Epheſ. 4 v. 8. Quid ſi pro מנהגות, *deducentes*, legatur מהגות, *gementes*, una literula minus? Sic planior eſſet ſenſus: tamen non auſim quidquam mutare, quia vetuſtiſſimos interpretes conſtat legiſſe מנהגות.

Columbæ volatum Scriptura laudat non ſemel. Sic *Eſa.* 60. *v.* 8. *Qui ſunt iſti, qui ut nubes convolant, & ut columbæ ad feneſtras ſuas?* Magiſtri hæc referunt ad *Iſraelitas* ex captivitate *Babylonica* cum ſumma alacritate redituros. Hinc *Chaldæus* Paraphraſtes, *Qui ſunt iſti, qui palam veniunt ut nubes veloces ſine mora? Transmigratio* Iſrael *quæ congregatur, & redit ad terram ſuam*, כיונין דתיבין לגו שובכיהן, *ut columbæ, quæ redeunt ad columbaria ſua.* In quæ verba *Kimchius*, יותר יעופו מהרה בשובם אל קניהם ממה שיעופו בצאתם מהם מפני שהם ממהרות לשוב אל גוזליהם שהניחו להאכילם מאשר בפיהם *Citius volant cum redeunt ad nidos ſuos, quàm cum ex iis exeunt, quia ad pullos, quos reliquerunt, redire properant, ut cibum, quem in ore habent, iis offerant.* Similis eſt locus *Oſ.* 11. *v.* 11. *Trepidabunt ut avicula ex Ægypto, & ut columba è terra* Aſſyriæ. *Trepidabunt* יחרדו, id eſt, *trepidè accurrent.* Sic 1. *Sam.* 16. *verſ.* 4. cum *Samuel* venit *Bethlehem*, ויחרדו, *Et trepidarunt* (id eſt, *trepidè accurrerunt*) *ſeniores urbis in occurſum ejus.* Et in hoc ipſo *Propheta* Oſe. 3. v. 5. *Trepidabunt ad Dominum, & bonitatem ejus*, id eſt, *Trepidè accurrent.* Aben Ezra, ישובו במהרה במרוצה פתע פתאום, *Redibunt feſtinanter, curſim, cito, velociter.* Tamen in ſacro Textu non eſt יחרדו, ſed ſynonymum ופחדו. Nempe *trepidandi* verba quandoque ad feſtinationem pertinent. *Virgilius* libro nono *Æneidos*,

Ne trepidate meas, Teucri, *defendere naves.*

id eſt, *ne feſtinetis.* Ita *Servius*, & *Nonius Marcellus.* Et *Livius* lib. 23. *Moxq; , dum in ſua quiſq; miniſteria diſcurſu trepidat ad prima ſigna.* *Trepidat*, id eſt, *feſtinat.* Ita omnino in *Oſea*, *Trepidabunt ut columba* (id eſt, *ſumma feſtinatione fugient*) ex Aſſyria. Quia columbæ volatus eſt perniciſſimus. Unde eſt, quod *Pſal.* 55. *v.* 7. alas columbæ optat *David*, ut celeri fuga ſe ſubducat ex imminenti periculo. *Quis* (inquit) *mihi dabit alam velut columbæ, quâ in tutum evolem? Ecce! quàm longiſſimè evagarer, commoraturus in deſerto. Et maturarem effugium ocyùs vento rapidiſſimo, & turbine.* Quomodo Chorus apud *Sophoclem* in *Oedipo Coloneo*,

Εἴθ', ἀελλαία ταχύρ-	*Utinam, ut turbinea celeri*
ρωστος πελειάς,	*Impetu columba,*
Αἰθερίας νεφέλας	*Æthereas nubes*
Κύρσαιμι, &c.	*Permearem*, &c.

Gregorius Nazianzenus Oratione decima ſeptima dicit columbæ alas à *Davide* exoptari, ὡς κουφοτέρας, καὶ ταχυτέρας, *ut leviores, & perniciores.* Et *Janſenius* in Paraphraſi, *O utinam mihi dentur alæ tales, quales habet columba, velociſſimi inter aves volatus; ut quomodo perniciſſimo ſuo volatu, eoq; ſolo, ſeſe ab hoſte accipitre liberat*, &c. *Plinius* quoque libri decimi capite trigeſimo ſexto columbas dicit *ſoluto volatu* eſſe accipitre *in multum velociores.* Et *Phædrus* libri primi *Fab.* 31.

Columbæ ſæpe cum fugiſſent milvium,
Et celeritate pennæ vitaſſent necem.

Et *Euripides* de *Bacchis* ad *Penthei* cædem properantibus,

Ἦξαν πελείας ὠκύτητ' οὐχ ἥσσονες,
Irruerunt columbæ celeritate non inferiores. Proinde

Virgilius Æneidos libro quinto *Mneſthei* navem, quæ

Agmine remorum celeri, ventiſq; vocatis
Prona petit maria, & pelago decurrit aperto,

cum columba volante confert tum cum

Fertur in arva volans, atq; aere lapſa quieto
Radit iter liquidum, celeres neq; commovet alas.

Et, ut credatur *Argo* navis fuiſſe expeditiſſima, illam *Poetæ* ἶσον πελειάδος, *columbæ inſtar*, citam deſcribunt. Et columbam ab *Argonautis* inter *Symplegades* miſſam fuiſſe fingunt, quæ cum evaſiſſet, inde conjecerunt etiam *Argo* evaſuram, ut ab *Euſtathio* docetur in *Odyſſ.* μ'. Quibus conſonant *Arabes* & *Hebræi.* Sic *Damir*, poſtquam docuit الشهرمان والشاهين *ſabarman, & ſahin*, accipitrum ſpecies, columbæ eſſe infenſiſſimos, وهو اطير منهما ومن ساير الطير كلها *Et hæc*, inquit, *eos volatu ſuperat, atq; aves omnes quotquot ſunt.* Et ad locum *Pſalmi*, quem citavimus, *R. Simon*, *R. Jodan*, *R. Jonas*, & *R. Kimchius* ad quæſtionem, cur *David* alas columbæ aliarum avium alis præferat, ſic reſpondent כל העופות בשעה שיגעים הם נחים על גבי הסלע או על גבי האילן ונתפסין אבל יונה בשעה שיגעה היא קובצת אחת מאגפיה ופורחת באחת והיא נצולת ואינה נתפסת, *Reliquæ omnes aves, cum volando feſſæ ſunt, ſuper petram, aut ſuper arborem fugiunt, & capiuntur: ſed columba, cum eſt feſſa, alarum unam comprimit, & alterâ volat, ſicq; evadit, nec capitur.*

Et

Et *Aben Ezra*, והזכיר יונה שהיא עם בני אדם ועמה ישגרו המלכים ספריהם *Meminit columba, quia illa degit cum hominibus, & literas per eam mittunt Reges.* Nempe ſæculo poſt *Chriſtum* duodecimo, quo ſcripſit *Aben Ezra*, fuit id in multo uſu. *Paulus Æmylius*, *de geſtis Francorum* libro quarto, ubi de *Haſarchi*, *Syriæ* oppidi præfecto: *Ejus oratores* (ad *Balduinum* miſſi, ut auxilium implorarent) *epiſtolam caudæ columbæ, quam, cum in legationem proficiſcerentur, domo ſecum attulerant, alligaverunt, illamq; ex compoſito remiſere. Ita Præfectus certior factus egregiè ſe tutatus eſt.* Et ubi de *Hieroſolymis* per *Chriſtianos* obſeſſis: *Caſus tulit, ut columba, ſuper caſtra* Latinorum *volitans, accipitre opprimente ſe demittens, à noſtris exciperetur. Sub alis ejus inventa eſt epiſtola* Arabicis, *& verbis & literis, exarata.* Et libro quinto, *Cum aſſidetur* (Tyri) *mœnibus, ſunt auctores columbam advolaſſe. Eam cum noſtri uſu docti tabellariam eſſe cognoſcerent, clamorem tantum à terreſtribus navalibusque* Latinorum *copiis ſublatum, ut ales, tanquam turbine moti cœli acta, in terram delaberetur. Demptam epiſtolam, barbarorum literis ad* Tyrios *exaratam, brevi auxilia occurſura, bono animo eſſent, paucos dies obſidionem tolerarent. Noſtros contra alteram epiſtolam curaſſe ſcribendam manu linguâq; eorum barbarorum, quos in manu habebant, &c. Volucremq;, cum ſubdititiis fallacibusq; literis remiſſam, ſibi ex uſu præſenti obſeſſi conſulerent, &c. ſpem propinquam auxilii nullam oſtendi poſſe, &c. Dolo ceſſere* Tyrii. *Marmolius Africæ* ſuæ libri ſecundi capite trigeſimo primo id refert ad Annum 1123. De iiſdem vide *Jacobum Vitriacum*, *Hiſtor. Orient.* lib. 1. *Arnoldum Lubecenſem* in *Hiſtoria Slavorum*, *Vincentium* in *Doctrinali* lib. 16. cap. 154. & *VVildebrandum ab Oldenborg* in *Itinerario Hieroſolymitano*, ubi *Tripolitanis* id perperam adſcribit, quod alii *Tyriis* tribuunt. Sed & Hiſtoriæ vetuſtiores ejusdem artis ſpecimina nobis exhibent. Nam, ut fabuloſa taceam; ut quod *Samaritani* ſcribunt adulterini *Joſuæ* libri capite vigeſimo, illum victis quinque Regibus, per epiſtolam avicularum alis alligatam, *Eleazarum* hujus victoriæ certiorem reddidiſſe; & capite trigeſimo quarto eundem, columbæ miniſterio, literas ad *Nebichum* miſiſſe; & quod apud *Ælianum Hiſtoriæ* libri ſexti capite ſeptimo, *Mares, Ægypti* Rex, cornicis opera legitur uſus in literis quocunque vellet perferendis: hæc, inquam, ut prætercam, quia palam fabuloſa ſunt, quidni credamus quod habetur in *Æliani Variis* lib. noni capite ſecundo, *Tauroſthenem* Ὀλυμπιονίκην victoriam ſuam eodem die patri ex *Olympia Æginam* ſignificaſſe per columbam internunciam. Ajunt nimirum περιστερὰν τὸν Ταυροσθένην ἐπάγεσθαι ἀποσπάσαντα τῆς ἑαυτῆς νεοττοὺς ὑγροὺς ἔτι, καὶ ἀπτῆνας, νικήσαντα δὲ ἀφεῖναι τὴν πελειάδα, προσάψαντα πορφύραν αὐτῇ· τὴν δὲ ἐπειγομένην πρὸς τοὺς νεοττούς, ἀπαυθημερῆσαι ἐκ Πίσης εἰς Αἴγιναν Tauroſthenem *columbam à ſuis pullis teneris adhuc, & implumibus, abſtractam, ſecum deportaſſe. Cumq; viciſſet, purpurâ alligatâ eandem remiſiſſe, atq; illam, ſumma cum feſtinatione ad pullos properantem, eodem die* Piſâ Æginam *advolaſſe.* Quale quid in obſidione *Mutinenſi* eveniſſe *Plinius* & *Frontinus* referunt, quamvis inter illos parum conveniat. Hic enim libro tertio *Stratagematum Hirtium* ſcribit literas, collo columbæ ſetâ religatas, ad *Decium Brutum*, *Mutinæ* obſeſſum, ab *Antonio* miſiſſe: ille libri decimi capite trigeſimo ſeptimo internuncias in rebus magnis fuiſſe columbas, *epiſtolas annexas earum pedibus obſidione* Mutinenſi *in caſtra Conſulum* D. Bruto *mittente.* Sed in eadem obſidione potuit idem *Brutus* literas columbarum miniſterio & accepiſſe, & remiſiſſe. Ad hanc columbarum induſtriam *Poetas* alludere ſæpe videas. In quibus *Anacreon* Odâ nona columbæ ſuæ hæc affingit.

Ἐγὼ δ᾽ Ἀνακρέοντι	*Egoq;* Anacreonti
Διακονῶ τοσαῦτα,	*In talibus miniſtro,*
Καὶ νῦν οἵας ἐκείνου	*Ejusq; nunc videte*
Ἐπιστολὰς κομίζω.	*Quales fero tabellas.*

Pherecrates in *Pictoribus* apud *Athenæum* libro nono,

Ἀπόπεμψον ἀγγέλλοντα τὴν περιστεράν,

Remitte columbam nunciam. Martialis de columba in *Aretullæ* ſinum delapſa, libri octavi *Epigram.* 32.

Hæc à Sardois *tibi forſitan exulis oris,*
Fratre reverſuro nuncia venit avis.

His non poſſum non addere pauca hæc ex ſuaviſſima *Heinſii* τοῦ μακαρίτου *Elegia* de columbis *Leidenſibus*, libri tertii *Elegiâ* decimâ,

Hic volucrem ſacram trepidâ demittit ab urbe,
Quæ referat ductus illius; illa volat.
Moxq; domum gaudens dulcesq; reviſere nidos,
Per medium rurſus aera lapſa fuit.
Scriptaq; Boiſoti *mandataq; geſtat in alis,*
Jamq; miniſterii dulce peregit opus.

Hanc ſcilicet artem intermortuam patrum noſtrorum memoriâ, *Belgæ* excitarunt. Et *Turcæ* quoque, quorum Imperatorem ſcribit *Linſchottus* in *Armuziæ* deſcriptione capite ſexto per columbas brevi addiſcere quid fiat in remotiſſimis imperii ſui partibus. Proinde in libro *De Animalibus*, quem ex *Arabico Abulſaphe* in *Hebræum* ſermonem transtulit *Calonymus* Anno *Chriſti* 1316. de columba dicitur, היונה המסלסל הוא זה המגביה לעוף נושא ספרים ואגרות מארץ אל ארץ לתבונתו *Columba, in ſublime ſe attollens, id eſt, quæ volatu ſuo exaltatur, cum per intelligentiam ſuam fert literas è loco in locum.* Nempe, ut ait *Alkazuinius*, انا ارسل من موضع بعيد يصعد نحو الهوا وتكون صعوده مدورا فلا يزال يصعد وينظر حتي يري شيا من علامات بلده فعند ذلك يهبط اليها باذني زمان *Cum mittitur è loco valde diſſito, aſcendit in ſummum aerem. Et aſcenſus ejus fit in orbem. Neque aſcendere, & circumſpicere deſinit, donec regionis ſuæ ſignum aliquod animadvertat. Tum verò ad illud deſcendit brevi tempore.* Et *Damir*, في طبعه انه يطلب وكره ولو ارسل من الف فرسخ ويحمل الاخبار وياتي بها من المسافة البعيدة في المدة القريبة وفيه ما يقطع ثلاثة الاف فرسخ في يوم واحد *Et natura ejus eſt, ut nidum ſuum repetat, etiamſi mittatur è mille paraſangis, & nuncia è locis remotiſſimis breviſſimo tempore ferat: ita ut unica die quadam confeciſſe dicatur tria paraſangarum millia.* Quod ſuperat omnem fidem, & ab iis confictum puto, qui de magnis majora loquuntur. Epiſtolium, quod columbæ alligatur, *Arabicè* ſpeciali nomine بطاقة *bittaka* vocatur, id eſt, πιττάκιον, *pittacium.* Et زجل *zagiala* eſt columbam in hunc finem emittere. Et columba ſic emiſſa زجال *zigial* dicitur. Ita eſt in *Alcamus*.

CAPUT TERTIUM.

De Columbarum ſedibus.

Columbæ in columbariis degunt, Eſ. 60, 8. *& in foſſis*, Jerem. 48, 28. *& in fiſſuris petræ*, Cant. 2, 14. *Inprimis præ metu accipitris, quod tam* Hebræi, *quam* Poetæ *aſſerunt. Et in vallibus*, Ezech. 7, 16. *Et in montibus: unde dicta* Semiramis. *Arboribus etiam inſidere non ſolùm palumbes, livias, & turtures, ſed & columbas propriè dictas probatur ex variis Scriptoribus, & ex titulo* Pſal. 56. *nondum ſatis explicato.*

COlumbæ in columbariis habent ארבות *arubboth*, id eſt, *feneſtras*, ſeu *foramina*, in quibus latere & nidificare ſolent. *Eſ.* 60, 8. *Qui ſunt iſti, qui ut nubes volant, & ut columbæ* אל ארבותיהם *ad feneſtras ſuas?* Id eſt, לגו שובכיהון, *ad columbaria ſua*, ut in *Chaldæo* habetur. Sed in metu latent ubivis in foſſis, in petris, in montibus, *&c.* Hinc *Jerem.* 48, 28. *Moabitæ*, qui, præ metu hoſtium relictis urbibus ſuis, in rupium antris deliteſcunt, dicuntur eſſe כיונה תקנן בעברי פי פחת, *ut columba, quæ* (in ſimili metu præter naturam) *nidificat in lateribus oris foſſæ*: ubi *Chaldæus*, כיונא דשבקא פום שובכה ונחתא ושריא בארעית נקבא, *ut columba, quæ, foramine columbarii relicto, deſcendit, ut habitet in ima foſſa.* Et *Cant.* 2, 14. per *columbam, quæ latet* בחגוי הסלע בסתר המדרגה, *in fiſſuris petræ, in latibulo præcipitii*, Hebræi *Iſraelitas* intelligunt, quos in exitu ex *Ægypto* ab una parte perſequebatur *Pharao*, ab altera concludebat deſertum anguibus plenum. Unde *Chaldæus* Interpres, הות מתילא כנישתא דישראל ליונתא דסגירא בחגוי טנרא וחויא מעיק לה מגיו תצא מעיק לה מברא *Similis erat Eccleſia* Iſraelitica *columbæ, quæ incluſa eſt in fiſſuris petræ. Et ſerpens illam intrinſecùs obſidet, & accipiter extrinſecùs.* Quod *R. Selomo* pluribus perſequitur. Sic apud *Smyrnæum* lib. 12.

> Ἴρηξ σεῦε πέλειαν· ἐπειγομένη δ᾽ ἄρα κείνη
> Κάππεσεν ἐς πέτρης κοῖλον δόμον· - - -

Accipiter columbam perſequebatur: illa autem, cum urgeretur, in ſcopuli cavernam ſe ſubduxit. Quod ex his *Homeri* ſumptum *Iliad.* φ΄. verſu 495.

> - - - , - φύγεν, ὥς τε πέλεια,
> Ἥ ῥά θ᾽ ὑφ᾽ ἴρηκος κοίλην εἰσέπτατο πέτρην·

Fugit ut columba, quæ ab accipitre volavit in cavam petram, in antrum. Quamvis etiam extra metum columbas in antris nidificare ſuadeant hæc *Poetæ*,

> *Qualis ſpelunca ſubitò commota columba,*
> *Cui domus, & dulces latebroſo in pumice nidi.*

Et quod in *Diodoro Semiramis* expoſita fuiſſe legitur εἴς τινας ἐρήμους, καὶ πετρώδεις τόπους, ἐν οἷς πολὺ πλῆθος περιστερῶν ἐννοσσεύειν εἰωθότος, *in quibuſdam deſertis, & petroſis locis, in quibus cum magna columbarum copia nidificare ſoleret*, &c. Si quidem ibi agatur de columbis propriè dictis. Etiam *Ezech.* 7, 16. qui ex magna clade evaſerunt oberrare leguntur in montibus כיוני הגאיות, *ut columbæ convallium.* Quæ nempe metu aucupis, aut accipitris, naturali ſede deſertâ, coguntur aliò ſecedere, ut vitæ ſuæ conſulant. Columbis convallium montanæ opponuntur, quomodo feræ domeſticis. Sic *Heſychio Semiramis* eſt περιστερὰ ὄρειος, quod jam antè eſt expoſitum. Et in *Alcorano* الحمام الطورانية *Alozpho* eſt العزق *columba montana.*

Fallor, aut etiam columbæ arborum vel lucorum memorantur in titulo *Pſal.* 56. in cujus verſione puto interpretes hactenus fruſtrà deſudâſſe. Nam, ut veteres præteream, qui in diverſiſſima abeunt, quis *Selomonem*, aut *Kimchium* ferat *Hebræa* verba על יונת אלם רחוקים, reddentes *de columba ſilentii remotorum*, ut ad *Davidem* referant? Nempe, ut ait *Selomo*, *David* tum erat inter *Philiſtæos* procul à terra *Iſraelis*. Et *Kimchius columbam* vocari addit, quia *Oſ.* 7, 11. columba vocatur *fatua*, & *David* ſe fatuum eſſe ſimulabat. Et *columbam ſilentii*, id eſt *mutam*; quia non loquebatur more ſuo, ſed tanquam inſanus. Nec multò magis probo virum magnum è noſtris, qui, ſequutus auctores ꝑ *Midras*, eadem verba ità exponit, *De anima vim patiente à manipulo longinquorum.* Quæ interpretatio, ut & prior, de qua diximus, *Hebræo* textui vim facit tam manifeſtam, ut cuivis *Hebraicè* vel mediocriter docto pateat cur à me rejiciatur. His igitur relictis, dicam quod res eſt. *Aben Ezra* rectè vidit verba יונת אלם רחוקים, initium eſſe cantici, ad cujus modulos *David* hunc *Pſalmum* compoſuit: ſed ea reliquit ἀνερμήνευτα. Nos verò hic quærimus quid illa verba ſignificent. Et certum eſt ex iis, prout leguntur à *Maſorethis*, nullum poſſe commodum ſenſum erui. Itaque periti videant, annon iiſdem literis manentibus, ſed uno puncto mutato, ſit conſultius אִלִם *elim*, legere pro אֵלֶם *elem*, id eſt, *Hiric* pro *Segol*. Quo dato, ſacræ cantionis, cujus modulos in hoc *Pſalmo* ſequitur *David*, initium hoc fuerit, *Columba nemorum remotorum.* Hoc fefellit interpretes, adeoque ipſos *Maſorethas*, quod in אלם deeſt *Jod* nota Pluralis numeri. Sed, ut rectè obſervat Cl. *Buxtorfius*, *Theſauri Grammatici* libri primi capite nono, *Jod ſæpe excidit ex Plurali, ut in* תנינם *dracones*, Deut. 32, 33. תמםם *integri*, Levit. 9, 2. Addo ſolum exemplum ſimilis Ellipſεως in hac ipſa voce, quamvis in alia notione, באלם, *in Diis fortibus*, pro באלים, *Exod.* 15, 11. Porrò יונת אלים, *columba arborum*, ſeu *nemorum*, eſt columba ſylveſtris, id eſt, palumbus, qui in ſylvis degit, & in arboribus nidificat. *Theocritus* Idyll. 5.

> Κἠγὼ μὲν δωσῶ τᾷ παρθένῳ αὐτίκα φάσσαν,
> Ἐκ τᾶς ἀρκεύθω καθελών· τηνεὶ γὰρ ἐφίσδει.

Et ego quidem mox puellæ palumbum dabo ex junipero abreptum: ibi enim ſedet. Nemeſianus Eclogâ ſecundâ,

> *Prætereà tenerum leporem, geminaſque palumbes,*
> *Nuper quæ potui, ſylvarum præmia, miſi.*

Auctor *Philomelæ*,

> *Planſitat arboreâ clamans de fronde palumbes.*

Proinde *ramier Galli* vocant à ramis arborum, quibus inſidet. Idem de liviis quoque ſcribitur, quæ *Græcis* πελειάδες. Ità *Herodotus* in *Euterpe* πελειάδα *liviam* deſcribit ἱζομένην ἐπὶ φηγὸν *fago inſidentem.* Et de turture *Origenes* in *Cantica* Homil. 2. *Semper in montium jugis & in arborum verticibus commoratur. Theodoretus* quoq; in *Cant.* 2. turturem dicit ἐν δένδροις ἀμφιλαφέσι τὰς καλιὰς πηγνύναι, *in umbroſis arboribus nidos conſtruere.* Et *Chryſoſtomus* in Homilia *De turture*, Ἐπὶ τῶν στερεμνίων πρέμνων τὴν καλιὰν αὐτῆς πήξασαι, καὶ ἀφόβως ἐπωάζουσαι, τοὺς νεοττοὺς ἑαυτῶν ἐκεῖθεν πετάζουσι· *Firmis arborum ſtipitibus nidum ſuum defigentes, & ſecurè incubantes, pullos ſuos ibi extendunt.* Quod columbis propriè dictis eſt infrequens, non tamen ſine exemplo. Hinc *Anacreon* Odâ nona περιστερὰν dicit πέτασθ᾽ ὄρη τε, καὶ κατ᾽ ἀγρούς, καὶ δένδρεσιν καθίζειν, *per montes, & agros volare, & arboribus inſidere.* Et *Horatius* libri primi Odâ ſecundâ,

> *Piſcium & ſumma genus hæſit ulmo,*
> *Nota quæ ſedes fuerat columbis.*

Et *Virgilius* libro ſexto de columbis *Æneæ* à *Venere* immiſſis,

Sedibus optatis geminâ ſuper arbore ſidunt.

Et *Suetonius* in *Octavio* capite nonageſimo quarto, ubi de palma prope *Mundam*, quam ut omen victoriæ *D. Julius* conſervari juſſerat, *Ex ea continuò enata ſoboles, adeò in paucis diebus adolevit, ut non æquipararet modò matricem, verùm etiam obtegeret, frequentareturque columbarum nidis: quamvis id avium genus duram & aſperam frondem maximè vitet.* Ex his planum eſt quid ſit in *Pſalmi* titulo *Columba arborum*, aut *nemorum remotorum*, nempe ab urbibus, & locis cultis.

CAPUT QVARTUM.

De Columbæ ſimplicitate, manſuetudine, caſtitate, & timiditate.

Matth. 10,16. prudentes *&* ſimplices *non eſſe ſynonyma, ut vult* Tzetzes, *ſed oppoſita. Serpens* φρόνιμος Gen. 3,1. *& columba ſimplex* Oſ. 7, 11. *Quæ ſeorſim ſumpta ſunt in vitio, ſed conjuncta in laude.* Ἀκέραιος *non eſt* excornis, *ut volunt, ſed* ſimplex. *Quomodo id explicent* Mahumetani. *Columbæ ſimplicitas in quo ſita. Quod agnoſcunt etiam* οἱ ἔξωθεν. *Ejuſdem erga pullos amor. Columba allectatrix. Columbæ in* Canariis *inſulis quàm facilè capta. Columba innoxia, placida, manſueta. An ſit ſine felle. Ejus conjugalis caſtitas. Idem de turture, & palumbo. In iis adulterium morte puniri. Columba nigra poſt conjugis obitum vidua permanet. Turtur quoque in* Patrum *ſcriptis. Sponſa in* Canticis *cur columba. Quam pavida ſit columba. Unde* τρήρων *dicta.*

IAm de columbarum acturi moribus, incipiemus à celebri *Chriſti* dicto *Matth.* 10, 16. Γίνεσθε φρόνιμοι ὡς οἱ ὄφεις, καὶ ἀκέραιοι ὡς αἱ περιστεραί· *Eſtote prudentes ut ſerpentes, & ſimplices ut columbæ.* A *Tzetze* *Chiliade* 9. Hiſt. 263. φρόνιμοι & ἀκέραιοι pro eodem ſumuntur. Poſtquam enim prudentes eos dici aſſeruit, cum ut ſerpentes caput ſervant, id eſt, fidem in Deum, addit continuò poſt,

Ἀκέραιοι δὲ γίνεσθε, ὡς αἱ περιστεραί μοι.
Καὶ τοῦτο πάλιν τὸ αὐτὸ δηλοῖ τε, καὶ σημαίνει.
Ἀκέραιοι γὰρ λέγονται περιστεραὶ τοιῶσδε,
Φρόνιμοι, ὥσπερ λέγεται περιστερὰ τοῦ Νῶε.

Simplices autem mihi ſitis ſicut columbæ. Et hoc rurſus idem indicat, & ſignificat. Simplices enim dicuntur columbæ tali modo prudentes, ut dicitur columba Noe. Quæ nempe ad arcam rediit, id eſt, ad Eccleſiam à qua non ſecedendum. Quo nihil abſurdius fingi potuit. Nam, ut ſerpens & columba, ità φρόνιμος & ἀκέραιος nullo modo ſunt ſynonyma. Neque *Chriſtus* ut ſynonyma, ſed ut oppoſita junxit, egregia Antitheſi, quali utitur *Martialis*, cum dicit libri decimi *Epigr.* 47.

Prudens ſimplicitas, pares amici.

Nempe ut prudentia ſine ſimplicitate in verſutiam degenerat, ità ſimplicitas ſine prudentia nihil quidquam eſt, quam fatuitas, & ſtultitia. *Prudentes Hebraicè* ſunt ערומים, & *ſimplices* פתיים, vel פתאים. Quæ duo *Solomon* ſæpe opponit. Sic *Prov.* 1.4. לתת לפתאים ערמה, *ad dandum ſimplicibus prudentiam.* Prov. 8, 7. *Intelligite ſimplices prudentiam.* Prov. 14, 15. פתי, *ſimplex credit omni verbo,* וערום, *& prudens advertit ad greſſum ſuum.* Prov. 19. v. 25. ופתי יערים, *Et ſimplex prudens fiet.* Prov. 22, 3. ערום, *Prudens, cum videt malum, abſcondit ſe,* ופתיים, *At ſimplices, tranſeunt, & mulctantur.*

Atque, ut ſerpens dicitur ערום, φρόνιμος Gen. 3, 1. ità columba dicitur פתה, *ſimplex* Oſ. 7, 11. *Et factus eſt* Ephraim כיונה פותה אין לב, *ut columba ſimplex, carens corde*, id eſt, *vecors.* Ad quæ duo loca haud dubiè reſpexit *Chriſtus.* Si objicias utrumque in vitio poni, & ſerpentem ערום dici, non quia prudens, ſed quia callidus eſt, & verſipellis: Et columbam פתה, non quia ſimplex, ſed quia fatua eſt, & אין לב, *vecors*, ut ſtatim ſequitur. Reſpondeo, primò tam ערום, quàm פתי, vel פתה voces eſſe medias, quæque pro ſubjecti ratione etiam in laudem cedant. Ità ערום, non ſolum *callidum* & *verſutum*, ſed & *prudentem*, & ערמה, *prudentiam* ſonat, quod abundè docent loca *Solomonis* ſuprà allata. Viciſſim פתי, non ſolùm ἄφρονα *fatuum*, ſed & ἀκέραιον *ſimplicem* ſignificat, ut *Pſ.* 116, 8. שמר פתאים יהוה, *ſimplices ſervat Dominus.* Eas igitur voces potuit *Chriſtus* etiam in laudem uſurpare. Secundò, nec ſerpentis prudentia, nec columbæ ſimplicitas, laudantur à *Chriſto* ſolæ, & ab invicem divulſæ, ſed tum demùm laudantur, cum ſimul conjunctæ ſunt, ità ut una ſuppleat quod deeſt in altera, aut corrigat quod excedit. Quomodo è duobus pharmacis, quæ ſeparatim noxia ſunt, tertium componitur, quod utile eſt, & ſalutare, quia ſe mutuò temperant. Unde eſt, quod hæc duo veteres tam ſæpe jungunt. *Gregorius Nazianzenus* de patre *Oratione* 19. Τὸ γὰρ τοῦ ὄφεως φρόνιμον περὶ τὸ κακὸν τῷ τῆς περιστερᾶς ἀκεραίῳ περὶ τὸ καλὸν ἀναμίξας, οὐδὲ τὸ φρόνιμον εἴασε κακοῦργον γενέσθαι. οὔτε τὸ ἁπλοῦν ἀνόητον, ἀλλ' ἓν ἀρετῆς εἶδος, ὡς μάλιστα ἐνῆν, ἐξ ἀμφοτέρων ἀπειργάσατο. *Cum ſerpentis ad malum prudentiam cum columbæ ad bonum ſimplicitate conjunxiſſet, ità ſe comparavit, ut nec prudentiam in verſutam improbitatem, nec ſimplicitatem in ſtoliditatem degenerare ſineret: verùm ex ambabus, quoad ejus fieri poterat, unam virtutis ſpeciem efficeret numeris omnibus perfectam & abſolutam.* *Hieronymus* ad *Paulinum* de inſtitutione monachi, *Habeto ſimplicitatem columbæ, ne cuiquam machineris dolos, & ſerpentis aſtutiam, ne aliorum ſupplanteris inſidiis.* *Iſidorus Peluſiota* lib. 3. epiſt. 175. Ἡ φρόνησις τῇ ἁπλότητι κιρνωμένη θεῖόν τι χρῆμα· φημὶ δὲ ἐντελεστάτην ἀρετὴν ἀποτελεῖ· εἰ δὲ θατέρα θατέρας χωρισθείη, ἡ μὲν εἰς πονηρίαν ἐμπίπτει, ἡ δὲ εἰς μωρίαν τελευτᾷ· *Prudentia ſimplicitate temperata divinam quandam rem, hoc eſt, numeris omnibus abſolutam virtutem parit. At ſi altera ab altera ſejungatur, illa in perverſitatem incidit, hæc vero in ſtultitiam deſinit.* Fauſtus, *De libero arbitrio* lib. 2. capite ultimo, *Faciamus hominem ſimplicem, faciamus aſtutum: ſimplicem, ne malum callidus inferat, aſtutum ne incautus incurrat.* *Gregorius* in *Jobum* lib. 1. cap. 2. *Utraque neceſſariò in admonitione conjunxit, ut & ſimplicitatem columbæ aſtutia ſerpentis inſtrueret, & rurſum ſerpentis aſtutiam columbæ ſimplicitas temperaret.* *Sidonius* lib. 7. Epiſt. 13. de *Lupo Tricaſſienſi* Epiſcopo, *Simplicitatem columbæ in Eccleſia ſervat, in foro ſerpentis aſtutiam. Bonis prudens, malis cautus, neutris callidus judicatur.* S. *Bernardus* Epiſt. 327. ad *Papam Innocentium*, *in Eccleſia ergò ſimplicitas, in foro aſtutia ſervanda eſt, hic ne decipiaris, illic ne decipias.* Videſis plura de hoc argumento *Cæſarii Dial.* 4. *Quæſt.* 190. Porrò ſimplices hic ἁπλοῖ non dicuntur, ſed ἀκέραιοι. Res tamen eodem redit. Nam ex κεράω *miſceo* factum ἀκέραιος propriè id ſignificat, quod externum & peregrinum nihil habet admixtum. Sunt, quibus ἀκέραιος idem eſt, quod ἀκερὼς, vel ἀκέρατος, *qui cornua non habet*, adeoque eſt, ἀβλαβὴς, & *innoxius*, Metaphorâ ab iis animalibus ſumptâ, quæ cornu feriunt. Quomodo ſumpſiſſe videntur *Arabs* & *Æthiops*, quorum illi ἀκέραιοι ſunt ودعا huic የዋህ፡, id eſt, *mites*, & *manſueti.* Sed prius etymon videtur magis analogicum. Nec ſatis convenit, ut *excornis* dicatur pro *innoxio*, cum aquilis,

lis, & leonibus, & pluribus aliis feris, quæ cornua non habent, multæ ſint nocendi artes, quibus in aliorum animalium perniciem abutuntur. Prætereà prudentibus ſimplices opponuntur, mites, & manſueti non item. Itaque ſi *mites* reddas, peribit gratia oppoſitionis, quæ hic eſt manifeſta inter ſerpentis prudentiam & columbæ ſimplicitatem. Cujuſmodi eſt illa *Pauli* Rom. 16, 19. *Vos quidem volo ſοφοὺς ſapientes eſſe in bono, ἀκεραίους δὲ, ſimplices verò in malo. Innocentes* verterat Cl. *Beza* in primis editionibus. Sed in poſterioribus idem in *ſimplices* rectè mutavit, ut conſtaret oppoſitio. Eodem facit, quod in vetuſtiſſimo illo *Bezæ* exemplari pro ἀκεραίοις legebatur ἁπλουςάτοι *ſimpliciſſimi*. Nec leve eſt, quod, ut ex *Moſe* ſumptum eſt, quod ſerpens vocatur *prudens*, ità ex *Oſea*, quod columba vocatur *ſimplex*. At ubi *mitis* vocetur *Prophetarum* locus nullus occurrit. Itaque *Chriſtiani Arabes* videntur minùs intellexiſſe quid hoc loco ſint ἀκέραιοι, quàm *Mahumetani* Doctores, qui بلها *bulhan*, id eſt, *ſimplices* reddunt. Ità in libro ſacerdotis *Achmed*, cui titulus الزهد id eſt, *abſtinentia*, dicit *Jazid*, *Malzara* filius, *Jeſum* Diſcipulis ſuis præcepiſſe ان يكون بلها في الله مثل الحمام *ut eſſent bulhan* (id eſt, *ſimplices*) *in Deo ſicut columba*. Ità بلها *bulhan* reddimus cum *Arabum* peritiſſimis à Singulari ابله *ablaho*, cui كيس *chaiſon* opponitur, id eſt, *verſutus*, & *callidus*. Et ſic ſumendum docent quæ ibidem ſequuntur. ليس شيء ابله من الحمام وذلك انك تاخذ فرخيه من تحته فتذبحهما ثم يعود الي مكانه فيفرخ فيه *Nihil eſt columba ſimplicius. Etſi enim pullos illi ſubtractos mactaveris, tamen ad locum ſuum ſubinde redit, & in eo pullos excludit.* Quod ipſum ſcribunt *Patres* in Oſea locum, quem citavimus. *Theodoretus*, Ἐκείνη τῶν ἰδίων νεοττῶν ἀφαιρουμένη οὐκ ἀφίπταται, ἀλλὰ τοῖς αὐτοῖς προσεδρεύει χωρίοις. Et ex illo *Theophylactus*, *Illa pullis ſublatis non avolat, verum in iiſdem locis remanet.* Paulò aliter *Hieronymus*; *Aves cætera pullos ſuos etiam cum periculo vitæ ſuæ protegere feſtinant, & cum ad nidum ſuum accipitrem, colubrum, corvum, ſive cornicem accedere viderint, huc illucque volitant, & immittunt ſe morſu, & unguibus lacerant, & dolorem parentis querulâ voce teſtantur. Sola columba ablatos pullos non dolet, non requirit.* Sed quam vere non ſatis ſcio, cum columbæ, aut palumbis genus الورشان *alvvarſen* deſcribatur ab *Arabibus* بالحنو علي اولاده حتى انه ربما قتل نفسه اذا راها في يد القانص *tanto affectu fervens erga pullos ſuos, ut quandoque ſe ipſum interimat, cum illos videt in manu aucupis.* Ità habetur in *Damire*. Et in genere Scriptores columbam commendant ab amore in prolem. *Plinius* lib. 10. cap. 34. de columba mare, & fœmina; *Amor utrique ſobolis æqualis: ſæpe ex hac cauſa caſtigatio, pigriùs intrante fœmina ad pullos.* De quibus plura *Ariſtoteles Hiſt.* lib. 9. cap. 7. *Ælianus Hiſt.* lib. 3. cap. 45. Alter *Ælianus Var.* lib. 1. cap. 15. *Athenæus* lib. 9. cap. 11. *Porphyrius* Περὶ ἀποχῆς, &c. lib. 3. quæ non vacat hic deſcribere. Alii columbæ ſimplicitatem in eo patere aſſerunt, quod retia non evitat neque laqueos ſibi paratos, cum ſe demittit ad cibum. Et huic columbæ ſtupori *Oſeam Iſraelitarum* ſocordiam conferre volunt, qui pericula non præcavebant, & ſe ipſos in hoſtium poteſtatem conjiciebant. Utut ſe res habeat, hanc columbæ ſimplicitatem agnoverunt etiam οἱ ἔξωθεν. Sic ad illud *Juvenalis*,

- - - - *vexat cenſura columbas*,

dicit vetus *Scholiaſtes*, *Columbas retulit ad ſimplicitatem.* Et in *Suida* ἡμένη πελειὰς, *columba ſedens* Proverbio dicitur ἐπὶ τῶν ἀπλουςάτων *de ſimpliciſſimis*. Nempe διὰ τὸ εὔηθες τοῦ ζώου *propter ejus ſtoliditatem*, ut habet *Euſtathius* in *Iliad.* ψ. Non tamen de omni columba uſurpatur hoc Proverbium: ſed de iis, quæ allectatrici aſſident, atque, ut ait *Suidas*, κατ' ἀντιπαρέξταςιν τῆς παλευτρίας, *per oppoſitionem ad columbam allectatricem*, id eſt, quâ abutuntur aucupes ad cæteras alliciendas. *Ariſtophanes* in *Avibus*,

Τὰς περιςερὰς θ' ὁμοίως ξυλλαβὼν εἵρξας ἔχει,
Κἀπαναγκάζει παλεύειν δεδεμένας ἐν δικτύῳ·

Columbasque ſimiliter correptas coercens detinet, & ligatas in reti cogit alias allicere. Et ibi *Scholiaſtes*, Εἰώθασιν ἐκτυφλοῦντές τινα τῶν ὀρνίθων ἱςάναι ἐν δικτύῳ, ὅπως τῇ φωνῇ προσκαλοῖτο τὰ ὁμογενῆ· *Solent excæcatam avem in laqueo detinere, ut voce congeneres advocet.* Et columbas in hunc uſum fuiſſe adhibitas præter *Ariſtophanem Philoſophus* quoque aſſerit *Hiſt.* lib. 9. cap. 7. Αἱ περιςεραὶ, inquit, ζῶσι καὶ ὀκτὼ ἔτη, αἱ ἐκτυφλούμεναι ὑπὸ τῶν παλευτρίας τρεφόμεναι αὐλάς· *Octo annos vivunt columbæ, quæ excæcatæ aluntur, ut ſint allectatrices.* Jam, ſi conſulas recentiores, quæ dicta ſunt de columbarum ſimplicitate, & facili captura, non parùm confirmabit quod ſibi contigiſſe narrat *Aloiſius Cadamuſtus Navigat.* cap. 40. cum in *Canarias* inſulas primùm appulit, *Columbi capiebantur*, ait, *pro libito manu hominis. Non enim pavebant ad viri conſpectum.* Et capite ſexto de *Madera* inſula, *Memini ab indigenis accepiſſe, ibi, cum primò culta eſt inſula, copiam maximam columborum fuiſſe: quibus capiendis non aliâ arte uſi ſunt aucupes, quam alligato perticæ uncino, ut ex arboribus, quibus illic inſident, traherentur ad ſe, non paventibus avibus, ſed mirantibus, veluti ad rem non viſam hactenus.*

Interim qui ἀκεραίους in *Chriſti* dicto *mites* & *manſuetos* eſſe volunt, præterquam quod *Grammaticorum* non paucos ſequuti ſunt, quibus ἀκέραιον, de animali dictum, *excorne* ſignificat, & *benignum* & *innoxium*, columbæ naturam reſpexerunt, quæ re verâ eſt mitiſſimum & manſuetiſſimum animal. Proinde *placidam* vocat *Ovidius Metam.* lib. 7. Fab. 12. Et *Cyrillus* columbam dicit πρὸς ἄκρον ἥκειν πραότητος, *ſupremum manſuetudinis faſtigium attingere*, libro decimo quinto *De adoratione*. Quin eam felle prorſus carere multi putant. Indè ἄχολον vocat *Clemens Pædag.* lib. 1. cap. 5. Et *Iſidorus Orig.* lib. 12. *aves manſuetas ac ſine felle.* Quale eſt, quod *Tertullianus*, *De Baptiſmo* cap. 8. ſcribit *etiam corporaliter ipſo felle carere columbam.* Et *Sedulius* lib. 2. *Carm.* ubi de Baptiſmo *Chriſti*,

Manſuetumque decet, multumque incedere mitem,
Per volucrem, quæ felle caret. - - - -

Et *Horus Hieroglyph.* lib. 1. cap. 54. Ἱςορεῖται δὲ ὅτι οὐ χολὴν ἔχει τὸ ζῶον. *Traditur & hoc animal felle carere.* quod tamen ipſe refellit lib. 2. cap. 45. Columbam dicens ἐν ὀπισθίοις τὴν χολὴν ἔχειν, *in tergo fel habere.* Et *Galenus* in libro *De atra bile* ridiculos eos eſſe ait, qui columbam felle carere putant, quoniam τὴν ἐπὶ τῷ ἥπατι κύστιν *veſicam fellis prope jecur non habeat.* Neque id fugit *Philoſophum*, cujus verba ſunt *Hiſt.* lib. 2. cap. 15. Ἔνιοι πρὸς τῇ κοιλίᾳ ἔχουσιν, οἱ δὲ πρὸς τοῖς ἐντέροις τὴν χολὴν, οἷον περιςερά. Unde *Plinius* lib. 11. cap. 37. *Quibuſdam inteſtino tantùm fel jungitur, ut columbis.*

Aliud in columbis nobis hic notandum venit, nempe conjugalis caſtitas, quam veteres mirè deprædicant.

Ariſtoteles Hiſt. lib. 9. cap. 7. Οὔτε γὰρ συνδυάζονται δὶς, λύουσι πλείοσιν, οὔτε προλείπουσι τὴν κοινωνίαν, πλὴν ἐὰν χῆρος, ἢ χήρα γένηται. *Neque enim pluribus copulari volunt, neque mutuum conſortium unquam deſerunt, niſi per viduitatem.* *Plinius* lib. 10. cap. 34. *Pudicitia illis prima, & neutri nota adulteria. Conjugii fidem non violant, communemque ſervant domum. Niſi cœlebs, aut vidua, nidum non relinquit.* *Propertius* libro 2. *Eleg.* 12.

Exemplo junctæ ſic ſint in amore columbæ,
Maſculus & totum fœmina conjugium.

De turture quoque, & palumbe *Philoſophus* idem ſcribit; Ἔχει δὲ τὸν ἄρρενα ἡ τρυγὼν τὸν αὐτὸν καὶ φάττα, καὶ ἄλλον οὐ προσίεται, *Turtur quoque, & palumbus marem unum habent, neque alterum admittunt.* Quin palumbos adulteria morte punire tradunt *Porphyrius*, *De abſtin. anim.* lib. 3. & *Phile, De anim.* cap. 19. Uterque ex *Æliano Hiſt.* lib. 3. cap. 44. ubi turtures addit eandem legem ſanctè ſervare: ſed columbas albas ex adulteris ſolos mares perimere, fœminarum miſertas. *Clemens* quoque *Stromatum* libro ſecundo animalia quædam eſſe tradit, ἃ τὴν ἐπιμιξίαν οὐ ποιεῖται πρὸς πολλὰ καὶ ἀναίδην, ἀλλὰ πρὸς ἕν, καὶ ὁμόφυλον· δίαι αἱ πελειάδες, καὶ αἱ φάτται, καὶ τὸ τρυγόνων γένος, καὶ ὅσα τούτοις παραπλήσια, *quæ cum multis & impudenter nō congrediuntur, ſed cum uno, eoque ejuſdem generis, ut ſunt columbæ, & palumbes, & turturum genus, & quæ ſunt his ſimilia.* Quid quod columbam nigram poſt conjugis obitum viduam ajunt permanere, atque ideo apud *Ægyptios* ſymbolum fuiſſe mulieris, quæ à ſecundis nuptiis abhorret. *Horus* lib. 2. cap. 30. Γυναῖκα χήραν ἐπιμείνασαν ἄχρι θανάτου θέλοντες σημῆναι, περιστερὰν μέλαιναν ζωγραφοῦσιν· αὕτη γὰρ οὐ συμμίγνυται ἑτέρῳ ἀνδρὶ ἕως χηρεύει. *Mulierem, quæ ad mortem uſque vidua manet, ſignificare cum volunt, nigram pingunt columbam: hæc enim, quamdiu vidua eſt, alteri mari non jungitur.* Proinde *Tertullianus* monogamiam ſuam columbæ exemplo ſtabilire conatur: *Avis*, inquit, *non tantùm innocua, ſed & pudica, quam unam unus maſculus novit.* At id ipſum in turtures magno conſenſu tranſtulerunt *Patres* poſteriores, qua de cauſa nullus ſcio. *Origenes* in *Cant.* Homil. 2. *Turturum ferunt hujuſmodi naturam eſſe, ut neque maſculus præter unam fœminam adeat aliam, nec fœmina pluſquam unum patiatur marem. Ità ut ſi accidat altero intercepto ſupereſſe alterum, pariter cum conjuge extinctus ſit ei concubitus amor.* *Baſilius* in *Hexaëmeron* Homil. 8. Τὴν τρυγόνα φασὶ διαζυγεῖσάν ποτε τοῦ ὁμόζυγος, μηκέτι τὴν πρὸς ἕτερον καταδέχεσθαι κοινωνίαν, ἀλλὰ μένειν ἀσυνδύαστον, μνήμῃ τοῦ ποτε συζυγέντος τὴν πρὸς ἕτερον κοινωνίαν ἀπαρνουμένην. *Turturem ajunt ſejugatam à conjuge, nunquam ſocietatem inire cum alio, ſed ſine conjuge manere cœlibem, recordatione amiſſi conſortis conjugium alterius abnuentem.* *Gregor. Nazianz.* in *Præceptis ad virgines* Carm. 3.

Πευθόμαι ὡς πλεγόεντα τρυγὼν τρυγόνος φίλοιο
Χηρωθεῖσ' ὁμάδοιο ἑὸν ποθέουσα φέρειν,
Οὐ δέχεται πόσιν ἄλλον ἐνὶ σκιόεντι καλιῇ·

Alatam turturis fœminam audio, amico turture viduatam, conjugis ſuæ deſiderio temperantem, in nido ſuo nullum alium conjugem admittere. *Chryſoſtomus* Homilia *De turture*, edit. *Anglic.* tom. 7. pag. 264. Φασί τινες τὴν τρυγόνα φίλανδρον εἶναι, καὶ φίλαγνον· ὥστε κἂν συμβῇ τὸ ταύτης ἄρρενα ὑπὸ ἀετοῦ ἀναλωθῆναι, ἢ ὑπὸ ἰξευτοῦ θηρευθῆναι, ταύτην ἑτέρῳ ἀνδρὶ μὴ ἐπιμίγνυσθαι, ἀλλ' αὐτὸν ποθεῖν, αὐτὸν ἀναμένειν, καὶ τῇ τούτου μνήμῃ συναποθνήσκειν. *Fœminam turturis quidam ajunt conjugis amore teneri, & caſtitatis ita eſſe ſtudioſam, ut ſi marem ſuum ab aquila, aut ab aucupe capi contingat, alteri non miſceatur, ſed hunc unum deſideret, & expectet, ejuſque adeo recordatione commoriatur.* Ita etiam *Gregorius Nyſſenus* Homil. 3. in *Cant.* *Epiphanius* in *Phyſiologo* cap. 10. *Philo Carpathius* in *Cant.* 1. *Ambroſius* in *Hexaem.* lib. 5. cap. 19. & in *Pſalm.* 118. *Hieronymus* contra *Jovinianum* lib. 1. cap. 17. *Juſtus Orgelitanus*, *Theodoretus*, *Aponius*, & *Gregorius Magnus* in *Cant.* 1, 10. *Euſtathius in Hexaem.* *Hildephonſus Toletanus* Serm. in *Purificat. S. Mariæ*, ſi verè eſt illius; *Theophylactus* in *Lucam* cap. 2. *Piſidas* de mundi opificio verſu 998. *Goffridus Abbas Vindocinus* Serm. 7. *Michael Glycas* part. 1. *Annal.* *Bernardus* in *Cant.* Serm. 40. & 59. & Serm. in *Nativitate S. Mariæ de Aquaductu*, *Baal Hatturim* in *Levit.* 12, 6. *R. Selomo* in *Pſal.* 74, 19. *Damir* capite *De* شفنين *ſiphnin*, ſeu *turture*. Hi, inquam, omnes turturi tribuunt, quod de ſola columba ſcripſerant vetuſtiores, eam uni conjugi ſic eſſe addictam, ut eo mortuo alteram non admittat. Unde factum, ut qui in *Solomonis Canticum* commentati ſunt, non ſatis intellexerint quorſum ſponſam toties columbæ ſuæ nomine *Solomon* indigetet. Sic *Cant.* 2, 14. *Columba mea in foraminibus petræ*, &c. Et *Cant.* 5, 2. *Aperi mihi, ſoror mea, amica mea, columba mea.* Et *Cant.* 6, 8. *Unica eſt columba mea, perfecta mea*, &c. Ità nimirum ſignificari voluit hanc à ſe unicè diligi, ſeque illi viciſſim unicè charum eſſe. Quomodo in columbis mirus eſt amor inter conjuges, & conjugii lex firmiſſima. Quod ſi in typo, id eſt, in *Solomone*, minùs verum fuit, qui tot habuit conjugum ἑκατοντάδας, tamen veriſſimum eſt ἐν τῷ ἀντιτύπῳ, id eſt, in *Chriſto*, quem ut pro ſponſo ſolum agnoſcimus, ita ille unam habet Eccleſiam, quam ſibi in æternum deſponſavit in juſtitia, judicio, benignitate, & miſericordia, *Oſ.* 2, 19. Hinc *Apoſtolus* 2. Cor. 11, 2. *Deſpondi vos uni viro, ut tanquam virginem caſtam* Chriſto *exhibeam.*

Quamvis המה, *ſtrepere* & *tumultuari* propriè ſonet, tamen *Hebræa* מעי המו, *Cant.* 5, 4. *Græci* reddunt ἡ κοιλία μου ἐθροήθη & *Hieronymus*, *Venter meus intremuit.* Sic *Ezech.* 7, 16. ubi idem habet, *Erunt in montibus quaſi columbæ omnes trepidi:* & *Junius*, *Erunt in ipſis montibus velut columbæ vallium, trepidantes omnes:* verba, *omnes trepidi*, vel *trepidantes omnes*, reſpondent *Hebræis* כלם המות, At *Oſ.* 11, 11. pro יחרדו, in *Junio* legas, *trepidi accurrent*, &c. *ut columba è terra* Aſſyriæ. In aliis *trepidabunt*, aut *pavebunt*, aut *contremiſcent ſicut columba*, &c. Quæ columbæ ingenium prorſus exprimunt. Columba enim eſt animal pavidiſſimum. Hinc *Varro* de columbis *Ruſt.* lib. 3. cap. 7. *Propter timorem naturalem ſumma loca intectis captant.* Et paulò poſt, *Nihil enim timidius columbâ.* Et apud *Ovidium Metam.* lib. 5. Fab. 10. *Arethuſa* Nympha de ſe, & inſequente *Alpheo*,

Sic ego currebam, ſic me ferus ille premebat,
Ut fugere accipitrem pennâ trepidante columbæ,
Et ſolet accipiter trepidas urgere columbas.

Et *Triſt.* lib. 1. *Eleg.* 1.

Terretur minimo pennæ ſtridore columba,
Unguibus accipiter ſaucia facta tuis.

Et *Valerius Flaccus* libro octavo *Argonauticων* de Medea,

Ecce! autem pavidæ virgo de more columbæ,
Cum ſuper ingenti circumdata prepetis umbrâ,
In quemcunque tremens hominem cadit. Haud ſecus illa,
Iſta timore gravi, mediam ſe miſit, &c.

Ut Chorus in *Ajace Sophoclis* verſu 139.

- - - - - - - - πεφόβημαι
Πτηνῆς ὡς ὄμμα πελείας.

Timeo ut volucris oculus columbæ. Et alius *Poeta* apud *Suidam* in Πελειάδες,

Δειλαὶ δὲ πελειάσιν ἐμφερέουσι πέλονται,

Timidæ timidis inſident columbæ. Quo pertinet, quod columba τρήρων toties ab *Homero* dicitur, ἐπεὶ διὰ τὴν ἀσθένειαν εὐλαβὴς ἡ ὄρνις αὕτη, τρεῖν δ' ἐπὶ τὸ εὐλαβεῖσθαι, *quia propter imbecillitatem avis eſt meticuloſa.*

loſa, nam τρεῖν *eſt metuere.* Ita *Athenæus* libro nono. Neque aliter vetus *Homeri Scholiaſtes*, *Euſtathius* in *Odyſſ.* μ', *Heſychius*, *Suidas*, *Etymologus*, &c. Et *Homerum* ſic imitatur *Apollonius*, *Argonauticon* libro 3. verſu 541.

Τρήρων μὲν φεύγουσα βίην κίρκοιο πελειάς,
ὑψόθεν Αἰσονίδαο πεφοβημένη ἔμπεσε κόλποις·

Pavida quidem fugiens vim accipitris columba, ex alto territa in Æsonidæ ſinum incidit.

CAPUT QVINTUM.

De Columbarum & Turturum ſacrificiis.

Harum in ſacrificiis uſus multiplex. Cur eas cæteris avibus prætulerit Deus. Et turtures quidem adultos, ſed columbarum nonniſi pullos voluerit offerri. Hæc pauperum fuiſſe ſacrificia (in quo numero S. Virgo*) & jam ante Legem offerri cœpta. In* Abrahami *ſacrificio myſteria longè petita. Columba etiam ab* Ethnicis *oblata. Ab harum eſu an abſtinuerint myſtæ* Veneris. *Quo ritu columbas & turtures* Judæi *mactaverint. Cur in Templo, & in qua parte, & à quibus vendita. Cur quæſtum ex eo captantes* Chriſtus *è Templo pepulerit.*

IUdæi columbas non ſolum ad eſum, ſed etiam ad ſacrificia exquirebant, quæ multorum erant generum. Sic *Levit.* 1. *v.* 14. agitur de ſpontaneo holocauſto è turturibus, aut pullis columbarum. *Levit.* 5. *v.* 7. qui blaſphemantem alium non correxerat, aut ipſe temerè juraverat, aut immundæ rei contactu ſe polluerat, jubetur offerre par turturum, aut columbarum, unam pro peccato, alteram pro holocauſto. *Levit.* 12. *v.* 6. à puerpera, poſt expletos dies purificationis, Deus agnum anniculum in holocauſtum exigit, & pullum columbæ, vel turturem, pro peccato; aut, ſi agnum offerre non poſſit, duos turtures, aut duos pullos columbarum. Eaſdem quoque oblationes præſcribi videas ei, qui à lepra ſanatus eſt. *Levit.* 14. *v.* 22. Illi item, qui gonorrhœa laboravit, cùm mundatus eſt à profluvio ſuo, *Levit.* 15. *v.* 13. 14. Et ἐν τῷ τῆς αἱμοῤῥοίας καθαρισμῷ, *Lev.* 15. *v.* 28. 29. Et in purgatione *Nazirei*, qui mortui contactu ſe contaminavit, *Num.* 6. *v.* 10.

In quibus ſacrificiis nota primò Deum columbas & turtures cæteris avibus prætuliſſe, propter puritatem, caſtitatem, ſimplicitatem, manſuetudinem, & reliquas virtutum umbras, quæ in his obſervatæ ſunt. 2. Turtures adultos, ſed columbarum nonniſi pullos in altari fuiſſe oblatos, quia turtures in matura, columbæ in tenera ætate maximè præſtant. 3. Pleraque hæc ſacrificia nonniſi tenuiorum fuiſſe, ut expreſſè obſervatur *Levit.* 5. *v.* 7. & 12. *verſ.* 6. Itaque vel hinc collige quàm pauper fuerit ſancta Virgo, *Chriſti* mater, quæ poſt purificationem non obtulit agnum, ſed turtures, aut pullos columbarum, *Luc.* 2. *v.* 24. 4. Jam ante Legem hujuſmodi ſacrificia fuiſſe in uſu conſtat ex *Abrahami* exemplo, qui cum juvenca, capra, & ariete, trimis, turturem, & גוזל *gozal*, id eſt, columbini generis pullum, Deo offerre juſſus eſt. Nempe, ut hoc ſacrificium omnia victimarum genera complecteretur, quæ poſtmodum in Lege conſtituta ſunt. Quod puto ſimpliciſſimum, quamvis varia myſteria hic multi quærunt. Et per quinque hæc animalia alii *Chriſti* dotes: alii eos ſignificari velint, quibus Deus terram *Chanaan* deſtinaverat, & virtutes in iis requiſitas: alii denique poſterorum *Abrahami* quis futurus eſſet ſtatus. Per bovem enim, hircum, & agnum, quæ terreſtria ſunt animalia, & ſub hominum jugo vivere ſolita, deſignari tempus illud, quo abjecti & humiles & ſub *Ægyptiorum* ſervitute victuri eſſent; per turturem, quæ ſolitaria eſt, *Judæorum* in deſerto moram; & per columbam, quæ gregalis eſt, & in cultis locis degit, eorum habitationem in *Chananitide*. 5. Columbarum ſacrificia pravâ quâdam κακοζηλίᾳ Gentes etiam uſurpaſſe. *Propertius* libro quarto *Elegiâ* ad *Lenam*,

Sed cape torquata, Venus *ô Regina, columba,*
Ob meritum ante tuos guttura ſecta focos

Ovidius lib. 1. *Faſtorum*,

Ergo ſæpe ſuo conjux abducta marito
Uritur in calidis alba columba focis.

Columbarum tamen eſum *Veneris* myſtis fuiſſe interdictum, colligi videtur ex his *Martialis* libro 13. *Epigr.* 66.

Ne violes teneras praduro dente columbas,
Tradita ſi Cnidiæ *ſunt tibi ſacra Deæ.*

Quo ritu turtures & columbas *Judæi* mactaverint breviter docet *Moſes Levit.* 1. *v.* 15. 16. 17. & *cap.* 5. *v.* 8. & pluribus *Talmudici* in *Zebachim* cap. 6. fol. 64. Et *Maimonides* in libro *De ſacrificiis offerendis* cap. 6. §. 20. 21. 22. 23. & cap. 7. §. 6. 7. 8. unde multa poſſent elici non usquequaque trita, ſi id ageretur in præſens. Sed hic notaſſe ſufficiet *Hebræos* alias quidem victimas ferro mactaſſe, at aves ungue ſolo, quo, capite verſus alas reflexo, guttur illis diſcerpebatur. Id *Hebræis* eſt מלק, quod *Græci* ἀπονυχίζειν, id eſt, *ungue lacerare*, vel *abſcindere*, Levit. 1. v. 15. & cap. 5. v. 8. quibus ſolum locis occurrit. *Jeroſolymitanus* עזם, & *Jonathan* חזם, quod idem eſt, ח & ע permutatis. *Arabicè* idem حذم vel خذم quod *ſecare* reddunt, & *diſcerpere*. Sic خذمت الصقر *unguibus diſcerpſit accipiter*, in *Alcamus*. Avem diſcerpendi ritum *Kimchius in Lexico* in voce מלק, ita deſcribit ואז״ל כיצד מולקין חטאת העוף נותן שתי גפיה בין שתי אצבעותיו ושתי רגליה בין שתי אצבעותיו והיה מותח צוארה על שתי אצבעותיו והיה מולק בצפורן ממול עורף עד שמגיע לסימנים וקוצץ אותן או רובן ואינו מבדיל שנאמר ולא יבדיל אבל בעולה העוף שאמר ומלק את ראשו ולא אמר ולא יבדיל הוא מולק ומבדיל הראש בעצמו והגוף בעצמו, *Dixerunt Magiſtri noſtri beatæ memoriæ. Quomodo lacerabatur ſacrificium pro peccato ex ave? Ponebat (Sacerdos) alas ejus inter duos digitos, & pedes inter duos digitos, & extendebat collum ſuper duos digitos ſuos, & ſecabat ungue verſus cervicem, donec attingeret ſigna* (in jugulo) *quæ amputabat, aut majorem partem, ita tamen ut non divideret, quia dicitur* Levit. 5. v. 8. "*Et non dividet. Sed in holocauſto ex ave, quia dicitur,* "*Secabit caput ejus, neq; additur,* "*Et non dividet*, Levit. 1. v. 15. *ita ſecabat, ut caput à trunco corporis ſepararetur.* Hæc ille ex *Talmudis* loco, quem citavimus. Videndus etiam *Maimonides*, qui hoc eſſe aſſerit מעבודות קשות שבמקדש, *unum ex operoſiſſimis Sanctuarii cultibus*, in libro *De offerendis ſacrificiis* cap. 7. §. 8.

Ne victimæ deeſſent in prima Templi parte, quæ פרבר *parbar*, vocabatur 1. *Paral.* 26. *v.* 18. vendebantur boves, & oves, & columbæ, *Joh.* 2. *v.* 14. Itaque in *Maimonidis* Tractatu *De vaſis Sanctuarii* cap. 7. § 9 (inter Templi præfectos, quos *Hebræi* vocabant ממוני המקדש, & *Græci* στρατηγοὺς τοῦ ἱεροῦ, *Luc.* 22. *v.* 52.) recenſetur הממונה שעל הקנים, *præfectus ſuper nidos*, id eſt, *ſuper aves.* Atque is ita deſcribitur הוא שפוסקין עמו שימכור הקנים לקורבנות כך וכך בסלע וכו׳

מי

מי שהוא חייב תורים או שני בני יונה יביא ומדהם למקדשי וזה הממונה נותן הקנים לבעלי הקורבנות תושה חשבון עם הגזברים ונותנין לו משלושים יום לשלושים יום *Is eſt, cum quo paciſcuntur, ut ad oblationes aves compares, has vel illas pro ſiclo. Et quiſquis tenebatur vel turtures offerre, vel pullos columbarum, pretium ad Sanctuarium afferebat. Et iſte præfectus dabat aves iis, quorum erat offerre, & cum quæſtoribus eas æſtimabat; &, poſtquam de pretio convenerat, eas intra triduum dabant.* Et paulò poſt, ומן קן שנמצא פסול או שנפסל קודם שיקריב נותן אחר תחתיו *Et, ſi quæ avis profana erat, aut profana fiebat* (per pollutionem ceremonialem) *antequam offerretur, aliam pro ea dabat.* Quæ ad quæſtum à lucripetis, & avaris Sacerdotibus fuiſſe excogitata, his verbis docet *Hieronymus* in *Matthæi* cap. 21. *Juxta mandata Legis auguſtiſſimo in toto orbe Templo Domini, & de cunctis penè regionibus* Judæorum *illuc populo confluente, innumerabiles immolabantur hoſtiæ, maximè feſtis diebus, taurorum, arietum, hircorum, pauperibus, ne abſq; ſacrificio eſſent, pullos columbarum & turtures offerentibus, accidebat plerumq;, ut qui de longè venerant non haberent victimas. Excogitaverunt igitur Sacerdotes quomodo prædam de populo facerent, & omnia animalia; quibus opus erat ad ſacrificia, vendebant, ut & venderent non habentibus, & ipſi rurſum empta ſuſciperent.* Proinde *Chriſtus* in hos lucriones jure merito irritatus, *evertit eorum cathedras, qui columbas vendebant, Matth.* 21. *verſ.* 12. & *Marc.* 11. *verſ.* 15. *Et columbarum venditoribus dixit, Auferte iſta hinc. Ne facite domum patris mei domum emporii,* Joh. 2. v. 16.

CAPUT SEXTUM.

De Columba *Noachi*, & de Columbæ ſpecie, quæ in Baptiſmo *Chriſti* apparuit.

Cur poſt corvum Noachus *columbam emiſerit. Cur illa veſperè redierit. Refelluntur fabulæ* Judaicæ; *ramum olivæ, quem attulit columba, fuiſſe decerptum ex* Oliveto, Judææ *monte, quem aquæ non demerſerint; aut ex Paradiſo terreſtri, qui ſupra diluvii aquas multum eminuerit. Explicatur locus* Ezech. 22. v. 24. *Videri hoc oleæ folium ex* Aſſyria *fuiſſe allatum. Oleam & ſimiles arbores ſub aquis diu ſervari.* Diodorus *emendatur. Oleam in collibus feliciſſimè provenire, non in celſiſſimis montibus. Cur columba tertiò emiſſa non redierit amplius. Hujus hiſtoriæ veſtigia in* Abydeno, *&* Plutarcho, *&* Arabum Onirocriticis, *qui de palumbe idem referunt. Quorſum is columba præferatur. Oliva pacis ſymbolum apud omnes gentes, etiam in* America. Ovidius *emendatus. Columbæ triplex emiſſio quid ſignificet. Extra arcam nulla quies.* Noachus Chriſti *typus in multis.* Noachi *columba typus Sancti Spiritus, qui in baptiſmo* Chriſti *ſub ſpecie columbæ apparuit. Non in vera columba, ut volunt nonnulli veterum.* Tertulliani *hic gravis error.* Auguſtini *multo levior. Spiritum Sanctum etiam per turturem ſignificari* Hebræi *ſentiunt, &* Origenes.

NOachus, in arca incluſus, cùm ex corvo non didiciſſet quod ſcire avebat, quouſque decreviſſent aquæ diluvii, columbam quoque emiſit, avem docilem, & homini amicam, quæque diu & procul volat. *Pſ.* 55. *v.* 7. & libenter humi paſcitur, quia eſt ἐκ τῶν σπερμολόγων, hocque habet à natura ſua inſitum, ut ad nidum ſuum redeat undequaque, etiam è locis remotiſſimis. His igitur de cauſis columba à *Noacho* emiſſa eſt; ſed rediit non multo poſt, quia quietis locum non reperit: quamvis enim montium cacumina jamdudum apparuiſſent, tamen in terra adhuc λιμναζομένην, ut ait *Joſephus*, id eſt, vel adhuc ſtagnante, vel lacunoſa ſaltem, & uliginoſa, nihil dum erat firmum. At eadem, ſeptiduo poſt rurſus emiſſa, rediit ſub veſperam ramum olivæ in ore geſtans. Sunt ex *Hebræis*, qui ramum illum velint in monte *Oliveti* prope *Jeruſalem* fuiſſe decerptum, aut alibi in *Judæa*, quæ à diluvii aquis immunis fuerit. *Bereſith Rabba* cap. 33. מהיכן הביאה אותו רבי אבא בר כהנא אמר משבשושין שבארץ ישראל הביאה אותו רבי לוי אמר מהר המשחה הביאה אותו דלא טפת ארעא דישראל במבולא והוא שהקבה אומר ליחזקאל ארץ לא מטוהרה היא ולא גשמה ביום זעם *Unde attulit,* (columba ramum) *illum? Rabbi Abba filius* Cahana (Sacerdotis) *dixit, Ex arbuſtis terræ* Iſraelis *illum attulit.* R. Levi *dixit, Ex monte* Oliveto *attulit illum, quia terra* Iſraelis *diluvio non eſt ſubmerſa. Prout Deus Sanctus Benedictus* Ezechieli *dixit* capitis vigeſimi ſecundi verſu vigeſimo quarto. *Terra illa non mundata eſt, neq; pluviis aſperſa die indignationis.* Quæ ſunt abſurdiſſima, cùm aquis diluvii operti fuiſſe legantur etiam altiſſimi montes, qui ſub univerſo cœlo ſunt, *Gen.* 7. *v.* 19. Præterea quorſum terram *Chanaan* nondum ſacram Deus ab inundatione præſtitiſſet immunem? Quorſum *Noachum* juſſiſſet arcam tanto molimine fabricare? Quidni potius eo ſecedere juſſus eſt cum beſtiis, feris, & avibus? Et, ſi terræ *Chanaan* pepercerunt aquæ diluvii, quid factum eſt de illius terræ incolis? An hi quoque communem cladem evaſerunt, & horum poſteri ſcilicet alium parentem agnoſcunt præter *Noachum*, è quo totum genus humanum deduxit *Moſes*? Et è tanta clade ſuperſtites quomodo pelli permiſit Deus à maledicto *Chanaane*, qui non diu poſt diluvii tempus illorum ſedem invaſerit? Denique cum aquæ vicinos montes tot cubitis exſuperabant, quid obſtabat quò minus terram *Chanaan* obruerent? Dicent Dei virtute id factum, & fateor potuiſſe fieri. Sed, ſi miracula credimus cum ſcripta ſunt, non tamen cuivis licet ea de ſuo ſibi fingere, quod hi homines palam faciunt. Nam *Ezechielem* fruſtra citant, qui de diluvio ne γρῦ quidem habet. Tantum, dum *Iſraelitis* varia crimina objicit, & varias pœnas commemorat illis inflictas, vel infligendas, inter cætera terram illorum pluviis aut aſperſam fuiſſe, aut aſperſum iri negat in die indignationis. Nempe juxta Legis minas *Deuter.* 11. *verſ.* 17. *Ne in vos irâ excandeſcens Dominus claudat cœlos, ut non ſit pluvia, & terra non edat proventum ſuum.* Et *Propheta Amoſi* 4. *verſ.* 7. ubi Deus ita loquitur, *Ego quoque prohibui à vobis imbrem,* &c. *Et plui ſuper unam civitatem, & ſuper alteram non plui: pars una compluta eſt, & pars, ſuper quam non pluit, exaruit.* Quod illuſtri exemplo patuit, cum ad Eliæ verbum cœlum clauſum eſt, neque in *Judæam* deſcendit ros, & pluvia per triennium, & amplius, 1. *Reg.* 17. & 18. At fruſtrà diſputamus, cum ipſa *Moſis* verba abundè doceant olivæ ramum ex iis locis fuiſſe decerptum, quæ diluvium inundaverat. Ita enim habet *Moſes* de *Noa* Geneſ. 8. verſ. 8. *Emiſit columbam à ſe, ut videret an eſſet levata aquis terræ ſuperficies.* Et verſu 11. *Et venit ad eum columba veſpertino tempore. Ecce autem folium olivæ decerptum in ore ejus. Et ſic cognovit* Noe *levatam eſſe aquis terræ ſuperficiem.* Id falſo diceretur, ſi folium illud fuiſſet allatum ex ea terra, quam diluvium non attigiſſet. Nam inde potuiſſet afferri, etiam tum cum aquæ alibi erant maximè elatæ. Unde etiam id ſequitur, folium hoc non fuiſſe decerptum in Paradiſo terreſtri, ut alii *Judæorum* aſſerunt.

runt. *Bereſith Rabba* ubi ſupra, רב ביבי אמר נפתחו לה שערי גן עדן והביאה אותו משם, R. Bibi *dixit*, *Porta horti* Edenis *illi aperta ſunt, unde hoc folium attulit.* Quæ eadem ſententia cuidam *Barachiæ* tribuitur in *Vajekra Rabba* in fine cap. 31. Nempe, ſi *Hebræis* credimus, hortus *Eden* evectus eſt ſupra montium ſummos vertices, ita ut aquæ diluvii eo usq; non pertigerint. Quo eodem inclinant multi veterum. In his *Lactantius*, vel *Venantius* potius, qui de Paradiſo terreſtri ſic habet in carmine *De Phœnice*,

Et cum diluvium meſ fiſſet fluctibus orbem,
Deucalionæas *exſuperavit aquas.*

Ita etiam ſtatuunt plerique *Scholaſticorum* in libro 2. *Sententiarum* Diſt. 17. *Toſtatus* quoque, & *Cajetanus* in *Geneſim*, & *Bellarminus* libri *De gratia primi hominis* cap. 14. & *Malvenda* cap. 84. *De Paradiſo.* Sed huic ſententiæ multa opponimus in peculiari opere *De Paradiſo terreſtri.* Hoc igitur olivæ folium unde dicetur allatum? Ex *Aſſyria*, ut videtur, quæ 2. *Reg.* 18, v. 32. legitur eſſe ארץ זית יצהר, vel, ut *Chaldæus* habet, ארע דזיתהא עבדין משחא, *terra, cujus olea faciunt oleum*, id eſt, terra oleis fœcunda, iisque fertiliſſimis. *Noæ* ſcilicet arca ſubſtiterat in montibus *Ararat*, ſeu *Gordyæorum*, quibus *Aſſyria* verſus *Auſtrum* vicina eſt. In quam cœli partem columbam ex arca exeuntem devolaſſe putaverim, invitante *Auſtri* calore, & vento etiam eo impellente. Vero enim conſentaneum eſt ventum illum, quem excitaverat Deus, ut aquas exſiccaret, *Gen.* 8. *v.* 1. ex *Aquilone* flaviſſe in *Auſtrum.* Ut apud *Ovidium* in *Deucalionis* diluvio pacatus *Jupiter*,

Nubila disjecit, nimbisq; Aquilone *remotis,*
Et cœlo terras oſtendit, & æthera terris.

Hæc igitur columba, verſus *Auſtrum* in *Aſſyriam* volans, potuit olivæ folium ex monte aliquo decerpere, cujus partem aquæ decedentes aperuerint.

Si quæratur quomodo ſub aquis *ramus olivæ virentibus foliis tamdiu duraverit*, duo habebo quæ reſpondeam. Primo, quamvis in *Hieronymi verſione* columba Noæ legatur in ore ſuo portaſſe ramum virentibus foliis, tamen in *Hebræo* ſolum legi eam in ore habuiſſe עלה זית טרף, *folium oleæ decerptum.* Secundò, à veteribus tradi ſub aquis vivere, & virere non ſolum oleæ, ſed & aliarum arborum quasdam ſpecies. *Theophraſtus*, *Hiſt. plant.* libri quarti capite octavo, Ἐν δὲ τῇ θαλάττῃ ἐρυθρᾷ δενδράτινα φύεται· καὶ καλοῦσιν αὐτὰ δάφνην, καὶ ἐλαίαν. Ἔστι δὲ ἡ μὲν δάφνη ὁμοία τῇ ἐρείκῃ, ἡ δὲ ἐλαία τῷ φύλλῳ· καρπὸν δὲ ἔχει ἡ ἐλαία παραπλήσιον δὲ ταῖς ἐλαίαις. Quæ ita contrahit *Plinius* lib. decimi tertii cap. vigeſimo quinto, *In mari verò Rubro* (mirum eſt) *ſylvas vivere, laurum maximè, & olivam ferentem baccas.* Et *Theophraſtus* rurſus, Ἐν δὲ ταῖς νήσοις ταῖς ὑπὸ τῆς πλημμυρίδος καταλαμβανομέναις, δένδρα μεγάλα πεφυκέναι ἡλίκα πλάτανοι· συμβαίνειν δὲ ὅταν ἡ πλημμυρὶς ἐπέλθῃ, τὰ μὲν ἄλλα κατακρύπτεσθαι ὅλα, τῶν δὲ μεγίστων ὑπερέχειν τοὺς κλάδους, &c. ἔχειν δὲ τὰ δένδρα φύλλον μὲν ὅμοιον τῇ δάφνῃ, ἄνθος δὲ τοῖς οἴοις (cum *Plinio* lege τοῖς ἴοις) καὶ τῷ χρώματι, καὶ τῇ ὀσμῇ, καρπὸν δὲ ἡλίκον ἐλαίᾳ, καὶ τοῦτον εὐώδη σφόδρα, καὶ τὰ μὲν φύλλα οὐκ ἀποβάλλειν. τὸ δὲ ἄνθος, καὶ τὸν καρπὸν ἅμα τῷ φθινοπώρῳ γίνεσθαι· τοῦ δὲ ἔαρος ἀποῤῥεῖν. Quæ *Plinius* ita reddidit ordine nonnihil mutato, *Eodem tractu inſularum ſylvas operit æſtus, quanquam altiores platanis populisq; altiſſimis. Folia iis lauri, flos violæ odore, & colore, bacca, ut oleis, & ipſa odoris jucundi, Autumno naſcentes, foliis nunquam deciduis. Harum minores totas integit mare; maximarum cacumina extant.* Addit *Theophraſtus*, Ἄλλα δὲ ἐν αὐτῇ τῇ θαλάττῃ πεφυκέναι, ἀείφυλλα μὲν, τὸν δὲ καρπὸν ὅμοιον ἔχοντα τοῖς θέρμοις. Unde *Plinius*, *Alias quoq; arbores in alto, &c. eodem in mari viſas, ſemper folia retinentes, fructu earum lupino ſimili.* *Plutarchus* etiam in libro *De facie in orbe Lunæ*, Τῆς δὲ Γεδρωσίας καὶ Τρωγλοδυτίδος ἡ καθήκει πρὸς τὸν ὠκεανὸν, ἀφόρου διὰ ξηρότητα, καὶ ἀδένδρου παντάπασιν οὔσης, ἐν τῇ περιωρισμένῃ καὶ περικεχυμένῃ θαλάττῃ θαυμαστὰ μεγέθει φυτῶν τρέφεται, καὶ κατὰ βυθοῦ τέθηλεν· ὧν τὰ μὲν ἐλαίας, τὰ δὲ δάφνας, τὰ δὲ Ἴσιδος τρίχας καλοῦσιν. Gedroſiæ *autem &* Troglodyticæ *regionis ea pars, quæ ad* Oceanum *pertingit, cum ſit omnino ſterilis ob ſiccitatem, & arboribus careat: in mari vicino, quo alluitur, inuſitatæ magnitudinis plantæ naſcuntur, & ex profundo pullulant, quarum alias oleas, alias lauros, alias crines* Iſidis *nominant.* Quod puto *Plutarchum* habere ex *Agatharchide*, ubi quædam leguntur libri quinti capite quinquageſimo tertio, de olivis in mari, & crinibus *Iſidis*, ſed à *Photio* interpolata. Arbor in mari platani inſtar, de qua *Theophraſtus* & *Plinius*, *Arabicè* vocatur قرم *Karam.* Alcamus القرم نبت كالدلب غلظا وبياضا ينبت في جوف البحر *Creſcit* alkaram *inſtar platani, ampla arbor, & alba. Provenit in medio mari.* Ex his cum conſtet in ipſo mari vivere veras arbores, atque in iis arborem oleæ ſimillimam, quamque adeo non ſolum *Plinius*, ſed & locorum incolæ ſimpliciter oleam vocant: quidni olea, cujus folia nunquam decidunt (unde *Poeta*,

\- - *ramum ſemper frondentis olivæ*)

folia ſua, aut ſaltem eorum unum aliquod ſub aquis per aliquot menſes retinuerit, quod fuerit à columba decerptum? Maximè, cùm oleæ folia aquis & imbribus diu obſiſtere ex eo colligatur, quòd his *Ichthyophagi* tuguria ſua obtegunt. *Strabo* libro decimo ſexto vocat μάνδρας στεγαστὰς ἀπὸ φυλλάδος ἐλαΐνης, *caſas olei folio tectas.* Et *Agatharchides* lib. 5. cap. 17. Οἱ δὲ τὰς τῶν ἐλαιῶν κορυφὰς ἀλλήλαις συνάπτοντες εἶτα χρῶνται σκηνώμασι· *Alii olearum vertices inter ſe connexos pro tabernaculis uſurpant.* Et *Diodorus* lib. 3. pag. 109. Ἐλαῖαι φύονται πάνυ πολλαὶ περὶ τοὺς τόπους τούτους. τὰ μὲν πρὸς τὴν ῥίζαν ἔχουσαι προσκλυζόμενα τῇ θαλάττῃ, πυκναὶ δὲ τοῖς φυλλώμασι, &c. ταύτας ἀλλήλαις συμπλέκοντες, καὶ συνεχῆ σκιὰν ποιοῦντες, ἰδιαζούσαις σκηναῖς ἐμβιοῦσιν. *Oleæ plurimæ circa illa loca procreantur, radicibus in mari immerſis, & denſiſſimis foliis; Quibus inter ſe connexis continuam umbram facientes, in his tanquam in tabernaculis privatim degunt.* Pro ἐλαῖαι, id eſt, *oleæ*, noſtræ editiones perperam habent ἐλάται, *abietes*, cujus folia anguſtiora ſunt, quàm ut continuam umbram poſſint facere. *Diodorus* igitur ex *Agatharchide* & *Strabone* corrigendus eſt.

Jam nihil neceſſe eſt dicere quam *Noacho* volupe fuerit columbam videre redeuntem cum oleæ folio in ore. Unde duo collegit, 1. Quod *Propheta* obſervat, terram aquis eſſe levatam, id eſt, non ſolùm montes altiſſimos, quorum vertices jam multò ante apparuerant *Gen.* 8. *v.* 5. ſed & loca plana, aut ſaltem colles, quibus oleæ maximè gaudent. *Columella* libri ſexti capite ſexto, *Sed neque depreſſa loca, neque ardua, magisque modicos clivos amat* (olea) *quales in* Italia Sabinorum, *vel totâ provinciâ* Bæticâ *videmus.* *Palladius* libri tertii capite decimo octavo, *Locis æſtuoſis* Septentrionali *colle, frigidis meridiano gaudet. Mediis clivis delectatur. Neque imum locum, neque arduum patitur, magis modicos clivos, ſicut eſt regio* Sabina, *vel* Bætica (lege *magis amat modicos clivos.*) *Florentinus* libro nono, *Geoponicωn* capite Περὶ ἀέρος ἐπιτηδείου ἐλαίαις καὶ γῆς σχημάτων, *De aëre oleæ opportuno & terræ figuris;* Συναίρεται δὲ τῇ τοῦ ἀέρος ἐπιτηδειότητι καὶ τὰ τῆς γῆς σχήματα προσκλινῆ καὶ ὑψηλά. Αἱ γὰρ ἐν τοῖς τοιούτοις τόποις, διὰ τὸ ὑπὸ τῶν ἀνέμων καταψύχεσθαι· τὸ ὑπερβάλλον τοῦ ἡλίου πυρῶδες, κάλλιστον ἔλαιον ποιοῦσι. *Ad aëris opportunitatem conferunt etiam figuræ terrarum declives, & celſæ. Nam quæ ſunt in tali ſitu, quia nimius Solis fervor à ventis refrigeratur, pulcherrimum oleum faciunt.* *Perdicca* in *Jeroſolymorum thematibus* pag. 71.

ὄζος

Ὄρος μικρὸν ἀνεστηκὼς ἐστὶ τοῦ Ἐλαιῶνος,

Puſillus Oliveti *mons erectus eſt.* Et paulo poſt,

Πρὸς δέ γε τὸ μεσαίτατον μέρος τ' ὄρους τούτου

Ὁ Ἐλαιὼν κατάκαρπος ὑπὲρ τὴν φύσιν ὄντως.

Ad mediam partem montis illius Olivetum *eſt fœcundum omnino ſupra naturam. Puſillus mons*, id eſt, collis, in cujus medio olivæ proveniunt. Quod ipſum dixerat *Palladius*, illas *mediis clivis delectari*. Secundò hinc didicit *Noachus* terram diluvii aquis non ita fuiſſe vaſtatam, ut non adhuc ſupereſſent aliquot frugiferæ arbores, unde homines & bruta poſt diluvium veſcerentur. Potuit enim ex oliva de reliquis ferri judicium. Quin, quod columba non confeſtim, ut ante, ſed nonniſi ſub veſperam redierat, ſuadebat eam loca reperiſſe ubi quieſceret. Neque enim erat credibile illam tota die volaſſe. Veſpere tamen ad arcam revolavit, vel quia quies in arborum ramis non viſa eſt ſatis commoda, vel inopia ciborum, vel deſiderio conjugis, & pullorum, ſi quos habuit, vel denique Deo ſic providente, ut anxium *Noachi* animum ſuo reditu recrearet, & eum excitaret in ſpem proximæ liberationis. Sed poſt ſeptiduum tertiò emiſſa, non reverſa eſt amplius in arcam, quia tum aquis magis ac magis ſecedentibus, neque victus illi defuit, neque nidus, in quo lateret. Unde aquas deſtitiſſe animadverſum.

En hujus hiſtoriæ veſtigia in *Abydeni Chaldaicis* apud *Euſebium* lib. 9. *Præpar.* & *Cyrillum* libro primo contra *Julianum*! Τρίτῃ δὲ ἡμέρῃ ἐπείτε ὕων ἐκόπασε, μεθίει τῶν ὀρνίθων πεῖραν ποιεύμενος, εἴ κου γῆν ἴδοι, τοῦ ὕδατος ἐκδῦσαν. αἱ δὲ ἐκδεχομένου σφέας πελάγεος ἀχανέος, ἀπορέουσαι ὅκη καθορμίσονται, παρὰ τὸν Σίσιθρον ὀπίσω κομίζονται, καὶ ἐπ' αὐτῇσιν ἕτεραι, ὡς δὲ τῇσι τρίτῃσιν εὐτύχεεν· ἀπίκατο γὰρ δὴ πηλοῦ καταπλέοι τοὺς ταρσοὺς, θεοὶ μὲν ἐξ ἀνθρώπων ἀφανίζουσιν, *Tertio autem die poſtquam pluere deſiit, aliquas aves dimiſit (Xiſuthrus, ſic* ille *Noam* vocat) *periculum facturus, ſicubi terram videret ex aqua emergentem. Quæ quidem excipiente ſemper eas immenſo pelago, incertæ quo appellerent, retrò ad eum rediere; & poſt iſtas aliæ. Ut verò tertiis emiſſis ſucceſſit illi, redierant enim pedibus lutoſis, Dii illum ex hominum medio ſuſtulerunt. Aves* dicit Plurali numero, quia *Noe* corvum & columbam emiſit. Et rediiſſe lutoſas, quomodo etiam de columba *Eutychius* pag. 40. رجعت رجلتها مبلولة بالماء *Rediit pedibus ſuis aquâ madentibus.* Et ante eum *Joſephus*, ὑπανελθούσης δὲ πεπηλωμένης, *cum autem lutoſa rediiſſet.* Quia *Hebraicè* habetur ותבא אליו היונה, *Et rediit ad eum columba.* Et ad *columba* nomen יונה, alludit יון, quod *lutum* ſonat. Denique quod de avibus dictum, aut ſaltem de columba, illam avolaſſe, nec rediiſſe, ineptè ad *Xiſuthrum*, ſeu *Noam* tranſtulit *Abydenus*, quaſi tum fuerit è medio ſublatus. Sed *Græci* id ipſum ita referunt, ut in iis vix quidquam deſideres, niſi quod *Noa* ſubſtituunt *Deucalionem* ſuum. *Plutarchus* in libro *Utra animalia*, &c. Οἱ μὲν οὖν μυθολόγοι τῷ Δευκαλίωνί φασι περιστερὰν ἐκ τῆς λάρνακος ἀφιεμένην δήλωμα γενέσθαι, χειμῶνος μὲν εἴσω πάλιν ἐνδυομένην, εὐδίας δὲ ἀποπτᾶσαν. *Columbam ex arca emiſſam tempeſtatem* Deucalioni *ſignificaſſe Mythologi dicunt, cum intus remeabat, & ſerenitatem cum avolavit. Oniroeritici Arabes* τὸ ورشان *vvarſen*, id eſt, *palumbi*, tribuunt quod columbæ *Moſes*. Ita enim de palumbe habent in *Damire* capite الورشان *Alvvarſen*

وهو في المنام رجل غريب يدل

على اخبار ورسل لانه اخبر نوحا

عليه السلام تنقص الما لما كان

في السفينة *Is viſus in ſomnis homini peregrino ſignificat nuntios, & tabellarios, quia* Noacho, *cui ſit pax, cùm erat in arca, nuntiavit aquarum imminutionem.* Nempe palumbem *Arabes* ideo columbæ præferunt, quia *Mahumeti* creditur Deus ſub palumbi ſpecie appariuſſe, & multa inſpiraſſe. *Ludovicus Vartomanus Navigat.* lib. 1. cap. 18. *Dum iter agimus* (verſus *Mecchum*) *cœlum inumbrabant palumbes innumeri. Ajunt avitia hujuſmodi à volucri illa traxiſſe genus, quæ* Mahumeti *in aurem loquebatur ſub velamento ſacri Pneumatis.* Cætera ibi vide.

Hæc ad literam de hiſtoria columbæ, quam ex arca emiſit *Noe*. Myſticum ſenſum quod attinet, multis olivæ folium aut termes fuiſſe videtur pacis ſymbolum, & fœderis, quod Deus cum *Noacho* paulo poſt erat initurus. *Tertullianus*, *De Baptiſmo* lib. 8. *Poſt baptiſmum (ut ita dixerim) mundi pacem cœleſtis iræ præco columba terris adnuntiavit, dimiſſa ex arca, & cum olea reverſa, quod ſignum etiam apud nationes paci prætenditur. Hieronymus* Epiſt. 83. ad *Oceanum* cap. 3. *Ramo refectionis ac luminis pacem mundo adnuntiat.* Et in *Dialogo* adverſus *Luciferum*, *Pacem terræ columba nuntiat. Chryſoſtomus* in *Matth.* Homil. 12. Κλάδον φέρον ἐλαίας, τὴν κοινὴν τῆς οἰκουμένης γαλήνην εὐηγγελίζετο· *Ramum oleæ ferens, communem orbis ſerenitatem evangelizavit. Amœnus* in *Enchiridio Veteris & Novi Teſtamenti,*

Nuntia diluvii jam decreſcentis ad arcam
Ore columba refert ramum viridantis olivæ:
Corvus enim, ingluvie per fœda cadavera captus,
Hæſerat; illa datæ revehit nova gaudia pacis.

Claudius Marius Victor in *Geneſ.* lib. 2.

- - - - - - rurſum dimiſſa reportat
Paciferæ frugis parvum libamen olivæ.

Alcimus Avitus lib. 4.

Paciferumq́ue videns ramum viridantis olivæ,
Decerpit, mitiſq́ue refert ad condita roſtro.

Nempe olea eſt ſignum pacis. *Virgilius* lib. 2. *Georgicorum*,

- - placidam paci nutritor olivam.

Et lib. 7. *Æneidos*,

Centum oratores auguſta ad mœnia Regis
Ire jubet, ramis velatos Palladis *omnes.*

Et lib. 8.

Paciferæq́ue manu ramum prætendit olivæ.

Et lib. 11.

Velati ramis oleæ, veniamq́ue petentes.

Livius libro vigeſimo nono, *Decem Legati* Locrenſium, *obſiti ſqualore, & ſordibus, in comitio ſedentibus Conſulibus, velamenta ſupplicum ramis oleæ, ut* Græcis *mos eſt, porrigentes, ante tribunal cum flebili vociferatione humi procubuerunt. Polybius* libro tertio de *Annibale* in tranſitu *Alpium*, Οἱ περὶ τὴν δίοδον οἰκοῦντες, συμφρονήσαντες ἐπὶ δόλῳ συνήντων αὐτῷ, θαλλοὺς ἔχοντες, καὶ στεφάνους· τοῦτο γὰρ σχεδὸν πᾶσι τοῖς Βαρβάροις ἐστὶ σύνθημα φιλίας, καθάπερ τὸ κηρύκειον τοῖς Ἕλλησι. *Viæ accolæ, clam conſpiratione facta, cum virentis olivæ ramis & coronis ſunt illi obviam. Ferè enim ubique apud Barbaros hoc pacis & amicitiæ ſignum eſt, ut inter* Græcos *caduceum.* Hinc *Ovidius* libro primo *Faſtorum*,

Frondibus Actiacis *comptos redimita capillos*
Pax ades, & toto mitis in orbe veni.

Frondibus Actiacis, id eſt, oleæ, ex cujus foliis *Paci* corona texitur. Quomodo *Minervam* volunt *pacem cum* Neptuno *iniſſe ex hac arbore coronatam*, ut habet *Tertullianus De corona militis* capite 13. Ita omnes interpretantur. Sed cur *Actiacæ* dicantur oleæ *frondes* nondum conſtat, nec mihi ſatisfacit quod interpretes afferunt. Itaque legere malim *frondibus Acteis*, id eſt,

eſt, *Atticis:* quia olea creditur in *Attica* eſſe nata, quæ *Græcè* Ἀκτὴ dicitur, unde gentile Ἀκταῖος. *Stephanus*, Ἀκτή, οὕτως ἡ Ἀττικὴ ἐκαλεῖτο. Et paulò poſt, τὸ ἐθνικὸν Ἀκταῖος καὶ Ἀκταία. Proinde ut *mel Actæum* eſt *mel Atticum* apud *Columellam* in horto,

Naricia *picis: aut* Actæi *mellis* Hymetti:

ità *oliva Actæa* eſt *oliva Attica*. *Nonnus Dionyſiac.* lib. 27. verſu 287.

Ἀκταίης τε γέραιρε φερέπτολιν ὄζον ἐλαίης,

Et urbem venerare ferentem Actææ *ramum olivæ*. *Auſonius* in *Moſella* de ſiluro,

Quem velut Actæo *perductum tergora olivo,*
Amnicolam delphina reor. - - -

Obiter nota in *Luciani Tragopodagra* aliud eſſe φύλλα ἀκτίας, cum dicit,

Τίνες γὰρ οἵδε βάκτρα νωμῶντες χεροῖν,
Κόρυμβα φύλλοις ἀκτίας καταστεφεῖς;

Quæ interpres malè reddidit,

Quænam iſta turba eſt, qui manu fuſtes tenent,
Cincti coronis frondis Actææ *caput?*

Cum ibi ἀκτία ſit ἀκτὴ, id eſt, *ſambucus:* cujus foliis podagroſi finguntur caput cingere, quia ſambuci folia ποδαγρικοῖς βοηθεῖ μετὰ στέατος ταυρείου, ἢ τραγείου. Ità *Dioſcorides:* nec multò aliter *Plinius*. Et *Samonicus* in capite *De podagra depellenda*,

Parva ſambucus item hircino collita ſevo.

Jam de oliva hoc ſolum addo, etiam in *America* jam olim hunc morem invaluiſſe, ut rami olivæ haberentur pro ſigno pacis. *Columbus Navigat.* cap. 103. ubi de *Americana* quadam inſula non procul ab *Hiſpaniola: Primo adventu occurrerunt adoleſcentula triginta, quæ*, &c. *ramos olivarum manibus geſtabant, & ubi appropinquabant profectò, ut ſignum fœderis, pacisque, illi ramos porrigebant.*

Sunt, quibus columbæ triplex ex arca emiſſio ſignificat *Judæorum* triplex exilium è terra *Chanaan*. Primum, cum *Ægyptiis*; ſecundum, cum *Babyloniis* ſervierunt; tertium, cum *Jeruſalem* à *Romanis* exciſa eſt: cui exilio nullus eſt finis, ut columba tertiò emiſſa nunquam in arcam reverſa eſt. Alii corvum cum Lege, columbam cum Evangelio conferunt: quia Lex nullum habet argumentum fiduciæ, nec divini furoris aquas, quibus peccatores obruit, aut prorſus ceſſiſſe docet, aut ex parte ſaltem eſſe imminutas. Sed quod Lex nos celaverat, patuit ex Evangelio, à quo docemur diluvium hoc jam deſtitiſſe, Deumque in *Chriſto* eſſe pacatum, & nobis reconciliatum. Alii hæc ad mores transferunt: quaſi corvus, qui ex arca emiſſus ideò non rediit, quia cadaver aliquod repererat, in quod involaret, eos deſignet, qui pecunia illecti, & lucro ineſcati, ex Eccleſia ſic egrediuntur, ut ad eam nunquam redeant. In eo numero *Demas*, qui *Paulum* reliquit amore præſentis ſæculi, 2. *Tim.* 4, 10 Contrà, columba volitans, & in arcam revolans, quia extra eam non inveniebat ubi pedem tutò figeret, iisdem eſt imago hominis animum exercentis curis terrenis, & verſantis in omnem partem, ſed quietem non invenientis, donec in Eccleſiam ſe recipiat, ut ibi in Dei ſinu conquieſcat. *Noe* verò manum extendens, ut columbam ad ſe recipiat, figura eſt Dei hanc animam in ſinu excipientis. Ità *Pſaltes*, cujus *pedes penè moti fuerant, & caro & cor propè defecerant:* ſed idem, in Dei Sanctuarium ingreſſus, Deum agnovit *rupem eſſe cordis ſui, & portionem ſuam in ſæculum, & ſibi bonum eſſe, ut Deo adhæreret*, Pſalmo 73, 2. 17. 26. 28. Et *Solomon*, poſtquam omnia eſſet expertus, nec quidquam oculis aut animo ſuo denegâſſet, tandem concludit *omnia eſſe vanitatem*, adeoque *Deum timere, & mandata ejus obſervare, eſſe totum hominis*, Eccleſ. 1, 2. & 2, 10. & 12, 13. Et *Paulus* cætera omnia, præter *Chriſtum*, non ſolùm *detrimentum*, ſed & *retrimentum* eſſe duxit, *Phil*, 3, 7. 8.

Aliis hæc ipſa columba typus fuit baptiſmi *Chriſti*. Videtur enim *Noe Chriſtum* multis modis ſignificâſſe. 1. Nomen *Noe quietem* ſignificat, quam *Chriſtus* ſuis obtulit. *Diſcite à me* (inquit *Matt.* 11, 29.) *quia mitis ſum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris.* 2. De *Noa* dicit *Lamech* Gen. 5, 29. *Iſte recreabit nos ab operibus noſtris, & à labore manuum noſtrarum.* Et *Chriſtus* ſuis *Matth.* 11, 28. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onuſti eſtis, & ego recreabo vos.* 3. Noe *vir juſtus & integer fuit in generationibus ſuis*, Gen. 6, 9. Et *Chriſtus* ipſa juſtitia. 4. Ætate *Noæ omnis caro corruperat viam ſuam*, Gen. 6, 12. Et, cum *Chriſtus* venit, *omnes nos ſicut oves erraveramus, & unusquisque in viam ſuam declinaverat*, Eſ. 53, 6. 5. Sed uterque juſtitiæ divinæ præco fuit, & ſui temporis homines ad pœnitentiam invitavit, mundi finem prædicens: hic per ignem, ille per aquam. 6. *Noe* prædicavit iis, qui increduli fuerunt, 1. *Pet.* 3, 20. Et *Joan.* 12, 31. ad *Chriſtum* referuntur hæc *Eſaiæ*, *Quis credidit ſermoni noſtro? & brachium Domini cui revelatum eſt?* 7. *Sicut erant dies Noe* (ut ait *Chriſtus Matth.* 24, 37.) *ità erit & adventus Filii hominis. Sicut enim diebus, qui præceſſerunt diluviũ, edebant, & bibebant, uxores ducebant, & nuptum dabant, ad eum uſq; diem, quo* Noe *in arcam ingreſſus eſt, nec agnoverunt diluvium, uſque dum veniſſet, & ſuſtuliſſet omnes: ità erat adventus filii hominis.* Nempe *quâ horâ non putatis veniet Filius hominis.* 8. Sed ab iræ divinæ diluvio ſuos immunes uterque præſtat, *Noe* familiam octo hominum, & *Chriſtus* puſillum gregem, *Luc.* 12, 32. 9. *Noe* per lignum arcæ, ut *Chriſtus* per lignum crucis. 10. *Cujus etiam antitypum baptiſma nunc nos ſervat*, 1. Pet. 3. 21. Nam, ut in arca, ità in baptiſmo, tanquam ex iræ divinæ fluctibus emergimus. 11. In arcam *Noa* congregata ſunt animalia omne genus, munda & immunda, fera & domeſtica. Ità in *Chriſti* Eccleſia *commorabitur lupus cum agno, & pardus cum hædo recubabit, vitulusque & leo*, &c. *Eſ.* 11, 6. 12. Et, cum dicit *Apoſtolus* Epheſ. 5, 1. *Chriſtum* ſe tradidiſſe pro nobis *oblationem, & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis*, palàm ad id alludit, quod de *Noa* ſcribitur *Gen.* 20, 20. 21. cum holocauſta obtulit, *odoratum eſſe Dominum odorem ſuavitatis.* 13. Itaque, ut *Noæ* promiſit Deus ſe non amplius maledicturum eſſe terræ propter hominem *Gen.* 8, 21. ità nobis promiſſum nullam fore condemnationem iis, qui ſunt in *Chriſto Jeſu*, qui pro nobis factus eſt maledictio, ut in Gentibus extet *Abrahami* benedictio, *Rom.* 8, 1. *Gal.* 3, 13. &c. 14. Denique, ut ſciamus fœdus à Deo cum *Noa* contractum, cujus iris ſignum fuit, fundamentum in *Chriſto* habere, irim deſcribit *Johannes* in circuitu ſolii, cui *Chriſtus* inſidet, *Apoc.* 4, 3.

Cum igitur *Noe* tot modis *Chriſti* figura fuerit, columba, quæ per arcæ feneſtram ad *Noam* venit in diluvii aquis fluctuantem, oleæ termitem ferens in ſignum pacis, videtur Sanctum Spiritum referre, qui cœlo aperto in columbæ formam deſcendit ſuper *Chriſtum Jordanis* aquis demerſum, fructus ſuos afferens, id eſt, pacem, & gaudium, *Gal.* 5, 22. Hæc columba non alibi quieſcit, quam in arca, id eſt, in Eccleſia. Quamvis enim ubique ſit Dei Spiritus, reſpectu eſſentiæ, quæ infinita eſt, tamen propriè loquendo non habitat extra Eccleſiam. Ut olim gloria Dei non quieſcebat niſi ſuper arcam fœderis. Atque, ut ſeptimâ quâque die columba veniebat ad *Noam*, ita fit hodieque. Nam modo ſpeciali deſcendit ſuper nos Dei Spiritus unaquaque die ſeptimâ, quæ olim erat Sabbati dies, hodie *Dominica*. Proinde dies erat *Dominica*, cum *Chriſtus* flavit in *Apoſtolos* dicens, *Accipite Spiritum Sanctum*, Joh. 20, 19. 22. Et cum Spiritus deſcendit in fideles in eundem locum congregatos, *Act.* 2, 1. Et cum *Johannes*, Spiritu correptus vidit Dei viſiones, *Apoc.* 1, 10. Hæc eadem columba nobis ſolatio eſt in diluvio malorum, quibus inunda-

mur. Et columba internuncia ad nos è cœlo miſſa, ut de omnibus edoceret, *Joh.* 1, 23. & in omnem veritatem deduceret, *Joh.* 16, 13. Sed & *gemit in nobis, & pro nobis*, ut dicit *Apoſtolus Rom.* 8, 26. ipſum Spiritum poſtulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Et verè dici poteſt carere felle, cum fructus Spiritus ſint charitas, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, &c. *Gal.* 5, 22. Quas virtutes Dei Spiritus in omnes fideles ità infundit, ut in capite noſtro, id eſt, in *Chriſto*, longè magis emineant. Unde eſt, quod in earum exemplar proponitur. Et *diſcite*, inquit, *à me, quod mitis ſum, & humilis corde* Matth. 11, 29. Nempe, cum unicuique noſtrûm detur gratia pro menſura doni *Chriſti*, *Eph.* 4, 7. *Chriſto* ſoli non ad menſuram dat Deus Spiritum, *Joh.* 3, 34. Et unxit illum Deus oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis, *Pſal.* 45, 8. Quæ unctio eſt à Spiritu, ut aſſerit ipſe *Luc.* 4, 18. *Spiritus Domini ſuper me eſt, propterea quod unxit me*, &c. Et *Petrus Act.* 10, 38. *Unxit eum Deus Spiritu Sancto, & virtute.* Itaque etiam hâc ratione oleam attulit cœleſtis illa columba. Nam ex olea fit oleum, quo inungimur. Sed hæc ſolùm obiter tangimus, quia non ſunt hujus loci.

Sunt è *Patribus*, qui veram columbam in *Chriſtum* deſcendiſſe volunt. Ità *Tertullianus* in libro *De carne Chriſti* capite tertio de Spiritu in *Chriſtum* deſcendente ſcribit; *Tam verè erat columba, quam & Spiritus: nec * interfecerat ſubſtantiam propriam, aſſumptâ ſubſtantiâ extraneâ.* Et *Auguſtinus, De Agone Chriſtiano* cap. 22. *Chriſti* corpus cum hac columba conferens; *Neque hoc ità dicimus, ut Dominum* Jeſum *dicamus ſolum verum corpus habuiſſe, Spiritum autem Sanctum fallaciter apparuiſſe oculis hominum: ſed ambo illa corpora vera corpora credimus. Sicut enim non oportebat, ut homines falleret filius Dei, ſic non decebat, ut homines falleret Spiritus Sanctus. Sed omnipotenti Deo, qui univerſam creaturam de nihilo fabricavit, non erat difficile verum corpus columbæ ſine aliarum columbarum miniſterio figurare, ſicut ei non fuit difficile verum corpus in utero* Mariæ *ſine viriliſemine fabricare.* Tamen quatuor *Evangeliſtæ* (a) columbam in *Chriſtum* deſcendiſſe non dicunt, ſed ὡσεὶ περιστεράν, *tanquam columbam.* Et difertius *Lucas* deſcendiſſe Spiritum Sanctum σωματικῷ εἴδει ὡσεὶ περιστεράν, *corporali ſpecie tanquam columbam.* Ubi *Syrus*, ܒܕܡܘܬ ܓܘܫܡܐ ܕܝܘܢܐ *juxta ſimilitudinem corporis columbæ.* Et *Arabs*, شبه جسد حمامة *ſimilitudine corporis columbæ.* Et *Æthiops*, በሥጋ፡ከመ፡ርእየተ፡ርግብ፡ *In corpore tanquam ſpecie columbæ.* Unde concludi queat, juxta mentem *Æthiopis*, corpus fuiſſe quod apparuit, ſed non corpus veræ columbæ. *S. Auguſtinum* ſequitur *Thomas* in *ſumma* parte 3. quæſt. 39. art. 7. Quin omnes ferè *Scholares Theologos* idem ſentire ſcribit *Sixtus Senenſis Biblioth.* lib. 6. annot. 13. Tamen aliter ſentiunt plerique recentiorum, nempe non in vera columba, ſed in columbæ ſpecie Spiritum deſcendiſſe. Et de *Tertulliano* parum ſolliciti, *Auguſtini* auctoritatem bifariam eludunt. Alii enim, ut *Pamelius*, negant librum *De Agone Chriſtiano* verè eſſe *Auguſtini*. Alii, ut *Maldonatus*, pro genuino agnoſcunt, ſed ab *Auguſtino* contendunt ſolum aſſeri verum apparuiſſe corpus, non tamen veram columbam. Sed neutri ſatisfaciunt. Non primi, cum librum *De Agone Auguſtini* eſſe conſtet, tam ex ſtylo, quam ex *Poſſidii Indiculo*, & ipſo *Auguſtino*, qui librum illum pro ſuo agnoſcit lib. 2. *Retract.* cap. 3. Non ſecundi, quia *Auguſtinus* columbam illam non ſolum verum corpus vocat, ſed & *verum corpus columbæ. Non erat*, inquit, *Deo difficile verum corpus columbæ ſine aliarum columbarum miniſterio figurare.* Quod, juxta ipſius ſententiam, ideo neceſſe fuit, *ne homines falleret Spiritus S. ſi columba illa non fuiſſet id, quod videbatur eſſe.* Vult igitur hanc columbam tam verè fuiſſe columbam, quam *Chriſtus* verè fuit homo. Proinde utrumque dixerim, id eſt, tam *Auguſtinum*, quam *Tertullianum*, diſputantes in eos, qui *Chriſti* corpus tam imaginarium fuiſſe volebant, quam fuit illa columba, peccâſſe, quod ſæpe accidit, τῇ τῆς ἀνθέλκης ἁμαρτίᾳ. Nam, cum ſuffeciſſet aſſerere veritatem *Chriſti* corporis, etiam hoc φάσμα ὄρνιθος, ut rectè vocat *Origenes*, voluerunt pro vera columba haberi. Sed hic quatuor notanda ſunt. Primò, extra diſputationis æſtum eoſdem aliter id definire. Nam in *Tertulliani* libro *De Baptiſmo* cap. 8. legitur Spiritus Sanctus *columbæ figura delapſus in Dominum.* Et *Auguſtini* Epiſtola 102. ad *Euodium*, hæc columba dicitur *ſola ſpecie corporali oculis reddita, non natura viventis animalis expreſſa.* Et *De Trinit.* lib. 2. cap. 5. *In ipſum Dominum* (Spiritus Sanctus) *corporali ſpecie, velut columba, deſcendit.* Secundo, alios *Patres* hanc columbam habuiſſe pro imaginaria. *Juſtinus* in *Dialogo cum Tryphone Judæo*, Τοῦ ἐπελθόντος ἐν εἴδει περιστερᾶς πνεύματος. *Irenæus* lib. 3. cap. 19. *Dixerunt Spiritum Dei ſicut columbam deſcendiſſe in eum.* *Origenes* in *Lucam* Serm. 27. *Deſcendit Spiritus Sanctus ſuper Salvatorem in ſpecie columbæ.* *Epiphanius* adverſus *Sabellianos* Hæreſi 62. Ἐν εἴδει περιστερᾶς σχηματίζεται. Et interpres, *Ad columbæ effigiem ſe conformavit.* *Hilarius* in *Matth.* Can. 2. *Spiritus Sanctus emittitur, & ſpecie columbæ viſibilis agnoſcitur.* *Nonnus* in Paraphraſi *S. Johannis* vocat Ἀντίτυπον μίμημα πελειάδος. *Juvencus Evang. Hiſt.* lib. 1.

Corpoream que gerens ſpeciem, deſcendit ab alto
Spiritus, aëream ſimulans ex nube columbam.

Sedulius Carm. lib. 2.

Confeſtim patuêre poli, Sanctuſque columbæ
Spiritus in ſpecie Chriſtum *veſtivit honore.*

Chryſoſtomus in *Matth.* Homil. 12. Ἦλθε τὸ πνεῦμα ἐν εἴδει περιστερᾶς. *Iſidorus Peluſiota* Epiſt. 106. Ἐν εἴδει περιστερᾶς τὸ θεῖον ἐπεφάνη πνεῦμα. *Cyrillus* in *Johannem*, Περιστερᾶς ἐν σχήματι. Et ἐν τῷ τῆς περιστερᾶς σχηματισμῷ. Auctor libri *De Mirabilibus Scripturæ* ſub *Auguſtini* nomine lib. 3. cap. 5. *Quamvis vero corporali ſpecie Spiritus Sanctus ſuper Dominum deſcendere dicitur, non tamen de avibus ſumpſiſſe columbam, ſed ex aere minimè dubitatur.* Auctor libri *De Sacramentis* ſub *Ambroſii* nomine lib. 1. cap. 5. *Et, ecce! quaſi columba Spiritus deſcendit: non columba deſcendit, ſed quaſi columba.* Et paulò poſt, *Non in veritate columbæ, ſed in ſpecie columbæ deſcendit de cœlo.* *Procopius Gazæus* in Gen. 18. *Spiritus Sanctus in noſtrum conſpectum venit in ſpecie columbæ; nec tamen erat columba, quia non tam, quam columba, habebat proprietatem.* Tertio, notandum *Tertullianum* graviſſimè errare. Nam ea dicit de Spiritu Sancto, quæ vera eſſe non poſſunt, niſi fingatur Spiritus Sanctus columbam unione hypoſtatica ſibi aſſumpſiſſe. *Spiritus*, inquit, *tam verè erat columba, quam & Spiritus, nec interfecerat ſubſtantiam propriam aſſumptâ extraneâ.* Unde alius error natus eſt, nempe Spiritum Sanctum tam eſſe infra *Chriſtum*, quam columba eſt infra hominem. Ut *Martialis*, columbam *Stellæ* cum *Catulli* paſſere conferens, *Stellam* contendit *Catullo* tanto meliorem eſſe *Poetam*,

Quanto paſſere major eſt columba.

Sed hunc errorem ità refellit *Chryſoſtomus* in *Matthæum Homilia* 12. Ὁ μὲν ἐν τῇ ἡμετέρᾳ φύσει, τὸ δὲ ἐν ὄψει περιστερᾶς ἐφάνη· Chriſtus *quidem in natura noſtra: ſed Spiritus in columbæ ſpecie apparuit.* Item, Ὁ μὲν υἱὸς τοῦ Θεοῦ φύσιν ἀνθρώπου ἀνέλαβε· τὸ δὲ πνεῦμα οὐ φύσιν ἀνέλαβε περιστερᾶς. Διὰ τοῦτο καὶ ὁ Εὐαγγελιστὴς οὐκ εἶπεν, ὅτι ἐν φύσει περιστερᾶς, ἀλλ᾽ ἐν εἴδει περιστερᾶς· οὐδὲ μὴν ταῦτα ὤφθη ἐν τούτῳ τῷ σχήματι, ἀλλὰ τότε μόνον. *Hominis quidem naturam ſuſcepit Dei filius; ſed columbæ naturam non ſuſcepit Spiritus. Proinde non dixit Evangeliſta eum in natura columbæ, ſed in* ſpecie

* Forte interceperat.

a) Matth. 3, 16. Marc. 1, 10. Luc. 3, 22. Joh. 1, 32.

ſpecie columbæ (deſcendiſſe.) *Neque poſtmodum in ea ſpecie apparuit, ſed tunc ſolum.* At *Auguſtinus*, ab hoc errore prorſus alienus, tantum credidit veram columbam à Deo in hunc uſum creatam ſymbolum fuiſſe præſentiæ Sancti Spiritus, qui error eſt multò levior. Quamvis enim hæc ſententia cum *Evangeliſtarum* verbis non poſſit conciliari, tamen in eo à priore differt, quod nihil habet indignum majeſtate Sancti Spiritus. Nam, ſalva dignitate ſua, tam potuit per veram columbam, quam per columbæ imaginem ſignificari. Quarto, notandum *Auguſtini* argumentum, quo probare nititur veram fuiſſe hanc columbam, parum habere virium. *Ambo*, inquit, *illa corpora*, nempe *Chriſti*, & Sancti Spiritus, *vera corpora credimus. Sicut enim non oportebat, ut homines falleret Filius Dei, ſic non decebat, ut homines falleret Spiritus Sanctus.* Fateor: ſed hanc columbæ ſpeciem nego quemquam feſelliſſe, cum illam non conſtet quemquam vidiſſe præter *Chriſtum* ipſum, *Matth.* 3, 16. & *Marc.* 1, 10. & *Johannem* Joh. 1, 32. In mediis quidem turbis *Chriſtus* baptizatus eſt *Luc.* 3, 21. Sed his columbam apparuiſſe nemo ſcripſit. Et præter *Chriſtum* à nullo fuiſſe viſam prætèrquam à *Johanne* apertè docent hæc *Joh.* 1, 32. *Et teſtimonium exhibuit* Johannes *dicens, Vidi Spiritum de cælo deſcendentem quaſi columbam, qui etiam manſit ſuper eum.* Quid enim opus fuiſſet tanti viri teſtimonio ad id probandum, quod alii quoque vidiſſent, adeoque omnes turbæ, quæ tum *Chriſtum* & *Johannem* circumſtabant? Hæc porrò columbæ ſpecies *Chriſto* non impoſuit, qui erat erroris expers: nec *Johanni*, qui à Deo præmonitus fore, ut Spiritus ſuus viſibili ſpecie deſcenderet, & maneret ſuper filium ſuum, cum hanc columbæ ſpeciem ſuper *Chriſtum* deſcendere & deſidere vidit, pro comperto habuit hæc in viſione fieri, prout prædixerat Deus. Proinde non dicit ſe vidiſſe columbam, ſed *tanquam columbam.* Dato tamen, non conceſſo, hoc columbæ φάσμα ab omnibus eſſe conſpectum, & à pleriſque creditum veram fuiſſe columbam, ne ſic quidem eos feſelliſſet Spiritus Sanctus. Neque enim is verè fallit, qui ob oculos imaginem ponit, non fallendi animo, ſed docendi. Talis autem fuit hæc viſio, qua ob oculos columbæ ſpecies propoſita eſt, non ut crederetur vera eſſe columba, ſed ut per eam Sancti Spiritus præſentia ſignificaretur, & quæ ſint ejus virtutes. Hoc ſi putetur eſſe falſitas, abolebitur omnium viſionum uſus, in quibus aliud oculis, aliud animo exhibetur. Neque ſolum in columbæ, ſed & in linguarum ignearum viſione feſellerit Spiritus Sanctus. Hæ quippe linguæ veræ linguæ non erant, nec verus ignis. Proinde, ut hic deſcendiſſe legitur ὡσεὶ περιστερά, ità ibi viſæ linguæ dicuntur ὡσεὶ πυρός, *Act.* 2, 3. Et paulò antè auditus eſſe ſonus non venti, ſed tanquam venti, ὥσπερ φερομένης πνοῆς βιαίας, ut ſciamus hæc omnia in viſione obtigiſſe.

Non poſſum non addere *Hebræos* quoque *Cant.* 2, 12. *turturis* nomine, quæ avis eſt columbini generis, Spiritum Sanctum intelligere. Unde eſt, quod verba Sacri textus, *Vox turturis audita eſt in terra noſtra*, *Chaldæus* ſic παραφράζει, קל רוחא דקודשא דפורקנא דאמרית לאברהם אבוכון כבר שמעתון *Et vocem Spiritus Sancti, id eſt, liberationem, quam* Abrahamo *patri veſtro prædixi*, Gen. 15, 14. 16. *jam audiviſtis.* Sed & hæc ipſa verba *Origenes* refert ad Spiritum Sanctum, quem per turturem ſignificari vult, cum occultiora revelat, & per columbam, cum ea docet, quæ ad vulgi captum ſunt magis accommodata. *Spiritus Sanctus*, inquit, *quando de magnis & occultioribus Sacramentis, & quæ multi capere non poſſunt, loquitur, in turturis appellatione ſignatur, id eſt, ejus avis, quæ ſemper in montium jugis, & in arborum verticibus commoratur. In vallibus autem, & his quæ ad homines uſque perveniunt, columba aſſumitur.* Hæc ille in *Cantici* verba, *Vox turturis*, &c.

CAPUT SEPTIMUM.

Probatur דביונים, vel חריונים, 2. Reg. 6, 25. eſſe *ciceris* genus, non *ſtercus columbarum*, ut hactenus creditum.

Si חריונים *ſint* columbarum ſtercora, *cur horum cabi quarta pars, id eſt, logus, ſeu menſura ſex ovorum*, Samariæ *famis tempore vendita fuerit quinque argenteis, id eſt, novem libris* Turonicis. *Refelluntur, qui hoc ſtercus, quod eſt omnium calidiſſimum, volunt pro cibo fuiſſe, aut ligni vices præſtitiſſe, aut fimi ad ſtercorandos agros, aut ſalis ad condiendos cibos (de cujus uſu multa obiter) item qui* grana *intelligunt* ex columbarum ingluvie elici ſolita: *& ii, quibus* הקב, *eſt* venter; *aut* דביונים, *&* חריונים, interanea. Fullerus *notatus.* Cabus, *&* cadus, *quid propriè, & unde dicta.* Suidas, Etymologus, Heſychius *emendati. Arabibus* ſtercus columbarum *dicitur*, 1. *Nux* Kendem, *ſeu* Gendem, *terræ genus*: 2. Uſnen, *ſeu* alkali, *id eſt, ut docti volunt*, ſoda, *ſeu* ſolida, *ex qua vitrum conficiunt. Quin* uſnen, *vel* alkali, *eſt ciceris genus. Ità ſtatuunt multi* Arabes. *Et* 2. Sam. 17, 28. קלי kali, *ab* Hieronymo *rectè redditur* frictum cicer, *cibus* Græcis *&* Romanis *notiſſimus. Ab* Hebræis *leguminis genus, ex quo fit* puls, שורה *dicta. Gloſſa* Talmudis *notata.* Kali, *&* uſnen, *unde dicantur. Id ipſum eſſe* חריונים, *multis probatur. In* Judæa *& vicinis locis multum cicer. Quo cibo vix quidquam vilius.* Λάθυρος, *&* ἐρέβινθος, *cur cibi exoſi. Legumina, faba, & lens maximè in feralibus cœnis; cicer in pervigiliis. Legumina* Danielis *& ſociorum victus. Ea dici* זרעים, *vel* זרענים, *id eſt*, ſemina, *ut* Græcè ὄσπρεια, *pro* ἀσπόρεια, *à ſatu.* Χεδροπὰ *cur* legumina, *Sal* alkali *dictum ex cicere elici, quod naturâ ſalſum. Hoc* Joſephum *feſelliſſe.*

NArratur 2. *Reg.* 6, 25. *Samariæ* famis tempore רובע הקב חריונים, *quartam partem cabi ſtercoris columbarum* venditam fuiſſe quinque argenteis. Nummos argenteos intellige ſemunciales, quorum ſinguli ferè valent triginta ſex aſſes *Turonicos*, ut ſumma fuerit præter propter novem librarum noſtræ monetæ. Porrò cabum *Hebræi* omnes ſummo conſenſu tradunt capacem fuiſſe duntaxat ovorum viginti quatuor. Ergò cabi quarta pars fuerit logus, id eſt, menſura ſex ovorum. Hæc probare non aggrediar, ne videar actum agere. Tantum conabor ſatisfacere quæſtioni difficillimæ, quamque nemo ſolvit hactenus, cur menſura tantula rei tam vilis, nempe columbini ſtercoris, tanti æſtimata fuerit, & in quem uſum comparata.

I. Sunt, qui dicunt *Samaritanos*, urgente fame, hoc ſtercus in cibum adhibuiſſe. In his *Eutychius Alexandrinus Patriarcha* in *Annalibus*, ubi de fame *Samariæ* pag. 213. واكلوا زبل الحمام, *Et comederunt ſtercus columbarum.* Quomodo *Rabſakes Jeroſolymam* obſeſſurus, minabatur ſe facturum, ut incolæ comederent ſtercus ſuum, & lotium ſuum biberent, 2. *Reg.* 18, 27. & *Eſ.* 36, 12. Verum hæc verba *Rabſakis* aliud non ſunt, quàm jactabundi *Thraſonis* inanis inſultatio, quâ futurum ſignificabat, ut *Hieroſo-*

quid dicatur, tamen hoc certum, ſalem nihil quidquam eſſe, quam condimentum, nec magno pretio comparari ſolere condimenta in magna fame, & cum alimenta deſunt; cum optimum condimentum ſit ipſa fames: neque id quæratur, quod gulam irritet, ſed quod ſatiet.

V. Quinta ſententia *Talmudicorum* eſt, quæ ut intelligatur, lector præmonendus eſt Axioma hoc eſſe *Talmudicum* codicis *Megilla* c. 3. כל המקראות הכתובין בתורה לגנאי קורין אותן לשבח, *Omnes voces, quæ in Lege obſcœne ſcripta ſunt, honeſte legi.* Quapropter, ubicunque in Scriptura occurrunt vocabula in communi uſu minus honeſta, *Hebræorum* Magiſtri, honeſtati conſulentes, ea voluerunt aliter legi, quam ſcripta ſunt. Adeoque pro verbo, quod in textu habetur, honeſtius aliud in margine ſubſtituunt, quod pro eo in Synagogis legere moris hodieque eſt. Hinc eſt, quod pro שגל, (b) *coire*, legunt שכב, *concumbere*: pro עפלים, (c) *ani morbis*, טחורים, *mariſcas*: pro מחראות, (d) *latrinis*, propriè *locis ſtercoris*, מוצאות, *ſeceſſus*: pro חרים, & שינים, (e) *ſtercoribus*, & *urinis*, צואה, & מימי רגלים, *excrementum*, & *aquas pedum*. Non aliter hoc loco pro חריונים, *ſtercore columbarum*, legi volunt דביונים, *fluxum columbarum*, voce compoſita ex דב *fluxu*, & יונים *columbis*. Sed *Talmudici* רביונים aliter interpretantur, quaſi ſit compoſitum ex *Chaldaico* pronomine ד, quod reſpondet *Hebræo* אשר, *qui*, *quæ*, *quod*, & Præpoſitione ב, *in*, & nomine יונים, *columba*. Illis itaque רביונים, ſignificat *quod in columbis*, ſupple *eſt*, vel *erat*. *Samariæ* nempe volunt columbas ad hoc fuiſſe inſtitutas, ut pabulatum irent in agros, ſi ita loqui liceat. Unde, cum fartæ & diſtentæ rediiſſent, dominos excuſſa ingluvie grana elicuiſſe, & magno vendidiſſe. Ita ut ex horum mente verba Sacri textus ſic ſonent. Fames tanta erat *Samariæ*, *ut quarta pars cabi granorum, quæ erant in columbis*, & ex earum ingluvie eliciebantur, *veniret quinq; ſiclis.* Unde *Comeſtor* in *Hiſtoria Scholaſtica* lib. 4. *Regum* cap. 10. *Tradunt quidam nomine* ſtercoris *dici veſiculam columbæ, in qua reperiebantur grana deforis allata.* Quo commento non puto quidquam fingi potuiſſe abſurdius. Non, quod negem columbas amore ſobolis ſic inſtitui poſſe, ut ex urbe obſeſſa emiſſæ domum redeant. Talibus enim internuntiis veteres & recentiores ſæpe eſſe uſos probavimus in capite proximè antecedenti. Sed quis *Samariæ* credat columbas tam dociles magno fuiſſe numero? Aut eas in agro ab hoſtibus longè lateque vaſtato fruges habuiſſe paſſim obvias? Aut, ingluvie plena reduces, quidquid in agro abſorpſerant tam facilè expectoraſſe? Atque his demum artibus vel unum frumenti cabum toto obſidionis tempore potuiſſe congeri? Aut, ſi Deus hunc populum tam miraculoſa ratione aliquamdiu ſuſtentaſſet, Scripturam rem inauditam tam leviter fuiſſe præterituram? Sed fruſtra diſputamus, cum vox חריונים, quæ in textu eſt, nulla ratione huc trahi poſſit. Imò vix, ac ne vix quidem, vox marginalis דביונים, verti queat, *id, quod eſt in columbis.* Niſi *Hebræo* Nomine *Chaldaicum* Pronomen præfixum fuiſſe velimus, atque ita conflatam fuiſſe vocem hybridam, & ſemibarbaram.

b) Deut. 28, 30. Eſ. 13, 16. Zach. 14. 2.
c) Deut. 28, 27
d) 2. Reg. 10, 27.
e) 2. Reg. 18, 27 Eſ. 36, 12.

VI. *Junius*, has *Symplegadas* nova interpretatione vitare poſſe ſe putans, hunc locum ita reddidit; *Extitit fames magna Samariæ*, &c. *Adeò ut eſſet quarta pars, venter ipſe, qui eſt in cavo columbarum, quinûm ſiclorum argenti.* Sed prima lectione ſtatim apparet virum impensè doctum non fuiſſe ita redditurum, propè dixerim nullo ſenſu, niſi in magnis anguſtiis verſari ſe ſenſiſſet. Quid enim ſit *quarta pars, venter ipſe columbarum?* Et quid attinebat definire ventrem eſſe in cavo? Quamvis cavum potius in ventre ſit, quàm in cavo venter. Rurſus quomodo illi viro, qui fuit perſpicaciſſimus, venire potuit in mentem ſeorſim veniſſe columbarum ventrem? Sed neque ex *Hebræis* verbis רובע הקב חריונים, ullis fidiculis elici queant, quæ in illius verſione habentur, *quarta pars, venter ipſe, qui eſt in cavo columbarum.* Nam ſi רבע, *quarta pars*, & הקב, *venter*, ut quidem reddit Cl. *Junius*, eſſent appoſita, utrumque nomen præfixum haberet *He hajedia*, ſeu Articulum; ut *Græcè* diceretur τὸ τέταρτον, ἡ κοιλία. Addo hac verſione confundi perperam קב *kab*, cum קבה *keba*. Quorum קבה *keba*, *ventrem* ſeu *ingluviem* ſonat: ſed קב *kab*, planè aliud eſt, nempe κάβος *cabus*, menſuræ genus. Ita ex *Hebræis* explicant *Aruch*, *Kimchius*, *Pomarius*, *Elias*, & *Aquinas* in *Lexicis* ſuis, *Mardochæus* in *Concordantiis*, *Alphes* in Tractatu *De Paſchate* capite 5. fol. 176. Et *Gloſſa Talmudis* paſſim. Unde compoſitum תרקב *tharkab*, aliis *duos cabos* ſonat, quaſi contractum ex תרי קבין *there kabin*, *duo cabi*; aliis veriùs *tres cabos*, quaſi ſit תרי וקב, *duo & cabus*, unus inſuper. Ita *R. Selomo* in variis locis *Talmudis*. Et κάβος quoque menſura eſt *Heſychio*, *Philoxeno*, *Suidæ*, *Etymologo*, *Phavorino*, & aliis. Denique חריונים nemo veterum aliter reddit, quam *ſtercus columbarum*. Conſulantur *Joſephus*, *Græci*, *Chaldæi*, *Syri*, *Arabes*, *Romani* interpretes. Et, ex *Hebræis*, *Jarchius*, *Kimchius*, & *R. Levi* in hunc locum. Inter eos reperietur mirus eſſe conſenſus, quod in obſcuri loci interpretatione raro contingit. Quin è recentioribus nemo diſſentit præter *Junium*, & *Fullerum*, de quo jam pauca.

VII. Is in *Sacris Miſcellaneis* (lib. 6. cap. 11.) tam per דבונים, quam per חריונים (quorum illud in margine ſcribitur, hoc in textu) *columbarum ingluviem*, *alvum*, *& interanea* intelligit. Quaſi vocentur דביונים, id eſt, *fluxus columbarum*, eò quod qui columbas diſſecant, & exenterant, ea defluere, ſeu delabi in terram ſinant. Et חריונים, id eſt, κοιλία, ſeu *alvus columbarum*. Nam חריונים eſſe *columbarum alvum*, *& interanea*, conatur ita probare. „*Hebræum* „חור primo *album* ſonat: 2. *foramen*, à candore lu„cis, quæ per illud ſolet conſpici: 3. τρώγλην *ca„vernam*, quæ foraminis eſt ſpecies: 4. *alvum*, „Græcè κοιλίαν, quæ inſignis eſt humani corporis „caverna; unde *alvus*, quaſi *alveus*, κοιλία ἀπὸ τοῦ κοί„λου denominatur: 5. *ſtercora alvo incluſa*, Meto„nymia Contenti pro Continente. Quarum hujus „verbi notionum eum liceat eligere commodiſſimam, „quidni *columbarum alvum*, *& interanea*, hic pute„mus intelligenda, quæ cùm abjici ſoleant, tamen „graviſſimæ famis tempore non ſolùm ſervata ſint, „ſed & grandi pretio diſtracta, & divendita. Hæc *Fulleri* ſententia eſt, in qua (quod accuratiſſimi ſcriptoris pace dixero) non pauca reperiſſe mihi videor, quæ veri ne ſpeciem quidem habent. Ita, quod *columbarum interanea* vult *Hebraicè* dici דביונים, ne per ſomnium quidem ulli unquam venit in mentem. Quin *ſtercora* omnes exponunt, à fluxu ſic appellata, ut *Græcè* ῥεῦμα γαςρὸς, & διάῤῥοια, & *Latinè alvi profluvium* de hujuſmodi fluxu dicitur. Et *Celſo febres fluentes*, Græcè ῥοώδεις πυρετοὶ, eæ ſunt, quæ alvum laxant. Rurſus in eo, quod aſſerit idem *Fullerus*, vocem חור 1. *album*, 2. *foramen*, 3. *cavernam*, 4. *alvum*, *ingluviem*, *interanea*. 5. *ſtercus* ſignificare, pleraque ſunt commentitia. חור pro *albo* non tam *Hebræum* eſt, quàm *Chaldæum*, & *Arabicum*. At pro *foramine*, aut *caverna*, *Hebræum* eſt, & à diverſa Radice. Illud enim eſt à חור *chavar*, *albeſcere*: hoc à geminato חרר *charar*, *perforare*. Proinde in *Talmude* legas Tractatus *Succa* fol. 20. b. חור שחררוהו מים, *foramen, quod aquæ perforarunt.* Et iiſdem *Talmudicis* חריר, eſt *foramen acus*, ut ܚܪܘܪܐ *Syris* Matth.

*Matth.*19. *v.*24. Porro illud חור, *alvum* quoque, aut *ingluviem*, aut *interanea* ſonare merum commentum eſt, cujus auctor non profertur, neque verò poteſt proferri, cùm nemo unquam ita uſurpaverit. Denique חר, vel חרי potius, aut חרא, pro *ſtercore* vox eſt diverſa prorſus, cujus Radix neque eſt חור, neque eſt חרר, ſed חרה, vel חרא. Itaque *Talmudici* חרי, vel חרא, conſtanter ſcribunt. Et *Arabicè* خري *charia*, cum *hamza* in fine, eſt *ſtercus egerere*, خرء *ſtercus*, مخراة *latrina*. Quin & *Hebræi*, cum plenè ſcribunt, *Aleph* inſerunt, ut *Eſa.* 36. *v.*12. לאכל את חראיהם, *ad comedenda ſtercora ſua.* Et 2. *Reg.* 10. *v.*27. *Deſtruxerunt domum* Baalis, *& poſuerunt eam* למחראות, *in latrinas.* Neque *Aleph* ibi eſt adventitium, ut putant, ſed Radicale, & ſupplendum ubi deeſt, ut ex *Arabiſmo* patet. His obſervatis, Cl. *Fullerum* apparet vocis etymon, & veram ſcripturam ignoraſſe, & promiſcuè ſumpſiſſe tres voces diverſæ originis, quod illum in devia traxit. Cùm enim quidquid affert ſolis nitatur vocum etymis, ſi hæc etyma falſa ſunt, falſum etiam eſſe neceſſe eſt quidquid his ſuperſtruitur. Et verò futiliſſimum eſt, quod auctori ſacro affingit, cabum alvorum & extorum columbinorum *Samariæ* veniſſe quinque ſiclis. Neque enim fando unquam auditum eſt columbarum ingluviem & exta ſeparatim fuiſſe diſtracta. Fateor de gallinis id legi, & *Arabicè* ثبودك *thabudach eum* dici, *qui vendit interanea gallinæ*, putà cor, ingluviem, &c. *Alcamus* interpretatur من يبيع ما في بطون الدجاج من القلب والقانصة. Sed de columbis nihil tale occurrit uſpiam, quod quidem ſciam. Neque etiam id convenit, ut columbarum inteſtina per cabos fuerint dimenſa. Cabus enim non eſt extorum menſura, ſed granorum, ut ſatum, epha, & corus. Nempe ſex cabi ſatum conſtituunt, tria ſata epham, decem ephæ corum, menſuram in aridis maximam. Proinde in *Talmude*, & in *Aruch*, paſſim legas קב חטין, *cabum tritici.* Et ab *Elia* definitur מדת היובש, *menſura aridorum*; *à Pomario* מדת של חטים, *menſura frumentaria*, ab *Aquinate* מדה למדות דבר היבש, *menſura ad dimetiendam rem aridam.* Sic in *Polluce*, Κάβασον δ' ἐκάλουν τὸν περὶ τὴν τροφὴν ἄπληστον, &c. Κάβος γὰρ σίτου μέτρον. *Cabaſum autem vocabant cibo inſatiabilem*, &c. *Cabus enim frumenti menſura eſt.* Et in *Heſychio*, Κάβαισος, ἄπληστος· κάβος γὰρ μέτρον σιτικόν· *Cabaſus, inſatiabilis; cabus enim eſt menſura frumentaria.* Inde corrige *Suidam*, qui pro κάβαισος habet κάβαιστος. Et *Etymologicon*, qui pro μέτρον σιτικὸν habet μετασιτικὸν, vocem nihili. Sed in *Heſychio* mendoſa ſunt, quæ ſequuntur paulo infra, Κάβος, μέτρον σιτικὸν, καὶ οἰνικὸν, *Cabus, menſura frumenti, & vini.* Cabum enim vini, vel liquidorum eſſe menſuram alibi nuſquam legas. Itaque ſic emendo, Κάβος μέτρον σιτικὸν, καὶ κάδος οἰνικόν· *Cabus frumenti menſura, & cadus vini.* Confert inter ſe duas voces ut ſono, ita & ſignificatione vicinas. Nam utraque *menſuram* ſonat, ſed hæc *vini*, illa *frumenti.* Quippe ut cabum frumenti, ita cadum vini menſuram eſſe nemo eſt, qui neſciat. Sic *Herodotus* libri tertii capite vigeſimo dicit φοινικηΐου οἴνου κάδον, *cadum vini palmei.* Et *Athenæi* libro undecimo *Anacreon*,

Οἴνου δ' ἐξέπιον κάδον,

Vini cadum exhauſi. Et ibidem *Hedylus* in *Epigrammate*,

Ἀλλὰ κάδοις Χίου με κατάβρεχε,

Ubi interpres ridiculè, *At cadis vinum effundens irriga*, pro *At* Chii *vini cadis me irriga*: ut *Tibulli* lib. 2. Elegiâ 1.

- - - Chio *ſolvite vinc'la cado.*

Et *Horatii* lib. 3. *Odâ* 19.

Quo Chium *pretio cadum.*
Mercemur? - - - - -

Et ut *cabus*, ita *cadus Hebrææ* eſt originis. Nempe ut קב *kab*, eſt *cabus*, ita כד *cad*, *cadus.* Quamvis *Hebræum* כד, pateat latiùs. Nam à *Moſe*, *Solomone*, & *Elia* ſumitur pro *hydria.* Vide *Gen.*24. *v.*14. *Eccleſ.* 12. *v.*8. & 1. *Reg.*18. *v.*34.

Aliorum ſententiis ita expenſis, jam ſupereſt, ut noſtram quoque proferamus. Quæ ut ſtabiliatur, primò hoc ponendum ut certiſſimum, per columbinum ſtercus cibi genus ſignificari. Alioqui nulla eſſet in hac oratione ſeries. *Fames erat magna* Samariæ: *nam caput aſini venibat octoginta argenteis, & quarta pars cabi ſtercoris columbini quinq; argenteis.* Porro cum probatum ſit columbarum ſtercus, ut vulgò accipiuntur hæ voces, nullo modo eſſe in cibis, iis aliud ſignificari neceſſe eſt. Qua de re cum *Arabes* conſuluiſſem, reperi duo quædam eſſe hoc Epitheto apud illos inſigniri ſolita. Quorum unum illud eſt, quod alio nomine vocatur كوز كندم *kuz kendem*, vel جوز جندم *gianz gendem*, id eſt, nucem à loco ſic dicto. Nux enim *Perſicè* كوز *kuz*, & *Arabicè* جوز *gianz* dicitur. Et *Kendem*, vel *Gendem* eadem vox. Nam *Caph Perſicum* ibi ſonat *G* propter tria puncta ſuperpoſita. Porrò de hac nuce ſic *Avicenna* lib. 2. *Can.* كوز كندم الماهية هو خفيف كالاشنة طيني وبالرقة يسمونه خرا الحمام وببغداد يسمي جوز جندم الاختيار اجوده البربري والدفني ضعيف Kuzkendem, *quid eſt? Res eſt levis, ut muſcus arboreus, lutea. Quam in urbe Racca* (ad *Euphratem* infra *Samoſatam* in *Meſopotamia*) *vocant ſtercus columbarum. Et Bagdadi gianz Gendem. Electio. Optima eſt Barbarica, ſed Daphnenſis eſt debilis.* Reliqua ibi vide. Idem alibi, جوز جندم الطبع قال بولس له قوة مبردة مطفية مجففة قليلا *Gianz*, ſeu nux *Gendem. Natura ejus. Dixit* Paulus *virtutem habere refrigerandi, extinguendi & exſiccandi parumper.* Sed ibi omiſſa eſt definitio, quæ in *Latina* verſione ſic habet. *Nux Kendem quid eſt? Eſt terra granoſa ſicut cicer, alba, declinans, ad citrinitatem, quæ exportatur de Barca, & de Coraſcena, ex qua cum melle fit vinum.* Quæ definitio ſi vera eſt, nihil nos juvat. Eſt enim terræ ſpecies, quarum nulla eſt eſculenta.

Sed & aliud eſt genus columbini ſtercoris apud *Arabes*, ab hoc plane diverſum. Nempe idipſum, quod vulgò vocatur *uſnen.* Id enim alio nomine appellari conſtat *ſtercus paſſerum*, aut *columbarum. Avicenna* lib. 2. اشنان الماهية هي انواع الطفها الابيض ويسمي خرو العصافير Uſnen *quid eſt? Plurium eſt ſpecierum, quarum ſubtiliſſima eſt alba, & vocatur ſtercus paſſerum.* Sylvaticus, *Stercus*

cus paſſerum uſnen. Giggeius, الاشنان *Aluſnen, pulvis abſtergens, qui dicitur ſtercus columbinum.* Idem alibi, الحرض *Alhord, uſnen, ſeu ſtercus columbinum.* Item, خرو العصافير *ſtercus columbinum, pulvis quidam abſterſivus.* Item, الوشنان *ſtercus columbinum, pulveris medicinalis genus.* At neque ſic res eſt confecta, quia non ſatis ſcitur quid propriè ſit *uſnen*. Plerique idem eſſe ſtatuunt, quod القلي *alkali*, à quo vocatur ſal notiſſimum. Pandectarius. *Sal* alkali *fit in hunc modum, Accipe de herba aliter dicta uſnen,* &c. Idem, *Antiſilos* (lege *anthyllion*) *vel antilis* (lege *anthyllis*) Græcè, Arabicè *uſnen*, Latinè *ſalſola, eſt herba, de qua fit ſal alkali.* Et alibi, *Uſnen,* &c. *herba eſt, cujus folia ſunt ſimilia vermiculari vel lenticulæ, habens ſalſum ſaporem, ex qua fit ſal. Scaliger* in *Cardanum* Exercitat. 104. Sect. 18. *Chali* (melius *kali*) *Arabes plantam vocant, quam nos Sodam. Frutex eſt in provincia Narbonenſi. Eo trito & preſſo id efficiunt quod ſalicornum dicunt, alii ſodam, alii alumen catini, à pelvis facie, in quam diſtillat ſuccus,* &c. *Apud Serapionem dicitur uſnen.* Giggeius, اشنان القلي *alkali*, &c. *vel uſnen.* Golius, اشنان *Uſnen, herba* alkali, *& cineres, qui inde conficiuntur optimi & magna copia in* الحوران *Auranitide Syriæ regione.* Item, بلس *bils*, idem quod اشنان *uſnen. Cineres alkali.* Sed & *Alcanzium*, vel *Alchindum*, Medicum *Arabem* celeberrimum, & *Avicennæ* propè æqualem, in ea ſententia fuiſſe inde colligas, quod in capite *De uſnen* ea omnia deſcribit penè ad verbum, quæ de *kali* dixerat *Avicenna*; ac ſi *uſnen*, & *kali*, nihil inter ſe differant. Quæ partim vera, partim falſa ſunt, قلي *kali* tam *Arabibus*, quam *Hebræis*, *toſtum*, ſeu *frictum* ſonat. Itaque *uſnen* toſtum, ut ex cinere ejus fiat lixivii, ſeu ſaponis ſpecies, rectè vocatur *kali*. Et hoc nomine etiam *Hebræis* notum eſt, qui ſcribunt קליא *kalia*, in Tractatu *Talmudico Erubim* cap. 3. fol. 28. b. In *Pomario* קליא definitur עשב שנשרף ומשימין אפרו בבורית, *Herba ſpecies, cujus combuſtæ cinis in ſapone ponitur*, Et in *Aruch* עשב שורפין ונותנין אותו בבורית ורוחצין ידיהם, *Herba, quam combuſtam in ſapone ponunt, ut ea lavent ſibi manus.* Quod ipſum dicunt *Arabes* de ſuo ſive اشنان *uſnen*, ſive قلي *kali*. Itaque à Nomine اشنان *uſnen* Verbum تاشن factum Cl. *Golius* reddit, *Cineribus alkali, ſeu lixivio eorum manus detergit.* Et *Alcamus*, غسل يده فيه *Eo lavit manum ſuam*, quia utile eſt للجرب والحكة *ad ſcabiem & pruritum*, ut ibidem habetur. Sed, quod volunt *Sylvaticus*, *Scaliger*, *Salmaſius* in *Solinum*, & recentiorum alii, hoc ſive *uſnen*, ſive *kali*, eſſe noſtram *ſodam*, aut *ſolidam*, ex qua vitrum conficiunt, id verò non conceſſerim, niſi de una aliqua ſpecie. Quia doctiſſimi *Arabum uſnen*, vel *kali*, in genere *ciceris* ſpeciem eſſe docent, quod cum noſtra *ſoda*, aut *ſolida* nihil habet commune. *Abuchanipha*, اجناس الاشنان كثيرة وكلها من الحمص والاشنان الحرض الذي يغسل به الثياب *Genera* uſnen *multa ſunt, quæ omnia ſunt ex ciceribus* (ſi venia ſit verbo) *&* uſnen *eſt* alhord, *quo lavantur veſtes.* Quibus conſona hæc *Serapionis* capite 257. Uſnen *eſt herba calidiſſima, cujus ſpecies ſunt ex* amoch (lege *ex amos*, من حمص *ex ciceribus*) *&* uſnen *eſt* haron (lege *hord* (حرض) *& eſt id, quo lavantur panni.* Rurſus alibi *Abuchanipha*, القلي يتخذ من الحمص واجوده ما يتخذ من الحرض وهو قلي الصاغين وساير ذلك الزجاجين Alkali *ex cicere ſumitur; ſed optimum eſt, quod ſumitur ex* alhord, *quod eſt* kali *tinctorum; ut reliqua vitrariorum.* Albacra, الاشنان نبات لا ورق له وله اعضان دقاق شبه العفر وهي رخصة كثيرة الما وتعظم حتى يكون له خشب غليظ يتوقد به وناره حر جدا ورايحته ودخانه كريهة وطعمة الي الملوحة وهو من الحمص Uſnen *planta eſt ſine foliis, ramos habens tenues radici ſimiles, teneros, multi humoris, qui creſcunt, donec ſit in ipſis lignum denſum, quo accenditur ignis, qui valde calidus eſt. Odor & ſuffitus ejus eſt execrandus, ſapor ſalſuginoſus. Eſt autem in genere ciceris.* Alcamus, القلي شبي يتخذ من حريق الحمص Alkali, *res, quæ accipitur ex aduſtione ciceris. Abenbitar ex Abuchanipha* capite قاقلي *kakeli* هو من الحمص والناس ياكلونه مع اللبن وهو مثل الاشنان الا ان القلام اعظم منه وورقه شبيه بورق الحرف *Eſt ciceris ſpecies, quæ cum lacte comeditur, & eſt ut* uſnen, *niſi quod majorem habet calamum, & folium ſimile folio naſturtii.* Giggeius, الغولان Algaulano, *ciceris genus ſimile* aluſnen.

Quid quod 2. *Sam.* 17. *verſ.* 28. *Hebræum* קלי *kali*, ab *Hieronymo* redditur *frixum cicer?* Quod iis novum videbitur, qui ſciunt *Hebræum kali* non ſignificare *cicer*, ſed *fruges toſtas*, *Levit.* 23. *v.* 14. *Ruth.* 2. *v.* 14. 1. *Sam.* 17. *v.* 17. & *cap.* 25. *v.* 18. &c. Tamen haud dubiè recta eſt *Hieronymi* verſio. Ibi enim ad *Davidem* in deſerto fugitivum *Ammonitæ* & *Galaaditæ* attuliſſe narrantur *triticum, & hordeum, & farinam*, וקלי, *&* kali, *& fabas, & lentes*, וקלי, *&* kali. Itaque in eodem verſu nomen *kali* bis repetitum eſt. Et prius quidem, tritico, ordeo, & farinæ junctum, ſignificat *toſtas fruges*. Sed poſterius, quod ſequitur fabas, & lentes, toſtum aut frictum aliquod legumen ſonat, nempe *frictum cicer*. Nam cicer frigi aut torreri ſolebat. Itaque in *Ariſtophanis* fabula *Pace*, ruſticus deſcribitur

Ar-

Ἀνθρακίζων τὠρέβινθον,

cicer ſuper carbones torrens. Et in Ἐκκλησιαζουσῶν pagina ſecunda *Scholiaſtes*, Ὑποπλεοντες ἔκοπτον φρυκτὰς ἐρεβίνθους, *Largius pots frictum cicer tundebant.* Sed & *fricti ciceris* non ſemel meminêre *Romani* Scriptores. *Plautus* in *Bacchidibus* Actus quarti Scena quinta,

Tam frictum ego illum reddam, quam frictum eſt
cicer.

Horatius in *Arte*,

Nec ſiquid fricti ciceris probat, aut nucis emptor.

Caſſianus Collat. 8. cap. 1. *Superintulit caniſtrum habens cicer frictum, quod illi* trogalia *vocant.* Τρωγάλια, id eſt, *bellaria.* Et *frictum cicer Arabes* hodieque قلي *kali* vocant, ut jam modo docuimus. Proinde *Hebræi* omnes in *Samuelis* loco, quem diximus, duo genera τῦ *kali* agnoſcunt: quorum ut prius ex frugibus, ita poſterius מקטניות, *ex leguminibus*, vel ממיני קטניות, *ex leguminum ſpeciebus.* Ita *Kimthius*, & *R. Levi*, & *R. Eſaias* in eum locum. Et *R. Selomo kali* poſterius ita deſcribit וקלי ממינים של קטניות מיבישין אותו בתנור כשהן לחין והם מתוקין לעולם וטוחנין אותן ועושין מה סמאכל שקורין שתית, Kali *ſunt leguminum ſpecies, quæ adhuc recentia in furno exſiccantur, & ſemper manent dulcia, & commoluntur; & fit ex iis cibus, quem vocant* ſethith. Quod ſumptum eſt ex *Talmudico* Tractatu *De idololatria* cap. 2. fol. 38. a. ubi *Barzillas Galaadites Davidi* miſiſſe legitur תרי מיני שתיתא, *duas ſpecies ſethithæ*, id eſt, duas ſpecies *kali*: & ibi *Gloſſa*, שתיתא תבשיל העשוי מקמח של קליות שייבשין בתנור ויש שעושין אותו מקמח עדשין ולפי שהן מתוקין יותר מדאי נותנים שם חומץ, Sethitha *eſt pulmentum factum ex farina* τῦ kali *in furno exſiccata. Sunt etiam, qui faciunt ex farina lentium, quibus, quia ſunt prædulces* (id eſt, *fatuæ*) *acetum infunditur.* Et verum eſt, quod שתיתא *ſethitha* fieri dicitur ex lentibus. Nam in Tractatu *Gittin* capitis ſeptimi folio ſeptuageſimo a. in ipſo *Talmudis* textu memoratur שתיתא דטלפחי, *ſethitha ex lentibus.* Sed quod de aceto additur puto eſſe σφάλμα *Gloſſatoris*, qui alicubi legerat hoc pulmentum fieri *ex lente*, חמצא, *& cicere.* Et pro *cicere acetum* intellexit, quia *Chaldaicè* חמצא chimtza, *cicer*, & חמצא chumtſa, *acetum*, iisdem ſcribuntur literis. Utut ſit *uſnen*, ſeu *kali*, *cicer* eſſe, vel ciceris ſpeciem, abundè probavimus. Et cur vocetur קלי *kali*, docuimus, nempe quia torretur, aut frigitur. At اشنان *uſnen*, vel وشنان *vvſnen* potius, ut multi ſcribunt, fit à Verbo وشن quod de terra, camelo, &c. *tumere* ſignificat, & *eminere.* Unde *cicer* meritò *uſnen* appellatum, propter inæquales angulos, quibus tumet, atque eminet. Neque enim piſi inſtar rotundum eſt, ſed anguloſum, & turbinatum. At quorſum *ſtercus paſſerum* aut *columbarum* appelletur, planè me latet. Tantum ſcio ſic appellari. Neque dubium, quin nux *Kendem*, vel *Gendem*, ob id ipſum vocetur *ſtercus columbarum*, quod granis ſeu calculis ſuis ciceris formam imitetur. Eſt enim *terra granoſa, ſicut cicer*, ut habet *Avicenna* vetus interpres ubi ſupra.

Cum igitur in Sacro textu legimus in fame *Samaritica* quartam partem cabi columbini ſtercoris veniſſe quinque argenteis, quidni cicer, vel ciceris ſpeciem intelligamus? Certè ſic omnia bellè quadrabunt. 1. Primò enim in *Judæa* cicer fuiſſe notiſſimum, præter aliquot loca *Talmudis*, docet Sacra Hiſtoria loco ſupra citato ex 2. *Sam.* 17. *v.* 28. ubi *Galaadita* & *Ammonita Davidi* inter cætera קלי *kali*, id eſt, *frictum cicer* afferunt. Proinde חמצה, id eſt, *Emeſa*, urbs illuſtris in confinio *Judææ*, quæque habuit Reges ſuos, à cicere videtur dicta. *Bellonius Singularium* libri ſecundi capite quinquageſimo tertio, obſervat in *Ægypti* urbe *Cairo* multas eſſe officinas, in quibus nihil venditur præter frictum cicer, quod magna copia comparatur à peregrinis, qui quotannis inde *Meccham* proficiſcuntur. Et capite nonageſimo nono, idem de *Damaſco* refert. *Damaſci*, inquit, *plures ſunt officinæ, in quibus frigendo ciceri omnes vacant.* Erevithia *vocant* (ἐρεβίνθια) *Græco nomine. Illa autem in æreis ſartaginibus fricta, & exſiccata, iis percommoda ſunt, qui longum iter ſuſcipiunt.* 2. Præterea cabus tam leguminum, quam frugum eſt menſura. Nempe legumina æquè ac fruges grana ſua habent, quæ deſignant *Arabes* communi nomine حبوب. 3. Per *ſtercus columbarum* vile aliquod cibi genus ſignificari patet in his verbis Sacri textus, *Caput aſini venibat octoginta ſiclis, & quarta pars cabi ſtercoris columbarum quinque ſiclis.* Ibi enim cum *aſini capite* confertur *ſtercus columbarum*: & illud quidem octoginta ſiclis, hujus cabi quarta pars quinque ſiclis venalis erat. Cabo igitur integro, quæ cibi diurni menſura eſt, pretium erant viginti ſicli, & cabis quatuor octoginta ſicli. Quo pretio tunc venibat caput aſini. Itaque quidquid ibi intelligas per *columbinum ſtercus*, viliſſimum fuiſſe cibum planè neceſſe eſt, cùm ejus cabi quatuor, id eſt, quantum homini ſobrio ad quatriduanum victum ſufficiat, non pluris æſtimati fuerint, quam unius aſini caput. Porrò inter cibos uſu receptos vix quidquam eſt cicere vilius. Proinde nonniſi frugalium aut tenuiorum cibus eſt cicer. Ita in *Ariſtophanis Pace*, ut jam ſupra notatum, ruſticus quidam optat eſſe cum ſodalibus.

Ἀνθρακίζων τὠρέβινθον,
Τὴν τε φηγὸν ἐμπυρεύων·

Cicer ſuper carbones torrens, & faginam glandem ad ignem aſſans. In *Alexi Comico* apud *Athenæum* libro ſecundo vetula quædam, inopiam ſuam deflens, inter plebeios cibos, quibus miſeram vitam ægrè ſuſtinet, ἐρέβινθον, & λάθυρον recenſet, id eſt, *cicer*, & *cicerculam*. *Horatius* libri primi *Satyra* ſexta, ut ſe parvo contentum eſſe doceat, & victum tenuem ſibi ſufficere,

\- - - - - - - - - *inde domum me*
Ad porri & ciceris refero laganiq; catinum.

Et in *De Arte* iis, qui ex fricto cicere & nucibus victitant, divites ſic opponit,

Offenduntur enim, quibus eſt equus, & pater, & res;
Nec ſi quid fricti ciceris probat, aut nucis emptor,
Æquis accipiunt animis, donantve coronâ.

Unde illud *Martialis* lib. 5. Epigramm. 79.

Et fervens cicer, & tepens lupinus,
Parva eſt cœnula, quis poteſt negare?

Et lib. 1. Epigramm. 104. ubi de avaro *Scævola*, qui genium ſuum defraudabat;

Et Vejentani *bibitur fæx craſſa rubelli:*
Aſſe cicer tepidum conſtat, & aſſe Venus.

Et ejuſdem libri Epigramm. 42.

\- - - - - - - - - - *otioſa*
Vendit qui madidum cicer coronæ. - -

Id eſt, qui plebeculæ feriatæ, Circoque, & ſcenæ vacanti viliſſimos cibos venditat, in quibus maceratum cicer. Eodem facit, quod *Romæ* in ſpectaculis qui honores ambibant, plebeculæ gratiam capturi, inter miſſilia, cum fabis, & lupinis, cicer ſpargebant. Quo alludunt hæc *Horatii* lib. 2. *Satyrâ* 3.

In cicere, atq; faba, bona tu perdaſq; lupinis,
Latus ut in Circo *ſpatiere, atq; æneus ut ſtes.*

Et hæc *Perſii Satyrâ* 5.

\- - - - - - - - *cicer ingere largè*
Rixanti populo, noſtra ut Floralia *poſſint*
Aprici meminiſſe ſenes. - - - -

Sic

Sic in *Ægypti* eremo *Scetica*, ubi Monachi miram frugalitatem profitebantur, frictum cicer illis pro cibo fuit. *Caſſianus*, ubi ſuprà, de *Sereno Abbate*; *Superintulit canistrum habens cicer frictum, quod illi* trogalia *vocant, ex quibus quina tantùm ſumpſimus grana.* Hinc *Tertullianus cicerculam* pro *re minimi pretii* uſurpat, cum in *Marcionem* ſic ſcribit libri primi capite undecimo, *Unam ſaltem cicerculam Deus* Marcionis *protuliſſe debuerat, ut novus aliquis* Triptolemus *prædicaretur.* Sed & apud *Græcos* ἐρέβινθινος, id eſt, *cicernus*, pro *vili* ſumitur. *Heſychius*, Ἐρεβίνθινος Διόνυσος, οὐδενὸς ἄξιος, παρά τινα παροιμίαν ἐρεβίνθινος ζωμός· *Cicernus Bacchus* (cicernum vinum) *id eſt, nullius pretii; Proverbio quodam ità vocatur jus cicernum.* *Suidas* item, Ἐρεβίνθινος Διόνυσος, ἐπὶ τῶν μηδενὸς ἀξίων. *Cicernus Bacchus, de rebus nullius pretii.* *Plutarchus* in *Rom. Quæſt.* capite 95. τὸν λάθυρον, καὶ τὸν ἐρέβινθον, *cicerculam, & cicer* obſervat nonnullis fuiſſe cibos vetitos, & exoſos, ſed joculari de cauſa: nempe ὡς παρωνύμους τῆς Ἐρέβους, καὶ τῆς Λήθης, *tanquam ad Erebum, & Lethen* (Inferorum amnem) alludentes. Nam, ut ad *Erebum* ἐρέβινθος, ità λάθυρος ad *Lethen*. Addit leguminum plurimum fuiſſe uſum πρὸς τὰ περίδειπνα, καὶ τὰς προκλήσεις τῶν νεκρῶν, *in feralibus cœnis, & ad mortuorum evocationes.* Sed ad fabam potiùs aut lentem id pertinet. De faba enim *Plinius* lib. 18. cap. 12. Pythagoricâ *ſententia* (fabacia) *damnata, ut alii tradidêre, quoniam mortuorum animæ ſint in ea. Quâ de cauſa parentando utique aſſumitur.* Varro *& ob hæc* Flaminem *eâ non veſci tradit, quoniam & in flore ejus literæ lugubres reperiuntur.* Et Feſtus, *Fabam nec tangere, nec nominare,* Diali Flamini *licet, quod ea putatur ad mortuos pertinere. Nam &* Lemuralibus *jacitur larvis, & parentalibus adhibetur ſacrificiis, & in flore ejus luctus literæ apparere videntur.* Quale eſt, quod lentem veteres cenſent inter τὰ πένθιμα *lugubria*, καὶ προτίθεσθαι τοῖς νεκροῖς *& mortuis apponunt*, ut notant *Plutarchus* in *Craſſo*, & *Appianus* in *Parthicis*. A qua ſuperſtitione *Judæos* non fuiſſe prorſus immunes teſtantur hæc *Hieronymi* ad *Paulam* de *Bleſilla* obitu, *Flentesque hodiè* Judæi, *& nudatis pedibus in pulvere volutati ſacco incubant: ac, ne quid deſit ſuperſtitioni, ex ritu vaniſſimo* Phariſæorum, *primum cibum lentis accipiunt, videlicet oſtendentes quali edulio primogenita perdiderint.* At de cicere ſolùm in *Plinio* reperi religionem illud pervigiliis adhibere. Si tamen cum faba & lente cicer etiam, & cicercula ad ferales pertinuit cœnas, ut videtur *Plutarchus* ſubinnuere, cum quæ afferuntur parùm ſint ad rem, veteres crediderim nihil aliud ſpectâſſe, quàm quod lugubre tempus decent tenues & frugales cibi, ut ſunt legumina omnia, quæ corpus quidem implent, ſed parum alunt. Proinde princeps *Eunuchorum Nabuchodonozoris* timuit, ne ſi *Daniel*, & ſocii leguminibus veſcerentur, vultus eorum triſtiores & macilentiores viderentur, quam reliquorum adoleſcentum, quos habebat Rex in comitatu ſuo. Vide *Dan.* 1, 8. &c. Notandum ibi verſu 12. & 16. legumina non dici קטניות, ut alibi ab *Hebræis*, ſed זרעים, vel זרענים. Quæ vox generalior eſt. Nam זרעים, vel זרענים ſunt quævis ſemina. Proinde *Græca* verſio, quæ *Theodotionis* eſt, habet σπέρματα. Et *Maimonides* ſic definit quid ſint זרעונים, *ſemina*, in Tractatu *De heterogeneis* capitis 1. cap. 8. הזרעונים

נחלקין לשלשה חלקים האחד מהם הוא הנקרא
תבואה והיא חמשה מינין החטים והכוסמין והשעורין
ושבלת שועל׳ והשיפון והשני מהן הוא הנקרא קטניות
והן כל זרעים הנאכל׳ לאדם חוץ מן התבואה כגון
הפול׳ והאפונים והדוחן והאורז והשומשמין והפרגין
והספיר וכיוצא בהן והשלישי מהן הוא הנקרא זרעוני
גנה והן שאר זרעונין שאינן ראוין למאכל׳ אדם
והפרי של׳ אותו הזרע מאכל׳ אדם כגון זרע
הבצלין והשומין וזרע החציר והקצח וזרע לפת
וכיוצא בהן

Semina dividuntur in tres ſpecies. Prima eſt eorum, quæ vocantur proventus (fruges σιτώδη) *Eorum ſunt quinque ſpecies, triticum, ſpelta, ordeum, ſpica vulpis* (avena, cujus ſpica caudæ vulpis ſimilis eſt) *ſecale. Secunda eorum, quæ legumina vocant, id eſt, omnia ſemina: quæ ab homine comeduntur præter fruges, ut faba, piſa, panicum, oryza, ſeſamum, papaver, cicercula, & ſimilia. Tertia eorum, quæ vocantur hortenſia ſemina, quæ quidem ipſa non ſunt apta ad eſum; ſed quod ab iis provenit ab homine comeditur, ut cepe, allia, porri, nigella, rapa, & ſimilia.* Tamen in *Daniele* זרעי ὄσπρια *legumina* explicant *Joſephus* & *Græcus Scholiaſtes*, *Tertullianus*, *Hieronymus*, *R. Selomo*, *Saadias Gaon*, *Aben Ezra*, *Joſeph Jachiæ* filius, &c. Et tam potuêre *Hebraicè* זרעים, id eſt, *ſemina* nominari, quàm *Græcè* ὄσπρια. Dicuntur enim ὄσπρια, pro σπόρια, ἀπὸ τῆς σπορᾶς *à ſatu*. Itaque *Græcum* hoc nomen prorſus reſpondet *Hebraico*. Sed & *Græcè* vocantur χέδροπα quaſi χειρόδροπα, ut *Latinè legumina*, quia manu leguntur. Quo reſpiciens *Nicander Theriacῶν* verſu 752. ait.

> Χειρόδροπα δ' ἵνα φῶτες ἄνευ δρεπάνοιο λέγονται
> Ὄσπρια, χέδροπά τ' ἄλλα, μεσοχλόου ἐντὸς ἀρούρης·

Ubi manulegi homines ſine falce legumina, atque alia ejus generis, legunt in ſemi-virente terra. His obſervatis ſtatim patebit, quorſum velit *Joſephus* columbinum ſtercus *Samaritanis* fuiſſe loco ſalis. *Theophraſtus* (*De cauſis plantarum* libri quarti capite nono) exquirens, quibus de cauſis cicer aliis leguminibus citiùs matureſcat, inter cætera hanc affert, Ἡ ἅλμη πρὸς τὴν τελείωσιν συμβάλλεται, *Salſedo* ciceris *ad* promptam illam *maturitatem confert.* Et libri quinti capite undecimo, Ὁ ἐρέβινθος ἀπόλλυται σφακελίας, ὅταν ἀνθοῦσιν ὕδωρ ἐπιγινόμενον ἐκπλύνῃ τὴν ἅλμην· τὸ γὰρ ἵφαλμα διεσφακελίζειν δεῖ. *Cicer ſphaceliſco perit, cum in flore ſalſuginem imber eluit: ſalſuginis enim jactura ei veluti ſphaleciſmus eſt.* *Cato* quoque de cicere, *Ruſticorum* capite trigeſimo ſeptimo; *Si carioſam in terram jacies cicer, quod vellitur ſalſum eſt, & malum.* Et *Columella* libri ſecundi capite decimo quarto, Tremellius *obeſſe maximè ait ſolo virus ciceris, & lini: alterum, quia ſit ſalſa; alterum, quia ſit fervida natura.* Et *Plinius* libri decimi octavi capite duodecimo, *Ciceris natura eſt gigni cum ſalſedine, ideò ſolum urit.* Et libro decimo ſeptimo, *Commune omnium ſatorum vitium urica, etiam ciceris, cum ſalſilaginem ejus obluendo imber dulcius id facit.* Id *Galenus* libro ſexto *De ſimplic.* *amaritudinem* vocat, cum de ciceribus dicit, Μέτεχουσι δέ τι καὶ τῆς πικρότητος· *Etiam amaritudinis aliquid habent.* Et de cicere ſylveſtri, Δριμύτερός τ' ἐστι, καὶ πικρότερος, *Acrius eſt, & amarius.* Sed *amarum* pro *ſalſo* poſuit, ut cum *Poeta* dicit de mari,

> Doris *amara ſuam non intermiſceat undam.*

Proinde ex ciceris quodam genere, ut notavimus, *Arabes* celeberrimum illud ſal eliciunt, quod indè vocatur *ſal alkali*, id eſt, *ſal adusti ciceris.* Ad locum igitur, in quo verſamur, cum monuiſſent *Hebræi* vetuſtiores ſtercus columbarum id eſſe, unde elicitur ſal: id mala manu acceptum à *Joſepho*, qui ſcripſit columbarum ſtercus *Samariæ* fuiſſe ἀντὶ ἁλῶν *pro ſale.* Ex quo *Theodoretus* in 4. *Reg. Quæſt.* 21. Ἡ τῆς πολιορκίας ἀνάγκη, καὶ τοῦ λιμοῦ τὸ μέγεθος ἠνάγκασεν αὐτοὺς ἀντὶ ἁλῶν κεχρῆσθαι τῇ κόπρῳ. *Neceſſitas obſidionis & famis magnitudo cogebat eos ſtercore uti pro ſale.*

CAPUT OCTAVUM.

Avem דרור *deror*, non eſſe *Hirundinem*, ut volunt, ſed Columbæ feræ ſpeciem, puta *Turturem* aut *Palumbum*.

Avis דרור deror, *à libertate dicta. Recentioribus hirundo. Potiùs columba fera*, Pſal. 84, 4. *Veteres* turturem *reddunt*, Æthiops ማህነቅ: *id eſt*, palumbum, *à torque ſic appellatum. Pullus turturis* الحر alhorro, *& palumbus mas* ساق حر ſako horrin, Arabibus *à libertate ſic dicti.* قطا kata, *vel* katta, *iisdem pro* φάττα. *Cur* φ Græcum Arabes *in K mutent.* Baſilio *columba ſunt* αὐτόνομος ἀγέλη grex liber. *Prov.* 26, 2. deror *commendatur à volatu.* Pſal. 84, 4. deror *ad altare Dei nidificat, id eſt, in Tabernaculo, aut in Templi trabibus. Idem de Palumbo* Theocritus, *& alii de livia columba. Loca* Talmudis *de* כולה עורב, *id eſt*, κορακοβάτης *ſuper tectum Templi, ad aves ab illo arcendas. Hoc fuiſſe in ſecundo Templo, & in tertio ab* Herode *extructo, non in primo à* Solomone. *Quamvis aliter ſtatuat* Eupolemus. *Hoc aves ab omnibus Templi partibus arceri non potuiſſe.*

EX avium genere una eſt, quam *Hebræi* דרור *deror*, id eſt, *libertatem*, aut *liberam* appellant; מפני שדרה בבית כבשדה *quia tam liberè verſatur in domo, quam in agro.* Ità ſtatuit *R. Iſmael* in Tractatu *Talmudico Betſa* cap. 3. pag. 24. 2. Hinc *Hebræi* recentiores, quique illos ſequuti ſunt nuperi *Lexicographi*, & *Bibliorum* interpretes, ſummo conſenſu ſtatuunt דרור *deror*, eſſe *hirundinem*: quia duæ leguntur eſſe ſpecies hirundinum,

a)Ovid. Metam. l. 6. Fab. 7

> (a) *quarum petit altera ſylvas,*
> *Altera tecta ſubit.* - - - - - -

Sed hæc ratio non ſufficit, cum & aliæ ſint aves partim domeſticæ, partim agreſtes. In his principem locum columbæ tenent, quarum unum genus κατοικίδιον *domeſticum*, alterum νομαδικὸν *vagum*, & in agris paſcens, ut in *Galeno* habetur libro decimo *De Simplic.* Quomodo etiam diſtinguit *Varro Ruſtic.* lib. 3. cap. 7. Ità tamen, ut utrumque genus in tectis habitare dicat; ſed agreſte in ſumma parte turrium, unde in agros evolet, ac remeet: cum clementius alterum, cibo domeſtico contentum, intra limina januæ ſoleat paſci. Ego nomine דרור *deror*, & agreſte hoc columbæ genus, & quaſcumque columbarum ſpecies in feris *Græci* recenſent, ſignificari puto: ſed maximè φάτταν *palumbum*, & τρυγόνα *turturem.* Huc me movet primò veterum interpretum auctoritas, qui דרור, vel *turturem*, vel *palumbum* explicant. Sic *Pſ.* 84, 4. דרור, *turtur* exponitur in *Græca* verſione, & *Vulgatâ*, *Chaldæâ*, *Syrâ*, & utraque *Arabe*, & in *Apollinaris* Paraphraſi. Sed *Æthiops* habet ማህነቅ: id eſt, *torquatum*: quo Epitheto palumbum inſigniri nemo neſcit, propter torquem, quem habet circa collum. *Martialis in Xeniis*,

> *Inguina torquati tardant hebetantque palumbi.*

Abdorrachman, *Abubecri* filius, in carmine *De repudio Atica*, uxoris olim chariſſimæ,

> ما ناح قمري الحمام المطوق

Quam luget palumbus columba torquata. Alkazuinius.

> ان بيض القماري يجعل تحت الفواختت
> وبيض الفواختت يجعل تحت القماري
> كلاهما ينفقان قماري كافورية مطوقة

Sive palumbi ova ſub phabe *ponantur, aut ova* phabis *ſub palumbo, indè nihil edetur præter palumbos camphoratos, torquatos.* Altera ducitur ex *Arabica* lingua, qua الحر *alhorro* eſt *pullus columbæ*, aut *turturis*, & ساق حر *ſako horrin* palumbus. *Alcamus*, الحر فرخ الحمامة Alhorro *pullus columbæ*, Giggeius addit, *vel turturis.* ساق حر ذكر القماري Sako horrin, *mas palumborum.* Et alibi, الوزشان طاير وهو ساق حر لحمه اخف من الحمام Alvvarſen *avis, nempe* ſako horrin, *cujus caro levior eſt, quam columbæ.* Ajunt *Arabes* à voce ſic appellari. *Ibnoſaida*, سمي القماري ساق حر لصوته فانه يقول ساق حر ساق حر *Vocatur palumbus* ſako horrin *propter vocem ſuam, quia dicit Sako horrin, Sako horrin.* Sic alia palumbi ſpecies قطا *kata*, vel *katta*, etiam à voce dici putatur. *Damir* سميت بحكاية صوتة *Nomen habet à ſimilitudine vocis.* Nempè *cum ad pullos venit*, inquiunt, *aquam ingluvie afferens*, صاحت قطا قطا *clamat Katta, Katta.* Sed merum hoc commentum eſt. Nam قطا *katta*, deflexum ex palumbi *Græco* nomine φάττα. *Græcum* φ & π *Arabes in Kaph* ſæpè mutant, quia ف *Phe*, & ق *Kaph* apud illos ſunt ejuſdem figuræ, nec niſi puncto differunt, quod *Phe* ſimplex, *Kaph* duplex habet. Proinde in *Avicenna* قوقي *kauke* ſunt *phocæ.* In *Arabico Dioſcoride* قوطوما φύτευμα, قوقي *keuke*, πεύκη قرقسيون *karkeſion*, καρπήσιον قوقس البحر *kukos albahri*, φῦκος θαλάσσιον. Neque ſcribarum id eſſe mendum, ſed auctorum, indè apparet, quod hæ voces digeſtæ ſunt per ordinem Alphabeticum, & referuntur ad literam *Kaph.* Ità igitur قطا *Kata*, vel *katta*, eſt φάττα, ſeu *palumbus*: neque à voce dicitur, ut ſibi fingunt *Arabes.* Idem judicium, de ساق حر *ſako horrin.* Nam ساق *ſako* per ſe eſt *columba mas.* Et ساق حر *ſako horrin*, *mas columba libertatis*, ſeu *liberæ*, id eſt, palumbi, vel etiam turturis, ut quidam volunt. Nam ut *Hebræum* דרור *deror*, ità *Arabicum* حر *horro*, *liberum* ſonat. Et Radix حر *harra*, *Syris*, & *Chaldæis* חרר harar, *liberum eſſe*, & *libertate donare.* Itaque quoties דרור in Sacro textu pro *libertate* ſumitur,

tur, toties pro eo Chaldæi interpretes habent חירתא, & Arabes حرية. Neque verò eſt obſcurum, cur apud Orientales columbæ feræ, & agreſtes à libertate nomen habeant. Cum etiam Baſilius Epiſtola 175. ad Julittam talium columbarum turmam appellet αὐτόνομον ἀγέλην liberum gregem, & ſuis legibus utentem. Græcè enim αὐτόνομος idem, quod ἐλεύθερος. Hinc eoſdem populos Thucydides libro ſecundo promiſcuè vocat αὐτονόμους, & ἐλευθέρους. Et apud Plutarchum in Dialogo De Dæmonio Socratis, Epaminondas profitetur ſe civem ἐλευθέρας καὶ αὐτονόμου πόλεως. Et Demoſthenes in prima Philippica de populis, qui Philippi partium erant, αὐτονομούμενα καὶ ἐλεύθερα (ἰδοῦ) ὑπῆρχε. Itaque Iſocrates ſervituti opponit αὐτονομίαν, Græcos habuiſſe dicens ſub Evagora ἀντὶ δουλείας αὐτονομίαν. Quocirca Hebræum דרור deror, ex Baſilio rectè verteris αὐτόνομον περιστεράν.

In Scripturæ duobus locis, quibus pro ave occurrit דרור deror, nihil eſt, quod vel minimum huic interpretationi repugnet. Prov. 26, 2. דרור commendari videtur à pernicitate volatûs, quâ vel cum quâvis alite decertare poſſe columbam ſuo loco docuimus. Et Pſal. 84, 4. ingemiſcit Pſaltes, ſortem ſuam conferens cum viliſſimis avibus, paſſere puta, & דרור deror, id eſt, agreſti columba, quibus ad altare Dei non modò liber acceſſus, ſed & ibi nidificare, & pullos excludere conceſſum: dum ipſe vagus erat, & extorris, & ab æde ſacra remotus. In altaris nomine figuram eſſe oportet. Neque enim in tanta hominum & ſacrificiorum frequentia tuta fuiſſet avibus in ipſo altari commoratio. Itaque altare pro Tabernaculo ponitur, vel pro Templo. Pro Tabernaculo, ſi David loquitur in hoc Pſalmo; pro Templo, ſi quis alius poſt Davidem. Dubitant enim Hebræi, ut ex Kimchio diſcere eſt. Utut ſit, tam Tabernaculum, quam Templum (b) nitebatur magnis trabibus cedrinis, & ἀρκευθίναις, in quo cedri genere palumbum libenter nidificare docent hæc Theocriti Idyl. 5.

Κἠγὼ μὲν δωσῶ τᾷ παρθένῳ αὐτίκα φάσσαν,
Ἐκ τᾶς ἀρκεύθω καθελών, τηνεὶ γὰρ ἐφέσδει.
At mea, tu felix, donabere virgo palumbo,
Cui ſuus arceuthi celſâ latet in trabe nidus.

b) Philo De vita Moſis, lib. 3. & 2. Par. 2, 8.

Sed & liviam columbam in templis nidificare aſſerunt Albertus & Turnerus. Et ex Herodoto (c) notum quid Ariſtodico acciderit, cum ἐξαίρεε τοὺς στρουθούς, καὶ ἄλλα ὅσα ἦν νενοσσευμένα ὀρνίθων γένεα ἐν τῷ νηῷ, *paſſeres exemit, aliaque avium genera, quæ in Templo nidulabantur.* Hebræi quidem ullas aves Templo Hieroſolymitano inſediſſe negant, quia aves id abigebat, quod כלה עורב vocabant in ſummo tecti faſtigio poſitum. Kimchius in Pſal. 84. בגג הבית עשו דבר שם כדי שלא ינוח שם עוף והיו קורין אותו כלה עורב. *Aliquid fecerunt in templi tecto, ne aves ibi quieſcerent, quod vocabatur* chole oreb, id eſt, *arcens corvos.* Hujus in Talmude frequens mentio. Sic in Tractatu Middoth cap. 4. fol. 71. a. in Gloſſa. וכלה עורב מאבד העורבים לפי שהיה מקיף ההיכל למעלה מן המעקה מארבע רוחותיו בחשק של ברזל גובה אמה חד כמו הסיף כדי שלו ישב עליו שום עוף על ההיכל מפני שנחתכים רגליו באותו הסיף, *Et* chole oreb *perdebat corvos, quia Templum cingebat ſuper loricam à quatuor ventis ferreo cingulo cubitum alto, gladii inſtar acuto, ne ulla avis Templo inſideret, quia per gladium illum pedes ejus exſcindebantur.* Et in Tractatu De Sabbato cap. 9. fol. 90. a. ad vocem לכליא עורב (ità enim ibi habetur) Gloſſator ſcribit טבלאות של אמה היו עושין הן חדין כסכין סביבותיה ומסמרין חדין בכלן ומחפין בהן גגו של היכל למנע את העורבים מלישב, *Tabulas cubitales faciebant in circuitu in modum cultri acutas, & acutis clavis omnes inſtructas, quibus Templi tectum tegebant ad corvos arcendos, ne illi inſiderent.*

c) Herod. lib. 1. cap. 159.

Et in Tractatu Menachoth cap. 13. fol. 107. a. כלה העורב Gloſſa definit מסמרות חדין תחובין בראש גג ההיכל לכלות העורבים שלא ישבו עליו, *clavos acutos ſummo Templi tecto defixos, ad prohibendos corvos, ne ſuper illud ſedeant.* Et alia Gloſſa ibidem, כמין טבלה חדה וקפה על צדה וחדודה לחתוך כמו סכין, *Speciem tabulæ acuta in latus erecta, & cultri inſtar aciem habentis ad incidendum.* Et Aruch, עשה צורה להבריח בה העופות מגג ההיכל כדרך שעושין עכשיו שומרי זרעים. *Faciebant* μορμολύκειον, *quo aves è Templi tecto fugarent, ut nunc faciunt, qui ſata ſervant.* Et rurſus במקדש ראשון ששכינה שרויה בו לא היו צריכין כלה עורב שלא היו עופות פורחין עליו אבל במקדש שני שלו היתה קדושתו כקדושת ראשון הוצרכו לכלה עורב. *Quia in primo Sanctuario habitabat Divina majeſtas, non opus erat* προβασκανίῳ. *Aves enim in illud non volabant. Sed illo opus fuit in ſecundo, quia ſecundi ſanctitas non fuit qualis primi.* Tamen etiam in Templo Solomonis tale aliquid deſcribitur ab Eupolemo, cum eum feciſſe dicit (d) δακτυλίους δύο χαλκοῦς ἁλυσιδωτούς, καὶ στῆσαι αὐτοὺς (lege δικτύας δύο χαλκᾶς ἁλυσιδωτάς, καὶ στῆσαι αὐτὰς) ἐπὶ μηχανημάτων ὑπερεχόντων τῷ ὕψει τὸν ναὸν πήχεις κ', καὶ σκιάζειν ἐπάνω παντὸς τοῦ ἱεροῦ, καὶ προσκρεμάσαι ἑκάστῃ δικτύῳ κώδωνας χαλκοῦς ταλαντιαίους τετρακοσίους, καὶ ποιῆσαι ὅλας τὰς δικτύας πρὸς τὸ ψοφεῖν τοὺς κώδωνας, καὶ ἀποσοβεῖν τὰ ὄρνεα, ὅπως μὴ καθίζῃ ἐπὶ τοῦ ἱεροῦ, μηδὲ νοσσεύῃ ἐπὶ τοῖς φατνώμασι τῶν πυλῶν, καὶ στοῶν, καὶ μολύνῃ τοῖς ἀποπατήμασι τὸ ἱερόν, *retia duo area annulis conſerta, & machinis impoſuiſſe, quæ viginti cubitis ſupra Templum eminebant, & totum illud obumbrabant, & ex ſingulis retibus appendiſſe tintinnabula quadringenta magni ponderis, & tota illa retia ſic adaptâſſe, ut ſonarent tintinnabula, & aves ſonitu ſuo abigerent, ne Templo inſiderent, & in portarum aut porticuum laquearibus nidificarent, & ſtercoribus ſuis Templum pollueret.* Sed libro primo Regum, ubi Solomonis Templum accuratè deſcribitur, nihil tale reperias: ut neque in Joſepho, quamvis idem ſcribat de Templo ab Herode exſtructo De bello Jud. lib. 6. cap. 6. Κατὰ κορυφὴν δὲ χρυσοῦς ὀβελοὺς ἀνεῖχε τεθηγμένους, ὡς μή τινι προσκαθεζομένῳ μολύνοιτο τὸ ἔργον, *In ſummo autem aureis verubus horrebat acutiſſimis, ne ab inſidentibus avibus pollueretur.* Quæ deſcriptioni τοῦ כלה העורב à Talmudicis traditæ ſunt conſona ſatis. Pone tamen etiam Solomonis Templum in tecti vertice hujuſmodi verubus inhorruiſſe: hoc quidem aves à ſummo, non tamen à toto tecto, aut ab aliis Templi partibus arcuiſſet. Si ἐπὶ τὸ πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ *ſuper pinnaculum Templi* ſtare potuit Chriſtus illæſus Matth. 4, 5. quantò magis aviculæ?

d) Vide Euſebium lib. 9.

CAPUT NONUM.

De Turture.

Turtur Hebraicè תור thor; Græcè τρυγών. *Cantus ejus* τρύζειν, & γογγύζειν. *Proverbium*, Turture loquacior. Theocriti *lectio vulgata aſſerta in* τρυγόνες ἐκκναισεῦντι. *Proverbium aliud*, Τρυγόνα ψάλλειν. *Turturis vox incondita. Unde* Hebraicum צלצל. *In* Athenæo τρυγονίῳ *malè legi pro* τιττιγονίῳ. *Turtur veris prænuntia*, Cant. 2, 12. *Obſervat tempus adventus ſui*, Jerem. 8, 7. *Avis migratoria. Alii hyeme occultari putant. Genæ ſponſæ ut turturis*, Cant. 1, 10. *in* Græca *verſione perperam, cum turtur non habeat genas. Cur aves* Poëta *dixerit* ungue notare genas: & Horus *turturem habere dentes. In*

In ea vocem mendum. *Turtur marinus tibiâ delinitur, non turtur avis, ut volunt.* Cant. 1, 10. תורים, *non ſunt* turtures, *ſed ordines* (*gemmarum, &c.*) *ut in eodem verſu* חרוזים, monilia, *quod ex* Arabiſmo *probatur.* Symmachus *emendatus.* תור *idem, quod* טור. *Gemma in genis, id eſt, in mitrarum faſciis.* *Turtures* μονόγαμοι. *Eccleſia cur turtur* Pſal. 74, 19. *Veteres pro* תורך *legiſſe* תודך, *vel* תרעך.

TUrtur *Hebraicè* תור *thor*, dicitur, & *Græcè* τρυγών. Quæ nomina, utut ſimilia, non tamen ſunt ab invicem deducta, ſed ὀνοματοποιητικά. Facta nimirum ad imitationem cantus turturis, qui *Græcè* dicitur τρυσμὸς à Verbo τρύζειν, id eſt, *turturis more gemere.* *Pollux* lib. 5. cap. 14. ſectione *De avium vocibus*, Εἴποις δ᾽ ἂν τρυγόνας τρύζειν, περιστερὰς γογγύζειν. Sed & τρύζειν *Suidæ*, & *Etymologo* eſt, ψιθυρίζειν, γογγύζειν, ἀσήμως λαλεῖν παρὰ καὶ ἡ τρυγών, ἐπεὶ καὶ ἀσήμως φθέγγεται καὶ γογγυστικῶς, *ſuſurrare, murmurare, obſcurè loqui, ut & turtur, quia obſcurè canit, & cum murmure.* Unde *Clemens* libro quinto *Stromatum*, Γογγύζουσα ἡ τρυγών, μέμψεως καταλαλιὰν ἀχάριστον ἐμφαίνουσα, εἰκότως ἐξοικίζεται· *Turtur murmurans, querelæ ingratam oſtendens maledicentiam, meritò domo expellitur.* Aliis τρύζειν eſt πολυφωνεῖν, καὶ πολυλογεῖν, *multa garrire.* Quia τὴν τρυγόνα ἡ παροιμία ἐπὶ σκώμματι τῶν πολυλογούντων παραλαμβάνει, λάλους ἔφη τῶν τρυγόνων τοὺς τοιούτους καλοῦσα, *turturem adhibet Proverbium, in eorum ſuggillationem, qui multa garriunt, eos turturibus loquaciores appellans.* Hæc *Euſtathius*, in illud *Homeri Iliad. l.* verſu 31.

Ὡς μή μοι τρύζητε παρήμενοι ἄλλοθεν ἄλλος,

Ut ne mihi garriatis aſſidentes aliunde alius. Proverbii meminêre, præter *Parœmiographos*, *Alexis* in *Thraſone* apud *Athenæum* libro quarto, *Menander* in *Plocio*, *Demetrius* in *Sicilia* apud *Ælianum De animalibus* libri duodecimi capite duodecimo, & *Clemens* libro primo *Stromatum.* Quo pertinet, quod de garrulis mulierculis habetur in *Theocriti Syracuſiis*,

Τρυγόνες ἐκκναισεῦντι πλατειάσδοισαι ἅπαντα,

Ut turtures obtundunt ad omnia os diducentes. Nec placet quod vir magnus pro ἐκκναισεῦντι legi vult ἐκ Ναύσου, id eſt, *ex inſula Sicilia.* Ναῦσος, ait, ſicut Νᾶσος, *Dorum*, & *Siculorum* eſt, qui ita vocabant ſuam *Siciliam.* Poeta igitur urbaniſſimè τὰς Δωριζούσας, & ore lato omnia pronuntiantes, τρυγόνας ἐκ Ναύσου vocat. Hæc, inquam, conjectura non placet: quia nihil opus eſt quidquam mutare, cum ex recepta lectione ſenſus emergat commodiſſimus? Ἐκκναίειν eſt *aures obtundere*, ut ἀποκναίειν. *Pollux*, Ἀποκναίων ἀηδίᾳ, κόπτων τὰ ὦτα, *Inſuavitate*, ſeu *ineptiis ſuis*, ἀποκναίων, *id eſt, aures obtundens.* Quod ſcripſit *Demoſthenes* contra *Midiam* pag. 562. Ἀποκναίει γὰρ ἀηδίᾳ, δύναται καὶ ἀναισθησίᾳ καθ᾽ ἑκάστην τὴν ἐκκλησίαν ταῦτα λέγων· *Obtundit enim ineptiis, & ſtoliditate ſua, in ſingulis concionibus eadem ſubinde inculcans.* Ita igitur de loquaculis dictum, Τρυγόνες ἐκκναισεῦντι, *Doricè* pro ἐκκναίουσι, *Turtures* (ſeu *turturum inſtar*) *loquacitate ſuâ aures obtundunt.* Eſt in *Proverbiis* apud *Suidam* Τρυγόνα ψάλλειν, *Turturem canere*, ἐπὶ τῶν φαύλως πραττόντων, *de iis, qui rem aliquam perperam agunt*, quia turturis vox eſt prorſus incondita. Atque eo fortaſſe pertinet, quod ab *Hebræis* צלצל, & à *Chaldæis* צרצלתא nominatur, & *Arabicè* etiam صلصل, tanquam à cymbalo facto nomine, quia vocem habet tinnulam, & obſtreperam. Quin, ſi *Geſnero* credimus, ob id ipſum cum turture confertur cicadæ ſpecies *cercope* in his *Athenæi* lib. 4. cap. 4. Ἔστι δ᾽ ἡ κερκώπη ζῶον ὅμοιον τέττιγι, καὶ τρυγόνιῳ· *Cercope autem eſt animal cicadæ & turturi ſimile.* Ad quæ verba ſic ille habet, *Non alia re cercope turturi ſimilis eſt, quam obſtrepera garrulitate.* Sed conjectat *Dalechampius* gryllum ità vocari à ſoni *tri* proprietate. Et magnus *Caſaubonus* ſecurè præteriit hunc locum. Quem tamen eſſe mendoſum tam certum eſt, quam quod eſt certiſſimum. Et τρυγόνιῳ perperam legi pro τιττιγονίῳ, quæ una eſt cicadæ ſpecies. *Ariſtoteles Hiſt.* lib. 5. cap. 30. Καλοῦσι δέ τινες τοὺς μὲν μεγάλους (τῶν τεττίγων) καὶ ᾄδοντας ἀχέτας· τοὺς δὲ μικροὺς τεττιγόνια. Unde *Plinius* l. 11. cap. 26. *Quæ canunt vocantur achetæ, & quæ minores ex iis tettigonia.* Itaque nihil habet hic locus, quod ad turturum garrulitatem poſſit referri. Quæ, utut ſæpe moleſta, habet tamen aliquid gratum, nempe quod ver & æſtatem veniſſe ſignificat, quia hyeme turtures non apparent. Unde dicitur *Cant.* 2, 11 12. *Jam enim hyems tranſiit, pluvia præteriit, & receſſit.* *Flores in terra conſpiciuntur.* *Tempus cantûs advenit, & vox turturis audita eſt in terra noſtra.* Et *Jerem.* 8, 7. *Turtur & hirundo, & grus obſervârunt tempus adventus ſui.* Turtur enim eſt avis migratoria. *Ariſtoteles Hiſt.* lib. 8. cap 3. Φάττα μὲν οὖν, καὶ περιστερὰ ἀεὶ φαίνονται· τρυγὼν δὲ τοῦ θέρους· τοῦ γὰρ χειμῶνος ἀφανίζεται. *Palumbus & columba ſemper apparent: ſed turtur æſtate tantum. Nam hyeme non conſpicitur.* Et libri octavi capite duodecimo, de palumbo id ipſum negans quod hic affirmaverat, ſolas columbas jugiter manere ſcribit. Verba ſunt, Ἀπαίρουσι δὲ καὶ αἱ φάτται, καὶ αἱ πελειάδες, καὶ οὐ χειμάζουσι, καὶ αἱ χελιδόνες, καὶ αἱ τρυγόνες, αἱ δὲ περιστεραὶ καταμένουσιν· *Diſcedunt autem & palumbi, & livia, & hirundines, & turtures, neque* (hic) *hyemant, ſed columbæ manent.* Et capite decimo ſexto docet hoc turturis maximè eſſe proprium, ut hyeme lateat. Φωλεῖ γάρ, inquit, καὶ πελαργὸς, καὶ κόττυφος, καὶ τρυγὼν, καὶ κόρυδος. καὶ ἥ γε τρυγὼν ὁμολογουμένως μάλιστα πάντων. οὐδεὶς γάρ, ὡς εἰπεῖν, λέγεται τρυγόνα ἰδεῖν οὐδαμοῦ χειμῶνος· *Nam & ciconia latet, & merula, & turtur, & alauda. Sed de turture maximè omnium conſtat: nemo enim, propè dixerim, turturem per hyemem uſpiam vidiſſe memoratur.* *Varro* etiam *Ruſtic.* lib. 3. cap. 5. *Turdi quotannis in* Italiam *trans mare advolant circiter æquinoctium Autumnale, & eodem revolant ad æquinoctium vernum. Et alio tempore turtures ac coturnices immani numero.* Et *Cicero*, *De Finib.* libro ſecundo, *Turtures curſu & peregrinatione lætantur.* Et *Gregorius Nyſſenus* in *Cant.* Homil. 5. Ἐν γὰρ τῷ χειμῶνι φεύγει ἡ ἀηδὼν, ναρκᾷ ἡ χελιδὼν, ἀποξενοῦται τῆς καλιᾶς ἡ τρυγών· *Hyeme enim fugit luſcinia, torpet hirundo, à nido peregrinatur turtur.* Sunt tamen, qui turturem putant non tam abire, quàm occultari *Plinius* libri decimi capite vigeſimo quarto, *Veris turtur occultatur, pennaſque amittit.* Alii *vere* perperam legunt. Neque enim turtur vere occultatur, ſed hyeme. Quin ipſe *Ariſtoteles* ubi ſupra capite duodecimo turtures nonnullos remanere ἐν εὐηλίοις χωρίοις non diffitetur. *Cant.* 1, 10. ſponſæ dicitur in *Græca* verſione, Τί ὡραιώθησαν σιαγόνες σου ὡς τρυγόνος; & in *Vulgata*, *Quam ſpecioſæ factæ ſunt genæ tuæ tanquam turturis?* Ad quem locum multa habent de caſtitate turturis, & ſede pudoris in genis *Græci* Doctores, *Origenes*, *Gregorius Nyſſenus*, *Philo Carpathius*, *Theodoretus*, & *Romani*, *Juſtus Orgelitanus*, *Gregorius Magnus*, *Beda*, *Aponius*, *Bernardus*, atque alii magni nominis viri. Sed omnia præter rem, quod illorum pace dixerim. Neque enim ibi agitur de turture, quæ cum σιαγόνας, id eſt, *genas*, aut *malas* non habeat, quis credat ſponſæ genas cum turturis genis conferri? Ἡ δ᾽ ὄρνις (inquit *Philoſophus De partib. animal.* libro 2. cap. 16.) ἀντὶ σιαγόνων ἔχει τὸ καλούμενον ῥύγχος, *pro malis id habet, quod roſtrum vocant.* Fruſtrà *Ovidium* objeceris reliquas aves invitare ad genas lacerandas in morte pſittaci ſui *Amorum* libri ſecundi *Elegiâ* ſexta,

Ite, piæ volucres, & plangite pectora pennis,
Et rigido teneras ungue notate genas.

Hæc

Hæc enim ille πενθικῶς, & προσωποποιητικῶς ad aves accommodans, quæ hominum in luctu propria ſunt. Proinde idem *Triſtium* lib. 3. *Elegiâ* 3.

Parce tamen lacerare genas, nec ſcinde capillos,

Et *Tibullus* lib. 1. *Elegiâ* 1.

Tu manes ne læde meos, ſed parce ſolutis
Crinibus, & teneris, Delia, *parce genis,*

Et *Artemidorus Onirocriticῶν* lib. 1. cap. 30. Παρειὰς ἰσχνὰς ἔχειν, ἢ ἑλκομένας, λύπας, ἢ πένθος σημαίνει. ἰσχνὰς μὲν λύπας, ἑλκομένας δὲ πένθος. καὶ γὰρ ἐν τοῖς πένθεσι λωβῶνται τὰς παρειὰς οἱ ἄνθρωποι· *Genas* (in ſomnis) *habere graciles, aut exulceratas, triſtitiam & luctum ſignificat. Graciles quidem triſtitiam, exulceratas autem luctum. Nam in luctu homines genas dilacerant.* Fateor in *Horo* legi turturem habere dentes *Hieroglyph.* lib. 2. cap. 50. *Lactantem*, ait, *mulierem, & quæ bene nutriat, ut ſignificent* (Ægyptii) τρυγόνα ζωγραφοῦσιν· αὕτη γὰρ μόνη τῶν ἄλλων πτηνῶν ὀδόντας καὶ μαστοὺς ἔχει, *turturem pingunt: ſola enim hæc inter volucres dentes & mammas habet.* Quæ ſi vera ſunt, malas etiam habet, & genas. Sed à doctis jam obſervatum hæc ad veſpertilionem pertinere, cui ſoli conveniunt. Itaque τρυγόνα in τριγόνα nonnulli mutant: quo nomine *veſpertilionem* ibi appellari conjectant, quia illius eſt proprium τρίζειν. Alii melius in νυκτερίδα, quæ cur permutata fuerint, cauſa eſt obvia. Proximè anteceſſerat, *Imbecillum hominem, & magna molientem ſignificare volentes*, νυκτερίδα ζωγραφοῦσιν, *veſpertilionem pingunt, qui ſine pennis volat.* Et proximè ſequitur, *Hominem, qui ſaltatione, & tibia delinitur, deſignaturi*, τρυγόνα ζωγραφοῦσιν, *turturem pingunt, qua tibia & ſaltatione capitur. Turturem* reddidi cum *Mercero, Cauſſino*, & aliis. Quamvis, quod eos fugiſſe miror, τρυγὼν ibi non ſit turtur, ſed paſtinaca, quam infra cap. 105. τρυγόνα ſimpliciter appellat hic idem ſcriptor, & alii θαλαττίαν τρυγόνα *marinum turturem* διηγητικῶς. Neque enim turtur avis, ſed ἡ θαλαττία τρυγὼν *turtur marinus*, id eſt, paſtinaca, tibiâ, & ſaltatione delinitus in naſſam inducitur, ut pluribus narrat *Ælianus De animal.* lib. 17. cap. 18. Quamvis etiam *Phile* ad turturem avem id referat. Jam, ut eò redeat, unde digreſſa eſt oratio, Sacri Cantici verba *Hebraicè* ſic habent נאוו לחייך בתורים צוארך בחרוזים, *Ornatæ ſunt genæ tuæ* (gemmarum) *ordinibus, collum tuum torquibus.* Pro quibus *Græci*, Τί ὡραιώθησαν σιαγόνες σου ὡς τρυγόνος, τράχηλός σου ὡς ὁρμίσκοι; Et *Hieronymus*, *Quàm ſpecioſæ factæ ſunt genæ tuæ tanquam turturis, collum tuum ſicut monile.* Quia, ב & כ permutatis, pro בתורים, legerunt כתורים, & כחרוזים pro בחרוזים, & תורי ab iiſdem ſumptum pro *turturibus*, cum ibi *ordines* ſignificet, putà gemmarum, aut clavorum aureorum. Quomodo eſſe reddendum multa docent: 1. Quod תורים & חרוזים hic ferè ſunt ſynonyma. Porrò, quamvis vox חרוזים alibi in Scriptura non extet, tamen ex *Arabica* lingua eſt notiſſima, quâ خرز Verbum eſt *ſubulâ conſuere*, & الخرز *monile ex gemmis conſertis*, item *ſpina dorſi*, cujus ſpondilia tanquam conſuta & conſerta ſunt. Itaque חרוזים *Græci* ὁρμίσκους, & Hieronymus *monilia* explicant, rectè omnino. 2. Statim ſequitur תורי זהב נעשה לך, ubi palam eſt תורי non eſſe *turtures*, ſed aurei ornamenti genus, nempe torques, aut quid ſimile. Proinde ibi *Hieronymus*, *Murænulas aureas faciemus tibi.* Et *Syrus* ܕܕܗܒܐ ܥܘܩܐ, *torquem aureum.* Et quinta editio στρεπτὸν χρυσίου, ita legendum, non στρεπτῶν. Nam στρεπτὸς, vel στρεπτὸν, pro *torque* ab *Herodoto, Xenophonte, Plutarcho*, & aliis paſſim uſurpatur. In *Symmacho*, pro περίθλιπτα χρυσίου, legerim περίπλεκτα. Nempe στρέφειν, unde στρεπτὸν, & πλέκειν, unde πλεκτὸν, ſunt ferè ſynonyma. Proinde in *Heſychio* πλόκιον eſt εἶδος περιδεραίου, *monilis ſpecies.* Atque eadem ratio *Syri* ܥܘܩܐ pro *torque.* Nam ܥܩ Verbum *plicare*, & *torquere* eſt. At *Seniores* quorſum reddunt ὁμοιώματα? An pro תורי legerunt צורי, id eſt, *imagines*? vel תורי זהב dici putarunt turturum ſimilitudines ex auro factas: quæ fuit *Aben Ezra* ſententia? 3. Quin תור per *Thau* hic idem eſt, quod טור per *Teth*, qua voce pro *gemmarum ordine* paſſim utitur *Moſes*: ut *Exod.* 28. *v.* 17. ארבעה טורים אבן, *quatuor ordines gemmarum.* Item, אדם פטדה וברקת הטור האחד, *Sardius, topazius, & ſmaragdus, ordo primus.* 5. Neque obſcurum eſt, quomodo gemmarum ordinibus ornentur genæ. Nempe ſi ex auribus pendeant, aut ſi inſpergantur mitrarum redimiculis, id eſt, latis faſciis, quæ per malas productæ mento ſubligabantur. Nam in *Syria* mitra muliebre fuit capitis integumentum. *Virgilius* in *Catalectis*,

Copa Syriſca *caput* Graiâ *redimita mitellâ.*

Juvenalis Satyra 3.

Ite, quibus grata eſt pictâ lupa barbara mitrâ.

Barbara, id eſt, *Syra*; nam præceſſerat,

Jam pridem Syrus *in* Tiberim *defluxit* Orontes
Et linguam, & mores, & cum tibicine chordas
Obliquas, nec non gentilia tympana ſecum
Vexit, & ad Circum juſſas proſtare puellas.

De turturum ſacrificiis ſupra diximus. Actum etiam de caſtitate: & ex *Ariſtotele, Æliano*, & *Clemente* probatum turtures nonniſi unum conjugem admittere. Unde natum, quod magno conſenſu ſcripſere poſteriores, mortuo conjuge turturem viduam permanere. Quo pertinere volunt hæc verba *Pſaltis Pſal.* 74. *v.* 19. *Ne tradas catervæ* (hoſtium) *animam turturis tuæ*, id eſt, inquiunt, Eccleſiæ *Iſraelis*, quæ etiam à te deſerta alii Deo non adhæret. *Rabbi Selomo*; התור הזה משמת הזכר בן זוגה אינה מזדווגת לאחר אף ישראל לא התחליפו באל אחר אף על פי שרחקתה מהם והיו כאלמנה, *Turtur fœmina, ex quo obiit mas conjux ejus, alteri non copulatur. Ita nec* Iſraelitæ *te cum alio Deo commutarunt, etiamſi ab iis receſſeris, ſed viduæ inſtar manſerunt.* Sed nihil opus eſt eo usque deſcendere. Neque enim id ſatis certum eſt, turturem in viduitate alteri non copulari. Quamvis Scriptores, qui id aſſerunt,

Defendat numerus, junctæq; umbone phalanges.

At conſtat ſaltem turturem vivo conjuge cum altero non commiſceri. Ad quod exemplum Eccleſia ſi ſe conformaverit, alios deos nunquam colet; quia Deus, quem colit, ſemper vivus eſt. Potuere etiam *Iſraelitæ* cum turture conferri; לפי שהם חלושי הכח ונטרפים ואינם טורפים וכן ישראל, *quia turtures viribus infirmæ ſunt, & diripiuntur, nec diripiunt, & ſic* Iſraelitæ. Quæ *Kimchii* conjectura eſt. Nam & columbæ genus eſt turtur, & in columbino genere omnium minima. *Philoſophus Hiſt.* lib. 5. cap. 13. Ἐλάχιστον δὲ τῶν τοιούτων ἡ τρυγών· *Minimum ex iis turtur eſt.* Eodem quoque referri queant quæcunque de columbæ ſimplicitate dicta ſunt, cum turtur ſit columbæ genus. Mirabere, cur veterum interpretum, quotquot extant, nullus turturis meminerit in verſione hujus loci. Nam, pro *anima turturis tuæ*, *Græci* habent ψυχὴν ἐξομολογουμένην σοι, *animam confitentem tibi.* Quod idem ſequuntur *Syrus* & *Æthiops.* Nempe תודך legerunt pro תורך, *Daleth* pro *Res*, quæ literæ ſunt ſimillimæ. *Arabes* editi habent نفسا عارفة بكِ *animam, quæ te novit.* Et unus è manuſcriptis, qui penes me ſunt انفس يايسيك *animas, qui te ſciunt*, id eſt, qui te noverunt.

Quaſi

Quaſi legerint נפש תרעך, *animam, quæ novit te.* At *Hieronymus*, *Animam eruditam in Lege tua.* Et *Chaldaica* verſio *Joſephi Cæci*, נפשת מאלפי אוריתך, *animas docentium Legem tuam.* Quaſi תורך alluderet ad vocem תורה, quæ *Legem* ſonat. Sed hæc remota & aliena ſunt. Et, ſi *Græcos* excipias, his omnibus vetuſtior *Jonathan* rectè viderat תור hic eſſe *turturem.* Atque is quidem non extat. Sed illum ita vertiſſe docent hæc *Selomonis*, יונתן תירגם לשון תורים ובני יונה, Jonathan *reddidit, ut in Legis locis, quibus agitur de turturibus & filiis columbarum.* Quod *Hebræi* meritò ſequuntur, & recentiores interpretes, quotquot habentur.

CAPUT DECIMUM.

De Hirundine.

Hebræum סיס ſis, *(melius quam* סוס ſus) *Hebræi* gruem *exponunt, & recentiores interpretes, & Symmachus* cicadam. *Fons erroris.* סיס ſis, *neutrum ſignificare, ſed* hirundinem, *multa probant.* Chaldaicum סנוניתא ſenunitha, *&* Arabicum, سنونوة ſununua, *quæ hirundinis ſpecies. Aves* ababil. *Lapides ex* ſiggil *in Inferis cocti. Rex* Abraheth *quis, & quando vixerit. Hirundo riparia. Lapis icterias, ſeu hirundinis.* Baruch 6. verſ. 21. *malè lectum* ἐφάπτονται, *pro* ἐφίπτανται. Chaldæi *Paraphraſtis transpoſitio. Hirundo* סיס, *à cantu dicta, ut* Italis ziſilla, *unde Verbum* ziſillare, *Latinè* zinzilulare. א *Epentheticum vocibus* Græcis *ſæpe additum.* Iſis *in* ſis, *ſeu* hirundinem, *mutata fuiſſe fingitur propter nominum alluſionem. Similis alluſionis multa exempla. Vox hirundinis querula, & luctuoſa. Ita ſtatuunt* Græci *&* Romani Poetæ. *Tamen verè negat* Plato *eam præ mœrore ſic canere.* Proclus *&* Tzetzes *notati.* Pauſanias *huic opponitur. Hirundo minuriens, non clamoſa. Hirundo avis migratoria. Abeunt hybernis menſibus hirundines, redeunt cum* Favonius *exoritur circa* VII. *Cal.* Mart. *Inde* Favonius Chelidonias. Favonius, *id eſt,* Zephyrus. Νέα χελιδὼν, *Proverbium.* Suidæ σφάλμα μνημονικόν. *Cantiones variæ de adventu hirundinis.* Χελιδονίζοντες, *vel* χελιδονισταί. *Piſcis* Borealis *cur* χελιδόνιας. *Hirundo pulchra tempora reducit, & veris prænuntia eſt.* Una hirundo non facit ver. *Hirundinis mora ſex menſium. Abit,* Arcturo *oriente, circa* Autumni *æquinoctium. Quonam abeat. Ex* Æthiopia *nunquam migrat. Agmen deſerere grave crimen. Manentibus à frigore periculum. Manent tamen quædam in apricis locis. Maximè, ſi migrationis locus ſit remotior. Hyeme nudæ, & deplumes. Cur* Eutropius *illis ſimilis. Noſce tempus. Hirundines* Tobiæ. *Harum proprium è nido ſtercus foras egerere.* Gorgias *quid hirundini dixerit, quæ in illum ſtercus egeſſerat. Hirundo* Philomela *dicta.*

CUm תור *thor*, id eſt, *turture*, junguntur סיס *ſis*, & עגור *agor*, ut aves pariter migratoriæ, in his *Jer.* 8. *v.* 7. *Et* thor, *&* ſis, *&* agor *cuſtodierunt tempus adventus ſui.* Et de *turture* cum ſit actum, ſequitur, ut agamus de *ſis*, & *agor.* Quæ voces rurſus occurrunt in *Ezechiæ* Regis cantico *Eſa.* 38. *v.* 14. *Ut* ſis *(inquit) &* agor *pipiebam, gemebam ut columba.* Sed harum alibi nulla mentio. Et cum utroque loco סוס in textu ſcribatur per *Vau*, tamen in *Jeremia* Hebræi סיס *ſis*, per *Jod* legunt. Quam lectionem maximè probo, cum ut סיס *ſis*, à voce סוס *ſus*, differat, quâ ſignificatur *equus*, tum quia סיס *ſis*, videtur magis exprimere naturam rei, quæ hoc nomine ſignificatur. Quod ipſum, quia in quæſtione eſt, jam disquirendum. *Pagninus, Munſterus, Buxtorfius, Schindlerus, Junius,* & *Tremellius, Angli, Itali,* &c. & plerique alii novi interpretes סיס *ſis*, *gruem* conſtanter exponunt. Ita nimirum ſtatuunt *Hebræorum* doctiſſimi. *Jarchius, Kimchius,* & *Pomarius, Jonathanem* ſequuti in *Chaldaica Paraphraſi*, quæ pro סיס *ſis*, habet כורכיא *kurkeja.* Porro כורכיא *kurkeja*, *gruem* eſſe tam ex *Talmude* conſtat, quam ex *Arabum* ſcriptoribus, qui ſcribunt كركي *kurki.* Pro כורכיא *kurkeja*, quandoque reperias כרוכיא *krukeja*, ut in Tractatu *Kiddusim* cap. 2. fol. 44. a. Cui voci ſimillima eſt vox כרוכא *kruka*, quæ pro חגב *chagab*, ſeu *cicadâ*, apud *Jonathanem* occurrit *Levit.* 11. *v.* 22. Extabat etiam olim in *Paraphraſi Jeruſalem*, ex qua citatur ab *Elia* in *Methurgeman.* Unde natus jocularis error in *Symmacho*, qui promiſcuè ſumens voces כרוכא *kruka*, & כרוכיא *krukeja*, ex *grue* in *Jeremia cicadam* fecit. Hinc *Hieronymus* in *Jeremiam*; Symmachus *cicadam tranſtulit, quæ* Hebraicè *dicitur* סיס *ſis.* Et ibidem *Theodoretus*, Τρυγὼν, καὶ τέττιξ, καὶ χελιδὼν, ἀγροῦ στρουθία, ἐφύλαξαν καιροὺς εἰσόδων αὐτῶν· *Turtur, & cicada, & hirundo, agri aviculæ, obſervarunt tempus adventus ſui.* Quæ ipſa verba poſtquam citavit *Chryſoſtomus* in Homilia *De turture*, tanquam ex *Jeremia*, addit pro commentario, Τρυγόνα λέγων τὴν πάνσεμνον ἐκκλησίαν, χελιδόνα τὸν φιλέρημον Ἰωάννην, τέττιγα τὸν εὔλαλον Παῦλον. *Turturem vocans venerabilem Eccleſiam, hirundinem deſerti incolam* Joannem, *cicadam eloquentem* Paulum. Qui error ex alio errore ortus. Tam enim falluntur, qui סיס *ſis*, *gruem*, quam qui *cicadam* reddunt: cùm סיס *ſis*, neque *grus*, neque *cicada* ſit, ſed *hirundo.* Id probat primò conſenſus vetuſtiorum interpretum, qui apud me multum poteſt, cum ei non repugnat neceſſaria ratio, qualis hoc loco nulla ſe offert. Vetuſtiores hic appello, 1. *Græcos Seniores*, à quibus סיס *ſis*, χελιδὼν utroque loco exponitur, 2. *Theodotionem*; 3. *Hieronymum*, qui id ipſum ſequuntur; 4. Illum ipſum *Symmachum*, cui סיס *ſis*, in *Jeremia* eſt *cicada.* Ab eodem enim *Ezechiæ* verba כסוס עגור, redduntur ὡς χελιδὼν ἐγκλεισθεῖσα, *ut hirundo incluſa.* 5. His adde *Arabem*, cui סיס *ſis*, eſt سنونوة *ſununua*, id eſt, *hirundo.* In *Abi Ubid*, Cent. 1. Prov. 32. سنونية *ſenunia* ſcribitur, & *hirundinem* rectè explicaverat *Erpenius* ὁ μακαρίτης, ſed ſolùm ex conjectura. *Avis*, inquit, *nomen eſſe ſatis liquet: at cujuſmodi neſcio. Verti* hirundinem, *quòd ſic ferè verti ſoleat* סנוניתא *ſenunitha* Chaldaicum. *Alioqui hirundo* خطاف chottaph *vocatur*, &c. His viri in *Arabicis* literis longè doctiſſimi, & de me olim optimè meriti, dubiis ut occurratur, libet vocem explicare accuratius. خطاف *chottaph* eſt *hirundo* in genere, à volatus rapiditate ſic dicta, ut *Chaldaicè* חטפיתא *charphitha.* Sed hujus plures ſunt ſpecies, quas in *Damire* ſic definiunt *Arabes*, الخطاطيف انواع منها

نوع يالف السواحل عند البحر يحفر

بيتها هنالك ويعشش هنالك وهو

هذبير

صغير الجثة دون عصفور الجنة ولونه
رمادي والناس يسمونه سنونوا بضم
السين المهملة ونونين ومنها نوع بخضرته
على ظهره بعض حمرة اصغر من
الدرة تسميه اهل مصر الخضري
الخضرته يغتات الفراش والذباب ونحو
ذلك ومنها طويل الاجنحة رقيقها
يالف الجبال وياكل النمل وهذا النوع
يقال له السايم مفرد سامة ومنهم من
يسمي هذا النوع السنونوا الوحدة
سنونوة وهو كثير في المسجد
الحرام بمكة يعشش في سقف
المسجد في مقام ابراهيم وباب بني
شيبة وبعض الناس يزعم انه الطير
الابابيل الذي عذب الله به اصحاب الفيل

Hirundinum varia ſunt ſpecies: quarum una degit in maris littoribus, & ibi effoſſâ domo ſuâ nidulatur. Hæc corpore minor eſt ave Paradiſi, & cinerei coloris. Vocatur ſununu *per* Sin Semol *dammatum & duo* Nun. *Eſt & ſpecies viridis cum aliqua rubedine ſuper dorſum, minor pſittaco, quam Ægyptii ratione coloris vocant* chadra, *id eſt, viridem. Veſcitur papilionibus, muſcis, atque aliis ſimilibus animalculis. Eſt & alia ſpecies longis alis, & tenuibus, incola montium, formicas edens. Has* ſemaim *appellant à Singulari* ſemama. *Sed & nonnulli* ſununu *vocant. Singulare unitatis eſt* ſununua. *Hujus ſpeciei multa ſunt in templo* Charam Mecchanæ *urbis, quæ in templi tecto nidificant, in* Abrahami *ſtatione, in porta filiorum* Scibæ. *Quidam afferunt aves eſſe* ababil *dictas, per quas Deus caſtigavit ſocios elephantis:* jactis ſcilicet in eorum capita جارة من سجيل *lapidibus ex ſiggil.* Ita illi vocant lapides in inferorum igne excoctos, & induratos, cum eorum, in quos cadebant, nominibus inſcriptis. Illorum dux *Abraheth*, Rex *Abaſſenorum* in *Arabia Felici* intima, eo ipſo anno, quo natus eſt *Mahometh*, magno elephante vectus cum multis copiis venerat, ut *Mecchanum* templum exſcinderet. Quod pſeudo-Propheta obiter tangit *Azoarâ* cxv, cui titulus الفيل *Elephas.* Sed hæc ſunt alterius loci. Hic notaſſe ſufficiat conſtare ex iis, quæ allata ſunt, سنونوة *ſununua* propriè dici *ripariam hirundinem*, de qua *Plinius* lib. 10. cap. 33. *Tertium eſt earum genus, quæ ripas excavant, atque ita internidificant.* Et lib. 30. cap. 4. *Multò tamen efficaciſſimi ripariarum* (hirundinum) *pulli. Ita vocant in riparum cavis nidificantes. Riparia Græcè* dicitur *δρεπανὶς* à falcatis pedibus. Ita vocat *Philoſophus Hiſt.* lib. 1. c. 1. Sed & eodem nomine سنونوة *ſununua* illas hirundines ſignificari addunt, quæ in montibus, & templis nidificant. Hæ ſunt ruſticæ, ſeu agreſtes *Plinii* hirundines, de quibus *Geſnerus* pag. 565. Interim certum eſt, hoc nomen quandoque patere latiùs, & pro quavis hirundine ſumi. Ut, cum lapis البرقان *icterias*, id eſt, quo ſanantur icterici, alio nomine vocatur حجر السنونوة *lapis ſununua*, id eſt, *hirundinis*, quia in ejus nido reperitur. Nam hirundinis pullos croco tingunt *Arabes*; & pater, eos ictero laborare ſuſpicatus, lapidem illum ex *India* in nidum affert, & pullis ſupponit. Parvum deſcribit *Damir*, lineis rubris ſtriatum, quæ ad nigredinem vergunt. Ita etiam qui ſcripſit *De Natura mirabilibus*, ubi صنونو *ſununu* per *Sad* perperam legi notat *Damir.* Et *Baruch* 6. v. 21. *Græca* hæc verba, Ἐπὶ τὸ σῶμα καὶ ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτῶν ἐφίπτανται χελιδόνες, *Arabs* ita reddidit السنونو تلمسهم على راسهم *Aſſununu* (ſeu *hirundines*) *tangunt eos ſuper capita ſua. Tangunt*, id eſt, ἐφάπτονται, quomodo legit pro ἐφίπτανται *involant.*

Probatum eſt hactenus pleriſque veterum סיס *ſis*, eſſe *hirundinem.* Quibus *Jonathan* fruſtrà opponitur, quaſi כורכיא, id eſt, *gruem*, reddiderit. Ille enim duas voces סיס *ſis*, & עגור *agor*, rectè explicavit per כורכיא *kurkeja*, & סנוניתא *ſununitha*, id eſt, *gruem*, & *hirundinem.* Nam, ut סיס *ſis*, eſt *hirundo*, ſic עגור *agor*, eſt *grus*, ut ſequenti capite docebitur. Sed invertit ordinem, & *hirundinem*, quæ in *Hebræo* textu prior eſt, poſteriore loco poſuit. Quod interpretibus ſæpe accidit. Et, ne longius exempla petantur, in loco *Baruch*, quem nuper citavimus, pro *Græcis* verbis νυκτερίδες, χελιδόνες, *veſpertiliones*, & *hirundines*, *Arabs* habet, inverſo ordine, السنونو والوطاويط *hirundines, & veſpertiliones.* Proinde *Chaldæum* etiam, quem *Syrus* ſequutus eſt, iis veterum addimus, quibus סיס *ſis* eſt *hirundo.* Ita ut priſcorum interpretum jam nullus ſit, qui non aſſentiatur verſioni, quam aſſerimus.

Ad hanc veterum auctoritatem accedit manifeſta ratio. Vox סיס *ſis*, eſt ὀνοματοποιητικὴ, quâ *Hebræis* fuit animus hirundinis ψιθυρισμὸν utcunque imitari. Ut *Itali* circa *Venetiam*, quibus *ziſilla* eſt *hirundo*, & *ziſillare* hirundinis more τιτυβίζειν, vel ψιθυρίζειν. *Zinzilulare* dixit auctor *Philomelæ*,

> *Regulus, atq; merops, & rubro pectore* Progne,
> *Conſimili modulo zinzilulare ſciunt.*

Quaſi *Prognes*, id eſt, *hirundinis*, vox ſit *zizi*, unde *zizilulare* dici debuit, ut *Italicè ziſillare.* Sed euphoniæ cauſa additum eſt N epentheticum, quod in *Romanis* vocibus frequens. Tale *lingo* ex λείχω, *linquo* ex *Æolico* λείπω pro λείπω, *tango* ex θίγω, *pango* ex πάγω pro πήγω, *denſus* ex δασὺς, *pinguis* ex παχὺς, &c.

Nec leve in eo momentum eſt, quod *Iſidem* in hirundinem mutatam fuiſſe fabulantur *Ægyptii. Plutarchus* in *Iſide*, Αὐτὴν δὲ γενομένην χελιδόνα (φασὶ) τῷ κίονι περιπέτεσθαι, καὶ θρηνεῖν. *Eam autem hirundinem factam* (ajunt) *circa columnam volaſſe, & luxiſſe.* Nam *Iſis* palam ad *ſis* alludit. Et fabuloſæ Deorum metamorphoſes vocum alluſionibus ſæpe nituntur. Sic *Anubis* fingebatur cum canino capite, quia *Hebraicè* נובח *nobeah*, *latrantem* ſonat. Et Rex *Apis* in bove cultus eſt, propter alluſionem ad אביר *abir*: *Hebræi* enim *bovem* ita nominant. Unde

LXX. *Jer.* 46. v. 15. Διά τι ἔφυγεν ὁ Ἆπις, pro *Hebræis* מדוע נסחף אביריך, quomodo legerunt pro אביריך. Et in hiſtoria *Gigantomachiæ*, Dii, *Gigantum* metu in *Ægyptum* arreptâ fugâ, in varias formas ſe mutaverunt. *Ovidius* lib. 5. *Metamorphoſeos*,

Duxq; gregis, dixit, fit Juppiter, *unde recurvis*
Nunc quoq; formatus Libys *eſt cum cornibus* Hammon:
Delius *in corvo, proles* Semeleïa *capro,*
Fele ſoror Phœbi, *niveâ* Saturnia *vaccâ,*
Piſce Venus *latuit*, Cyllenius *ibidis alis.*

Antoninus Liberalis Fab. 28. ex *Nicandro*, Ἀπόλλων μὲν ἐγένετο ἱέραξ, Ἑρμῆς δὲ ἶβις, Ἄρης δὲ λεπιδωτὸς ἰχθὺς, Ἄρτεμις δὲ αἴλουρος (ſic legendum pro σίλουρος, ut ex *Ovidio* patet) τράγῳ δὲ εἰκάζεται Διόνυσος, ἵππῳ δὲ Ἡρακλῆς, βοΐ δὲ Ἥφαιστος, μυγαλῇ δὲ Λητώ· Apollo *in accipitrem mutatus eſt*, Mercurius *in ibin*, Mars *in lepidotum piſcem*, Diana *in felem*, Bacchus *in caprum*, Hercules *in hinnulum*, Vulcanus *in bovem*, Latona *in murem araneum.* Quæ omnia hic explicare non aggredimur, ſed pauca, quibus confingendis occaſio ex Paranomaſiis ſumpta eſt. *Jupiter* ſummus Deus in arietem mutatus eſt, quia אל *el*, *Deus fortis*, & איל *ajil*, *aries* ſunt Paronyma, & utriusque Plurale eſt אלים *elim*; *Bacchus*, Ægyptiis *Oſiris*, in hircum, quia ad *Oſirim* alludit שעיר *ſeir*, Hebraicè *hircus*. *Diana* in felem, quia *Ægyptiacè* ΒΟΥΒΑΣΤΟΣ erat felis, & *Bubaſtis* Diana. Unum eſt in *Stephano* voce Βούβαστος, Οἱ δὲ Αἰγύπτιοι βούβαστον τὴν αἴλουρον φασι· *Ægyptii autem felem bubaſton vocant:* alterum *Herodoti* lib. 2. cap. 156. Αἰγυπτιστὶ δὲ Ἀπόλλων Ὧρος, Δημήτηρ δὲ Ἶσις, Ἄρτεμις δὲ Βούβαστις· Ægyptiacè *quidem Apollo eſt Horus, Ceres Iſis, Diana Bubaſtis.* Unde eſt, quòd in *Apuleji Herbario* cap. 10. *Artemiſiam* Ægyptii Βουβαστίως καρδίαν, *cor Bubaſtis* vocant, id eſt, herbam *Dianæ* charam, quod & *Græcum* nomen præ ſe fert *Juno* ſumpſit bovis figuram. Nam עשתרות, unde *Juno* dicta eſt *Aſtarte*, non ſolùm ovium greges, ſed & armenta boum ſignificare ſuo loco obſervavimus, atque inde eſſe, quod apud *Sanchoniathonem Aſtarte* ἐπέθηκε τῇ ἰδίᾳ κεφαλῇ βασιλείας παράσημον κεφαλὴν ταύρου, *capiti pro regni inſignibus caput tauri impoſuit* Quod piſce *Venus* latuit ad *Atergatin* referunt, quaſi ſit *Dagon*, cui דג *dag*, id eſt, *piſcis*, nomen fecerit: quod tamen minus probo ob rationes alibi allatas.

Ezechias in morbo dicit ſe ut hirundinem pipiviſſe, quia vox hirundinis videtur aliquid habere querulum, & luctuoſum. Hoc uno ore clamant omnes *Poetæ. Heſiodus* in *Operibus* verſu 366.

Τὸν δὲ μετ' ὀρθογόη Πανδιονὶς ὦρτο χελιδὼν,

Poſt hunc manè lugens Pandionis *filia prodiit hirundo.* Unde *Suidas*, Ὀρθογόη, χελιδών. Alii malunt ὀρθογόη *Heſychius*. Ὀρθογόη, ἡ χελιδών. Itaque hinc corrigenda in *Cyrilli Lexico* apud me MSS. Ὀρθογὸν, χελιδών In *Etymologico* ὀρθογόη redditur ἡ μεγάλως θρηνοῦσα, *quæ multum luget.* Ita etiam in *Phavorino*, qui addit de hirundine dici. *Ariſtophanes* in *Ranis*,

Δὴ χείλεσιν ἀμφιλάλοις
Δεινὸν ἐπιβρέμεται
Θρηκία χελιδὼν,
Ἐπὶ βάρβαρον ἑζομένη πέταλον,
Κελαδεῖ δ' ἐπίκλαυτον ἀηδόνιον νόμον,
Jam labris loquacibus
Gravè reſonat
Thracia *hirundo*,
Supra barbarum ſedens folium,
Canit autem luctuoſam ſtridulam cantilenam.

Moſchus *Idyll.* 3.

Οὐδὲ τόσον θρήνησεν ἀν' οὔρεα μακρὰ χελιδὼν,

Neque tantum luxit per magnos montes hirundo. Palladas *Anthol.* lib. 1. cap. 60.

Τίπτε πανημέριος, Πανδιονὶ κάμμορε κούρη,
Μυρομένη κελαδεῖς τραυλὰ διὰ στομάτων.

Cur tota die, ô Pandionis *filia, infelix puella, lugens, blæſa carmina ore canis?* Proinde ad hæc *Theocriti* in *Thalyſiis*,

\- - - - - - - ἁ δ' ὀλολυγὼν
Τηλόθεν ἐν πυκινῇσι βάτων τρύζεσκεν ἀκάνθαις,

Et ololygon *procul in denſis ruborum gemebat ſpinis*, ὀλολυγὼν à *Scholiaſte* exponitur ἡ χελιδὼν ἡ τὸν Ἴτυν ὀλοφυρομένη *hirundo* Ityn *deflens.*

Et *Agathias Anthol.* lib. 7. *Epigr.* 65. hirundines ſic alloquitur,

Ἀλλ' Ἴτυλον κλαίοιτε κατ' οὔρεα, καὶ γοάοιτε,

Sed Itylum *deflete in montibus, & lugete.* Neque aliter *Romani* Poetæ. *Catullus* ad *Ortalum*,

Qualia ſub denſis ramorum concinit umbris
Daulias *abſumpti fata gemens* Ityli.

Horatius lib. 4. *Odâ* 12.

Nidum ponit Ityn *flebiliter gemens*
Infelix avis, &c. - - - -

Cl. *Albinovanus* ad *Liviam*,

Deflet Threicium Daulias *ales* Ityn.

Ovidius Triſtium lib. 5. *Eleg.* 1.

Eſt aliquid fatale malum per verba levare,
Hoc querulam Prognen *halcyonaq; facit.*

Seneca in *Hercule Oeteo* Actu 1.

\- - - - *qualis natum*
Daulias *ales ſolet* Iſmariâ
Flere ſub umbra. - -

Et in *Agamemnone* Actu 3.

Non quæ tectis Biſtonis *ales*
Reſidet ſummis, impia diri
Furta mariti garrula deflet.

Et in *Hercule Furente* Actu 1.

Pennasq; novo tradere ſoli
Geſtit querulos inter nidos
Thracia *pellex.* - -

Et in *Octavia*, ferè initio,

\- - - - *repete aſſuetos*
Jam tibi queſtus, atq; æquoreas
Vince halcyonas, vince & volucres
Pandionias. *Gravior namq; his*
Fortuna tua eſt - - -

Martialis ad *Fauſtum* lib. 10. *Epigramm.* 51.

Iſmarium *pellex* Attica *plorat* Ityn.

Statius Thebaidos lib. 8. verſu 616.

Sic Pandioniæ *repetunt ubi fida volucres*
Hoſpitia, atq; larem bruma pulſante relictum,
Stantq; ſuper nidos, veterumq; exordia fati
Enarrant tectis, & truncum ac flebile murmur
Verba putant, voxq; illa tamen non diſſona verbis.

Et lib. 12. verſu 488.

\- - - - - Geticæ *non plura queruntur*
Hoſpitibus tectis trunco ſermone volucres.

Sed his opponitur, quod *Plato*, eos refellens, qui cygnos dicunt, θρηνοῦντας τὸν θάνατον ὑπὸ λύπης ἐξᾴδειν, *mortem deflentes, præ mœrore canere:* Οὐδὲν, inquit, ὄρνεον ᾄδει ὅταν πεινῇ, ἢ ῥιγοῖ, ἤ τινα ἄλλην λύπην λυπῆται· οὐδὲ αὐτὴ ἥ τε ἀηδὼν, καὶ χελιδὼν, καὶ ὁ ἔποψ, ἅ δή φασι διὰ λύπην θρηνοῦντα ᾄδειν (lege ἅς δή φ. δ. λ. θρηνοῦντας ᾄδειν) *Nulla avis canit cum eſurit, aut alget, aut aliâ de cauſa triſtis eſt, ne luſcinia quidem, & hirundo, & upupa, quas ajunt præ mœrore lugubriter canere.* Proinde *Proclus* ferre non poteſt, ut hirundo ab *Heſiodo* vocetur ὀρθογόη, & legi vult ὀρθοβόη *manè clamans*, ne à *Platone* videatur *Poeta* diſſentire. At aliter reſpondet *Tzetzes*, Ἡμεῖς δ' ἴσμεν καὶ δίχα μάρτυρος Πλάτωνος, ὅτι οὐδὲν ὄρνεον λυπούμενον ᾄδει· ἀλλὰ δεινῶς, καὶ ῥητορικῶς ὁ ποιητὴς τὴν λαλιὰν τῆς χελιδόνος θρῆνον εἶναι λέγει κατὰ τὸν μῦθον τῆς τοῦ Πανδίονος ἐκείνης θυγατρός. *Nos verò etiam ſine* Platone *teſte ſcimus nullam avem in mœrore canere. Sed periè & rhetoricè Poeta cantum hirundinis lamentationem vocat, juxta fabulam de* Pan-

Pandionis *filia.* Hæc ille, quaſi nonniſi propter fabulam lugere dicatur hirundo. Quin cum *Pauſania* in *Atticis* εφίσι τὴν ἐς ἀηδόνα, ἢ χελιδόνα μεταβολὴν ἐπιφήμισαν, ὅτι οἶμαι, ᾖ ἀυτὴ αἱ ὄρνιθες ἐλεεινὸν. καὶ θρήνῳ ὅμοιον ᾄδουσι, *vulgatam fabulam* de *Pandionis* filiabus, *earum unam in luſciniam, alteram in hirundinem eſſe mutatam, ex eo exiſtimo, quod avis utraque miſerabiles & luctuoſos cantus edit.* Itaque in *Heſiodo* nihil mutandum. Et hirundo ridiculè diceretur ὀρθοβόη, vel ὀρθροβόη, cum non ſit avis clamoſa, ſed minuriens, & ψιθυρίζουσα. Proinde dixit *Sidonius*, Prognen *inter aſſeret minurientem*, libri ſecundi Epiſtola ſecunda. Ut in *Anthologia Poeta* incertus,

Τρανλὰ μινυρομένη Πανδιονὶ κάμμορε φωνῇ,
O miſera Pandionis *filia, voce blæſa cantica minuriens.*

Cui ſimile, quod *Pollux*, in capite *De avium vocibus*, χελιδόνας ψιθυρίζειν *hirundines ſuſurrare* dicit. Et ille ψιθυρισμὸς, vel *minuritio* illa, ſi mavis, videtur aliquid habere commune cum querelis, & ſuſurris, qui in mœrore nobis excidunt, aut alia quavis de cauſa. Proinde ψιθύρος, id eſt, *ſuſurrones*, ſeu delatores, qui clam in aurem inſuſurrant, per hirundinem *Pythagoram* ſignificâſſe volunt nonnulli veterum apud *Plutarchum* in *Sympoſiacis*. Verum tamen eſt, quod ait *Plato*, hirundines præ mœrore non ſic canere. Avis enim cantus, quamlibet ſit in ſpeciem lugubris, non eſt mœroris effectus, ſed naturæ.

Jam pauca de migratione hirundinum in *Jerem.* 8, 7. Et migratorias quidem eſſe aves lippis etiam notum, & tonſoribus. Idque obſervatum ab omni ævo. *Homerus* in Εἰρεσιώνῃ apud *Herodotum* in ejus vita,

Νεῦμαι τοι, νεῦμαι ἐνιαύσιος, ὥστε χελιδὼν,
Apud te redeo quotannis, ut hirundo.

Anacreon *Oda* trigeſima tertia,

Σὺ μὲν, φίλη χελιδὼν	*Tu quidem, amica hirundo,*
Ἐτησίη μολοῦσα,	*Annuatim veniens,*
Θέρει πλέκεις καλιὴν,	*Æſtate nidum texis,*
Χειμῶνι δ' εἰς ἄφαντος.	*Et hyeme non appares.*

Ariſtoteles *Hiſt.* lib. 8. cap. 12. Ἀπαίρουσι δὲ, &c. καὶ οὐ χειμάζουσι, ἢ αἱ χελιδόνες, ἢ αἱ τρυγόνες· *Abeunt autem, & apud nos non hyemant tam hyrundines, quam turtures.* Auctor ad *Herennium*, *Hirundines æſtivo tempore præſto ſunt, hyeme pulſa recedunt.* *Plinius* libri decimi capite vigeſimo quarto, *Abeunt & hirundines hybernis menſibus.* Damir, وهو من الطيور القواطع *Eſt ex avibus migratoriis.* *Columella* in proſa *De cultu hortorum* libri duodecimi capite tertio, *Mox ubi bruma confecta eſt, intermiſſis quadraginta diebus, circa hirundinis adventum, cum jam* Favonius *exoritur.* Et libri decimi capite decimo quarto, *Dum* Arcturi *ortus, & hirundinis adventus commodiores polliceantur tempeſtates.* Apud *Plinium* libri ſecundi capite quadrageſimo ſeptimo, *Favonium quidam ad* VII. *Calendas* Martias *Chelidoniam vocant ab hirundinis viſu. Favonium*, id eſt, *Zephyrum.* Hinc *Horatius* libri primi Epiſtola ſeptima *ad Mecœnatem*,

Cum Zephyris *ſi concedes, & hirundine primâ.*

Et *Oppianus* de hirundine lib. 3. *Halieuticῶν* verſu 244.

- - - εἰαρινὸν Ζεφύρου πρωτάγγελος ὄρνις,
Avis verna Zephyri *prima nuntia.*

Et *Nonnus* libro ſecundo *Dionyſiacῶν*,

- - - εἰαρινοῖο φίλη Ζεφύροιο χελιδὼν,
Verni amica Zephyri *hirundo.*

Et libro quadrageſimo ſeptimo,

Καὶ Ζεφύρου κῆρυξ ὄρνις ὑπωρόφιον χέε μολπὴν,
Et Zephyri *pulchra avis ſub tecto fudit cantilenam.*

Tanquam alludentes ad *Græcum* Proverbium Νέα χελιδὼν, *Nova hirundo*, quod lapſu memoriæ citat *Suidas* ex *Ariſtophanis Avibus*, cum alibi non legatur, quam in *Equitibus* Actu primo his verbis,

Σκέψασθε παῖδες, οὐχ ὁρᾶτ'; ὥρα, νέα χελιδών,
Aſpicite pueri, non videtis? ver eſt, nova hirundo.

Ad quæ *Scholiaſtes*, Ἔστιν ἔαρος ἀρχή· δοκεῖ γὰρ ἅμα τῷ ἔαρι φαίνεσθαι χελιδών. *Veris initium eſt, videtur enim ſimul cum vere hirundo apparere.* Itaque in *Avibus* (quod *Suidam* potuit fallere) hirundo apparens docet,

Ὅτι χρὴ χλαῖναν πωλεῖν ἤδη, καὶ ληδάριόν τι πρίασθαι,
Quando lana ſit vendenda, ut ematur æſtiva veſtis.

Et in *Pace* canit *Chorus*,

- - ὅταν ἠρινᾷ μὲν	- - *cum vernâ quidem*
φωνᾷ χελιδὼν	*Voce hirundo*
Ἑζομένα κελαδῇ.	*Sedens reſonat.*

Quibus ſimilia hæc *Steſichori*, ut monet *Scholiaſtes*, Ὅταν ἦρος ὥρᾳ κελαδῇ χελιδών· *Cum veris tempore reſonabit hirundo.* Neque abludunt hæc *Simonidis* in *Athenæo*, Ἄγγελε κλυτὰ ἔαρος ἁδυόδμου κυανέα χελιδοῖ· *Inclyta ſuave-olentis veris nuntia, ô cyanea hirundo.* Et apud *Theognin* libro tertio de *Rodiorum* ſacrificiis ità incipit cantilena, quam oſtiatim canebant οἱ χελιδονίζοντες, id eſt, *agyrtæ, qui hirundinem veniſſe nuntiabant* (Heſychio χελιδονιςαὶ) Ἦλθ', ἦλθε χελιδὼν καλὰς ὥρας ἄγουσα, καὶ καλοὺς ἐνιαυτοὺς, ἐπὶ γαστέρα λευκὰ κἀπὶ νῶτα μέλαινα· *Venit, venit hirundo albo ventre, & nigro dorſo, pulchra tempora adducens, & pulchros annos.* Cætera ibi vide.

Vide Athenæum. lib. 8. cap. 15. & Euſtathium in Odyſſ. φ'.

Proinde, ut *Theon* ad *Aratum* ſcribit, piſcem *Borealem* veteres cum hirundinis capite pingebant, & ἰχθὺν χελιδόνιαν vocabant, quia veris præludium ortu ſuo ſignificabat. Eodem pertinent hæc *Æliani Hiſt.* lib. 1. cap. 52. Χελιδὼν δ' ἄρα τῆς ὥρας τῆς ὡραίας ὑποσημαίνει τὴν ἐπιδημίαν· *Hirundo pulcherrimæ anni tempeſtatis adventum ſignificat.* Et *Ovidii* penè in fine libri ſecundi *Faſtorum*,

Fallimur, an veris prænuntia venit hirundo?

Et *Columella* in *Horto*,

Veris & adventum nidis cantârit hirundo.

Et *Calphurnii Eclogâ* quintâ,

- - - *vere novo, cum jam tinnire volucres*
Incipiant, nidosque reverſa lutabit hirundo.

Et incerti *Poeta* inter *Epigrammata* veterum libro quarto,

Tempus vernum hædus petulans, & garrula hirundo,
Indicat, & ſinus lactis, & herba virens.

Et quinto *Avieni*,

Nam, cum vere novo tellus ſe dura relaxat,
Culminibusque cavis blandum ſtrepit ales hirundo.

Sed, ſi una duntaxat aut altera hirundo appareat, ex *Ariſtotele* notum eſt *Græcorum* Proverbium *Moralium* libri primi capite ſexto Μία χελιδὼν ἔαρ οὐ ποιεῖ, *Una hirundo non facit ver.* Hirundinis apud nos mora ſolet eſſe ſex menſium. *Plinius* libri decimi capite vigeſimo quinto, *Temporum magna differentia avibus. Perennes, ut columbæ; ſemeſtres, ut hirundines; trimeſtres, ut turdi, & turtures.* Nempe hirundines initio veris veniunt, & abeunt in fine æſtatis. *Plinius* de *Arcturo* libri decimi octavi capite trigeſimo primo, *Signum orientis ejus ſideris ſervetur hirundinum abitu.* *Arcturus* autem oritur *Septembri* menſe. *Galenus*, Ἔστι μὲν ὡραιότατον τὸ θέρος... τὴν ἐπιτολὴν τοῦ Ἀρκτούρου, ὅς τις καιρὸς ἐν Ῥώμῃ ὁ καλούμενος μὲν Σεπτέμβριος ἐστι. Et circa *Autumni Æ*quinoctium. *Theophraſtus* de ceronia *Hiſtoriæ plantarum* libri quarti capite ſecundo, Ἀνθεῖ περὶ Ἀρκτοῦρον, καὶ ἰσημερίαν. vel (ut *Plinius* expreſſius libri ſecundi capite quadrageſimo ſeptimo) *Arcturus oritur undecim diebus ante æquinoctium.* Itaque quando migrent hirundines ſatis compertum eſt, ſed quo migrent non itidem. *Iſidorus* in genere, *Maria tranſvolat* (hirundo) *ibique hyeme commoratur.* *Anacreon* ubi ſupra,

Χειμῶνι δ' εἰς ἄφαντος,
Ἢ Νεῖλον, ἢ 'πὶ Μέμφιν.
Hyeme autem non conſpiceris,
Sive Nilum *aut* Memphim *petis.*

Herodotus libri ſecundi capite vigeſimo ſecundo, de *Æthiopia* ſub *Ægypto*, ἰκτῖνοι δὲ, καὶ χελιδόνες δι' ἔτεος ἐόντες οὐκ ἀπολείπουσι· *Milvi, & hirundines toto anni tempore ibi ſunt, nec per hyemem diſcedunt.* Utut ſit, diſcedens agmen deſerere apud eas grave crimen eſt, ſi vera ſunt hæc *Martialis* libri quinti *Epigrammate* 68.

Hibernos peterent ſolito cum more receſſus
Atthides *in nidis una remanſit avis:*
Deprendere nefas ad tempora verna reverſæ,
Et profugam volucres diripuêre ſuæ.

Sed & à frigore manentibus non leve imminet periculũ. *Plinius* in loco jam citato de *Arcturo* ſidere, *Signum orientis ejus ſideris ſervetur hirundinum abitu; namque deprehenſæ intereunt.* Tamen in apricis locis quaſdam manere certum eſt, quæ non moriuntur omnes, ſed nudantur, & deplumantur. Quocirca *Philoſophus Hiſtoria animalium* libri octavi capite decimo ſexto, poſtquam milvos, & hirundines, hyeme in tepidiora loca conferre ſe docuit, cum non ſunt remota nimis, Οἱ δὲ πορρωτέρω ὄντες τῶν τοιούτων, inquit, οὐκ ἐκτοπίζουσι, ἀλλὰ κρύπτουσιν ἑαυτούς· ἤδη γὰρ ὠμμέναι εἰσὶ πολλαὶ χελιδόνες ἐν ἀγγείοις (lege ἐν ἄγκεσι. vel ἐν ἀγκαλίαις) ἐψιλωμέναι πάμπαν· *Quæ autem aves ab hujuſmodi locis ſunt remotiores, indè non migrant, ſed ſe abſcondunt: jam enim in convallibus viſæ ſunt multæ hirundines planè deplumes.* Et hunc ſequutus *Plinius* libri decimi capite vigeſimo quarto, *In vicina abeunt* (hirundines) *apricos ſequutæ montium receſſus, inventæque jam ſunt ibi nudæ, atque deplumes.* Cujuſmodi hirundini *Eutropii*, Eunuchi jam effœti depile caput, & tineâ exeſum, *Claudianus* his verbis confert libro primo in *Eutropium*,

Vel qualis gelidis pluma labente pruinis
Arboris immoritur trunco brumalis hirundo.

Sed, cum *Propheta* dicit hirundines nôſſe tempus adventûs, aut receſſûs ſui, non neceſſe eſt id de omnibus intelligere, nulla excepta. Et ſufficit, ut in pleriſque id impleatur, ut hoc exemplo moneamur, quam rectè dixerit *Heſiodus*,

- - - καιρὸς δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστος.

& unus è ſeptem Sapientibus, quos *Græcia* celebravit, Καιρὸν γνῶθι, *Noſce tempus.* Quæ ipſiſſima Sacri vatis verba ſunt.

Unum addo, in *Græco Tobiæ* exemplari legi capitis ſecundi verſu undecimo, τὰ στρουθία *aviculas* in ejus oculos ſtercus egeſſiſſe, quod pertinere ad hirundines rectè vidit *Hieronymus*, qui ſic reddit; *Contigit, ut ex nido hirundinum dormienti illi calida ſtercora inciderent ſuper oculos ejus.* Quia id hirundini peculiare eſt, quod pullorum ſtercora aut ipſa mater ex nido ejicit, cum parvuli ſunt; aut eos docet ex nido egerere, cum ſunt grandiuſculi. *Ariſtoteles Hiſtoria animalium* libri noni capite ſeptimo, Καὶ κόπρον τὸ πρῶτον αὐταὶ ἐκβάλλουσιν· ὅταν δὲ αὐξηθῶσι μεταστρέφοντας ἔξω διδάσκουσι τοὺς νεοττοὺς προΐεσθαι. Quæ à *Plinio* ſic reddita libri decimi capite trigeſimo tertio, *Notabili munditia egerunt excrementa pullorum: adultioreſque circumagi docent, & foràs ſaturitatem emittere.* Neque diſſimilia hæc *Arabum* in *Damire*,

ولا يلقي في عشه زبلا بل يلقيه
الى خارج فاذا اكبر فراخه علمها
ذلك

Neque in nidum ſed foràs ſtercus excernit, quod ipſum pullos edocet, cum adoleverunt. *Gorgiæ* legitur quid ſimile accidiſſe. In eum enim hirundo ſtercus egeſſit. *Plutarchus Sympoſiacωn* libri octavi capite ſeptimo, Γοργίας δὲ ὁ Σοφιστὴς, χελιδόνος ἀφείσης ἐπ' αὐτὸν ἀπόπατον, ἀναβλέψας πρὸς αὐτὴν, Οὐ καλὰ ταῦτα (εἶπεν) ὦ Φιλομήλα· Gorgias Sophiſta, *cum hirundo ſtercus in eum emiſiſſet, oculis ad illam converſis, hæc, inquit, decora non ſunt, O Philomela.* Quod laudat *Philoſophus* tanquam appoſitè dictum *Rhetoricorum* libri tertii capite tertio. Quia ὄρνιθι μὲν, εἰ ἐποίησεν, οὐκ αἰσχρὸν, παρθένῳ δὲ αἰσχρόν· εὖ οὖν ἐλοιδόρησεν, εἰπὼν ὃ ἦν, ἀλλ' οὐχ' ὃ ἔστιν, *avi quidem, ſi feceras, id turpe non eſt, ſed puellæ turpe eſt. Rectè igitur eam convitiatus eſt, id dicens quod fuerat, non autem quod tum erat.* Nec eſt, quod quis miretur hirundini indi *Philomelæ* nomen, cum vulgo ſit perſuaſiſſimum Philomelam eſſe luſciniam. Res enim eſt in ambiguo. Et multi veterum *Prognen* in luſciniam, ac *Philomelam* in hirundinem mutatam fuiſſe disertè tradunt. Quod nullo negotio probaverim, ſi hæc res ageretur. Sed alio jam properamus.

CAPUT UNDECIMUM

De Grue.

Cur nulla ſit avis grue vocalior, ratio Anatomica. Ideò Ezechiam *in morbo ejulantem cum grue conferri.* Eſ. 38, 14. *Sic in* Talmude, Clamabat ut grus. *Ita etiam* Græci *&* Romani *Poetæ. Plura de clangore gruum. Gruis nomina omnibus linguis ejus vocem utcunque exprimunt. Grues ex ultimis in ultima terrarum migrant, id eſt, ex* Scythia *ad Nili fontes. In* Thracia *naſci credita. Inde diſceſſura ad* Hebrum *fluvium conveniunt.* Scythicæ Pontum *transvolant, ubi eſt anguſtiſſimus, id eſt, inter* Criu-Metopon *&* Carambin*: qua loca quantum diſtent.* Strabonis *& aliorum error. Grues trajecturas ſaburrâ ſtabiliri, & lapillos pedibus vel ore ferre, vel etiam vorare. An hi lapilli ſint auri indices. Mira inter profecturas concordia.* Congruere, *&* ingruere, *à gruibus dictum. Grues quatuor de cauſis altè volant, & agmine triangulari, cujus baſim impellat ventus. Literas quaſdam in volatu ſuo imitantur.* Noto *flante, vel aquilâ viſâ, turbatur ordo. Duces in primo agmine, &* οὐραγοὶ *in extremo, plebs in medio. Quomodo inter volandum ſemutuo juvent. In quo ſitu dormiant, duce interim vigilante. Vigiliæ per vices. Vigiles cur lapidem pede ferant. Lapis ille gruibus non* ἔνδον*, ut in* Æliano *legitur, ſed* δι' ὕπνον. Pygmæi *non prorſus fabuloſi.* Arabum *hiſtoriola de horum pugna cum gruibus. Grues* Mæmacterione *menſe migrant: id eſt, medio Autumno; non ineunte, ut multi volunt. Redeunt vere, & æſtate.* Theocriti Scholiaſtes *ſementis initio eas apparere ſcribit, quod contrà eſt migrationis tempus. Grues à* Jeremia*, & ab aliis, proponi in exemplum prudentiæ. Cur grus ſit in avibus mundis potiùs quam ciconia.* Vox עגור agor, *pro grue veteribus ignota, à ſolo* Chaldæo *rectè reddita, licèt ordine præpoſtero. Indè verbum* Arabicum عجر agara, *id eſt*, gruum inſtar ad ſuos poſtliminio redire, *& Perſicum* ἄγαρι. *An agor ſit aquila Cyprii.*

IN Anatomia gruis aliquid peculiare obſervaſſe ſe ſcribit *Bellonius* libri quarti capite primo *De Avibus*, quod nimirum *canna pulmonis aliter ſe habet quam in aliis. Sterno enim,* inquit, *adhærens carnem utrimque penetrat. Ac proinde mirum non eſt, quod vox ejus tam longè auditur. Neque enim ulla eſt avis tam vocalis atque grus.* Hinc *Eze-*

chiæ in euchariſtico carmine, poſtquam à morbo convaluit Eſ. 38, 14. כסוס עגור כן אצפצף, ut ſis, & agor pipiebam, id eſt, ut hirundo, & grus; quarum avium una querulam, altera contentiſſimam habet vocem. Inter ſis & agor deeſt Copulativa Vau; ut Hab. 3, 11. שמש ירח עמד זבלה, Sol, Luna (id eſt Sol, & Luna) ſteterunt in loco ſuo. Et 1. Par. 2, 1. Ruben, Simeon, Levi, pro Ruben, & Simeon, & Levi. Itaque mens Ezechiæ hæc eſt, ſe, gravi morbo afflictum, non modo inſtar hirundinis leni murmure gemuiſſe, ſed & gruis inſtar contenta voce ejulâſſe. Sic Talmudici in Tractatu Kiddusim cap. 2. fol. 44. a. צווח ר״ל ככורכיא. *Et clamabat ut grus dominus* Lakis. Et *Smyrnæus* libro tertio de *Nereidum* planctu in morte *Achillis*,

- - - - - - - ταὶ δ' ἐφέροντο
Κλαγγηδὸν κραιπνῇσιν ἐοικόμεναι γεράνοισιν,
(a) Ὀσσόμεναι μέγα χεῖμα, - - -

a) Lege Ὀσσομέναις.

Illa verò ferebantur cum clangore, citis gruibus ſimiles, quæ magnam tempeſtatem præſentiſcunt. Et libro decimo tertio, ubi de *Trojæ* excidio,

- - - στοναχὴ δὲ δαϊζομένων αἰζηῶν
Ἔπλετο λευγαλέη, περὶ δ' ἴαχε πάντα μέλαθρα,
Ἄσπετον· οἰμωγὴ δὲ πόλιν στονόεσσα γυναικῶν
Εἰδομένων γεράνοισιν, ὅτ' αἰετὸν ἀθρήσωσιν
Ὑψόθεν αἴσσοντα δι' αἰθέρος, οὐδ' ἄρα τῇσι
Θαρσαλέον στέρνοισι πέλει μένος, ἀλλὰ ἰμῦνον
Μακρὸν ἀνατρύζουσι, φοβεύμεναι ἱερὸν ὄρνιν.

Et juvenum cæſorum gemitus erat miſerabilis, omnesque domus horrendum reſonabant. Et triſtiſſimus erat mulierum ejulatus, gruibus ſimilium, cum aquilam vident ex alto per ætherem irruentem. Nec fortis illis in pectore vis reſidet, ſed tantummodo multum ſtrident, ſacram Jovis *alitem formidantes.* *Homerus* quoque militum barritum cum gruum clangore conferens initio libri tertii *Iliados*,

Τρῶες μὲν κλαγγῇ τ' ἐνοπῇ τ' ἴσαν, ὄρνιθες ὥς,
Ἠΰτε περ κλαγγὴ γεράνων πέλει οὐρανόθι πρό.

Trojani *quidem cum clangore & clamore ibant ut aves, qualis eſt gruum clangor ad cœlum uſque.* Quod *Maro* imitatus *Æneidos* libro decimo,

- - - *clamorem ad ſidera tollunt*
Dardanidæ è *muris, quales ſub nubibus atris*
Strymoniæ *dant ſigna grues, atque æthera tranant*
Cum ſonitu, fugiuntque Notos *clamore ſecundo.*

Et *Martialis*, ut anum *Philænidem* non loquacem ſolum, ſed & vocalem ac *Stentoream* fuiſſe ſignificet, libri noni *Epigrammate* 30.

Heu, qua lingua ſilet! Non illam mille catasta
Vincebant, nec quæ turba Serapin *amat.*
Nec matutini cirrata caterva magiſtri,
Nec quæ Strymonio *de grege ripa ſonat.*

Sed & ad gruum clamorem pertinent quæ ſequuntur. *Homerus* iterùm ubi ſuprà,

Κλαγγῇ ταί γε πέτονται ἐπ' Ὠκεανοῖο ῥοάων,

Cum clangore hæ volant ad Oceani *fluenta.* *Heſiodus* in *Operibus*,

Φράζεσθαι δ', εὖτ' ἂν γεράνου φωνὴν ἐπακούσῃς,
Ὑψόθεν ἐκ νεφέων ἐνιαύσια κεκληγυίης,

Attende cum vocem gruis audieris ſurſum ex nubibus quotannis clangentis. *Lucretius* libri quarti verſu 18.

Parvus ut eſt cygni melior canor, ille gruum quàm
Clamor in ætheriis diſperſis nubibus Auſtri.

Claudianus de bello *Gildonico*,

Ingenti clamore grues æſtiva relinquunt
Thracia, *cum tepido permutant* Strymona Nilo.

Proinde *Euſtathius* gruem dicit avem eſſe φωνήεσσαν *vocalem*. Et notandum pleraſque linguas ipſo avis nomine vocem illius utcumque imitari. Ità *Hebræum* עגור *agor*, Chaldæum כורכיא *kurkeja*, Arabica كركي *kurki*, & غرنوق *gurnuk*, Græcum γέρανος, Cambro-Britannicum *garan*, German. *cran*, Ro-

manum *grus* ſunt totidem voces ὀνοματοποιηθεῖσαι. Hinc *Iſidorus*, *Grues nomen de propria voce ſumpſerunt. Tali enim voce ſuſurrant.* Et *gruere* eſt *gruum more clangere.* Feſtus, *Gruere dicuntur grues, ut ſues grunnire.* Poëmatium *De cantu Philomelæ*,

Grus gruit, inque glomis cygni prope flumina drenſant.

Gloſſarium vetus; *Gruunt*, γερανίζουσι. Interim, ne quis putet grues ſemper ſonora voce clangere, *Damir* hæc habet de grue, quæ excubias agit, dum reliquæ dormiunt: والذيب يحرس يهتف خائي كانه ينذر بانه حارس *Et quæ in cuſtodia eſt nonniſi ſubmiſſa voce murmurat, ac ſi ſciret ſe eſſe in cuſtodia.* Quod ipſum ad *Ezechiæ* locum non abſurdè referatur, quaſi hoc gruis lene murmur cum hirundinis minuritione junxerit.

Nunc de migratione gruum agemus in illud *Jerem.* 8, 7. *Turtur, & hirundo, & grus cuſtodierunt tempus adventus ſui.* In genere gruem non ſolum alio migrare conſtat, ſed & fuga frigoris in remotiſſima loca proficiſci. *Symeon Sethi*, Τὸ δὲ ζῶον τοῦτο πλανὸν διέρχεται τὴν οἰκουμένην ἅπασαν, μὴ μένον ἐν ἑνὶ κλίματι. *Hæc avis omnem terrarum orbem peragrat, in una regione haud quaquam manens.* Ariſtoteles *Hiſtoriæ animalium* libri octavi capite duodecimo, Ἐκτοπίζουσιν εἰς τὰ ἔσχατα ἐκ τῶν ἐσχάτων. *Ex ultimis in ultima* (grues) *migrant.* Id eſt, ut ipſe interpretatur, ἐκ τῶν Σκυθικῶν εἰς τὰ ἕλη τὰ ἄνω τῆς Αἰγύπτου, ὅθεν ὁ Νεῖλος ῥεῖ, *ex* Scythicis *oris ad paludes, quæ ſunt ſupra* Ægyptum, *unde fluit* Nilus. *Herodotum* ſequutus, qui, de *Nili* fontibus & vicino *Oceano* agens libri ſecundi capite vigeſimo ſecundo, Γέρανοι δέ, inquit, φεύγουσαι τὸν χειμῶνα, τὸν ἐν τῇ Σκυθικῇ χώρῃ γινόμενον, φοιτῶσι εἰς χειμασίην ἐς τοὺς τόπους τούτους· *Grues*, Scythicæ *plagæ hyemem fugientes, ad illa loca hyematum ſe conferunt.* *Ælianus* etiam *Hiſtoriæ animalium* libri tertii capite decimo tertio, Εἰς Αἴγυπτόν τε, καὶ Λιβύην ἀπαίρουσι, καὶ Αἰθιοπίαν, ὥσπερ γὰρ οὖν γῆς περίοδον εἰδυῖαι, καὶ φύσεις ἀέρων, καὶ ὡρῶν διαφορὰς στέλλονται αἱ πᾶσαι· *Quaſi terræ ambitum, & cœli naturam, & temporum varietatem nôſſent, in* Ægyptum, Libyam, & Æthiopiam *abeunt, & proficiſcuntur omnes.* Et *Homerus* multò ante,

- - - ταί γε πέτονται ἐπ' Ὠκεανοῖο ῥοάων,

Ad Oceani *fluenta hæ volant*, nempe *Auſtralis*, ubi *Pygmæi*; quod docent ſequentia. Unde *Pompeio Lucullus* apud *Plutarchum*, Εἶτά σοι δοκῶ ἐλάττονα τῶν γεράνων νοῦν ἔχειν, καὶ τῶν πελαργῶν, ὥστε ταῖς ὥραις μὴ συμμεταβάλλειν τὰς διαίτας; *An tibi videor gruibus & ciconiis minus ſapere, ità ut cum anni tempeſtatibus ſtationes non mutem?*

Pleraſque in *Thracia* naſci veteres crediderunt. *Ælianus* ubi ſupra, Αἱ γέρανοι γίνονται μὲν ἐν Θρᾴκῃ· *Grues quidem in* Thracia *naſcuntur.* Et paulo poſt, Οὐκοῦν φιλοῦσι τὴν χώραν, ἐν ᾗ γεγόνασι· *Regionem igitur amant, in qua nati ſunt.* Inde *Thraciæ aves* dicuntur, & *Strymoniæ*, & *Biſtoniæ*, à *Strymone* fluvio, & *Biſtone* lacu *Thraciæ*, unde creduntur proficiſci. *Virgilius* libro decimo *Æneidos*,

- - - - *quales ſub nubibus altis*
Strymoniæ *dant ſigna grues.* - - -

Lucanus libri tertii verſu 199.

Deſeritur Strymon *tepido committere* Nilo
Biſtonias *conſuetus aves.* - - - -

Et libri quinti verſu 711.

Strymona *ſic gelidum, bruma pellente, relinquunt,*
Poturæ te, Nile *grues.* - - - -

Et libri ſeptimi verſu 832.

- - - - - *vos, quæ* Nilo *mutare ſoletis*
Threïcias *hyemes.* - - - -

Martialis nuper citatus,

Nec quæ Strymonio *de grege ripa ſonat.*
Seneca in *Oedipo* Actu tertio,
Nec tanta gelidi Strymonis *fugiens minas*
Permutat hyemes ales, & cœlum ſecans
Tepente Nilo *penſat* Arctoas *nives.*
Claudianus de bello *Gildonico*,
- - - - - - - - *æſtiva relinquunt*
Thracia, *cum tepido permutant* Strymona Nilo.
Antipater Sidonius capite decimo ſexto libri tertii *Anthologiæ*,
- - - - - - - - καὶ ἁρπάκτειραν ἐρύκων
Σπέρματος ὑψιπέτην Βιστονίαν γέρανον· - - -
Et ſeminis direptricem arcens altivolam Biſtoniam *gruem.* E *Thracia* diſceſſuræ dicuntur ad *Hebrum* amnem convenire. *Ælianus* libri ſecundi capite primo, Ὅταν τὰ ἤθη τὰ τῶν Θρᾳκῶν καὶ τοὺς κρυμοὺς ἀπολείπωσι τοὺς Θρᾳκίους αἱ γέρανοι, ἀθροίζονται μὲν ἐς τὸν Ἕβρον· *Cum* Thracum *ſedes & frigora grues relinquunt congregantur ad* Hebrum. *Tzetzes* Chiliad. 4. *Hiſt.* 120.
Ὅταν γοῦν πρὸς τὴν Αἴγυπτον μέλλουσιν ἀποτρέχειν,
Ὡς πρὸς τὸν Ἕβρον ποταμὸν τὸν Θρᾳκικὸν ἐλθοῦσαι·
Cum in Ægyptum *evolaturæ ſunt, ubi ad* Hebrum Thraciæ *fluvium venerint.*

Sed *Scythicis* gruibus alio eſt iter, nempe per *Pontum*, quem transvolant. Unde *Virgilius* libro ſexto *Æneidos*,
- - - - *ad terram gurgite ab alto*
Cum multæ glomerantur aves, ubi frigidus annus
Trans Pontum *fugat, & terris immittit apricis.*
Atque illas *certum eſt*, inquit *Plinius*, Pontum *transvolaturas, primum omnium anguſtias petere inter duo promontoria* Criu-metopon *&* Carambin. Quæ nonniſi CLXXM paſſuum intervallo diſtant, ut idem aſſerit libri quarti capite duodecimo. Alii quidem aliter ſtatuunt, nempe tridui navigatione, vel, quod ferè idem eſt, bis mille quingentis ſtadiis ab invicem diſtare duo hæc promontoria. *Dionyſius Periegetes* verſu 155.
Ἀντ᾽ ἄμφω ξυνίασιν ἐναντίαι, οὐ μὲν ἰοῦσαι
Ἐγγύθεν, ἀλλ᾽ ὅσον ὁλκὰς ἐπὶ τρίτον ἦμαρ ἀνύσσῃ.
Quæ *Priſcianus* ità reddidit,
Ergò conveniunt adverſi gurgite tanto
Diſtantes, quantum ternis tranſire diebus
Evaleat navis. - - - -
Et *Ammianus* libro vigeſimo ſecundo, *Haud procul indè attollitur* Carambis, *&c. Cujus è regione* Criu-metopon, Tauricæ *promontorium, duobus millibus & quingentis ſtadiis diſparatum. Strabo* etiam libro ſecundo, Τὸ μὲν οὖν τῆς Εὐρώπης ἀκρωτήριον καλεῖται Κριοῦ μέτωπον, τὸ δὲ τῆς Ἀσίας Κάραμβις, διέχοντα ἀλλήλων περὶ δισχιλίους σταδίους, καὶ πεντακοσίους· Europæ *quidem promontorium vocatur* Criu-metopon (frons arietis) Aſiæ *autem* Carambis, *abinvicem diſtantia ſtadiis circiter* MMD. Quæ tamen ſunt falſiſſima, & palàm refelluntur ipſius *Strabonis* verbis libro tertio, Διέστηκε δ᾽ ἡ Κάραμβις τῆς μὲν τῶν Χερρονησιτῶν πόλεως σταδίους δισχιλίους, καὶ πεντακοσίους, τοῦ δὲ Κριοῦ μετώπου πολὺ ἐλάττους τοῦ ἀριθμοῦ· Carambis *quidem diſtat ab urbe* Cherſoneſitarum *ſtadiis bis mille quingentis, ſed* Criu-metopon *longè minùs.* Rectè omnino: nam aliud *Cherſoneſus* urbs, aliud *Cherſoneſus* regio, in qua urs illa ſita. Et urbs quidem, quæ eſt in *Boreali Cherſoneſi* parte à *Carambi* verè diſtat MMD ſtadiis. Sed in oppoſita parte *Cherſoneſi Criu-metopon* eſt *Carambi* multò propius. Tamen hæc promiſcuè ſumpta ſunt: & quòd de urbe *Cherſoneſo* nonnulli ſcripſerant, illam à *Carambi* diſtare ſtadiis MMD, ità ſumptum eſt, quaſi de tota *Cherſoneſo* dictum, atque illius parte maximè *Auſtrali*, nempe *Criu-metopo.* Sed hujus commenti vanitas ex eo maximè apparet, quod ibidem à *Strabone* additur, Σύχνοι γοῦν τῶν διαπλευσάντων τὸν πορθμὸν, ἅμα φασὶν ἀμφοτέρας ἰδεῖν τὰς ἄκρας ἑκατέρωθεν· *Multi eorum, qui hoc fretum enavigârunt, ſe ſimul vidiſſe ajunt utrumque promontorium*, in medio ſcilicet ſpatio conſtituti; quod non fieret, ſi fretum pateret MMD ſtadiis. Imbecillior enim eſt humani oculi acies, quam ut ad MCCL. ſtadia poſſit penetrare, quæ faciunt horarias leucas plus LII.

Utut ſit, tam in hujus freti trajectu, quam in reliquo itinere, miram emicare gruum induſtriam tradunt veteres. *Plinius Pontum* transvolaturas *ſaburra ſtabiliri* aſſerit, &, *cum medium tranſierint, abjici lapillos è pedibus, cum attigerint continentem, & è gutture arenam.* Id eſt, tum demum non jam lapillos, ſed arenam etiam evomi. Quod *Solinus* diſertiùs, *Ne pergentibus ad deſtinata vis flatuum renitatur, arenas devorant, ſublatiſque lapillulis ad moderatam gravitatem ſaburrantur.* Et paulò pòſt, *Cum contra medium* (Pontum) *adventâſſe ſe ſciunt, ſcrupulorum ſarcinâ pedes liberant. Ità nautæ prodiderunt, complures ſæpe ex illo caſu imbre ſaxatili. Arenas non priùs revomunt, quam ſecuri ſedis ſuæ fuerint. Caſſiodorus* quoque horum lapillorum ità meminit *Variorum* libri quarti *Epiſtola* quadrageſima ſeptima, *Grues, pelagus tranſituræ, parvos lapillos uncis pedibus amplectuntur, ut nec earum levitas nimio vento rapiatur, nec nativa celeritas iniquis ponderibus ingravetur.* Scholiaſtes *Ariſtophanis* in *Avibus*, & ex eo *Suidas* diverſa planè de cauſa lapillos iſtos à gruibus geſtari & projici putant: nempe, ut ex cadentis ſono ſentiant πότερον ἐπὶ γῆς, ἢ ἐπὶ θαλάσσης φέρονται· καὶ εἰ μὲν ἐπὶ θαλάσσης ἤκουσεν ὁ λίθος, ἀνύουσι τὴν ὁδὸν εἰ δὲ ἐπὶ γῆς, ἀναπαύονται, *an ſupra terram, aut ſupra mare ferantur; ſi autem lapis in mare deciderit, ire pergunt; at ſi in terram, quieſcunt.* At *Maximus Tyrius* Oratione quadrageſima grues hunc lapidem aſſerit in ore pro ſaburra geſtare. Οὐ πρότερον, inquit, ἀνίπταται, πρὶν ξυλλάβῃ λίθον τῷ στόματι, ἔρμα μὲν εἶναι αὐτῇ πρὸς τὴν πτῆσιν, φυλακὴν δὲ πρὸς σωτηρίαν· *Non antè volat, quam lapidem roſtro ſuſceperit, ut firmamentum ad volatum ipſi ſit, & ad ſalutem cuſtodia.* Neque aliter *Nonnus Dionyſiacων* libri quadrageſimi verſu 521.
Αἳ στομάτων ἔκτοσθεν ἀοσσητῆρα κελεύθου
Λᾶαν ἐλαφρίζουσι κατὰ ῥαχίην, μήποτε κείνων
Ἱπταμένων πτερὰ κοῦφα παρεπλάγξειεν ἀήτης.
Quæ in ore auxiliatorem viæ gravem lapidem ferunt, ne quando ipſarum volantium alas leves aberrare faciat ventus. Et *Phile* capite decimo,
Τίς ἕρμα ποιεῖ τῇσι γεράνοις τὰς λίθους,
Ἃς ἐγκαθειργνύουσι τοῖς παρισθμίοις,
Πρὸς τὰς ὑπὲρ γῆς ἐμβολὰς τῶν πνευμάτων;
Quis fecit, ut gruibus pro ſaburra eſſent lapides, quos faucibus includunt ad ventorum impetus, qui ſunt ſuper terram? Malè legunt ἀμβολάς. Id enim ex his *Æliani* ſumptum, Λίθον δὲ ἑκάστη καταπιοῦσα, ὡς ἔχειν καὶ δεῖπνον, καὶ πρὸς τὰς ἐμβολὰς τῶν ἀνέμων ἕρμα, πειρῶνται τοῦ μετοικισμοῦ· *Unaquaque, lapide vorato, quem & cœnæ & ſaburræ loco habeat, adverſus ventorum impetus, migrationem aggreditur.* Alii hunc lapidem auri indicem eſſe dictitant. Idem *Ælianus* libri tertii, capite decimo tertio, Γέρανος δὲ λίθον ὅνπερ οὖν καταπίνει πετόμενη ὑπὲρ τοῦ ἔχειν ἕρμα, χρυσοῦ βάσανός ἐστιν· *Lapis, quem volatura grus pro ſaburra devorat, eſt auri index.* Itaque *Phile* vocat
Λίθους κριτικὰς τοῦ χρυσοῦ τοῖς ἐμπόροις,
lapides mercatoribus auri indices. Sed hoc commentum ità refellit *Ariſtoteles*, *Hiſtoria animalium* libri octavi capite duodecimo, τὸ δὲ περὶ τοῦ λίθου ψεῦδός ἐστι λέγεται γὰρ ὡς ἔχουσιν ἕρμα λίθον, ὃς γίνεται χρήσιμος πρὸς τὰς τοῦ χρυσοῦ βασάνους, ὅταν ἐξεμέσῃ. *Quod de lapide narrant falſum eſt; lapidem nempe eas pro ſaburra habere, qui, cum deciderit, utilis ſit ad auri probationem* Sed, ſi hoc ſit commentitium, erunt fortaſſe veriora, quæ jam ſequentur.

Mirus eſt inter illas concentus, conſenſuſque, mira animorum concordia. Plinius, *Quando proficiſcuntur, conſentiunt.* Solinus, *Concors cura omnium pro* *fati-*

fatigatis, adeò, ut, ſi quæ defecerunt, congruant univerſæ, laſſataſq́ue ſuſtollant, neq́ue dum vires otio recuperentur. Ubi nota *congruendi* verbum, à gruibus ſumptum: de gruibus propriè uſurpari, unde ad alia transfertur. *Feſtus*, Congruere *dictum eſt à gruibus, quæ non ſeſegregant, ſive cùm volant, ſive cum paſcunt.* Ita *ingruere* eſt *gruum inſtar magno agmine irruere.* Unde ad milites, ad imbrem, ad grandinem, & ad alia translatum. Et in *Solino* leguntur *fluctus ingrui.*

Nec immeritò *Oppianus*,

- - ὑψιπετῆ γεράνων χορὸν, - -

altivolantem gruum chorum: & *Antipater Sidonius*,

- - - - - - ὑψιπετῆ Βιςονίαν γέρανον,

altivolantem Biſtoniam *gruem* dixit. Et *Virgilius*,

Aeriæ fugêre grues, - - - -

id eſt, interprete *Servio*, *in altum volantes.* Et *Auſonius* in *Monoſyllabis*,

Ibycus *ut periit index fuit altivolans grus.*

Et grus de ſeipſa in *Avieno*, Fabulâ 15.

- - - - - - *Sublimis in aera pennâ*
Proxima ſideribus numinibusq́ue feror. -

In altum enim volant grues, ad omnes aeris mutationes intentæ, ne à tempeſtate obruantur. *Ariſtoteles, Hiſtoria animalium* lib. 9. cap. 10. Εἰς ὕψος πέτονται πρὸς τὸ καθορᾷν τὰ πόῤῥω, καὶ ἐὰν ἴδωσι νέφη, καὶ χειμέρια (*Antigonus* γὰρ συςρεφῆ) καταπτᾶσαι ἡσυχάζουσιν· *In altum volant, ut procul proſpiciant: & ſi nubes, & tempeſtatem* (aut *turbinem*) *videant, infra devolantes quietæ manent.* Itaque eſt inter prognoſtica futuræ tempeſtatis, cùm nauta è medio mari videt γεράνους ὑποςρεφούσας, καὶ τὴν ἔμπαλιν πετομένας, *grues revertentes, & retrò volantes.* Ita *Ælianus Hiſtoria* libri 3. capite 14 Quibus ſimilia videas apud *Aratum*, *Virgilium*, *Plinium*, *Theonem*, & *Avienum*. Sed & grues *contendunt in altiſſima, ut de excelſiori ſpecula metiantur quas petant terras.* Ita *Solinus*, & *Iſidorus*. Videntur etiam ad ſumma niti, quia ibi tranquillior eſt aer, quod his verbis teſtatur *Horus* lib. 2. cap. 93. Ὑψηλῶς πάνυ ἵπταται (γέρανος) ἵνα θεάσηται τὰ νέφη, μὴ ἄρα χειμάζῃ, ἵνα ἐν ἡσυχίᾳ διαμένῃ: *Grus altè admodum volat, ut nubes conſpiciat, neque tempeſtate agitetur, ſed quieta maneat.* Quartam denique hanc cauſam affert *Alkazuinius*,

فاذا طارت ترفعت في الهوا جدا

كي لا يعرض لها شي من السباع

الطيور *Et cùm volat in ſublime multum evehitur, ne rapacium avium ulla ei occurrat.*

Agmen in ipſo volatu formam habet trianguli, qui baſi à ventis impulſus ſumma parte aerem ſecat. *Cicero* lib. 2. *De natura Deorum*, *Illud verò ab* Ariſtotele *animadverſum, grues, cùm loca calidiora petentes maria transmittunt, trianguli formam efficere. Ejus autem ſummo angulo aer ab iis adverſus pellitur. Deinde ſenſim ab utroque latere, tanquam remis, ita pennis curſus avium levatur. Baſis autem trianguli, quam grues efficiunt, ea tanquam à puppi ventis adjuvatur.* *Plutarchus* in libro *Utra animalia*, &c. Εἰς τρίγωνον συνάγουσαι σχίζουσι τῇ κορυφῇ τὸ πνεῦμα περιῤῥέον, ὥστε μὴ διασπᾶσθαι τὴν τάξιν· *In triangulum collectæ illius vertice ventum circumfuſum incidunt, ne diſtrahatur earum acies.* Ælianus lib. 3. cap. 13. Τρίγωνον ὀξύγωνον τὸ σχῆμα τῆς πτήσεως ἀπεργάζονται, ἵνα ἐμπίπτουσαι τῷ ἀέρι διακόπτωσιν αὐτόν· *In triangulum oxygonum volatum ſuum configurant, ut in aerem incidentes eum facilius ſecent.* *Phile* etiam eas volare aſſerit,

Εἰς ὁρμαθὸν τρίστοιχον ὀξυγωνίῳ,

in ordinem triquetrum acutis angulis. Et *Tzetzes*,

Τρίγωνον ὀξυγώνιον ποιοῦνται τούτων (a) πλεῖον,
Ὡς τὸν ἀέρα τέμνωσιν οὕτως εὐμαρεςέρως, a) Lege πτῆσιν.

Triangulum oxygonium faciunt earum volatus, ut aerem ſic facilius dividant. Quin triangulum hac figurâ quasdam literas imitari putantur, puta Λ. V. Δ. Λ. Υ. Unde *Hieronymus* Epiſt. 4. ad *Ruſticum*, *Grues unum ſequuntur ordine literato.* Ita etiam *Iſidorus*. Unde lux his *Lucani* de gruibus lib. 5. verſu 712.

- - - - - - - *primoq́ue volatu*
Effingunt varias caſu monſtrante figuras:
Mox, ubi percuſſit tenſas Notus *altior alas,*
Confuſos temere immiſtæ glomerantur in orbes,
Et turbata perit diſperſis littera pennis.

Et *Martialis* in *Xeniis*,

Turbabis verſus, nec littera tota volabit,
Unam perdideris ſi Palamedis *avem.*

Et de nomine *Earini* libri noni *Epigrammate* decimo quarto,

Quod pennâ ſcribente grues ad ſidera tollunt.

Et *Sympoſius*, *Ænigmate* trigeſimo ſexto, ubi grus dicit,

Littera ſum cœli pennâ perſcripta volantis.

Malim *perſcripta volante.* Et *Claudianus* de bello *Gildonico*, ubi de gruibus,

Ordinibus variis per nubila texitur ingens
Littera, pennarumq́ue notis inſcribitur aer.

Et *Caſſiodorus Variorum* lib. 8. *Epiſtolâ* 12. *Nam & hodie grues, qui claſſem conſociant, alphabeti formas, natura imbuente, deſcribunt.* Et in *Philoſtrati Heroicis* *Ulyſſes*, grues videns ſolito more volantes, in *Palamedem* reſpiciens, αἱ γέρανοι, ἔφη, μαρτύρονται τοὺς Ἀχαιοὺς, ὅτι αὐταὶ γράμματα εὗρον, οὐχὶ σύ· *Grues, inquit,* Græcis *teſtantur ſe, non te literas inveniſſe.* Legerim τοῖς Ἀχαιοῖς, non τοὺς Ἀχαιούς. Et *Nazianzenus* Oratione 34. Τίνος Παλαμήδους τακτικὰ, κινήματά τι, καὶ σχήματα γεράνων, ὡς πᾶσι, καὶ ταῦτα παιδεύματα, κινουμένων ἐν τάξει, καὶ μὴ ποικίλως τῆς πτήσεως; *Cujus* Palamedis *ſunt ordinati gruum motus, & figuræ, & præcepta, quibus, ut ajunt, in acie vario volatu ſe movent?* Eædem aquilâ viſâ (b) κολπωσάμεναι, μηνοειδὲς τὸ μέσον ἀποφήνασαι, ἀπειλοῦσιν ὡς ἀντιταξόμεναι, *ſinu ita aperto, ut creſcentis Lunæ ſpeciem imitentur, minantur tanquam obſtituræ;* & retrocedit aquila, volatumque inhibet. b) Ælian. Hiſt. lib. 3. cap. 13.

Habent duces in primo agmine, & οὐραγοὺς in extremo, quos deſcribit *Philoſophus* ἐπισυρίττοντας ἐν τοῖς ἐσχάτοις, ὥστε ἀκούεσθαι τὴν φωνήν, *inter poſtremos inſibilantes, ita ut vox audiri poſſit.* Unde *Plinius*; *Ducem, quem ſequantur, eligunt. Jam extremo agmine, per vices qui acclament, diſpoſitos habent, & qui gregem voce contineant.* Et *Solinus*, *Fidens meatu præit catervas, volatus deſidiam caſtigat voce, qua cogit agmen. Ea ubi obraucata eſt, ſuccedit alia.* *Ælianus* ſeniores, ac viarum peritas, & eſſe ἡγεμόνας τῆς πτήσεως *volatus duces*, & οὐραγεῖν aſſerit, id eſt, *extremum agmen regere*, dum in medio ſunt natu minores. Inprimis mirabile illud eſt, quomodo ſe inter volandum mutuò juvent. Cicero, *In tergo prævolantium colla & capita reponunt. Quod quia ipſe dux facere non poteſt, quià non habet ubi nitatur, revolat, ut ipſe quoque quieſcat. In ejus locum ſuccedit ex iis, quæ acquieverant, proxima, eaq́ue viciſſitudo in omni curſu ſervatur.* *Baſilius* in *Hexaëmeron* Homilia octava, Ἄλλο τι γὰρ ἄλλη τὴν ὁδηγίαν διαδέχεται, καὶ τακτόν τινα χρόνον προκαθηγησαμένη τῆς πτήσεως, εἰς τὸ κατόπιν περιελθοῦσα, τῇ μεθ' ἑαυτὴν τὴν ἡγεμονίαν τῆς ὁδοῦ παραδίδωσι. Unde *Ambroſius* in *Hexaemeron* libri quinti capite decimo quinto, *Præcedit una cæteris, præſtituto ſibi tempore, & quaſi ante ſigna præcurrit: deinde convertitur, & ſequenti ſortem ducendi agminis cedit.* *Caſſiodorus* libri noni *Epiſtolâ* ſecundâ, *His etiam volatus vicariâ æqualitate diſponitur, ultima fit prima, & quæ primatum tenuit eſſe poſterior non recuſat.* Damir *Arabs*,

يقدمها

يتقدمها واحد منها كالرايس لها وهي تتبعه ويكون ذلك حينا ثم يخلفه اخر منها مقدما حتى يصير الذي كان مقدما موخرا *Præcedit una ex illis, tanquam ducis vices præſtans, & alia ſequuntur, idque ad tempus. Deinde ſuccedit alia ex illo numero, donec quæ prima fuerat fiat ultima.*

Eadem in vigiliis ſervatur viciſſitudo, cum enim, volatu feſſæ, in terram deſcendunt, ut quieſcant, & ſomnos captent, reliquis dormientibus, una, aut altera, aut è toto numero paucæ per vices toti gregi invigilant. *Ariſtoteles* lib. 9. cap. 10. Ὅταν δὲ καθίζωνται, αἱ μὲν ἄλλαι, ὑπὸ τῇ πτέρυγι τὴν κεφαλὴν ἔχουσαι, καθεύδουσιν ἐπὶ ἑνὸς ποδὸς ἐναλλάξ, ὁ δ' ἡγεμὼν γυμνὴν ἔχων τὴν κεφαλὴν προορᾷ, καὶ ὅταν αἴσθηταί τι, σημαίνει βοῶν. *Cùm conſiſtunt, cætera dormiunt capite ſubter alam condito, alternis pedibus inſiſtentes. Dux autem* (id eſt, vigil) *detecto capite proſpicit, & quod ſenſerat voce ſignificat. Antigonus* idem ſequitur *Mirabilium* cap. 46. & *Alkazuinius* cum *Auctario*, واذا ارادت النوم ادخل كل واحد راسه تحت جناحها لعلمها ان الجناح احمل للصدمة من الراس لما فيه من العين التي هي اشرف الاعضا والدماغ الذي هو ملاك البدن ونام كل واحد منها قايما في احدي رجليه حتى لا يكون نومها ثقيل واما قايدها وحارسها فلا ينام ولا يدخل راسه في جناحه ولا يزال ينظر من جميع الجوانب فان احس باحد صاح باعلا صوته فاخبر اصحابه بالعدو ۞

Cum dormire volunt, caput ponunt ſub alis; quia ſciunt alas colliſionem melius ferre, quam caput, in quo eſt oculus partium nobiliſſima, & cerebrum, à quo pendet reliquum corpus. Dormiunt autem ſtantes in uno pede, ne gravis ſit ſomnus. Sed qui dux, & cuſtos eſt, à ſomno abſtinet, nec ſubter alis caput condit. Quin ab omni parte continuo proſpicit. Et ſi aliquem ſentit, edita voce clamat, ut sociis ſuis hoſtem adeſſe ſignificet. Alii duo quædam addunt, unum grues per vices vigilare. *Horus* lib. 2. c. 90. Αὗται γὰρ ἑαυτὰς φυλάττουσι γρηγοροῦσαι κατ' ὄρδινον ἐν πάσῃ τῇ νυκτί. *Eæ ſeipſas cuſtodiunt ordine tota nocte vigilantes.* Solinus, *Excubias nocte dividunt, ut exſomnis ſit decima quæq;.* Iſidorus, *Nocte excubias dividunt, & ordinem vigiliarum per vices faciunt.* Caſſiodorus, *Vigilant viciſſim, communi ſe cautelâ cuſtodiunt.* Baſilius, Τοῦ καιροῦ τῆς φυλακῆς πληρουμένου, ἡ μὲν βοήσασα πρὸς ὕπνον ἐτράπετο. ἡ δὲ τὴν διαδοχὴν ὑποδεξαμένη, ἧς ἔτυχεν ἀσφαλείας, ἀντιδίδωσιν ἐν τῷ μέρει. Quod *Ambroſius* ita diducit, *Ubi vigiliarum fuerit tempus impletum, perfuncto munere in ſomnum ſe præmiſſo clangore componit, ut excitet dormientem, cui vicem muneris traditura eſt. At illa volens ſuſcipit ſortem, nec, uſu noſtro, invita, & pigrior ſomno renuntiat. Sed impigrè ſuis excutitur ſtratis, vicem exequitur, & quam accepit gratiam pari curâ atque officio repræſentat.* Et *Damir*, في طبعة الخوف والتحارس بالنوبة فاذا قضي نوبته قام الذي كان نايما يحرس مكانه حتى تقضي كله ما يلزمها من الحراسة *E natura ejus eſt, ut timeat, & cuſtodias agat per vices. Et, cùm abſolvit vices ſuas, ſurgit una ex iis, quæ dormiebant, ut excubias agat ejus loco, donec omnes egerint excubias, quibus tenentur.* Alterum, lapidem vigiles pede ferre qui caſu ſuo dormientes aut dormiturientes excitet. Plinius, *Excubias habent nocturnis temporibus lapillum pede ſuſtinentes, qui laxatus ſomno & decidens indiligentiam coarguat.* Solinus, *Vigiles ponduſcula digitis amplectuntur, quæ, ſi fortè exciderint, ſomnum coarguant.* Plutarchus, Αἱ προφυλακὴν ἔχουσαι νυκτὸς, ἐπὶ θατέρου σκέλους ὀχοῦνται τὸ σῶμα, τῷ δ' ἑτέρῳ ποδὶ λίθον περιλαβοῦσαι κρατοῦσι· συνέχει γὰρ ὁ τῆς ἀφῆς τόνος ἐν τῷ μὴ καθεύδειν πολὺν χρόνον. Ὅταν δ' ἀνῶσιν, ἐκπεσὼν ὁ λίθος ταχὺ διήγειρε τὴν προεμένην. *Quæ noctu excubias agunt crurum alterutro corpus ſuſtinent, & altero pede lapillum prehenſum tenent. Et apprehenſionis contentio ſomnum aliquamdiu cohibet. Sed, quamprimum remiſere, decidens calculus negligentem ſtatim excitat.* Ælianus, Ἑστᾶσι μὲν ἀσκωλιάζουσαι, τῷ γε μὲν μετεώρῳ ποδὶ λίθον κατέχουσι τοῖς ὄνυξι μάλα ἐγκρατῶς τε, καὶ εὐλαβῶς· ἵνα ἐάν ποτε λάθωσιν ἑαυτὰς εἰς ὕπνον ὑπολισθαίνουσαι, πεσὼν καὶ ὑποκτυπήσας ὁ λίθος, ἀποδαρθάνειν [illegible]. *Unico quidem pede innituntur, & in altero, qui ſublimis eſt, lapillum unguibus firmiſſimè & ſumma cautione tenent; ut, ſi quando ſomnus obrepſerit, lapillus cadens ſtrepitu ſuo eas excitet.* Quæ eadem *Phile*, & *Tzetzes*. Itaque, cum grues *Ælianus* lapillos vorare dicit, ὡς ἔχειν καὶ δεῖπνον, καὶ πρὸς τὰς ἐμβολὰς τῶν ἀνέμων ἔρμα, *ut & pro cœna habeant, & pro ſaburra adverſus ventorum impetus*, videndum, annon pro δεῖπνον legi debeat δι' ὕπνον, *propter ſomnum*. Lapillos enim gruibus eſſe pro cœna valde abſurdum eſt. Sed voluit fortè *Ælianus* lapides à gruibus vorari, non ſolùm ut *Pontum* transvolaturis pro ſaburra ſit, ſed & ut, mari trajecto, evomiti ad ſomnum, quâ ratione diximus, arcendum inſerviant.

Gruum cum *Pygmæis* pugnas ad *Auſtralem Oceanum*, & *Nili* fontes, de quibus poſt *Homerum* multi multa nugantur, libenter prætermimus. Quamvis in ea fabula hoc ſaltem verum eſſe aſſerat *Philoſophus*, puſillos homines in iis locis degere, *Hiſt.* lib. 8. cap. 12. Μεταβάλλουσιν, inquit, αἱ γέρανοι ἐκ τῶν Σκυθικῶν εἰς τὰ ἕλη τὰ ἄνω τῆς Αἰγύπτου, ὅθεν ὁ Νεῖλος ῥεῖ. Ἔστι δ' ὁ τόπος οὗτος, περὶ ὃν οἱ Πυγμαῖοι κατοικοῦσιν. Οὐ γάρ ἐστι τοῦτο μῦθος, ἀλλ' ἔστι κατὰ τὴν ἀλήθειαν γένος μικρὸν μὲν, ὥσπερ λέγεται, καὶ αὐτοὶ, καὶ οἱ ἵπποι. Τρωγλοδύται δ' εἰσὶ τὸν βίον. *Ex* Scythicis *oris grues migrant ad paludes, quæ ſupra Ægyptum ſunt, unde profluit* Nilus. *Circa quem locum* Pygmæi *habitant. Neq; enim id eſt fabula. Sed re vera, ut ajunt, genus ibi parvum eſt tam hominum, quam equorum. Vitam autem Troglodyticam*, hoc eſt, in cavernis ſub terra degunt. Veros *Nili* fontes veteribus fuiſſe prorſus ignotos, nemo eſt, qui neſciat. Itaque hic *Nili* nomine intelligitur *Aſtaboras*, quem

Nili

Nili ramum eſſe veteres crediderunt, ut alibi probavimus. Oritur autem *Aſtaboras* ex locis *Avalitæ* ſinui proximis, & *Moſylo* emporio. Unde eſt, quod *Æthicus Nili* fontes ibi deſcribit. *Fluviumq́;* Nilum, inquit, *qui de littore incipientis maris* Rubri, *videtur emergere, in loco, qui dicitur* Moſſylon *emporium.* Et re verâ *Nonnoſus*, circa hæc loca navigans, ut ex *Homeritis* iret ad *Auxumitas*, Ἐνέτυχέ τισι μορφὴν μὲν καὶ ἰδέαν ἔχουσιν ἀνθρωπίνην, βραχυτάτοις δὲ τὸ μέγεθος, καὶ μέλασι τὴν χρόαν· ὑπὸ δὲ τριχῶν δεδασυμμένοις διὰ παντὸς τοῦ σώματος· εἵποντο δὲ τοῖς ἀνδράσι καὶ γυναῖκες παραπλήσιαι, καὶ παιδάρια ἔτι βραχύτερα. *Incidit in quoſdam formâ quidem & figurâ humanâ, ſed ſtaturâ breviſſimos, & colore nigros, & toto corpore piloſos. Sequebantur autem viros prope æquales fœminæ, & pueri adhuc breviores.* Ita *Photius* in *Excerptis* ex *Nonnoſi* hiſtoria, qui ſub *Juſtiniano* vixit. Sed & in *Heſychio* Νοῦβαι ſunt Πυγμαῖοι. *Nobæ*, id eſt, *Nubæ*, qui in illis locis degunt. Et *Strabo* de *Æthiopibus* ſub *Ægypto* lib.17. τά τε βοσκήματα αὐτοῖς ἐστι μικρὰ πρόβατα, καὶ αἶγες, καὶ βόες, καὶ κύνες μικροί· τραχεῖς δὲ καὶ μάχιμοι εἰσὶν ὄντες μικροί. Τάχα δὲ τοὺς Πυγμαίους ἀπὸ τῆς τούτων μικροφυΐας ἐπενόησαν καὶ ἀνέπλασαν· ἑωρακὼς μὲν γὰρ οὐδεὶς ἐξηγεῖται τῶν πίστεως ἀξίων ἀνδρῶν. *Pecora ipſis ſunt parvæ oves, & capræ, boves etiam, & canes parvi. Sed & ipſi incolæ puſilli ſunt, aſperi tamen & pugnaces. Et fortaſſe ob naturalem horum parvitatem* (veteres ibi locorum) Pygmæos *confinxerunt. Eos enim fide dignus nemo eſt qui viderit.* Nempe quales eſſe finguntur, trium palmorum altitudine, quales ne *Homerus* quidem dixerat. Sed hoc commentum auctores habet fabuloſiſſimos Scriptores, *Megaſthenem*, & *Daimachum*, de quibus *Strabo* lib. 2. Ἐνεσκεύασαν δὲ καὶ τὴν Ὁμηρικὴν τῶν Πυγμαίων γερανομαχίαν τρισπιθάμους εἰπόντες· Homericam Pygmæorum *in grues pugnam interpolarunt, trium palmorum eos eſſe dicentes.* Sed & *Arabes* idem referunt ex cujuſdam *Graculi* fide, qui *Jacobo, Iſaaci* filio, *Siragienſi* fertur ita narraſſe.

ركبت في بحر الزنج والقتني الريح
الي بعض الجزاير فوصلت منها الي
مدينة اهلها ناس قاماتهم قدم دراع
واكثرهم عور فاجتمع علي منهم جمع
وانتهوا بي الي ملكهم فامر بحبسي
فحبست في شبه قفص ثم رايتهم في
بعض الايام يستعدون القتال وقالوا
لنا عدو ياتينا في هذا الاوان فلم
يلبث الي ان طلعت عليهم عصابة
من الغرانيق وكان عورهم من نقرها
اعينهم فاخذت عصي وشددت عليها
وهربت واكرموني لذلك

Navigaban aliquando in mari Zingitano, *& impulit me ventus in quandam inſulam. In cujus oppidum cùm deveniſſem, reperi incolas cubitalis eſſe ſtaturæ, & pleroſque coclites. Quorum multitudo in me congregata me deduxit ad Regem ſuum. Juſſit is, ut captivus detinerer. Et in quandam caveæ ſpeciem conjectus ſum. Eos autem aliquando ad bellum inſtrui cum viderem, dixerunt hoſtem imminere, & fore ut propediem ingrueret. Nec multo poſt gruum exercitus in eos inſurrexit. Atque ideò erant coclites, quòd illorum oculos hæ confodiſſent. At ego, virgâ ſumptâ, in eas impetum feci, & illæ avolarunt, atque aufugerunt. Ob quod facinus in honore fui apud illos.*

Philoſophus (*Hiſt.* lib. 8. cap. 12.) grues è *Thracia* migrare ſcribit τοῦ Μαιμακτηριῶνος *Mamacterione menſe*: & *Ælianus* lib. 3. cap. 13. φθινοπώρου ἤδη μεσοῦντος *medio Autumno.* Unde maximè confirmatur quod contra *Gazam* contendit *Scaliger*, & contra *Petavium* *Samuel Petit* in *Eclogis chronologicis* lib. 4. in menſibus *Atticis Mamacterionem* non eſſe primum, ſed ſecundum *Autumnalium.* Reditus tempus *Ælianus* ita definit, ὅταν ὑπεύδια ἄρξηται, καὶ εἰρηναῖα τοῦ ἀέρος ὑποστρέφουσιν ὀπίσω· *Cum incipit aeris ſerenitas, & tranquillitas poſtliminio revertitur.* Et *Maximus Tyrius*, αἱ γέρανοι ἐξ Αἰγύπτου ὥρᾳ θέρους ἀφιστάμεναι, οὐκ ἀνεχόμεναι τὸ θάλπος, τείνασαι πτέρυγας ὥσπερ ἱστία, φέρονται διὰ τοῦ ἀέρος εὐθὺ τῆς Σκυθῶν γῆς· *Grues per æſtatem ex Æ*gypto *abſcedentes, quia calorem pati non poſſunt, alis velorum inſtar expanſis, per aerem ad* Scythicam *plagam rectà feruntur.* Proinde *æſtatis advenas* vocat *Plinius.* Quod ita accipio, ut *æſtatis* nomine etiam *ver* intelligam. In hæc *Theocritus Idyll.* 10.

Ἁ αἲξ τὸν κύτισον, ὁ λύκος τὰν αἶγα διώκει,
Ἁ γέρανος τὤροτρον, - - - -

Capra cytiſum, lupus capram ſequitur, grus aratrum, ſic habet *Scholiaſtes*, Ἀρχομένου γὰρ σπόρου αἱ γέρανοι φαίνονται, *Sementis enim initio grues apparent.* Quod non capio, quia ſementis tempore non veniunt grues, ſed migrant. Gruum enim migratio in *Autumnum* incidit, qui eſt ſationis ſolemne tempus. *Virgilius* lib. 1. *Georgicorum*,

Libra die ſomniq́; pares ubi fecerit horas,
Et medium luci atq; umbris jam dividit orbem,
Exercete viri tauros, ſerite ordea campis.

Ad quæ verba *Servius*, *Dicit frumenta ſerenda eſſe* Autumnali *tempore.* Itaque nugatur *Graculus*, à quo hæc *Scholia* ſcripta ſunt. Huic proinde *Ariſtophanes* eſt διαρρήδην oppoſitus. Is enim in *Avibus* nos jubet

Σπείρειν μὲν ὅταν γέρανος κρώζουσ' ἐς τὴν Λιβύην μεταχωρῇ.

Seminare cum grus clamans in Libyam *migrat.* Quod *Scholiaſtes* obſervat ſumptum eſſe ex *Heſiodi Operibus* verſu 446.

Φράζεσθαι δ', εὖτ' ἂν γεράνου φωνὴν ἐπακούσῃς,
Ὑψόθεν ἐκ νεφέων ἐνιαύσια κεκληγυίης,
Ἥτ' ἀρότοιό τε σῆμα φέρει, καὶ χείματος ὥρην
Δεικνύει ὀμβρηροῦ· - - - - -

Adverte, cum migrantis gruis vocem audiveris ex alto in nubibus quotannis clangentis, quæ arationis ſignum edit, & hyemis umbriferæ tempus indicat.

Ex iis, quæ de gruum migratione dicta ſunt, conſtat eas à *Propheta* in prudentiæ naturalis exemplum non immerito proponi. *Hirundo*, inquit, *& grus cuſtodierunt tempus adventus ſui: at populus meus non novit jus Domini.* Proinde *Philoſophus* (*Hiſtor.* lib. 9. cap. 10.) migrationis gruum hiſtoriam ita orditur, Φρόνιμα δὲ πολλὰ καὶ περὶ τὰς γεράνους δοκεῖ συμβαίνειν· *A gruibus quoque videntur multa prudenter fieri.* Et τὸ κυβερνητικὸν *gubernandi artem* ab iis homines didiciſſe contendit *Ælianus Hiſtoriæ* lib. 3. capite 14. Et *Mercurium Caſſiodorus*, *Palamedem Philoſtratus* grues pro magiſtris habuiſſe volunt. Proinde apud *Ægyptios* grus vigilans, ut *Horus* auctor eſt, cautum hominem, & grus volans ἄνθρωπον εἰδότα τὰ μετέωρα, *hominem ſublimium rerum peritum* ſignificabat. Et apud

apud *Arabes* vulgato Proverbio dicitur احرس من الكركي *Grue cautior* is, qui valde cautus eſt.

Nec eſt, quod quiſquam gruem miretur eſſe in avibus mundis potiùs quam ciconiam, volucrem illi ſimillimam, cùm ſerpentibus veſcatur ciconia, grus frugibus, & ſeminibus. Vetus auctor apud *Suidam*, Γέρανοι γεωργοῦ κατανεμόμενοι χώραν ἐσπαρμένην νεωστὶ πυρείνῳ σίτῳ, *Grues agricolæ agrum tritico nuper ſatum depaſcebantur.* *Ælianus* lib. 2. cap. 1. Σπείροντας δὲ τοὺς Αἰγυπτίους καταλαμβάνουσι, καὶ τράπεζαν, ὡς ἂν εἴποις, ἄφθονον τὴν ἐν ταῖς ἀρούραις εὑρόντες, εἶτα ἄκλητοι ξενίων μεταλαγχάνουσιν. Ægyptios *ſementem facientes offendunt, & in arvis, ut ita dicam, menſam cibis affluentem invenientes, hoſpitalitatis jure non vocatæ fruuntur.* Proinde *Mela Pygmæos* ſcribit pro ſatis frugibus contra grues dimicâſſe: & *Antipater Sidonius*, ubi ſuprà, in Aucupis Epitaphio;

Ὁ πρὶν ἐγὼ καὶ ψῆρα καὶ ὀρταπέτειραν ἐρύκων
 Σπέρματος ὑψιπετῆ Βιστονίαν γέρανον.

Ego qui prius à ſemine (id eſt *à granis*) *prohibens ſturnum, & altivolam* Biſtoniam *gruem.* Mundæ igitur grues fuerint ex *Ariſtea* definitione, qui pro mundis habet τῶν πτηνῶν τὰ πυροῖς καὶ ὀσπρίοις χρώμενα πρὸς τὴν τροφὴν, *eas aves, quæ tritico & leguminibus nutriuntur.* Quid quod apud *Græcos* veteres grues non ſolum in cibis, ſed & in deliciis fuere, maximè circa *Theſſaliam*, ubi in villis opulentiores ſuas habuere γερανοβοτίας, vel γερανοβοσίας, id eſt, *gruum paſcua*, quorum meminit *Pollux* poſt *Platonem* in *Politico*. Et *Balearibus* inſulis in honore menſarum erat *vipio*, quomodo vocabant minorem gruem. Ita *Plinius* lib. 10. cap. 49. Miratur idem cur ſub *Auguſto* ſcripſerit *Cornelius Nepos*, *ciconias magis placere quàm grues, cùm hæc nunc ales*, inquit, *inter primas expetatur: illam nemo velit attigiſſe.* Hinc *Horatius* in *Naſidieni* cœna cui *Mecœnas* interfuit lib. 2. *Satyra* 8.

\- - - - - - - *deinde ſequuti*
Mazonomo *pueri magno diſcerpta ferentes*
Membra gruis ſparſi ſale multo, non ſine farre.

Et *Ovidius*, agens de veterum frugalitate, *Faſtorum* lib. 6.

Nec Latium *noras quam præbet* Ionia *dives,*
 Nec quæ Pygmæo *ſanguine gaudet avem.*

Id eſt, attagen & grus nondum erant in *Romanorum* deliciis. Et *Statius* etiam in *Hercule Vindic.* ſui temporis catillones, quibus palatum erat æquo doctius, ita perſtringit:

Ah miſeri! quos nôſſe juvat quid Phaſidis *ales*
Diſtet ab hyberna Rhodopes *grue.* - -

Hæc de voce עגור *agor*, hactenus, in qua hæſiſſe video priſcos interpretes. In *Eſaia* pro verbis כסוס עגור, *ut hirundo*, & *agor*, id eſt, *grus*, *Græci Seniores* ſolum habent, ὡς χελιδὼν, & *Arabs*, مثل سنونوة *ut hirundo*, ſequenti voce prorſus omiſſa: & Hieronymus, *Sicut pullus hirundinis:* Aquila, ὡς ἵππος ἀγούρ· & *Theodotion*, ὡς χελιδὼν ἀγούρ, quia vocem ignotam deſcribere ſat habuerunt. At *Syrus* ܐܝܟ ܣܢܘܢܝܬܐ ܕܡܨܘܨܐ, *ſicut hirundo quæ garrit:* & *Chaldæus* כסוסיא ראחיד, *ſicut hirundo quæ capta eſt:* cui gemina *Symmachi* verſio, ὡς χελιδὼν ἐγκλεισθεῖσα, *ut hirundo incluſa*; quaſi legerint סגור *ſagur*, pro עגור *agor*. Sed legendum eſſe עגור *agor*, docent *Aquila*, *Symmachus*, *Hebræi* omnes, & hujus loci collatio cum *Jerem.* 8. *v.* 7. Ubi rurſus eædem voces סיס *ſis*, & עגור *agor*, junctæ ſunt, & quidem ita junctæ, ut appareat עגור *agor*, eſſe avis nomen, ut תור *thor*, & סיס *ſis*, quæ præcedunt. *Hieronymus ciconiam* reddit, & *Græci* ἀγοῦ στρουθία. Sed ἀγοῦ factum ex ἀγούρ, & στρουθία eſt Gloſſema, quod ex margine in textum irrepſit. *Chaldæus* & *Syrus* optimè ܟܘܪܟܝܐ *kurkeja*, id eſt, *gruem* exponunt, quamvis ordine non ſuo, ut ſupra notavimus.

Quamvis עגור *agor*, pro *grue* hodie non uſurpetur apud *Arabes*, tamen potuit olim uſurpari, atque inde fieri quod Verbo عجر *agara* ſignificant *aliquem ad Lares ſuos poſtliminio reverti*, vel *aufugere*, quod gruum eſt maximè proprium. Illas enim amore patriæ in *Scythiam*, & *Thraciam*, unde ortæ ſunt, quotannis redire conſtat, adeoque τὴν ἑαυτῆς ἕκαστον καλιὰν ἀναγνωρίζειν, ὡς τὴν οἰκίαν ἀνθρώπους, *unamquamque nidum ſuum recognoſcere, ut homines domum:* quod pluribus docet *Ælianus* lib. 3. capite 13. & 23. Atque indidem fortaſſe factum, quod à *Syris*, & *Perſis*, Ἄγγαροι *aggari*, vel *angari*, dicebantur curſores Regii. Angari enim cum gruibus certare credebantur celeritate curſus. Φασί τινες (inquit *Xenophon* libro octavo *Cyropædiæ*) θᾶττον τῶν γεράνων ταύτην τὴν πορείαν ἀνύτειν· *Quidam hoc iter gruum volatu celerius confici referunt.* De angarorum curſu ibi agi patebit legenti locum. At *Cypriis agor* erat avis à grue diverſiſſima, nempe *aquila*, ſi his *Heſychio* credimus, Ἀγὸρ, ἀετὸς, Κύπριοι. Sed fortaſſe ſcriptum fuerat, Ἀγὸρ, γερανός· Et vocis γερανὸς priore parte omiſſa propter præcedentis τὸ ὁμοιοτέλευτον, ex αἰὸς factum ἀετός.

CAPUT DUODECIMUM.

Hebræo nomine קורא *kore*, non ſignificari *perdicem*, ut hactenus creditum eſt, ſed *ruſticulæ*, vel *gallinaginis* genus.

Avis קורא kore, *quomodo* Chaldaicè *&* Arabicè *vocetur. Quid illi tribuatur* 1. Sam. 26. *v.* 20. *Et* Jer. 17. v. 11. דגר, ova colligere, *id eſt, ut incubare, non congregare pullos, ut volunt veteres, &* R. Selomo. *Ex Apologo de hac ave in* Bereſchith Rabba *patet eam eſſe longi roſtri. Ejuſdem accuratior deſcriptio ex* Arabibus. *Talem avem nos non habemus: ſed huic proxima* σκολόπαξ, *ſeu* gallinago; *cujus varia nomina. Ratio nominis* קורא kore. *In quibus cum gallinagine conveniat, in quibus diſcrepet. A* Græcis *in* Samuele קורא *redditur* νυκτικόραξ, *quia lectum per* Daleth, *pro* Res. *Simile mendum in* Talmude. *Locum Jerem.* 27. *v.* 11. *ad perdicem* Græci, *&c. referunt. Hunc aſſerunt quidam veterum aliena ova ſuffurari, & fovere. Alii in alieno nido incubare. Alii pullos perdicis, ab aliena matre excluſos, eam relinquere, auditâ voce vera matris. Quæ omnia ſunt* παράδοξα, *nec à Natura Scriptoribus tradita, ut voluit* Hieronymus. *Nihilo verius, quod alii tradunt perdicem fœminam alterius pullos imitatione materna vocis allicere. Neq; agitur de perdice mare, qui, cum ovis incubat, iis non incubat tanquam alienis, ſed tanquam ſuis. Vero ſimilior, nec tamen vera, hæc interpretatio,* Perdix fovit, ſed non peperit, *ſeu* excluſit ova, quæ foverat. Rabbi Selomoni קורא cuculus; *quia putatur cuculus aliena ova incubare, cum contra ſua in alieno nido ponat. Vetuſtus tamen hic error.* Plauto *quid* cuculus. Juvenali *quid* curruca. *Aves multa, in quarum nido ponit cuculus. Cur* קורא *reddatur* perdix, *duæ cauſæ.*

QUæ avis *Hebraicè* קורא *kore*, eadem *Chaldaicè* dicitur קוראה *koraa*, vel קורה *korea*, & *Arabicè*

bicè قارية karia. Hujus Sacri Scriptores duobus locis meminerunt. In priore David fugitivus Saulem ità compellat 1. Sam. 26, 20. *Egreſſus eſt Rex* Iſraelis *ad quærendum pulicem unum*, כאשר ירדף קורא בהרים, *ac ſi quis perſequeretur* avem *kore in montibus*. Alter locus ſic habet *Jerem.* 17, 11. Kore *collegit, & non peperit: ità qui congerit opes, ſed non in juſtitia, in medio dierum ſuarum derelinquet eas, & tandem erit inſipiens.* Ex quibus locis diſcere eſt, קורא *kore*, avem eſſe montanam, non ità magni pretii, & in cujus aucupio malè operam inſumat auceps; atque ex illarum numero, quæ alienis ovis incubant. Id enim ſibi volunt hæc *Jeremiæ* verba, קורא דגר ולא ילד, Kore *collegit, & non peperit*, id eſt, aliena collegit ova, non à ſe parta, quæ umbra ſua foveret. Hinc *Eſ.* 34, 15. de ſerpente קפוז *kippoz*, id eſt, acontiâ, ſeu jaculo, ודגרה בצלה, *Et collegit in umbra ſua*, id eſt, incubavit ovis. Et *Job.* 39, 14. pro תחמם, *calefaciet*, de ſtruthionis ovis, *Chaldæus* habet תדגר, *colliget*. Quod monere neceſſe fuit, quia *colligendi* verbum in *Jeremia* perperam multi referunt ad pullorum ἐπισύναξιν. In his *Hippolytus*, *Chryſoſtomus*, *Olympiodorus*, & ex *Hebræis R. Selomo*. Hæc ex Scriptura hactenus.

Sectione ſexageſima quarta libri *Bereſith Rabba*, qui & vetuſtiſſimus eſt, & magnæ auctoritatis apud *Judæos*, quidam *R. Joſua, Chanina* filius, אסכולסטקיא דאורייתא *Scholaſticus Legis*, id eſt, Doctor *Theologiæ*, de eadem ave ſic fabulatur, ארי טרף טרף ועמד עצם בגרונו אמר כל דאתי מפיק ליה אנא יהיב ליה אגריה אתא הדין קורא מיצראה דמוקריה אריך יהיב מוקריה ואפקיה אמר ליה הב לי אגרי אמר ליה זיל תהא מלגלג ואומר דעלית לפומא דאריא בשלם ונפקית בשלם, *Leo prædam devoraverat, & in gutture ejus os hæſerat, & dixit, Quiſquis veniens illud educet, dabo ei præmium; Tum venit* kore Ægyptius *longo roſtro, quo in guttur ejus indito, illud os inde eduxit, & dixit, Da mihi præmium meum. Sed reſpondit leo, Ito, & jactato te in os leonis cum pace eſſe ingreſſum, & cum pace eſſe egreſſum.* Quæ fabula huic *Æſopicæ* gemina eſt. Λύκου λαιμῷ ὀστέον ἐπιπάγη. ὁ δὲ γεράνῳ μισθὸν παρέξειν εἶπεν, εἰ, τὴν κεφαλὴν αὐτῆς ἐπιβαλοῦσα, τὸ ὀστοῦν ἐκ τοῦ λαιμοῦ αὐτοῦ ἐκβάλοι. ἡ δὲ τοῦτ' ἐκβαλοῦσα, δολιχόδειρος οὖσα, τὸν μισθὸν ἐπεζήτει. ὃς ἐγελάσας, καὶ τοὺς ὀδόντας θήξας, Ἀρκεῖ σοι μισθὸς, εἶπε, τοῦτο καὶ μόνον, ὅτι καὶ λύκου στόματος καὶ ὀδόντων ἐξῆλθες κάραν σώαν, μηδὲν παθοῦσα. Id eſt, *Phædro* interprete libri primi *Fabula* octava,

Os devoratum fauce cum hæreret lupi,
Magno dolore victus, cœpit ſingulos
Inlicere pretio, ut illud extraheret malum.
Tandem perſuaſa eſt jurejurando gruis,
Gulæque credens colli longitudinem,
Periculoſam fecit medicinam lupo.
Pro quo cum facto flagitaret præmium,
Ingrata es, inquit, ore quæ noſtro caput
Incolume abſtuleris, & mercedem poſtulas.

Non eſt tamen, quod quis colligat ex *Hebrææ* fabulæ cum *Græca* & *Romana* collatione, avem קורא *kore*, eandem eſſe cum grue. Nam, ut *Hebræi* lupo leonem, ità grui potuerunt aliam avem ſubſtituere. At ſaltem hoc habemus avi *kore* longum eſſe roſtrum. Quod idem aſſerunt *Hebræi* omnes. *Aruch* in קר quinto עוף היא ופיו שמנקר בו ארוך ביותר, *Avis eſt, cujus os, id eſt, roſtrum, valde longum eſt.* Ità etiam *R. Aquinas*, & *David de Pomis*, קורא צפור שיש לו מקרא ארוך, Kore, *avis longum habens roſtrum.*

Sed multò plura nos docent *Arabes* de ave قارية *karia*, quam *Damir* ſic deſcribit. الغارية كاريه طاير قصير الرجلين طويل المنقار اخضر اللون تحبه الاعراب وتتيمن به ويشبهون به الرجل السخي Karia, *nomen ejuſdem formæ, cujus* ſaria (id eſt, *trabs* Luc. 6, 41.) *avis eſt, quæ pedes habet breves, longum roſtrum, viridem colorem* (aliud exemplar habet اخضر الظهر *dorſum viride*, *eam amant* Arabes, *ut qui habeant pro ave auſpicata, & hominem liberalem illi conferunt.* Et *Gianhari*, الغارية طير خضر تحبها الاعراب ويشبهون بها الرجل السخي وذلك لانها تنذر بالمطر Karia, *avis viridis, quam amant* Arabes, *& liberali homini comparant; quia pluviam ſignificat.* Et *Alcamus* الغارية طاير اذا راوه استبشروا بالمطر كانه رسول الغيث او مقدمة السحاب Karia *avis, quam qui vident propter futuram pluviam lætantur, ac ſi imbris eſſet prænuntia, ac nubium anteambulo.* Rurſus *Damir* in titulo *De ejus uſu*, الحل لان العرب كانت تاكلها *Eſus ejus conceſſus eſt; quia comedunt* Arabes. Et liber cui titulus الحج *Alchag*, ſeu *Peregrinatio*, الحمام يفدي بشاه وما دونه من الغواري وغيرها يفدي بالقيمة *Columba* (quam quis peregrinantium ad pſeudo-Prophetæ ſepulchrum dono daturum ſe vovit) *ove redimitur: ſed quidquid eſt infra columbam* (*puta* kariæ *aves, aut alia ſimiles*) *ejus pretio dato redimitur.* Indè duo collegit *Damir*, primò edulem eſſe avem, ſecundò à columba differre. Quamvis *Ibno Sachith*, in libro *De puritate ſermonis*, الغواري id eſt, *karias* aves, definiat طير خضر لها ترجيع *aves virides, quæ vocem in gutture reciprocant*, ad inſtar gementis columbæ, quod alioqui iis avibus proprium eſt, quæ aquam uno hauſtu ſorbent. Id *Arabicè* dicitur عب *abba*.

His ità explicatis ſequitur avem קורא *kore*, vel قاريد *karia*, ſi mavis, prout *Arabicè* vocatur, nobis eſſe ignotam; quia conſtat apud nos nullam haberi avem, cui conveniant omnes hæ notæ. Tamen omnium, quas novimus, huic proximè accedit *Ariſtotelis* ὁ σκολόπαξ, vel ἀσκαλώπαξ. *Gaza* vocat *gallinaginem*; *Plinius*, & *Martialis*, *ruſticulam*, & *ruſticam perdicem*; Nemeſianus *ſcolopacem*; *Gloſſæ* veteres *acceiam*, unde *Thuſci* hodieque *acceigam*; Germani *ſneppam*; & Galli *beccaſſam* à magnitudine roſtri. Quo eodem refero *Hebræum* קורא *kore*. Neque enim à clamando factum, ut putant, ſed à nomine קורה *kora*, quod primo *trabem*, & *tignum* ſonat, deinde etiam *palum acutum, ex quo fiunt ſepes.* Unde eſt, quod Verbum קרה *kera*, indè deductum, non ſolum *contignare* & *contabulare* ſignificat, ut in *Nehemia* paſſim: ſed & *obſepire*, vel *ſepem inſtaurare*; ut in Tractatu *Talmudico Moed Katon* cap. 1. fol. 7. b. ומקרין את הפריצה במועד כיצד מקרין רב יוסף אמר בהוצא ודפנא, *Etiam ſepis rupturam reparare licet die feſto. At quomodo reparatur?* Rabbi Joſeph. *dixit, palis ex palma & lauro.* Itaq; ut σκολόπαξ *Græcè* dicitur, quod roſtrum longum & rectum habeat inſtar σκόλοπος, id eſt, *pali*: ità *Hebraicè* קורא *kore*, quia *Hebræis* קורה *kora* non ſolum eſt δοκὸς, ſed & σκόλοψ. Ita ut par ſit

ratio. Finale *Aleph* eſt pro *He*, ut in נקרא pro נקרה 2.*Sam*.1, 6. Et in Nomine קראה pro *occurſu*, quod fit à Verbo קרה *occurrere*. Præter roſtri magnitudinem avi *kore* cum *ſcolopace* hoc commune eſt, quod utraque breves habet pedes, utraque edulis eſt, utraque in montibus degit. Nam ut per montes quæri ꝧ *kore* dicit *David*, ità *ſcolopacem Bellonius* in *Alpibus* & *Pyrenæis* ſcribit æſtate degere, & in celſiſſimis *Helvetiæ*, *Sabaudiæ*, atque *Arverniæ* montibus.

Neutra columbæ molem ſuperat. Ut enim قارية *karia* definitur ab *Arabibus* دون الحمام *infra columbam*: ità de *ſcolopace Nemeſianus*,

- - - præda eſt facilis, & amœna ſcolopax:
Corpore non Paphiis *avibus majore videbis.*

Paphiis *avibus*, id eſt, *columbis*. Quin ut *Arabum koria*, ità *ſcolopax* quoque, ſeu *ruſticula*, pluviæ eſt prænuntia. *Geſnerus* in *Avibus* pag. 504. *Ruſticulæ minoris* (Galli *beccaſſinam* vocant) *vocem auditam pluviæ prognoſticon quidam faciunt*. Sequitur talem eſſe ſonum vocis, qualis eſt *cultri per ſerram ducti*. Quod velle videntur *Arabes*, cum *karia* tribuunt ترجيع id eſt, *vocem reciprocam*. Itaque hactenus omnia ſunt ſimilia ſatis. Tamen color diſſimilis, qui in *karia* viridis, ſaltem in dorſo: in *ruſticula* ità varius, ut à viridi plurimum diſtet. Præterea, quamvis edulis ſit utraque avis, tamen à *Davide* קורא *kore*, non videtur magni fieri; & *Arabes kariam* non alia de cauſa celebrant, quàm quia eſt inter pluviæ prognoſtica: at noſtra *ruſticula* menſarum deliciis eſt maximè nobilis, neque perdici plurimùm cedit. Hinc *Martialis* libri decimi tertii *Epigrammate* ſeptuageſimo ſexto, ſub lemmate *Ruſticula*,

Ruſtica ſim, an perdix, quid refert, ſi ſapor idem eſt?
Carior eſt perdix, ſic ſapit illa magis.

Denique de *ruſticula* nemo ſcripſit quod de קורא *kore Jeremias*, Kore *collegit* (ſeu *incubavit*) *& non peperit*. Concludo igitur ꝧ *kore* avem eſſe illis locis peculiarem, à *ruſticula* ità diverſam, ut ab ea non multum differat. Jam dicendum, quomodo hanc vocem explicent veteres, & novi interpretes.

Kore קרא, redditur à *Græcis* νυκτικόραξ *nycticorax* 1. *Sam*. 26, 20. ſed haud dubiè pravâ lectione deceptis. Legerant nimirum קדא pro קרא, *Daleth* pro *Res*, quæ literæ ſunt inter ſe ſimillimæ. Vox קדא apud *Hebræos* desiit eſſe in uſu: ſed indè *Chaldæi* formarunt קדיא, & *Syri* ܩܘܥܐ, permutatis *Koph* & *Ajin*; ut cùm ܩܗܣܐ *vaporem* dicunt pro קטר, & ܩܘܫܐ *frigus* pro קרא. Veram eſſe hanc conjecturam ex eo patet, quod alibi νυκτικόραξ in *Græca* verſione reſpondet *Hebræo* כוס, pro quo *Chaldæus Onkelos* habet קדיא *Levit*. 11, 17. Et *Syrus* interpres ܩܘܥܐ *Pſal*. 102, 7. Ergo כוס, & קדא, unde קדיא, & ܩܘܥܐ, ſunt ſynonyma. Itaque, ſi כוס eſt νυκτικόραξ, quomodo *Græci* reddunt, ità etiam קדא. Simile mendum eſt in Tractatu *Talmudico Niddæ* fol. 23 a. ubi pro קדיא per *Daleth* ſcribitur octies קריא per *Res*, ac ſi eſſet avis *kore*, cum ſit *avis nocturna*. Illi enim jungitur קפופא *kiphupha*, id eſt, *noctua*. Et dicuntur aves eſſe כשלאדם לפניה הולכות ועיניהן, *quarum oculi* non ſunt à latere, ut reliquarum avium, ſed *in anteriore parte*, *ut hominum*. Et in *Gloſſa* utraque deſcribitur עוף צועק בלילה ופניו דומות לחתול ועיניו לפניו, *Avis noctu clamans*, *& faciem habens ad inſtar felis*, *& oculos in anteriore parte*. Rurſus in *Berachoth* cap. 9. fol. 57. b. כל מיני עופות יפין לחלום חוץ מן קריא וקפופא וקורפראי, *Omnes avium ſpecies in ſomniis fauſtæ ſunt præter nycticoracem*, *noctuam & veſpertilionem*. In his, inquam, verbis rurſus קריא per *Res* ſcribitur, quod mutandum in *Daleth*. Ità deni-que in *Chaldæa* Paraphraſi *Eſ*. 34, 15. pro וקוריהון יצפצפן בטולה reſcribe וקדיהון, *Et nycticoraces eorum ululabunt in umbra ejus*. Ibi enim *Res* pro *Daleth*. Unde eſt, quod *Latinus* interpres *Chaldæi* ſic reddidit, *Et perdices garrient*, &c. Quod eſt prorſus abſurdum. Agitur enim de *Idumeæ* vaſtatione, ad quam non pertinet, ut perdices in ea garriant, ſed ut nycticoraces, & bubones horrendum in modum ululent.

Alter de *kore* locus *Jerem*. 17, 11. קרא דגר ולא ילד *Græcè* ſic explicatur, Ἐφώνησεν πέρδιξ, συνήγαγεν ἃ οὐκ ἔτικεν, *Clamavit perdix, congregavit quæ non peperit*. Et verba ἐφώνησεν πέρδιξ ſunt duplex verſio vocis קרא quæ ab aliis *kara*, ab aliis *kore* lecta eſt, & ab illis ἐφώνησεν, ab his πέρδιξ reddita. Quod poſtremum ſequuntur *Hieronymus*, *Syrus*, *Arabs*, *Hebræi*, & recentiores omnes, quaſi ad vulgarem perdicem hæc referantur. Et variè id explicatur. Sunt enim, qui perdicem aſſerunt aliena ova ſuffurari, & fovere, & pullos ex iis natos ſibi vindicare tanquam ſuos. *Epiphanius* in *Phyſiologo* capite nono, Οὐκ ἀρκεῖ αὐτῷ τ᾽ ἰδίας γαστρὸς ὁ τόκος, ἀλλὰ κλέπτουσα τὰ ὠὰ τῆς ἀλλοτρίας φέρει αὐτὰ ἐπὶ τὴν νοσσιὰν αὐτῆς· *Non ſufficit illi propriis ventris fœtus*, *ſed aliarum ova diripiens in ſuum nidum defert*. *Euſtathius* in *Hexaëmeron* pag. 29. Ἀλλότρια δὲ κλέπτων ὠὰ νεοσσοποιεῖ· *Aliena ova ſurrepta educit*. *Ambroſius* in *Hexaemeron* libri ſexti capite tertio, *Perdicem aſtutam novimus*, *quæ aliena ova diripiat*, *hoc eſt*, *perdicis alterius*, *& corpore foveat ſuo*. Et in Epiſtola ad *Sabinum*, ubi *Jeremiæ* locum multis enarrat; *Quidam natura perdicis etiam iſtud aptandum putârunt*, *eò quod aliena diripiat ova*, *& foveat ſuo corpore*, *atque hâc ſuâ fraude partus alienos ſtudeat acquirere*. Philaſtrius, *De Hæreſibus* in Præfatione, *Inimicum humani generis perdici fuiſſe ab* Jeremia *Propheta non immeritò comparatum* (oportet) *agnoſcere*, *qui*, *cum infœcunditatem patiatur*, *ſæpius aliorum furtim fœtus incubans*, *quaſi ſuos jam fovet ac vindicat filios*. Caſſiodorus, *Variorum* libri ſecundi *Epiſtolâ* decimâ quartâ, *Perdicibus etiam mos eſt ova perdita per alterius matris damna ſarcire*, *ut adoptione alienæ ſobolis incommoda ſua reparent orbitatis*. Iſidorus *Orig*. lib. 12. cap. 7. *Perdix adeò eſt fraudulenta*, *ut alteri ova diripiens foveat*. *Damir* capite الحجل ſeu *De perdice*,

والانثى اذا اصيب بيضها قصدت عش غيرها وغلتها على بيضها وتسرقه وتحضنه *Et fœmina*, *cum corruptum eſt ovum ejus*, *alium perdicis nidum invadit*, *& per fraudem ſurreptum ovo ſuo ſubſtituit*, *& fovet*. Hæc ille, quæ fateor me non capere ſatis. Neque enim video, quomodo queat perdix aliena ova ſuffurari, cum neque roſtro id poſſit præſtare, neque habeat digitos ad id accommodatos. Itaque magnus in *Solinum* auctor pagina centeſima quinquageſima *Plinio* dicam ſcribit non immeritò, eò quod perdices ova ſua aliò transferre tradiderit, cum id non ferat earum natura, & ex *Ariſtotele* contrarium poſſi adſtrui.

Proinde videbuntur *Hebræi* cautiùs ſcripſiſſe. Neque enim perdicem tradunt aliarum ova transferre, ſed in alieno nido incubare. *R. Selomo* in 1. *Sam* 26, v. 20. הקורא עוף ששמו קורא ובלעז פרדיז וכן קורא דגר ולא ילד ומרדף אחר קני שאר עופות ויושב עד ביציהם Kore *avis eſt*, *quæ* Hebraicè *ſic vocatur*, *& vernaculâ linguâ perdix*, *de qua in* Jeremia *dicitur*, "Kore " collegit, & non peperit; *quia aliarum avium nidos conſectatur*, *ut earum ova incubet*. Et *Portacœli* fol. 29. d. הוא רובץ על ביצי העוף אחר ומחמם אותם *Alius avis ova incubat*, *atque illa fovet*. Ità etiam Kim-

Kimchius in *Jeremiam*. Sed idem in *Lexico* perdicem ova aliena primò colligere aſſerit, ac poſtmodum iis incubare tanquam ſuis, הוא מאסף ביצי עוף אחר ורובץ עליהם כאלו הם שלו. Utut ſit, illud etiam parùm veriſſimile eſt, perdicem, etiamſi maximè vellet, alieno nido incubare, quia ovorum vera mater id nequaquam eſſet paſſura. Hæc igitur ſunt valde paradoxa.

Tamen aliud ſequitur longè παραδοξότερον, nempe pullos, ab aliena matre ſic excluſos, eam aliquantò poſt relinquere, ut ad veram matrem redeant, quam nempe ex voce agnoſcant. *Euſtathius* ubi ſuprà, Αὐξηθέντες οἱ νεοττοὶ, ἕκαστος, κατὰ γένος, πρὸς τοὺς οἰκείους ἀνίπτανται, καὶ ἔρημον αὐτὴν καταλιμπάνουσι· *Cum pulli adoleverunt, unusquisque, juxta genus ſuum; ad proprios parentes revolant, eamque ſolam relinquunt.* Ambroſius *in* Hexaëmeron, *Cum eduxit pullos ſuos, amittit eos: quia, ubi vocem ejus audierunt, quæ ova generavit, relictâ eâ, ad illam ſe naturali quodam amore & munere conferunt, quam veram ſibi matrem ovorum generatione cognoverint, ſignificantes hanc nutricis fungi officio, illam parentis.* Et in Epiſtola ad *Sabinum*, *Cum labor omnis impenſus nutrimentorum educantem exhauſerit, atque adoleſcere pulli cœperint, tunc vocem emittit* (vera mater) *& quadam pietatis tubâ prolem advocat. Quæ naturali quodam auditu excitata, agnoſcit parentem, & ſimulantem deſerit. Ità cum vult congregare quæ non peperit, amittit, quos nutriendos putavit.* Philaſtrius, *cumque iis jam tempus ætatis diſcernens adcreverit, tunc, admiſſis* (lege *dimiſſis*) *falſis parentibus, jura parentum ſenſu proprio recordantes, palamque oculis intuentes, ſequi eos ampliùs non demorantur.* Caſſiodorus, *Sed mox ut nati fiduciam habere cœperint ambulandi, ad campos exeunt cum nutrice: qui, ut fuerint maternâ voce commoniti, ovorum ſuorum potiùs genitricem petunt, quamvis ab aliis furtivis fœtibus educentur.* Iſidorus, *Dum pulli propria vocem genetricis audierint, naturali quodam inſtinctu hanc, quæ eos fovit, relinquunt; & ad eandem, quæ genuit, revertuntur.* Damir, في طبع الحجل ان ياتي اعشاش نظاريه فياخذ بيضها فيحضنه فاذا اطارت الفراخ لحقت بامهاتها التي باضتها *Ex natura perdicis eſt, ut veniat ad nidos avium ſibi ſimilium, & capiat ova earum, & foveat: ſed pulli, cum evolant, adhærent matribus ſuis, quæ eos pepererunt.* Porta cœli, והביצים ההם כשיבקעו ויצאו האפרוחים לא יהיו כמו בניו שלם אחריו אלא יעזבוהו ולא יכירוהו ולא ילכו אלא אחרי מי שהוא להם, *Sed, poſtquam excluſa ſunt ova, & pulli prodierunt, ii non ſe gerunt ut pulli ejus, ità ut illam ſequantur: ſed eam deſerunt, neque ampliùs nôrunt neque ullam aliam ſequuntur præter veram matrem.* Pro להם שהוא legendum אם להם שהוא ut in *Kimchio*, qui in *Jeremiam* hæc eadem habet. Quibus lector aſſeri videt rem parùm credibilem, nempe perdicum pullos naturaliter ſcire ex qua matre prodierit ovum unde excluſi ſunt, & illam nunquam anteà auditam, & viſam, ex voce ſtatim agnoſcere. Cujuſmodi ſenſum quis credat oviparis potiùs eſſe, quàm viviparis, quæ perfectiùs generant? Aut eo bruta pollere potiùs, quàm hominem, quem naturalem parentum notitiam nullam habere planiſſimum eſt. Alioqui *Oedipus* non occidiſſet patrem incautus, nec cum matre concubuiſſet. Proinde apud *Poëtam Telemachus* interrogatus an *Ulyſſis* eſſet filius, ità reſpondit,

(a) Μήτηρ μέν τ' ἐμέ φησι τοῦ ἔμμεναι, αὐτὰρ ἔγωγε
Οὐκ οἶδ'. οὐ γάρ πώ τις ἑὸν γόνον αὐτὸς ἀνέγνω.

Mater quidem me ejus eſſe aſſerit: at ego neſcio. Neque enim ullus ſuum genitorem ipſe cognovit. Et *Menander* apud *Euſtathium* in illum locum,

Αὑτὸν γὰρ οὐδεὶς οἶδε τοῦ ποτ' ἐγένετο,
Ἀλλ' ὑπονοοῦμεν πάντες, ἢ πιστεύομεν·

Se ipſum nemo novit, à quo ſit editus, ſed ſuſpicamur omnes, aut credimus. Et vel ſi verum id eſſet, quod de perdicum pullis tradunt, tamen vix, ac nè vix quidem potuiſſet obſervari. Pone enim è pluribus pullis, qui matrem perdicem ſequuntur, unum, aut alterum eam deſerere, ut ad aliam ſe conferant, quis auſit pro certo affirmare hoc ideò fieri, quod excluſi fuerint ex ovis alteri illi ſurreptis? Quàm multa ſupponenda ſunt, ut hæc obſervatio pro vera & comperta habeatur? Itaque apud veteres rerum Naturalium Scriptores nihil tale occurrit. Et memoria fefellit *Hieronymum*, cum in *Jeremiam* hæc ſcripſit; *Ajunt ſcriptores Naturalis hiſtoriæ, tam beſtiarum, & volucrum, quam arborum, herbarumque, quorum principes ſunt apud* Græcos Ariſtoteles, *&* Theophraſtus, *apud nos* Plinius Secundus, *hanc perdicis eſſe naturam, ut ova alterius perdicis, id eſt, aliena furetur, & eis incubet, foveatque, cumque fœtus adoleverit, avolare ab eo & alienum parentem relinquere.* Sed & pii viri, qui cum illo hoc commentum in literas retulerunt, plus fidei, quàm par fuit, τοῖς τερατολόγοις habuerunt, quibus id propoſitum fuit, ut populum detinerent per hæc portenta narrationum. Nam, ut rectè *Syneſius* in *Calvitii encomio*, Τὸ δὲ ῥᾷστον καταγελᾶται ὁ δῆμος· δεῖται γὰρ τερατείας. *Quod facile eſt ridet plebs; eget enim narratione prodigioſa.*

Græcorum Patrum nonnullis aliud perſuaſum fuit, nempe perdicem fœminam ad alterius perdicis nidum, eâ abſente, accedere, & pullis ità imponere imitatione maternæ vocis, ut illi, nido relicto, eam ſequantur, donec, vera matre redeunte, pœniteat erroris. Quod *Chryſoſtomus* nonniſi ex parte refert, Ἔθος φασὶ τοὺς πέρδικας, μετὰ τὸ ἀποτεχθῆναι τὰ ᾠὰ, τοὺς νεοττοὺς τῇ φωνῇ προσκαλεῖσθαι, καὶ γυμνοῦν τὴν τεκοῦσαν· *Perdicibus ajunt in more eſſe, ut poſt ovorum partum aliarum pullos voce invitent, atque eâ matrem ſpolient.* Sed *Olympiodorus* pleniùs, Ὁ πέρδιξ, ὥς φασιν, ὑπερήφανος ὤν, διὰ τῆς φωνῆς τοὺς ἀλλοτρίους προσκαλεῖται νεοττοὺς, οἵτινες γνόντες ὕστερον ὅτι οὐκ εἰσὶν αὐτοῦ, καταλιμπάνουσιν αὐτόν. *Perdix, ut ajunt, cum ſuperbus ſit, alienos pullos voce allicit; à quibus tamen deſeritur, poſtquam ſe illius non eſſe tandem cognoverunt.* Et *Hippolytus* pleniſſimè, Τοῦ πέρδικος κενοδόξου ζώου ὑπάρχοντος, ἐπὰν πλησίον ἴδῃ ἑτέρου πέρδικος καλιὰν νεοττοὺς ἔχουσαν, ἀποπτάντος τοῦ πατρὸς αὐτῶν ἐπὶ τὴν νομὴν, μιμούμενος τὴν τοῦ ἀλλοτρίου φωνὴν, προσκαλεῖται πρὸς ἑαυτὸν τοὺς νεοττούς· οἱ δὲ νεοσσοὶ, νομίσαντες τὸν ἴδιον αὐτῶν ὑπάρχειν πατέρα, προστρέχουσιν αὐτῷ· ὁ δὲ ἐγαυριᾷ ἐν ἀλλοτρίοις τέκνοις ὡς ἰδίοις, ἐλθόντος δὲ τοῦ ἰδίου πατρὸς, καὶ βοήσαντος, τὴν ἰδίαν φωνὴν ἐπιγνόντες οἱ νεοσσοὶ, καταλιπόντες τὸν νόθον, πρὸς τὸν ἴδιον πατέρα πορεύονται. *Cum perdix ſit ſuperbũ animal, ſi in propinquo videt alterius perdicis nidum pullos habentem, dum ad paſtum avolavit pater, illius vocis imitatione pullos ad ſe allicit. Qui pro vero patre habentes ad eum illicò accurrunt. Is autem de alienis pullis tanquam de propriis gloriatur. Sed quamprimum rediit, & clamavit verus pater, illius voce agnita, pulli, ſpurio patre relicto, ad genuinum ſe conferunt.* Sed hæc non puto veriora iis, quæ præceſſerunt: cum perdicibus alii morum laſciviam, alii malignitatem, & vafritiem. nemo ſuperbiam objiciat, quod quidem ſciam. Nec videatur pullis perdicum maternæ vocis imitatione facilè poſſe imponi, niſi ſtatuantur eſſe tam cæci, ut matrem ex ſolo auditu, non etiam ex viſu agnoſcant. Quæ tamen ſi concederentur, ad *Jeremiæ* locum non facerent: in quo דגר, ut docui-

a) Odyſſ. ά. ver. 216.

docuimus, non eſt *congregare pullos*, ſed *ova*, quæ foveantur.

Argutius eſt, quod *Hebræi* quidam apud *Kimchium* in *Lexico* de perdice mare duntaxat *Jeremiam* egiſſe volunt, qui quoties ova incubat (incubare autem nonnunquam auctores ſunt (*b*) *Ariſtoteles*, & (*c*) *Plutarchus*, & (*d*) *Phile*) ea ova incubat, quæ non ipſe peperit, ſed fœmina. Verùm eò reſpexiſſe *Prophetam* non eſt veriſſimile. Quia, quod mas ova incubat, non eſt perdici peculiare. Nam & in avium pleriſque mas & fœmina per vices cubant. Ità habetur in *Philoſopho*, Ἐπῳάζει δὲ τὰ πολλὰ τῶν ὀρνίθων διαδεχόμενα τὰ ἄῤῥενα ταῖς θηλείαις. Præterea ſimilitudo claudicaret ex omni parte, ſi *Jeremias* avarum hominem, aliena ſurripientem, quæ, ut malè parta ſunt, ſic malè dilabuntur, cum perdice mare conferret conjugis ova incubante. Quamvis enim ea ova mas incubet, quæ non ipſe edidit, aliena tamen dici non poſſunt, cum fœtus tam ſit patris, quam matris: neque id facit malo animo, ut avarus, qui alienis inhiat, ſed, quod ait *Phile*, ἐξ εὐσπλαγχνίας, *paterno quodam affectu, & pietate erga ſuos*. Adeoque res illi bene & proſperè cedit, cum ea ratione genus ſuum augeat, atque propaget. Itaque nihil ſimile. Ut taceam, quod ovis perdices mares incubare multis negat *Ulyſſes Aldrovandus* nuperus ſcriptor, ſed in his exercitatiſſimus. Illum vide ſis *Ornithologiæ* lib. 13. cap. 17.

b) Hiſt. l. 6. c. 8.
c) In libro Utra anim.
d) Cap. 11.

His incommodis urgeri cum videret communem interpretationem vir *Hebraicè* doctiſſimus, putavit *Jeremiæ* verba ſic poſſe reddi, *Perdix collegit* (ſeu *fovit ova*) *ſed non peperit*, id eſt, *non excluſit ova*. Quod perdici cur frequentius quàm ulli avium accidat, ut ova foveat, quæ non excludat, cauſæ plures afferri queant. Prima, quod neque in rupibus, neque in ramis arborum, neque in culmine turrium, ſed humi nidificet, loco non ſolum aucupibus, ſed feris etiam, & reptilibus maximè obvio. Altera, quod ſi perdicis ova, rore cadente, vel pluviâ humeſcant, ἐὰν μὴ πάλιν ἡ τεκοῦσα ἐπιθάλψῃ αὐτὰ ἐπελθοῦσα ταχέως, γίνεται ἄγονα, *niſi mater ſtatim incubans ea denuo foveat, infœcunda redduntur*. Ità *Ælianus* libro 10. cap. 35. *Hiſt. animal.* Tertia eſt in maribus, qui intemperantia libidinis ova nonnunquam frangunt, ne fœminæ diutiùs incubando detineantur. Quod præter *Ælianum* (*e*) tradunt (*f*) *Ariſtoteles*, (*g*) *Plinius*, (*h*) *Athenæus*, & (*i*) *Phile*. Sed huic interpretationi, quam diximus, unum obſtat, quod *pariendi* verbum in *Jeremia* non pertinet ad ἐκλέπειν ſed ad ὠοτοκίαν, quam ab excluſione plurimum diſtingui ſciunt omnes. Res eſt apertiſſima in *Eſaia* loco, quem citavimus, de ſerpente acontia, *Ibi nidificabit acontias, & pariet, & rumpet*, id eſt, excludet ova, quæ in excluſione rumpuntur. In oviparis igitur apud *Hebræos* aliud eſt partus, aliud excluſio. *Partus* eſt ὠοτοκία, & ſignificatur verbis ילד, & מלט, ut *excluſio* verbo בקע quod *rumpere* eſt. Itaque *Jeremiæ* locus, *kore collegit, & non peperit*, accipiendus eſt ut ſonat. Ut intelligatur de ave, quæ ova fovet ab alterâ parta. Quod naturæ conſulti perdici nuſquam tribuunt, ſed ſoli *Patres*.

e) Hiſt. l. 3. c. 16
f) Hiſt. l. 9. c. 8
g) Lib. 9. c. 10.
h) Lib. 9. c. 10.
i) Cap. 11.

R. Selomo non ſibi conſtat. Is enim in *Samuelem* קורא *kore*, vult eſſe *perdicem*, ut *Hebræorum* alii. Sed idem in *Jeremiam cuculum* interpretatur; quia cuculi proprium hoc eſſe multi putant, ut alienis ovis incubet. Invaluerat jam olim hæc opinio apud *Gallorum* vulgus (in quâ gente vixit *Selomo* ante annos DL) Unde eſt, quod hodieque vulgato ſermone Galli *cuculum* per convitium appellant eum, cujus uxor mœcha eſt, quia liberos alienos fovet, & nutrit inſcius. Eodem vulgi errore abreptus *Acron*, Grammaticus inſignis, in *Horatium* lib. 1. *Sat.* 7. de cuculo ſic ſcribit, *Cuculus avis hoc vitio naturali laborat, ut ova ubi poſuerit oblita, ſæpe aliena calefaciat, unde ruſtici ſibi objiciunt, quaſi alieni curam ſuſtinentes.* Verum enimverò res ſe habet planè ſecus. Neque enim cuculus aliena ova incubat, ſed in alieno nido parit, & aliis avibus ova ſua incubanda, & excludenda tradit. *Ariſtoteles Hiſt.* lib. 9. cap. 29. Ὁ δὲ κόκκυξ οὐ ποιεῖ νεοττίαν, ἀλλ᾽ ἐν ἀλλοτρίαις τίκτει νεοττίαις. Item, Ἐπῳάζει δὲ οὐκ αὐτὸς, ἀλλ᾽ ἐν οὗ ἂν τέκῃ νεοττιᾷ, οὗτος ὁ ὄρνις ἐκκολάπτει καὶ τρέφει. (*k*) *Theophraſtus* (*l*) *Antigonus Caryſtius*, (*m*) *Plinius*, (*n*) *Ælianus*, (*o*) *Oppianus*, (*p*) *Phile*, & alii veterum eadem pluribus docent. Ex *Hebræis* etiam *Rabbi Gerſom* in *Porta cœli* fol. 30. c. ואומר על עוף שנקרא קוקו״ל שאינו מחמם ביציו אך מניח אותם בתוך קנים של שאר עופות ואותם עופות חשובים שהם ביציהם, *Avis, quam cuculum vocant, non fovet ova ſua, ut ajunt: ſed in aliarum avium nidis ponit; & aves illæ putant ſua ova hæc eſſe.* Et magiſtra rerum experientia rem ſic ſe habere teſtatur. Itaque *Romanâ* linguâ *cuculus* non dicitur qui ab uxore contumeliam patitur, ſed qui facit. Uno verbo cuculus idem, qui mœchus, quia mœchus inſtar cuculi cubat in nido non ſuo. Hinc *Artemona* mulier in *Aſinaria Plauti Demanetum*, virum ſuum, in lupanari cum ſcorto deprehenſum ἐπ᾽ αὐτοφώρῳ, hoc convitio excipit,

Etiam cubat cuculus.

Item,

Cano capite te cuculum uxor ex luſtris domum rapit.

k) Cauſ. plant. lib. 2. cap. 24.
l) Mirab. cap. 30. & 109.
m) Lib. 10. c. 9
n) Lib. 3. c. 30.
o) Lib. 1. Ixeut.
p) Cap. 22.

At cum quem nos *Galli cuculum*, Romani *currucam* appellabant. *Juvenalis Satyrâ* ſextâ de viro ſtolido falſas adulteræ uxoris lacrymas miſerante,

Tu tibi nunc, curruca, places, fletumque labellis
Exſorbes. - - - - - - - -

Curruca ſcilicet *Græcè* ὑπολαῒς, avicula eſt, in cujus nido cuculus plerumque parit. *Philoſophus* de cuculo *Hiſt.* lib. 6. cap. 7. τίκτει δὲ ἐπὶ τῇ τῆς ὑπολαΐδος νεοττιᾷ ἡ δὲ ἐκλέπει, καὶ ἐκτρέφει, unde eſt, quod *Theophraſtus*, (*De cauſ. plant.* lib. 2. cap. 24.) cuculorum genus extare poſſe negavit, εἰ μὴ ἦν ἡ ὑπολαῒς, ἣ καὶ εἰς τὴν νεοττίαν τὰ ᾠὰ τίθησιν, *niſi curruca eſſet, in cujus nido ova poneret.* Quod haud uſquequaque verum eſt. Quia præter currucam etiam aliæ ſunt aves, in quarum nido cuculus ὠοτοκεῖ. *Ariſtoteles* in *Mirabilibus*, Τοὺς κόκκυγάς φασι μὴ ποιεῖν νεοττίαν, ἀλλ᾽ ἐν ταῖς τῶν φαττῶν, καὶ τῶν τρυγόνων ἐκλέπτειν. Item *Hiſt.* lib. 9. cap. 29. Ἐν ἀλλοτρίαις τίκτει νεοττίαις, μάλιστα μὲν ἐν ταῖς τῶν φαβῶν, καὶ ἐν ὑπολαΐδος, καὶ κορυδοῦ χαμαὶ, ἐπὶ δένδρου ἐν τῇ τῆς χλωρίδος καλουμένης νεοττιᾷ. *Antigonus Mirab.* cap. 109. Κόκκυγος δὲ νεοττοὺς οὐδεὶς ἑωρακέναι. Τίκτειν γὰρ αὐτὸν, οὐκ ἐν τῇ ἰδίᾳ νεοττιᾷ, ἀλλ᾽ εἰς τὰς τῶν ὀρνιθίων, ἢ εἰς τὰς τῶν φαβῶν, ἢ ὑποδυνοσιδίων (lege ὑπολαΐδων) εἰσπιλόμενον. *Ælianus Hiſt.* lib. 3. cap. 30. Οὐ πάντων δὲ ὀρνίθων καλιὰς ἐπιπηδᾷ οὗτός γε, ἀλλὰ κορυδοῦ, καὶ φάττης, καὶ χλωρίδος, καὶ πάππου. Vides, lector, præter currucam, etiam palumbum, & turturem, & alaudam, & chloridem, & pappum, in iis avibus recenſeri, quorum nidos invadit cuculus. Quidam paſſerem adjiciunt. *Iſidorus* lib. 12. cap. 7. ubi de cuculo, *Ova paſſeris nido reperta comedit, & ſua objicit, quæ ille ſuſcepta & fovet, & nutrit.* Et *Geſnerus luſciniam* inſuper, & *motacillam*, & *rubeculam*, & *ruticillam*. Ità ut hæ totidem ſint aves, quæ fovent quod non pepererunt. Quibus ex *Jeremia* addi poteſt avis קורא *kore*, ab his omnibus diverſa, & ſcolopaci, ſeu ruſticulæ propior, ut à nobis probatum fuit. Quod à *Græcis* & *Romanis* non potuit obſervari, quia hæc avis illis fuit ignota. Et ideo fugit *Arabes*; quia ejus deſcriptionem paucis perſtringunt, & levi ſtylo.

At, inquies, ſi קורא *kore*, eſt σκολόπαξ, aut ruſticulæ ſpecies, aut avis huic ſimillima, quorſum *Græci*, *Romani*, *Syri*, *Arabes*, *Hebræi* interpretes tanto conſenſu *perdicem* reddunt? Duo poſſunt regeri;

1. *Græcos*, qui his omnibus præiverunt, promiſcuè ſumpſiſſe קרא *kore*, per *Koph*, & כרא *cara*, per *Caph*: quorum hoc *perdicem* ſonat hodieque apud *Arabes*.

Ita in *Giggeio* ſcribitur Alii كري malunt, & الكروان *Alcamus*, الحجل والقبج كروان والانثى الكروانة ويقال للذكر الكري

Alcarvvan, *perdix mas*, *& perdix in genere*, *& Fœminium* alcarvana. *Sed & mas dicitur* aleara. *Ezech.*7. *verſ.*25. קפרה בא, *excidium venit* à *Græcis* redditum ἐξιλασμὸς ἥξει, *propitiatio veniet*, quaſi קפרה per *Koph* & *Daleth* idem eſſet, quod כפרה per *Caph* & *Res*. Ita ſumi potuit קרא per *Koph* pro כרא per *Caph*. Præterea ſcolopacem perdicis ſpeciem eſſe nonnulli putant; quia licet formâ, & ſpecie, à perdice non parum differat, tamen ſapore accedit. Inde in *Martiali* ruſticula ita ſe jactat,

Ruſtica ſim, an perdix? Quid refert, ſi ſapor idem eſt?

Atque id ipſum ſupplent quotquot ſcolopacem ruſticam, aut ruſticulam appellant. Ut *Plinius* libri 10. cap.38. *Currunt* (aliquæ aves) *ut perdices*, *ruſticulæ*. *Ruſticulam* enim aut ruſticam dicunt pro perdice ruſtica. Quod ex *Græcis* ſumptum, quibus ἡ ἀγρία πέρδιξ idem eſt, quod ὁ σκολόπαξ. Ita definit *Herodianus*. Potuit igitur πέρδιξ à *Græcis* interpretibus pro *ſcolopace* poni. Maximè, eum *Græcum* σκολόπαξ ſit parum in uſu, nec occurrat uſpiam, quam in *Ariſtotelis* duobus locis, (q) unde ab *Heſychio* & *Herodiano* ſumptum. Itaque ſi pro ἐφώνησε πέρδιξ *Græci* ſcripſiſſent ἐφώνησε σκολόπαξ, in hac voce multi hæſiſſent, ejus novitate perculſi.

(q) Lib. 9. cap. 8. & 26.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Quid ſit πέρδιξ θηρευτὴς ἐν καρτάλλῳ perdix venator in cavea, Sirach. 11. v. 31. al. 37.

De eo quid Ariſtoteles. Κάρταλλος *al.* πύκλαι, *&* κλωβοὶ, Hebr. כלוב *club*, *in* Jeremia, *Græcè* κλωβὸς, *&* κλωβὸς, *vox in* Lexicis *omiſſa*. Talmudicis פלצור paltſur, *Romanis* tranſenna. Πέρδιξ θηρευτὴς *quomodo ab aliis vocetur. Quam vetus hoc aucupium. Mendum in* Arabica *verſione hujus loci. Idem à multis perperam acceptus.*

POſtquam de ſpurio perdiee actum, de genuino pauca dieemus ad eelebrem *Sirachidis* locum *Eccleſ.* 11. *v.* 31. al. 37. Πέρδιξ θηρευτὴς ἐν καρτάλλῳ, οὕτως καρδία ὑπερηφάνου, καὶ ὡς ὁ κατάσκοπος ἐπιβλέπει πτῶσιν. *Ut perdix venator in cavea, ita cor ſuperbi, qui ut ſpeculator obſervat caſum.* Senſus eſt, hominem ſuperbum, altero in ruinam impulſo, ſic in illum inſultare, quomodo perdix venator in eavea in ſui generis aves, quas in laqueum induxit. Ibi enim πέρδιξ θηρευτὴς eſt perdix eicur, qui feros perdices ſuis artibus in caveam aut laqueos allicit. *Ariſtoteles Hiſtoriæ* lib.9. cap. 8. Καὶ τὸν περδίκων δ' οἱ τιθασσοὶ τοὺς ἀγρίους πέρδικας ὀχεύουσι, καὶ ἐπικορίζουσι (lege ἐπικορύζουσι) καὶ ὑβρίζουσιν. Ἐπὶ δὲ τὸν θηρευτὴν πέρδικα ὁρμᾶται τῶν ἀγρίων ὁ ἡγεμὼν, ἀντιάσας ὡς μαχούμενος, τούτου δ' ἁλόντος ἐν ταῖς πύκλαις, πάλιν προσέρχεται ἄλλος, ἀντιάσας τὸν αὐτὸν τρόπον. *Cicures quoq; perdices feros ſubagitant, & verberant, & contumeliâ afficiunt. Et in venatorem perdicem impetum facit agreſtium dux, contra congrediens ut pugnaturus. Eo verò capto in viminea cavea denuò contra procedit alter eodem modo.* Vides utrobique τὸν θηρευτὴν πέρδικα *perdicem venatorem*, & *caveam vimineam*. Id enim propriè κάρταλλος in *Sirachide*, ut in *Philoſopho* αἱ πύκλαι. *Heſychius*, Κάρταλος (lege Κάρταλλος) τὸ πλεκτὸν ἀγγεῖον (malim πυκτὸν, ut in *Ariſtotele*) ἐν τοῖς ὀρνιθευτικοῖς κλωβὸς. Rectè omnino. *Cavea* enim hujuſmodi vocatur etiam κλωβὸς, ut *Hebraicè* כלוב, *club*, & *Syriacè* ܩܠܘܒܐ *klubja*. Sic *Jer.* 5. *v.* 27. ככלוב מלא עוף, *ut club* (cavea) *ſcatens avibus*. Ubi *Syrus*, ܐܝܟ ܩܠܘܒܐ, *ut klubja* (quamvis *Græci*, ὡς παγὶς ἐφεσταμένη, & *Arabs* مثل فخ منصوب *ut laqueus tenſus*, & Hieronymus, *ſicut decipula*) Agitur enim de cavea, in quam alliciuntur aves, quod patet ex tota ſerie. Ita enim habet verſus proximè præcedens, *Quia inventi ſunt in populo meo inſidiantes quaſi aucupes, laqueos ponentes ad capiendos homines.* Et hîc ipſe, *Sicut* club *ſcatens avibus, ita domus eorum plena ſunt fraude*: id eſt, rebus per fraudem partis, & comparatis. Itaque quod fugit *Lexicographos*, ut in *Hebræo Jeremiæ* textu כלוב *club*, ita etiam in *Græcis* Scriptoribus κλωβὸς, aut κλωβὸς, vel pro doloſa hac cavea, vel pro cavea quavis etiam alibi occurrit. *Oppianus* in *Ixeuticis* de ægitho, *Capitur* κλωβῷ *caveâ, cui alius pridem captus ad alliciendum voce includitur.* *Poeta* vetus apud *Suidam*, in Ἀμφιῤῥῶγας. Κλωβοὺς τ' ἀμφιῤῥῶγας, *caveas undique diruptas*. *Philoſtorgius* lib. 10. cap. 11. (in manuſcripto meo, quod edito exemplari ſæpe eſt emendatius) de *Ægyptio* pumilione, Ὁ δὲ Αἰγύπτιος οὕτω καλλιφωνίας εἶχε, ὥστε μηδ' ἀχαρίστως τοὺς ἐν τοῖς κλωβοῖς πέρδικας ἐκμιμεῖσθαι, καὶ συναθύρειν αὐτοῖς πρὸς ἔριν ἐκείνους. *Ægyptius verò ita contrahebatur, ut perdices in clubis* (ſeu caveis) *incluſos non injucundè imitaretur, qui & ipſi cum eo per luſum contendebant.* Et eundem *Nicephorus* lib. 12. cap. 37. fuiſſe dicit προσεμφερῆ πέρδικι, καὶ μὴ ἀχάριστον ἐν κλωβῷ τὴν ἐκείνου προσομιλίαν. Et *Cedrenus* editionis *Pariſienſis* pag 592.B. Ζῶον ἦν τι πτηνὸν ἐν κλωβῷ εἰς τὰ βασίλεια αἰωρούμενον. *Avis quædam in regia erat in clobo* (id eſt, *cavea*) *appenſa*. Gloſſæ *Philoxeni*, Κλωβὸς, *cavea*. Itaque fruſtra vir doctiſſimus in *Philoſtorgio* pro κλωβοῖς reſcribi vult κλωβοῖς, vel κλωβοῖς. Et *Nicephori* interpres voces ἐν κλωβῷ perridiculè reddidit, *In globo ſcilicet hominum*. Caveam capiendis avibus *Talmudici* in Tractatu *kilaim* פלצור *paltſur* vocant, & Romani *tranſennam*. *Plautus* in *Bacchidibus* Actus quarti Scena *Nimio*,

Nunc ab tranſenna hic turdus lumbricum petit,
Pendebit hodie pulchrè, ita intendi tenùs.

Et in *Perſa* Act. 4. Scena *Cui homini*,

Hunc ego hominem hodie in tranſennam doctis ducam dolis.

Et in *Rudente* Act. 4. Scena *Quam mox*,

O Gripe, Gripe, in ætate hominum plurimæ
Fiunt tranſennæ, ubi capiuntur dolis.

Porro de perdice venatore etiam alii meminerunt. Niſi quod pro venatore *Athenæus* lib. 9. θηρεύοντα πέρδικα *venantem perdicem* vocat. Plinius, (a) *aucupis* indicem, aut *illicem* potius, ut *Turnebus*, (b) & *Scaliger* (c) legendum monent. *Ælianus* (d) eodem ſenſu τὸν παλίνωρον πέρδικα. *Euſtathius Antiochenus* τὸν πέρδικα συμπράττοντα τοῖς θηρευταῖς πρὸς τὴν ἄγραν. *Theodoretus* in *Catena* in *Jeremiam* πέρδικα θηρατικὸν, tales addens è *Babylone* haberi. Nempe id aucupii genus in Oriente jam olim fuit in uſu. Proinde in *Xenophonte* lib. 1. *Cyropædiæ Cambyſes Cyrum* filium ſic alloquitur, Ὄρνιθας δὲ ἐπεπαίδευτο σοι, ὥστε σοι μὲν τὰ συμφέροντα ὑπηρετεῖν, τοὺς δὲ ὁμοφύλους ὄρνιθας ἐξαπατᾶν, *Aves à te ita edoctæ fuerant, ut & tibi utilia ſubminiſtrarent, & aves ejuſdem generis deciperent.* Qui plura de hoc argumento volet eos conſulat, quos citavimus. Et *Albertum Magnum* ubi de (e) *cubeth*, id

a) Lib. 10. c. 33.
b) Adverſar. lib. 24. c. 38.
c) In Varr. Ruſt. l. 3.
d) Lib. 4. c. 16.
e) De anim. lib. 8. tr. 2. c. 3.

id eſt, *perdice fœmina*, Arabicè القبج quàm cavea incluſam ait mares ad ſe allicere. Quamvis *Damir* id ipſum mari his verbis tribuit, في طبع الذكر ان يخدع امثاله بغرقرته ولهذا اتخذه الصيادون في اشراكهم ليكثر الغرقرة فيجتمع الحجل فيقعن معه *De maris natura hoc eſt, ut aves ſibi ſimiles cantu ſuo alliciat: proinde venatores illum ſecum aſſumunt, ut frequenti cantu ſuo perdices fœminas congreget, quæ ad eum volent.* Sed ad id utrumque ſexum & vario ſucceſſu adhiberi pluribus docent *Philoſophus*, *Ælianus*, & *Athenæus* ubi ſupra. *Arabica* verſio in *Sirachide*, pro القبج في القفص *perdix in cavea*, nullo ſenſu habet الصنج في الرقص *ſiſtrum, vel cymbalum in tripudio.* Quod factum eſſe per ſcribarum imperitiam docet literarum ſimilitudo. *Pagnino, Caſtalioni, Ariæ, Camerario, Janſenio*, aliis πέρδιξ θηρευτὴς eſt *capta perdix*, quod eſſet πέρδιξ θηρευθεὶς. Pari errore in *Syro* habetur ܐܝܟ ܩܩܒܐ ܕܨܝܕܐ *ut perdix venatione capta*; & in *Vulgato, ſicut perdix inducitur in caveam.*

CAPUT DECIMUM QVARTUM.

Varia Coturnicum nomina, & variæ ſpecies juxta *Hebræos*.

Loca Scripturæ de coturnicibus. Ad Hebræum שלו ſelau, *alludit* Chaldæum, Syrum, *&* Arabicum; *quorum hoc etiam pro* melle *ſumitur.* Arabes *ab* oblivione *deducunt, nos à* copia. *Et alterum* سماني ſumana *à pinguedine.* Æthiopicum ፍርፍርት: phorphorath *alludit ad* Talmudicũ פרפרות *pro* cupediis. Græci *reddunt* ὀρτυγομήτραν, *quam à coturnice quidam diſtinguunt. In his* Alexander Myndius, *qui obiter corrigitur. Tamen* ὀρτυγομήτρα *nihil quidquam quam magna coturnix.* Janſenii *hallucinatio.* Latona *in coturnicem. Cur* Græci ὀρτυγομήτραν *dixerint potius quàm* ὄρτυγα. *Juxta* Talmudicos *nugivendos quatuor ſpecies* שליו ſelau, Iſraelitis *data.* 1. שכלי ſicli, *id eſt*, συκαλὶς ficedula, *quæ olim tota placuit.* 2. קיכלי kichli, *id eſt*, κίχλη, turdus, *qui ficedulæ ſæpe jungitur. Hac ave nihil præſtantius.* Athenis κιχλίζειν *vetitum junioribus.* Pompejus *à* Lucullo *turdum peti noluit.* 3. פסיוני phisjoni, *phaſianus.* Ptolemæi Phyſconis κειμήλιον. Pertinax, Alexander Severus, *&* Tacitus *Imperatores quam raro his uſi.* Phaſianus *ex* Phaſi, *& aliis ad* Aquilonem *locis. Itaq; ab* Auſtro *non potuit cum coturnicibus advehi. Nomen ejus vetus* τατύρας *ad* Perſicum *&* Arabicum *alludit.* 4. *Vera coturnix.*

De coturnicibus, quas *Iſraelitis*, in deſerto fame enectis, liberaliter indulſit Deus, ita *Moſes* Exod. 16. v. 13. *Et veſpere contigit, ut aſcendentes coturnices caſtra tegerent.* Et *Num.* 11. v. 31. *Tum ventus profectus à Domino abripuit coturnices à mari, & in caſtra diſperſit, quaſi itinere unius diei hinc, & quaſi itinere unius diei illinc circa caſtra, idq; ad duos cubitos in ſuperficie terræ.* 32. *Surgensq; populus toto die illo, & tota nocte illa, & toto die poſtero collegerunt coturnices. Qui minimum, decem coros collegit, & eas circa caſtra latè expandebant.* 33. *Sed cùm caro adhuc eſſet inter dentes nondum conſciſſa, ira Domini in populum accenſa eſt; & populum percuſſit Dominus plaga valde magna.* 34. *Quamobrem vocaverunt nomen loci illius* kibroth thaava, (id eſt, *ſepulchra concupiſcentiæ*) *quia ibi ſepeliverant populum eorum, qui concupiverant.* David etiam *Pſal.* 78. v. 26. *Impulit* Eurum *in cœlos, & virtute ſuâ* Auſtrum *induxit.* 27. *Et carnem depluit ſuper eos tanquam pulverem, & volucres alatas tanquam arenam maris.* 28. *Quas in media eorum caſtra conjecit, circa illorum tabernacula.* 29. *Et ad ſatietatem uſq; comederunt, ab illo quæ concupiverant adepti.* 30. *Nondum cupiditatem ſuam depoſuerant, & adhuc in ore cibum habebant.* 31. *Cum eos invadens ira Dei pinguiſſimos eorum interfecit, &* Iſraelis *lectiſſimos proſtravit.* Et Pſal. 105. v. 40. *Petentibus coturnices invexit, & pane cœlorum ſatiavit eos.*

Hebræum coturnicis nomen eſt שלו *ſelau*; *Chaldaicum* quoque סליו *ſelau*; *Syriacum* ܣܠܘܝ *ſalvai*, & *Arabicum* سلوي iiſdem literis, quamvis efferant *ſelvua.* Unde *Alcoranus Azoarâ* 17. cui titulus اعراف ſeu *Limbi* انزلنا عليهم المن والسلوي *Super eos manna demiſimus, & coturnices.* Nonnulli *mel* explicant, quia vox *Arabica* سلوي *ſelvua* tam *mel* ſignificat, quàm *coturnices.* Quomodo ſi ſumeretur, من *manna*, & سلوي *ſelvua* eſſent ſynonyma. Manna enim eſt mel aerium. Unde eſt, quod à Medicorum filiis vocatur ἀερόμελι, & ab *Amynta* libro 1. τῆς τ' Ἀσίας σταθμῶν apud *Athenæum* lib. 11. Sed melius *Alkazuinius*, & *Ibnobitar*, qui aſſerunt انه السماني *eam eſſe coturnicem.* Et *Alachphas*, هو طاير الذي انزله الله تعالي علي بني اسرايل علي القول المشهور وغلط الهزلي قظنه العسل *Avis eſt, quam demiſit Deus Excelſus ſuper filios* Iſraelis, *juxta receptam ſententiam. Erravit igitur* Alhazelius, *qui putavit eſſe mel.* Sunt ex *Arabibus*, qui ſcribant سلوي vocari coturnicem لانه يسلي الانسان عن ساير الادام *Quia facit, ut homo reliquos cibos oblivioni tradat.* Sed eſt *Hebræum* שלו *ſelau*, quod referendum puto ad verbum שלה *ſala*, quamvis hoc *Maſorethæ* per *Sin* dextrum, illud per ſiniſtrum ſcripſerint διακριτικῶς. Propriè שלה eſt *pacate vivere*, deinde etiam *abundare.* Unde eſt, quod à *Græcis* ſæpe redditur εὐθηνεῖν, & שלוה, εὐθηνία. Coturnices igitur *à copia* dici veriſſimile eſt, cum in calidis regionibus vix ulla ſit fertilior avis, ut patebit ex ſequentibus. Aliud coturnicum nomen سماني *ſumana* apud *Arabes* duci conſtat à *pinguedine*; quia pinguiſſima eſt avis. Hinc *Rabbi Selomo* in *Exod.* 16. השלו מין עוף ושמן מאד, *Coturnix, avis ſpecies, quæ eſt obeſiſſima.* Et *Kimchius* in *Lexico* והוא שמן מאד, *eſt pinguis valde.* In *Æthiopum Pſalterio* Pſal. 104. v. 38. ፍርፍርት: phor-

pharpharath eſt *coturnix*, nomine generis, ut videtur, ad ſpeciem translato. *Talmudicis* enim פרפרות *parperoth*, vel *pharpheroth*, ἀρχαιμοὺς ſunt *cupedia quævis ex rebus minutis, & delicatis*, cujusmodi afferri ſolebant, vel ſtatim initio, vel in fine convivii. Unde in Tractatu *Berachoth* cap.6. fol.42.a. ברך על הפרפרות שלפני המזון פטר את הפרפרות שלאחר המזון *Qui benedictionem dicit ſuper pharpheroth* (id eſt, *cupedias*) *quæ afferuntur ante cibum, liberas facit* (à benedictione) pharpheroth, *quæ poſt cibum afferuntur*. Quia utriſque ſufficit una benedictio. Et ibi *Gloſſa*, ומביאין לפני הם פרפרות להמשיך אכילה כגון פרגיות ודגים ואח״כ מביאין השלחן *Et iis offerebant* pharpheroth, (*ſeu* cupedias) *ad irritandam orexin, ut aviculas, & piſces: deinde menſam afferebant*, id eſt, conſuetos cibos.

A *Græcis* interpretibus שלו *ſelau*, non redditur ὄρτυξ *coturnix*; ſed ὀρτυγομήτρα *ortygometra*. Ita *Exod.* 16. *v.*13. Ἀνέβη ὀρτυγομήτρα. Et *Num.*11. *v.*31. Ἐξεπέρασεν ὀρτυγομήτραν. Et verſu ſequente, Καὶ συνήγαγον τὴν ὀρτυγομήτραν. Et *Pſal.*104. *v.* 40. Ἤτησαν, καὶ ἦλθεν ὀρτυγομήτρα. Et *Apollinaris* in Paraphraſi,

Ἦλθε μάλ' αἰπίζουσα ἀπείριτος ὀρτυγομήτρα.

Et *Sap.*16. *v.*2. Τροφὴν ἡτοίμασας ὀρτυγομήτραν. Et *Sap.* 19. *v.*12. Ἀνέβη αὐτοῖς ἐκ θαλάσσης ὀρτυγομήτρα. Et *Philo* lib.1. *De vita Moyſis*, Ὀρτυγομητρῶν νέφος συνεχὲς ἐκ θαλάττης ὑπερφερόμενον πᾶν τὸ στρατόπεδον ἐπεσκίαζε. Nec deſunt, quibus ortygometra videatur eſſe avis à coturnice diverſa. *Auguſtinus* in *Exodum* Quæſt. 62. *Illis ortygometra data eſt, id eſt, aves, quas* coturnices *multi* Latini *interpretati ſunt, cum ſit aliud genus avium ortygometra, quamvis coturnicibus non usquequaque diſſimile*. Et multo ante *Philoſophus Hiſt.* lib.8. cap.12. Ὅταν δ' ἐντεῦθεν ἀπαίρωσιν (οἱ ὄρτυγες) ἥ τε γλωττὶς συναπαίρει, καὶ ἡ ὀρτυγομήτρα, καὶ ὁ ὦτος, καὶ ὁ κύχραμος. *Cum hinc diſcedunt* (coturnices) *ſimul diſcedit lingulaca, & ortygometra, & otus, & cynchramus*. Quibus verbis, ut lingulacam, & otum, & cynchramum, ita etiam ortygometram à coturnice diſtingui palam eſt. Proinde ibidem infra ſequitur, Ἡ δ' ὀρτυγομήτρα παραπλήσιος τὴν μορφὴν τοῖς λιμναίοις ἐστί· *Ortygometra forma lacuſtribus eſt ſimilis*. Et apud *Athenæum* lib.9. ab *Alexandro Myndio* deſcribitur eadem avis τὸ μέγεθος ἡ ἡλίκη τρυγών, σκέλη δὲ μακρά, δυσθαλπὴς καὶ δειλή, *magnitudine turturis, longis cruribus, alſioſa, & timida*. Δυσθαλὴς, id eſt, *malè-vireſcens*, nullo ſenſu ſcribitur, ſed reſcripſi δυσθαλπής. Ex horum igitur ſententia planum eſt ortygometran à coturnice ſpecie differre. *Heſychio* tamen ὀρτυγομήτρα nihil quidquam eſt quam ὄρτυξ ὑπερμεγέθης, *coturnix prægrandis*, tanquam aliorum mater, aut matrix. Qualis in cicadis τιττιγομήτρα, & in echinis ἐχινομήτρα, & in vermibus ἑλμινθομήτρα *Heſychio* pro ἑλυμήτρα· & in loti ſpeciebus *Plinii* λωτομήτρα· & in urbibus, ac pagis, μητρόπολις, & μητροκωμία. Nam gravi errore *Janſenius* in librum *Sapientiæ* cap.16. ortygometran dici vult tanquam μέτρον τῶν ὀρτύγων, quaſi aliarum *coturnicum menſura* ſit, & *moderatrix*. Neque enim per ε ſcribitur ὀρτυγόμετρα, ſed per η ὀρτυγομήτρα, ut planè ſit, quod diximus, *coturnicum mater, aut matrix*. Et vel hinc colligas ortygometran à vulgari coturnice ſola magnitudine differre. Itaque ὀρτυγομήτραν & *coturnicem* multi promiſcue ſumunt. In his *Joſephus*, qui pro ortygometris habet ſimpliciter ὀρτύγων πλῆθος, *coturnicum copiam*, lib.3. cap.1. Et rurſus cap. 12. Πίμπλαται τὸ στρατόπεδον ὀρτύγων ἅπαν, *Coturnicibus replentur tota caſtra*. *Hieronymus* quoque, qui pro voce *ortygometra*, quam retinuit in *Pſalmis*, & in libro *Sapientiæ*, in Lege habet *coturnices*. Et auctor *Mirabilium*, inter opera *Auguſtini*, lib.1. cap.27. hæc palam habet pro ſynonymis, cum de hoc miraculo ſcribit, *Ventus à Domino egrediens arreptas trans mare coturnices ad caſtrorum loca detulit.* Et paulo poſt, *Circa caſtrorum loca ortygometran inſeruit.* Neque alia mens *Ariſtophanis* in *Avibus*, ubi vota fieri vult

Λητοῖ ὀρτυγομήτρᾳ,

Latonæ ortygometræ, id eſt, *coturnici*. *Latona* enim paritura fingitur, in coturnicem mutata, *Delum* veniſſe, quæ inde *Ortygia* dicta fuerit, quaſi coturnicis inſula. *Jupiter* quoque eam iniiſſe fingitur ὄρτυγι εἰκασθείς. Ita habet *Pindari Scholiaſtes* in *Pythiorum* argumento. *Plinium* etiam, & *Solinum* ortygometran in coturnicum genere cenſuiſſe probat Vir magnus in *Plinianis Exercitationibus* pag.182. Nec dubito, quin id ipſum ſenſerint *Græci* interpretes, & auctor libri *Sapientiæ*, & *Philo*, & *Apollinaris*, quibus שלו *ſelau*, eſt ὀρτυγομήτρα. Qua tamen voce libentius uſi ſunt, quam ſimplici ὄρτυξ, ne crederetur Deus gregarias coturnices *Iſraelitis* immiſiſſe, ſed earum nobiliſſimas.

Quod ferendum, nec conferendum cum *Magiſtrorum* ineptiis in *Talmudico* Tractatu *Joma* cap. 8. fol.75.b. ubi, ex definitione *Rabbi Chanina Barabba*, ד׳ מיני סליו הן ואלו הן שיכלי וקיכלי ופסיוני ושליו מעליא דכולהו שיכלי גריע דכולהו שליו *Quatuor ſunt coturnicum ſpecies, nempe ſicli* (id eſt, συκαλὶς *ficedula*) *& kichli* (id eſt, κίχλη, *turdus*) *& phiſioni* (φασιανὸς, *phaſianus*) *& ſelau* (*coturnix* propriè dicta) *quarum præſtantiſſima eſt ſicli* (ficedula) *& viliſſima omnium ſelau* (*coturnix* propriè dicta) Inde eſt, quod שלו vel שליו nonnulli interpretes, פסיונין, id eſt, *phaſianos* reddunt. Ita *Jonathan Exod.*16. *v.*13. וסליקו פסיונין וחפו ית משריתא *Et aſcenderunt phaſiani, & cooperuerunt caſtra.* Et *R. Joſeph Cæcus* Pſal. 105. v. 40 שאלו בסרא ואיתי פסיונין *Carnem petierunt, & adduxit phaſianos*: nempe hominibus, qui ventri, & gulæ nati ſunt, non ſufficit, quod patribus coturnices liberali manu indulſit Deus; his itaque placuit eas aves adjungere, quæ palato maximè arrident, ficedulas, turdos, & phaſianos. In illis ducit ordinem

Cerea quæ patulo lucet ficedula lumbo

apud *Martialem* lib.5. Unde *Juvenalis Satyrâ* 14.

- - - - - - *qui radere tubera terræ,*
Boletum condire, & eodem jure natantes
Mergere ficedulas didicit nebulone parente.

Ficedulæ peculiare hoc fuit, quod lurconibus tota placuit, non, ut reliqua avitia, ſolis clunibus. *Gellius* lib.15. cap.8. ex *Phavorino*: *Præfecti popinæ, atque luxuriæ*, &c. *negant ullam avem, præter ficedulam, totam comeſſe oportere. Cæterarum avium, atq; altilium, niſi tantum apponatur, ut à cluniculis inferiori parte ſaturi fiant, convivium putant inopiâ ſordere; ſuperiorem partem avium, atque altilium, qui edunt, eos palatum non habere.* Hinc *Martialis* lib.3. *Epigrammate* 59.

Aureus immodicis turtur te clunibus implet.

Et *Epigrammate* 81.

Et concubino turturum nates donat.

Ficedulam ſequitur קיכלי κίχλη *turdus*, quæ aves ſæpe junguntur, tanquam deliciis aut pares, aut ſuppares. *Cornelius Celſus* lib.2. cap.18. *Ex avibus quæ volatu fidunt, firmioris ſunt nutrimenti quæ grandiores, quàm quæ minuta, ut ficedula, & turdus.* *Suetonius* in *Tiberio* cap.42. *Aſellio Sabino* HS *ducenta donavit pro dialogo, in quo boleti, & ficedulæ, & oſtreæ, & turdi certamen induxerat.* *Plautus* in *Captivis* ad utramque avem alludens,

Opus Turdetanis, *opus* Ficedulenſibus,

Sed contra quam *Hebræi* ſentiunt pingui turdo datur principatus ab iis, qui palati delitiis omnia metiuntur. *Ariſtophanis Scholiaſtes* in *Pace*, Αἱ κίχλαι εἶδος ὀρνέων, δοκοῦσι δὲ πρὸς τρυφὴν ἐκ τῶν ἄλλων πτηνῶν διαφέρειν μᾶλλον· *Turdi genus avicularum, quæ præ cæteris ad delicias maximè exquiruntur.* *Horatius* lib.1. Epiſt.15.

Ajebat

Ajebat, ſi qui comedunt bona, cum ſit obeſo
Nil melius turdo. - - - - -

Martialis Xenio 92.

Inter aves turdus, ſi quis me judice certet,
Inter quadrupedes gloria prima lepus.

Et alibi,

Texta roſis fortaſſe tibi, vel divite nardo,
At mihi de turdis facta corona placet.

Et rurſus,

Illic coronam pinguibus gravem turdis.

Perſius Satyra 6.

Nec tenuem ſolers turdorum noſſe ſalivam.

Id eſt, non liguritor, & λίχνος, qui probè calleat quo ſapore ſint turdi. Itaque olim *Athenis*, cum diſciplina erat adſtrictior, junioribus (a) ὀψοφαγεῖν, οὐδὲ κιχλίζειν ἐξῆν, *piſces edere, neq; turdos licebat*, id eſt, delicatè veſci. Et *Pompejus* æger à *Lucullo* turdum peti noluit, quamvis jubente Medico, hoc celebri dicto uſus, Οὐκοῦν, εἰ μὴ Λούκουλλος ἐτρύφα, Πομπήϊος οὐκ ἂν ἔζησεν; *An igitur abſq;* Luculli *luxu* Pompejus *non viveret?* Quod *Plutarcho* ita placuit, ut id referat quater minimùm, nempe in *Lucullo*, & in *Pompejo*, & in *Apophthegmatis*, & in libro *An ſeni gerenda ſit Reſpublica?*

a) *Ariſtophan. in Nubibus.*

Supereſt phaſianus, qui olim videtur fuiſſe deliciarum ultimus finis. Proinde *Athenæi* lib. 14. *Ptolemæus Phyſcon*, quamvis in *Ægypto* phaſianos magno numero aleret, οὐδὲ φασιανικοῦ ὄρνιθός ποτε γεγεῦσθαι ὡμολόγησεν, ἀλλ' ὥσπερ τι κειμήλιον ἀνακείμενον εἶχε τοὺς δὲ τοὺς ὄρνιθας, *ſe phaſianum nunquam guſtaſſe profeſſus eſt, ſed has aves habuit ut repoſitum theſaurum.* Sic apud *Capitolinum* Pertinax *faſianum* (nam per *f* ibi ſcribitur) *nunquam privato convivio comedit, aut alicui miſit.* Apud *Lampridium Alexander Severus* nonniſi *Calendis Januariis*, & *Hilariis* Matris Deum, & ludis *Apollinaribus*, & *Jovis* epulo, & *Saturnalibus*, & hujuſmodi feſtis diebus faſianum menſis adhibebat. Apud *Vopiſcum Tacitus* Imperator *Faſianam avem nonniſi ſuo & ſuorum natali, & diebus feſtiviſſimis poſuit.* Et, *Ammiano* teſte lib. 16. *Julianus in convivio* Cæſaris *phaſianum exigi vetuit, & inferri.* Nempe avi per ſe eximiæ raritas pretium addebat. *Petronius* in *Satyrico*,

Ales Phaſiacis *petita* Colchis,
Atque Afræ *volucres placent palato,*
Quòd non ſunt faciles. - - - - -

Ales Phaſiacis *petita* Colchis, id eſt, phaſianus ex *Phaſide* petitus, *Colchidis amne.* Inde enim afferebatur, quod ipſum nomen indicat. *Agatharchides* de *Phaſide* apud *Athenæum* libro nono, Πλῆθος δὲ ὀρνίθων τῶν καλουμένων φασιανῶν φοιτᾷ τροφῆς χάριν πρὸς τὰς ἐμβολὰς τῶν στομάτων· *Avium, quas phaſianos vocant, magna copia cibi cauſa ad fluminis oſtia ſe confert.* *Petronius* idem alibi,

- - - - - *Jam* Phaſidis *unda*
Orbata eſt avibus. - - - - -

Martialis in *Xeniis*,

Argivâ *primum ſum transportata carinâ:*
Ante mihi notum nil niſi Phaſis *erat.*

Statius in *Pſittaco Melioris* lib. 2. *Sylvarum*,

Quem non gemmatâ volucris Junonia *caudâ*
Vinceret aſpectu, gelidi non Phaſidis *ales.*

Clemens in *Pædagogo* lib. 2. capite 1. Ὄρνεις ἐπὶ τούτοις ὠνοῦνται ἀπὸ Φάσιδος· *Præterea volucres ex* Phaſide *coëmunt.* *Apollonius* apud *Philoſtratum* lib. 8. cap. 3. Οὐ κρίνω τοὺς τρυφῶντας ὑπὲρ τῆς φοινικοῦ ὄρνιθος, οὐδ' ὑπὲρ τῆς ἐκ Φάσιδος, ἢ Παιόνων· *In judicium eos non voco, qui deliciis dediti ſunt, propter avem puniceam* (phœnicopterum) *nec propter avem ex* Phaſide, *aut Pæonibus*, id eſt, phaſianum, aut gruem. *Jornandes, De rebus Geticis* cap. 21. *Ad* Phaſim *fluvium, à quo* Phaſides *aves exortæ, in toto mundo epulis potentum exuberant.* *Euſtathius* in *Dionyſium*, Οἱ φασιανοὶ δὲ τὸ ὄρνεον ἐκεῖθεν παρωνομάσθησαν δοκοῦσιν ὡς αὐτόθι πλεονά-ὄρνις· *Phaſiani, avis ſpecies, videntur inde nomen habuiſſe, ut qui ibi abundaverint.* Quæ, utut protrita, *Talmudicos* tamen latuerunt, & *Chaldæos* Paraphraſtas. Neque enim pro phaſianis habuiſſent aves, quas *Auſter* advexerat in caſtra *Iſraelitarum*, ſi sciviſſent phaſianos ex *Septemtrione* afferri. Phaſianos quidem fateor non peti ex ſola *Colchide*. Nam ad *Ptolemæum Ægypti* Regem ἐκ Μηδείας μεταπεμπομένου, *ex* Media *accerſebantur*, ut teſtatur *Athenæus* ubi ſupra. Et in Provincia *Ergimul Paulus Venetus* lib. 1. cap. 62. maximos deſcribit faſianos, *caudas habentes longitudinis decem palmorum, aut octo.* Sed ut *Colchis*, & *Media*, ita etiam *Ergimul* ad *Septentriones* eſt obverſa. Eſt enim *Tartariæ* pars. Videtur eſſe *Arabum* جرمسق *giormok*, quia nomen accedit, & utrobique eſt muſcus. Vide *Geographum Nubienſem* part. 9. Clim. 3. Phaſianus alio nomine τατύρας *tatyras* appellatur. Ita teſtantur *Heſychius*, & *Athenæus* libro nono poſt *Pamphilum Alexandrinum* in *Gloſſis*, & *Epænetum* in *Opſartytico*. Quod ideò duxi notandum; quia huc alludit *Perſicum* phaſiani nomen تذرو *tazeru*, & *Arabicum* تذرج *tadrug*.

CAPUT DECIMUM QVINTUM.

Solvuntur quinque Quæſtiones de *Moſis* Coturnicibus.

I. Quoties coturnices Iſraëlitis *Deus dederit?* Reſp. *Semel in deſerto* Sin, Exod. 16. *Et rurſus in* Kibroth-Thaava, Num. 11. v. 31. *Diverſa hæc fuiſſe miracula multis probatur. Cur* Moſes, *qui prius miraculum viderat, de altero dubitaverit. II. An ſalubris ſit cibus? Multi negant; quia venenis veſcuntur, putà elleboro, ſeu veratro, cicuta, napello, &c. Itaq; ex ejus eſu timetur tetanus, ſpaſmus, morbus comitialis, &c. Sed aliter* Raſis, Ibno-Zohar, Nicolaus Maſſa, *&* Aloyſius Mundella, *qui coturnicis eſum maximè commendant.* Hercules, *à* Typhone *interemptus, cur nidore coturnicis fingatur revocatus fuiſſe in vitam. Quidquid ſtatuas, tamen Deus, populum ſuum hoc cibo paſcens, ei non malè conſuluit. III. Hæ coturnices unde venerint? Reſp.* Num. 11. v. 31. *è mari. Non, quod in mari nata ſint, ut volunt* Arabes: *ſed quòd, eo trajecto, volârunt in caſtra* Iſraelitarum. *Cur ad eas advehendas* Eurum *excitaverit Deus* Pſal. 78. v. 26. *cùm* Ægyptus, *unde venerunt, ſit ad occaſum* Arabiæ, *ubi tum erant* Judæi. *Ex* Græca *&* Vulgata *verſione hic nodus non ſolvitur. Sed* Eurus *hoc loco idem, qui* Auſter, *quod prolixè probatur. Refellitur, quod objiciunt* Auſtro *flante non volare coturnices. Venti* Ornithiæ *qui ſint, & unde ſpirent. Coturnices aves migratoriæ. Ex* Ægypto *venerunt, quo tempore migrare ſolent. IV. Quantâ copiâ venerint?* David *pluiſſe dicit* ut pulverem, & arenam, *Pſal. 78. v. 26. id eſt, magna copia. Pluvia tritici, piſcium, ranarum. Nubes coturnicum patebat plus* XL M *paſſuum, & duobus cubitis ſupra terram eminebat. Quod tribus modis poteſt intelligi. Singulos non collegiſſe decem coros, ut vulgò reddunt, ſed decem acervos, id eſt, plures. Coturnicum in* Græcia, *&* Italia, *magna copia: ſed in* Libya, *&* Ægypto *longè maxima, ubi* chennia, *coturnicum ſpecies, ſale condiuntur. Cur* nova creatura *vocentur* Sap. 19. v. 11. *V. Coturnices comedentium quàm grave peccatum fuerit, & pœna quàm juſtè inflicta. Hæc pœna qualis fuerit. Alius peccati ſimilis duplexque judicium.*

cium. Dii ſub pavonum, phaſianorum, & coturnicum ſpecie culti.

DE *Moſis* coturnicibus quinque potiſſimum quæruntur. 1. Quoties *Iſraelitis* eas immiſerit Deus? 2. An ſalubris fuerit cibus? 3. Unde venerint? 4. Quantâ copiâ? 5. Cur illarum eſu *Iſraelitæ* Deum in ſe concitaverint?

I. Et ad primam quæſtionem, re non ſatis explorata, multi reſpondent ſemel tantùm fuiſſe immiſſas. Tamen repetitum fuiſſe hoc miraculum multa non ſuadent ſolum, ſed & planè perſuadent. Nam *Exod.* 16, 13. unà cum Manna dantur coturnices in deſerto *Sin* paulò poſt exitum ex *Ægypto* die decimâ quintâ ſecundi menſis, antequam veniſſent in montem *Sinai*, ut apparet ex initio capitis. Sed *Num.* 11, 6. cum populus obmurmuràſſet, eò quod præter Manna nihil viderent, ibidem verſu trigeſimo primo Deus illis coturnices largitur in *Kibroth-thaava*, quò demùm venerunt poſt exceſſum è deſerto *Sinai*, *Num.* 33, 16. Idque tertia die, *Num.* 10, 33. E *Sinai* autem diſceſſerant anno ſecundo, die vigeſima ſecundi menſis, *Num.* 10, 11. Ut uno anno ſerius priore contigiſſe neceſſe ſit hoc miraculum. Præterea priores coturnices ſolùm in diem, poſteriores in totum menſem à Deo indultæ fuerunt. Proinde illæ ſolùm caſtra tegebant; hæ etiam extra caſtra erant, hinc & indè diſperſæ ad iter unius diei. Et harum, non illarum, eſu Deus graviter irritatus populum magnâ plagâ percuſſit. Itaq; utramque hiſtoriam refert *Joſephus* diverſis locis; illam capite primo, hanc capite decimo tertio libri tertii *Antiquitatum.* Quomodo etiam *Hieronymus* Epiſt. cxxvii. ad *Fabiolam*, manſionibus x, & xiii. quod objiciunt nihil eſſe cauſæ, cur Deus his potiùs, quam illis fuerit infenſus, refelluntur in fine hujus capitis. Jam, ſi quæras quomodo *Moſes Num.* 11. 21. dubitaverit, an poſſent reperiri carnes, quæ ſufficerent tot millibus, ſi jam aliud ſimile miraculum viderat, *Exod.* 16, 13. Reſpondeo, prius miraculum poſteriori non fuiſſe omni ex parte ſimile. Nam in priori, quod jam obſervavimus, hunc populum Deus carnibus nonniſi in unum diem paverat. At hic id ipſum ſe facturum pollicetur in menſem integrum, quod *Moſi* viſum eſt multò majus. Itaque hoc ipſum Deo objicit. *Sexcenties mille peditum*, inquit, *populus iſte eſt, in cujus medio ego ſum: & tu dicis te carnem eis daturum per menſem integrum.* Præterea quis neſcit *Moſem*, cum in *Raphidim* aquas è rupe percuſſa elicuiſſet, *Exod.* 17, 1. &c. dubitâſſe tamen, cum juſſus eſt idem miraculum repetere in deſerto *Sin*, & *Kades*, *Num.* 10, 1. &c. Ne quis miretur, quod hoc ipſum illi acciderit, cum Deus carnes populo promiſit, quas alibi jam ante dederat.

II. Ad ſecundam quæſtionem, coturnices elleboro, aut, quod idem eſt, veratro veſci obſervant. *Ariſtoteles* libri primi capite quinto *De plantis*, ὁ ἐλλέβορος ἀνθρώποις μὲν δηλητήριον, τροφὴ δὲ τοῖς ὄρτυξι· *Hominibus quidem elleborus venenum eſt, ſed coturnicibus alimentum.* *Galenus* ad *Piſonem*, ὁ ἐλλέβορος τῶν ὀρτύγων ἐστὶ τροφή· *Elleborus coturnicum eſt cibus.* Et libri ſecundi *De aliment.* cap. 6. Καὶ μὲν τὸν ἐλλέβορον οἱ ὄρτυγες, καὶ οἱ ψᾶρες τὸ κώνειον ἐσθίοντες οὐδὲν βλάπτονται· *Coturnices ellebori, ut ſturni cicuta eſu nihil quidquam læduntur.* Et libri tertii *De temperam.* cap. 4. τοῖς μὲν ὄρτυξιν ἐλλέβορος τροφὴ, τοῖς δὲ ἀνθρώποις φάρμακον· *Coturnicibus quidem elleborus cibus eſt, hominibus autem venenum.* Itàetiam *Alexander Aphrodiſæus* libro primo *Problematum* in *Præfatione*, *Baſilius*, *Ambroſius*, & *Euſtathius* in *Hexaëmeron.* Eodem hæc *Lucretii* pertinent libri quarti verſu 641.

Præterea nobis veratrum eſt acre venenum,
At capreis adipes & coturnicibus auget.

Sed aliter *Sextus Empiricus* libro primo, Τὸ γὰρ κώνειον πιαίνει τοὺς ὄρτυγας. *Cicuta coturnices pinguefacit.* Quod alii de ſturno referunt. Et *Arabes* rurſus aliter. *Alkazuinius* in *Coturnice*, يغتذي بالبيش والبيش هو سم قاتل *Alitur napello, quod eſt venenum lethiferum.* *Avicenna* capite بيش ſeu *De napello*, والسماني يغتذي به ولا يموت منه *Eo aluntur coturnices, neque ideo moriuntur.* Quod ipſum eſt in *Alcamus.* Napellus autem neque eſt elleborus, neque cicuta, ſed aconitum λυκοκτόνον utut ſit, apud omnes in confeſſo eſt coturnices veſci venenis. Atque eas ob id ipſum ut inſalubres non pauci vetant. *Plinius* lib 10. cap. 23. *Coturnicibus veneni ſemen gratiſſimus cibus: quam ob cauſam eos damnavère menſis.* Et ex eo *Solinus*, *Cibos gratiſſimos habent ſemina venenorum: quam ob cauſam eos damnavère prudentium menſæ.* Didymus in *Geoponicis* lib. 14. Οἱ ὄρτυγες, ἐλλέβορον ἐπινεμόμενοι, τοὺς ἐσθίοντας εἰς κίνδυνον ἐμβάλλουσι, κατατεινομένους, καὶ ἰλιγγιῶντας· *Coturnices, quæ elleboro paſcuntur, eos, à quibus comeſtæ fuerint, in tantum diſcrimen agunt, ut diſtendantur, convellanturque, ceu correpti vertigine.* Quod tamen refert *Avicenna* non tam ad eſum ellebori, quam ad pravam qualitatem illis inſitam. Verba ſunt libro ſecundo *Canonis*, capite سماني ſeu *De coturnice*, اكل لحمه يخاف منه التمدد والتشنج لا لانه ياكل الخربق فقط بل لان في جوهره هذه القوة واظن ان اغتذاه بالخربق هو والمشاكلة المزاج *Ex eſu carnis ejus timetur tetanus, & ſpaſmus, non ſolum quia comedit elleborum, ſed & quia ejus ſubſtantiæ ineſt hæc virtus: quin eam puto elleboro ideò ali, quia temperamento ejus congruit hoc alimentum.* Ex *Plinio* & *Solino* additur *comitialem propter morbum deſpui ſuetum, quem ſola animalium timeant præter hominem.* *Raſis* tamen multò aliter in libro ad *Almanſorem* capite *De carnibus volatilium*, qui decimus eſt tractatus tertii: *Starna* (perdicis) *caro omni carne avium levior invenitur, atque his, qui ſubtili volunt cuſtodiri regimine, convenientior. Poſt iſtam autem coturnicis caro ſecunda in bonitate exiſtit.* Et paulò poſt, *Caro itidem pullorum poſt ipſam ponitur. Coturnicis tamen caro melioris eſt generativa ſanguinis, & ſpermatis augmentativa.* Et *Ibnezohar* in libro *De alimentis* capite *De coturnicibus.* وامزاجها فكانها وسط بين مزاج الدجاج والحجل وهي الي مزاج الدجاج اميل وهي الطف جوهرا واميل الي حر قليلا وهي جيدة الكيموس طيبة الطعم نافعة للاصحا والناقهين ولحومها تفتت الحصا وتدر البول *Medium ferè temperamentum habet inter gallinam, & perdicem; ità tamen ut ad gallinæ temperamentum magis accedat. Sed ſubſtantia ſubtilior eſt, & ad calidum paulò magis inclinat. Eſt & boni chymi, & egregii ſaporis, ſanis & valentibus utilis. Et carnes ejus calculum frangunt, atque urinam provocant.* Et ſuperiore ſæculo *Nicolaus Maſſa* in *Epiſtolis Medicinalibus* apud *Geſnerum*: Coturnicum

Coturnices, id eſt, qualea, ejuſdem temperamenti ſunt, cujus perdices, ſed ſicciores. Probè nutriunt, Et *Aloyſius Mundella*, Ariſtoteles *de coturnicibus & perdicibus in eodem capite tradit, quaſi utraque naturâ non multum inter ſe differant. Quamobrem cum ejuſdem generis eſſe videantur, manifeſtum relinquitur coturnicem, non ità, ut vulgò fertur, pravi ſucci eſſe, neque à menſis ablegandam, niſi pauperum fortaſſe, ut qui minoris impenſâ cibis veſci conſueverint. Neque etiam quod morbo comitiali corripiatur, quodque veneno paſcatur, ab hujus eſu abſtinendum eſſe cenſuerim. Nonnulla enim novimus animalia, quæ, licet venenis quandoque nutriuntur, boni tamen ſucci ſunt, quemadmodum ſturni, qui cicutâ veſcuntur. Quod ſi elleboro veſcitur coturnix, quod nobis nondum conſtat, eo cibo juvari eam probabilius eſt, quàm lædi. Quare coturnicis nutrimentum, quod non ingrati etiam ſaporis ſit, laudandum potiùs quam damnandum cenſeo. Nam & Averroes mirificè coturnicum carnem laudat, tanquam bonum generantem ſuccum. Et licet veneno interdum veſcantur, & interdum comitiali morbo vexentur, non tamen ſemper, nec omnes exiſtimo, ſed illas fortaſſe, quæ in aviariis captæ reſervantur. Nam & hâc ratione galli gallinacei, quod nonnulli eorum quandoque comitiali morbo corripiantur, improbandi eſſent. Id quoque non prætermiſerim Dominum Deum noſtrum Iſraëlis populum, quem ardentiſſimè diligebat, dum per deſerta illa tranſiret loca, ad ſatietatem uſque coturnicibus non paſturum fuiſſe, niſi probati illa fuiſſent alimenti, & ſalutaris.* Hæc, & plura *Mundella*, quæ lector ibi videat. Quod ſi altius aſcendere libet, conſtabit fabularum architectos coturnicem magni feciſſe, ex eo quod *Herculem* fingunt, à *Typhone* interemptum, nidore coturnicis, illi ab *Iolao* admotæ, in vitam fuiſſe revocatum, atque inde eſſe, quod *Phœnices* illi coturnices immolabant. *Athenæus* libro nono, Εὔδοξος δ' ὁ Κνίδιος ἐν πρώτῳ γῆς περιόδου τοὺς Φοίνικάς λέγει θύειν τῷ Ἡρακλεῖ ὄρτυγας, διὰ τὸ τὸν Ἡρακλέα, τὸν Ἀστερίας καὶ Διὸς, πορευόμενον εἰς Λιβύην, ἀναιρεθῆναι μὲν ὑπὸ Τυφῶνος. Ἰολάου δ' αὐτῷ προσενέγκαντος ὄρτυγα, καὶ προσαγαγόντος, ὀσφρανθέντα ἀναβιῶναι. Quod dedit locum Proverbio apud *Græcos* recepto,

Ὄρτυξ ἔσωσεν Ἡρακλῆ τὸν καρτερόν,
Fortem coturnix liberavit Herculem.

In qua fabula ſi quid verum eſt, *Herculem* putaverim, comitiali morbo correptum, (quem Herculeum vocari (a) ajunt, quia *Hercules* huic fuit obnoxius) tanquam mortuum jacuiſſe, & admotæ coturnicis odore recreatum & refocillatum convaluiſſe. Saltem inter remedia ad morbum comitialem maximè efficacia præſcribitur coturnicum cerebrum, quod in myrteo unguento tritum, & ſtanneo vaſe repoſitum, ſi ægri faciei illinatur, is ſtatim ſanus exſurget. *Galenus*, libri tertii *Paratu facilium* capite 155. *Ad morbum comitialem remedium valde efficax. Coturnicum cerebrum ex unguento myrteo tritum ſtanneo vaſe reponito: & cum quempiam morbo comitiali prolapſum videris, eo faciem illinito. Admiraberis enim hujusce naturalis remedii efficaciam. Nam ſtatim ægrotus exſurget.* Et *Aſſariph* in *Abenbitare* de coturnice,

a) Vide Ariſtot. Problem. ſect. 30. initio.

اذا لعقت مرارته نفعت من الصرع

Fel ejus ſi lingatur, confert ad epilepſiam. Itaque ad epilepſiam coturnix ſe habet ut alce, quæ huic morbo creditur maximè eſſe obnoxia: tamen ejus ungulis curari epilepticos apud Medicos conſtans fama eſt. Non ſolum igitur coturnix morbi, quo laborat, contagione homines non inficit, ſed & adverſus illum potens eſt amuletum. Dato tamen, non conceſſo, frequentem coturnicis eſum corpori minùs eſſe ſalubrem, non ſequeretur Deum *Iſraelitis* in deſerto malè conſuluiſſe, dum eos pavit coturnicibus. 1. Quia non fuit cibus ordinarius. 2. Quia qui coturnices per miraculum populo ſuo indulgebat, potuit etiam quidquid in iis noxium erat eximere, & hoc ipſo bonitatem & potentiam ſuam teſtari, quod eos ſanos ſervabat, & incolumes, quocunque uterentur cibo.

III. Ad tertiam quæſtionem, unde venerint hæ coturnices, reſpondet *Moſes Num.* 11, 31. ventum, à Domino profectum, eas advexiſſe מן הים *è mari.* Et auctor libri *Sapientiæ* capitis decimi noni verſu duodecimo, *In ſolatium ex mari aſcendit ipſis ortygometra.* Quod nonnulli ſic acceperunt, quaſi in ipſo mari ortæ fuiſſent. In qua ſententia video eſſe quoſdam *Arabum*. Idem *Aſſariph*, qui ſuprà, سماني هو طاير يخرج من البحر *Coturnix avis eſt, quæ exit ex mari.* Damir, وهو من الطيور القواطع لايدري من اين ياتي حتى ان بعض الناس يقول انه يخرج من البحر المالح فانه يرى طاير عليه واحد جناحيه فيه منغمس والاخر منشور كالقلع والاهل مصر به عناية ويتغالون في ثمنه *Eſt ex avibus migratoriis: atque ità ignotum eſt unde veniat, ut quidam eam aſſerant exire ex Mari Salſo, & in illo videri volantem, alarum unâ immersâ, & alterâ in veli modum expanſâ. De quo Ægyptii valde ſunt ſolliciti, ac proinde eam avem pro pretioſa habent.* Nec *Aben Ezra* videtur aliud voluiſſe, cum ad verba *Moſis* Exod. 16, 13. *Et aſcendit coturnix, & cooperuit caſtra*, hanc notulam appoſuit אולי עלתה מפאת ים, *Fortaſſe aſcenderat ex plaga maris.* Sed & è *Græcis Phanodemus* idem ſenſiſſe putatur, cum in *Atthide* ſcripſit *Delum* à veteribus *Ortygiam* fuiſſe appellatam, id eſt, *coturnicum inſulam*, παρὰ τὰς ἀγέλας τῶν ζώων τούτων, φερομένας ἐκ τοῦ πελάγους, ἱζάνειν εἰς τὴν νῆσον διὰ τὸ εὔορμον εἶναι, *eò quod horum animantium multi greges, ex mari delati, in ea inſula ſedeant, quia commoda eſt ſtatio.* Et nugatur *Kiranides* libro primo è thynnis in *Lybia* littus ejectis, cum putreſcunt, enaſci vermes, qui primo muſcarum, deinde locuſtarum, & tandem coturnicum ſpeciem & magnitudinem habeant. Verum, quidquid illi ſenſerint, certum eſt coturnices in nudo ſolo naſci, & paſci. Eas itaque Sacer Scriptor è mari veniſſe ſcribit, quo ſenſu dixit *Plinius* libro 10. cap. 29. *In agrum* Volaterranum *palumbium vim è mari quotannis advolare.* Non, quod in eo creentur, ſed quod, eo trajecto, circa *Volaterras* ſe conferant. Ità igitur ventus coturnices è mari detuliſſe legitur, quia, *Arabico* mari traducto, illas ex *Ægypto* vexerat in caſtra *Iſraelitarum.* Quo hæc *Joſephi* pertinent *Antiq.* lib. 3. cap. 1. Καὶ μετ' ὀλίγον ἐξ ὀλίγον πλῆθος· τρέφει δὲ τοῦτο τὸ ὄρνεον, ὡς οὐδὲν ἕτερον, ὁ Ἀράβιος κόλπος, ἐπιπέταται τὴν μεταξὺ θάλασσαν ὑπερελθόν. *Et paulo poſt advolavit magna vis coturnicum, intermedium mare tranſgreſſa: hoc enim avium genus præ cæteris alit* Arabicus *ſinus.* Nec procul indè *Rhinocoluræ* ubi magnam vim coturnicum è mari advolantem capi his verbis tradit *Diodorus* libri primi pagina 38. Καλάμην γὰρ κείραντες ἐκ τῆς ὁμόρου χώρας, καὶ ταύτην σχίσαντες λίνα παραμήκη κατεσκεύαζον. ταῦτα δὲ παρὰ τὸν αἰγιαλὸν ἐπὶ πολλοὺς σταδίους ἱστάντες τοὺς θήρας τῶν ὀρτύγων ἐποιοῦντο (φέρονται γὰρ οὗτοι κατ' ἀγέλας μείζους ἐκ τοῦ πελάγους)

ὡς θηρεύοντες τὰ ὄρτυγας πλῆθος ἱκανὸν εἰς διατροφὴν ἑαυτοῖς· *Calamis ex vicina regione detonſis, & fiſſis, longa retia parabant, quibus prope littus in multa ſtadia conſtitutis, coturnices, quæ per magnos greges ex mari eò ſe conferunt, capientes, earum colligebant quantum ad victum ſufficeret.* Ubi notandum, quod coturnices dicit φέρεσθαι ἐκ τοῦ πελάγους, quomodo *Moſes* ſuprà.

Atque hæc quidem ſatis obvia ſunt: ſed nemo facilè dixerit, quomodo concilientur cum his *Davidis* de eodem miraculo *Pſal.* 78, 26.27. Eurum *in cœlo excitavit, &* Auſtrum *vi ſuâ impulit, & depluit ſuper eos carnem tanquam pulverem, & volucres alatas ſicut arenam maris.* Quid enim opus fuit *Eurum* excitari, ut ex *Ægypto* in *Arabiam* per ſinum *Arabicum* deveherentur coturnices, cum ad *Favonium* potiùs id pertineat, & ventos *Occidentales*? *Ægypti* enim, & *Africa* reſpectu, non flat *Eurus* in *Arabiam*, ſed flat ex *Arabia*, juxta illud *Poetæ*,

Eurus *ad Auroram* Nabatæaque *regna receſſit.*

Ad Nabatæa *regna*, id eſt, in *Arabiam*, ubi *Nabatæi Arabes*, oriundi ex *Nabajot*, *Iſmaelis* primogenito, *Gen.* 25, 13. In quibus locis tum erant *Iſraelitæ*. Itaque *Exod.* 10, 19. locuſtas ex *Ægypto* in *mare Rubrum* non impellit *Eurus*, ſed ventus alius huic contrarius, nempe *Occidentalis*. Ità enim habet *Moſes*, *Immiſit Dominus ventum* Occidentalem *valde vehementem, qui exportans locuſtas illas dejecit in mare Rubrum*. Debuit igitur hic idem ventus coturnices ex *Ægypto* per *mare Rubrum* in *Arabiam* deferre, non *Eurus*, ut in *Pſalmo* habetur. Huic objectioni videtur facilè poſſe occurri ex *Hieronymi* verſione, quæ ſic habet, *Abſtulit* Eurum *de cœlo, & induxit in fortitudine ſua* Africum. quaſi uno ſublato alter fuerit inductus. Quæ eadem eſt *Græcorum* verſio, & *Vulgati* interpretis, niſi quod pro *Euro* Νότον *Auſtrum* habent. Ità enim *Græci*, Ἀπῆρεν Νότον ἐξ οὐρανοῦ, καὶ ἐπήγαγεν ἐν τῇ δυναστείᾳ αὐτοῦ Λίβα. Et *Vulgatus*, *Tranſtulit Auſtrum de cœlo, & induxit in virtute ſua Africum.* Itaque ex eorum mente *Hebræa* vox יסע, reddi debet ἀπῆρεν *tranſtulit*, vel *abſtulit*. Quæ verſio ſi recipiatur, jam nulla erit objectio. Nec ea videbitur facilè poſſe rejici, cum quia magnos habet auctores, tum quia Verbum הסיע, unde יסע, in *amovendi* & *auferendi* notione paſſim occurrit. Eſt enim *Hiphil* Verbi נסע, quod *proficiſci* ſignificat, ſive *è loco*, ſive *ad locum*. Itaque in *Hiphil* הסיע, eſt *facere, ut quis aut è loco, aut ad locum proficiſcatur*. Et de vento dictum tam poteſt ſignificare *ventum auferri*, quam *immitti*. Sonticæ tamen cauſæ ſunt, ut quidem puto, cur hoc loco יסע in *auferendi* ſignificatione non poſſit ſumi. Primò enim illud יסע, *Pſaltes* ex *Moſe* mutuatur, cujus verba ſunt *Num.* 11, 31. *Et ventus à Domino* נסע, *profectus eſt, & è mari transvexit coturnices.* Itaque, ut in *Moſe* נסע, ventum *recedere* non ſignificat, ſed *progredi*, ut coturnices advehat: ità in *Pſalte* יסע, quod eſt *Hiphil* ejuſdem Verbi, ventum *amotum fuiſſe* non ſignificat, ſed *immiſſum*, ut coturnices adduceret. Secundo, ἀπῆρεν ἐξ οὐρανοῦ, *abſtulit è cœlo*, *Hebraicè* eſſet יסע מן השמים. Sed textus habet בשמים, quod ſignificat *in cœlo* vel *in cœlum*, non *è cœlo*. Proinde ibi יסע non eſt *auferre*, ſed *inferre*, & *immittere*. Nam, ut res è loco aufertur, ità in locum infertur. Tertiò, quorſum diceretur, ut in *Hieronymo*, *Abſtulit Eurum, & induxit Africum*, & in *Græca* verſione, Ἀπῆρεν Νότον, καὶ ἐπήγαγεν Λίβα, *Abſtulit notum, & induxit Africum*: cum hi venti non ſint contrarii, & ſimul ſtare & flare poſſint? Unde *Poeta* ſummus,

Unà Eurus*que* Notusque *ruunt, creberque procellis*
Africus. - - - - - - -

Et multò antè *Homerus Iliad.* π', verſu 765.

Ὡς δ' Εὖρός τε Νότος τ' ἐριδαίνετον ἀλλήλοιιν·

Quartò, in toto hoc *Pſalmo*, ut ſæpe alibi in *Hebræorum Poeticis* libris, duo hemiſtichia ferè ſunt parallela, & ſeſe mutuo explicant. Unde ſequitur יסע hic ferè idem eſſe, quod ינהג, *& induxit* in poſteriore hemiſtichio, in quo legitur Deus vi ſuâ *Auſtrum* induxiſſe. Quintò, ſi auctoritate certatur, *Græcis*, & *Hieronymo*, *Chaldæum*, & *Syrum* opponimus, & utrumque *Arabem*, & *Hebræos*, quotquot ſunt, & recentiores interpretes, quotquot videre licuit. Neque enim occurrit ullus, cui יסע hic ſit *auferre*. Quin omnes intelligunt *Eurum* à Deo excitatum fuiſſe, & immiſſum. Pagninus, *Excitavit Eurum in cœlo*, Arias, *Proficiſci fecit Eurum in cœlis.* Felix Pratenſis, *Movit Eurum in cœlis.* Caſtellio, *Acto per cœlum Euro.* Quibus adde omnes vernaculas. Hoc igitur maneat, Deum, juxta *Davidis* mentem, hunc ventum moviſſe, non amoviſſe; intuliſſe, non abſtuliſſe. Sed, ut res intelligatur, notandum eſt *Iſraelitas* fuiſſe tum in deſerto *Pharan*, & jam triduano itinere progreſſos ultra montem *Sinai*, *Num.* 10, 12.33. & extremum ſinum *Arabicum* habuiſſe ad meridiem, ac proinde meritò תימן *Theman*, id eſt, *Auſtralem*, à *Davide* vocari ventum, qui coturnices à *mari Rubro* ad illorum caſtra advexit. At cur idem vocatur קדים *Kadim*, id eſt, *Orientalis*? Reſpondent *Aben Ezra* & *Kimchius* utroque nomine appellari; quia fuit מזרחי דרומי, id eſt, partim *Orientalis*, partim *Auſtralis*, quem uno verbo dixeris *Euro-Notum*. Quod eſt oppido falſum. Neque enim *Orientalis* ullo modo fuit ille ventus, ut nôrunt locorum periti. Tamen dicitur קדים *Kadim*, quâ de cauſa jam dicturus ſum. Quamvis venti cardinales quatuor conſtituantur, qui rurſus ſubdividuntur in multò plures, nihilominus docti (a) obſervant in antiquis *Philoſophorum* ac *Medicorum* libris, & præcipuè apud *Ariſtotelem* & *Theophraſtum*, ad deſignandas tempeſtatum & aeris conſtitutiones, quas venti faciunt, τὰ βόρεια ſolùm, & τὰ νότια nominari, nuſquam τὰ ἑσπέρια, aut τὰ ἑῷα. Unde *Ariſtoteles* lib. 2. *Meteorol.* cap. 6. poſtquam octo principales ventos cum ſuis lateronibus nominavit, Ὅλως δὲ, inquit, τὰ μὲν βόρεια τούτων καλεῖται, τὰ δὲ νότια. *Univerſaliter quidem horum alii Boreales, alii vocantur Auſtrales.* Nempe venti *Occidentales*, tanquam frigidiores, *Boreæ* apponuntur; & *Auſtro Orientales*, quia ſunt calidiores. Quod his verbis idem addit, Προστίθεται δὲ τὰ μὲν ζεφυρικὰ τῷ βορείῳ, ψυχρότερα γὰρ, διὰ τὸ ἀπὸ δυσμῶν πνεῖν· τῷ δὲ νότῳ ἀπηλιωτικά, θερμότερα γὰρ, τῷ (lege διὰ τὸ) ἀπὸ ἀνατολῆς πνεῖν. Vento autem Occidentali Orientalis ideò calidior eſt, ὅτι πλείω χρόνον ὑπὸ τὸν ἥλιον ἐστι, *quia diutiùs eſt ſub ſole.* Unde eſt, quod *Græcè* vocatur ἀπηλιώτης, & *Latinè Subſolanus*. Proinde in *Politicis* lib. 4. cap. 3. idem *Ariſtoteles* omnes Reipubl. formas vel ad Democratiam, vel ad Oligarchiam contendit eſſe referendas; καθάπερ ἐπὶ τῶν πνευμάτων λέγεται τὰ μὲν βόρεια, τὰ δὲ νότια, τὰ δ' ἄλλα τούτων παρεκβάσεις, *Quomodo in ventis alii Boreales, alii dicuntur Auſtrales, & reliqui ſunt horum exceſſus.* Unde eſt, ait, quod τὸν μὲν ζέφυρον τοῦ βορέου, τὸν δὲ νότου τὸν εὖρον, *Zephyrum Boreæ, auſtri verò Eurum* eſſe dicunt. Quo pertinent *Lucilii* verſus libro de *Coty*, *Thracum* Rege, quos corruptiſſimos in *Nonio*, voce *Demagis*, *Salmaſius* ſic reſtituit:

Rex Cotys *ille duos ventos*, Auſtrum *atq;* Aquilonem,
Noviſſe ajebat ſolos ſe demagis, iſtos
Ex nimbo Auſtellos nec nôſſe, nec eſſe putare.

Ex his cum *Eurum* pateat ad *Auſtralem* ventum referri, potuêre apud *Davidem* קדים *Kadim*, & תימן *Theman*, id eſt, *Eurus*, & *Auſter*, haberi pro Synonymis, ità ut hoc loco *Kadim* non ſit aliud quàm ſequens *Theman*. Neque verò hic ſolùm, ſed & paſſim alibi, vento *Kadim* Sacri Scriptores ea tribuunt, quæ potiùs venti *Auſtralis* videntur eſſe propria. Is enim fruges exurit, *Gen.* 41, 6. Vites quoque, & fructus arborum, *Ezech.* 17, 10. & 19, 12. Maris & fontium aquas exſiccat, *Exod.* 14, 21. & *Oſ.* 13. v. 15.

a) *Vide Salmaſ. in Solinum pag.* 1240.

Vi ſuâ naves conterit, *Pſal.* 48, 8. & *Ezech.* 27, 26. Omnia denique ſubvertit, & diſpergit, *Job.* 27, 21. & *Jerem.* 18, 17. Proinde vocatur ventus durus, *Eſ.* 27, 8. & חרישית, ſtrepitu ſuo homines ſurdos faciens, *Jon.* 4. 8. Neque à *Græcis* Εὖρος uſpiam, ſed Νότος vocatur, aut Καύσων, id eſt, *Auſter*, & ventus urens. Et Dei verba *Deut.* 32, 22. *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit uſque ad imos inferos, conſumetque terram, & proventum ejus*, *Jonathan*, & *Onkelos* ad hunc eundem ventum referunt hâc ſuâ Periphraſi קדום חקיף כאשא, *Ventus Orientalis validus ut ignis à me in furore exiit*, &c. A *Theodoreto* denique *Eurus* & *Notus* conferuntur ut venti ſimiles, & propè iidem, cum ſcribit Quæſtione octava in *Geneſim*, Εὔρου ἢ Νότου πνέοντος, τὸ πεπηγὸς ὕδωρ διαλύεσθαι, Euro *aut* Noto *flante, aquam congelatam diſſolvi.* Quamvis igitur רוח הקדים, propriè & præciſè loquendo, *ventum Orientalem* ſonet (quod & vocis origo docet, & locus *Ezech.* 42, 16. &c. ubi à vento *Kadim Borealis*, *Auſtralis*, & *Occidentalis* diſtinguuntur) tamen quia venti *Kadim*, & *Theman*, id eſt, *Eurus*, & *Auſter*, quædam habent inter ſe communia, *Hebræos* puto has voces promiſcuè uſurpâſſe. Atque indè eſſe, quod קדים *Kadim*, paſſim à *Græcis* Νότος redditur: ut *Exod.* 10, 13. & 14, 21. *Num.* 34, 15. *Job.* 38, v. 24. *Ezech.* 27, 26. atque in illo ipſo *Pſalmi* loco, in quo verſamur, ubi *Kadim* & *Theman* explicant Νότον καὶ Λίβα. Quocirca utraque voce idem ventus videtur ſignificari, *Auſter* nimirum, aut *Africus*, qui ex intima *Ægypto* coturnices *Iſraelitis* advexerit.

At unum poteſt objici, nempe *Auſtro* flante non volare coturnices *Ariſtoteles Hiſt.* lib. 8. cap. 12. Οἱ δὲ ὄρτυγες, ὅταν πέτωνται, ἐὰν μὲν εὐδία ᾖ ἢ βόρειον, συνδυάζονταί τε, καὶ εὐημεροῦσιν. ἐὰν δὲ νότος, χαλεπῶς ἔχουσι, διὰ τὸ μὴ εἶναι πτητικοί· ὑγρὸς γὰρ καὶ βαρὺς ὁ ἄνεμος· διὸ καὶ οἱ θηρεύοντες ἐπιχειροῦσι τοῖς νοτίοις· *Coturnices, cum cadunt* (imò ὅταν πέτωνται, *cum volant*) *ſi ſudum cælum, & ventus ab* Aquilone *eſt, ſociantur, & quiete degunt. At, ſi* Auſter *eſt, graviter ſe habent, quia non facile volant; humidus enim & gravis eſt ventus. Quamobrem qui aucupantur, Auſtrinis ventis eas aggrediuntur.* Et *Plinius* libro decimo capite vigeſimo tertio, *Auſtro non volant, humido ſcilicet, & gravi vento. Aurâ tamen vehi volunt, propter pondus corporum, viresque parvas*, &c. *Aquilone ergò maximè volant.* Et Solinus, *Auſtro nunquam exeunt: nam metuunt vim flatûs tumidioris. Plurimum ſe* Aquilonibus *credunt, ut corpora pinguiuſcula, atque eò tarda, faciliùs provehat ſiccior & vehementior ſpiritus.* Eodem facit quod venti *Ornithiæ* dicti, quaſi aves adducant ab *Aquilone*, aut ſaltem ab *Occaſu* flare ſcribuntur. *Ariſtoteles* libro *De Mundo*, Οἱ δὲ ὀρνιθίαι καλούμενοι, ἐαρινοί τινες ὄντες ἄνεμοι, βορέαι εἰσὶ τῷ γένει. Quæ *Budæus* ità reddidit, *Ornithiæ, quaſi Aviarii, venti quidam dicti ſunt ex Aquilonio genere, verno tempore invaleſcentes.* Sed *Apuleius* multò aliter, *Ornithiæ verni* (alii *venti*) *Aquilonum genus ex aëre prolati minori niſu, nec jugi perſeverantiâ ſpiritus perferentes.* Quæ ſcilicet non tam ex hoc loco petita ſunt, quàm ex *Meteorologicorum* libri ſecundi capite quinto, ubi *Ornithiæ* dicuntur eſſe Ἐτησίαι ἀσθενεῖς· ἐλάττους δὲ, καὶ ὀψιαίτεροι τῶν Ἐτησίων πνέοντες, *Eteſiæ debiles, ſed quæ veris Eteſiis minores & tardiores ſunt.* Quibus verbis *Ornithiæ Eteſiis* adſcribuntur. *Eteſiæ* autem vel ab occiduo axe flant, vel à ſeptentrionali plaga. *Diodorus* libro primo, τοὺς Ἐτησίας ἰδεῖν ἐστιν οὐδέν τι μᾶλλον ἀπὸ τῆς ἄρκτου πνέοντας, ἤπερ τῆς ἑσπέρας· οὐ βορέαι γὰρ, οὐδ᾽ ἀπαρκτίαι μόνοι, ἀλλὰ καὶ οἱ πνέοντες ἀπὸ τῆς θερινῆς δύσεως ἀργέσται κοινωνοῦσι τῆς τῶν Ἐτησίων προσηγορίας. Itaque *Ornithiæ* indidem oriuntur. Et eos *Plinius* libri ſecundi capite quadrageſimo ſeptimo modò ad *Favonium* refert, modò ad *Eteſias*. *Favonium*, inquit, *quidam ad* VII. *Calend. Martii* Chelidoniam *vocant ab hirundinis viſu. Nonnulli verò* Ornithiam, LXXI *die poſt brumam, ab adventu avium, flantem per dies novem.* Et infrà ubi de *Eteſiis*, *Spirant autem & à bruma qui vocantur* Ornithiæ, *ſed leniores, & paucis diebus.* In *Ariſtophanis Acharnenſibus* aliter ſumitur χειμὼν ὀρνιθίας, nempe prò *hyeme frigidiſſimo*, in quo τὰ ὄρνεα διαφθείρεται, *aves præ frigore pereunt*, ut volunt *Scholiaſtes* & *Suidas* voce Ὀρνιθίας. Itaque iisdem ventus ὀρνιθίας eſt ὁ ἐπὶ τὴν γῆν τὰ ὄρνεα στρωννὺς ὑπὸ τῆς ψυχρᾶς πνοῆς, *qui frigido ſuo flatu aves humi ſternit.* Sed *Philoſophis Ornithias* ventus nihil quidquam eſt quàm quod diximus, nempe ventus ex *Aquilone* aut *Occaſu* aves adducens. Itaque videri poſſit præter naturam id contigiſſe, ut *Auſter* coturnices ad *Iſraelitas* adveheret. Atque ex eo ipſo contendunt, majus fuiſſe miraculum. Sed nihil opus eò recurrere. Utut enim *Plinius* & *Solinus* eas *Auſtro* volare ſimpliciter negent, tamen ex *Philoſopho* hoc ſolum elicias, tum volare difficiliùs, & faciliùs capi. Quod ipſum hic momentum habet: quia ab *Auſtro* non ſolùm advectas, ſed & in terram dejectas fuiſſe ſcribunt *Moſes Num.* 11, v. 31. & *David Pſal.* 78, 28. Et verò falſiſſimum eſt illas *Auſtro* volare nunquam. Sunt enim aves migratoriæ, quas ut *Aquilones* Autumno à nobis avehunt, ità *Auſtri* Vere ad nos revehunt. *Ariſtoteles* ubi ſuprà, Ὁμοίως δὲ καὶ οἱ ὄρτυγες (ἀπαίρουσιν) ἐὰν μή τινες ὑπολειφθῶσιν ἐν εὐηλίοις χωρίοις· *Similiter & coturnices* (abeunt;) *niſi paucæ locis apricis remanſerint.* Varro *Ruſtic.* lib. 3. cap. 5. *Turdi quotannis in* Italiam *trans mare advolant circiter æquinoctium autumnale, & eodem revolant ad æquinoctium vernum. Et alio tempore turtures ac coturnices immani numero.* Plinius, *Coturnices antè etiam ſemper adveniunt quàm grues.* Solinus, *Adveniendi habent tempora æſtate depulſâ:* imò *hyeme*, ut multis docet magnus auctor in *Solinum*. *Aloyſius Mundella* in *Epiſtolis*, *Ad maritimam regionem circa* Piſaurum *ingens coturnicum copia adventare conſuevit, & mille inſidiis capi: ſed potiſſimum ſub extremum verni temporis illarum adventu obſervato.* Bellonius *Obſervat.* lib. 2. cap. 17. ubi de itinere è *Rhodo* in *Alexandriam*, *Plurimæ coturnices à Septentrione Meridiem versùs volantes in navi noſtra captæ ſunt. Unde certò perſuaſus ſum coturnices aves eſſe migratorias. Nam priùs cum verno tempore è* Zacyntho *in* Eubœam *navigarem, alias obſervaveram contrariâ profectione à Meridie in Septentrionem volantes.* Geſnerus, *Coturnices ad nos, ut audio, medio ferè Aprili veniunt, & abeunt cum prima pruina ingruit.* Ex quibus non ſolùm conſtat coturnices ſolum mutare, ſed & medio Vere ab *Auſtro* in *Septentrionem* migrare. Quod ideò hic obſervo, quia illo ipſo tempore coturnices advexit *Auſter* in *Iſraelitarum* caſtra, nempe die XXIV ſecundi menſis. Nam viceſima diſceſſerant è deſerto *Sinai*; & poſt triduanum iter, cum carnem petiiſſent non ſine multo murmure, promiſit Deus craſtinâ die ſe daturum in menſem integrum, & miſit coturnices. Vide *Num.* 10, verſus 11, 12, 33. & 11. verſum 18.

IV. Copiam quod attinet, *Pſaltes* coturnices Deum *pluiſſe* dicit *ut pulverem, atque ut arenam maris*, Pſal. 78, 27. id eſt, magna copiâ & ubertate demiſiſſe. Sic apud *Athenæum* libro octavo *Phanias narrat* ἐν Χερρονήσῳ ἐπὶ τρισὶν ἡμέραις ὗσαι τὸν Θεὸν ἰχθύας, *in* Cherſoneſo *Deum per tres dies piſces pluiſſe.* Et *Phylarchus* ibidem, ἱστορηκέναι τινὰς πολλαχοῦ τὸν Θεὸν ὕσαντα ἰχθύσιν, πολλάκις δὲ καὶ πυροῖς, *quoſdam obſervâſſe Deum multis in locis pluiſſe piſcibus, ſæpe etiam tritico.* Et *Heraclides Lembus*, Περὶ τὴν Παιονίαν καὶ Δαρδανίαν βατράχους, φησίν, ὗσεν ὁ Θεὸς καὶ τοσοῦτον αὐτῶν ἐγένετο τὸ πλῆθος, ὡς τὰς οἰκίας καὶ τὰς ὁδοὺς πλήρεις εἶναι· *Circa* Pæoniam, *&* Dardaniam, *inquit, tantam ranarum vim pluit Deus, ut domos & vias implerent.* Cætera ibi vide, & nota in

Exodi 8. *v*.3. Pari ratione coturnices Deus pluit tantâ copiâ, ut eſſent inſtar pulveris,

- - - - - - *numeroq; carentis arenæ.*

Et immani numero fuiſſe probat *Moſes* duobus argumentis: uno, quod non per caſtra ſolum, ſed & undequaque diſperſæ erant, ad iter unius diei, & ad altitudinem duorum cubitorum ſupra terram extabant. Alterum, quod in iis aucupandis & colligendis toto biduo ſic laborarunt tot hominum myriades, ut qui minimum collegerat illarum congeſſerit decem coros Hæc igitur coturnicum nubes circumquaque patuit minimùm quadraginta millia, (nam diurnum iter minimum eſt viginti millium) & duobus cubitis ſupra terram eminebat. Quod trifariam poteſt intelligi. 1. Ut ſonet coturnices in toto illo ſpatio ita fuiſſe coacervatas, ut ubique ad duos cubitos eminuerint. 2. Ut coturnicum bicubitales acervos ſignificet hinc inde ita fuiſſe diſperſos, ut vacua ſubinde ſpatia remanſerint, per quæ populus iter faceret, cibos à Deo oblatos collecturus. 3. Ut in ipſo volatu ſignificentur ita ſe demiſiſſe, ut à terra non abfuerint plusquam duobus cubitis, quaſi captantium manibus ultro ſe offerrent. Quod ſequutus *Hieronymus* ſacra verba ita reddidit, *Volabantq; in aere duobus cubitis altitudine ſuper terram.* Et *Jonathan*, וכרום תרתין אמין הוה פרח על אנפי ארעא והוו מהלכן כהון עד פתהון מטול דלא ילען בזמן מכנשהון יתהון *Et ad duorum cubitorum altitudinem volabant ſuper faciem terræ, & ibant inter illos* (Iſraelitas) *usq; ad umbilicum, ne laborarent in iis colligendis.* Et *R. Selomo* in *Notis*, פורחות בגובה עד שהן כנגד לבו של אדם כדי שלא יהא טורח באסיפתן לא להגביה ולא לשחות *Volabant ad humani pectoris altitudinem, ne quisquam in earum collectione ſe attollendo aut deprimendo fatigaret.* Neque dubito, quin *Philo* id ipſum in animo habuerit, cum deſcribit ὀρτυγομητρῶν νέφος τὰς πτήσεις προσγειοτάτας ποιούμενον εἰς τὸ εὔθηρον, *coturnicum nubem terræ proximè volantem, ut facile eſſet aucupium.* Quod coturnicis naturæ non malè convenit, quæ *cum ad nos venit*, inquit *Plinius*, *terreſtris potius quàm ſublimis eſt.* Itaque ab hac interpretatione non ſum alienus, quamvis ſecundam præferam. Quia *David* diſertè dicit coturnices *cecidiſſe in medio caſtrorum*, & *Moſes fuſas fuiſſe ſuper terram.* Quibus verbis deſcribi videntur humi planè jacentes, potius quam in infimo aere volitantes. Eodem pertinet *pluendi* vox. Neque enim *pluere* dicuntur, niſi quæ in terram usque prolabuntur. Præterea volantes vix potuiſſent in biduo tam multæ capi, ut quisque habuiſſet decem coros. Corus enim *Hebræorum* maxima fuit menſura, continens decem batos, ut batus tria ſata, ſatum ſex cabos, cabus quatuor logos, logus ſex ova. *Hebraicè* חומר *chomer*, dicitur, quod ad חמור *chamor*, id eſt, *aſinum*, revocant nonnulli *Hebræorum*, quaſi fuerit onus aſini. Sed alii verius corum contendunt duplo fuiſſe graviorem, adeoque camelum oneraviſſe. Itaque veriſimile eſt in ſpatio, quod definit *Moſes*, id eſt, per iter diurnum circa caſtra, non ubique, ſed paſſim coturnicum acervos jacuiſſe, alicubi ſuper terram ad duos cubitos eminentes. Quas longo volatu feſſas vel divina vis, vel Angeli à DEO miſſi, vel venti vehementiores hinc inde disjecerant, ut huic populo pro cibo eſſent.

Fateor interim me ultima illa ratione, à decem coris ſumpta, quos ex illo populo quisque collegiſſe creditur, non magnopere niti. Neque enim opus fuit, ut ſinguli coturnicum decem coros colligerent. Deus huic populo carnes in menſem promiſerat, cui promiſſo feciſſet ſatis, ſi unicuique pro decem coris ſolùm dediſſet cori trientem. Quod probare eſt in proclivi. Singulis *Iſraelitis* in diurnum cibum aſſignatur *gomor Mannæ* Exod. 16. v. 16. id eſt, ephæ decima pars ibidem verſu 36. Et Epha eſt decima pars cori *Ezech*. 45. *v*.11. Itaque in coro ſunt centum menſuræ *gomor*. Et, ſi *gomor* in diem ſufficit, corus ſufficit in centum dies, id eſt, in tres menſes, & amplius. Proinde ſi ſinguli *Iſraelitæ* coturnicum collegerunt decem coros, collegerunt plus trigeſies quam Deus promiſerat. Sed cum dicit *Moſes* etiam illum, qui minimum collegerat, decem coros collegiſſe, fortaſſe nonniſi ad familiarum capita hoc referendum eſt: neque in illo cenſu numerantur uxores, liberi, ſervi. Vel, quod puto veriùs, ibi loci עשרה חמרים, non ſunt *decem cori*, ſed *decem acervi*. Nam & חמר *chomer*, *acervum* ſonat. Ita *Habac*. 3. *v*. 15. חמר מים רבים, eſt *acervus aquarum multarum*. Et eodem ſenſu de ranis dicitur *Exod*. 8. *v*. 14. ויצברו אותם חמרים חמרים, *Et congregaverunt eos in acervos, acervos*, id eſt, *in multos acervos*. Et *Judic*. 15. *v*. 16. חמרתים in Duali ſunt *duo acervi*. Sed & hoc ipſo loco עשרה חמרים, *Onkelos* reddit עשרא דגורים, & *Arabs Pariſiis* editus عشرة انابير & *Erpenianus* عشرة اجداس *decem acervos*. Quomodo ſi ſumpſeris, *Moſes* non præciſè definiverit quam coturnicum menſuram unusquisque collegerit. Sed ſolum *decem acervos* collectos fuiſſe dixerit ab eo, qui minimum. *Decem acervos*, id eſt, *plurimos*, Phraſi *Hebræis* familiari, quâ *decem* pro *multis* paſſim uſurpant. Sic *Gen*. 31. *v*. 7. *Mutavit mercedem meam decies.* Num. 14. v. 22. *Tentarunt me jam decies.* Nehem. 4. v. 12. *Jam decies nobis dixerunt.* Job. 19. v. 3. *Jam decies ignominiâ me affeciſtis*, id eſt, *multoties*. Levit. 26. v. 26. *Decem mulieres panem veſtrum coquent*, id eſt, *multæ*. 1. Sam. 1. v. 8. *Annon melior ſum tibi, quam decem filii?* Eccleſ. 7. v. 19. *Sapientia robur confert ſapienti, plus quam decem principes, qui ſunt in eadem civitate.* Zachar. 8. v. 23. *Decem homines apprehendent alam hominis Judæi*, id eſt, *plurimi*. Ita igitur *decem* coturnicum acervos pro *pluribus* dixerit *Moſes*. Et ſic vertendum potius quam *decem coros*, præter ea, quæ jam diximus, etiam hæc ratio ſuadet, quod כור, *corus*, ſeu חומר, *chomer*, granorum eſt menſura, non carnium. Hæc obſervatio non eſt nihili. Quia, ſi ſinguli *Iſraelitæ* decem coturnicum coros collegiſſe dicantur, illarum numerus erit immanis, & ſuperabit omnem fidem. *Cornelius à Lapide*, qui ſupputare conatus eſt in *Commentariis* in hunc locum, ita ſubducit calculos, ut probet *Iſraelitas* collegiſſe circiter *duodecim millia millionum coturnicum*. At nos, pro decem coris, ſingulos ſtatuimus ne tertiam quidem cori partem collegiſſe, aut abſumpſiſſe. Non, ut minuamus Dei virtutem, ſed ne fidei vim faciamus, ab illa plura extorquentes, quam Deus nobis in verbo ſuo revelavit.

At, inquies, hoc ſaltem conſtat à *Moſe* aſſeri, Deum per menſem paviſſe coturnicibus omnes *Iſraelitas*, in quibus fuêre peditum ſexaginta myriades. Fateor & hanc avem in noſtris regionibus minus eſſe frequentem, quam ut tale quid poſſit fieri absque nova creatione. Sed in calidis regionibus longe aliter hæc res ſe habet. In iis enim coturnicum ubertas longe major eſt. Sic in *Græcia* coturnice nihil fuiſſe vulgatius colligere eſt ex his *Ariſtophanis Comici* de pavonibus apud *Athenæum* lib. 14.

Τὸν ταὼν μὲν ὡς ἅπαξ τις ζεῦγος ἤγαγεν μόνον,
Σπάνιον ὂν τὸ χρῆμα· πλείους δ' εἰσὶ νῦν τῶν ὀρτύγων·

Pavonum olim ſolum par unum quispiam adduxerat, rem illo ævo raram: nunc verò plures ſunt quàm coturnices. Et *Romæ* etiam eas viluiſſe docent hæc *Juvenalis* in hæredipetas *Satyra* 12.

Tres habet heredes; libet expectare quis ægram
Et claudentem oculos gallinam impendat amico
Tam ſterili: verum hæc nimia eſt impenſa, coturnix
Nulla unquam pro patre cadet. - - -

Negat pro ſalute amici, qui jam pater eſt, & hæredes habet,

habet, à quoquam offerri, gallinam, quamvis ægram, & moribundam: ſed ne coturnicem quidem, quæ viliſſima eſt avis, atque impenſæ multò minoris. Neque id mirum; ſi vera ſunt, quæ ex *Flavio Blondo* narrat *Geſnerus*, in *Antiatum* littore, cum primo vere hirundines, & coturnices, transmiſſo mari infero, in *Italiam* redeunt, intra paſſuum quinque millia nonnunquam in dies capi centies mille hujus generis aviculas, & hoc aucupium ferè per menſem continuari. Neque diſſimilia tradunt veteres. Ita *Varro*, poſtquam turdos ex *Italia* trans mare avolare, & eodem revolare ſcripſit circa æquinoctia, *Et alio tempore*, inquit, *turtures, ac* COTURNICES IMMANI NUMERO. Unde eſt, quod volando feſſæ quandoque in naves incidunt tanta copia, ut illas pondere ſuo demergant. Plinius, *Advolant & hæ* (coturnices) *ſimili modo, non ſine periculo navigantium, cum appropinquavêre terris. Quippe velis inſidunt, & hoc ſemper noctu, merguntq́; navigia.* Solinus, *Ubi terram perſentiſcunt, coëunt catervatim. Deinde globata vehementius properant: quæ feſtinatio plerumque exitium portat navigantibus. Accidit enim in noctibus, ut vela inſidant, & præponderatis finibus alveos vertant*, Aliàs *vergant*; aut *mergant, ut in Plinio.* Eodem facit, quod à coturnicum copia *Ortygia* nomen olim commune fuit pluribus locis. Sic *Delus Ortygia* dicta eſt, & inſula *Syracuſarum*, & urbs *Epheſus*, & lucus illi proximus, & alius prope *Miletum.* Quid quod eâpſe de cauſa univerſæ *Libyæ* veteres *Ortygiæ* nomen indiderunt? Teſtis *Stephanus* in Λιβύη.

Sed nullibi coturnicum copia major, quàm in *Ægypto*, & vicinis locis; ſive aeris tepor eas alliciat, ſeu ſoli ubertas, & fœcunditas. Hinc *Joſephus*, Τρέφει δὲ τοῦτο τὸ ὄρνεον, ὡς οὐδὲν ἕτερον, ὁ Ἀράβιος κόλπος· *Hanc avem præ cæteris alit* Arabicus *ſinus. Diodorum* quoque jam audivimus de immenſa coturnicum copia circa *Rhinocoluram*. Et multa veteres de *chenniis*, coturnicis ſpecie *Ægypto* peculiari, quâ certa anni tempeſtate *Ægyptii* ſic abundabant, ut, cum omnes abſumere non poſſent, eas in poſterum ſale condire cogerentur. Quod maximè notandum in regione tam populoſa, ut *Theocritus* (*a*) in ea cenſeat oppidorum plus triginta millia: & *Joſephus* (*b*) hominum ſeptingentas & quinquaginta myriades, absque incolis *Alexandriæ*. Quæ de *chenniis* diximus probant hæc loca. *Athenæus* lib. 9. cap. 11. in fine Tractatus *De coturnicibus*, Τῶν δὲ καλουμένων χεννίων, μικρὸν δ᾽ ἐστὶν ὀρτύγιον, μνημονεύει Κλεομένης ἐν τῇ πρὸς Ἀλέξανδρον ἐπιστολῇ γράφων οὕτως· Φαληρίδας ταριχηρὰς μυρίας, τυλάδας πεντακισχιλίας, χέννια ταριχηρὰ μύρια. Chenniorum, *quæ vocant, ſunt autem parvæ coturnices,* meminit Cleomenes *in epiſtola ad* Alexandrum, *ſic ſcribens; Phalarides ſalſas decies mille, tyladum quinque millia, chennia ſalſa decies mille.* Phalaris mergi, & tylas turdi genus eſt, & chennium coturnicis; ut auctor eſt ipſe *Athenæus.* Ibidem *Hipparchus* in *Iliade Ægyptia*,

Οὔ μοι Αἰγυπτίων βίος ἤρεσεν, οἷον ἔχουσιν
Χέννια τίλλοντες· - - - - - -

Mihi non placet vita, quam Ægyptii degunt, chennia *vellentes. Poeta* vetus in ſordidum convivatorem, qui hoſpitibus vilia & ſalſa omnia apponebat, *Anthologiæ* lib. 2. c. 47.

Ἡμεῖς δ᾽ ἐσθιόμεθα κεκλημένοι ἅλμυρα πάντα,
Χέννια, καὶ τυρὸς, χηνὸς ἁλιστὰ λίπη.

Nos verò invitati comedimus ſalſa omnia, chennia, & caſeos, & anſeris ſalſas adipes. Heſychius, Χέννιον, ὀρνιθάριόν τι κατ᾽ Αἴγυπτον ταριχευόμενον· *Chennium avitium quoddam in Ægypto ſale conditum.* Chenniorum igitur & coturnicum in *Ægypto* & tota *Africa* cum tanta copia fuerit, unde ventorum alis vectæ ſunt in caſtra *Iſraelitarum*? Non opus hic, quod quidam faciunt, nova miracula ſibi fingere, & creaviſſe Deum, aut multiplicaviſſe coturnices, quomodo *Chriſtus* panes inter manus *Apoſtolorum.* Noſtrum eſt Sacro textui mordicùs adhærere, in quo coturnices, virtute Dei creatas, aut multiplicatas fuiſſe non legimus, ſed à ventis fuiſſe advectas ex transmarinis regionibus. Non me latet has appellari *novam creaturam avium* in *Vulgata* verſione *Sap.* 19. *v.* 10. Atque inde à multis colligi Deum illas de novo creaſſe. Sed, ut de auctore libri taceam, cui fidem noſtram non adſtrinximus, *Græcum* exemplar non habet κτίσιν *creaturam*, ſed γένεσιν νέαν ὀρνέων, *generationem novam avium*; *Syrus* itidem, ܡܘܠܕܐ ܚܕܬܐ ܕܦܪܚܬܐ & *Arabs*, تَوالُد طيور جديدة. Et *nova* vocatur non in ſe, ſed *Iſraelitis*, qui nihil tale experti erant. Quale eſt, quod idem auctor huic ipſi cibo tribuit ξένην γεῦσιν, *novum ſaporem*, Sap. 16. v. 2. id eſt, illo veſcentibus inſuetum, & inexpertum. Hic igitur nullam agnoſcimus coturnicum creationem. Sed miraculoſum id fuit, quod tanta copia advectæ ſunt, atque eo præciſe tempore, quod Deus definiverat, & omnes prolapſæ ſunt circa caſtra *Iſraelitarum*, ut ipſis eſſent pro cibo divinitus oblato.

V. Supereſt quinta quæſtio de *Judæorum* peccato, & pœna, quam inflixit DEUS coturnices comedentibus. Et peccatum quidem id fuit, quod, pertæſi ſuæ conditionis, ita in Deum obmurmuraverant; *Quis dabit nobis carnem comedendam! Recordamur piſcium, quos in Ægypto gratis edebamus, cucumerumque, & peponum, & porrorum, & ceparum, & alliorum: at nunc anima noſtra arida eſt, nec quidquam præter Manna oculis noſtris obverſatur*, Num. 11. v. 4. 5. 6. Unde *Pſaltes* Pſal. 78. v. 19. *Obloquentes contra Deum dixerunt, An poſſet Deus inſtruere menſam in hoc deſerto? En! ita percuſſit rupem, ut fluxerint aquæ, & torrentes exundaverint. An etiam cibum poſſet dare? An parabit carnem populo ſuo?* In quibus verbis 1. mirè ingratos ſe produnt, dum præſenti præferunt præteritam conditionem, id eſt, ſervitutem *Ægyptiacam*, è qua Deus eos aſſeruerat forti manu, & extenſo brachio, libertati, qua fruebantur. Hæc audiens quis non putaſſet eos in *Ægypto* laute vixiſſe, & in ampla fortuna? In qua tamen miſere vixerant, ſub *Pharaonis* jugo preſſi, & propè oppreſſi: ſed ingratis id ſolenne eſt, ut, licet ad majora evecti, tamen præterita extollant, & faſtidiant præſentia, ne in melius mutati ſtatus gratias ulli ſe debere agnoſcant. 2. Miram aperiunt ἀρρωστίαν τῆς ὀρέξεως in eo, quod piſciculos, cucumeres, pepones, porros, cæpe, & allia, carnalia denique præferunt ſpiritualibus bonis, & glorioſæ Dei præſentiæ, quam teſtatam fecerat tot ſignis & miraculis. 3. Non contenti Mannâ, unde victus neceſſarius abundè illis ſuppetebat, carnem inſuper petierant, & *Deum circumſcripſerant*, ut habetur *Pſal.* 78. v. 41. hoc eſt, potentiam ejus arbitratu ſuo definiverant, non ſolùm liberari petentes, ſed & hoc vel illo modo. 4. Poſt expertam toties Dei virtutem, tamen hæc ſunt verba diffidentiæ, *An poſſet Deus menſam in hoc deſerto inſtruere? An poſſet etiam cibum dare?* Deus igitur, ad iram meritò provocatus, ſpondet ſe daturum carnes, non ſolum in unum aut alterum diem, ſed & in menſem integrum, quasque, non tantùm ad ſatietatem, ſed & ad nauſeam & faſtidium usque comeſas, tandem reſpuant, ac rejiciant. Quæ verba ſunt animi concitati, quique nonniſi in ira ſua populi preces exaudierat. Menſe igitur jam expleto, cum cibum, quo ſe ingurgitaverant, adhuc in ore haberent, Deus in eos excandeſcens populum percuſſit plaga magna. Hanc *Aben Ezra* peſtem eſſe vult. Sunt, qui רזן, id eſt, *maciem*, ſeu *phthiſim*, ſignificari colligunt ex *Pſal.* 106. *verſ.* 15. Alii aliter exponunt. Sed iis accedo, quibus hæc plaga eſt ignis, à quo abſumpti ſint ex hoc populo nonnulli. Ita enim habet *David*

(*a*) *Idyll.* 17. *verſu* 82.
(*b*) *Belli Iud. lib.* 2. *cap.* 16.

David Pſal.78.v.21. *Ideò audiens Dominus excanduit* (audiens ſcilicet quæ allata ſunt ex præcedente verſu, *An poſſet Deus menſam*, &c.) *& ignis accenſus eſt in* Jacob. *Ignem* intellige, de quo *Num.* 11. *v.*1. *Et, cùm populus quiritaretur, malum fuit in auribus Domini. Audiens igitur Dominus excanduit, & exardeſcens ignis Domini conſumpſit extrema caſtrorum*, &c. usque ad verſum quartum, ubi breviter narrari videntur per πρόληψιν, quæ poſtea uberius reliquo capite explicantur. Et eidem loco duplex nomen inditum: unum *Tabera* ab incendio, *Num.* 11. *v.* 3. alterum *Kibrot-taava*, quia ibi ſepulti ſunt, qui carnes concupiverant, *Num.* 11. *v.* 34. Eſt & aliud exemplum in hoc eodem populo ſimilis pervicaciæ. Nam *Exod.*16. *v.* 2. murmuràſſe legitur tota congregatio, & dixiſſe *Moſi*, & *Aaroni*; *Utinam mortui eſſemus per manum Domini in terra* Ægypti, *cum aſſidentes ollis carnium panem comedebamus usque ad ſatietatem! At in hanc ſolitudinem nos adduxiſtis, ut univerſus hic cœtus fame conficiatur.* Sed in pari, ut videtur, cauſa, dispar fuit judicium. His enim murmuratoribus Deus illa ipſa veſpera coturnices, & poſtridie Mannam indulſit, nullas ab iis pœnas repoſcens, *Exod.* 16. *v.*12.13. Nempe Deus eadem peccata poteſt vel in juſtitia punire, vel in miſericordia condonare, & remittere. Quamvis cur in poſterioribus graviter puniverit quod prioribus benignè remiſerat, multæ poſſint afferri cauſæ. Primò enim in peccata, quæ ſemel remiſit Deus, ſi quis rurſus incidat, gravius peccat; quia præter Dei juſtitiam ſpernit inſuper miſericordiam, & ideò malus eſt, quia Deus fuit bonus. Prætereà priores ideò murmuraverant, quia fame premebantur, & omnium rerum inopiâ. At his Manna erat pro cibo, qua ſatiati, quod carnes tam avidè expetebant, & petebant tam importunè, vox non fuit à neceſſitate extorta, ſed ab improba libidine. Denique priores adhuc rudes, & nondum data Lege, ſtatim ab exceſſu *Ægypti*, poſteriores jam edocti murmurant, & poſt Legem acceptam, unde peccatum ſit gravius. Ut non mirum ſit, quod Deus, qui prioribus pepercerat, in hos tam rigidè animadvertit.

Si *Judæis* credimus, Dii *Sepharvæorum*, *Adramelech*, & *Anamelech*, de quibus 2. *Reg.* 17. *v.*31. ſub pavonum, & phaſianorum, aut coturnicum ſpecie culti ſunt. *Kimchius* in eum locum, ובירושלמי אדרמלך ענמלך זה טוס ופסיוני וטוס הוא הנקרא בלשון לעז פאון וידוע הוא ופסיוני הוא שלו ותרנים שאלו ויבא שלו שאלו בסרא ואיתי פסיונין *In* Talmude *Hieroſolymitano* (Tractatu *De Idololatria*) Adramelech *&* Anamelech, *id eſt*, ταὼς, *& phaſianus. Et* ταὼς *idem eſt, quod pavo*, idoli nomen, *quod notum. Et phaſianus, id eſt, coturnix.* Nam Pſ. 105,40. pro verbis, «*Petierunt, & adduxit coturnices. Thargum habet. Petierunt carnes, & adduxit phaſianos.* Sed in *Talmude Babylonico* Tractatu *Sanhedrin* cap.7.fol.63.b. *Adramelech*, & *Anamelech* redduntur הפרד והסוס, *mulus, & equus.* Utrumque falſum, aut incertum. Solenne enim eſt his hominibus effutire quidquid in buccam, & ſua ſomnia chartæ illinire.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

Prophetarum loca duodecim, quæ ad Gallinaceum genus referunt nonnulli interpretes.

Galli Arabica, *&* Syriaca *nomina, licet ignota* Prophetis, *tamen vetuſtiſſima. Ab uno upupa* Moſi *dicta* דוכיפת; *ab altero* Bœotiæ *urbs perantiqua* Tanagra, *&* Tanagræi *galli. Ad gallinaceum genus loca* Prophetarum *duodecim referuntur, ſed conjecturis non ſatis certis.* I. Levit. 14. v. 4. *ubi* δύο ὀρνίθια, *quæ leproſus jubetur offerre, volunt eſſe* gallinas duas, *cùm ſint* aviculæ duæ. II. 1. *Reg.* 4. v. 23. ubi ברברים barburim, *in menſa* Solomonis *putantur eſſe* galli, *aut* capones, *aut* gallinæ altiles. Ὄρνις νομὰς, βοσκὰς ὀρταλὶς *Nicandro*, gallina altilis, *aut* paſcualis. Κοκκύζειν, *gallorum proprium, non columbarum.* Athenæi *interpretes notati.* Νομὰς *gallina pro* Numidica *perperam.* III. 2.Reg.17.v.30. Succoth-Benoth *Hebræis* gallina cum pullis ſuis, *&* Nergal *eſt* gallus. *Quin* Succoth-benoth *ſunt* tabernacula *ſeu* ſacella puellarum, *id eſt*, *Dearum hujus nominis: &* Nergal *ſpecies* palmæ, *à qua Deus dici potuit*; *ut* Rimmon *à* malis Punicis. IV. Job.3.v.7. *de nocte, in qua* Job *natus eſt*, Ne veniat רננה, cantus in ea, *Chaldaicè*, Ne veniat cantus galli ſylveſtris, *de quo multa fabulantur.* V. Job. 38. v. 32. *Chaldaicè*, Et gallinam ſuper pullis ſuis deduces, *id eſt*, *cum pullis ſuis.* Gallina *ibi* זגתא, *quod malè legunt* zagtha, *pro* zaggatha. *Gallina cur ſic dicta. Hic de gallina cœleſti, quæ* Græcè Πλειάς, *ſed* Hebraicè *eſt* עיש, *alibi* עש, *id eſt*, ſidus urſæ, *quod ex* Arabiſmo *probatur. Aliæ* Hebræorum *interpretationes.* Chaldæa, Græca, *&* Vulgata *ab invicem diverſiſſima*; *unde ortæ ſint.* Vulgata *emendata.* VI. Job.38. v.36. Quis dedit לשכוי, cordi intelligentiam? *Ita reddendum, non* gallo, *ut* Hieronymus, *& multi* Hebræi *ſumunt. Quis commenti primus ſit auctor.* Græca *verſio prorſus aliena unde nata.* VII. Job.39. v. 13. *Chaldaicè*, Ala galli, qui laudat, & celebrat: *at Hebraicè*, Ala ſtruthionum exultat. VIII. Pſal. 50.v.11. זיז, Et ziz, *id eſt*, Et fera agri mecum eſt: *Chaldaicè*, Et gallus ſylveſtris, cujus caput attingit cœlos. IX. Pſal.80.v.14. *Chaldaicè*, Et gallus agri paſcetur ex ea: Hebraicè *rurſus* זיז & ziz, *ſeu* fera agri. X. Prov.30. v. 31. *ubi* זרזיר מתנים, Græci, Syrus, *&* Arabs *ſumunt pro* gallo inter fœminas ſuperbè incedente. Chaldæus *ex* Syro *emendatus. Gallum non vocari* אכבא achaba, *ſed* אבכא abacha; *& quorſum. Gallus quàm ſit ſuperbus.* זרכי *&* نرقل ſuperbè incedere. Hebræi *textus variæ interpretationes. Quæ videatur veriſſimilima.* XI. Eccleſ. 12. v. 4. *al.* 6. Excitabitur ad avis vocem, *alii de gallicinio, alii de matutinis avicularum cantibus intelligunt.* XII. Eſa. 22. v. 17. Dominus deportabit te טלטלה גבר, deportatione, ô vir; *alii malè reddunt* deportatione viri; *alii pejus*, deportatione galli. Hieronymus *profitetur ſe* Hebræum *ſuum hic ſequi.* גבר *in* Talmude *pro* gallo. Eſion-gaber *Paraphraſtis* arx galli. Balaam *cur gallus. Cur* Hebræi *gallum offerant feſto Expiationis.*

G*Allus* dicitur *Arabicè* ديك *dic*, & *Syriacè* ܬܪܢܓܠܐ *tarnegol*; utroque nomine, niſi fallor, valde vetuſto. Nam prioris veſtigia ſunt in *Hebræo* דוכיפת *dukiphat*, quo *Moſes upupam* vocat; voce, ut videtur, compoſita ex דוך, & כיפת. Ita ut *gallum ſaxorum*, ſeu *ſaxatilem* ſignificet, ut alibi docebimus. Et à *Syro* ܬܪܢܓܠܐ *tarnegol Phœnices*, qui cum *Cadmo* in *Bœotiam* venerant, *Tanagræ* puto dediſſe nomen, *Bœotiæ* urbi antiquiſſimæ, in qua *Tanagræi* galli: quos ut pugnaciſſimos commendant *Varro*, *Columella*, *Plinius*, *Pauſanias*, *Heſychius*, *Suidas*, alii, quo-

quorum loca citavimus in noſtro *Chanaan* lib. 1. cap. 16. Nempe à gallis illis urbs ipſa *Tarnegol*, aut *Tarnegal*, à *Phœnicibus* appellata eſt. Et *Græci*, *l* finali rejecto, ut in Ἀννίϐα, & Ἀσδρύϐα, ex *Tarnegal* primò *Tarnegam*, deinde *Tanagram* fecerunt, unius literæ trajectione. Ita ut urbs *Tanagra* ſit *urbs galli*, ſive *gallorum*. Horum ſcilicet tanta fuit nobilitas, ut apud veteres *gallus*, & Ταναγραῖος ferè ſint ἀντίςροφα, quaſi omnes gallos neceſſe ſit *Tanagrâ* eſſe oriundos. Unde eſt, quod in *Gallo Luciani Micyllus* dicit *Pythagoræ* in gallum transmutato, Εἰπὲ δ᾽ ὅμως, ὦ Μνησάρχου παῖ, ὅπως ἡμῖν ἀντὶ μὲν ἀνθρώπου ὄρνις, ἀντὶ δὲ Σαμίου Ταναγραῖος ἀναπέφηνας· *Tamen expone*, Mneſarchi *fili*, *qui factum ſit, ut ex homine avis, & ex* Samio Tanagræus *nobis apparueris*. *Tanagræus*, id eſt, *gallus* תרנגול. Interim neutrum galli nomen in *Prophetæ* libris apparet. Sed neque ſatis ſcitur quomodo *Hebræi* veteres *gallum* appellaverint. Quanquam ad gallinaceum genus interpretes multa *Prophetarum* loca referant, ſed conjecturis non ſatis certis, ut ea percurrenti conſtabit, quod ſequentia palam facient.

I. Primus, quod meminerim, locus eſt *Levit.* 14. *v.* 4. ubi leproſus, qui mundatus eſt, jubetur offerre Deo δύο ὀρνίθια ζῶντα καθαρὰ, id eſt, ut nonnullis placet, *duas gallinulas vivas puras*. *Origenes* in *Leviticum* Homiliâ 8. *Præcipit, ut accipiantur duæ gallinæ vivæ ei, qui mundatur.* Et paulò poſt, *Videntur mihi etiam hic duæ iſtæ gallinæ habere ſimilitudinem quandam duorum hircorum, ex quibus unus Domino offertur, alius in eremum emittitur: ita enim & hic ex duabus gallinis una immolatur, & alia in campum dimittitur.* Et rurſus, *Qui purgatur à lepra, & offert gallinas.* Item, *Propter quod mandat Legislator, ut eadem die, quâ purgatur, accipiantur duæ gallinæ, intellectus latenter habeatur, per quam purificatio efficitur peccatoris, de qua ſcriptum eſt*, " *Quoties volui congregare* " *filios tuos ſicut gallina*, &c. Quæ, quia ſunt ἀσύνδετα, videntur ita eſſe legenda, *Propterea quod mandat Legislator, ut eadem die, qua purgatur, accipiantur duæ gallinæ, gallinæ intellectus latenter habeatur, per quam*, &c. Nempe per gallinas illas vult *Chriſtum* ſignificari, qui in Evangelio cum gallina ſe confert. Unde eſt, quod additur, *Occidetur gallina in vaſculo fictili, in quo aqua viva ſit miſſa, ut & aqua adſumatur ad purificationem, & compleatur plenitudo myſterii in aqua, & ſanguine, quod dicitur exiiſſe de latere Salvatoris.* Et de eadem gallina multò plura legere eſt in ſequentibus. Tomo nono Operum *Hieronymi* auctor *Epiſtolæ* trigeſimæ nonæ *De diverſis leprarum generibus*, idem ſequutus, ita habet; *Sed quid pro mundatione leprarum duæ gallinæ jubentur offerre? Duæ gallinæ animam indicare videntur, & carnem: ſed unam, inquit, gallinam occides, alteram ablues, & dimittes*, &c. Tamen in *Hebræo* textu de gallinis nihil habetur: tantum in purificatione lepræ ſumi jubet DEUS שתי צפורים, *duas aves* (aliàs *duas aviculas*, aut *duos paſſeres*) quod *Græci* non malè reddiderunt δύο ὀρνίθια· ſed ambigua voce, quæ *Patrum* ævo nonniſi *gallinas*, aut plerumque gallinas ſonabat. *Athenæus* libri noni capite quarto, ubi de gallinaceo genere, Ἀλλὰ μὴν καὶ ὄρνιθας, καὶ ὀρνίθια νῦν μόνον ἡ συνήθεια καλεῖ τὰς θηλείας· *Nunc quidem mos invaluit, ut* gallorum *fœmina* (id eſt, *gallina*) *ſolum* ὄρνιθες & ὀρνίθια *dicantur*. Quod anſam dedit errori. Tamen *Athenæo* ferè æqualis *Plutarchus* in *Artaxerxe* dicit *Rhyndacem* eſſe μικρὸν ἐν Πέρσαις ὀρνίθιον, id eſt, *parvam in* Perſis *aviculam*. Et in *Lege* δύο ὀρνίθια καθαρὰ eſſe *duas aviculas mundas* ſatis conſtare debuit vel *Hebrææ* linguæ ignaris. Neque enim dixiſſet Legislator *duas gallinas mundas*. Nam fruſtra fuiſſet hoc Epithetum, cum omnis gallina ſit munda.

II. Secundus locus eſt, 1. *Reg.* 4. *v.* 23. ubi inter *Solomonis* cibaria cenſentur ברברים אבוסים, id eſt, תרנגולין פטומין, *galli ſaginati*, ut in *Selomone* habetur, quod ſequitur *Santes Pagninus*. Sic *Pomario* & *Aquinati* ברבור *barbur*, eſt תרנגול סרים, *gallus caſtratus*, id eſt, *capo*. Neque inde longe abeunt *Græci* interpretes, qui hic habent, ἐκτὸς ὀρνίθων ἐκλεκτῶν νομάδων, *præter gallinas electas paſcuales*. Ita malo, quàm, ut alii, *præter aves*, &c. Quamvis enim ὄρνιθες ſæpe ſint *aves* in genere, tamen *Græcis* interpretibus, ut *Evangeliſtis*, *avis* ὄρνεον, & *gallina* eſt ὄρνις. Præterea ὄρνις νομὰς non eſt aliud quidquam, quam *gallina altilis*, aut *paſcualis*. *Nicandro* in *Alexipharmacis* verſu 295. βοσκὰς ὀρταλὶς, ubi νομὰς ὄρνις in *Scholiaſte*, quæ ſunt ipſiſſima *Græcorum* interpretum verba. Et in *Artemidori* Ὀψαρτυτικοῖς apud *Athenæum* libri decimi quarti capite vigeſimo tertio, Νομάδα παχεῖαν ἑψεῖ, καὶ νεοσσοὺς τῶν ἤδη κοκκυζόντων· *Paſcualem* gallinam *pinguem elixa, & ex pullis eos, qui jam glocitant*. Ita reddendum, non, ut interpres ineptiſſimè, *columbam craſſam*, &c. *ac ex pullis eos, qui adhuc pipiunt*. Agitur enim de mattya ex gallina conficienda. Proinde ſtatim additur, Εἶτ᾽ ἐξελὼν τὰ λάχανα εἰς τρύβλιον, καὶ τῆς ὄρνιθος τῶν κρεῶν ἐπιθείς· *Deinde olera eximens in catinum inferenda, & gallinæ carnes imponens*. Et ἤδη non eſt *adhuc*, ſed *jam*. Neque columbarum eſt κοκκύζειν, ſed gallorum: ut ex *Ariſtophane*, *Ariſtotele*, *Theocrito*, *Æliano*, & *Luciano* conſtat. Eſt enim fictitia vox, ut vernacula *coq* pro gallo, quem nos à cantu ſic appellamus. Νομὰς denique *gallina* eſt, non tamen *Numidica*, ut vult doctiſſimus Commentator, ſed *paſcualis*. Alii σιτιςὰς, aut σιτευτὰς nominant. *Athenæus* libri decimi quarti capite vigeſimo primo, Σιτιςῶν δὲ ὀρνίθων μὲν μνημονεύει Μάτρων ἐν ταῖς Παρῳδίαις οὕτως,

Ὣς ἔφαθ᾽, οἱ δ᾽ ἐγέλασσαν, ἐπήνεγκάν τ᾽ ἐπὶ τούτῳ
Σιτευτὰς ὄρνιθας ἐπ᾽ ἀργυρέοισι πίναξι·

Altilium gallinarum ita meminit Matron *in* Parodiis, *Quo dicto illi riſerunt, moxq́ue attulerunt altiles gallinas in patinis argenteis*. *Altiles gallinas* dico cum *Metello Pontifice Maximo*, cujus verba ſunt in deſcriptione cœnæ *Pontificalis* apud *Macrobium Saturnalium* libri tertii capite decimo tertio, *Ante cœnam echinos, oſtreas crudas, quantum vellent, peloridas, ſphondylos, turdum, aſparagos, ſubtus gallinam altilem.* Neque aliud voluit *Plinius altilium* nomine, cum dixit de myrices ſemine libri vigeſimi quarti capite nono, *Cum altilium verò pingui furunculis imponitur.* Cato *paſcales* dixerat: ex quo *Feſtus*, *Paſcales & oves & gallinæ appellantur, quod paſſim paſcantur. Paſcales*, id eſt, νομάδες, ut altiles σιτιςαὶ, vel σιτευταί. Itaque ex *Græcorum* ſententia ברברים אבוסים ſunt *gallinæ paſcuales*, aut *altiles*. Atque idem ſenſiſſe quoſdam ex *Hebræis* vetuſtioribus in *Selomone* habetur. Quod tamen haud quaquam poteſt pro certo & comperto haberi: cum vox nulla ſit, de cujus ſignificatione plus ambigatur, ut infra docebimus capite de ea voce peculiari.

III. Tertius de gallo locus eſt 2. *Reg.* 17. *v.* 30. ubi è populis ex *Aſſyria* in *Judæam* à *Salmanaſſare* translatis *Babylonii* coluiſſe leguntur סכות־בנות *Succoth-Benoth*, & *Cuthæi Nergal*. *Succoth-Benoth*, id eſt, *gallinam cum pullis ſuis*; & *Nergal*, id eſt, *gallum*, ut Hebræi volunt. Ita enim *Talmudici* in *Sanhedrin* capite ſeptimo folio ſexageſimo tertio b. אנשי בבל עשו את סכות־בנות ומאי ניהו תרנגולת אנשי כותה עשו נרגל ומאי ניהו תרנגול *Viri* Babel *fecerunt* Succoth-Benoth. *Quodnam* (idolum) *hoc fuit? Gallina. Viri* Cutha *fecerunt* Nergal. *Quid illud fuit? Gallus.* Selomo Jarchi, סכות־בנות דמות תרנגולת עם אפרוחיה נרגל דמות תרנגול Succoth-Benoth *imago fuit gallina cum pullis ſuis, &* Nergal *imago galli*. Kimchius, ובדברי רז״ל סכות־בנות זה תרנגולת היו עובדים והיה שמה:

שמרה סכות בנות וכמו שקורין לתרנגול סכוי מן היו קורין לתרנגולת סכות ובנות פירוש עם אפרוחיה נרגל זה תרנגולת הבר *In verbis Magiſtrorũ noſtrorũ beata memoria* Succoth-benoth *eſt gallina, quã colebant ſub hoc nomine. Nempe ut gallum vocabant* שכוי ſecui, *ità gallinam* סכות ſuccoth. *Et* benoth *additum ſignificat illam fuiſſe cum pullis ſuis. Et* nergal *eſt gallina ſylveſtris.* Nugæ nugaciſſimæ. Ad verbum, סכות בנות *Succoth-benoth*, ſunt *filiarum*, vel *puellarum tabernacula.* Itaque cum *Babylonii* leguntur feciſſe *Succoth-benoth*, eos ſtruxiſſe intelligo ſacellum Dearum, quæ בנות *benoth*, id eſt, *puellæ* dicebantur. Ut *Græci Proſerpinam* κόρην, id eſt, *puellam* appellabant. Sic *Amos* 5, 26. סכות מלככם, *tabernaculum Regis veſtri*, id eſt, idoli veſtri ſacellum. Et נרגל *Nergal*, quid ſit neſcio: niſi quod huic idolo ferè cognominis eſt palmæ ſpecies hodieque *Perſis*, *Arabibus*, & *Indis* نارجيل *nergil* dicta, de qua mira prædicant. Videndum igitur, an ab hac palma denominari potuerit *Perſarum* idolum: ut in *Syria* ܪܡܘܢ *Rimmon*, à malis *Punicis*, 2. *Reg.* 5, 18.

IV. Quartus locus eſt *Job.* 3, 7. In eo pro *Jobi* verbis, quibus maledicit nocti, quâ natus fuerat: *Ne veniat* רננה, *cantus in ea*, *Chaldæus* habet, לא תעול רננא דתרנגול ברא לםקלסה בה, *Ne veniat cantus galli ſylveſtris ad laudandum in ea.* Quæ non pertinent ad gallum in genere; ſed ad fabuloſum gallum portentoſæ magnitudinis, de quo agemus in tractatu *De Struthione.* Et de eodem plura idem interpres in locis, quæ ſequuntur ex *Jobo* petita, & *Pſalmis.*

V. Quintus locus eſt *Job.* 38, 32. ubi *Chaldæus* habet in *Veneta*, & *Baſilienſi* editione וזגתא על אפרוחהא תדברנון, *Et gallinam cum pullis ſuis deduces?* Ad verbum *ſuper pullos ſuos.* Sed *ſuper pullos*, id eſt, *cum pullis.* Ut *Deuter.* 22, 6. *Non capies matrem ſuper pullos*, i. e. *cum pullis.* *Gallina* eſt זגתא, ut in Tractatu *Talmudico Bechoroth* cap. 1. fol. 8. 2. איתו לה תרי ביעי אמר ליה הי זגתא אוכמתי והי זגתא חיורתי *Allatis duobus ovis dixit ei, Illud ovum eſt gallinæ nigræ, & iſtud gallinæ albæ.* Nec זגתא ſonat *Zagtha*, ut putant, ſed *Zaggatha.* Eſt enim è geminantibus ſecundam, ut *Arabicum gallinæ* nomen دجاجة *degiagia*, quod deducunt à Verbo دج *daggia*, id eſt, *leniter incedere.* Ego à voce factum puto, quam varii variè exprimunt. Aut à *Chaldæo* זגד, *Zain* & *Daleth* permutatis, quod in illis linguis tralatitium. De cætero in *Jobi* Paraphraſi cave ne vulgarem gallinam intelligas. Agitur enim de cœleſti, quæ vulgari linguâ *pullicenaria* dicitur, *Græcis* πλειὰς, vel πλειάδες, & *Vergiliæ Latinis.* Sed in *Hebræo* eſt ועיש על בניה תנחם, *Et* עיש, *cum filiis ſuis deduces?* Et eo loco עיש planè aliud quàm *Pleiades.* Nempe עיש idem, quod עש *Job.* 9, 9. Et עש *as*, per ἀφαίρεσιν factum ex *Arabico* نعش *nas*, prout initiale N ſæpe excidit. Sic גיא gia, *ſplendor*, factum à נגה naga, *ſplendere*; גר gar, *fluvius*, à נגר nagar, *fluere*; שיא *ſi*, vel שאת ſeeth, *elatio*, à נשה naſa, *extollere*; שג ſig, *inſectatio*, à נשג naſag, *inſequi*, vel *aſſequi.* Porrò *Arabibus* نعش *nas* primò eſt *feretrum*: ut *Luc.* 7, 14. & in *Eutychio Alexandrino* pag. 277. deinde *ſidus urſæ.* Sic *Aſtrologis* النعش الكبري *feretrum majus*, id eſt, *urſa major*: النعش الصغري *feretrum minus*, id eſt, *urſa minor.* Nempe quatuor ſtellæ, in quadrum digeſtæ, illis pro feretro habentur, ſeu ſarcophago, quo cadaver effertur. Et tres ſequentes (nobis cauda urſæ) illis ſunt filiæ, vel filii, qui comitantur funus. *Alcamus*, بنات نعش الكبري سبعة كواكب اربعة منها نعش وثلاث بنات *Filiæ feretri majoris, quarum quatuor ſunt feretrum, & tres ſunt filiæ.* Et alibi الحية كواكب ما بين الفرقدين وبنات نعش *Serpens* (ſeu *draco*) *ſtellæ, quæ ſunt inter* alpharkadin (*ſtellas polares*) *& filias feretri.* Rurſus alibi, الصبا ريح مهبها من مطلع الثريا الي بنات نعش Saba, *ventus flans ab ortu* Pleiadum *ad filias feretri*, id eſt, *Cæcias.* *Giauhari* notat apud *Poetas* ſubinde legi بنو نعش *filios feretri*, & de ſingulis in Singulari numero ابن نعش *filium feretri.* Unde clara lux loco *Jobi*, in quo verſamur, *An* עיש *feretrum deduces cum filiis ſuis?* Et quamvis hujus locutionis ratio fugerit interpretes, tamen rectè vidit *Aben Ezra* agi de ſigno ſeptem ſtellarum in *Aquilone.* Quod ſignum alii *urſam*, alii *plauſtrum*, alii *helicen*, alii vocant *Septentriones.* Nec moror *Talmudicos*, quorum aliis עש eſt זנב טלה, *cauda Arietis*; aliis רישא דעגלא, *caput Tauri*, in Tractatu *Berachoth* fol. 58. b. Quas ſententias Gloſſator conciliare nititur; quia ראש השור סמוך לזנב טלה שכן הסדר טלה שור תאומים. *Caput Tauri junctum eſt caudæ Arietis, cum hic ſit ſignorum ordo. Aries, Taurus, Gemini*, &c. Nec me latet quorſum *Chaldæus* עיש voluerit eſſe *Pleiades.* עוש *Hebræis* eſt *coire*, & *congregari*, *Joel* 3, 11. Illi igitur viſum eſt hoc ſignum עיש dici, tanquam *à coitione.* Prout *Græcè* dicitur πλειὰς, ὡς ἐκπλεῖστων ἀστέρων οὖσα. Et *Arabicè* ثريا indidem. Nam ثرا eſt *multiplicari.* At *Græci* interpretes quorſum reddunt, Καὶ ἕσπερον ἐπὶ κόμης αὐτοῦ ἄξεις αὐτόν, *Et veſperum, an comâ ſuâ duces illum?* Pro בניה, *filios ejus*, legerunt בניה, *comam.* Et עיש, vel עש deduxerunt ex עשי, quomodo *Arabes veſperam* vocant. In *Vulgata* veteres editiones habent, *Et veſperum ſuper fines terræ conſurgere facis?* Et novæ *ſuper filios terræ.* Sed utrumque puto mendoſe. Legendum enim, *Et veſperum ſuper filios tune conſurgere facis?* Illud *tune*, alioqui in illa verſione rarum, reperitur tamen 2. *Reg.* 2, 20. & 3. *Reg.* 13, 14. & 18, 17. Scribæ locum corruperunt, quia non capiebant quid eſſent *filii veſperi.* Sed vetuſtiſſima eſt corruptio, jam enim inoleverat *Gregorii Magni* ætate, quem apparet legiſſe *filios terræ* libri vigeſimi noni in *Jobum* capite decimo ſeptimo.

VI. Sextus locus *Job.* 38. *v.* 36. *Hebraicè* ſic habet, *Quis poſuit* בטחות, *in renibus ſapientiam, aut dedit* לשכוי, *cordi intelligentiam?* In Scriptura ſcilicet paſſim junguntur cor & renes, ut cogitationum propriæ ſedes ex *Hebræorum* mente. Exempla vide *Pſalm.* 7. *v.* 10. & 26. *v.* 2. & 73. *verſ.* 21. *Proverb.* 23, 15. 26. *Jerem.* 11. *v.* 10. & 17. *v.* 10. & 20, 12. Ità etiam hoc loco. Sed cum *renes* vulgò כליות, & *cor* לב, appellatur, utriſque hic inditur nomen aliud, idque magis *Poeticum.*

Et *renes* quidem טחות *tuchoth*, dicuntur hic, & *Pſal.* 51. 8. à Verbo טוח, quod *illinere* eſt, & *obducere*; quia renes ſunt adipe illiti, & obducti, ut jam alibi probatum fuit. *Cor* vero שכוי, à Verbo שכה, quod *cogitare*, & *imaginari* ſignificat. Undè etiam שכיות, ſunt *picturæ*, & *imagines*, Eſ. 2, 16. & אבן משכית, *lapis pictus*, Levit. 26, 1. Et משכיות לבב, *imaginationes cordis*, Pſal. 73, 7. & במשכיתו, *in imaginatione ejus*, Prov. 18, 11. Quæ cum clara & aperta ſint, & ab *Hebræorum* doctiſſimis, *Kimchio* putà, & *Aben Ezra*, & *R. Levi* diſertis verbis confirmata: libuit tamen aliis ſic interpretari *Jobi* verba, quæ diximus, *Quis poſuit in renibus ſapientiam, aut dedit gallo intelligentiam?* Quaſi שכוי ibi loci *gallum* ſignificaret. Commenti primus auctor fuit quidam *R. Simeon*, filius *Lakis*, cujus verba ſic citantur in Tractatu *Talmudico De capite anni* fol, 26. a. כשהלכתי לתחום קן נשריא הוו קרין לכלה נינפי ולתרנגול שכוי, *Cum iter facerem per fines* Ken-naſariæ, *ibi* nympham *ſponſam vocabant*, *& gallum* ſecui. Ibidem nugantur alii ſponſam vocari *nympham*, quia mons *Sion* dicitur *pulcher* נוף *noph*, ſeu *climate* Pſal. 48. 3. (Latuit enim recutitos Doctores vox *Græca* νύμφη) *Gallum* addunt vocari שכוי *ſecui*, à *Jobi* loco, quem diximus. Ex tam impuro fonte ortus error ſtatim latiùs propagatus eſt, & multos habuit aſſertores. In his *Chaldæus* Interpres duplicem exhibet hujus loci interpretationem: unam ſanam, & veram, מן יהב ללבא בינתא, *Quis dedit cordi intelligentiam?* *Talmudicam* alteram מן יהב לתרנגולא ברא בינתא למקלסא למרה, *Quis gallo ſylveſtri dedit intelligentiam, ut laudaret Dominum ſuum?* Et *R. Selomo* ita utramque aſſerit, לשכוי זה תרנגול לשון חכמים וי״א הלב, *Secui linguâ ſapientum gallum ſonat, quamvis alii cor explicent.* Et *Aquinas* poſtquam protulit *Jobi* locum, יש מפרשים תרנגול והוא שגור מאד במשנה. *Sunt, qui gallum interpretantur, quod in* Miſna *valde obvium eſt.* Quod pluribus probat *Kimchius*, quamvis in altera ſit ſententia. Proinde in *libro Precum* toties cuſo, & recuſo, inter matutinas preces habetur hæc oratio, בא״י אמ״ה אשר נתן לשכוי בינה להבין בין יום ובין לילה, *Benedictus tu, Domine, Deus noſter, Rex ſæculi, qui* שכוי ſecui (id eſt, *gallo*) *dediſti intelligentiam, ut diem à nocte dignoſceret.* In qua oratione palàm eſt ad *Jobi* locum alludi. Et *Hieronymus*, haud dubiè à *Judæo* illo perſuaſus, quem pro præceptore habuit, eundem locum ità reddidit; *Quis poſuit in viſceribus hominis ſapientiam? vel quis dedit gallo intelligentiam?* Duo ἀσύνδετα in eodem commate ſic jungens, nempe hominis ſapientiam cum naturali galli inſtinctu, quo certis horis ad canendum provocatur. Idque in eo libro, in quo ejusdem versûs duo hemiſtichia ferè ſunt ἀντίστροφα. Obiter monebo, unde nata ſit *Græcorum* verſio, quæ videri poſſit prorſus aliena, Τίς δὲ ἔδωκε γυναιξὶν ὑφάσματος σοφίαν, ἢ ποικιλτικὴν ἐπιστήμην; *Quis autem dedit mulieribus texturæ ſapientiam, aut variegandi ſcientiam?* Pro בטחות, *in renibus* legerunt בטוות, *in netricibus.* Et לשכות, *ad pingendum*, aut *variandum*, pro לשכוי, *cordi.* Quomodo ſi ſcripſeris, *Hebræa* ad verbum ſic reddentur; *Quis in netricibus poſuit ſapientiam? Aut quis dedit eis intelligentiam ad pingendum*, ſeu *variandum?* Sed ex nendi ſcientia fecerunt *Græci* Interpretes ὑφαντικὴν σοφίαν, quia νῆμα & ὕφασμα ſæpe promiſcuè ſumuntur, ut ex *Homero*, *Heſychio*, & *Euſtathio* probare ſit obvium.

VII. Septimus locus *Job.* 38, 13. (al. 16.) כנף רננים נעלסה, à *Chaldæo* ſic redditur, גדפא דתרנגולא דמשבחא ומקלסא, *Ala galli, qui laudat, & celebrat.* Quod ad gallum illum referunt, de quo ſupra: ſed nos in capite *De Struthione* multis probavimus hæc ità eſſe reddenda, *Ala ſtruthionum exultat.* Proinde etiam hic locus eſt præter rem.

VIII. Octavus eſt *Pſal.* 50, 11. ubi *Hebræa* habent, *Novi omnem avem montium*, עוף הרים, וזיז שדי, & ziz *agri mecum eſt.* Et Chaldæa, *Coram me apertæ ſunt omnes avium ſpecies, quæ volant in aere cælorum,* תרנגול ברא דקרצולי שרין בארעא ורישיה מטי בשמיא, *& gallus ſylveſtris, cujus crura humi ſtant, & caput ejus attingit cælos.*

IX. Et nonus *Pſal.* 80, 14. ubi pro *Hebreis*, וזיז שדה ירענה, *Et ziz agri depaſta eſt eam*, rurſus *Chaldæus* habet ותרנגולא ברא יתפרנס מנה, *Et gallus ſylveſtris paſcetur ex ea.* Quaſi *Hebræum* זיז ziz, *gallum* ſignificet, adeoque gallum illum, de quo toties. Sed in capite *De Apro* docuimus זיז ziz, Hebraicè *feram* eſſe, & à motu ſic dici: ut *Græcè* κνώδαλα, & κνώπιδα. Ità ut neque hæc loca de gallo quidquam habeant.

X. Decimus locus eſt *Prov.* 30, 31. ubi זרזיר מתנים, *ſuccinctum lumbis Solomon* vocat εὐπρεπῶς aliquod animal magnificè incedens. Ità enim habetur verſibus 29. 30. 31. *Tria ſunt pulchri inceſſus: imo quatuor, quæ belle gradiuntur. Leo, animalium fortiſſimus, quique ad nullius occurſum retrogreditur; ſuccinctus lumbos; & hircus; & Rex, in quem nemo inſurgit.* Et ibi verba זרזיר מתנים, id eſt, *ſuccinctus lumbos*, mirâ libertate à *Græcis* redduntur ἀλέκτωρ ἐμπεριπατῶν θηλείαις εὐψύχως, *gallus inter fœminas alacriter incedens.* Et ab *Arabe* الديك اذا تمشا بين الاناث من الدجاج بطيبة النفس *Gallus, cum incedit inter fœminas gallinas cum animi alacritate.* Sed & à *Syro* ܬܪܢܓܠܐ ܕܡܬܝܪܢ ܒܝܬ ܬܪܢܓܘܠܬܐ, *Gallus ſuperbè incedens inter gallinas.* Quæ cum *Chaldæa* verſione ſi conferas, ex qua expreſſa ſunt, in ea reperies triplex mendum inoleviſſe. Ità enim habet *Chaldæa* verſio, אכבא דמזרז בינת תרנגולי, Pro quo reſcribendum אבכא דמדרכל בינת תרנגולן, A *Chaldæis*, & *Syris*, *gallus* vocatur ܬܪܢܓܘܠܐ *tarnegol.* Nuſquam aliter, quod meminerim, prætérquam hoc uno in loco, ubi pro *gallo Syrus* habet ܐܒܟܐ *abacha*, & *Chaldæus* אכבא *achaba.* Itaque vocem אכבא *achaba*, *Baal Aruch* ſecurè prætériit. Et profitetur *Elias* à ſe non intelligi. Alii *gallum* explicant. Ego illam malo cum *Syro* ſcribere ܐܒܟܐ *abacha*, quam cum *Chaldæo* אכבא *achaba.* Quia, ſi ſcribatur אכבא, *achaba*, ignotæ erit originis. At ܐܒܟܐ *abacha* eſt à Verbo אבך *abach*, cujus *Hithpahel* התאבך *hithabach* eſt *extolli*, & *efferri*, Eſ. 9, 18. Unde *gallus* videtur ܐܒܟܐ *abacha* dictus aptiſſimo nomine, quodque hujus avis naturam prorſus exprimit. Nam, ſi pavonem excipias, nulla eſt avis gallo ſuperbior. Hinc *Plinius* libri decimi capite vigeſimo primo, poſtquam egit de pavonis ſuperbia, *Proximè*, inquit, *gloriam ſentiunt & hi noſtri vigiles nocturni, quos excitandis in opera mortalibus, rumpendoque ſomno natura genuit.* Et paulò poſt, *Quod ſi palma* (in dimicatione) *contingit, ſtatim in victoria canunt, ſeque ipſi principes teſtantur. Victus occultatur ſilens, ægreque ſervitium patitur. Et plebs tamen æquè ſuperba graditur, arduâ cervice, criſtis celſa, cælumque ſola volucrum aſpicit crebrò, in ſublime caudam quoque falcatam erigens.* Quæ ſuperbiæ totidem ſunt indicia. Et *Ælianus Hiſt.* libri 4. cap. 29. Κρατήσας δὲ γαῦρός ἐστι, καὶ ὑψαυχεῖν,

καὶ

καὶ κυδρῳμένῳ ἔοικεν (lege *ὑψαυχενῶν, καὶ κυδρῳμένῳ ἐοικώς*) *Cum vicit ſuperbus eſt, & cervice erecta, & glorianti ſimilis.* Et *Philo* capite duodecimo,

Ἀλεκτρυὼν μὲν τοί γε νικῶν τὴν μάχην
Σφριγᾷ τε καθαρῶς, καὶ σοβεῖ, καὶ τέρπεται·

Gallus, cum pugna ſuperior eſt, merè turget, & cum pompa graditur, & exultat. Et *Baſilius* in *Hexaemeron* Homiliâ octavâ, *Γαῦρον ὁ ἀλεκτρυὼν, φιλόκαλον ὁ ταὼς, λάγνοι αἱ περιστεραί· Superbum quid eſt gallus, pavo elegantiæ ſtudioſus, columbæ ſalaces.* *Lucilius* libro octavo *Satyrarum*,

Gallinaceu' cum victor ſe gallus honeſtè
Suſtulit in digitos, primoresque erigit ungues.

Eò igitur pertinet *Chaldæum* & *Syrum* ܐܒܟܐ *abacha*, quo putaverim non gallum quemvis ſignificari, ſed gallum ità ſe efferentem. & addi *ἐπεξηγητικῶς* ܕܡܬܕܪܟܠ ܒܝܬ ܬܪܢܓܘܠܐ *qui ſuperbè incedit inter gallinas.* *Superbè incedere* eſt Arabicè درقل *darkala*, & *Syriacè* ܐܬܕܪܟܠ, unde illud ܕܡܬܕܪܟܠ in verſione *Syra*: quæ haud dubiè ex *Chaldaica* deſumpta eſt. Eam enim ità citat *Elias* in *Methurgeman*, אכבא דמדרכיל. Sed in noſtris editionibus pravè legitur דמזרז *qui accinctus eſt.* Illi ſcilicet qui editioni præfuerunt, vocem, quam non intelligebant, corruperunt, aliâ ſubſtitutâ, quæ *Hebraicæ* eſſet ſimilior. Sed reſcribendum דמדרכל *qui ſuperbè incedit.* Neque enim *Hebræos* hoc loco ſequitur *Thargum*, ſed *Græcos* Interpretes. Et illud דמדרכל planè reſpondet *Græcis* verbis *ἐμπεριπατῶν ἐν θηλείαις εὐψύχως.* Fuere & alii veterum, quibus de gallo hic agi viſum. In his *Aquila*, & *Theodotion*, qui habebant *ἀλεκτρυὼν νώτῳ*, *gallus dorſo*; nullo, aut obſcuro ſenſu. Et *Hieronymus*, in quo legitur, *gallus ſuccinctus lumbos.* Tamen ex *Hebræis* vix quiſquam eſt, qui ad gallum hunc locum referat. Et alii *Gallicum*, ſeu leporarium canem intelligunt, quem

- - *aſtricti ſuccingunt ilia ventris*;

ut habetur in *Gratii Cynegetico.* Alii *pardum* malunt, qui & ipſe circa ilia gracilis, & tanquam ſuccinctus eſt, & magnificè incedit. Alii *apem* propter alvi inciſuras. Alii *ſturnum*, qui *Arabicè* dicitur زرزور *Zarzur*, & *Talmudicè* זרזיר *zarzir.* Sed *Selomone* nemo prudentior, qui fatetur ſe neſcire quid ſit; Et *Aben Ezra*, qui ſolum dicit *nomen eſſe beſtiæ.* Ego etſi tot veteribus, qui *gallum* hic deſcribi volunt, multum deferam, tamen quid illos in eam ſententiam impulerit nullus video. Nec potuêre *Græci*, qui in hac verſione reliquis præiverunt, de gallo aliter interpretari, quàm *Hebræis* ea verba ſubſtituendo, quæ cum his nihil commune habent, *Hebræa* enim ad verbum *lumbis ſuccinctum* ſonant: ſed *Græca* planè aliud, nempe *gallum inter fœminas alacriter incedentem*, quæ diſſident *δὶς διὰ πασῶν*. Proinde *Symmachus*, gallo illo avolare juſſo, reddidit *περιεσφιγμένον τὴν ὀσφύν*, (ità enim legendum, non *περιεσφραγισμένον*) Et *Hieronymus*, ut utramque verſionem quomodocunque conciliaret, *gallum ſuccinctum lumbos.* Sed quid aliud hoc fuit (quod tanti viri pace dixero) quàm *κλώθειν τὰ ἀσύγκλωστα, καὶ τὰ ἀσύστατα συνάπτειν*? Neque enim ad galli gallinacei deſcriptionem id pertinet, ut dicatur *lumbis eſſe ſuccinctus.* Et, quod gallum aſſerunt caponi ſic opponi, ad rem non eſt. Quippe ut capo non dicitur lumbis eſſe diſcinctis, ità gallum nemo dixerit cinctos habere lumbos. Dato tamen, non conceſſo, *ſuccinctum lumbis*, *Hebræâ* Phraſi, *caſtrato* opponi: non ſequetur eo nomine gallum ſignificari potiùs, quam aliud quodvis animal perinde integrum, & non caſtratum. Præterea cum à *Solomone ſuccinctus lumbis* inter leonem & hircum ponatur medius, valde veriſſimile eſt illo nomine quadrupedem, non avem deſignari. Itaque iis accedo libentius, qui *equum* hic intelligunt, animal ſuperbi inceſſûs, & lumbos ſuccingi ſolitum, ut dictum eſt ſuo loco. Utut ſit, hoc ſaltem conſtat etiam hic nihil eſſe, quod ad gallum poſſit certo referri.

XI. Undecimus locus eſt *Eccleſ.* 12, 4. (*al.* 6.) ubi de ſene dicitur, *Excitabitur ad avis vocem.* Et *Græci paſſerum*, alii *avicularum*, alii denique *gallorum cantum* intelligunt. Atque hi quidem ſignificari volunt ſenem circa gallicinium, id eſt, ſummo manè excitari. At priores illum dormire tam leviter, ut ad minimum quemque ſtrepitum, puta ad paſſeris, aut alius aviculæ vocem ſomnus ejus abrumpatur. Et gallum negant poſſe intelligi; quia *Hebræum* הצפור nonniſi *paſſeres* ſonat, aut *minimas aviculas.* Quod eſſe falſiſſimum ſuo loco docebo. Id itaque per me liceat utrovis modo interpretari.

XII. Duodecimus locus eſt *Eſ.* 22, 17. ubi *Propheta Sobnæ* dicit, יהוה מטלטלך טלטלה גבר *Dominus deportabit te deportatione, O vir.* Alii *deportatione viri*, id eſt, inquiunt, *Virili, forti, vehementi.* Sed hæc verſio duo habet incommoda: Unum, quod hujus locutionis nullum profertur exemplum. Nam, cum alibi legimus *viam viri, triſtitiam viri, redemptionem viri, doctrinam viri*, nemo eſt, qui *vehementiam* intelligat. Sed ſolùm indè colligimus vel in viro hæc eſſe, vel à viro eſſe profecta. Ita *deportatio viri* nihil eſſet quam quâ vir deportat, aut deportatur, quod valde eſſet dilutum. Præterea *deportatio viri Hebraicè* diceretur טלטלת גבר, non טלטלה. Quis enim conceſſerit, quod hic nonnulli aſſerunt, *He* finale in טלטלה eſſe Epentheticum, non Fœminini notam, cum hoc quoque ſine exemplo ſit? Denique Accentus *tiphcha* in טלטלה ſuſpendit vocem, & prohibet quo minùs jungatur cum ſequente גבר. Omnino igitur גבר eſt in vocandi caſu, quaſi legeretur אתה הגבר *O tu vir.* Quod *Aben Ezra* & *Kimchius* verè obſervârunt. Et multò antè *Syrus* interpres, qui ſic habet, ܡܪܝܐ ܡܦܩܘ ܡܦܩ ܠܟ ܓܒܪܐ *Dominus ejiciendo te ejiciet, O vir.* Sunt tamen in *Hebræis*, qui reddunt, *Dominus deportabit te deportatione viri*, aut etiam *deportatione galli.* Cum enim vox גבר, in Scriptura frequentiſſima, ſemper alibi *virum* ſonet, tamen hic illis libuit Sacro textui vim facere, ut *gallum* interpretarentur, nullâ neceſſitate adactis, ſed ſolo *κακοηθείας* cacoethe, & prurigine. Indè ad voces טלטלה גבר *R. Selomo*, כהדין תרנגולא דמטלטל מאתר לאתר *Ut gallus, qui deportatur è loco in locum.* Quæ ſumpta ſunt ex *Midras* in *Pſalmos*, ut obſervat *Kimchius.* Proinde hic *Hieronymus*, *Dominus aſportari te faciet, ſicut aſportatur gallus gallinaceus.* Nempe ex mente *Judæi* illius, à quo *Hebraicas* literas didicerat, ut ipſe monet in *Notis*, ubi hunc locum ſic ὁ γέβερ φορτίζ· *Propterea autem dico, quod in exciſione ſepulchri non debeas laborare: quia transferet Dominus ſacerdotium tuum, ſicut transferri ſolet* גבר *quod omnes* virum *interpretati ſunt.* Hebræus *autem, qui nos in veteris Inſtrumenti lectione erudivit*, gallum gallinaceum *tranſtulit.* “ *Sicut* (*inquit*) “ *gallus gallinaceus humero portitoris de alio loco trans*“*fertur ad alium, ſic te Dominus de loco tuo leviter aſportabit.* Proinde in *Talmude* גבר pro *gallo* quandoq; uſurpatur. Ut cum pro *gallicinio* dicunt קריאת הגבר. Et in Tractatu *De Sabbatho* pag. 67. b. גברית idem eſt, quod תרנגולת *gallina.* Quin è Paraphraſtis *Jonathan Eſiongaberem* appellat כרך תרנגולא *arcem galli*, Num. 33, 35. 36. & *Deut.* 2, 8. quaſi *à gallo* dicta ſit *Eſion-gaber*; cum עציון גבר ſit *ſpina viri.* Quo nomine *Eſion-gaberem* vocari probavimus in noſtro *Phaleg* pag. 764. quia ſita eſt in loco *ῥαχίαις καὶ σπίλοις ἀπροσίτῳ*, ut *Dyrrachium Macedoniæ.* Et quod de *Balaamo* legitur *Num.* 24, 3. נאם הגבר, *Dixit vir*, *Baal Hatturim* ſic accipiens, quaſi lega-

legatur, *Dixit gallus*, indè ſumpta occaſione, ridiculam *Balaami* cum gallo collationem his verbis inſtituit: קרא גבר שדומה בלעם לתרנגול כמו שהתרנגול הוא נואף מכל כן בלעם רבע אתונו וכמו שהתרנגול יודע בעתים כן בלעם יודע לכוין השעה שהקב״ה כועס וכמו שהתרנגול דרכו לעמוד על רגל אחד כן בלעם חגר באחד רגליו , *Vocat* גבר , *quia* Balaam *gallo fuit ſimilis. Ut gallus eſt mœchus inprimis; ita* Balaam *aſinam ſuam iniit: ut gallus novit tempora; ſic* Balaam *novit explorare tempus, quo iraſcitur Deus Sanctus Benedictus: ut gallus ſolet uno pede inſiſtere, ità* Balaam *fuit uno pede claudus.* Inprimis abſurdum eſt, quod reliquis ſacrificiis, quæ Deus in Lege ſua præſcripſerat, jam abolitis, tamen die, qui præcedit feſtum Expiationis, nemo eſt *Judæorum*, qui non offerat pro ſe gallum, hæc ingeminans, dum illum ſuo capiti ter allidit, זה חליפתי זה תחתי זה כפרתי זה התרנגול ילך למיתה ואני אלך לחיים טובים עם ישראל אמן *Iſte gallus ſit permutatio pro me: Iſte ſit loco meo: Iſte ſit expiatio pro me: Iſte gallus eat ad mortem: Ego autem cum toto* Iſraele *ad beatam vitam. Amen.* Reliqua pete ex Cl. *Buxtorfii Synagoga* capite vigeſimo. Hic enim id ſufficit addere, errori anſam dediſſe vocem æquivocam גבר quâ tam *virum* quam *gallum* ſignificari volunt. Æquum igitur eſt, inquiunt, ut, cum peccaverit גבר , peccati pœnam גבר ſuſtineat. Quaſi Gallus & homo pro uno haberi poſſint coram Dei tribunali, quia per vocis abuſum eodem nomine appellantur. Conſulto prætereo quæ de gallo habentur in ſecundo *Thargum Eſther*; quia non ſunt Paraphraſes, ſed auctoris mera commenta.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

De Galli cantu.

Ἀλεκτοροφωνία Marc, 13, 35. gallicinium. Talmudicis קריאת הגבר , *medium tempus inter mediam noctem & manè. Quidam vocant ſecundum gallicinium; quia primum eſt mediâ nocte. Idem, quod quarta vigilia.* Gallicinium *ſimpliciter poſterius ſemper ſignificat, ut* pullorum cantus *Tob.* 8, 11. Πρὶν ἢ δὶς ἀλέκτορα φωνῆσαι, Marc. 14, 72. *idem, quod* πρὶν ἀλέκτορα φωνῆσαι, Matth. 26, 34. *confertur tempus inter primam & ultimam* Petri *abnegationem cum tempore inter primum & ſecundum gallicinium.* Μετὰ βραχὺ, Luc. 22, 59. *ut in aliis* μετὰ μικρὸν, *latiùs extendi quàm putatur. Concilium de* Chriſti *capite profunda nocte eſſe habitum multis probatur. Quam multa illa nocte geſta ſint.* Theophylactus *de gallicinio non malè. Vox galli quàm contenta ſit ex* Talmude, *& aliis. Quomodo gallus noctis horas diſpenſet. Cauſæ fabuloſæ. Vera.*

EX Veteris Teſtamenti tot locis, quibus de gallinaceo genere agi volunt, nullum eſſe ſatis certum, liquidò conſtitit hactenus. At res aliter ſe habet de Novo, ubi apertè loquitur *Chriſtus* de galli cantu, & de gallinæ affectu erga pullos, quos ſub alis ſuis congregat. Ad galli cantum hæc pertinent *Marc.* 13, 35. *Vigilate igitur. Neſcitis enim quando Dominus domûs veniet, veſperè, aut media nocte, aut galli cantu, aut mane.* Galli cantum *Evangeliſta* uno verbo appellat ἀλεκτοροφωνίαν, ut alii ἀλεκτρυοφωνίαν, & *Romani gallicinium.* Gloſſæ *Philoxeni*, Ἀλεκτρυοφωνία, *Gallicinium, galli cantus. Hebræi* id ipſum tempus vocant קריאת הגבר, *clamorem, ſeu cantum galli.* Sic in *Talmudico* Tractatu *Joma* cap. 1. fol. 20. a. בכל יום תורמים את המזבח בקריאת הגבר או סמוך לו בין לפניו בין לאחריו , *Quotidiè cineres ex altari demunt ad galli cantum, aut proximo tempore, ſive præcedat, aut ſubſequatur.* Et fol. 21. a. היוצא לדרך קודם קריאת הגבר דמו בראשו *Quiſquis ante galli cantum ad iter ſe accingit, ſanguis ejus eſt ſuper caput ejus:* id eſt, ſuæ mortis reus eſt, ſi quid accidat ſecus. Et in *Semoth Rabba* capite primo, ubi de *Iſraelitarum* ſervitute in *Ægypto*, היו הנוגשים הולכים לבתי השוטרים בהשכמה להוציאן למלאכתן לקריאת הגבר, *Et ibant exactores in præfectorum domos ſummo manè, ut eos ad operas ſuas educerent ad galli cantum.* Et aliquanto pòſt, עמד לשעת קריאת הגבר והוציאו מביתו, *Adſtabat hora galli cantus, ut eum educeret è domo ſua.* Galli cantus propriè medium tempus eſt inter μεσονύκτιον & manè, ut definit *Evangeliſta: Mediâ nocte,* inquit, *aut gallicinio, aut manè.* Unde eſt, quod *Cenſorinus* capite decimo nono diei partes ſic enumerat; *Sunt etiam plura noctis & diei tempora ſubnotata, propriiſque diſcreta nominibus, quæ apud veteres* Poetas *paſſim ſcripta inveniuntur. Ea omnia ordine ſuo exponam. Incipio à nocte media, quod tempus principium & poſtremum eſt diei* Romani. *Tempus, quod huic proximum eſt, vocatur de media nocte. Sequitur gallicinium, cum galli canere incipiunt; deinde conticinium, cum conticuêre: tunc ante lucem, & ſic diluculum vocatur. Mane cum lux videtur Solis,* &c. Neque aliter *Macrobius Saturnalium* lib. 1. cap. 3. *Primum tempus diei dicitur mediæ noctis inclinatio, deinde gallicinium, indè conticinium, cum & galli conticeſcunt, & homines etiam tum quieſcunt, deinde diluculum, id eſt, cum incipit dignoſci dies. Inde manè, dum dies clarus,* &c. Et *Gloſſæ* veteres, *Conticinium*, ὁ μεταξὺ ἀλεκτρυοφωνίας χρόνος, *tempus, quod eſt inter gallicinia.* Nullo ſenſu: ſed legendum ὁ μετὰ τὰς ἀλεκτρυοφωνίας χρόνος *tempus quod eſt poſt gallicinia.* Quæ Plurali numero dicuntur, quia plura ſunt. Gallus enim à media nocte canere incipit. Deinde medio inter μεσονύκτιον & auroram ſpatio rurſus canit. Itaque hunc cantum multi *ſecundum* vocant. *Ariſtophanes* in Ἐκκλησιαζούσαις, pagina 735.

> Οὐδ' εἰ μὰ Δία τότ' ἦλθες, ὅτι τὸ δεύτερον
> Ἀλεκτρυὼν ἐφθέγγετο – – –

Neque per Jovem *ſi tunc veniſſes, cum gallus ſecundo canebat.* Heliodorus lib. 5. Ἀλεκτρυόνες ἤδη τὸ δεύτερον ᾖδον *Galli jam ſecundo canebant.* Unde Adagium vetus apud *Parœmiographos*, de quo multa *Eraſmus*; Πρὶν ἢ τὸ δεύτερον ἀλεκτρυὼν ἐφθέγγετο, *Priùsquam gallus ſecundo canat, id eſt, ſummo mane.* *Syneſius* Epiſt. 4. Ἦς (νύκτος) ἤδη περὶ δευτέραν ᾠδὴν ὀρνίθων ᾠδήν· *Cum nox jam eſſet circa ſecundum gallorum cantum.* Juvenalis *Satyra* nonæ verſu 106.

> *Quod tamen ad cantum galli facit ille ſecundi,*
> *Proximus ante diem caupo ſciet.* – – –

Ammianus lib. 22. Caſium *montem aſcendit, unde ſecundis gallicinis videtur primo Solis exortus.* Alii vigiliâ quartâ Solem è *Caſio* monte conſpici ſcribunt. *Mela* libri primi cap. 10. *Ut ex ſummo vertice à quarta vigilia ortum Solis oſtendat.* *Plinius* lib. 10. cap. 22. Caſius, *cujus excelſa altitudo quartâ vigiliâ orientem per tenebras Solem aſpicit.* Solinus, *Cujus è vertice vigilia adhuc quarta conſpicitur globus Solis.* Martianus Capella *lib.* 6. Caſius, *cujus altitudo quarta vigilia Solem per tenebras videt.* Itaque ſecundum illud gallicinium, & quarta vigilia idem ſunt. Galli nempe, auctore *Plinio*, *cum Sole eunt cubitum, quartaq; caſtrenſi vigilia ad curas laboremq; revocant.* Sed, quamvis profunda nocte galli bis canant, tamen cum aliquid factum legitur ga[illegible] *tempore* abſq; numeri adjectione, ſemper poſt[illegible] ligitur, quod ſic appellatur κατ' ἐξοχὴν, aut q[illegible] acrius atq; alacriùs canunt: aut quia poſterior ill[illegible] homi-

hominibus eſt utilior, cùm ad diurnos labores eos excitet: aut denique quia prioris gallicinii tempus alio deſignatur nomine: vocatur enim μεσονύκτιον, *media nox, medinoctium.* Itaque non ſolum *Marcus Evangeliſta*, ſed & *Cenſorinus*, & *Macrobius* gallicinium medium ponunt inter mediam noctem & manè, ut jam ſupra patuit. Et *Iſidorus* (*Orig.* lib. 5. cap. 31.) gallicinium dictum eſſe ſcribit *propter gallos lucis prænuncios.* Unde ſolum poſterius ab illo intelligi conſtat. *Heliodori* quoque verbis lib. 1. *Æthiopicῶn*, καθ' ὃν καιρὸν ἀλεκτρυόνες ᾄδουσι, *quo tempore galli canunt*, id ipſum ſignificari docent, quæ ſtatim ſequuntur, illos canere αἰσθήσει φυσικῇ τῆς τοῦ ἡλίου καθ' ἡμᾶς περιστροφῆς ἐπὶ τὴν τοῦ Θεοῦ πρόσρησιν κινουμένους, *naturali ſenſu Solis ad nos converſionis ad Dei ſalutationem incitatos.* Sed & in *Polluce* inter noctis partes extremas cenſetur tempus περὶ ἀλεκτρυόνων ᾠδάς, & ἀλεκτρυόνων ᾀδόντων. Et *Horatii Satyra* 1.

> *Agricolam laudat juris legumq; peritus,*
> *Sub galli cantum conſultor ubi oſtia pulſat.*

Id eſt, *ſummo manè.* Neque aliud noctis gallicinium in his *Apuleji* initio lib. 8. *Noctis gallicinio venit quidam juvenis è proxima civitate.* Et in *Vulgata* Tob. 8. v. 11. *Circa pullorum cantum accerſiri juſſit* Raguel *ſervos ſuos; & abierunt cum eo ut foderent ſepulchrum.* *Circa pullorum cantum*, id eſt, *quo tempore canunt galli gallinacei.* Et antelucanum gallum intelligi docent quæ habentur verſibus 13. & 14. *Cumq; paraſſent foſſam*, *reverſus* Raguel *ad uxorem ſuam dixit ei*, *Mitte unam ex ancillis tuis, & videat ſi mortuus eſt* (Tobias) *ut ſepeliam eum antequam eluceſcat dies.* *Hebræa* habent נקברהו טרם אור הבוקר ואיש לא ידע. *Sepeliemus eum ante lucem matutinam, ne quiſquam ſciat.* Cum igitur idem tempus quandoque ſimpliciter dicatur *gallicinium*, quandoque expreſſius *ſecundum gallicinium*, viri undecunque docti meritò putant hac obſervatione *Marcum* facilè poſſe conciliari cum reliquis *Evangeliſtis* in deſignatione temporis, quo *Chriſtum Petrus* erat ter abnegaturus. Nam juxta *Marcum Chriſtus Petro* prædixit fore, ut ter abnegaret, πρὶν ἢ δὶς ἀλέκτορα φωνῆσαι, *ante quàm gallus bis cantâſſet.* Et verò, cùm ceciniſſet poſt primam abnegationem, poſt tertiam ἐκ δευτέρου ἀλέκτωρ ἐφώνησε, *rurſus cantavit gallus.* Ita habet *Marcus* cap. 14. verſibus 30. 68. 69. 70. 71. At in aliis non cantat gallus ante tertiam abnegationem. Ita enim *Chriſtus Matth.* 26. v. 34. Ἐν ταύτῃ τῇ νυκτὶ, πρὶν ἀλέκτορα φωνῆσαι, τρὶς ἀπαρνήσῃ με· *Hac nocte, prius quàm cantet gallus, ter me negabis.* Et *Luc.* 22. *verſ.* 34. Οὐ μὴ φωνήσει σήμερον ἀλέκτωρ, πρὶν ἢ τρὶς ἀπαρνήσῃ μὴ εἰδέναι με· *Hodie non cantabit gallus, prius quàm ter neges, quòd tu me noveris.* Et *Joh.* 13. *v.* 38. Οὐ μὴ ἀλέκτωρ φωνήσει, ἕως οὗ ἀπαρνήσῃ με τρίς· *Non cantabit gallus, prius quàm ter me neges.* Quæ videntur ἀσύστατα· ſed nullo, inquiunt, negotio conciliantur, ſi *Petrum* primo negâſſe ſtatuas circa mediam noctem, & tum gallum primò ceciniſſe; & tertio negâſſe circa quartam vigiliam, vel circa illud tempus, quod dici ſolet *gallicinium*, & gallum tum temporis iterum ceciniſſe. Quo poſito, hæc *Chriſti* verba, *Non cantabit gallus*, aut *Prius quam cantet gallus*, idem erunt ac ſi dixiſſet, *Ante tempus gallicinii*, vel *Non cantabit gallus ſolenni illo cantu, à quo tempus, quo canit, ἀλεκτοροφωνία dicitur, prius quam ter me negaveris.* Interim nullus dubito, quin *Marcus*, qui *Petri* diſcipulus fuerat, ipſamet *Chriſti* verba retulerit, prout à *Petro* illa didicerat. Sed ſuffecit aliis id memorare quod præcipuum fuit, nempe *Chriſtum* triplicem illam *Petri* abnegationem non ſolùm prævidiſſe, & prædixiſſe, ſed & deſignâſſe tempus, & fore, ut *Chriſtum Petrus* ter abnegaret ante gallicinium. Quod cum de ſecundo gallicinio palam ſit intelligi, quia hoc ſolum ſimpliciter *gallicinium* dicitur, tamen id diſertè expreſſit *Marcus*, atque illud inſuper primam *Petri* abnegationem primum gallicinium præceſſiſſe. At, inquies, inter primum & ſecundum gallicinium ſolet intercedere quarta pars noctis; quod ſpatium tum fuerit horarum prope trium (nam in *Judæa*, quo anni tempore *Chriſtus* morti traditus eſt, noctes horarum ſunt plusquam undecim: porrò inter primam & ultimam *Petri* abnegationem vix potuit elabi media pars hujus ſpatii. Patet id ex *Luca* 22. *verſ.* 56. 57. 58. Ibi enim cùm *Petrus* ancillæ negaſſet ſe noſſe *Chriſtum*, quæ prima fuit abnegatio, μετὰ βραχὺ *paulo poſt* alius videns eum dixit, *Etiam tu ex ipſis es:* Petrus *vero dixit, O homo, non ſum*; quæ abnegatio ſecunda fuit: Καὶ διαστάσης ὡσεὶ ὥρας μιᾶς, *Et interpoſita hora circiter una*, alio id ipſum aſſeverante, *Petrus* tertio negavit, & ſtatim cecinit gallus. Reſpondeo *Evangeliſtas* pleraque ſummatim retuliſſe, & dum *Petrus* accuſatus conatur ſe purgare, potuiſſe rem in longius diduci, &, pluribus verbis ultrò citroque habitis, in ipſa diſceptatione multum inſumi temporis. 2. Ex *Lucæ* verbis μετὰ βραχὺ non ſequi inter primam & ſecundam *Petri* abnegationem nullum aut breviſſimum fuiſſe temporis intervallum. *Johannes* enim capite 18. à verſu 17. usque ad 25. multa interſerit, tanquam facta in illo intervallo. Et tertia abnegatio, quam *Lucas* à ſecunda removet horæ circiter interſtitio, tamen in *Matthæo*, & *Marco*, μετὰ μικρὸν, *paulo poſt*, contigiſſe narratur. Itaque illud μετὰ μικρὸν, vel, quod idem eſt, μετὰ βραχὺ, poteſt extendi latiùs quàm putatur. 3. Horæ *Lucæ* licet aliquid addere, cùm non dixerit præciſè horam unam interceſſiſſe, ſed ὡσεὶ ὥρας μιᾶς, *horam circiter unam.* 4. Quamvis inter primum & ſecundum gallicinium quarta pars noctis ſoleat intercedere, tamen id perpetuum non eſt. Nam ſæpe accidit, ut galli temerè canant, nec ſtatis horis. Quod ſe tam in excubiis olim, quam poſtea in lucubrationibus expertum eſſe ſcribit *Scaliger* in *Cardanum Exercitatione* 239. Potuit igitur gallus aliquis, poſt tertiam *Petri* abnegationē, ſolitum gallicinii tempus unâ horâ antecedere. Aliud objici poteſt, cùm *Chriſtum* abnegavit *Petrus*, in *Caipha* domo fuiſſe Scribas, Sacerdotes, & Presbyteros, ut in *Chriſti* vitam inquirerent: & *Petrum* interim in atrium ingreſſum expectâſſe quò tandem res evaderet, & quid de *Chriſto* ſtatueretur. Conventum autem illum usque in tam multam noctem duraſſe non eſſe veriſſimile. Quis enim credat tot homines è *Judaici* populi primariis noctem ferè totam egiſſe inſomnem, ut hanc litem deciderent, cùm res potuiſſet æquè commodè in aliud tempus rejici? Sed hoc fruſtrà objicitur. Certum enim eſt ita factum. Quod patebit perpendentibus quàm multa illâ nocte geſta fuerint ante tertiam *Petri* abnegationem. Ὀψίας γενομένης, (a) *Cùm veſpera jam adveniſſet*, id eſt, in ipſo occaſu Solis *Chriſtus* cum *Apoſtolis Paſcha* celebravit. (b) Lavit eorum pedes. (c) E re nata concionatus eſt. (d) Cœnam *Eucharisticam* inſtituit. (e) Diſcipulos, inter ſe de primatu contendentes, graviſſimis verbis compeſcuit. (f) Hymnum cecinit, qui ex pluribus *Pſalmis* conſtabat, ſi *Talmudicis* creditur. (g) Ivit in montem *Oliveti*; (h) & venit in villam nomine *Gethſemanem.* (i) Seceſſit, ut oraret, & poſt horariam orationem rediit ad Diſcipulos, quos cùm dormientes reperiſſet, (k) increpavit, quòd unam horam vigilare non potuiſſent. (l) Idem ſecundò & tertiò factum. (m) Interim cum *Juda* miſſi lictores *Chriſtum* invadunt. (n) Et primum ad *Annam* adducunt. (o) Atque inde ad *Caipham.* Quò conveniunt Scribæ, Sacerdotes, & Seniores. (p) Et *Petrus*, in atrium ægrè admiſſus, & agnitus *Chriſtum* abnegat, &c.

a) *Matth.* 16, 20. *Marc.* 14, 17.
b) *Ioh.* 13. 4.
c) *Ioh.* 13. 12. &c. usq; ad cap. 18.
d) *Matth.* 26, 26. &c.
e) *Luc.* 22. 24
f) *Matth.* 20, 30. *Marc.* 14. 26.
g) *Ibid. & Luc.* 22. 39.
h) *Matth.* 26, 36. *Marc.* 14. 32.
i) *Ibidem.*
k) *Matth.* 26, 40. *Marc.* 14. 37.
l) *Matth.* 26, 42. 43. 44. *Marc.* 14, 39. 40.
m) *Matth.* 26, 47. *Marc.* 14. 43. *Luc.* 22. 47.
n) *Ioh.* 18. 13.
o) *Ioh.* 18. 24. *Matth.* 26. 57. *Marc.* 14. 53. *Luc.* 22. 54
p) *Ioh.* 18, 15

q) Ioh. 18,19. gat. (q) *Chriſtus à Caipha* interrogatur. Quo facto, r) Ioh. 18,25. à Petro (r) ſecunda vice, & poſt horam elapſam (ſ) ſ) Luc. 22,59. tertia vice abnegatur. Nemo erit æquus rerum æſtimator, qui non ſtatim agnoſcat hæc omnia ante pro fundam & concubiam noctem fieri non potuiſſe. Atque id quidem fuit prorſus extraordinarium, ut horis illis de hominis capite ageretur. Sed præter feſtum proximè inſtans ad id illos impulit ferina in *Chriſtum* rabies, & plusquam *Vatinianum* odium, quo in eum ferebantur. Ad interpretationem, quam diximus, proximè accedit illa *Theophylacti* in *Marcum*; Ὅπερ δὲ εἶπεν ἀσαφῶς ὁ Ματθαῖος, ὅτι πρὶν ἀλέκτορα φωνῆσαι ἑρμήνευσεν ὁ Μάρκος, ὅτι πρὶν φωνῆσαι δίς. Εἰώθασι γὰρ οἱ ἀλέκτορες κατὰ μίαν ἀγωγὴν πολλάκις φωνεῖν, εἶτα οἷον ὑπνώττειν, καὶ πάλιν μετά τινα καιρὸν ἑτέραν ἀρχὴν ποιεῖσθαι τοῦ φωνεῖν· ὃ οὖν εἶπεν ὁ Ματθαῖος, τοῦτό ἐστιν, ὅτι, πρὶν ἀλέκτορα φωνῆσαι, τουτέστι, πληρῶσαι τὰς κραυγὰς τῆς πρώτης ἀγωγῆς, ἀπαρνήσῃ με τρίς. *Quod* Matthæus *obſcuri dicit*, " *Prius quàm gallus cantet*, *interpretatus eſt* Marcus, *quod prius quàm bis cantet. Galli enim de more habent uno ductu ſæpe canere, deinde tanquam dormire, & poſt aliquod tempus iterum cantum incipere. Quod igitur dixit* Matthæus, *ſcilicet prius quam gallus cantet, id eſt, prius quam impleat clamorem primi cantus, me ter negabis.* In galli cantu ſunt duo mirabilia: Unum, quod tantulum animal tam contenta voce canit, ut longiſſimè audiatur. Alterum, quod ſtatis horis canit, atque illo ipſo tempore, quo reliquæ aves ſomno indulgent. Prius mire deprædicant *Talmudici* in Tractatu *Joma* fol. 20. b. ubi dicit non nemo de gallo ſacro *Hieroſolymis*, היה קולו נשמע משלוש פרסאות מעשה באגריפס המלך שהיה בא בדרך ושמע קולו בשלוש פרסאות וכשבא לביתו שיגר לו מתנות *Vox ejus audiebatur à tribus paraſangis. Exemplo ſit Rex* Agrippa, *qui, cum iter faceret, illum audivit à tribus paraſangis, & cum domum veniſſet, miſit illi munera.* Quod leve eſt præ eo, quod ibidem habet alius, ונשמע קולו ביריחו Jerichuntem *uſque vox ejus audiebatur.* Nam, ut aſſerit *Rabbi Jochanan*, מירושלם ליריחו עשרה פרסי *Ex urbe* Jeruſalem *ad* Jerichuntem *decem ſunt paraſangæ.* Quæ quidem fabuloſa ſunt: ſed veriora, quæ *Cardanus*, *De ſubtilitate* lib. 10. *Gallus, ſi rarum eſſet animal, non ſolùm formâ, ſed cantu admiratione dignum eſſet. Exultat voce, proculque ea exauditur: & nocte etiam ad mille & amplius paſſus.* De ejusdem nocturno cantu ſtatis horis ſic *Alkazwinius*,

ومن عجايب معرفته ساعات الليل
فان الليل اذا كان خمسة عشر
ساعه يقسط اصواته عليها كما كان
يقسطه عليها وهو تسع ساعات وذلك
بالهام من الله

E mirabilibus (naturæ ejus illud eſt) *quod novit horas noctis: adeoq; , cum nox eſt horarum quindecim, pro ejus ratione diſpenſat cantus ſuos; quomodo etiam diſpenſat, cum ſolum eſt horarum novem, idque per* D E I *inſpirationem.* Et *Damir*,

واعظم ما فيه من العجايب معرفـة
الاوقات الليلية فيقسط اصواته عليـها
تقسيطا لا يكاد يغادر منه شيا سوا
طال او قصر ويوالي صياحه قبل الفجر
وبعده فسبحان من هداه لذلـك

In eo maximè mirabile illud eſt, quod novit tempora noctis, & juxta ea tam æqua lance cantus ſuos diſpenſet, ut ex iis vix quidquam demat, ſive longiora ſint, aut breviora. Et cantus ejus perpetuò præcedat, & ſequatur auroram. Laus illi ſit, qui eum ad id inſtituit. Ex *Chronicis Eſpahan Mahometem* ſuo loco docebimus, rei tantæ cauſas exquirentem, ad fabulas confugere. Fingit enim Deum habere gallum album, cujus alæ ſmaragdis hyacinthis, & margaritis diſtinctæ ſint, & ab Ortu ad Occaſum expanſæ; & caput ſub throno gloriæ; & pedes in ſummo aere: illumque adeo quotidie manè precum tempus indicere, atque audiri ab omnibus cœli & terræ incolis, præter homines, & dæmones. *Et propterea*, inquit, يجيبه ديوك الارض *reſpondent illi galli terræ.* Quæ partim ex *Hebræis* petita eſſe probavimus. Sed & è *Græcis Calliſthenes* aliquid divinum agnoſcit in galli cantu. Unde *Cicero*, *De Divinatione* lib. 2. *Quid in mentem venit* Calliſtheni *dicere, Deos gallis ſignum dediſſe cantandi?* Tamen apud eundem *Democritus optimus verbis cauſam explicat, cur ante lucem galli canant. Depulſo enim de pectore, & in omne corpus diviſo, & modificato cibo, cantus edere quietè ſatiatos.* Et noſtro ſæculo vir doctiſſimus, *Præcipuè circa noctis canit meridiem, vel proximè ante Solis exortum. Nimirum partim ubi Sol dimidiam itineris nocturni partem confecerit, partim ex quo ad noſtrum pertigerit finitorem, vel circiter, gallo ſenſus ſolvuntur. Quippe animal hoc vi naturæ, ſive à temperamenti proprietate, ſic à Sole afficitur, ut tum expergefiat. Gaudens igitur, tum quiete ſuaviter percepta, tum quia ſentiat non ſic ut ante pectus vel ſtomachum gravari cibo (ut qui per totum jam corpus ſit digeſtus) lætitiam cantu, & alarum planſu teſtatur. Simul etiam quia nocturna aeris conſtitutione calidus ac tenuis galli ſanguis halitus ac vapores in muſculis excitavit: eò alas complodens, & gutture cantillans vapores ſtudet unà cum pituità frigore noctis collecta diſſipare, haud ſecus ac animalium alia vel pandiculatione vel oſcitatione flatus propellunt.* In quibus hoc ſolum probo, quod hoc animal dicitur à Sole affici. Sed cur à Sole afficiatur, id ipſum eſt, quod quæritur, & quidem fruſtra, quia pendet ex occulta Naturæ proprietate. Nam quæ de gaudio ex cibi concoctione percepto afferuntur, ſi vera eſſent, cùm in gallo, qui valet, concoctio tam cita ſit, aut citior etiam hyeme, quam æſtate, quia tum intenſior eſt ſtomachi calor, per quem cibi concoquuntur, hyemale gallicinium non eſſet æſtivo tardius. At res ſe habet multò aliter. Matutinus enim galli cantus hic fit hyeme tribus aut quatuor horis ſerius quam æſtate. Et in reliquis, quæ hic addunt, par eſt ratio. Itaque amplius diſquirendum eſt.

CAPUT

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

De Gallinæ affectu erga pullos ſuos.

ὄρνις *olim* avis *in genere, poſtea* gallus, *&* gallina. *Malè à nonnullis* avis *redditur* Matth. 23. v. 37. *&* Luc. 13. v. 34. Gallina *Arabicè* mater congregationis. *Gallina* φιλοστοργίας *illuſtre exemplum in* Alpheo Mitylenæo. *Aliud in* Plutarcho *&* Auguſtino. Chriſti *verba in* Euripide.

SUpereſt, ut aliquid dicamus de gallinæ affectu erga pullos ſuos ad inſignem *Chriſti* locum *Matth.* 23. *v.* 37. & *Luc.* 13. *v.* 34. Jeruſalem, Jeruſalem, *quoties volui congregare filios tuos, quomodo congregat gallina pullos ſuos ſub alas, & noluiſtis?* *Gallina* Græcè eſt ὄρνις, quæ vox *avem* in genere ſignificabat apud *Græcos* vetuſtiores. Tamen *Platonis* lib. 7. *De Legibus* ὀρνίθων θρέμματα putantur eſſe *gallinarum pulli*. Et *Ariſtophanis* in *Veſpis* ὀρνίθων γάλα *lac gallinarum*. Et *Ariſtotelis* οἱ ὄρνιθες ſunt *galli*, cum ſcribit *Hiſt.* lib. 9. cap. 50. Ἐκτέμνονται δὲ οἱ ὄρνιθες κατὰ τὸ ὀρροπύγιον, id eſt, *Caſtrantur galli prope uropygium.* Et αἱ ὄρνιθες *gallinæ*, *De generat. anim.* lib. 1. cap. 21. ubi quosdam tradit περὶ τὰς ὄρνιθας τὰς γενναίας σπουδάζειν, *operam dare, ut generoſæ gallinæ procreentur.* Neque aliud ſignificatur in his *Theophraſti*, *De cauſis* lib. 2. cap. 15. τὰ ὅλως εὔτεκνα βραχύβια· καὶ τὰ ὑπερτεκνώσαντα πολλάκις ἀπόλλυται, καὶ μάλιστα ἐπὶ τῶν τι συνανθρωπιζομένων αἱ ὄρνιθες. Quæ omnino ſic reddenda, *Fœcundiſſima quæque animalia brevis vitæ ſunt: & quorum fœtura exuberat ſæpe pereunt, & gallinæ potiſſimùm inter ea, quæ cum hominibus degunt.* Neque in his *Chryſippi* apud *Athenæum* lib. 9. cap. 4. Καθάπερ τινὲς τὰς λευκὰς ὄρνιθας τῶν μελανῶν ἡδίους εἶναι μᾶλλον· *Ut candidas gallinas nonnulli volunt nigris eſſe ſuaviores.* Sed & *Comicos* veteres *Menandrum*, *Cratinum*, & *Antiphanem* pro *gallinis* uſurpaſſe exemplis allatis idem probat. Et apud eundem lib. 1. cap. 15. narrat *Philarchus* τινὰς δυνάμεις στυτικὰς à *Sandrocotto*, *Indorum* Rege, ad *Seleucum* miſſas, ὀρμὰς ἐμποιεῖν ὀρνίθων δίκην, Veneris *appetentiam excitâſſe, qualis eſt in gallis gallinaceis.* Perperam edi στυπτικὰς notavit vir maximus ad illum locum; & *Sandrocotto* ab interprete ſubſtitui *Sandropyctor*, & *Antiochum Seleuco*, & *gallis paſſerculos*, ita ut in hoc loco nihil ſuperſit ſani. Cùm igitur ὄρνις *Homero*, & *Heſiodo*, nihil quidquam ſit quam *avis* in genere, *Platonis* cœpit ævo uſurpari pro *gallinaceo* genere, & per aliquot ſæcula tam de *gallo* quam de *gallina* dici: donec obtinuit uſus, ut proprium eſſet *gallinæ* nomen. Unde apud *Athenæum* lib. 9. *Myrtilus*, Ἀλλὰ μὴν καὶ ὄρνιθας καὶ ὀρνίθια νῦν μόνον ἡ συνήθεια καλεῖ τὰς θηλείας· *Nunc quidem fert conſuetudo, ut ſolæ* (gallorum) *fœminæ* ὄρνιθες *dicantur, &* ὀρνίθια. Itaque in *Matthæo*, & *Lucâ*, ὄρνις non eſt طير vel طاير *avis* in genere, ut *Vulgatus*, & *Arabum* unus in *Luca*, alter utroque loco reddit, ſed دجاجة *gallina*, ut in *Matthæo* habent *Vulgatus* & *Erpenianus Arabs*. Proinde *Syrus* etiam conſtanter explicat ܬܪܢܓܘܠܬܐ, & *Æthiops* ዶርሆ: id eſt, *gallinam*. Ita etiam *Cyprianus*, & *Hilarius*, & *Hieronymus*, & *Auguſtinus*, & plerique veteres, præter *Ambroſium* in *Lucam*. ubi hic locus ita redditur: *Quoties volui congregare filios tuos, ut avis nidum ſuum ſub pennis?* Sed id gallinæ maximè proprium eſt, quòd non ſolum ovis incubat, quomodo reliquæ aves, ſed & pullos jam editos ſub alis congregat, ut materno calore foveantur, & vegetentur. Unde eſt, quod *Arabicè* cognominatur ام حضنة *mater congregationis*. Ita diſertè ſcribunt inſignes duo *Lexicographi* *Giauhari*, & *Alcamus*, & è Naturæ Scriptoribus ſæpe à nobis citatus *Damir*. Hujus gallinæ φιλοστοργίας ecce illuſtre exemplum ex *Alpheo Mitylenæo Anthologia* lib. 1. cap 87.

> Χειμερίαις νιφάδεσσι παλυνομένα τιθὰς ὄρνις
> Τέκνοις εὐναίας ἀμφέχεε πτέρυγας·
> Μέσφα μιν οὐράνιον κρύος ὤλεσεν. ἦ γὰρ ἔμεινεν
> Αἰθέρος οὐρανίων ἀντίπαλος νεφέων.
> Πρόκνη, καὶ Μήδεια, κατ' ἄϊδος αἰδέσθητε,
> Μητέρες, ὀρνίθων ἔργα διδασκόμεναι.

Hyemalibus nivibus aſperſa mitis gallina pullis ſoporiferas circumfudit alas: donec illam perdidit cæleſte frigus. Certè permanſit cæleſtium oppugnatrix nubium. O matres, Progne, *&* Medea, *in Inferis erubeſcite, gallinarum opera diſcentes.* Et eximius ſcriptor *Plutarchus* in libro *De philoſtorgia* ob oculos rem ita ponit, Τὰς δὲ ἀλεκτορίδας ἐν τοῖς ὄμμασι καθ' ἡμέραν ἔχομεν, ὃν τρόπον τὰ νοσσία φυλάττουσι, τοῖς μὲν ἐνδῦναι χαλῶσαι τὰς πτέρυγας, τὰ δὲ ἐπιβαίνοντα τῷ νώτῳ, καὶ προστρέχοντα πανταχόθεν ἀναδεχόμεναι, μετὰ τοῦ γηθεῖν, ἢ καὶ προσφιλὲς ἐπιφθέγγεσθαι. κύνας δὲ, καὶ δρακοντίας (lege κύνας δὲ, καὶ δράκοντας, vel δρακόντια) ἂν περὶ αὐτῶν φοβηθῶσι φεύγουσιν· ἂν δὲ περὶ τῶν τέκνων, ἀμυνόνται, καὶ διαμάχονται παρὰ δύναμιν. *Gallina autem, quæ quotidie oculis noſtris obverſantur, quantâ curâ pullos ſuos tuentur, aliis quidem alas quas ſubeant remittentes, aliis autem dorſum conſcendentibus? Et accedunt undequaq; ſuſcipientes, ita ut gaudium & amorem voce teſtentur. Canes autem, & dracones, ſi ſibi metuant, fugiunt: at pullis ſi metuant, propulſant, & ſupra vires dimicant.* Quod ipſum his verbis obſervat *Auguſtinus* in *Quæſtionibus Evangelicis* lib. 1. quæſt. 36. *Quod difficilius in cæteris animantibus invenies, aliis ſuis filios protegens contra milvum pugnat.* Sed & idem ſæpe aſſerit gallinæ id eſſe peculiare, quod pullorum ſuorum infirmitate ſic afficitur, ut & ipſa infirma & ægra fiat. Ita in *Pſalmum* 58. *Infirmatus eſt* (Chriſtus) *uſque ad mortem, & aſſumpſit infirmitatis carnem, ut pullos* Jeruſalem *colligeret ſub alas ſuas, tanquam gallina infirmatur cum parvulis.* Et paulo poſt, *Certè notam rem dico, quæ in conſpectu noſtro quotidie verſatur. Quomodo rauceſcit vox? quomodo hiſpidum fit totum corpus, demittuntur alæ, laxantur plumæ?* Et in *Pſalmum* 90. *Multæ hic aves ante nos fœtant, calefaciunt pullos ſuos: nulla ſic avis infirmatur cum pullis ſuis, quomodo gallina. Attendat charitas veſtra hirundines, paſſeres, & ciconias. Videmus extra nidos ſuos, nec cognoſcimus utrum fœtum habeant. At verò gallinam cognoſcimus in infirmitate vocis, & in relaxatione plumarum: tota mutatur affectu pullorum; quia illi infirmi ſunt, infirmam ſe facit.* Et *De Verbis Domini* Sermone 29. *Illa gallina Domini ſapientia eſt. Sed aſſumpſit carnem, ut pullis congrueret. Videte gallinam hiſpidam plumis, dimiſſis alis, voce fractâ, & quaſſâ, ac laſſâ, & languidâ congruere pullis ſuis.* Et in *Quæſtionibus* ubi ſupra, *Hoc genus animantis magnum affectum in filios habet, ita ut eorum infirmitate affecta & ipſa infirmetur.* Hinc apud *Euripidem*, in *Hercule Furente*, *Megara* de liberis, quos ex *Hercule* habuerat, maximè ſollicita eos ſub alis ſervare ſe dictitat, ut pullos gallina incubans. Verba ſunt,

> Οἱ δ' Ἡράκλειοι παῖδες, οὓς ὑπὸ πτέρυξ
> Σώζω νεοσσοὺς, ὄρνις ὡς ὑφειμένη·
> *Et quos ſub alis ſervo natos* Herculis,
> *Pullis ut incubare gallina aſſolet.*

Quæ ideo hic affero, quia ſunt *Chriſti* verbis quam ſimillima, quibus ſuam φιλανθρωπίαν confert cum gallinæ φιλοστοργίᾳ, pullos ſuos ſummo ſtudio ad ſe alliciente, ut ab imminente milvo aut accipitre ſartos tectos ſub alis tueatur.

CAPUT

CAPUT DECIMUM NONUM.

In menſa *Solomonis* quid fuerint ברבורים אבוסים, *barburi ſaginati*, 2. Reg. 4. v. 23.

Quidam ברברים, electos *explicant*, & Talmudicorum *alii ad* boves, *alii ad* gallos *aut* gallinas *referunt poſt* Græcos *interpretes. Alii ſpecies animalium, quæ aluntur in* ביברים, vivariis, *quaſi ad* ביבר *bibar*, *alludat* ברבר barbur: eùm ביבר bibar, *ſit* Latinum vivarium. Caſtellio *notatus. Aliis* barburim *pro* אברברי abarburim, *id eſt*, volucres *in genere*, *quia* אבר *eſt* ala. *Aliis* barburim *aves è* Barbaria. Numidia *quando* Barbaria *dici cœperit. Hoc nomen ab* Arabibus *illi eſſe inditum falſo credi.* Juſtiniani *ævo jam fuiſſe uſitatum. Hac multo antiquior* Barbaria Æthiopica, *mari* Arabico, Adulico, & Avaliti, & Barbarico *ſinui prætenta. Hoſtium virilia pro dote uxoribus data, ut præputia* 1. Sam. 28. v. 25. Barbora *urbs & inſula. Zingiber cur aliis ex* Barbaria, *aliis ex* Troglodytica. *Myrrha* Troglodytica *cur* barbara *dicta.* Plinius *notatus.* Thogarma *cur* Barbaria *in Paraphraſi* Jeruſalem. Troglodytis *ſtridor pro ſermone. An hinc* Barbari *dicti.* Barbariæ *nomen* Judæis & Syris *notiſſimum.* Felicis Arabiæ *Regum imperium* Rhaptam *uſque promotum.* Barbari *nudi in* Talmude, Dionyſio, & Strabone. *Aves ex* Barbaria *allatæ*, *ex* Hebræorum *mente*, *ſunt* Meleagrides *ex* Barbaria Troglodytica *afferri ſolitæ.* Meleagrides *an ſint gallinæ* Africanæ. Meleagridum *in fabulis duplex origo.* Meleagrides *in* Lero *inſula*, *non in* Olero, *ut vult* Geſnerus. *Aliæ in* Ætolia *circa* Pleuronem. *Non in* Bœotia, *ut* Plinius *perperam.* Clyti *meleagrides ſintne gallinæ* Africanæ, *aut* Indicæ, *quas vocant. Gallinæ* Africanæ *in veterum deliciis. Probatur* barburim *eſſe* lectiſſima quæque altilia, *non avis*, *aut alterius animalis certam ſpeciem. Locus huic parallelus* Nehem. 5. v. 18. אבס *abas*, ſaginare *de ſolis pecudibus dici. Inde* Eubœæ Abantes.

UT in *Romanis* ancilibus, ita in variis interpretationibus vocis ברבורים *barburim*, 1. Reg. 4. v. 23. falſæ ſic efficţæ ſunt ad verarum ſimilitudinem, ut has ab illis internoſcere non ſit facile. Ex ipſa loci inſpectione patet recenſeri ברבורי' *barburim*, in iis animalibus, quæ in menſa *Solomonis* abſumebantur in dies. Sic enim habet Sacer textus, *Et erant cibaria* Solomonis *in dies decem boves*, &c. *præter cervos*, & *capreas*, & *bubalos*, וברברים אבוסים, & barburos *ſaginatos. Junius*, & *Mercerus* explicant *lectiſſima quæq; animalia.* Apulejus *paſtus electiles* dixiſſet: ut lib. 10. *Metamorphoſeωs*, *Neq; aſinum, qui ſolus intereſſet, talibus cibis affici poſſe, & tamen quotidie paſtus electiles comparere nuſquam.* In eâdem ſententia fuêre *Græci* interpretes: quorum duplex extat verſio. Una habet ἐκλεκτῶν σιτευτά, altera ὀρνίθων ἐκλεκτῶν νομάδων. Sed in utraque ἐκλεκτῶν eſt pro ברברי' *barburim*, & in ſecunda ὀρνίθων de ſuo ſupplent. Quaſi ſignificentur *aves electa altiles*, eæque *gallinacei generis.* Nam id ſunt eo loco ὄρνιθες, ut ſuprà (*a*) probavimus. Ita *Talmudici* in Tractatu *Bava Metzia* cap. 7. fol. 86. b. electos boves, aut electas gallinas intelligunt peculiari ratione ſaginatas. Locus ſic habet, מאי ברבורי' אבוסי' אמר רב שאובסין אותן בעל כרחן ושמואל אמר שאובסין ועומדין מאליהם ורבי יוחנן אמר מביאים תור ממרעיתו בדלא אגים ותרנגולת מאשפתו בדלא אגנא אמר רבי יוחנן מובחר שבבהמות שור מובחר שבעופות תרנגולת אמר אמימר זגתא אוכמתא בי בטניתא דמשתכחא ביני עצרי ולא מציא פסיא קניא *Quid ſunt* barburi *ſaginati? Dixit* Rab, *Quos ſaginant per vim* (id eſt, cibo per vim in os ingeſto) *At* Samuel *dixit ſaginari prout per ſe ſtant* (id eſt, ſibi relictos, neque ulla vi adhibitâ) *Et* Rabbi Jochanan *dixit*, *Bovem adducunt è paſcuo ſuo, qui nondum laboravit* (in cultu terræ) & *gallinam è ſterquilinio ſuo, quæ nondum laboravit* (in pullorum educatione) *Rurſus dixit* Rabbi Jochanan, *Pecudum electio eſt bos*, & *avium electio gallina. Dixit* Amimar, *Gallina nigra, ventricoſa* (al. *domi ſaginata*) *quæ reperitur inter torcularia* (ubi acinis pingueſcat) *nec poteſt tranſgredi calamum*, præ pinguedine. Inde *R. Selomo* Commentario in libros *Regum* יש ברברים אבוסים מרבותינו אומרים תרנגולין פטומי', Barburos *ſaginatos ſunt è Doctoribus noſtris, qui dicant eſſe gallos pingues. Kimchius* & *Pomarius capones* intelligunt; quia העוף המסורס הוא שיתפטם ביותר, *avis caſtrata pingueſcit magis.* De hac ſententia plura vide, quæ ſupra (*b*) attulimus ad ſecundum locum cap. 16.

In *Aruch Rabbi Juda* ברבורים *barburim*, exponit מיני ביברים, *ſpecies eorum animalium, quæ aluntur in vivariis.* Ambiguè admodum. Incertum an piſces innuat, aut volucres, aut feras: utut enim *Hebræum* ביבר *bibar*, Græcè βιβάρειον (Gall. *vivier*) apud *Hebræos* (*c*) & *Græcos* (*d*) recentioris ævi pro *piſcina* ſumatur, tamen olim *vivarii* vox patuit multò latius. Ambitu ſuo ſcilicet complectebatur ſepta quævis, in quibus viva paſcebantur animalia. Itaque vivariorum tres ſpecies facit *Gellius* libri ſecundi capite vigeſimo, Ornithonas (*les volieres*) leporaria (*les garennes*) & piſcinas (*les eſtangs*) Quamvis ex eodem colligatur *vivaria* potius ad feras pertinuiſſe, ut *Græcorum* παραδείσους. *Vivaria*, inquit, *quæ nunc dicuntur, ſepta quædam loca ſunt, in quibus feræ vivæ paſcuntur.* Item, *Vivaria, quæ nunc vulgus dicit, ſunt, quos* παραδείσους Græci *appellant.* Ita planè *Hebræi* definiunt quid ſit ביבר *bibar. Aruch*, ביבר הוא פרדס שמאספין שם החיות והפירה שמאספין שם דגין ומקום מקורה ששם עופות Bibar *eſt paradiſus, in quo colliguntur feræ. Foſſa item, in qua congregantur piſces. Locus denique contignatus, in quo ſunt aves.* Quod ſumptum ex *Talmudico* Tractatu *De Sabbatho* capite decimo tertio folio centeſimo ſexto b. ubi *Gemara*, ביברין של חיות ושל עופות ושל דגים אין צדין מהם ביום טוב, *In* bibarin (ſeu *vivariis*) *ferarum, avium*, & *piſcium venari non licet die feſto.* Igitur vaſta nimis eſt expoſitio *R. Juda*, quâ ברבורים *barburim*, definit *ſpecies animalium, quæ aluntur in vivariis.* Addo parum eſſe tutam; quia tota nititur alluſione nominis vaniſſimâ. Putavit enim *R. Juda* ביבר *bibar*, & ברבור *barbur*, eſſe voces ejuſdem originis, adeoq; ביבר *bibar*, dici pro ברבר *birbar*; litera *Res* poſt primam ablata, quomodo periit *Lamed* in *Chaldais* aut *Syris* vocibus [illegible] & [illegible] & [illegible] & [illegible]. Cum Hebræum ביבר *bibar*, & Græcum βιβάρειον, & Hiſpanicum *bivar*, & Gallicum *vivier* à *vivario Romana* voce deduci ſit planiſſimum. Tamen hoc ſequutus *Caſtalio* locum, in quo verſamur, ita reddidit; *Ejus victus erat in dies ſingulos ſimilæ cori triginta*, &c. *præter cervos, capreas, bubalos*, & *vivaria.* Quamvis *Hebræis* hac in parte ſit ineptior, quod *vivaria* poſuit pro iis animalibus, quæ aluntur in vivariis. Quod eſt

a) Pag. 3. ſup.

b) Pag. 111. ſupra.

c) R. Salomo Eccleſ. 2. 5.

d) Tzetz. Chil. 8. Hiſt. 174. Schol. Oppian. & Nicand. Ther.

eſt abſurdiſſimum. Neque enim in cibis ſunt ipſa vivaria; nec dicerentur אבוסים, *ſaginata.* Itaque hanc vocem *Caſtalio* præteriit planè intactam. Obiter nota in *Aruch* locum *R. Judæ*, quo *Hebræum* ברברים explicat מיני ביברים, citari ex *Vajekra Rabba* capite וכי ימוך אחיך, quod eſt trigeſimum quartum. Ubi tamen nuſquam comparet in editione *Veneta* Anno 1545. quam ſolam videre licuit. Itaque vel fallitur *Aruch*, vel mutila eſt hæc editio.

Tertia interpretatio eorum eſt, quibus ברברים *barburim*, ſunt *volucres* in genere, quaſi אברברים *abarburim*, ab אבר *eber*, id eſt, *abala.* Quod videntur ſequi *Joſephus*, *Chaldæus*, *Syrus*, *Arabs*, *Vulgatus*, *R. Levi*, & *Mardochæus.* Ergo ex illorum ſententia ברבור *barbur*, eſſet pro אברבר *abarbur*, formæ אספסף *aſapſuph.* Sed res eſt propè ſine exemplo, ut prima radicalis excidat ex Nominibus, quæ fiunt ex Quieſcentibus *Pe Aleph.*

Quartam interpretationem ità profert *Baal Aruch* ex libro *Vajekra Rabba* jam citato. רבנן אמרו עוף טהור הוא ומעולא הוא והוה בא מברבריאה והיה עולה על שולחן שלמה בכל יום *Doctores noſtri dixerunt avem eſſe mundam, & præſtantem, quæ ex* Barbaria *afferebatur, & menſæ* Solomonis *quotidiè apponebatur.* Et *Kimchius* in libros *Regum*, ובדברי רז״ל עוף הבא מברבריא ונקראים ברבורים על שם מקומם *In verbis Doctorum noſtrorum beatæ memoriæ, avis erat ex* Barbaria *allata* barbur (aut *barbar*) *dicta, juxta nomen loci ſui.* Et in *Lexico* citat illa ipſa verba, quæ *Baal Aruch.* *Elias* quoque in *Thisbi*, אמרין שהוא עוף שמן מברבריאה, *Ajunt avem eſſe pinguem è* Barbaria, & reliqua, ut in aliis. Quæ interpretatio non debuit à doctis tanto ſibilo excipi; quaſi *Barbaria* nomen pro certâ regione ſit hodiè & heri natum. Putantur ſcilicet *Arabes* non ità pridem *Barbariæ* nomen *Numidiæ* indidiſſe, aut, ut nonnullis placet, toti *Africæ* parti, quæ mari *Mediterraneo* objacet ab *Ægypto* ad *Gades* uſque. Cujus appellationis cauſas, qui harum rerum curioſus eſt, reperiet apud *Scaligerum* in *Cardanum Exercitatione* quinquageſimâ primâ, *Leonem Africanum* libri primi capite ſecundo, & *Marmolium Africæ* ſuæ libri primi capite ſexto. Et verò *Barbariæ* nomen pro ea parte *Africæ*, quam diximus, nec in *Strabone*, nec in *Mela*, nec in *Plinio*, nec in *Marciano*, nec in *Ptolemæo* reperire eſt, nec in ullo *Geographorum* veteris ævi. Illud tamen ab *Arabibus* fuiſſe inditum falſiſſimum eſt: cum *Juſtiniani* ævo jam obtinuerit, diu antequam eò ſe conferrent *Arabes.* Hinc *Juſtiniano* æqualis *Anaſtaſius Sinaita* in *Anagogis ſuper ſex dierum opus*, Ἐν τοῖς πλησιοχώροις Αἰγύπτῳ τοῖς ἐν Πενταπόλει τῇ Βαρβαρικῇ λεγομένοις ἀδύτοις. Quibus verbis *Cyrenaica Pentapolis* in *Africæ Barbaria* conſtituitur. Et *Barbaricini* vocabantur qui à *Vandalis* circa illa tempora ex *Mauritania* monte *Auraſio* in *Sardiniam* tranſlati ſunt. Ità teſtantur *Procopius* libro ſecundo *Vandalicorum*, & *Gregorius Epiſtolâ* vigeſimâ quinta, & vigeſimâ ſeptimâ libri tertii. Sed & aliam in veterum ſcriptis *Barbariam* reperio, cujus nomen multò eſt antiquius: nempe *Barbariam Æthiopicam*, quæ rurſus duplex. Una eſt *Barbaria* propriè dicta, altera *Troglodytica.* Utraque mari prætenta eſt; hæc *Arabico*, & *Adulico*, & *Avalitico*, illa *Barbarico* ſinui. *Barbariæ* nomine illam ſolam intelligunt *Ptolemæus* & *Marcianus Heracleota.* Sed alii *Barbaris* etiam *Arabici* maris accolas & *Troglodytas* accenſent. Sic *Arrianus* in *Periplo* locat *Barbaros* & *Barbariam* circa *Berenicen*, & *Orinen*, & *Diodori* inſulam, & *Ptolemaida theron*, & *Avalite* emporium, quæ loca ſunt *Troglodyticæ.* Et *Stephanus*, in libro *De urbibus*, *Barbariam* ſcribit eſſe περὶ τὸν Ἀράβιον κόλπον, ubi *Troglodytica.* *Arabs Geographus* itidem ارض بربرة *terram Barbaram*, vel *Barbariæ*, deſcribit الي البحر اليماني *ad mare Jemanenſe*, id eſt, *Arabicum*, Clim. 1. part. 6. Et capite præcedenti deſcribit مدن الحبشة الساحلية *Abiſſinorum maritima oppida* الي ما اتصل بها من عمارات البربرة *donec perveniatur ad loca habitata Barbariæ.* Et *Alcamus* ad vocem بربر *Barbar*

بربر جيل المرابرة بربر
وهم بالغرب وامة اخري بين الحبوش
والزنج يقطعون مذاكير الرجال
ويجعلونها مهور نسايهم وكلهم ولد
كيس غيلان اوهم بطنان من حمير
صنهاجة وكتامة صاروا الي البربر
ايام فتح افريقيس الملك افريقية

Barbar, *gens* Barbarorum, *qui ſunt ad occaſum. Eſt & alia gens inter* Abiſſinos *&* Zingitanos, *quæ virorum abſcindit virilia, & ea pro dote uxoribus ſuis aſſignat* (quomodo *David* ducentorum præputiorum dote uxorem ſibi acquiſivit 1. *Sam.* xviii. 25, 27. & 2. *Sam.* 3, 14.) *Omnes illi filii ſunt* Caiſgailani, *aut ex* Humeiri *ſtirpe* (à quo *Homeritæ* dicti) Sunhagia *autem, &* Cutama *in* Barbariam *profecti ſunt, cum Rex* Africus *Africam aperuit.* Sed & *Geographi* recentiores in *Avalite* ſinu, *Troglodyticæ* parte, urbem *Barbaram*, vel *Barboram* deſcribunt, & ejuſdem nominis inſulam urbi proximam, ad quam *Zeila* ſolventem appuliſſe ſe dicit *Vartomanus Navigat.* lib. 2. cap. 16. Et de eadem multa habet *Odoardus Barboſa* in *India* ſua capite *De Barbora.* Unde facilis conciliatio *Galeni* cum *Dioſcoride*: quorum ille zingiber afferri tradit ἀπὸ τῆς Βαρβαρίας, *ex Barbaria*; hic *ex Troglodytica.* Nempe eadem eſt regio *Barbaria* & *Troglodytis.* Quod cum neſciret *Plinius*, perperam accepit quod legerat apud *Græcos* myrrham *Troglodyticam* etiam dici *Barbaram*, ac ſi eam myrrhæ ſpeciem vellent eſſe *aſpectu ſordidam & barbaram.* Ità enim interpretatur libri duodecimi capite decimo ſexto. Cum contra in *Dioſcoride* legatur eſſe διαυγὴς *ſplendens*, aut *pellucida.* Hinc *Iſidori* lib. 17. cap. 8. à puritate commendatur. *Myrrha*, inquit, *Troglodyta ab inſula* Arabiæ, *ubi melior colligitur, & purior.* Proinde laudatur his verbis in veteri Hymno *De Epiphania Domini*: *Thus Deo, myrrham* Troglodytem *humando.* Ità enim eſſe legendum, non, ut vulgo, *trocletem*, pridem *Caſſander* rectè monuit. Dicebatur ergo *Barbara* myrrha *Troglodytica*, non tanquam aſpectu ſordida, ſed ratione ſoli natalis. Neque alia ratio cur *Gen.* 10, 3. *Thogarma* ברבריא *Barbariam* reddat *Jeroſolymitanus* interpres, quam fallax alluſio nominum inter *Thogarma* & τρώγλην, unde *Troglitis*, vel *Troglodytis.* Ex his conſtat plus ſatis *Barbariæ* nomine contineri totam oram maritimam *Orientalis Æthiopiæ*, ab *Ægypti* finibus uſque ad *Rhaptam* promontorium. Cui videtur id nominis obtigiſſe propter incultos mores. *Arrianus*, Ἀτακτότεροι δὲ

κατοικοῦντες τὸν τόπον Βάρβαροι. Vel propter ſermonem barbarum, & inconditum, ſi ſermo dici queat, qui veriùs veſpertilionum ſtridor eſt. *Herodotus Muſâ* quartâ Οἱ Τρωγλοδύται Αἰθίοπες γλῶσσαν οὐδεμίῃ ἄλλῃ παρομοίην νενομίκασι, ἀλλὰ τετρίγασι κατάπερ αἱ νυκτερίδες. *Plinius* lib.5.cap.8. *Victus* (illis) *ſerpentium carnes, ſtridorque, non vox: adeò ſermonis commercio carent. Martianus Capella* libro ſexto, *Stridunt potiùs quàm loquuntur.* Ut Solinus, *Ignari ſermonis ſtridunt potiùs quàm loquuntur.* Meritò igitur *Barbari* dicti. Sic enim propriè appellantur οἱ δυσεκφόρως, καὶ σκληρῶς, καὶ τραχέως λαλοῦντες, ut pluribus docet *Strabo* in eum (e) *Homeri* verſum, in quo *Cares* nominat Βαρβαροφώνους. Quo ipſo ſenſu *Græci, Chaldæi, Arabes, Latini* interpretes *Pſal.* 114,1. populum *barbarum* eum vocant, quem *Hebræus* עם לועז. Is enim *Hebræis* eſt לועז, *qui linguâ alienâ loquitur, eâque abſurdâ, & inconditâ.* Neque aliter بربار *barbar* explicant *Arabum* Lexicographi. *Giggeius*, بربار (barbar) *garrulus, ſtrepitum edens, vociferans.* بربرة (barbara) *balatus caprinus, nugacitas, ſermo iraſi, qui parùm explanatis vocibus ſolet eſſe præruptus,* ut eſt apud *Senecam*. Golius, بربر (*barbara* Verbum) *murmuravit ut iracundi ſolent:* quod petitum ex *Giauhari*. Sed *Giggeio* præivit *Alcamus*, cujus verba ſunt البربرة صوت المعز وكثرة الكلام والجلبة والصياح (Albarbara) *vox capræ, multiloquium, murmur, & vociferatio.* Ergo *Barbaria* nomen tam *Chaldaicum* & *Arabicum* fuit, quàm *Græcum*, adeoque *Judæis* & *Syris* notiſſimum, in quorum libris paſſim occurrit. Exempla ex *Talmude* & Paraphraſtis habentur in *Baal Aruch*: ex *Jelammedenu* in *Buxtorfio*: ex *Semoth Rabba*, & *Eſther Rabba* in *Davide Cohen de Lara*. Quibus addo ex *Gorionide* de *Arabum* Rege *Areta* in *Herodem* depugnaturo lib.5. cap.18. & 19. *Congregat omnem militiam ſuam, militiam* ſcilicet *Arabiæ*, וצבא ברבר, *& militiam barbariæ.* Et paulò poſt *Judæi* multa ſpolia referunt ex *Arabibus*, ומן ברבר, *& ex Barbaris.* Eo nimium ævo *Barbaria* pars *Arabum* imperio ſuberat. Quin & *Barbari* remotiores *Rhaptam* uſque *Felicis Arabiæ* Reges pro dominis agnoſcebant. Unde *Arrianus* de *Rhapta*, & regione circa *Rhapsam*; Νέμεται δὲ αὐτὴν κατά τι δίκαιον ἀρχαῖον, ὑποπίπτουσαν τῇ βασιλείᾳ τῆς πρώτης γινομένης Ἀραβίας, ὁ Μοφαρίτης τύραννος. *Poſſidet autem ipſam, antiquo quodam jure regno primæ* Arabiæ *ſubjectam,* Mopharites *tyrannus.* Eosdem *Barbaros* à *Talmudicis* ſignificari puto, cum in Tractatu *Jebamoth* fol. 63. b. ſtultum illum populum, de quo *Moſes Deut.* 32, 21. dicunt eſſe אנשי ברבריא שמהלכין ערומין בשוק *viros* Barbariæ, *qui nudi per vicos ambulant.* Ii enim aut nudi erant, aut pelle ſemitecti. *Dionyſius* de *Erembis*, ſeu *Troglodytis*, verſu 965.

Γυμνοί, καὶ κτεάνων ἐπιδευέες - - -

Nudi, & bonis carentes. Et Feſtus,

Intectique artus, crepunt ardua ſemper
Culmina tectorum. - - - - -

Et *Strabo* libro decimo ſexto, Γυμνῆται δὲ, καὶ δερματοφόροι, καὶ σκυταλοφόροι διατελοῦσιν *Nudi degunt, aut pelliti, & clavigeri.* In *Africa* igitur duplex fuit *Barbaria*: una Occidentalis uſque ad *Gades*; altera Orientalis ad *Arabicum* ſinum, & Orientalem *Oceanum*, *Rhaptam* uſque protenſa. De hac porrò, non de illa *Hebræos* egiſſe certum eſt, cum ברבורים *barburim*, vel *barbarim*, voluerunt eſſe à *Barbaria* denominatas, unde ad *Solomonem* allatæ fuerint. Petita enim eſt hæc interpretatio ex libro *Vajekra Rabba*, cujus auctor *Rabba Nachmoni* filius floruit circa annum *Chriſti* trecenteſimum. Quo ævo *Barbariæ* in Occidente nulla mentio. Neque tamen is de ſuo loquitur, ſed citat majores ſuos, *Judam*, & *Barachiam*. Præterea quocunque nomine vocentur illi *Barbari*, qui ſunt ad Occaſum *Africæ*, *Solomon* nullum habuit cum illis commercium. Neque enim in *Mediterraneo*, ſed in *Rubro mari* claſſem inſtruebat *Solomon Ælanis*, & *Eſion-gabere*, unde in Occidentales non fuit iter, ſed in Orientales *Barbaros*, ac indè afferri potuêre meleagrides, & ברבורים *barburim*, vel *barbarim* denominari, id eſt, *aves Barbaræ*, vel *Barbaricæ*. Quia quo tempore harum avium magna erat raritas, & penuria, illis fuit ſummè fertilis *Rubri maris* inſula quædam ad *Barbariam Troglodytarum* pertinens. Hoc idonei auctores ſcribunt, præter *Agatharchidem Diodorus* & *Artemidorus* apud *Strabonem*. Hujus verba ſic habent libro decimo ſexto, Φησὶ δ' Ἀρτεμίδωρος ἀπὸ Ἡρώων πόλεως πλέοντι παρὰ τὴν Τρωγλοδυτικὴν πόλιν εἶναι Φιλωτέραν, &c. Εἶτα Μυὸς ὅρμον, καὶ Ἀφροδίτης ὅρμον καλεῖσθαι, λιμένα μέγαν, τὸν εἴσπλουν ἔχοντα σκολιόν· προκεῖσθαι δὲ νήσους τρεῖς, δύο μὲν ἐλαίαις κατασκίους, μίαν δ' ἧττον κατάσκιον, μελεαγρίδων μεστήν· *Dicit* Artemidorus *ab* Heroum *urbe navigantibus juxta* Troglodyticam *urbem* Philoteram *eſſe,* &c. *Deinde portum magnum ingreſſu flexuoſo, qui dicitur Muris ſtatio, & Veneris ſtatio. Huic objacere tres inſulas, duas oleis obumbratas, tertiam minùs opacam, meleagridum avium plenam.* Et *Diodorus* libro 2. pag. 120. Ὑπέρκεινται δὲ τούτου νῆσοι τρεῖς, ὧν δύο μὲν πλήρεις εἰσὶν ἐλαιῶν, καὶ σύσκιοι, μία δὲ λειπομένη τῷ πλήθει τῶν προειρημένων δένδρων· πλῆθος δ' ἔχουσα τῶν ὀνομαζομένων μελεαγρίδων. *Huic adjacent tres inſulæ, quarum duæ oleis & ficubus ſcatent; una autem, his arboribus minùs fœcunda, iis avibus referta eſt, quæ dicuntur meleagrides.* Et utroque antiquior *Agatharchides, De mari Rubro* libro quinto cap. 42. Ἐν δὲ ταῖς νῆσοι τρεῖς εἰσι προκειμέναι· ὧν αἱ μὲν ἐλαίαις πεπύκνωνται, μία δὲ ἧττον μὲν δασεῖα, τῶν δὲ καλουμένων μελεαγρίδων ἐκτρέφουσα πλῆθος. *Ubi tres inſulæ adjacent: quarum duæ olivas crebras habent, una minùs quidem ſylvoſa eſt, ſed avium, quas meleagrides vocant, copiam nutrit.* Ut appareat hanc inſulam illarum avium proventu fuiſſe celeberrimam.

e) Iliad. 6. v. 167.

Meleagrides quid propriè ſint non ſatis conſtat. Sunt, qui cum *Africanis*, ſeu *Numidicis* gallinis avem eandem eſſe putent. *Varro, Res Ruſt.* lib. 3. cap. 9. *Gallinæ* Africanæ *ſunt grandes, variæ, gibberæ, quas* μελεαγρίδας *appellant* Græci. *Plinius* lib. 10. cap. 26. poſtquam aves *Memnonidas* ad *Memnonis* ſepulchrum confligere narravit: *Simili modo*, inquit, *pugnant meleagrides in* Bœotia (nempe ad *Meleagri* ſepulchrum) *Africæ hoc eſt gallinarum genus gibberum, variis ſparſum plumis,* &c. *Columella* tamen ita diſtinguit libri noni capite ſecundo. *Africana Gallina eſt, quàm plerique* Numidicam *dicunt, meleagridi ſimilis, niſi quod rutilam galeam & criſtam capite gerit, quæ utraque ſunt in meleagride cærulea.* Sed & natalibus differunt. Nam *Africana* nuſquam alibi: ſed meleagris *Græca* eſt avis, Heroico ævo jam nota. Et in *Græcorum* fabulis duplex ejus origo traditur. Alii enim *Meleagri* ſorores, alii *Jocallidis* virginis, in *Lero* inſula cultæ, familiares in has aves mutatas fuiſſe ſcribunt. *Suidas*, Λέγουσι δὲ οἱ μὲν τὰς ἀδελφὰς τοῦ Μελεάγρου μεταβαλεῖν εἰς τὰς μελεαγρίδας ὄρνιθας· οἱ δὲ τὰς συνήθεις Ἰοκαλλίδος τῆς ἐν Λέγῳ παρθένου, ἣν τιμῶσι δαιμονίως. Pro ἐν Λέγῳ meo periculo reſcribe ἐν Λέρῳ. *Jocallis* enim illa ipſa eſt, de qua *Clytus Athenæi* libro decimo quarto, Περὶ δὲ τὸ ἱερὸν τῆς παρθένου ἐν Λέρῳ εἰσὶν οἱ καλούμενοι ὄρνιθες μελεαγρίδες. *Circa templum virginis in* Lero *ſunt aves meleagrides dictæ.*

dicta. Nec *Geſnerus* eſt audiendus, qui, ut ad *Palladem* referat, reſcribit ἐν Ὠλέρῳ, quia in urbe *Creta Olero Palladis* fuit templum, à qua Ὠλέρεια Ἀθηνᾶ, & Ὠλέρεια feſtum *Palladi* ſacrum in *Stephano De urbibus*. Neque enim in urbe *Olero*, ſed in inſula *Lero* fuêre meleagrides. Hinc *Ælianus Hiſt.* lib. 4. cap. 42. Ἴσασι, inquit, οἱ τὴν νῆσον οἰκοῦντες τὴν Λέρον· *Sciunt qui* Lerum *inſulam tenent*, cur ſcilicet ab eſu meleagridum abſtineant, qui *Dianam* venerantur. Et lib. 5. cap. 27. τὰς δὲ ἐν Λέρῳ μελεαγρίδας ὑπὸ μηδενὸς ἀδικεῖσθαι τῶν γαμψωνύχων ὀρνίθων λέγει Ἴστρος· *Meleagrides, quæ in* Lero *ſunt, à nulla rapacium avium lædi tradidit* Iſter. Et *Antonius Liberalis Metamorphoſi* ſecundâ de *Meleagri* ſororibus, Αὐτὰς Ἄρτεμις ἁψαμένη ῥάβδῳ μετεμόρφωσεν εἰς ὄρνιθας, καὶ ἀπῴκισεν εἰς Λέρον τὴν νῆσον ὀνομάσασα μελεαγρίδας· *Illas* Diana *virgâ tactas in aves mutavit, & in* Lerum *inſulam deportavit, impoſito meleagridum nomine*. Sed *Lerias* meleagrides cum *Ætolicis* perperam confundunt Scriptores. *Leriæ* enim alebantur in gratiam *Jocallidis* in *Lero* cultæ: & *Ætolicæ* circa *Calydonem*, & *Pleuronem* in *Meleagri* gratiam. Hinc *Statius Thebaidos* libri quarti verſu 103.

Fletaque cognatis avibus Meleagria Pleuron.

Et *Menodotus Samius Athenæi* libro decimo quarto pavones tradit primò in *Samo* eſſe editos, atque indè alio translatos, ὡς καὶ οἱ ἀλεκτρυόνες ἐν τῇ Περσίδι, καὶ αἱ καλούμεναι μελεαγρίδες ἐν τῇ Αἰτωλίᾳ, *ut in* Perſide *galli, & in* Ætolia *quæ vocantur meleagrides*. Itaque nullus capio cur in *Bœotia* meleagrides & *Meleagri* tumulum poſuerit *Plinius* ubi ſupra. Dux enim *Ætoliæ Meleager* cum *Bœotis* multum indè diſſitis nihil habuit commune. Ex *Clyto Athenæus* longam habet meleagridum deſcriptionem, ità tamen ambiguam, ut neſcias an gallinam *Africanam*, ſeu *Numidicam* (hodie *gallinam Barbariæ*) aut gallo-pavonem (noſtratibus *gallum Indicum*) deſcribat, aut avis tertium genus ab utroque diſſimile. Quippe neutri convenit quod alendæ meleagridi deſtinatur ὁ τόπος ἑλώδης, *locus paluſtris*. Neque quod legitur eſſe ἄστοργον πρὸς τὰ ἔκγονα τὸ ὄρνεον, καὶ ὀλιγωρεῖν τῆς νεοττιᾶς, ὥς τι ἀνάγκη τοῖς ἱερεῦσιν ἐπιμελεῖσθαι αὐτῶν, *avis ſine ullo in prolem affectu, quæque pullos ſuos ità negligat, ut Sacerdotes neceſſe ſit eorum curam gerere*. Saporem quod attinet, gallinam *Africanam* in veterum cupediis *Poëtæ* maximè evehunt. *Horatius Epodo* ſecundâ.

Non Afra *avis deſcendat in ventrem meum*,
Non attagen Jonicus.
Jucundior quàm, &c.

Petronius,

Tuo palato pavo clauſus paſcitur,
Gallina tibi Numidica, *&c.*

Juvenalis Satyrâ undecimâ,

Nec fruſtum capreæ ſubducere, nec latus Afræ
Novit avis noſter tirunculus. - - -

Statius libro primo *Sylvarum* in *Domitiani Saturnalibus*,

Inter quæ ſubito cadunt volatu
Immenſæ volucrum per aſtra nubes,
Quas Nilus *ſacer, horridusque* Phaſis,
Quas udo Numidæ *legunt ſub* Auſtro.

Martialis libri tertii *Epigrammate* 57.

Et picta perdix, Numidicæ*que guttata*.

Et *Epigrammate* 76.

Nec Libyæ *mittit, nec tibi* Phaſis *aves*.

Et libri decimi tertii *Epigrammate* 46.

Si Libycæ *nobis volucres &* Phaſidos *eſſent*,
Acciperes: at nunc accipe cortis aves.

De iis tamen *Varro*, *Hæ noviſſimæ in triclinium ganeatrium introïerunt è culina propter faſtidium hominum*. Et Plinius, *Noviſſimæ ſunt peregrinarum avium in menſas receptæ propter ingratum virus*. Itaque ſola raritas videtur auxiſſe pretium. Quod his verbis nos docet *Varro*, *Veneunt propter penuriam magno*. *Petronius* item,

Ales Phaſiacis *petita* Colchis
Atque Afræ *volucres placent palato*
Quod non ſunt faciles. - - - -

Hactenus de variis interpretationibus vocis ברברים *barburim*; in quibus etſi tertia & quarta ferri poſſint, tamen prima maximè placet. Antiquiſſimam illam dico, ex qua ברברים אבוסים ſunt *lectiſſima quæque altilia*. Nam ut in ea aſſerenda conſpirare taceam *Seniores* cum *Talmudicis*, analogia requirit, ut quomodo à חרר charar, *ardere*, חרחור *charchur*, eſt *ſummus ardor*, Deut. 28, 22. Sic à ברר barar, *eligere*, ברבור *barbur*, ſit *res lectiſſima*; Radicali primâ geminatâ, ut ſignificatio ſit intenſior. Quod in his linguis tralatitium. Sic quia קלל, *leve* aut *vile eſſe* ſonat, קלקל, eſt *res viliſſima, leviſſima, deſpectiſſima*. Et *Judæi* obmurmurantes Mannam per contemptum ſic vocant *Numer. cap.* 31. *verſu* 5. Et à צלל, *obumbrare*, צלצל, eſt *umbra denſior*. Et à רבב, *magnificare*, רברבים, ſunt *magnates*, qui in populo plurimum eminent. Et à כידוד, *ſcintilla*, כדכד, eſt *Charchedonius lapis*, quæ gemma maximè ſcintillat. *Publius Syrus* apud *Petronium Arbitrum*,

Quo carchedonios optas ignes lapideos,
Niſi ut ſcintillet. - - - -

Et à דקק, *extenuare*, דקדוק, eſt *ſubtilis diſſertatio*. Unde eſt, quod ab *Hebræis* ſic appellatur *Grammatica*, quia ſermonis eſt ſubtilis & accurata diſcuſſio. Accedit, quod ex hac explicatione ſenſus emergit commodiſſimus. *Cibaria* Solomonis *erant in dies ſingulos triceni cori ſimilæ, ſexageni cori farinæ, deni boves pingues, viceni boves paſcuales, & centum oves, præter cervos, capreas, & bubalos, & lectiſſima quæque altilia*, id eſt, ea animalia, quæ inter cætera ſeligebantur, ut peculiari ratione ſaginata regiæ menſæ apponerentur. Quod de avibus potiſſimum veteres intellexerunt, cum quia in cupedinario foro aviculæ principem locum tenent, tum ut ab iis diſtinguerent, quorum jam facta mentio; bobus nimirum, ovibus, cervis, capreis, & bubalis. Quamvis neceſſe non ſit, cum hæc à reliquis diſtinguat ſatis ipſa ſaginandi ratio, à qua dicuntur אבוסים *abuſim*, id eſt, *ad præſepe ſaginata*, non, ut alia, in paſcuis. Nam אבוס *ebus*, eſt *præſepe*, *Job*. 39, 12. *Prov*. 14, 14. & *Eſ*. 1, 3. Unde אבס *abas*, eſt *ſaginare pecudes* non quovis modo, ſed *ad præſepe alligatas*, adeoque *cibo in os ingeſto, & intruſo*, ſi *Talmudicis* credimus. *Aquila* φατνιάζεσθαι reddit, & *Theodotion* φατνιῶσθαι. Sed nihil opus fuit novas voces procudere, cum σιτεύειν id ſignificet. Nam σιτευτὰ dicuntur *animalia, quæ incluſa ſaginantur*. Unde *Plutarchus* Sympoſ. 4. Quæſt. 1. ὅσα δὲ σιτεύουσι καθείρξαντες. *Quæcunque incluſa ſaginant*. Itaque idem *Theodotion* שור אבוס, βοῦν σιτευτὸν exponit, rectè omnino. Et *Luc*. 15, 23. acolaſti pater mactari jubet τὸν μόσχον τὸν σιτευτὸν, id eſt, השור האבוס, è multis bobus, aut vitulis eum, qui ſic ſaginatus fuerat. Neque enim otioſus eſt Articulus, qui præponitur. Et *Matth*. 22, 4. τὰ σιτιστὰ τεθυμένα, id eſt, האבוסות. Proindè ברברים אבוסים, unus è *Græcis* reddit ἐκλεκτῶν σιτευτά. Loco, in quo verſamur, aliquo modo parallelus eſt alius *Nehem*. 5, 18. in quo *Nehemiæ* in quotidianum cibum parantur *bos unus, ſex oves electæ, & aves*. *Electa* Hebraicè ſunt ברורות, quæ primâ geminatâ dici potuiſſent ברברות. Idem nempe ſunt ברורות, & ברברות, niſi quod in ברברות, ſignificatio eſt intenſior propter literam geminatam. Itaque ſi ברורות, *electa* ſonat, ברברות eſſent *electiſſima*.

Jam dicam cur ברברים אבוסים, neque *altiles gallinas*, neque *meleagrides*, neque *aves* in genere

eſſe putem. 1. Quamvis in *Hebrais* recentioribus אבס *abas*, dicatur etiam de avibus, quæ ſaginantur: tamen in Scriptura אבוס *ebus*, *pecudum*, aut *jumentorum* eſt *praſepe*, non *avium ſaginarium*. Et indè deductum אבס *abas*, ſolùm pecudibus tribuitur. Hinc cum *Eubœam* inſulam occupârunt qui cum *Cadmo* venerant, ut in *Strabone* habetur, eorum dux אבס *Abas*, dictus eſt, id eſt, *pecudum ſaginator*. Unde *Gracâ* flexione ipſi incolæ *Abantes*. Neque enim aliter eos appellat *Poeta* ſummus. Quomodo etiam inſula à bobus Εὔβοια vocitata, & Ἀργίβοιος *Æliani* libri duodecimi capite trigeſimo ſexto. Nam boum paſcuis jam olim celebrem fuiſſe hanc inſulam docent boves ab *Autolyco* ex *Eubœa* abacti, de quibus *Apollodorus Bibliotheca* libro ſecundo, & *Tzetzes* Chil. 8. Proinde initio belli *Peloponneſiaci Athenienſes* πρόβατα, καὶ ὑποζύγια εἰς τὴν Εὔβοιαν διεπέμψαντο, *oves, & jumenta in* Eubœam *miſerunt*, ut habet *Thucydides* libro ſecundo, & in *Eubœenſium* moneta bovis caput inſculptum fuit. Ità teſtatur *Antonius Auguſtinus* Dialogo tertio *De Numiſmatibus*. Sed de *Eubœa* plura vide in noſtro *Chanaan*. 2. Si per ברברים אבוסים Sacer Scriptor voluit aves ſignificare, de quibus antè nulla mentio, nulla apparet ratio, cur ſolis Epithetis contentus, צפורים, id eſt, *aves*, disertè non nominaverit, ne eſſet dubitandi locus. 3. Quod ipſum de gallinaceo genere poteſt objici. Nam ברברים eſſe *gallos* aut *gallinas* nemo dixerit. 4. Si à *Barbaria* nomen haberent ברבורים, non dicerentur *barburim*, ſed *barbarim*. 5. Et quamvis *Africa* littus Orientale jam olim *Barbaria* nomen habuerit, tamen ævo *Solomonis* jam id in uſu fuiſſe nullâ ratione probari queat. 6. Denique quis credat in cenſum cibariorum *Solomonis* veniſſe potiùs meleagrides, aut *Barbaria* aves, quæcunque tandem fuerint, quam tot alias in *Judaa* natas, & vicinis regionibus, quæ regiæ menſæ indies apponebantur. 7. Sed eò uſque deſcendere non fuit opus. Alioqui piſces etiam, & herbæ, & fructus arborum, & cupediarum omne genus, ſimul cenſeri debuiſſent. Quod ex parte vidit *Joſephus*. Itaque avibus piſces de ſuo addidit. Ταῦτα πάντα, inquit, πάρεξ τῶν ἐπ' ἄγρας ἐλάφων λέγω, καὶ βουβάλων, καὶ τῶν πτηνῶν, καὶ ἰχθύων, ἐκομίζετο καθ' ἡμέραν τῷ βασιλεῖ· *Hac omnia prater feras venatione captas, cervos inquam, & bubalos, & aves, & piſces, Regi indies afferebantur*: lib. 8. cap. 2. *Antiq.*

CAPUT VIGESIMUM.

De Pavonibus.

A claſſe Solomonis *advecti* תוכיים, *non ſunt* cercopitheci, *nec* pſittaci, *ſed* pavones. *Vocis origo à* Mercero *fruſtrà quaſita. Sic dicti pro* כותיים *inverſis literis, id eſt*, Cuthæi, *ſeu* Perſici. *Aves à locis denominata. Pavones etiam* Græcis Perſicæ *&* Medicæ *aves cur dicta, quamvis eorum veri natales in* India. *Vox* תוכיים *inverſa, ut multa alia. Pavonis deſcriptio ex* Tertulliano, *&* Arabibus. *Quid ſit* plumatum Babylonicum. *Pavones quando* Athenis *primò viſi. Horum immane pretium in* Græcia, *&* Romæ. *Quamvis caro parùm ſapiat, & mali ſucci ſit.* Arabibus *avis mali ominis. Viſus à Diabolo ejus ſanguine aſperſa.* רננים Job. 39. v. 16. *non ſunt* pavones, *ut volunt, ſed* ſtruthiones. *Voce* הובנים hobnim, *Ezech.* 27, 15. *neque* pavones, *neque* thus *ſignificari, ſed* ebenum. *O & E permutabiles litera. Ebur & ebenus à* Propheta *quam rectè jungantur. Ebenus cornu lævigato ſimilis. Ebenus in* India, *&* Æthiopia *circa* Meroen. Lucanus *&* Servius *emendati. Ebenus* Æthiopum *tributum.* הבנים *pro* oſſe pavonis, *aut alterius animalis, ineptè ſumi. Cur* Hebræis *vox ſit Pluralis. An quia dua ſpecies hebens? aut hebeni* palanges *intelliguntur? (de quâ voce obiter) Potiùs quia* pretioſa ligna *Hebraicè Plurali voce dicuntur.* Arabibus *lignum* ſiz, *&* ſaſem, *ebenino ſimile. Ut in* Dioſcoride *&* Arriano τὰ σησάμινα ξύλα. *Qua lectio certa, & perperam mutata.*

DE pavone eſt inſignis locus 1. *Reg.* 10, 22. & 2. *Par.* 9, 21. *Semel ſingulis trienniis ibat* (Solomonis) *claſſis in* Tharſis *& afferebat aurum, & argentum, dentes elephantinos, ſimias, & pavones.* Hebræum *pavonum* nomen תכיים *thoucijim*, vel תוכיים *thuccijim*, *Graci* interpretes reliquerunt ἀνερμήνευτον, quia non intellexerunt. Sed *pavones* explicant *Chaldaus*, *Syrus*, *Arabs*, & *Latinus* interpres: & ex *Hebrais* quotquot ſunt alicujus nominis, *R. Selomo*, *R. Levi*, *Kimchius*, *Pomarius*, *Aquinas*. Obſcuri enim & ignoti ſunt, qui apud *Kimchium* in *Lexico* גאטו מימון *gato maimon*, id eſt, *cercopithecum* reddunt. Ita etiam qui *pſittacum*, quod in margine notat *Junius*. Itaque cur hos ſequi maluerit *Deodatius* ὁ μακαρίτης, nullus capio. A recepta verſione recedere parùm tutum eſt, niſi graves cauſæ ſubſint, quales hic nullas video. De vocis origine ita *Mercerus* in *Theſauro*, *Vox videtur peregrina. Etymon enim eſt ignotum. Forſan à percutiendo per Onomatopœiam.* Galli nimirum vocibus *toc, toc*, ὀνοματοποιητικῶς ſonum exprimunt pulſantis fores. Unde *toquer* eſt *percutere*, ut *Italicè toccare*. Sed, ut hæc ferè arbitraria ſunt, *Hebrais* תוך תוך *thoc thoc* dicitur de ſono bullientis ollæ. Sic in *Berachoth* cap. 6. fol. 39. a. דהיב אבי תפי ועביד תוך תוך *Quod poſitum eſt in loco poſitionis* (ollarum ad ignem) *& facit thoc thoc.* Sed quoquo modo intelligas, nihil hoc ad pavonem. Neque ulla poteſt fingi ratio, cur à percutiendo dicatur. Aliud igitur ſentio, nempe pavones inverſâ voce dictos תוכיים *thuccijim*, pro כותיים *cuthijim*, quaſi *Cuthaos* dixeris, ſeu *Perſicos*. Nam *Cuth* (al. *Chuth*) eſt in *Perſide*. *Joſephus Antiquitatum* libro nono ferè in fine, Οἱ δὲ μετοικισθέντες εἰς Σαμάρειαν Χουθαῖοι (τούτῳ γὰρ ἐχρῶντο μέχρι δεῦρο τῷ προσηγορίᾳ, διὰ τὸ ἐκ τῆς Χουθᾶς καλουμένης χώρας μεταχθῆναι, αὕτη δ' ἐστὶν ἐν τῇ Περσίδι, καὶ ποταμὸς τοῦτ' ἔχων ὄνομα.) *Chuthæi in* Samariam *deportati (Sic enim tum appellabantur, quia ex* Chutha *regione tranſlati fuerant, qua regio eſt in* Perſide, *ubi & amnis ejuſdem nominis)* Neque novum eſt, ut aves à locis denominentur. Sic à *Phaſide* dicitur *phaſianus*: *Afra* aves, & *Numidica*, à *Numidia*, & *Africa*: à *Seleucia Seleucides*: *Garamantides* à *Garamantibus*. Et, ne petantur exempla longius, ille ipſe pavo, de quo agimus, paſſim à veteribus *Medica*, aut *Perſica* vocatur avis. *Ariſtophanes* in *Avibus*,

> Ὁ μὲν ὄρτυγα δούς, ὁ δὲ πορφυρίων', ὁ δὲ χῆν', ὁ δὲ Περσικὸν ὄρνιν·

Hic quidem coturnicem dans, ille porphyrionem, alius anſerem, alius Perſicam *avem*. Et ibi *Scholiaſtes*, Τὰ πολυτελῆ πάντα, ὧν μόνος βασιλεὺς ἐχρῆτο, ἐκαλεῖτο Περσικά· καὶ νῦν οὐκ ἰδίως τις ὄρνις Περσικός. τινὲς δὲ τὸν ἀλεκτρυόνα, οἱ δὲ τὸν ταῶν. *Pretioſa omnia, quibus Rex ſolus utebatur, vocabantur* Perſica. *Et nunc non propriè ulla avis* Perſica. *Quidam tamen gallum intelligunt, & alii pavonem.* Et in *Acharnan.* de legatis *Perſicis*,

> Ἥκοντες ἀπὸ Περσίδος ταὼν ἔχοντες ἐληλύθασιν,

cum ex Perſide *profecti eſſent, pavonem habentes venerant.* Suidas, Μηδικὸς ὄρνις, ὁ ταώς· *Medica avis, pavo.* Item, Ταὼς εὐπήληξ, ὁ Μηδικὸς καὶ χρυσόπτερος, καὶ ἀλαζονικὸς ὄρνις. *Pavo bene galeatus, Medica avis aureis alis inſtructa, & ſuperba.* Hinc *Clemens Padag.* lib.

lib. 2. cap. 1. Ὄρνεις ἐπὶ τούτοις συνωνοῦνται τοὺς ἀπὸ Φάσιδος, ἀτταγᾶς Αἰγυπτίας, Μῆδον ταὼν· *Aves præterea coemunt ex* Phaſide, *atta*[illegible] Ægyptios, Medum *pavonem*. Et lib. 3. cap. 4. Ὄρνεις Ἰνδικὰς, καὶ ταὼνας Μηδικὰς ἐκτρέφουσι· *Aves* Indicas, *& pavones* Medicos *nutriunt*. Et *Diodorus* lib. 2. Ἡ μὲν γὰρ Βαβυλωνία ταὼν ἐκτρέφει πλῆθος παντοίαις χροιαῖς ἐπηνθισμένων. Babylonia *enim plurimos nutrit pavones, omnigenis coloribus diſtinctos.* Quamvis enim in *India* fuerint pavonum veri natales, ut alibi probamus: *Medici* tamen, & *Perſici* ideo vocabantur, quòd ex *India* primò in *Perſidem* & *Mediam* transvecti, atque inde in *Judæam Ægyptum, Græciam, Latium*, aliasque orbis regiones paulatim diſperſi ſunt. Quin illi ipſi pavones, quos *Solomonis* claſſis in *Judæam* advexit, potuerunt è *Perſide* peti. Neque enim in triennali illa navigatione, quâ *Taprobanam* ſe conferebant (ut ſuo loco docemus) eos ſemper rectam viam inſtitiſſe veriſſimile eſt. Sed per varia viarum diverticula quæſiiſſe quidquid in rem ſuam erat: etiam in *Perſico* ſinu, ubi celeberrimæ *Phœnicum* inſulæ fuêre, *Tyrus*, vel *Tylus*, & *Aradus*, à *Perſide* parum diſſitæ. Potuit quoque nomen תוכיים *thuccijim*, imponi *pavonibus* poſt *Solomonis* tempora; poſtquam terreſtri itinere cœperunt è *Perſide*, & *Babylone* in *Judæam* advehi.

Jam, quod inverſis literis תוכיים dicti ſunt pro כותיים, res non eſt ſine exemplo, ſive librariorum incuriâ id acciderit, ſive, quod credo verius, certo conſilio ſit factum, ut à gentis nomine avis nomen diſtingueretur. Sic eadem ligna dici videas אלמוגים *almugim*, 1. Reg. 10. v. 11. & אלגומים *algumim*, 2. Paral. 2. v. 8. Eandem urbem, in qua *Joſue* ſepultus eſt, vocari תמנת־סרח *Thimnath-Serach*, Joſ. 24. v. 30. & תמנת־חרס *Thimnath Cheres*, Judic. 2. v. 9. Eundem *Danis* filium חושים *Chuſim*, appellari *Gen.* 46. *v.* 23. & שוחם *Sucham*, Num. 26. v. 42. Virum eundem רחום *Rechum*, Nehem. 12. v. 3. & חרם *Charim*, ibidem verſu 15. Alium שמלי *Samlai*, Eſd. 2. verſ. 46. & שלמי *Salmai*, Nehem. 7. v. 48. Ita *ovis* modo כבש *chebes*, vocatur; modo כשב *cheſeb*. Et *Æthiopes Hebræa* verba quandoque prorſus invertunt. Sic רחם *miſereri* illis eſt ምሕረ: קלס *illudere* illis ሰለቀ: זנק *ſalire* illis ቀነጸ: Itaque eodem exemplo pro כותיים *pavones* dici potuere תוכיים. Tamen hæc pono, non ſtatuo: & liberum unicuique ſuum permitto judicium.

Si pavo eſſet ignotus, quæreremus quid *Solomonem* moverit, ut cum auri & argenti gazis aves non magni uſus è tam longinquo acceſſeret. Aut quorſum id obſervare Sacri Scriptores operæ pretium eſſe duxerint. Sed hæc dubia ſolvit aſpectus avis eximiæ, quæ ad id videtur facta, ut intuentium oculos jucundo paſcat ſpectaculo. Proinde *Varro* naturam aſſerit huic è volucribus formæ dediſſe palmam. Et poſt *Græcos*, qui certatim in ejus deſcriptionem operam ſuam contulerunt, illam ita pingit *Tertullianus*, *De Pallio* cap. 3. *Quanquam & pavo pluma veſtis, & quidem de cataclitis: imò omni conchylio preſſior, quâ colla florent: & omni patagio inauratior, quâ terga fulgent: & omni ſyrmate ſolutior, quâ caudæ jacent. Multicolor, & discolor, & verſicolor. Nunquam ipſa, ſemper alia: etſi ſemper ipſa, quando alia. Toties denique mutanda, quoties movenda.* Sudarunt quoque *Arabes* in eadem palæſtra, in quibus *Alkazuinius*, ترى في وسط كل ريش دايرة من الذهب مخلطة بالزرقة والصفرة والخضرة وغيرها من الاوان التي تلايم بعضها بعضا لينشا من تركيبها *Videbis in medio omnium plumarum ejus circulum aureum mixtum cœruleo, flavo, & viridi, & aliis coloribus, quæ inter ſe conveniunt, ut ex eorum coalitione ſumma pulchritudo exſurgat.* Addit aurum quibusvis coloribus impoſitum nihil eſſe ad hunc ſplendorem, quamvis è terra vix eruatur, nec niſi multo labore expurgetur. Cum avis tam ſpecioſa ex ovo ſponte emergat, & abſque hominum opera. Multo plura habet *Damir*, quæ præterire malui, ne in argumento omnium tritiſſimo lectori ſim tædioſus. Itaque ſufficiet in præſens paucos verſus addere ex *Arabico Poeta* anonymo,

سبحان من خلق الطاوس *
طير في اشكاله رييس *
كانه من نقشه عروس *
في الريش منه ركبت فلوس *
تشرق في دارانه شموس *
في راس منه شجرة مغروس *
كانه ببنفسج يميس *

Gloria ſit illi, qui pavonem creavit, avem ſpecie eximiam, quæ varietate colorum ſponſam refert. Pennis ipſius ſquamæ inſitæ ſunt. In ædibus ejus plures oriuntur ſoles. Super verticem arbuſcula (a) *eſt conſita.* a) Plin. lib. 11. cap. 38. In capite apices pavonibus crinitis arbuſculis. *Tanquam in janthina veſte cum pompa incedit.* Arabicè *tanquam in viola*. Sed ibi *viola* ſumitur pro *veſte violacei*, ſeu *purpurei coloris*, qui inter reliquos in collo & cauda pavonis maximè eminet. Hinc ſupra *Tertullianus*, *Omni conchylio preſſior, quâ colla florent.* Et *Achilles Tatius* lib. 1. Ὁ δὲ τοῦ ταὼ λειμὼν εὐανθέστερος· πεφύτευται γὰρ αὐτῷ καὶ χρυσὸς ἐν τοῖς πτεροῖς, κύκλῳ δὲ τὸ ἁλουργὲς τὸν χρυσὸν περιθεῖ τὸν ἴσον κύκλον. *Pavonis pratum* (prato quovis) *eſt floridius: in ejus quippe pennis etiam aurum inſitum eſt: & aurum ambit purpura pars circulo.* Quò refertur, quòd pavo à *Publio Syro* deſcribitur

Plumato amictus aureo Babylonico.

Ac ſi *Babylonico* ſit idem quod *purpureo*. Quia in *Periplo Arrianus* purpuræ meminit ex *Apologo Babylonis* urbe ad *Euphratis* oſtium. Et τὸν Βαβυλώνιον κόκκον laudat *Philoſtratus* Epiſtolâ 28. ad mulierem. Proinde אדרת שנער *pallium Sinar*, ſeu *Babylonicum*, Joſ. 7. v. 21. *Rabbi Chanina* eſt *pallium* מן פרפרא בבלאה, *ex purpura Babylonica*; & Hieronymo *coccineum*. Sed per *plumatum Babylonicum* nos *varium* intelligimus. Quia, ut ex *Plinio*, & aliis alibi probavimus, *colores diverſos pictu*[illegible]*ere* Babylon *maximè celebravit, & nomen impoſ*[illegible]. Eò nos ducunt hæc *Æliani* de pavone lib. 5. cap. 21. Δεικνὺς φιλοτίμως τὸ τῆς πτερώσεως πολύμορφον ὑπὲρ τὴν τῶν Μήδων ἐσθῆτα, καὶ τὰ τῶν Περσῶν ποικίλματα· *Ambitioſe oſtentans pennarum ſpeciem multiformem, ſupra* Medorum *veſtem, &* Perſarum *varios colores.* Proinde *Antiphon* in oratione *De pavonibus* contra *Eraſiſtratum*, quam citant *Athenæus* lib. 9. & *Ælianus* ubi ſupra, pavones vero nomine, id eſt, ταῶνας nusquam appellat, ſed ſolum ὄρνεις ποικίλας, *aves varias*; quaſi hoc ipſo ab aliis maximè diſtinguantur.

Ex hac eadem oratione collatâ cum vita *Periclis* apud

apud *Plutarchum* colligitur circa *Periclis* ætatem pavones ali cœpiſſe *Athenis* in *Demi* cujusdam ædibus, *Pyrilampis* filii, qui magnum ex eo quæſtum fecit. Eos enim certo pretio videndos exhibebat ſingulis noviluniis. Et ad hoc ſpectaculum ex *Lacedæmone*, & *Theſſalia*, id eſt, ex utrisque *Græciæ* extremis, curioſi confluebant. Idem pavonini generis marem & fœminam vendidit mille drachmis. Quin in *Græcia* pavones nondum vulgares erant ævo *Alexandri*, qui, teſte *Æliano*, ἐν Ἰνδοῖς ἰδὼν τοὺς ἢ τοὺς ὄρνιθας ἐξεπλάγη, καὶ τὸ κάλλος θαυμάσας, ἠπείλησε τῷ καταθύσαντι ταὼν ἀπειλὰς βαρυτάτας, *illas aves in* Indis *videns obſtupuit, & ſpeciem admiratus, in eos qui has occiderent gravem pœnam conſtituit.* Ita *Romæ Hortenſius*, ut idem refert, καταθύσας ἐπὶ δείπνῳ ταὼν πρῶτος, ἐκρίθη, *cùm in cœna pavonem primus mactaſſet, in jus vocatus eſt*: aut, ut alii legunt, κατεκρίθη, *damnatus eſt*, ſeu *mulctatus*. Tamen, prævalente luxu, *Hortenſium* ſequuti multi extulerunt pavonum pretia. Ita ut in *Varrone Merula* ova eorum aſſerat ſuo tempore denariis veniſſe quinis, ipſos facile quinquagenis. Et ex pavonum gregibus *M. Aufidium Lurconem* ſupra ſexagena millia nummûm annui redditus confeciſſe. Quamvis enim pavonis caro gallinæ carne non plus ſapiat, tamen multo pluris fiebat pavo propter caudam, & pennas; quaſi ad palatum hoc pertineret, aut cum carne pennas ediſſent. Quam helluonum ſtultitiam *Horatius* his verbis ſalſe deridet lib. 2. *Satyra* 2.

Vix tamen eripiam, poſito pavone, velis quin
Hoc potius quàm gallinâ tergere palatum,
Corruptus vanis rerum: quia veneat auro
Rara avis, & pictâ pandat ſpectacula caudâ.
Tanquam ad rem attineat quidquam. Num veſceris iſtâ
Quam laudas plumâ? Cocto num adeſt honor idem?
Carne tamen quamvis diſtat nihil, hâc magis illa
Imparibus formis deceptum te patet. - - -

Neque enim ſapore, ſed pretio æſtimabantur hæ dapes: neque aliâ de cauſa exquirebantur, quam quia carius venibant, ut ex *India* allati pſittaci. *Claudianus* in *Eutropium* lib. 2.

Qui ventrem invitant pretio, traduntq; palato
Sidereas Junonis *aves, & ſi qua loquendi*
Gnara coloratis viridis defertur ab Indis.

Quid quod in *Symeone Sethi* pavonis caro ἰνώδης, καὶ περιττωματικὴ, καὶ δυσπεπτος, καὶ κακόχυμος, *fibroſa, excrementitia, concoctu difficilis, & mali ſucci*? Quomodo in *Galeno* σκληροτέρα, καὶ δυσπεπτοτέρα, καὶ ἰνωδεστέρα. Et in *Damire*, لحمة عسر الهضم ردي المزاج وهي يولد كيموسا غليظا *Caro ejus difficilis eſt concoctionis, mali temperamenti, & craſſum chymum generat.* In *Avicenna*, لحوم الطواويس صلبة *Carnes pavonum duræ ſunt.* In *Meſue*, ردي المزاج *mali ſucci*, unde *Juvenalis Satyrâ* primâ,

- - - *crudum pavonem in balnea portas:*
Hinc ſubitæ mortes, atq; inteſtata ſenectus.

Itaque præter eximiam illam ſpeciem cauſa nulla fuit, cur pavo apud veteres tanti fieret. Quin pavonem, quamlibet formoſum, tamen avem eſſe mali ominis ſibi fingunt *Arabes*: quia, ut fabulantur, كان سببا لدخول ابليس الجنة وخروج ادم منها *Cauſa fuit, cur in Paradiſum ingrederetur Diabolus, & ex eo egrederetur* Adam. Sed quâ ratione nondum reperi. Ejusdem farinæ eſt, quod refert incertus auctor روضة العلما *Viridarii doctorum*, vitem quatuor animalium ſanguine à Diabolo fuiſſe aſperſam: nempe pavonis, cùm primùm conſita eſt: ſimiæ, cùm incepit folia edere: leonis, cùm protruſit uvas: porci denique, jam matureſcente fructu. Atque inde eſſe, quòd qui vinum bibit 1. ut pavo fit venuſtior: 2. in ſimiæ modum ludit, ſaltat, geſticulatur: 3. leonis inſtar furit: 4. ut porcus

- - - *jacet ſomno vinoq; ſepultus.*

Dei verba *Job.* 38. *v.* 16. כנף רננים נעלסה, poſt *Kimchium*, & *Pomarium*, plerique recentiorum explicant, *Ala pavonum exultat.* Quaſi de pavonibus agatur, qui pennarum pulchritudine ſuperbiunt; cum eo loco רננים ſint *ſtruthiones*, non *pavones*: quod in tractatu *De ſtruthione* multis probamus: nec ullâ ratione niti, qui pavones interpretantur, quamvis hodie hujus vocis expoſitio nulla ſit receptior.

Nihilo magis placet, quod *Ezech.* 27. *v.* 15. *Hebræa* voce הבנים *hobnim*, *pavones* ſignificari voluit *Chaldæus* interpres. Quamvis id ſequatur *R. Selomo.* Et reliqui *Hebræorum* ambigant. Et è noſtris *Santes Pagninus* totum hunc locum ſic reddiderit; *Filii* Dedan *negotiatores tui. Inſulæ multæ negotiatio manus tuæ. Cornua eburnea & pavones reddiderunt in munus tuum. Græci* (quos ſequitur *Arabs*) & *Syrus* hoc idem verbum videntur pravè legiſſe. Illi enim reddunt τοῖς εἰσαγομένοις, *illis, qui introducuntur*, id eſt, הובאים. Hic לבונתא, *thus*, quod *Hebraicè* eſſet לבנה. Itaque ſoli veterum *Symmachus*, & *Hieronymus* viderunt הובנים *hobnim*, eſſe *hebenum*. Quam interpretationem multa confirmant. Primò enim *hobnim*, & *hebenus*, ſunt voces non abſimiles. In principe ſyllaba Vocales O & E permutatæ ſunt, quod frequens eſſe omnes ſciunt. *Priſcianus* lib. 1. *O tranſit in E, ut tutor tutela, bonus bene,* γόνυ *genu,* ποῦς *pes. Antiqui* compes *pro* compos. *In quo Æoles ſequimur. Illi enim* ἰδόντα *pro* ὀδόντα *dicunt. Quintilianus* lib. 1. cap. 7. *Quid dicam* vortices *&* vorſus, *cæteraque ad eundem modum, quæ primò* Scipio Africanus *in E literam ſecundam vertiſſe dicitur.* Hinc iidem Ὀσωνοὶ & Ἐσωνοί. Et à *Ptolomæo* dicitur Ὀρκύνιος δρυμὸς, qui aliis Ἐρκύνιος, id eſt, *Hercynia ſylva.* Secundò, קרנות שן והובנים, *cornua eboris, & ebenus*, in *Propheta* rectè junguntur, tanquam merces aliquo modo homogeneæ, quamvis unum ex animali, alterum ex arbore petatur. Quippe, ut notat *Fullerus* in *Miſcellaneis* lib. 6. cap. 14. utrique eſt extremus color eodem excellentiæ gradu. Ebori videlicet pulcherrimi candoris, hebeno ſpecioſiſſimi nigroris. Utrumque politiſſimum, nitidiſſimum, & incomparabili lævore conſpicuum. Unde eſt, quod in eosdem uſus ferè adhibentur; & ex utroque arcus fiunt, pectines, tabulæ luſoriæ, cultrorum manubria, *&c.* Tertiò, verba *Ezechielis* ſic reddi queant, *cornua* (elephantini) *dentis, & hebens*, ſecundo caſu, ita ut vox קרנות *cornua* ad utrumque pertineat. Nam ut *ebur cornu* vocatur propter ſimilitudinem, quam habet cum vero cornu, hebenus quoq; potuit eadem καταχρηστικῶς cornu vocari, cùm à *Dioſcoride* deſcribatur ἐμφερὴς κέρατι εἰργασμένῳ τῇ λειότητι, *levore cornu levigato ſimile.* Et ab *Iſidoro lignum nigrum, leve, & corneum.* Et ab *Avicenna* يشبه في ملاسته قرنا محكوكا وقيل مخروطا *levore ſuo referens cornu levigatum, aut, ut alii dicunt, dedolatum.* Hebenus igitur dici potuit cornu καταχρηστικῶς. Non tamen *dentem* dixerim cum *Hieronymo*, qui hic habet, *dentes eburneos & ebeninos.* Quartò, in

in iiſdem locis naſcuntur ebur, & ebenus. Nam, ut elephantes in *Indicos* & *Æthiopicos* diſtinguunt *Polybius*, *Plinius*, *Philoſtratus*, & apud *Pindari Scholiaſtem Amyntianus* in libro *De elephantis*: ſic ebenum in *India*, & *Æthiopia* naſci tradunt *Dioſcorides*, *Plinius*, *Iſidorus*. Atque ut *Indica* ebeni ſpeciatim meminerunt *Theophraſtus*, *Arrianus*, & *Ennodius*; ita *Æthiopica Herodotus*, *Diodorus*, *Mela*, *Avicenna*, & *Nubienſis Geographus*. Quibus ne opponas hæc ſummi vatis *Georgicorum* lib. 2.

- - - - - - - - *ſola* India *nigrum*
Fert ebenum: - - - - - -

ſciendum *India* nomine etiam *Æthiopiam* intelligi. Hinc ad illum locum *Servius*, Indiam *omnem plagam* Æthiopiæ *accipimus*. Quod veriſſimum eſſe docent hæc ejuſdem *Poetæ* de *Nili Origine* lib. 4. *Georgicorum*,

Uſque coloratis amnis devexus ab Indis,

Id eſt, ex intima *Æthiopia*. Sunt, qui *Indicæ* & *Æthiopicæ Ægyptiam* ebenum addunt, tanquam auctore *Lucano*, cujus verba ſunt lib. 10.

- - - - - - *ebenus* Mareotica *vaſtos*
Non operit poſtes. - - - - - -

Mareotica, id eſt, ex *Mareotide Ægypti* parte, ut volunt, prope *Alexandriam*. Quibus conſona hæc *Servii*, *Atqui & in* Ægypto *naſcitur ebenus*. Sed utrobique mendum eſt. Nam in *Lucano* legendum *Meroitica*, quod egregiè probat Cl. *Salmaſius* in *Solinum*; quia infra habetur in eodem *Lucani* libro,

- - - - *nigris* Meroe *fœcunda colonis*,
Læta comis ebeni. - - - - - -

Proinde *Diodorus* lib. 1. ubi de inſula *Meroe*, Πρὸς δὲ τούτοις (λέγουσιν) ἔχειν πλῆθος ἐβένου, *Eam inſuper ajunt copiam habere ebeni*. Et *Plinius* allatam fuiſſe *Neroni* memorat *raram arborem ebenum*, Meroen *usque à* Syene *fine imperii* (petitam) *per nongenta nonaginta ſex millia paſſuum*. Sed & in his *Servii*, *Atqui & in* Ægypto *naſcitur*, mendum eſt manifeſtum. Omnino enim ſcripſerat, *Atqui & in* Æthiopia *naſcitur*, quod ſequentia docent, *Sed* Indiam *omnem plagam* Æthiopiæ *accipimus*. Quæ erunt ἀνακόλουθα, ſi legamus, *in Ægypto*. Hæc enim habet *Servius* ad *Virgilii* locum, de quo ſupra,

- - - - - - - - *ſola* India *nigrum*
Fert ebenum. - - - - - - -

Quem verum eſſe contendit, etſi ebenus etiam in *Æthiopia* naſcatur; quia *India* nomen *Æthiopiam* complectitur. At, ſi ebenum in *Ægypto* naſci dixeris, nulla erit hæc excuſatio. Aliud enim *Ægyptus*, aliud *Æthiopia*. Nec quiſquam eſt, qui *India* nomine *Ægyptum* intelligat. Quintò ebenus & ebur una cum auro perpetuum fuit *Æthiopum* tributum. Hinc apud *Diodorum* lib. 1. pag. 35. cum *Ægyptiorum* Rex antiquiſſimus *Seſooſis* (al. *Seſoſtres*) *Æthiopes* debellâſſet, ἠνάγκασε τὸ ἔθνος φόρους τελεῖν, ἔβενον, καὶ χρυσὸν, καὶ τῶν ἐλεφάντων τοὺς ὀδόντας, *genti pro tributo impoſuit ebenum, & aurum, & elephantorum dentes*. Quæ eadem ab iiſdem *Æthiopibus* exegiſſe *Perſæ* leguntur. *Herodotus Muſa* 3. cap. 97. Ἀγινέουσι δὲ καὶ τὸ μέχρι ἐμεῦ δύο χοίνικας ἀπύρου χρυσίου, καὶ διηκοσίας φάλαγγας ἐβένου, καὶ ἐλέφαντος ὀδόντας μεγάλους εἴκοσι· *Ad meam usq; ætatem* (*Æthiopes Perſis* pro triennali tributo) *vehunt duos chœnices auri apyri* (id eſt, ignem nondum experti) *& ducentas ebeni phalangas, & magnos elephantis dentes viginti*. Nempe horum trium ferax eſt regio, ut idem ſcribit cap. 114. Αὕτη δὲ χρυσόν τε φέρει πολλὸν, καὶ ἐλέφαντας ἀμφιλαφέας, καὶ δένδρεα πάντα ἄγρια, καὶ ἔβενον· *Hæc auri multum fert, & elephantes ampliſſimos, & ſylveſtres arbores omne genus, & ebenum*. *Plinius* quoque libri 12. cap. 4. ubi de ebeno, aſſerit *tributi vice Regibus* Perſidis *è materie ejus centenas palangas tertio quoq; anno penſitaſſe* Æthiopes *cum auro, & ebore*. Et in *Ptolemæi Philadelphi* pompa apud *Callixenum Rhodium Æthiopes* hæc eadem geſtaſſe referuntur. Ἐχόμενοι τούτων ἦσαν (inquit) Αἰθίοπες δωροφόροι, ὧν οἱ μὲν ἔφερον ὀδόντας ἑξακοσίους, ἕτεροι δὲ ἐβένου κορμοὺς δισχιλίους, ἄλλοι χρυσοῦ καὶ ἀργυρίου κρατῆρας ἑξήκοντα, καὶ ψήγματα χρυσίου. *His juncti erant* Æthiopes *dona ferentes, quorum alii quidem ſexcentos* (elephantorum) *dentes ferebant, alii ebeni ſtipitum duo millia, alii ſexaginta auri & argenti crateres, & auri ramenta*. Proinde in feſto *Adonidis*, *Alexandriæ* ſub eodem Rege cum magna pompa celebrato, *Syracuſanæ* mulieres, viſo ebeno, & auro, & ebore multo, in hæc verba prorumpunt, *Idyll*. 15. verſu 123.

ὢ ἔβενος, ὢ χρυσὸς, ὢ ἐκ λευκῶ ἐλέφαντος
Αἰετοὶ!

O ebenum, ô aurum, ô ex albo ebore aquilæ! Quin & *Romæ*, ut docet *Plinius*, *in tributorum auctoritate tertia res fuit ebenus*. Sextò, quamvis *Hebræi Chaldæo* Paraphraſti multum deferant, cui הבנים *hobnim*, ſunt *pavones*: tamen agnoſcunt nonnullos *ebenum* interpretari, & inter utramque ſententiam ambigui ſunt. Hinc *Kimchius* in *Commentariis*, הובנים פירשו בו העץ הנקרא בערבי אבנוס, Hobnim *lignum interpretantur, quòd* Arabicè *vocatur ebenus*. Melius quàm in *Lexico* יבנים, *jabnim*, aut *jebenim*. Et *Abarbanel*, פירשו בו שהוא העץ הנקרא בערבי אבנוס שמביאין גם כן מארצות המזרח. *Lignum explicant, quod* Arabicè *dicitur evenus, quod etiam* (ut ebur) *ex Orientalibus terris afferunt*. *Mardochæus*, & *Aquinas*, עצם חיה מה או מין עץ, *Os animalis alicujus, aut ligni ſpecies*. Quòd *os animalis* eſſe dictitant, tertia eſt ſententia, quam in *Lexico Kimchius* ita explicat, הבנים הם חיות שעושין מלאכה מהעצם שלהן או מהקרנות כמו שעושין מעצם הפיל שהוא השן, Hobnim *ſunt animalia, ex quorum oſſibus, aut cornibus, quædam opera fiunt, quomodo ex oſſe elephantis quod eſt ebur*. Sed tertiam hanc ſententiam idem reducit ad primam; quæ *hobnim pavones* explicat, addens fieri poſſe, שיעשו מלאכה מעצם שלהם. *ut ex eorum oſſibus opus aliquod fiat*. Ut ex ebore ſcilicet, quocum hic jungitur הבנים *hobnim*. Quod monſtrum eſt opinionis. Quis enim unquam fando audiit pavonum oſſa ſcalpi, aut ſculpi, aut ad ullum opus eboris inſtar adhiberi? Itaque hoc ipſum, quod qui הבנים *hobnim*, volunt eſſe *pavones*, ad tam abſurda commenta delabuntur, docet quantò ſanius ſentiant, qui ebenum hic intelligunt, in qua verſione nihil eſt, quod non quadret ad amuſſim.

Tamen unum poteſt objici, nempe Plurale eſſe *Hebræum* הבנים *hobnim*, cum ebeni vox ſit ſolum Singularis. Variè quidem illa flectitur, & ſcribitur. Dicitur enim hæc *ebenus*, vel *evenus*, vel *hebenus*, & hoc *ebenum*, vel *evenum*, vel *hebenum*. Et *Græcè* ἡ ἔβενος, vel ἔβελος, ut in *Suida*; vel ἐβένη, ut in *Theophraſto*. Sed in Plurali ἐβένους *Græcè* ſolus dixit *Symmachus*: & *Latinè ebenos*, vel *ebena* ſoli, quod meminerim, *Arias*, & *Mercerus* in hujus loci interpretatione. Reſpondet *Junius* Plurali numero ab *Hebræis* appellari; quia duo ſunt genera ebeni. Nempe ita docet *Theophraſtus Hiſt*. lib. 4. cap. 5. ubi de *India* arboribus, Ἴδιον δὲ καὶ ἡ ἐβένη τῆς χώρας ταύτης. Ταύτης δὲ δύο γένη, τὸ μὲν εὔξυλον, καὶ καλόν· τὸ δὲ φαῦλον. σπάνιον δὲ τὸ καλὸν, θάτερον δὲ πολύ. Τὴν δὲ χρόαν οὐ θησαυριζομένη λαμβάνει τὴν εὔχρουν, ἀλλ' εὐθὺς τῇ φύσει. ἔστι δὲ τὸ δένδρον θαμνῶδες, ὥσπερ ὁ κύτισος. *Eſt & ebenus hujus regionis propria. Illius autem duo ſunt genera: unum ligni præſtantis, & bonum; alterum malum. Rarum verò eſt illud, quod bonum, at alterum frequens. Nec bonum colorem accipit ebenus recondita, ſed ſtatim à natura habet. Fruticis porrò inſtar eſt, ut cytiſus*. Hanc veram eſſe mentem *Theophraſti* multis probat in *Solinianis Salmaſius*, non qualem *Plinius* libri duodecimi capite quarto illi affingit his verbis: *Duo genera*

nera ejus. Rarum id, quod melius arboreum, trunco enodi, materie nigri ſplendoris, ac vel ſine arte protinus jucundi. Alterum fruticoſum cytiſi modo, & tota India *diſperſum.* Bona ebenus non dicitur ἔυξυλος, quia eſt arborea, id eſt, magna ut arbor, ſed à ligni præſtantia. Neque malæ proprium, ſed utrique commune, quod ſit θαμνώδης. Et ibi θαμνώδης non ſonat *fruticoſum*, id eſt, multis virgultis denſum, ſed fruticis modo ſe habens, quomodo arbuſta omnia. *Dioſcorides* etiam duo ebeni genera facit, ſed quæ pro ratione loci ita diſtinguit; Ἔβενος κρατίστη ἡ Αἰθιοπικὴ, καὶ μέλαινα, καὶ μὴ ἔχουσα κλυδόνας· *Ebenus optima eſt* Æthiopica, *& nigra, venas in pectinis modum diſcurrentes non habens. Arabs* interpres طبقات vocat. Et paulo poſt, Ἔστι δέ τις καὶ Ἰνδικὴ, ἔχουσα διαφύσεις λευκὰς, καὶ κιῤῥὰς, καὶ σπίλους ὁμοίως πυκνούς· πολὺ βελτίων ἡ πρώτη. *Eſt & alia* Indica, *candidis & rutilis intercurrentibus lineis, crebris etiam maculis. Sed prior eſt melior.* Ita etiam *Iſidorus*, *Ebenus in* India *&* Æthiopia *naſcitur, qua caſa dureſcit in lapidem, cujus lignum nigrum eſt, & cortex levis ut lauri. Sed* Indicum *maculoſum eſt, in parvis diſtinctionibus albis & fulvis.* Æthiopicum *vero, quod præſtantius accipitur, in nullo eſt maculatum, ſed nigrum, leve, & corneum.* Et *Serapio*, *Ejus duæ ſunt ſpecies, ſcilicet* Abſi, *&* Inda. *Et* Abſi, *eſt lignum nigrum, non habens lineationes*, &c. *In* Indo *vero ſunt lineationes albæ, & coloris ſubruſi*, &c. Quæ ex *Dioſcoride* ſumpta ſunt. *Abſi* eſt حبشي *Habaſi*, id eſt, *Æthiopicum*. His omnibus id commune eſt, quod ebeni nonniſi duas ſpecies agnoſcunt. Quò non pertinet *Hebræum* הבנים *hobnim*, quia Plurale, non Duale nomen eſt. Nam Duale eſſet *hobnajim*. Itaque aliud quærendum. Et *Fullerus* quidem hoc Plurale refert ad ebeni palangas, quæ ex *India*, & *Æthiopia* magno numero afferebantur. Φάλαγγας vocant *Herodotus* & *Arrianus* in *Periplo*. Plinius *palangas*, aut *phalangas*, variante ſcripturâ, id eſt, fuſtes teretes, ut qui navibus ſupponuntur, aut quibus idem onus plures bajulant. *Pollux* lib. 7. cap. 33. § 9. Τὰ δὲ τῶν νεῶν ξύλα, οἷς ὑπελκυσθεῖσιν ἐφέλκονται αἱ νῆες, φάλαγγες, καὶ φαλάγγια. Heſychius, Φαλάγγια, στρόγγυλα ξύλα, καὶ σύμμετρα. Nonnius, *Palangæ dicuntur fuſtes teretes, qui navibus ſubjiciuntur, cum attrahuntur ad pelagus, vel cum ad littora ſubducuntur.* Gloſſæ, *Phalangarii*, Οἱ ταῖς δοκοῖς ἀποκρεμῶντες βάρη, καὶ πλείονες ἅμα βαστάζοντες. Rurſus *Nonius*, *Palangarios dicimus, qui aliquid oneris fuſtibus transvehunt.* Origo vocis videtur eſſe *Hebraica*. Nam *Hebraicè* פלך *pelec*, vel ἀρχαϊκῶς *phelec*, eſt *baculus*, 2. Sam. 3. v. 29. Et *Arabicè* فلك phalaca *rotundum eſſe*. Itaque hunc φάλαγγας *phalanges*, vel *palanges*, dici potuêre baculi teretes ebenini, quos *Tyrii* mercatores פלכין *pelakin*, aut *phelakin* appellabant. *Callixenus* lib. 5. *Athenæi* nominat ἐβένου κορμοὺς, *ebeni ſtipites*. *Apulejus Apologia* prima *hebeni baculos*, quamvis ibi *loculos* legere quidam malint. Hos igitur, ſive baculos, ſive κορμοὺς, aut has ebeni palangas Plurali voce הבנים *hobnim*, ſignificari putat *Fullerus*. Sed viri docti videntur hic fruſtra ſe fatigare, cum hujuſmodi pretioſa ligna *Hebræi* vix aliter quàm Plurali voce nominent. Sic arbor, ex qua arca fabricata eſt, Singulari numero ſemel שטה *ſitta* dicitur *Eſ*. 41. v. 19. Sed Plurali שטים *ſittim*, in *Exodo* plus vigeſies. Et arbor alia, ex qua tigna & fulcra facta ſunt in Templo *Solomonis*, citharæque, & nablia cantorum, nonniſi Plurali voce dicitur אלגומים *algumim*, vel אלמגים *almugim*, 1. *Reg*. 10. *v*. 11. 12. & 2. *Paral*. 9, 10. 11. Et in *Chaldæis* Paraphraſibus *Jonathanis* & *Jeruſalem*, Gen. 50. v. 1. *Joſephus patrem ſuum decumbere fecit* בערס דסנדפין, *in ſponda ex ſindaphin*, id eſt, ut volunt, in lecto facto ex præſtantiſſimi ligni genere, Plurali voce ſic dicti. Et ego ſuſpicabar olim à duobus *Ægypti* pagis سندف *Sendapha* nomine ſic appellari. Tamen in Tractatu *De Elephanto* ſupra alia habetur hujus vocis verior expoſitio.

Obiter notandum in *Arabum* libris memorari quædam ligna ebeno tam ſimilia, ut illa pro ebeno nonnulli ſumant. In his lignum شيز *Siz*, vel شيزي *Siza*, à loco ſic appellatum: & lignum ساسم *ſaſem*, vel سمسم *ſemſem*, & in Plurali سماسم *ſemaſim* eodem nomine dictum, quo ſeſamum, quamvis à ſeſamo diverſiſſimum. Quò hæc pertinent in *Alcamus*, الشيز والشيزي خشب اسود للقصاع وهو الابنوس والساسم او خشب الجوز وناحية بارض بادر بيجان Siz, *vel* Siza, *nigrum lignum ad patinas conficiendas. Aut eſt ebenus, aut* ſaſim, *aut lignum nucis, & regio quadam in terra* Adarbigian (id eſt, *Atropatia Strabonis*, & *Ptolemæi Atropatena*) ex qua nempe hoc lignum affertur, & nomen ſumit. Idem alibi, الساسم شجر اسود او الابنوس او الشيز او شجر يعمل منه القسي Saſim, *arbor nigra, aut ebenus, aut* ſiz, *aut arbor, ex qua fiunt arcus. Damir* in capite *De* سمسمة *ſimſima*, quod formicæ rubræ genus eſt, ut *Chaldæis* שומשמנא, dicit hoc idem lignum سمسم *ſemſem* vocari, & Plurali سماسم *ſemaſim*, quod probat ex his pſeudo-Prophetæ verbis de الجهنميين, id eſt, de iis, qui in gehenna torquentur, تخرجون من النار بعد ان يكونوا فيها فيخرجون كانهم عيدان السماسم *Exibunt ex igne poſt aliquam in eo moram; exibunt,* inquam, *tanquam ligna ſemaſim*, id eſt, pariter nigri propter aduſtionem ex igne. In quæ verba Commentatores multa afferunt abſurdiſſima. Sed peritiores agnoſcunt ligna *ſemaſim* eſſe ebenina ligna, aut ebeno atrore ſimilia, ita ut exuſta videantur. Unde lux his *Dioſcoridis* in capite *De ebeno*, Ἔνιοι δὲ τὰ σησάμινα, ἢ ἀκάνθινα ξύλα ἐμφερῆ ὄντα, ἀντὶ ἐβένου πωλοῦσι· Quæ *Marcellus Virgilius* ita reddidit, *Vendunt pro ebeno quidam ſpinæ* Indicæ, *aut mori, fallente ſimilitudine, materiam.* Putat nempe pro σησάμινα legendum συκάμινα, quia ſeſamum nihil habet commune cum ebeno. Sed neque ſycaminus, ſeu ſycomorus, niſi quòd utrumque lignum eſt. Cave igitur ne quidquam mutes. Aliud enim hic *ſeſamina* quàm vulgò. Nempe ligna illius arboris, quæ *Arabicè ſaſim*, & *ſemſem* appellatur, & in Plurali *ſemaſim*. Itaque *Dioſcoridis Arabs* interpres hic rectè habet ومن الناس من ياخذ اغصان خشب بعض اصناف الشوك والخشب الذي يقال له سيساما فيبيعه

فيبيعه بدل الابنوس لانه شبيه به

Sunt, qui ſumunt lignum cujuſdam ſpinæ ſpeciei, & lignum, quod ſeſamum vocant, & pro ebeno vendunt, quia illi ſimile eſt. Quid quod præter *Dioſcoridem* etiam *Arrianus* in *Periplo* meminit φαλάγγων σησαμίνων, καὶ ἐβενίνων, *palangarum ſeſaminarum, & ebeninarum*, quæ ex *India* urbe *Barygaſis* in *Perſidem* afferuntur. Itaque hæc lectio certa eſt, & indubitata.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

De voce צפור *tſippor*, quæ & quasvis aves ſonat, & ſpeciatim *paſſerem*. Hujus ſpecies juxta *Arabes*, & de paſſere domeſtico, & ejus pipitu.

Merceri, *& aliorum error voce* צפור tſippor, *non niſi minutiores aves ſignificari. Extendi etiam ad maximas hanc vocem. Origo vocis. Tamen etiam* paſſerem *ſonat. Ità* στρουθὸς, *&* paſſer, *voces ambiguæ.* Paſſer *unde dicatur. Paſſerum ſpecies apud* Arabes *acanthis, corydalus, philomela, alauda,* &c. *Paſſeris domeſtici deſcriptio ex* Damire. *Pipire paſſerum more* צפצף, στρουθίζειν, Eſ. 10, 14. *Paſſer unde* Normanis *moiſſon.*

INter ſenilis ætatis incommoda, quæ graphicè depingit *Solomon*, hoc quoque recenſetur *Eccleſ.* 12, 6. quod excitatur, & ſurgit לקול הצפור, *ad vocem tſippor*, ſeu *avis*, id eſt, *galli*, ut multi putant. Quos doctiſſimus *Mercerus* ità refellit, *Qui gallum intelligunt, ad cujus vocem excitetur, vim vocis* Hebraicæ צפור (tſippor) *non intelligunt, quæ aviculam ſignificat*, &c. *nec de majoribus avibus dicitur.* Et idem in *Theſauro*, צפור (tſippor) *ſignificat minutiores aves*, &c. עוף (oph) *autem generaliter eſt avis, aut volucris.* Et *Schindlerus*, צפור (tſippor) *avicula circumvolitans, aut quæ in aëre gyratur. Comprehendit aves minores, & harum frequentiorem hominibus paſſerem, avem communiſſimam.* Ità etiam plerique alii recentiores *Lexicographi*. Et in *Philonis* Libro, *Quis rerum divinarum ſit hæres, Sepphora* eſt ὀρνίθιον *avicula.* Tamen apud *Hebræos* עוף *oph*, & צפור *tſippor*, ſunt æquè generalia: & omnes omnino volucres complectitur utrumque nomen. Hinc *Kimchius*, & *Pomarius* in *Lexicis* ſuis ad vocem צפור *tſippor*, שם כולל לכל עוף, *omni avi commune nomen eſt.* Et *Aquinas*, שם כולל לכל מיני עוף שיעופף, *Nomen hoc complectitur omnem avis ſpeciem, quæ volat.* Quod veriſſimum eſſe apparebit conferenti loca Scripturæ. Nam *Deut.* 4, 17. cum Deus coli prohibet תבנית כל צפור כנף אשר תעוף בשמים, *ſimilitudinem omnis* tſippor *alatæ, quæ per cœlum volat*, quis ſolum prohiberi dixerit avicularum cultum, non etiam majorum avium? & *Deut.* 14, 11. cum idem Deus concedit eſum כל צפור טהורה, *omnis* tſippor *mundæ*, an ſolùm aviculas conceſſiſſe dicetur, non gallinas, & meleagrides, & phaſianos? Aut quis unquam ad aviculas reſtrinxit legem, quæ habetur *Deut.* 22, 6. *Si obviam tibi fiat* קן צפור, *nidus* tſippor *in ulla arbore, aut humi, nidus pullorum, aut ovorum, ubi mater incubet pullis, aut ovis, ne accipito matrem cum pullis?* Rurſus quis negaverit omnes aves ſignificari, cum Deus homini ſubjeciſſe legitur *beſtias agri*, צפור שמים, tſippor *cœlorum, & piſces maris*, Pſal. 8, 8, 9? Aut cum ad celebrandum Deum invitantur *feræ, & jumenta omnia, reptilia*, צפור כנף, *&* tſippor *alata*, *Pſal.* 148, 10? Aut cum in myſticæ arboris ramis habitare leguntur כל צפור כל כנף, *omnis* tſippor, *omne alatum*, Ezech. 17, 23. Et Plurali numero צפרי שמיא, tſippare *cœlorum*, Dan. 4, 9. 18? Denique rapaces aves, quæ ferè ſunt multò maximæ, hoc nomine deſignari patet, cum *Ezech.* 39, 4. 17. copias *Gog* & *Magog* Deus tradit vorandas לעיט צפור, *rapaci* tſippor & לצפור כל כנף, *omni* tſippor *alatæ*. Et *Daniel. c.* 4, 20. ubi *Babylonii* Regis ungues creviſſe dicuntur כצפרין, *ut tſipparin*, id eſt, ut rapacium avium ungues, quæ ab unguium curvatura & amplitudine *Græcè* dicuntur γαμψώνυχες. Itaque palam eſt extendi nomen צפור *tſippor*, etiam ad maximas aves. *Rabbi Moſes* filius *Gerſom* aves ità dici contendit; שבעלות השחר מתחלות לרנן ולצפצף, *quia ad ortum auroræ canere & minurire incipiunt.* Ego non quidem à cantu, qui non eſt communis omnibus, ſed à צפר, id eſt, *manè*, dici autumo; quia ſolenne eſt avibus ſummo manè ſurgere, ſive canoræ ſint, aut non canoræ: cum feræ tum altum dormiant, quia noctem ducunt inſomnem, *Pſal.* 104, 20.

Sed, utut omnibus avibus commune ſit nomen צפור *tſippor*, tamen *Hebræi* aſſerunt quandoque hoc eodem nomine *paſſerem* ſpeciatim ſignificari. *Kimchius* in *Pſal.* 84, 4. צפור הוא עוף קטן וקורין לו בלעז פשרא, *Et tſippor (ibi loci) parva eſt avis, quam vulgari lingua (id eſt, Hiſpanicâ) vocant paxaro (id eſt, paſſerem.)* Hinc *Pomarius*, קמחי אומר שלפעמים יוקח בעד עוף קטן שקורין לו בלעז פאסרו. *Dixit* Kimchius *aliquando ſumi pro avicula, quam vernaculo (ſeu Italico) ſermone vocant paſſaro.* Aquinas הוא שם מין עוף מה, *Nomen eſt certæ avis ſpeciei.* Et paulò pòſt, הוא עוף קטן וידוע, *Eſt avicula nota*, nempe paſſer. Proinde ut *Hieronymus* *paſſerem* reddit *Levit.* 14, 4. ità etiam vetus interpres *Pſal.* 10, 1. & 83, 4. & 101, 8. & 103, 16. & 123, 7. *Græcos* ſequutus, qui στρουθίον exponunt in iiſdem *Pſalmorum* locis, & *Eccleſ.* 12, 6. & *Thren.* 3, 52. Et viciſſim *Græcum* στρουθία, id eſt, *paſſeres*, *Matth.* 10, 29. & *Luc.* 12, 6. Syrus ܨܦܪ̈ܝܢ *tſipparin* interpretatur: pro quo *Arabs* عصافير *atſaphiro.* Illis enim عصفور *otſphur* eſt *paſſer*, voce factâ ex צפור *tſippor*, gutturali præfixâ. Quod cum ignoraret *Chamza*, *Grammaticus Arabs* non incelebris, putavit عصفور voce compoſitâ *paſſerem* dici; quia عصى وفر *percutit, & fugit.* Nec *Hebræis* peculiare eſt, quod eâ voce *paſſerem* vocant, quâ etiam *majores aves. Græcum* enim *paſſeris* nomen στρουθὸς de *gallina* quoque uſurpatur. *Nicander* in *Alexipharmacis* verſu 60.

> Ἤ ἔτι μυελόεντα χαλικρότερον ποτὸν ἴσχοις
> Ὄρνιθος στρουθοῖο κατοικάδος, - - -

Sive aliquod medulloſum meracum potabile pharmacum *habeas ex ave paſſere domeſtica*, id eſt, ex gallina. Et rurſus verſu 535.

> Ἢ ἀπὸ στρουθοῖο κατοικάδος, - - -

Aut ſtercus paſſeris domeſtici, id eſt, gallinæ. Unde factum, ut στρουθὸς diceretur gallina illa *Libyca*, avium longè maxima, uno verbo *ſtruthio*. Quod imitati *Romani* Scriptores ſtruthionem appellant *marinum paſſerem. Plautus* in *Perſa* Actu ſecundo,

> *Vola curriculo.* P. *Iſtuc marinus paſſer per circum ſolet.*

Auſonius Epiſtolâ undecimâ,

Ovum tu coque paſſeris marini.

Feſtus, *Paſſer marinus, quem vocat vulgus ſtruthiocamelum.* Paſſeris *Romana* vox putatur ad *Hebraam* צפור *tſipper*, alludere, & ab illa eſſe orta. Sed vir magnus in *Solinum* obſervat paſſerem etiam *paſſam* dici, ut *Gallicè paiſſe* paſſerem fœminam. Hinc Gloſſæ, *Paſſa*, εἶδος ὀρνέου. Et *paſſa* factum ex *Æolico* πίζα, pro σπίζα. Nempe σπίζα eſt *fringillus*, avis paſſeri ſimilis. *Heſychius*, Σπίζα, ὀρνιθάριον ϛρουθῷ παρεμφερές. Et quandoque latius ſumitur pro *avicula* in genere. Ut in *Timone* apud *Laërtium* de *Arceſilao*,

Οἱ δέ μιν ἠΰτε γλαῦκα πέρι σπίζαι τερατεῦντο,

Illum autem mirabuntur ut avicula, qua noctuam circumſtant, proinde *Heſychius*, Σπίζαι, ὄρνεα ἅπαντα. Rectè, ſi modò ὄρνεα illi ſunt ὀρνίθια vel ὀρνιθάρια, aviculæ, non *aves*. Sic *Arabicum* عصفور, quamvis propriè *paſſerem* ſonat, tamen avicularum multas ſpecies complectitur. *Damir*, وهو انواع منها ما هو مطرب بصوته ومنها ما يعجب بصورته وحسنه والعصفور الصوار هو الذي يجيب اذا ادعي من الصرورة وعصفور الجنة وهو الخطاف والعصفور البيوت فان في طباعه اختلافا *Paſſerum ſunt varia ſpecies: alii enim placent vocis modulatione; alii ſpecie & formâ ſunt mirabiles. Et paſſer ſuar dictus is eſt, qui vocatus ſtridendo reſpondet. Et paſſer paradiſi eſt hirundo. Et paſſer domeſticus is, qui naturâ ſuâ eſt pugnax*, &c. Et infrà, ومن انواعه عصفور الشوك واكثر ماواه السياج وزعم ارسطو ان بينه وبين الحمار عداوة *E ſpeciebus ejus eſt paſſer ſpinarum, qui in vepretis plerumque degit. Refert* Ariſtoteles *inter eum & aſinum mutuum eſſe odium.* palàm eſt acanthidem intelligi, quam alii carduelem, alii ſpinum, alii ligurinum explicant. De ea enim *Philoſophus Hiſt.* libri octavi capite tertio, Τὰ δὲ τοιάδε ἀκανθοφάγα, ἀκανθὶς, θραυπὶς· ἔτι ἡ καλουμένη χρυσομήτρις. Ταῦτα γὰρ πάντα ἐπὶ τῶν ἀκανθῶν νέμεται. Quæ *Gaza* ſic reddidit, *Spinam appetunt illa, ſpinus, ſive ligurinus, carduelis, item quæ auri vittis appellatur. Hæc enim omnia victitant in ſpinis.* Et libri noni capite primo, Ὄνος δὲ, καὶ ἀκανθίδες πολέμιοι· αἱ μὲν γὰρ ἀπὸ τῶν ἀκανθῶν βοσκεύουσιν (legendum βιοτεύουσιν) ὁ δὲ ἁπαλὰς οὔσας ἐσθίει τὰς ἀκάνθας· *Inimici ſunt aſinus, & acanthides: illis enim victus ex ſpinis, quas adhuc teneras paſcit aſinus.* Et hanc avem meritò *Arabes* referunt ad paſſerum genus. Acanthis enim eadem, quæ acanthyllis, de qua *Heſychius*, Ἀκανθυλλὶς, ϛρουθοῦ γένος, *Acanthyllis, paſſeris genus. Gallicè* dicitur *ſerin*. An à *Sirenum* cantu, ut vult *Bellonius Ornithologia* libri ſeptimi capite decimo quarto. Sequitur in *Damire*, ومن انواعه القبرة والحسون والبلبل والصعوة والحمرة والعندليب والمكاكي والصافر والتنوط والوصع والابوبراقش والقبعة *Etiam è ſpeciebus ejus ſunt kubbara* (corydalus) *& haſſun* (alibi non reperio, videtur à pulchritudine dicta) *& bulbul* (philomela) *& ſavva* (avicula rubro vertice) *& hamra* (alaudæ ſpecies rubra) *& andalib*, (avis ſpecies philomelæ ſimilis) *& mechachi* (Plurale à Singulari مكا *maccha*, avis à ſibilo dicta) *& ſaphir* (quæ & ipſa totâ nocte ſibilat capite inclinato, & pedibus ad arborem applicatis) *& thenavvut* (avicula huic non abſimilis à nido appellata, quem ex arbore ſuſpendit) *& vvaſa* (regulus) *& abukarakis* (avicula canora, longo collo, & pedibus, pennis rubris, flavis, viridibus, & cœruleis, quæ colores ſubinde mutant) *& kubaa* (avicula varia, collum in metu contrahens, unde illi nomen) Hæ ſunt aves, quas ad paſſerum genus referunt *Arabes*. Quomodo etiam apud *Hebræos*, auctore *Kimchio* in *Lexico*, דוא תו המין לפיכך כלל כל עוף בזה השם, *Paſſer multas habet ſpecies: unde eſt, quod hoc nomen ad omnes aves refertur.*

Paſſerem البيوتي *domeſticum* ità deſcribit في طباعه اختلاف وذلك فيه من الطباعه ما يشبه السباع وهو اكله اللحم ولا يزق فراخه ومن البهايم انه ليس بذي مخلب ولا منسر وياكل الحب والبقول وهو اذا سقط على العود قدم اصابعه الثلاث واخر الدايرة وساير الطير تقدم اصبعين وتوخر اصبعين وتميز الذكر منها بلحيه سودا كما الرجل والتيس والديك وليس في الارض طاير ولا سبع ولا بهيمة احنى من العصفور على ولده ولا اشد له عشقا [(a) Alii ſhaghfa: شغفا] وذلك مشاهد عند اخذ فراخه ووكره في العمران تحت السقوف خوف من الجوارح واذا حلت مدينة من اهلها ذهبت العصافير منها فاذا عاد واعادت العصافير والعصفور لا يعرف المشي وانما يثب وثبا وهو كثير السفاد فربما سفد في الساعة الواحدة مايه مرة ولذلك قصر عمره فانه لا يعيش في الغالب اكثر من سنة والفرخه

والفرخه تدرب علي الطيران حتي انه يدعي فيجيب قال الجاحظ انه رجع من فرسخ *Pugnacis eſt natura. Nempe ferinum aliquid illi à natura inſitum eſt. Proinde carne veſcitur, & pullos ſuos non cibat roſtro in illorum ora inſerto. Sed cum avibus non rapacibus hoc illi commune eſt, quod non habet ungues, quibus laniet, neque roſtrum aduncum, & grana ac olera comedit. Cum in arborem incidit, è quatuor digitis tres in anteriora porrigit, & unum retro. At in reliquis avibus bini digiti ſunt anteriùs, & totidem poſteriùs. Mas à fœmina diſtinguitur nigrâ barbâ, quam habet ad inſtar viri, hirci, aut galli. Nuſquam eſt avis, aut fera, aut jumentum in prolem propenſius, quodque amet vehementiùs. Unde eſt, quod pullos & nidum ſuum in locis cultis collocat, & ſub aditum tectis metu rapacium. Cum deſolatur urbs, ex ea excedunt paſſeres, & ſimul cum incolis redeunt. Paſſer ambulare neſcit, nec niſi ſaltuatim fertur. Avis eſt tam multi coitûs, ut quandoque in hora centies coeat, ac proinde brevis eſt avi, & plerumque ultra annum non vivit. Dociles habet pullos ſupra vulgus avium, ità ut vocati reſpondeant. Paſſerem à paraſanga redire teſtatur* Algiahid. His plura liceat addere ex *Alkazuinio*, ſed quæ toti paſſerum generi conveniunt, non ſoli domeſtico.

Hebraicè צפצף *tſiphſeph*, eſt *murmurare*, & *muſſitare*, Eſ. 8, v. 20. & 29, 4. Quod ſumptum ex garritu avium. *R. Selomo* in *Eſ.* 29. ציפצוף הוא לשון קול לחש כקול עופות דקין, Tſiphtſuph *ſignificat vocem muſſitationis, inſtar vocis aviculärum.* Conſtat id ex *Eſ.* 38, 14. ubi ad hirundinem refertur. Tamen magis propriè צפצף eſt *pipitus paſſerum.* Pomarius, צפצף עשה קול צפורים, Tſiphſeph. *pipivit more paſſerum.* Quod verum eſſe conſtat ex *Arabibus*, quibus صفصف *tſophtſoph* eſt عصفور *paſſer*, & صفصفة *tſaphtſapha* صوته *vox ejus.* Ità habetur in *Alcamus.* Indè eſt, quod *Eſ.* 10, 14. *Hebraa* verba ופצה פה ומצפצף, *Et os aperiens, & pipiens*, *Græcè* ità redduntur, Καὶ ἀνοίγων στόμα, καὶ στρουθίζων. Ad quæ *Theodoretus*, Ἀπὸ τῆς κρατούσης συνηθείας παρὰ ἀνθρώποις εἴρηται τῇ γραφῇ. εἰώθαμεν γὰρ λέγειν περὶ τῶν λίαν ἀγωνιώντων, Οὐκ ἐτόλμησε γρύξαι· οἱ δὲ λοιποί φασιν, Οὐκ ἐτόλμησε τρύσαι. τὸ οὖν Ἀνοίγων στόμα, καὶ στρουθίζων, ἀντὶ τοῦ Οὐ μόνον οὐδεὶς ἀντιπαρατάξασθαί μοι τολμήσει, ἀλλ' οὐδὲ γρύζειν στρουθοῖς παραπλησίως ἐπιχειρήσει. *Ex humana conſuetudine à Scriptura uſurpatum eſt. Solemus enim dicere de iis, qui in magnis ſunt anguſtiis, Non auſus eſt mutire. Alii autem dicunt, Non auſus eſt ſtridere. Os igitur aperiens, & pipiens* (nemo erit) *idem eſt, ac ſi diceret, Non ſolùm nemo audebit mihi obſiſtere, ſed ne paſſerum quidem more pipire conabitur.* Indidem ſumptum illud *Suidæ*, Στρουθίζων, τρίζων. Nam τρίζειν *ſtridere* etiam eſt paſſerum, ut patet ex *Iliad.* β', verſu 314. ubi draco paſſerculos octo cum matre

- - - - ἐλεεινὰ κατήσθιε τετριγῶτας,

voravit miſerabiliter ſtridentes: non τιτίζοντας, ut legi voluit *Zenodotus.* Nec eſt, quod quis miretur homines ab *Eſaia* deſcribi avium inſtar pipientes. Eſt enim Metaphoræ continuatio. Ibi nempe *Propheta* loquitur verbis *Aſſyriæ* Regis *Thraſonicè* ſe efferentis, & populos à ſe devictos conferentis cum nido avium, quas metus aucupis ità percellit, ut ne pipire quidem audeant. Itaque totus verſus ſic habet, *Et manus mea tanquam* (avium) *nidum populorum opulentiam aſſequuta eſt. Et quaſi reciperem ova derelicta, totam terram ego recepi: neque eſt, qui agitet alam, aut aperiat os, aut pipiat.* Verba Καὶ ἀνοίγων στόμα, καὶ στρουθίζων, deſunt in plerisque editionibus, nec à *Baſilio* lecta ſunt, nec à *Cyrillo.* Ita tamen exhibent editio *Complutenſis*, & *Pariſienſis* nupera. Eadem quoque legerunt *Theodoretus* & *Arabs*, qui verſionem ſuam ex *Græca* expreſſit. Et in *Procopio* habentur in margine cum aſteriſco. *Seniorum* ſcilicet verſio ſæpe liberior eſt, qui, modò ſenſum utcunque exprimant, ſæpe de verbis ſunt parùm ſolliciti. *Hebræa* igitur, *Neque eſt qui agitet alam, aut aperiat os, aut pipiat*, ſic illi reddiderant, Καὶ οὐκ ἔστιν ὃς διαφεύξεταί με, ἢ ἀντείπῃ μοι. *Neque eſt qui me effugiat, aut mihi contradicat.* Sed reliqua ſupplevit aliquis ex alio interprete. An is *Aquila*, qui linguæ *Hebraicæ* fuit peritiſſimus, & verbum verbo reddere ſolitus?

Ad *Belgicum paſſeris* nomen *moſche*, & *Normanicum moiſſon* alludit *Arabicum* مصع *matſaon* pro *paſſere maſculo.* Alcamus, المصع العصفور الذكره

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

Prophetarum loca novem, quæ ad Paſſeres referunt nonnulli interpretes, pleraque parùm certa.

I. Levit. 14. צפורים tſipporim, *quarum unâ cæſâ, alterâ emiſſâ purgabatur leproſus, non eſſe* paſſeres, *ſed* aves *in genere. In illo ritu* 18. *myſteria. II.* Job. 40, 24. An eo ludes, ut paſſere? *quod ad Diabolum multi referunt.* Paſſerem *hîc poſſe intelligi, non tamen eſſe neceſſe, cum etiam aliis avibus pueri oblectentur. III.* Pſal. 10, 1. Migra in montem ſicut paſſer. *Meliùs*, ſicut avis; *quia paſſer non eſt avis montana. Paſſer montanus, quem vocant, ex merularum genere. In* Galeno *montani paſſeres, id eſt, avicula quævis. IV.* Pſal. 84, 4. Paſſer invenit ſibi domum, *rectè redditum. V.* Pſal. 102, 8. Vigilavi, & fui ſicut paſſer ſolitarius in tecto. *Imò* ſicut avis, *ut* Hieronymus, & Hebræi. *Docet id textûs ſeries, & vox* vigilavi, *& vox* בודד ſolitarius. *Tales non ſunt paſſeres. Paſſer ſolitarius* Tridenti *merulæ ſpecies. Paſſer cælebs nullus. Et quod eſt* ſupra tectum, *ut bubones*, &c. *VI.* Pſal. 104, 16. *de cedris* Libani, ubi paſſeres nidificant. *Imò*, ubi aves: *neque enim ibi paſſeres. VII.* Pſal. 124. 7. Anima noſtra ſicut paſſer erepta ex aucupum laqueo. *Potiùs*, ſicut avis. *Paſſeres viſco capi ſolent. VIII.* Eccleſ. 12, 4. Surget ad vocem paſſeris, *al.* ad vocem avis, *quod de gallo intelligunt. Utri meliùs, dubitatur. IX.* Thren. 3, 5. Me venantur ut paſſerem. *Meliùs*, ut avem.

INter interpretes non convenit ſatis, quibus Scripturæ locis צפור *tſippor*, ſumatur pro *paſſere*. Nam ex novem locis, quæ proferuntur, pleraque ſunt valde dubia.

I. Primus eſt *Levit.* 14. initio capitis, & in fine, ubi agitur de duabus צפורים *tſipporim*, quarum unâ cæsâ, alterâ emiſsâ purgabatur leproſus, & domus etiam leprâ infecta. Ibi *tſipporim* eſſe *paſſeres* plerique volunt, quomodo reddunt *Hieronymus*, *Pagninus*, *Arias*, *Genevenſes*, alii. Sed *aves* in genere ſignificari conſtabit hæc attentè legenti verſu quarto, *Et accipiat qui mundandus eſt* שתי צפורים חיות טהרות, *duas* tſipporim *vivas mundas.* Quæ in *paſſerem* non quadrant, ſive mundus fuiſſe ſtatuatur, aut immundus. Mundus enim dici non potuit, ſi ex Lege fuit immundus. Contrà, ſi fuit mundus, Lex incaſſum juſſe-

juſſerit capi paſſeres mundos, cum immundi nulli fuerint. Mundas columbas, aut turtures offerri nuſquam jubetur; quia omnes erant mundæ. Apparet igitur צפרים *tſipporim*, ibi eſſe *aves* in genere, quarum cum aliæ mundæ, aliæ immundæ fuerint, mundas accipi Deus jubet, puta columbas, aut turtures, quæ vocantur הצפור *Gen.* 15, 10. aut alias quasvis, modo mundæ ſint, & ad eſum conceſſæ juxta Legem *Deut.* 14, 11. כל צפור טהרה תאכלו *Omnem tſippor mundam comedetis.* Itaque *gallinas* etiam à nonnullis hic intelligi ſuprà docuimus, atque eò referri poſſe *Græcum* ὀρνίθια. Nec *Hebræi* ſpeciem deſignant, modò ſint צפרים דרור טהורות *aves liberæ, & mundæ.* De hujus purificationis ritu multa habet inſignia *Maimonides* in Tractatu *De lepra* capite undecimo, quæ non ſunt hujus loci. Tantùm obiter obſervabo in illo ritu omnia fuiſſe myſtica. I. Lepra peccatum ſignificabat. II. Aves mundæ, per quas leproſus purgabatur, *Chriſtum* purum ab omni labe, qui à peccato nos purgat. III. Avis mactata *Chriſti* morientis ſignum fuit, IV. ut emiſſa reſurgentis, & in cœlum aſcendentis. V. Ideò geminas eſſe oportuit, quia non potuit una avis nobis utrumque exhibere, *Chriſtum* mortuum, & redivivum. VI. Aut una avis humanam *Chriſti* naturam morti obnoxiam: VII. altera divinam adumbravit, quæ cœleſtis eſt, & immortalis. VIII. Eodem pertinuiſſe creditur aſpergillum ex cedro, hyſſopo, & cocco, quo leproſus aſpergebatur. Nam cedrus eſt figura *Chriſti Ezech.* 17, 23. IX. Adeoque cedrus, qua nihil altius; & hyſſopus, quâ nihil humilius, 1. *Reg.* 4, 33. *Chriſtum* Deum & hominem deſignabant, X. & coccus ſanguini concolor mortis erat ſymbolum. XI. Ut avem, ita *Chriſtum* mori neceſſe fuit; quia ſine ſanguinis effuſione nulla ſit remiſſio, *Heb.* 9, 22. XII. Sed una avis mactabatur; quia *Chriſtus* ſolùm carne mortificatus eſt, 1. *Pet.* 3, 18. XIII. Avis mactatæ ſanguis cum aqua miſcebatur: ità ex *Chriſti* latere in cruce utrumque fluxit, *Joh.* 19, 34. & idem veniſſe legitur per aquam, & ſanguinem, 1. *Joh.* 5, 16. XIV. Aqua debuit eſſe viva, qualem promittit *Chriſtus Joh.* 4, 10. 11. & 7, 38. XV. Sanguinem cum aqua miſtum vaſe fictili excipiebat Sacerdos: ut hodieque *Chriſti* theſaurum habent fidi paſtores in vaſis fictilibus, ut ejus virtutis præſtantia ſit ex Deo, & non ex nobis, 2. *Cor.* 4, 7. XVI. Sanguine mortui paſſeris vivus paſſer aſpergebatur, ut ſignificetur *Chriſtus* homo in ipſa morte Deo fuiſſe junctus. Unde eſt, quod Deus ipſe, id eſt, homo ille; qui Deus erat, legitur *Eccleſiam ſuo ſanguine acquiſiviſſe.* Nam ut neque avis viva ſine mortua, neque mortua ſine viva potuit leproſum à lepra purgare: Ità nec à Deo ſine homine, nec ab homine ſine Deo debuit fieri peccatorum purgatio. XVII. His peractis, aquâ & ſanguine leproſus ſepties aſperſus mundabatur: & nos quoque aqua baptiſmi & ſanguine crucis mundamur à labe peccati. XVIII. Nec fruſtra hæc aſperſio ſepties repetebatur. Quomodo *Naaman* leproſus jubetur lavari ſepties 2. *Reg.* 5, 10. Et, oblatâ victimâ pro peccato Sacerdotis, ſanguinis ejus ſeptena fiebat aſperſio, *Levit.* 4, 6. Ut & pro peccato populi die Propitiationum, *Levit.* 16, 14. Quia ſcilicet ſeptem diebus Deus creavit cœlum, & terram, & conſummavit opus ſuum, habetur ille numerus pro ſymbolo perfectionis. Et ſeptena illa aſperſio nos docet ſic aſpergi *Chriſti* ſanguine, ut per illum plenè purgemur, & perfectè ſerventur omnes, qui per ipſum accedunt ad Deum, *Hebr.* 7, 25. Multa hujuſmodi latent ſub ceremoniarum cortice, quæ hic obiter ſolùm attingimus; quia non ſunt noſtri inſtituti.

II. Secundus locus eſt in deſcriptione τοῦ *Leviathan Job.* 41, 24. (al. 29.) & *Hebraicè* ſic habet, *An eo ludes* כצפור, *ut tſippor? Et ligabis cum puellis tuis?* Et in *Græca* verſione, Παίξῃ δὲ ἐν αὐτῷ ὥσπερ ὀρνέῳ; ἢ δήσεις αὐτὸν ὥσπερ στρουθίον παιδίῳ; *An ludes eo tanquam ave? & ligabis eum ut paſſerem puero?* Et in *Arabica*, هل تضحك عليه مثل العصفور *An ludes eo tanquam paſſere*, &c. Quod ad Diabolum referunt qui myſteria conſectantur, quaſi per baptiſmum, & converſionem nobis vinctus tradatur, ut puero paſſerculus. *Origenes* de fideli homine, ὁ γὰρ δράκων αὐτῷ ὥσπερ στρουθίον παραδίδοται παιδίῳ· *Draco illi ut paſſer puero traditus eſt.* Et paulò poſt, Τῇ χάριτι τοῦ Κυρίου, ὡς στρουθίον ὑποχείριον, ὁ Σατανᾶς δεδεμένος γεγένηται τοῖς νηπίοις, καὶ θηλάζουσιν, ὧν ἐκ στόματος κατηρτίσατο αἶνον ὁ Θεός· *Domini gratia, ut paſſer manſuetus, Satan vinctus eſt pueris, & lactentibus, ex quorum ore Deus perfecit laudem ſuam.* Chryſoſtomus, Δέδωκε τὸν ἐχθρὸν ὁ Κύριος ἡμῶν δέδωκε καταπαίζειν αὐτοῦ, ὡς στρουθίον, τοῖς στραφεῖσι, καὶ γενομένοις ὡς τὰ παιδία. *Converſis, & iis, qui ut infantes facti ſunt, Dominus noſter vinctum adverſarium tanquam paſſerem illudendum tradidit.* Quo alludens auctor vitæ *Pachomii* capite quadrageſimo nono Diabolis hæc tribuit, *Ex quo mirabilis incarnatio* Chriſti *facta eſt in terris, nos ſine viribus prorſus exiſtere cœpimus; Ita ut ab his qui credunt in nomine ejus illudamur ut paſſeres.* Quibus miſſis ſolùm quærimus, an *Hebræa* bene reddantur; *An eo ludes tanquam paſſere? & ligabis eum puellis tuis?* Et commodam hic eſſe mentionem paſſeris ſuadebit *Catullianum* illud notiſſimum,

Paſſer deliciæ meæ puellæ,
Quicum ludere, quem in ſinu tenere,
Quoi primum digitum dare adpetenti
Et acris ſolet incitare morſus.

Unde *Arnobius* libro ſeptimo, *ut parvuli puſiones (ut animis parcant, abſtineantque ploratibus) paſſerculos, pupulos, panes accipiunt, quibus avocare ſe poſſint.* Et *Arabs Poëta*, quem citat *Ibno Raſik* in libro, cui titulus غرايب *garaibo*, id eſt, *Peregrinitates:*

كعصفورة في كف طفل يسوخها *
حياض الردى والطفل يلهو ويلعب *

Ut paſſer fœmina in manu pueri, quam is in malis lateribus demergens jocatur, & ludit. Tamen in *Jobo* nihil neceſſe eſt præciſè *paſſerem* intelligere, cum aliæ aves non deſint, quibus pueri & puellæ æquè oblectentur. *Plautus* in *Captivis* Actu quinto,

- - *quaſi patriciis pueris aut monedulæ,*
Aut anates, aut coturnices dantur, quicum luſitent.

Plinius ad *Clementem* de *Reguli* filio libri quarti Epiſtolâ ſecundâ, *Habebat puer mannulos multos, & vinctos, & ſolutos, habebat canes majores minoreſque, habebat luſcinias, pſittacos, merulas.* Julius Capitolinus in Clodio Albino *Septem aquilæ parvæ de nido allatæ ſunt, & quaſi ad jocum circa cunas pueri conſtitutæ.* *Pauſanias* in *Corinthiacis*, Κόκκυγα δὲ ἐπὶ τῷ σκήπτρῳ καθῆσθαί φασι, λέγοντες τὸν Δία, ὅτι ἤρα παρθένου τῆς Ἥρας ἐς τοῦτον τὸν ὄρνιθα ἀλλαγῆναι· τὴν δὲ ἅτε παίγνιον θηρᾶσαι· *Cucullum verò avem idcirco ſceptro Jovis ajunt impoſitum, quod virginis* Junonis *amore captus* Jupiter *in eam ſe avem verterit, quam puella tanquam ludicrum captârit.* Unde *Jupiter Coccygius*, de quo idem infrà meminit. Itaque *Jobi* locum, quem diximus. *Hieronymus* ità explicat: *Nunquid illudes ei quaſi avi? aut ligabis eum ancillis tuis?* nullâ *paſſeris* mentione facta. Atque idem ſequuntur plerique recentiorum.

III. Tertius locus eſt *Pſal.* 10, 1. (*Hebræis* 11, 1.) ubi *Græca* verſio, Μεταναστεύου ἐπὶ τὰ ὄρη ὡς στρουθίον· Et Vulgata, *Transmigra in montem ſicut paſſer.*

Arabs

Arabs quoque مثل العصفور *ut paſſer.* Et *Apollinaris* in Metaphraſi,

Στρουθὸν ὀρειτείχοισιν ὅπως θρώσκοντα νομῆσι,

Ut paſſerem montanis ſalientem paſcuis. Et *Theodoretus* in Commentario, Τί δὴ ποτί φησι παρακελεύετέ μοι φυγεῖν, καὶ τὰ ὄρη διεξοδεύειν στρουθίου δίκην ἐπτοημένῳ; *Quorſum, inquit, me hortamini; ut fugiam, & montes pererrem more paſſeris exterriti?* Sed *Hieronymus* melius, ut quidem puto, *Transvola in montem ut avis* ut & plerique recentiores. Quia paſſer avis montana non eſt. Et *David*, de quo hic agitur, *Saulem* dicit ſe perſequi, *ac ſi quis perſequeretur*, non paſſerem, ſed *avem Kore in montibus*, 1. Sam. 26. v. 20. id eſt, *ruſticulam*, ut docuimus. Fruſtra objeceris avem eſſe juxta *Larium* in *Italia* lacum, quam paſſerem montanum vocant. Neque enim illa avis verè eſt paſſer, ſed è merularum genere, ut pluribus probat *Geſnerus* pag. 608. Nec magis ad rem eſt hic *Galeni* locus *De ingenio ſanitatis* cap. 2. *Ex avibus laudantur perdices cum montanis omnibus paſſeribus.* Neque enim ibi intelliguntur paſſeres propriè dicti, qui calidiſſimi ſunt, & libidinem incitant, ſed ex avibus minutis in genere eæ, quæ montanæ ſunt. Minutas enim aves quandoque στρουθία vocari in confeſſo eſt. *Moſchopulus*, Περὶ σχεδῶν pag. 178. Τρώγλη, ἡ τρύπα, ἀφ' ἧς τρωγλίτης, ὃς καὶ στρουθὸς λέγεται· στρουθία δὲ ὑπάρχει πάντα τὰ μικρὰ τῶν ὀρνίθων. Ita etiam *Phavorinus* in Στρουθία.

IV. Quartus locus eſt *Pſ.* 84. v. 4. גם צפור מצאה בית, pro quo *Græci*, Καὶ γὰρ στρουθίον εὗρεν ἑαυτῷ οἰκίαν. Et *Arabs* eodem ſenſu لان العصفور وجد له مسكنا Et *Vulgatus*, *Etenim paſſer invenit ſibi domum.* Et *Hieronymus*, *Siquidem paſſer invenit domum.* Et *Kimchius* in *Lexico* probat hoc loco צפור *tſippor*, non eſſe nomen generale ad omnes aves; ſed certæ ſpeciei peculiare, quia in hemiſtichio ſequente דרור *deror*, eſt *hirundo*, ut is quidem aſſerit. *Itaque*, inquit, אחר שאחרן פרט הראשן גם כן פרט, *quandoquidem poſterius* (id eſt, דרור *deror*) *peculiaris avis nomen eſt, ita etiam prius* (nempe צפור *tſippor*.) Proinde in *Commentariis* idem ſtatuit צפור ibi eſſe aviculam, quam *Hiſpani* vocant פשרו, *paxaro*, id eſt, *paſſerem.* Ita igitur reddendus eſt hic verſus ex mente *Kimchii*, *Etiam paſſer invenit domum, & hirundo nidum ſibi, ubi poneret pullos ſuos, nempe altaria tua, ô Deus exercituum.* Cui ſententiæ nos accedimus, niſi quod דרור *deror*, pro *hirundine palumbum* interpretati ſumus. Et *altarium* nomine per ſynecdochen partis pro toto *Tabernaculum* intelleximus, ad cujus trabes nidulati ſint tam paſſeres, quàm palumbi, ut jam alibi dictum.

V. Quintus locus *Pſal.* 102. v. 8. *Vigilavi, & fui* כצפור בודד על גג. ubi *Græci*, ὡσεὶ στρουθίον μονάζον ἐπὶ δώματι· & *Vulgatus*, *Sicut paſſer ſolitarius in tecto:* & *Arabum* unus, *Fui in ſolitudine mea* كالعصفور *ut paſſer ſuper tectum:* & alter, *Factus ſum ut paſſer, qui manet ſuper tectum ſolus.* Et *Apollinaris*,

Ἠ στρουθόν τιν' ἄϋπνον ἐόντ' ἐν δώματι μοῦνον,

Aut paſſerem aliquem, qui inſomnis eſt in tecto ſolus.

Nempe *Damir* ſupra paſſerem nidificare dixit تتكب السقوف خوف من الجوارح *ſub tecto rapacium avium metu.* Et *Suidas* in Νυκτικόραξ paſſerem deſcribit tanquam δειλὸν ὄρνεον, *timidam avem*; quæque ὑπὸ ἀγωνίας ἐλαύνει τὸν ὕπνον, *præ ſollicitudine ſomnum repellat.* Quæ videbuntur ad hunc locum maximè pertinere, quo *David*, ut quidem volunt, ſe vigilaſſe dicit inſtar paſſeris, qui ſuper tectum ſolus eſt. Eodem facere putatur, quod pro *paſſere ſolitario* in *Auguſtino* legitur *paſſer ſingularis.* Id enim *Græcè* eſſet στρουθὸς μόνιος, vel στρουθίον μόνιον. Et ex μόνιος facta videbitur vox vernacula *moineau* pro *paſſere.* Denique circa *Tridentum* avis eſt, quam vulgus vocat *paſſerem ſolitarium*, quæ ſolivaga eſt, & in tectis verſari ſolita. Itaque ut multi veterum, ita recentiorum interpretum ferè quotquot ſunt, *Latini, Galli, Itali, Germani, Belgæ, Angli paſſerem* hic intelligunt. Tamen aliter *Hieronymus*, *Fui ſicut avis ſolitaria ſuper tectum.* Nec *Hebræorum* quiſquam eſt, qui moneat hic agi de paſſere, quomodo in ſuperiore loco. Et verò nihil eſſe puto à *Propheta* mente remotius. Omnino enim hæc pertinent ad avis nocturnæ deſcriptionem. Quod in mentem interpretum nondum veniſſe miror, cùm id apertè clament omnes loci circumſtantiæ. Nam in hoc *Pſalmo* quiſquis loquitur, cum gravi mœrore confectus hominum conſortium fugeret, gemituſque perpetuos ex imo pectore funderet, cum feralibus avibus ſe confert, quæ & ſolitariæ ſunt, & in voce lugubre aliquid habent, & ominoſum. *Propter vocem gemitus mei*, inquit, *oſſa mea carni adhæſerunt. Similis factus ſum pelicano deſerti. Fui inſtar noctuæ* (vel *bubonis*) *ſolitudinum.* Hæc ille in duobus verſibus, qui proximè antecedunt. Deinde in inſtituta comparatione pergens, *Vigilavi*, inquit, *& fui ut avis ſolitaria ſuper tectum. Vigilavi*, id eſt, *noctem egi inſomnem.* Proinde ibi habet *Chaldæus* שקדית כל ליליא, *Vigilavi tota nocte.* Nempe, ut nocturnæ aves lucifugæ, quæ quia lucem oderunt, poſtquam interdiu latuere, è latebris nocta prodeunt, ut in prædam invigilent. *Philoſophus Hiſt.* lib. 9. cap. 34. Γλαῦκες δὲ, καὶ νυκτικόρακες, καὶ τὰ λοιπά, ὅσα τὴν ἡμέρας ἀδυνατεῖ βλέπειν, τῆς νυκτὸς μὲν θηρεύοντα τὴν τροφὴν αὑτοῖς πορίζεται· *Noctuæ, & nycticoraces, & reliquæ aves, quæ interdiu cernere nequeunt, noctu venando cibum ſibi comparant.* Unde corrigendus *Athenæus*, qui hæc verba ſic contrahit lib. 8. cap. 12. Γλαῦκες δὲ, καὶ κόρακες ἡμέρας ἀδυνατοῦσι βλέπειν, διὸ νύκτωρ τὴν τροφὴν ἑαυτοῖς θηρεύουσιν· & pro κόρακες reſcribendum νυκτικόρακες. Proinde nocturnis avibus vigilias ferè perpetuas tribuunt omnes ſcriptores. Et in *Ariſtophanis Lyſiſtrata* mulier quædam ita loquitur,

Ἐγὼ δ' ὑπὸ τῶν γλαυκῶν γε τάλαιν' ἀπόλλυμαι,

Ταῖς ἀγρυπνίαισι κακκαβιζουσῶν ἀεί.

Ego autem propter noctuas miſera perii, quæ in vigiliis ſemper caccabant. Et *Ælianus Hiſt.* lib. 1. cap. 29. de noctua, Νύκτωρ μὲν ἀγρυπνεῖ· *Noctu quidem vigilat.* Et de eadem *Varro De ling. Lat.* lib. 4. *Noctu canit, ac vigilat.* Hoc igitur *Pſaltes* reſpiciens, *Vigilavi*, inquit, *& fui ut avis ſolitaria ſuper tectum.* Atque id quidem ad paſſerem referunt, quaſi præ metu vigilet, quod ex *Theodoreto* habet *Suidas.* Sed nihil tale apud eos legas, qui de avium natura ſcripſerunt. Et qui paſſeres domi alunt, ſciunt illos noctu dormire, ut omnes aves præter nocturnas. Alioqui cum die vigilent, perpetuò eſſent inſomnes. Præterea צפור בודד *avis ſolitaria* meritò dicitur bubo, vel noctua; quia in deſertis locis degit, ut verſu præcedente dictum. Hinc *Damir* وكنية الانثى ام الخراب *Et cognominatur* (noctua) *fœmina mater ſolitudinis.* Et infra, البوم اصناف وكلها تهب الخلوة بانفسها والتفرد *Noctuarum plures ſunt ſpecies, quæ omnes ſeceſſum & ſolitudinem amant.* Itaque ut onager בודד *boded*, id eſt, *ſolitarius*, dicitur *Oſ.* 8. v. 9. quia eſt eremicola, pari ratione bubo, vel noctua צפור בודד *avis boded*, id eſt, *ſolitaria*, hic appellatur meritò, cum in iis locis nidificet, quæ ab hominum frequentia ſunt remotiſſima. Quocirca *Plinius* lib. vigeſimi noni cap. quarto, Magos irridens, qui ex bubonis ovo ad capillos remedia præſcribunt: *Quis, quæſo* (inquit) *ovum bubonis*

bubonis unquam videre potuit, cum ipſam avem vidiſſe prodigium ſit? Et *Alcamus* de الصدي id eſt, *Bubone*, طاير يصر بالليل يغفر تغرانا *Avis eſt, quæ noctu ſtridet, & in deſertis locis degit.* Quin eò pertinet, quod *Arabicè* صدي *tſada* dicitur, ut *Chaldaicè* צדיא *tſadja*. Nam צדו *tſadu*, vel צדות *tſaduth*, *Chaldæis* eſt *vaſtitas, deſolatio*; & Verbum צדה *tſeda*, eſt *vaſtari, deſolari*. Quâ notione in *Niphal* à *Sophonia* uſurpatur cap. 3. verſ. 6. Itaque ex ipſo bubonis nomine, quod illi indiderunt *Chaldæi, Syri*, & *Arabes*, eum colligas avem eſſe ſolitariam, & in deſolatis locis degentem. Sed & ideo bubo vocatur *avis ſolitaria*, quia gregale non eſt animal, ſed ſolivagum. Unde *Poeta* lib. 4. *Æneidos*,

Solaq́, culminibus ferali carmine bubo
Viſa queri, & longas in fletum ducere voces.

At paſſer quorſum dicatur *ſolitarius*, cùm & gregaria ſit avis, & ſub ædium tectis nidificet? Fateor quidem in paſſerum genere quoſdam eſſe ſylveſtres. Unde eſt, quod *Athenæus* lib. 9. *Alexander Myndius* docet δύο γένη εἶναι τῶν στρουθῶν, τὸ μὲν ἥμερον, τὸ δὲ ἄγριον, *paſſerum duo eſſe genera, unum domeſticum, alterum ſylveſtre.* Sed ſylveſtres paſſeres ad ædium tecta ſe non conferunt, quomodo avis, de qua *Pſaltes*, quam ſuper tectum deſcribit. Itaque, ſi de paſſere agitur, non poteſt intelligi paſſer ſylveſtris, ſed ſolum domeſticus. Reſpondent, domeſticum paſſerem ideò dici *ſolitarium*, quia compare viduatus eſt. Quod ferri poſſet, ſi paſſer, æquè ac turtur, aut columba, conjuge amiſſa, maneret viduus. Sed aliis moribus vivitur inter paſſeres, animal ſalaciſſimum, & tam multæ *Veneris*, ut non quidem centies, quomodo referunt *Arabes*, ſed ſepties ſaltem in hora fœminam ineat. Unde eſt, quòd illum currui *Veneris Poetæ* jungunt. Proinde nulli legi addictus in promiſcuam *Venerem* ruit, neque habet certam conjugem. Itaque ut maritus non fuit, ita neque fit cœlebs. Hinc eſt, quod de paſſere ſolitario nihil habent *Philoſophorum* libri. Et toto cœlo errant, qui *Gallicum* paſſeris nomen deducunt ex *Græco* μόνιος. Apri enim eſt Epithetum μόνιος, non paſſeris. Nobiſque adeo *moineau* planè aliud, nempe μοναχίσκος *monachulus*. Quo nomine mas appellatur; quia monachorum more videtur eſſe cucullatus. Aliud item *Tridentinis paſſer ſolitarius*. Is enim non eſt è paſſerum, ſed è merularum genere, qui à *Philoſopho* deſcribitur βαιὸς *fuſcus*, & ἐπὶ τῶν πετρῶν, καὶ ἐπὶ τῶν κεράμων τὰς διατριβὰς ποιῶν, *in ſaxis & tegulis degens.* Itaque hoc nihil ad rhombum. Jam ſi rogaveris quorſum nocturnam avem, putà bubonem, aut noctuam, *Pſaltes* ſupra tectum deſcribat, reſponſio erit obvia. Quamvis enim bubones & noctuæ in deſertis locis nidificent, noctu tamen ad urbes & loca culta nonnunquam ſe conferre, & ex ædium tectis & culminibus ferale ſuum carmen occentare in more habent. Quod nemo eſt qui non aliquando audiverit. Itaque nihil tam frequens apud *Poetas*. Ovidius *Metam.* lib. 6. Fab. 7.

\- - - - - - - - *tectoq́, profanus*
Incubuit bubo, thalamiq́, in culmine ſedit.

Et in *Ibin* verſu 223.

Sedit in adverſo nocturnus culmine bubo.

Tibullus lib. 1. *Elegia* 6.

\- - - *è tectis ſtrix violenta canat.*

Propertius lib. 4. in Epiſtola *Arethuſæ* ad *Lycotam*,

Sive in finitimo gemuit ſtans noctua tigno.

Et *Poeta* ſummus lib. 1. *Georgicorum*,

\- - - - - - - - *de culmine ſummo*
Nequicquam ſeros exercet noctua cantus.

Et in loco nuper citato,

Solaq́, culminibus ferali carmine bubo.

Sed & apud *Hiſtoricos* hujuſmodi exempla paſſim occurrunt. *Lampridius* ubi de morte *Commodi* Imperatoris, *Bubo etiam ſupra cubiculum ejus deprehenſus eſt tam* Romæ, *quàm* Lavinii. *Supra cubiculum*, id eſt, *ſupra tectum cubiculi*. *Dio* etiam in *Commodo*, ὁ βύας ἐπ' αὐτοῦ ἔβυζεν, *Bubo ſuper illud* (id eſt, ſuper *Capitolii* tectum) *bubulavit*. Ita enim legunt nonnulli pro ἀπ' αὐτοῦ, *ab eo*. Et in ejuſdem *Auguſto* bellum *Actiacum* ſignificavit bubo in templum *Concordiæ* volans, καὶ ἐπὶ τὰς ἄλλας ἐπικαθήμενος, *& aliis* (id eſt, aliorum tectis) *inſidens*. *Ammianus* denique lib. 30. ubi de *Valentiniani* obitu, *Apud* Sabariam *eodem adhuc conſtituto, bubo culminibus regii lavacri inſidens, occentaniq́, funebria*, &c. Concludimus igitur *Pſaltis* avem ſolitariam, quæque noctu vigilat, & tectis inſidet, non eſſe paſſerem, ut volunt, ſed bubonem, aut noctuam. Paſſer quidem ſub tecto nidificat, ſed non על גג *ſuper tectum*, quod ait *Pſaltes*.

VI. Sextus locus eſt *Pſal.* 104. *v.* 16. *Saturabuntur arbores Dei, cedri* Libani, *quas plantavit, ubi* צפרים tſipporim *nidificant*. *Arbores Dei*, id eſt, *arbores celſiſſimæ*. Tale *Cedri Dei*, Pſal. 80. v. 11. *Montes Dei*, Pſal. 36. v. 7. *Flamma Dei*, Cantic. 8. v. 6. id eſt, *flamma vehementiſſima*. *Luctationes Dei* Gen. 30, 5. id eſt, *luctationes graviſſimæ*. Itaque *arbores Dei* & *cedri Libani* proponuntur ut ſynonyma; quia cedri ſunt inter arbores proceriſſimas. Et *ſaturari* dicuntur *arbores Dei & cedri Libani*, imbre ſcilicet, de quo verſu 13. Et Deus has *plantare*, ut arbores aloës *Num.* 24. *v.* 6. quia ſponte proveniunt, & ſolo Dei nutu, abſque hominum labore, & curá. Additur in his *nidificare* צפרים *tſipporim*, id eſt, *paſſeres*, ut multi putant. Ita enim LXX. Ἐκεῖ στρουθία ἐννοσσεύσουσι Et *Symmachus*, Ὅπου στρουθία ἐννοσσεύουσι. Et *Vulgatus*, *Illic paſſeres nidificabunt*. Et *Apollinaris*,

Κεῖθι νεηγενέων πέλεται στρουθῶν ἀλεωρή,
Illic nuper-natorum paſſerum eſt perfugium.

Et *Arabs* uterque هناك عشش العصافير *Illic nidificant paſſeres*. Sed *Aquila*, ut videtur, melius; Ἐκεῖ ὄρνεα νοσσεύσουσιν. Et *Hieronymus*, *Ibi aves nidificabunt*. *Summus enim, Libani* vertex, ubi cedri, paſſeribus eſt inacceſſus, quos aves montanas non eſſe jam docuimus.

VII. Septimus locus *Pſal.* 124. *v.* 7. *Anima noſtra* כצפור, *ut* tſippor *erepta eſt ex venatorum laqueo*: Græci, ὡς στρουθίον. Vulgata, *ſicut paſſer*: Arabs itidem مثل العصفور *ut paſſer*: Apollinaris, στρουθῷ πανομοίιος, *paſſeri planè ſimilis*: ſed Hieronymus, *quaſi avis*. Quod probo magis, quia paſſeres & ſimiles aviculæ viſco potius, quam laqueo capiuntur. Quod docet *Baal Aruch* ad vocem שפשף, qua ſignificatur *pertica viſco illita ad aviculas capiendas*.

VIII. Octavus *Eccleſ.* 12. *v.* 4. al. 6. ubi de ſene *Græci* dicunt, Καὶ ἀναστήσεται εἰς φωνὴν τοῦ στρουθίου, *Et ſurget ad vocem paſſeris*. Sed Hieronymus, *Et conſurget ad vocem volucris*. Et Chaldæus, *Et excitaberis à ſomno tuo* על עסק קול דעופא, *propter vocem avis*, id eſt, ad avis cantum, quam *gallum* eſſe nonnulli volunt, & *gallicinium* ſignificari. Ut gallus homines matutino cantu excitans ſimpliciter *ales* vocatur in his *Poetæ Amorum* lib. 1. *Eleg.* 6.

Jamq́, pruinoſos molitur Lucifer *axes,*
Inque ſuum miſeros excitat ales opus.

Alii malunt *paſſeris* aut *aviculæ cantum* intelligi, quo, quamlibet tenui, ſenex è ſomno excitetur, dum juvenes tam alte dormiunt, ut ne tonitruum quidem fragorem audiant. Nec facile eſt ſtatuere utra verſio ſit ſanior. Eos enim abunde confutavimus, qui gallum negant, aut ullam majorum avium voce צפור ſignificari. Poteſt etiam id accipi de *matutino garritu avium*, qui

qui *Arabicè* voce maximè propriâ dicitur زقزقة *zakzaka.* Alcamus, الزقزقة صوت طير عند الصبح zakzaka, *garritus avium circa Auroram.*

IX. Nonus locus ſic habet *Thren.* 3. *v.* 52. *Me venantur* כצפור, *ut tſippor inimici mei immeritò:* ubi *Græci*, ὡς ϛρουθίον· ſed *Hieronymus, quaſi avem.* Quod acceperim potius de majoribus avibus, quibus aucupandis opera libentius inſumitur, & majore cum fructu,

In *Tobia Latinum* exemplar à *Græco* in hac voce diſſidet *Tob.* 2. *v.* 9. (*al.* 11.) Nam in *Græco* dicit *Tobias*, Καὶ οὐκ ᾔδειν ὅτι ϛρουθία ἐν τῷ τοίχῳ ἐστί· καὶ, τῶν ὀφθαλμῶν μου ἀνεῳγότων, ἀφώδευσαν τὰ ϛρουθία θερμὸν εἰς τοὺς ὀφθαλμούς μου· *Et paſſeres in pariete eſſe neſciebam: &, oculis meis apertis, paſſeres calidum ſtercus in oculos meos egeſſerunt.* At *Latinum* quadam die contigiſſe narrat ut, cum juxta parietem *Tobias* obdormiſſet, *ex nido hirundinum dormienti illi calida ſtercora inciderent:* Quæ aliter conciliari poſſe non video, quàm ſi dicas *Græcè* ϛρουθία ibi non eſſe *paſſeres*, ſed *aviculas*, prout ſupra aſſerebant *Moſchopulus* & *Phavorinus aviculas* omne genus *Græcè* dici ϛρουθία. Aut *paſſerum* nomine *hirundines* ſignificari *Arabum* more, qui hirundinem vocant عصفور الجنة *paſſerem Paradiſi.* Qualis eſt, quod *Prov.* 26. *v.* 2. *Hebræum* דרור *deror*, alii *hirundinem* reddunt: ſed *Græci* interpretes ϛρουθὸς, *paſſeres.*

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

De providentia Dei circa Paſſeres, & Aviculas, in *Matth.* 10. *v.* 29. & *Luc.* 12. *v.* 6.

Aſſarium idem, quod as. Gloſſæ *emendata. Aſſarium quaternos denariolos noſtros valuit, juxta* Budæum, Hiſpanicæ *moneta tres* maravedis Maimonidi *pondus aſſarii quatuor granorum. Arabi* follis. *Vilia, quæ aſſe veneunt. In* Ariſtophane *ſeptem fringilli pro uno obolo. In* Luca *quinque paſſeres pro duobus aſſariis. Idem pretium Fringillus paſſeri ſimilis. Unde Gallicè* pinſon *Paſſer abſq; Deo non cadit in terram, nec in oblivione eſt coram Deo. Sumpta Phraſis ex* Pſal. 9. v. 19. Hieronymus *quo ſenſu Deum neget hæc minutula noſſe. Dei providentiam ad viliſſima creaturas extendi probatur rationibus.* Talmudicos *etiam &* Græcos *ita ſenſiſſe.*

CHriſtus *Matth.* 10. *v.* 29. dicit duos paſſeres aſſario vendi, nec tamen eorum ullum in terram cadere ſine Deo. Et *Luc.* 12. *v.* 6. quinque paſſeres duobus aſſariis venire, nec tamen eorum ullum in oblivione eſſe apud Deum. Itaque ſinguli paſſeres ſemiſſe vendebantur, aut paulò minùs. Falluntur enim qui aſſarium ſemiſſem eſſe volunt. Quin aſſarium eſt idem, quod as. Gloſſæ *Latino-Græca, Aſſe*, Ἀσσάριον, Lege Ἀσσαρίῳ. Et alibi, *Seſquas*, Ἓν ἥμισυ ἀσσάριον. Lege, Ἓν ἥμισυ καὶ ἀσσάριον. Gloſſæ *Græcolatinæ Philoxeni*, Ἀσσάριον, *Hic as.* Ἀσσαρίου ἥμισυ, *Seſquas*, lege Ἓν ἀσσάριον καὶ ἥμισυ. As, ex *Budæi* ſupputatione, quaternos denariolos noſtros valuit, & pauxillò plus. *Syrus* interpres habet ܐܣܪ *aſſar*, qua voce pro *aſſario Hebræi* etiam ſæpe utuntur. A *Davide Cohen de Lara*, in libro *De convenientia Rabbiniſmi cum Græco*, אסר *aſſar*, *Hiſpanicè* definitur *moneda de tres maravedis*, quod ad *Budæi* λογισμὸν proximè accedit. In Maimonidis Tractatu *De ſiclis* cap. 1. 3. הסלע ארבעה דינרין והדינר שש מעין ומעה היא הנקראת בימי משה רבינו גרה ומעה היא שני פנדיונין ופונדיון שני אסרין ופרוטה אחת משמונה באסר נמצא משקל המעה היא הגרה שש עשרה שעורות ומשקל האסר ארבע שעורות ומשקל פרוטה חצי שעורה *Siclus valet quatuor denarios. Denarius ſex obolos. Obolus autem gera vocabatur diebus* Moſis *Magiſtri noſtri. Obolus valet duo pondia: & pondium duo aſſaria. Et peruta eſt aſſarii octava pars. Oboli pondus, qui gera dicitur, eſt ſedecim granorum hordei. Pondus aſſarii quatuor granorum, peruta dimidii grani.* Similem locum citat *Druſius* ex libro *Mandatorum.* Pro *aſſario* فلس *follem*, & pro *duobus aſſariis* فلسين *duos folles* habet *Arabs* interpres, & *Hieronymus dipondium.* Sed *Matth.* 5. *v.* 26. in eodem *Arabe follis* eſt pro *quadrante.* Et *Marc.* 14. *v.* 42. فلسين *duo folles* ſunt pro *duobus minutis*, ſeu *duabus* פרוטות *perutoth:* quæ ſimul junctæ unum quadrantem efficiunt. Apparet igitur hunc interpretem, de vero nummorum pretio parum ſollicitum, ſat habuiſſe, ſi pro vili nummo vilem alium poneret, quamvis diverſi pretii. Et verò aſſario, vel aſſe, vendi nihil aliud eſt quàm vili pretio diſtrahi. Nam vilia eſſe oportet, quæcunque aſſe væneunt, vel æſtimantur. Hinc *Catullus Lesbiæ* ſuæ,

Rumoresq; ſenum ſeveriorum,
Omnes unius æſtimemus aſſis.

Et in *Vibennios*,

Fili, non potes aſſe venditare.

Et in quendam,

Non aſſis facis? O lutum, lupanar!

Et *Cicero* pro *Quintio. Aſſem ſeſe negat daturum, niſi prius de rebus rationibusq; ſocietatis omnibus decidiſſet.* Et pro *Roſcio* Comœdo, *Dic* I I S. CCCIↃↃↃ *dediſſe, qui aſſem nullum dedit.* Et *Juvenalis* Satyrâ 10.

Quiſquis adhuc uno partam colit aſſe Minervam.

Et *Miſna* in fine Tractatus *Cholin*, ubi de præcepto, quo jubentur *Iſraelitæ* matrem dimittere, cum ova, & pullos in nido capiunt, ut illis bene ſit, & prorogentur dies, *Deut.* 22. *v.* 6. 7. אם מצוה קלה שהיא באסר אמרה תורה למען ייטב לך והארכת ימים קו וחומר על מצות חמורות שבתורה *Si in præcepto leviore, de re, quæ vix aſſarii eſt, Lex ait, "Ut bene ſit tibi, "& proroges dies tuos: quanto magis* (idem ſperandum) *de gravioribus præceptis, qui ſunt in Lege?* Pro *aſſario obolum* dixiſſent *Græci* vetuſtiores. Sic in *Avibus Ariſtophanis* graviter queruntur aves de quodam *Philocrate*, qui,

- ϛυνείρων τοὺς σπίνους, πωλεῖ καθ' ἑπτὰ τοὐβολοῦ,

Fringillos connectens, ſeptem vendit uno obolo. Obolo, id eſt, *duobus aſſariis*, ſive *aſſibus.* Quod docent hæc *Polybii Hiſtoriarum* lib. 2. Ὡς μὲν ἐπὶ τὸ πολὺ παρίενται τοὺς καταλύτας οἱ πανδοχεῖς ἡμιασσαρίου, τοῦτο δ' ἐστὶ τέταρτον μέρος ὀβολοῦ. *Hoſpites ſuos plerumque caupones accipiunt ſemiſſe, ſeu dimidio aſſario, quod eſt oboli quarta pars.* Cum igitur quinque paſſeres duobus aſſariis venire dicit *Chriſtus*, idem eſt, ac ſi dixiſſet obolo vendi. Unde colligis *Athenis* ævo *Ariſtophanis* aliquantò viliorem fuiſſe annonam, quàm in *Judæa Chriſti* ætate. Nam quo pretio *Athenienſes* ſeptem fringillos, nonniſi quinque paſſeres *Judæi* comparabant. *Latinus* porrò *Ariſtophanis* interpres pro *fringillis* habet *paſſeres*; quia paſſer & fringillus ſunt aves ſimillimę.

Hinc

Hinc *Gloſſa Philoxeni*, Σπῖνος, ὁ στρουθὸς, *Fringillus*, *fringillus*. Quaſi σπῖνος idem eſſet, quod στρουθὸς, ſeu *paſſer*. *Fringillus*, Gallis *pinſon*, olim fortè *pintion*, ut *Heſychio* σπίνθιον. Tale *chanſon* ex *cantione*, *maiſon* ex *manſione*, *raiſon* ex *ratione*, &c. Sed, ſive quinque, vel ſeptem hujusmodi aviculæ obolo diſtrahantur, & matrem ſolam, aut matrem cum pullis, *Miſna* auctor aſſem æſtimaverit, viliſſima oportet eſſe animalcula, cum tam levi pretio proſtent. Tamen hic *Chriſtus* nos docet etiam hæc animalcula Deo ita eſſe curæ, ut eorum nullus absque eo in terram cadat, id eſt, eo non permittente pereat. Quibus hæc *Lucæ conſona*, Ἓν ἐξ αὐτῶν οὐκ ἔστιν ἐπιλελησμένον ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ· *Unus ex illis non eſt in oblivione coram Deo.* Phraſi ſumptâ ex *Pſal.* 9. *v.* 19. ubi de paupere dicitur, Οὐκ εἰς τέλος ἐπιλησθήσεται, *Non in æternum oblivioni erit.* *Hebraicè* לא לנצח ישכח. Unde Regius *Pſaltes* tam de puſillis, quam de magnis animalibus *Pſalm.* 104. *v.* 27. *Omnia iſta à te expectant, ut des illis eſcam in tempore ſuo.* Tamen, ut de *Judæis* taceam in præſens, quorum pleriq; in diverſa ſunt ſententia, *Hieronymus* in *Habacucum* cap. 1. hæc habet: *Abſurdum eſt ad hoc Dei deducere majeſtatem, ut ſciat per momenta ſingula quot naſcantur culices, quotve moriantur: quæ cimicum, & pulicum, & muſcarum ſit in terra multitudo: quanti piſces in aqua natent: & qui de minoribus majorum præda cedere debeant. Ne ſimus tam fatui adulatores Dei, ut, dum potentiam ejus ad ima detrahimus, in nos ipſos injurioſiſſimus; eandem rationabilium quam irrationabilium providentiam eſſe dicentes.* Quæ duriora videri poterunt, niſi benigna interpretatione molliantur. Ita ut intelligamus hæc comparatè dici (quod ſub finem ſubinnuit) ne putetur Deus brutorum eandem habere rationem, quam hominum, quos creavit ad ſuam imaginem: cum bruta ſervet præcipue propter homines, in quorum uſum creata ſunt. Diverſos igitur agnoſcimus divinæ providentiæ gradus, neque Deum curare boves eodem modo, quo homines, quod docet *Paulus* 1. *Cor.* 9. *v.* 9. Tamen tam boves, quàm homines, & viliſſimas etiam creaturas Deo ſubeſſe certum eſt. Neque is regere & conſervare dedignatur quæ creare dignatus eſt. Et cavendum, ne figamus limites illius providentiæ, quam ut nec maxima onerant, ſic nec minima effugiunt, aut ab ea negliguntur. Quis credat Deum ignoraſſe numerum coturnicum, quibus *Iſraelitas* in deſerto pavit, aut piſcium, qui natabant in lacu *Geneſareth*, cum *Chriſti* juſſu *Petrus* jecit retia? Aut neſciviſſe quot ranis & pediculis uſurus eſſet in *Ægyptios*; aut locuſtas illas, quæ vocantur *Dei copia* Joel 2. verſ. 11. ipſi non fuiſſe curæ, & ſummum illum ducem fugiſſe, quot milites in exercitu ſuo conſcripſerit? Denique quid *Chriſti* verbis diſertius, *nullum ex paſſeribus in terram cadere ſine Deo*, aut *in oblivione eſſe coram illo?* In quem locum hæc obſervanda, quæ ex *Talmude Hieroſolymitano* profert doctiſſimus *Buxtorfius Lexici Talmudici* pag. 553. Rabbi Simeon Ben Jochai *latebat in quadam ſpelunca. Die quodam ſedens ad oſtium ſpeluncæ, & videns aucupem aves capientem, & rete extendentem, audivit filiam vocis* (oraculum) *quæ cùm dicebat* דימוס *dimos* (id eſt, *liberatio*) *tum evadebat avis. Quando verò filia vocis dicebat* ספיקולא, *ſpicula* (id eſt, *ſententia mortis*) *tum avis capiebatur. Proinde dixit oraculum*, צפור מבלעדי שמיא לא יבדא כל שכן בר נשא. *Avicula ſine cœlo* (id eſt, ſine Dei voluntate, & providentia) *non perit: quantò minus homo!* Pro לא יבדא lege לא אבד. His etiam *Ethnici* non diſſimilia ſcribunt. Sic *Plutarchus* alicubi ex *Homero* probat veteres in ea fuiſſe ſententia, Dei numine curari οὐ μόνον βόας, ἀλλὰ καὶ πάντα τὰ ἄλλα ζῶα, *non ſolum boves, ſed & omnia alia animalia.* Et *Ælianus Hiſt.* lib. 11. cap. 31. Ἴδιον δὲ ἄρα τῶν ζώων καὶ τοῦτο ἀγαθὸν, πρόνοιαν αὐτῶν καὶ οἱ Θεοὶ ποιοῦνται, καὶ οὔτι αὐτῶν καταφρονοῦσιν, οὐδὲ μὴν ὀλιγώρως ἔχουσιν· *Etiam brutis competit hoc bonum, quod iis Dii provident, neque illa deſpiciunt, aut ſuiq; deq; habent.*

DE
SCRIPTVRÆ ANIMALIBVS,
PARS SECUNDA,
Liber Secundus,
DE
Immundis Avibus.

CAPUT PRIMUM.

Aquila Rex avium; ejus nomen, roſtrum, ungues, pluma, calvitium, renovatio, color.

Aquilam pro Rege avium habent Græci, Romani, Ægyptii, Arabes, Hebræi, Patres. *Obiter corrigitur, & explicatur* Talmudis *locus inſignis de* Belo Babylone, Nebo Borſippæ, Atergati Hierapoli, Urania Venere Aſcalone, *aquilâ in* Arabia *cultis:* Dulkelæ *ſcilicet in* Homeritis. *Aquila cur cum trochilo certamen. Aquila* Hebraicè נשר. *Falſæ vocis origines rejiciuntur, vera aperitur. In aquilæ roſtro quid ſingulare. Cur eadem* Græcè *αἰετός. Aquilæ leonini ungues, qui roſtri formam imitantur. Cur aquila ab* Homero *vocetur ἀγκυλοχείλης, & à* Senioribus plena unguibus, *&* multa unguibus, *Ezech.* 17, 3. 7. *Quod ſequuntur* Syrus *&* Arabs. *Tamen* Hebraicè *dicitur* plena *&* multa plumis. *Quod opponitur* glabræ *ſeu* calvæ, *de qua* Mich. 1, 6. Muer *in aquilis μυλιύειν, μαδίζεσθαι, πτερορρυῆσαι,* Arabicè كرز curiza. *Calvitium avium. Aquila* renovari *dicitur* Pſal. 103, 5. *cum* pennæ renaſcuntur, *Eſ.* 40, 31. *ubi error* Syri *notatur. Aquilarum pili Dan.* 4, 30. *non leonum, ut perperam* Theodotion. *Fons erroris. Pilos avibus rectè tribui.* Caſaubonus *&* Pamelius *notati. Accipiter quomodo plumeſcat,* Job. 39, 29. Hebræorum, Arabum, *veterum quoque Eccleſiæ Doctorum fabulæ de aquila renovatione. Aquilæ multæ ſpecies à colore dictæ. De* Aquila Aſteria, *Ezech.* 17, 3. Syrum *interpretem caudam ſanguineam aquilæ tribuere,* Apoc. 8, 13. *joculari errore.*

IMmundas aves in hoc libro eodem ordine proponemus, quo *Moſes Levit.* 11, 13. & *Deut.* 14, 2. Prima omnium eſt aquila. Quò pertinet, quod hic habet *Baal Hatturim*, פתח בנשר שהוא מלך בעופות. *Incepit ab aquila, quia eſt Rex avium.* In earum ſcilicet avium cenſu, quarum eſum *Judæis* interdixit Deus, vult aquilam meritò ducere ordinem, cum in reliquas aves regnum ei dederit conſenſus gentium, propter eximias dotes, quibus ſupra illas eminet. De *Græcis* res manifeſta eſt. Aquilam enim vocat *Pindarus Olymp.* 13.

— — οἰωνῶν βασιλῆα,

avium regem. Et *Pyth.* 1.

Διὸς αἰετὸν, ἀρχὸν οἰωνῶν,

Jovis *aquilam, ducem avium.* Et *Iſthm.* 6.

- - - - - - ἀρχὸν οἰωνῶν μέγαν αἰετόν,

principem avium, magnam aquilam. Et oraculum de *Athenienſibus* in *Equitibus Ariſtophanis* Actu tertio,

Αἰετὸς ὡς γίνῃ, καὶ πάσης γῆς βασιλεύσεις,

Eſto ut aquila, & toti orbi dominabere. *Nicander* etiam, ubi de aquilæ & draconis pugna, *Theriacῶν* verſu 448.

Τῷ μὲν τ᾽ ἔκπαγλον κοτέων βασιλήϊος ὄρνις
Αἰετὸς, - - - - - - -

In hunc autem immanem in modum exæſtuans regia avis aquila. Et *Boëus* libro primo *Ornithogoniæ*, de *Periphante* à *Jove* in aquilam mutato, Ποιεῖ γὰρ αὐτὸν ἐν πᾶσι τοῖς ὄρνισι βασιλέα. *Facit enim eum Regem inter omnes aves.* Et *Dionyſius* in *Baſſaricis* apud *Stephanum* in Κάσπειρος,

Αἰετὸς ὃν ὄρνισι μεταπρέπει ἀγρομένοισιν,

Aquila inter agreſtes aves excellit. Et *Quintus Smyrnæus* libri tertii verſu 353.

Αἰετὸς οἰωνῶν προφερέστατος,

Aquila avium præſtantiſſima. Et *Oppianus Halieuticῶν* libri ſecundi verſu 539.

Ὅσσον γὰρ νεφέεσσι μετ᾽ οἰωνοῖσιν ἀνακλῆς
Αἰετὸς. - - - - - - -

Quantum leves inter aves (excellunt) *Reges aquilæ.* Et *Ælianus Hiſt.* lib. 9. cap. 2. Τὸν ἀετὸν, τὸν τῶν ὀρνίθων βασιλέα, οὐ μόνον παρόντα, καὶ ζῶντα δέδοικε τὰ ὄρνεα· *Avium Regem aquilam, non ſolùm viventem & præſentem timent aves.* *Phile* denique πτηνοκράτορα nominat, id eſt, *avium principem.* Et *Tzetzes Chiliad.* 5. Hiſt. 9. tam aquilas, quam leones cadavera negat attingere, ut qui Reges ſint, ille avium, hic ferarum. Et è *Romanis* Scriptoribus *Horatius* libri quarti *Odâ* quartâ,

Qualem miniſtrum fulminis alitem,
Cui Rex Deorum regnum in aves vagas
Permiſit, &c.

Martialis libri quinti *Epigrammate* quinquageſimo ſexto,

Dic mihi quem portes, volucrum regina.

Apuleius aſini libro ſexto, *Primi* Jovis *regalis avis illa.* *Claudianus* Præfatione in tertium Conſulatum *Honorii*,

- - *volucrumque potens, & fulminis hæres.*

Ægyptios quoque idem ſenſiſſe docent hæc *Diodori* libro primo, Τὸν δ' ἀετὸν Θηβαῖοι τιμῶσι, διὰ τὸ βασιλικὸν εἶναι δοκεῖν τοῦτο τὸ ζῶον, καὶ τοῦ Διὸς ἄξιον· *Aquilam* Thebani *colunt, quia regium eſſe putant hoc animal, & Jove dignum.* Unde etiam apud *Arabes* manaverat aquilæ cultus. *Talmudici* in libro *De Idololatria* cap. 1. fol. 11. b. בתי ע״ז קבועין אלו הן בית בל׳ בבבל׳ בית נבו בכורסי תרעתא שבמפג צריפא שבאשקלון נשרא שבערביא, *Templa idololatrica fixa hæc ſunt, templum* Beli *Babylone, templum* Nebo *Borſippa*, Atergatis *Hierapoli*, Uraniæ Veneris *Aſcalone, & Aquilæ in Arabia.* *Fixa templa* vocantur, quorum idola coluntur omnibus anni diebus, ut explicatur in *Gloſſa.* Quomodo *Bel Babylone* cultus eſt, & *Nebo Borſippa* (Nam pro בכורסי lege בבורסיף) Et *Hierapoli Derceto*, vel *Atergatis*, quam *Hierapoli* fuiſſe cultam multis docet *Lucianus* in libro *De Syria Dea.* *Derceto*, vel *Atergatis*, Hebraicè eſt תרעתא *Tirgata.* Et *Hierapolis* ממבג *Mambeg*, ut *Arabicè* منبج *Manbeg.* In *Plinio* quoque olim *Bambyca*, & *Mambeg*, quod mutatum in *Magog.* Itaque in *Talmude* pro שבמפג legendum שבממבג. *Uraniam* porrò *Venerem Aſcalone* fuiſſe in ſummo cultu ex *Herodoto* ſcimus. Proinde hæc videtur eſſe צריפא שבאשקלון *Tſeripha*, *quæ Aſcalone eſt.* Quamvis cur vocetur צריפא *Tſeripha* non ſatis conſtet. Niſi *à conflando* dictam putes. *Hebræis* enim צרף *tſaraph*, eſt *conflare.* Unde *Talmudicis* בית נצרפי׳ *domus conflatilium*, id eſt, idolorum templum. Aut *à libidine*, cui præeſt. Nam *Arabicè* صرف *tſarapha* eſt *ardere libidine*, & صارفة *tſaripha* dicitur *canis fœmina, cum catulit, & ardet libidine in marem.* Supereſt de *Arabum aquila* dicamus. Fuit id idolum *Dulkelaitarum* in *Homeritis*, populo *Arabiæ Felicis* notiſſimo. *Alcamus*, النسر الصنم كان لذي الكلاع بارض حمير *Aquila fuit idolum* Dulkelæ *in terra* Humeir, id eſt, *Homeritarum.* Nempe etiam apud *Arabes* invaluerat hæc opinio, aquilam eſſe avium principem. Itaque *Muaphius* in libro, qui inſcribitur نفحات الازهار *Odores florum*, hoc tribuit impuro *Mahometi*:

هبط علي جبريل فقال يا محمد ان لكل شي سيد فسيد البشر ادم وسيد ولد ادم انت وسيد الروم صهيب وسيد فارس سلمان وسيد الحبش بلال وسيد الشجر السدر وسيد الطير النسر *Deſcendit ad me* Gabriel, *& dixit*, O Mahomed, *unicuique rei ſuus eſt dominus. Dominus hominum fuit* Adamus. *Tu verò Dominus es filiorum* Adami. *Et Græcorum Dominus eſt* Sahib, *& Perſarum* Soliman, *& Abiſſinorum* Bilal. *Et arborum connarus loti ſpecies, & avium aquila*, &c. Jam ſi libet audire *Hebræos*, *Joſephus, De bello Judaico* libri tertii capite quinto, *Romanos* in prima legionis cohorte aquilam pro ſigno ideò habuiſſe ſcribit, quia ἀετὸς eſt βασιλεύς τε οἰωνῶν ἁπάντων, καὶ ἀλκιμώτατος, *omnium avium Rex, & validiſſimus.* Et *Kimchius* in *Ezech.* 17, 3. הנשר הוא מש׳ לנבוכדנצר מלך בב׳ כי הנשר מלך העופות וכן נבוכדנצר היה מלך ע׳ כ׳ מלכי הארץ, *Aquila ibi eſt typus* Nebucadnetſaris *Regis* Babyloniæ, *quia ut aquila Rex eſt avium, ita* Nebucadnetſar *Rex fuit omnium terræ Regum.* *Hinc in* Maſal Kadmoni *Fabula triceſima octava hanc habet inſcriptionem*,

צורת הנשר ע׳ מושבו ׃
וסנהדרי׳ העוף יושבים סביבו ׃

Figura aquilæ ſuper ſolium ſuum, & Synhedrium avium circa illam ſedentium. Nempe in avium concilio pingitur aquila coronâ inſignis, & in ſolio ſublimis, & illi adſtant aves reliquæ. Et de aquila *Baal Hatturim* hujus capitis ſtatim initio הוא מלך העופות, *Ea in aves regnum obtinet.* *Patres* denique id ipſum ſic definiunt. Ità *Ambroſius Hexaëm.* lib. 5. cap. 18. aquilam appellat *regalem avem*, & ei tribuit *regale faſtigium.* *Hieronymus* in *Mich.* 1. *Aquila, quæ regina eſt avium.* Et in *Dan.* 7. *Ut leo inter beſtias, ita aquila inter aves regnum tenet.* *Epiphanius* in *Phyſiologo* capite ſexto, Ἔστι γὰρ ὁ ἀετὸς βασιλεὺς τῶν ὀρνέων· *Aquila enim eſt avium Rex*, aut Regina, ſi mavis. *Theodoretus* Præfatione in *Canticum*, de loco *Ezech.* 17, 3. Ἀετὸν μὲν τὸν βασιλέα (ἐνόησεν) ἐπειδὴ καὶ τὸ ζῶον βασιλικόν· *Aquilæ nomine Regem intellexit, quia regium eſt animal.* *Theodorus Heracleenſis* in *Pſal.* 102. Ἐπειδὴ ὁ ἀετὸς δοκεῖ βασιλεύειν τῶν πετεινῶν ἁπάντων· *Quia aquila imperare videtur omnibus volucribus.* Et paulò pòſt, Διὰ γὰρ τοῦ ὀρνέου τοῦ ἀετοῦ τὴν βασιλείαν αἰνίττεται, *Nam per aquilam regnum ſignificat.* Quid quod vulgo perſuaſum fuit aquilæ cum trochilo ideò eſſe certamen; quia καλεῖται πρέσβυς, καὶ βασιλεύς, *vocatur Senator, & Rex*, quaſi hoc illi nomen invideat? Ità teſtatur *Philoſophus Hiſt.* lib. 9. cap. 11. Unde *Plinius* lib. 10. cap. 74. *Diſſident aquilæ & trochilus, ſi credimus, quoniam Rex appellatur avium.*

Aquila Hebraicè נשר *neſer*, unde dicatur, Magiſtros latuit hactenus. Abſurdum enim eſt commentum *Rabbi Bechai* in *Gen.* 2. deduci à *Chaldæo* נשר *neſar*, quod *decidere* eſt; quia cum volatu ſe ſuſtulit ad elementum ignis, ut quidem volunt, indè præceps in mare decidit. Nec iis aſſentior, qui *à defluvio pennarum* dictam aſſerunt, quia נשר *Rabbinis* eſt *defluere.* Aut *à viſu*; *quia* נשר *neſer*, videtur alludere ad Verbum שור *ſur*, quod *videre* eſt. Sed *Arabes* maximè probo, quibus نسر *naſara* eſt *roſtro vellicare*: & منسر *minſar*, *roſtrum*, idque propriè *rapacis avis.* Indè igitur aquilam نسر *neſr* appellari volunt; لانه ينسر الشي ويقتلعه *quia rem roſtro carpit, & vellicat.* Ità *Giauhari*, & *Damir*, & *Alcamus.* Roſtro quidem vellicant etiam aliæ rapaces aves; Tamen

Tamen rapacium principi aquilæ id ſpeciali jure tribuitur; quia roſtro eſt magis adunco, & eo carpit fortiùs. Ità in prædam involare commune eſt omnibus, quod *Hebræis* eſt העיט. Unde עיט *ajit*, eſt in genere *avis rapax*. Tamen ἀετὸν, vel αἰετὸν, indè deflexum, proprium eſſe aquilæ nomen voluit uſus apud *Græcos*.

Aquila ut roſtro, ità etiam unguibus eſt inſignis, quos non habet rectos ut homo, ſed leonis inſtar incurvos, & aduncos. Animalium enim, quæ ungues habent, τὰ μὲν εἰσιν ἰυθυώνυχα, ὥσπερ ἄνθρωπος· τὰ δὲ γαμψώνυχα, ὥσπερ καὶ τῶν πεζῶν λέων, καὶ τῶν πτηνῶν αἰετὸς, *alia ſunt rectis unguibus, ut homo; alia aduncis, ut leo inter pedeſtria, & aquila in volucribus.* Ità *Philoſophus Hiſt.* lib. 3. cap. 9. Nempe ungues in avibus roſtri formam imitantur. *Suidas*, Γαμψώνυχα ὅσα τῶν ζώων τὴν ἐπιγρυπίδα γεγάμψωκεν ὑπὸ τὴν γένυν, οἷα ἐστὶν αἰετὸς· *Aduncis ſunt unguibus quotquot animalium ſub malis roſtrum habent incurvum, in quo genere eſt aquila.* *Grammatici* dubitant ad utrum pertineat, quod aquila, quam *Penelope* vidit in ſomnis, vocatur

- - - - μέγας αἰετὸς ἀγκυλοχείλης·

Aliis enim ἀγκυλοχείλης eſt ὁ ἔχων ἀγκύλα χείλη, ἤτοι τὸ ῥάμφος, *qui labia, aut roſtrum incurvum habet*: aliis ἐπικαμπεῖς τὰς χηλὰς ἔχων, *qui ungues habet inflexos.* Quo ſenſu in *Ariſtophanis Equitibus Cleo* appellatur

- - - - βυρσαίετος ἀγκυλοχείλης,

quia inſtar aquilæ aduncos ſeu rapaces habebat ungues, ut interpretatur non ſolùm *Scholiaſtes*, ſed & ipſe *Ariſtophanes*. Et in *Plauti Pſeudolo* coquus dicit,

An invenire poſtulas quemquam coquum,
Niſi milvinis, aut aquilinis ungulis?

Sed & *Ezech.* 17, 3.7. unguium ratione aquilam dici רב הנוצה & מלא הנוצה crediderê multi veterum. Id enim à *Græcis* redditur ὁ ἀετὸς πλήρης ὀνύχων, *aquila plena unguibus*, & πολὺς ὄνυξι, *multa unguibus*, ſeu *quæ multos habet ungues*. Quod ipſum ſequitur *Arabs*. Nec multò aliter *Syrus* verſu tertio, ܡܠܝܐ ܛܦܪ̈ܘܗܝ *pleni ungues ejus*, & verſu ſeptimo, ܣܓܝܐܝܢ ܛܦܪ̈ܘܗܝ *multi ungues ejus*. Illis nempe נוצה *eſt unguis*. Sed *Chaldæus*, *Hieronymus*, & *Hebræi* omnes rectius *pennam* aut *plumam* explicant. Adeoque ipſi *Græci Levit.* 1, 16. pro בנוצתא habent σὺν τοῖς πτεροῖς, & *Theodotion* σὺν τοῖς πτίλοις. Nempe נצה eſt *volare*, unde נצו *volârunt*, vel *avolârunt*, Thren. 4, 15 & נוצה *penna*, vel *pluma*, quæ aves ad volatum attollit. Quod huic loco convenit magis. Nam quid ſit aquila plena unguibus, aut multis unguibus, nullus capio, cum aquilis omnibus ſit idem unguium numerus. Sed aquila rectè dicitur *plena eſſe plumis*, aut *multas habere plumas*, ut *glabræ* opponatur, de qua *Mich.* 1, 6. *Dilata calvitium tuum ut aquila.* Nempe in ingreſſu veris rapaces aves plumarum defluvio ſunt obnoxiæ. Quod nos *muer* dicimus, id eſt, *mutare pennas*. Ità enim loquuntur qui de hoc argumento ſcribunt. Et id ipſum eſt μυτιύειν apud *Græcos* recentioris ævi. *Demetrius* Ὀρνεοσόφος libro ſecundo capite quinquageſimo tertio, Ἐὰν δὲ βραδύνῃ εἰς τὸ μυτιῦσαι. Quamvis propriæ voces non deſint, ut μαδίζεσθαι, πτεροῤῥυῆσαι, & ἀποβάλλειν τὰ πτερὰ, quibus utitur idem ſcriptor. *Arabicè* كرز *cursza* dixeris. *Alcamus*, كرز البازي سقط ريشه *curiza albazi*, ſeu *accipiter, decidit pluma ejus*. Unde كرز *corraz*, *accipiter*, vel quæcunque *avis rapax*, *cui pennæ defluunt*. Itaque in *Michææ calvitium aquilæ* eſt illud tempus, quo pleræque ejus pennæ exciderunt. Quamvis enim calvitium propriè homini tribuatur, tamen etiam aves *calvæ* dicuntur. *Plinius* libri undecimi capite trigeſimo ſeptimo: *Quædam animalium naturaliter calvent, ſicut ſtruthiocameli, & corvi aquatici, quibus apud* Græcos *nomen eſt indè, id eſt, οἱ φαλακροκόρακες.* Itaque tam *Græci*, quàm *Hebræi* calvitium avibus tribuunt. Ità ut hoc ſolo differant, quod cum avium calvitium juxta *Græcos* pertineat ad ſolum caput, id *Hebræi* extendunt ad totum corpus: & avis *calva* illis dicitur, quæ glabra & deplumis eſt.

At cum in locum pennarum, quæ decidêre, aliæ ſubinde ſuccreverunt, tum demum aquila (*Hebraicè* נשר) dicitur מלא הנוצה, *plena plumis*, & רב נוצה *plumis ſcatens*. Et pennas in aquilis renaſci inſinuat Scriptura non uno in loco. Sic in celebri loco *Davidis Pſal.* 103, 5. תתחדש כנשר נעוריכי, *Renovabis ut aquila juventutem tuam.* Ita malo cum *Chaldæo* reddere quàm cum aliis, *Renovabitur ut aquila juventus tua.* Quia Verbum תתחדש tertiæ perſonæ, cum ſit Singulare, & Fœmininum, neque genere, neque numero convenit cum נעוריכי, quod Plurale, & Maſculinum eſt. Utut ſit, in aquila juventus non aliter renovatur, quam cum veteribus pennis novæ ſuccedunt. Quomodo ſerpens *ſenectam exuere* dicitur, cum veterem pellem deponit. Unde eſt, quod *ſerpentis exuvias* Græci γῆρας, Romani *ſenium* & *ſenectutem* appellant. Itaque verba *Pſaltis* eodem pertinent, quo hæc *Eſaiæ* capitis quadrageſimi verſu 31. *Sperantibus in Dominum inſtaurabuntur vires. Aſcendent* (ſuccreſcent) *pennæ ſicut aquilarum.* Ubi *Septuaginta* eleganter πτεροφυήσουσιν ὡς ἀετοί. Sed mirâ metamorphoſi aquilas *Syrus* in columbas tranſmutavit hâc ſuâ verſione, ܢܦܩܢ ܐܒܪ̈ܐ ܐܝܟ ܕܝܘܢܐ *Alas emittent ſimiles columbinis.* Nec minore errore ex aquilis facti leones in his *Theodotionis* de Rege *Nebucadnetſare* Dan. 4. 30. al. 33. Αἱ τρίχες αὐτοῦ ὡς λεόντων ἐμεγαλύνθησαν. *Pili ipſius ut leonum creverunt.* Nam in fonte eſt כנשרין, *ut aquilarum*. Sed Scribarum eſt error, non interpretis. Haud dubiè enim interpres ἀετῶν ſcripſerat, quod in λεόντων ideò mutârunt ſcribæ imperiti; quia αἱ τρίχες, id eſt, *pili*, non videbantur aquilis poſſe convenire. Itaque aquilis ſubſtituerunt piloſi animalis nomen. Futili tamen ſcrupulo. Quippe in *Prophetæ* verbis ſuppleri potuit vox analoga, *Pili ipſius creverunt, ut aquilarum* ſupple *plumæ*, quæ id ſunt in avibus, quod in hominibus pili. Præterea quandoque etiam avibus pili & capilli tribuuntur. Quâ κατάχρησις *Oppianus* libro tertio *Cynegeticôn* dicit de gallina, quæ accipitrem videt pullis ſuis inhiantem,

- - - - ἑαῖς ἔφριξεν ἐθείραις,

ſuis inhorruit pilis. Et *Matron* in *Parodiis* apud *Athenæum* libro decimo quarto gallinas deſcribit in convivio oblatas,

Ἄτριχας, ὀπτίας, λαγάνοις κατὰ νῶτον ἐΐσας,

Depiles, ætate pares, dorſo laganis ſimiles. *Depiles*, id eſt, *deplumes*. Neque opus ὄτριχας cum *Caſaubono* reſtituere; quia ſic legitur in *Homeri* verſu, ad quem alludit, *Iliad.* β'. verſu 765. Nam in hoc ipſo ſita eſt παρῳδία, quod vox ſimilis, non eadem reponitur. Quod palàm faciunt multa exempla. Itaque ut gallinarum plumæ pili vocantur, ità etiam aquilarum. Unde *Tertullianus* in libro *De Pœnitentia* penè extremo, ubi de Rege *Nabuchodonozore*; *Capilli incuriâ horrorem aquilinum præferente.* Pro quo *Pamelius* reſcripſit *leoninum*, quaſi aquilam pilis horrere dici non poſſit. Quod refellunt quæ jam docuimus, etiam avium plumas *pilorum* nomine cenſeri. Et verò cum aquilas *calveſcere* dicat *Michæas* (cap. 1. verſ. 6.) quidni pilos eis tribuere potuerit *Propheta Daniel*? Eadem

certè utrobique eſt κατόχησις. Propriè enim *calvitium* eſt capillorum defluvium. Interim recens non eſt loci *Danielis* corruptio, cum præter *Arabem* interpretem illam ſequantur *Theodoretus* in *Danielem*, & auctor *Quæſtionum*, quæ *Juſtino* tribuuntur Quæſtione 44. & qui *Prophetarum vitas* ſcripſerunt ſub *Epiphanii* & *Dorothei* nominibus, qui, quamvis ſpurii Scriptores, & ψευδώνυμοι, ſunt tamen ſatis vetuſti. Jam, ſi conferas tria hæc loca, primum *Pſaltis*, *renovabis ut aquila juventutem tuam*; ſecundum *Eſaiæ*, *Sperantibus in Dominum inſtaurabuntur vires, ſuccreſcent pennæ ſicut aquilis*; tertium *Danielis*, *Pili ipſius ut aquilarum creverunt*: videbis in omnibus agi de aquilarum plumis, quæ poſt ψίλωσιν redintegrantur. Unde fit, ut aquila vegetior, adeoque etiam junior eſſe videatur. Neque his abſurdè jungatur *Jobi* locus de accipitre capitis trigeſimi noni verſu 29. *Nunquid ex intelligentia tua* יאבר נץ, *plumeſcet accipiter, alis ad* Auſtrum *expanſis?* Nempe, ut in illa ψιλώσει Solis blando calore refocilletur, & novæ plumæ in deperditarum locum faciliùs renaſcantur.

Ad hæc cum non ſatis attenderent multi veteres, de aquilarum ἀνακαινώσει, & ἀνανεώσει multa commenti ſunt, quæ piget hic referre. Notum eſt *Saadiæ* commentum apud *Kimchium* in *Pſal.* 103. & *Eſ.* 40. הנשר יעוף על כל העופות ויעלה מאד על פני רקיע השמים ויקרב לחום האש היסודי ויפול עצמו בים מרוב חום ויתחדש ויעלה אבר וישוב לימי עלומיו כל עשר עד מאה וכשיגיע למאה יעלה כמנהגו ויפול בים וימות שם *Aquila volat ſublimiùs quàm ulla avium, & firmamentum verſùs multum effertur, donec ad ignem elementarum acceſſerit. Tum verò calore æſtuans in mare ſe dat præcipitem, & renovatur, & plumæ ejus renaſcuntur, & redit ad dies juventutis ſuæ: atque id fit ſingulis decenniis uſque ad annum centeſimum, quem ubi attigit, illa de more ſurſum effertur, & in mare præceps decidit, & ibi moritur.* Quale eſt, quod legitur in *Porta cæli* fol. 22. col. 2. ויש אומרים כי הנשר טבעו לעלות קרוב לגבול האש ומתלהב בסוף עשר שנים לעשר שנים ומרוב חומו מפיל עצמו בים לקרר חומו ושם ימרט נוצתו ויתחדש נוצה אחרת ויתחדש כחו עד ק׳ שנה שיעלה שם ויפול בים ויטבע *Sunt, qui aquilæ naturale eſſe dicunt, ut prope terminum ignis aſcendat, & incendatur ſingulis decenniis, & calore æſtuans in mare ſe dejiciat, ut æſtum illum refrigeret, & ibi defluere pennas ejus, & alias ſuccreſcere, & vires ejus confirmari uſque ad annum centeſimum, quo eodem ſubvecta cadit præceps, & in mare demergitur.* Alii non in mare, ſed in fontem immergi dicunt, in quo abluta juveneſcat. *Damir*, ubi de العقاب *alokab*, id eſt, περὶ τοῦ μελαναιέτου, quod eſt aquilæ genus in *Arabia Felici* maximè frequens, تشغلت عن النهوض او عميت حملتها الفراخ ونقلتها من مكان الي مكان تلتمس لها عينا صافيتا بارض الهند على راس جبل فيتغمسها فيها ثم تضعها في شعاع الشمس فيذهب ريشها وينبت لها ريش جديد ويذهب ظلمة بصرها ثم تعوص في تلك العين فاذا هي قد عادت شابة *Et cum volatu tarda fit, & excæcatur, ferunt eam pulli, & è loco in locum transferunt, & in* India *fontem purum ei quærunt in vertice montis, in quem demerſam radiis Solis opponunt. Tum defluunt ejus pennæ, & novæ illi ſuccreſcunt, & oculorum caligo diſſipatur: atque eidem fonti rurſus immergitur, cum redit canities ejus.* Auctor Epiſtolæ ad *Præſidium*, quæ *Hieronymo* tribuitur; *Aquila cum ſenuerit, gravantur ipſius pennæ, & oculi, quæritque fontem, & erigit pennas, & colligit in ſe calorem, & ſic oculi ejus ſanantur, & in fontem ſe ter mergit, & ita ad juventutem redit.* *Euſtathius* in *Hexaemeron* pag. 27. Φασὶ γηράσαντα τὸν ἀετὸν ἀμαυροῦσθαι τὰς ὄψεις, καὶ βαρεῖσθαι αὐτοῦ τὰς πτέρυγας, καὶ εἰς πηγὴν ἀφικνεῖσθαι, καὶ εἰς τὸν αἰθέρα ἀνιπτάμενον, ὑπὸ τοῦ ἡλίου τὰς πτέρυγας καταφλέγεσθαι, καὶ ἀναβλέπειν· εἶθ᾽ εὐθὺς ἐπὶ τὴν πηγὴν καταβάντα τρίτον βαπτίζεσθαι, καὶ ἀνανεοῦσθαι. Διὸ καὶ τὸν Ψαλμὸν φάσκειν φησὶν, Ἀνακαινισθήσεται ὡς ἀετοῦ ἡ νεότης σου. *Ferunt aquilam, ſenio confectam, oculorum acie obtundi, alaſque ejus ingraveſcere, & ad fontem contendere, & dum in aëre volatu effertur, alas à Sole exuri, & viſum recuperare: deinde cum deſcendit in fontem, in eo ter immergi, & renovari. Ac proinde* Pſalmum *dixiſſe,* « Renovabitur ſicut aquilæ juventus tua. *Anonymus* in *Pſalmos*, Ὁ ἀετὸς κατὰ φ᾽ ἔτη ἀνακαινίζεται. καιόμενος ὑπὸ τοῦ ἡλίου, καὶ καταδυόμενος εἰς πηγὴν ὕδατος, πάλιν νέος εὑρίσκεται· *Aquila quingenteſimo quoque anno renovatur. Adusta à Sole, & merſa in fontis aqua, juvenis iterùm reperitur.* Sunt, qui pro φ᾽, hoc eſt, *quingenteſimo*, ρ᾽, hoc eſt, *centeſimum* reſcribunt, ut huic ſcriptori cum *Epiphanio* conveniat, cujus verba ſunt: Ἀετὸς δὲ καλεῖται διὰ τὴν πολυετίαν αὐτοῦ. οὗτος μὲν ζῇ ἔτη ἑκατὸν, καὶ γηράσαντος κυρτοῦται ὁ προμυκτὴρ, καὶ ἀμβλυώττουσιν οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτοῦ, τοῦ μὴ ὁρᾷν, καὶ μὴ ἰσχύειν φαγεῖν. ἀνέρχεται δὲ εἰς ὕψος λίαν, καὶ ῥίπτει ἑαυτὸν ἐπὶ ἀκροτόμου πέτρας, προσκρούσας αὐτῇ τὸ ῥάμφος, καὶ λούεται ἐπὶ τὴν ψυχρὰν λίμνην, καὶ κάθηται κατὰ τὸ ἡλιακὸν θερμὸν, πίπτουσι δὲ λεπίδες ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν, καὶ πάλιν εἰς νέους τελεῖν ἄρχεται. *Aquila vocatur* ἀετὸς *propter longævitatem. Vivit enim annos centum. Cum verò ſeneſcit, roſtrum ei incurvatur, caligantque oculi, ità ut nec videre, nec comedere poſſit. Igitur in altum ſe attollit, & in præruptam ſe projicit rupem, ad quam roſtrum allidit, & frigido lacu ſe abluit, & ad calorem Solis reſidet, caduntque ex oculis ſquamæ, atque iterum juveneſcit.* *Auguſtinus* quoque in *Pſalmum* 102. aquilæ ſeneſcentis roſtrum ſuperius ità creſcere ſcribit, ut claudatur edendi aditus. Quod ipſum (a) *Ariſtoteles*, (b) *Plinius*, & (c) *Horus Apollo* disertè docent. Sed cum roſtro ſic accreſcente fame interire iidem addant, illam aſſerit *Auguſtinus*, roſtro ad petram attrito, vires collapſas eſu reparare. Quod tamen ne quis putet ab eo pro certo tradi, en tibi viri Sancti verba in *Pſalmum* 66. *Renovabitur juventus noſtra ſicut aquilæ, tantummodo nos vetuſtatem noſtram ad petram conteramus. Sive illa vera ſunt*, &c. *quæ dicuntur de aquila, ſive ſit fama potiùs hominum, quàm veritas: veritas eſt tamen in Scripturis, & non ſine cauſa hoc dixerunt Scripturæ. Nos quidquid illud ſignificat faciamus, & quam ſit verum non laboremus.* Quin cum vel falſa, vel incerta ſint, quæ de aquilæ ἀνανεώσει tradunt Scriptores, quos citavimus, id ſolum amplectamur, quod pro vero, & certo omnes agnoſcunt, nempe aquilam ſtato tempore, veteribus plumis abjectis, alias ſubinde reſumere, atque hoc modo renovari. Unde verus *Hieronymus* in *Eſaiam* capite 40. *Crebrò diximus aquilarum ſenectutem revireſcere mutatione pennarum.* Et *Euthymius* in *Pſalmum* 102. *Depones debilem ſenectam, quam*

morbu

a) Hiſt. anim. lib. 9 cap. 32.
b) Lib. 10 c. 3.
c) Lib. 2 cap.

morbi, & peccata contraxerant, ὡς ἐκεῖνος τὸ γῆρας τῶν ἑαυτοῦ πτερῶν, ſicut illa ſenectam pennarum. Renovaberis per pœnitentiam, ὡς ἐκεῖνος διὰ τῆς παλιφυΐας πτερῶν ſicut illa per pennarum repullulationem.

d) Ariſt. Hiſt. lib. 9. c. 32. Plin. lib. 10. cap. 3.

In aquilarum generibus multis à colore nomen eſt. Ita (d) πύγαργος dicitur ab albicante cauda, à fuſco colore μορφνός, à nigro μελαναίετος, ab alarum notis πτερνόπτερος, & χρυσάετος, quæ & ἀστερίας, ab aureo fulgore, & maculis aſperſis ſtellarum inſtar. Ad quam refero hæc *Ezech.17.v.3. Aquila grandis, magnis alis, longis pennis, plena plumâ, in qua* רקמה *rekama*, id eſt, *Phrygium opus*. Nam aquilam illam ἀστερίαν, ſive *ſtellarem*, aquilarum eſſe maximam hæc *Æliani* nos docent *Hiſt.* lib. 2. cap. 39. Ἀκούω δέ τι καὶ γένος αὐτῶν, καὶ ὄνομα αὐτῷ χρυσάετον ἰδεῖν· ἄλλοι δὲ ἀστερίαν τὸν αὐτὸν καλοῦσιν· ὁρᾶται δὲ οὐ πολλάκις, &c. μέγιστος δὲ αὐτῶν εἶναι πεπίστευται. *Audio etiam aliquod aquilarum genus eſſe, quam alii* Chryſaeton, *alii* Aſteriam, *aut ſtellarem appellant. Non ſæpe apparet,* &c. *Maxima autem aquilarum eſſe creditur.* Sed aquilæ genus ſanguineâ cauda nullum novi, qualem his verbis deſcribit *Syrus* interpres *Apoc.8.v.13. Et vidi, & audivi aquilam unam volantem in medio,* ܘܕܢܒܗ ܕܕܡܐ ܐܝܬ ܠܗ *cui ſanguinea erat cauda.* Itaque hic hæreret calculus, niſi paterent fontes erroris. *Græcè* eſt ἐν μεσουρανήματι, hoc eſt, *in medio cœlo*. Id interpres accepit, quaſi legiſſet ἐν μέσῳ οὐρὰν αἵματι ſupple βεβαμμένην ἔχοντος, *aquilam in medio caudam ſanguine*, ſupple *tinctam habentem*, quo nihil fingi potuit ineptius. Vide in hunc locum Notas *Edvvardi Pocockii* viri in his literis longè doctiſſimi.

CAPUT SECUNDUM.

Aquilæ alæ, volatus, nidus, viſus, victus.

Aquila magnis alis, quas in volatu maximè extendit, Poetis τανύπτερος. *In* Homero *alas habet januæ pares. Alæ ad ſeptem ulnas patent. In prædam ruit inſtar fulminis, volat vehementiſſimè. Alarum fragore draconem fugat.* Aquiloni *ab aquila nomen.* Αἰετὸς ἀπὸ τοῦ ἀΐσσειν. Achilles αἰετοῦ οἴματ' ἔχων, *id eſt,* ὁρμήματα, *ut* Deut. 28. v. 49. *hoſtibus tribuitur* ὅρμημα ἀετοῦ. *Plures loci ſimiles. Quid ſint naves* אבה *ebe*, Job. 9. v. 26. *volatus aquilæ conſtans, & in loca remotiſſima. Aquilinæ alæ receſſuris in loca remotiſſima*, Apoc. 12. v. 14. & *Pſal.* 139. *v.* 9. *in* Syro, Arabe, *&* Æthiope: *ſed aliter in* Hebræo, *&c. Fluxæ opes aquilæ alas aſſumunt*, Prov. 23. v. 5. *Idem in* Luciano. *Aquila quam* ὑψιπέτης. *Proinde in ſinu* Jovis *eſſe credita, & fulminis adminiſtra, & ad ignem elementarem efferri, & ad radios Solis exuri, & è rogo* Cæſarum *animas in cœlum ferre. Quo ſenſu in Scriptura* in cœlum volare *dicatur, &* nidum habere inter ſtellas. *In præruptis petris nidificat*, Job. 39. v. 31. Græcè, ἐν ἀποκρύφῳ. *Potiùs* ἐν ἀποκρήμνῳ. 1. *quia nidus ibi tutior. Hinc* Beſar *aquila fieri optavit*; 2. *ut inde cuncta diſpiciat. Aquilâ nullum animal perſpicacius. Ab acumine viſus dicta aquila. Solem intuetur inconnivent. tibus oculis. In Jobo* pulli ejus ſorbent ſanguinem. *Aliter* Aquila, *&* Seniores. *Aquila nunquam bibit. An veſcatur cadaveribus. Oculis maximè inhiat*, Prov. 30. v. 17.

Alas aquilę Scriptura commendat à magnitudine. *Ezechielis* cap. 17. v. 3. *Aquila grandis, magnis alis, longis pennis*, &c. Et ibi *Græci*, Ὁ ἀετὸς ὁ μέγας, ὁ μεγαλοπτέρυγος, ὁ μακρὸς τῇ ἐκτάσει. Quia & magnas habet alas aquila, & eas inter volandum quàm maximè extendit. Unde τανύπτερος *Poetis*, quaſi *alis extenſam* dicas. *Heſiodus Theogoniæ* verſu 523.

Καί οἱ ἐπ' αἰετὸν ὦρσε τανύπτερον,

Et illi excitavit aquilam alis extenſam. Et *Pindarus Pyth.* 5.

Τανύπτερος ἐν ὄρνιξιν αἰετός,

Aquila in avibus alis maximè extenſa. Quod ita deſcribit ſummus Vates libro ultimo *Iliados* verſu 317.

Ὅσση δ' ὑψορόφοιο θύρη θαλάμοιο τέτυκται
Ἀνέρος ἀφνειοῖο ἐϋκληῒς ἀραρυῖα,
Τόσσ' ἄρα τοῦ ἑκάτερθεν ἔσαν πτερά.

Quanta autem eſt janua alti cubiculi viri divitis, bene ſerata, affabrefacta, tanta utrimque erant hujus alæ. Et apud *Geſnerum* pag. 206. *Georgius Fabricius* nidi aquilæ meminit inter *Miſenam*, & *Breſam*, *Germaniæ* oppida *Anno* 1500. reperti, ac trium in eo pullorum, quorum unius alæ per transverſum extenſæ ſeptem ulnarum menſuram æquabant.

His alis aquila rapidiſſimè fertur, & ſummo cum impetu, maximè cùm in prædam ruit. Hinc *Apulejus* lib. 1. *Floridorum* aquilam ait *in prædam ſupernè ſeſe ruere fulminis vice*. Et apud *Ciceronem* lib. 2. *De Divinatione* cùm ad interpretem retuliſſet curſor aquilam ſe in ſomnis viſum eſſe factum. *Viciſti*, ait ille: *iſta enim ave volat nulla vehementius.* Proinde draconem, alioqui audax animal, & intrepidum, alarum aquilæ ſolo fragore fugari veteres tradunt. *Ælianus Hiſt.* lib. 2. cap. 26. Καὶ τόν γε τῶν πτερῶν αὐτοῦ ῥοῖζον, καὶ τὸ τῶν θηρίων ἀπευκταιότατον, ὅμως κατέπληξεν ὁ δράκων ἀκούσας μόνον καὶ παφλαγμόν, κατέδυ, καὶ ἀσμένως ἠφανίσθη. *Phile* cap. 1.

Τούτου δὲ καὶ τὸν ῥοῖζον ἀκούσας δράκων,
Ἐξέπληξέ τι παφλαγμὸν, καὶ συνεστάλη,
Καὶ τοὺς μυχοὺς ὑπῆλθε τοὺς ἀποκρύφους.

Hinc eſt, quod *Aquilonem* ventum appellari vult *Feſtus à vehementiſſimo volatu ad inſtar aquilæ.* Et aquilam ipſam *Græcè* ἀετὸν dici plerique putant ἀπὸ τοῦ ἀΐσσειν, quod eſt *cum impetu ferri*, & *irruere*. Nos ab עיט *ajit*, deduximus, quo nomine *Hebræi avem rapacem* vocant. Sed res ferè eodem redit. Nam עיט ab העיט factum, id eſt, *ab involando*, & *irruendo*. Hæc eò pertinent, ut doceamus non fruſtra eſſe, quod Scriptura toties eorum, qui ad pugnam ruunt, velocitatem, & impetum confert cum aquilis, adeoque cum aquilis in prædam involantibus. Ita *Deut.* 28. *v.* 49. *Excitabit Dominus contra te gentem remotam, ab extremis terræ finibus*, כאשר ידאה הנשר, *ut involat aquila.* Græci, ὡσεὶ ὅρμημα ἀετοῦ· & Hieronymus, *in ſimilitudinem aquilæ volantis cum impetu.* Ita *Iliad.* φ'. verſu 252. *Achilles* in *Trojanos* irruens à *Poeta* deſcribitur, αἰετοῦ οἴματ' ἔχων, *aquilæ impetus habens.* Οἴματα enim *Scholiaſti* ſunt ὁρμήματα. *Heſychio*, Οἴματα, αἱ ὁρμήματα. Proinde idem *Poeta* de *Hectore Iliad.* χ'. verſu 308.

Οἴμησεν δὲ ἀλεὶς, ὥς τ' αἰετὸς ὑψιπετήεις,

Irruit autem cum impetu converſus, ut aquila altivolans. Perperam igitur *Philetas* pro αἰετοῦ οἴματ' ἔχων legi voluit αἰετοῦ ὄμματ' ἔχων, *aquilæ oculos habens.* Neque enim hic agitur de aquilæ oculis, ſed de irruentis impetu. Eodem pertinet, quod *Saulem*, & *Jonathanem*, viros pugnaciſſimos, *David* fuiſſe aſſerit aquilis velociores 2. *Sam.* 1. *v.* 23. Et quod de *Chaldæis* ſcribit *Jeremias* cap. 4. v. 13. *Equos habent aquilis velociores.* Et de illorum Rege *Jer.* 48. *v.* 40. *Ut aquila involabit, & in* Moabum *extendet alas ſuas.* Et rurſus *Jer.* 49. *v.* 22. *Aſcendet ut aquila, & involabit, & extendet alas ſuas in* Boſram. Et *Thren.* 4. *v.* 19. *Leviores ſunt cœlis aquilis perſecutores noſtri.*

Eadem ſimilitudine, ſed in diverſo argumento, utitur *Job* cap. 9. v. 26. *Præterierunt* (dies mei) *ceu naves* אבה *ebe, ut aquila volat ad eſcam.* In quibus verbis, ut hoc obiter dicam, *Ebe* ſuſpicor eſſe fluvii nomen cum *Selomone*, & aliis: quia hodieque duo ſunt amnes ابي *Ebe*, vel *Ebbe* nomine, in illis locis: quorum unus eſt prope *Cupham*, alter in *Babyloniæ* regione *Waſit*, quæ *Græcorum* eſt *Meſene*. Vide Clar. *Golii Lexicon* pag. 2. Poſſet & aliud afferri. *Arabibus* ابي *aba* Verbum eſt *ad iter accingi*. Itaq; hinc אניות אבה, *naves ebe*, dici queant, naves veloces ad iter accinctæ, aut actuariæ, ſi mavis, quæ ſunt expeditiores. Itaque tam hujusmodi navibus, quàm avibus, quas diximus, id eſt, aquilis ad eſcam properantibus, comparantur rapidè decurrentis ævi noſtri ſpatia, non ſolum, quia par utrobique eſt celeritas; ſed & quia temporis ſemel elapſi nihil remanet, ut aquila in aere, & navis in mari, nullum ſui veſtigium relinquunt: quod obſervat *Solomon Prov.* 30. v. 19. Unde eſt, quod *Sap.* 5. v. 10. 11. 12. utraque ſimilitudine eleganter utitur libri auctor, quisquis eſt, ut doceat nos vix dum natos ſtatim ita deficere, ut vitæ ante actæ nihil ſuperſit.

Jam aliud in aquilarum volatu eſt obſervandum, cum non modo velocem, ſed & conſtantem eſſe. Neque enim aquila citò fatiſcit, ſed ubi res poſtulat, diutiſſimè volat, & in loca remotiſſima fertur. Unde eſt, quod *Poetæ* fingunt aquilas duas, à *Jove* emiſſas, unam ab extremo Ortu, alteram ab extremo Occaſu, à volatu non deſtitiſſe, donec *Delphis* conveniſſent, aut in vicino *Parnaſſo*. Vide *Pindarum Pyth.* 4. & ibi *Scholiaſtem*, *Strabonem* lib. 9. *Plutarchum De Orac.* & *Claudiani Prologum* in *Panegyricum Manlii Theodoſii*. Quale eſt *Arabum* commentum apud *Damirem*,

وهو اشد الطير طيرانا واقوي جناحا حتي انه ليطير ما بين المشرق والمغرب في يوم واحد

Ea eſt omnium avium vehementiſſimi volatus, & alas habet robuſtiſſimas: ita ut quidquid eſt inter Ortum & Occaſum una die pervolet. Proinde *aquilinas alas* Scriptura iis accommodat, qui procul amoventur. Sic *Apoc.* 12. v. 14. mulieri, quæ eſt Eccleſia, dantur duæ alæ aquilæ magnæ, quibus in deſertum volet à conſpectu ſerpentis. Et *Pſalm.* 139. v. 9 *Syrus* interpres habet, *Si efferam alas meas* ܐܝܟ ܢܫܪܐ *ſicut aquila, & habitem in extremo mari.* Et *Arabs*, *Si ſublatus fuerim duabus alis* كالنسر *ſicut aquila, ut incidam in fines maris.* *Æthiops* quoque, *Si ſumpſerim pennas meas* ክንፈ ፡ ንስር ፡ *ſicut aquila*, &c. Tamen *Hebræa* non habent כנפי נשר, *alas aquilæ*: ſed כנפי שחר, *alas auroræ*. Quod ſequuntur *Græci*, *Chaldæus*, *Vulgatus*, *Hieronymus*, & *Hebræi* omnes. Huc etiam pertinet, quod *Proverb.* 23. v. 5. fluxæ opes leguntur *aquilæ alas aſſumere, quibus in cœlum avolent*, id eſt, velociſſimè elabantur, & procul à te amandentur, ut non ſint amplius tui juris. Proinde in *Luciani Timone* divitiarum Deus *Plutus* claudicare ſe dicit, nec niſi lentè progredi, cum à *Jove* ad aliquem mittitur, ut illius opes augeat. Ὁπόταν δὲ ἀπαλλάττεσθαι δέῃ, inquit, πτηνὸν ὄψει πολὺ τῶν ὀρνέων ὠκύτερον· *Sed cum diſcedendum eſt, alatum videbis avibus longè celeriorem.* Itaque cum dicat Deus *Exod.* 19. v. 4. ſe, tanquam alis aquilarum, *Iſraelitas* ex *Ægypto* exeuntes ſuſtuliſſe, *Judæi* inde colligunt eos cxx. millia una hora confeciſſe à *Rameſes Succotham*. Ita habet *R. Selomo* in *Exod.* 12. v. 37. מרעמסס סכתה מאה ועשרים מיל היו ובאו שם לפי שעה שנ׳ ואשא אתכם על כנפי נשרים. *A Rameſes Succotham ſunt itineris centum viginti millia, quæ unius horæ ſpatio confecerunt: prout dicitur, " Et eos tollam ſuper alas aquilarum.*

Neque hoc omittendum, nullam eſſe avium, quæ aquilâ ſublimius ſe efferat. Unde oraculo de *Atheníenſibus* edito,

Αἰετὸς ἐν νεφέλῃσι γενήσεαι, - - -

Aquila in nubibus fies, Scholiaſtes *Ariſtophanis* in *Avibus* ſignificari ait illos τοσοῦτον αὐξηθήσεσθαι, ὅσον αἰετὸς τῶν ἄλλων ὀρνέων ἐν ταῖς νεφέλαις ὑπερέχει, *tantum augendos, quantum aquila in nubibus ſupra reliquas aves eminet.* *Aben Ezra* quoque in *Job.* 29. *verſ.* 30. אין עוף שיגבה יותר ממנו, *Nulla eſt avis, quæ ſublimius ſe attollat.* Et *Kimchius* in *Jerem.* 49. v. 16. eandem volare aſſerit גבוה מכל העופות, *omnibus avibus celſius.* Et *Apulejus* lib. 1. *Floridorum*, *Aquila enimvero cum ſe nubium tenus altiſſimè ſublimavit, evecta alis, totum iſtud ſpatium, quo pluitur, & ningitur, ultra quod cacumen nec fulmini, nec fulguri locus eſt, in ipſo, ut ita dixerim, ſolo ætheris, & faſtigio hyemis.* Et *Horus* lib. 2. cap. 53. ὑψηλότερον πάντων τῶν πετεινῶν ἵπταται, *omnium avium altiſſimè volat.* Unde eſt, quod à *Poetis* paſſim dicitur (a) ὑψιπέτης, & ὑψιπετήεις *altivolans.* Quin ob id ipſum, quod in ſublime volat, ſi *Ariſtoteli* credimus *Hiſtor.* lib. 9. cap 32. θεῖον οἱ ἄνθρωποι φασὶν εἶναι μόνον τῶν ὀρνέων, *homines ſolam avium divinam eſſe perhibent.* Saltem hinc ortæ fabulæ de aquila in ſinu *Jovis*, & fulminum adminiſtra. Et quod ejus pennas alii ad ignem elementarem, alii ad vicini Solis radios exuri ſomniarunt. Ut de aquila taceam è rogo *Cæſarum* emitti ſolita, tanquam principis animam in cœlum delatura. Ita enim credebatur. *Dio* lib 56. in *Auguſti funere*, Καὶ ἡ πυρὰ μὲν ἀνηλίσκετο· ἀετὸς δέ τις ἐξ αὐτῆς ἀφεθεὶς ἀνέπτατο, ὡς καὶ δὴ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἐς τὸν οὐρανὸν ἀναφέρων. *Et rogus conſumptus eſt, ex quo evolavit aquila ejus animam in cœlum ferens.* *Herodianus* lib. 4. Αἰετὸς ἀφίεται σὺν τῷ πυρὶ ἀνελευσόμενος εἰς τὸν αἰθέρα, ὃς φέρειν ἀπὸ γῆς ἐς οὐρανὸν τὴν τοῦ βασιλέως ψυχὴν πιστεύεται ὑπὸ Ῥωμαίων· *Simul cum* (ſubjecto) *igne aſcenſura in ætherem aquila dimittitur, quam è terra in cœlum principis animam deferre* Romani *credunt.* Proinde in veterum nummis ab una parte videre eſt Imperatoris effigiem, ab altera aquilam, cui ſedeat Imperator, cum hac inſcriptione, CONSECRATIO S.C. Et, ſi Rex, aut Princeps aquila vehi ſe ſomniet, id illis mortem portendere ſcribit *Artemidorus* lib. 2. cap. 20. quia hos mortuos mos vetus erat πλάσσειν τε, καὶ γράφειν ἐπὶ ἀετῶν ὀχουμένους, *fingere, & pingere aquilæ inſidentes.* Quid quod ex ipſa Scriptura videtur poſſe colligi aquilam volare in cœlum usque, & nidum habere inter ſtellas? Ita enim *Solomon* Proverb. 23. verſ. 5. *Ut aquila volabit in cœlum.* Et *Abdias* verſ. 4. *Idumæos* alloquens munitionum ſuarum altitudine ſuperbientes, *Si extuleris tanquam aquila, & inter ſtellas poſueris nidum tuum, inde dejiciam te, ait Dominus.* Sed *cœlum* ab *Hebræis* pro *aere* ſumi etiam pueri ſciunt. Et *nidus poni inter ſtellas* eâdem Hyperbole dicitur, quâ Rex *Babyloniæ* ita ſe effert *Eſa.* 14. v. 13. *In cœlum aſcendam, & ſupra ſtellas Dei exaltabo ſolium meum.* Cui non eſt abſimilis *hæc Xerxis* jactantia *Herodoti* lib. 7. cap. 10. Γῆν τε τὴν Περσίδα ἀποδέξομεν τῷ Διὸς αἰθέρι ὁμουρέουσαν. *Terram* Perſidem *ætheri* Jovis *conterminam reddemus.* Nempe ut ſupra ſtellas exaltare ſolium ſuum, & terram ſuam ætheri *Jovis* conterminam reddere, eſt ad ſummum ſublimitatis faſtigium evehere; ita *nidum inter ſtellas collocare* dicitur, qui in celſiſſimis locis nidificat. Quod ab aquila præſtari præter *Abdiam Jeremias* etiam docet in loco huic parallelo

(a) Vide Iliad. μ. 206. 219. Iliad. ω. 322. Iliad. χ. 308. Odyſſ. υ. 243. & ω. 537. Nonn. Dionyſ. lib. 40. &c.

lelo ad eosdem *Idumæos* Jer. 49. v. 16. *O qui habitas in fiſſuris petræ, qui collis cacumen tenes. Quamvis exaltares ut aquila nidum tuum, inde te dejicerem.* Et ibi *Chaldæus* Paraphraſtes, *Tu aquilæ ſimilis es, quæ degit* בשני כיפא, *in ſcopulis petræ: habitatio ejus eſt* בתקוף רומא, *in celſo munimento.*

His addendus illuſtris de aquila locus *Job. 39. v. 30.* in quo Deus ſervum ſuum ita compellat, *An ad mandatum tuum ſeſe efferet aquila, & nidum ſuum attollet? In petra habitat, & in prærupto ſcopulo* tanquam *in arce degit. Inde rimatur cibum oculis procul intuentibus: & pulli ejus ſorbent ſanguinem; & ubi ſunt confoſſi, ibi eſt.* Quæ omnia cum ad aquilæ naturam pertineant, accuratè ſunt exponenda. *An*, inquit, *ad mandatum tuum aquila ſeſe efferet?* nempe ſublimi volatu. Hanc aquilæ naturam, ut ad uſque nubes ſe efferat, homo non dedit, nec eam volantem regere potes, & ad arbitrium tuum inflectere, cum quandoque in aere tam ſublimis ſit, ut hominum obtutus planè fugiat. *An ad mandatum tuum*, &c. *nidum ſuum attollet* in ea loca, quæ ſæpe nobis impervia, & inacceſſa ſunt? Quod ſequentia ſic explicant, *In petra habitat, & in prærupto ſcopulo* tanquam *in arce degit. Septuaginta*, Ἐπ' ἐξοχῇ πέτρας, καὶ ἀποκρύφῳ. Nunquid potius ſcripſerant καὶ ἀποκρήμνῳ? Ut *Hieronymus*, *In petris manet, in præruptis ſilicibus commoratur, atque in inacceſſis rupibus.* Nec multo aliter *Philoſophus*, ubi de nidis aquilarum *Hiſtor.* lib. 9. cap. 32. Ποιοῦνται δὲ αὐτὰς οὐκ ἐν πεδινοῖς τόποις, ἀλλ' ἐν ὑψηλοῖς μάλιστα μὲν, καὶ ἐν πέτραις ἀποκρήμνοις· *Eos autem faciunt, non in planis, ſed in excelſis locis, & potiſſimum in præruptis rupibus.* Et *Plinius* lib. 10. cap. 3. *Nidificant in petris.* Et *Damir* capite

De النسر ſive *Aquila*, تبيض في الاماكـــن

العـالـيـة *Ova ponit in celſis locis.* Et capite *De*

العقـاب *alokab*, ſeu *Melanaeto*, ولا تقعد الا

على الاماكن المرتفعة *Nonniſi in locis elatis*

degit. Ut de eodem *Plinius*, *Converſatur autem in montibus.* Et *Albertus* de herodio, quo nomine barbari Scriptores majorem aquilam vocant; *Semper in præruptis ſilicibus ſedens & nidificans invenitur.*

Duæ porro cauſæ ſunt, cur ad ardua hæc loca ſe conferat, quas hic obiter attingit Sacer Scriptor. Prior, ut ea illi ſint מצודה, id eſt, ὀχυρώματος, vel *munimenti* vice, ut *Aquila* rectè reddidit: Et pulli, quos cogitur in nido relinquere, ut de victu illis proſpiciat, ipſâ loci naturâ tuti ſint. Neque enim tam celſæ rupes cuilibet ſunt obviæ. Quò pertinet, quod

narrant *Arabes* apud *Damirem*, قيل لبشار بن

يزد الاعمي الشاعر لو خيرك اللـــه

ان تكون حيوانا ماذا كنت

تختارا قال العقاب لانها تلبث حيث

لا يبلغها سبع ولا ذواريع وتحيد

عنها سباع الطـيـر Beſar, Jazidi *filius*, *Poeta*

cæcus rogatus, ſi Deus ei daret optionem, ut fieret quodvis animal, quod potius eligeret, reſpondit; Alokab (id eſt, *melanaetum* ſe electurum) *quia degit in locis, quæ feris, & beſtiis omnibus ſunt inacceſſa, atq; etiam feræ aves ejus occurſum fugiunt.*

Altera cauſa, cur aquila malit in ſublimi loco degere, in *Jobo* ita effertur, *Inde rimatur cibum oculis procul intuentibus.* Neque id latuit *Philoſophum*, qui de aquila ſic habet ubi ſupra, τῷ ὑψοῦ γὰρ πέτεται, ὅπως ἐπὶ πλεῖστον τόπον καθορᾷ, *Volat ſublimis, ut plura loca deſpiciat.* Et Apulejus, *Cum igitur eo ſeſe aquila extulit*, &c. *inde cuncta deſpicient*, &c. *circumintuetur, & quærit quorſus potiſſimum in prædam ſuperne ſeſe ruat.* Quæ ſunt his *Jobi* conſona, *Inde rimatur cibum oculis procul deſpicientibus. Rimatur* Hebraicè eſt חפר, quod Verbum proprie *fodere* ſignificat, ſed hic *rimari oculis.* Cujusmodi Metaphora eſt etiam in *rimandi* verbo. Nam propriè *rimari* eſt *rimas agere*, & penè idem quod *fodere.* Unde *Poeta* lib. 3. *Georgicorum*,

Ergo ægrè raſtris terram rimantur, & ipſis
Unguibus infodiunt fruges. - - - -

Nec fruſtra additur oculis aquilam procul intueri. Neque enim ullum eſt animal aquilâ perſpicacius. *Homerus Iliad.* ρ'. verſu 674.

- - - - - ὥς τ' αἰετὸς, ὅν ῥά τέ φασιν
Ὀξύτατον δέρκεσθαι ὑπουρανίων πετεηνῶν·

Ut aquila, quam inter aerias volucres acutiſſimè cernere dicunt. Ubi *Scholiaſtes*, Αἰετὸς ὄρνις δορατικὸς (an legendum δερκτικὸς) καὶ ὀξὺς ἐν τῷ ὁρᾷν, καὶ ἵπτασθαι. *Ælianus* itidem *Hiſt.* lib. 1. cap. 32. Αἰετὸς δὲ ὀρνίθων ὀξυωπέστατος. *Horatius* Serm. 1. *Sat.* 3.

- - - - - - - - - *tam cernis acutum,*
Quàm aut aquila, aut ſerpens Epidaurius.

Seneca, *De Beneficiis* lib. 2. cap. 29. *Queruntur, quòd ſagacitate nos narium canes vincant, quòd acie luminum aquilæ.* Apulejus *Floridorum* lib. 1. *Si magis pollerent oculorum, quam animi judicio, profectò de ſapientia foret aquilæ concedendum.* Iſidorus *Orig.* lib. 12. cap. 7. *Tanti contuitus eſſe dicitur, ut cum ſuper maria immobili pennâ feratur, nec humanis pateat obtutibus, de tanta ſublimitate piſciculos natare videat.* *Sidonius* lib. 7. *Epiſtolâ* 14. *Sed forſitan præferunt vim videndi: tanquam non ſit eminentior viſus aquilarum.* *Phile* cap. 1.

Πλὴν ὀξυδερκὴς ἐστιν ὁ πτηνοκράτωρ,
Καὶ μέχρι σητὸς ἐκ νεφῶν πάντα βλέπει·

Sed perſpicax eſt avium princeps (id eſt, aquila) *& uſq; ad tineam ex nubibus omnia videt.* Apoſtolius Adagio 62. Ὀξύτατα ὁρᾷ ἐκ πολλοῦ τοῦ αἰθέρος. Et ex *Arabibus Damir*, quamvis non citra Hyperbolen

وهو حاد البصر يري الجيفة من اربع

مائة فرسخ *Eſt acerrimi viſus, ita ut cadaver videat à quadringentis paraſangis.* Quo multi referunt *aquilæ* nomen, quaſi dicatur *ab acumine viſus.* Proinde ſola animalium Solem intueri dicitur inconniventibus oculis, neque pullos ſuos habere pro genuinis, niſi ſolare lumen perferant.

Sequitur in *Jobo*, *Et pulli ejus ſorbent ſanguinem*, nempe ex præda, quam mater in nidum defert. *Sorbent* Hebraicè יעלעו, per Metatheſin, pro ילעעו. Quod cum ſine exemplo ſit, nonnulli interpretes in hac voce hæſerunt. *Græci* habent φύρονται ἐν αἵματι, quaſi legerint יתגללו בדם, Ut 2. *Sam.* 20. *v.* 12. πεφυρμένος ἐν τῷ αἵματι eſt pro *Hebræis* מתגלל בדם. Quod planè alienum eſt. Nec capio quid ſit in *Aquila* ἐστυμωμένοι. Utut ſit, *Hieronymus*, *Chaldæus*, *Syrus*, *Arabs*, & plerique *Hebræorum* optimè reddunt, & ex mente Sacri Scriptoris, *lambunt*, aut *ſorbent ſanguinem.* Dices aquilam eſſe πάμπαν ἄποτον, *omnino potus expertem.* Ita enim aſſerit *Philoſophus Hiſtoriæ* lib. 8. cap. 3. & 18. ubi *Herodotum* ignorationis arguit, eò quòd in obſidione *Nini* aquilam augurii præſidem bibentem faciat. In *Aſſyriis* ſcilicet, quæ hodie non extant. Nam in iis *Herodoti*, quæ extant, tale nihil habetur. Hinc *Ælianus Hiſt.* lib. 2. cap. 26. Οὐδέποτε

ποτε ἀετὸς ὔτε πηγῆς δεῖται, ὔτε γλίχεται κονίστρας, ἀλλὰ δίψυς ἀμείνων ἐςί· *Aquila fonte nunquam eget, neq; in pulvere volutationem appetit, ſed ſiti ſuperior eſt.* Item, Ὑπερφρονεῖ δὲ καὶ τῶν ὑδάτων, καὶ τῆς ἀναπαύσεως· *Et aquas, & quietem ſpernit.* Et *Gregorius Nyſſenus* libro *De anima*, Πολλὰ τῶν ζώων ἐστὶ μὴ πίνοντα, ὡς ἐπί τινων ἀετῶν ἱστόρηται· *Multa ſunt animalia, quæ à potu abſtinent, ut narratur de quibusdam aquilis. Piſidas* apud *Suidam*,

Ἀλλ' εἰσι δίψυς καὶ κρύους ἀνώτεροι,
Sitisq; frigorisq; vires neſciunt.

Et ipſe *Suidas* in Γαμψώνυχος hæc habet, Οἷός ἐστιν ἀετὸς, ἱέραξ, κεγχρηΐς, ἀλλά τι τὰ μὴ πίνοντα· *Qualis eſt aquila, accipiter, tinnunculus, aliaq; animalia, quæ non bibunt.* Et *Apoſtolius* Adagio 62. Οὐ γὰρ ἁλίσκεται ἐν νεφέλαις ὁ ἀετὸς, καὶ δίψυς ἀμείνων ἐστί. *Non enim capitur in nubibus aquila, neq; ſiti vincitur.* Sed his in *Jobo* nihil contrarium. Is enim aquilas non ſcribit aquam bibere, ſed *ſorbere ſanguinem.* Quod illi ipſi ſcribunt, qui potum aquilæ denegant. Sic auctore *Oppiano* in *Ixenticis*, apud *Geſnerum*, *Sanguis animalium, quæ ceperint, illis ſufficit, ſed aquam omnino non guſtant.* Ut *Horus Apollo* de accipitre, Ὕδωρ οὐ πίνει τὸ καθόλου, ἀλλ' αἷμα· *Aquam omnino non bibit, ſed ſanguinem.* Et *Demetrius* in *Hieracoſophio*, Πρῶτον μὲν τὸν φάρυγγα τοῦ ἁλόντος ὄρνιθος τέμνε, καὶ δίδου πίειν τῷ ἱέρακι θερμοῦ ἀναβλύζοντος αἵματος· *Primùm quidem avis captæ gulam incidito, ac profluentem ſanguinem calidum accipitri præbe bibendum.* Et *Ælianus Hiſtoria* lib. 10. cap. 14. Σαρκῶν δὲ ἥδεται βορᾷ, καὶ πίνει αἷμα, καὶ τὰ νεόττια ἐκτρέφει· *Carnium eſu gaudet, & ſanguinem bibit, iisdemq; ſuos alit pullos. Heſychius* etiam de vulture in Τόργιον, Τόργος, εἶδος γυπὸς αἱματοῤῥόφος· Torgos, *vulturis genus ſanguinem ſorbentis.*

Unum in *Jobo* ſupereſt de aquila, *Ubi ſunt confoſſi, ibi eſt. Confoſſi*, id eſt, *confoſſorum* vel *occiſorum cadavera.* Itaque ad hunc locum palam alludunt *Chriſti* verba *Matth.* 24. *v.* 28. & *Luc.* 17. *v.* 37. *Ubicunq; eſt cadaver, ibi congregantur aquilæ.* Quod idem aſſerunt *Arabes. Damir* ſupra de aquila, *Cadaver videt è quadringentis paraſangis.* Item, وادا وقع على جيفة وعليها عقبان تاخرت ولم تاكل ما دام ياكل منها *Et cum incidit in cadaver, ſuper quod ſunt oſſifragæ, recedit, nec reliquias eorum comedit.* Item, ادا وقع على جيفة وامتلا منها لم يستطع الطيران حتي يثب وثبات يرفع بها نفسها طبقة بعد طبقة في الهوا *Et cum in cadaver incidit, & eo repleta eſt, volare non poteſt, donec ſaltuatim progreſſa, per gradus in aerem ſe ſuſtulerit.* Sed propriè ad percnopterum, ſeu gypætum, id pertinet, degeneris aquilæ genus vulturina ſpecie, *quæ ſola aquilarum exanima fert corpora*, ut ex (b) *Ariſtotele* habet (c) *Plinius.* A percnoptero percnon, quæ & morphnos, multum differre, ex eodem *Plinio* conſtat. Illi enim percnos, ſeu morphnos, eſt aquila tertii generis, & percnopteros quarti. Et utriusque deſcriptiones non parum inter ſe diſcrepant. Sed *Suidas*, hoc cum neſciret, percno, ſeu morphno, quod idem eſt, hoc tribuit, quod percnopteri eſt proprium. Verba ſunt; Μόρφνος, εἶδος ἀετοῦ· μόνοι δὲ οὗτοι τῶν ἀετῶν οὐ κυνηγοῦσιν, ἀλλὰ νεκροῖς σώμασι τρέφονται· Morphnos, *aquilæ ſpecies; ex aquilis autem iſtæ ſolæ non venantur, ſed aluntur cadaveribus.* Pari errore *Theophylactus* aquilas, de quibus *Chriſtus*, habuit pro vulturibus. Ὥσπερ, inquit, ἐπὶ νεκρὸν σῶμα συνάγονται ὀξέως οἱ ἀετοὶ, οἱ γῦπες δηλαδή· *Ut ad cadaver aquilæ, id eſt, vultures, ſtatim congregantur.* Et *Tzetzes Chil.* 5. cap. 9. negat aquilarum genus ullo modo cadavera attingere, verba ſunt,

Λέοντες θῆρες, σὺν αὐτοῖς καὶ ἀετῶν τὸ γένος,
Νεκρῶν ἐκ ἀπογεύονται τὸ σύνολον σωμάτων·

Leones feræ, & cum ipſis aquilarum genus, mortua corpora planè non guſtant. Cui effato tam generali niſi addantur exceptiones, non conſtabit ſua veritas, ut jam allata abunde probant. Quæ firmantur inſuper ex verbis *Solomonis* Proverb. 30. v. 17. *Oculum, qui patrem deridet, matrisq; diſciplinam ſpernit, hunc effodiunt corvi vallis, & aquilæ pulli comedent.* Nempe in parentes rebellio tum crimen erat lethale, ut patet ex *Exod.* 21. *v.* 15. 17. *Levit.* 20. *v.* 9. & *Deuter.* 21. *v.* 18. Et damnatorum corpora manebant inſepulta, ferisque & avibus carnivoris expoſita. Nec fruſtra eſt, quòd oculi meminit *Solomon*, cùm in toto corpore pars nulla ſit rapacium avium injuriis tam obvia. Unde eſt, quod *Epictetus* rationem explicans veteris Adagii, Κρεῖττον εἶναι ἐς κόρακας ἀπελθεῖν, ἢ ἐς κόλακας· *Satius eſſe ire ad corvos, quàm ad adulatores.* Οἱ μὲν κόρακες, inquit, τῶν τετελευτηκότων τοὺς ὀφθαλμοὺς λυμαίνονται, ὅταν αὐτῶν οὐδὲν ἐστὶ χρεία· οἱ δὲ κόλακες τῶν ζώντων τὰς ψυχὰς διαφθείρουσι, καὶ τὰ τούτων ὄμματα τυφλοῦσιν· *Corvi quidem mortuorum oculos tum demum vaſtant, cum nullius ſunt uſus: ſed adulatores vivorum animas corrumpunt, & oculos excæcant.*

b) *Hiſt. lib.* 9. *cap.* 32.
c) *Lib.* 10. *c.* 3.

CAPUT TERTIUM.

De Aquilæ affectu erga pullos ſuos ex *Deut.* 32. *v.* 11.

Nidus aquilæ, *id eſt, pulli. Quomodo aquila* pullos excitet, *& iis incubet ex* R. Selomone. *Melius* Hieronymus. רחף, motitare alas, ut רפרף, Hebræis, *&* Arabibus. *Pulli aquilæ dum cibantur alas agitant.* גוזל *pro* aquilæ pullo καλιαχηστικῶς. *Sic* pipiunculus *pro* accipitre. *Aquilæ pulli in nido ferè ſinguli, tamen quandoq; plures, adeoq; ſeptem reperti. Duos alit melanaetus. Quomodo aquila pullos alis aut humeris geſtet. Fabula de regulo,* Tilgamo, *&* Ariſtomene *aquilarum alis exceptis.* Selomonis *ea de re commentum.* Τῶοι, *id eſt, cuculi milvorum ſcapulis ſuſcepti. Cerylos alcyones alis ferunt, & ciconiæ parentes ſuos, & phœnix, ut ajunt, patris cadaver.* Moſi *ex* Philoſopho *objicitur aquilam eſſe ἄστοργον, & pullos ante tempus è nido ejicere, quos oſſifraga ſuſcipit. Sed contrarium in* Æliano, Oppiano, *&* Hieronymo. *Ipſa penè* Moſis *verba* Suidas *habet ex* Philoſtrato. Albertus *idem de aſture. Aquila pullorum unum ejicit; quia non poteſt alere, aut tanquam alienum.*

NUnc dicendum de aquilæ affectu erga pullos ſuos, quem eſſe tenerrimum hæc verba *Moſis* indicant *Deuter.* 32. *verſ.* 11. *Ut aquila excitat nidum ſuum, & ſuper pullos ſuos volitat, extenſis alis, & accipiens eos geſtat ſuper pennas ſuas. Nidum ſuum*, id eſt, *pullitiem ſuam*; Continens pro contento. Quod loquendi genus *Romanis* frequens. *Virgilius* libro 4. *Georgicorum* de merope, & hirundine,

Ore ferunt dulcem nidis immitibus eſcam:

id eſt, *crudelibus pullis*, ut ibi *Servius*. Hinc *Nonius*, *Nidos non ſolum domicilia avium, ſed etiam fœtus*

earum,

earum, Virgilio *auctore, dicere poſſumus.* Et *Columella* in *Horto* id ſequutus,

Veris & adventum nidis cantârit hirundo.

Ut *Solinus* de ibi, *Ea ſerpentum pabulatur ova, gratiſſimamque ex his eſcam nidis ſuis defert.* Et de eadem *Ammianus* libro vigeſimo ſecundo. *Nidulis ſuis ad cibum ſuggerens ova ſerpentum.* Unde *Gloſſa*, Νέοσσ☉, *Nidus, pullus.* Et *Juvenalis Satyrâ* quintâ de liberis quoque uſurpat,

Sed tua nunc Mygale *pariat licet, & pueros tres*
In gremium patris fundat ſemel, ipſe loquaci
Gaudebit nido. - - - - -

Excitandi verbum ità explicat *R. Selomo.* רחמני הוה עַל בניו ואינו נכנס לקנו פתאם עד שהוא מקשקש ומטרף עַל בניו בכנפיו בין אילן לאילן בין שוכה לחברתה כדי שיעורו בניו ויהא בהן כח לקבלו. *Aquila, cum ſit miſericors erga pullos ſuos, non ingreditur in nidum tumultuariè: ſed priùs ſuper eos obſtrepit, & plaudit, alis ad duas arbores aut ad duos ramos alliſis, ut pulli ſic excitati ſatis habeant virium* (id eſt, ſint habiliores) *ad eam excipiendam.* Quo pertinet quod ſequitur, עַל גוזליו ירחף אינו מכביד עצמו עליהם אלא מחופף נוגע ואינו נוגע *Super pullos ſuos incubat* (ità enim accipit *Hebraicum* ירחף) *id eſt, in eos non gravitat, ſed ità ſe ſublevat, ut tangat quaſi non tangeret.* Hæc ille. Sed *Hieronymi* verſio, quamvis liberior, tamen *Propheta* mentem multò fidelius exhibet; *Sicut aquila provocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans*, &c. Omnino enim *excitare nidum* vel *pullitiem ſuam* aquila dicitur, cum eam advolatum provocat. Et *Hebræum* רחף, eſt *movere ſe*, ut *Jerem*, 23, 9. רחפו, *Se commoverunt omnia oſſa mea.* Ità in creatione *Spiritus Dei* מרחפת, *motitabat ſe ſuper faciem aquarum.* Inde translatum ad aves רחף, eſt *motitare alas*, ut volitantes faciunt. Ex quo deduxêre *Talmudici* ejusdem notionis verbum רפרף eliſâ Guttulari, & reliquis geminatis. Unde in Tractatu *Cholin* fol. 38. b. והעוף אפילו לא רפרף אלא גפו ולא כשכש אלא זנבו הרי זה פירכוס, *Et avis, ſi ſolùm alam motitet, aut ſi ſolùm caudam agitet, hæc eſt trepidatio.* Itaque in *Bereſith Rabba* Spiritus מרחפת. *Gen.* 1, 3. legitur eſſe כעוף הזה שהוא מרפרף בכנפיו, *ut avis illa, quæ alas ſuas motitat.* *Arabes* quoque idem verbum ità uſurpant. *Alcamus* reddit بسط جناحها *Extendit alas ſuas.* Et Verbale nomen الرفرفة eidem eſt الظليم الصوت وتحريك جناحيها حول الشي الذي يريد ان يقع عليه *Strepitus, & motus alarum ſtruthionis circa rem, in quam vult incidere.* Quod quia ſtruthioni familiare eſt, indè ipſa avis vocatur رفراف *riphraph.* Ut & alia avis, à ſtruthione diverſiſſima, cujus alterum nomen eſt خاطف ظله, id eſt, σκιάρπαξ, *umbra ſua raptrix:* quia cum imaginem ſuam in aqua videt, alas motitans in eam involat tanquam direptura. Sed & Verbum رف in quarta Conjugatione, id eſt, ارف *arappha*, avibus tribuitur, quæ alas extendunt ad incubandum. Idem *Alcamus*, ارفت الدجاجة على بياضها يبسطت الجناح Arapphath *gallina ſuper ova ſua, id eſt, alas extendit*, ut iis ſcilicet incubaret. Tamen verum eſt quod diximus, hoc verbo propriè ſignificari *alarum extenſionem, quæ fit cum motitatione.* Quod aquilæ maximè convenit, aut aliæ avi cuilibet, quæ pullos ſuos adhuc teneros docet primos πτερυγισμὺς, & ὀρταλισμὺς. Itaque *Propheta* poſt ירחף addit ἐπεξηγητικῶς יפרש כנפיו, *alas ſuas extendit*; quia non motitat alas aquila, niſi extenſas. Quid quod aquilæ tam naturalis eſt motus alarum, ut pulli etiam inter edendum perpetuò alas agitent. Ità tradunt *Arabes* in *Damire*, ومن عابة هذا الطاير ان يزق كل فرخ ضايع *Etiam è natura hujus avis eſt, quod pullus omnis alas agitet dum cibatur:* nempe à matre, roſtro in roſtrum inſerto. Id enim propriè زق.

Porrò aquilæ pulli *Prov.* 30, 17. vocantur בני נשר, *filii aquilæ*, & *Job.* 39, 33. (al. 30.) אפרוחיו, *pulli ipſius*, voce generali ad omnes avium pullos. At hic גוזליו, καταχρηστικῶς. Nam גוזל *gozel*, eſt *columbæ pullus*, aut avis congeneris, ut ſuo loco (a) docuimus. Ità *Lampridio pipiones* ſunt pulli columbarum. Tamen aliis *pipiunculus* eſt accipiter. *Iſidori* Gloſſæ, *Pipiunculus, accipiter, acceptor.* Aliud hic obſervandum, nempe tam *Jobum*, quam *Moſem*, in loco, in quo verſamur uni aquilæ plures pullos tribuere, cum aquilæ plerumque non alant niſi ſingulos. Quod alibi per ſex, alibi per octo continuos annos in *Germania* ab aucupibus in nidis aquilinis obſervatum refert *Albertus*: causâ etiam hâc allatâ, quod quamvis duo, aut tria mater excludat, tamen pluribus pullis educandis non ſufficit; quia multo alimento egent ob calorem temperamenti. Nec multò aliter veteres. quo pertinet *Muſæi* vetus de aquila carmen apud *Philoſophum Hiſt.* lib. 6. cap. 6.

(a) Part. 2. lib. 1. cap. 1. pag. 6. lin. 62. & ſupra.

ὃς τρία μὲν τίκτει, δύο δ' ἐκλέπει, ἓν δ' ἀλεγίζει,

Quæ tria quidem parit, duo excludit, & unum curat: aut ἓν δ' ἀλυβάζει, *unum alit*; ut *Plutarchus* in *Mario* citat. Et fatetur *Philoſophus* plerumque ita accidere. Tamen, ut idem addit, ἤδη καὶ τρεῖς νεοττοὶ ὠμμένοι εἰσίν, *quandoque etiam tres* aquilæ *pulli* viſi ſunt. *Plinius* quoque, *Pariunt ova terna, excludunt pullos binos, viſi ſunt & tres aliquando.* Quin apud *Plutarchum* narrat *Marius* ſe olim valde juvenem ὑποδέξασθαι τῷ ἱματίῳ καταφερομένην ἀετῶ νεοττιὰν ἑπτὰ νεοττοὺς ἔχουσαν, *delapſum aquilæ nidum cum ſeptem pullis togâ excepiſſe.* Quale eſt, quod de *Clodio Albino* refert *Julius Capitolinus*, *Septem aquilæ parvæ de nido allatæ ſunt, & quaſi ad jocum circa cunas pueri conſtitutæ.* *Arabes* ſcribunt melanæetum è tribus, quos exludit, plerumque duos alere. Ità *Damir* ex *Ibnozohare.* العقاب تبيض ثلاث بيضات في الغالب وتحضنها ثلاثين يوما وما عداها من الجوارح تبيض بيضتين وتحضن عشرين

عشرين يوما فاذا خرجت فراخ العقاب ألقت واحدا منها لانه يثقل عليها طعم الثلاث *Alokab* (id eſt, *melanaetus*) *ponit plerumque ova tria, quæ fovet triginta diebus. Cum aliæ rapaces aves ſolùm ova duo ponant, quæ per viginti dies fovent. Et cum excluſi ſunt pulli* alokab, *ex iis unum ejicit, quia grave ipſi eſt tres alere.* Itaque duo ſuperſunt, quos alendos ſibi proponit.

Sequitur apud *Prophetam*, *Accipiens eos geſtat ſuper pennas ſuas.* Ad verbum, *accipit eũ, geſtat eum.* Sed *eum*, id eſt, *quemlibet ex illis.* Vel *eum*, id eſt, *illos*, per numeri Enallagen. Vel refertur ad remotius, id eſt, ad *nidum*, quâ voce *pullitiem* intelligi dictum. *Super pennas ſuas*, aut *ſuper alas ſuas.* Hebraicè, על אברתו. *Græci*, ἐπὶ τῶν μεταφρένων αὐτοῦ. Unde *Hieronymus*, *in humeris ſuis.* Neq; enim ſolùm roſtro, aut unguibus, ſed & humeris, & alis geſtare putatur aquila. Ità apud *Plutarchum*, *De civili inſtitutione*, Αἰσώπου βασιλίσκος ἐπὶ τῶν ὤμων τοῦ ἀετοῦ κομισθεὶς, Æſopi *regulus aquilæ humeris vectus*, &c. In *Æliano Hiſt.* lib. 12. cap. 21. cum *Tilgamus*, puer *Babylonius*, ex arcis faſtigio præceps delaberetur, ὁ ἀετὸς, πρὶν ἢ τῇ γῇ προσαραχθῆναι τὸ βρέφος, ὑπῆλθεν αὐτὸ, καὶ τὰ νῶτα ὑπέβαλεν (vel κατὰ νῶτα ὑπέλαβεν, ut eſt in *Apoſtolio* Proverbio 1793.) *priùs quàm terræ illideretur, aquila ſubiens eum dorſo excepit.* *Ariſtomenes* quoque in *Pauſania Meſſeniacis*, cum à *Lacedæmoniis* in *Ceadam* conjectus fuiſſet, ὄρνιθα τὸν ἀετὸν ὑποπέτεσθαί (φασι) καὶ ἀνέχειν ταῖς πτέρυξιν, ἐς ὃ κατήνεγκεν αὐτὸν ἐς τὸ πέρας, οὔτε πηρωθέντα οὐδὲν τοῦ σώματος, οὔτε τραῦμα ἐπιλαβόντα, *aquilam ſubvolâſſe dicunt, & alis eum ſuſtinuiſſe, donec neque mutilatum, neque ullâ ex parte læſum in fundum detuliſſet.* Quæ non profero tanquam vera, ſed ut fabulas ab iis confictas, quibus perſuaſum id fuit ab aquilæ natura non eſſe alienum, ut quid humeris atque alis in ipſo volatu ferat. Quamvis pullos ab aquilis continuâ vectione geſtari haudquaquam putem: tantùm volaturientes, & in ipſo conatu deficientes, parentum alis excipi & ſuſtineri veriſſimile eſt, donec reſumptis animis ſeſe rurſus audeant aëri committere. Aliud affert *R. Selomo* ſubtiliùs, quàm ſolidiùs. כשבא ליטלן ממקום למקום אינו נוטלן ברגליו כשאר עופות לפי ששאר עופות יראים מן הנשר שהוא מגביה לעוף ופורח עליהם לפיכך נושאין ברגליו מפני הנשר אבל הנשר אינו ירא אלא מן החץ לפיכך נושאן על כנפיו אומר מוטב שיכנס החץ בי ולא יכנס בבני *Cum aquila pullos ſuos è loco ad locum transfert, non transfert eos pedibus ſuis, quomodo cæteræ volucres, quia aquilam timent, quæ volatu ſurſum ſeſe effert, & iis volat altiùs; ac proinde pedibus pullos ferunt, ne aquilæ ſint obvii. Sed aquila nihil timet præter ſagittam; unde eſt, quod pullos fert ſuper alas, tanquam apud ſe dicens, Malo, ut me feriat ſagitta, quàm pullos meos.* Sed hoc commentum mihi non placet; quia neque aquila dorſo, neque aliæ aves pedibus pullos ſuos ſolent è loco in locum certo conſilio transferre. Et, ſi facerent, ſolo naturæ ductu id facerent, non ob rationes allatas, de quibus aves cogitare nemo mihi perſuaſerit. Apud *Iſidorum Orig.* lib. 12. cap. 7. *Tuci* (quomodo *Hiſpanicâ* voce veteri cuculos vocat) *veniendi tempus habent, milvorum ſcapulis ſuſcepti, propter breves & parvos volatus, ne per longa aëris ſpatia fatigati deficiant.* Quod ſi ab idoneo ſcriptore afferretur, nõ parùm ea illuſtraret, quæ de pullorum aquilæ geſtatione dicta ſunt. Sed præter *Iſidorum*, hiſtoriæ naturalis parùm peritum ſcriptorem, nullus vetuſtiorum occurrit, qui idem aſſerat. Tamen, ſi *Æliano* credimus *Hiſt.* lib. 7. cap. 17. *Cerylos maritos ſuos præ ſenio fatiſcentes* αἱ ἀλκυόνες περιάγουσιν ἐπ' αὐτῶν τῶν καλουμένων μεταφρένων, *halcyones circumferunt ſuper ipſa quæ vocantur interſcapilia.* Hinc *Plutarchus* de halcyone in libro *Utra anim.* Ὅταν δὲ διὰ γῆρας ἀσθενὴς ὁ ἄρρην γένηται, συνέπεσθαι καὶ βαρὺς, ὑπολαβοῦσα γηροφορεῖ, καὶ γηροτροφεῖ. *Marem, jam annis gravem, & ægrè ſequentem ſuſcipiens fert, & alit.* Et multò antè idem docuerat *Antigonus Hiſt.* 27. Τῶν δὲ ἀλκυόνων οἱ ἄρσενες κηρύλοι καλοῦνται. ὅταν οὖν ὑπὸ τοῦ γήρως ἀσθενήσωσι, καὶ μηκέτι δύνωνται πέτεσθαι, φέρουσιν αὐτοὺς αἱ θήλειαι, ἐπὶ τῶν πτερῶν λαβοῦσαι. *Mares halcyonum ceryli vocantur. Hi, cum præ ſenio infirmi ſunt, neque ampliùs volare poſſunt, eos alis ſuſceptos ferunt fœminæ.* Unde vulgatum illud *Alcmanis*, quod ibidem citatur, Οὔ μ' ἔτι παρθενικαί, &c. Sed & de ciconiis idem traditur. *Scholiaſtes Ariſtophanis* in *Avibus*, Οἱ γὰρ πελαργοί, δικαιοπραγεῖς ὄντες, ἐπὶ πτερῶν βαδίζουσι τοὺς πατέρας γεγηρακότας βαστάζοντες. *Ciconiæ, cum juſtitiam obſervent, patres ſenio confectos alis ferentes migrant.* Ità etiam *Suidas* in Ἀντιπελαργεῖν. Et *Baſilius* in *Hexaëmeron* Homiliâ octavâ, Τὴν δύναμιν καὶ ἐν τῇ πτήσει παρέχονται βοηθείας, ἠρέμα τοῖς πτεροῖς κουφίζοντες ἑκατέρωθεν. Et *Euſtathius Antiochenus*, Εἰ δὲ τῇ πτήσει ὑποκάτωθεν αὐτοῦ ὑποβαστάζουσιν, καὶ τοῖς ἰδίοις πτεροῖς ἠρέμα αὐτὸν ὑποκουφίζουσιν ἑκατέρωθεν. Ex quo eodem fonte *Ambroſius* in *Hexaëmeron* libri quinti capite decimo ſexto, *Ut hinc atque indè ſublevantes ſenem fulcro alarum ſuarum ad volandum exerceant.* Phœnicem quoque *patrium corpus ſubire* fabulatur *Tacitus*. Unde eſt, quod *Artemidorus* eum, qui in ſomnis phœnicem viderit, eò paupertatis redactum iri definit, ut parentis cadaver, more phœnicis, propriis humeris efferre cogatur. Vide Cl. *Voſſium* in *Melam* pag. 297.

Ut poſt tot ſpinas avulſas, lectorem, his tricis atque apinis diu detentum, aliquo modo recreem, libet *Moſis* locum, quem explicavimus, nobiliſſimi *Poetæ* verbis efferre, qui ſuperiore ſæculo ſcripſit in *Canticum Moſis* eximiam Paraphraſim.

Ac velut alituum princeps, fulvuſque Tonantis
Armiger, implumes & adhuc ſine robore natos
Sollicitâ refovet curâ, pinguiſque ferinæ
Indulget paſtus: mox ut cum viribus alæ
Veſticipes crevêre, vocat ſi blandior aura,
Expanſâ invitat plumâ, dorſoque morantes
Excipit, attolliſque humeris, plauſuque ſecundo
Fertur in arva, timens oneri, & tamen impete preſſo
Remigium lentans alarum, incurvaque pinnis
Vela legens, humiles tranat ſub nubibus oras.
Hinc ſenſim ſupera alta petit: jamjamque ſub aſtra
Erigitur, curſuſque leves citus urget in auras,
Omnia pervolitans latè loca, & agmine fœtus
Fertque refertque ſuos vario, moremque volandi
Addocet. Illi autem, longâ aſſuetudine docti,
Paulatim incipiunt pennis ſe credere cœlo
Impavidi. Tantum à teneris valet addere curam.

Dum aquilarum φιλοστοργίαν *Moſes* tantopere commendat, fortaſſe videbitur parùm illi convenire cum Naturæ ſcriptoribus, qui ſtatuunt planè ſecus. Aquilam enim deſcribunt ut avem prorſus ἄστοργον, & immiſericordem. *Ariſtoteles* libri noni capite trigeſimo quarto, Ἐκβάλλει (τὰ τέκνα) ὁ ἀετὸς πρὸ ὥρας, ἔτι βίου δεόμενα, καὶ οὔπω δυνάμενα πέτεσθαι· ἐκβάλλειν δὲ δοκεῖ τοὺς νεοττοὺς ὁ ἀετὸς διὰ φθόνον· φύσει γάρ ἐστι φθονερὸς, καὶ ὀξύπεινος. *Ejicit aquila pullos ſuos antequam tempus ſit, & cibatûs adhuc indigos, neque dum adeptos volandi facultatem: eos autem ejicere videtur per invidiam. Naturâ enim invida eſt, & famelica.* Et paulò poſt; Φθονεῖ οὖν τοῖς νεοττοῖς ἁδρυνομένοις, ὅτι φαγεῖν ἀγαθοὶ γίνονται, καὶ σπᾷ τοῖς ὄνυξιν. *Invidet igitur pullis, cum adoleſcunt,*

quia

quia ſunt valdè edaces, & unguibus eos vellicat. Item, Ὁ δὲ ἐκβάλλει, καὶ κόπτει αὐτούς· οἱ δὲ ἐκβαλλόμενοι βοῶσι, καὶ οὕτως ὑπολαμβάνει αὐτοὺς ἡ φήνη. *Illa autem eos ejicit, & verberat; qui ejecti vociferantur, & oſſifraga eos ità ſuſcipit.* Proinde *Baſilius* in *Hexaëmeron* Homiliâ octava, Ἀδικώτατος περὶ τὴν τῶν ἐκγόνων ἐκτροφὴν ὁ ἀετός. Ità etiam *Euſtathius Hexaem.* pag. 26. Sed his quod regeram non deeſt. In *Æliano Hiſt.* lib. 2. cap. 40. caput integrum legas Περὶ τῆς τῶν αἰετῶν στοργῆς, *De aquilarum amore erga pullos*, in quo inter cætera hæc habentur: Ζηλοτυπώτατον δέ ἐστι ζῶον αὐτὸς περὶ τὰ νεόττια. ἐὰν γοῦν θεάσηταί τινα προσιόντα, ἀπελθεῖν ἀτιμώρητον οὐκ ἐπιτρέπει· παίει γὰρ τοῖς πτεροῖς αὐτὸν, καὶ τοῖς ὄνυξι λυμαίνεται. *Ex omnibus animalibus maximo ſtudio in fœtus ſuos exiſtit. Quare atrociter eum perſequitur, quem in nidum invaſiſſe conſpexerit, nec inultum dimittit: alis enim eum verberat, & dilacerat unguibus.* Quæ ferè eadem tradit *Apoſtolius* Cent. 2. Prov. 6. *Oppianus* quoque *De Venatione* libri tertii verſu 115. in cenſu avium, quæ parvulos amore perpetuo fovent, aquilas his verbis ponit:

Πῶς δ' ἄρ' ἐν οἰωνοῖσι ποθὴν ἀλίαστον ἔχουσιν
Οἱ τεκέων φῆναί τε, βαρύφθογγοί τε πέλειαι,
Αἰετοί τ' αἴθωνές τε φῦλα· - - - - -

Quomodo etiam inter aves ſuorum fœtuum amorem perpetuum habent & oſſifraga, & grave-ſonantes columba, & aquilina ſecula. Verè igitur *Hieronymus* in *Eſaiam* capite 66. *Ajunt, qui de animantium ſcripſère naturis, omnium quidem beſtiarum, & jumentorum, & pecudum, aviumque ingenitum eſſe in filios pulloſque ſuos affectum: ſed maximum eſſe amorem aquilarum.* Sed, quod maximè ad rem facit, *Suidas* voce Εὔξινος hæc habet de aquilæ pullis, auctoris nomine ſuppreſſo: Οἱ νέοι τῶν ἀετῶν ἐν ἁπαλῷ μὲν τῷ πτερῷ περιπέτονται τοῖς γειναμένοις, μελετώμενοι ὑπ' αὐτῶν τὴν πτῆσιν· *Aquilarum pulli pennis adhuc infirmis circa parentes volitant, volatum ab illis addiſcentes.* Quæ *Moſis* verbis tam ſimilia ſunt, ut vel ab ipſo *Moſe*, vel ab aliquo *Moſis* interprete deſcripta videri queant. Quin ſumpſit ex *Philoſtrato*, *Apollonii* ſui libri primi capite quinto, ubi leguntur αὐθελιξεῖ. Nec tamen is *Moſem* legerat; ſed uterque naturam aquilarum hâc in parte deſcripſit. Nec diſſimile eſt, quod aſturem, id eſt, majorem accipitrem, *Albertus* ſe vidiſſe refert, qui vivas aves, à ſe captas, pullis ſuis objiciebat, ut eas inſequerentur, caperent, & occiderent, & ſic ad venationem paulatim ſe aſſuefacerent. His fruſtrà objicitur quod dicit *Ariſtoteles*, aquilam pullos è nido ejicere cum adoleſcunt. Neque enim id abſolutè verum eſt. Sed è duobus, aut tribus unum ejicit; quia non ſufficit educandis pluribus: ut *Romani* veteres è liberis eos exponebant, quibus educandis erant impares. Quod docet ipſe *Philoſophus Hiſt.* lib. 6. cap. 6. Ἐκβάλλει δ' αὐξανομένων τὸν ἕτερον τῶν νεοττῶν, ἀχθόμενος τῇ ἐδωδῇ· *Cum pulli adoleſcunt, unum ejicit, tædio nutriendi.* Nempe tempore nutricationis graviſſimis incommodis mater ſæpe premitur, ac prope opprimitur, ut ſequitur in *Philoſopho*: Λέγεται δ' ἐν τῷ χρόνῳ τούτῳ ἄπαστος γίνεσθαι, ὅπως μὴ ἁρπάζῃ τοὺς τῶν θηρίων σκύμνους. οἵ τε οὖν ὄνυχες αὐτοῦ διαστρέφονται ὀλίγας ἡμέρας, καὶ τὰ πτερὰ λευκαίνεται. Quod *Plinius* ità imitatur, *Quippe eo tempore ipſis cibum negavit natura, proſpiciens ne omnium ferarum fœtus raperentur. Ungues quoque earum invertuntur diebus iis, & albeſcunt mediâ pennæ.* In his igitur anguſtiis ſi unum ex pullis ejicit mater, ad id cogitur merâ neceſſitate; ut cum naufragii metu vaſa in mare conjiciuntur: ut *Jon.* 1, 5. & *Act.* 27, 19. Aliud reſpondet *Ambroſius* ubi ſuprà, nempe aquilam eos ſolùm abjicere, qui radiis Solis objecti lumina tanquam degeneres inflectunt: & ſic inclementem fieri non avaritiá nutriendi, ſed examine judicandi: nec quaſi ſuum abdicare pullum, quem ex nido expellit, ſed quaſi alienum recuſare.

Pars II.

CAPUT QVARTUM.

Aquilæ myſticæ; Deus, Angeli, fideles, magni Reges, maximè *Aſſyrius*, & *Aßyriorum* copiæ.

Cur Deus Iſraëlitas *ſuſtuliſſe dicatur* ſuper alas aquilarum, *Exod.* 19, 4. *Tres rationes. Fabula* Judaicæ. *Deus* Eſavum *rejecit ut aquila unum è pullis.* Deut. 32, 11. *Deus ut aquila* Iſraëlitas *verbo ſuo excitavit, ſuper eos ſpiritu ſuo ſe motitavit, providentia alas expandit: (Phraſis in Scriptura frequens) alis geſtavit, & brachiis. Cur Deus in Lege cum aquila, in Evangelio cum gallina ſe conferat. Eccleſia cur dentur alæ aquilæ*, Apoc. 12, 14. *Angeli quomodo aquilis ſimiles*, Ezech. 1, 10. & 10. 14, & Apoc. 4, 7. *in nonnullis exemplaribus. Fideles quomodo ad cadaver congregentur ut aquilæ*, Matth. 24, 28. Σῶμα *idem, quod* πτῶμα, Luc. 17, 37. Babylonii, & Ægyptii *Reges aquilæ*, Ezech. 17. *Sed ille major aquila, & variis pennis. Eadem Metaphora alibi frequens. An quia aquilam habuerunt pro ſigno militari? Ut non ſolùm* Romani, *ſed &* Græci, *ſi fides* Senecæ. Chaldæos, & Aſſyrios *paſſim cum aquilis conferri.*

PRopter mirabiles dotes, quas in aquila notavimus, quidquid in cœlo ſublime eſt, aut in terris maximè eximium (Deus putà, Angeli, fideles, imperia, & maximi Reges) à Sacris Scriptoribus cum aquila confertur. Sic Deus dicit *Iſraëlitis*, quos ex *Ægypto* eduxerat, *Exod.* 19, 4. *Vidiſtis quæ fecerim* Ægyptiis, *& quomodo vos ſuſtulerim ſuper alas aquilarum*: i. e. ὡσεὶ ἐπὶ πτερύγων ἀετῶν, *tanquam ſuper alas aquilarum*, ut *Græci* rectè reddunt, & *Chaldæi* tres, & *Syrus*, & unus *Arabum*, notâ ſimilitudinis additâ, quæ hoc loco neceſſario ſupplenda eſt. Illam tamen divinus ſcriptor non ſine cauſa ſuppreſſit. Nempe, ut ſimilitudo eſſet expreſſior, atque animum feriret magis, Deo tribuit alas aquilæ, quibus *Iſraelitas* ex *Ægypto* detulerit in *Arabiam*. Ut illum ſciamus eodem modo erga populum ſuum ſe geſſiſſe, quomodo ſolet aquila erga pullitiem ſuam. Ità enim ſolet Scriptura rei ſignificatæ ſigni nomen indere, & ſigno viciſſim nomen rei ſignificatæ. Porrò figuræ ratio variè explicatur. Alii enim referunt ad aquilæ velocitatem; quia tot hominum myriades uno die ex *Ægypto* Deus eduxerat. Alii ad volandi facilitatem; quia id factum nullo negotio, & ex tam immani ſervitute tam facilè evaſerat *Iſrael*, quàm facilè volat aquila. Alii ad ſublimem aquilæ volatum, quo tam ſe, quam pullos ſuos extra omnem teli jactum evehit. Ità enim ſuos potenti manu aſſervaverat Deus, & tanquam in ſublimi poſuerat, ne tela hoſtium eos attingerent. *Jonathan* ſacri textus verba ſic παραφράζει, טעינת יתכון על ענגין היך על גרפי נשרין מן פילוסין, *Tuli vos ſuper nubes, tanquam ſuper alas aquilarum, ab* urbe *Peluſio.* Nec multò aliter *Hieroſolymitanus* interpres. Nempe miraculum hoc ſibi fingunt, de quo Scriptura altum ſilet, Deum à *Peluſiaco* tractu uſque ad montem *Sinai* *Iſraelitas* ſuper nubes vexiſſe. Nec deſunt, qui aquilam obſervent è duobus pullis ſolum unum alere, & educare, altero abjecto, ut ad Deum id referant, qui *Jacobum* dilexit, & *Eſavum* odio habuit, è duobus pullis unum eligere contentus, & pro ſuo agnoſcere. Sed nemo eſt verborum *Moſis* melior interpres ipſo *Moſe* in his *Cantici* ſui verbis *Deut.* 32, 11. *Ut aqui-*

aquila excitat nidum ſuum, motitat ſe ſuper pullos ſuos expanſis alis, aſſumitque, & portat eos ſuper pennas ſuas, ſic Dominus ſolus deduxit eum, &c. *Vexit eum ſuper excelſa terræ*, &c. In quibus cum jam explicata ſint quæ de aquila dicuntur, ſupereſt, ut doceamus quomodo ad Deum hæc pertineant. Neque verò res eſt obſcura. Aquila pullos, in nidi ſui ſordibus torpentes, clangore ſuo excitat, ut ad volatum provocet. Ità Deus *Iſraelitas*, miſerâ ſervitute ſic oppreſſos, ut ad liberationem non aſpirarent, verbo ſuo ſollicitavit, ut libertatis aſſertoribus ſibi à Deo ſuſcitatis obſequerentur. Aquila ſuper pullos ſuos ſe motitat alis expanſis. Ità ſe movet Spiritus ſuper eos, in quos agit efficaciter. Eodem enim verbo *Moſes* utitur, cum in creatione dicit Spiritum Dei ſe *moviſſe ſuper aquas*. Et vis illa divini Spiritûs *Iſraelitas*, alioqui immorigeros, ad obſequium inflexit. Sed & in eos expandit alas providentiæ ſuæ, de quibus Scriptura toties. Ut cum *Ruth* 2, 12. ea *veniſſe* legitur *ſub alas Dei*, ut ſe obtegeret Et cum pii dicuntur *abſcondi*, *ſe recipere*, *canere*, & *protegi ſub umbra*, aut *in occulto alarum ejus*, Pſal. 17, 8. & 36, 8. & 57, 2. & 61, 5. & 63, 8. & 91, 4. &c. Quod ſignificabat nubes, quæ *Iſraelitas* obtegebat, *Num.* 14, 14. Denique iiſdem alis eos geſtabat per hoc iter, ut aquila pullos ſuos, quoties prohibebat à lapſu, aut ne impingerent in via lubrica, & ſalebroſa, & multis periculis obnoxia. Itaque alibi Deum legas eos portâſſe brachiis, ut παῖδας ὑπαγκαλίους. Sic *Deut.* 1, 31. *Portavit te Dominus tuus, ut ſolet homo geſtare parvulum filium ſuum, in omni via, per quam ambuláſtis, donec veniretis ad locum iſtum.* Et *Oſ.* 11, 1. 3. *Cum puer erat* Iſrael, *dilexi eum, & ex* Ægypto *vocavi filium meum*, &c. Ubi *Chaldæa* Paraphraſis, *Et ego per Angelum miſſum à facie mea deduxi* Iſrael *per congruam viam*: ונטלתנון כד על דרעין, *& portavi eos tanquam ſuper brachia.* Nempe pio viro dicitur *Pſal.* 91, 11. *Angelis ſuis mandavit de te, ut te cuſtodiant in omnibus viis tuis. Manibus portabunt te, ne offendas ad lapidem pedem tuum.* Notandum, ut in Lege, ità etiam in Evangelio Eccleſiam pullis conferri, quos mater ſub alis fovet, & tuetur. Sed matrem illam in Lege eſſe aquilam, & in Evangelio gallinam: & ſic adumbrari, ut volunt, diverſam adminiſtrationem ſub utroque Teſtamento. Unam potentiæ, quam exeruit Deus, cum populum ſuum forti dexterâ, & brachio extenſo, ex *Ægypto* eduxit, & in terram promiſſam introduxit. Alteram gratiæ, cum *Chriſtus* venit humilis, & formam ſervi accepit, & ſeipſum demiſit uſque ad mortem crucis. Ita tamen, ut utrobique Dei amor ſummus eluceat, & cura, quam ſuorum gerit. Hoc interim agnoſcendum eſt, etiam in Novo teſtamento Deum quandoque ſuos potenter aſſerere. Proinde ut Eccleſia *Judaica*, à *Pharaone* jamjam opprimenda, aquilarum alis ſubvecta eſt, & in deſertum tranſlata: ſic *Apoc.* 12, 14. *Chriſtiana* quoque dantur alæ duæ aquilę magnæ, quib' avolet in deſertum à conſpectu draconis. Cujus figura fuit *Pharao*, *Ægypti* Rex, qui & ipſe *draco* vocatur *Ezech.* 29, 3.

Secundo, per *aquilas* Angelos ſignificari docet quatuor animalium deſcriptio in (a) *Ezechiele*, & *Apocalypſi*, quam alibi explicavimus. Hinc *Apoc.* 8, 13. ubi vulgò legitur Καὶ εἶδον, καὶ ἤκουσα ἑνὸς ἀγγέλου πετωμένου ἐν μεσουρανήματι, pro ἑνὸς ἀγγέλου *Hiſpanicum* MSS. optimæ notæ, & ex eo *Complutenſis* & *Plantiniana* editio habent ἑνὸς ἀετοῦ. Ità etiam *Aretas* Commentario in *Apocalypſin* capite vigeſimo quinto. Neque aliter legerunt *Syrus* & *Æthiops*. Editio denique vetus, *Audivi vocem unius aquilæ volantis per medium cœli, dicentis*, &c. Et utraque lectio videtur poſſe admitti: ut una doceat Angelum *Johanni* apparuiſſe; altera Angelum illum habuiſſe aquilæ ſpeciem, quæ Angelo maximè convenit, propter velocitatem, robur, longævitatem, τὸ ὀξυδερκὲς, τὸ ὑψιπετὲς, & ſi quid aliud aquila commune habet cum natura Angelica.

a) Ezech. 1, 10 & 10, 14. Apoc. 4, 7.

Tertiò, *aquilarum* nomine fideles ſignificari videntur in *Chriſti* verbis *Matth.* 24, 28. *Ubi enim eſt cadaver, ibi congregabuntur aquilæ.* Ex multis enim hujus loci interpretationibus maximè placet illa *Bezæ*, quâ hic & præcedens verſus cum verſu vigeſimo ſexto ſic connectitur. Si qui inſuſurraverint, hic, aut illic, quaſi latitantem, *Chriſtum* quærendum, ne credite; Palàm enim ſeſe conſpiciendum præbebit *Chriſtus*, ut fulgur ab Oriente ad Occidentem emicans, & terrarum univerſum orbem irradians. Et ſicut aquilæ ad cadaver ſtatim advolant mirâ ſagacitate: ità piis omnibus æquè demùm erit concurrendum, ubi vivificum mortis *Chriſti* nidorem percipient. Nec fruſtrà *aquilæ* vocantur, qui aggregantur *Chriſto*, cum nemo cum illo uniatur, niſi qui ejus carne & ſanguine veſcitur. Proinde *Hieronymus* per πτῶμα, ſeu *cadaver*, paſſionem *Chriſti* vult intelligi. Et *Chryſoſtomus* in Epiſtolam primam ad *Corinthios* Homiliâ vigeſimâ octavâ *Chriſti* corpus πτῶμα vocari dicit propter mortem. Et, ad Euchariſticam *Chriſti* communionem hæc transferens, fideles addit *aquilas* appellari, *ut oſtendas ad alta eum oportere contendere, qui ad hoc corpus accedit, & nihil cum terra debere ei eſſe commune, neq; ad inferiora trahi, & repere; ſed ad ſuperiora ſemper volare, & in Solem juſtitiæ intueri, mentiſque oculum acutiſſimum habere.* Ἀετῶν γὰρ, οὐ κολοιῶν αὕτη ἡ τράπεζα· *Aquilarum enim, non graculorum eſt hæc menſa.* Luc. 17, 37. idem *Chriſti* dictum repetens Evangeliſta pro τὸ πτῶμα habet τὸ σῶμα. Sed res eodem recidit. Nam τὸ σῶμα pro *cadavere Homerus*, *Xenophon*, *Plutarchus*, *Porphyrius* & *Græcorum* alii paſſim uſurpant.

Quartò, *aquilæ* in Scriptura quandoque ſunt magni Reges. Sic *Ezech.* 17, 3. *Aquila magna, magnis alis, longis pennis, plena plumis, varia*, eſt *Babyloniæ* Rex, ut exponit idem *Propheta* verſu duodecimo. Rurſus verſu ſeptimo, *Aquila magna, magnis alis, & multis plumis*, eſt *Ægypti* Rex, eodem interprete verſu decimo quinto. Et ratio ſimilitudinis nemini non eſt obvia. Cum aquila robore polleat, pernicitate excellat, acri ſit viſu, animo intrepido, & toto habitu corporis regiam quandam majeſtatem præ ſe ferat. Unde eſt, quod in aves imperium obtinere creditur, ut hujus libri initio (b) multis probatum. Et quod *Perſici* Reges aquilam auream, pennis extenſis, pro regali ſigno habebant, quod alibi docuimus ex *Xenophonte*, *Curtio*, & *Philoſtrato*. Neque vero eſt abſimile priſcos *Aſſyriæ* Reges hoc idem habuiſſe ſignum, atque eo Scripturam alludere, quoties *aquilarum* nomine illos deſignat. Ut in verbis *Ezechielis* nuper citatis, *Aquila magna*, &c. Et *Dan.* 7, 4. ubi de prima beſtia, quæ *Babylonicum* imperium adumbrabat, *Et alas habebat aquilæ.* Et *Oſ.* 8, 1. *Buccinâ faucibus tuis* (admotâ dicito,) *Quaſi aquila* (involat) *ſuper domum Domini.* Ubi *Chaldæus* Paraphraſtes, *O Propheta, faucibus tuis, tanquam tubâ, clamita, & dic, Ecce! ſicut aquila, quæ ſeſe motitat, ſic aſcendet Rex* (Aſſyrius, Nebucadnetſar) *cum exercitu ſuo, & caſtra metabitur contra domum Sanctuarii Domini.* Et *Jerem.* 48, 40. *Ut aquila involabit, & in* Moabitas *extendet alas ſuas.* Et *Jerem.* 49, 22. *Aſcendet ut aquila, & involabit, & extendet alas ſuas in Boſram.* Nempe, ut aquila, cum impetu in prædam obviam irruebat, & mirâ celeritate bella conficiebat. Et aquilam illam meritò *magnam* vocat *Ezechiel*; quia *Nebucadnetſar* Rex erat potentiſſimus, & magnas illi alas tribuit, id eſt, magnos exercitus. Ut *Eſ.* 8, 8. *Implebunt alæ illius latitudinem terræ tuæ. Alæ*, id eſt, *copiæ.* Atque hæc quidem *Ægyptio* Regi cum *Aſſyrio* communia fuerunt. Itaque etiam *Ægyptius* vocatur *aquila magna*, & *magnis alis.* Sed *Aſſyrio*

b) Part. 1. lib. 1. cap. 1. pag. 11. & lib. 6. &c.

ſyrio penna longiores, & *plurium colorum*, id eſt, ditio major, & in plures populos. Ac illi proinde, tanquam propriam, pennatum longitudinem & varietatem adſcribit *Ezechiel*. Obiter nota, ut *Perſas* olim, & *Romanos* duces, ita etiam *Græcos* aquilam habuiſſe pro ſigno militari, ſi *Seneca* credimus in *Thebaide*, cùm dicit de ſeptem ducibus ad *Thebas* verſu 389.

- - - - - - *æra jam bellum cient*
Aquiláq; pugnam ſignifer motâ vocat.

Quintò, *Chaldæos*, & *Aſſyrios*, qui *Nebucadnetſare* duce totam *Judæam* devaſtârunt, *Jeroſolymam* ſolo æquârunt, & templum igne conſumpſerunt, *Prophetæ* paſſim conferunt cum aquilis ad eſcam properantibus, & in prædam involantibus. Vide *Jer.* 4. *v.* 13. *Thren.* 4. *v.* 19. *Hab.* 1. *v.* 8. Itaque ad eoſdem pertinent hæ Legis minæ, *Deut.* 28. *v.* 49. *Excitabit contra te Dominus gentem remotam, quæ ab extremis terrarum finibus ſicut aquila involabit.* Et fallitur *Baal Hatturim*, qui ad *Alexandrum* refert, futili ratione fretus, nempe quod *Propheta* voces ידאה הנשר, id eſt, *involabit aquila*, ſunt ἰσόψηφοι cum voce עשרה, id eſt, *decem*. *Alexander* autem decem dierum iter uno die conficiebat. Sed poſt mortem *Nebucadnetſaris* aquilinæ illæ *Aſſyriorum* alæ paulatim evulſæ ſunt, ut prædixerat *Daniel* cap. 7. v. 4. & eorum imperium à *Perſis* eſt planè ſubverſum.

CAPUT QVINTUM.

Probatur פרס *peres*, eſſe Oſſifragam.

Peres פרס, Græcis & Vulgato gryphus. Pomario *inde* Peruſia, *urbs dicta, cujus inſigne gryphus: quæ refelluntur.* Samaritano *accipiter.* Hebræis *falco cyanopus; quia alludit ad* Gallicum pers. *Aliis* Perſica avis. *Quin* Perſica *avis eſt gallus, aut pavo.* Peres *eſſe oſſifragam probatur potiſſimùm ex* Mich. 3. v. 3. *De oſſifraga quid ſcripſerint* Romani, Græci, & Arabes. *Aliud* Gallis Orfraye.

IN cenſu immundarum avium פרס *peres*, eſt ordine ſecunda. *Græci* τὸν γρύπα explicant. Unde *gryphum Hieronymus*, *Pagninus*, & *Arias*. Et ex *Hebræis Pomarius*, qui *Peruſiam*, *Tuſcorum* oppidum, ex eo vult ſumpſiſſe nomen, ac proinde פרס *peres*, ſeu *gryphem* habere in inſignibus. Gryphem tamen nunquam ὑπάρξειν ἀνθρώπων γεγονέναι verè obſervat *Origenes* lib. 4. in *Celſum*. Et de gryphibus quidquid afferunt nugaciſſimi ſcriptores, *Cteſias*, & *Ariſteas Proconneſius*, jure merito rejiciunt ut fabuloſum *Plinius*, *Arrianus*, & *Pauſanias*, ut alibi docemus. Itaque non poteſt ſtare hæc verſio, niſi *gryphis* nomine aliud intelligatur quàm vulgò, γρυπαετὸς nimirum, id eſt, *aquila roſtro inſigniter adunco*. Id enim propriè γρυπότης. Nempe in roſtro eadem eſſe ſolet, quæ in unguibus aduncitas. Porro nomine פרס *peres*, avem ſignificari maximè ungulatam ex eo puto conjeciſſe vetuſtos illos interpretes, quòd *Hebræum* פרסה *parſa*, pro *ungula* iiſdem ferè literis ſcribitur. Sed conjectura hæc minùs placet; quia פרסה *parſa*, nonniſi quadrupedum eſt ungula: ut avium צפרן *tſipporen*, Chaldæis טפר *tephar*, Dan. 4. v. 30.

Samaritano פרס *peres*, eſt ࠁࠆࠏࠄ *bezaa* accipiter: *Munſtero* quoque, & *Schindlero*. Sed *Jonathan* עוזא *uza*, de qua ſequenti capite. *Arabibus* عقاب *okab*, μελαναίετος. *Judæis* in *Germania* בלאבון *blaſus*, quaſi *cyanopodem* dicas. Ita vocant falconis genus à cœruleis pedibus, de quo Albertus, *Nonnum genus falconum, & jam declinans ab excellentia nobilium falconum, eſt id, cujus pedes hyacinthini, ſive azurini ſunt*, &c. Ab *Italis* apud *Geſnerum zafiro* dicitur à ſapphirino colore pedum. Id ſequutus *Deodatus* in *Italica* verſione *falconem* reddidit, & in *Gallica girofalcum*. Cujus verſionis prima origo jam dicetur. A praſino deducta vox *Gallica* vetus *pers* primò *viridem*, deinde etiam *cæruleum* colorem ſignificavit. Quod cùm animadvertiſſent *Judæi*, qui in *Gallia* olim frequentes habitabant, inde collegerunt inſulſi homines avem פרס *peres*, ſaltem ex parte cœrulei eſſe coloris, quaſi noſtrum *pers* pro cœruleo ab *Hebræo* eſſet factum. Quod quidem eſt perabſurdum. Sed illis hominibus inſanire ſolenne eſt. Nec minus ridiculo errore eam ipſam vocem פרס *peres*, feciſſe *Peruſiæ* nomen (*Tuſcorum* oppido veteri, cujus præter *Ptolemæum*, *Silius*, *Appianus*, *Eutropius*, *Stephanus*, atque alii meminerunt) nuper aſſerebat *David de Pomis*.

Ex eodem grege non nemo apud *Munſterum* פרס *peres*, avem eſſe ſtatuit, quæ in ſola *Perſide* reperiatur; quaſi פרס *peres*, alludat ad *Hebræum Perſidis* vocabulum פרס *Paras*. Sed & hæc conjectura duabus de cauſis inanis eſt. 1. Quia *Perſidis* nomen *Moſe* recentius eſt annis circiter nongentis: *Cyri* nempe tempore natum, qui primus populares ſuos equitare docuit. Unde פרסין, vel פרשין, *Perſæ* vel *equites* dici cœperunt, qui olim *Cuthæi*, vel *Ciſſii*, *Suſiani*, & *Elamitæ*, ut probavimus in noſtro *Phaleg*. 2. Quia *Moſes* non prohibuiſſet *Judæis* avem *Perſidis* peculiarem, quæ à *Judæa* immenſum diſtat. Interim agnoſcendum eſt quandam avem à *Perſide* nomen habuiſſe, quam *Ariſtophanes* in *Avibus* vocat Περσικὸν ὄρνιν. Sed ſcribit *Scholiaſtes* quoſdam τὸν ἀλεκτρυόνα, alios τὸν ταῶ pavonem intelligere; quarum avium utraque munda, cùm *peres* ſit immunda.

Jam ſcire eſt operæ pretium, cur פרס *peres*, Junius *oſſifragam*, Caſtalio *anatariam* interpretetur, quæ ſunt aquilarum ſpecies. Verbum פרס *paras*, unde פרס *peres*, primò *dividere*, & *diſtribuere*, deinde etiam *frangere* ſignificat; quia res frangendo dividuntur. Quod reſpexit *Caſtalio*, quia de anataria aquila ſcribit *Plinius* lib. 10. cap. 3. *Ingenium eſt ei teſtudines raptas frangere è ſublimi jaciendo, quæ ſors interemit Poetam* Æſchylum. Sed *Junius*, quaſi פרס *peres*, *à diſtribuendo* dicatur, hanc ſuæ verſionis rationem affert in Notis: *Oſſifraga nomen habet à diſtribuendo, quod huic animanti ſic tribuit* Plinius. *Ejectos ab aquilis cognatum genus oſſifraga excipiunt, & educunt cum ſuis.* In quibus tamen *Plinii* verbis de distributione ne γρῦ quidem, niſi κατ' ἀκολούθησιν· quia cum oſſifraga fœtus alienos cum ſuis alit, neceſſe eſt, ut alimenta inter utroſque partiatur. Nec oſſifragæ nomen eſt à diſtribuendo, ſed ab oſſium fractione, quod omnes ſciunt.

Aliorum ſententiis ſic explicatis, noſtram quoque hic afferemus, & idoneis argumentis ſtatuminare conabimur. Ac primò quidem iis accedo, qui פרס *peres*, aquilæ ſpeciem eſſe volunt. In quibus *Græci*, *Hieronymus*, *Chaldæi*, *Arabes*, & plerique recentiorum. Huc facit, quod apud *Macedones*, qui ex Orientis ſpoliis non ſolùm opes, ſed & linguam ſuam auxerunt, *aquila* dicebatur παραὸς, alluſione manifeſta ad *Hebræum* פרס *peres*. *Heſychius*, Παραὸς, ἀετὸς ὑπὸ Μακεδόνων· *Paraos aquila Macedonibus*. Præterea ut ex omnium conſenſu נשר genuinam aquilam ſonat, ita vocibus in *Moſe* proximè ſequentibus, nempe פרס & עזניה, alias aquilarum ſpecies, *Judæis* notas, deſignari valde veriſſimile eſt. Neque tutum eſt ſe opponere tam multis interpretibus, qui ſic ſtatuunt. Hoc igitur firmum maneat, פרס eſſe in aquilarum ſpeciebus. Sed de ſpecie jam inquirendum, quæ aliunde exſculpi non poteſt, quàm ex vocis origine, cùm de ea præter nudum nomen nihil quidquam habeamus.

Et

Et rectè notat *Aben Ezra* ſumendam eſſe originem ex his *Eſa.* 58. *v.* 7. פרוס לרעב לחמך, *Frange eſurienti panem tuum.* Quâ notâ ſignificatum voluit aquilæ genus eſſe *à frangendo* ſic appellatæ. Sed, ut res ſit manifeſtior, expende, Lector, hæc *Mich.* 3. *v.* 3. quæ in hoc argumento nondum fuiſſe citata, mirum eſt. ואת עצמותיהם פצחו ופרשו כאשר בסיר וכבשר בתוך קלחת, *Et oſſa eorum ruperunt, & fregerunt tanquam in olla, & ſicut carnem in medio lebetis.* Ex quibus conſtat Verbum פרס (vel פרש per *Sin Semol*, quod idem eſt) etiam de fractione oſſium uſurpari. Inde igitur nemo eſt, qui non colligat פרס *peres*, eſſe *oſſifragam*, hoc eſt, illam aquilæ ſpeciem, quæ à frangendis oſſibus *Romana* lingua *oſſifraga*, vel *oſſifragus* appellatur: & *Arabicâ* vel ſimpliciter كاسر id eſt, *fractor*, vel كاسر اعظام *fractor oſſium.* Itaque *Junius oſſifragam* rectè reddidit, quamvis illum latuerit hujus verſionis vera ratio. Et fortaſſe eodem pertinet, quod pro פרס, *Onkelos* & *Hieroſolymitanus* habent ער, vel עריא. Quippe voces, ער, & עריא, inverſis Radicalibus, deduci potuêre ex verbis רעע, vel רעה, quæ *frangere* & *conterere* ſignificant. De oſſifraga ſic *Lucretius* lib. 5. verſu 1077.

Poſtremo genus alituum, variaq; volucres,
Accipitres, atq; oſſifraga. - - - -

Et *Plinius* paſſim, ut lib. 10. cap. 3. ubi de haliæetis, *Id quidem, quod ex iis natum eſt, in oſſifragis genus habet.* Et paulò poſt, *Quidam adjiciunt genus aquilæ, quam barbatam vocant*; Thuſci *verò oſſifragam.* Et rurſus ubi de pullis, quos ejiciunt aquilæ tædio nutriendi; *Ejectos ab his cognatum genus oſſifragæ excipiunt, & educant cum ſuis.* Et cap. 7. *Immuſſulum aliqui vulturis pullum arbitrantur eſſe, & ſanqualem oſſifragæ.* Item, Maſſurius *ſanqualem oſſifragam eſſe dicit.* Et lib. 30. cap. 7. *Unum eſt oſſifrago inteſtinum mirabili naturâ, omnia devorata conficienti.* Et paulò ante, *Oſſifragi venter arefactus, & potus, iis, qui cibos non conficiunt, utiliſſimus.* Et capite ſtatim ſequenti eundem ſumi jubet ad calculos pellendos. *Iſidorus* quoque lib. 12. cap. 7. *Oſſifrangus* (lege *Oſſifragus*) *vulgò appellatur avis, quæ oſſa ab alto demittit, & frangit, unde & à frangendo oſſa nomen accepit.* Vide etiam *Feſtum* in vocibus *immuſſulus*, & *ſanqualis.* *Oſſifragus* in uno *Gloſſario Græcè* dicitur ὀστοκόπος, ὀστοκλάστης, ὀστοκατεάκτης· in altero, ſed perperam, ὀστοθραξ. *Dioſcoridi* φήνη. Φήνη, inquit, τὸ ὄρνεον, ὃ Ῥωμαῖοι καλοῦσιν ὀσσίφραγον. Et vetuſtioribus φήνη, voce ex *Homero* & *Ariſtotele* notiſſima, quamque *Arabes* quoque uſurpant. *Damir* ex *Ibnoſaida*, الفينة طاير يشبه العقاب فاذا خاف البرد انحدر الي اليمن Phena, *avis aquilæ ſimilis, quæ, cùm timet frigus, proficiſcitur in* Jeman, id eſt, in *Arabiam Felicem.* Sed vulgò vocatur, ut diximus, nempe كاسر *fractor*, & كاسر اعظام *fractor oſſium.* Item, مكلفة *mechalapha* à colore nigro cum rufedine, vel flavedine admixta. *Damir*, الكاسر العقاب *Alchaſir* (ſeu *fractor*) *aquilæ genus.* Idem alibi, كاسر العظام المكلفة *Fractor oſſium, id eſt, mechalepha.* Et in capite De *mechalepha*, الفرخ الذي ترمي به العقاب من الثلثة يحضنه طاير يقال له المكلفة ويقال له كاسر العظام وتربيه *Pullum, quem ejecit aquila è tribus, fovet, & nutrit avis, quæ* mechalepha *dicitur, & fractor oſſium.* Et capite العقاب ſeu *De aquila*, والعرب يسمي العقاب الكاسر *Etiam* Arabes *aquilam* (id eſt, aquilæ ſpeciem) *fractorem vocant.* Et infra, والفرخ الذي تلقيه يعطف عليه طاير يسمي كاسر العظام ويسمي المكلفة ايضا فيربيه *Et pulli, ab aquila projecti, miſeretur avis, quæ oſſifraga, &* mechalepha *nominatur, ita ut eum nutriat.* Ab oſſifraga deduci palam eſt *Gallicum orfraye*; quamvis apud nos aliud ſonet, nempe *haliaetum*, ſive *aquilam marinam.* Quod pridem obſervavit *Bellonius* lib. 2. cap. 7. *De avibus.*

CAPUT SEXTUM.

Probatur עזניה *oznija*, non eſſe Haliæetum, ut plerique volunt, ſed Melanæetum, ſeu Valeriam aquilam.

Oznija *haliaetus à pleriſq; redditur*, *à* Genevenſibus *falco.* *A viribus dicitur, ut* Valeria, *quæ* Græcè Μελαναίετος, *aquilarum robuſtiſſima.* Homeri *locus de illa aquila, quem veteres perperam ſollicitant.* *De eadem hic egiſſe* Moſem. *Illius dotes eximiæ.* *Vaſa ex hujus alis: potus ex pede, & unguibus.* Talmudis *locus ea de re.* Hebræi, *&* Arabes *pro gryphe: de quo quædam fabuloſa.*

IN immundis avibus tertia eſt עזניא *oznija.* Ἁλιάετον *Græci* reddunt, unde *Hieronymus*, *Munſterus*, *Caſtalio*, *Pagninus*, *Arias*, *Junius*, *Deodatus*, *haliaetum*, vel *aquilam marinam*: & Angli *oſpray*, quod idem eſt: Genevenſes *falconem*, quorſum, non ſatis ſcio, niſi quod aquilam marinam pro falcone nonnulli habent, quos tamen refellit *Geſnerus.* In voce עזניה *oznija*, *Hebræi* monent *Nun* eſſe נוסף, ſeu *Epentheticum*: & עזניה *oznija*, dici pro עזיה *ozja.* Proinde *Onkelos* hic habet עזיה *ozja.* Et hanc aquilæ ſpeciem ab עז *oz*, ſeu *robore*, ſic appellari in confeſſo eſt. Unde valde veriſſimili ratione colligo potius eſſe μελαναίετον, id eſt, *nigram aquilam*; quæ, utut aquilarum minima, tamen eſt robuſtiſſima. Proinde VALERIAM *Romani* vocant, ut quæ viribus maximè valeat. *Plinius* ubi ſupra, *Melanaetos à Græcis dicta, eademque* VALERIA, *minima magnitudine*, VIRIBUS PRÆCIPUA, *colore nigricans*, &c. Et ante *Plinium Philoſophus* lib. 9. cap. 32. Ἕτερος δὲ μέλας τὴν χρόαν, καὶ μέγιστος ἐλάχιστος, καὶ κράτιστος τούτων. οὗτος οἰκεῖ ὄρη, καὶ ὕλας· καλεῖται δὲ μελαναίετος, καὶ λαγωφόνος.

Alia

Alia autem eſt aquila, colore nigra, magnitudine minima, ſed viribus præſtantiſſima. Ea montes, & ſylvas colit: vocaturq; melanæetus (id eſt, *nigra aquila*) *& leporicida.* Et ante *Philoſophum Poeta* ſummus de *Achille Iliad.* φʹ. verſu 252.

Αἰετοῦ οἴματ' ἔχων μέλανος, τοῦ θηρητῆρος·
ὅς θ' ἅμα κάρτιστός τε, καὶ ὤκιστος πετεηνῶν·

Aquilæ impetum habens nigræ, venatricis, quæ alitum ſimul eſt fortiſſima, & celerrima. Ad quem locum *Euſtathius*, Αἰετοῦ μέλανος τοῦ θηρητῆρος, ὃν καὶ μελαναίετόν τινες συνθέτως φασὶ, τὸν καὶ φασσοφόνον (forte legendum λαγωφόνον) μικρὸν μὲν φασὶν εἶναι, τῶν ἄλλων δὲ ἰσχυρότερον· *Aquilæ nigræ venatricis, quam compoſita voce quidam melanæetum, & palumbariam, parvam quidem, ut ajunt, ſed aliis robuſtiorem. Homeri* vetus *Scholiaſtes* ſcribit *Ariſtotelem* pro μέλανος τοῦ conjunctis vocibus legiſſe μελανόστου, ut ſignificetur aquilam habere *nigra oſſa*. & alios μελανόσσου, quaſi ſit *nigris oculis*. Sed in *Ariſtotelis* libris, qui extant, nihil occurrit ſimile. Et fruſtra ſollicitatur *Poetæ* lectio, quæ commoda eſt, & erudita, cumque conciliat in deſcriptione nigræ aquilæ cum *Ariſtotele* & *Plinio*. Horum igitur conſenſu cum nigra aquila ſit omnium validiſſima, quidni à robore עזניה *oznija*, ab *Hebræis* dicta fuerit, ut à *Romanis valeria?* Præterea inter aquilarum ſpecies hanc à *Moſe* fuiſſe omiſſam veriſſimile non eſt, cum poſt majorem illam & genuinam aquilam, quæ propriè נשר vocatur, hæc ſit aquilarum omnium ἀξιομνημονευτότατος. Nam præter eximium robur plurimas habet dotes, quæ illam maximè commendant. Has ita deſcribit *Philoſophus* ubi ſupra, Ἐκτρέφει δὲ μόνος οὗτος τὰ τέκνα, καὶ ἐξάγει· ἔστι δὲ ὠκυβόλος, καὶ εὐθήμων, καὶ ἄφθονος, καὶ ἄφοβος, καὶ μάχιμος, καὶ εὔφημος· οὐ γὰρ μινυρίζει, οὐδὲ λέληκεν. *Una hæc fœtus ſuos alit, atq; educit. Eſt & pernix, elegans, ſine invidia, ſine metu, ſtrenua, boni ominis; neq; clangit, neq; murmurat.* Proinde illam cum chryſaëto ita confert ampliſſimus *Thuanus* lib. 1. *De re accipitraria*,

Optima & ipſa æquans animis ingentibus illam,
Corporis inferior quamvis ſit mole, nec ungue,
Aut roſtro tantum valeat, digitisve: ſed ortus
Non mentita ſuos, animive oblita virilis,
Accipitres collata nothos facit. Hanc quoque noſtri
Valeriam *dicunt*, Græci μελαναίετον, *atrum*
Quod referat roſtro, pennis, atque ungue colorem.

Notandum tam עזניה *oznija*, quàm פרס *peres*, à nonnullis pro *gryphe* haberi. Ac proinde utrumque עוז *uz*, vel עוזא *uza* reddi, quæ vox Paraphraſtis & *Talmudicis gryphem* ſonat. Ita in *Jonathanis* Paraphraſi עוזא *uza*, habetur pro פרס *peres*. At in *Samaritana* ࠏࠆࠀ *uza* eſt pro ࠏࠆࠍࠉࠄ *oznija*. Et in *Talmudico* Tractatu *Kelim* cap. 17. § 14. ubi agitur de vaſis, quæ fiunt מכנף העוז *ex ala* τοῦ *uz*, id eſt, *gryphis*, *Gloſſator* hæc habet, עוף הוא ששמו עזניה ורגלים היו לעשות כלים מכנף אותו העוף, *Avis eſt, quæ* (in textu Sacro) *vocatur* oznija, *ex cujus alis ſolebant fieri vaſa.* Ubi fortaſſe pro מכנף *miccanaph* (ex ala) legendum מכף *miccaph* (ex planta.) Et paulò poſt, כף העוז מכל הכנפים, *Planta (avis)* uz *omni alia præſtat*, pro כנף העוז מכל הכנפים. *Ala avis* uz *omni ala præſtat. Planta*, id eſt, *pes*, & *unguis*. Id enim כף *caph*, in avibus. Sic *Gen.* 8. *v.* 9. *Columba non invenit requiem* לכף רגלה: & *Arabs Erpenianus* لكف رجلها *Plantæ pedis ſui*, id eſt, τοῖς ποσὶν αὐτῆς, *pedibus ſuis*, ut ibi *Græci* habent. Porrò ex gryphis pedibus, vel unguibus vaſa fieri dictitant, non item ex ejus alis. *Damir* capite *De* عنقا *anka*, ſeu *Gryphe*, فيصنع من مخاليبها اقداح عظام للشرب *Et ex unguibus ejus fiunt vaſa potoria magna. Geſnerus* de gryphe, *Johannes de Montevilla ſcribit ungues ejus tanquam cornua bovis eſſe, è quibus magni pretii pocula fiunt.* Et paulò poſt, *Memini ego me videre apud aurifabrum in civitate noſtra cornu nigrum leve, & in ſummo aduncum, ferè ut in rupicapris, triplo fortè craſſius, cujus labris argentum inducturus erat aurifaber, ut pro poculo menſis adhiberetur. Id fortè bovis alicujus peregrini, ut quem* Indicum *vocant, aut bubali cornu erat. Ille verò pro gryphis ungue acceperat.* Aliud afferam, unde conſtet עזניה *oznija*, *gryphem* eſſe ex *Hebræorum* ſententia. In libro בעל החיים ſeu *De naturis animalium*, quem ex *Arabico Abulſapha* in *Hebræum* tranſtulit *Calonymus*, עזניה *oznija*, in aves rapaces latè imperans, eas undequaque convocat, & in illarum concilio ita loquitur, הנה אני עם גדל גופי ואומץ כחי ומהירות עופפותי עזבתי בתיהם וברחתי מהם אל האיים הרחוקים ואל ההרים הרמים והנשאים *Ego quidem, utut corpore vaſta, & viribus præſtans, & alis pernix, domos eorum* (hominum) *reliqui, & ab iis in remotas inſulas fugi, & in arduos celſosq; montes.* Nec multo aliter *Maimonides* de *peres*, & *oznija*, in Tractatu *De cibis vetitis* cap. 1. § 17. פרס ועזניה אינן מצוין בישוב אלא במדברות איי הים הרחוקות עד מאד שהן סוף הישוב *Perez & oznija in habitato orbe* (ἐν τῇ οἰκουμένῃ) *non reperiuntur, ſed in maris inſulis remotiſſimis in extrema parte orbis.* Hæc ad *Arabum ancam*, ſeu gryphem pertinere palam eſt, quem fabulantur olim inter homines in *Arabia* vixiſſe, feraſque & aves habuiſſe pro pabulo: ſed, cum aliquando pueros & ſponſam etiam rapuiſſet, *Handala Prophetæ* precibus relegatum fuiſſe in inſulam ab hominum commercio remotiſſimam, unde egredi, ut ad loca cultiora ſe conferat, ſit illi nefas. Proinde pro *Hebræo* עזניה *oznija*, in *Arabicis* Paraphraſibus, tam *Saadiæ*, quàm aliorum, legere eſt العنقا *alanka*. Atque ideò *Saadiæ* ſuccenſet *Aben Ezra*, quòd Deum prohibuiſſe velit הדבר שלא היה, *rem quæ non extat*. Quod ipſi fatentur *Arabes*. In his *Alcamus*, à quo العنقا *alanka* definitur eleganti Paronomaſiâ طاير معروف الاسم ومجهول الجسم *avis noti aliſmi*, id eſt, *nominis*, *ſed ignoti algiſmi*, id eſt, *corporis*. Et *Poeta*, qui dicit الجود والغول والعنقا ثلاثة اسما اشيا لم توجد ولم تكن *Probitas, & algol* (ſeu *empuſa*) & alanca (ſeu *gryphus*) *tria ſunt nomina rerum, quæ non reperiuntur, nec unquam extant.* Sed alibi *Saadiam*, atque alios Paraphraſtas, qui hac voce utuntur, excuſari poſſe doceo. Quia, utut *anca* plerunque ſit avis fictitiæ nomen, ut nobis gryphes, tamen etiam pro vera ave quandoque occurrit. Sed quidquid illi in mente habuerint, hoc certum eſt עזניה *oznija*, in *Moſe* ſignificare veram avem, & valde veriſimile *aquilam* eſſe *nigram*, quam *Græci* compoſita voce μελαναίετον appellant.

CAPUT

CAPUT SEPTIMUM

Milvum potius *à volatu* dici דאה *daa*, ut in *Levitico*; quàm *à viſu* ראה *raa*, ut in *Deuteronomio*.

Affines literas Daleth *&* Res *ſæpe confundi. Proinde eadem avis dicitur* דאה daa, *&* ראה raa. *Unum* à volatu, *alterum* à viſu. *Sed prior lectio melior, ſi verè hæc avis eſt milvus, ut pleriq; volunt; quia in volatu milvi multa ſunt ſingularia, nihil in viſu. In exemplari* Samaritano *legi conſtanter* ࠃࠀࠄ daa, *& accedere milvi nomen* Arabicum hida. *Aliud* hada. Milvini oculi *in* Apulejo.

SEquitur דאה *daa*, vel ראה *raa*. Neque enim certum eſt utro modo ſit ſcribendum. Quia eadem avis in *Levitico* דאה *daa* vocatur, & in *Deuteronomio* ראה *raa:* quorum unum *à volatu*, alterum *à viſu* ſumptum. Nam דאה *daa*, Verbum *volare* eſt, & ראה *raa*, *videre*. Nempe literas *Daleth* & *Res*, quia ſunt valde affines, librarii ſæpe confundunt. Sic iidem ſunt דודנים *Dodanim*, Gen. 10. v. 4. & רודנים *Rodanim*, 1. Par. 1. v. 7. ריפת *Riphath*, Gen. 10. v. 3. & דיפת *Diphath*, 1. Par. 1. v. 6. הדר *Hadar*, Gen. 36. v. 39. & הדד *Hadad*, 1. Par. 1. v. 46. הדדעזר *Hadad-ezer*, 2. Sam. 8. v. 3. & הדרעזר *Hadar-ezer*, 1. Par. 18. v. 3. החרדי *Harodites*, 2. Sam. 23. v. 25. & ההרורי *Harorites*, 1. Paral. 11. v. 27. חמדן *Hamdan*, Gen. 36. v. 26. & חמרן *Hamran*, 1. Par. 1. v. 39. (al. 41.) דעואל *Daguel*, Num. 1. v. 14. & 7. verſ. 42. & רעואל *Raguel*, Num. 13. v. 15. Et de Deo dicitur 2. *Sam.* 22. v. 11. וירא vajera, *& apparuit*, pro וידא vajeda, *& volavit*, Pſal. 18. v. 10. Quâ omnino ratione eadem avis alibi דאה *daa*, vocatur; alibi ראה *raa*. Sed illa avis, ſi verè *milvus* eſt, prout ſtatuunt plerique veterum & recentiorum interpretum, in his *Hieronymus*, *Arabes*, *Munſterus*, *Caſtalio*, *Junius*, *Deodatius*, *Buxtorfius*, *Schindlerus*, &c. maſim דאה *daa*, ſcribi quam ראה *raa*; *à volatu* ducto nomine potiùs, quàm *à viſu*. Quia cum in milvi viſu peculiare nihil obſervent rerum Naturæ ſcriptores: in volatu primò hoc habet eximium, quod alis prope immotis in aere omnium avium diutiſſimè libratur. *Munſterus*, רחף, *Motus eſt ut milvus ſcilicet in aere movetur, alis non motis*, &c. Budæus, *Horam integram, aut plus eò, milvos obſervavimus non jactatis alis captare prædam*, &c. *Hoc* Itali *aucupes* tendere *vocant*, Galli planare. *Elatâ namq; pauliſper alâ, motum aeris in reliquum etiam corpus excipiunt, atq; ita ſuſtinentur.* Præterea vix ulla eſt avis, quæ milvo volet altius. *Martialis* lib. 9. *Epigrammate* 55.

Hinc prope ſumma rapax milvus in aſtra volat.

Bellonius, *De Avibus* lib. 2. cap. 26. *Cùm accipiter in milvum immittitur, utriq; in ſummum aerem ita evehuntur, ut hominum viſus fugiant.* Budæus *in* Philologia, *Nec ardea, nec milvi intra nubes conditi evadere humanas manus poſſunt.* Volando denique milvus non facilè delaſſatur. Unde *Perſius* de *Vectidio* Satyrâ 4.

– *arat* Curibus *quantum non milvus oberret.*

Ubi *Cornutus*, *Quod dici ſolet ſecundùm Proverbium*, " Quantum milvi non volant, *quia milvi multùm volant.* Et *Juvenalis* Satyrâ 9.

– – – *cui tot montes, tot prædia ſervas*
Appula, *tot milvos intra tua paſcua laſſos.*

Et ibi vetus *Scholiaſtes*, *Vult oſtendere magnitudinem poſſeſſionum* Poeta, *quam lata ſint agris, ut nec milvi tranſvolare eas poſſint.* Id igitur naturæ milvi convenit magis, ut *à volatus præſtantia* dictus fuerit דאה *daa*, potius quam *à viſu* ראה *raa*. Si objicias hæc *Apuleji* lib. 6. *Metamorphoſeus*, *Nec tamen aſtutulæ anus milvinos oculos effugere potui:* quibus milvo tribui videtur inſignis perſpicacitas. Reſpondebo, 1. rapacibus omnibus idem tribui, 2. ſingularem eſſe hunc *Apuleji* locum. Quod his verbis agnoſcit illuſtris commentator *Philippus Beroaldus*, *Milvinos oculos ſcriptor nullus, quod quidem ſciam, celebrat, velut acumine oculorum præpollentes.* Addo in *Samaritano* exemplari, tam in *Deuteronomio*, quàm in *Levitico* legi ࠃࠀࠄ per *Daleth*, nusquam ࠓࠀࠄ per *Res*. Et ex *Hebræo* דאה *daa*, factum videri *Arabicum* حدا *hida*, Gutturali præpoſitâ; ut in *Hebræo Tigris* nomine חדקל *Hiddekel*, facto ex *Chaldæo* דגלה *Digla*. Saltem id certum apud *Arabes milvum* حداة *hida* vocari. Quod ex *Abenbitare* clarum, capite قاطاننقي *Catananke*, in quo *Græca* hæc *Dioſcoridis* de exſiccato *catanankes* herbæ ſemine, Ἰκτῖνι ὄνυξιν ὁμοιοῦται νεκρῷ, *Milvi mortui unguibus aſſimilatur*, in *Arabica* Paraphraſi ſic redduntur, وكان شكلها شبيها بشكل مخالب الحداة الميتة *Et forma ejus ſimilis eſt formæ unguium* hidæ *mortuæ*. *Hida*, id eſt, *milvi*. Ut de *Damire* taceam, qui in capite *De* حداة *hida* illi tribuit quidquid de milvo habet *Philoſophus Hiſt.* lib. 6. cap. 6. Et de *Andrea Bellunenſi*, cujus verba ſunt; *Albada eſt avis, quæ dicitur milvus.* Rectè niſi quod *albida* ſcribendum, non *albada*. Nam الحداة *albada* per *Fata* eſt *bipennis*, ut notant *Damir* & *Alcamus:* ſed *albida* per *Keſra* eſt avis nomen. Sunt, qui tam דאה *daa*, quam ראה *raa*, multò aliter interpretentur: ſed illorum verſiones ideò prætermitto; quia non videntur ullo modo veriſimiles.

CAPUT OCTAVUM.

Probatur איה *aja*, eſſe *Accipitris* ſpeciem, quam veteres *æſalonem*, Germani Smirle appellant, nos *eſmerillon*.

Variæ interpretationes vocis איה aja. *Eſſe accipitris ſpeciem à voce ſic dicti: ut* Arabicè يويو juju. *Multæ aves à voce dictæ.* Aljuju *inter ſacri accipitris ſpecies. Ejus deſcriptio ex* Damire, *Germ.* Smirle; *nobis* eſmerillon. *Alaudas præcipuè captat. Hujus perſpicaciam laudat* Job. 28. v. 7. *Ita etiam* Arabes, *& noſtrates. Veteres* æſalonem *vocaſſe, vel* æſaronem.

POſt tractatum *De Aquila* tres avium appellationes explicare conati ſumus, nempe פרס *peres*; עזניה *oznija*; & דאה *daa*, vel ראה *raa:* quæ extra immundarum catalogum nusquam reperiuntur. Itaque cum in harum interpretatione tam veteres quàm novi interpretes maximè diſſentiant, aliunde exſculpi non potuit vera ſignificatio, quam ex ſola vocum origine. Nunc quatuor ſubſequentur, איה *aja*, nimirum; & דיה *daja*; & ערב, *oreb*; & בת־יענה *bath-jaana:* quæ cum alibi reperiantur, in harum explicatione plus affulgebit lucis. Tamen de prima valde ambigitur. *Græci*

Græci modo *vulturem*, modo *milvum* explicant. Prius ſequuntur *Hieronymus*, *Munſterus*, *Pagninus*, *Caſtalio*, *Anglica*, & *Italica* verſio: poſterius *Arabs* in *Jobo*, *Schindlerus*, & *Genevenſes*. *Jonathan* reddit ריתא אוכמתא, *vulturem nigrum*. Jeroſolymitanus, אבו *ibbu*, quod puto idem eſſe. *Onkelos*, טרפיתא *rapacem avem*, nomine generico, quia ignoravit ſpeciem. *Arabes* in *Moſe* الصدا *bubonem*. Kimchius, נאיז, *picam*. Junius, & Buxtorfius, *picam*, aut *cornicem*. Arias, *variam avem*. Pomarius, *vulturem*, aut *accipitrem*. Aben Ezra, *avem inſularem*, tanquam ab אי, id eſt, ab *inſula* facto nomine. Alii *Hebræorum*, ut *R. Levi*, *Mardochæus*, *Aquinas*, cæteris prudentiores, ſolùm dicunt eſſe עוף שם, *nomen avis*.

Nobis *Hebræorum* האיה *haaja*, avis eadem, quæ *Arabum* اليويو *aljuju*. Avis eſt à clamore ſic dicta. Nam ut aquilarum clangere eſt, milvorum jugere vel lipire, accipitrum pipare, & crocitare corvorum: ità hujus avis proprium eſt يايا *jaja* ſecundum *Arabes*, & clamor ipſe dicitur اليايا *aljajao*. Indè igitur ipſa avis *Hebraicè* dicta videtur איה *aja*, ut *Arabicè* يويو *juju*, & in plurali يايي *jaji*. Neque novum id videri debet, ut avis nomen à voce ſumatur, ſi verè *Varro* libro quarto *De lingua Latina*, *Pleræque* (aves) *à ſuis vocibus, ut hæ, upupa, cuculus, corvus, hirundo, ulula, bubo: item hæ, pavo, anſer, gallina, columba*. Eſt porrò اليويو *aljuju* in accipitrum ſpeciebus, quorum ut *Ariſtoteles* decem, *Plinius* ſedecim cenſet genera: ità *Arabes* multa numerant. Atque in his eſt صقر *ſacer*, vernaculo ſermone, *ſacre*, qui rurſus in tres ſpecies ſubdividitur, nempe in ſacrum propriè dictum, كونج *chauneg*, & يويو *juju*, de quo ſic *Damir* الصنف الثالث من الصقور اليويو وتسميه اهل مصر والشام الجلم لخفة جناحه وسرعته ولان الجلم هو الذي يجز به وهو النغض وهو طاير صغير قصير الذنب ومزاجه بالنسبة الي الباشق بارد رطب لانه اصبر منه نفسا واثقل حركة ويشرب الما شربا ضروريا كما يشربه الباشق الا انه ابخر ومزاجه بالنسبة الي الصقر حار يابس وانلك هو اشجع منه ويقال ان اول من ضراه واصطاد به بهرام جور وذلك انه شاهد يويو يطارد قبرة ويراوغها ويترفع وينخفض معها وما تركها الي ان صادها فاعجبه ذلك وامر به فادب وصاد به

Tertia SACRORUM *ſpecies eſt* aljuju, *quem Ægyptii & Syri vocant* algelem, *propter alarum levitatem, & celeritatem. Nempe* algelem *ſeculâ ſeu falce inſtructum ſecat* (quaſi aërem alis tanquam falce dividat.) *Eſt autem avis parva, brevis caudæ: cujus temperamentum ſi conferas cum* albaſik (alio genere accipitris,) *eſt frigidum, & humidum; quia ſpiritum diutiùs continet, & motu gravior eſt, & bibit aquam, cum neceſſe eſt, quomodo bibit* albaſik; *eo tamen eſt fœtidior. At, ſi conferas cum* ſacro (propriè dicto) *temperamenti calidi & ſicci videbitur, ac proinde illo eſt audacior. Quidam porrò, nomine* Behram Giur, *primus eum ad venationem adhibuiſſe dicitur. Cum ſcilicet eo præſente avis* juju *alaudam inſequutus fuiſſet, & ei colluctatus, cum illa ſeſe efferens, & demittens, neque relinquens donec cepiſſet: id ille admiratus avem erudiri juſſit, & poſtmodum ad venationem eâ uſus eſt.* Hæc in *Damire*, unde conſtat eam avem deſcribi, quæ Germanicè **ſmirle** / Italicè *ſmerlo*, & *ſmeriglio*, Gallicè dicitur *eſmerillon*. Quippe etiam is cenſetur inter accipitrum & falconum ſpecies. Sed *quantitate minimus eſt* (inquit *Albertus* libri vigeſimi tertii capite decimo quarto) *nulli tamen animo & audaciâ cedit pro corporis & virium ſuarum portione*, &c. *Itaque* Guillielmus Falconarius *refert ſe harum avium operâ aliquando gruem cepiſſe. Alioqui enim alaudas, & ſimiles aves tantùm vincere poteſt*, &c. *Alas habet longiſſimas reſpectu ſui corporis, caudam menſuratam*, (id eſt, *mediocrem*) *crura, & pedes planos*, &c. *Sunt celerrimi, & inſidioſi, & in capiendo aſcendunt, ac deſcendunt feriendo*, &c. Et *Creſcentienſis*, Iſmerli *ſunt quaſi falconelli, id eſt, falcones parvi, quos & corporis ſpecie & colore pennarum referunt*, &c. *Capiunt præcipuè alaudas, quas tanto deſiderio & impetu perſequuntur, ut vel ad clibanum uſque ardentem quandoque, vel in puteum, vel hominum veſtes offendant.* Alius apud *Geſnerum*, Smerillo *formam habet falconis, minor ſperverio, volacior quàm ulla avis alia. Aves capit eaſdem, quas ſperverius, præcipuè verò parvas, ut paſſerem, alaudam, & ſimiles.* Vides, lector, ut *Arabum aljuju*, ità noſtrum *ſmirlum*, vel *ſmerillonem* eſſe in accipitrum ſpecie, eumque ſtaturâ parvum, & caudâ brevi, & volatu celerem, & audaciâ inſignem, & alaudarum venationi maximè addictum: ut minimè ſit dubitandum, quin diverſis nominibus eadem avis deſignetur. Sed & aliud eſt notandum inprimis, quia maximè ad rem noſtram facit. Si quis vivaces oculos habet, & maximè perſpicaces, eum vulgato Adagio *Galli ſmerillonis* oculos habere dicunt; quia tales habet hæc avis. Et *Arabum* quoque *Poetæ* oculos ſui *juju* multum commendant. In his anonymus apud *Damirem*,

يويو مهذب رشيق *
كان عينيه لذي التحقيق *
فصان مخروطان من عقيق *

Juju (volatu) *celer, & pernix, cujus oculi ſunt verè ſuaves, & pupilla tanquam torno expolita plus quàm ſapphirus.* Et *Abu Navvas* in opere *De aucupiis*, cui titulus طريدة *Tarida*, de eadem ave inter cætera hæc habet,

ازرق لا تكذب عيناه *
فلا يري الغانص ما يراه *

Quæ *Latinis* verbis penè ad verbum ſic expreſſimus,

Caſius, atque oculis nunquam fallentibus uſus,
Et quod venator non videt, ille videt.

Hæc porrò ad rem noſtram ideò maximè pertinere diximus; quia de ejusdem avis oculo hæc leguntur, *Job.* 28, 7. *Semitam non novit* עיט, *avis, neque eam vidit* עין איה, *oculus* τοῦ *aja.* Agit de fodinis, unde hominum induſtriâ metalla eruuntur. Quæ cum in intimis terræ viſceribus lateant, *harum ſemitam*, inquit Sacer Scriptor, *non novit* עיט, *ajit*, id eſt, avis non quævis, ſed *avis rapax*, quod genus multò eſt perſpicacius. Hæc in priore hemiſtichio, & in altero huic parallelo, *Neque eam vidit oculus* τοῦ *aja*, vel *juju*, ſi mavis, id eſt, *ſmerillonis*, licet illa avis ſit oculatiſſima, & tam cernat acutum, quàm aut aquila, aut ſerpens *Epidaurius.* *Smerillonem* eſſe veterum αἰσάλωνα *æſalonem* multa probant. 1. Quod *Ariſtoteles* (*Hiſt.* lib. 9. cap. 36.) & *Plinius*, lib. 10. cap. 8.) æſalonem recenſent inter accipitrum ſpecies. 2. Quod ab *Æliano* (lib. 2. cap. 51.) vocatur ὄρνις ἰσχυρὸς. 3. Et à *Plinio* (lib. 10. cap. 74.) *parva avis.* 4. Quod idem *Plinius* (lib. 10. cap. 8.) æſalonem ſcribit omni tempore apparere, cum cæteri hyeme abeant. Id enim *ſmerilloni* prorſus convenit, ut à *Turnero* notatum. Verba ſunt, *Inter minores accipitres ſola merlina, ut* Angli *vocant, ſive ſmerla, ut* Germani, *ſemper apparet.* Tamen id falſum eſſe contendit nobiliſſimus Dominus *de Grentemeſnil.* Sunt, qui pro *aſalone aſaronem* ſcribant. *Heſychius*, Αἰσάρων, εἶδος ἱέρακος. Utrumque fortaſſe ab αἶσα, quia eſt avis αἴσιος *auſpicata, & boni ominis*, ut accipitrum omne genus. Quod nullo negotio probaverim, ſi tanti eſſet.

CAPUT NONUM.

Probatur דיה *daja*, eſſe Vulturem nigrum.

Cur דיה daja, *omiſſum in* Levitico. *Non eſſe idem quod* דאה daa, *id eſt*, milvum, *ut plerique reddunt, ſed* vulturem, Eſ. 34, 15. דיות *dajoth* inter ſe convenerunt, *id eſt*, vultures, *qui ſoli uncunguium congregantur. Id probatur ex* Philoſopho, Patribus, *&* *Hiſtoriis.* Romuli *vultures duodecim, unde collegit* Vectius *quamdiu duraret* Romanum *imperium. A* Cæſare *etiam & ab* Auguſto *viſi vultures totidem. Aquilæ, quæ congregantur*, Matth. 24, 28. *ſunt* gypæti. דיה daja, *propriè* vultur niger, *ut* דיו dejo, *atramentum* Hebræis. *Et* ܕܝܘܐ dajava, *diabolus* Syris, *&* Perſis. *Et* ديودار diudar, *dæmonis arbor*, ſabinæ *ſpecies. Quædam de* vulturibus nigris, *qui* Græcè αἰγυπιοὶ, non Αἰγύπτιοι, *ut putavit* Phile.

POſt איה *aja*, ſequitur דיה *daja*, Deut 14, 13. Quod omiſſum in *Levitico*, vel ab ipſo *Propheta*, quâ de causa neſcimus, vel à Scribis poſt *Prophetam* propter τὸ ὁμοιοτέλευτον duarum vocum האיה *haaja*, & הדיה, *hadaja*, quod ultimum puto eſſe vero propius. Quid ſit דיה *daja*, non ſatis notum eſt. *Hieronymus*, & *Arabes*, & multi recentiorum *milvum* interpretantur, quaſi ſit idem, quod דאה *daa*, Levit. 11, 14. Quod vix videtur poſſe ferri: quia, ut probavimus, דאה *daa*, & ראה *raa*, idem ſunt. Porrò ראה *raa*, & דיה *daja*, non poſſunt idem eſſe, cum in eodem verſu *Judæis* prohibeantur tanquam diverſa animalia. Ità enim habet Sacer textus, *Hæc ſunt, ex quibus non comedetis, aquila*, &c. הראה ואת האיה והדיה, & raa, & aja, & daja. Ubi cum ראה *raa*, ſit idem, quod in *Levitico* דאה *daa, milvus* ſcilicet, omnino דיה *daja*, aliud eſt; nempe *vultur*, ut quidem puto. Quomodo reddunt *R. Selomo, Caſtalio, Schindlerus, Anglica*, & *Italica* verſio. *Fullerus* quoque *Miſcellaneorum* lib. 6. cap. 4. Cui verſioni firmandæ multum faciunt hæc *Eſ.* 34, 15. de *Idumææ* deſolatione, *Ibi* דיות dajoth *inter ſe convenerunt.* Nam דיות *dajoth*, Plurale τοῦ דיה *daja*, non poſſunt eſſe *milvi*, qui non ſunt gregales aves, neque unquam inter ſe conveniunt, aut congregantur. Sed poſſunt eſſe *vultures*, de quibus *Geſnerus* pag. 785. *Vultures ſoli uncunguium gregatim degunt, ità ut aliquando quinquaginta in uno grege appareant, ut in* Ægypto *ſe obſervâſſe ſcribit* Bellonius. Hinc *Philoſophus Hiſt.* libro ſexto capite quinto, Πολλοὶ ἐξαίφνης φαίνονται ἀκολουθοῦντες τοῖς στρατεύμασι· *Multi derepentè apparent, qui ſequuntur exercitus.* Et libri noni capite undecimo idem ſcribit φαίνεσθαι ταχὺ πολλούς, *ſubito apparere multos.* *Baſilius* quoque in *Hexaemeron* Homiliâ octavâ, ἴδοις ἂν μυρίας ἀγέλας γυπῶν τοῖς στρατοπέδοις παρεπομένας· *Vulturum videas innumeros greges exercitus ſequentes.* Et *Ambroſius*, hunc imitatus, in *Hexaemeron* libri quinti capite vigeſimo tertio, *Cum bellum lacrymabile inter ſe adverſæ acies inſtaurant, multo prædictæ volucres ſequuntur agmine.* Petrus Bembus *Hiſtoria Veneta* libro quinto, *Conſtat illis diebus, quibus bellum contra* Bajazetem *parabatur in* Apulia, *corvos, vulturesque tantâ ex aëre vi, tantisque agminibus inter ſe conflixiſſe, ut carri duodecim eorum cadaveribus explerentur.* Non poſſum hic omittere duodecim vultures à *Romulo* viſos, tum cum *Romam* urbem condidit: unde collegit *Vectius Romano* imperio poſt exacta totidem ſæcula finem fore. Quod poſt *Varronem* ſcripſit *Cenſorinus* capite decimo quarto, anno ab Urbe condita circiter milleſimo. *Quot*, inquit, *ſæcula urbi* Romæ *debeantur, dicere meum non eſt. Sed quid apud* Varronem *legerim non tacebo, qui libro* Antiquitatum *duodevigeſimo ait fuiſſe* Vectium Romæ *in augurio non ignobilem ingenio, cuivis doctorum in diſceptando parem. Eum ſe audiviſſe dicentem, Si ità eſſent, ut tradebant Hiſtorici de* Romuli *urbis condendæ auguriis, ac duodecim vulturibus, quoniam* CXX. *annos incolumis præteriiſſet, populum* Romanum *ad mille & ducentos perventurum.* Neque defuit eventus vaticinio. Nam paulò poſt exacta duodecim illa ſæcula, Reipublicæ viribus ex *Occidente* in *Orientem* tranſlatis, *Romana* dignitas conſumpta eſt, & *Occidentale* imperium defecit in *Auguſtulo.* Is enim purpuram depoſuit *Herulorum* metu, qui *Adovacre* duce in *Italiam* irruperant, ut ſcribit *Paulus Diaconus* libro decimo ſexto. Ità *Cæſari*, cum in *campum Martium* exercitum deduceret, ſex vultures apparuerunt. Conſcendenti deinde roſtra creato *Conſuli* iterum ſex vultures conſpecti, veluti *Romuli* auſpiciis novam urbem condituro, ſignum dederunt. Ità tradit *Julius Obſequens.* Et apud *Suetonium Octavio Auguſto*, primo Conſulatu augurium capienti, duodecim ſe vultures, ut *Romulo*, oſtenderunt. Quod paulò aliter refert *Dio*, Πρώτῃ τῶν ἀρχαιρεσιῶν ἐς τὸ πεδίον τὸ Ἄρειον ἐσελθὼν, γῦπας ἓξ, καὶ μετὰ ταῦτα δημηγορῶν τι πρὸς τοὺς στρατιώτας, ἄλλους δώδεκα εἶδε. *Comitiorum primâ die, in campum* Martium *ingreſſus, ſex vultures: nec multò poſt, cum militibus orationem haberet, duodecim alios vidit.* Ex quibus hoc ſaltem colligere eſt, vultures ſæpe congregari, quod de avibus aliis rapacibus non ſcribitur. Fruſtrà objeceris, quod legitur *Matth.* 24, 28. & *Luc.* 17, 37. etiam aquilas ad cadaver congregari. Neque enim ibi agitur de genuinis aquilis, ſed de percnopteris, ſeu gypætis, quæ ſunt aquilæ degeneres, & vulturinâ ſpecie, atque ex aquilæ cum vulture concubitu, ut videtur, ortæ; quod ſupra (*a*) docuimus. Utut ſit, quisquis in *Eſaiæ* verbis, quibus דיות *dajoth*, convenire aut congregari ſcribit, *milvos* intelligi volet, is neceſſe habebit docere, vel experientia teſte, vel ex idoneis ſcriptoribus, milvos quandoque congregari. Quod à milvorum genio tam abhorret, quam vulturum naturæ convenit. (*a*) Cap. 2. [illegible]

Omnino

Omnino igitur דיות *dajoth*, ſunt *vultures*, non *milvi*. Non tamen putaverim omne vulturum genus hoc nomine contineri, ſed ſolùm nigros. 1. Quia *Deut.*14,13.17. à *Moſe* diſtinguuntur tanquam diverſa animalia דיה *daja*, & רחם *racham*; quorum hoc ſignificare *vulturis genus magnâ ex parte album* infrà dicetur. 2. Quia דיה *daja*, & דיו *dejo*, *atramentum*, ſunt *Conjugata*. Ne dicam à *Syris*, & *Perſis*, *dæmonem* dici ܕܝܘܐ *dajava*, vel *deva*, ab atri coloris ſpecie, quâ potiſſimum hominibus ſe conſpiciendum exhibet, ut graviorem intuentibus terrorem incutiat. Unde eſt, quod quædam *ſabinæ* ſpecies *Perſicè* ديودار *dundar* dicitur, id eſt, *dæmonis arbor*. Itaque etiam à colore דיה *daja*, vocatur *id vulturis genus, quod nigrum eſt*. Et rectè *Elias*, דיה Daja *dicitur avis, quæ nigra eſt* כדיו, *ut atramentum*. Nec immeritò *Kimchius* דיה & דיו revocat ad eandem Radicem. Porrò de nigro vulture multa legere eſt apud veteres. Ità *Plinius* libri decimi capite ſexto dicit *vulturum prævalere nigros*. Et apud *Poëtas* inter Inferorum pœnas una eſt è graviſſimis, ab atro vulture rodi. Hinc *Juvenalis Satyrâ* decimâ tertiâ,

- - - nec ſaxum, aut vulturis atri
Pœna, - - - - - - -

Et *Seneca* in *Thyeſte* de *Tityo*,

Viſceribus atras paſcit effoſſis aves.

Atras aves, id eſt, *vultures nigros*. *Medici* quoque in pharmacis ſuis libentiùs utuntur atro vulture. Sic *Samonicus* capite decimo quarto ad oculorum dolorem mitigandum adhiberi vult

- - - - - - - *vulturis atri*
Fella, chelidonia fuerint quis gramina miſta.

Et capite trigeſimo quarto περὶ ἰσχιάδος

- - - *ſtercus ſupponunt vulturis atri,*
Sentiat ut minimè partus quàm proximus urget.

Et capite quinquageſimo octavo ad comitialem morbum,

Prodeſt cum veteri Baccho *fel vulturis atri.*

Quamvis alii *ampli* legant: & excipiat *Plinius* remedia contra ſerpentes, in quibus nigros vultures minùs valere ſcribit libri vigeſimi noni capite quarto. *Ex volucribus* (inquit) *in auxilio contra ſerpentes primum vultur eſt. Annotatum quoque minùs virium eſſe nigris. Nigros* illos *vultures* αἰγυπιοὺς propriè dici, ac utriuſque ſexus, contra quam alios vultures, & inter aquilinum & vulturinum genus, *Ælianus* his verbis tradit libri ſecundi capite quadrageſimo ſexto; τοὺς δὲ αἰγυπιοὺς (λέγουσιν) ἐν μεθορίῳ γυπῶν ὄντας καὶ αἰετῶν, εἶναι καὶ ἄῤῥενας, καὶ τὴν χρόαν πεφυκέναι μέλανας. Et *Phile* *ægypios* pro *Ægyptius* dici inſinuat, cum capite ſecundo ſcribit εἶναι δὲ καὶ τοὺς μέλανας ὡς Αἰγυπτίους, *eos etiam eſſe nigros ut* Ægyptios. Sed aliud αἰγυπιὸς, aliud Αἰγύπτιος. Illud ἀπὸ τοῦ γυπός· hoc vero factum ex *Cophti*.

CAPUT DECIMUM.

Corvi nomina, vox, color, ſedes, victus, ſpecies, &c.

Omnia corvi nomina vel ex crocitatione, vel ex nigredine ſumpta: quæ duo habet maximè inſignia. Corvi tamen quandoque albi. Color coracinus aliquid habet luminis: contrà quàm pullus. Strabo *emendatus. Corvina nigredo in capillis laudata, ut* Cant. 5,11. *(qui locus novè explicatur.) Pharmaca ad id adhibita.* Chriſtus *diverſo reſpectu deſcribitur capillis nigris, & canis.* Nigredo corvi *quomodo* Arabicè. Σκορακίζειν ad corvos amandare, *id eſt, alicui imprecari, ut in ſolitudinem relegetur. Corvus in locis ſolitariis*, Eſ.34,11. *item* Soph.2,14. *juxta* Græcum, & Vulgatum: *ſed aliter in* Hebræo. Corvi vallis, *Prov.*30,17. Vallis ſalicum, *aut* Arabum, *aut* corvorum, *Eſ.*15,7. Vallis cadaverum, *Jerem.*31,40. *Quomodo oculum, qui ſubſannat patrem, eruant corvi vallis. Reorum cadavera corvis exponi. Corvi oculum maximè appetunt, neque ſolum cadaverum, ſed & vivorum hominum, boum item, & ovium. Ità etiam pleraque alites. Sed corvus corvi oculum non eruit. Quid ſit* σκορακίζειν *Sacris Scriptoribus. Corvi ſpecies juxta* Hebræos, & Arabes. Oreb, *id eſt,* corvus, *hominis nomen.* Petra Oreb, *Jud.*7,25. *ut in* Homero Κόρακος πέτρη.

CORvus, de quo jam agendum eſt, duo habet, quæ in ſenſus maximè ſe ingerunt, crocitationem, & nigredinem. *Crocitatio*, *Græcè* κρωγμὸς, eſt vox rauca, & aſpera, ex imis ducta faucibus, quam corvi, quaſi certatim, magnâ contentione ingeminant; inprimis, cum pluvias & tempeſtates præſagiunt. Hinc *Nicander Theriacῶn* verſu 406.

Αἰγυπιοί, γῦπές τε, κόραξ τ' ὀμβρήρεα κρώζων,

Ægypii, & vultures, & corvus pluvia crocitans, id eſt, pluvium tempus futurum crocitatione prænuncians. *Lucretius* libri quinti verſu 1082.

Et partim mutant cum tempeſtatibus unà
Rauciſonos cantus cornicum, & ſæc'la vetuſta,
Corvorumque greges, ubi aquas dicuntur & imbres
Poſcere, & interdum ventos auraſque vocare.

Nigredo quoque corvi propria, eaque intenſiſſima, & per totum corpus diffuſa. Non tamen uſquequaque verum eſt, quod à *Porphyrio* ſcribitur capite quinto *Iſagoges*: Τὸ δὲ μέλαν εἶναι ἀχωρίστως τῷ κόρακι καὶ τῷ Αἰθίοπι συμβέβηκε· *Nigredo corvo & Æthiopi ſic ineſt, ut ſeparari non poſſit.* Quippe etiam albi corvi viſi ſunt. *Ariſtoteles*, *De generatione animalium* libri quinti capite ſexto, ὤφθη καὶ πέρδιξ λευκὴ, καὶ κόραξ· *Perdix viſa eſt alba, & corvus.* *Heraclides* in Republica *Cyren.* Ἀρκεσιλάου δὲ βασιλεύοντος λευκὸς κόραξ ἐφάνη· *Regnante* Arceſilao *corvus albus apparuit.* Quales hodieque in *Suecia* & *Norvegia* reperiuntur, ubi frigus eſt intenſius. Tamen in confeſſo eſt corvum album rarò inveniri. Hinc *Juvenalis Satyrâ* ſeptimâ,

Felix ille tamen, corvo quoque rarior albo.

Et *Ammianus Anthologiæ* libri ſecundi capite quadrageſimo ſexto, *Epigrammate* decimo ſeptimo,

Θᾶττον ἔην λευκοὺς κόρακας, πτηνάς τε χελώνας
Εὑρεῖν, ἢ δόκιμον ῥήτορα Καππαδόκην·

Faciliùs eſt albos corvos, & teſtudines volantes reperire, quàm probum Rhetorem Cappadocem. Itaque ut hæc duo, crocitatio, inquam, & nigredo, ſunt corvo maximè propria: ità pleraque *corvi* nomina ex alterutro ſumpta ſunt. Sic à crocitatione *Syriacè* vocatur ܢܥܒܐ *neab*; & *Arabicè* نعاب *noab*, à Verbo نعب *naaba* ſcilicet, quod *crocitare* ſignificat. Et in *Æthiopico corvi* nomine ቆዕ: *koe* manifeſta eſt imitatio corvinæ vocis. Indidem natum *Græcum* κόραξ, ut κρώζειν & *Romana crocire*, & *crocitare*. Nam fruſtrà ſunt, qui κόρακα dici volunt παρὰ τὸ κόρον, ὃ σημαίνει τὸ μέλαν· cum κόρος pro *nigro* apud veteres nuſquam occurrat. At Hebraicum עורב *oreb*, Chaldaicum ערבא *orba*, Arabicum غراب *gorab* (unde Romani *corvum* dixêre) palàm ad colorem pertinent. *Hebraicè* enim ערב *ereb*, eſt *veſpera*, & ערב *arab*, Verbum *adveſperaſcere, obtenebreſcere*. Unde *Arabicè* غربيب *garbib* eſt *niger* (*Ain* initiali mutatâ in *Gain* propter punctum appoſitum) itaque hic idem accidit, quod *Græcis* vocibus

cibus δνοφερὸς, ὄρφνιος, & ὄρφνινος, quæ à tenebris ad *nigredinem* ſignificandam transferuntur. Et à tenebroſo, vel quod idem eſt, nigro colore *corvum* Hebræi עורב *oreb*, & *Arabes* غراب *gorab* dixerunt. Interim agnoſcendum eſt, colorem κοράκινον, ſeu *corvinum*, aliquid habere luminis, cum color pullus ſit ἄστιλπνος. Unde eſt, quod coracinum à pullo his verbis diſtinguit *Vitruvius* libri octavi capite tertio, *Quamvis ſint alba, procreant aliis locis leucophæa, aliis locis pulla, aliis coracino colore.* Et κοράκινον χρῶμα docti definiunt *colorem cum aliquo ſplendore nigerrimum*; qualis eſt gagatis lapidis, & noſtri ſerici villoſi. quem colorẽ lanis tribuit *Strabo* lib. duodecimo circa *Laodiceam Phrygiæ*, illam regionem ferre dicens προβάτων ἀρετάς, οὐκ εἰς μαλακότητας μόνον τῶν ἐρίων, ᾗ καὶ τῶν Μιλησίων διαφέρει, ἀλλὰ καὶ εἰς τὴν κόραξιν χρόαν, *præſtantes oves, non ſolùm mollitie lanarum, quâ* Mileſias *etiam ſuperant, ſed & colore, quali in corvis.* Legendum enim τὴν ἐν κόραξιν χρόαν· ſed poſt τὴν omiſſum illud ἐν, quia τὴν & ἐν ſunt voces ferè ὁμοιόπτωτοι. Placet etiam is color in capillis. Hinc *Apuleii* libro ſecundo laudatur capillus *corvinâ nigredine cœruleus: cœruleus*, id eſt, *niger*, ut *Græcè* κυάνεος. Itaque cum corvo confertur etiam qui arte nigrum habet capillitium. *Martialis* libri tertii *Epigrammate* quadrageſimo tertio,

Mentiris juvenem tinctis, Lentine, *capillis*,
Tam ſubito corvus, qui modo cygnus eras.

Et de *Theoro* balbutiens dicit *Alcibiades* apud *Ariſtophanem* in *Veſpis*,

Ὁλᾷς Θέωλον τὴν κεφαλὴν κόλακος ἔχει,

κόλακος, id eſt, *adulatoris*, caput illi tribuens pro κόρακος, id eſt, *corvi*, capite; quia *R* non poterat aliter efferre quàm per *L*. Sed ſequitur,

Ὀρθῶς γε τοῦτ' Ἀλκιβιάδης ἐτραύλισεν,

Hoc rectè balbutiit Alcibiades; quia re verâ *Theorus* adulator erat inſignis. Hæc eo pertinent, ut doceamus quorſum de ſponſo dicatur *Cant.* 5, 2. קוצותיו תלתלים שחורות כעורב, *Antiæ ejus pendula nigra ut corvus.* Ita enim interpretamur: quia *Arabicè* قصة *Kutſſa eſt comæ portio, quæ fronti imminet, aut ex anteriore capitis parte propendet.* Et תלתלים, *pendulas* cum *Selomone* explicamus, tanquam geminatum à Verbo תלה quod *pendere* eſt. Sic ex יפה geminato factum יפיפית *pulcher es*, Pſal. 45, 3. Illæ igitur antiæ, quæ in frontem, aures, & genas pendulæ ſunt, *nigra* dicuntur eſſe *ut corvus*, id eſt, coracini coloris, qui ſplendore ſuo eſt conſpicuus. Neque obſcurum eſt, cur ſolùm antiarum meminerit. Agitur de Rege coronato: proinde dicitur *Cant.* 3, 11. *Videte, filiæ* Sion, *Regem* Solomonem *cum corona, quâ mater illum coronavit, in die ſponſaliorum ejus.* Et in hoc ipſo verſu, *Capite ejus auro optimo* (ſupple *coronato*) *antiæ ejus pendulæ, nigra ut corvus.* Quæ capillitii pars ferè ſola apparet, cum caput eſt corona cinctum. Porrò ad formæ decus id pertinere, ut coracino colore crines fulgeant, omnes ſciunt, ac proinde id à nonnullis ſummo ſtudio affectari, atque ab ipſo corvo remedia à curioſis expeti, quibus hoc conſequantur. Hinc *Plinius* libri vigeſimi noni capite ſexto, *Corvi ovum, in æreo vaſe permixtum, illitumque deraſo capite, nigritiam capillis affert*, &c. Et paulò pòſt, *Alii ſanguine & cerebro ejus utuntur cum vino nigro. Alii excoquunt ipſum, & nocte concubiâ in plumbeum vas condunt.* Et *Ælianus* libri primi capite quadrageſimo octavo *Hiſt.* Προσακούω δὲ καὶ ὠὰ κόρακος μελαίνειν τρίχας· *Corvi ova audio nigros efficere pilos.* Quæ eadem præſcribunt *Sextus*, & *Marcellus*, & *Raſis*, & *Arabum* non pauci alii. Meritò igitur *Solomonis* ſpecies ex eo in *Cantico* commendatur, quod comam nigram habuerit, adeoque corvi inſtar nigram, id eſt coracini coloris. Si *Solomonem* objicias in hoc libro nobis propoſiti ut *Chriſti* typum, qui contra *Dan.* 7, 9. & *Apoc.* 1, 14. *ſenex* & *canis capillis* deſcribitur; reſpondeo utrumque *Chriſto* convenire diverſo reſpectu. Nempe, ut nigri capilli juvenilem vigorem arguunt, ità cani ſenilem gravitatem, & ſapientiam. *Corvi nigredinem* Arabes حلك *chalac*, aut حنك *chanac* vocant, voce maximè propria. *Alcamus*, حلك الغراب حنكه او سواده Chalac *corvi, id eſt*, chanac, *aut nigredo ejus.* Et alibi, حنك الغراب منقاره او سواده Chanac *corvi, roſtrum, aut nigredo ejus.* Item, اسود حانك حالك *Niger*, *chanic*, *chalic*, id eſt, nigerrimus, ut corvus, cujus nigredo eſt intenſiſſima.

Corvum ſolitudinis amicum eſſe animal in confeſſo eſt. Proinde *Heſychius*, Σκορακίζει, εἰς ἔρημον πέμπει, καὶ ἀρᾶται, ἀπὸ τοῦ εἰς κόρακας πέμπειν. Senſus eſt, *ad corvos mittere*, idem eſſe, quod alicui imprecari, ut in ſolitudinem amandetur, & relegetur. Quale eſt, quod ad *Proverbium*, Βάλλ' ἐς κόρακας, *Scholiaſtes Ariſtophanis* in *Nubibus* corvos aſſerit ἐν τοῖς ἐρημοτέροις τόποις ἐπιτηρεῖν τὰ σώματα, *in ſolitariis locis obſervare cadavera.* Huc quoque pertinet, quod prædicitur *Eſ.* 34, 10. fore, ut poſt vaſtatam *Idumæam* in *Boſra* metropolis ruderibus *noctua & corvus habitent.* Additur ex *Sophon* 2, 14. ubi de vaſtatione *Ninives*, *Vox cantantis in feneſtra, corvus in ſuperliminari.* Ità enim habet *Hieronymus.* Et *Græcorum* verſio, Θηρία φωνήσει ἐν τοῖς διορύγμασιν αὐτῆς, καὶ κόρακας ἐν τοῖς πυλῶσιν αὐτῆς· *Beſtiæ clamabunt in eorum* (Ninivitarum) *foſſis, & corvi in portis ejus* (Ninives) Et à *Theodoreto* ad hunc locum cenſentur inter vaſtitatis ſigna κοράκων νοττίαι, *corvorum nidi* Et à *Cyrillo* per *corvos* intelliguntur nycticoraces, qui in ipſis urbis portis non habitarent, niſi plurimum ibi quietis & otii eſſet, eorum naturæ gratiſſimi: Οὐδ' ἂν ἐμφιλοχωρεῖν ἐθέλοιεν αὐταῖς πυλῶσιν οἱ νυκτικόρακες, εἰ μὴ πλείστη τις ἔστι καὶ ἀνδαίνουσα λίαν τοῖς ὧδε φύσεως ἔχουσιν ὑπάρχει σχολή. Sed *Hebræa* vox חרב *choreb*, quam *corvum* explicant *ſiccitatem* & *vaſtitatem* ſignificat: aut, ſi *chereb* legas, *gladium.* Proinde *Syrus* Interpres *gladium* reddit, quomodo etiam *Aquila.* Et *Græcorum* alii *ſiccitatem*, ut teſtatur *Hieronymus*, qui cur maluerit *corvum* reddere, nullus capio. *In Hebræo* (inquit) *ponitur* חרב, *quod ſecundùm lectionis diverſitatem vel* ſiccitas, *vel* gladius, *vel* corvus *accipitur.* Quaſi idem ſint חרב, per *Cheth*, & ערב, per *Ajin.* Quod *Hieronymo* nullus conceſſerit. Nam ערב, per *Ajin*, & *Cholem*, *corvum* ſonat: ſed חרב, per *Cheth*, & *Cholem*, *ſiccitatem*, & *vaſtitatem*; aut *gladium*, ſi ſit *Segol.* Hic igitur cum *Hebræi* חרב, per *Cheth*, & *Cholem*, ſcribant, *Sophoniæ* verba ſic reddenda ſunt; *Vox reſonabit è feneſtra: vaſtitas erit in limine, cum cedrus nudata fuerit*, id eſt, cedrinum tabulatum. *Vocem* hic intelligo, qualem *Eſ.* 13, 21.

Hic quæri poteſt quorſum corvos *Solomon* appellet ערבי נחל, *corvos vallis*, aut, ſi mavis, *corvos torrentis*, Prov. 30, 17. Nam נחל, & *vallem*, & *torrentem* ſonat. Ego reddiderim *corvos vallis* cum *Græcis*, qui habent κόρακες ἐκ τῶν φαράγγων, id eſt, *corvos ex vallibus*, ſeu, qui nidificare amant in reductis vallibus, quas *Hebraicè* rectè dixeris נחלי הבתות. *valles ſolitudinum* cum *Propheta* Eſ. 7, 19. Poteſt etiam intelligi vallis aliqua corvis frequens, & ab iis denominata. De tali aliqua valle intelligi poſſet *Eſaias*, niſi per *Maſorethas* ſtaret, cum de *Moabitarum* opibus dicit *Eſ.* 15, 7. על נחל הערבים ישאום.

Id

id eſt, ut vulgò reddunt, *Ad vallem* Arabum, aut *Ad torrentem ſalicum deferent eas.* Atque id quidem rectè; quia Vocales, à *Maſorethis* appoſitæ, non patiuntur, ut aliter interpretemur. Sed illæ ſi abeſſent, æquè commodè legeretur, *Ad vallem corvorum deferent eas.* Quo ſenſu *Græcè* dicitur Βάλλ' ἐς κόρακας, id eſt, εἰς ἀπώλειαν, καὶ εἰς φθοράν. Et in ipſo *Eſaia* cap. 2. v. 20. *idola, ad talpas, & veſpertiliones projicere,* eſt ea perdere, & exſcindere. Jam conjecturis indulgere ſi libet, *vallis corvorum* illa ipſa fuit, quæ *vallis cadaverum* appellatur *Jerem.* 31. *v.* 40. Et utroque nomine vocata eſt vallis eadem, eò quod damnatorum in illam conjecta cadavera corvi undecunque confluentes abſumerent. Quo dato, cum dicit *Solomon* fore, ut *oculum, qui ſubſannat patrem, eruant corvi vallis*, idem erit, ac ſi dixiſſet, reum tam tetri criminis, infami ſupplicio affectum, in vallum cadaverum conjiciendum, ut à corvis ibi abſumatur. Id enim reis cedit in partem pœnæ, ut inſepulta jaceant, aut pendeant eorum cadavera, vel à feris, vel ab avibus carnivoris dilanianda. Hinc in *Ariſtophanis* Θεσμοφοριάζουσαις *Mneſilochus* hoc nomine ſupplicium deprecatur, ne à mulieribus rideretur vir ſenex τοῖς κόραξιν ἑστιῶν, *corvis convivium exhibens.* Et paulò poſt, Ἐκρέμασε κόραξι δεῖπνον, *Suspendit, ut corvis eſſet procœna. Horatius* quoque Epiſtola 16. ad *Quintium*,

- - - - - non paſces in cruce corvos:

ut in *Philoſtrati Heroicis*, & *Tzetzæ Chil.* 5. cap. 22. *Centaurus Asbolus*,

Ὑψικόμοιο κρεμαστὸς ἀπ' ἀκλινέος κατὰ πεύκης
Σύγκειται, μέγα δεῖπνον ἀμετροβίοις κοράκεσσιν.
Pendet in excelſa ſuffixus ſtipite pinûs,
Suavia inexpletis ut det convivia corvis.

Et nominatim oculi meminit *Solomon, Oculum*, inquit, *qui ſubſannat patrem, effodient corvi vallis*; quia corvus oculum maximè appetit. Et, *Iſidoro teſt.* *prior* (lege *primò*) *in cadaveribus oculum petit.* Unde *Epictetus*, Οἱ μὲν κόρακες τῶν τετελευτηκότων τοὺς ὀφθαλμοὺς λυμαίνονται· *Corvi mortuorum oculos vaſtant.* (Vid. reliqua in capite (a) *De aquila*) *Catullus* quoque, *Cominio* mortem imprecatus, hoc addit,

a) Supra, cap. 2. pag. 176. & v. 27. &c.

Effoſſos oculos voret atro gutture corvus,
Inteſtina canes, cætera membra lupi.

Quid quod ne vivorum quidem oculis parcunt? Hinc *Ariſtophanes* in *Avibus*,

Ὁ κόραξ παρελθὼν τοῦ πιορκοῦντος λάθρα
Προσπτάμενος ἐκκόψει τὸν ὀφθαλμὸν θενών·
Corvus adveniens, & clam advolans, pejerantis oculum percutiens effodiat. Item,

Οἱ δ' αὖ κόρακες τῶν ζευγαρίων, οἷσι τὴν γῆν καταροῦσι,
Καὶ τῶν προβάτων τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐκκοψάντων·

Rurſus corvi boum jugalium, quibus terram arant, & ovium oculos ejiciant. Et *Gregorius Nyſſenus* Homiliâ 13. corvum vocat σαρκοβόρον τῶν ὀφθαλμῶν ἀφανιστικόν, *carnivorum oculorum corruptorem.* Et *Alkazuinius* in capite غراب *gorab*, ſeu *De Corvo*, يجتمع على كل الحيوانات الكبار البادية كالجمل والفرس وكذا الادمي ويقصد قلع عينها ولا يمتنع بالدفع والضرب لشدة جوعه *Verſatur ſuper omnia magna animalia, quæ ſunt in agris, ut ſuper camelos, & equos, adeoque etiam ſuper homines, & eorum oculos conatur evellere: nec propellendo, aut verberando prohibetur propter vim famis.* Quanquam id corvo non ſit peculiare, ſi verè ſcribit *Cardanus* lib. 7. capite 35. *De rerum varietate*; *Nullum genus avium magnarum, ſeu gallinæ, ſeu pavones, aut corvi ſint, vel grues, aut ciconiæ, ita manſueſcit, ut, ſi propius ſint, non conentur ſibi oculos eruere.* De ſtruthionibus idem audivi ab iis, qui illas circumducunt. Et cauſam hanc affert *Plinius* lib. 11. cap. 37. *Adeoque oculis abſoluta vis ſpeculi, ut tam parva illa pupilla totam imaginem reddat hominis. Ea cauſa eſt, ut pleraq; alitum è manibus hominum oculos potiſſimum appetant, quod, effigiem ſuam in iis cernentes, velut ad cognata deſideria ſua tendunt.* Interim veteri Proverbio jactatur *Corvum corvi oculum non eruere. Gregor. Turonenſis* de *Chilpericho* Rege (*Hiſtoria* lib. 5. cap. 18.) *Viſoq; me, Rex ait, ô Epiſcope, juſtitiam cunctis largiri debes: &, ecce! ego juſtitiam à te non accipio. Sed, ut video, conſentis iniquitati, & in te impletur Proverbium illud, quòd* “ *Corvus oculum corvi non eruit.* Quo Proverbio innuebat *Gregorium* Epiſcopum in alterum Epiſcopum, læſæ Majeſtatis reum, noluiſſe quidquam pronuntiare.

Ex iis quæ dicta ſunt apertè conſtat τὸ σκορακίζειν, ſeu *ad corvos mittere*, aut *abjicere*, non ſolùm id eſſe, quod ſupra definiebat *Heſychius*, ſeceſſum, aut relegationem in ſolitudinem alicui imprecari, ſed & ad necem eum devovere, & ultima quæque illi exoptare. Tamen apud Sacros Scriptores σκορακίζειν, & ἀποσκορακίζειν ſolum eſt *relinquere, repellere, increpare.* Et σκορακισμός, vel ἀποσκορακισμός, *repulſio*, & *increpatio.* Sic *Eccleſ.* 41. *v.* 25. (Αἰσχύνεσθε) ἀπὸ σκορακισμοῦ λήψεως, καὶ δόσεως· *Vos pudeat ob repulſionem dati, & accepti.* Septuaginta *Pſal.* 26. *v.* 9. Μὴ ἀποσκορακίσῃς με· *Ne me derelinquas*: Hebr. אל תטשני. *Eſa.* 17. *v.* 13. Καὶ ἀποσκορακιεῖ αὐτόν· *Hebr.* וגער בו, *Et increpavit eum.* Eſa. 66. v. 15. Καὶ ἀποσκορακισμὸν ἐν φλογὶ πυρός· Hebraicè וגערתו בלהבי אש, *Et increpationem ejus in flamma ignis.* Sed ibi *increpatio* pro *perditione* ſumitur; quomodo ſæpe apud *Hebræos.* Tamen *Cyrillus* ἀποβολὴν *abjectionem* explicat; quia Deus dicet reprobis, *Diſcedite à me, maledicti, in ignem æternum.*

Corvum *Judæis* prohibet *Moſes* למינו, *ſecundùm genus ſuum*, aut *ſecundùm ſpeciem ſuam*: ut & alias quaſdam aves in immundarum cenſu. Et, ut notat *R. Selomo*, cùm ad nomen avis additur *juxta genus ſuum*, יש באותו המין שאין דומין זה לזה לא במראיהם ולא בשמותיהם וכולן מין אחד *Species habet figurâ & nomine diſſimiles, quæ tamen ad unum genus revocantur.* Sed hæc infra docebimus parum eſſe ſolida. Tamen, ſi corvorum ſpecies quæras, eò referri queant cornix, graculus, monedula, pica, ſturnus etiam, ſi creditur *Baal Hatturim*, *Cabaliſtica* ratione fretus; iſta nimirum, quòd verba עורב למינו, *corvus ſecundum genus ſuum*, & vox זרזר, id eſt, *ſturnus*, ſunt ἰσόψηφα. Utraque enim valent 414. Corvi ſpecies in *Damire Arabes* ita deſcribunt. والغربان اربعة اجناس اسود حالك وابلق ومطرف ببياض لطيف الجرم ياكل الحب واسود طاووسي براق الريش ورجلاه بلون المرجان يعرف بالزاغ *Corvorum ſunt quatuor ſpecies.* 1. *Perfectè niger* (is eſt corvus propriè dictus.) 2. *Varius*, ſeu, *ex nigro & albo mixtus* (corniccem intelligo, quam vernaculo ſermone *palliatam* vocamus) 3. *Qui extrema habet alba, corpore gracilis, granis veſcens* (id eſt, cornix σπερμολόγος.)

4. *Niger*

4. *Niger pavoninus, lucentibus plumis, pedibus corallinis, qui pica vocatur. Arabes* cornicem referre ad corvinum genus ex eo maxime conſtat, quod herbam κορωνοπόδα conſtanter appellant رجل الغراب *pedem corvi.*

Unus Principum *Madian* עורב *Oreb*, id eſt, *corvus*, dictus eſt. Et locus, in quo ab *Ephraimitis* cæſus eſt, *Petra Oreb*, Judic. 7. v. 25. & *Eſa.* 10. *v.* 26. Sic Κόρακος πέτρη, *Coracis* ſeu *corvi petra. Ithaca* locus fuit, in quo ὁ Κόραξ κυνηγῶν ἀπὸ τῆς πέτρας πεσὼν ἐτελεύτησε, *venator quidam* Corax (ſeu *corvus* nomine) *ex petra delapſus obiit.* Ita *Scholiaſtes* vetus ad *Homeri* verſum *Odyſſ.* ν'.

Πὰρ Κόρακος πέτρῃ, ἐπί τε κρήνῃ Ἀρεθούσῃ.

CAPUT UNDECIMUM.

Dei providentia circa Corvos.

Deum corvis, & corvorum pullis, ſpeciali curâ proſpicere docet Scriptura, Job. 39. v. 3. Pſalm. 147. v. 9. Luc. 12. v. 24. *Quæ ad literam ſumenda negant multi veteres, ſed refelluntur. Corvi ad Deum clamant: ut leones*, Pſal. 104. v. 21. *& reliqua animalia*, Pſal. 145. v. 15. *&* Joel. 1. v. 20. *Corvi vox clamoſa, tanquam importuni flagitatoris. Corvi* Ægyptii *videntur ſtipem rogare.* Κοράξαι obnixè rogare, *à corvis ſumpta vox. Corvi pullos ſuos deſerunt, quàm primùm editi ſunt; ſi* Hebræis, Arabibus, *&* Patrum *nonnullis creditur: & Deus illis beſtiolas procreat, quibus veſcantur. Sed hæc neque rationi, neque Scripturæ ſunt conſona. Corvi pullos ex nido pellunt, ſed jam enutritos, & volandi peritos.* Lucas *corvis in genere id tribuit, quod* Job *&* David *corvorum pullis. De corvis fabula in* Servio.

CUm corvum appareat hactenus vile & abjectum eſſe animal, & hominibus odioſum, nonnulli mirantur, cur corvos Deo eſſe curæ Sacra Scriptura toties & tam diſertè teſtetur. Sic *Job.* 39. *v.* 3. (al. 38. 41.) *Quis corvo præparat eſcam ſuam, cum pulli ejus ad Deum clamant, errantes inopia cibi?* Et *Pſal.* 147. (al. 146.) 9. *Qui dat jumentis eſcam ſuam, & pullis corvorum, qui clamant.* Et *Luc.* 12. *v.* 24. *Conſiderate corvos, qui neque ſerunt, neque metunt, neque cellam, neque horreum habent, & tamen Deus alit illos.* Nec patiuntur multi veteres hæc ad literam intelligi. *Deum invocare* (inquit *Hilarius* in *Pſalmum* 146.) *proprium hominis officium eſt. Corvorum verò pulli quomodo Deum invocant? Et cur pulli corvorum potius, quàm corvi;* &c? *Aut quæ eſca præbetur? Nunquid ut fænum jumentis, & ut herbam hominibus, ſic corruptorum cadaverum fœtidas ſordes Deus orantibus ſe corvorum pullis, & pecudum mortes ad cibum vitæ præſentis impertiet? Hæc ita intelligere non dicam erroris, ſed irreligioſitatis extrema eſt.* Et Auguſtinus, *Hoc fortè putabimus, quia corvi Deum invocant, ut det illis eſcam. Ne hoc cogitetis irrationalem animam invocare Deum,* &c. *In figura accipite dictum.* Et auctor Commentariorum in *Pſalmos* ſub *Hieronymi* nomine, *Reſponde*, Judæe, *reſponde, qui* Judaicam *literam tantum ſequeris. Dicis iſtos corvos verè corvos eſſe? Si ergo de pullis corvorum ſcriptum eſt*, “ Et pullis corvorum “ invocantibus eum; *Et ſcriptum eſt* Joel. 2. “ (*a*) Omnis, qui invocaverit nomen Domini, ſalvus erit: *Ergo & pulli corvorum ſalvi erunt in reſurrectione.* Itaque ad Allegorias, tanquam ad ſacram anchoram, confugiunt ſacri Doctores. Et per *corvos* intelligunt *gentes*; per *pullos corvorum*, *Chriſtianos*, qui, utut orti ex gentibus, tamen verum Deum invocant. At, quod illorum pace dixero, *Allegoriæ* literalem ſenſum non deſtruunt, ſed præſupponunt. Illis igitur indulgere nolim, antequam de literali ſenſu conſtet. Quem in his locis ſi rejicimus, nihil erit in Scriptura certum, & quod non facilè poſſit aliò detorqueri. *Jobum* enim quidni fateamur tam de veris corvis egiſſe capite 39. quàm de veris ibicibus, leonibus, onagris, equis, aquilis, ſtruthionibus, *&c.* in iis, quæ hoc eodem capite vel ſequuntur, vel antecedunt? In tot animalium deſcriptionibus cum ultrò fateamur reliquas ad literam ſumi, cur hæc ſola nihil habebit, quod non ſit Allegoricum? Ita enim in his *Davidis*, *Quæ dat jumentis eſcam ſuam, & pullis corvorum, qui clamant*, cum verſiculi pars prior vera jumenta, quidni poſterior quoque veros corvos ſignificabit? Et in *Chriſti* verbis, *Conſiderate corvos, qui neque ſerunt, neque metunt*, &c. aves intelligi, non homines, apertè docet 1. hujus loci collatio cum parallelo *Matth.* 6. *v.* 26. *Intuemini volucres cœli, quæ non ſerunt, neque metunt*, &c. 2. Quod negantur *ſerere*, & *metere*, & *horrea habere*, in quæ proventus ſuos cogant. 3. Quòd in fine verſus *Chriſtus* addit, *Quantò vos præſtatis volucribus?* ut in *Luca:* aut, *Nonne vos illis longè præſtatis?* ut in *Matthæo* habetur. 4. Denique ſi corvi, aut aves Allegoricæ intelligantur, lilia quoque in ſequentibus non erunt vera lilia, ſed quidquid τοῖς ἀλληγορηταῖς libuerit confingere. Hoc igitur certum maneat in locis, quæ citavimus, veros corvos ſignificari. Nec eſt, quòd quemquam moveat quod ex *Pſalmo* objicitur, τοῖς νεοσσοῖς τῶν κοράκων τοῖς ἐπικαλουμένοις αὐτὸν, *pullis corvorum invocantibus eum*, cum *Hebræa* ſolùm habeant Deum eſcam ſuam dare לבני עורב אשר יקראו, *filiis corvi, qui clamant.* Quod ſequuntur *Chaldæa*, *Syra*, & *Hieronymiana* verſio. Sed, poſt *Græcos*, *Vulgatus* interpres, *Æthiops*, & *Arabes* duo, Pronomen addiderunt; quaſi *Propheta* expreſſe dixerit corvorum pullos Deum invocare, aut clamare ad Deum. Tamen ſi, poſt verba *Davidis*, *pullis corvorum, qui clamant*, aliquis ſupplendum cenſeat *ad Deum*, non vehementer pugnabo, cùm in *Jobo* diſertè legantur *pulli corvorum ad Deum clamare:* ſed quo ſenſu dicuntur leunculi *rugire ad prædam, & ut quærant à Deo eſcam ſuam*, Pſal. 104. v. 21. Et *omnium* animalium *oculi ad Deum ſpectare, qui dat illis eſcam tempore ſuo*, Pſal. 145. v. 15. Et *beſtiæ agri ad eum glocitare, eo quod exaruerunt alvei aquarum*, Joel. 1. v. 20. Rectè igitur *Theodoretus*, Οὐ λογικὴ τῶν κοράκων ἡ φύσις, οὐδ᾽ ὅτι λογικῶς ἐπικαλεῖται τὸν ποιητήν· ἀλλ᾽ ἡ διὰ τὴν χρείαν κραυγὴ μιμεῖται τὴν αἴτησιν. *Non eſt rationalis corvorum natura, neque rationis ductu opificem invocat: ſed clamor, ob neceſſitatem emiſſus, petitionem imitatur.* Quæ *Elias Cretenſis* ferè totidem verbis exſcripſit in Notis ad *Gregorii* Orationem 1. 1. Et Metaphora ubique elegans, cum de corvis agitur, ideo elegantior eſt, quòd, cum aves pleræque Deum celebrare cantu ſuo, & hymnos εὐχαριστικοὺς in illius laudes canere videātur, corvus vocem clamoſam habet, & obſtreperam, tanquam importuni flagitatoris. Et re vera crocitatu ſuo nonnunquam ſtipem rogare creditur. Proinde (ut narrat *Ælianus Hiſtoriæ* lib. 2. cap. 48.) Κόρακες Αἰγύπτιοι, ὅσοι τῷ Νείλῳ προσδιαιτῶνται, τῶν πλεόντων ἐοίκασιν ἱκέται εἶναι, λαβεῖν τι αἰτοῦντες, *corvi* Ægyptii, Nilum *accolentes, navigantibus quaſi ſupplices eſſe videntur, ſibi quidpiam dari efflagitantes.* Et in *Heſychio*, Κοράξαι, ἄγαν προσλιπαρῆσαι· πεποίηται παρὰ τοὺς κόρακας (malim παρὰ τοῦ κόρακος.) Quibus verbis vult τὸ κοράξαι idem eſſe, quod *obnixè rogare*, & vocem eſſe à corvis ſumptam. Et rationem addit *Suidas* in Κοράττειν, addens ſumptam eſſe ἀπὸ τῶν περὶ τὰς θύρας κοράκων περιπετομένων, καὶ μὴ ἀποχωρούντων, *a corvis, qui* (aliquid petentes) *ad eum fores circumvolitant, neque inde diſcedunt.*

a) Verſu 32.

At

At, inquiunt, cur à *Jobo*, & *Davide*, non ipſis corvis, ſed corvorum pullis tribuitur hæc eſcæ flagitatio? Cui quæſtioni ut ſatisfiat, *Hebræi*, & *Arabes* multa comminiſcuntur, ut patebit ex ſequentibus. *Rabbi Eliezer* in *Capitulis* ferè in fine cap. 21. *Cum corvi genuerunt pullos ſuos, videntes eos eſſe albos, aufugiunt ab illis, exiſtimantes illos eſſe pullos ſerpentis: tum Deus Sanctus Benedictus illis largitur alimentum abſque penuria.* Rabbi *Selomo* in *Jobum*, יתעו מבלי אכל שאביהם שונאים והקב"ה מזמן להם יתושים הנבראים מצואתן ונכנסין לתוך פיהם. *Vagantur abſque cibo; quia patri ſuo ſunt exoſi: ſed Deus Sanctus Benedictus culices ipſis præparat, ex proprio ipſorum ſtercore procreatos, qui in os eorum ingrediantur.* *Aben Ezra* in *Pſalmum* 147. חכמי הגוים אומרים כי אבותם יעזבום בהולדם. *Philoſophi* Gentilium *aſſerunt eos à parentibus deſeri quam primum nati ſunt.* Et *Kimchius*, לפי שהם לבנים בהולדם ואמותיהם מניחים אותם ולא יביאו להם טרפם כי יחשבו כי אינם בניהם לפי שהם לבנים והם צועקים כאלו יקראו לאל בעד טרפם והקב"ה מזמין להם יתושין ואוכלים אותם. *Quia naſcuntur albi, matres eos deſerunt, neque iis cibum afferunt: neque enim pro ſuis agnoſcunt, cum albi ſint. Proinde clamant, quaſi à Deo cibum ſuum peterent. Et Deus ipſis culices præparat, quibus veſcantur.* Hæc *Hebræi*: jam audi *Arabes*. In his *Haririus Poeta* ſic canit in مقامة *Mekama*, ſeu *ſtantia* 13.

يا رازق النعاب في عشه *

وجابر العظم الكسير المهيض *

O qui corvum alis in nido ſuo, & onagri os fractum & contritum reparas. Cujus diſtichi primam partem *Davidi* tribuit *Scholiaſtes*, & ſic exponit. الغراب ادا فقس عن فراخه خرجت بيضا فادا راها ابواها كدلك نفرا عنها فتفتح افواها فيرسل الله تبارك وتعالي لها دبابا فيدخل في افواها فيركون لها غدا حتي تسود فادا اسودت عاد ابواها اليها فغدياها ويرفع الله الدباب عنها *Corvus cum pullos excludit, albi prodeunt. Quales cum vident parentes, fugam capeſſunt. Illi autem ora aperiunt. Et Deus Benedictus, & excelſus, muſcas iis mittit, quæ in ora ingredientes ſunt ipſis pro cibo, donec nigreſcunt. Et tum demum parentes redeuntes eos alunt. Deus autem ab illis muſcas amovet.* Quæ eadem docet *Alkazuinius* verbis parum diverſis. Et *Damir* aliquantò uberius, ادا خرجت الفراخ من البيض طردتها لانها تخرج قبيحة المنظر جدا ادا تكون صغار الاجرام عظيم الروس والمناقر جرد اللون الاجساد متفاوتا الاعضا فالابوان ينظران الفرخ كذلك فيتركانه فيجعل الله تعالي قوته في الذباب والبعوض الكاين في عشه الي ان يقوي وينبت ريشه فيعود اليه ابواه فيرزقانه *Cùm pulli ex ovo exeunt, pellunt eos* (parentes;) *quia exeunt admodum fœdi viſu. Quippe ſunt parvo corpore, magno capite, & roſtro, glabra ſpecie, corporis membris divulſis, & malè cohærentibus. Parentes igitur pullum deſerunt, cùm eum talem vident. Sed ſummus Deus dat ei pro cibo muſcas, & culices: qui cibus in nido eſt, donec viribus confirmetur* (pullus) *& plumæ creſcant, & ad eum redeans parentes, à quibus alatur.* Quod ipſum, ut confirmet alius *Arabs*, *Chalpholachmar* nomine, pullorum corvi fœditatem ita deſcribit. رايت فرخ الغراب فلم ار صورة اقبح منه ولا اسمج الا اقذر ولا اشر ورايت راسا كبيرا ومنقارا طويلا وذلك مع صغر البدن وصغر الجناح وهو امرط نتن الريح *Vidi pullum corvi, quo nihil unquam fœdius, deformius, impurius, & nequius à me conſpectum eſt. Vidi magnum caput, & longum roſtrum, cum parvo corpore, & parvis alis. Etiam glaber is erat, & fœtentis halitus*, &c. Plura ex *Arabum* ſcriptis deſcribere non vacat, & hæc abunde ſufficiunt. Itaque hoc ſolum addam, etiam è veteribus Eccleſiæ Doctoribus fuiſſe, qui hanc fabulam non multò aliter adornaverint. *Chryſoſtomus* in Sermone *De Elia*, Κεχηνότες εἰς ἀέρα τῶν κοράκων οἱ νεοττοὶ, καὶ παρὰ τῶν γονέων μὴ τρεφόμενοι. ἔχουσιν αὐτοὶ ζῶα μικρά τινα τὴν θείαν ἐπιτρέπουσαν πρόνοιαν διακονούμενα· καὶ οὕτως ἐκ τοῦ ἀέρος ἐκεῖνα δεχόμενοι πρὸς αὔξησιν τρέφονται· *Ad aerem hiantes corvorum pulli, cum à parentibus non alantur, habent animalcula quædam, quæ Dei providentiæ, à quo mittuntur, inſerviunt; & iis ex aëre acceptis nutriuntur donec adoleſcant.* Olympiodorus *in* Jobum, Λέγεται ὁ κόραξ μὴ ἐκτρέφειν τὰ ἔκγονα ὑπὸ λαιμαργίας, ἀλλ᾽ ἀτημελήτους ἐᾶν τοὺς νεοττούς· τοὺς δὲ, ὑπὸ τῆς ἐνδείας πιεζομένους, φυσικῇ τινι κεχρῆσθαι πρὸς Θεὸν τῇ βοῇ, καὶ ὑπὸ μικρῶν τινων ζωυφίων, γενομένων ἐν τῇ νεοττιᾷ, ἐκτρέφεσθαι. *Dicitur corvus præ ingluvie fœtum ſuum non alere, ſed pullos neglectos deſerere: illos verò, urgente fame, clamore quodam naturali ad Deum uti, & parvis quibuſdam beſtiolis, quæ in nidis naſcuntur, nutriri.* Gregorius *in* Jobum lib. 30. *Editis pullis* (corvus,) *ut fertur, eſcam præbere diſſimulat priùs quàm plumeſcendo nigreſcant, eoſque inediâ affici patitur, quoad uſque in illis per pennarum nigredinem ſua ſimilitudo videatur. Qui huc illucque vagantur in nido, & ciborum expetunt aperto ore ſubſidium. At, cum nigreſcere cœperint, tantò illis præbenda alimenta ardentius requirit, quantò illos alere diutiùs diſtulit.* Iſidorus

Ori-

Originum lib. 12. cap. 7. *Fertur hæc avis, quòd editis pullis eſcam plenè non præbeat, prius quàm in iis per pennarum nigredinem ſimilitudinem proprii coloris agnoſcat. Poſtquàm verò tetros* (malim *atros*) *plumis aſpexerit, in toto agnitos abundantius paſcit. Caſſiodorus* in *Pſalmos*, & qui ſub *Hieronymi* nomine circumfertur, pullos ajunt ita neglectos rore cœleſti paſci, quì cicadarum victus eſt, non corvorum. Muſcas verò, & culices quis in corvi nido credat naſci tantâ copiâ, ut pluribus pullis, iiſque avidiſſimis, alendis ſufficiat? Et ſtatim natos culices in pullorum os devorandos ultrò ſe ingerere? Aut parentes pullos ſuos ideò odiſſe, quod naſcantur ex parte implumes, cùm reliquis avibus id ipſum accidat? Aut ad eos ſemel deſertos iterum ſe conferre, quàm primùm plumis veſtiti ſunt, vel cùm eæ ſunt nigriores; ac ſi ab aliquo moneantur jam pullos ſuos melius ſe habere, nec cauſam eſſe ampliùs, cur ab iis abhorreant? Uno verbo hoc certum eſt, & jam in ore vulgi, avi nulli nidum ſuum ſordere; & nullum eſſe animal, cui ſibi ſimilium forma non placeat. Hinc *Epicharmus* apud *Laertium* in *Platone*,

- - - - - Καὶ γὰρ ἁ κύων κυνὶ
Κάλλιστον εἶμεν φαίνεται, καὶ βοῦς βοΐ,
Ὄνος δ' ὄνῳ κάλλιστον, ὗς δ' ὑΐ·

Etenim canis cani videtur eſſe quid pulcherrimum, & bos bovi, aſinus aſino, ſus ſui. Et *Cicero* lib. 1. *De natura Deorum*, *An putas ullam eſſe terra marique belluam, quæ non ſui generis belluâ maximè delectetur? Quod ni ita eſſet, cur non geſtiret taurus equæ contrectatione, equus vaccæ? An tu aquilam, aut leonem, aut delphinum ullam anteferre cenſes figuram ſuæ?* Itaque nugantur *Hebræi*, & *Arabes*, cùm corvum à pullis ſuis modò natis ideò abhorrere dictitant, quia ſunt mirè deformes. Nam ſi nobis ſordent τὰ κοραχίδια, non ſequitur eadem ſordere etiam parentibus, qui aliis oculis illa intuentur. Et verò cum ideò ſolùm fictæ fuerint iſtæ fabulæ, ut Scripturam explicarent, tamen Scripturæ verbis nullo modo ſunt conſonæ. Neque enim *Job* dicit corvorum pullos in nido clamare ad Deum, ſed tum cùm inopiâ cibi errant, & divagantur. Agitur ergo de pullis, qui jam è nido exceſſerunt. Nam pullos in ipſo nido huc illucque divagari, quod ait *Gregorius*, animo concipi non poteſt. Hanc pullorum evagationem nidi anguſtiæ non ferunt. Neque verò corvus fœtus ſuos negligit, dum in nido ſunt; ſed jam enutritos, & ad volatum habiles, nido pellit, ut in poſterum ſibi proſpiciant. *Philoſophus Hiſt.* lib. 9. cap. 31. Οἱ δὲ κόρακες τοὺς ἑαυτῶν νεοττοὺς, ὅταν οἷοί τ' ὦσιν ἤδη πέτεσθαι, τὸ μὲν πρῶτον ἐκβάλλουσιν, ὕστερον δὲ καὶ ἐκ τοῦ τόπου ἐκδιώκουσι· *Corvi autem pullos ſuos, cùm jam poteſtas volandi eſt, primùm nido ejiciunt, deinde regione totâ expellunt. Plinius* lib. 10. cap. 12. de cornice, *Sola hæc etiam volantes pullos aliquamdiu paſcit. Cæteræ omnes ex eodem genere pellunt nidis pullos, ac volare cogunt, ſicut & corvi, qui robuſtos quoque fœtus ſuos pellunt longius. Æliani* lib. 2. cap. 49. *De animalibus*, Τοὺς γε μὴν νεοττοὺς τοὺς ἐκτραφέντας διώκουσι, καὶ τῆς ἑαυτῶν ἕκαστος καλιᾶς φυγάδας ἀποφαίνουσιν ὑπὲρ ὅτου τροφὰς μαστεύουσι. *Pullos quidem ſuos enutritos perſequuntur; & eos unuſquiſque ex nido ſuo fugat: quamobrem pulli deinceps victum quærunt.* Pullis igitur ſic ejectis tum demum id evenit, quod tradit Sacer Scriptor, ut, *cibi penuriâ vagantes*, quaſi *ad Deum clament*. Cùm enim nondum ſint plenis viribus, nec in perfecto vigore ætatis, neque dum ad victum proprio labore atque induſtriâ ſibi comparandum aſſueverint, conſilii prorſus inopes magnâ voce crocitant, & aerem querulis clamoribus implent, tanquam de parentum ἀστοργίᾳ ad Deum expoſtulantes. Et in his anguſtiis illis ſuccurrit Deus, non per miraculum muſcas & culices procreans, quæ in illorum ora ultrò ſe ingerant, ſed eis ſuggerens quid facto ſit opus, & quomodo urgenti fami ſit conſulendum, ne inediâ pereant. Itaque corvorum pullis hic idem accidit, quod leonum catulis, qui à matre deſerti *egent, atque eſuriunt*, Pſal. 34. v. 11. & *rugiunt ad prædam*, tanquam *à Deo quærentes eſcam ſuam*, Pſal. 104. v. 21. Et *eos explet Deus*, Job. 39. v. 1. (al. 38. 39.) Quamvis non multum ſit laborandum, cur pullis corvorum id tribuatur potius, quàm ipſis corvis. Cum etiam de corvis *Chriſtus* dixerit, *Luc.* 12. *v.* 24. *Conſiderate corvos, qui neque ſerunt*, &c. *& tamen Deus alit illos*. Nec cauſa fuit, cur pro *corvis Arabs* redderet فراخ الغربان *pullos corvorum*. Neque enim interpreti licet quidquam mutare in verbis ſacri textus, niſi neceſſitas eò adigat, qualis hic nulla apparet; cum de corvis nihil dicat *Chriſtus*, quod univerſæ ſpeciei non conveniat. *Conſiderate*, inquit, *corvos, qui neque ſerunt, neque metunt, neque cellam, neque horreum habent, & tamen Deus alit illos.* Quæ de patribus tam vera ſunt, quàm de pullis; neutri enim ſerunt, aut metunt; neutri cellas, aut horrea habent. Denique Deus utriſque ex æquo proſpicit. Quin ad quaſcunque aves hæc eadem refert *Chriſtus* Matth. 6. v. 26. *Conſiderate*, ait, *aves cœli, quæ neque ſerunt, neque metunt*, &c. Sed, quod ibi aſſerit de avibus in genere, *Matth.* 10. *v.* 29. reſtringit ad paſſeres, qui, quamvis viliſſimi ſint, & bini aſſario veneant, tamen eos non judicat Deus ſuâ curâ indignos. Et *Luc.* 12. *v.* 24. etiam ad corvos idem extendit, quos, utut deformes aves, & inconditæ vocis, & infauſti ominis, tamen alere non dedignatur. Itaque nihil hic corvis, aut corvorum pullis peculiare tribuitur. Sed illorum, æquè ac paſſerum, inter reliquas aves fit diſerta mentio, ut pateat Dei providentiam non ſolum avibus in genere proſpicere; ſed & usque ad earum viliſſimas & deſpicatiſſimas ſe extendere: ut homines, iique fideles, inde certius concludant ſe Deo curæ eſſe, qui quod infimi ordinis animalculis tam benignè indulget iis non denegabit, à quibus colitur, & invocatur. His ita explicatis, non diſſimulabo apud *Servium* in Notis ad lib. 1. *Georgicorum* hæc legi: Plinius *in* Naturali Hiſtoria *dicit corvos oblivioſos eſſe, & plerumque minimè ad nidos ſuos reverti; ſed quadam ratione naturæ congerunt ad ſuos nidos quæ vermes poſſint creare, ex quibus relicti eorum pulli aluntur interdum.* Unde ex *Plinii* auctoritate firmari poſſe videbitur fabula, quam confutavimus. Sed non eſt, quod quemquam hæc commoveant. Fallit enim *Servius*, aut fallitur: cum neque in *Plinio*, neque in ullo *Philoſophorum*, qui ætatem *Servii* præceſſerunt, legatur tale quidquam. Itaque hoc merum ſomnium eſt ex eburnea porta: qualia multa illi excidere viri docti jam obſervârunt.

CAPUT

CAPUT DUODECIMUM.

De Corvo, quem ex arca emiſit *Noë.*

Cur, & quando corvus emiſſus. Hebræorum *de illo nugæ. Dialogus* Noæ *cum corvo* עד יבשת, *id eſt*, עד תשבי usque ad *Eliam* Thisbitem. *Corvus reverſus juxta* Hebræos. *Non reverſus juxta* Græcos, *quos ſequuntur* Syrus, *&* Arabes *MSS. duo, & omnes veteres præter* Procopium. *Duæ rationes hos conciliandi. Utraque refellitur. Sunt, qui* Hebræos *negationem exemiſſe ſtatuunt, aut* Græcos *inſeruiſſe. Neutrum veriſimile: ſed* Græcos *pro* יצוא ושוב *legiſſe* ולא ישוב. *Quæ lectio magis perſpicua. Non neceſſe eſt, ut perierit corvorum ſpecies, etiamſi corvus rediiſſe negetur. Non dicit* Moſes, *quod volunt, columbam fuiſſe emiſſam ſeptiduo poſt corvum. Cur aquis gaudeat corvus.* Græca *fabula de corvo ab* Apolline *aquatum miſſo, qui non rediit niſi poſt ficus maturas, quò pertineat. Et quod tradit* Servius *corvos eſſe obliviosos, neque ad nidos ſuos reverti. Ex verbis* Hebræis, *prout leguntur, non facile eſt ſe expedire.*

DE corvo in ſacro textu duæ habentur hiſtoriæ: una de corvo à *Noa* ex arca emiſſo; altera de corvis, qui *Eliam* in deſerto paverunt. Prior ſic habet juxta *Hebræos* Gen. 8, 7. *Et emiſit corvum, & is exivit exeundo, & redeundo, donec aquæ exaruiſſent à ſuperficie terræ.* Cauſam emiſſionis corvi *Græca* editio ſic effert in quibusdam exemplaribus, Καὶ ἀπέςειλε τ̃ κόρακα ἰδεῖν, εἰ κεκόπακε τὸ ὕδωρ· *Et corvum emiſit, ut videret, an ceſſaviſſent aquæ.* Quod ex verſu ſequenti ſumptum, ubi de columba habetur, *Emiſit quoque columbam à ſe, ut videret; an extenuatæ fuiſſent aquæ à ſuperficie terræ.* Et verò *Noam* eodem animo corvum, quo columbam emiſiſſe conſtat. Sed, ut repetitionis tædium vitaret *Moſes*, id ſolum de columba dixit, cujus hiſtoriam ideò expreſſit diſertiùs; quia eſt majoris momenti. Die igitur primâ decimi menſis, cùm aquæ diluvii non parùm decreviſſent, apparere jam inceperant celſiſſimorum montium ſummi vertices, *Gen.* 8, 5. Et poſt quadraginta dies elapſos, id eſt, undecimi menſis die undecimâ, *Noë*, apertâ arcæ feneſtrâ, corvum emiſit. Cùm terram aquis obruiſſent quadrageſimales pluviæ, *Gen.* 7, 12. *Noë* ſperaverat fore, ut pari numero dierum aquæ exſiccarentur. Quod cùm non ſucceſſiſſet, corvum emiſit, quem ſciebat odore cadaverum allici poſſe, ut longiùs evolaret, ſi jam animalibus patuiſſet terra. At corvus, arcam circumvolitans, ab ea non abſceſſit longiùs. *Exivit* (inquit *Moſes*) *exeundo, & redeundo.* Emiſſus enim, non niſi fœdas paludes cérnens, ſtatim receptum quæſiit vel in arcam, aut ſuper arcam. A qua ſubinde rurſus avolans redibat identidem: neque aliud quidquam præſtitit, donec aquæ exaruiſſent. *Hebræi* nugantur in *Agudda* corvum ideò non deſiiſſe arcam circumvolitare, nec iviſſe quò miſſus fuerat: שהיה חושדו על בת זוגו, *quia de conjuge* (ſeu *fœmina*) *ſuâ ſollicitus erat*; nè ſcilicet ſe abſente ab alio iniretur. Quod cum de alio corvo non poſſit intelligi, cùm *Noe* ſolùm duos ſervâſſet, nolo attexere quæ monſtra ſibi fingant impuri homines, & mortalium inſulſiſſimi. In *Bereſith Rabba* Sect. 33 *Noë* & corvus colloquuntur invicem: &, hoc quærente, cur ex omnibus pecudibus, feris, & avibus ſolus mitteretur, reſpondet *Noë* mundum corvis poſſe facilè carere, cum neque לאכילה, *ad eſum*, neque לקרבן, *ad ſacrificia* ſint utiles. Sed intercedit Deus, monens futuris ſæculis magnum fore corvorum uſum, nempe *Eliæ* tempore, qui pane & carne à corvis allatâ aliquamdiu paſtus fuit. Atque ob id ipſum ſcilicet noluit Deus, ut corvus ab arca longiùs ſecederet. Et illi dixit, אתה מזומן לשליחות אחרת בימי אליהו, *Tu* Eliæ *diebus aliam* (majoris momenti) *legationem obire debes*: ac proinde in illa tempora ſervandus es. Quod ipſa *Moſis* verba volunt obſcurè ſubinnuere, cum dicit עד יבשת, *donec exaruiſſent.* Quia vox יבשת eaſdem habet literas, quas vox תשבי *Thisbi.* Itaque עד י שת, id eſt, עד תשבי, *Ad usque Thisbitem*, ſupple *Eliam*, quod obſervat *Baal Hatturim*; & literas י שת המים, *Exaruerunt aquæ*, per *Gematriam* idem valere, quod נחל כרית, *torrentem Cerith*, ubi *Eliam* corvi paverunt: quod tamen verum non eſt.

Hæc de corvo *Noæ* juxta *Hebræos*: ſed multò aliter *Græci*; quorum verſio in ſpeciem id ipſum negat, quod diſertè aſſerit *Moſes*, nempe rediiſſe corvum. Habet enim, Ἐξελθὼν ὐκ ἀνέςρεψεν, *Egreſſus* (ex arca corvus) *non reverſus eſt.* pro *Hebræis* ויצא, יצוא ושוב *Et egreſſus eſt egrediendo, & redeundo. Syrus* itidem, ܘܢܦܩ ܡܦܩ ܘܠܐ ܗܦܟ, *Et egreſſus eſt egrediendo, & non rediit.* Et *Hieronymus*, *Qui egrediebatur, & non revertebatur.* Et *Arabes* manuſcripti duo, quos in *Suecia* vidi, لم يعود *non rediit*, aut فلم يعد *& non rediit.* Sed ille ex *Græca*, hic ex *Syra* verſione palàm expreſſi. Quod ipſum ſequuntur priſci Doctores, *Hilarius*, *Arnobius*, & Pſeudo-*Hieronymus*, in *Pſalmum* centeſimum quadrageſimum ſextum, verus *Hieronymus* in *Dialogo contra Luciferianos* capite octavo, *Ambroſius* libri *De Noë & arca* capite decimo ſeptimo, *Sulpitius Severus Hiſtoriæ* libro primo, *Auguſtinus* in *Geneſim* libro primo Quæſtione decimâ tertiâ, & paſſim, *Chryſoſtomus* in *Geneſim* Homiliâ vigeſimâ ſextâ, *Cyrillus Glaphyrorum* in *Geneſim* libro ſecundo. *Eutychius* quoque *Alexandrinus* pag. 40. فـذهب الغراب ولم يرجع *Et abiit corvus, nec reverſus eſt.* Omnes denique veteres, in quos incidere licuit, præter unum *Procopium*, qui negationem non admittit. Unde nata duplex quæſtio: prior, unde ortum ſumpſerit hæc lectionum diverſitas; altera, utra lectio vera ſit, atque alteri præferenda. Atque ad illam multi reſpondent, *Hebræos* & *Græcos* poſſe optimè conciliari, utrumque enim verè dici, & corvum eſſe reverſum, & corvum non eſſe reverſum. Cùm ad arcam reverſus ſit, vel ſuper arcam, ſed non reverſus ſit in arcam. Quæ reſponſio eſt inanis. Cum neutra lectio corvum dicat in arcam, aut ſuper arcam rediiſſe, vel non rediiſſe: ſed harum una ſimpliciter corvum rediiſſe habet, altera non rediiſſe; quæ omnino ſunt contraria. *Moſis* verba *Gen.* 22, 1. *Deus tentavit Abrahamum*, ſi quis ità reddiderit, *Deus non tentavit Abrahamum*, nónne eſſet falſus interpres; etiamſi verum ſit aliquo modo Deum non tentâſſe *Abrahamum*, nempe quomodo dixit *Jacobus* (a) *Deum neminem tentare*? Præterea, licet in *Hebræo* textu non (a) *Iac.* 1, 13.
diſertè dicatur corvus rediiſſe in arcam, tamen palàm ſubintelligitur. Ita enim habent verba, *Egreſſus eſt egrediendo, & redeundo, donec*, &c. Id eſt, ſæpe egreſſus eſt, & ſæpe rediit. Ex arca porrò ut ſæpe egrederetur, neceſſe illi fuit in eandem ſæpe regredi. Neque enim è domo quiſquam egreditur, qui in eam non ſit ingreſſus.

Aliis *Hebræum* שוב non ſolum *redire*, ſed & *recedere* eſt: ut hujus ipſius capitis verſu tertio, וישבו המים מעל הארץ הלוך ושוב, *Et redierunt aquæ à facie terræ, eundo, & redeundo*, id eſt, *receſſerunt recedendo*. Et pari ratione, inquiunt, corvus ex arca *egreſſus eſt exeundo*, ושוב *& redeundo*, id eſt, *recedendo*. *Ex arca* porrò *recedere* idem eſt, ut aſſerunt, quod ad eam non reverti. Sed neque hæc reſponſio ſatis eſt idonea. Nam, quidquid dicant, שוב propriè *redire* eſt. Etiam cum dicuntur *aquæ à facie terræ rediiſſe*, ideo rediiſſe dicuntur, quia prius eam demerſerant, & à facie terræ ſe conferebant in naturalem ſuum locum, id eſt, in mare, *&c.* Præterea שוב in *recedendi* notione non ſumitur, niſi additâ particulâ מן, id eſt, *ab*, vel *ex*, quæ hic nuſquam comparet. Denique hæc non cohærerent, *Corvus exiit exeundo, & recedendo, donec exaruiſſent aquæ*. Exiit enim corvus menſis undecimi die undecimâ, *Gen.* 8. *v.* 5. 6. Et aquæ demum exaruerunt anni ſequentis initio, *Gen.* 8. *v.* 13. id eſt, diebus quinquaginta poſt corvi exitum. Quo toto tempore corvum ſemper ex arca receſſiſſe nemo dixerit. Dato tamen, non conceſſo, *Hebræa* verba ſic poſſe reddi; *Corvus exiit exeundo, & recedendo*, ab iis valde diverſa eſſet *Græca* verſio, *Corvus egreſſus non rediit*. Abire enim, & recedere alicunde per quinquaginta dierum iter, non idem eſt, quod indè abire, nec redire ante diem quinquageſimum. Alii *Judæos* volunt negationem ex *Hebræo* textu exemiſſe, quos refellit *Samaritani* codicis cum *Hebraico* conſenſus. Præterea *Chaldæi* duo, *Jonathan*, & *Onkelos*, hic habent, ונפק מפק ותאיב. Et *Samaritanus* Interpres, ࠅࠉࠑࠀ ࠉࠑࠅࠀ ࠅࠔࠅࠁ *Et egreſſus eſt egrediendo, & revertendo*. Et *Arabs Pariſiis* editus, فجعل يخرج ويرجع *Et exibat, & redibat*. Et *Erpenianus*, وخرج خارجا وراجعا *Et exiit exiens, & rediens*. *Joſephus* quoque *Antiqu.* lib. 1. cap. 4. πρὸς Νῶχον ἐπανῆλθε, *Ad Noam rediit*. Sed & in *Bereſith Rabba*, & in *Agudda*, qui *Hebræorum* libri ſunt vetuſtiſſimi, legitur iſte locus planè ut in noſtris codicibus. *Hieronymum* denique ſic legiſſe mihi perſuaſiſſimum eſt, & in *Quæſtionibus Hebraicis* haberi perperam: "*Et de corvo aliter* (in *Hebræo* textu) *dicitur, Et emiſit corvum, & egreſſus eſt exiens, & non* "*revertens.* Legendum enim, *Exiens, & revertens*. Nam ſi legas, *& non revertens*, quorſum aſſerit in *Hebræo* textu aliter, quàm in *Græco* dici? Quæ *Chiſamenſis* Epiſcopi obſervatio eſt veriſſima. Neque vero cauſam habuêre *Judæi*, cur illum locum corrumperent, cum eorum nihil interſit, utrum corvus rediiſſe, vel non rediiſſe credatur. Sunt denique, qui *Græcis* codicibus, vel certo conſilio, vel per ſcribarum incuriam putant inſertam fuiſſe negationem: quorum neutrum eſt veriſimile. Non prius; quia ut reliquis *Hebræorum* cauſa non fuit, cur negationem ex *Hebræo* textu eximerent, ità nec *Græcis* interpretibus cauſa fuit, cur illam ſuæ verſioni adderent: neque poſterius; quia ex *Græcis* verbis (Ἐξελθὼν οὐκ ἀνέστρεψεν, ἕως τοῦ ξηρανθῆναι τὸ ὕδωρ, *Egreſſus non rediit, donec aquæ exaruiſſent*) negationem ſi demas, diſſolvetur orationis tota compages. Et hæc erunt ſine ullo ſenſu, *Egreſſus rediit, donec aquæ exaruiſſent*. Cùm igitur hæc verſio iis verbis concepta ſit, ex quibus negatio nullo modo poteſt abeſſe, eam patet ab ipſis auctoribus eſſe adſcriptam, non ſcribarum errore inſultam, atque in textum inſertam.

Nempe, ſi rectè conjicimus, *Hebræa* verba, יצוא ושוב, *Egrediendo & redeundo*, *Græci* Interpretes ſic legerunt, יצוא לוא ישוב, *Et non reverſus eſt*. Adverbum, *Et non revertetur*. Sed Futurum pro Præterito tam frequenter occurrit, ut in uno *Pſalmo* centeſimo ſeptimo hujus καταχρήσεως viginti minimum exempla reperire ſit. Neque ſcripturâ multùm differunt יצוא ושוב, & ישוב לוא. Nam *Vau* & *Jod* in veteribus manu-ſcriptis literæ ſunt tam ſimiles, ut ſæpiſſime permutentur. Et *Lamed* à *Tſade* ferè ſolo cornu differt: quod *Tſade* dextrum habet, & demiſſius; *Lamed* ſiniſtrum, & elatius. Sciunt quid velim, qui *Rabbinorum* lectioni aſſueverunt. Hinc igitur, niſi fallor, diverſæ lectionis & verſionis horum verborum vera eſt origo. Neque facile dixerim, utra ſit præferenda. Et quamvis *Hebraicam* lectionem venerari ſoleam, ut ab ea nunquam diſcedam niſi valde invitus: tamen *Græcam* fateor hoc loco eſſe perſpicuam magis, *Egreſſus eſt corvus, neque rediit donec*, &c. id eſt, nunquam ad arcam rediit. At, inquiunt, ſi non rediit; quid de illo factum eſt? Reſpondet *Auguſtinus* in *Johannem* Tractatu ſexto, *Mortuus eſt in his aquis*. Et *In Fauſtum* libri duodecimi capite vigeſimo, *Emiſſus corvus non eſt reverſus, aut aquis utique interceptus, aut aliquo ſupernatante cadavere illectus*. Et *Cyrillus* in *Glaphyris* libro ſecundo, Ἐναπνίγη γ᾽, οἶμαι, τοῖς ὕδασιν, ἐρεισμά τι, καὶ στάσιν οὐχ εὑρηκώς. *Submerſus eſt, ut arbitror, aquis, cum ubi ſubſiſteret, non invenisset*. Quod poteſt ſine periculo concedi. Et fruſtrà objicitur ex uno corvo ſuperſtite non potuiſſe poſt diluvium corvorum ſpeciem reparari. Poterat enim ille corvus fœminam iniviſſe, antequam emitteretur. Et verò ſunt ex *Hebræis*, qui ob id ipſum volunt à *Noa* fuiſſe emiſſum, quod arcam intempeſtivâ libidine polluiſſet, atque inceſtaſſet. Potuit etiam ſupereſſe corvus, etſi in arcam non redierit, ſive cadaveri aquis innatanti inſederit, aut montium verticibus, qui aquis nudari jam inceperant diebus quadraginta antequam fuiſſet emiſſus, *Gen.* 8. *v.* 5. 6. 7. Cur igitur columba ſeptiduo poſt emiſſa, non reperiens ubi pedem figeret, in arcam redire coacta eſt, quia aquæ adhuc univerſæ terræ incumbebant, *Gen.* 8. *v.* 8? Reſpondeo: Primò, gratis id dici columbam ſeptiduo poſt corvum fuiſſe emiſſam. Illam quidem emiſit *Noe* ὀπίσω αὐτοῦ *poſt eum*, id eſt, poſt corvum, ſi *Græcos* & *Hieronymum* ſequimur: ſed ne id quidem habet *Moſes*, cujus verba ſunt, *Et emiſit columbam* מאתו *à ſe*: quomodo rectè reddunt *Jonathan*, & *Onkelos*, & *Syrus*, & *Samaritanus*, & uterque *Arabs*. Itaque potuerunt corvus & columba ſimul emitti. Pone tamen, columbam poſt corvum fuiſſe emiſſam; quid opus eſt hanc emiſſionem in ſeptiduum differre, cùm, corvo non reverſo, *Noe* potuerit illam emittere die proximè ſequente? Secundo, columba rediit, quia in humidis & uliginoſis locis pedem non figit libenter. At corvum, utpotè temperamenti ſicciſſimi, aquis maximè gaudere notum. Unde eſt, quod corvi, futuram pluviam præſentientes, multa edunt lætitiæ ſigna, tam voce, quam motu alarum: quæ videre eſt in *Arato* verſu 963. &c. Quia φιληδοῦσι τοῖς ὑγροῖς, *humidis oblectantur*, ut ibi habet *Theon*.

Sed & *Græcorum* lectioni favere videtur *Ethnica* fabula de corvo, qui ab *Apolline* aquatum miſſus non rediit, niſi poſt ficus maturas. *Ovidius* libro ſecundo *Faſtorum*,

Immemor imperii ſediſſe ſub arbore fertur,
Dum fierent tardâ dulcia poma morâ.

Hyginus Aſtronomicῶn libro ſecundo in *Hydra*; *Corvus, Apollinis* *tutelâ uſus, eo ſacrificante miſſus à fonte aquam puram petitum, vidit arbores complures ficorum immaturas: eas expectans, dum matureſcerent, in arbore quadam earum conſedit.* Et

Ger-

Germanicus in *Aratum* capite *De Hydra, Corvus ideo inter aſtra collocatus dicitur, eo quod fuerit in tutela* Apollinis, *à quo miſſus ad fontem.* &c. *cùm vidiſſet arbores groſſos ficus habentes, volans conſedit in eis, donec matura fierent, & aquam deferre diſtulit.* A quo parum diverſus *Arati Scholiaſtes* nondum editus quem habeo manu-ſcriptum; Τιμῶν γὰρ ἦν ὁ κόραξ παρὰ τῷ Ἀπόλλωνι· ἑκάστῳ γὰρ τῶν θεῶν ὄρνεον ἐστὶν ἀνακείμενον. Θυσίας δὲ γενομένης τοῖς θεοῖς, αὐτόθεν πεμφθεὶς ὑδρεύσασθαι ἀπὸ κρήνης τινὸς, ἰδὼν παρὰ τὴν κρήνην συκῆν ὀλύνθους ἔχουσαν, ἔμεινεν (b) ὡς πεπανθῶσιν. Sed paulò aliter *Ælianus Hiſt.* lib. 1. cap. 47. Ὁ Ἀπόλλων αὐτὸν θεράποντα ὄντα ὑδρευσάμενον ἀποπέμπει· ὁ δὲ ἐντυχὼν λήιῳ βαθεῖ μὲν, ἔτι δὲ χλωρῷ, καὶ μένων ἕως ἂν αὖον γένηται, τῶν πυρῶν (c) περιχανοῦσαι βουλόμενος, καὶ τοῦ προστάγματος ὀλιγωρήσειν. *Cum ad aquationem eum famulum ſuum miſiſſet* Apollo, *ille in magnam ſegetem adhuc viridem cùm incidiſſet, expectavit dum maturuiſſet, granis frumenti frui volens, & mandatum neglexit.* Et aliter rurſus apud *Geſnerum Oppiani Scholiaſtes* in librum primum Ἰξευτικῶν, *Cùm* Coronis in Tricca Æſculapium *pareret*, Corax (ſervus) *aquari juſſus, re neglecta* ὀλιγωρήσαντος *laſciviebat: quamobrem iratus* Apollo *convertit eum in avem atram*, &c. Sed hæc ità diverſa ſunt, ut appareat ex eodem fonte eſſe orta. Ut & vetus Proverbium de ceſſatore apud *Heſychium*, & *Suidam*, Κόραξ ὑδρεύει, *Corvus aquatur.* Et plerique, ut corvi moram longisſimam fuiſſe ſignificent, illum expectâſſe fingunt, donec ficus maturuiſſet; quia ficus ſerotina eſt, nec niſi cum uvis maturefcit, ut conſtat ex *Cant.* 2. *v.* 13. & *Num.* 13. *v.* 24. Unde *Epictetus* apud *Arrianum* libri primi capite decimo quinto, Ἄν μοι λέγῃς, ὅτι θέλω σῦκον, ἀποκρινοῦμαί σοι, ὅτι χρόνου δεῖ· ἄφες ἀνθήσῃ πρῶτον, εἶτα προβαλεῖ τὸν καρπὸν, εἶτα πεπανθῇ. εἶτα συκῆς μὲν καρπὸς ἄφνω, καὶ μιᾷ ὥρᾳ οὐ τελειοῦται. *Si mihi dicas te velle ficum, reſpondebo tibi tempore opus eſſe. Permitte ut primùm floreat, deinde fructum emittat, deinde matureſcat. Neque enim fici fructus citò & unâ horâ ad maturitatem perducitur.* Proinde ficus apta viſa eſt ad deſignandam corvi moram, & cunctationem ad aquas. Quod ipſum natum videtur ex hiſtoria de corvo *Noæ*, qui ad aquas emiſſus non rediit, donec, *&c.* Atque eodem fortâſſe pertinet, quod tradunt veteres apud *Servium*, *corvos obliviosos eſſe, & plerumque minimè ad nidos ſuos reverti.* Neque enim id corvo tribuunt *Philoſophorum* libri. Sed fama de corvo *Noæ*, qui reditûs fuit immemor, cauſa potuit eſſe, cur vulgus corvino generi affingeret, quod huic fuit peculiare. Hæ conjecturæ ſi veræ ſunt, ut ſaltem habent aliquam veri ſpeciem, vetuſtisſima eſt illa lectio, quâ corvus, ex arca emiſſus, ad *Noam* rediiſſe negatur.

(b) Lege ἕως.

(c) Περιαπολαῦσαι.

Quid quod ex verbis *Hebrais*, prout hodiè leguntur, non facile eſt ſe expedire, *Exiit exeundo, & redeundo, donec aquæ exaruiſſent?* Illud enim, *Exiit exeundo*, eſt Ἑβραϊκώτατον. Sed quod ſequitur, *Exiit redeundo*, poterit videri durius, & eſſe oppoſitum in appoſito. Et dubito, an alibi dicatur animal *exire redeundo*. Nec patet, quorſum *Noë* corvum, in arcam ſemel regreſſum, paſſus ſit ex ea toties egredi, & per quinquaginta dies divagari nullo ſucceſſu: maximè, poſtquam ex columba didicit quod ſcire avebat. Has quippe volitationes clauſâ feneſtrâ potuiſſet prohibere. Nam, quod ajunt, corvum *ad* arcam, non *in* arcam rediiſſe, jam ſuprà confutavimus. Itaque non diſplicet *Græca* lectio, quæ non laborat his incommodis. Tamen hæc pono, non ſtatuo, & peritiorum judicio non illibenter ſubmitto.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

De Corvis, qui *Eliæ* panem & carnes afferebant prope torrentem *Cerith*; 1. *Reg.* 17. *v.* 3.

Ibi הערבים, *non ſunt* mercatores, *nec* Arabes; *nec* incolæ urbis Arabo, *ut quidam volunt, ſed* corvi. *Illis præcepit Deus, nempe ad obſequium inflectendo. Cur plures corvi. Corvus unus* Paulo *&* Antonio *panem affert. Cur hi panem & carnes afferant, & bis in die. Et unde afferant. Cur corvi ad id adhibiti. Quomodo has dapes non polluerint. Crimen in diluvio admiſſum reparant.* Elias *quomodo corvis ſimilis. Quàm juſte Deus hoc officium à corvis exegerit. Torrens* Cerith, *vel* Kana, *Joſ.* 16. *v.* 8. *&* 17. *v.* 9. *Ratio utriuſque nominis. Ejus ſitus* Joſepho *ignotus, &* Eutychio Alexandrino.

JAm de *Elia* dicendum, cui latenti ad torrentem *Cerith* prope *Jordanem* הערבים, *corvi* à Deo juſſi panem & carnes bis afferebant in dies, 1. *Reg.* 17. *v.* 3. 4. 5. 6. Quod, quia moroſis ingeniis parum credibile viſum eſt, non deſunt, qui *Hebræo* verbo ערבים *orebim*, negent *corvos* intelligi. Sic apud *Kimchium* nonnulli *mercatores* explicant, ut *Ezech.* 27. *v.* 27. ubi ערבי מערבך, id eſt, *qui negotiantur negotia tua.* Aliis ערבים ſunt *Arabes*; ut 2. *Par.* 21. *v.* 16. & *Nehem.* 4. *v.* 7. In *Bereſith Rabba cap.* 33. עיר היא בתחום ביתשאן ושמה ערבו, *Urbs eſt* Arabo *nomine in vicinia Bethſan* (ſive *Scythopoleos:*) ut ſcribit *Rabbi Juda*, cujus cives hic dici putantur הערבים. *Arabi* etiam Interpreti ערבים *Orebim*, non fuit corvi, ſed populi nomen. Is enim ità habet 1. *Reg.* 17. *v.* 4. *Præcepi* لعوربيم Orebimis, *ut te nutriant.* Et verſu ſexto, وكان العوربيم *Et fuit, ut* Orebimi *afferrent ipſi panem, & carnem.* Sed facile eſt docere hæc interpretamenta nihil habere ſani. Utut enim ab *Ezechiele Tyri* mercatores deſcribantur hac Periphraſi ערבי מערבך, *qui negotiantur negotia tua:* tamen ערבים per ſe *mercatores* nuſquam ſignificat. Nec Deus in genere dixiſſet, *Præcepi mercatoribus*, ſed *Præcepi mercatoribus hujus, vel illius loci, ut te nutriant.* reliquas verſiones refellit loci ſitus, in quo accidit hoc miraculum. Nam prope *Jordanem*, ubi latebat *Elias*, nulli erant *Arabes*, nulli *Orebimi*, neque ulla urbs *Arabo* nomine, quod quidem ſciam. Et *Arabes Hebraicè* non dicuntur ערבים *Orebim*; ſed ערבים *Arbim*: & urbs ערבו *Arabo*, ſi quæ fuit, quod mihi nondum conſtat, hujus incolæ ערבויים *Araboiim*, vocati ſunt, non *Orebim*. Præterea *Elias*, ibi latere juſſus, non verè latuiſſet, ſi latibuli ſui conſcios habuiſſet locorum incolas. Et hæ latebræ *Achabo* Regi mox patuiſſent, qui illum magnâ curâ undequaque diſquirebat.

Hic igitur הערבים nihil quidquam ſunt, quàm veri *corvi*, quomodo poſt *Græcos* accipiunt *Joſephus*, *Chaldæus*, *Syrus*, *Hieronymus*, plerique ex *Hebræis*, & omnes Eccleſiæ Doctores, nullo excepto. His Deus præcepiſſe ſe dicit. *Corvis* (inquit) *præcepi, ut ibi te nutriant.* Nempe brutis etiam præcipere dicitur Deus: ut 2. *Paral.* 7. v. 13. *Si præcepero locuſtæ, ut exedat terram.* Amos 9. v. 3. *Et ſerpenti præcipiam, ut mordeat eos.* Et Jon. 2. v. 10. (al. 11.) *Piſci dixit Deus, ut* Jonam *in terram evomeret.* Sed quomodo præcipit etiam rebus inanimatis: puta cœlis, *Eſ.* 45. *v.* 12. nubibus *Job.* 38. *v.* 11. *Pſalm.* 78. *v.* 23. *Eſ.* 5. *v.* 6. diluculo, *Job.* 38. *v.* 12. gladio, *Amos* 9. *v.* 4. *Brutis* ſcilicet, aut *nubibus*, &c. *præcipere* eſt iis uti ad exequenda ſua decreta. Rectè igitur hic *Kimchius*, וטעם צויתי ששמתי בלבם להביא לחם ובשר שתי פעמים ביום, *Præcepi* (corvis) *id eſt, in animum ipſis indidi, ut panem & carnem afferrent bis in die.* Sed longè aliter viduæ ſe præcepiſſe dicit, ut *Eliam* paſceret, verſu nono ejuſdem capitis. Illi enim vel verbo expreſſo præceperat, vel mentem ejus ad charitatem & pietatem erga Dei ſervum inflectendo. Notandum porrò plures corvos huic operi deſtinari, non unum, ut ſtatuit (a) *Eutychius Alexandrinus*; quia non ſuffeciſſet unus ad ferendum *Eliæ* neceſſarium alimentum. Nam in vita *Pauli Eremitæ* apud Sanctum *Hieronymum*, inter quædam alia, quæ fateor me non capere, etiam illud eſt, quod unus corvus affert panem integrum, qui viris duobus in prandium ſufficiat, *Antonio* nempe, & *Paulo.* *Suſpiciunt*, inquit, *alitem corvum in ramo arboris conſediſſe, qui inde leniter ſubvolans integrum panem ante mirantium ora depoſuit. Poſt cujus abſceſſum, Eja* inquit Paulus, *Dominus nobis prandium miſit*, &c. *Sexaginta jam anni ſunt, quòd accipio dimidii ſemper panis fragmentum: verùm ad adventum tuum militibus ſuis* Chriſtus *duplicavit annonam.* At hic aliter res ſe habet. Neque enim unus corvus pluribus, ſed plures uni cibum afferunt. Cibus ille fuit panis, & caro. Quæ ſeorſim allata fuiſſe volunt multi veteres, panes ſcilicet manè, & carnes veſperé. *Athanaſius* in *Synopſi*, Οἱ κόρακες ἔφερον αὐτῷ, διὰ ῥήματα Κυρίου, πρωΐας μὲν ἄρτους, δείλης δὲ κρέα. *Theodoretus* in 3. *Reg* Quæſt. 52. Προσέφερον γὰρ οἱ κόρακες ἄρτους μὲν ἕωθεν, δείλης δὲ κρέα. *Auguſtinus* Sermone 146. *De tempore*, *Afferebat ſervo Dei corvus manè panes, ad veſperam carnes.* *Eutychius* ubi ſuprà, وكان غراب ياتيه في كل يوم بالغداة بخبز وبالعشا بلحم ياكله *Et corvus fuit, qui ei quotidiè afferebat manè panem, & veſperè carnem, quibus veſceretur.* Nimirum ità fert *Græca* verſio in pleriſque exemplaribus: ſed in *Complutenſi* rectiùs, quod habetur in *Hebræo*, *Chaldæo*, *Syro*, *Arabico* & *Romano* textu, ἄρτους καὶ κρέας τὸ πρωῒ, καὶ ἄρτους καὶ κρέας τὸ δείλης. Quippe voluit Deus in ſumma rerum omnium penuria ſervo ſuo utrumque afferri, panem, & carnes, ut plenum eſſet convivium, & ſua providentia in illo conſervando ſic magis eluceret. Eodem pertinet, quod corvi bis in die, manè, & veſperè, has epulas *Prophetæ* offerebant, prandii ſcilicet, & cœnæ ſtatis horis. Utrumque enim apud *Judæos* in uſu fuiſſe conſtat ex *Luc.* 14. *v.* 12. Et meridiani convivii mentio fit *Gen.* 43. *v.* 25. *Ruth.* 2. *v.* 14. & *Act.* 10. *v.* 9. 10.

(a) Pag. 197.

Hebræi apud *Kimchium* anxiè quærunt, unde corvi panes & carnes attulerint. Et alii quidem ex *Achabi*, alii ex *Joſaphati* menſa petita fuiſſe ſtatuunt. Quaſi *Prophetæ*, in ſumma frugalitate educato, neceſſe fuerit habere regales dapes. Dixerim potiùs hæc *Prophetæ* deſtinata fuiſſe ab uno aliquo ex illis ſeptem millibus, qui (b) genua non flexerant ante *Baalem*, quem Deus eſſe voluerit tanti arcani conſcium. Quamvis ſit tutiſſimum reſpondere cum auctore *Mirabilium Scripturæ* libri ſecundi capite decimo quinto, *Unde verò eas carnes, & panes ille corvus detulerit, ipſe viderit, qui tale officium committebat.* Alibi (c) huic ipſi *Eliæ*, in deſerto eſurienti, Dei Angelus panem & aquam apponit, quod convenientius fuiſſe dices, & θεωρητικώτερον. Sed & à corvis voluit Deus idem officium præſtari, ut doceret omnes creaturas imperio ſuo ſubeſſe. At corvus, inquies, immunda eſt avis, contactuque omnia fœdans. Omninò, cùm plerumque veſcatur cadaveribus, & Lex ceremonialis immundis avibus eum accenſeat. Sed *quod purificavit Deus non debet haberi pro immundo*, Act. 10. v. 15. Idem Deus, qui hanc Legem ſanxerat, etiam abrogavit, aut ſaltem *Eliam* ab ejus obſervatione diſpenſavit ad tempus. Quamvis hujuſmodi diſpenſatione non fuerit opus. Ceremoniarum enim obſervatio poterat prætermitti, cùm urgebat vitæ neceſſitas. Ità *Samſoni* licuit favum mellis comedere, quem in mortuo leone apes contexuerant; ùt ad hunc locum obſervat *Theodoretus*. Et *David* eſuriens panes τῆς προθέσεως edit ſine ſcrupulo, *quos alioqui non licebat edere, niſi ſolis Sacerdotibus*, *Luc.* 6. *v.* 4. Ac proinde rectè ſancitum eſt, ut *Judæis*, die Sabbathi ab hoſte provocatis, pugnare licitum eſſet, & vim vi repellere, 1. *Macchab.* 2, v. 41. Agebatur enim de vita. Et *Sabbathum eſt propter hominem, non homo propter Sabbathum.* Marc. 2. v. 27. Auctor *Mirabilium* corvos *Eliæ* ſervientes reparâſſe culpam aſſerit in diluvio admiſſam. *Corvis*, inquit, *miniſtrare* Prophetæ *præcipitur, ut culpam, quam in diluvio commiſerat, purgare illa avis videretur, dum ut fidelis miniſter efficitur* Eliæ, *qui negligens, & fallax erat anteà* Noæ. *Chryſoſtomus* in Sermone *De Elia* vult *Prophetam* corvis in eo fuiſſe ſimilem, quod ut corvus eſt animal μισότεκνον, ità *Elias* filios ſuos, nempe *Judæos*, propter peccata oderat, &, cœlo precibus ſuis clauſo, longam famem eis indixerat. Ac Deum proinde *Prophetæ* animum, plus nimio exaſperatum, emollire voluiſſe corvorum exemplo; qui, utùt immites, & μισότεκνοι, mutato tamen animo, jam *Prophetæ* miſerebantur, &, nè fame periret, cibos illi ſubminiſtrabant: quaſi *Eliæ* dixiſſet, Μὴ τοσαύτη περὶ σοὶ κατὰ Ἰουδαίων μισοτεκνία, ὅσον τοῖς κόραξι κατὰ τῶν νεοττῶν τῶν οἰκείων. ἀλλ' ὅρα νῦν μεταβεβλημένους τοὺς κόρακας. ὅρα τὴν ἐκείνων, ὦ Ἠλία, φιλανθρωπίαν. οἱ περὶ τοὺς οἰκείους ἀπάνθρωποι νεοττοὺς, σοῦ γίνονται ξενοδόχοι φιλότιμοι. Ἄτοπον ἐστιν, ὦ Ἠλία, τοὺς μὲν κόρακας μεσίτας γίνεσθαι πρὸς σὲ τῆς παρ' ἐμοῦ φιλανθρωπίας· σὲ δὲ μεσίτην τοῖς Ἰουδαίοις μὴ γίνεσθαι τῆς παρ' ἐμοῦ κατ' αὐτῶν τιμωρίας. Αἰδέσθητι τὴν τῶν κοράκων μεταβολὴν, καὶ γίνου περὶ τοὺς Ἰουδαίους χρηστός. *In* Judæos *filios tuos non tanto odio teneris, quanto corvi in pullos ſuos. Corvos tamen nunc mutatos vide. Eorum, ô* Elia, *vide benignitatem. Qui in proprios pullos inhumani ſunt, erga te munificos hoſpites ſe exhibent. Abſurdum eſt, ô* Elia, *quòd corvi meæ erga te benignitatis ſunt mediatores: tu verò pro* Judæis, *quos punio, non intercedis. Corvorum mutationem admirare, & erga* Judæos *eſto benignus.* Sunt è recentioribus, qui Deum volunt à corvis eò juſtiùs hoc officium exegiſſe, ut *Prophetam* ſuum alerent, quo majori curâ eos alit, cùm adhuc pulli à parentibus deſeruntur, ut probant ex *Jobi*, *Davidis*, atque ipſius *Chriſti* verbis, quæ aliter explicavimus.

(b) 1. Reg. 19 v. 18.

(c) 1. Reg. 19. v. 5. 6.

Torrentem *Cerith*, vel *Carith*, ad quem obtigit hoc miraculum, putant eundem eſſe cum torrente *Kana*, ſeu *arundineti*, de quo *Joſ.* 16. *v.* 8. & 17. *v.* 9. Quod facilè crediderim, & קנה *kana*, fuiſſe dictum ab arundinum copia, in quibus latebat *Elias*. Ut is, de quo ſummus vates,

——— Tu poſt carecta latebas.

Et torrentem כרית *Cerith*, dici à Verbo כרה *cara*, quod ἐσιτεῖσθαι, id eſt, *paſci*, aut *veſci*, apprimè reddunt *Græci* Interpretes *Job.* 40. *v.* 25. eò quòd ad eum

ſum *Propheta* à corvis per miraculum paſtus eſt. Quæ conjectura ſi vera eſt, Prolepſis agnoſcenda eſt in his verbis, *Abſcondete ad torrentem Cerith.* Utut ſit; ex ſacro textu hoc ſcimus, hunc torrentem fuiſſe propè *Jordanem*, & ad Ortum *Samariæ.* Itaque aliud agebat *Joſephus*, cùm *Eliam* ſeceſſiſſe ſcripſit εἰς τὰ πρὸς νότον μέρη, *ad partes, quæ ad* Auſtrum *vergunt.* Et multò abſurdiùs *Eutychius*, hunc *Eliæ* ſeceſſum confundens cum ejuſdem quadrageſimali jejunio in monte *Horeb.* وهرب ايلياس النبي

تخوم الاردن الي جبل جوريب وهو

طور سينا وسكن في شعب عين

وكان يشرب الما من تلك الشعب

Et fugit Elias *Propheta per confinia* Jordanis *ad montem* Horeb, *qui eſt mons* Sina*: & habitavit ad fontis fiſſuram, ex qua bibebat aquam.* Quibus reliqua ſubjungit de corvo, panem & carnem afferente.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Probatur בת יענה *bath jaana*, eſſe Struthionem fœminam.

In Prophetis בת יענה bath jaana, *inter aves eremicolas.* Sirenes Græci *ſæpe reddunt. Et* Cyrillus ſirenum *nomine* ἀηδόνας luſcinias *intelligit: ſed legendum* ἀλκυόνας alcyones. *Hæ duæ voces à librariis ſæpe confunduntur. Alcyon canora avis, littorea, propter nidum à fluctibus abreptum fundit lugubre melos: aut, ut alii; propter* ceycis *conjugis fatum. Lugubris quoque eſt avis* bath jaana; *ſed in deſertis procul à mari: non littorea, ut alcyon. Crudelis item, &* ἄστοργος, *cùm alcyon & conjugem & pullos impensè amet. Aliis igitur* bath jaana *eſt* noctua, bubo, ſtryx, ulula; *quorum ſententiam* Fullerus *multis tuetur. Quin* bath jaana *eſt* ſtruthio. Seniores στρουθὸν *reddunt, id eſt,* στρουθοκάμηλον *non* paſſerem, *ut* Novatianus *&* Fullerus *volunt.* Στρουθὸς *etiam ſine Epitheto* ſtruthionem *ſæpe ſonat. Vox* στρουθοκάμηλος Græcâ *verſione recentior eſt. Refelluntur* Fulleri *rationes, quibus* στρουθὸν *contendit eſſe* ululam, *aut* ſtrigem. Στρουθίζειν, & τρίζειν, *quid in* Suida. Strix *in* Gloſſario στρουθὸς *redditur; ſed mendoſè. Verborum trajectio in* Gloſſis *frequens.* Gloſſarum, *&* Heſychii *multa loca emendata.* Bath jaana *à* Chaldæis, Syris, *&* Arabibus, naama *conſtanter redditur: quâ voce* ſtruthionem *ſignificari certiſſimum; quòd probatur ex* Arabibus, *&* Hebræis. *Iiſdem* bath jaana *eſt* ſtruthio. *Judæis ſtruthionis eſus prohibitus. Inſigne mendum in* Lampridio *eluitur. Cur avis immunda ſtruthio; quamvis ab ejus eſu multi non abhorreant. Eadem avis* φιλέρημος *ſurda, à potu abſtinet. In pullos ſuos dura, & crudelis. Non eſt* ἄφωνος *juxta* Fullerum, *ſed acri & aſperâ voce clamat. Neque* Judæis *ignota, ſed in* Syria, *&* Arabia *frequens. Strix fabuloſum animal. Cur ſtruthio dicatur* bath jaana, *id eſt,* filia clamoris. Judæorum *rationes commentitiæ. Omnes ſtruthiones eſſe fœminas: aut ſolùm filias, id eſt, pullorum fœminas; eſſe edules. Aut per* filias *ova intelligi. Quæ refelluntur.* Filii, *&* filiæ *nomen avium,* &c. *nominibus ſæpe præfigitur ſine reſpectu ad ætatem. Obiter quæ avis* בר יוכנא bar juchne, nidi filius. *Gryphus Chaldaicè* filius roboris. *Vultur* filia alæ. *Anas* Arabicè filius aquæ, *corvus* filius cervicis. *Thos* filius latratûs. *Muſtela vulgaris* filius nuptiarum: *faginea* filius roſionis. *Pulex* filius ſaliens. *Cete muliebri formâ* filiæ Græcorum. *Blatta* filiæ vardan. *Struthionis duo nomina: unum mari proprium, alterum fœminæ, quæ mari præfertur propter ova, & quia notior.*

Sequitur avis *Hebraicè* בת יענה *bath jaana*, dicta; quaſi *filia clamoris.* Et ſimpliciter יענה *jaana.* Unde Plurale יענים *jeenim*; Maſculinæ terminationis; ut יעלים *jeelim*, *ibices*, à Singulari Fœminino יעלה *jaala.* Hujus *Prophetæ* ſæpe meminerunt inter aves eremicolas. Ita de *Babylone* dicitur *Jerem.* 50, 39. *In ea habitabunt* בנות יענה, *filiæ* jaana. Et *Eſ.* 13, 21. *Ibi habitabunt filiæ* jaana: Et de *Idumæa* Eſa. 34, 13. *Erit luſtrum draconum*, חציר לבנות יענה, *paſcuum filiarum* jaana. Inde *Eſa.* 43, 20. *Me glorificabunt agri beſtiæ, dracones*; ובנות יענה *& filiæ* jaana. Immitem eſſe avem probant hæc *Jeremiæ* Thren. 4, 3. *Filia populi mei crudelis facta eſt* כיענים במדבר, *ut* jeenim *in deſerto.* Et luctuoſam hæc *Michææ* capitis primi verſu octavo, *Planctum edam ut dracones, & luctum* כבנות יענה, *ut filiæ* jaana. Quod ipſum *Job* reſpiciens capitis trigeſimi verſu vigeſimo nono; *Frater*, inquit, *fui draconum*, *& ſocius* לבנות יענה, *filiarum* jaana. Hæc de *bath jaana*; & *jeenim* Sacri Scriptores.

Sirenes reddunt *Græci* Interpretes in *Michæa*, & *Jeremiâ*, & *Eſa.* 13, 21. Ad quem locum *Cyrillus*; Σειρῆνας δὲ, οἶμαι, φησὶ τὰ ἰυστομεῖν εἰδότα πτηνά, ἢ, κατά γε τὴν Ἑβραίων ἔκδοσιν, τὴν γλαῦκα. Sirenes, *ut puto, appellat aves canendi peritas, aut juxta* Hebræorum *editionem, noctuam.* Et idem in *Mich.* 1, 8. poſtquàm de *Poetarum Sirenibus* egit, Ἡ δέ γε θεόπνευστος γραφὴ Σειρῆνας καλεῖ τὰ τῶν στρουθίων λαλίστατά τε, καὶ ἰυστομεῖν εἰωθότα, ἢ καὶ αὐτὰς ἴσως ὅτι τὰς ἀηδόνας, αἳ τοῖς ἐναλίοις ἐνωάζουσαι κόλποις. εἶτα τῆς καλιᾶς ληφθείσης ὑπὸ κυμάτων, γοερὸν ᾄδουσι μέλος, καὶ καταθρηνοῦσι τρόπον τινὰ τὴν τῆς ἑαυτῶν ὠδῖνος ζημίαν. *Sacra autem Scriptura* Sirenes *vocat avicularum diſertiſſimas, & maximè canoras, aut interdum ipſas luſcinias, quæ in finibus maris ovis incubant. Deinde, nido à fluctibus abrepto, lugubre melos fundunt; & partûs ſui damna quodammodo lamentantur.* In quibus verbis mirabere, cur ſcribat τὰς ἀηδόνας *luſcinias*, quæ cum mari & fluctibus nihil commune habent, in maris finibus ovis incubare, & propter nidum ſuum à fluctibus abreptum lamentari. Quod cùm ſit planè alienum, pro τὰς ἀηδόνας meo periculo reſcribe τὰς ἀλκυόνας. Sequitur nempe *Chryſoſtomum*, qui in hæc *Jobi* capitis trigeſimi verſu vigeſimo nono, Ἀδελφὸς γέγονα Σειρήνων, *Sirenum* vocem ità exponit, Σειρῆνας λέγει ᾠδικάς τινας ὄρνιθας, ἀλκυόνας, ἢ γλαῦκας· ἄμφω γὰρ θρηνητικά. Sirenes *vocat canoras quaſdam aves; alcyones puta, aut noctuas; utraque enim ſunt luctuoſæ.* Et neſcio quo fato factum, ut quamvis ἀλκυὼν & ἀηδὼν ſint voces ſcripturâ diſſimiles ſatis, tamen à librariis non raro confundantur. Sic in *Ariſtotele*, *Hiſtoriæ animalium* libri octavi capite ſecundo, ubi recentiores editiones rectè habent, Τὸ τῶν ἀλκυόνων δὲ γένος πάρυγρόν ἐστι· *alcyonum autem genus ad aquas degit*: pro τῶν ἀλκυόνων, perperam legebatur in veteribus editionibus τῶν ἀηδόνων. Et cùm apud *Suidam*, in Ἡμερινὰ ζῶα, marinis avibus adſcribuntur ἀλκυὼν, ἀηδὼν, κήυκες, *alcyon*, *luſcinia*, *ceyces*, vox ἀηδὼν nihil quidquam eſt, quàm diverſa lectio vocis ἀλκυὼν, quæ ad marginem primò notata eſt, deinde in textum intruſa. His obſervatis, *Cyrilli* verba plana erunt, & perſpicua: quia *Sirenes* apud

Poetas

Poëtæ figuram avium ex parte habent, & ſtationem ad maris littus, & miram cantûs ſuavitatem, vult Scripturæ interpretes *Sirenum* nomine *alcyones* intelligere, littoreas aves valde canoras. Proinde *Chæremon* in *Luciani Alcyone* de ejus voce, Ὡς ἡδεῖα ταῖς ἀκοαῖς! *Quàm jucunda eſt auditu!* Et in *Imaginibus* idem *Lucianus* quandam ait tam ſuaviter ad cytharam canere, ut, illâ aliquid canente, ſit ὥρα σιωπᾶν ταῦτα ἀλκυόσι, καὶ τέττιξι, καὶ τοῖς κύκνοις, *tempus illa tacendi alcyonibus, & cicadis, & cygnis.* *Plutarchus* item in libro *Utra anim.* Ποίας γὰρ ἀηδόνας (περὶ μέλλειν) ἄξιον τῷ φιλομούσῳ τῆς ἀλκυόνος; *Quænam enim luſciniæ cum alcyone cantûs ratione conferri queant?* Et *Oppianus* nullam avem ſuaviùs canere aſſerit. Sic *Anthologiæ* libri tertii capite vigeſimo quarto, *Tymnæus*, ut avem à cantûs gratia maximè laudet, dicit eam alcyonum cantum exæquare:

> Ὄρνεον ὦ Χάρισιν μεμελημένον, ὦ παρόμοιον
> Ἀλκυόσιν τὸν σὸν φθόγγον ἰσωσάμενον.

Addit *Cyrillus* alcyones in maris finibus ovis incubare, & propter nidum à fluctibus abreptum lugubre melos fundere: ut *Valerius Flaccus* libro quarto *Argonauticῶn.*

> *Fluctus ab undiſoni ceu fortè crepidine ſaxi*
> *Cùm rapit alcyonis miſeræ fœtumque, laremque,*
> *It ſuper ægra parens, queriturque tumentibus undis.*

Ità etiam *Scholiaſtæ* veteres, ut *Homeri* ad *Iliada* nonum, Παρὰ δὲ τοῖς αἰγιαλοῖς τῆς ἀλκυόνος τικτούσης, συμβαίνει ἐπελθόντα τὰ κύματα, τὰ ἔκγονα αὐτῆς καταστρέφειν. Ζεὺς δὲ θεασάμενος αὐτὴν κλαίουσαν, &c. *Cùm ad littora parit alcyon, contingit, ut fœtus ejus fluctus abripiant. Lugentem verò* Jupiter *videns*, &c. Et *Ariſtophanis* in *Avibus*, Ἐθρήνει δὲ περὶ ὠῶν αὐτῆς ἐν τῇ θαλάσσῃ κλωμένων. *Lugebat autem propter ova ſua in mari fracta.* Et *Theocriti* in *Idyll.* 7. Θρηνητικὸν δὲ τὸ ζῷον, καὶ περὶ τοῖς αἰγιαλοῖς νοσσεῦον, τὸ κῦμα ἀφαιρεῖται τοὺς νεοσσοὺς αὐτῆς. *Luctuoſum eſt animal, quo ad littora nidulante, pullos ejus fluctus abripit.* Vide etiam *Etymologum* in Ἀλκυὼν, & *Phavorinum* in Εὐνεῖν. Sed & *Poëtæ* vetuſtiores eandem avem ut θρηνητικὴν deſcribunt, quamvis diverſâ de cauſa. *Homerus* libri noni *Iliados* verſu 559.

> Μήτηρ ἀλκυόνος πολυπενθέος οἶτον ἔχουσα,

Mater luctuoſa alcyonis luctum habens. Euripides, *Iphigenia in Tauris* verſu 1089.

> Ὄρνις, ἃ παρὰ τὰς πετρίνας
> Πόντου δειράδας ἀλκυὼν
> Ἔλεγον οἶτον ἀείδεις.

O avis alcyon, quæ circa maris ſcopulos lamentabili luctu canis. Moſchus *in* Epitaphio Bionis,

> Ἀλκυόνος δ' οὐ τόσσον ἐπ' ἄλγεσιν ἴαχε κήϋξ,

Neque alcyonis doloribus adeò premebatur ceyx, qui eſt mas alcyonis. *Propertius* libro tertio, Elegiâ *De natali amicæ ſuæ*,

> *Alcyonum poſitis requieſcant ora querelis.*

Ovidius Metamorphoſeωs libri undecimi *Fabulâ* decimâ *De Alcyone*,

> *Dumque volat mœſto ſimilem, plenumque querelæ*
> *Ora dedêre ſonum, tenuis crepitantia roſtro.*

Et *Triſtium* libri quinti *Elegiâ* primâ,

> *Eſt aliquid fatale malum per verba levare:*
> *Hoc querulam* Prognen, Alcyonasque *facit.*

Seneca in *Hercule Oeteo*,

> ——— *raptum conjux*
> Ceyca *gemit.* ———

Et in *Agamemnone*,

> ——— *Licet alcyones*
> Ceyca *ſuum fluctu leviter*
> *Plangente ſonent.* ———

Et in *Octavia*,

> — *repete aſſuetos*
> *Jam tibi queſtus, atque æquoreas*
> *Vince alcyonas.* ———

Oppianus libro primo *Halieuticῶn*,

> — στονόεντά τε φῦλα
> Ἀλκυόνων, ———

Gemebundáque ſæcula alcyonum. *Sibyllina* carmina libro ſeptimo de *Sardinia*,

> Ἀλκυόνες δ' ἐπὶ σοὶ οἰκτρὸν γόον ἀΐξουσιν,

Alcyones ſuper te miſerabilem lamentationem excitabunt. Lucianus *in* Alcyone, Θαλαττία τις ὄρνις ἀλκυὼν ὀνομαζομένη, πολύθρηνος, καὶ πολύδακρυς. *Marina quædam avis* alcyon *dicta, valde luctuoſa, & lacrymoſa.* Et paulò poſt, Γοώδη γοῦν ὡς ἀληθῶς τὸν ἦχον ἀφίησι τὸ ζῷον. *Lugubrem profectò ſonum emittit illud animal.* Item, Ὦ ὄρνι θρήνων μελῳδέ. *O avis lamentationum modulatrix.* Cùm igitur alcyon ſit omnium avium maximè lugubris, ſi *Poëtarum* judicio ſtamus, inde collegerunt veteres eam à *Michea* ſignificari, cùm dicit, juxta *Græcos* interpretes, *Luctum edam ut Sirenes*; aut *Hebraicè*, *ut filiæ* jaanæ. Quod tamen non ſufficit, cum cætera non conveniant. Nam marina eſt avis alcyon, quamque adeò dictam eſſe volunt παρὰ τὸ ἐν ἁλὶ κύειν, ex eo, quòd in mari concipit, & parit. Itaque ἁλκυόνα *halcyonem* cum ſpiritu aſpero multi ſcribunt: in quibus *Theocritus* in *Thalyſiis* verſu 57.

> — χ' ἁλκυόνες στορεσεῦντι τὰ κύματα, ——

Et halcyones fluctus ſternent. At *filiæ jaana* in deſertis degunt à mari remotiſſimis, puta circa *Babylonem*, & *Botſram Idumææ*, Jerem. 50, 39. Eſa. 13, 21. & 34, 13. Prætereà crudelis & ἄστοργος eſt *bath jaana*, Thren. 4, 3. At alcyon, *Plutarcho* auctore ubi ſuprà, vincit τῷ φιλοτέκνῳ χελιδόνας, *prolis amore hirundines*; & τῷ φιλάνδρῳ πελειάδας, *amore conjugis columbas* (ità enim legendum, non φιλανθρώπῳ, (ut habent noſtræ editiones.) Itaque cerylos maritos ſuos, ætate graves, αἱ ἀλκυόνες περιάγουσιν ἐπ' αὐτῶν τῶν καλουμένων μεσοπτερυγίων, *interſcapiliis ſuis ſublatos alcyones circumferunt.* Quò pertinent *Alcmanis* verſus apud *Antigonum* Hiſt. 27.

> —— βάλε δὴ, βάλε κηρύλος εἴην,
> Ὅς τ' ἐπὶ κύματος ἄνθος ἅμ' ἀλκυόνεσσι ποτῆται·

Utinam cerylus eſſem (alcyonum mares ſic vocant) *qui maris ſuperficiem ſupervolat cum alcyonibus.* Cætera ibi vide.

Proinde ad alcyonem nonniſi cunctanter referunt Sacri Doctores, quæ in *Græca* verſione legerant de *Sirenibus*, *Chryſoſtomusque*, & *Cyrillus* addunt ab aliis τὴν γλαῦκα, id eſt, *noctuam*, intelligi; idque κατὰ τὴν Ἑβραίων ἔκδοσιν, *juxta* Hebræorum *editionem*: quaſi vox *Hebræa* בת־יענה *bath-jaana*, id ſignificet. A qua ſententia parùm recedunt recentiores, *Pagninus* ſcilicet, *Arias*, *Junius*, & *Tremellius*, *Schindlerus*, *Buxtorfius*, & *Bibliorum* vernaculi interpretes; quibus *bath-jaana* eſt *ulula*, vel *bubo*. Et hanc verſionem vir eruditus noſtro ſæculo multis aſſerit, *Fullerus* ſcilicet *Miſcellaneorum* libri ſexti capite ſeptimo. *Ejuſmodi*, inquit, *alitis genus, quod & θρηνητικὸν ſit, & φιλέρημον, rectè, opinor*, Tremellius ululam *vertit, quam* Græci (*ut &* Latini) *à mœſto velut ululatu* ὀλολυγόνα *appellant. Eodem quoque modo à* ענה, *clamando, ſive reſonando* יענה jaana *nuncupârunt, propter vocem ſcilicet ſonoram, præſertim noctis ſilentio, & ſæpiùs ingeminatam. Niſi malimus* (*quod potiùs credo*) *ululæ quandam ſpeciem eſſe, quam ſtrigem vocârunt. Etenim* ſtrix ὀλολυγὼν *redditur* Græcè *in* Gloſſario *antiquo. Eam verò* ἐρημαίαν, *ſeu ſolitudinis amantem, nominat* Aratus: *ejuſque voces triſtes ac ferales ſemper exiſtimatas fuiſſe conſtat.*

Hæc ille: quæ, utut ſpecioſa, me tamen haudquaquam perſuadent; quia video veteres Sacræ Scripturæ interpretes ferè unanimi conſenſu בת־יענה *ſtruthionem* interpretari. Quod ipſum, quia in quæſtione eſt, probare jam aggredior. Atque ut ab antiquiſſimis ordiar, LXX. Interpretes ut plurimum στρουθὸν reddunt, vel στρουθίον, id eſt, *ſtruthionem*. Ità in hoc ipſo loco, in quo verſamur, *Levit.* 11, 16. τὸν στρουθὸν habent. Et *Job.* 30, 29. ἑταῖρος (γέγονα) στρουθῶν. Et *Eſa.* 34, 13. αὐλὴ στρουθῶν. Et *Eſa.* 43, 20. εὐ-

λογιεῖ με, &c. θυγατέρες ϛρυθῶν. Et *Thren.* 4, 3. ὡς ϛρουθίον ἐν ἐρήμῳ. Dices vocem eſſe ambiguam: quia ϛρυθὸς modo pro *paſſere* ſumitur ex avicularum genere; modò pro *ſtruthione*, vel, quod idem eſt, pro *ſtrutho-camelo*, qui & *Latinè* dicitur *paſſer marinus*, in *Plauto*, *Auſonio*, *Feſto*, & aliis. Et dubitari poſſe utro ſenſu illi interpretes uſurpaverint. Ita eſt: ſed de ſtruthionibus accipiunt veteres propè omnes. *Chryſoſtomus* in *Jobum*, Στρουθοὺς λέγει τοὺς ϛρουθοκαμήλους, ὡς καὶ Σύμμαχος ἐξέδωκεν. Ità etiam *Euſebius*, *Baſilius*, *Hieronymus*, *Theodoretus*, *Procopius* in *Eſaiam*, *Olympiodorus* in *Hieremiam*, & noviſſimè *Suidas* in Σειρῆνας· Στρουθὸν λέγει, ὃν ἡμεῖς ϛρουθοκάμηλον λέγομεν. Neque aliter ſenſerunt *Aquila*, *Symmachus*, *Theodotion*, & *Vulgatus* interpres: quorum hic *ſtruthiones*, illi ϛρουθοκαμήλους conſtanter reddunt. Solus denique è veteribus, quod meminerim, *Novatianus* de *paſſere* accipiens in libro *De cibis Judaicis* capite tertio, *Paſſerem*, inquit, *cum interdicit*, *intemperantiam coarguit*. Et è recentioribus ſolus *Fullerus* eandem ſententiam amplectitur, hoc ſcilicet Canone fretus, quem pronuntiat ut ex tripode: *Nomen* ϛρουθὸς *ſolum, ac per ſe poſitum, nullo ad differentiam deſignandam addito Epitheto*, paſſerem *Latinè ſignificare*. Nempe legerat vir doctus, & in his rebus accuratus ſupra fidem, ſtruthionem ab *Herodoto* appellari ϛρουθὸν κατάγαιον ab *Ariſtophane*, *Xenophonte*, *Athenæo*, & *Stratone* in *Anthologia* μέγαν· ab *Ariſtotele* Λιβυκόν· ab *Heraclide* Ἀράβιον· à *Luciano* χαμαιπέτην· ab *Æliano* χερσαῖον· à *Pauſania* ϛρουθὸν τὸν ἄπτηνον· ab *Herodiano* Μαυρούσιον· ab *Heſychio* ἀγρόν. Itaque perpetuum eſſe putavit quod plerumque fit. Certum tamen eſt, etiam ſine Epitheto ϛρουθοὺς pro *ſtruthione* non rarò ſumi. Quis enim dixerit paſſerum pennas, non ſtruthionum, intelligi à *Theophraſto*, cùm dicit galeas ornari τῶν ϛρουθῶν πτεροῖς, *Hiſtoriæ plantarum* libri quarti capite quinto. Et capite proximè antecedenti, cum in parte *Libyæ*, in qua non pluit, naſci ſcribit πλῆκα, καὶ δορκάδα, καὶ ϛρουθὸν, καὶ ἕτερα τῶν θηρίων, *leporem*, & *capream*, & *ſtruthum* (ut ibi habet interpres ſæpe ineptus) & *feras alias*: quid aliud ibi ſit ϛρουθὸς quàm *ſtruthio*, quem multi feris adſcribunt, quia mediæ naturæ eſt inter aves & feras? Et ϛρουθῶν συνωρίδας ὀκτὼ, quas proceſſiſſe narrat (a) in *Ptolemæi* pompa *Callixenus Rhodius*, non ſtruthionum bigas, ſed paſſerum fuiſſe quis putaverit, quomodo in curru *Veneris*? Et paſſeris pedem innuere doctiſſimum *Scholiaſtem*, qui *Cleocritum* ab *Ariſtophane* in *Avibus* traduci ait ὡς ϛρουθόποδα, τουτέστι μεγαλόπουν. Et de paſſerum pellibus egiſſe aut *Pollucem* eo loco, quo *Arabes* ϛρουθῶν δοραῖς in bello contegi narrat (b) pro ſcutis, & thoracibus: aut *Strabonem*, cùm *Struthophagos* has aves venari ſcribit (c) ταῖς δοραῖς τῶν ϛρουθῶν σκεπασθέντας, ut hâc ſpecie deluſæ eæ accedant incautiùs? Et in *Æthiopicis* animalibus, quæ vidit *Apollonius*, cum à *Philoſtrato* conjunctim nominantur ἔλαφοι, καὶ δορκάδες, καὶ ϛρουθοὶ, καὶ ὄνοι, quis *paſſeres* intelligat ϛρουθῶν nomine: eosque cum *cervis*, *capreis*, & *onagris* inter *Æthiopiæ* feras cenſeri credat? Hæc igitur exempla, niſi fallor, abundè docent *Fulleri* Canoni, de quo ſuprà, nullam fidem eſſe adhibendam, & veriſſimum eſſe, quod dixi, ϛρουθὸν, etiam per ſe ſumptum, tam de *ſtruthione* dici, quàm de *paſſere*. Quod ipſis etiam *Atticis* familiare fuiſſe teſtatur *Heſychius* his verbis, Στρουθὸς, ὁ καταφερὴς, καὶ λάγνος. Ἀττικοὶ δὲ τὰς ϛρουθοκαμήλους. Ut vel *Atticè* loquendo LXX. Interpretes potuerint ſic uſurpare. Si rogaveris, cur non potiùs uſi ſint *ſtrutho-cameli* nomine, vel aliquo ſaltem Epitheto ad devitandam vocis homonymiam, reſponſio erit in promptu. Nam quâ ætate vivebant, nondum erat in uſu *ſtrutho-cameli* nomen, quo neſcio an quiſquam utatur ante *Strabonem*: niſi quod *Diodorus*, paucis annis vetuſtior, illud videtur deſignare, cùm libro tertio narrat quoddam eſſe in *Struthophagis* avis genus, μεμιγμένην ἔχων τὴν φύσιν, τῷ χερσαίῳ ζώῳ, διὸ καὶ τὸ συνθέτου τετύχηκε προσηγορίας, *quæ mixtam habet naturam cum animali terreſtri, ac proinde compoſitum nomen adepta eſt.* Inde eſt, quòd *Galenus*, *Græcis* Interpretibus tot ſæculis junior, *ſtruthio-cameli* nomen, tanquam novum, & veteribus ignotum, abſque præfatione uſurpare vix audet. Ità libri tertii *De alimentis* capite vigeſimo, Τὸ μὲν τῶν χηνῶν ὄνομα, inquit, συνηθές ἐστι καὶ τοῖς παλαιοῖς· τὸ δὲ τῶν ϛρουθοκαμήλων ἀήθες. ὀνομάζουσι γὰρ αὐτὰς μεγάλας ϛρουθούς. *Anſerum quidem nomen etiam veteribus conſuetum eſt; ſed ſtrutho-camelorum inſolens. Eos enim appellant magnos paſſeres.* Et in libro *De prob. & c. alim.* capite ſexto; Ἐν δὲ τοῖς μεγάλοις ϛρουθοῖς, οὓς νῦν ὀνομάζουσι ϛρουθοκαμήλους· *In magnis paſſeribus, quos nunc ſtruthocamelos nominant.* Sed & ϛρουθοὺς ſimpliciter dicere maluerunt, quàm ϛρουθοὺς μεγάλους, aut καταγαίους, &c. cum quia *Hebræum* בת יענה *bath jaana*, nullum habet adjunctum Epithetum, tum quia non erat opus quidquam addere, cum res ipſa per ſe doceat eas aves in *Prophetis* hoc vocabulo deſcribi, quibus præter nudum nomen nihil eſt commune cum paſſeribus: aves, inquam, ſolitarias, & in locis deſertis horridisque commorantes; cum gregatim volent paſſeres, cultaque loca & frugifera libentiùs frequentent.

Neque id *Fullerum* fugit; itaque ne cogatur *ſtruthiones* hîc agnoſcere, aliud comminiſcitur, nempe in *Græca* verſione ϛρουθοὺς eſſe *ululas*, aut verò *ſtriges*. Quod probare conatur duplici argumento, ſed utroque prorſus invalido. Prius tale eſt. In *Suida* ϛρουθίζων exponitur τρίζων *ſtridens*, quod ſtrigum eſt proprium: ergo etiam ϛρουθὸς, unde ϛρουθίζειν, eſt *ſtrix*. Et ſtrigum id eſſe proprium probat ex libro ſexto *Faſtorum*, ubi ſic *Ovidius*;

Eſt illis ſtrigibus nomen: ſed nominis hujus
Cauſa, quòd horrendum ſtridere nocte ſolent.

Ut in Poëmatio *De Philomela*, quiſquis ejus ſit auctor;

Strix nocturna ſonans, & veſpertilio ſtridunt.

Sed fruſtrà id aſſertur, cùm paſſerum quoque ſit τρίζειν. Proinde *Iliad.* β'. verſu 314. draco paſſerculos octo cum matre,

– – – ἐλεεινὰ κατήσθιε τετριγῶτας,

voravit miſerabiliter ſtridentes. Cùm igitur τρίζειν tam ſit paſſerum quàm ſtrigum, cùm *Suidas* ϛρουθίζων exponit τρίζων, tam potuit paſſerum pipitum, quàm ſtrigum ſtridorem reſpicere. Et verò id ſumptum ex *Eſa.* 10, 14. ubi pro *Hebræo* מצפצף, id eſt, *avicularum more garriens* aut *minuriens*, *Græca* verſio habet ϛρουθίζων, quod *Theodoretus* exponit τρίζειν *ſtridere*, & τρύζειν ϛρουθοῖς παραπλησίως *paſſerum inſtar pipire.* Itaque cauſa non fuit, cur hîc *Fullerus ſtrigum ſtridorem* & *ululatum* ſibi fingeret. Sed aliud intentat telum, quod validius videbitur. *Strix* (inquit) *in Gloſſario non ſolùm* ὀλολυγὼν *transfertur*, *id eſt*, ulula, *ſed etiam* ϛρουθὸς. *Ibi enim ità habetur*, Strix, Ὀλολυγὼν, ϛρουθός. *Itaque hæc tria*, ſtrix, ὀλολυγὼν, & ϛρουθὸς *ſunt ſynonyma.* Reſpondeo illum *Gloſſæ* locum palàm eſſe mendoſum. Neque enim unquam fando auditum eſt voce ϛρουθὸς vel *ſtrigem* vel *ululam* ſignificari. Itaque illud ϛρουθὸς loco ſuo motum eſt, & reponendum inferiùs, poſt illa verba, *Struthio*, Στρουθοκάμηλος. Hæc verborum trajectio in *Gloſſis* frequens. Tale in iiſdem, *Facundus*, Εὔγλωττος, γόνιμος· quorum ultimum pertinet ad τὸ *Fæcundus*, vel *Fæcunda*, quæ infrà ſequuntur. Item, *Faſtus*, Ἐπισκοπῶν, ἡμερολόγιον· quorum hoc *faſtos*, non *faſtum* ſignificat. Ergo pertinebat ad vocem *Faſti*, quæ prætermiſſa eſt. Ibidem, *Rigor*, Κρύος, ἀπόσκληρον. Quorum τὸ ἀπόσκληρον referendum ad τὸ *rigidum*, quod ſequitur. Et in *Heſychio*, Ἀλύω, ἀδημονῶ, ἀθυμῶ· Φοίνικες. Abſurdè: neque enim Verbum ἀλύω poteſt eſſe *Phœnicia* vox. Itaque vox Φοίνικες loco ſuo mota eſt, & ad id pertinet, quod ſequitur, Ἄλφα, βοὸς κεφαλή. Quod ipſum

(a) *Athenæus* lib. 5. cap. 7. *Euſtath.* in *Iliad.* β'.

(b) *Pollux* lib. 1. cap. 10. ſect. 7.

(c) *Strab.* lib. 16.

ipſum mendo non vacat. Scribendum enim βὺς, κεφαλὴ, ut alibi monuimus. Poteſt etiam aliter reſtitui *Gloſſarii* locus, in quo verſamur: nempe ſi pro ϛρυθὸς legatur ϛρίγλος, quod *ſtrigis* apud *Græcos* fuiſſe nomen probant hæc *Heſychii*, licet corruptiſſima. Στρίγλος, τὰ ἐσὸς τῦ κέρατος, νυκτίφοιτον. Καλεῖται δὲ καὶ νυκτοβόα, οἱ δὲ νυκτικόρακα. Quæ puto ſic eſſe ſcribenda, Στρίγλος, τὸ ἐν τοῖς τερατείοις νυκτίφοιτον &c. *Inter præſtigioſa quod noctu ambulat: vocatur etiam nycti-boa* (quaſi noctu boans) *& à nonnullis nycti-corax.*

Hæc de *Græcis* Interpretibus vocis *bath-jaana.* Jam ad *Chaldæos*, *Syros*, atque *Arabes* me confero, qui omnes idem ſequuntur. Nam *Chaldæi* tres, *Onkelos*, *Jonathan*, & *Hieroſolymitanus* hic habent נעמא *naama*, vel נעמיתא *naamitha.* *Syrus* etiam ܢܥܡܐ *naama.* Et *Arabes*, tam editi, quàm manu-ſcripti نعام *naâm*, vel نعامة *naâma.* Quibus vocibus *ſtruthionem* ſignificari tam certum eſt, quàm quod eſt certiſſimum. Quod uno conſenſu me docent *Arabum Lexicographi, Hiſtorici, Geographi, Medici, Philoſophi.* Sed *Damir* inprimis, & *Alkazuinius*, qui in Capitibus *De naâm*, vel *naâma*, ſtruthionem deſcribunt multò accuratiùs, quàm *Græci*, & *Romani* ſcriptores. Et *Abenbitar*, qui in *naâma*, deſcribit ad verbum quæ de ſtruthione habet *Galenus* libro tertio *De alimentis.* Quin rationem nominis iidem aperiunt. Struthioni & camelo multa ſunt communia. Proinde pes utriusque dicitur خف *choph*, & منسم *menſim*: & utriusque fœmina قلوص *kalus.* Sic vicina ſunt نعام *naâm*, & نعم *naam*: quorum illud *ſtruthionem*, hoc *camelum* ſignificat. Unde eſt, quod ظربان *dorban*, id eſt, ea muſtelæ ſpecies, quam à fœtore barbari ſcriptores *putorium* vocant, ab *Arabibus* dicitur eſſe مفرق النعم *diſſipator τῦ naam*; quia camelorum turmas fœtore ſuo diſpergit, atque diſſipat. Et in Plurali انعام *anâm* ſunt *cameli.* Ut in his *Mahumetani* Theologi in *Alcoranus* الله جعل لكم الانعام لتركبوا *Deus vobis fecit Alanâma* (camelos) *quibus veheremini.* Itaque etiam *ſtruthio* vocatur نعام *naâm*; quia eſt camelo ſimilis. Tale eſt, quod obſervat *Algiahid ſtruthionem* à *Perſis* appellari استرموك *iſtarmuch*, quaſi *cameli avem* dicas, quia videtur ex utroque conflatum eſſe animal. Hinc *Alkazuinius*, نعامة حيوان مركب من خلقة الطير والجمل اخذ من البعير العنق والمنسم ومن الطير المنقار والجناح والريش *Struthio eſt animal ex cameli & avis natura compoſitum: ex camelo enim collum & pedes ſumpſit; ex ave roſtrum, alas, & plumas.* Ergò ut *Græcè*, & *Latinè*, ita *Perſicè*, *Chaldaicè*, *Syriacè*, & *Arabicè* huic avi nomen fecit ἡ μεμιγμένη φύσις τῦ χερσαίου ζώου. Et cum recentiores *Chaldaicæ* Linguæ *Lexicographi* נעמא *naama*, vel נעמיתא *naamitha*, *ululam*, aut *bubonem* interpretantur, gravi errore ſe obſtringunt, in quem nunquam incidiſſent, ſi vel minimam habuiſſent *Arabicæ* linguæ notitiam. Quamvis eo usque devenire neceſſe non habuerint. Quippe etiam ex *Talmude* patet נעמית *naamith* eſſe *ſtruthionem.* Sic cum in Tractatu *Kelim*, ſive *De Vaſis* cap. 17. §. 14. in vaſorum cenſu ponitur ביצת נעמית המצופה, *Ovum* naamith *obductum* (*auro* ſcilicet, vel *argento.*) Certum eſt *ovum naamith* eſſe *ſtruthionis* ovum, ex quo vaſa fieri res notiſſima. *Plinius* libri decimi capite primo, *Ova* (ſtruthionum) *propter amplitudinem pro quibusdam habita vaſis.* Et de iisdem *Lucianus* in *Dipſadibus*, Σκέπην χρῶνται κενώσαντες, καὶ ἐκπώματα ποιοῦνται ἐπ᾽ αὐτῶν· *Iis evacuatis pro vaſis utuntur, & ex iis pocula fiunt.* Rurſus in Tractatu *De Sabbatho* cap. 18. fol. 128. a. מטלטלין שברי זכוכית מפני שמאכל לנעמיות, *Circumferunt* (licitè die Sabbathi) *fragmenta vitri; quia ſunt pro cibo ſtruthionibus.* Ita omnino vertenda vox לנעמיות, non *ululis*, aut *bubonibus*, quos domi alere nemo ſatagit: ut carnivoras aves eſſe taceam, cum ſtruthio quodcunque offertur, ferrum, oſſa, lintea, vitrum, lapides ſine delectu deglutiat. Quod ex *Plinio*, *Æliano*, *Damire*, *Alkazuinio*, *Leone Africano*, *Marmolio*, & aliis probare ſit facillimum.

Jam de *Hebræis* aliquid addam, quorum doctiſſimis יענה *jaana*, eſt *ſtruthio.* Ita ſumi clarum eſt à *Maimonide* in Tractatu *De cibis vetitis*, initio capitis tertii. Et à *Talmudis* Gloſſatoribus, qui נעמיות *naamijoth*, id eſt, *ſtruthiones*, explicant per בנות יענה. Ità etiam exponunt *Abraham Periſol*, & *Chazkuni* in *Leviticum.* Et *David de Pomis* in *Lexico* apertiſſimè, tanquam ex *Aben Ezra*, יענה לפי אבן עזרא איוב לט הוא עוף אשר ישים ביצתיו בארץ ונקרא סטרוצו בלעז *Jaana ſecundùm* R. Abraham Aben Ezra *in* Job 39. *avis eſt, quæ ponit ova ſua in terra, & vulgari linguâ vocatur* ſtruzzo, id eſt, *Italicè.* Et *Porta cœli* fol. 22. d.

ומן אחד מן בה שהוא אמצעי בין חיה ועוף הוא בת יענה שאינו מעופף ואינו הולכת אך יש לה חודים תחת כנפיה תוקעתם אותה והיא מלנת ומאכלה הברזל ואומרים עליה כי בראיה תאסף ביצה וכתב אבן רשד כי בהלעיטה את הזהב הוא נתך בגופה מחממה יותר מן האש בסגולה שלהם

Una eſt animalis ſpecies inter quadrupedes & aves media, nimirum bath-jaana, *quæ neque volat, neque graditur, ſed habet acumina ſub alis, quibus pungitur, & ſalit. Etiam ferro veſcitur, & ova viſu excludere dicitur.* *Scribit* Averroës *eam aurum deglutitum in corpore calore ſuo liquefacere meliùs quàm ignem, idque vi quâdam inſitâ.* Quod ultimum idem repetens fol. 23 b. pro *filiabus jaana* habet הנעמיות. Itaque illi בת יענה *filia jaana*, & נעמית *naamith*, ſunt ſynonyma: & utrumque *ſtruthionem* ſonat. Neque *Hebræorum* ullus occurrit, qui aliter interpretetur. *Kimchius* enim, & alii, qui יענה *jaana*, volunt avem eſſe *ſphinx*, tamen *ſtruthionem* eſſe non negant.

Eodem facit, quod *Judæis* ſemper id perſuaſum fuit ſtruthionis eſum Lege Dei ſibi fuiſſe prohibitum, quod *Græca*, & *Chaldaica* Legis verſiones abundè docent, & *Judæorum* perpetua praxis. Itaque cum in *Lampridio* narratur *Heliogabalus* ſtruthiones & camelos in cœnis exhibuiſſe aliquoties, *dicens præceptum* Judæis, *ut ederent*, in poſtremis verbis latet omnino inſigne aliquod mendum, cum ea ſint oppido falſa. Ubi enim *Judæis* præcepit Deus, ut vel camelos, vel ſtruthiones ederent? Quin utrumque diſertè prohibet. Et de camelo res certa. De ſtruthione etiam apud veteres *Judæos*, quorum nè unus quidem per בת יענה *bath jaana*, aliud quidquam intellexit, quàm *ſtruthionem.* Itaque nihil agunt, qui, pro *ſtruthiones & camelos*, ex *Palatino* codice, junctis vocibus, *ſtruthio-camelos*,

camelos, id eſt, ſtruthiones legunt. Neque enim minus expreſſa eſt ſtruthionum quàm camelorum prohibitio. Demus tamen ſtruthiones in Lege non prohiberi, an ſequetur fuiſſe præceptum *Judæis*, ut ederent? Quis neſcit quantum hæc differant, aliquid concedere tanquam liberum, & idem præcipere tanquam neceſſarium? Illa certè tantum differunt, quantum differunt libertas ad utrumque ἀδιάφορος, & neceſsitas ad unum determinata. Verum ut hoc quoque concedamus, ſtruthionum eſum non conceſſum modo, ſed & præceptum fuiſſe *Judæis*, quæ duo ſunt falſiſſima, quid hoc ad *Heliogabalum*? An hominem ethnicum, impium, & prorſus atheum credibile eſt id in animo habuiſſe, ut *Judaicis* Legibus obſequeretur, & ad illarum præſcripta mores ſuos componeret? Hæc cum ſint abſurda prorſus, videant eruditiores, an *Lampridii* verba ſic legi queant; *Struthiones, & camelos exhibuit in cœnis aliquoties, eſſe dicens præceptum ſui Dei, ut ederent.* Camelos & ſtruthiones amicis cum apponebat, quia delicatulis illis tam viles carnes parum ſapiebant, fingebat Dei ſui præceptum eſſe, ut eas ederent, id eſt, ad religionem, & cultum Dei ſui id pertinere, *Heliogabali* ſcilicet, cujus erat Sacerdos. Idem *Lampridius* ſuprà, *Fuit autem* Heliogabali, *vel* Jovis, *vel* Solis *Sacerdos.* Et paulò pòſt, *Primo dictus eſt* Varius, *poſt* Heliogabalus *à ſacerdotio Dei* Heliogabali, *cui templum* Romæ *in eo loco conſtituit, in quo priùs ædes* Horci *fuit, quem è* Syria *ſecum advexit.* Item, Heliogabalum *in* Palatino *monte juxta ædes Imperatorias conſecravit, eique templum fecit, ſtudens & Matris typum, & Veſtæ ignem, &* Palladium, *& ancilia, & omnia* Romanis *veneranda in illud transferre templum, & id agens, ne quis* Romæ *Deus, niſi* Heliogabalus, *coleretur. Dicebat præterea* Judæorum *&* Samaritanorum *religiones, &* Chriſtianam *devotionem illuc transferendam, ut omnium culturarum ſecretum* Heliogabali *ſacerdotium teneret.* Et infrà, *Signum, quod* Palladium *eſſe credebat, abſtulit, & auro fictum in SUI DEI templo locavit.* Et rurſus, *Ablatumque ſanctum nomen in penetrale DEI SUI tranſtulit.* Item, *Omnes ſane Deos SUI DEI miniſtros eſſe ajebat.* Ità hic, *Eſſe dicens præceptum DEI SUI, ut ederent.* Ex vocibus *Dei ſui*, vel *ſui Dei*, κατ' ἀναγραμματισμὸν *Judæis* feciſſe videtur ſcribarum imperitia. Et poſt *aliquoties* vox *eſſe* prætermiſſa propter τὸ ὁμοιοτέλευτον. Utùt ſit, cùm in eandem verſionem vocis יענה *jaana*, conveniant *Græci, Latini, Chaldæi, Syri, Arabes*, atque *Hebræi* interpretes, ab his omnibus non video tutò poſſe recedi, niſi magnæ cauſæ ſubſint, quales hic nullas video. Quidni enim בת יענה *filia jaana* putetur eſſe *ſtruthio*? Excutiantur Scripturæ loca, quibus de ea fit mentio: quid in iis reperietur, quod ſtruthioni non conveniat?

Eſum יענה *jaana*, *Moſes* prohibet, ut immundum. Id ſtruthioni bellè convenit, quæ humi nidificat, & ſola avium nunquam è terra attollitur, & quodcunque ſe offert ſine delectu vorat: ut carnem, & ova taceam craſsiſſimi eſſe alimenti, & difficulter digeri. Ab illius quidem eſu non abhorrent *Afri*, & *Arabes*. Et in *Æthiopia Struthophagos* ſtruthiones habuiſſe in deliciis, atque indè nomen eſſe conſequutos teſtantur *Agatharchides, Diodorus*, & *Strabo*. In *Luciani Dipſadibus* illorum ovis veſcuntur *Garamantes*. In *Heraclidis Cumæi Perſicis* inter cæteras dapes Regi *Perſarum* apponuntur ϛρουθοὶ οἱ Ἀράβιοι *ſtruthiones Arabici*, ut obſervat *Athenæus* libri quarti capite nono. Apud *Ælianum* (*Hiſt.* lib. 14. cap. 13.) Regi *Indorum* ἐπαίκλα, id eſt, *bellaria* ſunt κύκνων τε ὠὰ, καὶ τὰ τῶν χηναλώπων, ϛρουθῶν, καὶ χηνῶν, *olorum, ſtruthionum, & anſerum ova*: Quin è *Romanis* Principibus *Heliogabalus* & *Firmus* ſtruthiones ſibi apponi juſſerunt. De illo enim *Lampridius* jam modo, *Struthiones, & camelos exhibuit in cœnis aliquoties.* Item, *Sexcentorum ſtruthionum capita una cœnâ multis menſis exhibuit, ad edenda cerebella.* Et infrà, *Habuit etiam iſtam conſuetudinem, ut cœnas ſibi exhiberet tales, unâ die nonniſi de phaſianis tantùm ederet, omneſque miſſus ſolâ phaſianorum carne strueret: item aliâ die de pullis, aliâ de piſce illo, & item illo, aliâ de porcis, aliâ de ſtruthionibus.* Et de *Firmo* Vopiſcus, *Carne multâ veſcebatur: ſtruthionem ad diem comediſſe fertur.* Sed uterque in *Syria* huic cibo aſſueverat. *Heliogabalus* enim *Emeſæ*, *Firmus Seleuciæ* natus eſt. Et Medici, quorum eſt de alimentorum εὐχυμίᾳ, vel κακοχυμίᾳ ſtatuere, ſtruthionum eſum parum probant: quod hæc loca planum facient. *Galenus* capite ſexto *De ciborum bonis & pravis ſuccis*, Ἐν δὲ τοῖς μεγάλοις ϛρουθοῖς ἅπαντα τὰ μόρια σκληρά, καὶ δύσπεπτα, καὶ περιττωματικά· *In ſtruthionibus omnes partes ſunt duræ, concoctu difficiles, & excrementitiæ.* Et libri tertii capite vigeſimo *De alimentorum facultatibus*, ubi de ſtruthionibus, & anſeribus; Περιττωματικὴ τοίνυν ἡ σὰρξ αὐτῶν ἐστι, καὶ πολὺ δυσπεπτοτέρα τῆς τῶν προειρημένων πτηνῶν ζώων· *Ipſorum igitur caro eſt excrementitia, multoque ad coquendum difficilior, quàm prædictarum avium.* Et *De ovis* capite vigeſimo ſecundo, Ἀμείνω τά τε ἀλεκτορίδων ἐστὶ, καὶ τὰ τῶν φασιανῶν· φαυλότερα δὲ τὰ τῶν χηνῶν τε, καὶ ϛρουθοκαμήλων *Optima ſunt gallinarum, & phaſianorum; peſſima anſerum, & ſtruthionum.* Quæ ex *Galeno* deſcripſit *Ætius Tetrabibli* lib. 1. Serm. 2. cap. 131, & 134. Et *Symeon Sethi*, ut anſerinæ carnis eſum maximè damnet, dicit ἐν τῇ αὐτῇ τάξει τιθέναι ταύτην τοὺς παλαιοὺς τῇ τῶν ϛρουθοκαμήλων σαρκὶ, *veteres eam in eodem ordine poſuiſſe, quo ſtruthionum carnem.* Sed ex *Razis* judicio anſerina longè præſtat, & ſtruthionum carnis κακοχυμίαν corrigit. Verba ſunt, لحوم النعام غليظة جدا فينبغي ان يصلح باصلاح لحم البط *Carnes ſtruthionum ſunt valde craſſæ, & corrigi oportet his junctâ carne anſerinâ.* *Avicenna* etiam de ſtruthione, لحمه غليظ لا ينهضم *Caro ejus craſſa eſt, nec digeritur.* Et *Leo Africanus* libro ſexto capite *Dara.* ſtruthionis carnem durisſimam, & fœtidisſimam eſſe aſſerit, & viſcoſam etiam circa femora. Et *Aben-Ezra* in *Exod.* 23. *v.* 29. anxiè quærens, quorſum in Lege prohibeatur non in genere יענה *jaana*, id eſt, *ſtruthio*; ſed בת יענה *bath-jaana*, *filia ſtruthionis*, ut quidem interpretatur, propoſitæ quæſtioni ità reſpondet: דע כי בשר היענה יבש כעץ ואין המנהג שיאכלנו אדם כי אין בו ליחה ולא יאכל מכל המין רק הבת כי היא נקבה וקטנה יש בה מעט ליחה ולא כן הזכר הקטן *Scio carnem ſtruthionis aridam eſſe ut lignum, ità ut non ſoleat eſſe pro cibo, quia in ea nullus eſt humor. Itaque de tota ſpecie nihil comeditur præter filiam, quæ cùm fœmina ſit, quamdiu parva eſt, humoris nonnihil habet: at mas non item, etiam cum parvus eſt.* Non poſſum non addere *Scaligeri* conjecturam in *Auſonii* verſum,

Ovum tu coque paſſeris marini,

Epiſtolâ undecimâ ad *Paulum*. *Videtur*, inquit, *famem indicere* Paulo *manenti in fundo ſuo* Crebenno, *cùm præcipit illi, ut coquat ovum paſſeris marini, hoc eſt, ſtruthio-cameli. Nam quæ ſuavitas in ovo ſtruthio-cameli, eoque vetuſto? Itaque ſalsè illum dicit in* Crebenno *villa eſurire, in qua nihil niſi ovum ſtruthio-cameli habebat.*

Ut ad alia tranſeamus in *Eſaia*, & *Jeremia*, יענה *jaana*, deſcribitur ut avis φιλέρημος, quæque verſari ſoleat in locis aridis, & inaquoſis. Id ſtruthionis ingenium planè exprimit, quem *Theophraſtus* ubi ſuprà naſci potisſimum aſſerit (d) ἐν τῇ μὴ ὑομένῃ τῆς Λιβύης, *in inaquoſa parte* Libyæ: eâ nempe, de qua *Poeta*,

Hinc deſerta ſiti regio. ———

Ad quæ verba *Servius*; *Id eſt, inhabitabilis. Dicit autem* Xero-libyen, *id eſt, partem* Africæ *aridam, quæ eſt inter* Tripolim *&* Pentapolim. Rectè omnino:

(d) *Hiſt. Plant.* lib. 4. cap. 4.

nam circa hæc loca erant *Garamantes*, quos *Lucianus* in *Dipſadibus* venari ait onagros, ſtruthiones ſimias, & elephantes. Ταῦτα γὰρ μόνα, inquit, διαρκεῖ πρὸς τὸ δίψος. *Sola enim hæc animantia ſitim perferunt.* Quod de ſtruthione verum inprimis. *Arabes* enim, quibus hæc avis eſt notiſſima, eam unquam bibere negant. *Damir*, قال ابن خالوية في كتاب ليس في الدنيا حيوان لا يسمع الا النعام ولا يشرب الما ابدا الا النعام والضب ايضا لا يشرب الما ولكنه يسمع *Dixit* Ibno Chaluia *in libro* Laiſa (quaſi dicat in libro NON EST, agit enim ille liber de rebus, quæ in aliquo, aut alicubi non ſunt) *Animal* (perfectum) *nullum eſt, quod non audiat, & aquam nunquam bibat, præter ſolum ſtruthionem: nam ſi crocodilus terreſtris etiam à potu abſtinet, tamen audit.* Cùm igitur ſtruthio non egeat potu, & quidvis voret, in locis inaquoſis & ſterilibus facilè degit. Nec immeritò *Hieronymus* in *Eſaiam* animal eſſe ait *ſemper ſolitudinis appetens, & deſerto familiare.* Et *Baſilius*, Φιλέρημον γὰρ τὸ ζῶον, καὶ ταῖς ἀγονωτάταις ψάμμοις ὡς τὰ πολλὰ ἐμφωλεῦον· τὴν οὖν ὑπερβολὴν τῆς ἐρημίας ὁ λόγος διὰ τῆς τῶν στρουθοκαμήλων σκηνώσεως παραδίδωσι· *Solitarium eſt animal, & in maximè ſterilibus arenis plerumque delitescens: proinde per ſtruthionum habitationem deſerti vaſtitatem Scriptura ſignificat.*

Etiam ad ſtruthionum mores pertinent hæc *Jeremiæ* Thren. 4. v. 3. *Cete mammam educunt, ut lactent catulos ſuos: ſed filia populi mei crudelis eſt,* כיענים במדבר, *ut ſtruthiones in deſerto.* Agitur de *Iſraelitis*, quos *Babylonica* captivitas ad tantam inopiam redegerat, ut liberis ſuis non poſſent ullo modo proſpicere. Proinde addit ſequenti verſu, *Adhæret lingua lactentis palato ipſius præ ſiti: & parvulis panem petentibus nemo eſt qui diſtribuat.* Quomodo dixerat capitis ſecundi verſu nono *pueros fame perire in omnibus triviis.* Nempe, ut *R. Selomo* rectè hic habet, חייהם קודמים להם לחיי בניהם מחמת הרעב, *In extrema fame liberorum ſuorum vitæ propriam vitam præferebant.* Quam parentum duritiem *Propheta* ut exaggeret, utitur duplici ſimilitudine: quarum una à cetis ducitur, quæ, utùt immania, tamen catulos ſuos lactant, altera à ſtruthione, quæ ideò tam malè audit, quod prolem ſuam negligat, ut dicitur *Job.* 39. *v.* 17. *Duram ſe exhibet erga pullos ſuos, ac ſi non eſſent ſui.* Quod uberiùs ediſſeremus in explicatione illius loci. Hactenus igitur omnia quadrant. Et quidquid de filiabus יענה jaana, *Prophetæ* ſcribunt, ſtruthionibus apprimè convenit.

Sed quo minùs huic verſioni plenè aſſentiamur, unum videtur obſtare à *Fullero* non prætermiſſum: quòd nimirum funeſtas & lugubres ſtruthio-cameli querelas nemo veterum *Græcorum* obſervavit. *Quod tamen* (inquit) *de* בת יענה bath jaana, *non ſolum traditum legimus in ſacris literis, ſed illuſtribus verbis celebratum.* *Nempè* Mich. 1. *v.* 8. « *Faciam planctum ut dracones, & luctum ut filiæ* jaana. *Et* Job. 30. *v.* 28. 29. « *Surrexi in congregatione, & clamavi.* « *Frater fui draconum, & ſocius filiorum* jaana. *Ideſt, etiam in medio cœtu hominum non potui me continere, quin tam contentâ voce ejularem, quam dracones, & filiæ* jaana: *quorum illis à luctu, his à clamore nomen.* Reſpondeo *Græcos* ſcriptores, quantumvis diligenter de rerum natura ſcripſerint, tamen multa fugiſſe etiam in illis animalibus, quæ in *Græcia* naſcuntur. Quid mirum, ſi idem accidat in ignotis, & peregrinis? Certè ſi quidquam valet hoc argumentum, ex eo ſequetur etiam, ſtruthionem eſſe planè ἄφωνον, quia de illius voce *Græci* nihil quidquam ſcripſerunt. Vocalem tamen eſſe cùm ipſa ratio nos docet, tum *Arabum* monumenta, quibus avis *Arabica* notior eſſe debet, quàm *Græcis*. In libro *Arabico*, cui titulus الكفاية quaſi *ſufficientiam* dicas: يقال عار الظليم اذا صاح والزمار صياح الانثي *Dicitur* arra *de ſtruthione mare cùm clamat, &* zimar *eſt vox fœminæ.* Hinc *Alcamus*, عار الظليم صاح Arra *ſtruthio mas, ideſt, clamavit.* Et clamor ipſe عرار *irar* dicitur: ſed زمرت النعام zamarath, *ideſt, clamavit ſtruthio fœmina.* Et alibi in eodem *Alcamus*, رغا او رغبي البعير والضبع والنعام صوت فضبح Ragha, *aut* raghia *de camelo, hyænâ, & ſtruthione, clamavit, ejulavit.* Et rurſus, رغا الصبي بكا اشد البكا Ragha *de puero, ideſt, acriter flevit.* Sed & نقع neke *vox ſtruthionis, &* نقنق naknaka, *ſtruthio fœmina glocitavit cùm ova poſuit, vel in fuga, & metu.* Unde ipſa vocatur نقنقة niknika, & mas نقنق niknik. Hæc omnia reperire eſt in *Arabum Lexicis.* Quæ nè ſolâ illorum fide nitiputes, en tibi verba *Johannis de Laet* in *America* deſcriptione libri decimi quinti capite ſeptimo: *In* Braſiliæ Mediterraneis *multæ ſtruthiones reperiuntur, quas barbari ſuâ linguâ nominant* janducocu, *&c. Proceræ ſunt, & tam altum clamant, ut ad dimidiam leucam audiantur.* Quin acrem & aſperum eſſe ſtruthionum clamorem, maximè circa auroram, ab iis non ſemel audivi, qui illas circumducunt.

Fullerus aliud objicit, nihil fuiſſe cauſæ, cur ſtruthionis eſus in Lege prohiberetur, cùm aut omnino incognita *Judæis*, aut ſaltem rara admodum apud eos fuerit avis, ut quam *Plinius* alitem *Africanam* vel *Æthiopicam* dicat, à *Judæa* quam longiſſimè remotam. Sed inane eſt hoc telum. Nam vel ſi ſtruthionem in *Æthiopia* ſola naſci concederemus, non ideò ſequeretur *Judæis* ignotam fuiſſe, præſertim ætate *Moſis*, quâ diu detenti fuerant in *Ægypto* conterminâ. Nam in ea parte *Æthiopiæ*, quæ proxima eſt *Ægypto*, *Apollonius* ſtruthiones reperiſſe legitur in *Philoſtrato*. Verum enim verò quis neſcit etiam in *Arabia*, quæ *Judææ* & *Syriæ* contigua eſt, magnam ſtruthionum eſſe copiam? Ità docet diſertis verbis *Diodorus* libro ſecundo in *Arabiæ* deſcriptione, Θηρίων τε πλῆθος ἀλκίμων ἡ προσορίζουσα τῇ Συρίᾳ τρέφει. *Ferarum robore præſtantium copiam alit Arabiæ pars, quæ* Syriam *attingit.* In quo cenſu poſtquam poſuit leones, pardos, & tigres: Φέρει δ', inquit, καὶ ζῷα διφυῆ, καὶ μεμιγμένα ταῖς ἰδέαις, ὧν αἱ μὲν ὀνομαζόμεναι στρουθοκάμηλοι περιειλήφασι τοῖς τύποις μίγματα χηνῶν, καὶ καμήλων· *Fert etiam animalia naturæ ancipitis, & biformia, quorum quæ ſtruthio-cameli vocantur, anſerum, & camelorum ſpeciem habent permixtam.* Hinc *Xenophonti*, *Arabiam* cum *Cyro* peragranti, prope *Euphratem* occurrerunt ἐν ἄλλαι στρουθοὶ αἱ μεγάλαι, *ſtruthiones non pauci*, ut ipſe narrat libro primo *Anabaſeως*. Et apud *Heraclidem* στρουθοὶ οἱ Ἀράβιοι *ſtruthiones Arabici* cenſentur in iis avibus, quæ Regi *Perſarum* apponebantur, quod jam ſuprà (*d*) obſervatum eſt. Sed (d) Pag. 223. lin. 61.
& ex *Polluce* didicimus, *Arabes* loco thoracum & clypeorum ſtruthionum pelles habuiſſe. Proindè in libro *Notitiarum* in *Arabiæ* inſignibus eſt ſtruthio.

Ergo

Ergo ſi ſtruthiones *Æthiopicas Judæis* innotuiſſe negat *Fullerus*, ſaltem agnoſcat *Arabicas* eos latere non potuiſſe. Inprimis id abſurdum eſt, quod יענה *jaana*, *Fullerus* vult eſſe *ſtrigem*, animal ſcilicet *Judæis* ſtruthione multò notius, imò fabuloſum planè, ut vel ex *Plinio* conſtat libri undecimi capite trigeſimo nono. Unde eſt, quod *Heſychius*, ut à nobis emendatus eſt, illud ponit ἐν τοῖς τερατείοις, in prodigioſis animalibus, qualis Chimæra, Centauri, *&c.*

Supereſt, ut paucis dicamus, quorſum pro tota ſpecie Lex ſolum prohibeat eſum filiæ יענה *jaana*, ſeu *ſtruthionis*; quod *Hebræos* non parum torquet. Et apud *Aben Ezram* in hunc locum quidam reſpondent, שהוא מין שלא ימצאו זכרים כמו הארנבת, *ſpeciem eſſe animalis, quod nullos habet mares, ut neque lepus.* Et fruſtrà objici, quod *Thren.* 4. v. 3. יענים *jeenim*, formam habet Maſculinam, cum ejuſdem formæ ſint יעלים *jeelim*, *ibices*, רחלים *rechelim*, *oves*: quæ tamen ſunt Fœminina. Ipſe in *Exod.* 23. v. 29. ſuprà reſpondit ideò in tota ſtruthionum ſpecie ſolam vetari filiam, id eſt, pullorum ſolas fœminas; quia id ſolum edule eſt, cùm matres edi non poſſint, neque etiam pulli mares, atque adulti multo minùs. *Rabbi Moſes Maimonis* filius in libro *De cibis vetitis*, capitis tertii ſtatim initio, per *filiam ſtruthionis* intelligit ovum ejus. *Quidquid*, inquit, *producitur ab animalis ſpecie vetita, ipſum etiam eſt vetitum, putà lac jumenti, aut feræ immundæ,* וביצי עוף ודג הטמאים שנ׳ ואת בת היענה זו ביצתה והוא הדין לכל האסור מיענה ולכל הדברים הדומים לביצה, *Et ova immunda avis, aut piſcis, juxta id, quod dicitur* (in Lege) " *Et filiam jaana* (ſeu ſtruthionis, non comedetis) *id eſt, ovum ejus: quæ eadem eſt Lex de omni animali, quod inſtar ſtruthionis prohibetur, & de omni re, quæ eſt inſtar ovi.* Hæc *Hebræi*, ſed perabſurde. Primò enim falſiſſimum eſt, quod nonnulli aſſerunt, vel ſtruthiones, vel lepores, vel ullum aliud animalis genus ſolas habere fœminas, & contra diſerta Scripturæ verba, *Gen.* 7. *v.* 2. 3. 19. Neque verius quod vult *Aben Ezra*, ſolam ſtruthionis fœminam edulem eſſe, eamque nondum adultam. Neque enim id omiſiſſent *Geographi*, & *Hiſtorici*, quibus tam multæ occaſiones ſeſe offerunt de hoc argumento tractandi. Sed neque Medici potuiſſent id intactum ſine piaculo prætcrire, cum de ciborum delectu ſcribunt, & quo loco ſtruthiones ſint habendi. *Firmum* ut probet *Vopiſcus* magnum fuiſſe helluonem, & carnis inprimis plurimum deglutiiſſe, eum refert *ſtruthionem ad diem comediſſe.* Sed ab homine ſtaturæ ingentis, ità ut eum plerique *Cyclopem* vocarent, & ad bibendum provocatus ſitulas duas mero plenas exhauſerit, à tali, inquam, homine mirum non eſſet ſtruthionem uno die fuiſſe comeſum, ſi pullus intelligeretur ex ovo non ità pridem excluſus. *Maimonides* quoque præter morem ſuum nugatur, cùm per *filiam ſtruthionis* ovum vult intelligi. Nam ut pullus vocetur *filius* poteſt ferri, & recepta eſt Catachreſis, cum de onagro ſcribat *Columella* libri ſeptimi capite trigeſimo ſexto, *Ejuſmodi admiſſarius nepotibus magis quam filiis utilior eſt.* Et vulgatum ſit Adagium in *Juvenale*, & aliis,

——— *gallinæ filius albæ.* At ovum *gallinæ filiam* appellari nunquam auditum. Et ſi ovum vocetur *filius*, pullus ex eo ovo natus non jam gallinæ filius, ſed nepos erit dicendus. Et in his *Prophetarum* verbis, *Ibi habitabunt filiæ ſtruthionis. Ibi erit paſcuum filiarum ſtruthionis. Me glorificabunt filiæ ſtruthionis, inquit Dominus. Luctum edam ut filiæ ſtruthionis, ſocius fui filiarum ſtruthionis,* &c. per *filias ſtruthionis* intelligentur ova. Quaſi ova habitent, aut paſcantur, aut luctum edant, aut ſocios habeant, *&c.* quæ ſunt ineptiſſima. Denique ſi בת יענה *bath jaana*, non ſit ipſum animal, ſed ſolùm ovum, Deus ſolum ovi eſum, non etiam ipſum animal *Judæis* prohibuerit. Quod nè ipſi quidem conceſſerint.

Miſſis igitur his nugis, obſervo *filii* & *filiæ* nomen avium nominibus *Chaldæos* interdum præfigere ſine ullo reſpectu ad ætatem: Sic *Levit.* 9. v. 13. בר גזא *bar geza*, ſeu *filius geza*, eſt gryphus, in *Jonathane*, & *Jeroſolymitano* interprete בר גזא *bar geza*, id eſt, *filius roboris.* Nam gryphus alibi עזא vocatur *à robore*, & literam *Ajin*, vel *Gain*, in *Gimel* ſæpe mutari alibi probavimus, Et *Deut.* 14. *v.* 13. בת כנפא *filia alæ* in *Onkelo* eſt *vultur.* בר חוריא *bar churja*, *filium albedinis* vocari à *Talmudicis album accipitrem* probamus hujus libri extremo capite. Et in *Talmudico* Tractatu *Bechoroth* cap. 9. fol. 57. b. בר יוכני *bar jucne*, ſeu *filius jucne*, eſt avis fabuloſa portentoſæ magnitudinis, (ut رخ *ruch Arabum*) quæ ſic dicitur *à celſo nido.* Nempè *Chaldæis* יוכני *jucne*, idem eſt, quod *Arabibus* وكنة *vvacna*, quomodo vocant nidum non quemvis, ſed *nidum in monte*, aut *rupe.* Proinde ibi legitur, ונפלה ביצת בר יוכני, *Et cecidit ovum filii jucne*; nempe ex montis aut rupis vertice. Jam ſi quis doceri velit, quantas ediderit ruinas illius ovi caſus, legat, quæ ſtatim ſequuntur, וטבעה ששים כרכים ושברה שלש מאות ארזים. *Et demerſit ſexcentos pagos, & fregit trecentas cedros.* Nec de nihilo tantam avem creavit Deus. Servatur enim, ſi *Eliæ* credimus (non *Thisbitæ*, ſed auctori ✠ THISBI) לעשות ממנו סעודה לצדיקים עם הלויתן ושור הבר, *ad epulas juſtis exſtruendas tam ex illa ave, quam ex Leviathane, & bove fero.* Sed hæc obiter.

Et eſt idem loquendi modus in uſu apud *Arabes*, qui anatem appellant ابن الما *filium aquæ*: & corvum ابن داية *filium cerviciis*; quia jumentorum cervicibus, quas jugum aut onera attriverunt, atque exulcerârunt, libenter incumbit, ut mortuam carnem prærodat. Et thoëm ابن اوي *filium avvi*, ſive *latratus*, quia in *Syria*, & *Cilicia* illius latratibus agri noctu perſonant. Et muſtelam fagineam (Gallis *fovine*) ابن مغرض *filium roſionis*: & vulgarem ابن عرس *filium nuptiarum*, à cultu, & comptis pilis; ut *Italice* vocatur *donnola*, quaſi *dominula*, & *Gallicè bellette*, quaſi dicas *bellulam*, & *Græcâ* linguâ vulgari νυμφίτζα, vel νυφίτζα. Quæ vox cùm palam ſit barbara, divinare non poſſum unde irrepſerit in *Diodorum*, in quo legas lib. 1. pag. 52. editionis *Henrici Stephani*, *Ægyptios* quædam animalia non ſolum viva, ſed & mortua impensè venerari, δι᾽ ὧν τούς τε αἰλούρους, καὶ τοὺς ἰχνεύμονας, καὶ νυφίτζας, καὶ κύνας, *ut feles, & ichneumones, & muſtelas, & canes.* Pulex quoque *Arabicè* ابن طامر *filius ſaliens.* Et cete muliebri formâ, quæ reperiri ajunt in mari *Adriatico* circa *Græciam*, appellant بنات الروم *filias Græcorum*: ut بنات وردان *filias vardan* ea animalcula, quæ *Dioſcorides* nominat κυβαείδας, Marcellus Empiricus *cutiones*, nos *cloſportes*; quamvis alii σίλφας ſeu *blattas* intelligant: ſed prius puto veriùs, & *vardan* factum eſſe ex *Græca* voce κυβάειδες, primâ ſyllabâ decurtatâ.

Hæc exempla palàm faciunt quod probandum ſuſceperamus, quædam animalia dici *filios* & *filias* ſine reſpectu ad ætatem. Nam quavis ætate ità dicuntur. Et *filii* vel *filiæ* nomen tum aliter ſumitur, quàm vulgò. Neque enim gryphus dicitur *filius roboris*; quòd ex robore ſit natus; ſed quia robore valet. Ut volatu ὁ γὺψ, unde vocatur *alæ filia*: & anas *filius aquæ*; quia aquis gaudet: & thos *filius avvi*, ſive

latratûs; quia eſt animal maximè latrabile. Quâ eâdem ratione ſtruthio בת יענה *filia jaana*, ſeu *clamoris*, nuncupatur, non ab ætate, ſed à clamore; quia clamoſum eſt animal. Sed ut gryphus non ſolùm בר גזא, *filius geza*, ſed & גזא *geza*, vel גז *gez*, vocatur per compendium, ità ſtruthio quandoque יענה *jaana*, dicitur pro בת יענה, *filia jaana*; unde Plurale יענים *jeenim*, *Thren.* 4, 3. Jam, ſi roges, cur *filia* dicatur, non *filius*, & an ad ſexum id pertineat, & quorſum Deus fœminæ potiùs, quàm maris ſtruthionis eſum in Lege prohibuerit; reſponſio non erit ità obvia: nam *filii* nomen etiam ad fœminam pertinet, ut patuit in iis, quæ nugantur *Talmudici* de ovo בר יוכני *bar jucne*, ſive *filii jucne*. At mas in ave, aut quadrupede nunquam fœmina dicitur. Neque *filiæ* vocabulum complecti videas totam ſpeciem, niſi in ſolo vulture, quem *Chaldæi* בת נגפא, *filiam alæ* vocant certâ de cauſa. Nempe quia fabulantur in illo genere nullos eſſe mares. Unde & *Græcè* in *Horo* dicitur ἡ γύψ Fœminino genere, ut pluribus docebimus in capite *De* רחם *racham*. Sed de ſtruthione ſimile quidquam nemo ſcripſit, præter paucos *Hebræos* recentioris ævi. Tamen certum eſt, quod dicturus ſum, ex multis ſtruthionis nominibus apud *Arabes* receptis duo eſſe maximè in uſu, nempe ظليم *dtalim*, & نعام *naâm*: quorum illud marem, hoc propriè fœminam ſonat. Sed Fœmininum نعام *naâm* multò eſſe receptius, & in *Hiſtoricorum* & *Geographorum* libris vix aliud occurrere. Unde eſt, quòd *Syri* & *Chaldæi ſtruthionem* non vocant טלים *talim*, ſed נעמא *naama*. Nempe in illo genere fœmina mari præfertur propter ova, quæ ſunt magni pretii, neque ſolùm ad eſum ſed & ad uſum exquiruntur, cùm ex illis vaſa fieri, eaque eximia, jam ſupra docuerimus. Præterea adulti mares in manus hominum rarò incidunt; quia ſunt velociſſimi. At fœminæ ſæpiùs & faciliùs capiuntur, ſive ſint ovis graves, aut ſuper pullis incubent. Et nidi quoque apparent eminùs, quia in planis locis multâ arenâ aggeſtâ exſtruuntur. Proinde ut fœmina notior, ità etiam ejus nomen multò eſt uſitatius, & ferè ſolum in ore vulgi. Itaque *Moſes* uſum fœminæ nominatim prohibuit. Ne quis tamen, ſolâ fœminâ prohibitâ, conceſſum eſſe maris eſum ſibi fingeret, rem ignotam hactenùs jam probare contendam, nempe *Moſem*, poſtquàm à fœmina, tanquam notiore, fecit initium, marem etiam prohibuiſſe, eumque ſignificari voce תחמס *thachmas*, quæ mox ſequitur: adeoque hæc verba *Moſis*, *Non comedetis*, &c. את בת היענה ואת התחמס, *filiam jaana*, *& thachmas*, ità eſſe vertenda, *Non comedetis ſtruthionem fœminam*, *neque ſtruthionem marem*. Eò pertinet caput ſequens, quo probatur voce hactenus ignotâ תחמס *thachmas*, *marem ſtruthionem* ſignificari.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

Probatur תחמס *thachmas*, eſſe Struthionem marem.

Cur תחמס thachmas, Chaldæi *duo* חטפיתא; Onkelos ציצא; Græci, *&* Hieronymus γλαῦκα noctuam *reddant*; *alii* harpen, harpyam, cymindim, nycticoracem. *Verbum* חמס chamas, *unde* thachmas, rapere *non ſignificat*, *ut volunt*, *ſed* iniquè agere. *Ergo* תחמס avis impia, *non* rapax. *Talis ſtruthio* Job. 39. v. 17. *&* Thren. 4. v. 3. *Itaque* ſtruthio mas *Arabicè vocatur* ظليم dtalim, *id eſt*, impius, iniquus. *Id ipſum* Hebræis תחמס thachmas: *ut Paraphraſtæ* Hebræi חמס *ferè ubique* ظلم *exponunt*. *Cur ſtruthionis ſexus* Moſes *diſtinxerit*. Chaldæum חטופיתא, *non eſſe* avem rapacem, *ſed* hirundinem. *Hirundo cur ſic vocetur duplex cauſa.* Rapiendi *verba ſæpe ad celeritatem pertinere.*

UT apud *Græcos* ἅρπη, ἅρπυια, ἁρπυῖα rapacium avium nomina ſunt *à rapiendo* ità dicta: ſic inter aves immundas, in Lege prohibitas, תחמס *thachmas*, eſſe creditur ex numero rapacium; quia חמס *chamas*, unde *thachmas*, *rapere* eſt, & *vim inferre*. Ità ferè ſtatuunt *Hebræi* recentiores. *Kimchius*, נקרא כן שחומס שאר העופות וגוזל אותם *Ità vocatur*, *quia reliquis avibus vim infert*, *& eas rapit*. Aquinas תחמס שם עוף דורס, *Thachmas*, *nomen avis rapacis*. Pomarius, עוף דורס פלקוני בלעז או כדומה, *Avis è genere rapacium*, *falco vulgari linguâ*, *aut alia illi ſimilis*. Proinde *Arias accipitrem* interpretatur. Cui ſententiæ patrocinari viſi ſunt ex veteribus *Jonathan*, & *Jeroſolymitanus* interpres, qui hîc habent חטפיתא *chataphitha*, vel חטופיתא *chatphitha*, quod avis rapacis nomen eſſe ſtatuunt plerique *Lexicographi*; quia חטף eſt *rapere*. Itaque ex *Hieroſolymitana* Paraphraſi confirmat *Kimchius* quod dixerat, תחמס *thachmas*, eſſe *avem rapacem*. *Seniores* γλαῦκα, & *Hieronymus noctuam* interpretatur. Quam verſionem *Fullerus* maximè probat *Miſcellaneorum* libri ſexti capite nono, & confirmare nititur ex etymo vocabuli; quia noctuæ proprium eſt vim inferre, & pati, cæteris avibus in eam certatim involantibus. Forte etiam in *Onkelo* ציצא *tſitſa*, *noctua* eſt, ut *Græcè* τυτώ. *Heſychius*, Τυτὼ, ἡ γλαῦξ. Ex ציצא *tſitſa*, factum τυτώ ut τύρος ex צור *tſor*; & τάνις ex צען *tſoan*. Vel ציצא *tſitſa* & τυτὼ vocabula ſunt ὀνοματοποιητικά, quæ noctuæ boatum videntur imitari. Quò pertinet *Plauti* jocus in *Menæchmis* Actu quarto.

M. Quis is Menæchmus *eſt? P. TU iſtic inquam?*
M. Egone? P. TU, &c.
M. Egon' dedi? P. TU iſtic, inquam. Vin' afferri noctuam,
Quæ TUTU uſque dicat? Nam nos jam defeſſi ſumus.

Itaque etiam *Arabum* طوط taut, *noctuam* explicare malim, quàm cum *Giggeio veſpertilionem*. Eos hic conſulto prætereo, qui תחמס, *harpen*, aut *harpyam*, aut *cymindim*, aut *nycticoracem* reddunt; cùm quia tanti non ſunt, tum quia nullas, quod ſciam, interpretationis ſuæ rationes afferunt præter hanc ſolam, ſcilicet nomen avis תחמס *thachmas*, *à rapina* deduci.

Verùm hoc fuit τὸ πρῶτον ψεῦδος, quod pleroſque interpretes in errorem egit transverſos, quòd putârunt חמס *chamas*, & חטף *chataph*, eſſe prorſus ſynonyma. Ego, ut vicinæ fateor eſſe ſignificationis, ità ejuſdem eſſe pernego. Propriè חטף *chataph*, eſt *rapere*; חָמַס *chamas*, *iniquè agere*. Neque enim עד חמס (a) toties in ſacro textu rectè verteris *teſtem rapinæ*, ſed *teſtem iniquitatis*, id eſt, *iniquum*, & *falſum*. Sic חמסו תורה, (b) ne reddas *rapuerunt Legem*, ſed *iniquè egerunt adverſùs Legem*. Et alibi *In pupillum*, *& viduam* אל תחמסו, (c) *ne injuſtè agatis*. Item, *Qui lædit ſapientiam*, חומס נפשו (d) *in ſeipſum iniquè agit*. Itaque in *Pſalmis* paſſim חמס, & עמל, & עולה, & תוך, & רע, & רשע copulantur ut ſynonyma. Et *Septuaginta* חמס nunquam reddunt ἁρπαγὴν, ſed ἀδίκημα, ἀδικίαν, ἀσέβειαν, ἀνομίαν, ψεῦδος, ὕβριν. Et verò ſicubi חמס, *rapere* eſt.

(a) Exod. 23. 1. Deut. 19. 16. Pſ. 27. 12. & (b) Ezech. 22. 26. Sophon. 3. 4. (c) Jer. 22. 3. (d) Prov. 8. 36.

eſt, aut *vim inferre*, ità ſumitur ex conſequente duntaxat; quia per vim aliquid extorquere contra jus, & fas, hominum iniquorum eſt. Quocirca nihil neceſſe eſt, ut תחמס, ſit *avis rapax*, *Hebræis* עוף דורס, cùm probatum ſit nomine חמס. propriè ſignificari *quod impium*, *& iniquum eſt*, etiam in eo, qui vacat crimine rapacitatis. Itaque quæcunque avis dicatur eſſe תחמס *thachmas*, nomini reſpondebit ſatis, ſi probetur eſſe iniqua, & impia, etiamſi non numeretur in cenſu rapacium. Avium porrò nulla eſt, quæ nomine impietatis tam malè audiat, quàm ſtruthio. Cæteris ova fovere, & pullos educare curæ eſt: *hæc ova ſua derelinquit in terra, ut in pulvere calefiant; nec cogitat futurum, ut illa pes conterat, & agri beſtia comprimat. Duram ſe exhibet erga pullos ſuos, ac ſi non eſſent ſui*; Job. 39, 17. 18. 19. Proinde *Jeremias Thren.* 4, 3. ſimilis immanitatis à ſtruthione ſumit exemplum, ut jam attigimus obiter, & uberiùs docebimus in expoſitione verborum *Jobi*.

Hoc porrò nomine ab *Arabibus ſtruthio* vocatur ظليم *dtalim*, id eſt, *impius*, *iniquus*. Quod ſtruthionis nomen, etſi minùs frequens quàm نعام *nâam*, de quo ſuprà, tamen in *Avicenna* occurrit libro ſecundo *Canonis*; & in *Abenbitare*, qui ordine Alphabetico agunt *De animalibus*, *plantis*, *lapidibus*, *foſſilibus*, &c. *quæ ad Medicinam pertinent*. Et in *Damire*, præter caput *De* النعام *τῷ naam*, in quo ſtruthionis naturam pleniùs explicat, eſt & caput aliud *De* الظليم *τῷ dtalim*, cujus hoc eſt initium, الظليم ذكر النعام وكنيته ابو البيض وابو ثلاثين وابو الصحاري وجمعه ظلمان Dtalim *eſt mas ſtruthionis*, *cujus cognomina ſunt*, *pater ovorum*, *& pater triginta* (ſupple *ovorum*) *& pater deſertorum. Plurale eſt* dtulman. Ejuſdem vocabuli meminit *Ibnocholcan*, in quo عار الظليم *arra dtalim*, id eſt, *clamavit ſtruthio mas*. Meminit & *Naſrius* (ſcriptor ὀνομαστικὸς, quem legi manu-ſcriptum *Oxoniæ*) lib. 3. cap. 98. ſect. 21. Et *Pandectarius Arabs*, Talim, *id eſt*, *ſtruzo maſculus*. Etiam in *Lexico Alcamus* paſſim occurrit, quod pauca hæc exempla doceant è multò pluribus. الظليم الذكر من النعام Dtalim *mas*, *de ſtruthione*. يرفا الظليم النافر Jarpha, *id eſt*, *dtalim* (ſeu *ſtruthio mas*) *fugiens*. عمود من الظليم رجلاه *Columna de dtalim*, *id eſt*, *pedes ejus*. الاسقف الاعوج العنق من الظلمان Aſcaph, *qui diſtorto eſt collo*, *de dtulman*, *ſeu ſtruthionibus maſculis*. In quem morbum ſæpe incidunt, quia, cùm in arenis adverſo vento fugiunt, caput avertunt. الاصنع الظليم متقشر الساق *Aſna*, *dtalim* (ſeu, *ſtruthio mas*) *cruribus excoriatis*, nempe dum fugit cum impetu per confragoſa loca, الخاضب الظليم اغتلم فاخضرت ساقاه *Alhadib*, *dtalim* (ſeu, *ſtruthio mas*) *cùm furit*, *& rubent crura ejus*. Quod illi quotannis accidit, quo tempore dactyli rubeſcere incipiunt. جفلت الظليم حركته وطردته *Excitavi τὸ dtalim*, *& impuli illum*, ut fit à venatoribus. Poſſem afferre hujus generis plura decuplo. Sed timeo, ne lectori ſim tædioſus. Et hæc plus ſatis docent ظليم *dtalim* eſſe *ſtruthionem*. Quod nomen cùm de mare propriè dicatur, tamen & fœminæ tribui videtur καταχρηστικῶς. Ità enim *Alcamus* توحوح الظليم فوق البيض رومها واظهر ولوعها بها *Dtalim* (ſeu, *ſtruthio*) *thevvachvvacha ſuper ova*, id eſt, *ea impensè amavit*, *& docuit quantum ea deperiret*. Et الزاجل *zagil* eidem eſt ما يسيل من دبر الظليم ايام تحضينها بيضها *quod fluit ex tergo τῶ dtalim dum ova ſua fovet*.

Hæc ideò obſervo, quia nomini *Arabico* ظليم *dtalim* planè reſpondet *Hebræum* תחמס *thachmas*, hactenus ignoratum. Nam ut ظليم *dtalim* ſit à ظلم *dtalima*, quod *iniquum eſſe & opprimere* ſignificat: ità תחמס *thachmas*, à verbo חמס *chamas*, ejuſdem ſignificationis, cujus *Arabicum* ظلم *dtalima*. Itaque in *Pentateucho* ferè quoties occurrit חמס, in ſacro textu, ferè toties occurrit ظلم in *Arabum* Paraphraſtis. Sic *Gen.* 6, 11. Hebr. *Terra plena erat* חמס, *iniquitate*, Arabs *Erpenianus* بالظلم. Ita etiam verſu decimo tertio, ubi & alter *Arabs Pariſiis* editus ظلما ذلات. Et capitis decimi ſexti verſu quinto, ubi *Hebræa*, חמסי עליך, *Injuria mea ſuper te*, id eſt, Injuria, quæ mihi fit, in te recidet, *Arabs* uterque habet ظلمي عليك. Et *Gen.* 49, 5. Hebr. כלי חמס, *vaſa iniquitatis*, uterque reddit الة الظلم. Ut *Exod.* 23, 1. & *Deut.* 19, 16. עד חמס, *teſtis iniquitatis*, in utroque eſt شاهد ظلم. Cujuſmodi exempla videas etiam in aliis Scripturæ libris. Sic *Pſal.* 7, 17. *Super verticem ejus deſcendat iniquitas ejus*, Hebr. חמסו, *Arab.* ظلمه. *Pſal.* 11, 5. *Qui amat iniquitatem*. Hebr. חמס, Arab. الظلم. *Pſal.* 25. 19. *Oderunt me* שנאת חמס, *odio iniquitatis*: Arab. ظلما *iniquè*. Vide & *Pſal.* 27. 12. & 58, 3. & 72, 14. & 73, 6. & 140, 2. 5. 12. Ità etiam in *Prophetis*. Ut *Eſa.* 60, 18. *Non audietur ampliùs* חמס, *iniquitas in terra tua*: Arab. ظلم. *Ez.* 45, 9. *Amovete* חמס, *iniquitatē*: Arab. الظلم *Amos* 3, 10. *Qui theſaurizant* חמס, *iniquitatem*: Arab. ظلما *Jon.* 3, 8. *Quiſque ſe convertat à via ſua mala*, ומן החמס, *& ab iniquitate, quæ eſt in manibus ſuis*: Arab. ومن الظلم. *Hab.* 1, 2. *Clamo ad te* חמס, *oppreſſionem* (id eſt, *vim*) *patient*, ut *Hieronymus*: Arab. مظلوم *oppreſſus*. Cùm igitur *Arabicum* ظلم ſit planè

planè idem, quod *Hebræum* חמס, ut patuit ex tot exemplis, indè valde probabili conjecturâ elicitur, etiam ظليم idem eſſe, quod תחמס; & תחמס idem, quod ظليم hoc eſt utrâque voce *ſtruthionem* ſignificari, & quidem *marem*. Quàm probabilis, &, penè dicam, neceſſaria ſit hæc ratio, ſciunt omnes, quibus harum linguarum genius eſt perſpectus. Omnino igitur, ut in *Moſe* בת היענה, eſt *ſtruthio fœmina*, ità vox proxima התחמס, eſt *ſtruthio mas*. Neque id novum eſt, ut ſexus animalium ſic diſtinguantur. Sic *Avicenna*, & *Abenbitar*, ut notavimus de نعام *naâm*, & ظليم *dtalim* agunt, id eſt, de *ſtruthione fœmina*, & *mare*, ſeparatis capitibus. Et in ipſo *Moſe* Gen 32,14. *Jacob Eſavo* obtuliſſe legitur capras, & hircos, oves, & arietes. Et *Gen*. 45,23. *Joſephus* patri mittit aſinos decem, & aſinas totidem. At, inquies, cur in ſtruthione ſexus diſtinguitur potiùs, quàm in aquila, corvo, &c. Ratio eſt in promptu. Cùm נשר totum aquilarum, & עורב totum corvorum genus contineat, *Moſi* ſufficit prohibere נשר, & עורב. Sed ſtruthionis nomen genericum *Hebræi* nullum habent. Nam תחמס ſolos mares ſignificat, & בת יענה ſolas fœminas, ut & רננים, in *Jobo*. Itaque, ne horum unum prohibens videretur alterum concedere, neceſſe habuit utrumque disertè prohibere.

Interim, ne mireris interpretes in hujus vocis expoſitione in diverſa abiiſſe, ecce aliud exemplum ſimile in voce חטפיתא, quâ *Chaldæi* תחמס exponunt! Hâc enim *avem rapacem* ſignificari volunt omnes *Lexicographi*, freti vocis etymologiâ. Nam חטף eſt *rapere*. Itaque חטפיתא, palàm indè deducta, credita eſt eſſe avis ex genere τῶν γαμψωνύχων· qui graviſſimus eſt error. Nam *Chaldæorum* חטפיתא *chatphitha*, vel חטופיתא *chatophitha* id ipſum eſt, quod *Arabum* خطاف *chottaph*, cùm eædem utrobique ſint literæ Radicales, quas vocant. Proinde in hoc ipſo loco pro *Chaldæo* חטפיתא *Arabes* habent خطاف *chottaph* in tribus diverſis Paraphraſibus: quarum duæ ſunt editæ, & tertia manu-ſcripta. Porrò *Arab:* cum خطاف *chottaph*, cujus Plurale خطاطيف *chatatiph*, *hirundinem* eſſe patet ex *Avicenna*, & *Abenbitare*, qui *Dioſcoridis* locum de hirundine prope finem libri ſecundi, Χελιδόνος νεοσσοὺς τοὺς ἐκ τῆς πρώτης νεοσσοποιίας αὐξομένης τῆς Σελήνης ἀνατεμὼν, εὑρήσεις ἐν τῇ γαστρὶ λίθους, &c. *Arabicè* ſic citant capite خطاف *cottaph*, قال ديسقوريدوس في الثاني اذا اخذ فرخه في زيادة القمر وكان اول ما افرخ وشق وجد فيه حصايان *Dixit* Dioſcorides *libro ſecundo, pullum ejus, ſi capiatur in augmento Lunæ, & ſit è prima pullitie, & ſcindatur, reperiri in eo lapides*, &c. Aut واحد من الحصا الموجودة في جوفه حصاتان *Et capiantur è lapidibus, qui reperiuntur in ventre ejus, duo lapides*, &c. ut habet *Abenbitar*. Cætera ibi vide; neq; enim vacat plura deſcribere. Prætereà *Avicenna* libro ſecundo, capite خاليدونيون χελιδόνιον, id eſt, *Herba hirundinaria*, inter cætera hæc habet. اذا عمي فرخ خطاطيف حملت اليه الام هذه النبات فزيده بصرا وكذلك سمي الخطافي *Cùm excæcatur pullus* chatatiph (*hirundinum*) *adfert ad eum mater hanc herbam, quæ anget ipſi viſum, unde vocatur* chottaphi (*hirundinaria*.) Et *Abenbitar* capite شروق بقلة الصباغين *radices tinctorum* aliter vocari ait الخطاطيف *olus chatatiph*, ſeu *hirundinum*. Ibidem *Arabicè* habetur *Dioſcoridis* utrumque caput de chelidonio majore, & minore. Et ejus *Græca* verba, Ἐάν τις τυφλωθῇ τῶν τῆς χελιδόνος νεοσσῶν, ità redduntur اذا عمي فرخ من افراخ الخطاف *Cùm excæcatur pullus aliquis ex pullis* alchottaph. Etiam *aſpis chelidonias* ab *Avicenna* vocatur خطاف *chottaph* lib. 4. Can. *Fen*. 6. Tract. 3. cap. 24. Eſt & *hirundo piſcis*, quem ſub nomine *chottaph* ità deſcribit *Abuchalid Andaluſius*, ſive *Hiſpanus*. الخطاف سمكة ببحر سبتة لها جناحان على ظهرها اسودان وبها تخرج من الماء وتطير الي الشجر ثم تعود الي البحر *Chottaph* (ſeu, *hirundo*) *piſcis eſt in mari Septa* (prope fretum *Gaditanum*) *nigris alis duabus a tergo inſtructus, quibus è mari exiens ſuper arbores volat, atque inde redit ad mare*. Sed خطاف eſſe hirundinem nihil tam probat, quàm ejus amplæ deſcriptiones in *Damire*, & *Alkazuinio*, ex quibus in priore *De Avibus* libro nonnulla citavimus.

At hirundini, inquies, quid commune eſt cum rapacibus, ut *à rapiendo* nomen habeat? Id mihi perinde eſt, cùm quacunque tandem de cauſa ſic vocetur, tamen certum ſit ſic vocari. Sed & origo nominis ſatis aperta eſt, cùm hirundo ſit carnivora, nec niſi ex raptu vivat. Hinc *Iſidorus Originum* libri duodecimi capite ſeptimo, *Hirundo dicta eſt, quòd cibos non ſumat reſidens, ſed in aere* RAPIAT *eſcas, & edat*. Et *Philoſophus* σαρκοφάγον non ſemel vocat. Sic *Hiſtoriæ animalium* libri ſexti capite quinto, Ἡ δὲ χελιδὼν δὶς νεοττεύει μόνον τῶν σαρκοφάγων· *Hirundo carnivororum animalium ſola bis nidificat*. Et libri octavi capite tertio, Ἔστι δὲ καὶ τῶν μὴ γαμψωνύχων ἔνια σαρκοφάγα, οἷον ἡ χελιδών. Quæ *Plinius* ita reddidit libri decimi capite vigeſimo quarto, *Hirundo ſola carne veſcens avium, ex iis quæ aduncos ungues non habent*. Et *Plutarchus Sympoſiacῶν* libri octavi *Problemate* ſeptimo, duo hæc *Pythagoræ* ſymbola inter ſe conferens, Χελιδόνας οἰκίᾳ μὴ δέχεσθαι, μηδὲ γαμψώνυχον οἴκοι τρέφειν, *Hirundines in domum non eſſe admittendas, neque aves uncis unguibus in ædibus nutriendas*, illâ eâdem ratione niti aſſerit: Σαρκοφάγος γάρ ἐστι (ἡ χελιδὼν) καὶ μάλιστα τοὺς τέττιγας ἱεροὺς καὶ μουσικοὺς ὄντας ἀποκτίννυσι, καὶ σιτεῖται. *Carnivora enim eſt hirundo*, inquit, *& cicadas inprimis, quæ ſacræ & canoræ ſunt, interimit, & vorat*. Præterea in hirundine obſervat *Plinius*, ubi ſupra, flexuoſi volatûs tam velocem eſſe celeritatem, ut ideò rapinæ cæterarum avium non ſit obnoxia. Quod fortaſſe reſpexerunt qui illi à *rapiendo* fecère nomen. Notum enim eſt omnibus ferè linguis *rapiendi* verba etiam ad celeritatem pertinere. Sic *Hebraicè* חטיפה, *raptum Kimchius*, & *Mardochæus* exponunt לקיחה במהירות *dire-*

direptionem cum celeritate. Et *Talmudici* in *Moed Katon* cap. 3. fol. 28. a. מת פתאום זו היא מיתה חטופה *Si quis ſubitò moriatur, hæc eſt mors rapta*, id eſt, *preceps*, & *celer.* Quale illud *Plutarchi* in *Conſolatione ad Apollonium*, Ἐὰν ᾗ ταχέως ἀποθάνῃ, ὀδύρονται λέγοντες, Ἀνηρπάσθη. *Si ſubitò moriatur, lugent dicentes, Raptus eſt.* Sic ἁρπάγδην, ἁρπαλέως, ἁρπαλίως, ἁρπαλιμῶς, & *Kappa* præfixo, καρπαλιμῶς paſſim videas, non de *rapina*, ſed de *celeritate* dici, ut Latinè *rapide*, & *raptim.* *Heſychius*, Καρπάλιμον, ταχύ. Item, Ἅρπυια, ἁρπαγὴ, ἢ διὰ τάχους. *Etymologus*, Ἅρπασος, ποταμὸς Καρίας, διὰ τὸ ὀξύτατον τοῦ ῥοῦ. *Virgilius* libro quinto *Æneidos*,

— ſignoque repentè
Corripiunt ſpatia audito. —

Ubi *corripiunt*, inquit *Servius*, *id eſt, raptim eunt.* Perſius *Satyrâ* quintâ,

— nihil obſtat, quin trabe vaſtâ
Ægrum rapias. —

Quod *Caſaubonus* exponit *rapidè feces.* *Lucanus* libri quinti verſu 403.

Indè rapit curſus, & quapiger Appulus *arva*
Deſeruit raſtris, & inerti tradidit herba,
Ocyor & cæli flammis, & tigride fœtâ,
Transcurrit. —

Et paulò poſt,

Turpe duci viſum eſt rapiendi tempora belli
In ſegnes baſiſſe moras. —

Et libri ſexti verſu 372.

— & gurgite rapto
Apidanos, *nunquamque celer niſi miſtus* Enipeus.

Plinius *in* Panegyrico, *Cum legiones duceres, vel potiùs, tanta velocitas erat, raperes.* Cui geminum quidem *Lucani Poëtæ* illud de *Cæſare* libro primo,

— rapit agmina ductor
Impiger. —

Martialis ad *Priſcum* libri duodecimi *Epigrammate* decimo quarto,

Parcius utaris, moneo, rapiente veredo.

Proinde *Arabicum equi* nomen فرس *pharas Damir* à rapiendo ità deducit in capite *De equo:* لفظها مشتق من الافتراس كانها تفترس الارض بسرعة مشيتها *Nomen ejus derivatur à rapiendo, quaſi diripiat terram inceſsûs ſui celeritate.* Et خطف *chataphа* Verbum primò *rapere*, deinde *velocem eſſe* ſignificat. Indè igitur *hirundo* dici potuit خطاف *chottaph*, ut è camelis *dromas* خيطف *chaitaph*, & *preceps inceſſu* خيطفي *chaitapha*, & *fulmen* خاطف *chatiph*, *quia praſtringit oculos*, inquiunt, *rapiditate motûs ſui.* Itaque tam falluntur, qui خطاف *chottaph*, vel, quod idem eſt, חטפיתא *charphitha*, & חטופיתא *chatophitha*, quàm qui חתמס, pro *ave rapace* ſumunt ex genere τῶν γαμψωνύχων cum חטפיתא, *hirundinem*, & חתמס, *ſtruthionem* ſonet, ut probare conati ſumus. Jam ſequetur expoſitio verborum, quibus ſtruthio in *Jobo* deſcribitur: quæ verba ſunt eximia; ſed, ut putamus nondum ſatis intellecta, ac proinde hic explicanda.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

Explicatur de Struthione locus obſcuriſſimus *Job* 39, 16. al. 13.

Diſſidium interpretum. In Genevenſi verſione quid deſideretur. Voce רננים renanim, Chaldæus Talmudicorum *fabuloſum gallum intelligit, de quo multa.* Hebræorum *alii* luſcinias, *alii* pavones, *quos ſequuntur recentiores, ſed nullâ ratione freti. Pavo pennarum oſtentatione gloriatur, non tamen alarum, ſed caudæ. Et in* Judæa *primùm viſus tempore* Solomonis; *in* Græcia *multò ſeriùs*; Athenis *ætate* Periclis *Rarus adhuc ſub* Alexandro. *Ejus natales in* India: *non in inſula* Samo, *ut volunt. Fabulam de* Argo *in pavonem mutato ante* Moſchum *nemo tradit.* Ariſtophanem *ad eum alludere falſum. Pavones* Romæ *quando primùm in cibis. Aliæ rationes cur* רננים renanim, *non ſint pavones, ſed ſtruthiones fœminæ. Harum vox canora magis. Et aliis exultare proprium, quæ currentes mirè juvant, tanquam vela in navi. Pennæ ſtruthionum quam elegantes. Cur æquitatis ſymbolum.* חסידה chaſida, *non eſt* ſtruthio, *ut quidam volunt, ſed ciconia. Et* נוצה notſa, pluma, *non* ſtruthio, *ut aliis placet. Explicatur verſus integer.* אם im, *particula Conſirmantis, ut* Amen. *Status Abſolutus pro Conſtructo.* Caph *ſimilitudinis ſæpe ſuppletur. Struthio quàm accedat ad naturam quadrupedum. Idem habet ciconia pennas.*

JObi 39, 16. (al. 13.) ſtruthio-camelus ſex verſibus deſcribitur, quorum quinque poſteriores utcunque explicant interpretes. Sed in primo ità hærent, ut vix ullus ſit Scripturæ locus, qui minùs intelligatur. Neque uſpiam inter illos majus eſt diſſidium, quod ex collatione patebit, quam inſtituere hic libet, ut lectori res ſit clarior. Illum igitur verſum, quem dico, *Septuaginta* ſic explicant, Πτέρυξ τερπομένων νεέλασσα, ἐὰν συλλάβῃ ἀσίδα, καὶ νέσσα· *Ala lætantium neelaſſa, ſi conceperit aſida, & neſſa.* Et *Aquila*, Πτερύγιον αἰνούντων συνεπλάκη . . . . ἐρωδιὸς, καὶ ἱέραξ· *Alam laudantium ſimul implicat . . . . ardea, & accipiter.* Et *Symmachus*, Πτερὸν ἀγλαϊσμοῦ περιεφύη, εἰ ἐναγκαλίσεται ὁ κύκνος πτίλας αὐτοῦ· *Ala nitoris circumnaſcitur, ſi ulnis complectatur cygnus pennas ſuas.* Et *Hieronymus*, *Penna ſtruthionis ſimilis eſt pennis erodii, & accipitris.* Et *Syrus*, quem *Arabs* ferè ſequitur, ܟܢܦܐ ܕܡܫܒܚܢܐ ܡܬܥܠܝܐ ܘܦܪܚܐ ܘܐܬܝܐ ܘܡܩܢܢܐ *Ala laudantium extollitur, & volat, & venit, & nidificat.* Et *Chaldæus*, גדפא דתרנגול דמשבחא ומקלסא ואין אברא דחוריתא ונציצא *Ala galli, qui laudat, & celebrat: & an ala ciconiæ, & accipitris?* Quæ verum verſiones non ſolùm inter ſe diſſident διὰ πασῶν, ſed & pleræque abſurdæ ſunt, & inconcinnæ, & Sacro Scriptori ea affingunt, quæ nullum habent ſenſum commodum. Neque convenit magis inter quoſdam recentiorum. Ità enim *Caſtalio*, *Utrumgeneroſiores ſunt alæ ſtruthio-cameli, an pennæ plumæque ciconiæ?* Et *Arius* planè aliter, & nullo ſenſu; *Ala exultantium læta, an penna ciconiæ, & pluma?* Et *Junius* rurſus aliter, *Alamne pavonum exultandam, an pennam ciconiæ; aut ſtruthio-camelo dares?* Aliter etiam vernaculæ, *Gallica*, inquam, *Anglica*, *Belgica*, & *Italica*: *An dediſti pavonibus*, aut *An opera tuâ pavones*

vones habent alas egregias, aut, *alas, quibus exultant? An ſtruthio-cameli dediſti pennas, & plumas?* Quæ ſingula revocare ad examen quia non vacat, ſufficiet ut de vulgari noſtra agamus, quæ nec ipſa videtur eſſe accurata ſatis. Nam duo ſunt potiſſimum, quæ in ea deſideramus: unum, quòd nimis multa ſupplet, quæ ſuppleri non ſolent, nempe ſtatim initio verſus אם נתת, *An dediſti?* & literam *Lamed*, Dativi notam, ante voces רננים & חסידה. Alterum, quòd רננים *renanim, pavones*; & חסידה *chaſida, ſtruthionem* explicat: quorum neutri poſſum aſſentiri. Dicam igitur de utriusque vocis ſignificatione quid ſentiam, ut vera totius verſiculi ſignificatio inde emergat.

Prior nempe רננים *renanim*, dum Vocales aberant, legi potuit *ronenim*, id eſt, *cantantes, laudantes, exultantes*, &c. Unde natæ illæ verſiones, *ala laudantium, ala lætantium*, &c. in *Senioribus*, *Aquilâ*, & aliis. Sed *Chaldæus*, & *Hieronymus*, etiamſi puncta deeſſent, tamen ex verborum ſerie rectè collegerunt רננים aliud eſſe, nimirum avis nomen. Et eandem ſententiam amplectuntur *Hebræi* omnes, licèt definire non poſſint quænam aves dicantur רננים *renanim*. *Chaldæus gallum* interpretatur, non vulgarem, ſed תרנגול דמשבחא ומקלסא, *gallum, qui Deum laudat, & celebrat.* De quo idem ad *Jobi* verba diei ſuæ maledicentis, *Job.* 3, 7. *Non veniat cantus in ea*: לא תעול רננא תרנגול ברא למקלסה בה. *Non veniat cantus galli ſylveſtris ad laudandum in ea.* Et *Jobi* 38, 36. מי שוי בכלין חוכמתא או יהב לתרנגול ברא בינתא למקלסה למריה, *Quis poſuit in renibus ſapientiam? aut gallo ſylveſtri dedit intelligentiam ad laudandum Dominum ſuum?* Et *Pſal.* 50, 11. גלין קדמי כל מיני עופא דפרחין באויר שמיא ותרנגול ברא דקרסולי שרין בארעא ורישיה מטי בשמיא מרנן קדמי, *Nota ſunt mihi omnes avium ſpecies, quæ volant in aëre cælorum: & gallus ſylveſtris, cujus pedes in terra conſiſtunt, & caput ad cælum pertingit, cantat coram me.* De hoc eodem gallo ità *Mahomet* in *Chronica Eſpahan.* لله ديك ابيض

جناحاه موشيا بالزبرجد والياقوت

واللولو له جناح بالمشرق وجناح بالمغرب

وراسه تحت العرش وقوايمه في الهوي

يوذن في كل سحر فيسمع اهل

السموات والارض الا الثقلين الجن

والانس فعند ذلك تجيبه ديوك الارض

فاذا دنا يوم القيمة يقال الله تعالي له

ضم جناحيك وغض صوتك فيعلم

اهل السموات والارض الا الثقلين ان

الساعة قد اقتربت *Deus habet gallum album, cujus alæ diſtinctæ ſunt ſmaragdis, carbunculis, & margaritis. Harum una ad Ortum, altera ad Occaſum expanſa eſt, caput ſub throno gloriæ, & pedes in aëre. Is quotidiè manè ad preces vocat, & eum audiunt omnes incolæ cœli, & terræ, præter homines, & dæmones. Propterea reſpondent ei galli terræ. Et, cùm inſtabit judicii dies, dicet ipſi Deus excelſus, Contrahe alas tuas, & reprime vocem tuam, ut horam inſtare ſciant omnes incolæ cœli, & terræ, præter homines, & dæmones.* Fabuloſus iſte gallus, quia Deum laudare fingitur ſtatis horis, unde dicitur מרנן *merannen, laudans*, Pſal. 50, 11. & cantus ejus רננא *renana*, Job. 3, 7. recutiti Doctores eundem ſignificari volunt voce רננים *renanim*, in loco, in quo verſamur. At voce Plurali vocari gallum illum mirum eſt, cùm ſit unicus. Quod idem in *R. Selomonem* objici queat. Illi enim רננים *renanim*, eſt avis illa, quæ in *Miſna* dicitur בר יוכני *bar juchne*, ſeu *nidi filius*; de qua nos ſuprà (a): quæ & ipſa ſingularis eſt, & in ſpecie ſuâ unica. (a) Cap. 14. pag. 230. in.

Sed, his nugis valere juſſis, alios audiamus. *R. Levi* dubitat, an utraque vox כנף רננים *canaph renanim*, aut ſolùm ultima pertineat ad hujus avis nomen. *Aben Ezra* dici vult *renanim* à verbo רנן *ranan*, quod *cantare* eſt, בעבור נעם קולו, *propter elegantiam vocis ſuæ*. Et in *Pomario* quidam pronuntiant avem eſſe, שמתפאר בקולו הערב רוסיניולו בלעז *quæ ſuavitatem vocis oſtentat* Italicè *dictam* roſſignuolo, id eſt, *luſciniam*. Tamen ipſe mavult *pavonem* intelligi, שמתפאר בראיית כנפיו, *qui pennarum ſuarum oſtentatione gloriatur*. Et inter utramque ſententiam *Kimchius* ità eſt ambiguus, ut in poſteriorem magis inclinet. *Fortaſſe*, inquit, *eſt avis canora, & à cantûs modulatione ſic dicta*: או מרנן ומתעלס בכנפיו שהם יפות כמו הטווס ואולי הוא הוא, *aut avis eſt, quæ lætatur, & exultat propter pennarum pulchritudinem, ut pavo, & fortaſſe is ipſe eſt.* Quæ ſententia, licet nova, nec niſi cunctanter prolata, tamen à noſtris accepta eſt cum ſummo applauſu, tanquam iis verior, quæ ad *Sagram*. Itaque *Pagninus* hic habet, *Alis pavo exultat.* Ità etiam *Mercerus*. Et *Junius*, *alam pavonum exultandam*. Et omnes omnium linguarum vernaculæ verſiones, in quas incidere licuit, idem ſequuntur. Nempe quotquot pavonem, vel ex libris, vel ex αὐτοψίᾳ, noverunt, eum ſciunt pennas cum pompa & faſtu oſtentare, illarumque adeò pulchritudine exultare, & ſuperbire. Unde *Ovidius* libro primo *De Arte*.

Laudatas oſtendit avis Junonia *pennas*:
Si tacitus ſpectes, illa recondit opes.

Et *De medicamine faciei*,

Laudatas homini volucris Junonia *pennas*
Explicat, & forma multa ſuperbit avis.

Et *Metamorphoſeωs* libri decimi tertii *Fabulâ* octavâ de *Galatea*.

Laudato pavone ſuperbior. ——

Quò hæc *Columellæ* pertinent libri noni capite undecimo, *Semet ipſum, veluti mirantem, caudâ gemmantibus pennis protegit, idque cùm facit, rotare dicitur.* Et *Plinii* libri decimi capite vigeſimo, *Gemmantes laudatus expandit colores adverſo maximè Sole, quia ſic fulgentius radiant.* Et paulò poſt, *Omnesque in acervum contrahit pennarum, quos ſpectari gaudet, oculos.* Sed *Græci* potiſſimùm in hoc argumento ſibi placent, & eloquentiæ ſuæ vela tam latè explicant, quàm latè pavo pennas expandit. In quibus ut vetuſtior, ità ſimplicior *Moſchus* hoc ſolum habet *Idyll.* 2.

Ὄρνις ἀγαλλόμενος πτερύγων πολυανθέϊ χροιῇ,

Avis pennarum florido colore exultans. Sed longè plura *Dio* in *Olympico* ſermone, ubi pavonem deſcribit ἐπαιρόμενον, καὶ ἐπιδεικνύοντα τὸ κάλλος τῶν πτερῶν, ὅταν ἀβρύνηται πρὸς τὴν θήλειαν, ἀνακλάσας τὴν οὐράν, καὶ περιστήσας αὑτῷ πανταχόθεν, ὥσπερ εὐειδὲς θέατρον, ἤ τινι γραφῇ μεμιμημένον οὐρανὸν ποικίλον ἄστροις. *Se ipſum extollentem, & pennarum pulchritudinem oſtentantem, cùm fœminæ delicias facit, caudam infringentem, & ſibi circumquàque ſtatuens, tanquam ſpecioſum theatrum, aut picturâ quâdam cœlum ſideribus diſtinctum imitantem.*

tantem. Et infrà, Ἐν μέσῳ δὲ μάλα ἥσυχον καὶ ἀτρεμοῦντα παρέχει ἑαυτὸν θεάσασθαι, ὥσπερ ἐν πομπῇ περιστρεφόμενον· *In medio ſeſe quietum & immobilem præbet ſpectandum, quaſi in pompa circumactum.* In priore *Dionis* loco, pro ἀνακλάσας τὴν οὐρὰν, Nobiliſſimus Dominus *de Grentemeſnil* legendum monet ἀνακλίσας *aperiens, vel expandens*; quod mihi maximè arridet. *Ælianus Hiſtoria animalium* libri quinti capite vigeſimo primo, Ὁ ταὼς οἶδεν ὀρνίθων ὡραιότατος ὤν, καὶ ἔνθα οἱ τὸ κάλλος κάθηται, καὶ τοῦτο οἶδε, καὶ ἐπ' αὐτῷ κομᾷ, καὶ σοβαρός ἐστι, καὶ θαρρεῖ τοῖς πτεροῖς, ἃ ποροῦν αὐτῷ καὶ κόσμον παρέχειν οἶδε, καὶ πρὸς τοὺς ἔξωθεν φόβον ἀποστέλλει. *Pavo ſcit ſe omnium avium eſſe formoſiſſimum, & in quo forma ſita ſit apprimè novit, atque eo ſeſe effert, & ſuperbus eſt, & plumis ſuis confidit, quæ & ipſi ornamentum afferunt, & alios pavore quodam percellunt.* Et infrà. Ὅπως ἔχει τῆς εἰς τὴν ἐπίδειξιν ἀφθονίας παρίστησιν. ἐᾷ γὰρ ἐμπλησθῆναι τῆς θέας τὸν παρεστῶτα, καὶ ἑαυτὸν περιάγει, δεικνὺς φιλοτίμως τὸ τῆς πτερώσεως πολύμορφον. *Quanto ſui oſtentandi deſiderio teneatur demonſtrat. Spectatori enim expleri permittit conſpectu ſuo, & quaquaverſum obvertitur, pennarum varietatem magno ſtudio oſtendens.* Maximè in floridis & vernantibus pratis, ut *Lucianus* obſervat in *De domo*, Οὗτος, ἐκπετάσας τὰ πτερά, καὶ ἀναδείξας τῷ ἡλίῳ, καὶ τὴν οὐρὰν ἐπάρας, καὶ πανταχόθεν αὐτὸν περιστήσας, ἐπιδείκνυται τὰ ἄνθη τὰ αὑτοῦ, καὶ τὸ ἔαρ τῶν πτερῶν, ὥσπερ αὐτὸν προκαλοῦντος τοῦ λειμῶνος εἰς τὴν ἅμιλλαν. *Is, pennis extenſis, & Soli oſtenſis, caudáque ſublatâ, & circumquáque expansâ, ejus etiam flores oſtentat, & ver pennarum, ac ſi ad hoc certamen à prato provocaretur.* Sic *Achillis Tatii* libro primo in horto deſcribitur ὁ ταὼς τοῖς ἄνθεσιν περιστρέφων τὸ πτερὸν, *circa flores pennas expandens.* Sed & hâc eâdem arte fœminas ad ſe allicit. Ibidem paulò infrà, Ὅταν ἐπαγαγέσθαι θέλῃ τὴν ἐρωμένην, τότε οὕτως καλλωπίζεται· *Cùm dilectam à ſe fœminam vult allicere, tunc ità exornatur.* Et de pavone illi proxima. Ταύτῃ νῦν οὗτος τὸ κάλλος ἐπιδείκνυται, λειμῶνα πτερῶν· *Huic nunc ille pulchritudinem ſuam, pennarum ſcilicet pratum, oſtentat.* Unde *Nazianzenus* Oratione trigeſimâquartâ, Ταῖς θηλείαις, ὥς φασι, καλλωπίζεται, τὸν αὐχένα διάρας, καὶ τὸ πτερὸν κυκλοτερῶς περιστήσας τὸ χρυσαυγὲς, καὶ κατάστερον, θεατρίζει τὸ κάλλος τοῖς ἐρασταῖς μετὰ σοβαροῦ τοῦ βαδίσματος. *Fœminis ſuis, ut ajunt, ſe oſtentat, elatáque cervice, & pennis, quæ auri & ſiderum fulgorem referunt, in orbem compoſitis, formam amaſiis ſuis cum ſuperbo quodam inceſſu, ut in theatro, ſpectandam proponit.* Quomodo *Euſtathius* in *Hexaëmeron*, Τῶν πτερῶν ἐπιδείξας τὸ θέατρον ἐπάγεται πρὸς συνουσίαν τὴν θήλειαν, ὥσπερ λειμῶνα τὸν καλλωπισμὸν τοῦτον ὑποδεικνὺς αὐτῇ. *Pennarum theatrum oſtentans fœminam ad concubitum allicit, tanquam pratum hunc ornatum ipſi exhibens.* Ejuſdem argumenti plura vide in *Philes Jambis* de pavone, quorum initium hoc eſt;

Πτεροῖς ὁ ταὼς γαυριῶν πολυχρόοις,

Pavo multi-coloribus pennis ſuperbiens, &c. Et apud *Grammaticos*, qui ταὼν dici volunt ἀπὸ τῆς τάσεως *ab extenſione*, vel παρὰ τὸ τείνειν τὴν οὐράν· τὸ γὰρ ζῶον ἐναβρυνόμενον τῷ ἑαυτοῦ κάλλει τοῖς ὁρῶσι τὴν οὐρὰν ἐξαπλοῦν ἀποδείκνυσι, *qui caudam expandit; hoc enim animal, ſuâ pulchritudine ſuperbiens, ſpectatoribus ſextuplicem caudam oſtentat.* Sed & in *Damire* dicunt *Arabes* è natura ejus eſſe, حب الزهو بنفسه والخيلا والاعجاب بريشه وعقد ذنبه كالطاقة اذا كانت الانثى ناظرة اليه *Quod amat ſeipſum cum gloria & faſtu intueri, & miratur pennas ſuas, & caudam ſuam in orbem componit, cùm fœmina illum aſpicit.*

Nec eſt tamen, quod quisquam ſperet ex his poſſe confici in *Jobi* verbis רננים *renanim*, eſſe *pavones.* Obſtant enim multæ rationes: quarum prima ſumitur ex hiſtoria, tam ſacrâ, quàm profanâ. Utraque enim pavonem docet primum ex *India* fuiſſe allatum, diu poſt *Jobi* tempora. In ſacra id habetur 1. *Reg.* 10. *v.* 22. & 2. *Paral.* 9. *v.* 21. *Semel in tribus annis veniebat claſſis* (Solomonis) *è* Tarſis, *quæ afferebat aurum, & argentum, dentes elephantum, ſimias,* תכיים, *& pavos.* Nemo eſt veterum, qui *Hebræam* vocem aliter reddat, ut ſuo loco (b) diximus. Pavos porro ex tam *(b) Lib. 1. cap.*
diſſitis regionibus in Judæam afferri nihil fuiſſet opus, *20 pag. 136.*
ſi jam olim *Judæi* habuiſſent, aut *Judæis* vicini *Arabes.* *&c.*
Jam, ſi *Græcos* conſulamus, *Theophraſtus* apud *Plinium* tradit invectitios eſſe in *Aſia* pavones. Et *Ælianus Hiſtoria animalium* libri quinti capite vigeſimo primo, Λέγεται δὲ ἐκ βαρβάρων εἰς Ἕλληνας κομισθῆναι· καὶ χρόνῳ πολλῷ σπάνιος ὤν, εἶτα ἐδείκνυτο τῶν ἀνθρώπων τοῖς φιλοκάλοις μισθοῦ. Καὶ Ἀθήνησί γε ταῖς νουμηνίαις ἐδέχοντο καὶ ἄνδρας, καὶ γυναῖκας, ἐπὶ τὴν ἱστορίαν αὐτῶν, καὶ τὴν θέαν πρόσοδον εἶχον. ἐτιμῶντο δὲ τὸν ἄρρενα, καὶ τὴν θήλειαν δραχμῶν χιλίων· ὥς Ἀντιφῶν ἐν τῷ Πρὸς Ἐρασίστρατον λόγῳ φησί. *Ex barbaris ad* Græcos *dicitur eſſe allatus: &, cum diu fuiſſet rarus, tandem curioſis certo pretio oſtendebatur. Et cùm* Athenis *menſium Calendis ad ejus ſpectaculum viri & mulieres admitterentur, ex eo quæſtum faciebant. Et marem ac fœminam mille drachmis æſtimârunt; ut dicit* Antiphon *in Oratione contra* Eraſiſtratum. Cui Orationi titulus alius fuit Περὶ ταῶν, *De pavonibus*: ut ex *Athenæo* diſcimus libri noni capite duodecimo. Sed titulus ille videtur ab alio fuiſſe additus: neque enim ipſe auctor aliter nominat, quam ὄρνεις ποικίλους, *aves [illegible]ias.* An quia ταῶν nomen, tum recens, nondum auſus eſt in Oratione uſurpare? Legitur quidem ταὼς in *Avibus Ariſtophanis*, & in *Acharnan.* Τοῖς ταῶσι. Sed, præterquam quod *Ariſtophanes Antiphonte* aliquanto poſterior fuit, aliæ ſunt Orationis, aliæ Comœdiæ leges. Hæc enim vulgi vocibus, illa terſo ſtylo utitur, & caſtigato magis. Utut ſit, ex eadem oratione pavos diſcimus jam ante annos triginta *Athenis* cœpiſſe nutriri, in *Demi* cujuſdam ædibus, *Pyrilampis* filii, καὶ πολλοὺς ἀφικνεῖσθαι κατὰ πόθον τῆς τῶν ὀρνίθων θέας ἔκ τε Λακεδαίμονος, καὶ Θετταλίας, *& ex* Lacedæmone, *&* Theſſaliâ (Athenas) *veniſſe multos has aves videndi deſiderio.* Unde has aves colligas tum primùm *Græcis* cœpiſſe innoteſcere. Nec ætas *Pyrilampis* poteſt eſſe incerta, cum in *Pericle* narret *Plutarchus* eum fuiſſe amicum *Periclis*, illiusque adeò memoret τὰς ὀρνιθοτροφίας, καὶ ταὼς, *aviaria, & pavones.* Proinde *Alexandri* ætate pavones in *Græcia* pauci adhuc erant. Et, *Æliano* teſte ubi ſuprà, Ἀλέξανδρος ὁ Μακεδὼν ἐν Ἰνδοῖς ἰδὼν τοὺς δε τοὺς ὄρνιθας ἐξεπλάγη, καὶ τοῦ κάλλους θαυμάσας ἠπείλησε τῷ καταθύσαντι ταὼν ἀπειλὰς βαρυτάτας· Alexander Macedo *in* Indis *has aves videns, earum pulchritudinis admiratione perculſus, pavonem occidenti graviſſimas pœnas interminatus eſt. Curtius* quoque libro nono teſtatur *Alexandrum* pavones agreſtes reperiſſe circa *Indiæ* amnem *Hydraotem*: *Hinc*, ait, *per deſerta ventum eſt ad flumen* Hydraotem. *Junctum erat flumini nemus opacum arboribus alibi inuſitatis, agreſtiumque pavonum multitudine frequens.* Ex quo ipſo diſcere eſt pavonem ex *India* veniſſe. Hinc idem *Ælianus*, qui ſuprà, libri undecimi capite trigeſimo tertio; Ταὼν δὲ Ἰνδικὸν δῶρον λαβὼν ὁ τῶν Αἰγυπτίων βασιλεὺς ταὼν, ὡς ἰδεῖν, μέγιστόν τι καὶ ὡραιότατον· *Cùm* Indicum *pavonem, eumque maximum, & formoſiſſimum, dono accepiſſet* Ægypti *Rex.* Et libri decimi tertii capite 18. ubi deſcribit palatium Regis *Indorum*; Ἐν δὲ τοῖς παραδείσοις τρέφονται μὲν ταὼς ἥμεροι· *In hortis ejus manſueti pavones aluntur.* Et lib 16. cap. 2. Γίνονται δὲ καὶ ταὼς ἐν Ἰνδοῖς τῶν πανταχόθι μέγιστοι. *Sunt & in* India *pavones multo maximi.* Et *Lucianus* in *Navigio*, Ὄρνις ἐκ Φάσιδος, καὶ ταὼς ἐξ Ἰνδίας. *Gallina ex Phaſide* (Phaſianus,) *& pavo ex India.* Itaque, cum de pavonibus ſcribit *Menodotus Samius*,

Πρώτιστοι καὶ ἐγένοντο, καὶ ἐτράφησαν ἐν Σάμῳ, καὶ ἐντεῦθεν εἰς τοὺς ἔξω τόπους διεδόθησαν, ὡς καὶ οἱ ἀλεκτρυόνες ἐν τῇ Περσίδι, καὶ αἱ καλούμεναι μελεαγρίδες ἐν τῇ Αἰτωλίᾳ· *Primi quidem in* Samo *editi, ac educati, atque indè in alias regiones diducti, ut galli è* Perſide, *& meleagrides, quas vocant, ex* Ætolia: non dubium eſt, quin mentiatur in gentis ſuæ gratiam. Et fruſtrà objicitur priſca de *Argo* fabula à *Mercurio* occiſo, & in pavonem mutato. Antiquisſimam enim eſſe oportet ſive hiſtoriam, ſive fabulam, quæ *Mercurio* tribuit *Argi* cædem, cum indè *Mercurius* àb *Homero* & *Heſiodo* vocetur Ἀργειφόντης· ſed *Argi* in pavonem metamorphoſis inventum eſt recens, cujus auctorem non reperio *Moſcho* antiquiorem. Itaque *Moſcho* ferè æqualis *Apollodorus*, libro ſecundo *Bibliotheca*, *Argi*, à *Mercurio* perempti, cædem ſic refert, ut de ejus metamorphoſi ne γρῦ quidem habeat: ut neque *Homeri* vetus *Scholiaſtes* in *Iliad*, β´ ad vocem Ἀργειφόντης· Unde apparet novam fuiſſe hanc fabulam, neque admodum receptam. A qua tamen natâ pavon s cœpêre demùm pro ave *Junonis* haberi, & à *Poetis* aſſigi Deæ currui, & *Sami* ali in ejus æde, & cudi etiam in *Samiorum* nummis, qui hodieque extant. Non me latet *Ariſtophanis Scholiaſtem* velle ad hanc fabulam alludi, cum in *Avibus Epops* dicit *Euelpis*,

Τηρεὺς γὰρ εἶ σύ; πότερον ὄρνις, ἢ ταώς;

Epops ſcilicet ſe dixerat fuiſſe *Tereum*; quia *Tereus*, in ἔποπα, ſeu *upupam*, mutatus fuiſſe fingitur. Conjicit ergo *Scholiaſtes Euelpidem Teres* nomine *Argum* intellexiſſe, qui Τηρεὺς dic[illegible] fuerit, ἀπὸ τὸ τηρεῖν τὴν Ἰώ, ac proinde rogâſſe, an eſſet pavo, juxta fabulam, quæ *Argum* dicit in pavonem fuiſſe mutatum. Sed hyeme *Gallica* frigidior eſt hæc conjectura. Hic ad *Argi* fabulam alluſio fruſtrà quæritur: tantum *Euelpis* dubitat, utrùm *Epops* pro upupa, aut pro pavone ſe gereret: quia nota, quam ſumpſerat, id eſt, criſta è plumis, ut pro upupa haberetur, etiam pavoni convenit. At pavones, in *Græcia* ólim tam rari, tandem vileſcere cœperunt. Quod docent hæc *Antiphanis*, qui fuit mediæ Comœdiæ *Poeta* celeberrimus;

Τῶν ταῶν μὲν ὡς ἅπαξ τις ζεῦγος ἤγαγεν μόνον,
Σπάνιον ὂν τὸ χρῆμα· πλείους δ' εἰσὶ νῦν τῶν ὀρτύγων.

Pavonum olim par ſolum unicum adduxit quiſpiam, tum raram avem: at nunc plures ſunt quam coturnices. Quod ipſum *Romæ* contigit, ubi pavonem cibi gratiâ *Romæ* primus occidit *Hortenſius* (a) adjiciali cœna Sacerdotii. Saginare primus inſtituit circa noviſſimum Piraticum bellum *M. Aufidius Lurco*, exque eo quæſtu reditus ſeſtertiûm ſexagena M. habuit. In quem lurconum ætatis ſuæ luxum *Publius Syrus* apud *Petronium* ità invehitur.

(a) *Plin. lib.* 10. *cap.* 20. *Varro Ruſt. lib.* 3. *c.* 6. *Ælian. lib.* 5. *cap.* 21. *Tertull. De Pallio cap.* 1.

Luxuria rictu Martis *marcent* (b) *mœnia:*
Tuo palato clauſus pavo paſcitur,
Plumato amictus aureo Babylonico.

(b) *Al. mumia.*

Hortenſium enim ſequuti multi, teſte *Varrone* libri tertii *Ruſticorum* capite ſexto, extulerunt pavonum pretia. *Ità ut*, inquit, *ova eorum denariis veneant quinis, ipſi facile quinquagenis.* Ad quæ *Varronis* verba *Macrobius* (*Saturnal.* lib. 3. cap. 13.) ità exclamat; *Ecce res non admiranda ſolùm, ſed & pudenda: ut ova pavonum quinis denariis veneant, quæ hodiè non dicam viliùs, ſed omnino nec veneunt!* Ex his pavonem colligitur tam *Romæ*, quam in *Græcia* fuiſſe peregrinam avem. Nempe in *India* veri pavonum natales, ut probavimus. Unde primò in *Perſidem*, *Mediam*, & *Babyloniam* transvectos fuiſſe crediderim. Atque inde appellari *Medicos*, & *Perſicos*, & *Babylonia* attribui; ut ſuo loco (c) docuimus. Sed & in *Judæam* allati ſunt ſub *Solomonis* regno: & in *Græciam* non multò ante *Alexandrum*. Unde *Romæ*, & in reliquis *Occidentis* partibus paulatim ſunt propagati. Cùm igitur *Jobi* ætate *India* fuerit inacceſſa, notum illi fuiſſe pavonem, aut ſui ævi *Arabibus*, parum veriſſimile eſt. Si quis ibi Deum loqui reſpondeat, cui omnia nota ſunt: nihil egerit. Neque enim potentiam, aut providentiam ſuam *Jobo* probavit Deus à rebus ipſi ignotis. 2. Præterea, ſi de pavone hic ageretur, ave tam eximiâ, quæque miraculi inſtar eſt, non tam paucis, nec ità ſtrictim tranſigeretur tanta res: nec in eo capite, in quo leones, ibices, onagri, equi, ſtruthiones, aquilæ, *&c.* multis verſibus ſinguli deſcribuntur, de pavone ſolum diceretur, *Alis exultat pavo.* Et ratio vix patitur, ut pavonis & ſtruthionis deſcriptiones in eodem verſu jungantur. 3. Quorſum à cantu pavones dicantur רננים *renanim*, cùm vocem habeant plane rudem, & inconditam, quæque adeò *ſtridor* vocatur à (d) *Palladio?* Is itaque in *Phædro* lib. 3. fab. 57. apud Junonem conqueritur ſe derideri, ſimul ac vocem miſerit. 4. Quod ſolum affertur, ut רננים *renanim*, probentur eſſe *pavones*, nempe quod *alis* dicantur *exultare*, plane contrarium evincit, & in eos, qui ſic ſentiunt, retorqueri poteſt κατὰ βίαιον. Neque enim pavonum proprium eſt *alis exultare*, ſed *caudâ*. Ibi enim gemmæ latent, quorum ſplendore ſe effert. *Lucretius* libro ſecundo,

(c) *Part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 20. *pag.* 137. *lin.* 9. *&c. ſuprà.*

(d) *Lib.* 1. *cap.* 28.

Caudaque pavonis, larga cum luce repleta eſt,
Conſimili mutat ratione obverſa colores.

Ovidius libri decimi quinti *Metamorphoſeos* Fabulâ trigeſimâ quintâ,

Junonis *volucrem, quæ caudâ ſidera portat.*

Statius libro ſecundo *Sylvarum*, in *Pſittaco Melioris*;

Quem non gemmata volucris Junonia *caudâ*
Vinceret aſpectu. ———

Epigrammata veterum, ubi de *Gentia*, & *Choë*;

Cum quatit, & caudam Junonius *explicat ales,*
Mille oculos, gemmas mille decenter habet.

Quod *Chryſippus* ità miratur, ut aſſerat τὸ ζῶον γεγονέναι ἕνεκα τῆς κέρκου, καὶ διὰ τὸ κάλλος, *hoc animal propter caudam ſuam fuiſſe creatum, non contra*, id eſt, caudam propter animal. Ita *Plutarchus* in libro *De Stoicorum contrar.* Proinde, ut ſe oſtentet, non alas, ſed caudam expandit. Plinius, *Simul umbra quoſdam repercuſſus cæteris, qui in opaco clariùs micant, conchatâ quærit caudâ.* Columella, *Semet ipſum, velut mirantem, cauda gemmantibus pennis protegit.* Dio Chryſoſtomus, (e) Ἀνακλάσας τὴν οὐρὰν, καὶ περιστήσας αὐτῷ πανταχόθεν ὥσπερ εὐειδὲς θέατρον. *Infringens caudam, & circumquâque ſibi ſtatuens tanquam ſpecioſum theatrum.* *Phædrus* libri tertii Fabulâ quinquageſimâ ſeptimâ,

(e) *Lege* Ἀναχλάσας *vide ſuprà, pag.* 241. *lin.* 5. *&c.*

Pictiſque plumis gemmeam caudam explicans.

Lucianus, τὴν οὐρὰν ἐπάρας, καὶ πάντοθεν αὐτὴν περιστήσας, ἐπιδείκνυται τὰ ἄνθη τὰ αὐτοῦ· *Caudâ ſublatâ, & circumquâque expansâ, ejus etiam flores oſtentat.* Etymologus, Τοῖς ὁρῶσι τὴν οὐρὰν ἐξαπλοῦν ἐπιδεικνύει. *Spectatoribus ſextuplicem caudam ſuam oſtentat.* Damir,

عقد ذنبه كالطاق *Componit caudam ſuam ut arcuatum opus.* Unde eſt, quod cùm cauda perit tota pavonis gloriatio. Plinius, *Ideo caudâ annuis vicibus amiſſa cum foliis arborum, donec renaſcatur iterùm cum flore, pudibundus, ac mœrens quærit latebram.* Non ignoro *Poetas* alis tribuere καταχρηστικῶς quod caudæ proprium eſt. *Moſchus*,

Ὄρνις ἀγαλλόμενος πτερύγων πολυανθέϊ χροιῇ,

Avis alarum florido colore exultans. *Martialis* in *Xeniis*, Epigrammate 70.

Miraris quoties gemmantes explicat alas.

Claudianus in *Rufinum* libro primo.

Patritius roſeis pavonum ventilat alis.

Alis pavonum, id eſt, *caudis*. Nam ex pavonum cauda fiebant hujusmodi flabella. *Martialis* in *Apophoretis* de muſcario pavonino,

Lambere quæ turpes prohibet tua prandia muſcas,
Alitis eximiæ cauda ſuperba fuit.

Propertius libri ſecundi Elegiâ ad *Demophoontem*,

Et modo pavonis caudæ flabella ſuperbæ.

Sed

Sed in Scriptura כנף in ave nihil quidquam quàm *alam* ſignificat. Itaque רננים *renanim*, aves eſſe oportet, quæ verè alis exultent, aut quæ etiam in alis habeant exultandi materiam.

Has autem eſſe ſtruthiones multa non ſuadent ſolùm, ſed & perſuadent. 1. *Hieronymi* auctoritas, qui ſic reddidit, qualis nulla ab iis profertur, qui pavones hic intelligunt. 2. Quod ut duo verba ענה *ana*, & רנן *ranan*, in *clamandi*, & *canendi* ſignificatione ſunt ſynonyma prorſus, ità ſynonyma eſſe credibile eſt avium duo nomina ab his deducta, quæque adeo ejuſdem penè formæ ſunt; nempe יענים *jeenim*, & רננים *renanim*. Itaque ut יענים, *ſtruthiones fœminas* ſonat, ut ſuprà (e) probavimus, ità etiam רננים. Eæ porrò ſic appellantur διὰ τερετισμὸν quia cùm vox maris ſit gravior, atque horridior, vox fœminæ eſt canora magis. Ac proinde de mare عار *arra* dicunt, ſed de fœmina زمر *zamara*, quod *canere* eſt. Et ipſa fœminæ vox زمار *zimar*, ſeu *cantus* appellatur.

(e) Cap 14 pag. 218. &c.

3. *Alis exultare* ſtruthiones rectè dicuntur, cum eorum alacritas ex alis tota pendeat: quamvis enim ad volatum ſint iis inutiles, tamen currentes mire juvant, & ſunt tanquam vela in navi. Quod veteres & novi ſcriptores communi conſenſu tradunt. *Xenophon* in *Cyro minore* libro primo, Στρουθὸν δὲ οὐδεὶς ἔλαβεν, &c. Πολὺ γὰρ ἀπέσπα ἀποφεύγουσα, τοῖς μὲν ποσὶ δρόμῳ, ταῖς δὲ πτέρυξιν αἴρουσα, ὥσπερ ἱστίῳ χρωμένη. *Struthionem nemo cepit, &c. Fuga enim longe ſe proripiebat, pedibus quidem curſu, alis verò ſublatis & tanquam velo uſa.* *Diodorus* libro tertio, Ὅταν κατ᾽ ἄνεμον φορὰν ἐξαίρῃ τὰς πτέρυγας ὑπεξάγει καθαπερεί τις ναῦς ἱστιοδρομοῦσα. *Cum ſecundo vento pennas attollit, fertur ut navis paſſis velis.* Et paulò poſt, Ὅταν δ᾽ ἐν ἠρεμίᾳ διώκηται, ταχὺ συνιδρωσῶν τῶν πτερύγων ἀδυνατεῖ χρήσασθαι τοῖς τῆς φύσεως προτερήμασιν, καὶ ῥᾳδίως καταλαμβανόμενον ἁλίσκεται. *Sed cum ceſſante vento illud animal inſequuntur, mox alis ſudore madidis, cùm naturalibus præſidiis uti nequeat, illud nullo negotio aſſequuntur, & capiunt.* *Ælianus* libri ſecundi capite vigeſimo ſeptimo, Ἡ στρουθὸς ἡ μεγάλη λασίοις μὲν τοῖς πτεροῖς ἐπτέρωται. ἀρθῆναι δὲ, καὶ εἰς βαθὺν ἀέρα μετεωρισθῆναι φύσιν οὐκ ἔχει. Θεῖ δὲ ὤκιστα, καὶ τὰς παρ᾽ ἑκατέραν πλευρὰν ἑκατέρας πτέρυγας ἁπλοῖ, καὶ ἐμπῖπτον τὸ πνεῦμα κολποῖ, δίκην ἱστίων, αὐτάς. *Denſis quidem alis ſtruthio-camelus inſtructus eſt. Tamen ut ſuâ terra extollatur, & in ſublime feratur, non fert ejus natura. Sed currit quàm citiſſime, & ab utroque latere alas explicat, quas ventus, velorum inſtar, implet.* Et libri quarti capite tertio, Εἰ δὲ αὐτὴν διώκοι τις, ἥδε οὐκ ἐπιτολμᾷ τῷ πτῆναι, θεῖ δὲ τὰς πτέρυγας ἁπλώσασα. *Si quis eum inſequatur, volare non aggreditur, ſed alis expanſis currit.* Et libri octavi capite decimo, elephantes in pugna patulas aures expandere idem narrat, δίκην τῶν στρουθῶν τῶν μεγάλων, ἀπαίρουσι τὰς πτέρυγας ἁπλώσασαι, ἢ φεύγουσιν, ἢ ἐπιοῦσιν, *ſtruthionum in morem, qui, ſive fugiant, ſive invadant, expanſis alis feruntur.* Phile capite tertio,

Κολποῦν ἑαυτῆς τὰ πτερὰ πρὸς τὸν δρόμον,
Ὡς λαῖφος οἶδεν ἐκ πνοῆς πλησίστιον·

Alas ad curſum explicans, ut velum turgens vento, quo impletur. Hinc *Plinius* libri decimi capite vigeſimo, *(Equitis) celeritatem vincunt, ad hoc demùm datis pennis, ut currentem adjuvent.* Et *Claudianus* in *Eutropium* libro ſecundo,

Vaſta velut Libyæ *venantum vocibus ales*
Cum premitur, calidas curſu tranſmittit arenas,
Inque modum veli ſinuatis flamine pennis
Pulverulenta volat. ———

Currere & *volare* dicit; quia ſtruthionis greſſus in fuga medium quid eſt inter curſum & volatum, aut ex utroque mixtum. Quò pertinent hæc *Plauti* in *Perſa* Actus ſecundi Scenâ ſecundâ,

Vola curriculo. P. *Iſthuc marinus paſſer per circum ſolet.*

Marinus paſſer, id eſt, *ſtruthio*. Neque aliter recentiores ſtruthionis curſum nobis deſcribunt. *Leo Africanus* libro nono, *In alis pennas habet grandes, & nigri coloris, quibus, volatu inutilis, ad curſum crebrâ alarum & caudæ agitatione juvetur.* Quod idem in *Marmolio* legas *Africæ* libri primi capite vigeſimo tertio. Ità ex *Arabibus* Alkazuinius, اذا غـــدت النعامة ارخت جناحيها الي رجليها فلا يسبقها شي من الحيوانات *Cùm currit ſtruthio, alas ſuas uſque ad pedes demittit, neque ullum animal eum aſſequitur.* Sed ibidem traditur res falſiſſima: اذا استقبلت الريــح كان اشد ما اذا استدبرتها *Cùm ventum habet oppoſitum, vehementiùs currit, quam cum habet ſecundum.* Quod & naturæ repugnat, & veterum teſtimoniis. Itaque *Abu Ubeid* fruſtra ibidem ſe fatigat in exquirenda hujus miraculi cauſa. Non poſſum non addere Proverbium *Arabum* in *Alcamus*, ركب جناحي النعامة *Equitavit alas ſtruthionis*: id eſt, جد في الامر واجتهد *Magno ſtudio, & diligentiâ aliquid egit.* Idem Proverbium *Damir* exponit multo pluribus. Sed hinc docuiſſe ſufficiat ex *Arabum* ſententia nihil eſſe ſtruthionum alis velocius. Poteſt etiam alio ſenſu ſtruthionum alis exultatio tribui. *Cardanus* libro decimo *De ſubtilitate*, *Nulli avium in pennis tanta jucunditas, aut pulchritudo: ob id galeas milites non aliis ornant.* Quod jam olim in uſu fuit. *Theophraſtus*, *Hiſtoriæ plantarum* libri quarti capite quinto, de *Indica* quadam arbore; Τὸ φύλλον τὴν μὲν μορφὴν πρόμηκες, τοῖς τῶν στρουθῶν πτεροῖς ὅμοιον, ἃ παρατίθενται περὶ τὰ κράνη. *Folium formâ oblongum, ſtruthionum plumis ſimile, quæ galeis imponuntur.* *Plinius* ubi ſuprà, *Conosque bellicos, & galeas adornantes pennæ.* Hæ porrò pennæ tam ex alis, quàm ex cauda ſumuntur. Neque ullum eſt animal, cujus pennæ ſint tam æquales; proindè apud *Ægyptios* ſtruthionis penna legitur fuiſſe æquitatis ſymbolum. *Horus* libro ſecundo propè in fine, Ἄνθρωπον ἴσως τὸ δίκαιον ἀπονέμοντα βουλόμενοι σημαίνειν, στρουθοκαμήλου πτερὸν ζωγραφοῦσι· τοῦτο γὰρ τὸ ζῶον πανταχόθεν ἴσα ἔχει τὰ πτερυγώματα παρὰ τὰ ἄλλα. *Hominem jus ex æquo omnibus impertientem ſignificare volentes, ſtruthionis pennam pingunt: hoc enim animal præter cætera pennas alarum undequaque æquales habet.* Quod ipſum ſtruthionum alis decus addit, & venuſtatem. 4. Præter ſtruthionem decem animalia deſcribit Sacer Scriptor in hoc; & ſequenti capite, quorum omnium nomina pro lemmate leguntur in primo ſtatim hemiſtichio. Ità leonis deſcriptionem ità orditur, *An venaberis leænæ prædam?* Et cùm indè tranſit ad corvum, *Quis corvo paravit eſcam?* Unde ad ibices veniens, *Noſtine*, inquit, *Quando pariant ibices petrarum?* Et poſtea de onagro, *Quis onagrum dimiſit liberum?* Et de rim, quem interpretes volunt eſſe *monocerotem*; *An volet rim tibi ſervire?* Quidni igitur pari ratione etiam ſtruthio in verſûs prima parte ponatur? Maximè cùm quæ ſequuntur equi, accipitris, aquilæ, & τοῦ *Behemoth* & *Leviathan* deſcriptiones ſemper eandem regulam ſervent? Hic igitur eodem modo rem ſe habere credam, & in prima parte verſûs legi nomen animalis, cujus graphica ſequitur deſcriptio, donec aliquis ediderit rationem differentiæ, qualis hic nulla ſe offert.

5. Cùm in confeſſo ſit ad ſtruthionem pertinere ſequentem deſcriptionem, ejus nomen præmitti neceſſe fuit, æquè ac decem aliorum animalium, quæ à *Jobo* deſcribuntur. At, ſi רננים *renanim*, non ſunt *ſtruthiones*, certum eſt ſtruthionis nomen in hoc verſu nuſquam extare. Nam חסידה *chaſida*, quod illi *ſtruthionem* explicant, *ſtruthionem* non eſſe certum eſt; cùm migratoria ſit avis, *Jerem.* 8. *v.* 7. & ſurſum volet, *Zachar.* 5. v. 9. & in abietibus nidificet, *Pſ.* 104. v. 17. & à pietate nomen habeat: חסידה *chaſida*, ad verbum *piam* ſonat. Quod nomen ſtruthioni nullo modo convenit, cùm *Thren.* 4. v. 3. atque in hoc ipſo loco, ſtruthio deſcribatur ut avis in ſuos impia, & immiſericors. Niſi חסידה dici velint κατ᾽ ἀντίφρασιν, ſcilicet *Eumenides* quâ ratione vocant. Itaque optimi interpretes adeòque illi ipſi, qui *chaſida ſtruthionem* hic eſſe volunt, conſtanter alibi *ciconiam* reddunt. Quam verſionem eſſe veriſſimam ſuo loco pluribus probabo. E novis interpretibus unus eſt vir doctus, & pius, quem hæc minimè latebant. Is igitur, quamvis communi errore abreptus רננים *renanim*, accipiat pro *pavonibus*, tamen חסידה *chaſida*, *ciconiam* explicat. Sed quia ſtruthio-cameli nomen non poterat ex hoc verſiculo ſine piaculo abeſſe, ultimam vocem נוצה non ſolum avem cum *R. Selomone* eſſe voluit, ſed & *ſtruthio-camelum*. At נוצה ſi avis ſit nomen, cùm *à volatu* ſit factum (nam נצה Verbum volare ſonat) *ſtruthioni* non quadrabit, quæ ſola avium eſt volatûs expers, nec unquam è terra ſe extollit. Quid quod נוצה nè avis quidem eſt? nam נוצה nihil quidquam, quam *pennam*, aut *plumam* ſignificat. Patet id *Ezech.* 17, 3 ubi aquila deſcribitur מלא הנוצה, *plena plumis*, & רב נוצה, *multis plumis*, vel *copioſa plumis*, quomodo is ipſe reddit. Vox igitur, quæ ibi *plumam* ſonat, quorſum hoc loco pro ave, adeoque pro *ſtruthione* ſumatur? quorſum huic vocabulo, ſine teſte, ſine exemplo, ſine ulla rationis umbra affingetur ſignificatio nova atque inaudita, quamque ipſa vocis origo plane refellit? Ex his ſequitur *ſtruthionem* in ultimo hemiſtichio non nominari, ac proinde in primo quærendum, nempe in voce רננים *renanim*. Alioqui ab hoc verſu prorſus abeſſet. Et cum dicitur verſu ſtatim ſequente, *Relinquit in terra ova ſua*, &c. (quæ de ſtruthione dici certum eſt) hæc dicerentur de ave, quæ nuſquam antè nominata eſt, & pendula eſſet oratio, neque hæc cum præcedentibus ullo modo cohærerent.

His præmiſſis, jam conabimur totum verſum interpretari. Is *Hebraicè* ſic habet, כנף רננים נעלסה אם אברה חסידה ונוצה, Quæ nos ad verbum ità reddimus, *Ala ſtruthionum exultat, vere ala ciconia, & pluma:* id eſt, quæ verè ala, & pluma eſt, qualis in ciconia. Particula אם *im*, plerumque idem eſt, quod Si, vel nota eſt interrogationis, ut An, ἆρα πότερον. Sed &, monente *Kimchio*, ויש שהוא כמו האמת. Etiam occurrit pro Vere, & particula eſt Confirmantis, tanquam ſi fiat ab אמן, *amen*, deficiente *Nun*, ut in אמת pro אמנת. Cujus ſignificationis exempla habentur *Gen.* 47. v. 18. *Num.* 16. *v.* 30. *Job* 22. *v.* 20. *Pſal.* 59. *v.* 16. & 63. *v.* 7. *Prov.* 3. *v.* 34. & 23. *v.* 18. *Eſ.* 4. *v.* 4. & 29. *v.* 16. &c. *Ala ciconia* אברה חסידה, pro אברת חסידה, ſtatus Abſolutus pro Conſtructo, quod non eſt ſine exemplo. Sic *Deut.* 16. v. 21. אשרה כל עץ, *lucum omnis arboris*, pro אשרת. *Ruth.* 2. *v.* 17. איפה שערים, *epha hordei*, pro איפת. 2. *Reg.* 7. *v.* 1. סאה סולת, *ſatum ſimile*, pro סאת. *Pſ.* 55. *v.* 5. ענוה צדק, *& manſuetudinis juſtitiæ*, pro ענות. *Eſ.* 24. *v.* 22. אספה אסיר, *congregatione vincti*, pro אספת. *Eſ.* 42. *v.* 25. חמה אפו, *æſtum iræ ſuæ*, pro חמת. Quæ *Kimchius* in *Commentariis* paſſim per Ellipſin exponit, quaſi dicat, אשרה אשרת כל עץ. *lucum, lucum*, inquam, *omnis arboris*: ut cum legitur *Exod.* 38. *v.* 21. אלה פקודי המשכן משכן העדה, *Iſta ſunt numerata Tabernacula, Tabernaculi Teſtimonii*. Et *Num.* 32 *v.* 1. המקום מקום מקנה, *locus, locus pecoris*. Et *Pſ.* 133. *v.* 2. על הזקן זקן אהרן, *ſuper barbam, barbam* Aaronis. Et *Ezech.* 47. *v.* 3. במים מי אפסים, *in aquis, aquis talorum*. Ità in loco, in quo verſamur, legeretur, ſi plena eſſet oratio, אברה אברת חסידה, *penna, penna*, inquam, *ciconiæ*: vel poteſt ſuppleri, ſi mavis, כף דמיון, *Caph ſimilitudinis*; ità ut אברה חסידה, ſit pro אברה כחסידה, *penna ſicut ciconia*. Cujusmodi locutiones paſſim occurrunt. Ut *Gen.* 49. *v.* 9. *Catulus leonis*, Juda. Et *Deut.* 33. v. 22. Dan *catulis leonis*, id eſt, *ut catulus leonis*. Gen. 49. v. 14. Iſſachar, *aſinus robuſtus*, id eſt, *ut aſinus* Deut. 28. v. 23. *Cœli tui æs, terra ferrum*, id eſt, *ut æs, ut ferrum*. 2. Sam. 1. v. 21. *Clypeus* Saül *non unctus*, id eſt, *quaſi non unctus*. Job 7. v. 9. *Defecit nubes, & abiit, ſic qui deſcendit in ſepulchrum*, &c. *Defecit* כלה, pro ככלה, *ſicut defecit*. Job 11. v. 12. *Onager homo naſcitur*, id eſt, *ſicut onager*. Pſalm. 11. v. 1. *Quomodo dicitis animæ meæ, ut transmigret à monte veſtro* צפור, *avis*, id eſt, כצפור, *ſicut avis*. Pſalm. 14. v. 4. *Comedentes populum meum, comedunt panem*, id eſt, *ut comedunt panem*. Pſalm. 119. v. 119. *Scorias removiſti omnes impios terræ*, id eſt, *ut ſcorias*. Proverb. 17. v. 21. *Cor lætum* יטב גהה, *benefacit medicina*, id eſt, כגהה *ut medicina*. Cant. 1. v. 15. *Oculi tui columbarum*, id eſt, *ut columbarum*. Can. 7. v. 4. *Oculi tui piſcinæ in Heſbon*, pro *ut piſcinæ*. Thren. 4. v. 7. *Politie eorum ſapphiri*, id eſt, *ut ſapphiri*. Mich. 3. v. 12. Sion *ager arabitur*, pro *ut ager*.

Hæc de verbis: ſenſum quod attinet, jam prius hemiſtichium abunde explicavimus, & docuimus quo ſenſu *ſtruthionum ala* dicatur *exultare*, aut *læta eſſe*: ſed de poſteriore hemiſtichio, *vere ala ciconia, & pluma*; vel *verè ala* tanquam *ciconiæ, & pluma*, duo quæri poſſunt. 1. Quo pertineat illa aſſeveratio, *VERE ala, & pluma*. 2. Cur *ala* & *pluma ciconia* dicatur, aut *tanquam ciconia*. Ad primum reſpondeo, ſtruthionem avem eſſe non avem, quæ in multis accedit ad naturam quadrupedis. Quod pridem obſervavit *Philoſophus* libro quarto *De partibus* fere in fine. Verba ſunt, *Quædam habet avis, quædam quadrupedis propria. Non eſſe quadrupedem ſuadet, quod pennas habet, & non eſſe avem, quod non volat in ſublime, nec pennas ad volatum commodas, ſed piloſas habet. Inſuper tanquam quadrupes ſuperiora habet cilia, & capite glaber eſt, & parte colli ſuperiore; adeoque cilia habet piloſiora. Sed, ut avis, inferiora habet plumis operta. Et bipes etiam eſt, ut avis; ſed biſulcus ut quadrupes. Neque enim habet digitos, ſed biſidam ungulam: cujus cauſa eſt magnitudo, quam non habet avis, ſed quadrupedis* Hinc *Diodorus* de *Arabia* libro ſecundo, Φέρει δ᾽ ἡ χώρα καὶ ζῷα διφυῆ, καὶ μεμιγμένα ταῖς ἰδέαις, ὧν αἱ μὲν ὀνομαζόμεναι στρουθοκάμηλοι περιειλήφασι τοῖς τύποις μίγματα χηνῶν, καὶ καμήλων· *Fert etiam animalia naturæ duplicis, & biformia, in quibus qui ſtruthio-cameli vocantur, ſpeciem ex anſeribus & camelis mixtam, habent*. Pro χηνῶν lego πτηνῶν· quia, cum id probavit per partes, ſtruthionem concludit χερσαῖον ἅμα φαίνεσθαι, καὶ πτηνὸν, *terreſtrem ſimul, & volucrem videri*. Hinc *Herodotus* στρουθοὺς καταγαίους appellat, id eſt, *paſſeres terreſtres*. Et *Plinius* ſcribit eſſe *penè beſtiarum generis*. Et *Tertullianus*, *Beſtia quadam magis quam avis*. Et *Alkazuinius*,

حيوان مركب من خلقة الطير والجمل *Animal eſt compoſitum ex natura avis, & cameli*. Hinc *Arabum* Proverbium eſt in

Dami-

Damire, de eo, qui ſibi non conſtat, nec bonum dignoſcit à malo, النعامة لا طير ولا جمل *Struthio neque avis, neque camelus eſt.* Proinde *Gabriæ* Fabulâ vigeſimâ octavâ, cùm feræ & volucres inter ſe diſceptarent, utroſque decipiebat *Λίβυσσα στρουθὸς, Libycus ſtruthio*, cùm videretur

Εἶναι μὲν ὄρνις, ἐκ μέρους δὲ θηρίον,
Πτηνοῖς κάρην δεικνύουσα, τοῖς θηρσὶ πόδας,

Avis quidem eſſe, ex parte autem fera, volucribus caput, pedes feris oſtendens. Cum igitur hoc animal quadrupedis tam multa habeat, hic à Sacro Scriptore deſcribitur cum feris quadrupedibus. Et quia res παράδοξος videri queat tale animal pennas & plumas habere ut veras aves: ideò proponitur cum hac aſſeveratione, *Verè penna*, &c. *& pluma* ſupple *illis eſt.* Neque obſcurum eſt, cur non ſolùm pennas habere dicatur, ſed & ciconiæ pennas. Struthio colore pennarum planè ciconiam refert. *Marmolius* ubi ſupra, *En las alas y en la cola tiene grandes plumas negras y blancas, como las de la cigueña.* In alis, & in cauda magnas habet pennas nigras, & albas, ut ciconiæ pennas. Hinc *Scaliger* (f) *Cardanum* arguens, quòd ſtruthioni tribuat pennas cœruleas, candidas, nigras, rubras, virides, quibus ornantur militum galeæ; *Riſum*, inquit, *movent colores, quos ab infectorum officinis in apothecas Natura tranſtuliſti. Quis enim te non rideat illa vendıtantem, hoſce colores, quos in galeis inſigniunt, nativos eſſe ſtruthio-camelis? Omnes enim fuſco & albo picti ſunt, ut mihi dixerunt multi mercatores* Africani. *Quod ut meliùs intelligerem, ciconiæ colori comparabant.* Verſus iſte ſic expoſitus ſequentibus lucem inferet.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

Explicantur *Jobi* reliqua de Struthione capitis trigeſimi noni verſibus decimo ſeptimo, decimo octavo, decimo nono, vigeſimo, & vigeſimo primo.

Hebræum כי, *id eſt, ſed. Enallage Numeri. Animalium nomina quædam Maſculina terminatione, ſed Fœminina genere. Præter ſtruthionem avis nulla eſt, quæ ova, aut pullos ſuos negligat. De cygno, meleagride, otide, columbâ, corvo idem, ſed falsò tradi. Columba erga prolem quàm pia. Struthionem ova ſua deſerere docent* Arabes. *Ova deſerta quomodo vocent. Multa de ejus nido.* Ælianus *&* Phile *emendati. Ova deſerta calefieri, id eſt, corrumpi, non foveri, ut volunt. Ova in longitudinem diſpoſita quomodo foveat ſtruthio.* הקשיח *quid propriè. Struthio in prolem quàm durus. Generis Enallage* Hebræis *frequens, maximè circa animalia. Cur pro ovis* Job *filios dixerit. Stylus in* Jobo *conciſus. Oppoſitio elegans. Struthio, timidiſſimum animal, cur dicatur eſſe abſque metu. Timor parentum pro filiis unde oriatur. Struthio cur in ferrum ruat. Quot ova pariat. Brutorum prudentia, & ſapientia. Struthio quo ſenſu dicatur oblıviſci ſapientiæ. Refelluntur, qui ſtruthionem volunt ovorum partem certo conſilio negligere. Stultitia ejus probatur. 1. Ex eo, quòd omnia ſine delectu vorat, prunas etiam, & ferrum candens. 2. Ex eo, quod caput abdens totum ſe latere putat, quod* Diodorus *fruſtrà excuſat. 3. Ab arte, quâ capitur. 4. Ex eo, quòd ova deſerit. 5. Ex forma corporis. Parum habet cerebri, caput exile, quod frequenter agitat. Surdus eſt. Animal eſt proceriſſimum. Equitem ſpernit celeritatis fiduciâ, non virium, ut volunt. Equi pauciſſimi ſunt, & immenſi pretii, qui eum curſu ſuperent. Ejus celeritatem* Arabes *quibus verbis efferant. Quomodo ad curſum ſe incitet.*

POſtquam in *Jobo* de ſtruthione id explicavimus, quod erat longè difficillimum, in cæteris minus laboris, plus erit utilitatis. Et poſt ἀκανθολογίαν, ſeù *ſpinilegium*, ſequetur ἀνθολογία, aut veriùs *ſpicilegium*. Sacra autem verba ſic habent, *Sed relinquit in terra ova ſua, & ſuper pulverem calefinat. Et obliviſcitur fore, ut illa pes comprimat, & agri fera conterat. Dùriter tractat pullos ſuos, ac ſi non eſſent ſui. Fruſtrà laboravit, abſque timore eſt. Quia privavit eam Deus ſapientiâ, nec prudentiam ei impertitus eſt. Quo tempore in altum ſe attollit, ridet equum, & ſeſſorem ejus.* Quæ ſingula jam exponemus.

Sed relinquit in terra ova ſua] *Hebraicè*, כי תעזב לארץ ביציה. Connexio hujus verſùs cum præcedente talis eſt: "Struthio alis ſuis exultat, quas alacres, & pulchras habet; ſed eadem eſt ἄστοργος, "& ova ſua negligit. Aliquas habet in corpore dotes, ſed duram mentem, atque immiſericordem. Itaque כי hoc loco idem, quod *ſed*: ut *Gen.* 45. *v.* 8. *Non vos me huc miſiſtis*, כי האלהים, *ſed Deus. Relinquit*, תעזב, eſt Numeri Enallage. Nam Plurale præceſſerat, *Ala ſtruthionum exultat.* Sed hac Enallage nihil eſt frequentius in *Jobi* libro. Sic in hoc ipſo loco, *Relinquit in terra ova ſua*, &c. *Et obliviſcitur fore, ut pes conculcet illud.* Et paulò infra de equo, *Nunquid dediſti equo fortitudinem*, &c. *Fodiunt vallem, & geſtit fortitudine.* Idem verbum תעזב, *relinquit*, licet genere Fœmininum, tamen refertur ad Nomen רננים *renanim*, Maſculinæ terminationis. Sed & יענים, *ſtruthiones*, יעלים, *ibices*, רמכים, *equæ*, רחלים, *oves*, & hoc ipſo loco ביצים, *ova*, utut Maſculina terminatione, tamen genere ſunt fœminina. Quòd porrò hæc avis ova ſua in terra dicitur relinquere, planè docet eſſe ſtruthionem. Nam in toto genere avium alia nulla ſe offert, quæ hujus criminis verè inſimuletur. *Indi* quidem apud *Ælianum* (*Hiſt.* lib. 14. cap. 13.) ideò cygnos oderunt, quòd illos fama fert ἐπιβουλεύειν ἐκγόνοις, καὶ διαφθείρειν τὰ ᾠά, *fœtus ſuo inſidiari, & propria ova perdere.* Sed famæ non ſemper credendum, quæ

Tam ficti eſt, pravique tenax, quàm conſcia veri.

Neque neceſſe habemus ad extremos *Indos* currere, ut diſcamus cygni naturam, qui cùm in *Batavia*, & *Britannia* ſit frequens, negant tamen *Batavi* & *Britanni* omnes ſe tale quidquam in cygno obſervâſſe. Ejuſdem eſt commatis, quod apud *Athenæum* libro decimo quarto ſcribit *Clytus*, *Ariſtotelis* diſcipulus, de ave meleagride: Ἔστι δὲ ἄστοργον πρὸς τὰ ἔκγονα τὸ ὄρνεον, καὶ ὀλιγωρεῖ τῶν νεωτέρων, ὥστε ἀνάγκη τοῖς ἱερεῦσιν ἐπιμελεῖσθαι αὐτῶν. *Animal hoc exiguo eſt erga prolem affectu, pulloſque adeò negligit, ut Sacerdotibus eos curare ſit neceſſe.* A *Clyto* enim nomine meleagridis ſive gallina deſcribatur, quam *Indicam*, aut quam *Barbaricam* nos appellamus, & veteres *Numidicam*: utraque erga pullos ſuos naturali φιλοστοργίᾳ vulgari gallinæ vix cedit. Neque veriùs quidam *Arabes* idem crimen impingunt in الحباري *alhubara*, id eſt, *otidem.* Alkazuinius, قالوا ما في الطيور اشد منه بلها يترك بيضها

بيضها وتحضن بيض غيرها وفي المثل كل شي يحب ولده حتي الحباري *Ajunt nullam avem illâ ſtultiorem eſſe, cùm propriis ovis relictis, aliena foveat. Unde Proverbium. Omne animal fœtum ſuum amat præter otidem.* Sed *Damir*, qui de otide plura ſcripſit, quàm quisquam alius, quem noverim, fœminam ſaltem his verbis liberat à tam fœdo crimine: قال عثمان رضي الله عنه كل شي يحب ولده حتي الحباري خصها بالذكر لانها يضرب بها المثل في الحمق وهي علي حمقها تحب ولدها فتطعمها وتعلمها الطيران كغيرها من الحيوان *Dixit* Ottomannus, *cui Deus ſit propitius, omne animal prolem ſuam amare præter otidem. Sed id propriè ad marem pertinet. Quamvis enim fœmina ſtultitiam imputet commune Proverbium, tamen ſtultitia ſua pullos amat, & cibat, & volare docet, æquè ac reliqua animalia.* Sed & aliquem *Hieronymo* impoſuiſſe neceſſe eſt, cùm de columba ſcripſit in *Oſ.* 7. *Aves cæteræ pullos ſuos etiam cum periculo vitæ ſuæ protegere feſtinant*, &c. *Sola columba ablatos pullos non dolet, non requirit.* Certè nemo eſt, qui neſciat tam erga pullos, quam erga conjuges affectus columbarum eſſe tenerrimos. Ovis ἐκ διαδοχῆς, id eſt, *per vices*, incubant mas & fœmina: & pullos natos pari ratione συνθερμαίνοντες *conjunctim fovent.* Fœminamque, ſi poſt dolores partûs pigriùs redeat, mas ad nidum revocat levi caſtigatione. Iisdem pullos ψωμίζειν mutua cura eſt, præmanſum cibum in eorum ora ingerendo: & à nido abductæ à quantocunque ſpatio cum repetunt amore prolis. Unde factum, ut columbis internuntiis quidam uſi ſint, illas cum alligata ſchedula in oppidum remittentes, in quo ovis aut pullis incubuerant. Hinc *Oppianus* libri tertii verſu 115.

Πῶς δ' ἄρ' ἐν οἰωνοῖσι πόθον ἀλίαστον ἔχουσιν
Ὧν τεκέων φῆναί τε, βαρύφθογγοί τε πέλειαι.

Quomodo etiam inter aves amorem perpetuum ſuorum pullorum habent oſſifragæ, & gravi gemitu columbæ. Corvis quoque pullos eſſe odio licet permulti aſſerant, res tamen eſt commentitia, quod abundè ſuprà (*a*) probatum: & (*b*) aquilam ovum aut pullum unum non alia de cauſa è nido ſuo ejicere, quàm quia omnibus alendis & fovendis impar eſt. Sed ſtruthionem ova ſua non rarò in terra relinquere, & negligere, quamvis non tradant *Græci* & *Romani* ſcriptores, quibus hujus animalis natura non fuit ſatis cognita, mihi tamen ex *Arabum* monimentis eſt compertiſſimum. *Damir* وهي تخرج لطلب الطعم فمتي وجدت بيض نعامة اخري تحضنه وتنسي بيضها ولعلها ان تصاد فلا ترجع اليه ولهذا توصف بالحمق ويضرب بها المثل في ذلك *Cùm è nido prodit, ut cibum quærat, ſi reperiat ovum ſtruthionis alterius, illi incubat, & proprii obliviſcitur, Et à venatoribus inde pulſa nunquam redit. Unde eſt, quòd ſtulta deſcribitur, & illam ferit Proverbium eâ de re.* Nempe احمق نعامة *Struthione ſtultior*, quod in ſectione *De Proverbiis* idem exponit. Et ſingula hæc deſignant *Arabes* propriis nominibus. بيضة in genere eſt *ovum*, ut *Hebraicè* ביצה, iisdem literis. Unde hic Plurale cum Affixo ביציה, *ova ſua.* Cur *ovum* ſic dicatur, *Hebræos latet*, ſed *Arabes* deducunt *ab albedine.* Illis enim باض Verbum *album eſſe* ſonat. At ſtruthionis ovum ſpeciali nomine تومة *thauma* dicitur, quod *Græcè* eſt *miraculum.* Et تريكة *tharicha*, *cùm ex eo pullus exiit.* Et نتل nethel, *cùm à matre relictum eſt*, vel بيضة البلد *ovum regionis.* Alcamus, تومة بيضة النعام Thauma, *ovum ſtruthionis.* التريكة البيضة بعد ان يخرج منه الفرخ ويخص بالنعام Tharicha, *ovum, poſtquàm ex eo exiit pullus: ſed propriè dicitur de ſtruthione.* النتل بيضة النعام يملا ماء فيدفن في المفازة Nethel, *ovum ſtruthionis aquâ plenum, quod in deſerto ſepultum eſt*, nempe in mediis arenis. Et alibi, هو اذل من بيضة البلد اي من بيضة النعام التي تتركها *Ille eſt vilior ovo regionis, id eſt, ovo ſtruthionis, quæ illud reliquit.* Struthionis nidus, in quo ſolent ova hujusmodi reperiri, vocatur ادحي *udcha*, ادحوة *udchua*, & ادحية *udchia*, propter arenam circumquaque oppanſam. Nam دحا eſt *oppandere.* Idem *Alcamus*, الادحي والادحوة والادحية مبيض النعام في الرمل Udcha, & udchua, & udchia, *ſtruthionis nidus in arenis*, De quo ſic *Phile* in *Jambis*,

Καὶ τὴν καλιὰν τοῖς ποσὶν διαγλύφειν
Εἰς ἀνίχνευσιν ψάμμον ἐν τῷ δαπέδῳ.

Et nidum (ajunt) *pedibus excavare ſuper eminentem arenam in ſolo.* Sed multò uberiùs *Ælianus*, ex quo mutuata eſt, libri decimi quarti capite ſeptimo, Καλιὰν ἐργάζεται ταπεινὴν ἐν τῷ δαπέδῳ, τὴν ψάμμον διαγλύψασα τοῖς ποσί, καὶ τὸ μὲν μεσαίτατον αὐτῆς κοῖλόν ἐστι· τὰ χείλη δὲ τὰ κύκλῳ ὑψηλὰ ἐργάζεται, ἀποτειχίζουσα τρόπον τινά· ἵνα τὸ ἐκ Διὸς ὕδωρ ἀποστάζῃ, καὶ μὴ εἰσρέῃ τῇ καλιᾷ, καὶ ἐπικλύζῃ τοὺς στρουθοῦ τοὺς νεοττοὺς ὄντας ἁπαλούς. *Humilem in ſolo nidum conſtruit, arenam pedibus excavans. Medium ejus cavum eſt: labra autem ambientia in altum extollit, & tanquam muro circummunit; ut labra illa pluviam arceant, nè in nidum influat, & ſtruthionis pullos adhuc teneros alluat.* Ut jam non ſit obſcurum, cur *Arabicè* vocetur ادحي ab arena circumquâque oppanſa. Obiter nota in *Æliani* textu legi perperam ἀποστάζῃ, & veram lectionem eſſe ἀποστίζῃ, quæ in marginem rejecta eſt. Sed & tam *Ælianus* quàm *Phile* corrigendi ſunt in vocibus διαγλύψασα, & διαγλύφειν. Legendum enim διαγλά-

(*a*) Cap. 11. pag. 205. &c.
(*b*) Cap. 3 pag. 181. lin. 50. &c.

διαγλάψασα, & διαγλάφῳ. Vox ſumpta eſt ex *Homeri* verſu 437. *Odyſſ.* δ'. de *Idothea*, *Protei* filiâ:

Εὐνὰς δ' ἐν ψαμάθοισι διαγλάψασ' ἁλίῃσιν,

Cùm cubilia in marinis arenis excavâſſet. Ubi *Scholiaſtes*, Διαγλάψασα, διαγλυφάνασα, *excavans.* At διαγλύφειν eſt *inſculpere*, *perſculpere.*

Et ſuper pulverem calefiunt] Hebraicè תחמם, *calefit* ſupple *unumquodque ovorum.* Enallage Numeri, de qua modo. Alii *calefacit*, quod cum præcedentibus non cohæret; *Relinquit ova ſua, & calefacit.* Neque enim ſtruthio calefacit ea ipſa ova, quæ reliquit. Quod incommodum ut vitaret ſanctus *Hieronymus*, perſonam ità mutavit; *Quando derelinquit in terra ova ſua, tu forſitan in pulvere calefacies ea?* Quià Verbum תחמם, tam poteſt eſſe ſecundæ Perſonæ Maſculinæ, quàm tertiæ Fœmininæ. Sed de ſuo addidit, *tu forſitan*; & omiſit Conjunctionem *ET*, quæ hanc Perſonæ mutationem non patitur. Neque enim rectè dicitur, *Cùm in terra relinquit ova ſua, & in pulvere calefacies*, pro *túne in pulvere illa calefacies?* Itaque malui reddere, *& ſuper pulverem calefit*; quamvis תחמם, ſit in *Piel*, quæ Conjugatio ſæpiſſimè Activam ſignificationem habet, ſed & quandoque Neutram. Ova porrò, à matre deſerta, *calefieri* dicuntur, non eo calore, qui vivificat, ſed qui corrumpit. Nam quòd ea volunt interpretes ſolo calore Solis, aut ſolo fotu pulveris excludi, ſine matris opera, merum ſomnium eſt; quod ex *Iſidoro*, *Alberto*, *Cardano*, *Valleſio*, &c. hauriunt Commentatores. At *Arabes* deſerta hæc ova docent corrumpi, & putreſcere; ut infrà obſervabitur. Tamen, ſi *Damiri* credimus, ومن اعاجيب النعامة انها تضع بيضها طولا بحيث لو مد عليه خيط لم يجد لشي منه خروجا عن الاخر ثم تعطي كل بيضة نصيبها من الحضن اذ كان كل بدنها لا يشتمل على عدد بيضها *Inter ea, quæ in ſtruthione mirabilia ſunt, etiam illud habetur, quòd ova ſua in longitudinem ità diſponit, ut ſi ſuper illa filum extendatur, ne unum quidem reperiatur alterum excedere. Quo facto, ova ſingula ex illius incubatu ſuam partem accipiunt, quamvis univerſa complecti non poſſit corpus ejus.* Quod fit, ut illi volunt, per contactum virtutis, quomodo in annulorum ferreorum ſerie, ſi unus magneti affricetur, reliqui primum illum ſequuntur.

Et obliviſcitur fore, ut pes comprimat ea] *Græci* σκορπιεῖ, & *Chaldæus* תבדרנה, *diſpergas ea*: ſed *Hebræum* תזורה, eſt à Verbo זור *comprimere*, non à זרה *ſpargere.* *Syrus* nullo ſenſu, ܘܛܥܝܐ ܕܪܓܠܐ ܕܦܪܚܬܐ ܐܝܬ ܠܗ̇ *Et obliviſcitur ſe pedem avis habere*: quaſi pro רגל תזורה, legerit רגל צפור לה: quod planè alienum, adeoque falſum eſt. Struthio enim pedem non habet digitatum, ut aves; ſed biſulcum, ut quadrupedes. *Philoſophus* libri quarti capite decimo quarto *De partibus*, Δίπους μὲν ὥσπερ ὄρνις, διχηλὸς δ' ὥσπερ τετράπους· οὐ γὰρ δακτύλους ἔχει, ἀλλὰ χηλάς. *Bipes etiam eſt, ut avis; ſed biſulcus, ut quadrupes: neque enim habet digitos, ſed bifidam ungulam.* Itaque pedem avis verè non habet. Sed *Hebræa* ſunt manifeſta, *Obliviſcitur fore, ut pes ea comprimat*: id eſt, ità ſtolida eſt, ut non cogitet fieri poſſe, ut ova ſua, quæ humi reliquit, ferarum, aut hominum pedibus premantur. Quaſi illi perinde ſit, utrum atterantur, necne. Ac ſi *Ulyſſes* aratrum non avertiſſet, cùm illi aranti filius in ſulco, quem ducebat, objectus eſt.

Duriter tractat pullos ſuos, ac ſi non eſſent ſui] *Chaldæus* multò aliter, שׁיחנא על בניא דלא דילה, *Fovet filios, qui non ſunt ſui*: id eſt, ova aliena, unde pulli emergant. *Syrus* ܡܣܓܝܐ *multiplicat filios non ſuos.* Quod idem ſequitur *Arabs*, & ſtruthionis mores optimè refert, de qua *Damiri*; متى وجدت بيضة نعامة اخرى تحضنها وتنسى بيضها *Si in alius ſtruthionis ova incidat, illa fovet, & ſuorum eſt immemor.* Tamen *Hebræa* hanc verſionem non ferunt. Pagninus, *Obliviſci facit illam pullorum ſuorum in quo non erunt.* Quæ non capio. *Junius*, Deus *torrefaciens excludit pullos ſuos alienâ operâ*: id eſt, *Solis æſtu fovet ova, quæ ſtruthio-camelus in arena poſuerat, donec excludantur pulli*; ut idem habet in *Notis.* Cùm enim à viris doctis de ſtruthione videret id affirmari, eò textum *Hebræum* inflectere conatus eſt. Sed ſimpliciſſima eſt verſio, quam adduximus, adeoque antiquiſſima: *Duriter tractat pullos ſuos.* Hebraicè הקשיח בניה. Verbum הקשיח, hic ſolùm extat, & in his *Eſa.* 63. *v.* 17. *Cur nos aberrare facis à viis tuis, O Domine, &* תקשיח לבנו מיראתך, *indurares cor noſtrum à timore tuo?* Ubi *Septuaginta*, ἐσκλήρυνας τὰς καρδίας ἡμῶν; & *Hieronymus*, *Indurasti cor noſtrum?* Neque aliter *Syrus*, & *Arabs.* Nempe קשח, cum *Cheth*, idem eſt, quod קשה, cum *He*, niſi quòd in illo videtur aſpiratio fortior ſignificationem intendere. Itaque etiam *Arabicè* قسي *durum eſſe*, ſed قسح *pradurum* & *rigidum eſſe* ſonat. Unde قساح *hyæna*; quia collum habet rigidum, nec ullo modo flexibile. Et رمح قاسح eſt *haſta dura & rigida*; ut haſta *Lauſi*, de qua Poëta *Æneidos* libro decimo,

Advenit, & rigidâ Dryopem *ferit eminùs haſtâ.*

Inde igitur ad animum قسح vel קשח, ſignificat *animo duro eſſe, & inflexo*: & הקשיח, vel *obdurari*, vel *duriter agere cum aliquo.* Proinde hic *Hieronymus*, *Duravit ad filios ſuos.* Et *Auguſtinus*, *Obduravit contra filios ſuos.* Et *Græci*, Ἀπεσκλήρυνε τὰ τέκνα αὐτῆς, id eſt, τὴν περὶ τὰ τέκνα φυσικὴν στοργήν. *Obduravit naturalem affectum erga pullos ſuos*: ut *Olympiodorus* rectè exponit. Quò pertinent hæc *Jer.* Thren. 4. 3. *Filia populi mei crudelis eſt, ut ſtruthionis in deſerto.* Et quòd *ſtruthio-camelus Hebraicè* dicitur תחמס, & *Arabicè* ظليم id eſt, *impius*, *iniquus*, ut jam ſuprà (c) docuimus. Verbum הקשיח, Maſculinum hic pro Fœminino uſurpari mirabitur, qui neſciet quàm in *Hebraiſmo* ſit frequens hæc Generis Enallage, maximè circa animalia. Ut *Eſa.* 14. *v.* 11. תחתיך יצע רמה ומכסיך תולעה, *Sub te ſternitur lumbricus, & obteget te vermis.* Ubi nomina Fœminina, ſed verba Maſculina ſunt. Contrà, *Exod.* 8. *v.* 6. ותעל הצפרדע *Et aſcendit rana*; & verſu decimo ſexto ויהי הכנים *Et fuit pediculus*: Maſculinis nominibus Fœminina verba junguntur. Quem eſſe Scripturæ morem dicit

(c) Cap. 15. pag. 233. lin. 20, &c.

cit *Kimchius* in *Eſaiam*, cùm non loquitur de hoc, vel illo animali, ſed עד־ דרך כל־ univerſaliter de tota ſpecie, quomodo hic de ſtruthione. *Pullos ſuos*, Hebraicè בניה, *filios ſuos*, id eſt, ova, ex quibus pulli emerſiſſent, ſi foviſſet. Itaque *filii* vocantur δευτερικῶς. Quale illud *Martialis* libri noni *Epigrammate* 42.

Iſtud, quod digitis, Pontice, *perdis, homo eſt.*

Ac ſi ſui non eſſent] *Hebraicè* ללא לה. Plenum eſſet כאשר לא יהיו לה, Ut *Job.* 10. v. 19. כאשר לא הייתי, *Ac ſi non fuiſſem.* Sed in hoc libro ſtylus quandoque eſt valde conciſus; quia ſoluta non eſt oratio, ſed ſtricta. Et huic oppoſitioni ſuus eſt lepos, *Filios ſuos tanquam non ſuos.* Quale illud *Pauli* 1. Cor. 7, 30. Οἱ κλαίοντες ὡς μὴ κλαίοντες, καὶ οἱ χαίροντες ὡς μὴ χαίροντες, &c. *Lacrymantes tanquam non lacrymantes, & gaudentes tanquam non gaudentes*, &c. Et *Hebr.* 11, 27. Τὸν γὰρ ἀόρατον ὡς ὁρῶν· *Tanquam videns inviſibilem.*

Fruſtrà laborat, absque metu eſt] *Fruſtrà laboráſſe* dicuntur matres, quæ filios pariunt non victuros. Ut *Eſa.* 65, 23. *Non fruſtrà laborabunt, nec generabunt ad conturbationem.* Ut in *Æſchyli Agamemnone* propter ablatos pullos dolent vultures δεμνιοτήρη πόνον ὀρταλίχων ὀλέσαντες, *amiſſo labore, quem in pullorum nido ſervando inſumpſerant.* Hoc eodem ſenſu ſtruthionem *fruſtrà laborare Job* ſcribit, cùm ova à ſe non ſine labore edita negligit: quia ſcilicet absque metu eſt. Non absque omni metu. Nam ſtruthio eſt animal timidiſſimum. Proinde apud *Arabes* unum è variis ſtruthionum nominibus eſt اجفيل *igphil*; quaſi *timidum* dixeris. *Alcamus*, الاجفيل الجبن والظليم ينفر من كل شي Igphil, *id eſt, timidus: item ſtruthio-camelus, qui quâcunque de cauſa fugit.* Eſt & *Arabicum* Proverbium, اجبن من نعامة *Struthione timidior:* وذلك لانها اذا خافت من موضع لا ترجع اليه ابدا *idque quia, cùm præ metu alicunde fugit, eò nunquam revertitur.* Ità *Damir* in Sectione *De Proverbiis.* Sed hîc ſtruthio dicitur eſſe *metûs expers*; quia provido illo timore caret, quo parentes impelluntur ad proſpiciendum ſuis. Qui timor ex amore oritur. *Ovidius* in Epiſtola *Penelopes*,

Res eſt ſolliciti plena timoris amor.

Et parentes hic timor ſemper tenet anxios, ac ſollicitos. Unde pater ille apud *Comicum*,

Ego, quia non rediit filius, quæ cogito, &
Quibus nunc ſollicitor rebus, nè aut ille alſerit,
Aut uſpiam ceciderit, aut perfregerit aliquid.

Sed ſtruthio, quia non amat, ità nec ſuis timet. Quamprimùm è nido exceſſit, ovorum ſuorum oblita, alienis eodem affectu, quo propriis, incubat. At, inquies, in *Æliano* (*Hiſt.* lib. 14. cap. 7.) deſcribitur ſtruthio tanquam ἐρῶσα τῶν νεοττῶν ἰσχυρῶς, καὶ διψῶσα αὐτῶν τῆς συνουσίας, *pullos ſuos impenſe amans, & eorum conſortii ſitiens*, id eſt, ſummè avida. Ità ut, ex venatione rediens, quamvis nidum reperiat ferreis mucronibus à venatore obſeptum, tamen νικωμένη ὑπὸ τοῦ ἱμέρου, καὶ οἰστρουμένη, *eorum deſiderio victa, & tanquam œſtro percita*, paſſis alis, cum curſu, & ſtridore in medium ferrum ruat, atque ità proprio impetu transfixa miſerè pereat. Reſpondeo è tot ſcriptoribus, qui de ſtruthione egerunt, unum *Ælianum* hoc referre: & in hac relatione tam potuiſſe decipi, quàm in iis, quæ præcedunt, ſtruthionem ova parere ὑπὲρ τὰ ὀγδοήκοντα, *ſupra octoginta:* cùm *Alkazuinius* ſolum viginti, *Leo Africanus*, & *Marmolius* ſolùm decem, aut duodecim cenſeant. Aut, ſi vera ſit hiſtoria, non eſſe amoris, ſed ſtuporis effectum, quòd tam cæco impetu ſtruthio in ferrum ruit: De quo ſtupore in *Jobo* ſequitur,

Quia privavit eum Deus ſapientiâ, nec prudentiam ei impertitus eſt] Utut enim ſapientia, & prudentia, ſi propriè loqui velimus, non ſint niſi hominum, qui ratione ſunt præditi: tamen etiam brutis in Scriptura tribuuntur. Ità ſerpens legitur eſſe omnium animalium φρονιμώτατος, *Gen.* 3. v. 1. Et *Chriſtus* ipſe nos jubet ejus prudentiam imitari, *Matth.* 10. v. 16. *Eſaias* quoque nobis proponit bovis & aſini exemplum, qui agnoſcunt poſſeſſorem ſuum, & præſepe domini ſui, *Eſa.* 1. v. 3. *Jeremias* ciconiam, quæ novit tempora ſua; & turturem, gruem, atque hirundinem, quæ obſervant tempus adventûs ſui. *Jerem.* 8, 7. Et *Solomon* formicam, ut, perſpectis viis ejus, ſapiamus, *Prov.* 6. v. 6. Quin, quamvis idem hominum fuerit longè ſapientiſſimus, tamen quatuor beſtiolas laudat tanquam חכמים מחכמים, *eximiè ſapientes:* nempe præter formicas, chœrogryllios, locuſtas, & ſtelliones, *Prov.* 30. v. 24. Sed *eximiè ſapere* dicuntur bruta quædam: 1. Quia ſapiunt, quantum neceſſe eſt, ad ſui conſervationem. 2. Quia in reliquis brutis hâc ſuâ ſapientiâ eminent. Quæ tamen infra humanam multis ſubſidit gradibus, cum rationis lumine deſtituatur, & ad unum ſit determinata. Sed hanc qualemcunque ſapientiam ſtruthioni hic denegâſſe dicitur Deus. Qui non humanæ ſolùm, ſed & brutorum ſolertiæ unus auctor eſt. Quò referunt quod habetur *Job.* 38. v. 36. juxta *Chaldæum*, & *Vulgatum*, *Quis dedit gallo intelligentiam?* id eſt, nemo alius præter Deum. *Hebræa* porrò ſic habent de ſtruthione כי השה אלוה חכמה, ad verbum, *quia eam oblivisci fecit Deus ſapientiæ.* Nam à נשה, *oblivisci Hiphil* eſt השה. Sed *Græci*, Κατεσιώπησεν αὐτῇ ὁ Θεὸς σοφίαν, *Tacere fecit ei Deus ſapientiam.* Et *Syrus* ܐܣܓܝ & *Arabs* اكثر *multiplicavit*, ſenſu non diverſo ſolùm, ſed & prorſus contrario. *Græci* nempe pro השה, per *He*, legerunt חשה, per *Cheth*, *ſiluit*, vel *ſilere fecit.* Et *Syrus*, ex quo *Arabs*, *Gimel* inſerto, השגה, *multiplicavit.* Sed rectè *Chaldæus*, אנשיה, *oblivisci fecit eam ſapientiæ.* Dicitur autem Deus rerum, quæ præteritæ ſunt, oblivionem inducere, cùm magna ſit mutatio. Putà, ſi adverſa lætis, aut adverſis læta ſuccedant. Sic *Joſephus*, in *Ægypto* ad honorum faſtigium evectus, primogenitum ſuum ab oblivione *Manaſſem* appellavit. *Fecit enim Deus*, inquit, *ut priſci laboris mei obliviſcerer*, Gen. 41. v. 51. Contrà, in captivitate *Babylonica* lamentatur *Jeremias*, eò quòd *in Sione Deus oblivisci fecerit ſolennia feſta, & ſabbatha*, Thren. 2. v. 6. Non eo ſenſu ſumendum, quòd hic habetur Deum feciſſe, ut ſtruthio ſapientiæ obliviſceretur. Quaſi meminiſſet priùs, & aliqua in ejus natura mutatio interveniſſet. Hic enim *oblivisci* nihil aliud eſt, quàm *non meminiſſe.* Non privativa eſt hæc oblivio, ſed negativa, Quomodo ante lucem creatam *tenebras* vocat *Moſes*, non privationem lucis, ſed meram negationem, *Gen.* 1. v. 3. Ac proinde in ſequente hemiſtichio additur ἐξηγητικῶς, ולא חלק לה בבינה, *Et non impertivit ei intelligentiam*, ſeu *prudentiam.* Itaque *oblivisci fecit*, id eſt, *non impertivit.* חלק, vulgò *dividere*, hic *impertiri* ſignificat, ut *Græcè* νέμειν. Rectè igitur *Symmachus*, Οὐκ ἔνειμεν αὐτῇ σύνεσιν, pro eo, quod *Seniores*, Οὐκ ἐμέρισεν αὐτῇ ἐν τῇ συνέσει, *Non diſtribuit ei*, vel *Non dedit ei partem in intelligentia.* Ut *Simoni Mago* dicitur *Actor.* 8. v. 21.

Οὐκ

Οὐκ ἔστι σοι μερὶς, οὐδὲ κλῆρος ἐν τῷ λόγῳ τούτῳ· *Non eſt tibi pars, neque ſors in hac re*; Act. 8. v. 21.

Sunt, qui nec per imprudentiam, nec per incuriam, aut ἀστοργίαν, ſed certo conſilio partem ovorum à ſtruthione negligi volunt, atque id ab illa fieri cum delectu, & ſolum τὰ ὑπολείμματα rejici, aut quæ ad pullos alendos ſervari neceſſe eſt. *Ælianus Hiſtoriæ* libri quarti capite trigeſimo ſeptimo, Ἡ στρουθὸς ἡ μεγάλη ᾠὰ μὲν ἀποτίκτει πολλὰ, οὐ πάντα δὲ ἀποκυεῖ, ἀλλ' ἀποκρίνει τὰ ἄγονα, τοῖς δὲ ἐγκάρποις ἐπῳάζει, καὶ ἐκ μὲν τούτων τοὺς νεοττοὺς ἐξέλεψεν· ἐκεῖνα δὲ τὰ ἐκφαυλισθέντα τούτοις τροφὴν παρατίθησιν. *Struthio etſi multa ova parit, non tamen omnia ad pullationem adhibet, ſed ſterilia ſecernit, nec niſi fœcunda incubat. Ex quibus cùm pullos excluſit, ova malè affecta pro alimento eis apponit.* Et *Phile* ubi ſuprà,

Πᾶν δὲ συχνῶν εὑρεθεῖσαν ἐργάτιν
Τὰ μὴ καθαρά γε τῆς γονῆς ἀποκρίνειν·
Ὅσους γὰρ ἐξέλεψεν ἡ ζέσις τόκους,
Ἐν τοῖς ἀπορρέουσι κυλίνδροις τρέφειν.

Et cùm reperiatur multorum ovorum operatrix, à generatione ſecernere (dicitur) *quæ impura ſunt: & quotquot pullos calor excluſit in defluentibus cylindris enutrire.* Ita vocat valde impropriè ova ſubventanea, quorum humor, è teſta defluens, pullos nutrit. *Damir,*

يقال انها تقسم بيضها ثلاثا فمنه ما تحضنه ومنه ما تجعل صغارة غذ ومنه ما تفتحه وتجعله في الهوا حتي ينعفن ويتولد دودا فتتغذي به فراخها اذا خرجت من البيض *Dicitur ova ſua in tres partes dividere: ità ut ex iis quædam ſint, quibus incubet; quædam etiam, ex quorum vitello alatur; quædam denique, quæ aperta exponit aëri; donec putreſcant, & ex iis producantur vermes, unde pulli ſui alantur, cum ex ovo excluſi ſunt.* Alkazuinius,

واذا باضت يبيض عشرين بيضة او اكثر فيجعلها ثلاثة اقسام تدفن ثلثها في التراب وتترك ثلثها في الشمس وتحضن ثلثها فاذا اخرجت فراخها كسرت ما كان في الشمس وغذتها بما فيها من الرطوبة التي ذوبتها الشمس ورقتها فاذا اشتدت فراخها وقويت اخرجت المدفون وفتحت لها ثقبا فتجمع عليها الذباب والبق والنمل وغيرها من الهوام فتاكلها فراخها الي ان تقوي فغدت فرعت *Ova cùm parit, parit autem viginti, aut amplius, ea in tres partes dividit, quarum unam terra infodit, unam Soli exponit, uni incubat. Et, pullis excluſis, frangit eam partem, quæ ad Solem erat, & pullos alit eo humore, quem continent, poſtquàm à Sole liquefactus, & emollitus eſt. Et cùm pulli invaleſcunt, & roborantur, ova infoſſa effodit, & perforat; ut ad ea congregentur muſcæ, cimices, formicæ, & ſimilia animalcula, quibus pulli veſcantur, donec firmiores facti currant, & per ſe paſcantur.* Sed hæc fabulis propiora ſunt, cùm non prudentiam ſolùm, ſed & providentiam tribuant animali, quod ſtupidiſſimum eſſe conſtabit ex iis, quæ dicturus ſum.

1. Cætera animantia cibos naturæ ſuæ congruos deligunt: hoc quodcunque ſe offert, ferrum, oſſa, vitrum, lapides, terræ glebas, carbones, candentes prunas, gemmas ex adſtantium auribus pendentes ſine ullo delectu vorat; quæ quidem non deglutire ſolùm, ſed & concoquere dicitur. *Plinius* libri decimi capite primo; *Concoquendi ſine delectu devorata mira natura.* *Ælianus* libri decimi quarti capite ſeptimo in occiſæ ventre lapides reperiri ait, οὓς περ ὢν καταπιοῦσα ἡ στρουθὸς ἐν τῷ ἐχίνῳ φυλάττει, καὶ πέττει τῷ χρόνῳ, *quos voratos, & in omaſo aſſervatos tandem concoquit.* Porta cœli *fol.* 22. d. כתב אבן רשד כי בהלעיטה את הזהב הוא נתך בגופה מחמם יותר מן האש בסגולה שלהם, *Scripſit* Averroës *eam voratum aurum in corpore ſuo liquefacere, ac ſi ſit igne calidius, per proprietatem illi inſitam.* Alkazuinius, ياكل الحصاة فتذوب في قانصته حتي يصير كالما بالخاصية خلقها الله فيه *Lapides vorat, & in ſtomacho ſuo liquefacit, donec ut aqua fiant, per facultatem à Deo illi inditam.* Et paulò pòſt, وايضا يبلع الجمر ولا يضرها *Etiam carbones vorat, qui illi non nocent.* Item, وتحمي صنجة مائة دينار من الحديد حتي تحمر وترمي الي النعامة فتبلعها وتسترها *Et ad ruborem uſque calefit ferreum cymbalum centum denariorum ponderis, & ſtruthioni projicitur; quæ illud vorat, & recondit.* Ità etiam *Damir*;

وتتبلع العظم الصلب والحجر والمدر والحديد وتذيبه (d) كالماء *Et vorat oſſa dura, & lapides, & glebas, & ferrum quæ inſtar aquæ liquefacit.* Item, واذا رات في اذن صغير لولوة خطفتها *Et cùm videt in aure parvam margaritam, rapit eam.* Et rurſus, وتتبلع الجمر فيكون جوفها هو العامل في اطفايه ولا يكون الجمر عاملا

(d) *Alii* تميعه:

عاملا في احراقه وفي ذلك اعجوبتان احدا هما التغذي بما لا يتغذي به والثانية الاستمرا والهضم *Prunas quoque deglutit, & in earum extinctionem efficax eſt corpus ejus. At prunæ non ſunt efficaces in ejus aduſtionem. In quo duplex eſt miraculum: unum in eo, quod iis alitur, quæ non alunt; alterum, eorum digeſtio, & concoctio.* Hæc illi, ſed, ut ſolent, Hyperbolicè in majus aucta. *Ælianus* in ejus ventre reperiri ait lapides, quos voratos concoxit, quæ mira eſt ἐναντιολογία. *Alexander Aphrodiſæus* in *Præfatione* ad *Ariſtotelis Problemata*, ferrum à ſtruthione concoqui diſertè negat. Et *Albertus* eam aſſerit quos lapides avidè devoravit poſtea reſpuere, id eſt, ore ejectare. Et *Ulyſſes Adrovandus* ferri fruſtula deglutire, quæ incocta rurſus excernit. Et *Geſnerus*, poſtquam quidquid tetigerit, lintea, ferrum, lapides vorare dixit. *Verùm*, ait, *hæc incocta, & integra in ejus ventriculo manent. Et, ſi nimia fuerint, tandem animal ad mortem, vel ad tabem deducunt, ut in diſſectis apparuit.*

2. Alterum ſtuporis argumentum illud eſt, quod ſtruthio, capite inter frutices abdito, putat ſe totum latere. Plinius, *Non minùs* (mira) *ſtoliditas in tanta corporis altitudine, cùm colla frutice occultaverint, latere ſe exiſtimantium. Oppianus*, poſtquàm id ipſum de bubalide narravit, *Halieuticῶn* libri quarti verſu 630.

Τοῖα δὲ καὶ Λιβύης πτερόεν βοτὸν ἀγκυλόδειρον
Νήπια τεχνάζει ——

Talis etiam & Libyæ alatum incurvi-cervicum pecus puerilia exercet. Tertullianus *De velandis virginibus* capite decimo ſeptimo, *Hanc ajunt, cùm deliteſcendum habet, caput ſolum planè totum in condenſum abſcondere, reliquum ſe in aperto relinquere. Claudianus* in *Entropium* libro ſecundo,

—— *ſtat lumine clauſo*
Ridendum revoluta caput, creditque latere
Quæ non ipſa videt. ——

Damir, من حمق النعامة انها اذا ادركها القناص ادخلت راسها في كثيب رمل تقدر انها قد استخفت منه *E ſtruthionis ineptiis una hæc eſt, quòd, cum venator illam inſequitur, caput ſuum in arenæ cumulum immittit, eum ſe latere putans.* Aut انها قد استخفت منه *ab eo ſe tutam eſſe*, ut habet aliud exemplar. Tamen, ut varia ſunt hominum judicia, hic quoque ſtultitiæ ſuæ patronum habet *Diodorum* his verbis: Ἐπειδὰν δὲ περικατάληπτον ᾖ, τὴν κεφαλὴν εἰς τινα θάμνον, ἢ τοιαύτην σκέπην ἀποκρύπτεται, οὐχ', ὡς οἴονταί τινες, ἀφροσύνῃ, καὶ νωθρότητι ψυχῆς, διὰ τὸ μὴ βλέπειν ἑτέρους, μηδ' αὐτὸ βλέπεσθαι διαλαμβάνον ὑφ' ἑτέρων· ἀλλὰ, διὰ τὸ τοῦ σώματος ἔχειν τοῦτο τὸ μέρος ἀσθενέστατον, σκέπην αὐτῷ πρὸς σωτηρίαν περιποιεῖν. *Cùm in proximo eſt, ut capiatur, caput in arbuſtum aliquod, aut aliud ſimile latibulum recondit, non quod præ ſtultitia, aut ſtupore mentis, ut quidam putant, ex eo quod non videt alios, ſe etiam ab aliis non videri concludat: ſed, quia hæc pars corporis in eo eſt infirmiſſima, hoc ſe latibulo tuetur ad ſalutem.* Sed hoc effugium *Tertullianus* paucis ità refellit, *Dum in capite ſecura eſt, nuda, quà major eſt, capitur tota cum capite.* Vult fruſtrà caput occultari, dum venatori patet reliquum corpus, quo capto, vel lethaliter icto, caput non poteſt evadere.

3. Sed & ſtupidisſimum patet eſſe hoc animal, ſi verum eſt, quod ait *Strabo* libro decimo ſexto, de ratione illud venandi apud *Struthophagos* recepta: Θηρεύουσι δ' αὐτοὺς οἱ μὲν τόξοις, οἱ δὲ ταῖς δοραῖς τῶν στρουθῶν σκεπαζόμενοι· τὴν μὲν δεξιὰν καλύπτουσι τῷ τραχηλιαίῳ μέρει, καὶ κινοῦσιν οὕτως ὥσπερ τὰ ζῷα κινεῖται τοῖς τραχήλοις· τῇ δ' ἀριστερᾷ σπέρμα προχέουσιν ἀπὸ πήρας παρηρτημένης, καὶ τούτῳ δελεάσαντες τὰ ζῷα εἰς φάραγγας συνωθοῦσιν. *Alii quidem ſtruthiones arcu venantur, alii autem eorum tecti pellibus; nam dextram manum colli pelle induunt, atque eam ſic movent, ut animalia collum; ſiniſtrâ verò ſemen ſpargunt ab appenſa pera eductum, quo avem allicientes in convalles detrudunt.* Quamvis enim à ſtruthionis ſpecie humana differat immenſum quantum, tamen hîc arte ſtultæ aves propter mentis hebetudinem patiebantur ſibi imponi. Neque hîc fuit opus *Zeuxidis* penicillo, qui uvas tanto ſucceſſu pictas in ſcenam detulit, ut ad eas aves advolarent; nec cælo *Myronis*, cujus bucula tauros in amorem incendebat: cùm iſto allectæ fuerint, quamlibet craſſo, atq; informi, ſuæ figuræ rudimento.

4. Quartum ſtuporis in ſtruthione indicium eſt illud ipſum, quod à *Jobo* urgetur, quòd ova ſua derelinquit, & illorum eſt immemor. Notum *Eſaiæ* ἐπιφώνημα tanquam de re impoſſibili, *Eſa*. 49, 15. *An obliviſci poteſt mulier fœtûs ſui, ut non miſereatur filii uteri ſui?* Et reliquis animantibus eundem illum affectum erga prolem à natura eſſe inditum, ut conſerventur ſpecies, cetisque adeò tribui, quæ omnium animalium longè immaniſſima ſunt, *Thren*. 4, 3. Sed ſtruthio hic excipitur, *quæ ova ſua in terra deſerit*, &c. Unde *Damir* ſupra, *Cùm è nido exit, ut cibum quærat, ſi reperiat ova ſtruthionis alterius,* تحضنه وتنسي بيضها *illa incubat, & ſuorum obliviſcitur.* Et *Leo Africanus* libro nono, *Ova, numero decem aut duodecim, in arena emittit*, &c. *Ac breviſſima cùm ſit memoria, loci confeſtim obliviſcitur. Quare fœmina, in hæc ova incidens, ſive propria, ſive aliena, excubat, & calefacit.* Quæ eadem in *Marmolio*.

5. Denique apud *Arabes*, quibus hæc avis eſt notiſſima, احمق من النعامة *Struthione ſtultiorem* dici notavimus pro ſtultiſſimo. Quod corporis ipſe habitus abundè docet. Nam caput habet valde exile, & cerebrum ferè nullum. Unde *Arabibus* صعون *ſivvan* dicitur, id eſt, الدقيق العنق والصغير الراس او العام *colli tenuis, & parvi capitis, aut verticis.* Vocatur etiam انقخ *ankach*, id eſt, قليل الدماغ *exigui cerebri.* Ità *Alcamus*. Quocirca ſexcentorum ſtruthionum capita *Heliogabalus* unâ cœnâ exhibuit ad edenda cerebella. Tam multa enim eſſe oportuit, ut convivis abundè eſſet; quia ſinguli ſtruthiones cerebri vix quidquam habent. Struthionis porrò caput longo & exili collo vectum firmum eſſe non poteſt. Unde eſt, quòd نغض *nigd* appellant ipſum animal; quia نغض *nagada* eſt *nutare caput*. Rurſus *Alcamus* نغض اسم الظليم معرفة المجوال منه *Nigd, nomen ſtruthionis ab agitatione illi inditum.* Et ad eandem vocem *Damir*, الظليم سمي بذلك لانه يحرك راسه *Ità vocatur ſtruthio, quia movet caput ſuum.* In qua capitis agitatione facultas imaginativa firma eſſe vix poteſt, & in gradu ſuo conſiſtere. Et cùm auris etiam in brutis ſuo modo ſit diſciplinæ ſenſus, in ſtruthione ſtuporem auget ſurditas, quæ illi naturalis eſt. *Chalnia* in libro ليس *Laiſa*, ſeu *Non eſt* (quẽ diximus eſſe *De reb. quæ alicui, aut alicubi deſunt*) ليس في الدنيا حيوان لا يسمع الا النعام

Nullum

Nullum eſt in mundo animal (perfectum,) *quod non audiat præter ſtruthionem.* *Leo Africanus* libro nono, *Struthio eſt animal ſimplex, & ſurdum.* Marmolius *El abeſtruz es ſimple, y ſordo, que no oye cóſa ninguna.* Quæ omnia lucem addunt his *Jobi, Deus deſtituit eam ſapientiâ*, &c. Supereſt, ut explicentur ultima Verba Sacri Scriptoris, qui ſtruthionis deſcriptionem ità claudit:

Quo tempore in altum ſe attollit, ridet equum, & ſeſſorem ejus] Senſus eſt, Deum hanc avem ità privâſſe ſapientiâ, ut tamen ejus ſaluti, & conſervationi proſpexerit: cùm homini etiam equiti illam aſſequi non ſit facile. *Quo tempore* כעת, vel κατ̀ καιρὸν, *cùm tempus fuerit*; ùt *Græci, Hieronymus, Pagninus, Genevenſes*, &c. quomodo ſumi videtur *Num.* 23. *v.* 23. Alioqui כעת, ſæpiùs jungitur cum ſequentibus, ut כעת מחר, *tempore craſtino*, 1. Sam. 9. v. 16. & paſſim, כעת מנחת ערב, *tempore oblationis veſpertinæ*, Dan. 9. *v.* 21. כעת הראשון הקל, *Quo tempore primus levis fuit*, Eſ. 8. v. 23. Quomodo hic malo cum *Chaldæo* ſumere, *Quo tempore in altum ſe attollit, ridet*, &c. Quia ſic melius cohærent duo hemiſtichia. *In altum ſe attollit*] *Hebraicè* במרום תמריא. Quia vox תמריא, hic ſolùm occurrit, illam variè exponunt priſci Interpretes. *Syrus* [illegible] *Arabs* itidem ترتفع مثل النخلة *Erigitur, ut palma.* Quaſi תמריא *thamri*, ad תמר *thamar*, id eſt, ad *palmam* alludat. Quod abſurdum eſt, cùm in תמריא *Thau* ſit ſervile. *Chaldæus* verò פירח, *volat.*§ Et vetus *Scholiaſtes* ad hunc locum, Ἐν τῷ πλύτει τὸ θαρρεῖν ἔχουσα ἵπταται. *Volatu fidens volat.* *Hieronymus* meliùs, *alas erigit*. *Septuaginta* optime ὑψώσει, *attolletur.* Neque enim volat ſtruthio, cùm ſit volatûs expers, ſed in altum alas erigit, vel ipſa potiùs in altum attollitur, id eſt, cùm venatores ad nidum accedunt, è cubili ſuo exſurgens, ſtaturæ proceritate, & colli extenſione ſuprà fidem eminet, quod voce תמריא commode ſignificatur. Eſt enim Futurum *Hiphil.* Et *Kal* eſt מרא *mara*; quod, literis trajectis, factum videtur ex ראם *raam*, id eſt, *altum eſſe.* Nam רום *rum*, & ראם *raam*, idem ſonare alibi (e) probavimus. Itaque his verbis, *in altum erigitur*, commendatur in ſtruthione ſtaturæ proceritas, de qua multa ſcriptores. *Ariſtoteles De partibus animalium* in fine libri quarti, Τὸ μέγεθος οὐκ ὄρνιθος ἔχει, ἀλλὰ τετράποδος· *Magnitudinem avis non habet, ſed quadrupedis.* Diodorus *lib.* 2. Τὸ μέγεθος ἔχουσι νεογενεῖ καμήλῳ παραπλήσιον· *Recens nati cameli magnitudinem prope habet.* *Oppianus* libro tertio *Venaticorum*,

(e) Part. 1. lib. 3. cap. 27.

Τῆς ἤτοι μέγεθος μὲν ὑπέρβιον, ὅσσον ὑπερθεν
Νώτοις εὐρυτάτοισι φέρειν νεοθήλεα κοῦρον·

Cujus immenſa eſt magnitudo, ità ut lato dorſo puerum, nuper natum ferat. Plinius, *Altitudinem equitis inſidentis equo excedunt.* Albertus, *Struthio alta eſt à pedibus ad dorſum circiter quinque, vel ſex pedes: collum habet longiſſimum*, &c. Itaque *Arabes* هيق *heic*, & هيقم *heicam* vocant à colli longitudine, & أسقف *aſcaph* ab eminentia. Quomodo etiam *Chriſtianorum* Epiſcopos, ſed ex *Græco* deflexa voce. Et de herba إسترال *iſterâla* eſt *in altum creſcere ut ſtruthionis pullus*, qui *Arabicè* رال *raal dicitur.*

Struthio igitur, ità in altum ſe erigens, *ridet equum, & ſeſſorem ejus.* *Ridet*, id eſt, *ſpernit*; ut habet *Græcus Scholiaſtes*, Καταφρονήσει αὐτῷ σὺν τῷ ἀναβάτῃ διὰ τὴν ἰσχὺν, ὥς φασι, καὶ τὸ μέγεθος. *Equum cum aſcenſore deſpiciens, propter vires, ut ajunt, & magnitudinem.* Rectè, niſi quod equum, & equitem ſtruthio ſpernere dicendus erat, non virium, ſed celeritatis fiduciâ. Unde *Plinius*, *Altitudinem equitis inſidentis equo excedunt, celeritate vincunt.* Et *Xenophon*, libro primo *Anabaſeos, Cyri* equites dicit onagros & capreas in *Arabia* cepiſſe, ſed ſtruthiones nullo modo potuiſſe aſſequi; Στρουθὸν δὲ οὐδεὶς ἔλαβεν· οἱ δὲ διώξαντες τῶν ἱππέων ταχὺ ἐπαύοντο· πολὺ γὰρ ἀπεσπᾶτο φεύγουσα. *Struthionem nemo cepit; & qui inſequebantur citò ceſſabant: nam fugâ longiùs ſe proripiebat.* Quod in exercitu multis equitum millibus inſtructo notabile eſt. Ajunt quidem in *Africa*, in equorum illo genere, quos *Arabicos* appellant, nonnullos reperiri, qui ſtruthionem curſu aſſequantur, ſed paucos admodum, eoſque immenſi pretii. *Marmolius* libri primi capite vigeſimo tertio, *Cavallos* Barbaros *ſon llamados en toda* Europa *los, que vienen de* Berberia: *mas ay una eſpecie de cavallos en* Africa, *y en* Egypto, *y en las* Arabias, *y en toda* Aſia, *que llaman cavallos* Arabes, *que ſon de caſta de cavallos ſalvages, que ſe crian por los deſiertos de* Arabia, *&c. Son eſtrañamente ligeros, y la mayor experiencia, que ſe haze de ſu ligereza es quando alcançan una fiera llamada* Lamte, *o aun abeſtruz. Porque eſte tal cavallo es apreciado en mil ducados de oro, o en cien camellos. Mas ay pocos dellos en* Berberia. Id eſt, *In tota* Europa Barbari *vocantur equi è* Barbaria *advecti: ſed in* Africa, Ægypto, Arabia, *& totâ* Aſia *una eſt equorum ſpecies, quos* Arabicos *appellant, ex eorum proſapia, qui in* Arabiæ *deſertis procreantur*, &c. *Ii ſunt mire veloces: neque majus ullum eſt eorum celeritatis experimentum, quam cùm feram* Lamten *nomine, aut ſtruthio-camelum aſſequuntur. Ideò talis equus mille ducatis aureis, aut centum camelis æſtimatur. Sed in* Barbaria *tales pauci ſunt.* Et certe hæc eſt *Arabum* communis ſententia, nullum eſſe animal, quod ſtruthionem curſu ſuperet. In quam rem diſerta ſunt hæc *Alkazuinii*, لا يصبقها شي من الحيوانات *Nullum animalium illam antevertit.*

Quod quâ ratione fiat ſuprà (f) docuimus; & alas pro velo habentem in aëre natare quaſi. Unde *Oppianus* libri terti *Cynegeticῶn* verſu 500.

(f) Cap. 16. pag. 245. lin. 21. &c.

Ἠέρος ὑψιπέροισιν ἐπιπλώουσι κελεύθοις,
Aeris ſublimibus natant viis. Et mox,
Αὐτοῖσιν φορέουσιν ἴσον τάχος οἰωνοῖσιν,
Ipſis avibus æquali ſunt celeritate. Itàque *Arabes* multa cuderunt vocabula, quibus id deſignarent. Sic de ſtruthione زازا *zaza* eſt *capite, alis, & cauda elatis fluere* potiùs quam *incedere*: رفرف *raphrapha alas motitando currere*, ut *Talmudicum* ריפרף *riphreph*: كحكص *chahatſa, ire tam properè, ut viſum propè fugiat.* Atque ob id ipſum ſtruthio عصوف id eſt, *turbo* vocatur, & aliis nominibus minimum decem à curſûs rapiditate ductis. Quin ipſa ſeſe ad curſum incitat ſpiculis quibuſdam oſſeis, qui ſub alis latent, & pro calcaribus illi ſunt. De quibus multò plura facile eſſet adducere: ſed hæc docere ſigillatim non eſt præſentis locis; & Sacri Scriptoris mentem explicâſſe nobis ſufficit.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

Probatur שחף *ſachaph*, eſſe *Larum*, aut *Cepphum*, unde κεπφωθεὶς *Prov.* 7. *v.* 22.

Vocis שחף ſachaph, *variæ interpretationes. Alludit* שחפת ſachepheth, *morbi genus*, Levit. 26. v.16 *quem alii aliter, ſed* Hebræorum *doctiſſimi* phthiſin, *aut* tabem *exponunt, ut* Arabicum سحاف ſochaph. *Ergo* שחף, avis tabida, *Græcis & Hieronymo* larus, *optimè, quaſi fere carnis eſt expers, quaſi ſit tabe conſumpta. Laro ſimilis* κέπφος *unde* κεπφωθεὶς deceptus, ineſcatus, *Prov.* 7. *v.* 22. *quia cepphum, ſpumâ oblatâ, pueri facilè ineſcant.* Κέπφος λάρος, *Proverbium in vecordes.* Κέπφος *pro* fatuo *in* Ariſtophane.

UT ſtruthio vaſta eſt avis, ità nos diu detinuit. Jam in iis, quæ ſequentur, rem peragemus paucioribus. Et primo ſe offert שחף *ſachaph*, à *Syro* prorſus omiſſus; à *Chaldæis* שחפא *ſachpha* redditus; ab *Arabibus* ساف *ſaph*; à *Samaritano* ·ࠀࠉࠔ *ſopha*: vocibus æquè ignotis. Itaque hinc nullum ſubſidium. *Græci, Hieronymus, Munſterus, Caſtalio* explicant *larum*: Junius *aſalonem*, tanquam ex *R. Juda*: Deodatius *la folica*, id eſt, *fulicam*, in *Italica* verſione; ſed idem in *Gallica*, *la movette*, id eſt, *larum*: Genevenſes, & Angli, *cuculum*; Arias *phthiſicam avem*, tanquam *à phthiſi* ſumpto nomine. Nempe *Hebræorum* plerique obſervant hujus avis nomen שחף *ſachaph*, alludere ad שחפת *ſachepheth*, morbi ſpeciem, *Levit*, 26. *v.*16. & *Deut.* 28. *v.* 22. Sive ipſa avis huic morbo ſit obnoxia, aut ſua carne veſcentibus illum ingeneret. Sed neque id ſatis notum, quod morbi genus ſit שחפת *ſachepheth*. *Rabbi Selomo* definit חולי שמשחפת את הבשר אנפוליש בלעז דומה לופח שהוקלה נפיחתו ומראית פניו זעופה *morbum, qui carnem inflat.* Gallicè *ampullas dixeris, quo qui laborat ſimilis eſt viro, qui buccam inflat leviter, & ſpeciem habet irati.* Et *David de Pomis*, הוא חולי אשר יוליד אבעבועות כמו תפוחים לפי רשי, *Morbus eſt puſtulas gignens ut poma, ut ait Rabbi Selomo Jarchi.* Quamvis de pomis *R. Selomo* nihil habeat Sed pro דומה לנפוח, *Pomarius* videtur in *Selomone* legiſſe דומה לתפוח, *pomo ſimilis*: quam lectionem ſequentia palam refellunt. Utùt ſit, *Rabbi Jonas* hunc eundem morbum multò aliter definit, ut docent hæc *Kimchii in Lexico*: פירשו רבי יונה בלשון ערבי סחאף והוא החולי שהגוף מתנונה בו, R. Jonas *explicat morbum* Arabicè *dictum* ſochaph; *quo fit, ut corpus ſit* מתנונה *mathnuna*, id eſt, מתחלשת ומתכחשת ומתדלדלת *debilitatum, & emaciatum, & attenuatum.* Ità enim in *Aruch* redditur vox מתנונה, *mathnuna*, ſumpta ex *Talmudico* Tractatu *Sotá* cap. 4. fol. 26. 2. Hinc idem *Pomarius*, qui ſuprà לפי אבן קמחי הוא חולי שוליד דקות הגוף ואבודו *Sed juxta* Kimchium *morbus eſt attenuationem corporis gignens, & perditionem ejus.* Et *Aquinas*, חולי מה שגורם כחוש ודלות לגוף עד שמאבדו והוא מן קדחא, *Morbus eſt, qui cauſatur maciem, & corporis attenuationem, donec illud planè conſumat, idque fit ex febri.* Quibus verbis phthiſim, ſeu tabem deſcribi nemo non videt. Et verò سحاف *ſochaph Arabum* in *Giauhari* eſt idem, quod سل *ſil*. Qua voce *phthiſim* ſignificari docet præter alios *Avicenna* in Tractatu *De Phthiſi* lib. 3. *Fen.* 10. tract. 4. cap. 18. Porrò *Hebræum* שחפת *ſachepheth*, & *Arabicum* سحاف *ſochaph* eaſdem habent Radicales, niſi quod *Arabes* de more *Scin Hebræum* in *Sin* mutant. Omnino igitur utraque voce idem morbus ſignificatur. Proinde in *Moſe*, pro שחפת, habent *Arabes* السل *phthiſim*, vel حمى السل *febrim phthiſicam*. *Græcos* quoque ſuſpicor ἀπορίαν reddidiſſe, quæ eſt inter phthiſis ſpecies. Quamvis ἀπορίαν exhibeant noſtra exemplaria jam indè à multis ſæculis. Ità enim legit *Hieronymus*, ac proinde שחפת, egeſtatem interpretatur. Utùt ſit, שחפת, non eſſe ἀπορίαν *egeſtatem* ex eo patet, quod in utroque loco Legis cenſetur inter morborum ſpecies. Itaque שחפת eſt morbus, isque adeò, quem diximus; nempe *phthiſis*, ſeu *tabes*. Id confirmatur ex *Talmudicis*, apud quos שחוף, *tabidum* ſonat, ut probat Cl. *Buxtorfius* ex *Sota* fol. 26. b. Sed & *Hebræorum* aliis שחף, in *Kal* eſt *tabere*, in *Niphal*, *tabidum fieri*; in *Piel*, *tabefacere*: ut ab eodem affirmatur. Veriſſimile eſt igitur שחף *ſachaph*, avem eſſe a tabe dictam. Et *Hieronymum*, poſt *Græcos*, *larum* rectè reddidiſſe (id eſt *movette* Gall.) de qua ave *Bellonius* libri tertii capite decimo tertio, *Nulla eſt avis molis ratione tam levis. Cùm enim ſit gallina craſſior, non habet tantum carnis, quantum coturnix.* Id in ceppho maximè deprehenditur, lari ſpecie leviſſima, quæque plumæ plurimum, ſed carnis habet minimum. *Ariſtophanis Scholiaſtes* in *Pace*, Εὐηθες ζῶον ὁ κέπφος, &c. Ἐκ δὲ τῆς θαλάττης ζῆν αὐτὸν λέγουσι, ἐσθίοντα τὸν ἀφρὸν· εἶναι δὲ αὐτὸν πολλοῖς μὲν ἐν τοῖς πτεροῖς, ὀλίγον δὲ ἐν τοῖς κρέασι· *Cepphus eſt animal ſtolidum,* &c. *Eum autem ajunt ex mari vivere ſpumam edentem, & plumarum quidem multum habere, ſed parùm carnium.* Hinc *Heſychius*, Κέπφος, εἶδος ὀρνέου κουφοτάτου, περὶ τὴν θάλασσαν διατρίβοντος, ὁ εὐχερῶς ὑπὸ ἀνέμου μετάγεται. *Cepphus, ſpecies avis leviſſimæ, circa mare verſari ſolitæ, quæ à vento facilè abducitur.* Et *Suidas*, Κέπφος, εἶδος ὀρνέου ὁ λεγόμενος λάρος· ἔστι δὲ κοῦφον, καὶ ἐπιπόλαιον τοῖς κύμασιν· *Cepphus, avis ſpecies, quæ & larus vocatur: eſt autem levis, & fluctibus ſupernatat.* Quod alio nomine *larum* vocari dicit, habet ex *Scholiaſte Ariſtophanis* in *Plutum*, cujus de ceppho verba ſunt; Καλεῖται δὲ κοινῶς λάρος, *Vulgo autem vocatur larus.* Itaque junguntur ut ſynonyma in Proverbio Κέπφος λάρος apud *Eraſmum*, & alios. Et in *Heſychio* Κὴξ *Apionis* eſt ὁ λάρος, at alii κέπφον reddunt, alii etiam ἀθυίαν, id eſt, *mergum*. Tamen larum & cepphum differre colligas ex his *Ariſtotelis Hiſtoriæ* libri octavi capite tertio, Περὶ δὲ τὴν θάλατταν καὶ ἀλκυὼν, καὶ κηρύλος, &c. Ἔτι δὲ ὁ λάρος ὁ λευκὸς, καὶ κέπφος, καὶ χαραδριός· *At circa mare ſunt & alcyon, & cerylus,* &c. *Larus albus etiam, & cepphus, & charadrius.* Cepphus igitur & larus non planè idem ſunt, ſed aves valde ſimiles. Unde *Nicandri Scholiaſtes* in *Alexipharmaca*, Ὁ δὲ κέπφος θαλάσσιόν ἐστι ὄρνεον παραπλήσιον λάρῳ. *Geſnerus* putat eſſe aves congeneres, aut cepphum lari ſpeciem. Quoquo modo res ſe habeat, nomen שחף tam laro, quàm ceppho apprimè convenit, cùm avis utraq; deſcribatur ferè carnis expers, ac ſi ſit tabe conſumpta.

A ceppho factum Verbum κεπφοῦσθαι non ſolùm efferri ſignificat, & *leviter circumagi cepphi inſtar ad omnem ventum*, ſed & *facilè decipi*, & *ineſcari*. Sic *Prov.* 7. *v.* 22. de incauto juvene, quem lenociniis ſuis demulſit adultera; Ὁ δὲ ἐπηκολούθησεν αὐτῇ κεπφωθεὶς· *Eam autem ille ſequitur, cepphi inſtar, facilè actus, aut facilè deceptus.* Heſychius, Κεπφωθεὶς, ἐκκαφθεὶς,

ἀπατη-

ἀπατηθείς *Elatus, deceptus.* Et rurſus poſt κέφαλον, Κεπφωθείς, καθάπερ ἐλαφθείς· εἴρηται δὲ ἐπὶ τῶν ἀλόγως δίκην ἀνοήτως συναρπαζομένων *Deriſus: Dicitur autem de iis, qui, bruti inſtar, ſtulte ducuntur.* Suidas, Κεπφωθείς, ἐπαρθείς, ἐρεθισθείς, ὀξέως ἐναυόμενος· *Elatus, concitatus, celeriter actus.* Quæ ſunt ejusdem loci varia interpretamenta. Sed ἀπατηθείς maximè placet. 1. Quia quo loco diximus κεπφωθείς ſt pro *Hebræo* פתאים, pro quo *Græci* legerunt פתאים, id eſt, *ſimplices*, ἰωτὰ τύπτει. Fit enim à verbo פתה, quod plerumque reddunt ἀπατᾷν. 2. Quia cepphus eſt avis deceptu facilis, quamque, ſpumâ oblatâ, pueri nullo negotio ad ſe alliciunt, atque injectâ manu capiunt. Unde eſt, quòd κέπφος à *Græcis* prò *ſtulto* paſſim uſurpatur. Ità Proverbium, Κέπφος ἀλίσκεται, vecordem ferit, qui cujusvis rei cupiditate deceptus capitur. Et apud *Ariſtophanem* in *Pace*,

> Καὶ κέπφοι τρήρωσιν ἀλωπεκίδεσσι πίθεσθε.

Et cepphi, & columba (id eſt, *ſtulti, & ſimplices*) *vulpeculis fidatis.* Et rurſus in *Pluto*, Ὦ κέπφε, *O ceppbe*, id eſt, *O fatue.* Pro nde ad priorem locum *Scholiaſtes*, Εὐηθὲς ζῶον ὁ κέπφος, *Fatuum eſt animal cepphus.* Et ad poſteriorem, Ὄρνεον γὰρ ἄφρον, ὅπερ φιλεῖ ἀφρὸν θαλάττιον ἐσθίειν. Τοῦτο βουλόμενοι οἱ τῶν ἁλιέων παῖδες χειρώσασθαι, ῥίπτουσι τὸ πρῶτον πόρρωθεν ἀφρόν, εἶτα ἐγγύτατα, εἶτα φέρουσι τοῦτο ἐν ταῖς χερσίν, καὶ οὕτω κατὰ μικρὸν δελεάζοντες, ἐμπεσόντα λαμβάνουσι τοῦτο ἐμπεσὸν εἰς τὰς χεῖρας αὐτῶν· εἴληπται οὖν εἰς παροιμίαν ἐπὶ τῶν ἀλογίστων ἀνδρῶν, καὶ ἀνοήτων. *Stulta enim eſt avis, quæ marinæ ſpumæ eſu delectatur. Cùm igitur hanc capere volunt piſcatorum filii, primò ſpumam eminùs jaciunt, deinde propius propiusque, poſteà manibus ferunt, atque ità paulatim ineſcantes, in manus ſuas incidentem facilè capiunt. Ceſſit itaque in Proverbium in vecordes homines, atque dementes.* Quod ipſum de hac ave tradiderant antiquiores. Sic *Philoſophus Hiſtoriæ animalium* libri noni capite trigeſimo quinto, Οἱ δὲ κέπφοι ἁλίσκονται τῷ ἀφρῷ, κάπτουσι γὰρ αὐτόν· διὸ προσραίνοντες θηρεύουσιν. *Cepphi autem ſpumâ capiuntur; eam enim appetunt: proinde ſpumâ injectâ eos venantur.* Et *Nicander Alexipharmacων* verſu 165.

> Ἀφρὸν ὅτ' ἐγχεύαιο θοοῦ δορπήια κέπφου.
> Τῷ γὰρ δὴ ζώειν τε ἑάδε, καὶ πότμον ἐπισπεῖν·
> Εὖτε δόλοις ἰχθῦσι κακοφθόρα τέκν' ἁλιήων
> Οἰωνὸν χραίνωσιν. ὁ δ' ἐς χέρας ἔμπεσε παίδων,
> Θηρεύων ἀφροῖο νέην χλόα λευκαίνουσαν.

Spumam admiſce citis cepphi pabulum. Illo enim & vitam ſervat, & fatum accerſit: cùm natantem avem eâ doloſè inquinant pernicioſi piſcatorum filii. Is autem in puerorum manus incidit, perſequens ſpumæ recentem aſperſionem albicantem. Plura vide apud *Nicandri Scholiaſtem, Heſychium, Suidam, Etymologum*, & alios, quos exſcribere jam non vacat. Neque verò eſt opus, cùm quæ jam dicta ſunt nudè repetant. Tantum monebo in his *Heſychii* & *Suidæ* Κεπφωθείς, ἐπαρθείς, pro ἐπαρθείς legendum eſſe ἀπαχθείς; Ipſo enim Heſychio autore Κεπφωθείς dicitur ἐπὶ τῶν ἀλόγως δίκην ἀνοήτως συναρπαζομένων de iis qui bruti ad inſtar ſtulte ducuntur.

CAPUT DECIMUM NONUM.

De Accipitre, qui נץ *nets, Hebræis.*

Accipiter נץ nets, *à* נצה natſa, *id eſt, à volando dictus; quia volatu maximè præſtat. Quod* Homerus *paſſim docet, &* Poëtarum *alii. De accipitris celeritate hiſtoria inſignis in* Thuano. *Accipiter ventorum & ignis ſymbolum, & Soli conſecratus. Cur dicatur* ἱέραξ, *&* avis ſacra. *Eum occidiſſe in* Ægypto *lethale crimen.* Arabibus ſacer *dicitur à viſus acumine. Sacrorum ſpecies apud* Arabes. *Sacri propriè dicti deſcriptio. In capreas & grues involat. Hujus aucupii primus auctor. Accipitrum ſpecies.* Palumbarius Aſtur (*Gall.* Autour) *de quo* Firmicus. *Fringillarius, qui niſus, &* ſparverius *recentiorum. Rex* Megarenſium N ſus *in haliæetum mutatus, cui ſimillimus accipitris ſpecies laniarius.* Job. 39, 29. An per prudentiam tuam יאבר, plumeſcet accipiter? *id eſt,* πτεροφυεῖ. *Ut* Jer. 51, 11. הברו, *de ſagittis, quas* Poëtæ πτερόεντας & penniſeras *vocant. Cur accipiter in plumarum defluvio alas ad* Auſtrum *expandat. Alii* יאבר volabit, *non abſurde: quia migratoria eſt avis, & ſub hyemem volat ad* Auſtrum. *In* Græca *verſione quadam addita, & quorſum.* R. Sclomo *in* Jobo *accipitris nomine Angelum intelligit* Auſtrali *vento præfectum. Angelos ventis præfici. Accipitrem cur* Chryſoſtomus *inutilem judicat,* Demetrius *utiliſſimum. Ars aucupandi per accipitres quando inventa.*

SEquitur נץ *nets*, id eſt, *accipiter*. Ità enim reddunt omnes interpretes ſummo conſenſu. Et *Syrus* id ipſum eſt ܢܨܐ *natſa*, vel *nitſa*; *Chaldæis* quoque, ut נצצא *netſatſa*; & *Samaritanus* נצצה *netſatſah.* Nomen *à volatu* factum. Nam *Hebræis* נצה natſa *volare* eſt. Et *Arabibus* نضّ *alas motitare inter volandum.* Porrò hanc avem volatu maximè præſtare non uno in loco teſtatur vatum nobiliſſimus. Ut *Iliad.* ό, verſu 237. ubi *Apollo* ab *Ida* deſcendit

> —— ἴρηκι ἐοικὼς
> Ὠκέϊ, φασσοφόνῳ, ὅς τ' ὤκιστος πετεηνῶν,

Accipitris ſimilis veloci, palumborum occiſori, qui avium eſt velociſſimus. Et Odyſſ. ν', verſu 86. ubi *Phæacum* navem, quæ *Ulyſſem* in *Ithacam* vexit,

> —— οὐδέ κεν ἴρηξ
> Κίρκος ὁμαρτήσειεν ἐλαφρότατος πετεηνῶν,

Ne accipiter quidem circus ſequatur, qui avium perniciſſimus. Et Odyſſ. ό, verſu 526,

> Κίρκος, Ἀπόλλωνος ταχὺς ἄγγελος, —

Circus Apollinis *velox nuntius.* Proinde *Iliad.* ν', verſu 819. *Hectori* prædicitur fore, ut optet aliquando

> Θάσσονας ἰρήκων ἔμεναι καλλίτριχας ἵππους,

Ut pulchrè-comati equi ſui ſint accipitribus velociores. Neque ſolus *Apollo*, ſed (a) *Thetis* quoque & *Neptunus* feruntur ἴρηξ ὡς *inſtar accipitris*; vel ὥς τ' ἴρηξ ὠκύπτερος, *ut accipiter citis alis.* Et in *Heſiodi* Apologo, (a) Vide Iliad. σ', verſu 262. & ό, verſu 615.

> Ὣς ἔφατ' ὠκυπέτης ἴρηξ, τανυσίπτερος ὄρνις,

Ut dixit pernix accipiter, extenſis alis avis. Et apud *Ariſtophanem* in *Avibus Sycophanta*,

> Ἀλλὰ πτέρου με ταχέσι καὶ κούφοις πτεροῖς
> Ἱέρακος, ἢ κερχνῇδος· ——

Sed inſtrue me citis & levibus alis accipitris, aut cerchneidis: quæ & ipſa eſt accipitris ſpecies; *Romani tinnunculum* vocant. Sed volatum accipitris nemo eſt, qui vel uberiùs, vel elegantiùs deſcribat ampliſſimo *Thuano*, qui inter accipitrum ſpecies *triorchen*, ſeu *buteonem*, volantem ità expreſſit libro primo *De re accipitraria*,

> *Aſpice non, quo more alii, ſtridentibus alis*
> *Subvehitur, crebrosque alternat in aëre gyros:*
> *Sed recto incedens graditur per inane volatu*
> *Arduus, & magni conſcendit ſidera cœli:*
> *Ut verò nubes inter caput extulit altas,*
> *Præcipiti raptus lapſu ruit, & furit ardens,*
> *Subjectamque oculis prædam deturbat ab alto.*

Et libro ſecundo idem de accipitre in genere hæc habet,

> *Vix credas parvo quàm tempore longa locorum*
> *Intervalla volans ſuperet, quàm multa peragret*
> *Æquora.* ——

Et infra de *Franciſci* Regis accipitre, qui unâ brevi nocte

noƈte è *Villeria* caſtro *Londinum* ſe contulit, & notis ſuis agnitus ad dominum remiſſus eſt;

——*fugit ille per auras*
Perfidus emanſor, rapidisque per aëra pennis
Tormento properat, volucrique citatior Euro
Et Tarteſſiaco *dum Sol lavit æquore crines,*
Rurſus & Eoâ *mortales lampade tingit,*
Oceanum ſupra fertur, Tameſimque Britannum,
Londini *& feſſus tandem ſuper aſtitit arce.*

Meritò igitur apud *Ægyptios* accipiter ventorum fuit ſymbolum. *Horus* libri ſecundi capite decimo quarto, Τὴν ἀνατολὴν ἱέραξ ἐπὶ μετεώρου θέων ἀνέμους σημαίνει· *Accipiter Ortum versùs in ſublime tendens ventos ſignificat.* Quod ipſum deſignabat ἱέραξ διατεταμένος τὰς πτέρυγας, *accipiter alis extenſis*, ut ab eodem additur. Quamvis aliter *Tentyritæ*, qui, accipitres cum igne conferentes, μαρτύρεσιν ἐπάγουσιν ἀνεῖσθαι αὐτῶν, *pro teſtimonio afferunt præcipitem eorum velocitatem.* Nec deſunt, qui ob id ipſum velint *Soli* fuiſſe conſecratos. *Euſtathius* in *Odyſſ.* ε. Ἱέραξ ἱερῦται Ἡλίῳ Ἀπόλλωνι διά τι τὸ ὀξὺ τῆς κινήσεως· ὠκυπέτης γὰρ ὁ ἱέραξ, καὶ ὁ Ἥλιος ὀξυκίνητος, καὶ διὰ τὴν ἐξ ἐτυμολογίας συγγένειαν, καὶ γὰρ ἵεται ῥᾷον ὁ Ἥλιος. ἐντεῦθεν δὲ καὶ ὁ ἱέραξ ὠνόμασται. *Accipiter* Soli Apollini *ſacer eſt propter motûs celeritatem: pernix enim eſt accipiter, ut Sol eſt velocis motûs, & propter etymi affinitatem.* Sol *enim it facilè. Unde accipitri nomen eſt.* Cui tamen etymo *Virgilianum* præfero libro undecimo *Æneidos.*

Quàm facilè accipiter ſaxo ſacer ales ab alto.

Ubi *ſacer ales* eſt ἱέραξ· ut apud *Demetrium* in *Præfatione ad Hieracoſophium*, Τῷ τῶν ἱερῶν ὀρνίθων γένει πρὸς σωτηρίαν τινὰ πορίσασθαι μηχανὴν, *Sacrarum avium generi ad ſalutem aliquam artem invenire.* Et rurſus, Ἐσπούδασά τινα χρήσιμον θεραπείαν πρὸς σωτηρίαν τῷ ἱερῷ τῶν ὀρνίθων γένει καταλιπεῖν, *Utilem aliquam ad ſalutem curationem ſacro avium generi relinquere conatus ſum.* In quibus verbis per *ſacras aves*, & *ſacrarum avium genus*, τοὺς ἱέρακας, id eſt, *accipitres*, deſignari palàm eſt. *Et cur accipiter* Græcè *ità dictus ſit* (inquit *Servius*) *ratione non caret, quæ nota eſt ſacrorum peritis.* Ego hoc natum putaverim ex *Ægyptiorum* ſuperſtitione, quibus ex ſacris animalibus nihil fuit tam ſacrum, quàm ibis, & accipiter. Itaque, ſi quis aliud animal invitus necaviſſet, ad Sacerdotum arbitrium mulƈtabatur. Ὃς δ' ἂν ἶβιν, ἢ ἴρηκα ἀποκτείνῃ, ἤν τε ἑκὼν, ἤν τε ἀέκων, τεθνάναι ἀνάγκη· *At quisquis ibin, aut accipitrem necaverat, ſive volens, aut invitus necâſſet, eum mori neceſſe erat.* Ità habetur in *Euterpe Herodoti.*

Quin hodieque *ſacrum* cenſent inter accipitrum aut falconum ſpecies. Verùm, ut dicam quod res eſt, vox *Latina* non eſt, ſed *Arabica* صقر vel سقر aut زقر ut ſcribunt nonnulli per *Sin* & per *Ze*, quamvis frequentiùs ſcribatur per *Sad*, à verbo صقر *ſakara*, quod *acutè videre* ſonat, planè ut *Chaldæum* סקר *ſekar.* *Alkamus*, الصاقر حديد البسر Sakir, *qui eſt acuti visûs.* Itaque الصقر nomen indè deduƈtum (Gall. *ſacre*) primò ſignificat كل طاير يصيد *omnem avem aucupatoriam.* Secundò unam è quatuor rapaciũ avium ſpeciebus. Hæ ſcilicet ſunt صقر *ſacer*, & شاهين *ſahin*, & عقاب *okab*, & بازي *bazi*. Et صقر *ſacer* in tres alias ſpecies ſubdividitur; nempe in صقر *ſacrum* propriè diƈtum كونج *chauneg*, & يويو *juju.* Quæ ſingula hic deſcribere longum eſſet, & tædioſum. Proinde ſolum agemus de *ſacro* propriè diƈto. Is aliter vocatur اجدل agdal, *robuſtus*; اكدر achdar, *fuſcus*; & قماطي kumati, *carnis avidus*; & à *Damire*, & aliis ſic deſcribitur.

هو من الجوارح بمنزلة البغال
من الدواب لانه اصبر على الشدة
واحمل الغليظ الاذاء واحسن الغاء
واشد اقدام على جملة من الكركي
وغيره ومزاجه ابرد من ساير ما
تقدم ذكره من الجوارح وارطب
وبهذا السبب يضرا على الغزال
والارنب وهو اهدي من البازي نفسا
واسرع بالناس انسا واكثر منه قنعا
ولبرد مزاجه لا يشرب ماء ولو اقام
دهرا وكذلك يوصف بالبخر ونتن
الفم وله كفان في يده كالسبع لانه
يكف بهما على ما اخذ اي يجمع

Se habet ad alias aves rapaces, ut mulus ad reliqua jumenta. Eſt enim viribus fortior, & aptior ad ferendas graviores læſiones, & occurſu melior, & pedibus firmior contra omne gruum genus, & avium hujusmodi. Et frigidioris eſt temperamenti, atque etiam humidioris rapacium avium aliis, de quibus ſuprà eſt aƈtum. Ac proinde inſtituitur ad caprearum & leporum venationem. Et bazi, *ſeu accipitre docilior eſt, & ab hominibus citiùs cicuratur, & faciliùs illi ſatisfit. Propter temperamenti ſui frigiditatem aquam non bibit unquam, quantumcunque temporis maneat* (ſine potu.) *Unde eſt, quod deſcribitur oris fœtidi, & malè-olentis. In manu ſua volas habet ferarum inſtar, quibus in id involet, quod capit, & illud teneat.* Scribit *Alkazuinius* nullius rapacium aucupium tam eſſe mirabile, cùm *ſacri* duo in capreæ oculos involantes, aut eam alis diverberantes detineant, donec in venatorum manus incidat. Miratur idem, quòd avis tantula لشجاعة خلقها الله تعالي فيه *propter audaciam, quam illi indidit ſummus Deus*, in gruem inſilire audeat, quæ molis eſt tanto majoris. Hujus aucupii apud *Arabes* primus auƈtor fuit *Alharits*, *Muaviæ* filius. Hæc obiter de *ſacro.*

Accipitrum genera ſex *Callimachus*, decem *Ariſtoteles*, ſedecim cenſet *Plinius*. Sed ratione molis ad duo revocantur, de quibus *Philoſophus Hiſtoriæ* libri octavi capite tertio, Ἱέρακες ἄμφω, ὅ τε φαβοτύπος, καὶ ὁ σπιζίας, διαφέρουσι τὸ μέγεθος πολὺ ἀλλήλων· *Accipitres ambo, palumbarius ſcilicet, & fringillarius, magnitudine ab invicem multùm differunt.* Illum *aſturem* (Gall. *autour*;) hunc *niſum* & *ſparverium* vocant

vocant recentiores. Et *aſturum* quidem meminit *Julius Firmicus* libri quinti capite ſeptimo. At *niſi* nomen videtur ſumptum ex *Hebræo* נץ; *nets*; aut ex *Chaldæo* נצא *netſa*. Quò eodem refertur *Niſi* metamorphoſis, Regis *Megarenſium*; quamvis eum pro accipitre in haliæetum fuiſſe mutatum *Poetæ* fingant. *Ovidius* libro octavo *Metamorphoſeων*,

Et modo factus avis fulvis haliæetus alis.

Virgilius, aut quisquis alius, in *Ciri*;

Fecit & in terris haliæetus ales ut eſſet.

Sed inter accipitrum, ſeu falconum, ſpecies lanius, ſeu lanarius, haliæeto eſt tam ſimilis, ut non aliter diſtinguantur, quàm ex diverſo paſtu. *Thuanus* in *haliæeti* deſcriptione libro primo *De re accipitraria*,

Forma eadem huic, lanioque eadem eſt, atque inter utrumque
Obſcurum diſcrimen habet, quo quisque marinus,
Vel lanius dici poſſit. Quin ſæpe periti
Ambiguo peccant decepti lumina vultu;
Et, niſi diverſo paſtu gauderet uterque,
Sæpe repertores artis turpiſſimus error
Argueret. ——

Confundi igitur potuêre à veteribus, atque iisdem nominibus indigetari propter formæ ſimilitudinem.

De accipitre ſic Deus *Job.* 39. *v.* 26. *An per prudentiam tuam plumeſcit accipiter, expanſis alis ſuis versùs* Auſtrum? *Plumeſcit* Hebraicè יאבר. Ità reddit *Hieronymus*; ità etiam *Genevenſes*: quia יאבר, Futurum *Hiphil*, factum videtur à Nomine אבר, vel אברה, quod *pennam* ſonat. Sic *Jer.* 51, 11. הברו החצים, aliis *tergite ſagittas*, tanquam à ברר: ut *Eſ.* 49. *v.* 2. לחץ ברור, *in ſagittam terſam*. Sed *Joſepho Kimchio* πτερῶτε τὰ βέλη, *alas addite ſagittis* (Gall. *empennès les fleſches*) ac ſi ſit Imperativum τοῦ האביר: ſenſu non incommodo; cum in *Homero* quoque legas πτερόεντες ὀϊστοί, & in *Silio*

— *pennigeris pharetram impleviſſe ſagittis.*

Porrò in accipitre *plumeſcere* eſt *abjectis veteribus plumis renovari*; quomodo de aquila dictum. De eo vide *Demetrium* in *Hieracoſophio*, capitibus, quibus titulus, Πρὸς τὸ συνεργῆσαι τὴν ἀποβολὴν τῶν πτερῶν, *Quo remedio pennæ celeriter abjiciantur*: & Πρὸς τὸ πτεροφυῆσαι τὸν ἱέρακα τάχιστα, *Ut pennæ accipitris citò renoventur*: & Πρὸς λειποπτεροῦντα ἱέρακα, *Ad accipitrem, cui pennæ deſunt*, & Πρὸς τροφὴν πτερῶν, *Ad plumarum alimentum*: & Εἰς τύφλωσιν πτερῶν, *Ad pennarum excæcationem*. Ex quibus utut colligatur humanam induſtriam in eo aliquid poſſe, ut accipitri novæ plumæ citò ſuccreſcant in deperditarum locum, tamen *Jobo* dixit Deus non immeritò; *An per prudentiam* (ſive *induſtriam*) *tuam plumeſcit accipiter?* cùm media & remedia nihil poſſint ſine Deo, & Medicinæ tota vis ex illo pendeat. Ne dicam ætate *Jobi* accipitrariam hanc artem nondum fuiſſe in uſu. Hæc quoque optimè cohærent, *An per prudentiam tuam plumeſcit accipiter, alis ſuis ad* Auſtrum *expanſis?* Verè enim *Gregorius* ad hunc locum, *Domeſticis accipitribus, quò melius plumeſcere debeant, humida ac tepentia loca requiruntur. Agreſtibus verò moris eſt, ut flante* Auſtro *alas expandant, quatenùs eorum membra ad laxandam pennam veterem venti tepore concaleſcant. Cùm verò ventus deeſt, alis contra radios Solis extenſis, atque percuſſis, tepentem ſibi auram faciunt. ſicque capta* (lege *captato*) *tepore, apertis poris vel veteres exſiliunt, vel novæ ſuccreſcunt.* Nec multò aliter *Petrus Creſcentienſis* in libro *De animalibus*; *Accipitres mutantur ſingulis annis. Debent autem poni menſe* Martio, *vel* Aprili, *in gabia* (caveâ) *magnâ de induſtria ad hoc factâ, expoſitâ ad Solem in loco calido, aut juxta muros plagæ Meridionali oppoſitos*, &c.

Tamen *Jobi* verba nonnulli reddunt, *Nunquid per prudentiam tuam volabit accipiter alis ad* Auſtrum *expanſis?* quomodo *Aben Ezra*, *Kimchius*, & *R. Levi*. Ex quorum ſententia ad volatum pertinent, non ad pennarum defluvium, & renovationem, ut ſenſus ſit, "An providentiæ tuæ debet id imputari, quòd "ingruente hyeme, ad *Auſtrales* mundi plagas avolat "accipiter, כי יבקש מקום חם, *ut locum caloris quærat*, ut hic habet *Aben Ezra*? Nam inter aves migratorias cenſentur accipitrum pleræque ſpecies: & ſolum buteonem (b) *Philoſophus*, ſolum æſalonem ex- (b) Ariſt. Hiſt.
cipit (c) *Plinius*, quos ſemper apparere tradunt. Quin lib. 8. cap. 3.
ex accipitrum genere ſunt (inquit *Budæus* in *Philologia*) (c) Plin. lib. 10.
quos ſublimis vagos dicunt, qui, neglectâ interdum prædâ, cap. 8.
cùm diſſerenavit, ad Meridiem plerumque apricatione delectati, in nubes licentiùs ſubvehi ſolent, & diu ex hominum proſpectu auferri, quaſi quidam emanſores. In quibus notanda hæc verba, *ad Meridiem plerumque apricatione delectati*, ut quæ ſint *Jobi* verbis conſona ex ſecunda interpretatione, *Volat accipiter alis ad* Auſtrum *expanſis*. Itaque hæc interpretatio tam poteſt admitti, quàm prior.

Sed *Græci* quid ſibi volunt hâc ſuâ verſione, Ἐκ δὲ τῆς σῆς ἐπιστήμης ἕστηκεν ἱέραξ, ἀναπετάσας τὰς πτέρυγας ἀκίνητος, καθορῶν τὰ πρὸς νότον; *An ex tua ſcientia ſtat accipiter expandens alas immotus, aſpiciens versùs Auſtrum?* An pro יאבר legerunt יעמד, *ſtat* & de ſuo addiderunt ἀκίνητος καθορῶν, ut ſenſus eſſet clarior? Utut ſit, puto illos id reſpexiſſe, quod, ut aquila, ità etiam accipiter Solē inconniventibus oculis intueri traditur; neque indè quidquam offendi. *Ælianus* libri decimi capite decimo quarto, Ὀρνίθων γὰρ ἱέρακες ὀρνιθοτρόφοι ἀεὶ ἐν ταῖς ἀκτῖσι τοῦ ἡλίου ῥᾳδίως, καὶ ἀβασανίστως βλέποντες, καὶ δυσωπούμενοι ἥκιστα, πορείαν τε τὴν ἀνωτάτω ἴασι, καὶ αὐτοὺς ἡ θεία φλὸξ λυπεῖ οὐδέν· *Soli avium accipitres Solares radios facilè & ſine labore conſtanter intuentes, neque viſu affecti, ad ſumma ita contendunt, ut eos divinà flamma nullo modo offendat.* Atque ob id ipſum *Ægyptii* accipitrem *Horo*, id eſt, *Soli*, vel *Apollini* ſacrum eſſe voluerunt.

Joculare eſt, quod à *R. Selomone accipitris* nomine hic intelligitur מלאך דומה לדמות נץ יעמיד קושי הרוח דרומית בפרישת כנפיו שלא תחריב את העולם *Angelus accipitri ſimilis, qui alarum ſuarum extenſione* Auſtralis *venti impetum ſiſtit, ne univerſum orbem deſolet.* Id, inquam, joculare eſt; quia in his *Jobi* capitibus omnia ſumi ad literam patet. Neque ſub *accipitrum*, ſed ſub *aquilarum* typo Scriptura proponit Angelos. Fatendum tamen ad Angelorum officium hoc pertinere, ut ventorum impetum ſiſtant. Quò *Johannes* alludens *Apoc.* 7. *v.* 1. narrat ſe *vidiſſe quatuor Angelos ad quatuor terræ angulos*, κρατοῦντας τοὺς τέσσαρας ἀνέμους τῆς γῆς, *tenentes quatuor ventos terræ, ne flaret ventus ſuper terram*, &c. Quin *Satanam* vocat *Apoſtolus* τὸν ἄρχοντα τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος, *Eph.* 2, 2. Cujus poteſtatis ſpecimen edidit *Job.* 1, 19.

Ad hunc locum quærit *Chryſoſtomus*, Cur Deus boum, & ovium, atque aliorum hujusmodi non meminerit, ἀλλὰ τῶν ἀχρήστων, καὶ εἰκῆ δοκούντων εἶναι, *ſed rerum inutilium, quæque fruſtrà videntur eſſe*: quaſi accipiter ſit avis nullius uſûs, & à ſummo opifice fruſtrà condita; maximè, ſi cum domeſtico pecore conferatur. At planè contrà *Demetrius* in *Præfatione* ad *Hieracoſophion*, tam multos de equis, bobus, canibus, mulis, & canoris avibus ſcripſiſſe demiratus, μόνον, inquit, τῆς τῶν ἱεράκων ἀνατροφῆς, καὶ θεραπείας, οὐκ οἶδ᾽ ὅ, τι παθόντες, κατημέλησαν, καὶ ταῦτα μὴ ἔλαττον εἰς τέρψιν καὶ χρείαν τοῦ ἀνθρώπων γένους, τοῖς προειρημένοις ζώοις συμβαλλομένοις, τούτοις, *ſolum accipitrum educationem, & medicinam, neſcio quo pacto, neglexerunt, maximè cum ad humani generis delectationem & uſum non minùs conferant, quam quæ diximus animalia.* Si ævo *Chryſoſtomi* artem aucupandi per accipitres ignotam fuiſſe dixeris, & indè eſſe, quòd accipitres & reliquas rapaces aves inutiles eſſe cenſuit, multa videbuntur poſſe objici. Apud *Cteſiam*, ſcripto-

tem

rem vetuſtiſſimum, in *Photii Excerptis*, *Indi* λαγωοὺς καὶ ἀλώπεκας θηρεύουσιν, οὐ τοῖς κυσὶν, ἀλλὰ κόραξι, καὶ ἰκτῖσι, καὶ κορώναις, καὶ ἀετοῖς, *lepores & vulpes venantur, non canibus, ſed corvis, milvis, cornicibus, & aquilis.* Quod ex eodem *Cteſia* pluribus explicat *Ælianus Hiſtoriæ* libri quarti capite vigeſimo ſexto. Et in *Mirabilibus* docet *Ariſtoteles* quâ arte, circa *Thraciæ Amphipolim*, ἐξιόντες οἱ παῖδες ἐκ τῶν κωμῶν, καὶ τῶν ἐγγὺς χωρίων, ἐπὶ θήραν τῶν ὀρνιθαρίων, συνθηρεύειν παραλαμβάνουσι τοὺς ἱέρακας, *ex pagis, & agris finitimis ad avicularum aucupium egredientes pueri accipitres in aucupii ſocietatem aſſumant.* Quod idem narrat *Antigonus Hiſtoriâ* trigeſimâ quartâ. *Plinius* quoque libri decimi capite octavo, & quadrageſimo tertio, cujusdam *Crateri* meminit *Monocerotis cognomine, in Erizena* (vel *Troezena* potiùs) *regione* Aſiæ, *corvorum operâ venantis; eò quòd devehebat in ſylvis eos, conſidentes corniculis, humerisque: illi autem veſtigabant, agebantque, eò perductâ conſuetudine, ut exeuntem ſic comitarentur & feri.* Et *Martialis* in *Apophoretis* de *accipitre* hæc habet libri decimi quarti *Epigrammate* 216.

Prædo fuit volucrum, famulus nunc aucupis: idem
Decipit, & captas non ſibi mæret aves.

Cum quibus conferat lector quæ in *Græca* Paraphraſi *Oppiani Ixeuticorum* ſe legiſſe tradit *Geſnerus* in *Avibus* pag. 24. accipitris ab aucupe admoti metu aviculas ſub arborum frondibus ſe occultare, &, cùm avolare non audeant, facilè capi. Et hæc *Apuleius* in prima *Apologia*, *Memento tamen tam ridiculum argumentum fore, deſiderata ad res Venereas marina obſcœna; quàm ſi dicas marinum pectinem comando capillo quæſitum, vel aucupandis volantibus piſcem accipitrem.* Denique nihil eſt expreſſius his *Julii Firmici*, qui ſub *Conſtantino* vixit, *Matheſews* libri quinti capite ſeptimo, de iis, quorum Horoſcopus *Venerem* habuerit in *Aquario*: *Accipitres, falcones, aſtures, aquilas, & aves hujuscemodi, equosque ad venandum alere ſtudebunt.* Et capite ſequenti, *In* Virgine Mercurius *ſi fuerit inventus, quicunque ſic eum habuerint, fortes erunt, induſtrii, ſagaces, equorum nutritores, accipitrum, falconum, cæterarumque avium, quæ ad aucupia pertinent.* Proinde, cùm ævo *Chryſoſtomi*, qui ſub quarti ſæculi finem demùm floruit, accipitrarium aucupium dudum videatur fuiſſe in multo uſu, eſt, quòd miremur, cur accipitres poſuerit in cenſu τῶν ἀχρήστων, καὶ εἰκῆ δοκούντων εἶναι. Et reſponderi quidem poſſet, magnum virum, ut erat ſeverus admodum virtutis cuſtos, rigidusque ſatelles, potuiſſe hujusmodi aucupia habere pro ſuperfluis, & iis acconſere, in quibus tempus inutiliter teritur. Sed, quod puto veriùs, pleraque hæc parùm ſunt ad rem, neque accipitrarii aucupii vetuſtatem ſatis adſtruunt. Nam quæ ex *Cteſia* de *Indis*, ex *Philoſopho* de *Thracibus*, ex *Plinio* de *Cratero* afferuntur, rudimenta ſunt artis, eaque ſolùm apud barbaros, nondum apud *Græcos* recepta. Et apud *Martialem* & *Oppianum* accipiter aves decipit, aut percellit, nondum capit. Et in *Apuleio* aucupandis avibus quæritur: non ut ipſe capiat, ſed ut captantibus adſit. Solus igitur ſupereſt *Julius Firmicus*, qui cùm eo ſæculo vixerit, & ſcripſerit, ex quo ſuperſunt tot monumenta, non poſſum id mirari ſatis, quod illo ævo nullus alius meminerit aucupii tam nobilis, atque ipsâ novitate notabilis, ac memorabilis. Præterea nomen *aſturum*, quod ibi legas, alibi nusquam extat apud veteres: ac proinde hæc loca mihi valde ſuſpecta ſunt; & in iis ſcribæ videntur aliquid de ſuo addidiſſe. Certum eſt tamen hoc aucupium floruiſſe non diu poſt *Chryſoſtomum*. Nam, qui ſtatim ſequitur, *Proſper* ità habet *De vita contemplativa* libri tertii capite decimo ſeptimo; *Utuntur accipitribus ac ſaginatis canibus ad venatum.* Et *Sidonius* in *Panegyrico* ad *Avitum* ſocerum, Imperatorem, & Conſulem Anno 456.

Quid volucrum ſtudium, dat quas natura rapaces
In vulgus propè cognatum? Quis doctior iſto
Inſtituit varias per nubila jungere lites!
Alite vincit aves, celerique per æthera plauſu
Hoc nulli meliùs pugnator militat unguis.

Et ad *Herodicum*, hujus *Aviti* filium, Epiſtolâ tertiâ libri tertii, *Tibi pila, pyrgus, accipiter, canis, equus, arcus ludo fuêre.* Et ad *Induſtrium* Epiſtolâ nonâ libri quarti, in *Vectii* illuſtris viri commendationem; *Illa leviora, quòd ipſe, quem loquimur in equis, canibus, accipitribus inſtituendis, ſpectandus, circumferendus nulli ſecundus.* Exinde, creſcente luxu, cùm in *Gallia* Clerici quoque canes & accipitres haberent, id vetârunt multa Concilia toto ſexto ſæculo: ut Anno 506. *Agathenſe*, Canone quinquageſimo quinto; *Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus, canes ad venandum, aut accipitres habere non liceat.* Quod ipſum repetitur Anno 517. in *Epaonenſis* Concilii Canone quarto: & Anno 585. in *Matiſconenſis* ſecundi Canone decimo tertio, *Ubi Dei eſt aſſiduitas cantilenæ, monſtrum eſt, & dedecoris nota, canes ibi, vel accipitres habitare.* Itaque graviter falluntur *Leander* & *Pancirolla*, qui *Friderico Barbaroſſæ*; Et *Pandulphus Collenutius*, qui *Henrico Sexto* Imperatori tribuunt hujus aucupii inventum.

CAPUT VIGESIMUM.

De ave כוס *chos*, dubitatur, ſitne nocturnæ avis ſpecies putà Bubo, Noctua, Ulula; Nycticorax, vel, ab his diverſiſſima, Onocrotalus.

Veteres nycticoracem, noctuam, bubonem *explicant, quæ ſunt aves ſimilimæ.* Arabes *quoque* البوم album, *id eſt*, noctuam; quod *probat deſcriptio* τοῦ album. *Eodem recidere* Chaldaicas *Paraphraſes*, Syramque, *&* Samaritanam. Jonathanis *&* Talmudis *loca emendata.* Symmachus *apud* Hieronymum upupam *reddit*: *fortè legendum* ululam. כוס chos, *quaſi* כוסה choſe, *latens.* Kimchius *aſſerit* כוס chos, falconem *à* Selomone *reddi*: *quod falſum. Alii multò aliter. Fortaſſe* כוס chos, *eſt* ὀνοκρόταλος, Romanis truo *dictus* à trua, *ſeu vaſe, quod in roſtro habet. Nominis* כוס *par ratio.* Arabicè *cur* alhauſal: *&* Græcè κύλας. *Hujus vaſis quanta amplitudo. Onocrotalo ſimilis* קאת, pelicanus, *quem cum ave* כוס chos, *memorat* Pſaltes *Pſal.* 102. 7. *Hæ duæ aves ſæpe promiſcuè ſumptæ. Onocrotalus avis ſolitudinum, vocis mæſtæ, & horribilis. Cur* כוס chos, *à* Senioribus, *quos alii ſequuntur, reddatur* νυκτικόραξ.

Avis כוס *chos*, quæ jam ſequitur; ſolùm in Lege nominatur inter aves prohibitas; & *Pſal.* 102. v. 7. ubi *Pſaltes* הייתי כבוס חרבות, *Fui ut* chos *ſolitudinum.* Et *Seniores*, Ἐγενήθην ὡσεὶ νυκτικόραξ ἐν οἰκοπέδῳ, *Fui ut nycticorax in parietinis.* De quo loco conſultus *Hieronymus* à *Sunia* & *Fretella* Epiſtolâ centeſimâ trigeſimâ quintâ ità reſpondet; "*Quæritis, quid ſignificet nycticorax apud* Latinos. *In* "Hebræo *pro* nycticorace *verbum* כוס chos *ſcriptum* "*eſt, quod* Aquila, *&* Septuaginta, *&* Theodotion, *&* "Quinta *editio* nycticoracem *interpretati ſunt*: "Symmachus *verò* upupam: Sexta *editio* noctu- "am; *quod & nos magis ſequimur.* Et paulò poſt, *Plerique* bubonem *contentioſè ſignificare putant.* Quibus

bus tamen accedens etiam ipſe *bubonem* reddit tam in Lege, quam in *Pſalmis.*

Arabes البوم *album* reddunt, id eſt, *noctuam.* Id patet ex deſcriptione ‡ *album* in *Damire,* البوم طاير يقع على الذكر والانثي حتي تقول صدي او فياد فيتخص بالذكر وكنية الانثي ام الخراب وام الصبيان ويقال لها غراب الليل ومن طبعها انها تدخل على كل طاير في وكره ليلا وتخرجه منه وتاكل فراخه وبيضه وهي قويه السلطان بالليل لا يحملها شي من الطير واذا راها الطير بالنهار قتلوها ونتفوا ريشها للعداوه التي بينهم وبينها ومن اجل ذلك صار الصياد يجعلها تحت شبكته لتقع الطير عليها Album, *avis. Nomen eſt communis generis: ſed ſi dixeris* tſada, *aut* phajad, *id maris proprium erit. Fœminæ cognomina ſunt Mater ſolitudinis, & Mater lendium* (quia iis ſcatet.) *Dicitur etiam corvus noctis* (id eſt, *nycticorax.*) *E natura ejus eſt, ut noctu ingrediatur in omnium avium nidos, & eas indè ejiciat, ut veſcatur pullis, & ovis. Nempe noctu tantum valet, ut nulla avis eam ferat: ſed illam aves viciſſim impetunt, cum interdiu vident, & plumas ejus vellicant, propter odium, quo ſe mutuo proſequuntur. Propterea fit aucupium, quo ſub reti ponitur, ut aves in eam irruant.*

Et infrà, والبوم اصناف وكلها يحب الخلوة بانفسها والتغرب وفي اصل طبعها عداوة الغربان Τῶ album *plures ſunt ſpecies, quæ omnes ſeceſſum & ſolitudinem amant: ſed eorum naturæ maximè convenit odium in corvos.* Hæc de noctua dici nemo non videt. Noctua enim noctu vagatur. *Philoſophus Hiſtoriæ* libri primi capite primo, τὰ μὲν ζῶα νυκτερόβια, οἷον γλαύξ. Atque inde nomen habet. Feſtus, *Noctua à tempore noctis dicta, quo canit, vel volat.* Et ejus contra aves ſolertem dimicationem deſcribit *Plinius* libri decimi capite decimo ſeptimo. Et uſum in aucupiis *Ariſtoteles* libri noni capite primo, Τῆς δ' ἡμέρας καὶ τὰ ἄλλα ὀρνίθια τὴν γλαῦκα περιπέτεται, ὃ καλεῖται θαυμάζειν, καὶ προσπετόμενα τίλλουσι. διὸ ὀρνιθοθῆραι θηρεύουσιν αὐτῇ παντοδαπὰ ὀρνίθια. *Interdiu cæteræ aviculæ noctuam circumvolant, quod mirari vocatur, advolantesque vellicant. Quapropter omnis generis aviculas per eam capiunt aucupes.* Noctuæ porrò diſſidium cum cornice, quam *Arabes corvi* nomine deſignant, vide apud *Philoſophum, Plinium,* & *Ælianum.* Unde natum Proverbium apud *Suidam,* & *Apoſtolium;* Ἄλλο γλαὺξ, ἄλλο κορώνη φθέγγεται· ἐπὶ τῶν ἀλλήλοις μὴ συμφωνούντων. *Aliud noctua ſonat, aliud cornix, de iis qui inter ſe non conſentiunt.*

Chaldæi quoque interpretes, & *Syrus,* & *Samaritanus* parum ab his diſſident. Jonathan habet צירא *tſajera*; Onkelos קדיא *kadja*; Joſeph Cœcus קפופא *kiphupha*; Syrus ܥܘܕܐ *anda*; & Samaritanus ࠑࠃࠉࠀ *tſadja.* Quæ voces, utut diverſæ in ſpeciem, tamen eodem ferè recidunt. Sic *Samaritanum* ࠑࠃࠉࠀ *tſadja* eſt *noctua fœmina*, quam *Arabicè* صدي *tſada* vocari iiſdem Radicalibus ſuprà *Arabes* nos docuerunt. Et *Jonathanis* צירא vox eſt corrupta: pro qua ſcribendum צדיא, quomodo apud eundem *Deut.* 14. *v.* 16. Neque aliud *Onkeloſi* קריא, nec *Syrum* ܥܘܕܐ. Nam *Tſade, Koph,* & *Ajin* literas eſſe permutabiles docent *Chaldæa* ארעא, & ארקא, pro ארץ *terra.* Et in *Joſepho Cæco* קפופא *kiphupha,* ſi non ſit idem, quod צדיא *tſadja,* vel קדיא *kadjah,* ſaltem animal eſſe congener probatur ex loco *Talmudis* in *Nidda* cap. 3. fol. 23. a. in quo קריא וקפופא, *kadja & kiphupha* (Sic legendum, non קריא *karja,* ut perperam habent noſtræ editiones) cenſentur in animalibus, ועיניהן הולכות לפניהן כשל אדם, *quorum oculi anterius proſpiciunt ut humani,* cum in reliquis avibus oculi ſint ad latus. Unde ibi *Gloſſa,* קריא וקפופא עוף הצועק בלילה ופניו דומות לחתול ועיניו לפניו, *Kadja* (ità lego pro קריא *karja*) *& Kiphupha, avis, quæ noctu clamat, & faciem habet feli ſimilem, & oculos anterius.* Quæ noctuæ aut bubonis eſt deſcriptio. Itaque, ſi *Symmachum* excipias cui כוס *chos,* eſt *upupa,* veteres omnes hoc nomine *noctuam, nycticoracem,* aut *bubonem* intelligunt; quæ aves inter ſe non multum differunt. Etſi in his *Hieronymi: Symmachus verò upupam,* pro *upupam* legas *ululam,* nullus erit inter veteres notabilis diſſenſus, cum nocturnæ aves, noctua, bubo, ulula, & nycticorax tam ſint inter ſe ſimiles, ut paſſim à ſcriptoribus promiſcuè ſumantur.

His accedunt *Hebræi* recentiores, qui כוס *chos,* dici volunt, quaſi כוסה *choſe,* id eſt, *ſe abſcondentem,* aut *latentem;* quia hæc avis נכסה מן העין, *viſum fugit,* aut נכסה מעין אדם, *abſcondit ſe ab oculis hominum.* Ità *Baal Hatturim.* & *Aben Ezra.* Et *R. Selomo* in *Leviticum,* כוס וינשוף הם צואיטש הצועקין בלילה ויש להם לסתות כאדם, *Chos & janſuph, Gallis* chovettes, *aves, quæ noctu ululant, & maxillas habent ut homo.* Quæ partim ſumpta ſunt ex *Talmudis* loco, quem ſuprà citavimus, ubi hoc ipſum aſſeritur de avibus קריא & קפופא. Hæc porrò *Selomonis* cum diſerta ſint, nullus capio, quo pertineant hæc *Kimchii* in *Lexico*: כוס שם עוף טמא לא נודע אצלנו ורבינו שלמה ז"ל פי' פלקון בלע"ז והוא שקורין פלקון הוא נמצא ביישוב וצריך בו בני האדם לשאר העופות ואחר שאמר הכתוב ככוס חרבות ידמה שהוא מדברי, Chos *nomen avis immundæ apud nos ignota. Magiſter noſter* R. Selomo *beatæ memoriæ lingua vernaculâ falconem explicat. At avis quam falconem vocant, in locis habitatis reperitur, & ea utuntur homines ad alias aves aucupandas: Scriptura autem cum dicat* “ *Sicut* chos ſolitudinis, *videtur eſſe avis in deſerto degens.* Quibus verbis *Selomoni* diverſiſſimam aſſingit ſententiam ab ea, quam exhibent ipſius Commentaria. Tamen hoc ſequuti *David de Pomis, Munſterus, Arias* & alii

alii כוס *chos*, *falconem* interpretantur. Quin quaſi liberum eſſet quidvis hic comminiſci, quia *ignotam* eſſe *avem* dicit *Kimchius*, alii *cuculum* reddunt, alii *illicem*, alii *ſtrigem*, alii *pelicanum*, & quid non? Fatendum interim novorum etiam interpretum partem longe maximam *noctuam* retinuiſſe. Et veram eſſe hanc vocis notionem probare contendit *Druſius* ex Germanico **kutz** pro *noctua*, & Patavino *chiu* pro *ſcope* noctuæ ſpecie, quæ videntur ad *Hebræum* כוס *chos*, accedere, tanquam ex eo deducta. Itaque tantò conſenſui ſe opponere videbitur periculoſum. Dicam tamen quid olim de hac voce conjecerim, non ſine aliqua veri ſpecie.

Voce כוס *chos*, ſuſpicabar *truonem* ſignificari, vel, quod idem eſt, *onocrotalum*. Nam qui *Græcis* ὀνοκρόταλος, is *Romanis* TRUO dictus eſt. Nempe *trua* eſt vaſis genus.

Pomponius Pannuceatis,

Mulier ubi aſpexit tam mirificè tutulatam truam.

Titinnius Setina,

Cocus magnum ahenum quando fervit, paula confutat truâ.

Unde Diminutivum *trulla*. Varro *De lingua Latina* libro quarto, *Trulla à ſimilitudine truæ, quæ quod magna, & hæc puſilla, ut truula.* Nonnius, Truam *veteres* dicendo, *quam nos Diminutivo* trullam *dicimus, appellari voluerunt. Inde igitur* truo *eſt onocrotalus*. Feſtus, *Truo, avis onocrotalus*. Cæcilius *irridens magnitudinem naſi*, " *Pro Dii immortales, unde prorepſit truo?* Gloſſæ *Philoxeni*, Ὀνοκρόταλος, *Treca*, lege *Truo*. Aliæ *Gloſſæ* optimæ, ſed librariorum incuria ſæpe corruptæ, *Triduo, tinnuero*. Legendum, *Trua vas, Truo* verò, ὀνοκρόταλον, ſupple *ſonat*. *Truo* ſcilicet vocatur *à trua*, quam habet in roſtro, cujus forma talis eſt,



Proinde *Sabaudi* vocant *gutturoſam*, id eſt, *ſtrumoſam*, ab ingluvie, quæ in gutture, ſtrumæ inſtar, prominet. Et *Arabes* plerique الحوصل *alhauſal*, id eſt, *ingluviem*, ac ſi avis tota ſit ingluvies. Sic *Æliani* libri decimi ſexti capite quarto *Indica* avis κήλας, otide triplo major, vaſto ore, magnis cruribus, habens προηγορεῶνα, καὶ ἐκεῖνον μέγιστον, σφόδρα προσεμφερῆ κωρύκῳ, *ingluviem, eamque ampliſſimam, ſacco ſimilem*, omnino eſt onocrotalus, qui à *Græcis* κήλας dictus eſt, propter κήλην, ſeu βρογχοκήλην, id eſt, *tumorem in gutture*. Neque immerito illa ingluvies aſſeritur eſſe ampliſſima, cum pene amphoram aut urnam capere nonnulli ſcribant. Alii *Æthiopem* infantulum in ea eſſe repertum. Alii pugnum cum brachio, alii pedem cum crure uſque ad genu in eam immiſiſſe ſe prodant, ipſo animali illæſo. Alii ſe pro cucullo capiti impoſuiſſe, reliquo corpore à tergo dependente. Alii nautas *Ægyptios* onocrotali roſtro ſentinam exhaurire. Et *Plinius* (libri decimi capite quadrageſimo ſeptimo) *faucibus ipſis ineſſe alterius uteri genus. Huc omnia inexplebile animal congerere, mira ut ſit capacitas. Mox, perfecta rapinâ, ſenſim indè in os reddita in veram (* alii, *in inferam) alvum ruminantis modo referre.* Unde eſt, quod *Arabs Poeta* de hac ave ملغز id eſt, αἰνιγματιζόμενος,

ما طاير في قلبه *
يلوح للناس عجب *
منقاره كبطنه *
والعين منه في الذنب *

Quænam avis eſt, quæ ingenio ſuo apparet hominibus mirabilis? Roſtrum illi pro ventre eſt, & oculi in cauda: id eſt, poſt ventrem illum, quem in roſtro habet. Potuit igitur ab hoc, ſive ventre, ſive ſacco, aut truâ, quæ ab inferiori roſtri parte dependet, etiam ab *Hebræis* dici avis הכוס, *chos, id eſt, *vaſis*, ſeu *poculi*; quia כוס *chos*, pro *vaſe*, aut *poculo* nomen eſt receptiſſimum. Cui conjecturæ non parum favet *Pſalmi* locus, quem citavimus, דמיתי לקאת מדבר הייתי ככוס חרבות, is enim optimè ſic redderetur, *Similis factus ſum pelicano deſerti, & fui ut onocrotalus ſolitudinum.* Et in eodem commate jungerentur hæ duæ aves, pelicanus, & onocrotalus, quæ ſunt ità congeneres, ut etiam doctiſſimi eas promiſcuè ſumant. In his *Oppianus* in *Ixeuticis*, ubi πελεκᾶνι, id eſt, *pelicano* tribuitur κόλπος, *ſinus* quidam ante pectus dependens, in quem cibum omnem aliquantiſper recondit. Et *Hieronymus*, cui קאת in loco *Pſalmi* eſt *pelicanus*; ſed alibi *onocrotalus*, ut *Levit.* 11. v. 18. *Eſ.* 34. v. 11. & *Sophon.* 2, 14. Et *Bellonius* libri tertii capite ſecundo *De Avibus*, ubi pelicanus, platea, & onocrotalus pro eadem ave ſumuntur. Præterea rectè diceretur *onocrotalus ſolitudinum*. Docet enim *Hieronymus* in *Eſ.* 34. hoc animal *in deſertis locis habitare conſueviſſe*. Et in *Sophon.* 2. *Onocrotalorum eſſe duo genera, aliud aquatile, aliud ſolitudinis.* Ità etiam *Iſidorus* libri duodecimi capite ſeptimo. Proinde *Damir* capite البجع *albugia*, ſeu *De Onocrotalo*, ſectione *De ejus eſu*, licitum quidem eſſe concludit, non tamen vi regulæ generalis, quæ *Mahumetanis*

metanis concedit omnium avium aquaticarum eſum;

لان تلك الوجه يجري في طاير لا

يفارق الما وهذا يالفه ثم يفارقه

Quia currit hæc ratio (id eſt, valet hæc regula) *in iis avibus, quæ in aquis ſemper manent: at hæc avis modò in aqua degit, modò ab ea divellitur*; ut ſecedat ſcilicet in intimam ſolitudinem. Hoc quoque non omittendum, *Pſaltem* huic avi ſe conferre propter aſſiduos queſtus, & planctus. Nam præceſſerat מקול אנחתי, *propter vocem gemitûs mei oſſa mea carni adhæſerunt.* Porrò vox onocrotali mœſtum & horribile aliquid habet. *Ælianus* ubi ſuprà, Φθέγμα δ' ἴσχει καὶ μάλα ἀπηχὲς, *Vocem habet valdè abſonam.* Proindè *Græcis* dictus eſt ὀνοκρόταλος, quaſi *rudat inſtar aſini*: & nonnullis *Arabum* جمل الما *camelus aquæ*, quaſi *blateret in cameli modum.* Hinc Albertus, *Quaſi cornu ſonans horribilem vocem emittit.* Et Olaüs, *Magnum clamorem edit inſtar botauri avis*, id eſt, *ardeæ ſtellaris*, quæ voce ſuâ tauri mugitum imitatur. Denique non potuit hæc avis ignota eſſe *Judæis*, cùm idonei ſcriptores reperiri teſtentur circa *Syriæ Antiochiam*, & *Palæſtinæ Gazam*, & in *Ægypto* frequentem eſſe. Addi queat indè factum eſſe, ut כוס *chos*, à *Græcis*, quos reliqui ſequuti ſunt, pro *onocrotalo* redderetur νυκτικόραξ, quòd pro כוס *chos* legerunt בום *bum*. Quæ duæ voces quamvis ſono differant immenſum quantum, tamen apud *Hebræos* ſcripturâ ſunt ſimillimæ. Porrò voce בום *bum*, *noctuam*, & غراب الليل *corvum noctis*, id eſt, *nycticoracem*, ſignificari, ſaltem apud *Arabes*, quorum lingua eſt *Hebraicæ* dialectus, abundè ſuprà (*a*) probavimus.

(*a*) Pag. 273. lin. 3. &c.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

Probatur שלך *ſalach*, à *Græcis* rectè reddi καταῤῥάκτην *catarrhacten.*

Καταῤῥάσσειν *eſt* cum impetu dejicere. *Indè* καταῤῥάκτης, *aquilæ, harpyiarum, & accipitris Epithetum. Item avis marinæ ſpecies, aquila, vel accipitri ſimilis; quæ non in aves, ut vult* Euſtathius, *ſed in piſces irruit, & ad ulnæ ſpatium in aquas immergitur, ut indè prædam extrahat. Ova quoque, & pullos ſuos in mare demittit, & ſubinde extrahit: inde* שלך Hebræis, *ut* Græcis καταῤῥάκτης. *Nam* Hebræum *Verbum* שלך *in* Hiphil, *modò* καταῤῥάσσειν cum impetu dejicere, *modò* demittere *ſonat. Utriuſque notionis exempla.* Chaldæis & Syris *eadem avis* ܫܠܝ ܢܘܢܐ ſale-nuna, *non* à prædandis, *ut volunt*, *ſed* ab extrahendis piſcibus. *Nam* שלי *quidem* prædari, *ſed* שלה *eſt* extrahere. *Arabicè* زمج zummag *vocatur*; *Ægyptiacè* nauras. *Non eſt* mergulus, *ut ab* Hieronymo: *& multò minùs* merula, *ut à* Pomario *creditum. Falſa aliorum interpretamenta.*

Hebræum avis nomen שלך *ſalach*, à *Græcis* redditur καταῤῥάκτης rectè omnino. Nam השליך Verbum, unde avis nomen deductum, eſt idem, quod καταῤῥίπτειν projicere, & καταβάλλειν dejicere. Porrò id ipſum eſt καταῤῥάσσειν, ex quo factum καταῤῥάκτης. *Heſychius*, Καταῤῥάσσειν, καταῤῥίπτειν. Item, Καταῤῥάξαι, καταβαλεῖν. Proinde *Græca* verſionis locis plùs centum *Hebræo* השליך, reſpondent *Græca* ῥίπτειν, ἀποῤῥίπτειν, ἐπιῤῥίπτειν, καταῤῥίπτειν, & βάλλειν, ἐκβάλλειν, ἐμβάλλειν, ἀποβάλλειν. Quin *Pſal.* 101. (Hebr. 102.) pro *Hebræo* השליכני, *Græcè* habetur κατέῤῥαξάς με, *dejeciſti me.* Itaque ut Verbo השליך, καταῤῥάξαι, ità Nomini שלך, reſpondet καταῤῥάκτης. Et quandoque eſt Epithetum avium prædatricium, quæ cum impetu in prædam ruunt, & quodammodo ſe præcipites conjiciunt. Ità *Sophocles* in *Laocoonte* aquilam καταῤῥάκτην, & in *Phineo Harpyias* καταῤῥάκτας appellaverat. *Heſychius*, Καταῤῥάκτης, ἰκτὶς, γύψ, καὶ αἰτός· Σοφοκλῆς Λαοκόοντι, καὶ τὰς Ἅρπυιας ἐν Φινεῖ. Et in *Caſſandra Lycophronis* καταῤῥάκτης, quod idem eſt, accipitris eſt Epithetum. Verba ſunt verſu 168,

Τὸν δ' αὖ τίταρτον αὐθόμαιμον ὄψεται
Κίρκον καταῤῥάκτην ...

Quartum porro conſanguineum videbit accipitris catarrhactæ, ſeu *catarrhactis*. *Diomedeas* quoque aves *Juba* vocat *catarrhactas*, ut habetur apud *Plinium* libri decimi capite quadrageſimo quarto; quia in *Ariſtotelis Mirabilibus* leguntur *Græcis* parcere, ſed venientes barbaros καταῤῥάσσειν.

Tamen ut *Hebræis* שלך, ità *Græcis* καταῤῥάκτης avis eſt certa ſpecies, cui peculiare eſt hoc nomen. *Suidas*, Καταῤῥάκτης, εἶδος ὀρνέου θαλασσίου· *Catarrhactes, avis marinæ ſpecies.* Euſtathius *in* Dionyſium, Τὸ ὄρνεον ἀετῶδες καταῤῥάκτης καλεῖται· *Avis aliqua aquilini generis* catarrhactes *vocatur.* Ariſtophanes *in* Avibus, Καὶ ἐρωδιῷ, καὶ καταῤῥάκτῃ, καὶ μελαγκορύφῳ· *Et ardeæ, & catarrhactæ, & melancorypho.* Et ibi *Scholiaſtes*, Καταῤῥάκται εἰσὶ παρὰ Καλλιμάχῳ ἀναγεγραμμέναι· *Catarrhactæ à* Callimacho *deſcribuntur.* Ariſtoteles *Hiſtoriæ* libri ſecundi capite decimo ſeptimo, Νῆττα δὲ, καὶ χὴν, καὶ λάρος, καὶ καταῤῥάκτης, καὶ ὠτὶς τὸν ςόμαχον εὐρὺν καὶ πλατὺν ὅλον ἔχουσι· *Anas autem, & anſer, & larus, & catarrhactes, & otis totum ſtomachum amplum & latum habent.* Et libri noni capite duodecimo, Ὁ δὲ καταῤῥάκτης ζῇ μὲν περὶ θάλατταν. ὅταν δὲ καθῇ ἑαυτὸν εἰς τὸ βάθυ, μένει χρόνον οὐκ ἐλάττονα, ἢ ὅσον πλέθρον διέλθοι τις. ἔςι δ' ἔλαττον ἱέρακος τὸ ὄρνεον. *Catarrhactes quidem circa mare vivit. Cum autem in profundum ſe demiſit, manet non minùs temporis, quàm quo jugerum quis tranſierit. Eſt autem avis accipitre minor.* Oppianus in *Ixeuticis* accipitri palumbario φασσοφόνῳ ſimilem eſſe ſcribit. Apud *Euſtathium* vocari dicitur *catarrhactes*, ὡς ἄνωθεν καταῤῥάσσων ἐν τῷ θηρεύειν τὰ ζῶα, *tanquam ſupernè irruens cùm venatur aves.* Perperam, cum catarrhactes nonniſi piſces venetur. Præſtat igitur nominis rationem aliunde addiſcere. Et commodùm ſe offerunt *Geſneri Excerpta ex Oppiani Ixeuticis*, quæ quidem hodiè non extant. Sed illorum *Græcam Paraphraſim* legerat manu exaratam; in qua hæc maximè ad rem. 1. *Catarrhactes ſcopulis, & littoribus, & petris, quas* χηράδας *vocant, ſupra aquam eminentibus, inſidet, &c. Et ubi piſces aliquot natantes viderit* (perſpicaciſſimus enim eſt vel ad fundum uſque maris) *altiùs volat, & pennis omnibus contractis, in mare tanquam delapſus, per medium aeris intervallum quovis telo celeriùs fertur, & ad ulnæ ſpatium immergitur, donec comprehenſum piſcem extraxerit, quem mox evolans palpitantem adhuc devorat.* Quæ *Græcè* ex MSS. ſuo ſic citat vir doctiſſimus *Voſſius* noſter in eximio illo in *Melam* opere paginâ 73. Πρὸς ὕψος ἑαυτὸν αἴρει, καὶ

καὶ τὰ ἄγρια πάντα συςείλας, εἰς τὸν πόντον διαπίπτων οἴσεται, διατεμὼν τὸν ἀέρα παντὸς ἂν εἴποις βέλους ὀξύτερον, καὶ καταδύεται μέχρι ὀργυιᾶς, ἢ καὶ πλεῖον, εἶθ' ὅτι συλλαβὼν τὸν ἰχθὺν ἀνασπᾷ, καὶ ἀνίπταμενος ὅτι πάλλοντα κατεσθίει. 2. *Mors catarrhactis gravior, quàm ulli ambiguæ vitæ avium contingit. Acies enim oculorum, ſenio confectis obtuſa, in cauſa eſt, ut in mare ſe præcipites ferri ad piſcium prædam arbitrantes, ſcopulis, ac præcipitiis illidantur, & pereant.* 3. *Catarrhactas imaginibus piſcium ſuper tabulas pictis capiunt. Nam, dum impetu in illas, ſeu vivos piſces feruntur, illiſi pereunt.* 4. *Mas ova, unde marem procreandum conjicit, fœmina unde fœminam, in ſublime ferunt unguibus comprehenſa. Indè mittunt in pelagus, atque hoc ſubinde repetunt per dies aliquot. Hoc motu concalefactis ovis pulli excluduntur.* 5. *Pulli catarrhactæ, mox ut lucem aſpexerint, nulla in nidis morâ, parentes volatu ſequi contendunt. A parentibus autem ſuſcepti, in mare demittuntur, & rurſus illico extrahuntur, ut ſic facilius auxilio parentum hoc genus exercitii ipſis reddatur.* Vides, lector, quam meritò *Hebraicè* שלך dicatur, & *Græcè* καταῤῥάκτης. Cùm modò deſcribatur משליך נפשו, ἑαυτὸν καταῤῥάσσων, *ſeipſum dejiciens*, aut certo conſilio in mare, unde victus illi ſuppetit; aut per errorem vel in ſcopulos, vel in tabulas pictas, unde illi certa pernicies: modo משליך ביציו או בניו, *ova ſua projiciens*, aut *pullos ſuos in mare demittens*, ad quod ultimum fortaſſe τὸ καταῤῥάσσειν non ità pertinet, quia id cum impetu non fit: ſed *Hebræum* השליך tam ſignificat *leniter demittere*, quàm *cùm impetu projicere*. De *projectione in præceps* uſurpatur *Jon.* 2. *v.* 4. ubi *Propheta*, hoc verbo uſus, queritur ſe *projectum fuiſſe in profundum, & in cor maris.* Et 2. *Par.* 25. *v.* 12. ubi legitur de decem *Idumæorum* millibus, וישליכום, *Et projecerunt eos de petræ vertice, & illi omnes crepuerunt.* Proinde *Græci* reddunt, Καὶ κατεκρήμνιζον αὐτούς· & Hieronymus; *Præcipitaveruntque eos.* Sed pro *demiſſione* ſumitur, cùm de *Jeremia* ſcribitur *Jerem.* 38. *v.* 6. וישליכו אותו אל הבור *Et jecerunt eum in foveam*, id eſt, *demiſerunt.* Sequitur enim ἐπεξηγητικῶς illum demiſſum eò fuiſſe funibus. Catarrhactes igitur, etſi pullos ſuos in mare, fortaſſe etiam ova non tam projiciat, quàm demittat: tamen etiam eo nomine שלך dici potuit. Et hujus hiſtoriæ putaverim aliquid *Hebræis* ſuboluiſſe, cum tradunt, auctore *Aben Ezrâ*, שלך avem eſſe, quæ ſoleat להשליך ילדיו, *pullos ſuos projicere.* Hæc de *Græca* verſione; quæ, quia vera eſt, reliquas quoque libet ad eam expendere.

Onkelos & *Jonathan* hic habent שלינונא *ſalenuna*: & *Syrus*, divisis vocibus, ܫܠܐ ܢܘܢܐ. Quomodo etiam in *Jonathane* quidam ſcribunt שלי נונא *ſale nuna*, & reddunt *prædonem piſcium*; quaſi שלי eſſet à שלה *deprædari*, cùm ſit à שלה quod *educere* & *extrahere* ſignificat, ùt *Arabicum* سل & *Syrum* ܫܠܐ *Pſal.* 18. *v.* 17. ושלני וקבלני מן מיא סגיאה, *Et extraxit me, & eduxit me ex aquis multis.* Itaque שלינון eſt *extractor*, vel *eductor piſcium.* Ità exponit *R. Juda* in *Talmudico* Tractatu *Cholin* cap. 3. fol. 63. a. שלך זה השולה דגים מן הים, Salach *eſt avis, quæ piſces ex mari extrahit.* Et *Kimchius* in *Pſalmum* centeſimum quadrageſimum quintum, מצאתי בדברי רז״ל רבי יוחנן כד הוה חזי שלך דשולה דגים הים הוא אמר משפטך תהום רבה *In Magiſtrorum noſtrorum beatæ memoriæ ſcriptis reperi, R. Johannem, cum videbat avem ſalach piſces è mari extrahentem dixiſſe: Judicia tua abyſſus magna.* Locus eſt *Pſalmi* trigeſimi ſexti verſu ſeptimo, quo ſignificari voluit Deum etiam in abyſſo magna, id eſt, in mari, judicia ſua exercere. Quam rectè non jam quærimus. Hæc enim ideò ſolùm proferimus, ut doceamus quorſum שלך *ſalach*, *Syri* & *Chaldæi* שלי נונא, id eſt, *piſcium eductorem* vocent. Nempe quia hæc eſt natura catarrhactis, ut non ſolùm iis veſcatur piſcibus, qui mari innatant, ſed & illos ad orgyiam uſque è fundo maris extrahat. Unde ſuprà *Oppiani* Paraphraſtes *Dionyſius Characenus*, Καταδύεται μέχρι ὀργυιᾶς, ἢ καὶ πλεῖον. εἶθ' ὅτι συλλαβὼν τὸν ἰχθὺν ἀνασπᾷ, &c. Et eundem *Philoſophus* in fundo maris manere dicit χρόνον οὐκ ἐλάττονα ἢ ὅσον πλέθρον διέλθοι τις.

Eandem avem زمج *Zummag* vocat uterque *Arabs*. Nomen eſt *ab ira* factum. زمج *zamagia* Verbum eſt *iraſci*, & Verbale nomen زمج *zamgi ira*. Itaque ex Etymo colligitur avem eſſe valdè iracundam. Duæ porrò ſunt ſpecies. Una, quæ ſimpliciter dicitur زمج *zummag*, de qua dicetur infrà. Altera زمج الماء *zummag aquaticus*: de quo *Damir*, هو طاير الذي يسمى بمصر النورس وهو ابيض في حد الحمام واكبر يعلو في الجو ثم يزج بنفسه في الما ويختلس منه السمك ولا يقع على الجيف ولا ياكل غير السمك

Avis eſt, quæ in Ægypto vocatur nauras, *alba, columbæ ſtatura, aut major etiam, in altum volans, deinde in aquam ſe immergens, ut indè piſces deprædetur; neque in cadavera involans, neque aliud quidquam comedens præter piſces.* Quæ ad catarrhactæ deſcriptionem pertinere palam eſt.

Pro *catarrhacte* Hieronymus *mergulum* habet. Quem ſequuntur *Pagninus*, *Arias*, *Caſtalio*, *Junius*, *Buxtorfius*, *Itali*, *Genevenſes*, & multi alii recentiorum interpretum: quod minus probo; quia cauſa non apparet, cur *mergus* vocetur שלך, cùm non ſoleat ex alto in aquas ſe dejicere, quomodo catarrhactes. Quod idem *Munſtero* & *Schindlero* poteſt objici, qui *ardeam*; & *Baptiſta Ferrario*, qui *larum*, *gaviam*, *fulicam*; & *Anglis*, qui cormorant exponunt, id eſt, *corvum marinum*, vel *aquaticum*, Græcè φαλακροκόρακα. Quamvis etiam in *Gloſſa Talmudis* ad locum, quem ex Tractatu *Cholin* ſuprà citavimus, dicatur eſſe עורב המים, *corvus aquarum*. Sed *Pomario* nihil ineptius, qui *Latinè mergulum* cum *Hieronymo* reddit, & *Italicè* מרלו, *merlo*; quaſi *mergulus* ſeu *mergus*, ſit idem cum *merula*.

CAPUT

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

Probatur ינשוף janſuph, eſſe Bubonem.

Variæ verſiones vocis ינשוף janſuph. *Samaritani*. 'ࠁࠓࠁࠓࠉ barbari *reddunt*. *Græci*, & *Hieronymus*, ibin. *Syri*, & *Chaldæi*, קפופא kiphupha, *id eſt*, bubonem, *aut* noctuam. Arabum *nonnulli* باشق baſak, *accipitris genus, quod aliter atque aliter deſcribunt*. *Alii* حباري hubara, *id eſt*, tardam, *vel* otidem; *de qua obiter multa*. *Præfertur* Syriaca & Chaldaica *verſio*, *quæ* bubonem *explicat*: *quia* נשף (*unde* ינשוף) tenebras *ſonat*. *Et ad* Idumææ *deſolationem pertinet, quòd in ea habitabit* ינשוף janſuph, *Eſa*. 34. *v*. 11. *Quod in bubonem bellè quadrat, ominoſam, & inauſpicatam avem, quæque in deſertis degit, & cum corvo ſolet jungi*.

NEc ſatis notum quid ſit ינשוף *janſuph*, & *janſoph*, avis nomen, quod jam ſequitur. Nam, ut *Samaritanos* prætercam, qui 'ࠁࠓࠁࠓࠉ *barbari*, id eſt, *Barbaricam avem*, vertunt, quâ de cauſa haud quaquam ſcio, quatuor alias reperio hujus vocis interpretationes ab invicem remotiſſimas.

Prima *Græcorum* eſt, & *Hieronymi*, qui ἶβιν *ibin* interpretantur, hic, & *Eſa*. 34. *v*. 11. ubi de *Idumæa* dicitur, ינשוף Janſoph, *& corvus in ea habitabunt*. Tamen is locus palàm docet *janſoph* non eſſe *ibin*. Ibis enim *Ægyptia* eſt avis, ut ex *Herodoto*, *Strabone*, *Plinio*, *Solino*, & *Ammiano* ſcimus. Εἰ δέ τις ἐπιθέμενος αὐτῇ τὸ καρτερὸν ἐξαγάγοι, ἥδε ἀμύνεται τὸν ἐπιβουλεύσαντα, εἰς οὐδὲν αὐτῷ τὴν σπουδὴν προσαγαγοῦσα. ἑαυτὴν γὰρ ἀποκλείσασα λιμῷ, καὶ ἀνόνητον τὴν προθυμίαν ἀποφαίνει τοῦ προῃρημένου. *Si quis autem vim inferens eam abducat, illa ab inſidiatore pœnas repoſcit, hoc ejus ſtudium in nihilum redigens. Mortem enim ſibi inedia conſciſcens, inutilem hoc volenti conatum eſſe oſtendit*. *Æliani* verba ſunt *Hiſtoriæ animalium* libri ſecundi capite trigeſimo octavo. Itaque in *Idumæa* nulla fuit ibis.

Secunda verſio eſt *Syri* Interpretis, & utriusque *Chaldæi*, id eſt, *Jonathanis* & *Onkeloſi*: à quibus vox eadem conſtanter redditur קפופא *kiphupha*, id eſt, *bubo*, vel *noctua*; ut ex *Talmude* probavimus capite vigeſimo, ubi de ave כוס *chos*. De qua verſione plura dicemus infra.

Tertia eſt *Arabum Pentateuchi* Interpretum: quorum uterque pro ינשוף hic habet الباشق *albaſak*, accipitris ſpeciem, quam *Alkazuinius* ità deſcribit;

طير احسن الصورة اصغر الجوارح جثة يصطاد العصافير

avis eſt ſpecie pulcherrima, & rapacium corpore minima, quæ venatur paſſeres. Quæ deſcriptio niſo, ſeu ſparverio, convenit. Sed multò aliter definit *Damir* in capite *De* البازي *albazi*, ſeu *accipitre*. Ibi ſcilicet habentur accipitrum quinque ſpecies. 1. بازي *bazi* propriè dictus, cui *ab impetu* nomen eſt. 2. زرق *Zorrak*, id eſt, *oculis cæſiis*. 3. باشق *baſak*, *Arabicè* dictus *ab acuto viſu*, quamvis *Perſicum* eſſe plerique velint. 4. بيذق id eſt, *vilis*. 5. عصفي *aſphi*, id eſt, *qui fertur in modum turbinis*. In his *baſak* ſic deſcribitur.

هو ايضا حار المزاج عليه القلق الزعارة يانس وقتا ويستوحش وقتا وهو قوي النفس فاذا انس منه الصغير بلغ صاحبه من صيده المراد وهو خفيف المحمل ظريف الشمايل يليق بالملوك ان تخدمه لانه يصيد افخر ما يصيده البازي وهو الدراج والحمام والورشان وهو كثير الشبق وهو قوي عليه صيده لا يتركه الي ان يتلف احدهما واجمل اوصافه ان يكون صغيرا في المنظر ثقيلا في الميزان طويل الساقين قصير الفخذين

Ille etiam eſt calidi temperamenti, ac proinde inquietus, & pravæ indolis, & quandoque eſt cicur, quandoque ferus. Reſpiratio eſt fortis. Cùm parvus cicuratur, dominus ejus ſecundo vento prædam ſuam conſequitur. Et faciliùs fertur, & naturâ eſt ſolers. Uſus ejus Regibus maximè convenit; quia venatur nobiliora quàm albazi, *nempe attagenes, columbas, & turtures. Eſt multa libidinis. Si avem aggreditur ſe fortiorem, eam non dimittit, donec pereat alteruter. Maximè probantur, qui ſunt ſtaturâ parvi, pondere graves, longi cruribus, femoribus breves*.

Quarta interpretatio eſt in *Arabica Eſaiæ* Paraphraſi, ubi pro *Hebræo* ינשוף *janſuph*, & *Græco* ἶβις, legere eſt الحباري *albubara*, quod *Gabriel Sionita* perperam *bubones* reddit, cùm حباري *hubara* ſit *otis*, ſeu *tarda* ſi mavis. Ità reddunt *Avicennæ* interpretes lib. 2. in capite *De ovis*: neque aliter reddiderant capite *De ſtercore*; quamvis ſcribarum imperitia *tardam* in *turdum* mutaverit. Ità etiam *Andreas Bellunenſis* in *Explicatione nominum* Arabicorum *Avicennæ*. *Lexicographi* quoque, ut *Giggeius*, *Golius* &c. Et veram eſſe explicationem docet ejus deſcriptio in *Ibenbitare* ex *Aſſariphe*

هو طاير كبير العنق رمادي اللون في منقاره بعض الطول وهو مشهور لحمه بين لحم الدجاج ولحم البط وهو اخف من لحم البط

البط لانه بري وفيه شي من الغلظ *Avis eſt magni colli, cinerei coloris, roſtri utcunque longi, notiſſima* (nempe in Oriente) *carnis inter gallinaceam & anſerinam media; ſed anſerina levioris: quia terreſtris eſt avis, quamvis aliquid craſſum habeat.* Addit *Damir*, وسلاحها سلاحها *Et ſtercus ejus illi pro telo eſt*, ludens in ambiguo vocis, سلاح quæ & ſtercus & telum ſonat. Rem ità explicat *Alkazuinius*,

اذا تصدها الصقر لا يزل يعلوا وينزل مع الصقر حتي تجد فصد فرماه بدرقه يبقا الصقر مقيدا مثل المكتوف فعند ذلك يجتمع الحباريات وينتف ريشه وفي ذلك هلاك الصقر

Cùm eam inſequitur accipiter, non ceſſat cum accipitre aſcendere & deſcendere, donec in ejus pupillam incidens ſtercus in eam conjecerit. Quo facto, conſtrictus manet accipiter, ut qui manibus pedibusque vinctus eſt. Tum verò convenientes otides accipitris plumas vellicant, unde illi certa mors. Quò *Poëta* alludens hæc habet de quodam, qui inter fugiendum præ metu cacaverat;

وهم تركوه اسلح من حباري ✱
راي صقرا واشرد من نعام ✱

Et eum reliquerunt otide quæ accipitrem vidit merdoſiorem, & ſtruthione fugaciorem. Eandem ajunt eſſe mœſtiſſimam, & mœrore confici, cùm plumæ poſt defluvium tardè recreſcunt: atque inde natum eſſe vulgatum Adagium اكمد من الحباري *Otide mœſtior*. Additur, ova propria deſerere, ut aliena foveat. Sed hoc crimen *Damir* diluit, ut alibi (a) diximus. Ovis ejus utuntur ad denigrandos capillos, ſed nonniſi maſculinis, id eſt, unde mares naſcituri ſunt; quæ filo inſerto dignoſcuntur: illud enim è maſculino ovo nigrum educitur. Lapis in ingluvie latet, quo profluvium ſiſtitur, & prohibentur ſomnia. *Otis Perſicè* vocatur جرز *gerez*. Mas *Ægyptiacè* حبرج *hubarig*. Pullus *Arabicè* نهار *nehar*, ut perdicis ليل *lail*. Quæ duæ voces cùm *diem* & *noctem* vulgò ſonent, in æquivocatione *Poëta* quidam jocum ità quæſiit;

(a) Cap. 17. pag. 251. lin. 10. ſupra.

ونهار رايت نصف ليل ✱
وليل رايت وسط النهار ✱

Quibus videtur dicere ſe diem vidiſſe mediâ nocte, & noctem medio die, cùm ibi نهار & ليل *diem* & *noctem* non ſignificent, ſed *otidis* & *perdicis pullos*. Multa hujusmodi poſſem addere, ſi hæc res ageretur, ex *Abenbitare*, *Damire*, & *Alkazuinio* petita: ſed obſervâſſe ſufficiet in hujus avis deſcriptione unum eſſe, in quo *Arabes Græcis* ſunt διαρρήδην oppoſiti. *Græci* enim eam aſſerũt brevis eſſe & tardi volatûs, propter corporis gravitatem. *Xenoph.* in *Cyro minore* lib. 1. Τὰς δ' ὠτίδας, ἄν τις ταχὺ ἀνιστῇ, ἔστι λαμβάνειν· πέτονται γὰρ βραχὺ, ὥσπερ πέρδικες, καὶ ταχὺ ἀπαγορεύουσι. *Otidas autem, ſi quis graviùs inſtet, capere licet: parùm enim volant, ut & perdices, & citò fatiſcunt.* Et *Athenæus* libro nono, ad hunc Xenophontis locum, Ἀληθῆ λέγειν φησὶ τὸν Ξενοφῶντα ὁ Πλούταρχος περὶ τῶν ὠτίδων· *De otidibus Xenophontem vera prodidiſſe refert* Plutarchus. *Ælianus* libri quinti capite vigeſimo quarto, *Solæ avium otides canes timent*; τὸ αἴτιον, βαρεῖαι τε εἰσὶ, καὶ σαρμῶν (lege σαρκῶν) ὄγκον περιφέρουσιν, *quia graves ſunt, & carnium pondus circumferunt. Ac proinde eas alæ non facilè attollunt, & allevant. Unde eſt, quòd, mole corporis onuſtæ, demiſſo volatu utuntur, & prope terram, & à canibus ſæpe capiuntur.* Atque ob id ipſum *tardæ* videntur dictæ. *Plinius* libri decimi capite vigeſimo ſecundo, *Proxima eis* (ſtruthionibus) *ſunt, quas* Hiſpania *aves tardas appellat*, Græcia *otidas*. *Gloſſæ* veteres, *Avis tarda*, ὦτος· lege ὠτίς. Nam *otus* alia eſt avis. *Gloſſæ Philoxeni*, Ὠτὶς τὸ ὄρνεον, *Avis tarda*. *Hiſpani* proinde hodieque *abeſtardas* vocant, ut nos *ouſtardas*. Illas tamen *Arabes* etiam a volatu commendant. *Damir* وهي من اشد الطير طيرانا وابعدها شوطا وذلك انها تصاد بالبصرة فيوجد في حواصلها الحبة الخضر التي شجرها البطم ومنابتها في تخوم ارض الشام ولذلك قالوا في المثل اطير من الحباري *Avem eſſe fortiſſimi volatûs, longiſſimeque evagari ex eo patet, quòd, cùm capitur circa* Baſoram (ad *Euphratis* oſtia) *in ingluvie ejus reperitur granum viride, cujus arbor terebinthus creſcit in finibus* Syriæ Damaſcenæ. *Unde eſt, quòd vulgato Proverbio dicimus aliquem eſſe* “*Otide volaciorem*, ſi verbo datur venia.

Porrò ex tot verſionibus vocis ינשוף *janſuph*, *Syram* & *Chaldæam* præfero, quâ קפופא *kiphupha*, redditur, id eſt, *bubo*. Conſtat enim ינשוף *janſuph*, ab *Hebræo* נשף *neſeph*, deduci, quòd *crepuſculum* & *tenebras* ſonat. Unde valde veriſſimili ratione colligitur hanc avem eſſe nocturnam. Sic *Arabicè* رامسات *ramiſath* in *Alcamus* ſunt *aves, quæ noctu volant*, الطير التي تطير بالليل quia *Chaldæis* & *Syris* ܪܡܫܐ *ramſa* eſt *veſpera*. Et *Eſa.* 34. v. 11. ad *Idumææ* vaſtitatem pertinet, non ut ibis, aut accipiter, aut otis, ſed ut in ea habitet bubo; de quo *Plinius* libri decimi capite duodecimo: *Deſerta incolit, nec tantùm deſolata, ſed dira etiam, & inacceſſa, noctis monſtrum.* Et Feſtus, *Buteo vaſtitatis eſt cauſa, his locis, quæ intraverit, ut bubo.* Et idem cum corvo rectè jungitur, cùm avis utraque feralis & inauſpicata ſit, & in voce dirum aliquid & ominoſum habeat. Proinde caput integrum *Plinius* habet *De inauſpicatis avibus. cornice, corvis, bubone.* Ubi de cornice dicit, *Ipſa eſt ales inauſpicatæ garrulitatis.* Et de corvo, *Peſſima eorum ſignificatio, cùm gluttiunt vocem, velut ſtrangulati.* Et de bubone, *Bubo funebris, & maximè abominatus publicis auſpiciis, &c. Nec cantu aliquo vocalis, ſed gemitu. Itaque in urbibus, aut omnino in luce viſus, dirum oſtentum eſt.* Hinc *Ovidius Metamorpho-*

morphoſeus libri quinti Fabulâ octavâ de *Aſcalapho*,

Fœdaque fit volucris, venturi nuntia luctûs,
Ignavus bubo, dirum mortalibus omen.

Et libri decimi Fabulâ decimâ,

—— ter omen
Funereus bubo lethali carmine fecit.

Et libri decimi quinti Fabulâ quinquageſimâ primâ,

Triſtia mille locis Stygius *dedit omina bubo.*

Et *Virgilius* libro quarto *Æneidos.*

Solaque culminibus ferali carmine bubo
Viſa queri. ——

Et *Statius* libri tertii *Thebaidos* verſu 511.

Nocturnaque gemunt ſtriges, & feralia bubo
Damna canunt. ——

Et *Seneca* in *Hercule Furente* verſu 686.

Hic vultur, illic luctifer bubo gemit.

Et auctor *Philomelæ*,

Bubulat horrendum ferali carmine bubo.

Et *Apuleius* libro tertio *Metamorphoſeos* de bubonibus, *Quid quòd iſtas nocturnas aves, cùm penetraverint larem quempiam, ſollicitè prehenſas foribus videmus adfigi, ut quod infauſtis volatibus familiæ minantur exitium, ſuis luant cruciatibus?* Jam, ſi *Hiſtoricos* conſulas, apud *Dionem* in morte *Auguſti*, cùm decreviſſet Senatus, ut publicè ſupplicaretur propter ejus valetudinem, τότε συνέδριον κεκλεισμένον εὑρέθη, καὶ βύας, ὑπὲρ αὐτοῦ καθήμενος ἔβυξε, *curia clauſa reperta eſt, buboque, qui ſuper eam conſederat, bubulavit.* Et in morte *Commodi*, Βύας ἀπ' αὐτοῦ (Καπιτωλίου) ἔβυξε. *Bubo ex* Capitolio *bubulavit.* Ita ille ipſe *Herodes Agrippa*, qui *Cæſareæ* ab inſana plebe pro Deo ſalutabatur *Act.* 12. *v.* 22. ἀνακύψας μετ' ὀλίγον, τὸν βουβῶνα τῆς ἑαυτοῦ κεφαλῆς ὑπερκαθεζόμενον εἶδεν ἐπὶ σχοινίου τινός, ἄγγελον τοῦτον εὐθὺς ἐνόησε κακῶν εἶναι, τὸ καὶ ποτε τῶν ἀγαθῶν γενόμενον, *paulo poſt ſuſpiciens, bubonem ſupra caput ſuum vidit funi cuidam inſidentem, quem ſenſit malorum eſſe nuntium, ut olim bonorum fuerat.* Nempe cùm olim, juſſu *Caii Caligulæ* vinctus, arbori inniteretur, cui bubo inſederat, prædixerat *Germanus* quidam fore, ut brevi, mutatis rerum vicibus, ad ampliſſimam dignitatem eveheretur. *Memento tamen*, inquiebat, ὁπότε εἰς αὖθις τὸν ὄρνιν θεάσαιο τοῦτον, πέντε ἡμέρας σοι τὴν τελευτὴν ἐσομένην, *quandocunque hanc avem denuò conſpexeris, intra quinque dies te eſſe moriturum.* Utrumque in *Joſepho* legitur libri decimi octavi capite octavo, & libri decimi noni capite ſeptimo. Unde apparet, cur *Agrippa* moriturus eundem bubonem malorum ἄγγελον ſeu *nuntium* eſſe dixerit, qui bonorum olim fuerat. Tamen hunc *Joſephi* locum *Euſebius* ità deſcripſit, Ἀνακύψας δὲ μετ' ὀλίγον τῆς ἑαυτοῦ κεφαλῆς ὑπερκαθεζόμενον εἶδεν ἄγγελον, bubonis mentione omiſſa; quaſi ſignificetur ille Angelus, à quo Rex percuſſus fuiſſe legitur *Actor.* 12. *v.* 23. quod non leve eſt παράσημα.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

Probatur תנשמת *thinſemeth*, eſſe Noctuam.

Vocis ambiguitas. Græci porphyrionem *explicant. Hieronymus* cygnum, *Jonathan* אותיא, otum, *Onkelos* בותא, βύαν bubonem, *qui* Arabicè البوه albuho, *Syrus* ܟܘܟܒܐ cocabi, *quod neque* ἀστερίαν, *neque* cocabenum *ſonat, ut nonnullis videri queat, ſed* noctuam: *cujus proprium* cucubare, *& vox* κικκαβαῦ. *Unde ipſa avis* Græcè κικκαβὰ, κακκαβὰ, κυκυβά. Heſychius *obiter emendatus*, Glauci piſces κυκυβαίαι. Samaritano etiam [Samaritan] *kaphapha* noctua. Arabes *hic habent* الشاهين τὸν ſahin, *falconis genus, de quo plura.* Hebræis *quoque* תנשמת, noctua, *ſic dicta, quia* שום, obſtupeſcit *quiſquis eam videt: optimè. Unam vocem poſſe habere duas origines: unam formæ; alteram ſignificationis ratione: quod probant multa exempla. Sic* תנשמת, *tam à* שמם, *quàm à* נשם. *Noctuam mirantur aliæ aves, vel propter inſolitam formam, vel juxta fabulam propter horrendum ſcelus à* Nyctimene *admiſſum, quæ in noctuam mutata eſt. Itaque noctuâ utuntur aucupes ad aviculas capiendas, quod* Ariſtoteli θαυμάζειν. *Plura de hoc aucupio. De ſtupenda noctuæ forma.* Nazianzeni *locus inſignis.*

VOx תנשמת *thinſemeth*, *Hebrais* eſt valde ambigua. Nam *Levit.* 11. *v.* 30. eſt inter lacertorum ſpecies, ut ſuo loco dictum. At ejusdem capitis verſu decimo octavo, in quo verſamur, avis immundæ genus eſt. *Græci* πορφυρίωνα explicant, avem aquaticam in *Libya*, & *Comagene Syriæ*, ſic dictam à colore roſtri, & pedum: nam pennæ ſunt cœruleæ. *Hieronymus cygnum* hic habet. *Jonathan*, אותיא *otja*, id eſt, *otum*, ut quidem puto, avem ab otide natura diverſiſſimam, quamvis nomine vicinam. Otus enim nocturna eſt avis, de qua ſic *Philoſophus* libri octavi capite duodecimo; Ὁ δὲ ὠτὸς, ὅμοιος ταῖς γλαυξὶ καὶ περὶ τὰ ὦτα πτερύγια ἔχων. ὅθεν δὲ αὐτὸν νυκτικόρακα καλοῦσιν. ἔστι δὲ κόβαλος, καὶ μιμητὴς, καὶ ἀντορχούμενος ἁλίσκεται, περιελθόντος θατέρου τῶν θηρευτῶν, καθάπερ γλαύξ. *Otus autem noctuis eſt ſimilis, & circa aures habet pinnulas* (unde illi nomen.) *Nycticoracem nonnulli vocant. Scurra autem, & imitator eſt. Et* contra ſaltantem unum aucupum *viciſſim ſaltans capitur ab altero circumeunte, ut noctua.* Onkelos בותא *bautha*, vel *bavetha*, etiam avis nocturnæ genus, quæ *Græcè* βύας dicitur, *Latinè bubo*, & *Arabicè* البوه *albuho* à cantu. Quamvis etiam apud *Arabes* parùm conſtet quid propriè ſit البوه *albuho*. Damir, البوه طاير يشبه البوم الا انه اصغر منه والانثى بوهة ويشبه بها الرجل الاحمق Albuho *avis eſt ſimilis τῷ* album, *ſeu buboni, niſi quòd minor eſt. Fœmininum eſt* albuha. *Cum ea confertur, qui ſtupidus eſt.* Quod poſtquam probavit exemplo ex *Poëta* quodam petito, addit, وقيل البوه ذكر البوم وقيل البوه اكبر من البوم *Ab aliis* albuho *dicitur eſſe mas* album, *& rurſus ab aliis eſſe major* album, id eſt, bubo. Quod veriſſimum. Omnino enim البوه *albuho* eſt *Græcum* βύας, id eſt, *bubo*, quæ avis in nocturnis eſt maxima. Neque aliud *Chaldæum* בותא, quod linguæ more factum ex בוא; ut עותא *iniquitas* ex עוא: & כותא *feneſtra* ex כוא.

Jam ſcire operæ pretium eſt quorſum *Hebræum* תנשמת, *Syrus* reddat ܟܘܟܒܐ *cocabi*, quod prima fronte videbitur ἀστερίαν *ſtellarem* ſignificare, quia ܟܘܟܒ *cocab* eſt ἀστὴρ *ſtella*; & nomen ἀστερίας commune eſt multis avibus. Quandoque enim eſt aquilæ majoris Epithetum, quam alii *chryſaëton* vocant. *Ælianus Hiſtoria animalium* libri ſecundi capite

pite trigeſimo nono, Ἀκούω δέ τι καὶ γένος αἰετῶν, καὶ ὄνομα αὐτῶν χρυσαιέτοι· ἔνθεν δὲ ἄλλοι δὲ ἀστερίαν τὸν αὐτὸν καλοῦσιν. Ità etiam *Michael Apoſtolius* Centuriæ ſecundæ Proverbio ſexto. Quandoque eſt accipitris genus. Sic ab *Ariſtotele Hiſtoriæ animalium* libri noni capite trigeſimo ſexto, in ſpeciebus accipitrum poſt buteonem, æſalonem, & circum, quartus cenſetur ὁ ἀστερίας. Eſt & in ardearum genere. *Ariſtoteles* libri noni capite undecimo, Τῶν δ' ἐρωδιῶν ἐστὶ τρία γένη· ὅ τε πελλὸς, καὶ ὁ λευκὸς, καὶ ὁ ἀστερίας καλούμενος. Unde *Plinius* libri decimi capite ſexageſimo, *Ardeolarum tria genera, leucon, aſterias, pellos.* *Ælianus* quoque *Hiſtoriæ animalium* libri quinti capite trigeſimo ſexto, cujus initium tale eſt, Ὄνομά ἐστιν ὄρνιθος ἀστερίας, &c. Plures igitur ſunt aves hujus nominis. Nempe *aſteriæ* ſeu *ſtellares* vocantur, quotquot aves punctis ut ſtellis picti, & diſtincti ſunt. Proinde cùm *aſterias* multarum avium ſit Epithetum, difficile erit definire, quænam à *Syro* potiſſimùm deſignetur voce ܟܘܟܒܝ *cocabi*, ſi quidem *ſtellarem* ſonet. Quid, quòd id ipſum ܟܘܟܒܝ *Cocabi* poteſt *Cocabenum* ſignificare, id eſt, *Cocabe* natum? Cujus nominis in *Syria* & *Arabia* plura oppida. Unum in *Baſanitide*, de quo *Epiphanius* in *Nazaræis*, horum ſectam vigere ſcribens ἐν τῇ Βασανίτιδι τῇ λεγομένῃ Κωκάβῃ, Χωχάβῃ δὲ Ἑβραϊστί. Et in *Ebionæis*, Ἀρχὴν μὲν τὴν κατοίκησιν ἔσχεν ἐν Κωκάβῃ τινὶ κώμῃ ἐπὶ τὰ μέρη τῆς Καρναΐμ, Ἀρνὲμ, καὶ Ἀσταρὼθ ἐν τῇ Βασανίτιδι χώρᾳ. Et infra, Ἀπὸ Μωαβίτιδός τε, καὶ Κωχάβων τῆς ἐν τῇ Βασανίτιδι, ἐπέκεινα Ἀδραῶν. Et in *Archonticis* de *Eutacto* ſectæ principe, Κατῴκησεν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ ἐν Κωχάβῃ, ἔνθα αἱ τῶν Ἐβιωναίων τε καὶ Ναζωραίων ῥίζαι ἐνήρξαντο. Sunt alii *Cochabeni*, vel *Cauchabeni* in *Arabia Deſerta*, de quibus *Ptolemæus* libri quinti capite decimo nono: Κατέχουσι δὲ τῆς ἐρήμου ταύτης Ἀραβίας, τὰ μὲν παρὰ τὸν Εὐφράτην ποταμὸν Καυχαβηνοί. Et paulò poſt, Ὑπὸ μὲν τοῖς Καυχαβηνοῖς Αἰσῖται. Eſt & in *Damaſcena* valle كوكبا *Caucaba* oppidum, cujus meminit *Nubienſis Geographus* Clim. 3. part. 5. Et in *Alcamus* كوكب *Caucab* eſt caſtrum *Tiberiadis*, & كوكبان *Caucaban Arabiæ Jemaniticæ*. Potuit igitur ab hujuſmodi loco vocari כוכבי *cocabi*, vel *caucabi*, avis aliqua inde oriunda. Tamen aliud conjectamus, nempe כוכבי *cocabi*, eſſe *noctuam*, & *Syrum* interpretem hic *Chaldæis* aſſentiri, quibus תנשמת *thinſemeth*, eſt אותיא, *otus*, vel בותא, *bubo*, aves noctuæ ſimillimæ. Noſtra hæc conjectura his nititur rationibus. Noctuæ *cucubare* dicuntur. Auctor *Philomelæ*,

Noctua lucifuga cucubat in tenebris.

Et *Ariſtophanes* in *Avibus* noctuarum cantum exprimit geminatâ voce κικκαβαῦ, κικκαβαῦ. Et ipſæ dicuntur κικκαβαὶ, (ut ibi habet *Scholiaſtes* Κικκαβαῦ) τὰς γλαῦκας οὕτω φωνεῖν λέγουσιν, ὅθεν καὶ κικκάβας αὐτὰς λέγουσιν. Alii κικκόβας malunt. *Heſychius*, κοκκοβάη. γλαύξ. Reſcribe, Κικκαβά, ἡ γλαύξ. Scriptum etiam Κικκάβη, unde κικκαβαῖαι, *glaucipiſces*, quia τῇ γλαυκί, id eſt, *noctuæ* concolores. *Oppiani Scholiaſtes* ad libri primi *Halieuticῶn* verſum 170. Γλαυκοὶ, αἱ κικκαβάϊαι. Proinde *Syrum* ܟܘܟܒܝ *cocabi* hic eſſe pro *noctua* valde veriſſimile eſt: Sed & eodem pertinere puto *Samaritanum* ࠒࠐࠒࠐࠒ *kaphapha*, ut *Chaldæum* קפופא *kephupha*. Ità ut *Chaldæi* duo, *Syrus* & *Samaritanus* ferè idem intelligant *Hebræâ* voce תנשמת *thinſemeth*.

Sed *Arabes* duo شاهين *ſahin* hic habent, quod *Giggeius* ineptè reddit *cygnum*, aut *porphyrionem*: cùm *ſahin* ſit avis prædatrix, & è numero τῶν γαμψωνύχων. De qua *Alkazuinius*, طير معروف من جوارح الطير عدو الحمام اذا راه الحمام يعتريه ما يعتري الشاه من الذيب والفار من الهر والحمام اسرع طيرانا منه الا انه اذا راه يضعف عن الطيران خوفا واذا راته السلحفاه ويعطيه ظهرها فلا يعمل منقار الشاهين فيها فيحملها الشاهين ويصعد بها نحو السما ويرميها في حجر صلد لتنكسرت فياكلها واذا مرض الشاهين اكل الذراريح يزول مرضه *Avis nota ex rapacium genere. Avis eſt columbis inimica. Columbæ ſcilicet, viſo τῷ* ſahin, *id ipſum accidit, quod ovi, lupo; & muri, fele conſpecto. Columba enim, cùm eum volatu ſuperet, tamen illo viſo præ metu debilitatur. Teſtudo illi tergum obvertit, in quod nihil poteſt roſtrum τοῦ* ſahin: *ſed is arreptam attollit uſque ad cœlos, & in durum lapidem projicit, ut confractam comedat.* Sahin *æger cantharidum eſu ſanatur.* Et *Damir*, poſtquam docuit in Plurali dici شواهين *ſavvahin*, & شياهين *ſajahin*; & vocem in uſu eſſe apud *Arabes*, quamvis ſit peregrina; & ejus tres eſſe ſpecies, 1. *ſahin* propriè dictum; 2. قطامي *katami*, id eſt, *carnis avidum*; 3. انيقي *aniki*, vel, ut aliud exemplar habet, اسقي *aski*: primam ſpeciem ita deſcribit, الشاهين في الحقيقة من جنس الصقر الا انه ابرد وايبس منه مزاجا ولاجل ذلك تكون حركته من العلو الي اسفل شديدة ولهذا ينقض في صيده انقضاضا من غير تحويم وعنده جبن وفتور وهو مع ذلك شديد الضراوة في الصيد ولاجل ذلك ربما ضرب بنفسه الارض ومات وعظامه صلب من عظام ساير الجوارح وبعضهم يقول الشاهين كاسمه

يعني

يعني الميزان لانه لا يحتمل ادني حال من الشبع ولا ادني حال من الجوع المحمود من صفاته ان يكون عظيم الهامة واسع العينين رحب الصدر ممتلي الزور عريض الوسط (a) غليظ الفخذين قصير (b) الساعدين قليل الريس رقيق الذنب اذا صلب عليه جناحيه لم يفضل منه شي واذا كان كذلك صاد الكركي وغيره Sahin *verus eſt ex* ſacrorum *genere, niſi quod eſt frigidioris & ſiccioris temperamenti, ac proinde motus ejus maximè valet ex alto in inferiora. Unde eſt, quod in prædam ſuam deſcendit abſque ullo circuitu. Et quamvis naturâ torpeat, & remiſſus ſit, tamen tanto impetu fertur ad aucupium, ut quandoque ſemet in terram præcipiti lapſu dejiciat, & moriatur. Oſſa tamen habet duriora, quam rapacium ullus alius. Sunt, qui nomen* ſahin ſtateram *ſignificare aſſerunt; quia nec tantillum famis, nec tantillum ſaturitatis poteſt ferre hæc avis. Laudatiſſimus in eo genere, qui capite eſt magno, amplis oculis, lato pectore, plenâ pectoris ſummâ parte, mediâ latâ, denſis coxis, brevibus brachiis (al. cruribus,) paucis plumis, tenui caudâ. Si cum his notis robuſtas alas habeat, nihil erit præſtantius, & grues venabitur, atque alias aves hujusmodi.* Sequitur, hoc aucupium primum auctorem habuiſſe *Conſtantinum, Romanorum* Imperatorem, qui الشواهين *ſahinos* habuerit ſupra caput ſuum volare edoctos, & umbram ipſi facere, ne à Solis æſtu torreretur. Sed & librum *Gallicum* penes me habeo, cui titulus, *Conference des fauconniers*, id eſt, *Accipitrariorum collatio.* In eo *ſahini* collatione decimâ ſic deſcribuntur, *Les* ſahins *ſont des faucons de haute maille, qui ont la teſte plate au deſſus, & le pennage bordè de blanc, & encores egalè de roux. Dont il ſemble, que la nature leur ait mis ſur la teſte une guirlande, ou couronne, pour marque de leur excellence. Bref, ce ſont les faucons, qu'anciennement on nommoit* pelerins, *ou faucons* Tartares, *bien que ce fuſt improprement parlè.* Et amplisſimus *Thuanus*, poſtquam *Peregrinum* vocari dixit, quia natales habet incertos, eum ità deſcribit *Rei accipitrariæ* libri primi paginâ decimâ quartâ,

——— magnum caput, ardua cervix,
Depreſſus vertex: hinc candida linea utrumque
Per tempus tranſverſa coit, patulumque coronat
Culmen, & in ramos plures cervice reflexâ,
Tandem abit, artifici præcingens colla catenâ.
Immane haud ità corpus; at illi longaque coxa,
Subtileſque alæ, brevia illi crura, breviſque
Cauda per adverſum celeres regit aëra niſus.

Cætera ibi vide, & cum *Arabum* deſcriptione convenire reperies.

Hebræi quoque hic habent partes ſuas, & ad hoc verbum *R. Selomo*, היא קלבא שורץ ודומה לעכבר הפורח בלילה, Gallicè *vocatur* calve-ſouris (*chaunneſouris*, id eſt, *veſpertilio*) *quæ muri ſimilis eſt, & noctu volat.* Tamen *Kimchius* in *Lexico*, כתב רשי ז"ל כי הואהנקרא צואיטא, *Scripſit* R. Selomo Jarchi *beatæ memoriæ, id eſſe animal, quod* Gallicè *vocatur* chovette, *id eſt, noctua.* Utùt ſit, *Hebræorum* doctisſimi, *Baal Hatturim, Aben Ezra, Kimchius*, &c. avem eſſe volunt, quæ ſic dicitur, quia כל רואה אותה ישום *quisquis illam videt miratur, & obſtupeſcit.* Quod ſane intelligendum eſt: nam *mirari*, vel *obſtupeſcere*, eſt שמם, unde ut deducatur שמת ת *thinſemeth*, non patitur forma Nominis, quam ad נשם, *naſam* pertinere palam eſt. Sed in illa lingua fieri poteſt, ut idem Verbum duas habeat origines, unam ratione formæ, alteram ratione ſignificationis. Neq; pauca verba reperies, quæ cùm formam habeant à Defectivis *Pe-Nun*, quale eſt נשם *naſam*, ſignificationem ſumunt à geminantibus ſecundam, quale eſt שמם *ſamam*. Ità נחילות *nechiloth*, tibiæ ſpecies *Pſ.* 5. *v.* 1. formam habet à Verbo נחל *nachal. poſſidere*; ſed ſignificationem à Verbo חלל *chalal, perforare*, unde etiam חליל *chalil*, eſt *tibia*, Eſ. 5. v. 12. & חללים *chalalim*, id eſt, *tibia*, Jer. 48. v. 36. Et vox נכסים *necaſim*, id eſt, *opes*, pari ratione deducitur à כסס *caſas*, id eſt, *numerare.* Et נארים *nearim*, id eſt, *maledicti*, Pſ. 89. v. 10. tanquam à נאר ſignificationem habet ab ארר *arar*, id eſt, *execrari.* Et *Eſ.* 22. *v.* 7. verba המסכה הנסוכה, *velamen obductum*; & *Eſ.* 30. *v.* 1. ולנסוך מסכה, *& ad obducendum velamen*, quamvis deducta à Verbo נסך *naſach*, quod eſt, *fundere*, ſignificationem tamen mutuantur à Verbo סכך, *ſachach*, quod *tegere* eſt, & *obducere.* Et *Lev.* 24. *v.* 11. 16. נקב *nakab*, i. e. *perforare*, ter uſurpatum reperies pro קבב *kabab*, i. e. *maledicere.* Sed, nè longius exempla petantur, ut תנשמת *thinſemeth*, ità etiam נשמה *neſama*, *anima* propriè *rationalis*, ratione formæ eſt à Radice נשם *naſam*, at ratione ſignificationis deduci volunt à voce שמים *ſamajim*, quæ *cælos* ſonat; quia

Igneus eſt olli vigor, & cæleſtis origo.

Kimchius *in* Lexico, לא מצאנו נשמה חוץ מנשמת האדם ורבים אמרו שנקראת כן בעבור שהיא מן השמים ואם הם שנים שרשים נמצאו כמוהו רבים *Vocem* neſama *non reperimus, niſi de anima humana; quam ità vocari multi aſſerunt, quia venit è cælis: & ſi ſint licet duæ Radices, multa hujusmodi inveniuntur.* Ex his igitur exemplis patet etiam vocem תנשמת *thinſemeth*, poſſe revocari ad Verbum שמם *ſamam* (quod *mirari* ſignificat, & *ſtupore percelli*) prout affirmari docuimus ab *Hebræorum* doctisſimis. Quo dato, valde erit verisſimile תנשמת, eſſe noctuam, cujus inſolitâ formâ reliquæ aves obſtupeſcunt. *Timo* Sillographus apud *Laërtium*, & *Heſychium Illuſtrium*, de Arceſilao;

Οἱ δέ μιν ἠΰτε γλαῦκα πέριξ σπίζαι κερατοῦντο,

Illum autem mirabantur ut aviculæ, quæ noctuam circumſtant. Lucianus *in* Harmonide, Ἔνθα ἂν χρόνῳ φανῇς, συνδέουσιν ἐπί σε πάντες, ὥσπερ ἐπὶ τὴν γλαῦκα τὰ ὄρνεα· *Ubicunque viſus fueris, omnes ad te concurrunt, ut ad noctuam aliæ aves. Dio Chryſoſtomus* de eadem in *Olympico* ſermone, ſtatim initio; Ἐκείνην περιΐπτασι τὰ ἄλλα ὄρνεα, ὅταν ἤδη μόνον, τὰ μὲν καθιζόμενα ἐγγὺς, τὰ δὲ κύκλῳ περιπετόμενα, &c. Οἱ δὲ ἄνθρωποι φασιν, ὅτι θαυμάζει τὴν γλαῦκα τὰ ὄρνεα· *Illam ſequuntur aliæ aves, & cùm ſolum vident partim propè aſſident, partim in gyrum circumvolant*, &c. *Homines autem dicunt aves mirari noctuam.* Aliud comminiſcuntur fabularum architecti, nempe aves illam admirari, & ad ejus conſpectum obſtupeſcere, propter horrendum ſcelus ab illa olim admiſſum. *Servius* in librum primum *Georgicorum*; Nyctimene, *poſtquam cùm patre concubuit, & agnovit facinus, in ſylvis ſe abdidit, & lucem refugit, ubi Deorum voluntate converſa eſt in avem* (noctuam.) *quæ tanto ſcelere omnibus avibus eſt admirationi.* De *Nyctimene* plura vide in *Ovidii Metamorphoſeos* libro ſecundo, & *Hygini* Fabulis 204. & 253. Quæ utùt fabuloſa ſint, tamen reliquas aves viſâ noctuâ ſtupere conſtat, & eo ſtupore detentas capi. *Ariſtoteles Hiſtoriæ* libri noni capite primo, Τὰ ἄλλα ὀρνίθια τὴν γλαῦκα περιπέτεται, ὃ καλεῖται θαυμάζειν· καὶ προσπετόμενα τίλλουσι,

(a) Al. جليل
(b) Al. الساقين

عاملا في احرآنه وفي ذلك اعجوبتان احدا هما التغذي بما لا يتغذي به والثانية الاستمرا والهضم *Prunas quoque deglutit, & in earum extinctionem efficax eſt corpus ejus. At prunæ non ſunt efficaces in ejus aduſtionem. In quo duplex eſt miraculum: unum in eo, quod iis alitur, quæ non alunt; alterum, eorum digeſtio, & concoctio.* Hæc illi, ſed, ut ſolent, Hyperbolicè in majus aucta. *Ælianus* in ejus ventre reperiri ait lapides, quos voratos concoxit, quæ mira eſt ἐναντιολογία. *Alexander Aphrodiſæus* in *Præfatione* ad *Ariſtotelis Problemata*, ferrum à ſtruthione concoqui diſertè negat. Et *Albertus* eam aſſerit quos lapides avidè devoravit poſtea reſpuere, id eſt, ore ejectare. Et *Ulyſſes Aldrovandus* ferri fruſtula deglutire, quæ incocta rurſus excernit. Et *Geſnerus*, poſtquam quidquid tetigerit, lintea, ferrum, lapides vorare dixit. *Verùm*, ait, *hæc incocta, & integra in ejus ventriculo manent. Et, ſi nimia fuerint, tandem animal ad mortem, vel ad tabem deducunt, ut in diſſectis apparuit.*

2. Alterum ſtuporis argumentum illud eſt, quod ſtruthio, capite inter frutices abdito, putat ſe totum latere. Plinius, *Non minùs (mira) ſtoliditas in tanta corporis altitudine, cùm colla frutice occultaverint, latere ſe exiſtimantium. Oppianus*, poſtquàm id ipſum de bubalide narravit, *Halieuticῶn* libri quarti verſu 630.

Τοῖα δὲ καὶ Λιβύης πτερόεν βοτὸν ἀγκυλόδειρον
Νήπια τεχνάζει ——

Talis etiam & Libyæ *alatum incurvi-cervicum pecus puerilia exercet.* Tertullianus *De velandis virginibus* capite decimo ſeptimo, *Hanc ajunt, cùm deliteſcendum habet, caput ſolum planè totum in condenſum abſcondere, reliquum ſe in aperto relinquere. Claudianus* in *Eutropium* libro ſecundo,

—— ſtat lumine clauſo
Ridendum revoluta caput, creditque latere
Quæ non ipſa videt. ——

Damir, من حمق النعامة انها اذا ادركها القناص ادخلت راسها في كثيب رمل تقدر انها قد استخفت منه *E ſtruthionis ineptiis una hæc eſt, quòd, cum venator illam inſequitur, caput ſuum in arenæ cumulum immittit, eum ſe latere putans.* Aut انها قد استخفت منه *ab eo ſe tutam eſſe*, ut habet aliud exemplar. Tamen, ut varia ſunt hominum judicia, hic quoque ſtultitiæ ſuæ patronum habet *Diodorum* his verbis: Ἐπειδὰν δὲ ἀπερικατάληπτον ᾖ, τὴν κεφαλὴν εἴς τινα θάμνον, ἢ τοιαύτην σκέπην ἀποκρύπτεται, οὐχ', ὡς οἴονταί τινες, ἀφροσύνῃ, καὶ νωθρότητι ψυχῆς, διὰ τὸ μὴ βλέπειν ἑτέρους, μηδ' αὐτὸ βλέπεσθαι διαλαμβάνον ὑφ' ἑτέρων· ἀλλὰ, διὰ τὸ τοῦ σώματος ἔχειν τοῦτο τὸ μέρος ἀσθενέστατον, σκέπην αὐτῷ πρὸς σωτηρίαν περιποιεῖν. *Cùm in proximo eſt, ut capiatur, caput in arbuſtum aliquod, aut aliud ſimile latibulum recondit, non quòd præ ſtultitia, aut ſtupore mentis, ut quidam putant, ex eo quod non videt alios, ſe etiam ab aliis non videri concludat: ſed, quia hæc pars corporis in eo eſt infirmiſſima, hoc ſe latibulo tuetur ad ſalutem.* Sed hoc effugium *Tertullianus* paucis ità refellit, *Dum in capite ſecura eſt, nuda, quà major eſt, capitur tota cum capite.* Vult fruſtrà caput occultari, dum venatori patet reliquum corpus, quo capto, vel lethaliter icto, caput non poteſt evadere.

3. Sed & ſtupidisſimum patet eſſe hoc animal, ſi verum eſt, quod ait *Strabo* libro decimo ſexto, de ratione illud venandi apud *Struthophagos* recepta: Θηρεύουσι δ' αὐτοὺς οἱ μὲν τόξοις, οἱ δὲ ταῖς δοραῖς τῶν στρουθῶν σκεπαζόμενοι· τὴν μὲν δεξιὰν καλύπτουσι τῷ τραχηλιμαίῳ μέρει, καὶ κινοῦσιν οὕτως ὥσπερ τὰ ζῷα κινεῖται τοῖς τραχήλοις· τῇ δ' ἀριστερᾷ σπέρμα προχέουσιν ἀπὸ πήρας παρηρτημένης, καὶ τούτῳ δελεάσαντες τὰ ζῷα εἰς φάραγγας συνωθοῦσιν. *Alii quidem ſtruthiones arcu venantur, alii autem eorum tecti pellibus: nam dextram manum colli pelle induunt, atque eam ſic movent, ut animalia collum; ſiniſtrâ verò ſemen ſpargunt ab appenſa pera eductum, quo avem allicientes in convalles detrudunt.* Quamvis enim à ſtruthionis ſpecie humana differat immenſum quantum, tamen hâc arte ſtultæ aves propter mentis hebetudinem patiebantur ſibi imponi. Neque hîc fuit opus *Zeuxidis* penicillo, qui uvas tanto ſucceſſu pictas in ſcenam detulit, ut ad eas aves advolarent; nec cælo *Myronis*, cujus bucula tauros in amorem incendebat: cùm iſto allectæ fuerint, quamlibet craſſo, atq; informi, ſuæ figuræ rudimento.

4. Quartum ſtuporis in ſtruthione indicium eſt illud ipſum, quod à *Jobo* urgetur, quòd ova ſua derelinquit, & illorum eſt immemor. Notum *Eſaiæ* ἐπιφώνημα tanquam de re impoſſibili, *Eſa.* 49, 15. *An oblivisci poteſt mulier fœtûs ſui, ut non miſereatur filii uteri ſui?* Et reliquis animantibus eundem illum affectum erga prolem à natura eſſe inditum, ut conſerventur ſpecies, cetiſque adeò tribui, quæ omnium animalium longè immaniſſima ſunt, *Thren.* 4, 3. Sed ſtruthio hic excipitur, *quæ ova ſua in terra deſerit*, &c. Unde *Damir* ſuprà, *Cùm è nido exit, ut cibum quærat, ſi reperiat ova ſtruthionis alterius,* تحضنه وتنسي بيضها *illa incubat, & ſuorum obliviſcitur.* Et *Leo Africanus* libro nono, *Ova, numero decem aut duodecim, in arena emittit,* &c. *Ac breviſſima cùm ſit memoria, loci confeſtim obliviſcitur. Quare fœmina, in hæc ova incidens, ſive propria, ſive aliena, excubat, & calefacit.* Quæ eadem in *Marmolio*.

5. Denique apud *Arabes*, quibus hæc avis eſt notiſſima, احمق من النعامة *Struthione ſtultiorem* dici notavimus pro ſtultiſſimo. Quod corporis ipſe habitus abundè docet. Nam caput habet valde exile, & cerebrum ferè nullum. Unde *Arabicè* صعون *ſivvan* dicitur, id eſt, الدقيق العنق والصغير الراس او العام *colli tenuis, & parvi capitis, aut verticis.* Vocatur etiam انقخ *ankach*, id eſt, قليل الدماغ *exigui cerebri.* Ità *Alcamus*. Quocirca ſexcentorum ſtruthionum capita *Heliogabalus* unâ cœnâ exhibuit ad edenda cerebella. Tam multa enim eſſe oportuit, ut convivis abundè eſſet; quia ſinguli ſtruthiones cerebri vix quidquam habent. Struthionis porrò caput longo & exili collo vectum firmum eſſe non poteſt. Unde eſt, quòd نغض *nigd* appellant ipſum animal; quia نغض *nagada* eſt *nutare caput*. Rurſus *Alcamus* نغض اسم الظليم معرفة للجوال منه Nigd, *nomen ſtruthionis ab agitatione illi inditum.* Et ad eandem vocem *Damir*, الظليم سمي بذلك لانه يحرك راسه *Ità vocatur ſtruthio, quia movet caput ſuum.* In qua capitis agitatione facultas imaginativa firma eſſe vix poteſt, & in gradu ſuo conſiſtere. Et cùm auris etiam in brutis ſuo modo ſit diſciplinæ ſenſus, in ſtruthione ſtuporem auget ſurditas, quæ illi naturalis eſt. *Chalnia* in libro ليس *Laiſa*, ſeu *Non eſt* (quē diximus eſſe *De reb. quæ alicui, aut alicubi deſunt*) ليس في الدنيا حيوان لا يسمع الا النعام

Nullum

Nullum eſt in mundo animal (perfectum,) *quod non audiat præter ſtruthionem.* *Leo Africanus* libro nono, *Struthio eſt animal ſimplex, & ſurdum.* Marmolius *El abeſtruz es ſimple, y ſordo, que no oye cōſa ninguna.* Quæ omnia lucem addunt his *Jobi, Deus deſtituit eam ſapientiâ*, &c. Supereſt, ut explicentur ultima Verba Sacri Scriptoris, qui ſtruthionis deſcriptionem ità claudit:

Quo tempore in altum ſe attollit, ridet equum, & ſeſſorem ejus] Senſus eſt, Deum hanc avem ità priváſſe ſapientiâ, ut tamen ejus ſaluti, & conſervationi proſpexerit: cùm homini etiam equiti illam aſſ. qui non ſit facile. *Quo tempore* כעת, vel κατ̀ καιρὸν, *cùm tempus fuerit*; ùt *Græci, Hieronymus, Pagninus, Genevenſes*, &c. quomodo ſumi videtur *Num.* 23. *v.* 23. Alio qui כעת, ſæpiùs jungitur cum ſequentibus, ut כעת מחר, *tempore craſtino*. 1. Sam. 9. v. 16. & paſſim, כעת מנחת ערב, *tempore oblationis veſpertinæ*, Dan. 9. *v.* 21. כעת הראשון הקל, *Quo tempore primus levis fuit*, Eſ. 8. v. 23. Quomodo hic malo cum *Chaldæo* ſumere. *Quo tempore in altum ſe attollit, ridet*, &c. Quia ſic melius cohærent duo hemiſtichia. *In altum ſe attollit*] *Hebraicè* במרום תמריא. Quia vox תמריא, hic ſolùm occurrit, illam variè exponunt priſci Interpretes.

Syrus ܡܬܬܪܝܡܐ ܐܝܟ ܕܩܠܐ *Arabs* itidem ترتفع مثل النخلة *Erigitur, ut palma.* Quaſi תמריא *thamri*, ad תמר *thamar*, id eſt, ad *palmam* alludat. Quod abſurdum eſt, cùm in תמריא *Thau* ſit ſervile. *Chaldæus* verò פרחא, *volat.*} Et vetus *Scholiaſtes* ad hunc locum, Ἐν τῷ πλῷ τὸ θαῤῥεῖν ἔχουσα ἵπταται. *Volatu fidens volat.* *Hieronymus* meliùs, *alas erigit.* *Septuaginta* optime ὑψώσει, *attolletur.* Neque enim volat ſtruthio, cùm ſit volatûs expers, ſed in altum alas erigit, vel ipſa potiùs in altum attollitur, id eſt, cùm venatores ad nidum accedunt, è cubili ſuo exſurgens, ſtaturæ proceritate, & colli extenſione ſuprà fidem eminet, quod voce תמריא commode ſignificatur. Eſt enim Futurum *Hiphil.* Et *Kal* eſt מרא *mara*; quod, literis trajectis, factum videtur ex ראם *raam*, id eſt, *altum eſſe.* Nam רום *rum*, & ראם *raam*, idem ſonare alibi (e) probavimus. Itaque his verbis, *in altum erigitur*, commendatur in ſtruthione ſtaturæ proceritas, de qua multa ſcriptores. *Ariſtoteles De partibus animalium* in fine libri quarti, Τὸ μέγεθος οὐκ ὄρνιθος ἔχει, ἀλλὰ τετράποδος· *Magnitudinem avis non habet, ſed quadrupedis.* Diodorus *lib.* 2. Τὸ μέγεθος ἔχουσι νεογενεῖ καμήλῳ παραπλήσιον· *Recens nati cameli magnitudinem prope habet.* *Oppianus* libro tertio *Venaticorum*,

(e) Part. 1. lib. 3. cap. 27.

Τῆς ἤτοι μέγεθος μὲν ὑπέρβιον, ὅσσον ὕπερθεν
Νώτοις εὐρυτάτοισι φέρειν νεοθήλεα κοῦρον·

Cujus immenſa eſt magnitudo, ità ut lato dorſo puerum, nuper natum ferat. Plinius, *Altitudinem equitis inſidentis equo excedunt.* Albertus, *Struthio alta eſt à pedibus ad dorſum circiter quinque, vel ſex pedes: collum habet longiſſimum*, &c. Itaque *Arabes* هيق *heic*, & هيقم *heicam* vocant à colli longitudine, & اسقف *aſcaph* ab eminentia. Quomodo etiam *Chriſtianorum* Epiſcopos, ſed ex *Græco* deflexa voce. Et de herba استرال *iſterâla* eſt *in altum creſcere ut ſtruthionis pullus*, qui *Arabicè* رال *raal dicitur.*

Struthio igitur, ità in altum ſe erigens, *ridet equum, & ſeſſorem ejus.* *Ridet*, id eſt, *ſpernit*; ut habet *Græcus Scholiaſtes*, Καταφρονοῦσα ἵππου σὺν τῷ ἀναβάτῃ διὰ τὴν ἰσχὺν, ὥς φασι, καὶ τὸ μέγεθος. *Equum cum aſcenſore deſpiciens, propter vires, ut ajunt, & magnitudinem.* Rectè, niſi quod equum, & equitem ſtruthio ſpernere dicendus erat, non virium, ſed celeritatis fiduciâ. Unde *Plinius, Altitudinem equi inſidentis equo excedunt, celeritate vincunt.* Et *Xenophon*, libro primo *Anabaſeos, Cyri* equites dicit onagros & capreas in *Arabia* cepiſſe, ſed ſtruthiones nullo modo potuiſſe aſſequi; Στρουθὸν δὲ οὐδεὶς ἔλαβεν· οἱ δὲ διώξαντες τῶν ἱππέων ταχὺ ἐπαύοντο· πολὺ γὰρ ἀπέσπα φεύγουσα. *Struthionem nemo cepit; & qui inſequebantur citò ceſſabant: nam fugâ longiùs ſe proripiebat.* Quod in exercitu multis equitum millibus inſtructo notabile eſt. Ajunt quidem in *Africa*, in equorum illo genere, quos *Arabicos* appellant, nonnullos reperiri, qui ſtruthionem curſu aſſequantur, ſed paucos admodum, eoſque immenſi pretii. *Marmolius* libri primi capite vigeſimo tertio, *Cavallos* Barbaros *ſon llamados en toda* Europa *los, que vienen de* Berberia: *mas ay una eſpecie de cavallos en* Africa, *y en* Egypto, *y en las* Arabias, *y en toda* Aſia, *que llaman cavallos* Arabes, *que ſon de caſta de cavallos ſalvages, que ſe crian por los deſiertos de* Arabia, *&c. Son eſtrañamente ligeros, y la mayor experiencia, que ſe haze de ſu ligereza es quando alcançan una fiera llamada* Lamte, *o aun abeſtruz. Porque eſte tal cavallo es apreciado en mil ducados de oro, o en cien camellos. Mas ay pocos dellos en* Berberia. Id eſt, *In tota* Europa Barbari *vocantur equi è* Barbaria *advecti: ſed in* Africa, Ægypto, Arabia, *& tota* Aſia *una eſt equorum ſpecies, quos* Arabicos *appellant, ex eorum proſapia, qui in* Arabiæ *deſertis procreantur*, &c. *Ii ſunt mire veloces: neque majus ullum eſt eorum celeritatis experimentum, quam cùm feram* Lamten *nomine, aut ſtruthio-camelum aſſequuntur. Ideò talis equus mille ducatis aureis, aut centum camelis æſtimatur. Sed in* Barbaria *tales pauci ſunt.* Et certe hæc eſt *Arabum* communis ſententia, nullum eſſe animal, quod ſtruthionem curſu superet. In quam rem diſerta ſunt hæc *Alkazuinii*, لا يسبقها شي من الحيوانات *Nullum animalium illam antevertit.*

Quod quâ ratione fiat ſuprà (f) docuimus; & alas pro velo habentem in aëre natare quaſi. Unde *Oppianus* libri tertii *Cynegeticōn* verſu 500.

(f) Cap. 18. pag 245. lin. 21. &c.

Ἠέρος ὑψιπόροισιν ἐπιπλώουσι κελεύθοις,
Aëris ſublimibus natant viis. Et mox,
Αὐτοῖσιν πτερόεσσιν ἴσον τάχος οἰωνοῖσιν,
Ipſis avibus æquales ſunt celeritate. Itàque *Arabes* multa cuderunt vocabula, quibus id deſignarent. Sic de ſtruthione زازا *zaza* eſt *capite, alis, & cauda elatis fluere* potiùs quam *incedere*: رفرف *raphrapha alas motitando currere*, ut *Talmudicum* רפרף *riphreph*: كحكص chahatſa, *ire tam properè, ut viſum propè fugiat.* Atque ob id ipſum ſtruthio عصوف id eſt, *turbo* vocatur, & aliis nominibus minimum decem à *curſûs rapiditate* ductis. Quin ipſa ſeſe ad curſum incitat ſpiculis quibuſdam oſſeis, qui ſub alis latent, & pro calcaribus illi ſunt. De quibus multò plura facile eſſet adducere: ſed hæc docere ſigillatim non eſt præſentis locis; & Sacri Scriptoris mentem explicâſſe nobis ſufficit.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

Probatur שחף *ſachaph*, eſſe *Larum*, aut *Cepphum*, unde κεπφωθεὶς *Prov.* 7. v. 22.

Vocis שחף ſachaph, *variæ interpretationes. Alludit* שחפת ſachepheth, *morbi genus*, Levit. 26. v. 16 *quem alii aliter, ſed* Hebræorum *doctiſſimi* phthiſin, *aut* tabem *exponunt, ut* Arabicum سحاف ſochaph. *Ergo* שחף, avis tabida, *Græcis & Hieronymo* larus, *optimè, quæ fere carnis eſt expers, quaſi ſit tabe conſumpta. Laro ſimilis* κέπφος *unde* κεπφωθεὶς deceptus, ineſcatus, *Prov.* 7. v. 22. *quia cepphum, ſpumâ oblatâ, pueri facilè ineſcant.* Κέπφος λάρος, *Proverbium in vecordes.* Κέπφος *pro* fatuo *in* Ariſtophane.

UT ſtruthio vaſta eſt avis, ità nos diu detinuit. Jam in iis, quæ ſequentur, rem peragemus paucioribus. Et primò ſe offert שחף *ſachaph*, à *Syro* prorſus omiſſus; à *Chaldæis* שחפא *ſachpha* redditus; ab *Arabibus* ساف *ſaph*; à *Samaritano* ࠔࠇࠐࠀ *ſopha*: vocibus æquè ignotis. Itaque hinc nullum ſubſidium. *Græci, Hieronymus, Munſterus, Caſtalio* explicant *larum*: Junius *aſalonem*, tanquam ex *R. Juda*: Deodatius *la folica*, id eſt, *fulicam*, in *Italica* verſione; ſed idem in *Gallica*, *la movette*, id eſt, *larum*: Genevenſes, & Angli, *cuculum*; Arias *phthiticam avem*, tanquam *à phthiſi* ſumpto nomine. Nempe *Hebræorum* plerique obſervant hujus avis nomen שחף *ſachaph*, alludere ad שחפת *ſachepheth*, morbi ſpeciem, *Levit.* 26. v. 16. & *Deut.* 28. v. 22. Sive ipſa avis huic morbo ſit obnoxia, aut ſua carne veſcentibus illum ingeneret. Sed neque id ſatis notum, quod morbi genus ſit שחפת *ſachepheth*. *Rabbi Selomo* definit חולי שמשחפת את הבשר אנפוליש בלעז דומה לנפוח שהוקלה נפיחתו ומראית פניו זעפה *morbum, qui carnem inflat.* Gallicè *ampullas dixeris, quo qui laborat ſimilis eſt viro, qui buccam inflat leviter, & ſpeciem habet irati.* Et *David de Pomis*, הוא חולי אשר יוליד אבעבועות כמו תפוחים לפי רשי, *Morbus eſt puſtulas gignens ut poma, ut ait Rabbi Selomo Jarchi.* Quamvis de pomis *R. Selomo* nihil habeat Sed pro דומה לנפוח, *Pomarius* videtur in *Selomone* legiſſe דומה לתפוח, *pomo ſimilis*: quam lectionem ſequentia palam refellunt. Utùt ſit, *Rabbi Jonas* hunc eundem morbum multò aliter definit, ut docent hæc *Kimchii* in *Lexico*: פירשו רבי יונה בלשון ערבי סחאף והוא החולי שהגוף מתנונה בו, R. Jonas *explicat morbum* Arabicè *dictum* ſochaph; *quo fit, ut corpus ſit* מתנונה *mathnuna*, id eſt, מתחלשת ומתכחשת ומתדלדלת *debilitatum, & emaciatum, & attenuatum.* Ita enim in *Aruch* redditur vox מתנונה, *máthnuna*, ſumpta ex *Talmudico* Tractatu *Sota* cap. 4. fol. 26. a. Hinc idem *Pomarius*, qui ſuprà אבל לפי קמחי הוא חולי שיוליד רקות הגוף ואבודו *Sed juxta* Kimchium *morbus eſt attenuationem corporis gignens, & perditionem ejus. Et Aquinas*, חולי סרה שגורם כיחוש ודלות לגוף עד שמאבדו והוא מן הקדחא, *Morbus eſt, qui cauſatur maciem, & corporis attenuationem, donec illud planè conſumat, idque fit ex febri.* Quibus verbis phthiſim, ſeu tabem deſcribi nemo non videt. Et verò سحاف *ſochaph Arabum* in *Giauhari* eſt idem, quod سل *ſil.* Quâ voce *phthiſim* ſignificari docet præter alios *Avicenna* in Tractatu *De Phthiſi* lib. 3. *Fen.* 10. tract. 4. cap. 18. Porrò *Hebræum* שחפת *ſachepheth*, & *Arabicum* سحاف *ſochaph* eaſdem habent Radicales, niſi quod *Arabes* de more *Scin Hebræum* in *Sin* mutant. Omnino igitur utraque voce idem morbus ſignificatur. Proinde in *Moſe*, pro שחפת, habent *Arabes* السل *phthiſim*, vel حمي السل *febrim phthiſicam.* *Græcos* quoque ſuſpicor ἀτροφίαν reddidiſſe, quæ eſt inter phthiſis ſpecies. Quamvis ἀπορίαν exhibeant noſtra exemplaria jam indè à multis ſæculis. Ita enim legit *Hieronymus*, ac proinde שחפת, egeſtatem interpretatur. Utùt ſit, שחפת, non eſſe ἀπορίαν *egeſtatem* ex eo patet, quod in utroque loco Legis cenſetur inter morborum ſpecies. Itaque שחפת eſt morbus, isque adeò, quem diximus; nempe *phthiſis*, ſeu *tabes.* Id confirmatur ex *Talmudicis*, apud quos שחוף, *tabidum* ſonat, ut probat Cl. *Buxtorfius* ex *Sota* fol. 26. b. Sed & *Hebræorum* aliis שחף, in *Kal* eſt *tabere*, in *Niphal*, *tabidum fieri*; in *Piel*, *tabefacere*: ut ab eodem affirmatur. Veriſimile eſt igitur שחף *ſachaph*, avem eſſe à tabe dictam. Et *Hieronymum*, poſt *Græcos*, *larum* rectè reddidiſſe (id eſt *movette* Gall.) de qua ave *Bellonius* libri tertii capite decimo tertio, *Nulla eſt avis molis ratione tam levis. Cùm enim ſit gallina craſſior, non habet tantum carnis, quantum coturnix.* Id in ceppho maximè deprehenditur, lari ſpecie leviſſimâ, quæque plumæ plurimum, ſed carnis habet minimum. *Ariſtophanis Scholiaſtes* in *Pace*, Εὐηθὲς ζῶόν ὁ κέπφος, &c. Ἐκ δὲ τῆς θαλάττης ζῆν αὐτὸν λέγουσιν, ἐσθίοντα τὸν ἀφρόν· εἶναι δὲ αὐτὸν πολὺν μὲν ἐν τοῖς πτεροῖς, ὀλίγον δὲ ἐν τοῖς κρέασι· *Cepphus eſt animal ſtolidum*, &c. *Eum autem ajunt ex mari vivere ſpumam edentem, & plumarum quidem multum habere, ſed parùm carnium.* Hinc *Heſychius*, Κέπφος, εἶδος ὀρνέου κουφοτάτου, περὶ τὴν θάλασσαν διατρίβοντος, ὃ εὐχερῶς ὑπὸ ἀνέμου μετάγεται. *Cepphus, ſpecies avis leviſſimæ, circa mare verſari ſolita, quæ à vento facilè abducitur.* Et *Suidas*, Κέπφος, εἶδος ὀρνέου ὁ λεγόμενος λάρος· ἔστι δὲ κοῦφον, καὶ ἐπιπλεῖον τοῖς κύμασιν· *Cepphus, avis ſpecies, quæ & larus vocatur: eſt autem levis, & fluctibus ſupernatat.* Quod alio nomine *larum* vocari dicit, habet ex *Scholiaſte Ariſtophanis* in *Plutum*, cujus de ceppho verba ſunt; Καλεῖται δὲ κοινῶς λάρος, *Vulgo autem vocatur larus.* Itaque junguntur ut ſynonyma in Proverbio Κέπφος λάρος apud *Eraſmum*, & alios. Et in *Heſychio* Κὴξ *Apionis* eſt ὁ λάρος, at alii κέπφον reddunt, alii etiam αἰθυίαν lege αἴθυιαν, id eſt, *mergum.* Tamen larum & cepphum differre colligas ex his *Ariſtotelis Hiſtoriæ* libri octavi capite tertio, Περὶ δὲ τὴν θάλατταν καὶ ἀλκυὼν, καὶ κήρυλος, &c. Ἔτι δὲ ὁ λάρος ὁ λευκὸς, καὶ κέπφος, καὶ χαραδριός· *At circa mare ſunt & alcyon, & cerylus*, &c. *Larus albus etiam, & cepphus, & charadrius.* Cepphus igitur & larus non planè idem ſunt, ſed aves valde ſimiles. Unde *Nicandri Scholiaſtes* in *Alexipharmaca*, Ὁ δὲ κέπφος θαλάσσιόν ἐστιν ὄρνεον παραπλήσιον λάρῳ. *Geſnerus* putat eſſe aves congeneres, aut cepphum lari ſpeciem. Quoquo modo res ſe habeat, nomen שחף tam laro, quàm ceppho apprimè convenit, cùm avis utraq; deſcribatur ferè carnis expers, ac ſi ſit tabe conſumpta.

A ceppho factum Verbum κεπφοῦσθαι non ſolùm *efferri* ſignificat, & *leviter circumagi cepphi inſtar ad omnem ventum*, ſed & *facilè decipi*, & *ineſcari.* Sic *Prov.* 7. v. 22. de incauto juvene, quem lenociniis ſuis demulſit adultera; Ὁ δὲ ἐπηκολούθησεν αὐτῇ κεπφωθείς· *Eam autem ille ſequitur, cepphi inſtar, facilè actus, aut facilè deceptus.* Heſychius, Κεπφωθεὶς, ἐκφρονισθεὶς,

ἀπατη-

ἀπατηθείς· *Elatus, deceptus.* Et rurſus poſt κέφαλον, Κεπφωθεὶς, καὶ ἐπαρθείς· εἴρηται δὲ ἐπὶ τῶν ἀλόγως δίκην ἀνοήτων συναπαγομένων· *Deriſus: Dicitur autem de iis, qui, bruti inſtar, ſtultè ducuntur.* Suidas, Κεπφωθεὶς, ἐπαρθεὶς, ἐξαπατηθεὶς, ἐξαπατώμενος· *Elatus, concitatus, celeriter actus.* Quæ ſunt ejusdem loci varia interpretamenta. Sed ἀπατηθεὶς maximè placet. 1. Quia quo loco diximus κεπφωθεὶς ſit pro *Hebræo* פתאים, pro quo *Græci* legerunt פתאים, id eſt, *ſimplices*, ἐξαπάτηθέντες. Fit enim à verbo פתה, quod plerumque reddunt ἀπατᾶν. 2. Quia cepphus eſt avis deceptu facilis, quamque, ſpumâ oblatâ, pueri nullo negotio ad ſe alliciunt, atque injectâ manu capiunt. Unde eſt, quòd κέπφος à *Græcis* prò *ſtulto* paſſim uſurpatur. Ità Proverbium, Κέπφος λάρος, vecordem ferit, qui cujusvis rei cupiditate deceptus capitur. Et apud *Ariſtophanem* in *Pace*,

> Καὶ κέπφοι τρήρωνες ἀλωπεκίδεσσι πεποιθότες.

Et cepphi, & columba (id eſt, ſtulti, & ſimplices) vulpeculis fidentes. Et rurſus in *Pluto*, Ὦ κέπφε, *O cepphe*, id eſt, *O ſtulte.* Proinde ad priorem locum *Scholiaſtes*, Εὐήθες ζῷον ὁ κέπφος, *Fatuum eſt animal cepphus.* Et ad poſteriorem, Ὄρνεον γὰρ ἄφρον, ὅπερ φιλεῖ ἀφρὸν θαλάττιον ἐσθίειν. Τοῦτο βουλόμενοι τὴν ἄλωσιν παῖδες χειρώσασθαι, ῥίπτουσι τὸ πρῶτον πόῤῥωθεν ἀφρὸν, εἶτα ἐγγύτατα, εἶτα φέροντι τοῦτο ἐν ταῖς χερσὶν, καὶ οὕτω κατὰ μικρὸν ἀπατῶντες, εὐχερῶς ἀγρεύουσι τοῦτο ἐμπεσὸν εἰς τὰς χεῖρας αὐτῶν. εἴληπται οὖν ἡ παροιμία ἐπὶ τῶν ἀλογίστων ἀνδρῶν, καὶ ἀνοήτων. *Stulta enim eſt avis, quæ marinæ ſpumæ eſu delectatur. Cùm igitur hanc capere volunt piſcatorum filii, primò ſpumam eminùs jaciunt, deinde propius propiusque, poſteà manibus ferunt, atque ità paulatim ineſcantes, in manus ſuas incidentem facilè capiunt. Ceſſit itaque in Proverbium in vecordes homines, atque dementes.* Quod ipſum de hac ave tradiderant antiquiores. Sic *Philoſophus Hiſtoriæ animalium* libri noni capite trigeſimo quinto, Οἱ δὲ κέπφοι ἁλίσκονται τῷ ἀφρῷ, κάπτουσι γὰρ αὐτόν· διὸ προσραίνοντες θηρεύουσιν. *Cepphi autem ſpumâ capiuntur; eam enim appetunt: proinde ſpumâ injectâ eos venantur.* Et *Nicander Alexipharmacon* verſu 165.

> Ἀφρὸν ἐνιχρίμψαιο θοοῦ δορπήια κέπφου.
> Τῷ γὰρ δὴ ζωήν τε σάοι, καὶ πότμον ἐπισπεῖ
> Εὖτε δόλοις νήχοντα κακοφθόρα τέκν' ἁλιήων
> Οἰωνὸν χραίνωσιν. ὁ δ' ἐς χέρας ἔμπεσε παίδων,
> Θηρεύων ἀφροῖο νέην χλόα λευκαίνουσαν.

Spumam admiſceas cepphi pabulum. Illo enim & vitam ſervat, & fatum accerſit: cùm natantem avem eâ doloſè inquinant pernicioſi piſcatorum filii. Is autem in puerorum manus incidit, perſequens ſpumæ recentem aſperſionem albicantem. Plura vide apud *Nicandri Scholiaſtem, Heſychium, Suidam, Etymologum*, & alios, quos exſcribere jam non vacat. Neque verò eſt opus, cùm quæ jam dicta ſunt nudè repetant. Tantum monebo in his *Heſychii* & *Suidæ* Κεπφωθεὶς, ἐπαρθεὶς, pro ἐπαρθεὶς legendum eſſe ἀπατηθεὶς; Ipſo enim Heſychio autore Κεπφωθεὶς dicitur ἐπὶ τῶν ἀλόγως δίκην ἀνοήτων συναπαγομένων de iis qui bruti ad inſtar ſtultè ducuntur.

CAPUT DECIMUM NONUM.

De Accipitre, qui נץ *nets, Hebræis.*

Accipiter נץ nets, *à* נצה natſa, *id eſt*, à volando *dictus; quia volatu maximè præſtat. Quod* Homerus *paſſim docet, &* Poëtarum *alii. De accipitris celeritate hiſtoria inſignis in* Thuano. *Accipiter ventorum & ignis ſymbolum, & Soli conſecratus. Cur dicatur* ἱέραξ, *&* avis ſacra. *Eum occidiſſe in* Ægypto *lethale crimen.* Arabibus ſacer *dicitur à viſûs acumine. Sacrorum ſpecies apud* Arabes. *Sacri propriè dicti deſcriptio. In capreas & grues involat. Hujus aucupii primus auctor. Accipitrum ſpecies.* Palumbarius Aſtur (*Gall.* Autour) *de quo* Firmicus. *Fringillarius, qui niſus, &* ſparverius *recentiorum. Rex* Megarenſium Niſus *in haliaetum mutatus, cui ſimillimus accipitris ſpecies lanarius.* Job. 39, 29. An per prudentiam tuam יאבר, plumeſcet accipiter? *id eſt*, πτεροφυήσει. *Ut* Jer. 51, 11. הברו, *de ſagittis, quas* Poetæ πτερόεντας & penniger as *vocant. Cur accipiter in plumarum defluvio alas ad* Auſtrum *expandat. Alii* יאבר volabit, *non abſurdè; quia migratoria eſt avis, & ſub hyemem volat ad* Auſtrum. *In* Græca *verſione quædam addita, & quorſum.* R. Salomo *in* Jobo *accipitris nomine Angelum intelligit* Auſtrali *vento præfectum. Angelos ventis præfici. Accipitrem cur* Chryſoſtomus *inutilem judicat,* Demetrius *utiliſſimum. Ars aucupandi per accipitres quando inventa.*

SEquitur נץ *nets*, id eſt, *accipiter*. Ità enim reddunt omnes interpretes ſummo conſenſu. Et *Syrus* id ipſum eſt ܢܨܐ *natſa*, vel *nitſa*; *Chaldæus* quoque, ut נצצא *netſatſa*; & *Samaritanus* ࠍࠑࠑࠄ *netſatſah*. Nomen à *volatu* factum. Nam *Hebræis* נצה natſa *volare* eſt. Et *Arabibus* نضّ *alas motitare inter volandum.* Porrò hanc avem volatu maximè præſtare non uno in loco teſtatur vatum nobiliſſimus. Ut *Iliad.* ο', verſu 237. ubi *Apollo* ab *Ida* deſcendit

> —— ἴρηκι ἐοικὼς
> Ὠκέϊ, φασσοφόνῳ, ὅς τ' ὤκιστος πετεηνῶν,

Accipitri ſimilis veloci, palumborum occiſori, qui avium eſt velociſſimus. Et *Odyſſ.* ν', verſu 86. ubi *Phæacum* navem, quæ *Ulyſſem* in *Ithacam* vexit,

> —— οὐδέ κεν ἴρηξ
> Κίρκος ὁμαρτήσειεν ἐλαφρότατος πετεηνῶν,

Ne accipiter quidem circus ſequatur, utut avium perniciſſimus. Et *Odyſſ.* ο', verſu 526,

> Κίρκος, Ἀπόλλωνος ταχὺς ἄγγελος, —

Circus Apollinis *velox nuntius.* Proinde *Iliad.* ν', verſu 819. *Hectori* prædicitur fore, ut optet aliquando

> Θάσσονας ἰρήκων ἔμεναι καλλίτριχας ἵππους,

Ut pulchrè-comati equi ſui ſint accipitribus velociores. Neque ſolus *Apollo*, ſed (a) *Thetis* quoque & *Neptunus* feruntur ἴρηξ ὣς *inſtar accipitris*; vel ὥς τ' ἴρηξ ὠκύπτερος, *ut accipiter citis alis.* Et in *Heſiodi* Apologo, (a) Vide Iliad. ν', verſu 62. & σ', verſu 615.

> Ὣς ἔφατ' ὠκυπέτης ἴρηξ, τανυσίπτερος ὄρνις,

Ut dixit pernix accipiter, extenſis alis avis. Et apud *Ariſtophanem* in *Avibus Sycophanta*,

> Ἀλλὰ πτέρου με ταχέοις καὶ κούφοις πτεροῖς
> Ἱέρακος, ἢ κεγχρῆδος. ——

Sed inſtrue me citis & levibus alis accipitris, aut cerchneidis: quæ & ipſa eſt accipitris ſpecies; *Romani tinnunculum* vocant. Sed volatum accipitris nemo eſt, qui vel uberiùs, vel elegantiùs deſcribat ampliſſimo *Thuano*, qui inter accipitrum ſpecies *triorchen*, ſeu *buteonem*, volantem ità expreſſit libro primo *De re accipitraria*,

> *Aſpice non, quo more alii, ſtridentibus alis*
> *Subvehitur, crebrosque alternat in aëre gyros:*
> *Sed recto incedens graditur per inane volatu*
> *Arduus, & magni conſcendit ſidera cœli:*
> *Ut verò nubes inter caput extulit altas,*
> *Præcipiti raptus lapſu ruit, & furit ardens.*
> *Subjectamque oculis prædam deturbat ab alto.*

Et libro ſecundo idem de accipitre in genere hæc habet,

> *Vix credas parvo quàm tempore longa locorum*
> *Intervalla volans ſuperet, quàm multa peragret*
> *Æquora.* ——

Et infra de *Franciſci* Regis accipitre, qui unâ brevi nocte

nocte è *Villeriæ* caſtro *Londinum* ſe contulit, & notis ſuis agnitus ad dominum remiſſus eſt;

——fugit ille per auras
Perfidus emanſor, rapidiſque per aëra pennis
Tormento properat, volucrique citatior Euro
Et Tarteſſiaco *dum Sol lavit æquore crines,*
Rurſus & Eoâ *mortales lampade tingit,*
Oceanum ſupra fertur, Tameſimque Britannum,
Londini *& feſſus tandem ſuper aſtitit arce.*

Meritò igitur apud *Ægyptios* accipiter ventorum fuit ſymbolum. *Horus* libri ſecundi capite decimo quarto, Τὴν ἀνατολὴν ἱέραξ ἐπὶ μετέωρον θέων ἀνέμους σημαίνει· *Accipiter Ortum verſus in ſublime tendens ventos ſignificat.* Quod ipſum deſignabat ἱέραξ διατεταμένος τὰς πτέρυγας, *accipiter alis extenſis*, ut ab eodem additur. Quamvis aliter *Tentyritæ*, qui, accipitres cum igne conferentes, μαρτύριον ἐπάγουσιν ἀπότομον αὐτῶν, *pro teſtimonio afferunt præcipitem eorum velocitatem.* Nec deſunt, qui ob id ipſum velint *Soli* fuiſſe conſecratos. *Euſtathius* in *Odyſſ.* ό. Ἱέραξ ἱερῦται Ἡλίῳ Ἀπόλλωνι διά τι τὸ ὀξὺ τῆς κινήσεως· ὠκυπέτης γὰρ ὁ ἱέραξ, καὶ ὁ Ἥλιος ὀξυκίνητος, καὶ διὰ τὴν ἐξ ἐτυμολογίας συγγένειαν, καὶ γὰρ ἵεται ῥᾷον ὁ Ἥλιος. ἐντεῦθεν δὲ καὶ ὁ ἱέραξ ὠνόμασται. *Accipiter* Soli Apollini *ſacer eſt propter motûs celeritatem: pernix enim eſt accipiter, ut Sol eſt velocis motûs, & propter etymi affinitatem.* Sol *enim it facilè. Unde accipitri nomen eſt.* Cui tamen etymo *Virgilianum* præfero libro undecimo *Æneidos.*

Quàm facilè accipiter ſaxo ſacer ales ab alto.

Ubi *ſacer ales* eſt ἱέραξ· ut apud *Demetrium* in *Præfatione ad Hieracoſophium*, Τῷ τῶν ἱερῶν ὀρνίθων γένει πρὸς σωτηρίαν τινὰ πειράσασθαι μηχανὴν, *Sacrarum avium generi ad ſalutem aliquam artem invenire.* Et rurſus, Ἐσπούδασά τινα χρήσιμον θεραπείαν πρὸς σωτηρίαν τῷ ἱερῷ τῶν ὀρνίθων γένει καταλιπεῖν, *Utilem aliquam ad ſalutem curationem ſacro avium generi relinquere conatus ſum.* In quibus verbis per *ſacras aves*, & *ſacrarum avium genus*, τοὺς ἱέρακας, id eſt, *accipitres*, deſignari palàm eſt. *Et cur accipiter* Græcè ἱερὰ *dictus ſit* (inquit *Servius*) *ratione non caret, quia nota eſt ſacrorum peritis.* Ego hoc natum putaverim ex *Ægyptiorum* ſuperſtitione, quibus ex ſacris animalibus nihil fuit tam ſacrum, quàm ibis, & accipiter. Itaque, ſi quis aliud animal invitus necaviſſet, ad Sacerdotum arbitrium mulctabatur. Ὃς δ᾽ ἂν ἶβιν, ἢ ἴρηκα ἀποκτείνῃ, ἤν τε ἑκὼν, ἤν τε ἀέκων, τεθνάναι ἀνάγκη· *At quiſquis ibin, aut accipitrem necaverat, ſive volens, aut invitus necâſſet, eum mori neceſſe erat.* Ità habetur in *Euterpe Herodoti.*

Quin hodieque *ſacrum* cenſent inter accipitrum aut falconum ſpecies. Verùm, ut dicam quod res eſt, vox *Latina* non eſt, ſed *Arabica* صقر vel سقر aut زقر ut ſcribunt nonnulli per *Sin* & per *Ze*, quamvis frequentiùs ſcribatur per *Sad*, à verbo صقر *ſakara*, quod *acutè videre* ſonat, planè ut *Chaldaum* סקר *ſekar*. *Alkamus*, الصاقر حديد البصر Sakir, *qui eſt acuti visûs.* Itaque الصقر nomen indè deductum (Gall. *ſacre*) primò ſignificat كل طاير يصيد *omnem avem aucupatoriam.* Secundò unam è quatuor rapaciũ avium ſpeciebus. Hæ ſcilicet ſunt صقر *ſacer*, & شاهين *ſahin*, & عقاب *okab*, & بازي *bazi*. Et صقر *ſacer* in tres alias ſpecies ſubdividitur; nempe in صقر *ſacrum* propriè dictum كونج *chauneg*, & يويو *juju*. Quæ ſingula hic deſcribere longum eſſet, & tædioſum. Proinde ſolum agemus de *ſacro* propriè dicto. Is aliter vocatur اجدل agdal, *robuſtus*; اكدر achdar, *fuſcus*; & قماطي kumati, *carnis avidus*; & à *Damire*, & aliis ſic deſcribitur.

هو من الجوارح بمنزلة البغال
من الدواب لانه اصبر على الشدة
واحمل الغليظ الاذاء واحسن الغناء
واشد اقدام على جملة من الكركي
وغيره ومزاجه ابرد من ساير ما
تقدم ذكره من الجوارح وارطب
وبهذا السبب يضرا على الغزال
والارنب وهو اهدي من البازي نفسا
واسرع بالناس انسا واكثر منه قنعا
وابرد مزاجه لا يشرب ماء ولو اقام
دهرا وكذلك يوصف بالبخر ونتن
الفم وله كفان في يده كالسبع لانه
يكف بهما على ما اخذ اي يجمع

Se habet ad alias aves rapaces, ut mulus ad reliqua jumenta. Eſt enim viribus fortior, & aptior ad ferendas graviores læſiones, & occurſu melior, & pedibus firmior contra omne gruum genus, & avium hujuſmodi. Et frigidioris eſt temperamenti, atque etiam humidioris rapacium avium aliis, de quibus ſuprà eſt actum. Ac proinde inſtituitur ad caprearum & leporum venationem. Et τῷ *bazi, ſeu accipitre docilior eſt, & ab hominibus citiùs cicuratur, & faciliùs illi ſatisfit. Propter temperamenti ſui frigiditatem aquam non bibit unquam, quantumcunque temporis maneat* (ſine potu.) *Unde eſt, quod deſcribitur oris fœtidi, & malè-olentis. In manu ſua volas habet ferarum inſtar, quibus in id involet, quod capit, & illud teneat.* Scribit *Alkazuinius* nullius rapacium aucupium tam eſſe mirabile, cùm *ſacri* duo in capreæ oculos involantes, aut eam alis diverberantes detineant, donec in venatorum manus incidat. Miratur idem, quòd avis tantula لشجاعة خلقها الله تعالي فيه *propter audaciam, quam illi indidit ſummus Deus*, in gruem inſilire audeat, quæ molis eſt tanto majoris. Hujus aucupii apud *Arabes* primus auctor fuit *Albarits*, *Muaviæ* filius. Hæc obiter de *ſacro*.

Accipitrum genera ſex *Callimachus*, decem *Ariſtoteles*, ſedecim cenſet *Plinius*. Sed ratione molis ad duo revocantur, de quibus *Philoſophus Hiſtoriæ* libri octavi capite tertio, Ἱέρακες ἄμφω, ὅ τε φαβοτύπος, καὶ ὁ σπιζίας, διαφέρουσι τὸ μέγεθος πολὺ ἀλλήλων· *Accipitres ambo, palumbarius ſcilicet, & fringillarius, magnitudine ab invicem multùm differunt.* Illum *aſturem* (Gall. *autour*;) hunc *niſum* & *ſparverium*

vocant

vocant recentiores. Et *aſturum* quidem meminit *Julius Firmicus* libri quinti capite ſeptimo. At *niſi* nomen videtur ſumptum ex *Hebræo* נץ; *nets*; aut ex *Chaldæo* נצא *netſa*. Quò eodem refertur *Niſi* metamorphoſis, Regis *Megarenſium*; quamvis eum pro accipitre in haliæetum fuiſſe mutatum *Poëtæ* fingant. *Ovidius* libro octavo *Metamorphoſeωn*,

Et modo factus avis fulvis haliaetus alis.

Virgilius, aut quisquis alius, in *Ciri*;

Fecit & in terris haliaetus ales ut eſſet.

Sed inter accipitrum, ſeu falconum, ſpecies lanius, ſeu lanarius, haliæeto eſt tam ſimilis, ut non aliter diſtinguantur, quàm ex diverſo paſtu. *Thuanus* in *haliaeti* deſcriptione libro primo *De re accipitraria*,

Forma eadem huic, lanioque eadem eſt, atque inter
utrumque
Obſcurum diſcrimen habet, quo quisque marinus,
Vel lanius dici poſſit. Quin ſæpe periti
Ambiguo peccant decepti lumina vultu;
Et, niſi diverſo paſtu gauderet uterque,
Sæpe repertores artis turpiſſimus error
Argueret. ——

Confundi igitur potuêre à veteribus, atque iisdem nominibus indigetari propter formæ ſimilitudinem.

De accipitre ſic Deus *Job.39.v.26. An per prudentiam tuam plumeſcit accipiter, expanſis alis ſuis versùs* Auſtrum? *Plumeſcit* Hebraicè יאבר. Ità reddit *Hieronymus*; ità etiam *Genevenſes*: quia יאבר, Futurum *Hiphil*, factum videtur à Nomine אבר, vel אברה, quod *pennam* ſonat. Sic *Jer.* 51,11. הברו החצים, aliis *tergite ſagittas*, tanquam à ברר: ut *Eſ.*49.v.2. לחץ ברור, *in ſagittam terſam*. Sed *Joſepho Kimchio* πτερῶτε τὰ βέλη, *alas addite ſagittis* (Gall. *empennès les fleſches*) ac ſi ſit Imperativum τοῦ האביר: ſenſu non incommodo; cum in *Homero* quoque legas πτερόεντες ὀϊστοὶ, & in *Silio*

— *pennigeris pharetram impleviſſe ſagittis.*

Porrò in accipitre *plumeſcere* eſt *abjectis veteribus plumis renovari*; quomodo de aquila dictum. De eo vide *Demetrium* in *Hieracoſophio*, capitibus, quibus titulus, Πρὸς τὸ συνεργῆσαι τὴν ἀποβολὴν τῶν πτερῶν, *Quo remedio pennæ celeriter abjiciantur*: & Πρὸς τὸ πτεροφυῆσαι τὸν ἱέρακα τάχιστα, *Ut pennæ accipitris citò renoventur*: & Πρὸς λειποπτεροῦντα ἱέρακα, *Ad accipitrem, cui pennæ deſunt*, & Πρὸς τροφὴν πτερῶν, *Ad plumarum alimentum*: & Εἰς τύφλωσιν πτερῶν, *Ad pennarum excæcationem*. Ex quibus utut colligatur humanam induſtriam in eo aliquid poſſe, ut accipitri novæ plumæ citò ſuccreſcant in deperditarum locum, tamen *Jobo* dixit Deus non immeritò; *An per prudentiam* (ſive *induſtriam*) *tuam plumeſcit accipiter?* cùm media & remedia nihil poſſint ſine Deo, & Medicinæ tota vis ex illo pendeat. Ne dicam ætate *Jobi* accipitrariam hanc artem nondum fuiſſe in uſu. Hæc quoque optimè cohærent, *An per prudentiam tuam plumeſcit accipiter, alis ſuis ad* Auſtrum *expanſis?* Verè enim *Gregorius* ad hunc locum, *Domeſticis accipitribus, quò melius plumeſcere debeant, humida ac tepentia loca requiruntur. Agreſtibus verò moris eſt, ut flante* Auſtro *alas expandant, quatenùs eorum membra adlaxandam pennam veterem venti tepore concaleſcant. Cùm verò ventus deeſt, alis contra radios Solis extenſis, atque percuſſis, tepentem ſibi auram faciunt: ſicque capta* (lege *captato*) *tepore, apertis poris vel veteres exſiliunt, vel novæ ſuccreſcunt.* Nec multò aliter *Petrus Creſcentienſis* in libro *De animalibus*; *Accipitres mutantur ſingulis annis. Debent autem poni menſe* Martio, *vel* Aprili, *in gabia* (caveâ) *magnâ de induſtria ad hoc factâ, expoſitâ ad Solem in loco calido, aut juxta muros plagæ Meridionali oppoſitos*, &c.

Tamen *Jobi* verba nonnulli reddunt, *Nunquid per prudentiam tuam volabit accipiter alis ad* Auſtrum *expanſis?* quomodo *Aben Ezra*, *Kimchius*, & *R. Levi*. Ex quorum ſententia ad volatum pertinent, non ad pennarum defluvium, & renovationem, ut ſenſus ſit, "An providentiæ tuæ debet id imputari, quòd "ingruente hyeme, ad *Auſtrales* mundi plagas avolat "accipiter, כי יבקש מקום חם, *ut locum caloris quærat*, ut hic habet *Aben Ezra*? Nam inter aves migratorias cenſentur accipitrum pleræque ſpecies: & ſolum buteonem (b) *Philoſophus*, ſolum æſalonem ex- (b) *Ariſt. Hiſt. lib.8.cap.3.*
cipit (c) *Plinius*, quos ſemper apparere tradunt. Quin (c) *Plin.lib.10. cap.8.*
ex accipitrum genere ſunt (inquit *Budæus* in *Philologia*) *quos ſublimivagos dicunt, qui, neglectâ interdum prædâ, cùm diſſerenavit, ad Meridiem plerumque apricatione delectati in nubes licentiùs ſubvehi ſolent, & diu ex hominum proſpectu auferri, quaſi quidam emanſores.* In quibus notanda hæc verba, *ad Meridiem plerumque apricatione delectati*, ut quæ ſint *Jobi* verbis conſona ex ſecunda interpretatione, *Volat accipiter alis ad* Auſtrum *expanſis*. Itaque hæc interpretatio tam poteſt admitti, quàm prior.

Sed *Græci* quid ſibi volunt hâc ſuâ verſione, Ἐκ δὲ τῆς σῆς ἐπιστήμης ἕστηκεν ἱέραξ, ἀναπετάσας τὰς πτέρυγας ἀκίνητος, καθορῶν τὰ πρὸς νότον; *An ex tua ſcientia ſtat accipiter expandens alas immotus, aſpiciens versùs Auſtrum?* An pro יאבר legerunt יעמד, *ſtat* & de ſuo addiderunt ἀκίνητος καθορῶν, ut ſenſus eſſet clarior? Utut ſit, puto illos id reſpexiſſe, quod, ut aquila, ità etiam accipiter Solē inconniventibus oculis intueri traditur; neque indè quidquam offendi. *Ælianus* libri decimi capite decimo quarto, Ὁρῶσι γὰρ ἱέρακες ἀντιθέμενοι ἀεὶ ἐν ταῖς ἀκτῖσι τοῦ ἡλίου ῥᾳδίως, καὶ ἀβασανίστως βλέποντες, καὶ δυσωπούμενοι ἥκιστα, πορεύονταί τε τὴν ἀνωτάτω ἴασι, καὶ αὐτοὺς ἡ θεία φλὸξ λυπεῖ οὐδέν· *Soli avium accipitres Solares radios facilè & ſine labore conſtanter intuentes, neque viſu affecti, ad ſumma ità contendunt, ut eos divinà flamma nullo modo offendat.* Atque ob id ipſum *Ægyptii* accipitrem *Horo*, id eſt, *Soli*, vel *Apollini* ſacrum eſſe voluerunt.

Joculare eſt, quod à *R. Selomone accipitris* nomine hic intelligitur מלאך דומה לדמות נץ עמיד קושי הרוח דרומית בפרישת כנפיו שלא תחריב את העולם *Angelus accipitri ſimilis, qui alarum ſuarum extenſione* Auſtralis *venti impetum ſiſtit, ne univerſum orbem deſolet*. Id, inquam, joculare eſt; quia in his *Jobi* capitibus omnia ſumi ad literam patet. Neque ſub *accipitrum*, ſed ſub *aquilarum* typo Scriptura proponit Angelos. Fatendum tamen ad Angelorum officium hoc pertinere, ut ventorum impetum ſiſtant. Quò *Johannes* alludens *Apoc.7.v.1.* narrat ſe *vidiſſe quatuor Angelos ad quatuor terræ angulos*, κρατοῦντας τοὺς τέσσαρας ἀνέμους τῆς γῆς, *tenentes quatuor ventos terræ, ne flaret ventus ſuper terram*, &c. Quin *Satanam* vocat *Apoſtolus* τὸν ἄρχοντα τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος, *Eph.*2,2. Cujus poteſtatis ſpecimen edidit *Job.*1,19.

Ad hunc locum quærit *Chryſoſtomus*, Cur Deus boum, & ovium, atque aliorum hujusmodi non meminerit, ἀλλὰ τῶν ἀχρήστων, καὶ εἰκῇ δοκούντων εἶναι, *ſed rerum inutilium, quæque fruſtrà videntur eſſe*: quaſi accipiter ſit avis nullius uſûs, & à ſummo opifice fruſtrà condita; maximè, ſi cum domeſtico pecore conferatur. At planè contrà *Demetrius* in *Præfatione* ad *Hieracoſophion*, tam multos de equis, bobus, canibus, mulis, & canoris avibus ſcripſiſſe demiratus, μόνον, inquit, τὴν τῶν ἱεράκων ἀνατροφῆς, καὶ θεραπείας, οὐκ οἶδ᾽ ὅ, τι παθόντες, κατημέλησαν, καὶ ταῦτα οὐκ ἔλαττον εἰς τέρψιν καὶ χρείαν τῷ ἀνθρώπων γένει, τοῖς προῤῥηθεῖσι ζώοις συμπεπηγμένοις, τούτους, *ſolùm accipitrum educationem, & medicinam, neſcio quo pacto, neglexerunt, maximè cum ad humani generis delectationem & uſum non minùs conferant, quam quæ diximus animalia.* Si ævo *Chryſoſtomi* artem aucupandi per accipitres ignotam fuiſſe dixeris, & indè eſſe, quòd accipitres & reliquas rapaces aves inutiles eſſe cenſuit; multa videbuntur poſſe objici. Apud *Cteſiam*, ſcripto-

rem

rem vetuſtiſſimum, in *Photii Excerptis, Indi* λαγωοὺς καὶ ἀλώπεκας θηρεύουσιν, οὐ τοῖς κυσὶν, ἀλλὰ κόραξι, καὶ ἰκτῖσι, καὶ κορώναις, καὶ ἀετοῖς, *lepores & vulpes venantur, non canibus, ſed corvis, milvis, cornicibus, & aquilis.* Quod ex eodem *Cteſia* pluribus explicat *Ælianus Hiſtoriæ* libri quarti capite vigeſimo ſexto. Et in *Mirabilibus* docet *Ariſtoteles* quâ arte, circa *Thraciæ Amphipolim*, ἐξιόντες οἱ παῖδες ἐκ τῶν κωμῶν, καὶ τῶν ἐγγὺς χωρίων, ἐπὶ θήραν τῶν ὀρνιθαρίων, συνθηρεύειν παραλαμβάνουσι τοὺς ἱέρακας, *ex pagis, & agris finitimis ad avicularum aucupium egredientes pueri accipitres in aucupii ſocietatem aſſumant.* Quod idem narrat *Antigonus Hiſtoriâ* trigeſimâ quartâ. *Plinius* quoque libri decimi capite octavo, & quadrageſimo tertio, cujusdam *Crateri* meminit *Monocerotis cognomine, in Erizena* (vel *Troezenâ* potiùs) *regione* Aſiæ, *corvorum operâ venantis; eò quòd devehebat in ſylvis eos, confidentes corniculis, humerisque: illi autem veſtigabant, agebantque, eò perductâ conſuetudine, ut exeuntem ſic comitarentur & feri.* Et *Martialis* in *Apophoretis* de *accipitre* hæc habet libri decimi quarti *Epigrammate* 216.

Prædo fuit volucrum, famulus nunc aucupis: idem
Decipit, & captas non ſibi mæret aves.

Cum quibus conferat lector quæ in *Græca* Paraphraſi *Oppiani Ixeuticorum* ſe legiſſe tradit *Geſnerus* in *Avibus* pag. 24. accipitris ab aucupe admoti metu aviculas ſub arborum frondibus ſe occultare, &, cùm avolare non audeant, facilè capi. Et hæc *Apuleii* in primâ *Apologia*, *Memento tamen tam ridiculum argumentum fore, deſiderata ad res Venereas marina obſcœna, quam ſi dicas marinum pectinem comando capillo quæſitum, vel aucupandis volantibus piſcem accipitrem.* Denique nihil eſt expreſſius his *Julii Firmici*, qui ſub *Conſtantino* vixit, *Matheſeos* libri quinti capite ſeptimo, de iis, quorum Horoſcopus *Venerem* habuerit in *Aquario*: *Accipitres, falcones, aſtures, aquilas, & aves hujuscemodi, equosque ad venandum alere ſtudebunt.* Et capite ſequenti, *In* Virgine Mercurius *ſi fuerit inventus, quicunque ſic eum habuerint, fortes erunt, induſtrii, ſagaces, equorum nutritores, accipitrum, falconum, cæterarumque avium, quæ ad aucupia pertinent.* Proinde, cùm ævo *Chryſoſtomi*, qui ſub quarti ſæculi finem demùm floruit, accipitrarium aucupium dudum videatur fuiſſe in multo uſu, eſt, quòd miremur, cur accipitres poſuerit in cenſu τῶν ἀχρήστων, καὶ εἰκῆ δοκούντων εἶναι. Et reſponderi quidem poſſet, magnum virum, ut erat ſeverus admodum virtutis cuſtos, rigidusque ſatelles, potuiſſe hujusmodi aucupia habere pro ſuperfluis, & iis accenſere, in quibus tempus inutiliter teritur. Sed, quod puto veriùs, pleraque hæc parùm ſunt ad rem, neque accipitrarii aucupii vetuſtatem ſatis adſtruunt. Nam quæ ex *Cteſia* de *Indis*, ex *Philoſopho* de *Thracibus*, ex *Plinio* de *Cratero* afferuntur, rudimenta ſunt artis, eaque ſolùm apud barbaros, nondum apud *Græcos* recepta. Et apud *Martialem* & *Oppianum* accipiter aves decipit, aut percellit, nondum capit. Et in *Apuleio* aucupandis avibus quæritur: non ut ipſe capiat, ſed ut captantibus adſit. Solus igitur ſupereſt *Julius Firmicus*, qui cùm eo ſæculo vixerit, & ſcripſerit, ex quo ſuperſunt tot monumenta, non poſſum id mirari ſatis, quod illo ævo nullus alius meminerit aucupii tam nobilis, atque ipsâ novitate notabilis, ac memorabilis. Prætereà nomen *aſturum*, quod ibi legas, alibi nusquam extat apud veteres: ac proinde hæc loca mihi valde ſuſpecta ſunt; & in iis ſcribæ videntur aliquid de ſuo addidiſſe. Certum eſt tamen hoc aucupium floruiſſe non diu poſt *Chryſoſtomum*. Nam, qui ſtatim ſequitur, *Proſper* itâ habet *De vita contemplativa* libri tertii capite decimo ſeptimo; *Utuntur accipitribus ac ſaginatis canibus ad venatum.* Et *Sidonius* in *Panegyrico* ad *Avitum* ſocerum, Imperatorem, & Conſulem Anno 456.

Quid volucrum ſtudium, dat quas natura rapaces
In vulgus propè cognatum? Quis doctior iſto
Inſtituit varias per nubila jungere lites!
Alite vincit aves, celerique per æthera planſu
Hoc nulli meliùs pugnator militat unguis.

Et ad *Herodicum*, hujus *Aviti* filium, Epiſtolâ tertiâ libri tertii, *Tibi pila, pyrgus, accipiter, canis, equus, arcus ludo fuêre.* Et ad *Inauſtrium* Epiſtolâ nonâ libri quarti, in *Vectii* illuſtris viri commendationem; *Illa leviora, quòd ipſe, quem loquimur in equis, canibus, accipitribus inſtituendis, ſpectandis, circumferendis nulli ſecundus.* Exinde, creſcente luxu, cùm in *Gallia* Clerici quoque canes & accipitres haberent, id vetârunt multa Concilia toto ſexto ſæculo: ut Anno 506. *Agathenſe*, Canone quinquageſimo quinto; *Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus, canes ad venandum, aut accipitres habere non liceat.* Quod ipſum repetitur Anno 517. in *Epaonenſis* Concilii Canone quarto: & Anno 585. in *Matiſconenſis* ſecundi Canone decimo tertio, *Ubi Dei eſt aſſiduitas cantilenæ, monſtrum eſt, & dedecoris nota, canes ibi, vel accipitres habitare.* Itaque graviter falluntur *Leander* & *Pancirolla*, qui *Friderico Barbaroſſæ*; Et *Pandulphus Collenutius*, qui *Henrico Sexto* Imperatori tribuunt hujus aucupii inventum.

CAPUT VIGESIMUM.

De ave כוס *chos*, dubitatur, ſitne nocturnæ avis ſpecies putà Bubo, Noctua, Ulula, Nycticorax, vel, ab his diverſiſſima, Onocrotalus.

Veteres nycticoracem, noctuam, bubonem *explicant, quæ ſunt aves ſimillimæ.* Arabes *quoque* البوم album, *id eſt,* noctuam; quod *probat deſcriptio τοῦ* album. *Eodem recidere* Chaldaicas *Paraphraſes*, Syramque, *&* Samaritanam. Jonathanis *&* Talmudis *loca emendata.* Symmachus *apud* Hieronymum upupam *reddit*: *fortè legendum* ululam. כוס chos, *quaſi* כּוֹסֶה choſe, *latens.* Kimchius *aſſerit* כוס chos, falconem *à* Selomone *reddi*: *quod falſum. Alii multò aliter. Fortaſſe* כוס chos, *eſt* ὀνοκρόταλος, Romanis truo *dictus* à trua, *ſeu vaſe, quod in roſtro habet. Nominis* כוס *par ratio.* Arabicè *cur* alhauſal: *&* Græcè κύλας. *Hujus vaſis quanta amplitudo. Onocrotalo ſimilis* קאת, pelicanus, *quem cum ave* כוס chos, *memorat* Pſaltes *Pſal.* 102. 7. *Hæ duæ aves ſæpe promiſcuè ſumptæ. Onocrotalus avis ſolitudinum, vocis mœſta, & horribilis. Cur* כוס chos, *à* Senioribus, *quos alii ſequuntur, reddatur* νυκτικόραξ.

Avis כוס *chos*, quæ jam ſequitur; ſolùm in Lege nominatur inter aves prohibitas; & *Pſal.* 102. v. 7. ubi *Pſaltes* היתי ככוס חרבות, *Fui ut* chos *ſolitudinum.* Et *Seniores*, Ἐγενήθην ὡσεὶ νυκτικόραξ ἐν οἰκοπέδῳ, *Fui ut nycticorax in parietinis.* De quo loco conſultus *Hieronymus* à *Sunia* & *Fretella* Epiſtolâ centeſimâ trigeſimâ quintâ itâ reſpondet;
" *Quæritis, quid ſignificet nycticorax apud* Latinos. *In*
" Hebræo *pro* nycticorace *verbum* כוס chos *ſcriptum*
" *eſt, quod* Aquila, *&* Septuaginta, *&* Theodotion, *&*
" Quinta *editio* nycticoracem *interpretati ſunt*:
" Symmachus *verò* upupam: Sexta *editio* noctu-
" am; *quod & nos magis ſequimur.* Et paulò poſt, *Plerique* bubonem *contentiosè ſignificare putant.* Quibus

bus tamen accedens etiam ipſe *bubonem* reddit tam in Lege, quam in *Pſalmis*.

Arabes البوم *album* reddunt, id eſt, *noctuam*. Id patet ex deſcriptione * *album* in *Damire*, البوم طاير يقع على الذكر والانثي حتي تقول صدي او فياد فيتخص بالذكر وكنية الانثي ام الخراب وام الصبيان ويقال لها غراب الليل ومن طبعها انها تدخل على كل طاير في وكره ليلا وتخرجه منه وتاكل فراخه وبيضه وهي قويه السلطان بالليل لا يحملها شي من الطير واذا راها الطير بالنهار قتلوها ونتفوا ريشها للعداوه التي بينهم وبينها ومن اجل ذلك صار الصياد يجعلها تحت سكته لتقع الطير عليها Album, *avis. Nomen eſt communis generis: ſed ſi dixeris* tſada, *aut* phajad, *id maris præſumerit. Fœminæ cognomina ſunt Mater ſolitudinis, & Mater lendium* (quia iis ſcatet.) *Dicitur etiam corvus noctis* (id eſt, *nycticorax.*) *E natura ejus eſt, ut noctu ingrediatur in omnium avium nidos, & eas indè ejiciat, ut veſcatur pullis, & ovis. Nempe noctu tantum valet, ut nulla avis eam ferat: ſed illam aves viciſſim impetunt, cum interdiu vident, & plumas ejus vellicant, propter odium, quo ſe mutuo proſequuntur. Propterea fit aucupium, quo ſub reti ponitur, ut aves in eam irruant.*

Et infrà, والبوم اصناف وكلها يحب الخلوة بانفسها والتفرد وفي اصل طبعها عداوة الغربان Τῶ album *plures ſunt ſpecies, quæ omnes ſeceſſum & ſolitudinem amant: ſed eorum naturæ maximè convenit odium in corvos.* Hæc de noctua dici nemo non videt. Noctua enim noctu vagatur. *Philoſophus Hiſtoriæ* libri primi capite primo, τὰ μὲν ζῶα νυκτερόβια, οἷον γλαύξ. Atque inde nomen habet. Feſtus, *Noctua à tempore noctis dicta, quo canit, vel volat.* Et ejus contra aves ſolertem dimicationem deſcribit *Plinius* libri decimi capite decimo ſeptimo. Et uſum in aucupiis *Ariſtoteles* libri noni capite primo, Τῆς δ' ἡμέρας καὶ τὰ ἄλλα ὀρνίθια τὴν γλαῦκα περιπέτεται, ὃ καλεῖται θαυμάζειν, καὶ προσπετόμενα τίλλουσι. διὸ ὀρνιθοθῆραι θηρεύουσιν αὐτῇ παντοδαπὰ ὀρνίθια. *Interdiu cæteræ aviculæ noctuam circumvolant, quod mirari vocatur, advolanteſque vellicant. Quapropter omnis generis aviculas per eam capiunt aucupes.* Noctuæ porrò diſſidium cum cornice, quam *Arabes corvi* nomine deſignant, vide apud *Philoſophum*, *Plinium*, & *Ælianum*. Unde natum Proverbium apud *Suidam*, & *Apoſtolium*; Ἄλλο γλαὺξ, ἄλλο κορώνη φθέγγεται ἐπὶ τῶν ἀλλήλοις μὴ συμφωνούντων. *Aliud noctua ſonat, aliud cornix, de iis qui inter ſe non conſentiunt.*

Chaldæi quoque interpretes, & *Syrus*, & *Samaritanus* parum ab his diſſident. Jonathan habet צירא *tſajera*; Onkelos קדיא *kadja*; Joſeph Cæcus קפופא *kiphupha*; Syrus ܩܕܝܐ *anda*; & Samaritanus ࠀࠉࠃࠑ *tſadja*. Quæ voces, utut diverſæ in ſpeciem, tamen eodem ferè recidunt. Sic *Samaritanum* ࠀࠉࠃࠑ *tſadja* eſt *noctua fœmina*, quam *Arabicè* صدي *tſada* vocari iiſdem Radicalibus ſuprà *Arabes* nos docuerunt. Et *Jonathanis* צירא vox eſt corrupta: pro qua ſcribendum צדיא, quomodo apud eundem *Deut.* 14. *v* 16. Neque aliud *Onkeloſi* קדיא, nec *Syrum* ܩܕܝܐ. Nam *Tjade*, *Koph*, & *Ajin* literas eſſe permutabiles docent *Chaldæa* ארעא, & ארקא, pro ארץ *terra*. Et in *Joſepho Cæco* קפופא *kiphupha*, ſi non ſit idem, quod צדיא *tſadja*, vel קדיא *kadjah*, ſaltem animal eſſe congener probatur ex loco *Talmudis* in *Nidda* cap. 3. fol. 23. a. in quo קדיא וקפופא, *kadja & kiphupha* (Sic legendum, non קריא *karja*, ut perperam habent noſtræ editiones) cenſentur in animalibus, שעיניהן הולכות לפניהן כשל אדם, *quorum oculi anterius proſpiciunt ut humani*, cum in reliquis avibus oculi ſint ad latus. Unde ibi *Gloſſa*, קדיא וקפופא עוף הצועק בלילה ופניו דומות לחתול ועיניו לפניו, *Kadja* (ità lego pro קריא *karja*) *& Kiphupha, avis, quæ noctu clamat, & faciem habet feli ſimilem, & oculos anterius.* Quæ noctuæ aut bubonis eſt deſcriptio. Itaque, ſi *Symmachum* excipias cui כוס *chos*, eſt *upupa*, veteres omnes hoc nomine *noctuam*, *nycticoracem*, aut *bubonem* intelligunt, quæ aves inter ſe non multum differunt. Etſi in his *Hieronymi*: *Symmachus verò upupam*, pro *upupam* legas *ululam*, nullus erit inter veteres notabilis diſſenſus, cum nocturnæ aves, noctua, bubo, ulula, & nycticorax tam ſint inter ſe ſimiles, ut paſſim à ſcriptoribus promiſcuè ſumantur.

His accedunt *Hebræi* recentiores, qui כוס *chos*, dici volunt, quaſi כוסה *choſe*, id eſt, *ſe abſcondentem*, aut *latentem*; quia hæc avis נכסה מן העין, *viſum fugit*, aut נכסה מעין אדם, *abſcondit ſe ab oculis hominum.* Ità *Baal Hatturim*, & *Aben Ezra.* Et R. *Selomo* in *Leviticum*, כוס וינשוף הם צואיטש הצועקים בלילה ויש להם לסתות כאדם, Chos *& janſuph*, *Gallis* chovettes, *aves, quæ noctu ululant, & maxillas habent ut homo.* Quæ partim ſumpta ſunt ex *Talmudis* loco, quem ſuprà citavimus, ubi hoc ipſum aſſeritur de avibus קדיא & קפופא. Hæc porrò *Selomonis* cum diſerta ſint, nullus capio, quo pertineant hæc *Kimchii* in *Lexico*: כוס שם עוף טמא לא נודע אצלנו ורבינו שלמה ז"ל פי' פלקון בלע"ז ואותו שקורין פלקון הוא נמצא בישוב וצרין בו בני האדם שאר העופות ואחר שאמר הכתוב ככוס חרבות ידמה שהוא מדבר, Chos *nomen avis immundæ apud nos ignota. Magiſter noſter* R. Selomo *beatæ memoriæ lingua vernacula falconem explicat. At avis quam falconem vocant, in locis habitatis reperitur, & ea utuntur homines ad alias aves aucupandas: Scriptura autem cum dicat* " *Sicut* chos ſolitudinis, *videtur eſſe avis in deſerto degens.* Quibus verbis *Selomonis* diverſiſſimam affingit ſententiam ab ea, quam exhibent ipſius Commentaria. Tamen hoc ſequuti *David de Pomis*, *Munſterus*, *Arias*,

alii כוס *chos*, *falconem* interpretantur. Quin quaſi liberum eſſet quidvis hic comminiſci, quia *ignotam* eſſe *avem* dicit *Kimchius*, alii *cuculum* reddunt, alii *ulicem*, alii *ſtrigem*, alii *pelicanum*, & quid non? Fatendum interim novorum etiam interpretum partem longe maximam *noctuam* retinuiſſe. Et veram eſſe hanc vocis notionem probare contendit *Druſius* ex Germanico **Kutz** pro *noctua*, & Patavino *chus* pro *ſcope* noctuæ ſpecie, quæ videntur ad *Hebræum* כוס *chos*, accedere, tanquam ex eo deducta. Itaque tantó conſenſui ſe opponere videbitur periculoſum. Dicam tamen quid olim de hac voce conjecerim, non ſine aliqua veri ſpecie.

Voce כוס *chos*, ſuſpicabar *truonem* ſignificari, vel, quod idem eſt, *onocrotalum*. Nam qui *Græcis* ὀνοκρόταλος, is *Romanis* TRUO dictus eſt. Nempe *trua* eſt vaſis genus.

Pomponius Pannuceatis,

Mulier ubi aſpexit tam mirificè tutulatam truam.

Titinnius Setina,

Cocus magnum ahenum quando fervit, paulâ confutat truâ.

Unde Diminutivum *trulla*. Varro *De lingua Latina* libro quarto, *Trulla à ſimilitudine truæ, quæ quod magna, & hæc puſilla, ut truula.* Nonnius, Truam *veteres* dicendo, *quam nos Diminutivo* trullam *dicimus, appellari voluerunt. Inde igitur* truo *eſt onocrotalus*. Feſtus, *Truo, avis onocrotalus*. Cæcilius *irridens magnitudinem naſi*, " *Pro Dii immortales, unde prorepſit truo?* Gloſſæ *Philoxeni*, Ὀνοκρόταλος, *Trica*, lege *Truo*. Aliæ *Gloſſæ* optimæ, ſed librariorum incuria ſæpe corruptæ, *Triduo, tinnuero*. Legendum, *Trua vas, Truo* verò, ὀνοκρόταλον, ſupple *ſonat*. *Truo* ſcilicet vocatur *à trua*, quam habet in roſtro, cujus forma talis eſt,



Proinde *Sabaudi* vocant *gutturoſam*, id eſt, *ſtrumoſam*, ab ingluvie, quæ in gutture, ſtrumæ inſtar, prominet. Et *Arabes* plerique الحوصل *alhauſal*, id eſt, *ingluviem*, ac ſi avis tota ſit ingluvies. Sic *Æliani* libri decimi ſexti capite quarto *Indica* avis κήλας, otide triplo major, vaſto ore, magnis cruribus, habens πρηγορεῶνα, καὶ ἐκεῖνον μέγιστον, προσεμφερῆ κωρύκῳ, *ingluviem, eamque ampliſſimam, ſacco ſimilem*, omnino eſt onocrotalus, qui à *Græcis* κήλας dictus eſt, propter κήλην, ſeu βρογχοκήλην, id eſt, *tumorem in gutture*. Neque immerito illa ingluvies aſſeritur eſſe amplisſima, cum pene amphoram aut urnam capere nonnulli ſcribant. Alii *Æthiopem* infantulum in ea eſſe repertum. Alii pugnum cum brachio, alii pedem cum crure uſque ad genu in eam immiſiſſe ſe prodant, ipſo animali illæſo. Alii ſe pro cucullo capiti impoſuiſſe, reliquo corpore à tergo dependente. Alii nautas *Ægyptios* onocrotali roſtro ſentinam exhaurire. Et *Plinius* (libri decimi capite quadrageſimo ſeptimo) *faucibus ipſis ineſſe alterius uteri genus. Huc omnia inexplebile animal congerere, mira ut ſit capacitas. Mox, perfecta rapinâ, ſenſim inde in os reddita in veram* (alii, *in inferam*) *alvum ruminantis modo referre.* Unde eſt, quod *Arabs Poeta* de hac ave ملغز id eſt, αἰνιγματιζόμενος,

ما طاير في قلبه *
يلوح للناس عجب *
منقاره كبطنه *
والعين منه في الذنب *

Quænam avis eſt, quæ ingenio ſuo apparet hominibus mirabilis? Roſtrum illi pro ventre eſt, & oculus in cauda! id eſt, poſt ventrem illum, quem in roſtro habet. Potuit igitur ab hoc, ſive ventre, ſive ſacco, aut truâ, quæ ab inferiori roſtri parte dependet, etiam ab *Hebræis* dici avis הכוס, *chos*, id eſt, *vaſis*, ſeu *poculi*; quia כוס *chos*, pro *vaſe*, aut *poculo* nomen eſt receptisſimum. Cui conjecturæ non parum favet *Pſalmi* locus, quem citavimus, דמיתי לקאת מדבר הייתי ככוס חרבות, is enim optimè ſic redderetur, *Similis factus ſum pelicano deſerti, & fui ut onocrotalus ſolitudinum.* Et in eodem commate jungerentur hæ duæ aves, pelicanus, & onocrotalus, quæ ſunt ità congeneres, ut etiam doctisſimi eas promiſcuè ſumant. In his *Oppianus* in *Ixeuticis*, ubi πελεκᾶνι, id eſt, *pelicano* tribuitur κόλπος, *ſinus* quidam ante pectus dependens, in quem cibum omnem aliquantiſper recondit. Et *Hieronymus*, cui קאת in loco *Pſalmi* eſt *pelicanus*; ſed alibi *onocrotalus*, ut *Levit.* 11. v. 18. *Eſ.* 34. v. 11. & *Sophon.* 2, 14. Et *Bellonius* libri tertii capite ſecundo *De Avibus*, ubi pelicanus, platea, & onocrotalus pro eadem ave ſumuntur. Prætereà rectè diceretur *onocrotalus ſolitudinum*. Docet enim *Hieronymus* in *Eſ.* 34. hoc animal *in deſertis locis habitare conſuevisſe*. Et in *Sophon.* 2. *Onocrotalorum eſſe duo genera, aliud aquatile, aliud ſolitudinis.* Ità etiam *Iſidorus* libri duodecimi capite ſeptimo. Proinde *Damir* capite البجع *albugia*, ſeu *De Onocrotalo*, ſectione *De ejus eſu*, licitum quidem eſſe concludit, non tamen vi regulæ generalis, quæ *Mahumetanis*

metanis concedit omnium avium aquaticarum eſum;

لان ذلك الوجه يجري في طاير لا يفارق الما وهذا يالفه ثم يفارقه

Quia currit hæc ratio (id eſt, valet hæc regula) *in iis avibus, quæ in aquis ſemper manent: at hæc avis modò in aqua degit, modò ab ea divellitur*; ut ſecedat ſcilicet in intimam ſolitudinem. Hoc quoque non omittendum, *Pſalten* huic avi ſe conferre propter aſſiduos queſtus, & planctus. Nam præceſſerat מקול אנחתי, *propter vocem gemitûs mei oſſa mea carni adhæſerunt.* Porrò vox onocrotali mœſtum & horribile aliquid habet. *Ælianus* ubi ſuprà, Φθέγμα δ' ἔχει καὶ μάλα ἀπηχές, *Vocem habet valdè abſonam.* Proinde *Græcis* dictus eſt ὀνοκρόταλος, quaſi *rudens inſtar aſini*: & nonnullis *Arabum* جمل الما *camelus aquæ*, quaſi *blateret in cameli modum.* Hinc Albertus, *Quaſi cornu ſonans horribilem vocem emittit.* Et Olaus, *Magnum clamorem edit inſtar botauri avis*, id eſt, *ardeæ ſtellaris*, quæ voce ſuâ tauri mugitum imitatur. Denique non potuit hæc avis ignota eſſe *Judæis*, cùm idonei ſcriptores reperiri teſtentur circa *Syriæ Antiochiam*, & *Palæſtinæ Gazam*, & in *Ægypto* frequentem eſſe. Addi queat indè factum eſſe, ut כוס *chos*, à *Græcis*, quos reliqui ſequuti ſunt, pro *onocrotalo* redderetur νυκτικόραξ, quòd pro כוס *chos* legerunt בום *bum*. Quæ duæ voces quamvis ſono differant immenſum quantum, tamen apud *Hebræos* ſcripturâ ſunt ſimillimæ. Porrò voce בום *bum*, *noctuam*, & غراب الليل *corvum noctis*, id eſt, *nycticoracem*, ſignificari, ſaltem apud *Arabes*, quorum lingua eſt *Hebraicæ* dialectus, abundè ſuprà (*a*) probavimus.

(a) Pag. 273. lin. 3. &c.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

Probatur שלך *ſalach*, à *Græcis* rectè reddi καταῤῥάκτην *catarrhacten.*

Καταῤῥάσσειν *eſt* cum impetu dejicere. *Indè* καταῤῥάκτης, *aquila, harpyiarum, & accipitris Epithetum. Item avis marinæ ſpecies, aquilæ, vel accipitri ſimilis; quæ non in aves, ut vult* Euſtathius, *ſed in piſces irruit, & ad ulnæ ſpatium in aquas immergitur, ut indè prædam extrahat. Ova quoq; & pullos ſuos in mare demittit, & ſubinde extrahit: inde* שלך Hebræis, *ut* Græcis καταῤῥάκτης. *Nam* Hebræum *Verbum* שלך *in* Hiphil, *modo* καταῤῥάσσειν cum impetu dejicere, *modo* demittere *ſonat. Utriuſque notionis exempla.* Chaldæis *& Syris eadem avis* ܫܠܐ ܢܘܢܐ ſale-nuna, *non* à prædandis, *ut volunt, ſed* ab extrahendis piſcibus. *Nam* שלל *quidem* prædari, *ſed* שלה *eſt* extrahere. *Arabicè* زمج zummag *vocatur*; *Ægyptiacè* nauras. *Non eſt* mergulus, *ut ab* Hieronymo*: & multò minùs* merula, *ut à* Pomario *creditum. Falſa aliorum interpretamenta.*

HEbræum avis nomen שלך *ſalach*, à *Græcis* redditur καταῤῥάκτης rectè omnino. Nam השליך Verbum, unde avis nomen deductum, eſt idem, quod καταῤῥίπτειν *projicere*, & καταβάλλειν *dejicere.* Porrò id ipſum eſt καταῤῥάσσειν, ex quo factum καταῤῥάκτης. *Heſychius*, Καταῤῥάσσειν, καταῤῥίπτειν. Item, Καταῤῥάξαι, καταβαλεῖν. Proinde *Græcæ* verſionis locis plùs centum *Hebræo* השליך, reſpondent *Græca* ῥίπτειν, ἀποῤῥίπτειν, ἐπιῤῥίπτειν, καταῤῥίπτειν, & βάλλειν, ἐκβάλλειν, ἐμβάλλειν, ἀποβάλλειν. Quin *Pſal.* 101. (Hebr. 102.) pro *Hebræo* השליכני, *Græcè* habetur κατέῤῥαξάς με, *dejeciſti me.* Itaque ut Verbo השליך, καταῤῥάξαι, ità Nomini שלך, reſpondet καταῤῥάκτης. Et quandoque eſt Epithetum avium prædatricum, quæ cum impetu in prædam ruunt, & quodammodo ſe præcipites conjiciunt. Ità *Sophocles* in *Laocoonte* aquilam καταῤῥάκτην, & in *Phineo Harpyias* καταῤῥάκτας appellaverat. *Heſychius*, Καταῤῥάκτης, ἰκτῖνος, γύψ, καὶ αἰετός· Σοφοκλῆς Λαοκόωντι, καὶ τὰς ἅρπυιας ἐν Φινεῖ. Et in *Caſſandra Lycophronis* καταῤῥάκτηρ, quod idem eſt, accipitris eſt Epithetum. Verba ſunt verſu 168,

Τὸν δ' αὖ τέταρτον αἰθόμαιμον ὄψεται
Κίρκον καταῤῥάκτηρα· —

Quartum porro conſanguineum videbit accipitris catarrhacteris, ſeu *catarrhactis.* *Diomedeas* quoque aves *Juba* vocat *catarrhactas*, ut habetur apud *Plinium* libri decimi capite quadrageſimo quarto; quia in *Ariſtotelis Mirabilibus* leguntur *Græcis* parcere, ſed venientes barbaros καταῤῥάσσειν.

Tamen ut *Hebræis* שלך, ità *Græcis* καταῤῥάκτης avis eſt certa ſpecies, cui peculiare eſt hoc nomen. *Suidas*, Καταῤῥάκτης, εἶδος ὀρνέου θαλασσίου. *Catarrhactes, avis marinæ ſpecies.* Euſtathius *in* Dionyſium, Τὶ ὄρνεον αὐτόθι καταῤῥάκτης καλεῖται· *Avis aliqua aquatilis generis* catarrhactes *vocatur.* Ariſtophanes *in* Avibus, Καὶ ἐρωδιῷ, καὶ καταῤῥάκτῃ, καὶ μελαγκορύφῳ· *Et ardeæ, & catarrhactæ, & melancorypho.* Et ibi *Scholiaſtes*, Καταῤῥάκται εἰσὶ παρὰ Καλλιμάχῳ ἀναγεγραμμέναι· *Catarrhactæ à* Callimacho *deſcribuntur.* Ariſtoteles *Hiſtoriæ* libri ſecundi capite decimo ſeptimo, Νῆττα δὲ, καὶ χὴν, καὶ λάρος, καὶ καταῤῥάκτης, καὶ ὦτις τὸν ςόμαχον εὐρὺν καὶ πλατὺν ὅλον ἔχουσιν· *Anas autem, & anſer, & larus, & catarrhactes, & otis totum ſtomachum amplum & latum habent.* Et libri noni capite duodecimo, Ὁ δὲ καταῤῥάκτης ζῇ μὲν περὶ θάλατταν. ὅταν δὲ καθῇ ἑαυτὸν εἰς τὸ βάθος, μένει χρόνον οὐκ ἐλάττονα, ἢ ὅσον πλέθρον διέλθοι τις. ἔςι δ' ἔλαττον ἱέρακος τὸ ὄρνεον. *Catarrhactes quidem circa mare vivit. Cum autem in profundum ſe demiſit, manet non minùs temporis, quam quo jugerum quis tranſierit. Eſt autem avis accipitre minor.* Oppianus in *Ixenticis* accipitri palumbario φασσοφόνῳ ſimilem eſſe ſcribit. Apud *Euſtathium* vocari dicitur *catarrhactes*, ὡς ἄνωθεν καταῤῥάσσων ἐν τῷ θηρεύειν τὰ ἔργα, *tanquam ſuperne irruens cùm venatur aves.* Perperam, cum catarrhactes nonniſi piſces venetur. Præſtat igitur nominis rationem aliunde addiſcere. Et commodum ſe offerunt *Geſneri Excerpta* ex *Oppiani Ixenticis*, quæ quidem hodiè non extant. Sed illorum *Græcam Paraphraſim* legerat manu exaratam; in qua hæc maximè ad rem. 1. *Catarrhactes ſcopulis, & littoribus, & petris, quas* χοιράδας *vocant, ſupra aquam eminentibus, inſidet, &c. Et ubi piſces aliquot natantes viderit* (perſpicaciſſimus enim eſt vel ad fundum uſque maris) *altiùs volat, & pennis omnibus contractis, in mare tanquam delapſus, per medium aëris intervallum quovis telo celeriùs fertur, & ad ulnæ ſpatium immergitur, donec comprehenſum piſcem extraxerit, quem mox evolans palpitantem adhuc devorat.* Quæ *Græcè* ex MSS. ſuo ſic citat vir doctiſſimus *Voſſius* noſter in eximio illo in *Melam* opere paginâ 73. Πρὸς ὕψος ἑαυτὸν αἴρει,

καὶ τὰ πτερὰ πάντα συςείλας, εἰς τὸν πόντον διὰ πόπλων οἴσεται, διατεμὼν τὸν ἀέρα παντὸς ἂν εἴποις βέλους ὀξύτερον, καὶ καταδύεται μέχρι ὀργυιᾶς, ἢ καὶ πλέον, ἰδ' ὅτι συλλαβὼν τὸν ἰχθὺν ἀνασπᾷ, καὶ ἀνιπτάμενος ἔτι παλλόντα κατεσθίει. 2. *Mors catarrhactis gravior, quàm ulli ambigua vita avium contingit. Acies enim oculorum, ſenio confectis obtuſa, in cauſa eſt, ut in mare ſe præcipites ferri ad piſcium prædam arbitrantes, ſcopulis, ac præcipitiis illidantur, & pereant. 3. Catarrhactas imaginibus piſcium ſuper tabulas pictis capiunt. Nam, dum impetu in illas, ſeu vivos piſces feruntur, illiſi pereunt. 4. Mas ova, unde marem procreandum conjicit, fœmina unde fœminam, in ſublime ferunt unguibus comprehenſa. Indè mittunt in pelagus, atque hoc ſubinde repetunt per dies aliquot. Hoc motu concalefactis ovis pulli excluduntur. 5. Pulli catarrhactæ, mox ut lucem aſpexerint, nulla in nidis morâ, parentes volatu ſequi contendunt. A parentibus autem ſuſcepti, in mare demittuntur, & rurſus illico extrahuntur, ut ſic faciliùs auxilio parentum hoc genus exercitii ipſis reddatur.* Vides, lector, quam meritò *Hebraicè* שלך dicatur, & *Græcè* καταῤῥάκτης. Cùm modò deſcribatur משליך נפשו, ἑαυτὸν καταῤῥάσσων, *ſeipſum dejiciens*, aut certo conſilio in mare, unde victus illi ſuppetit; aut per errorem vel in ſcopulos, vel in tabulas pictas, unde illi certa pernicies: modo משליך ביצו או בניו, *ova ſua projiciens*, aut *pullos ſuos in mare demittens*, ad quod ultimum fortaſſe τὸ καταῤῥάσσειν non ità pertinet, quia id cum impetu non fit: ſed *Hebræum* השליך tam ſignificat *leniter demittere*, quàm *cum impetu projicere*. De *projectione in præceps* uſurpatur *Jon.* 2. *v.* 4. ubi *Propheta*, hoc verbo uſus, queritur ſe *projectum fuiſſe in profundum, & in cor maris*. Et 2. *Par.* 25. *v.* 12. ubi legitur de decem *Idumæorum* millibus, וישליכום, *Et projecerunt eos de petræ vertice, & illi omnes crepuerunt*. Proinde *Græci* reddunt, Καὶ κατεκρήμνιζον αὐτούς· & Hieronymus; *Præcipitaveruntque eos*. Sed pro *demiſſione* ſumitur, cùm de *Jeremia* ſcribitur *Jerem.* 38. *v.* 6. וישליכו אותו אל הבור *Et jecerunt eum in foveam*, id eſt, *demiſerunt*. Sequitur enim ἐπεξηγητικῶς illum demiſſum eò fuiſſe funibus. Catarrhactes igitur, etſi pullos ſuos in mare, fortaſſe etiam ova non tam projiciat, quàm demittat: tamen etiam eo nomine שלך dici potuit. Et hujus hiſtoriæ putaverim aliquid *Hebræis* ſuboluiſſe, cum tradunt, auctore *Aben Ezrâ*, שלך avem eſſe, quæ ſoleat להשליך ילדיו, *pullos ſuos projicere*. Hæc de *Græca* verſione; quæ, quia vera eſt, reliquas quoque libet ad eam expendere.

Onkelos & *Jonathan* hic habent שלינונא *ſalenuna*: & *Syrus*, divisis vocibus, ܫܠܐ ܢܘܢܐ. Quomodo etiam in *Jonathane* quidam ſcribunt שלי נונא *ſale nuna*, & reddunt *prædonem piſcium*; quaſi שלי eſſet à שלל *deprædari*, cùm ſit à שלה quod *educere* & *extrahere* ſignificat, ùt *Arabicum* سل & *Syrum* ܫܠܐ *Pſal.* 18. *v.* 17. ושלני וקבלני מן מיא סגיאה, *Et extraxit me, & eduxit me ex aquis multis*. Itaque שלינון eſt *extractor*, vel *eductor piſcium*. Ità exponit *R. Juda* in *Talmudico* Tractatu *Cholin* cap. 3. fol. 63. a. שלך זה השלה נונים מן הים, Salach *eſt avis, quæ piſces ex mari extrahit*. Et *Kimchius* in *Pſalmum* centeſimum quadrageſimum quintum, מצאתי בדברי חז״ל רבי יוחנן כד הוה חזי שלך ששולה נונים הים הוא אמר משפטך תהום רבה *In Magiſtrorum noſtrorum beatæ memoriæ ſcriptis reperi*, R. Johannem, *cum videbat avem* ſalach *piſces è mari extrahentem dixiſſe*: *Judicia tua abyſſus magna*. Locus eſt *Pſalmi* trigeſimi ſexti verſu ſeptimo, quo ſignificari voluit Deum etiam in abyſſo magna, id eſt, in mari, judicia ſua exercere. Quam rectè non jam quærimus. Hæc enim ideò ſolùm proferimus, ut doceamus quorſum שלך *ſalach*, *Syri* & *Chaldæi* שלי נונא, id eſt, *piſcium eductorem* vocent. Nempe quia hæc eſt natura catarrhactis, ut non ſolùm iis veſcatur piſcibus, qui mari innatant, ſed & illos ad orgyiam uſque è fundo maris extrahat. Unde ſuprà *Oppiani* Paraphraſtes *Dionyſius Characenus*, Καταδύεται μέχρι ὀργυιᾶς, ἢ καὶ πλ. &c. ἰδ' ὅτι συλλαβὼν τὸν ἰχθὺν ἀνασπᾷ, &c. Et eundem *Philoſophus* in fundo maris manere dicit χρόνον οὐκ ἐλάττονα ἢ ὅσον πλέθρον διέλθοι τις.

Eandem avem زمج *Zummag* vocat uterque *Arabs*. Nomen eſt *abira* factum. زمج *zamagia* Verbum eſt *iraſci*, & Verbale nomen زمج zamgi *ira*. Itaque ex Etymo colligitur avem eſſe valdè iracundam. Duæ porrò ſunt ſpecies. Una, quæ ſimpliciter dicitur زمج *zummag*, de qua dicetur infrà. Altera زمج الماء *zummag aquaticus*: de quo *Damir*,

هو طاير الذي يسمي بمصر النورس وهو ابيض في حد الحمام واكبر يعلو في الجو ثم يزج بنفسه في الما ويختلس منه السمك ولا يقع على الجيف ولا ياكل غير السمك

Avis eſt, quæ in Ægypto vocatur nauras, *alba, columbæ ſtatura, aut major etiam, in altum volans, deinde in aquam ſe immergens, ut indè piſces deprædetur; neque in cadavera involans, neque aliud quidquam comedens præter piſces*. Quæ ad catarrhactæ deſcriptionem pertinere palam eſt.

Pro *catarrhacte* Hieronymus *mergulum* habet. Quem ſequuntur *Pagninus*, *Arias*, *Caſtalio*, *Junius*, *Buxtorfius*, *Itali*, *Genevenſes*, & multi alii recentiorum interpretum: quod minus probo; quia cauſa non apparet, cur *mergus* vocetur שלך, cùm non ſoleat ex alto in aquas ſe dejicere, quomodo catarrhactes. Quod idem *Munſtero* & *Schindlero* poteſt objici, qui *ardeam*; & *Baptiſta Ferrario*, qui *larum*, *gaviam*, *fulicam*; & *Anglis*, qui **cormorant** exponunt, id eſt, *corvum marinum*, vel *aquaticum*, Græcè φαλακροκόρακα. Quamvis etiam in *Gloſſa Talmudis* ad locum, quem ex Tractatu *Cholin* ſuprà citavimus, dicatur eſſe עורב המים, *corvus aquarum*. Sed *Pomario* nihil ineptius, qui *Latinè mergulum* cum *Hieronymo* reddit, & *Italicè* מרלו, *merlo*; quaſi *mergulus* ſeu *mergus*, ſit idem cum *merula*.

CAPUT

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

Probatur ינשוף *janſuph*, eſſe *Bubonem.*

Variæ verſiones vocis ינשוף janſuph. *Samaritani.* ࠁࠓࠁࠓࠉ barbari *reddunt. Græci,* & *Hieronymus,*ibin. *Syri,* & *Chaldæi,* קפופא kiphupha, *id eſt*, bubonem, *aut* noctuam. Arabum *nonnulli* باشق baſak, *accipitris genus, quod aliter atque aliter deſcribunt. Alii* حباري hubara, *id eſt,* tardam, *vel* otidem; *de qua obiter multa. Præfertur* Syriaca *&* Chaldaica *verſio, quæ* bubonem *explicat: quia* נשף (*unde* ינשוף) tenebras *ſonat. Et ad* Idumææ *deſolationem pertinet, quòd in ea habitabit* ינשוף janſuph, *Eſa.* 34. *v.* 11. *Quod in bubonem bellè quadrat, ominoſam, & inauſpicatam avem, quæque in deſertis degit, & cum corvo ſolet jungi.*

NEc ſatis notum quid ſit ינשוף *janſuph*, & *janſoph*, avis nomen, quod jam ſequitur. Nam, ut *Samaritanos* prætercam, qui ࠁࠓࠁࠓࠉ *barbari*, id eſt, *Barbaricam avem*, vertunt, quâ de cauſa haud quaquam ſcio, quatuor alias reperio hujus vocis interpretationes ab invicem remotiſſimas.

Prima *Græcorum* eſt, & *Hieronymi*, qui ἶβιν *ibin* interpretantur, hic, & *Eſa.* 34. *v.* 11. ubi de *Idumæa* dicitur, ינשוף Janſoph, *& corvus in ea habitabunt.* Tamen is locus palàm docet *janſoph* non eſſe *ibin.* Ibis enim *Ægyptia* eſt avis, ut ex *Herodoto*, *Strabone*, *Plinio*, *Solino*, & *Ammiano* ſcimus. Εἰ δέ τις ἐπιθέμενος αὐτῇ τὸ καρτερὸν ἐξαγάγοι, ἤδη ἀμύνεται τὸν ἐπιβουλεύσαντα, εἰς οὐδὲν αὐτῷ τὴν σπουδὴν προσαγαγοῦσα. ἑαυτὴν γὰρ ἀποκτείνει λιμῷ, καὶ ἀνόνητον τὴν προθυμίαν ἀποφαίνει τοῦ προῃρημένου. *Si quis autem vim inferens eam abducat, illa ab inſidiatore pœnas repoſcit, hoc ejus ſtudium in nihilum redigens. Mortem enim ſibi inedia cônſciſcens, inutilem hoc volenti conatum eſſe oſtendit. Æliani* verba ſunt *Hiſtoriæ animalium* libri ſecundi capite trigeſimo octavo. Itaque in *Idumæa* nulla fuit ibis.

Secunda verſio eſt *Syri* Interpretis, & utriusque *Chaldæi*, id eſt, *Jonathanis* & *Onkeloſi*: à quibus vox eadem conſtanter redditur קפופא *kiphupha*, id eſt, *bubo*, vel *noctua*; ut ex *Talmude* probavimus capite vigeſimo, ubi de ave כוס *chos.* De qua verſione plura dicemus infra.

Tertia eſt *Arabum Pentateuchi* Interpretum: quorum uterque pro ינשוף hic habet الباشق *albaſak*, accipitris ſpeciem, quam *Alkazuinius* ità deſcribit; طير احسن الصورة اصغر الجوارح جثة يصطاد العصافير *avis eſt ſpecie pulcherrima, & rapacium corpore minima, quæ venatur paſſeres.* Quæ deſcriptio niſo, ſeu ſparverio, convenit. Sed multò aliter definit *Damir* in capite *De* البازي *albazi*, ſeu *accipitre.* Ibi ſcilicet habentur accipitrum quinque ſpecies. 1. بازي *baz* propriè dictus, cui *ab impetu* nomen eſt. 2. زرق *Zorrak*, id eſt, *oculis cæſius.* 3. باشق *baſak*, *Arabicè* dictus *ab acuto viſu*, quamvis *Perſicum* eſſe plerique velint. 4. بيذق id eſt, *vilis.* 5. عصفي *aſphi*, id eſt, *qui fertur in modum turbinis.* In his *baſak* ſic deſcribitur.

هو ايضا حار المزاج عليه القلق الزعارة يانس وقتا ويستوحش وقتا وهو قوي النفس فاذا انس منه الصغير بلغ صاحبه من صيده المراد وهو خفيف المحمل ظريف الشمايل يليق بالملوك ان تخدمه لانه يصيد افخر ما يصيده البازي وهو الدراج والحمام والورشان وهو كثير الشبق وهو قوي عليه صيده لا يتركه الي ان يتلف احدهما واجمل اوصافه ان يكون صغيرا في المنظر ثقيلا في الميزان طويل الساقين قصير الفخذين *Ille etiam eſt calidi temperamenti, ac proinde inquietus, & pravæ indolis, & quandoque eſt cicur, quandoque ferus. Reſpiratio eſt fortis: Cùm parvus cicuratur, dominus ejus ſecundo vento prædam ſuam conſequitur. Et faciliùs fertur, & naturâ eſt ſolers. Uſus ejus Regibus maximè convenit; quia venatur nobiliora quàm* albazi, *nempe attagenes, columbas, & turtures. Eſt multæ libidinis. Si avem aggreditur ſe fortiorem, eam non dimittit, donec pereat alteruter. Maximè probantur, qui ſunt ſtaturâ parvi, pondere graves, longi cruribus, femoribus breves.*

Quarta interpretatio eſt in *Arabica Eſaiæ* Paraphraſi, ubi pro *Hebræo* ינשוף *janſuph*, & *Græco* ἶβις, legere eſt الحباري *albubara*, quod *Gabriel Sionita* perperam *bubones* reddit, cùm حباري *hubara* ſit *otis*, ſeu *tarda* ſi mavis. Ità reddunt *Avicennæ* interpretes lib. 2. in capite *De ovis*: neque aliter reddiderant capite *De ſtercore*; quamvis ſcribarum imperitia *tardam* in *turdum* mutaverit. Ità etiam *Andreas Bellunenſis* in *Explicatione nominum* Arabicorum *Avicennæ. Lexicographi* quoque, ut *Miggeius, Golius* &c. Et veram eſſe explicationem docet ejus deſcriptio in *Ibenbitare* ex *Aſſariphe* هو طاير كبير العنق رمادي اللون في منقاره بعض الطول وهو مشهور لحمه بين لحم الدجاج ولحم البط وهو اخف من لحم البط

البط لانه بري وفيه شي من الغلظ *Avis eſt magni colli, cinerei coloris, roſtri utcunque longi, notiſſima* (nempe in Oriente) *carnis inter gallinaceam & anſerinam media; ſed anſerinâ levioris: quia terreſtris eſt avis, quamvis aliquid craſſum habeat.* Addit *Damir*, وسلاحها سلاحها *Et ſtercus ejus illi pro telo eſt*, ludens in ambiguo vocis, سلاح quæ & ſtercus & *telum* ſonat. Rem ità explicat *Alkazuinius*,

اذا تصدها الصقر لا يزل يعلوا وينزل مع الصقر حتي تجد فصة فرماه بدرقه يبقا الصقر مقيدا مثل المكتوف فعند ذلك يجتمع الحباريات وينتف ريشه وفي ذلك هلاك الصقر

Cùm eam inſequitur accipiter, non ceſſat cum accipitre aſcendere & deſcendere, donec in ejus pupillam incidens ſtercus in eam conjecerit. Quo facto, conſtrictus manet accipiter, ut qui manibus pedibusque vinctus eſt. Tum verò convenientes otides accipitris plumas vellicant, unde illi certa mors. Quò *Poëta* alludens hæc habet de quodam, qui inter fugiendum præ metu cacaverat;

وهم تركوه اسلح من حباري ✵
راي صقرا واشرد من نعام ✵

Et eum reliquerunt otide quæ accipitrem vidit merdoſiorem, & ſtruthione fugaciorem. Eandem ajunt eſſe mœſtiſſimam, & mœrore conſici, cùm plumæ poſt defluvium tardè recreſcunt: atque inde natum eſſe vulgatum Adagium اكمد من الحباري *Otide mœſtior.* Additur, ova propria deſerere, ut aliena foveat. Sed hoc crimen *Damir* diluit, ut alibi (*a*) diximus. Ovis ejus utuntur ad denigrandos capillos, ſed nonniſi maſculinis, id eſt, unde mares naſcituri ſunt; quæ ſtilo inſerto dignoſcuntur: illud enim è maſculino ovo nigrum educitur. Lapis in ingluvie latet, quo profluvium ſiſtitur, & prohibentur ſomnia. *Otis Perſicè* vocatur جرز *gerez*. Mas *Ægyptiacè* حبرج *hubarig*. Pullus *Arabicè* نهار *nehar*, ut perdicis ليل *lail*. Quæ duæ voces cùm *diem* & *noctem* vulgò ſonent, in æquivocatione *Poëta* quidam jocum ità quæſiit;

(*a*) Cap. 17. pag. 251. lin. 10. ſupra.

ونهار رايت نصف ليل ✵
وليل رايت وسط النهار ✵

Quibus videtur dicere ſe diem vidiſſe mediâ nocte, & noctem medio die, cùm ibi نهار & ليل *diem* & *noctem* non ſignificent, ſed *otidis* & *perdicis pullos*. Multa hujusmodi poſſem addere, ſi hæc res ageretur, ex *Abenbitare, Damire*, & *Alkazuinio* petita: ſed obſervâſſe ſufficiet in hujus avis deſcriptione unum eſſe, in quo *Arabes Græcis* ſunt διάμετρον oppoſiti. *Græci* enim eam aſſerũt brevis eſſe & tardi volatûs, propter corporis gravitatem. *Xenoph.* in *Cyro minore* lib. 1. Τὰς δ' ὠτίδας, ἄν τις ταχὺ ἀνιστῇ, ἔστι λαμβάνειν· πέτονται γὰρ βραχὺ, ὥσπερ πέρδικες, καὶ ταχὺ ἀπαγορεύουσι. *Otidas autem, ſi quis gravius inſtet, capere licet: parum enim volant, ut & perdices, & citò fatiſcunt.* Et *Athenæus* libro nono. ad hunc *Xenophontis* locum, Ἀληθῆ λέγειν φησὶ τὸν Ξενοφῶντα ὁ Πλούταρχος περὶ τῶν ὠτίδων· *De otidibus* Xenophontem *vera prodidiſſe refert* Plutarchus. *Ælianus* libri quinti capite vigeſimo quarto, *Sola avium otides caneſtiment*; τὸ αἴτιον, βαρεῖαι τε εἰσὶ, καὶ σαρμῶν (lege σαρκῶν) ὄγκον περιφέρουσιν, *quia graves ſunt, & carnium pondus circumferunt. Ac proinde eas ala non facilè attollunt, & allevant. Unde eſt, quòd, mole corporis onuſta, demiſſo volatu utuntur, & propè terram, & à canibus ſæpe capiuntur.* Atque ob id ipſum *tardæ* videntur dictæ. *Plinius* libri decimi capite vigeſimo ſecundo, *Proxima eis* (ſtruthionibus) *ſunt, quas* Hiſpania *aves tardas appellat*, Græcia *otidas*. *Gloſſæ* veteres, *Avis tarda*, ὦτος: lege ὠτίς. Nam *otus* alia eſt avis. *Gloſſæ Philoxeni*, Ὠτὶς τὸ ὄρνεον, *Avis tarda*. *Hiſpani* proinde hodieque *abeſtardas* vocant, ut nos *ouſtardes*. Illas tamen *Arabes* etiam à volatu commendant. *Damir*

وهي من اشد الطير طيرانا وابعدها شوطا وذلك انها تصاد بالبصرة فيوجد في حواصلها الحبة الخضر التي شجرها البطم ومنابتها في تخوم ارض الشام ولذلك قالوا في المثل اطير من الحباري *Avem eſſe fortiſſimi volatûs, longiſſimeque evagari ex eo patet, quòd, cùm capitur circa* Baſoram (ad *Euphratis* oſtia) *in ingluvie ejus reperitur granum viride, cujus arbor terebinthus creſcit in finibus* Syriæ Damaſcenæ. *Unde eſt, quòd vulgato Proverbio dicimus aliquem eſſe "Otide volaciorem*, ſi verbo datur venia.

Porrò ex tot verſionibus vocis ינשוף *janſuph*, *Syram* & *Chaldæam* præfero, quâ קפופא *kiphupha*, redditur, id eſt, *bubo*. Conſtat enim ינשוף *janſuph*, ab *Hebræo* נשף *neſeph*, deduci, quòd *crepuſculum* & *tenebras* ſonat. Unde valde veriſſimili ratione colligitur hanc avem eſſe nocturnam. Sic *Arabicè* رامسات *ramiſath* in *Alcamus* ſunt *aves*, *quæ noctu volant*, الطير التي تطير بالليل quia *Chaldæis* & *Syris* ܪܡܫܐ *ramſa* eſt *veſpera*. Et *Eſa.* 34. v. 11. ad *Idumææ* vaſtitatem pertinet, non ut ibis, aut accipiter, aut otis, ſed ut in ea habitet bubo; de quo *Plinius* libri decimi capite duodecimo: *Deſerta incolit, nec tantùm deſolata, ſed dira etiam, & inacceſſa, noctis monſtrum.* Et Feſtus, *Buteo vaſtitatis eſt cauſa, his locis, quæ intraverit, ut bubo.* Et idem cum corvo rectè jungitur, cùm avis utraque feralis & inauſpicata ſit, & in voce dirum aliquid & ominoſum habeat. Proinde caput integrum *Plinius* habet *De inauſpicatis avibus. cornice, corvis, bubone.* Ubi de cornice dicit, *Ipſa eſt ales inauſpicatæ garrulitatis.* Et de corvo, *Peſſima eorum ſignificatio, cùm gluttiunt vocem, velut ſtrangulati.* Et de bubone, *Bubo funebris, & maximè abominatus publicis auſpiciis*, &c. *Nec cantu aliquo vocalis, ſed gemitu. Itaque in urbibus, aut omnino in luce viſus, dirum oſtentum eſt.* Hinc Ovidius *Metamorpho-*

morphoſeus libri quinti Fabulâ octavâ de *Aſcalapho*,

Fœdaque fit volucris, venturi nuntia luctûs,
Ignavus bubo, dirum mortalibus omen.

Et libri decimi Fabulâ decimâ,

—— ter omen
Funereus bubo lethali carmine fecit.

Et libri decimi quinti Fabulâ quinquageſimâ primâ,

Triſtia mille locis Stygius *dedit omina bubo.*

Et *Virgilius* libro quarto *Æneidos.*

Solaque culminibus ferali carmine bubo
Viſa queri. ——

Et *Statius* libri tertii *Thebaidos* verſu 511.

Nocturnæque gemunt ſtriges, & feralia bubo
Damna canunt. ——

Et *Seneca* in *Hercule Furente* verſu 686.

Hic vultur, illic luctifer bubo gemit.

Et auctor *Philomelæ*,

Bubulat horrendum ferali carmine bubo.

Et *Apuleius* libro tertio *Metamorphoſeus* de bubonibus, *Quid quòd iſtas nocturnas aves, cùm penetraverint larem quempiam, ſollicitè prehenſas foribus videmus adfigi, ut quod infauſtis volatibus familiæ minantur exitium, ſuis luant cruciatibus?* Jam, ſi *Hiſtoricos* conſulas, apud *Dionem* in morte *Auguſti*, cùm decreviſſet Senatus, ut publicè ſupplicaretur propter ejus valetudinem, τότε συνέδριον κεκλεισμένον ηὑρέθη, καὶ βύας, ὑπὲρ αὐτοῦ καθήμενος ἔβυξε, *curia clauſa reperta eſt, buboque, qui ſuper eam conſederat, bubulavit.* Et in morte *Commodi*, Βύας ἀπ' αὐτοῦ (Καπιτωλίου) ἔβυξε. *Bubo ex* Capitolio *bubulavit.* Ita ille ipſe *Herodes Agrippa*, qui *Cæſareæ* ab inſana plebe pro Deo ſalutabatur *Act.* 12. v. 22. ἀνακύψας μετ' ὀλίγον, τὸν βουβῶνα τῆς ἑαυτοῦ κεφαλῆς ὑπερκαθεζόμενον εἶδεν ἐπὶ σχοινίου τινὸς, ἄγγελον τοῦτον εὐθὺς ἐνόησεν κακῶν εἶναι, τὸν καὶ ποτε τῶν ἀγαθῶν γενόμενον, *paulo poſt ſuſpiciens, bubonem ſupra caput ſuum vidit funi cuidam inſidentem, quem ſenſit malorum eſſe nuntium, ut olim bonorum fuerat.* Nempe cùm olim, juſſu *Caii Caligulæ* vinctus, arbori inniteretur, cui bubo inſederat, prædixerat *Germanus* quidam fore, ut brevi, mutatis rerum vicibus, ad ampliſſimam dignitatem eveheretur. *Memento tamen*, inquiebat, ὁπότε εἰς αὖθις τὸ ὄρνεον θεάσαιο τοῦτο, πέντε ἡμέραις σοι τὴν τελευτὴν ἐσομένην, *quandocunque hanc avem denuò conſpexeris, intra quinque dies te eſſe moriturum.* Utrumque in *Joſepho* legitur libri decimi octavi capite octavo, & libri decimi noni capite ſeptimo. Unde apparet, cur *Agrippa* moriturus eundem bubonem malorum ἄγγελον ſeu *nuntium* eſſe dixerit, qui bonorum olim fuerat. Tamen hunc *Joſephi* locum *Euſebius* ità deſcripſit, Ἀνακύψας δὲ μετ' ὀλίγον τῆς ἑαυτοῦ κεφαλῆς ὑπερκαθεζόμενον εἶδεν ἄγγελον, bubonis mentione omiſsa; quaſi ſignificetur ille Angelus, à quo Rex percuſſus fuiſſe legitur *Actor.* 12. v. 23. quod non leve eſt παρόραμα.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

Probatur תנשמת *thinſemeth*, eſſe Noctuam.

Vocis ambiguitas: Græci porphyrionem *explicant Hieronymus* cygnum, *Jonathan* אותיא, otum, *Onkelos* בותא, βύαν bubonem, *qui* Arabicè البوه albuho, *Syrus* ܟܘܟܒܐ cocabi, *quod neque* ἀστερίαν, *neque* cocabenum *ſonat, ut nonnullis videri queat, ſed* noctuam: *cujus proprium* cucubare, *& vox* κικκαβαῦ. *Unde ipſa avis* Græcè κικκαβὰ, κοκκυβὰ, κυκυβά. Heſychius *obiter emendatus*, Glaucipiſces κυκυβάϊαι. *Samaritano etiam* ࠒࠐࠊࠐ *kaphapha* noctua. Arabes *hic habent* الشاهين τὸν ſahin, *falconis genus, de quo plura.* Hebræis *quoque* תנשמת, noctua, *ſic dicta, quia* שום, obſtupeſcit *quisquis eam videt: optimè. Unam vocem poſſe habere duas origines: unam formæ; alteram ſignificationis ratione: quod probant multa exempla. Sic* תנשמת, *tam à* שמם, *quàm à* נשם. *Noctuam mirantur aliæ aves, vel propter inſolitam formam, vel juxta fabulam propter horrendum ſcelus à* Nyctimene *admiſſum, quæ in noctuam mutata eſt. Itaque noctuâ utuntur aucupes ad aviculas capiendas, quod* Ariſtoteli θαυμάζειν. *Plura de hoc aucupio. De ſtupenda noctuæ forma.* Nazianzeni *locus inſignis.*

VOx תנשמת *thinſemeth*, *Hebrais* eſt valde ambigua. Nam *Levit.* 11. v. 30. eſt inter lacertorum ſpecies, ut ſuo loco dictum. At ejusdem capitis verſu decimo octavo, in quo verſamur, avis immundæ genus eſt. *Græci* πορφυρίωνα explicant, avem aquaticam in *Libya*, & *Comagene Syriæ*, ſic dictam à colore roſtri, & pedum: nam pennæ ſunt cœruleæ. *Hieronymus cygnum* hic habet. *Jonathan*, אותיא *otja*, id eſt, *otum*, ut quidem puto, avem ab otide natura diverſiſſimam, quamvis nomine vicinam. Otus enim nocturna eſt avis, de qua ſic *Philoſophus* libri octavi capite duodecimo; Ὁ δὲ ὦτος, ὅμοιος ταῖς γλαυξὶ, καὶ περὶ τὰ ὦτα πτερύγια ἔχων. ἔνιοι δὲ αὐτὸν νυκτικόρακα καλοῦσιν. ἔστι δὲ κόβαλος, καὶ μιμητὴς, καὶ ἀντορχούμενος ἁλίσκεται, περιελθόντος θατέρου τῶν θηρευτῶν, καθάπερ ἡ γλαύξ. *Otus autem noctuis eſt ſimilis, & circa aures habet pinnulas* (unde illi nomen.) *Nycticoracem nonnulli vocant. Scurra autem, & imitator eſt. Et* contra ſaltantem unum aucupum *viciſſim ſaltans capitur ab altero circumeunte, ut noctua.* Onkelos בותא *bautha*, vel *bavetha*, etiam avis nocturnæ genus, quæ *Græcè* βύας dicitur, *Latinè bubo*, & *Arabicè* البوه *albubo* à cantu. Quamvis etiam apud *Arabes* parùm conſtet quid propriè ſit البوه *albubo*. Damir, البوه طاير يشبه البوم الا انه اصغر منه والانثي بوهة ويشبه بها الرجل الاحمق Albuho *avis eſt ſimilis* τῷ album, *ſeu buboni, niſi quòd minor eſt. Fœmininum eſt* albuha. *Cum ea confertur, qui ſtupidus eſt.* Quod poſtquam probavit exemplo ex *Poëta* quodam petito, addit, وقيل البوه ذكر البوم وقيل البوه اكبر من البوم *Ab aliis* albuho *dicitur eſſe mas* album, *& rurſus ab aliis eſſe major* album, id eſt, bubo. Quod veriſſimum. Omnino enim البوه *albubo* eſt *Græcum* βύας, id eſt, *bubo*, quæ avis in nocturnis eſt maxima. Neque aliud *Chaldæum* בותא, quod linguæ more factum ex בוה: ut עותא *iniquitas* ex עוה: & כותא *feneſtra* ex כוה.

Jam ſcire operæ pretium eſt quorſum *Hebræum* תנשמת, *Syrus* reddat ܟܘܟܒܐ *cocabi*, quod prima fronte videbitur ἀστερίαν *ſtellarem* ſignificare. quia ܟܘܟܒ *cocab* eſt ἀστὴρ *ſtella*; & nomen ἀστερίας commune eſt multis avibus. Quandoque enim eſt aquilæ majoris Epithetum, quam alii *chryſaëton* vocant. *Ælianus Hiſtoriæ animalium* libri ſecundi capite

pite trigeſimo nono, Ἀκύα δέ τι καὶ γένος αἰετῶν, καὶ ὄνομα αὐτῶν χρυσαίετοι· οἱ δ' ἄλλοι δ' ἀστερίαν τ' αὐτὸν καλοῦσιν. Ità etiam *Michael Apoſtolius* Centuriæ ſecundæ Proverbio ſexto. Quandoque eſt accipitris genus. Sic ab *Ariſtotele Hiſtoriæ animalium* libri noni capite trigeſimo ſexto, in ſpeciebus accipitrum poſt buteonem, æſalonem, & circum, quartus cenſetur ὁ ἀστερίας. Eſt & in ardearum genere. *Ariſtoteles* libri noni capite undecimo, Τῶν δ' ἐρωδιῶν εἰσὶ τρία γένη· ὅ τε πελλὸς, καὶ ὁ λευκὸς, καὶ ὁ ἀστερίας καλούμενος. Unde *Plinius* libri decimi capite ſexageſimo, *Ardeolarum tria genera, leucon, aſterias, pellos*. *Ælianus* quoque *Hiſtoriæ animalium* libri quinti capite trigeſimo ſexto, cujus initium tale eſt, Ὄνομά ἐστιν ὄρνιθος ἀστερίας, &c. Plures igitur ſunt aves hujus nominis. Nempe *aſteriæ* ſeu *ſtellares* vocantur, quotquot aves punctis ut ſtellis picti, & diſtincti ſunt. Proinde cùm *aſterias* multarum avium ſit Epithetum, difficile erit definire, quænam à *Syro* potiſſimùm deſignetur voce ܟܘܟܒܝ *cocabi*, ſi quidem *ſtellarem* ſonet. Quid, quòd id ipſum ܟܘܟܒܝ *Cocabi* poteſt *Cocabenum* ſignificare, id eſt, *Cocabæ* natum? Cujus nominis in *Syria* & *Arabia* plura oppida. Unum in *Baſanitide*, de quo *Epiphanius* in *Nazaræis*, horum ſectam vigere ſcribens ἐν τῇ Βασανίτιδι τῇ λεγομένῃ Κωκάβῃ, Χωχάβῃ δὲ Ἑβραϊστί. Et in *Ebionæis*, Ἀρχὴν μὲν τὴν κατοίκησιν ἔσχεν ἐν Κωκάβῃ τινὶ κώμῃ ἐπὶ τὰ μέρη τῆς Καρναΐμ, Ἀρνὲμ, καὶ Ἀσταρὼθ ἐν τῇ Βασανίτιδι χώρᾳ. Et infra, Ἀπὸ Μωαβίτιδός τε, καὶ Κωχάβων τῶν ἐν τῇ Βασανίτιδι, ἐπέκεινα Ἀδράων. Et in *Archonticis* de *Eutacto* ſectæ principe, Κατῴκησεν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ ἐν Κωχάβῃ, ἔνθα αἱ τῶν Ἐβιωναίων τε καὶ Ναζωραίων ῥίζαι ἐνήρξαντο. Sunt alii *Cochabeni*, vel *Cauchabeni* in *Arabia Deſerta*, de quibus *Ptolemæus* libri quinti capite decimo nono: Κατέχουσι δὲ τῆς ἐρήμου ταύτης Ἀραβίας, τὰ μὲν παρὰ τὸν Εὐφράτην ποταμὸν Καυχαβηνοί. Et paulò poſt, Ὑπὸ μὲν τοὺς Καυχαβηνοὺς Αἰσῖται. Eſt & in *Damaſcena* valle كوكبا *Caucaba* oppidum, cujus meminit *Nubienſis Geographus* Clim. 3. part. 5. Et in *Alcamus* كوكب *Caucab* eſt caſtrum *Tiberiadis*, & كوكبان *Caucaban Arabiæ Jemamiticæ*. Potuit igitur ab hujuſmodi loco vocari כוכבי *cocabi*, vel *caucabi*, avis aliqua inde oriunda. Tamen aliud conjectamus, nempe כוכבי *cocabi*, eſſe *noctuam*, & *Syrum* interpretem hic *Chaldæis* aſſentiri, quibus תנשמת *thinſemeth*, eſt אוחיא, *otus*, vel בותא, *bubo*, aves noctuæ ſimillimæ. Noſtra hæc conjectura his nititur rationibus. Noctuæ *cucubare* dicuntur. Auctor *Philomelæ*,

Noctua lucifuga cucubat in tenebris.

Et *Ariſtophanes* in *Avibus* noctuarum cantum exprimit geminatâ voce κικκαβαῦ, κικκαβαῦ. Et ipſæ dicuntur κικκάβαι, ut ibi habet *Scholiaſtes* (Κικκαβαῦ) τὰς γλαῦκας οὕτω φωνεῖν λέγουσιν, ὅθεν καὶ κικκάβας αὐτὰς λέγουσιν. Alii κυκκάβας malunt. *Heſychius*, κοκκοβάρη. γλαῦξ. Reſcribe, Κοκκοβὰ, ἡ γλαῦξ. Scriptum etiam Κικυβᾶ, unde κικυβαῖαι, *glauci piſces*, quia τῇ γλαυκὶ, id eſt, *noctuæ* concolores. *Oppiani Scholiaſtes* ad libri primi *Halieuticῶν* verſum 170. Γλαυκοὶ, αἱ κικυβάαι. Proinde *Syrum* ܟܘܟܒܝ *cocabi* hic eſſe pro *noctua* valde veriſſimile eſt: Sed & eodem pertinere puto *Samaritanum* ࠊࠐࠊࠐࠄ *kaphapha*, ut *Chaldæum* קפופא *kephupha*. Ità ut *Chaldæi* duo, *Syrus* & *Samaritanus* ferè idem intelligant *Hebræâ* voce תנשמת *thinſemeth*.

Sed *Arabes* duo شاهين *ſahin* hic habent, quod *Giggeius* ineptè reddit *cygnum*, aut *porphyrionem*: cùm *ſahin* ſit avis prædatrix, & è numero τῶν γαμψωνύχων. De qua *Alkazuinius*, طير معروف من جوارح الطير عدو الحمام اذا راه الحمام يعتريه ما يعتري الشاه من الذيب والفار من الهر والحمام اسرع طيرانا منه الا انه اذا راه يضعف عن الطيران خوفا واذا راته السلحفاه ويعطيه ظهرها فلا يعمل منقار الشاهين فيها فيحملها الشاهين ويصعد بها نحو السما ويرميها على حجر صلد لتتكسرت فياكلها واذا مرض الشاهين اكل الذراريح يزول مرضه *Avis nota ex rapacium genere. Avis eſt columbis inimica. Columba ſcilicet, viſo τῷ* ſahin, *id ipſum accidit, quod ovi, lupo; & muri, fele conſpecto. Columba enim, cùm eum volatu ſuperet, tamen illo viſo præ metu debilitatur. Teſtudo illi tergum obvertit, in quod nihil poteſt roſtrum τοῦ* ſahin: *ſed is arreptam attollit uſque ad cælos, & in durum lapidem projicit, ut confractam comedat.* Sahin *æger cantharidum eſu ſanatur.* Et *Damir*, poſtquam docuit in Plurali dici شبواهين *ſaivvahin*, & شياهين *ſajahin*; & vocem in uſu eſſe apud *Arabes*, quamvis ſit peregrina; & ejus tres eſſe ſpecies, 1. *ſahin* propriè dictum; 2. قطامي *kotami*, id eſt, *carnis avidum*; 3. انيقني *aniki*, vel, ut aliud exemplar habet, اسقني *aski*: primam ſpeciem ita deſcribit, الشاهين في الحقيقة من جنس الصقر الا انه ابرد وايبس منه مزاجا ولاجل ذلك تكون حركته من العلو الي اسفل شديدة ولهذا ينقض على صيده انقضاضا من غير تحويم وعنده جبن وفتور وهو مع ذلك شديد الضراوة على الصيد ولاجل ذلك ربما ضرب بنفسه الارض ومات وعظامه صلب من عظام ساير الجوارح وبعضهم يقول الشاهين كاسمه يعني

يعني الميزان لانه لا يحتمل ادني حال
من الشبع ولا ادني حال من الجوع
المحمود من صفاته ان يكون
عظيم الهامة واسع العينين رحب
الصدر ممتلي الزور عريض الوسط
(a) غليظ الفخذين قصير (b)
الساعدين قليل الريس رقيق الذنب
اذا صلب عليه جناحيه لم يفضل
منه شي واذا كان كذلك صاد
الكركي وغيره Sahin *verus eſt ex* ſacrorum *genere, niſi quod eſt frigidioris & ſiccioris temperamenti, ac proinde motus ejus maximè valet ex alto in inferiora. Unde eſt, quod in prædam ſuam deſcendit abſque ullo circuitu. Et quamvis naturâ torpeat, & remiſſus ſit, tamen tanto impetu fertur ad aucupium, ut quandoque ſemet in terram præcipiti lapſu dejiciat, & moriatur. Oſſa tamen habet duriora, quam rapacium ullius alius. Sunt, qui nomen* ſahin ſtateram *ſignificare aſſerunt; quia nec tantillum famis, nec tantillum ſaturitatis poteſt ferre hæc avis. Laudatiſſimus in eo genere, qui capite eſt magno, amplis oculis, lato pectore, plenâ pectoris ſummâ parte, mediâ latâ, denſis coxis, brevibus brachiis* (al. *cruribus,*) *paucis plumis, tenui caudâ. Si cum his notis robuſtas alas habeat, nihil erit præſtantius, & grues venabitur, atque alias aves hujuſmodi.* Sequitur, hoc aucupium primum auctorem habuiſſe *Conſtantinum, Romanorum* Imperatorem, qui

(a) Al. جليل
(b) Al. الساقين

الشواهين *ſahinos* habuerit ſupra caput ſuum volare edoctos, & umbram ipſi facere, ne à Solis æſtu torreretur. Sed & librum *Gallicum* penes me habeo, cui titulus, *Conference des fauconniers*, id eſt, *Accipitrariorum collatio.* In eo *ſahini* collatione decimâ ſic deſcribuntur, *Les* ſahins *ſont des faucons de haute maille, qui ont la teſte plate au deſſus, & le pennage bordè de blanc, & encores egalè de roux. Dont il ſemble, que la nature leur ait mis ſur la teſte une guirlande, ou couronne, pour marque de leur excellence. Bref, ce ſont les faucons, qu'anciennement on nommoit* pelerins, *ou faucons* Tartares, *bien que ce fuſt improprement parlè.* Et ampliſſimus *Thuanus*, poſtquam *Peregrinum* vocari dixit, quia natales habet incertos, eum ità deſcribit *Rei accipitrariæ* libri primi paginâ decimâ quartâ,

——— magnum caput, ardua cervix,
Depreſſus vertex: hinc candida linea utrumque
Per tempus tranſverſa coit, patulumque coronat
Culmen, & in ramos plures cervice reflexâ,
Tandem abit, artificis præcingens colla catenâ.
Immane haud ità corpus; at illi longaque coxa,
Subtileſque alæ, brevia illi crura, breviſque
Cauda per adverſum celeres regit aëra niſus.

Cætera ibi vide, & cum *Arabum* deſcriptione convenire reperies.

Hebræi quoque hic habent partes ſuas, & ad hoc verbum *R. Selomo*, היא קלבא שורץ הדומה לעכבר הפורח בלילה, Gallicè *vocatur* calve-ſouris (*chaune-ſouris*, id eſt, *veſpertilio*) *quæ muri ſimilis eſt, & noctu volat.* Tamen *Kimchius* in *Lexico*, כתב רשי ז״ל כי היא הנקרא צואיטא, *Scripſit* R. Selomo Jarchi *beatæ* *memoriæ, id eſſe animal, quod* Gallicè *vocatur* chovettè; *id eſt, noctua.* Utùt ſit, *Hebræorum* doctiſſimi, *Baal Hatturim, Aben Ezra, Kimchius*, &c. avem eſſe volunt, quæ ſic dicitur, quia כל־ רואה אותה ישום *quiſquis illam videt miratur, & obſtupeſcit.* Quod ſane intelligendum eſt: nam *mirari*, vel *obſtupeſcere*, eſt שמם, unde ut deducatur ת שמת *thinſemeth*, non patitur forma Nominis, quam ad נשם, *naſam* pertinere palam eſt. Sed in illa lingua fieri poteſt, ut idem Verbum duas habeat origines, unam ratione formæ, alteram ratione ſignificationis. Neq; pauca verba reperies, quæ cùm formam habeant à Defectivis *Pe-Nun*, quale eſt נשם *naſam*, ſignificationem ſumunt à geminantibus ſecundam, quale eſt שמם *ſamam*. Ità נחילות *nechiloth*, tibiæ ſpecies *Pſ.* 5. *v.* 1. formam habet à Verbo נחל *nachal, poſſidere*; ſed ſignificationem à Verbo חלל *chalal, perforare*, unde etiam חליל *chalil*, eſt *tibia*, Eſ. 5. *v.* 12. & חלילים *chalalim*, id eſt, *tibia*, Jer. 48. v. 36. Et vox נכסים *necaſim*, id eſt, *opes*, parti ratione deducitur à כסס *caſas*, id eſt, *numerare*. Et נארים *nearim*, id eſt, *maledicti*, Pſ. 89. v. 10. tanquam à נאר ſignificationem habet ab ארר *arar*, id eſt, *execrari*. Et *Eſ.* 22. *v.* 7. verba המסכה הנסוכה, *velamen obductum*, & *Eſ.* 30. *v.* 1. ולנסך מסכה, *& ad obducendum velamen*, quamvis deducta à Verbo נסך *naſach*, quod eſt, *fundere*, ſignificationem tamen mutuantur à Verbo סכך, *ſachach*, quod *tegere* eſt, & *obducere*. Et *Lev.* 24. *v.* 11. 16. נקב *nakab*, i. e. *perforare*, ter uſurpatum reperies pro קבב *kabab*, i. e. *maledicere*. Sed, nè longius exempla petantur, ut תנשמת *thinſemeth*, ità etiam נשמה *neſama, anima* propriè *rationalis*, ratione formæ eſt à Radice נשם *naſam*, at ratione ſignificationis deduci volunt à voce שמים *ſamajim*, quæ *cælos* ſonat; quia

Igneus eſt olli vigor, & cæleſtis origo.

Kimchius *in* Lexico, לא מצאנו נשמה חוץ מנשמת האדם ורבים אמרו שנקראת כן בעבור שהיא מן השמים ואם הם שנים שרשים נמצאו כמוהו רבים *Vocem* neſama *non reperimus, niſi de anima humana; quam ita vocari multi aſſerunt, quia venit è cælis: & ſi ſint licet duæ Radices, multa hujuſmodi inveniuntur.* Ex his igitur exemplis patet etiam vocem תנשמת *thinſemeth*, poſſe revocari ad Verbum שמם *ſamam* (quod *mirari* ſignificat, & *ſtupore percelli*) prout affirmari docuimus ab *Hebræorum* doctiſſimis. Quo dato, valde erit veriſſimile תנשמת, eſſe noctuam, cujus inſolitâ formâ reliquæ aves obſtupeſcunt. *Timo* Sillographus apud *Laërtium*, & *Heſychium Illuſtrium*, de *Arceſilao*;

Οἱ δέ μιν ἠΰτε γλαῦκα πέριξ σπίζαι ἐκρατοῦντο,

Illum autem mirabantur ut aviculæ, quæ noctuam circumſtant. Lucianus *in* Harmonide, Ἔνθα ἂν ἐγὼ φανῇς, συνθέουσιν ἐπὶ σε πάντες, ὥσπερ ἐπὶ τὴν γλαῦκα τὰ ὄρνεα· *Ubicunque viſus fueris, omnes ad te concurrunt; ut ad noctuam* aliæ *aves. Dio Chryſoſtomus* de eadem in *Olympico* ſermone, ſtatim initio; Ἐκείνην περιίπτασι τὰ ἄλλα ὄρνεα, ὅταν ἴδῃ μόνον, τὰ μὲν καθιζόμενα ἐγγύς, τὰ δὲ κύκλῳ περιπετόμενα, &c. Οἱ δὲ ἄνθρωποί φασιν, ὅτι θαυμάζει τὴν γλαῦκα τὰ ὄρνεα· *Illam ſequuntur aliæ aves; & cùm ſolum vident partim propè aſſident, partim in gyrum circumvolant, &c. Homines autem dicunt aves mirari noctuam.* Aliud comminiſcuntur fabularum architecti, nempe aves illam admirari, & ad ejus conſpectum obſtupeſcere, propter horrendum ſcelus ab illa olim admiſſum. *Servius* in librum primum *Georgicorum*; Nyctimene, *poſtquam cùm patre concubuit, & agnovit facinus, in ſylvis ſe abdidit, & lucem refugit; ubi Deorum voluntate converſa eſt in avem* (noctuam,) *quæ tanto ſcelere omnibus avibus eſt admirationi.* De *Nyctimene* plura vide in *Ovidii Metamorphoſeωs* libro ſecundo, & *Hygini* Fabulis 204. & 253. Quæ utùt fabuloſa ſint, tamen reliquas aves viſâ noctuâ ſtupere conſtat, & eo ſtupore detentas capi. *Ariſtoteles Hiſtoriæ* libri noni capite primo, Τὰ ἄλλα ὀρνίθια τὴν γλαῦκα περιπέτεται, ὃ καλεῖται θαυμάζειν, καὶ προσπετόμενα τίλλου-

τι. διὸ δὲ ὀρνιθοθῆραι θηρεύουσιν αὐτῇ παντοδαπὰ ὀρνίθια· *Cætera aviculæ noctuam circumvolant*, *quod* mirari *vocatur; advolantesque vellicant. Quapropter aucupes ea venantur aviculas omne genus.* Hinc *Ælianus Hiſtoriæ animalium* libri primi capite vigeſimo nono, Αἱμύλον ζῶον, καὶ ἐοικὸς ταῖς φαρμακίσιν ἡ γλαύξ· *Pellax animal, & veneficis ſimile eſt noctua.* Et poſtquam ab aucupibus circumferri docuit, ut illis ſit pro illice; Νύκτωρ μὲν αὐτοῖς ἀγρυπνεῖ, καὶ τῇ φωνῇ, οἱονεί τισιν ἐπαοιδαῖς γοητείαις ὑποσαρομένη, αἱμύλῳ τινὶ καὶ θελκτικῆς, τοὺς ὄρνιθας ἕλκει, καὶ καθίζει πλησίον ἑαυτῆς· ἤδη δὲ καὶ ἐν ἡμέρᾳ θήραμα ἕτερα τοῖς ὄρνισι προσῄει (lege προσφέρει) μωκωμένη, καὶ ἄλλοτε ἄλλην ἰδέαν προσώπου στρέφουσα, ἐφ᾽ ὧν αἱροῦνται, καὶ δεδίασι νεοσσοὶ νέοι πάντες ὄρνιθες, ἠρημένοι δὲ (lege θέᾳ) καὶ μοίᾳ γε (lege αἱμυλίᾳ γε) ἰσχυρῶς, ἐξ ὧν ἐκείνη μορφάζει· *Noctu quidem ipſis vigilat, & voce, ut cantu quodam magico blando & pellaci occultè ſparſo, aves allicit, & ſibi aſſidere facit. Interdiu verò alias avibus offert illecebras, iis illudens, & in aliam atque aliam ſpeciem vultum convertens, quibus capiuntur, & detinentur omnes aviculæ juniores, ſpectaculo & illecebris retentæ, per ea, in quæ ſe transformat.* *Phile* capite vigeſimo primo *De animalibus*,

Αἱμύλιον ἡ γλαὺξ ἢ φιλέσπερος φύσις.
Σκοπεῖν γὰρ εἰκὸς τὸν πανοῦργον τὸν δόλον.
Μωκωμένη τὰς ὄρνις ἡμέρας ὅλης,
Καὶ ποικίλῃ στρέφουσα μορφῇ τὴν θέαν,
Σαίνει τὰ μικρὰ τῶν ὑποπτέρων γένη.

Veſpertina noctua pellacis eſt naturæ. Ejus dolos intueri par eſt. Avibus totâ die illudens, & variis formis ſe ſpectandam exhibens, volucrium minoribus abblanditur. *Palladius* libri decimi capite duodecimo, *Nunc*, (Septembri menſe) *inamitibus apparetur aucupium noctua, cæteraque inſtrumenta capturæ, ut circa Calendas exerceatur* Octobres. *Petrus Creſcentienſis* libri decimi *De plantis & animalibus* capite decimo ſexto, quod eſt *De gimo, & gimetta*, id eſt, noctuâ mare, & fœminâ: *Admirantur eas reliquæ aves & videre cupiunt, ceu rem novam, ac inſolitam. Quamobrem homines, videntes alias volucres circumvolare gimo, & gimettæ, & eas cum aviditate plurima intueri, excogitaverunt novum aucupii modum: nempe, ut his avibus ad ſpectaculum propoſitis allectas cæteras viſco, aut retibus, ſibi quærant.* Meritò igitur *noctua* תנשמת, *thinſemeth*, dicta eſt, tanquam *ſtupenda*, & *mirabilis*, iis nimirum aviculis, quas, ſtupore perculſas, ad ſe convertit. Itaque non *Hebræi* ſolùm, ſed & è noſtris *Arias*, *Caſtalio*, *Schindlerus*, &c. *noctuam* reddunt. Et *Chaldæi* duo, *Syrus*, & *Samaritanus* idem ſequuntur. Pro corollario libet addere fabellam non illepidam de noctuæ deformitate ex *Gregorii Nazianzeni Jambicis* petitam Carmine vigeſimo ſecundo,

Τὴν γλαῦκ᾽ ἐπέσκωπτέ τις· ἡ δ᾽ ἐφύλαττεν
Τῶν σκωμμάτων ἕκαστον εὐστόχῳ λόγῳ.
Ὅσον κάρηνον! Τοῦ Διὸς δὲ πηλίκον.
Ἡ γλαυκότης δέ! Τοῦτο τῆς Γλαυκώπιδος·
Φθέγγῃ δύσηχον. Ἡ δὲ κίττα καὶ πλέον·
Τὸ λεπτόπουν πῶς; Ψὴρ δὲ σοί τι φαίνεται;
Ἐπεὶ δὲ πάντα ῥαδίως διέδρασε
Ἑνὶ κρατεῖται, καὶ σοφή περ οὖσ᾽ ὅμως.
Ἀλλ᾽, ὡς σοφή, σκόπησον· ὡς τούτων μὲν ἓν
Ἑνὶ πρόσεστι, σοὶ δ᾽ ἅπαντα καὶ λίαν·
Γλαυκή, δύσηχος, λεπτόπους, βαρυκράνος.
Τούτοις ἀπῆλθεν ἐντραπεῖσ᾽ ἡ φιλτάτη.

Noctuam aliquis irridebat. Illa autem unumquodque ſcommatum ſolerti ſermone eludebat. Obj. *Quale caput!* Reſp. Jovis *autem caput quale eſt.* Obj. *Glaucedo autem?* Reſp. *Hoc* Minervæ *proprium cæſiis oculis Deæ.* Obj. *Inſuaviter cantas.* Reſp. *Pica etiam inſuavius.* Obj. *Pedis tenuitas quomodo* (ſupple *excuſabitur?*) Reſp. *De ſturno quid tibi videtur? At, poſtquam omnia facilè diluiſſet, in uno victa eſt. quantumvis ſapiens.* Obj. *Sed, ut ſapiens, animadverte, harum quidem ſingula ſingulis ineſſe, in te verò omnia, & ſupra modum: cùm & glaucaſis, & cantu rudis, & pede tenuis, & capite gravis. Ad quæ verba pudore ſuffuſa abiit bona noctua.*

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

Probatur קאת *kaath*, eſſe *Pelicanum*, & *Ardeam*, præcipuè *ſtellarem*, id eſt, *Butaurum*.

קאת kaath, *Græcis, & Hieronymo*, pelicanus; *Jonathani, & Syro*, ܩܩܐ kaka; *Arabibus* قوق kuk, *&* قيق kik; *ità etiam* Talmudicis, *qui oleum* kik *huc referunt. Tamen Arabicè* kuk *&* kik, *aves diverſæ: illa eſt avis aquatica longo collo; hæc* cornix. *Neque hinc oleum* kik: *ſed ex plantâ* Ægyptia kiki, *de qua multi veteres. Jonæ* kikajon, *Arabicè* elcheroa. *Talmudicis* kiki *ſimilis ſeluliba, vel idem juxta* Geonim: *quorum locus mendoſus corrigitur.* Sili, ſeſamum ſylveſtre, σιλλικύπριον, σισελὶ κύπριον, *idem quod* kiki. Pelicanus *à vomitu* קאת kaath, *dicitur: nam* קאה kaa, *eſt* vomere. Thau *finale pertinet ad formam nominis. Cur dicatur à vomitu.* Antigonus *emendatus. Ardeæ tribuunt* Ælianus *&* Plutarchus *quod alii pelicano. Pelicanus à nonnullis ardeis accenſetur, à quibus ſolo roſtro differt. Explicatur locus* Pſalm. 102. v. 7. *Ardeæ clara* vox, Homero *clangor. Stellaris, id eſt, butauri, mugitus tam horribilis, ut onocrotalo vix cedat.* קאת, *Beza* butaurus. *Aves aquaticas etiam in deſertis mentio poni non mirùm, cùm non omnia deſerta ſint inaquoſa.*

G*Ræcis* hic, & *Pſalmi* centeſimi primi (*Hebræis* centeſimi ſecundi) verſu ſeptimo קאת *kaath*, eſt *pelicanus*. *Hieronymo* etiam in loco *Pſalmi*, quamvis alibi eddat *onocrotalum*. *Onkelos*, & *Samaritanus* vocem *Hebræam* retinent. Et pro illa *Jonathan* & *Syrus* habent ܩܩܐ *kaka*; Arabs Erpenianus القوق *alkuk*, & alter القيق *alkik*. Neque aliter *Talmudici* ſcriptores. Ità *Talmud Babylonicum* Tractatu *Cholin* cap. 3. fol. 63. a. אמר רב יהודה קאת זו הקיק, *Dixit* R. Juda. *Kaath eſt kuk*, Itâ etiam *R. Iſmael* in *Talmude Hieroſolymitano*. Et pro קוק *kuk*, nonnulli קיק *kik*, ſcribunt. Proinde in Tractatu *De Sabbatho* cap. 2. fol. 21. a. *Rabbi Samuel* rogatus unde ſumatur שמן קיק, *oleum kik*, ità reſpondet: שאלתי לכל נחותי ימא ואמרו לי עוף אחד יש בכרכי הים וקיק שמו, *Illud ipſum quæſivi ab iis omnibus, qui in mare deſcendunt, qui dixerunt avem* kik *nomine reperiri in maritimis oppidis*. Et *Kimchius* in *Lexico* loca *Talmudis* ſic citat, quaſi ubique *kik* legerit. Verba ſunt, ובתלמוד אמר רב יהודה קאת זה הקיק ובתלמוד ירושלמי תני רבי ישמעאל קאת זה הקיק, *Et in* Talmude *dixit* Rabbi Juda *kaath eſſe kik*. *Etiam in* Hieroſolymitano Talmude *tradidit* Rabbi Iſmael *kaath eſſe kik*. *Arabes* quoque Paraphraſtas notavimus utroque modo ſcribere. Tamen apud illos قوق *kuk*, & قيق *kik*, multùm differunt. Nam قوق *kuk* eſt, طاير ماي طويل العنق *avis aquatica longo collo*. Ita definiunt *Alcamus* & *Damir*, ex libro, cui titulus العباب *Alodab*, id eſt, *Univerſitas*. Sed القيق *alkik* eſt *cornix*. *Damir* ità deſcribit, القيق طاير يعلى قدر اليمامة واهل الشام يسمونه ابو زريق وهو الوف للناس فيه قبول للتعليم وسرعة ادراك

ادراكي لما يعلم ويحاكي كلما يسمع وقد تقدم الكلام عليه في باب الزاي المعجمة Alkik *eſt avis accedens ad turturis magnitudinem, quæ ab incolis* Syriæ *vocatur* abu-zarik (*id eſt*, pater cælius.) *Habitat cum hominibus. In eâ eſt doctrinæ capacitas, & facilitas apprehenſionis eorum, quæ docentur. Et recitat quidquid audit. Sed de ea jam actum in capite de Ze.* Nempe ad vocem زاغ *Zag*, quod eſt *cornicis* vulgare nomen, quamvis alii *picam* exponant. Cùm igitur avis קק *kik*, nomine ab ave קוק *kuk*, ità differat, non debuerunt confundi.

Sed & graviter falluntur ii *Talmudicorum*, qui שמן קיק, *oleum kik* volunt ab ave ſumi, cum ſit κίκινον ἔλαιον, id eſt, oleum ex ejus plantæ granis expreſſum, quam *Ægyptii* KIKI' vocabant. Hujus meminerunt multi veteres. Sic *Herodotus* libri primi capite nonageſimo ſecundo, paluſtres *Ægyptios* uti dicit unguento ἀπὸ τῶν σιλλικυπρίων τοῦ καρποῦ, τὸ καλέουσι οἱ Αἰγύπτιοι KIKI', *ex fructu ſillicypriorum, quod Ægyptii* KIKI *appellant*. Et *Strabo* libro decimo ſeptimo in *Ægypti* deſcriptione, Καὶ τὸ KIKKI' (lege KIKI') καρπός τις σπειρόμενος ἐν ἀρούραις, ἐξ οὗ ἔλαιον ἀποθλίβεται. *Et* KIKI *fructus quidam eſt, ex quo, in arvis ſato, oleum exprimitur*. Et *Dioſcorides* libro quarto: KIKI', ἢ κρότων, &c. ἐξ οὗ ἀποθλίβεται τὸ λεγόμενον κίκινον ἔλαιον. Et *Plinius* libri decimi quinti capite ſeptimo, *Fit oleum & è* CICI *arbore in Ægypto copioſâ*. Hinc *Heſychius*, Κίκη, φυτόν· ſed reſcribendum Κικί. Atque id ipſum eſt *Jonæ* קיקיון *kikajon*; & *Arabum* الخروع *elcheroa*. Quod jam ante annos ferè mille trecentos ab *Hieronymo* eſt obſervatum. *Pro cucurbita, ſive hedera* (inquit *in Jonam*) *in* Hebræo *legimus* קיקיון: *quæ etiam linguâ* Syrâ *&* Punicâ elkeroa *dicitur*. Itaque in *Lexico Coptico* (a) KOYKI' *kuki* vox *Ægyptia* (pro qua ſcripſerim KIKI') *Arabicè* redditur حب الخروع *granum elcheroa*, vel *alcheroa*. Et in *Abenbitaro* capite خروع *cheroa*, *Dioſcoridis* verba de κικὶ, ἐξ οὗ ἀποθλίβεται τὸ λεγόμενον κίκινον ἔλαιον, *Arabicè* ità redduntur, ومنها يعتصر الدهن المسمى قيقي وهو دهن الخروع *Et indè exprimitur oleum, quod vocant oleum* KIKI, *quod eſt oleum* ALCHEROA. Quinetiam è *Talmudicis* ſunt, quibus *kik*, unde oleum, eſt idem, quod *kikajon*. *Talmud* ubi ſuprà, ריש לקיש אמר קיקיון דיונה אמר רבה בר בר חנה לדידי חזי לי קיקיון דיונה ולצלוליבה דמי, *Dominus* Lakis *dixit, Eſt* kikajon *Jonæ*. *Dixit* Rabba Bar, Annæ *filius*, *Me quod attinet, videtur mihi eſſe* Jonæ kikajon, *quæ planta eſt ſelulibæ ſimilis*. Imò eadem, ſi *ſelulibæ* verè ſit *Arabum* الخروع *alcheroa*, ut habetur in Reſponſionibus *Geonim*, id eſt, *illuſtrium Doctorum*, ubi *ſeluliba* definitur, אילן סרק יש במקומנו ועושה גרעינים ועושין מהן שמן ומין סממנין וכו׳ מי שיש בו צנה הרבה שותה ממנו ושמו בלשון ערבי אלכרוע ושמנו קורין דהן כרוע *Arbor ſterilis in terris noſtris proveniens, grana proferens, ex quibus fit oleum & rubri coloris ſpecies. Et quiſquis gravi frigore corripitur, ex hoc oleo bibit*. Arabicè *autem vocatur* alcheroa, *& oleum ejus oleum* cheroa. Ità citat *Baal Aruch*. Sed in *Kimchii Commentariis*, ubi profertur hic idem locus, nuſquam comparent verba ומין סממנין, *& rubri coloris ſpecies*. Itaque vel alicunde addita, vel corrupta fuiſſe ſuſpicor, & pro iis legendum ומין שמשומין, *& ſeſamorum ſpecies*: ut *ſeluluba*, vel *alcheroa*, ſignificetur eſſe inter ſeſami ſpecies, in quâ ſententia fuêre nonnulli veterum. *Plinius* libri decimi quinti capite ſeptimo, ubi de oleo factitio; *Proximum fit è* CICI *arbore in Ægypto copioſâ: alii crotonem, alii trixim* (vel *ſili* potiùs, ut legi vult *Salmaſius in Solinum*) *alii ſeſamum ſylveſtre appellant*. Auctarium ad *Dioſcoridem*, Κικὶ, ἢ κρότων, οἱ δὲ σήσαμον ἄγριον. *Arabs Pandectarius*, CICI Dioſcoridis, *aut ſeſamus agreſtis*, &c. *kerva* Arabicè. Notandum etiam in *Herodoto* vocari τὰ σιλλικύπρια, in Auctario *Dioſcoridis* σεσελὶ κύπριον, & in *Plinio ſili*, quæ voces videntur alludere ad barbarum *ſeluliba*. Sed hæc obiter; jam ad rem.

Hebræum קאת *kaath*, tam *Arabes*, quàm *Talmudici* nos docuêre idem eſſe, quod קוק *kuk*, & *kuk* avem eſſe aquaticam, & longo collo. Sed, cùm hoc non ſufficiat, quia multæ ſunt aves aquaticæ, & longo collo, *Græci*, & *Hieronymus pelicanum* nobis deſignant: quam verſionem ut veriſſimam amplector libens. Nam eò nos deducit origo vocis, quæ palam orta eſt à Verbo קאה *kaah*, id eſt, *vomere*. Hinc *Baal Hatturim*, הקאת דרכו להקיא מאכלו, Kaath *ſolet evomere cibum ſuum*. Et, nè putetur obſtare *Thau* finale, id *Rabbi Jonas* docet eſſe Nominis formativum, & veram Radicem eſſe קאה *kaah*. Et *Kimchius Poetam* citat, qui in Plurali dicit קאות *kaoth*. Itaque ut à פרה fit פרת, pro *Euphrate*, & שחת, *foſſa* à שחה, ità קאת, *pelicanus* à קאה. Et cur *à vomitu* dicatur iis non eſt obſcurum, qui pelicanum ſciunt conchas jam abſorptas revomere, poſtquam calore ventris apertæ ſunt, ut ex iis eſculenta legat. Quod veteres ſcriptores tanto conſenſu aſſerunt, ut res non poſſit in dubium revocari. *Ariſtoteles Hiſtoriæ* libri noni capite decimo, Οἱ δὲ πελεκᾶνες, οἱ ἐν τοῖς ποταμοῖς γινόμενοι, καταπίνουσι τὰς μεγάλας κόγχας καὶ λείας· ὅταν δὲ ἐν τῷ πρὸ τῆς κοιλίας τόπῳ πέψωσιν, ἐξεμοῦσιν, ἵνα χασκουσῶν τὰ κρέα ἐξαιροῦντες ἐσθίωσι. *Pelicani fluviatiles magnas levesque conchas deglutiunt, & in ſtomacho coctas evomunt, ut ex hiantibus carnes ablatas comedant*. Et in libro *Mirabilium*, Φασὶ τοὺς πελεκᾶνας τὰς ἐν τοῖς ποταμοῖς γινομένας κόγχας ὀρύττοντας καταπίνειν· ἔπειτα, ὅταν πλῆθος εἰσφορήσωσιν αὐτῶν, ἐξεμεῖν, εἶθ' οὕτω τὰ μὲν κρέα ἐσθίειν τῶν κογχῶν, τῶν δ' ὀστράκων μὴ ἅπτεσθαι. *Pelicanos conchas, ex amnibus effoſſas, vorare ajunt, harumque copiam ingeſtam mox evomere, ut ſic, ad eſum lectis carnibus, à teſtis abſtineant*. Antigonus Caryſtius *Hiſtoriâ* quadrageſimâ ſeptimâ, Τοὺς δὲ πελεκᾶνας τὰς θηλείας κόγχας καταπίνειν ἱστορεῖ· ἔπειτα ὀλίγας κατασχόντας ἐν τῷ ἄνω τῆς κοιλίας ἐξεμεῖν κεχηνυίας· εἶτα οὕτω τὰ κρέα ἐξαιροῦντας ἐσθίειν. Quæ triplici mendo laborant: nam, pro τὰς θηλείας κόγχας, *fœminas conchas*, lege τὰς λείας κόγχας *leves conchas*, ut in *Ariſtotele*; & pro ἱστορεῖ *narrat*, ἱστορεῖται *narratur*; & pro ὀλίγας κατασχόντας, *cum parvas retinuerunt*, ὀλίγον κατασχόντας, *cùm parùm retinuerunt*. Ac proinde ſic vertendum, *Pelicanos autem leves conchas deglutire narratur; deinde, cùm in ſummo ventriculo parum retinuerunt, dehiſcentes evomere, atque ità carnes exemptas comedere*. *Plinius* libri decimi capite quadrageſimo, *Eadem, cùm devoratis ſe implevit conchis, calore ventris coctas evomit, atque ità ex iis eſculenta legit, teſtas excernens*. Ælianus *Hiſtoriæ animalium* libri tertii capite vigeſimo, Οἱ πελεκᾶνες, ἐν τοῖς ποταμοῖς κόγχας ἀναχάσκοντες εἶτα καταπίνουσιν· ἔνδον δὲ καὶ ἐν μυχῷ τῆς γαστρὸς ὑποθάλψαντες ἀνεμοῦσι, καὶ τὰ μὲν ὀστράκια ἐκ τῆς ἀλέας διέστηκεν ὑπανοιγόντων· οἱ δὲ ἐξορύττουσι τὰ κρέα, καὶ ἔχουσι δεῖπνον. *Platea fluviatilibus conchis inhians, atque eas abſorbens; & in imo ſtomacho calefactas revomunt. Et ex teſtis alvi calore diductis, ut quæ cocta ſunt, carnes in cibum eruunt*. Quæ ferè eadem in *Apoſtolio* Centuriæ 15. Proverbio 93. *Euſtathius* in *Hexaëmeron*, poſtquam conchas, ab iis deglutitas, calore ſaucium laxari dixit, ἐξεμέ-

(a) Pag. 183.

ἐξεμέσαντες· ὖν αὐτὰς, inquit, εὐμαρῶς τὸ ἐδώδιμον αὐτῶν κατεσθίουσιν, *ut evomitis, quod eſt eſculentum facilè comedunt.* Phile *De animalibus* capite octavo,

Κόγχην δὲ πελεκὰν ἐμβαλὼν τοῖς ἐγκάτοις,
Κατάπαλιν αὐτὴν ἐξεμεῖ κὼν ὀστράκοις
Τὸ σαρκίον βέβρωκε ληφθὲν εὐστόχως·

Pelicanus, concham in viſcera immiſſam rurſus revocans, carne teſtis exemptâ peritè veſcitur. Piſidas quoque *De mundi opificio* teſtas ab iis demitti dicit in ignem viſcerum, cum aliter recludi non poſſint,

Λύσιν δὲ πάσχει τῶν πτυχῶν ἡ στερρότης,
Τῇ θερμότητι τῇ ἔσω χαυνουμένη.
Θᾶττον δὲ τὰς πρὶν ἐξεμοῦντες συνδέσεις,
Γυμνῇ διαρπάζουσι τὰς σάρκας μάχῃ,
Τὴν ὀστρακώδη μὴ φορούσας ἀσπίδα.

Tum vero ſolutionem patitur valvarum firmitas, interiore calore laxata. Et mox vomentes quæ priùs colligata erant, nudâ pugnâ carnes diripiunt, teſtaceo clypeo non ampliùs inſtructas. Fatendum interim *Plutarchum* in libro *Utra anim.* hoc idem ardeis tribuere, cùm dicit artem aperiendi oſtrea deberi τοῖς ἐρωδιῶν σοφίσμασιν· ὅταν γὰρ τὴν κόγχην καταπίῃ μεμυκυῖαν, ἐνοχλούμενος ἐγκαρτερεῖ, μέχρις ἂν αἴσθηται μαλασσομένην, καὶ χαλῶσαν ὑπὸ τῆς θερμότητος· τότε δὲ ἐκβαλὼν κεχηνυῖαν, καὶ ἀπεσπασμένην, ἐξεῖλε τὸ ἐδώδιμον, *ardearum induſtria: cum enim clauſam teſtam ardea deglutiit, quamvis eam moleſte ferat, tamen patitur, donec a calore emollitam & laxatam ſentiat; tum verò hiantem & avulſam ejiciens, ex ea eſculentum eximit.* Et *Ælianus* libri tertii capite vigeſimo quarto, poſtquam narravit ciconias proprios cibos evomitos pullis offerre, ſi nihil aliud ſuppetat, quo illos alant, addit καὶ τοὺς ἐρωδιοὺς ποιεῖν ταὐτὸ, καὶ τοὺς πελεκᾶνας μέντοι, *ardeas quoque, & pelicanos idem facere.* Sed quod de pelicanis diximus conſtanti famâ atque omnium ſermone eſt celebratum: cùm valde obſcurum ſit, quod de ardeis & ciconiis ſcribunt *Plutarchus* & *Ælianus*, neque alios habeat auctores, quod meminerim. Quin *ardearum* nomine pelicanos à *Plutarcho* intelligi putaverim: quos ardeis multi accenſent; quia pelicanus ab ardea ſolo penè roſtro differt, quod in extremo latius habet, & in cochlearis formam. Geſnerus, *Videtur ſanè mihi pelecanus noſter ardearum generi adnumerandus, a quo non tam alio inſigni, quam roſtri latitudine, differt.* Item, Albertus *etiam avem, quam cochleariam vocamus* (id eſt, *pelicanum*) *ardeam albam eſſe putavit.* Turnerus; *Albardeolam* (id eſt, *albam ardeam*) *ſi non vidiſſem in* Italia, *Anglorum* ſhovelardam (id eſt, *pelicanum*) *albardeolam eſſe judicaſſem.* *Bellonio* quoque, libri quarti *De Avibus* capite quinto, *Ariſtotelis* ὁ λευκερῳδιὸς (id eſt, *ardea alba*) avis eſt, quam à roſtri forma vocant, *pale poche ou cullier*, id eſt, *veterum pelicanum.* *Plutarchus* igitur pari ratione promiſcuè ſumere potuit ardeas, & pelicanos. Vel, ſi verum eſt, ardeam quoque, pelicani inſtar, teſtas evomere, ut vult *Plutarchus*, quidni *Hebræum* nomen קאת *kaath*, a vomitu factum, ardeæ cum pelicano potuerit eſſe commune, cùm ſint aves congeneres, atque in tam multis ſimiles.

Quo dato, planiora erunt hæc verba *Pſaltis*, Pſalm. 102. v. 7. *Propter vocem gemitûs mei oſſa mea carni adhæſerunt, ſimilis factus ſum* τῷ kaath *deſerti: fui inſtar* τοῦ chos *ſolitudinum.* In quibus ratione planctuum & gemituum duabus avibus ſe confert, nempe τῷ *kaath*, & τῷ *chos.* Unde has aves colligere eſt habere aliquid querulum & gemebundum. Atque è multis rationibus, quæ nobis penè perſuadent *chos* eſſe *onocrotalum*, hæc una fuit, quod onocrotalus avis eſt horrendæ vocis, quæque hominis graviter dolentis ululatus egregiè referat. Proinde, ut ſibi conſtet *Pſaltes*, etiam de ave *kaath* idem eſt docendum. Quod difficulter fiet, ſi *kaath* præter *pelicanum* nihil ſignificet, cùm de pelicani voce nihil quidquam reperiatur. At, ſi nomen *kaath* ſit ardeæ cum *pelicano* commune, quod puto eſſe vero conſentaneum, facile erit ſe expedire. Ardeæ enim eſt clara vox. *Homerus clangorem* vocat: & *Iliad.* κ'. de ardea dicit, quam *Pallas* pro fauſto omine *Diomedi* & *Ulyſſi* miſit noctu ad hoſtium caſtra euntibus,

——— τοὶ δ' οὐκ ἴδον ὀφθαλμοῖσι
Νύκτα δι' ὀρφναίην, ἀλλὰ κλάγξαντος ἄκουσαν·

Hi verò oculis non viderunt noctem per obſcuram, ſed clangentem audiverunt. Et *Philoſophus* de ardea pella *Hiſtoria* libri noni capite primo, Τούτων (ἐρωδιῶν) ὁ πέλλος χαλεπῶς εὐνάζει τε, καὶ ὀχεύει. κράζει τε γὰρ, καὶ αἷμα, ὥς φασιν, ἀφίησιν ἐκ τῶν ὀφθαλμῶν ὀχεύων, καὶ τίκτει φαύλως, καὶ ὀδυνηρῶς. Quæ ſic *Plinius* libri primi capite ſexageſimo, *Hi in coitu anguntur. Mares quidem cum vociferatu ſanguinem ex oculis profundunt: nec minus ægrè pariunt gravidæ.* Sed, quod maxime notandum, ardea aſterias, ſive ſtellaris, quæ *butaurus* vulgo dicitur, avis eſt mugitûs tam horribilis, ut hâc in parte onocrotalo vix cedat. Quod mirum tacuiſſe veteres: niſi ad illam referantur hæc *Plinii* libri decimi capite quadrageſimo ſecundo: *Eſt, quæ boum mugitus imitatur in agro* Arelatenſi *taurus appellata.* Et auctoris *Philomelæ*,

Inque paludiferis butio bubit aquis.

Utùt ſit, hujus avis boatu nihil notius: tamen in rudiorum gratiam, ecce de eo loca recentiorum! *Vincentius* in *Doctrinali* libri 16. cap. 151. *Butorius eſt avis ſic dicta a ſono vocis, &c. Pro cantu vocem horrificam edit. Nec hoc poſſe dicitur, niſi caput ſuum aquis immergat, ut intra ſe denſitas elementi conceptam vocem, inſtar cujusdam tonitru, ſonoram reddat.* Albertus, *Horribilem ſonum tanquam cornu edit, roſtrum cœno paludis immittens, ut vox in ipſo rumpatur ad modum tonitrui. Tamen ad ripas lacuum & paludum deſidet, ubi roſtrum in aquas inſerens tantos edit bombos, ut ad milliare* Italicum *facilè poſſit audiri.* Bellonius *De Avibus* libri quarti capite quarto, *Cùm in ſtagnis aut paludis ripam incidit, roſtro in aquam immiſſo tantum ſonum edit, ut nullus bos poſſit tam contentâ voce mugire. Et vicina loca ita perſonant ut ad dimidiam leucam audiatur.* Geſnerus, *Roſtrum aquæ immittere dicitur, & in aquæ fundo maximè ſtrepitum ciere, voce contenta inſtar tauri, quæ ad dimidium ferè milliare* Germanicum (*id eſt, horæ unius itinere*) *exaudiatur.* Vir doctus in Epiſtola ad *Geſnerum* butorium deſcribens ſub onocrotali nomine, *Vocem cùm emittere vult, roſtrum, quod oblongum habet, vel aquis immergit, vel in ripam infigit. Idq; facit poſt Solis occaſum, & boatum ſæpe totam noctem continuat.* Indè *Italis* dicitur *trombono* à voce tubæ: & *tarabuſa*, vel *terrabuſa*, quia terram roſtro perforans ſonum edit horribilem. *Germanica* ejus nomina indidem ſumpta vide apud *Geſnerum*. Itaque *Beza*, קאת *kaath*, non malè pro *butauro* accipiens, *Pſaltis* verba ſic reddidit.

Je ſuis au butor ſemblable
Du deſert inhabitable.

Quod ideò magis miror; quia neminem habuit, quem ſequeretur: nam Græci, Hieronymus, & Pagninus *pelicanum* reddiderant, Munſterus *upupam*, Arias *cuculum*, Caſtalio *onocrotalum*, & in Lege *ibin*, Genevenſes *cormorant*, id eſt, *phalacrocoracem.*

At, inquies, nomine קאת *kaath*, ſive *ardeam*, aut *pelicanum* intelligas, quorſum in deſertis ponitur, cum dicitur in *Pſalmo*, *Similis factus ſum* לקאת מדבר, τῷ *kaath deſerti*; & *Eſ.* 34. *v.* 11. *Et poſſidebunt illam* kaath *& ericius*, & *Soph.* 2. *v.* 14. *Etiam* kaath, *etiam hericius in tabulatis ejus*: in quibus locis agitur de deſolatione *Idumeæ*, & *Aſſyriæ*? An aquaticis avibus, quales ſunt pelecanus, & ardea, rectè aſſignatur ſedes in locis deſertis, & inaquoſis? Quiſquis in *Pſalmos* edidit (*commentaria* ſub *Hieronymi* nomine, reſpondet, *duo genera eſſe horum volatilium*

tilium. Quorum *unum in aquis eſt, & eſca ejus piſces ſunt: & unum in ſolitudine, & eſca ejus venenata animalia, hoc eſt, ſerpentes, & crocodili, & lacerta.* Sed nihil opus eſt huc confugere, cùm non omne deſertum ſit inaquoſum. In *Marmarica* intimis, quæ regio maximè deſerta eſt, ponuntur à *Ptolemæo Cleartis* palus, *Lacci* palus, *Lycomedis* palus. In *Arabia* deſertis *Iſraelitæ* inciderunt in aquas *Mara*, & fontes *Elim*, Exod.15.v.23.27. Falluntur ergò, ſi qui putant aquaticis avibus nuſquam eſſe in deſertis commodam habitationem.

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

Variæ interpretationes vocis רחם *racham*; ubi multa de avibus שרקרק *ſerakrak*, Cygno, Pelicano, & Merope.

I. Avis רחם racham, *Jonathani, & Syro, & Talmudicis* שרקרקא ſerakreka, *& Onkeloſo* ירקרקא jerakreka, *quod idem. Avis à ſibilo ſic dicta, pluviæ nuntia, quæ ante* Meſſiæ *adventum ſibilabit.* Hebræi picam *eſſe putant, quæ* Græcis *hodiè* καρακάξα. *Avis* ſerakrak *peculiaris deſcriptio, ex* Arabibus *petita, quibus inauſpicata eſt, cùm ſit* Hebræis *fauſti ominis. In ejus felle mira vis. Quid de eadem ave* Haitho Armenus. *Eam neque* picam *eſſe, neque* picum viridem, *neque Moſis* racham, *ſed avem nobis ignotam. II. Samaritanis* racham *eſt ſtruthio; quod abſurdum. III.* Græcis *eſt cygnus, avis immiſericors, cùm* racham *à miſericordia nomen traxerit. In* Hieronymo, *qui* Græcos *ſequitur, avium alius ordo. Obiter de porphyrione IV.* Ariæ, *& aliis* racham *eſt pelicanus, qui ſe ipſum roſtro vulnerare fingitur, ut aſperſione ſui ſanguinis pullos mortuos ad vitam revocet; quod fabuloſum. V. Junio* racham *eſt* merops, *qui in parentes eſt miſericors. At* רחם racham, *propriè* φιλότεκνον *ſonat. Obiter, meropes etiam dici* aëropes. *Et nomen explicatur.*

ETiam anxiè diſputatur de ave רחם *racham*, vel רחמה *rachama*, ut ſcribitur *Deut.* 14.*v.*17.

I. *Jonathan* & *Syrus* explicant ܫܪܩܪܩܐ *ſerakreka*; & *Onkelos* ירקרקא *jerakreka*. Quod idem eſſe puto, quamvis illud à ſibilo dicatur, hoc à viridi colore. Sed & *Talmudici* שרקרק *ſerakrak*, reddunt. Locus eſt in Tractatu *Cholin* fol.63.a. רחם זו שרקרק אמר רבי יוחנן למה נקרא שמו רחם כיון שבא רחם באו רחמים לעולם, "Racham *avis eadem, quæ* ſerakrak. *Dixit* Rabbi Johannes, *Cur vocatur* racham? (Id eſt, cur illi nomen à miſericordia inditum, quæ *Hebrais* eſt רחם?) "*Cùm venit* racham, *veniunt miſericordia in mundum.* Et ibi *Gloſſa*, רחמים מטר *Miſericordiæ, id eſt, pluvia*, quam Deus pro benignitate ſua nobis indulget, juxta illud *Lucæ* Act.14.v.16. *Non ſe reliquit ſine teſtimonio* ἀγαθοποιῶν *benefaciens, cœlitùs dans nobis pluvias.* Ibidem docent שרקרק *ſerakrak*, à clamore ſuo dici. Sequitur enim, אמר רב בבי בר אביי והוא דיתיב אמידי ועביד שרקרק, *Dixit* Rabbi Bibi *filius* Abii, *Avis eſt, quæ ubicunque ſedeat facit* ſerakrak, id eſt, ſibilo ſuo videtur id efferre. Addunt, ואי יתיב בארעא ושריק אתי משיחא, שנאמר אשרקה להם ואקבצם, *Cùm in terra ſedebit ſibilans, veniet* Meſſias, *prout dicitur* Zachar. 10.v.8. "*Sibilabo ad eos, & congregabo eos.* Creditur nempe avis eſſe fauſti ominis: atque ut habet *Gloſſator*, cùm non ſtat, ſed ſedet, & ſibilat, סימן בשורה הוא, *ſignum eſt boni nuncii.* Inprimis ſi in terra ſedeat, שאין דרכו *quod præter morem facit.* Illâ igitur ſic ſedente, & ſibilante, aut Deo ipſo per illam avem, ſi recutitis Doctoribus credimus, venturus eſt *Judaicus Meſſias*, & *Judæi*, toto terrarum orbe diſperſi, congregabuntur juxta vaticinium, quod modò citavimus, *Sibilabo ad eos, & congregabo eos.* Itaque eorum multùm intereſt, ut ſciant quænam ſit avis, quod tamen prorſus ignorant. Nam *Judæi Germaniæ*, *Munſtero* & *Fagio* teſtibus, *picam* interpretantur. Quod ſequitur in *Latina* verſione *Munſterus*, & *Deodatus* in *Italica*. Et videri poteſt veriſſimile, cùm apud *Geſnerum* dicat *Gratarolus* picam à veteribus dictam fuiſſe *pluviæ avem*; quia ampliùs ſolito ſtridens certò imbrem indicat. Et recens picæ nomen καρακάξα, quo utuntur hodie *Græci*, accedit ad *ſerakraka*. Tamen à pica differre docent *Arabum* deſcriptiones, qui eandem avem vocant شرقراق *ſirikrak*, & per Metatheſim شقراق *ſikirrak*, & شرشاق *ſiriſak*: & in *Alcamus* definiunt طاير مرقط نخضرة وحمرة وبياض ويكون بارض الاحرام *Avem viridi, rubro, & albo diſtinctam, quæ eſt in terra Alachram*, id eſt, circa *Mecçham*, & *Medinam*. Et in *Alkazuinio*, طاير يقال له بالفارسية كاسينة اخضر اللون احمر المنقار وقد يكون اصفر عدو النحل ياكل منها ويقتل مالا ياكل *Avem, quæ* Perſicè CASINA *dicitur, plumarum colore viridi, roſtro rubro, quandoque etiam flavo; apibus inimicam, quas deglutit, quin & eas perimentem, quas non comedit.* Et in *Damire*, طاير صغير يسمي الاخيل والعرب تتشام به وهو اخضر مليح بقدر الحمامة خضرته حسنة مشبعة وفي اجنحته سواد وله مشتا ومصيف يكثر في البلاد الروم والشام وخراسان ونواحد وفي طبعه شرة وشراسة وسرقة فراخ غيره وهو لا يزال الا متباعدا من الناس ويالف الروابي ورؤس الجبال لكنه يحضن بيضه في العمران العوالي الذي لا تناله الايدي وعشه شديد النتن *Avem parvam alio nomine* achial *dictam* (id eſt, *maculoſam*,

loſam, quamvis aliis *achial* ſit avis صرد *ſurad*, quæ vulgò *lanius minor*.) Arabes *inauſpicatam putant. Eſt viridis, elegans, magnitudinis columbæ. Viride ejus pulchrum, & ſaturum. Alias nigra eſt. Tam hyberna, quàm æſtiva eſt. Abundat in terris* Græcorum, Syriæ, Choraſan, & Negid (*in* Arabia Felice.) *Prava natura eſt, & male indolis. Suffuratur pullos non ſuos. Eſt ab omni hominum conſortio remotiſſima. In collibus habitat, & in vertice montium. Et ova ſua fovet in locis celſiſſimis, ad quæ manus non attingunt. Nidum habet ſummè fœtidum.*

De eadem ave dicit *Algiahid*, انه نوع من الغربان وفي طبعه السرقة والعفة من السفاد وهو كثير الاستغاثة اذا طار بقربه طاير ضربه وصاح كانه المضروب *Eſſe corvi ſpeciem, & furacis eſſe naturæ, & à coitu multùm abſtinere, querulamque, & clamoſam eſſe, ità ut ſi alia avis propè advolet, ea verberata clamet, quaſi vapulâſſet ipſa.* Eſum alii *Arabum* concedunt, alii vetant لاستخباثه *propter fœditatem ejus.* Tamen his verbis commendat *Avicenna* Canonis libro ſecundo, capite *De carnibus*, لحم الشقراق كاسر الرياح وابعد اللحمان من تعفن اقله شحما وايبسه جوهرا *Caro* ſikirrak *pellit flatus, & cùm parùm ſit pinguis, ſubſtantiaque ſicciſſima, à corruptione maximè diſtat.* In *Parœmiographis* hoc Proverbium de illa ave occurrit. اشام من الاخيل وهو الشقراق *Inauſpicatius ave* achial, *id eſt, ave* ſikirrak. Proinde *Damir* ſupra dixerat eam avem ab *Arabibus* pro inauſpicata haberi. *Talmudici* tamen contra ſtatuunt avem eſſe fauſti ominis: ſed quis miretur in iis, quæ ex opinione pendent, varia eſſe hominum judicia. صاحب الحيل id eſt, *auctor artium*, felli ejus vim tribuit, quam hic intactam prætererire non poſſum. اذا كان الذهب ناقص العيار يذاب ويفرغ عليه من مرارته فانه يجبر ويزداد عياره كما لو افرغ عليه مرارة الثعلب فانه ينقص عياره *Si in auro pondus deficit, liqueſit, & fel iſtius avis ipſi affunditur: &, cùm aurum coaluit, gravius ſit pondere. Ut contrà ſit levius, ſi vulpis fel affundatur.* Minùs mirũ quod ſequitur, اذا اتخذ من مرارته خضاب سود الشعر *tincturam ex eo felle ſumptam denigrare capillos.* In *Tartaria* campeſtribus circa *Caucaſum*, & *Caucaſias* portas, quas hodiè *Derbend*, id eſt, *anguſtias*, & *Temir-capi*, id eſt, *ferream portam*, vocant, harum avium eſt copia, de quibus notatu dignum eſt, quod refert *Haitho Armenus* in libro *De Tartaris* capite quadrageſimo ſeptimo. *In quadam planitie, quæ vocatur Monga* (lege *Mongal*) *ſtant hyeme quadam aves magnitudinis phaſianorum, quæ pulcherrimas habent plumas, & vocantur* ſcicerach (شقراق) *unde, quando aliquæ gentes ingrediuntur illam planitiem, ſtatim fugiunt illæ aves, & tranſeunt per illas cuſtodias, & foſſata* (ubi *Derbend*, & *Porta ferrea*, de quibus paulò antè egerat) *& qui ſunt deputati ad cuſtodiam illius loci per illas aves manifeſtè cognoſcunt inimicorum adventum, & ad defenſionem continuò ſunt parati.* Ex his omnibus multa colligo: Primò has aves non eſſe *picas*, ut *Hebræi* ſentiunt, & fortaſſe etiam ex *Arabibus Algiahid*; cùm mole corporis, pennarum & roſtri colore, victu, fœtore, nido, quem ſibi ſtruunt in remotiſſimis montibus, prorſus à pica differant. Secundò, non eſſe *picos virides*, ut ſtatuit vir doctiſſimus, & mihi amiciſſimus, cùm huic avi cum pico vix quidquam commune ſit præter colorem, qui in utroque eſt viridis, ſed in pico dilutior. Tertiò, quamvis non poſſim definire, quæ avis ſit شرقراق *ſirikrak*; quia in *Europæis* avibus nulla eſt huic ſimilis; conſtat tamen illi cum *Hebræo* רחם *racham*, nihil eſſe commune; & graviter falli *Talmudicos, Chaldæos, Syros*, & *Hebræos* recentiores, qui *racham* & *ſerakraka* eandem avem eſſe definiunt. Sed jam alii ſunt audiendi.

II. In *Samaritana* Paraphraſi רחם *racham*, eſt ࠍࠏࠌࠉࠕࠀ *naamitha, ſtruthio*: quo nihil abſurdius fingi potuit. Nam ſtruthionem verſu decimo ſexto jam prohibuerat *Moſes*, ut abundè (a) probatum eſt. Itaque cauſa nulla eſt cur verſu decimo octavo eundem rurſus prohibeat. Præterea cùm ſtruthio ſit avis immiſericors, & crudelis in ſuos, quorſum nomen habeat à miſericordia factum, quæ *Hebræis* eſt רחם *rechem*.

(a) Cap. 14. pag. 218. lin. 43. &c. ſupra.

III. Idem in *Græcos* poteſt objici, quibus רחם *racham*, eſt κύκνος *cygnus*. Utut enim cygnos *Græci Poëtæ* ſummis laudibus evehant, tamen quàm ſint immites docent hæc *Philoſophi Hiſtoriæ* libri noni capite primo, Εἰσὶ δὲ οἱ κύκνοι ἀλληλοφάγοι μάλιστα τῶν ὀρνίθων. Unde *Plinius* libri decimi capite vigeſimo tertio, *Iidem mutuâ carne veſcuntur inter ſe.* Is igitur in *Ariſtotele* legerat *cygnos* ἀλληλοφαγεῖν *mutuò ſe vorare*, nec ſimpliciter ἀλληλοκτονεῖν *ſe mutuò interimere*, quomodo hunc locum citant *Athenæus* libro nono, & *Ælianus* in *Variis* libri primi capite decimo quarto, ut diritatem facti emolliant. Unde eſt, quòd in Fabulis homines duri & immites in cygnos mutari narrantur. *Antonius Liberalis* de *Cygno, Apollinis* filio, qui à patre factus eſt cygnus: Οὗτος ἦν εὐχάριεις τὴν ὄψιν, τὸ δὲ ἦθος ἄχαρις καὶ ἀγροικός. *Facie quidem erat formoſus; ſed moribus rudis, & agreſtis.* Sunt & alii duo *Cygni*, quibus idem fatum affingunt: (b) ὁ μὲν Ἄρεως υἱὸς, ὃς ἐν Θετταλίᾳ τοὺς παριόντας λοχῶν, καὶ ἀποκτείνων, καὶ βουλόμενος ταῖς κεφαλαῖς ναὸν ἀνεγεῖραι τῷ πατρὶ, ὃν Ἡρακλῆς ἀπέκτεινεν· ὁ δὲ Ποσειδῶνος, &c. ὃν Ἀχιλλεὺς ἀπέκτεινεν. *Unus Martis filius, qui in* Theſſalia *tranſeuntes inſidiis appetens perimebat, ut ex eorum capitibus patri templum excitaret, quem interfecit* Hercules: *alius* Neptuni *filius*, &c. *quem occidit Achilles.* Atque hic quoque narratur *Philonomen* uxorem propriâ manu necâſſe, & filium *Tennem*, arcâ incluſum, in mare conjeciſſe. Neque verò ſatis certum eſt κύκνον hic haberi pro רחם *racham*: cùm in *Hieronymo*, qui *Græcos* ferè ſequitur, alius ſit ordo vocum; ità ut *cygnus* τῷ תנשמת *thinſemeth*, & *porphyrio* τῷ *racham* reſpondeat. Quod videri queat minùs alienum; quia רחם *racham*, verbum eſt *diligere*: porphyrionem autem φιλόζηλον εἶναί φασι, καὶ τὴν συντροφίαν τῶν συννόμων ἀγαπᾷν. Quod multis probat *Ælianus Hiſtoriæ* libri quinti capite vigeſimo octavo porphyrionis cujuſdam exemplo, qui, convictore gallo privatus, inediâ ſibi mortem conſcivit.

(b) Pind. Schol. Olymp. οἱ 2.

IV. *Hebræi*

IV. *Hebræi* recentiores, nominis etymon reſpicientes, dicunt שהוא עוף מרחם על בניו מאד, racham *avem eſſe erga pullos ſuos valde miſericordem.* Sic *Aben Ezra, Kimchius, Pomarius, Aquinas,* & *R. Jacob* auctor *Hatturim*, ſive *Commentarii Cabaliſtici in Pentateuchum.* Hinc apud *Ariam* in *Levitico* pro רחם *racham*, eſt *philoſtorgos.* Sed hoc eſt Etymologias interpretari, non verba, quod alicubi *Aquilæ* objicit *Hieronymus*: cùm in rerum natura nulla ſit avis *philoſtorgos* nomine. Itaque idem, mutato conſilio, pro *philoſtorgo* maluit in *Deuteronomio pelicanum* ſcribere, quem veterum Eccleſiæ Doctorum multi narrant occidere natos ſuos, eoſque per triduum lugere, deinde ſe ipſum roſtro vulnerare, & aſperſione ſui ſanguinis revocare ad vitam. *Epiphanius Phyſiologus*, capite octavo, Ἔστι γὰρ ὁ πελεκὰν φιλότεκνον ὄρνεον παρὰ πάντα τὰ ὄρνεα, *Præ omnibus volucribus pelecanus prolis eſt amans.* Addit parvulos a matre nimiis oſculis ſauciatos emori, ſed poſt triduum marem accedere, qui, doloris impatiens, κολαφίζει τὴν ἰδίαν πλευρὰν, καὶ ὀπὰς αὐτῇ ἐμποιεῖ, καὶ καταῤῥεῖ αἷμα, ἐπιστάζον ἐπὶ τὰς πληγὰς τῶν τεθνηκότων νεοσσῶν, καὶ οὕτως ζωοποιοῦνται, *proprium latus percutit, & terebrat, emanatq; ſanguis, quem ſuper mortuorum pullorum vulnera inſtillat, & illi ſic vita reſtituuntur.* Ità etiam *Euſtathius* in *Hexaemeron*, niſi quòd apud illum pater pullos occidit, & mater aperto latere eoſdem exſuſcitat. Neque *Latini* multò aliter. *Auguſtinus* in *Pſalmum* centeſimum primum, *Dicuntur hæ aves tanquam colaphis roſtrorum occidere parvulos filios ſuos, eoſdemque in nido occiſos à ſe lugere per triduum. Poſtremo dicunt matrem ſe ipſam graviter vulnerare, & ſanguinem ſuum ſuper filios fundere, quo illi ſuperfuſi reviviſcant.* Et Gregorius, *Ferunt Philoſophi, quòd pelicanus filios ſuos, ſtatim ut nati ſunt, interficit, &c. Poſteà verò mater ſe ipſam vulnerat, eoſque ſanguine ſuo reſuſcitat.* Et Iſidorus *Originum* libri duodecimi capite ſeptimo, *Fertur, ſi verum eſt, eam occidere natos ſuos, eoſque per triduum lugere, deinde ſe ipſam vulnerare, & aſperſione ſui ſanguinis vivificare filios.* Quibus ſimilia narrant Pſeudo-*Hieronymus* libro *De cereo Paſchali*, *Petrus Damianus* libri ſecundi Epiſtolâ decimâ octavâ, *Vincentius* in *Doctrinali* libri decimi ſexti capite centeſimo ſexageſimo ſexto, *Michaël Glycas* libro primo *Annalium*, atque alii ſine numero. Unde eſt, quòd pictores, quibus cum *Poëtis*

Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas,

pelecanum nobis exhibent acuto roſtro ſauciantem pectus, aut latus, & pullos magno hiatu effluentem inde ſanguinem excipientes. Sed impoſuit viris ſanctis quiſquis primus hanc fabellam mendacio ſuo adornavit: cùm in *Philoſophorum* libris, qui de rerum natura ſcripſerunt accuratiùs, tam inſignis miraculi veſtigia nulla ſint. Ut taceam reſurrectionem eſſe ſupra Naturæ vires: & pelecanum non eſſe adunci roſtri, ſed latiſſimi, unde illi *platea Latinum* nomen: neque רחם, *à miſericordia*, ſed קאת, *à vomitu* dici, ut pluribus probatum. Non tamen ſoli *Ariæ*, ſed *Caſtalioni* etiam, & *Genevenſibus racham* eſt *pelicanus.*

V. At *Junio* & *Tremellio* רחם *racham*, eſt *merops.* Meropem nimirum volunt *racham* dici *ab amore*; quia genitores ſuos reconditos eum paſcere *Plinius* auctor eſt libri decimi capite trigeſimo tertio.
(c) Hiſt. lib. 11. cap. 30. Et *Ælianus* capropter meropem haberi dicit (c) δικαιότερον (lege δικαιότατον) καὶ εὐσεβέστατον ὀρνίθων ἁπάντων, *avium omnium juſtiſſimum, & piiſſimum.* *Iſidorus* etiam, *Meropes eoſdem, & gaulos, qui parentes ſuos recondere atque alere dicuntur.* Quod ex *Ariſtotele* ſumptum. Is enim *Hiſtoriæ* libri noni capite decimo tertio, poſtquam ciconiarum ἀντιπελαργίαν deſcripſit, de meropibus addit; Φασὶ δέ τινες καὶ τοὺς μέροπας ταὐτὸ τοῦτο ποιεῖν, καὶ ἀντεκτρέφεσθαι ὑπὸ τῶν ἐκγόνων, οὐ μόνον γηράσκοντας, ἀλλὰ καὶ εὐθὺς, ὅταν οἷοί τ' ὦσι· τὸν δὲ πατέρα, καὶ τὴν μητέρα μένειν ἔνδον. *Sunt, qui meropes quoque idem facere aſſerant, & à pullis ſuis viciſſim ali, non ſolùm cùm ſenes ſunt, ſed & quàm primùm* pulli huic curæ *pares ſunt: patrem verò, & matrem intùs manere.* Nota obiter ab *Ariſtophanis Scholiaſte* in *Aves*, pro τοὺς μέροπας, ſcribi τοὺς ἀέροπας, & à *Suida* τοὺς ἀερόποδας in voce ἀντιπελαργεῖν· quamvis uterque profiteatur ſe *Ariſtotelem* ſequi. Sed & in *Heſychio* legas, Ἀέροπες, ἔθνος, &c. καὶ ὀρνεά τινα. *Aëropes gens, & quædam aves.* Et cùm de *Eumelo* dicit *Bœus* libro ſecundo *Ornithog.* Ἀπόλλων δὲ ὄρνιθα ἐποίησε τὸν παῖδα ἀέροπον, ὃς ἔτι νῦν τίκτει μὲν ὑπὸ γῆς, ἀεὶ δὲ μελετᾷ πέτεσθαι· Apollo *autem puerum mutavit in avem æropum, quæ nunc etiam ſub terra parit, & ſemper volatum molitur: æropi* nomine meropem intelligit, de quo *Philoſophus Hiſtoriæ* libri ſexti capite primo, Ὃν δὲ οἱ Βοιώτιοι καλοῦσι μέροπα, εἰς τὰς ὀπὰς ἐν τῇ γῇ καταδυόμενος, νεοττεύει μόνος· *Is, quem* Bœotii *meropem vocant, ſolus ſubit terræ cavernas, ut ibi nidificet.* Et libri noni capite decimo tertio, Τίκτει ἐν τοῖς κρημνοῖς τοῖς μαλακοῖς εἰσδύεται δὲ εἴσω καὶ τέτταρας πήχεις· *Parit in præcipitiis mollioribus, vel ad quatuor cubitos intrò ſubiens.* Et *Plinius* libri decimi capite trigeſimo tertio, *Cunabula in terra faciunt, corporis gravitate prohibita ſublime petere.* Itaque *meropes* etiam ἀέροπες, ἀερόποδες, & ἠέροπες dictæ. Tamen rectum eſt μέροπες, quomodo dicuntur hæ aves, quia habent μεμερισμένην τὴν ὄπα, ὅ ἐστι τὴν φωνήν. Unde *Probus* in *Georgicorum* librum quartum, MEROPES *ſic dicuntur* Græcè, *quia earum vox multiplicem capit partitionem, ἀπὸ μερισμοῦ ὀπὸς, id eſt, partitione vocis.* Quem τὸν ὀπὸς μερισμὸν *zinzilulandi* vocabulo ſic expreſſit auctor *Philomelæ*,

> *Regulus, atque merops, & rubro pectore* Progne,
> *Conſimili modulo* zinzilulare *ſciunt.*

Utut ſit, quidquid affertur de meropum amore & gratitudine erga parentes non facit ſatis ad rem. Ità enim רחם *racham*, non eſſet avis φιλότεκνος, ut *Hebræi* volunt, ſed φιλοπάτωρ. Tamen *Hebræo* verbo רחם *racham*, potiùs ſignificatur naturalis ille affectus & compaſſio parentum erga liberos. Et quandoque patri tribuitur: ut *Pſal.* 103. *v.* 13. כרחם אב על בנים, *Ut pater eſt miſericors erga filios.* Et *Eſa.* 63. *v.* 15. 16. *Ubi commotio viſcerum tuorum*, ורחמיך, *& miſerationes tuæ, quia tu pater noſter es?* Et *Jerem.* 31. *v.* 20. *Annon filius mihi charus eſt* Ephraim? *Nonne eſt filius deliciarum? Idcirco commota ſunt viſcera mea propter eum,* רחם ארחמנו, *miſerendo miſerebor ejus.* Sed & maternus affectus eodem verbo aptiſſimè exprimitur: ut 1. *Reg.* 3. *v.* 26. נכמרו רחמיו, *Incaluerunt ejus* (matris) *affectus erga filium ſuum.* Et *Eſa.* 49. *v.* 15. *Nunquid obliviſcetur mulier fœtus ſui,* מרחם, *ut ne miſereatur filii ventris ſui.* Et *Thren.* 4. *v.* 10. *Manus mulierum* (matrum) רחמניות, *miſericordes.* Vult *Propheta* naturalem eſſe matrum erga liberos affectum. Nempe videtur ille affectus ortum ex vulva ducere, quæ *Hebraicè* eſt רחם *rechem.* Ex his abundè apparet, quæ ſit vera & nativa ſignificatio verbi רחם, adeoque verum eſſe, quod *Hebræi* aſſerunt, nempe רחם *racham*, ſi ratio nominis habeatur, avem eſſe φιλότεκνον· quamvis avem illam definire non potuerint viri, tam imperiti rerum Naturæ, quàm periti vocum interpretes.

CAPUT

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

Ex *Arabica* lingua probatur רחם *racham*, eſſe *Vulturis* ſpeciem.

Avis רחם racham, *vel* רחמה rachama Arabibus *notiſſima. Ejus ampla deſcriptiones ex* Damire, Alkazuinio, *&* Alcamus, *ubi decem ejus propria. Item ex* Andrea Bellunenſi. Alcorani *interpretes, qui ſurdam & mutam deſcribunt, refelluntur ex* Zamachſari. *Apud* Arabes rachamæ *ſtercus, pluma, fel, jecur, caro,* &c. *eaſdem, quas apud* Græcos, *&* Romanos, *vulturis, in Medicina vires habent. Nidus in locis inacceſſis, & tam rarò videtur, ut à nonnullis aut nunquam, aut nonniſi in altero orbe extare ſit creditus. Unicum ovum, aut ad ſummum geminum, edit. Cadaveribus veſcitur. Sequitur exercitus triduò, aut etiam ſeptiduò antè, futuræ cladis præſcius. Pro* רחם racham, *cur in* Deuteronomio רחמה rachama, *Fœmininum, & ſæpiſſimè apud* Arabes, *& in* Horo ἠγὺψ pro ὁ γὺψ. *Error vulgi in* Ægypto *natus, omnes vultures eſſe fœminas. Quomodo hâc fabulâ priſci* Patres *uſi ſint.*

JAm in ea, quam deſcripſimus, interpretum hæſitatione *Arabes* conſulere tutiſſimum eſſe quis neget? Cùm avis رخم *racham*, vel رخمة *rachama*, apud eos hodieque ſit notiſſima, & deſcribatur pluribus, quod ſequentia palàm facient. *Damir*, الرخمة طاير ابقع يشبه النسر في الخلقة Rachama, *avis varii coloris ad aquilæ naturam accedens.* Et paulò poſt, وفي طبع هذا الطاير انه لا يرضي من الجبال الا من بالوحش منها ولا من الاماكن الا بالاسحقها والابعدها من اماكن اعداية ولا من الهضاب الا بصخورها ويقال لها لانوق *E natura hujus avis eſt, quòd non amat montes, niſi maximè ſolitarios; neque loca alia, niſi maximè diſſita, & ab habitatis remotiſſima; & in locis petricoſis nonniſi rupes inacceſſas. Alio nomine vocatur* anuk. Et infrà, وتبيض بيضة واحدة وربما اتامت وهي من لئام الطير وهن ثلاث الغراب والبوم والرخم والعرب تضرب المثل في الامتناع ببيضها فيقولون اعز من بيض الانوق وابعد من بيض الانوق فانه لا يكاد يظفر به لان اوكارها في روس الجبال والاماكن الصعبة كما تقدم قال الشاعر ☆

وكنت اذا استودعت سر ☆

اكتمت كبيض انوق لا ينال لها وكر ☆

Et ovum parit unicum, ſed & quandoque gemina edit. Eſt ex avibus liam (quaſi *ignobiles* dixeris.) *Eæ autem tres ſunt, corvus, noctua, &* racham. *Proverbium eſt apud* Arabes, *quo ſignificatur quàm ova ejus ſint inacceſſa,* "*Rarius ovo* anuk, *aut* "*Remotius ovo* "anuk: *quod vix unquam aſſequitur, quia nidificat in vertice montium, & in præruptis locis, ut jam ante dictum eſt. Unde eſt, quod Poeta dixit,* "*Et fui, cum ſeorſim in abditum locum evocatus ſum, latens ut* "*ovum* anuk, *cujus nidus eſt inacceſſus.* Alkazuinius, رخمة طاير النسر في خلقته يختار لبيضه اطراف الجبال الشاهقة ليصعب الوصول الي بيضه يقال اعز من بيض الانوق فاذا جاء اوان بيضها ذهبت الي الهند واتت بحجر يقال له ابوطاقيون وهو حجر مدور مثل خرزة اذا حركت تقعقع في جوفه حجر اخر ويترك ذلك الحجر تحتها فتبيض من غير وجع وتطير خلف العساكر لتاكل من جيف Rachama *eſt avis aquila* (id eſt, aquilini generis.) *E natura ejus eſt, ut eligat ovis ſuis ſummorum montium vertices, ut adeo difficilior ſit acceſſus. Unde eſt quòd dicitur,* "*Rarius* "*ovo* anuk (id eſt, *rachamæ.*) *Quo tempore ova poſitura eſt, in* Indiam *ſe conferens inde affert lapidem, quem* abutacium *vocant* (imò ἀετίτην.) *Is lapis eſt margaritæ inſtar rotundus. Cùm movetur, ſonat in ventre ejus lapis alius. Eo lapide ſibi ſuppoſito, ova ponit ſine dolore. Caſtra ſequitur volatu ſuo, ut veſcatur occiſorum cadaveribus.* Alcamus الانوق العقاب الرخمة وطاير اسود له كالعرف او اسود اصلع الراس اصفر المنقار وهو اعز من بيض الانوق لانها تحرزها فلا يكاد يظفر به لان اوكارها في التلل الصعبة

الصعبة قيل فاخلاقها عشر خصال تحصن بيضها وتحمي فرخها وتالف ولدها ولا تمكن من نفسها غير زوجها وتقطع في اول القواطع وترجع في اول الرواجع وتطير في التحسير ولا تغتر بالشكير ولا ترب بالوكور ولا تسقط في الجغر بالشكير Anuk, *aquilæ genus, quæ & rachama dicitur. Avis nigra, quæ habet tanquam jubam. Alii, avis nigra, calvi capitis, flavi roſtri, de qua Proverbium, "Rarius eſt ovo* anuk; *quia ovo ità proſpicit, ut vix poſſit invadi. Nidificat enim in montibus inacceſſis. Huic propria decem tribuuntur.* 1. *Munit ova ſua.* 2. *Pullos ſuos tuetur.* 3. *Proli ſuæ ſemper adhæret.* 4 *Nihil per ſe conſtituit absque compare ſuo.* 5. *Migrat cum primis migrantibus.* 6. *Redit cum primis redeuntibus.* 7. *Volat in pennarum defluvio.* 8. *Neque propter pennarum paucitatem periclitatur.* 9. *Neque manet in nido.* 10. *Neque cadit in coëundi impotentiam:* quomodo reliquæ aves, cum pennæ defluxerunt. E quibus decem propriis prim. quatuor etiam in *Damire* leguntur verbis ferè totidem. *Andreas Bellunenſis*, Alrachame *eſt avis magna ſicut milvus, plumis corporis albis, & pennis alarum nigris. Edit carnes putridas, & ſimilia. In* Syria *abundat.* Ad *Alcorani Suratam* الاخراب *Alachrab*, quæ in *Latino* interprete eſt *Azoara* quadrageſima tertia, ubi de *Moſe* agitur, versùs finem, dicit *Commentator, Abulabas Cordubenſis,* لم يعرف موضع قبره الا الرخم فلذلك جعله الله اصم ابكم *Nemo novit locum ſepulchri ejus præter avem* racham, *ac proinde illam fecit Deus ſurdam, & mutam.* Id omni ex parte fabuloſum eſt, ut pleraqve hujusmodi nugatorum. Nam, ut cætera taceam, hæc avis eſt maximè vocalis, ut aquilinum, & vulturinum omne genus. Proinde, ut *Arabes* ſæpe avibus, veluti nos campanis, quidvis affingunt, *Zamachſari* ſcribit *rachamæ* clangorem hæc ferè verba ſonare, سبحان ربي الاعلي *Sobchan rabbi alali*, id eſt, *Laus Domino meo altiſſimo.*

Jam ſi liberet addere quidquid habent *Alkazuinius, Ibnolbatrik, Avicenna, Serapion, Sariph, Abenbitar, Alcamus*, & *Arabum* alii de hujus avis medicis virtutibus res in immenſum excreſceret. Nobis igitur è multis ſufficiet addere pauca quædam, unde conſtet, quam avem *Arabes* ſic indigetent. 1. Stercus *rachamæ* embryonem excutit. *Alkazuinius,* ذرقها ان احتملته المراة القت جنينها *Stercus ejus ſi ferat mulier, embryonem ejicit.* Avicenna قيل ان زبله يسقط الجنين تبخيرا *Stercus ejus embryonem ſuffitu ejicere dicitur.* Ecce idem in *Dioſcoride* de ſtercore vulturis in capite *De ſtercore* libro ſecundo Γυπὸς ἄφοδος ὑποθυμιαθεῖσα ἔμβρυα ἐκτινάσσειν πιστεύεται, *Vulturis ſtercus ſuffitu fœtus pellere dicitur.* Et in *Samonico* capite trigeſimo quarto,

Quinetiam ſtercus ſupponunt vulturis atri,
Sentiat ut minimè partus quàm proximus urget.

2. Pluma quoque *rachamæ* ad partum prodeſt. *Sariph*, واذا اخذت ريشة من جناحها اليمن ووضعت بين رجلي المطلقة سهل اولادها *Cùm ſumitur penna ex ala ejus dextera, & ad parturientis pedes ponitur, levat dolores partûs.* Ità etiam *Alcamus* in رخم *racham.* Quod idem de vulturis penna habet *Plinius* libri vigeſimi noni capite quarto, *Penna vulturina ſubjecta pedibus adjuvat parturientes.* Et *Sextus* libri ſecundi capite ſecundo, *Efficit, ut ſine labore partum edant.*

3. Fel *rachamæ* medetur albugini. *Alkazuinius*, يكتحل بمرارتها وحدها لبياض العين *Ex ſolo vulturis felle fit collyrium ad oculi albuginem.* Avicenna يكتحل بمرارتها لبياض العين بالما البارد *Ex felle ejus cum aqua frigida fit collyrium ad oculorum albugines.* Vulturino felli vis eadem. *Plinius* libri vigeſimi noni capite ſexto, poſtquam aquilæ felle inungi dixit nubeculas, & caligationes, ſuffuſionesque oculorum, *Eadem vis & in vulturino felle,* &c. *Samonicus* capite decimo quarto,

Si tenebras oculis obducit pigra ſenectus,
Expreſſe marathro gutta cum melle liquenti
Detergere malum poterunt, vel vulturis atri
Fella, chelidoniæ fuerint queis gramina miſta.

Marcellus, *Fellis gallinacei, vel vulturini, quod longè magis prodeſt, ſcrupulum, & mellis optimi unciam benè tritam conjunges, atque in pyxide cupreâ habebis, & opportunè ad inungendum uteris. Hoc nihil potentius caliginem relevat.* Galenus *Euporiſton* libri primi capite quadrageſimo quarto, *Omnem oculorum obſcuritatem incipientemque ſuffuſionem curat fel vulturis, cum marrubii ſucco, & melle Attico.* Sextus, *Vulturis fel,* &c. *omnem caliginem diſcutit.*

4. *Rachamæ* jecur à Dæmone obſeſſis utile. *Alcamus*, كبده يشوي ويسحق ويسقي المجنون ثلثة ايام كل يوم ثلاث مرات ويبريه *Jecinore ejus toſto, & contrito, per triduum potatur Dæmoniacus quotidiè tribus vicibus, & convaleſcit.* Ità etiam *Damir.* Nec multò aliter *Abenbitar*, كبدها شوي ويسحق ويداف بخل ويسقي من به جنون كل يوم ثلاث مرات ثلاثة ايام متوالية فيبريه *Jecur ejus aſſatur, conteritur, & in aceto maceratur, & illi propinatur, qui à Dæmone obſeſſus eſt per triduum quotidiè tribus vicibus, per tres dies continuos, & ſanat eum.* Nempe de comitiali morbo, in quo videtur eſſe θεῖόν τι, aliquid ſimile tradiderant vetuſtiores. Plinius, *Jecur vulturis, cum ſuo ſanguine ter ſeptenis diebus potum, adversùs comitialem morbum prædicatur.* Ità etiam *Sextus*, & *Æſculapius.*

5. Ecce aliud de carne *rachamæ!* Sariph, لحم الرخم اذا خلط بخردل وجفف وبخر

وبخر به المعقون عن النسا سبع مرات اطلقه ذلك *Carne* rachamæ *cùm ſinapi mixtâ, & exſiccatâ, ſi ſuffiatur iſchiadicus ſepties, à morbo ſuo liberabitur.* Alcamus, التبخير بجفيف لحمه مخلوطا بخردل سبع مرات يحل المعقون عن النسا *Suffimentum ex carne ejus ſiccâ cum ſinapi mixtâ ſepties repetitum iſchiadico morbo laborantem ſanabit.* Sed utroque loco, pro خردل *chardal*, id eſt, *ſinapi*, legendum putamus حرمل *charmal*, id eſt, *rutam*: quia habetur in *Samonico*, capite quinquageſimo quinto,

Si verò occultus nervos dolor urit inertes,
Vulturis exciſos adipes, rutamque remiſce, &c.

Sed & ad hemicranium, & capitis dolores, remedia præſcribunt *Avicenna* ex *rachama*; *Plinius, Galenus, Marcellus, Sextus*, alii, ex vulture. Et ut ſtercus *rachamæ* apud *Abenbitarem, Damirem*, & *Alcamus*: ità vulturinus ſanguis apud *Plinium* lepras ſanat. Qui idem libri vigeſimi noni capite quarto, *Ex volucribus in auxilio contra ſerpentes primum vultur eſt.* Quam vim uno ore *rachamæ* tribuunt omnes *Arabes*. Pelli ſcilicet tradunt venenata omnia pennæ ſuffitu, & ſtercoris: felle illito ſanari viperæ & ſcorpionum morſum: & flavam pellem, quâ continetur ingluvies, exſiccatam, contritam, & in potu ſumptam purgare ab omni veneno. De quibus præter *Avicennam* conſulendi *Ibnolbaitrik, Abenbitar, Damir, Alcamus*, &c. Neque enim vacat eorum loca deſcribere.

Jam, quod *rachamam*, vel *anuk*, quod idem eſt, in locis inacceſſis nidificare perhibent, atque indè natum Proverbium apud illos receptiſſimum, *Rarius ovo anuk*, nemo vulturi negaverit maximè convenire; de quo *Philoſophus Hiſtoriæ* libri ſexti capite quinto, ὁ δὲ γὺψ νεοττεύει μὲν ἐπὶ πέτραις ἀπροσβάτοις· διὸ σπάνιον ἰδεῖν νεοττείαν γυπὸς, καὶ νεοττούς. Καὶ διὰ τοῦτο Ἡρόδοτος (lege Ἡρόδωρος,) ὁ Βρύσωνος τοῦ Σοφιστοῦ πατὴρ, φησὶν εἶναι τοὺς γῦπας ἀφ' ἑτέρας γῆς ἀδήλους (lege ἀδήλου) ἡμῖν τοῦτό γε λέγων τὸ σημεῖον, ὅτι οὐδεὶς ἑώρακε γυπὸς νεοττείαν, καὶ ὅτι πολλοὶ ἐξαίφνης φαίνονται ἀκολουθοῦντες τοῖς στρατεύμασι. τὸ δὲ ἐστὶ χαλεπὸν ἰδεῖν ὦπται δ' ὅμως. *Vultur autem nidificat in rupibus inacceſſis: unde eſt, quod vulturis nidus & pulli raro videntur. Ac proinde* Herodorus, Bryſonis *Sophiſtæ pater, vultures tradit in alia eſſe terra nobis ignota: id ex hoc argumento conſtare addens, quod, cum vulturis nidum nemo viderit, multi derepentè appareant exercitus ſequentes. Sed, utut hunc videre difficile ſit, tamen quandoque viſus eſt.* Et rurſus libri noni capite undecimo, Γυπὸς δὲ λέγεται ὑπὸ τινῶν ὡς οὐδεὶς ἑώρακεν οὔτε νεοττὸν, οὔτε νεοττίαν. Ἀλλὰ διὰ τοῦτο Ἡρόδωρος ὁ τοῦ Βρύσωνος, τοῦ Σοφιστοῦ πατὴρ, ἀπό τινος αὐτοὺς ἑτέρας εἶναι μετεώρου γῆς ἔλεγεν, τεκμήριον τοῦτο λέγων, καὶ τὸ φαίνεσθαι ταχὺ πολλοὺς ὅθεν δὲ μηδενὶ εἶναι δῆλον. τούτου δ' αἴτιον, ὅτι τίκτει ἐν πέτραις ἀπροσβάτοις. *Vulturis neque pullum, neque nidum quenquam vidiſſe nonnulli aſſerunt. Quocirca* Bryſonis *Sophiſtæ pater*, Herodorus, *eos ex ſublimiore aliqua terra venire hoc argumento probabat, quod multi ſubitò appareant, cum unde venerint nulli ſit notum. Sed hujus rei cauſa eſt, quod in rupibus inacceſſis vultur pariat.* Quæ etiam in *Antigono Hiſtoriâ* quadrageſimâ octavâ reperire eſt. *Plinius* libri decimi capite ſexto, *Nidos* (vulturum) *nemo attigit. Ideò etiam fuêre, qui putarent illos ex adverſo orbe advolare: falſo. Nidificant enim in excelſiſſimis rupibus. Fœtus quidem ſæpe cernuntur.* Quæ non ſatis cohærent. Nam, ſi vulturum nidum nemo attigit, illorum fœtus ſæpe cerni verum eſſe non poteſt, cùm fœtus alibi non videantur, quàm in nido, aut circa nidum. Sed prius ex *Herodoro*, alterum ex *Ariſtotele* ſumptum, qui in contraria ſunt ſententiâ. Quamvis nec *Ariſtoteles* quidem vulturis pullos ſæpe cerni dixerit, ſed nonniſi raro videri. Διὸ, inquit, σπάνιον ἰδεῖν νεοττείαν γυπὸς, καὶ νεοττούς· ut *Plutarchus* in *Romulo*, Νεοσσοῖς γυπὸς οὐ ῥᾳδίως ἴσμεν ἐντετυχηκότες, *In vulturis pullos non facilè incidimus*; pro eo, quod idem dicit in *Romanis Quæſtionibus*, Οὐδὲ γὰρ νεοττιᾷ γυπὸς ἐντυχεῖν ῥᾳδίως ἐστίν. *Neque enim in vulturis nidum facile eſt incidere.* Sed *Ælianus* multò abſurdius *Hiſtoriæ* libri ſecundi capite quadrageſimo ſexto, Λέγουσι δὲ νεοττιὰν μὴ ὑποπλέκειν γῦπα, *Vulturem nidum contexere negant.* Quid igitur? Γῦπας δὲ, inquit paulò poſt, ᾠὰ μὴ τίκτειν πέπεισμαι (al. πέπυσμαι,) νεοττοὺς δὲ ὠδίνειν, καὶ ὡς ἀπὸ γενεᾶς καταπτεροί εἰσι, καὶ τοῦτο ἤκουσα· *Vultures credo* (aut *audivi*) *ova non excludere, ſed pullos parere, qui ſtatim à partu ſint volucres.* Et *Phile* capite ſecundo,

Στρουθοὺς πτερωτοὺς ἄρ' ἀπὸ μήτρας ἐξάγει,
Οἳ ζῶσιν εὐθὺς ἐξ ὀνύχων ἁρπάγων,
Πνίγεις καλιῶν εὑρεθέντες κρείττονες.

Pullos alatos è vulva educit, qui ſtatim rapacibus unguibus ſibi victum comparant, nidi ſuffocatione præſtantiores reperti. Sed nemo non videt, unde nata ſint hæc opinionum monſtra. Quia nidi vulturum raro cernuntur, alii nonniſi in altero orbe, alii nuſquam extare crediderunt.

Etiam id vulturi convenit, quod de *rachama* dicit *Damir*, illum aut unicum ovum, aut ad ſummum geminum edere. *Ariſtoteles* enim de vulture *Hiſtoriæ* libri ſexti capite quinto, Τίκτει δὲ δύο ᾠὰ ὁ γὺψ, *Duo ova pariunt vultures.* Et libri noni capite undecimo, Τίκτει δ' ἓν ᾠὸν, ἢ δύο τὰ πλεῖστα· *Unum ovum edit, aut ad ſummum duo. Plinius* ubi ſuprà, *Fœtus quidem ſæpè cernuntur, ferè bini.*

Eſt & vulturis proprium, quod in *Bellunenſi rachama* legitur edere carnes putridas: & in *Alkazuinio*,

تطير خلف العساكر لتاكل من جيف *Poſt caſtra volat, ut cadaveribus veſcatur.*

Indè in *Homero* paſſim eos, qui occiſi ſunt,

——— γῦπες ἔδονται,

Vultures comedunt. Et iidem eſſe dicuntur

——— γύπεσσιν πολὺ φίλτεροι, ἢ ἀλόχοισιν,

Vulturibus multò chariores, quam uxoribus. Quin *Herodoro Pontico* teſte apud *Plutarchum Romanarum Quæſtionum* Quæſtione nonageſimâ tertiâ, vultur οὐδενὸς ἅπτεται ζῶντος, χρῆται δὲ τοῖς ἄλλοις ἀποθανοῦσιν, *nihil vivum attingit, ſed mortuis ſolùm veſcitur.* Hinc *Lucretius* libri quarti verſu 680,

Mellis apes quamvis longè ducantur odore,
Vulturiique cadaveribus. ———

Ovidius libri primi *Triſtium* Elegiâ quintâ,

Aut ut edax vultur corpus circumſpicit, ecquod
Sub nulla poſitum cernere poſſit humo.

Silius libri decimi tertii verſu 396.

Hic diræ volucres, paſtuſque cadavere vultur.

Gregorius Nazianzenus, Carmine 163. *De cultu mulierum*,

——— νεκροῖς ἀμφιέπουσι γῦπες,
——— *vultur nempe cadaver amat.*

Prudentius Περὶ στεφάνων *Hymno* nono,

Longe-

Longeque morſus vulturum efficacior
Ad devorandas carnis offas mortua.

Plutarchus, de cauſis naturalibus Quæſtione vigeſimâ ſextâ, τὰ κινάβεια τὸν γῦπα κινεῖ, καὶ προσάγεται πόῤῥωθεν· *Morticina carnes vulturem movent, atque eminùs trahunt.* Et in libro *De utilitate ex inimicis*, Καθάπερ οἱ γῦπες ἐπὶ τὰς ὀσμὰς τῶν διεφθορότων σωμάτων φέρονται· *Ut vultures ad cadaverum odorem feruntur.* Ælianus *Hiſtoriæ* libri ſecundi capite quadrageſimo ſexto, Γὺψ νεκρῷ πολέμιος, ἐσθίει γοῦν ἐμπεσὼν, ὡς ἐχθρόν. *Vultur mortuo eſt infenſus, & tanquam in hoſtem incidens vorat.* Sed & brevi morituros præſentire creditur. *Ælianus* ibidem, Φυλάττει τεθνηξόμενον. καὶ μέν τοι καὶ ταῖς ἐκδήμοις στρατιαῖς ἕπονται γῦπες, καὶ μάλα μαντικῶς, ὅτι γε εἰς πόλεμον χωροῦσιν εἰδότες, καὶ ὅτι μάχη πᾶσα ἐργάζεται νεκρούς, καὶ τοῦτο ἐγνωκότες· *Moriturum obſervat. Peregrinos etiam exercitus ſequuntur vultures præſenſione quâdam, ut qui eos noverint ad bellum proficiſci, atque hoc quoque ſciant omne prælium aliquam ſtragem edere.* Phile *De animalibus* capite ſecundo,

Πλεῖω μαντικὴν ἔχουσιν οἱ γῦπες φύσιν·
Καὶ γὰρ συνεκδημοῦσι τοῖς μαχουμένοις,
Τῶν σωμάτων ἐλπίδι πεσουμένων τότε.

Præterea vultures naturam habent vaticinam: quippe cum iis peregrinantur, qui dimicaturi ſunt, in ſpem cadaverum, quæ tunc cadent. Apud *Plinium* tradit *Umbricius*, aruſpicum peritiſſimus, *triduo ante, aut biduo volare eos, ubi cadavera futura ſint.* Unde *Plautus* in *Truculento* Scena *Piſcis*,

— — *vide, ut jam, quaſi volturii, triduò*
Priùs prædivinant quo die eſuri ſient.

Ægyptii non triduò, ſed ſeptiduo antè, vultures prælii locum deſignare aſſerunt, adeoque prævidere ex qua parte major futura ſit ſtrages. *Horus Hieroglyphicῶn* libri primi capite undecimo, Πολέμου μέλλοντος τελεῖσθαι, τὸν τόπον ὁρίζει, ἐν ᾧ μέλλει ὁ πόλεμος γίνεσθαι, πρὸ ἡμερῶν ἑπτὰ ἐπ' αὐτὸν παραγινομένη· *Cum belli conficiendi tempus inſtat, definit locum, in quo pugna committi debet, ſeptem ante diebus ad eum accedens.* Et rurſus, Πλείονας σφαζομένους, καὶ ἡττωμένους, βλέπει, ταμιευομένη τὴν ἑαυτῆς ἐκ τῶν πτωμάτων τροφήν· παρ' ὃ καὶ οἱ ἀρχαῖοι βασιλεῖς κατασκόπους ἔπεμπον σκεπτομένους κατὰ ποῖον τοῦ πολέμου οἱ γῦπες βλέπουσι μέρος, ἐντεῦθεν σημειούμενοι τοὺς ἡττωμένους. *Ubi plures mactandi ſint, & qui vincendi, prævidet, ut ex cadaveribus cibum ſibi ipſi ſeponat. Proinde priſci Reges exploratores mittebant, qui obſervarent in utram aciei partem vultures reſpicerent, & indè colligerent quinam eſſent vincendi.* Quæ, ut ſaltem ex parte vera, maximè mirantur ii *Patres*, qui in *Hexaëmeron* ſcripſerunt. *Baſilius* Homiliâ octavâ, Τίς τοῖς γυψὶ προαπαγγέλλων τῶν ἀνθρώπων τὸν θάνατον, ὅταν κατ' ἀλλήλων ἐπιστρατεύσωσιν; ἴδοις γὰρ ἂν μυρίας ἀγέλας γυπῶν τοῖς στρατοπέδοις παρεπομένας, ἐκ τῆς τῶν ὅπλων παρασκευῆς τεκμαιρομένων τὴν ἔκβασιν. Quæ *Ambroſius* ità reddidit, *Interrogabo te, tu autem reſponde mihi: Unde vultures mortem hominum ſignis quibusdam annuntiare conſueverint? Quo indicio edocti atque inſtructi ſint, ut, cum bellum lacrymabile inter ſe adverſæ acies inſtaurant, multo prædicta volucres ſequantur agmine, & eo ſignificent, quia multitudo hominum caſura ſit bello, futura præda vulturibus?* Et *Euſtathius*, Ἡνίκα δέ φασιν ἄνδρες εἰς πόλεμον παρατάσσονται, ἐπακολουθεῖ αὐτοῖς, καὶ οὐκ ἀφίσταται, σαρκοβόρος ὤν· *Cum autem homines in aciem inſtruuntur, ſequitur, neque abſcedit cùm ſit carnis avidus.* Unde eſt, quod cum vulturibus conferuntur hæredipetæ. Quo ſenſu dicit *Seneca* Epiſtolâ nonageſimâ quintâ, *Vultur eſt, cadaver expectat.* Et *Martialis* libri ſexti *Epigrammate* ſexageſimo ſecundo,

Cujus vulturis hoc erit cadaver?

Unum addo, pro רחם *racham*, in *Deuteronomio* legi רחמה *rachama*, Fœminina terminatione. Neque enim iis aſſentior, qui volunt *He* in רחמה, eſſe Paragogicum: cùm etiam *Arabicè* ſciam Fœmininum رخمة *rachama* longè ſæpius occurrere, quàm Maſculinum رخم *racham*. Atque ut monet *Damir*, الها فيها للجنس *in ea voce litera* He *pertinet ad genus*, nè putetur eſſe *He unitatis*, ut paſſim apud *Arabes*. Sed, quod mirere magis, cùm *Græcè* dicatur ὁ γὺψ Maſculino genere, tamen in verſione *Græca Hori Apollinis*, ſcriptoris *Ægyptii*, ſemper legitur ἡ γύψ· nempe, ut reſpondeat *Græca* vox *Ægyptiæ* רחמה *rachama*, aut alteri huic analogæ, quæ Fœminina erat. Quod ex errore vulgi videtur natum; quia pleriſque *Ægyptiis* perſuaſum id fuit, vultures omnes eſſe fœminas, nec eas aliter concipere, quàm *Noto* flanti, vel *Subſolano*, obverſas. *Horus Hieroglyphicῶn* libri primi capite undecimo, Ἄῤῥεν ἐν τούτῳ τῷ γένει τῶν ζώων οὐχ ὑπάρχει, *In eo genere animalium mas nullus eſt.* Et poſtquam alias aves ova ſolum ad eſum, non etiam ad generationem apta, ex vento concipere narravit, Γυπῶν δέ, ait, οὐχ' ὑπηνέμιον ποιουμένων τὴν ὀχείαν ἡ τῶν ὠῶν γένεσις ζωογονεῖται, *Vultures autem, quamvis ſubventaneum faciant congreſſum* (id eſt, quamvis non aliter concipiant, quam ex vento: nam pro οὐχ lego κἂν, vel εἰ καὶ, aut tale quid) *tamen ex illorum ovis generatur animal.* *Plutarchus* in *Quæſtionibus Romanis* Quæſtione nonageſimâ tertiâ, Εἰ δέ (ὡς Αἰγύπτιοι μυθολογοῦσι) θῆλυ πᾶν τὸ γένος ἐστὶ καὶ κυΐσκονται δεχόμενοι καταπνέοντα τὸν ἀπηλιώτην· *Si verum eſt, quod narrant Ægyptii totum vulturum genus eſſe fœmininum, & concipere* Subſolani *flatu excepto.* *Ammianus* libro decimo ſeptimo, de Ægyptiis; *Per vulturem naturæ vocabulum pandunt: quia mares nullos poſſe inter has alites inveniri rationes memorant Phyſicæ.* Fortaſſe pro *naturæ* legendum *matris*, ut in *Horo*: Μητέρα δὲ γράφοντες γῦπα ζωγραφοῦσι, ἐπειδὴ ἄῤῥεν ἐν τούτῳ τῷ γένει τῶν ζώων οὐχ' ὑπάρχει. *Tzetzes* etiam *Chiliadis* duodecimæ *Hiſtoria* 439. id ipſum, poſtquam narravit multò uberius, profitetur ſe hauſiſſe ἐξ Αἰγυπτίων, *ex Ægyptiis.* In *Ægypto* igitur hæc fabula primùm orta eſt: unde ad reliquas gentes paulatim dimanavit, præcipuè poſt *Chriſtum* natum, multis Doctorum Eccleſiæ cupidè illam amplectentibus, aut eâ ſaltem utentibus, tanquam *argumento ad hominem*, quod vocant, in eos, qui *Chriſtum* ex virgine naſci potuiſſe negabant. Proinde vultures fœminas ſine coitu concipere & generare ſcribunt è *Patrum* choro *Tertullianus* in *Valentinianos* capite decimo, *Origenes* contra *Celſum* libro primo, *Baſilius* in *Hexaëmeron* Homiliâ octavâ, *Ambroſius* in *Hexaëmeron* libri quinti capite vigeſimo, *Euſtathius* in *Hexaëmeron* paginâ vigeſimâ ſeptimâ, *Procopius* in *Eſaiam*, *Iſidorus Originum* libri duodecimi capite ſeptimo. Quibus addi queant *Theophylactus Simocatta* Quæſtione *Phyſicâ* octavâ, *Phile*, & *Piſidas* in *Jambis* (quos alii tribuunt *Cyrillo Alexandrino*) *Petrus Damianus* libri ſecundi Epiſtolâ decimâ octavâ, *Tzetzes* ubi ſuprà, *Etymologicus*, *Cyrillus* Lexicographus, *Scholiaſtæ*, quos citavimus, &c. Neque dubito, quin hæc ſententia, utut falſa, & abſurda, jam inde à *Moſis* tempore inter multos obtinuerit. Abſit tamen, ut *Moſem* putemus, eo torrente abreptum, tale quidquam de vulture cogitâſſe vel per ſomnium.

Hoc tantum volo in *Deuteronomio* illum uſum voce Fœmininâ רחמה *rachama*, ut loqueretur cum vulgo. Sed, ne quiſquam hoc traheret in erroris patrocinium, idem in *Exodo* רחם *racham*, Maſculinè dixit.

CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.

Ad ea reſpondetur, quæ in Caput præcedens poſſunt objici.

Quatuor Objectiones. I. Rachama *ab* Arabibus *ponitur in aquilarum genere.* Reſp. Damir *non dicit eſſe aquilam, ſed aquilæ ſimilem, qualis vultur,* Γυπαίετος, *aquila genus, vulturina ſpecie.* Κιγυπαιὸς *inter aquilas & vultures medius. Aquilæ ex diverſo coitu tandem in vultures degenerant.* Ariſtoteles *emendatus.* Promethei *jecur aliis ab aquila, aliis à vulture exeſum fuiſſe volunt. Herba* Promethea *in* Apollonio *ex aquilæ, in* Valerio Flacco *ex vulturis morſibus nata. Aquilæ circa cadaver* Theophylacto *ſunt vultures. In* Alberto, *& aliis, aquila & vultur ſæpe promiſcuè ſumuntur. Aquilæ* Arabes *multa tribuunt, quæ vulturis propria; caſtra ſequi, ut cadaveribus veſcatur, odoratu maximè valere, unguenti odore offendi,* &c. *II.* Obj. Rachama *legitur ex* India *lapidem afferre, quo ſublevatur partus. Is eſt lapis aetites, ſeu aquilinus. Ergo* rachama *eſt* aquila: Reſp. *Non ſolos* Arabes, *ſed & alios idem vulturi tribuere. Lapis* abutacion, *vox corrupta ex* ἐντόκιον, *vel* ὠκυτόκιον. *III.* Obj. *Si* דיה daja, *eſt* vultur, *ut probavimus, aliud eſt* רחם racham, *aut in hoc cenſu eadem avis diverſis nominibus bis prohibita.* Reſp. *Has eſſe vulturum diverſas ſpecies.* דיה daja, *vultur niger:* רחם racham, *vultur alis nigris, cætera albus, ut* περκνόπτερος, *ſeu* ὀρειπέλαργος. *Equus* ارخم archam, *qui nobis* pica. *Ovis* رخما rachma, *id eſt,* varia. *IV.* Obj. רחם racham, *à miſericordia dictus: at vulture nihil immanius.* Reſp. *Contrà, avis eſt juſtiſſima, & omnium ſui generis minimè noxia. Nihil animatum necat. A morticinis ſui generis abſtinet. Sata non lædit.* Romanis *ales fauſti ominis:* Herculi *quoque.* Indi, Perſæ, Hiſpani *mortuos ſuos vulturibus objiciebant; eos maximè, qui pro patria fortiter dimicantes occubuerant.* Ælianus *emendatus. Vultur* Junoni *&* Iſidi *ſacer. Apud* Ægyptios *miſericordiæ ſymbolum. Per* CXX *dies pullos ſuos vix deſerit. Eos, exſecto femore, nutrit proprio ſanguine: quod in Pelicanum perperam translatum. Etiam reliquas aves ab accipitre defendit, quomodo & tinnunculus. In* Homero, *&* Æſchylo, αἰγυπιοὶ *de pullis quam ſoliciti.* Ἤπιος *quid* Paulo. *Vultures patres in* Libya *à pullis ſuis ali.* Scaliger *vindicatus.* Leo Allatius *notatus.* Οἰωνὸς *non ſolum* avem *in genere, ſed & in ſpecie* vulturem *ſonat.* Heſychius *emendatus.*

CUm probaverimus hactenus רחם *racham*, eſſe *vulturem*, nonnulla videntur poſſe objici, unde ſequatur avem eſſe à vulture diverſam. Primo enim *Arabes, racham* definientes, *aquilam* eſſe disertè dicunt. *Alkazuinius*, رخمة طاير النسر Rachama *eſt avis aquila*, ſeu aquilini generis. *Alcamus*, الانوق العقاب الرخمة Anuk, *aquila, rachama.* Proinde in *Alkazuinio, rachama* paritura lapidem afferre dicitur ex *India*, lapidem alium in ventre habentem, & dolores partûs ſublevantem, id eſt, lapidem ἀετίτην, ſeu *aquilinum.* Is enim ità deſcribitur. *Plinius* libri decimi capite tertio, *Eſt lapis iſte prægnans, alio, cùm quatias, intus in utero ſonante. Dioſcorides* libro quinto, Ἀετίτης λίθος, ὁ ἐν τῷ κινεῖσθαι ἦχον ἀποτελῶν, ὡς ἑτέρου ἐγκύμων λίθου ὑπάρχων· *Lapis aquilinus, qui commotus ſonat, ceu lapide alio intra ſe concepto prægnans.* Et paulo poſt, Ἐν δὲ τῷ καιρῷ τῆς ἀποτέξεως, περίαπτε τῷ μηρῷ, καὶ ἐκτὸς ὠδίνων τέξεται. *Horâ partûs femori* (parturientis) *alliga, & pariet ſine dolore. Chryſermus* apud *Stobæum* Sermone nonageſimo octavo, Ἐν Εὐφράτῃ, ποταμῷ τῆς Παρθίας, γεννᾶται λίθος ἀετίτης καλούμενος· ὃν αἱ μαῖαι ταῖς δυστοκούσαις ἐπὶ τὰς γαστέρας ἐπιτιθέασι, καὶ παραχρῆμα τίκτουσιν ἄτερ ἀλγηδόνος. *In* Euphrate, Parthiæ *amne, lapis gignitur* aëtites *dictus: quem obſtetrices mulieribus in difficultate partûs ventri imponunt, & ſtatim ſine dolore pariunt.* Porrò, cùm ἀετίτην, ſeu *aquilinum*, ab aquila *Græci* appellent, non à vulture γυπίτην, ſeu *vulturinum*, ſequi videtur lapidem illum ab aquila, non à vulture afferri. Quod & aſſerunt priſci ſcriptores. *Plinius* ubi ſuprà, *Tribus primis, & quinto aquilarum generi inædificatur nido lapis aëtites.* Et libri 30. cap. 14. *Lapis aëtites in aquilæ repertus nido.* Et libri trigeſimi ſexti capite vigeſimo primo, *Aëtites lapis ex argumento nominis magnam famam habet. Reperitur in nidis aquilarum.* Sextus, *Aquilæ lapis in ventre ejus aut nido invenitur.* Iſidorus *Originum* libri decimi ſexti capite quinto, *Aëtites* (lege *Aëtitæ*) *lapides reperiuntur in nidis aquilarum. Horus* de aquila, libri ſecundi capite quadrageſimo ſexto; Ἐκεῖνος ἀπὸ θαλάττης ἢ ἀπὸ γῆς λίθον ἐπαίρει, καὶ τίθησιν εἰς τὴν ἰδίαν νεοττιάν. *Hæc è terra, vel mari, ſublatum lapidem in ſuum infert nidum. Philoſtratus* libri ſecundi capite ſeptimo, Τὰ δὲ τῶν ὀρνίθων τίς οὐκ οἶδεν, ὡς ἀετοὶ μὲν, καὶ πελαργοὶ, καλιὰς οὐκ ἂν πήξαιντο, μὴ πρότερον αὐταῖς ἐναρμόσαντες, ὁ μὲν τὸν ἀετίτην λίθον, ὁ δὲ τὸν λυχνίτην; *Quid aves faciant quis non novit, ut aquilæ, & ciconiæ, quæ nunquam nidos extruunt, quin lapides illis imponant; illa quidem aëtitem, hæc verò lychnitem lapidem? Ælianus* quoque *Hiſtoriæ* libri primi capite trigeſimo quinto aquilas nidis imponere ſcribit τὸν λίθον, ὅσπερ οὖν ἐξ αὐτῶν ἀετίτης κέκληται, *lapidem, qui ab ipſis aquilinus vocatur.* Sed & ipſi *Arabes* hunc lapidem docent in aquilæ nido reperiri. *Damir* in capite العقاب *Alokab*, quæ eſt aquilæ ſpecies,

حجر العقاب حجر يشبه
نوي التمر هندي اذا حرك سمع له
صوت فاذا كسر لا يري فيه شي
يوجد في عش العقاب والعقاب
يجلبه من بلد الهند

Lapis alokab (ſeu *aquila*) *lapis eſt ſimilis nucleo tamarindi, quo commoto ſonus auditur: tamen in eo fracto nihil videtur. Reperitur in nido* alokab (*aquilæ.*) *Et* alokab (*aquila*) *illum affert ex* India. Et ipſe *Alkazuinius* in capite *De* نسر ſeu *aquila*,

اذا كان اوان بيضها فالنسر
الذكر يمشي الي بلاد
الهند

الهند وياتي بحجر يوجد في بعض جبالها ويتركه تحت الانثي تخف عليه الالم *Cùm ova poſitura eſt aquila, mas, in* Indiam *ſe conferens, inde lapidem affert, qui in nonnullis terra illius montibus reperitur, & fœmina ſupponit ad dolores ejus ſublevandos.* Itaque apud eundem *Alkazuinium*, cùm avis *rachama* hunc ipſum lapidem dicatur ex *India* afferre, videtur omnino *rachamam* pro vera *aquila* ſumpſiſſe. Tertiò, cùm in cenſu avium prohibitarum דיה *daja*, tam ex rationibus, quàm ex veterum auctoritate, *vulturem* eſſe probaverimus, ſi רחם *racham*, etiam eſt *vultur*, eadem avis in eadem ſerie orationis diverſis nominibus bis à *Moſe* interdicetur: quod non videtur poſſe ferri. Quartò dici poteſt in vulture nihil eſſe, quod reſpondeat nomini רחם, *à miſericordia* ducto, & naturali στοργῇ erga pullos: cùm vultur ſit rapax avis, & carnivora,

—— roſtroque immanis adunco,

ut eſt apud *Poetam*, adeoque aliena maximè à tenerrimis illis affectibus, quibus mater in prolem exardeſcit: ut non immeritò ſcribat *Antonius Liberalis* Fabulâ vigeſimâ primâ, vulturem eſſe πάντων ὀρνίθων ἔχθιστον θεοῖς τε, καὶ ἀνθρώποις· καὶ διὰ παντὸς ἵμερον αὐτῷ κρέως καὶ αἵματος ἐνέβαλον ἀνθρωπείου, *omnium avium Diis hominibusque inviſiſſimum; cui perpetuum humanæ carnis & ſanguinis deſiderium* (Dii) *indiderunt.* Quin apud *Photium*, Auctore ducenteſimo vigeſimo tertio, *Theodorus*, vel *Diodorus* potiùs, *Tarſenſis* Epiſcopus, vulturem pullos ſuos nutrire negat. Διὰ τί δέ τινα τῶν ζώων, inquit, οὐ τρέφει τὰ γεννήματα, ὥσπερ πτηνῶν γῦπας, καὶ κόρακας; *Cur quædam animalia fœtus ſuos non nutriunt, ut in avibus vultures, & corvi?* Et infrà, Τίς δὲ κόρακας, καὶ γῦπας ἐδίδαξεν ἵπτασθαι· οὓς οὐδὲ τρέφειν οἱ γεγεννηκότες πεφύκασι; *Quis corvos, aut vultures volare docuit; quos ne quidem alere parentes ſolent?* Sed hæ objectiones nullo negotio diluentur.

Arabibus, inquiunt رخم *racham* eſt نسر *neſer*, id eſt, *aquila*, non *vultur*. Reſpondemus, quoſdam *Arabes*, non tamen omnes, ſic definire. *Damir* enim diſertè dicit الرخمة طاير ابقع يشبه النسر في الخلقة Rachama *eſt avis varia, ad aquilæ naturam accedens.* Itaque ex *Damiris* ſententia non eſt avis eadem cum aquila, ſed duntaxat illi ſimilis. Quod de vulture veriſſimum, de quo *Phile*;

Οὗ τὴν τε κεφαλὴν γε, βασιλεῦ, καὶ τὸ στόμα,
Κἂν μακρόθεν βλέπῃ τις, ἀετὸν λέγει·

Cujus caput, O Rex, & os ſi quis eminùs videat, aquilam eſſe dicit. Maximè in aquilarum genere percnopteri vulturinam habent ſpeciem. Unde vocantur γυπαίετοι, *vultur-aquila.* Ariſtoteles *Hiſtoriæ* libri noni capite trigeſimo ſecundo, Ἔστι δ' ἕτερον γένος (ἀετῶν) περκνόπτερος, &c. γυπὶ ὅμοιος· ὀρειπέλαργος καλεῖται, καὶ γυπαίετος. *Plinius* libri decimi capite tertio, *Quarti* (aquilarum) *generis eſt percnopterus, eadem oripelargus, vulturinâ ſpecie.* Alii *ægypios* vocant. *Ælianus Hiſtoriæ* libri ſecundi capite quadrageſimo ſexto, Τοὺς δὲ αἰγυπιούς, ἐν μεθορίῳ γυπῶν ὄντας καὶ αἰετῶν· *Ægypios, qui inter vultures & aquilas medii ſunt.* Sed & aquilas ex diverſo coitu tandem in vultures degenerare volunt magni Scriptores. Plinius, *Haliæeti ſuum genus non habent, ſed ex diverſo aquilarum coitu naſcuntur. Id quidem, quod ex iis natum eſt, in oſſifragis genus habet, è quibus vultures progenerantur minores: & ex iis magni, qui omnino non generant.* Quæ ſumpta ſunt ex his *Ariſtotelis Mirabilium*, Ἐκ τῶν ζευγῶν δὲ τῶν ἀετῶν θάτερον τῶν ἀγόνων ἁλιαίετος γίνεται παρὰ μέρος, ἕως ἂν σύζυγα γένηται, ἐκ δὲ ἁλιαιέτων φήνη γίνεται· ἐκ δὲ τούτων οἱ περκνοί, καὶ γῦπες. οὗτοι δὲ οὐκέτι διορίζουσι περὶ τοὺς γῦπας, ἀλλὰ γεννῶσι τοὺς μεγάλους γῦπας· οὗτοι δ' εἰσὶν ἄγονοι· Sed locum *Ariſtotelis* ità reddidit *Plinius*, ut quidquid erat difficile (nempe verba θάτερον τῶν ἀγόνων, & παρὰ μέρος ἕως ἂν σύζυγα γένηται) ſecuro ſaltu prætericrit. Ego priora, nimirum θάτερον τῶν ἀγόνων, corrupta eſſe puto, & pro iis legendum θάτερον τῶν ἀγεννῶν· ut hic ſit ſenſus loci totius, “Ex paribus aquilis unam ignobilem alternis naſci, “haliæetum ſcilicet. Et, cùm σύζυγα nata ſunt, id eſt, “binæ aquilæ degeneres, ſeu bini haliæti; ex iis naſci “oſſifragas, ex oſſifragis percnos, & vultures: quorum “genus non mutatur ampliùs. Hi enim alios vultures “generant, ſed majores, & ſteriles. Cùm ex iis, quæ dicta ſunt, ſequatur inter aquilas & vultures magnam eſſe cognationem, nemo mirabitur has aves à ſcriptoribus ſæpe confundi, atque unam pro altera ſumi. Quod ut exemplis probemus, *Promethei* jecur ab aquila fuiſſe exeſum tradunt *Heſiodus Theogoniæ* verſu 523. *Æſchylus* in *Prometheo vincto* verſu 996. *Apollonius Argonauticῶn* libri ſecundi verſu 1254. & libri tertii verſu 851. *Actius* in *Prometheo*, *Apollodorus* libro primo & ſecundo, *Diodorus* libro quarto, *Philoſtratus*, libro ſecundo, *Plutarchus* libro *De fluminibus* in *Phaſi*, *Lucianus* in *Prometheo* & in *Sacrificiis*, *Pherecydes* libro ſecundo, *Agrætas* in *Scythicis* libro decimo tertio, *Durus* & *Herodorus* apud *Apollonii* Scholiaſtem, *Servius* in *Virgilii Eclogam* ſextam, *&c.* Tamen *Fulgentius* libro ſecundo *Mythologicῶn Prometheum* nobis deſcribit *vulturi fero jecur perenne præbentem*: & auctores citat *Nicagoram* in libro *Diſtemithea* (lego *De Prometheo*) & *Ariſtoxenum* in *Epimetheiorum* libro, & *Petronium Arbitrum* in his *Hendecaſyllabis*,

Cui vultur jecur (a) ultimum pererrat,
Et pectus trahit, intimaſque fibras,
Non eſt, quem (b) tepidi vocant Poëtæ;
Sed cordis mala, livor, atque luxus.

(a) Al. intimum.
(b) Al. lepidi.

Ubi tamen, pro *Non eſt, quem tepidi*, aut *lepidi, vocant Poëtæ*, quidam non malè legunt, *Non eſt, quem* Tityum, *&c.* Quæ lectio ſi admittatur, de *Prometheo* non egerit *Petronius*, ſed de *Tityo*; de quo *Poëta* ſummus libro ſexto *Æneidos*,

—— roſtroque immanis vultur obunco
Immortale jecur tundens. ——

Et multò ante fabularum parens *Odyſſ.* λ'.

Γῦπε δέ μιν ἑκάτερθε παρημένω ἧπαρ ἔκειρον,
Δέρτρον ἔσω δύνοντες,

Duo autem vultures utrimque incumbentes jecur fodicabant, cute intùs penetratâ. Fortaſſe igitur *Petronii* verborum prava lectio *Fulgentium* decepit. At illud *Valerii Flacci* de herba *Promethea Argonauticῶn* libri ſeptimi verſu 357.

——Prometheæ *florem de ſanguine fibræ*
Caucaſeum *tonitru, nutritaque gramina, promit,*
Quæ ſacer ille, nives inter, triſteſque pruinas,
Durat, editque cruor, cùm gutture vultur adeſo
Tollitur è ſcopulis, & roſtro irrorat aperto.

Illud, inquam, *Valerii* ſi conferas cum his *Apollonii* de hac eadem herba *Argonauticῶn* libri tertii verſu 850.

Πρωτοφυὲς τό γ' ἀνέσχε καταστάζοντος ἔραζε
Αἰετοῦ ὠμηστέω κνημοῖς ἔνι Καυκασίοισιν,
Αἱματόεντ' ἰχῶρα Προμηθῆος μογεροῖο.

Palàm videbis *Valerium* ex aquila vulturem feciſſe! Quomodo è noſtris *Theophylactus*, cùm aquilas, de quibus *Chriſtus Matth.* 24. *v.* 28. vult pro vulturibus haberi. Ἐπὶ νεκρὸν σῶμα, inquit, συνάγονται ὀξέως οἱ ἀετοί, οἱ γῦπες δηλαδή. *Ad cadaver aquilæ, id eſt,* vultu-

vultures ſtatim congregantur. *Geſnerus* quoque *Albertum*, & alios quosdam recentiores, vulturem cum aquila paſſim confundere obſervat. Et ſe tuetur *Albertus Ariſtotelis* auctoritate, quem aquilam & vulturem ad idem genus referre ſcribit: quod *Geſnerus* meritò negat. Tamen *Alberto* cauſa fuit, cur id crederet. Is enim neque *Ariſtotelis Græcum* textum legerat, neque *Latinam* verſionem ex *Græco* textu, ſed ex *Arabico* expreſſam. Ità enim ferebant tempora, quibus vixit *Albertus*. Tum nemo erat inter *Latinos*, qui *Græcos* ſcriptores *Græcè* legeret, aut *Latinè* redderet: tantùm *Arabes* conſulebantur, qui *Græcè* quidquid extabat in ſuam linguam transtulerant, & ex illorum verſionibus *Græca Latinè* utcunque reddebant barbari interpretes. *Arabes* porrò vocem نسر *neſer*, quæ propriè *aquilam* ſonat, ad *vulturem* usque extendunt. Unde eſt, quòd τῷ *neſer* ea quandoque tribuunt, quæ ſunt vulturis propria. Sic ad vulturem pertinet quod dicit *Alkazuinius*, النسر يتبع العساكر لطعمة في لحم القتال τ̃ *neſer caſtra ſequi, ut occiſorum carne veſcatur*. Item, ياكل الجيف حتي لا يقدر على الطيران *Cadaveribus ità ſaturari, ut volare amplius non poſſit*. Sed & vulturis potiùs, quàm aquilæ, ſunt propria hæc *Damiris* in cap. نسر *Neſer* وهو حاد البصر يري الجيفة من اربع مائة فرسخ وكذلك حاسة شمه الي النهاية لكنه اذا شم الطيب مات لوقته *Eſt acutiſſimi viſûs, ità ut cadaver videat à quadringentis paraſangis. Et odoratus pariter in eo eſt intenſiſſimus. Proinde, cum ſentit unguentum, ipſo momento moritur.* Nam viſu quidem aquila maximè valet, ut ſuo loco (c) probatum; Sed odorandi vis in vulture major eſſe creditur. Unde *Lucretius* libro quarto,

(c) Cap. 2. pag. 174. lin. 17. &c.

Mellis apes quamvis longè ducantur odore,
Vulturiique cadaveribus. ——

Et *Apuleius* in *Apologia* prima, *Sin verò naribus nidorem domeſticum præſenſit, vincit idem ſagacitate odorandi canes, & vulturios. Cui enim cani, cui vulturio Alexandrini cœli quidquam ab uique Æcenſium finibus oboleat?* Et *Sidonius* libri ſeptimi Epiſtolâ decimâ quartâ, *Proferunt odorandi ſubtilitatem, tanquam non præcedat vultur olfactu.* Hinc verſus in ore vulgi.

Vultur odoratu, præcellit aranea tactu.

Iſidorus tamen, *Originum* libri duodecimi capite ſeptimo, vulturibus aquilas jungens, *Vultures*, inquit, *ſicut & aquilæ, etiam ultra maria cadavera ſentiunt.* Sed illum, hæc ſcribentem, viſum potiùs, quàm odoratum reſpexiſſe palàm faciunt ſequentia: *Altiùs quippe volantes, multa, quæ montium obſcuritate celantur, ex alto illi conſpiciunt.* Verùm, ut cætera taceam, hoc ſaltem, quod addit *Arabs*, *neſer*, ſeu *aquilam* unguenti odore offendi, nonniſi de vulture à veteribus ſcribi conſtat. Sic *Ariſtoteles* in *Mirabilibus*, Λέγεται καὶ τὺς γῦπας ὑπὸ τῆς τῶν μύρων ὀσμῆς ἀποθνήσκειν· *Ajunt etiam vultures ab unguentorum odore exanimari.* *Theophraſtus* libri ſexti *De cauſis plantarum* capite quarto quædam animalia aſſerit ὑπὸ τῶν ἡδίςων ἡμῖν ἀναιρεῖσθαι, καθάπερ οἱ γῦπες ὑπὸ τῶν μύρων, *ab iis perimi, quæ nobis ſuaviſſima ſunt, ut vultures ab unguentis.* Et in libro *De odoribus*, Ποιεῖ δ' ἔνια φαίνεται ταῖς ὀσμαῖς, καὶ ταῖς εὐωδίαις, εἴπερ ἀληθὲς τὸ ἐπὶ τῶν γυπῶν· *Quædam etiam odore & fragrantiâ lædi apparet, ſi verum eſt, quod de vulturibus traditur.* *Plinius* libri undecimi capite quinquageſimo tertio, *Vultures, unguento qui fugantur, alios appetunt odores.* Ælianus *Hiſtoriæ* libri tertii capite ſeptimo, Εὐωδία δὲ, καὶ μῦρον γυψὶν αἴτια θανάτου· *Fragrantia, & unguentum vulturibus mortem affert.* Et libri quarti capite decimo octavo, Γυψὶν γε μὴν τὸ μύρον ὀλέθριός ἐστι· *Vulturum pernicies unguentum eſt.* *Clemens* libri ſecundi *Pædagogi* capite octavo, Μὴ λάθωμεν, ὥσπερ οἱ γῦπες τὰ μύρα βδελυττόμενοι· *Ne inſcii, tanquam vultures, ab unguentis abhorreamus.* Euſtathius *in* Hexaëmeron, Φασὶ δὲ τὸ γῦπα τὰ ῥόδινα μύρα χρισθέντα ἀποθνήσκειν· *Vulturem ajunt roſaceo unguento unctum interimi.* Phile *De animalibus* capite ſecundo, ubi de vulturibus;

Οἱ τῷ μύρῳ θνήσκουσι, κανθάρων δίκην·

Qui unguento perimuntur, ut canthari. Vides lector ubique de vulturibus id tradi, nusquam de aquilis. Apparet igitur *Arabes*, qui τῷ *neſer* hoc idem tribuunt, nomine *neſer* non ſolam *aquilam*, ſed & *vulturem* ſignificâſſe. Itaque cùm apud *Arabes* nomen *neſer* ad *aquilas* & *vultures* generale ſit, ex eo, quòd *rachamam* cenſent inter ſpecies τῦ *neſer*, non ſequitur *rachamam* ab illis non haberi pro *vulture*. Quid, quòd etiam *Philoſophus* hoc vulturis genus inter aquilas cenſet, ut infra docebitur, quamvis vulturinam ſpeciem & mores illi aſſignet, ac proinde vocet γυπαίετον?

II. Secunda objectio hæc erat, *rachamam* in *Alkazuinio* ex *India* afferre lapidem *abutacion*, concavum, & ſonorum, & ad partus utilem: qui cùm non poſſit alius eſſe, quàm lapis ἀετίτης, ſeu *aquilinus*, etiam avem, à qua affertur, videri eſſe aquilam. *Reſpondeo*, Veteres quidem ſoli aquilæ, ſed abhinc aliquot ſæculis recentiores etiam vulturi id tribuiſſe. *Hieronymus*, vel quisquis auctor eſt Epiſtolæ *De cereo Paſchali* ſub *Hieronymi* nomine; *Vultur, cùm cœperit ova edere, primùm de terra Indiæ inſtintium ſumit: & eſt tanquam nux, & intùs habet aliquid, quod movetur, & ſonum reddit. Hoc ſibi apponit, & multos quidem facit fœtus, unus verò remanet.* *Euſtathius* in *Hexaëmeron* de vulture, Καὶ ἔγκυος (lege ἔγκυος) γενόμενος πορεύεται εἰς τὴν Ἰνδικὴν, καὶ λαβὼν τὸν εὐτόκιον λίθον οὕτω καλούμενον, ἐπάνω αὐτοῦ καθέζεται, συνεχόμενος ὠδῖσι, καὶ ἀποτίκτει. Ἔςι δὲ ὁ λίθος περιφερὴς ὡς κάρυον· καὶ κινούμενος ἦχον ἀναπέμπει ὡς κώδων, ἔνδοθεν ἑτέρου λίθου κινουμένου. *Cùm concepit* (vultur) *in* Indiam *proficiſcitur, & lapidem, quem vocant* eutocion, *ſuſcipit, ſuper quem in partûs doloribus ſedet, & parit. Eſt autem lapis rotundus nucis inſtar: & cùm quatitur, ſonum edit ut tintinnabulum, alio lapide intus moto.* Rectè εὐτόκιον λίθον vocat ab argumento; quia *partus promovet*, quamvis alii ὠκυτόκιον malint. *Harpocratio Alexandrinus*, Ὠκυτόκιος λίθος ἐςὶν ἐοικὼς τῷ ἀετίτῃ, μικρότερος δὲ ἐκείνου· πλὴν ἀπηχῶν ὡς ἐκεῖνος ἐν τῷ κινεῖσθαι πρὸς τὸ οὖς. ἔςι δὲ καὶ λεῖος τῇ θίξει. *Ocytocius lapis eſt aetiti ſimilis, illo minor: ſed, ad aurem cùm movetur, eodem modo ſonans. Levis autem apparet.* Hâc voce *Dioſcorides* aliquoties utitur, ſed Adjectivè ſolùm: ut cùm libro quinto ſcribit jaſpides eſſe φυλακτήρια περίαπτα, καὶ ὠκυτόκια μηρῷ περιαπτόμενα, *inter amuleta, quæ alligantur, & femori adalligata partum accelerare.* Ex his emenda voces nihili, in Epiſtola *De cereo*, *Inſtintium*; & in *Alkazuinio* ابوطاقيون. Et اوطقيون εὐτόκιον reſcribe, vel, ſi mavis اقوطقيون ὠκυτόκιον.

III. Ad tertiam objectionem reſpondemus, דיה *daja*, & רחם *racham*, à *Moſe* ſeparatim prohiberi;

ri; quamvis utraque vox *vulturem* ſonet: quia ſunt vulturum diverſæ ſpecies. Cùm enim דיה *daja*, ſit *vultur niger*, ut ſuprà (d) probavimus, qui *Arabicè* dicitur انوق *anuk*: רחם *racham*, eſt طاير ابقع *avis varia*, ut ſcribit *Damir*; quia ſolis alis nigricat, cætera alba. Ità definiunt *Bellunenſis* & *Giggeius*. Proinde equus, quem à colorum mixtura vernaculo ſermone *picam* vocamus, *Arabicè* dicitur ارخم *archam*: & ovis ità varia رخما *rachma*. Alcamus شاة رخما بيضا راسها سودا سيرها *Ovis* rachma, *quæ capite albo eſt, cætera nigra.* Item فرس ارخم *Equus archamo*, qui eſt ita varius. Tanquam ab ave ſumpto nomine, cui colores pariter miſti. Proinde jure merito conjicit Vir in his literis princeps hâc voce ſignificari *Ariſtotelis* περκνόπτερον, ſeu ὀρειπέλαργον· qui *percnopterus* vocatur *à nigris alis*; & *oripelargus*, id eſt, *ciconia montana*, quia, ciconiæ inſtar, partim albus eſt, partim niger. Idem à *Philoſopho* ſic cenſetur inter aquilas, ut γυπαίετος, id eſt, *vultur-aquila*, nominetur; quia externa ſpecie eſt γυπὶ ὅμοιος, *vulturi ſimilis*, & vulturinos habet mores. Non poſſum capere, unde hæc ſuboluerint *Anglicano* interpreti, qui Gier-eagle/ id eſt, *vultur-aquilam*, hic habet. An *Geſnerum* ſequitur, qui *Bellunenſem* viderat? Sunt etiam ex *Arabibus*, quibus *rachama* eſt *oſſifraga*. *Golius* noſter, *Per* Perſicum استخوان رند *id eſt, oſſifraga, exponitur apud* Meidanum, *& alios*. Pandectarius Arabs, *Arathamathi, id eſt, frangens oſſa. Arathamathi* corruptum ex الرخمة *arrachamath*: & *frangens oſſa* eſt *oſſifraga*. Sed prius verum.

IV. Ad quartam objectionem, Nomen רחם *racham*, ductum ἀπὸ τῆς φιλοστοργίας, parum convenire vulturi, cùm ſit avis immaniſſima: *Reſpondeo*, Vulturem apud vulgus malè audire, & pro ave immani haberi; quia humanâ carne veſcitur: ſed *Græcos* & *Ægyptios*, qui vulturis naturam penitius introſpexerunt, longè aliter de illo pronuntiare. *Herodorus Ponticus* apud *Plutarchum* in *Romulo*, & in *Romanis Quæſtionibus*, vulturem omnium ſui generis animalium eſſe δικαιότατον, καὶ ἀβλαβέστατον, *juſtiſſimum, & minimè noxium*, tribus probat rationibus. Prima eſt, quòd οὐδενὸς ἅπτεται ζῶντος, οὐδὲ ἀποκτίννυσιν ἔμψυχον οὐδὲν, ὡς ἀετοὶ, καὶ ἱέρακες, καὶ τὰ νυκτινόμα, χρῆται δὲ τοῖς ἄλλως ἀποθανοῦσιν, *nihil vivum attingit, neque animatum quidquam interficit, ut aquilæ, & accipitres, & nocturnæ aves, ſed morticinis ſolùm utitur.* Secunda, quod καὶ τούτων τὰ ὁμόφυλα παρίησι· πετεινοῦ γὰρ οὐδεὶς ἑώρακε γῦπα γευόμενον, ὡς ἀετοὶ, καὶ ἱέρακες, μάλιστα τὰ συγγενῆ διώκουσι, καὶ κόπτουσιν· *etiam è morticinis ea præterit, quæ ſunt ſui generis: aves enim à vulture guſtari nemo vidit, quas aquilæ & accipitres potiſſimùm, inſectantur, & occidunt.* Tertia, quod ἀνθρώποις ἀβλαβέστατός ἐστιν, οὔτε καρπὸν ἀφανίζων, οὔτε φυτὸν, οὔτε ζῷον ἥμερον κακουργῶν, *hominibus minimè nocet, cùm neque fruges perdat, neque plantas, neque ullum manſuetum animal lædat.* Quod ſequutus *Euſtathius* in *Hexaëmeron* obſervat σπέρματα μὴ βλάπτειν αὐτὸν, μηδέ τι ἔμψυχον δηλυμαίνεσθαι, καὶ μηδὲ νεκρῷ προσέρχεσθαι πετεινοῦ διὰ τὴν συγγένειαν, *eum neque ſata lædere, neque nocere cuiquam animato, neque ad ullius avis cadaver accedere propter cognationem.* Proinde vultur à *Romanis* habebatur pro fauſtâ alite. Et *Hercules* quoque (teſte *Herodoro* apud *Plutarchum*) πάντων μάλιστα γυψὶν ἐπὶ πράξεως ἀρχῇ φανεῖσιν ἔχαιρεν, *in rerum agendarum initiis vulturibus oblatis maximè delectabatur.* Quid, quòd *Indos* mortuorum corpora vulturibus objeciſſe auctor eſt *Sextus Philoſophus* libri tertii *Pyrrhoniarum Hypotheſeon* capite decimo quarto? Quale quid in uſu fuiſſe etiam apud *Perſas* multis probat *Briſſonius* in fine libri ſecundi *De regno Perſico*. Sed & *Hiſpanos* idem factitaſſe teſtantur hæc *Silii* libri decimi tertii verſu 470.

> *Tellure, ut perhibent, is mos antiquus* Iberâ,
> *Exanima obſcœnus conſumit corpora vultur.*

Quod de iis intelligendum, qui in bello occubuerant pro patria fortiter dimicantes. Ità enim idem libri tertii verſu 340.

> *Venere &* Celtæ *ſociati nomen* Iberis.
> *His pugnâ cecidiſſe decus, corpuſque cremari*
> *Tale nefas. Cœlo credunt Superiſque referri,*
> *Impaſtus carpat ſi membra jacentia vultur.*

Et *Ælianus Hiſtoriæ* libri decimi capite vigeſimo ſecundo, Βαρκαῖοι, γένος δὲ τοῦτό ἐστιν Ἑσπέριον, τοὺς ἀποθανόντας νόσῳ τοὺς νεκροὺς ὑβρίζουσι, ὡς ἀνάνδρως καὶ μαλακῶς τεθνεῶτας, θάπτουσι· τοὺς δὲ ἐν πολέμῳ βίον καταστρέψαντας, ὡς καλοὺς, καὶ ἀγαθοὺς, καὶ ἀρετῆς μετειληχότας, γυψὶ προβάλλουσιν ἱερὸν τὸ ζῷον εἶναι πεπιστευκότες. Barcæi, *gens* Hiſpanica, *ex aliquo morbo mortuos per contumeliam igne cremant, ut muliebriter & ignaviter defunctos: eos verò, qui in bello occubuerunt, ut viros bonos & fortes, & eximiæ virtutis, vulturibus objiciunt, quia ſacrum putant eſſe hoc animal.* *Barcæi* quidem in *Hiſpania* nulli ſunt: ſed legendum Βακκαῖοι, ut in *Stephano*; Βακκαῖοι Ἰσπανίας ἔθνος, *Baccæi gens Hiſpanica*: nempe qui aliis *Vaccæi*. Neque dubium, quin ſic ſcripſerit *Ælianus*: qui, poſt inſerta nonnulla de *Romuli* duodecim vulturibus, addit apud *Ægyptios* vulturem eſſe *Junoni* ſacrum, & ejus pennis ornari caput *Iſidis*, & τῶν προπυλαίων ὀρόφους *veſtibulorum faſtigia*.

Sed & aliud eſt, quod à lectore nolim oſcitanter præteriri; quia inde noſtræ interpretationi magnum pondus accedit. *Horus Apollo* auctor eſt eosdem *Ægyptios* in *Hieroglyphicis* ſuis miſericordem picto vulture ſignificâſſe. Verba ſunt libri primi capite undecimo, Μητέρα δὲ γράφοντες, ἢ ἐλεήμονα. γῦπα ζωγραφοῦσι. *Ut matrem, aut miſericordem, ſignificent, vulturem pingunt.* Atque ut ſcias hanc ipſam miſericordiam intelligi, quam *Hebræi* proprio nomine רחם *rechem*, appellant, id eſt, τὴν πρὸς τὰ τέκνα φιλοστοργίαν, hanc cauſam affert idem ſcriptor, cur vulturis imagine pingatur miſericors: *Quia, nimirum, centum illis ac viginti diebus, quibus fœtus ſuos mater educat, ferè nunquam evolat, ſed de pullis ſuis tantùm, ac eorum nutricatione ſollicita eſt. Iis porrò diebus, cùm quo eos ſuſtentet nihil ſuppetit,* τὸν ἑαυτῆς μηρὸν ἀνατέμνουσα, παρέχει τοῖς τέκνοις τοῦ αἵματος μεταλαμβάνειν, ὡς μὴ ἀπορήσαντα τροφῆς ἀναιρεθῆναι, *proprio exſecto femore, pullis ſuis præbet ſanguinem ſuum exſugendum, ne cibi penuria conficiantur.* Quæ eadem refert *Piſidas* verſu 1064. ubi de vulturibus,

> Τὸν μηρὸν ἐκτεμόντες, αἱματουμένοις
> Γάλακτος ὁλκοῖς ζωπυροῦσι τὰ βρέφη.
> Καί μοι δοκεῖ τὸν γῦπα σεμνῦναι πλέον
> Τῇ συμπαθείᾳ τοῦ γόνου τετμημένον,
> Ἢ τὸν μέγιστον εἰς ἀσέλγειαν Δία
> Τμηθέντα μηρὸν εἰς γονὴν ὀλεθρίαν.

Femore exſecto, ſanguineo lactis defluxu ſuos fœtus refocillant. Et apud me quidem pluris eſt vultur, qui prolis ſuæ commiſeratione ſe ipſum exſecat, quàm Jupiter *ille maximus, qui propter pernicioſum fœtum* (id eſt, *Bacchum*) *femur ſuum abſcidit.* Hæc igitur vera ratio nominis רחם *racham*: cujus hiſtoriam *Patres* interpolârunt, ut pelecano tribuerent quod vulturis erat proprium. De ejuſdem pietate erga pullos ſic *Vincentius Doctrinalis* libri decimi ſexti capite centeſimo ſeptuageſimo, *Pullos ſuos uſque quo poſſint volare nutrit; ſeque pro eis periculo exponit: dum etiam fortiorem ſe, volentem eos diripere, ſuis unguibus vulnerat,*

&

(d) Cap.9. pag.195.&c.

& alis percutit. Neque veteres *Græcos* latuit ſumma illa vulturis στοργὴ & pietas in ſuos fœtus. In quam rem inſignis eſt *Æſchyli* locus in *Agamemnone*, ſed à ſcribis & interprete peſſimè acceptus. Ibi *Agamemnonem* & *Menelaüm* ereptæ *Helenæ* cauſa *Trojam* navigâſſe dicit

Τρόπον αἰγυπιῶν· οἵ τ' ἐκπατίοις
Ἄλγεσι παίδων ὕπατοι λεχέων στροφοδινοῦνται,
Πτερύγων ἐρετμοῖσιν ἐρεσσόμενοι, δεμνιοτήρη
Πόνον ὀρταλίχων ὀλέσαντες. ——

More vulturum; qui per devia dolore ereptorum *pullorum ſublimes à nidis per gyros circumaguntur, remigiis alarum remigantes, amiſſo labore, quem in pullorum ſtrato* (ſeu *nido*) *ſervando inſumpſerant.* Pro ἄλγεσι παίδων, *dolore pullorum* (ſupple *ereptorum*) ridiculè habent editiones, ἄλγεσι ποδῶν, *dolore pedum.* Unde eſt, quòd *Latinus* interpres à *Poëtæ* mente abit quàm longiſſimè. Sed editio Stephani rectè habet ἄλγεσι παίδων, neque aliter vetus Scholiaſtes. *Æſchylo* præiverat *Homerus*, qui *Odyſſ.* π'. verſu 216. *Ulyſſem*, & *Telemachum* in mutuo amplexu refert uberiùs fleviſſe, quàm oſſifragæ, aut vultures, quibus ruſtici pullos ademerunt, antequàm ad volatum inſtructi eſſent. Verba ſunt,

Κλαῖον δὲ λιγέως ἀδινώτερον, ἤ τ' οἰωνοὶ
Φῆναι, ἢ αἰγυπιοὶ γαμψώνυχες, οἷσί τε τέκνα
Ἀγρόται ἐξείλοντο, πάρος πετεηνὰ γενέσθαι.

Cur vulturibus oſſifragas, ut pariter pias, junxerit, eſt notiſſimum. Ham & oſſifraga in *Oppiano*, libro primo *Halieuticῶn*, legitur, mulieris inſtar, gemere, & plorare, ſi quis ei unum ex pullis ſuffuratus fuerit, neque nidum deinceps relinquere, cibo neglecto. Neq; ſolùm in pullos ſuos, ſed & in alienos eſt miſericors. *Ejectos enim ab aquilis pullos* (inquit *Plinius*) *cognatum genus oſſifragæ excipiunt, & educant cum ſuis.* Et *Antigonus* Hiſtoriâ quinquageſimâ ſecundâ, Ὁ δὲ Ἀριστοτέλης φησὶ τὴν φήνην τοὺς ἐκβαλλομένους τῶν νεοττῶν ὑπὸ τοῦ ἀετοῦ λαμβάνειν, καὶ ἐκτρέφειν. Ariſtoteles *dicit oſſifragam pullos ab aquila ejectos excipere, & educare.* Nempe *Hiſtoriæ* libri noni capite trigeſimo quarto, Ἡ δὲ καλουμένη φήνη ἐστὶν εὔτεκνος, καὶ τὰ τέκνα ἐκτρέφει, καὶ τὰ αὑτῆς, καὶ τὰ τοῦ ἀετοῦ· *Quæ* phene *vocatur* (id eſt, *oſſifraga*) *eſt pia, & præter ſuos etiam aquilæ pullos alit.* Ἤπιος hic idem, quod *pius*, & pertinet ad pietatem, & miſericordiam erga pullos, quos alit, ut ſit ferè idem, quod רחם *rachum.* Quomodo *Paulus* uſurpans 1. *Theſſal.* 2. *v.* 7. Ἐγενήθημεν, inquit, ἤπιοι ἐν μέσῳ ὑμῶν, ὡς ἂν τροφὸς θάλπῃ τὰ ἑαυτῆς τέκνα. Itaque inter vulturem & oſſifragam magna eſt morum ſimilitudo. Ex quo factum, ut *Philoſophus* in libro *Mirabilium*, & ex eo *Plinius* ab oſſifragis vultures progenerari aſſerat. Et non pauci oſſifragam inter vulturum ſpecies recenſeant, in his *Kiranides, Geſnerus, Dalechampius*: ut quoſdam *Arabum* jam diximus رخمة *rachamam*, pro *vulture*, *oſſifragam* interpretari. Interim ex his jam conſtat falli graviter *Diodorum Tarſenſem*, cùm vultures ſcribit μὴ τρέφειν τὰ γεννήματα, *fœtus ſuos non alere*: niſi *vulturum* nomine *aquilas* intelligat; quamvis ne de aquilis quidem ſit ſimpliciter verum, ut ſuo loco (e) docuimus.

(e) Cap. 3. pag. 180. lin. 61. &c. *ſupra.*

Vulturis clementia, & benignitas, ex eo quoque maximè apparet, quòd non ſolùm proprios fœtus, ſed & reliquas aves ab accipitre tuetur, ſi *Caſſiodoro* credimus libri ſecundi Epiſtolâ decimâ nonâ. *Proh dolor!* inquit, *pietas in avibus invenitur, quæ ab humana conditione deſeritur. Vultur ipſe, cui vita eſt cadaver alienum, tantæ magnitudinis corpus nec exiguis alitibus probatur infeſtus: ſed magis accipitrem, vitam plumigerarum avium perſequentem, alis cadit, ore dilaniat, totoque ſuo pondere periclitantibus nititur ſubvenire.* Et paulò poſt de ſervis agens, qui dominum occiderant; *Fiat ergò paſtus pii vulturis, qui necem potuit crudeliter deſiderare paſtoris.* Vides, lector, *pium* vocari vulturem, & in pietatis exemplum proponi, ut qui non ſolùm proprios pullos, ſed & quaſcunque volucres in clientelam ſuam recipiat, ut pro viribus ſartas tectas ab omni periculo conſervet. Quale quid de tinnunculo ſcribit *Plinius* libri decimi capite trigeſimo ſeptimo, *Defendit tinnunculus columbas, terretque accipitres naturali potentiâ in tantum, ut viſum vocemque ejus fugiant.*

Sed & aliud στοργῆς argumentum in vulture his verbis me docuit *Scaliger* in *Cardanum* Exercitatione 231. Africanum *vulturem tamdiu in* Libya, & Atlante *monte, ubi eum* ſner *vocant, ajunt vivere, quoad nudus pennis à ſuis alatur pullis: ut aliud verbum jam* Græcis *fingendum ſit,* quàm ἀντιπελαργεῖν, *nempe* ἀντιγυπεῖν. Quæ verba eùm neminem lædant, non capio, cur cymbalum mundi, *Leonem Allatium*, ità commoverint, ut ex iis materiam ſumpſerit in Virum multò maximum impotenter debacchandi, in *Notis* ad *Euſtathii Hexaemeron* pag. 225. *Lepidiſſimè*, inquit, *jocatur in* Græcos, *quaſi ex hac hiſtoria fingendum ſit iis aliud nomen, quàm* ἀντιπελαργεῖν, *nempe* ἀντιγυπεῖν. *Hac tamen tantus homo*, Græcæ *linguæ* Latinæque *corrector*, *& propagator*, κομψεύεται, καὶ δοκεῖ ἐν τρίποδος βάσει λιβανοῦν, *& ſibi bene olere videtur. Nomen* Græcis *effingendum a vulture deſumi debet, cujus natura, ingeniumque exprimendum: non ab avibus, quorum plerique in parentes impii eſſe deprehenduntur.* In quibus hæc notanda, *Quorum* (avium) *plerique impii.* Neſcivit enim cenſor *Scaligeri aves* eſſe Fœminini generis, quod ſub ferula pueri diſcunt. At hæc levia præ iis, quæ ſequuntur: *Sed* Scaligero *ſicut ſonant omnia, ità & hoc. Et* Scaliger *ità effingit*, Græcus *non item; qui, ſi à vulture id vellet formare, utique nec id incongruè diceret* ἀντιγυπίζειν. Et paulò poſt, tanquam re benè geſtâ, *En* (inquit) Græculos *ſciolos, quos tu malè contra fas omne laceras iniquus! Utut ſunt, tuas tamen agnoſcunt & inſcitias, & nugamenta. Aliis fumum vendita, illi lucem poſſident.* Ac ſi *Græcos* laceret, qui ſcribit illis de vulture jam dicendum ἀντιγυπεῖν, ut de ciconia ἀντιπελαργεῖν. Nam hoc ſolum ſcripſit *Scaliger*. Itaque cur tot Tragœdias excitaret cauſa non fuit. Neque *Græcum* hominem latere debuit multis abhinc ſæculis οἰωνὸν à pleriſque *Grammaticis* γῦπα reddi. *Etymologicum magnum*, Οἰωνὸς, ὄρνις, ὁ γὺψ· παρὰ τὸ οἴω τὸ μόνον γίνεται. φασὶ γάρ τινες, ὅτι οὐχ ὑπὸ ἄρρενος μίξεως ἀλλ' ἐκ ζεφύρου ... τίκτειν, &c. *Cyrilli Lexicon* ἀνέκδοτον, quod penes me habeo; Οἰωνὸς, ὁ γὺψ, &c. ferè ut in *Etymologico*. Scholiaſtes *Sophoclis* in *Ajacem* verſu 842. Οἰωνοῖς, γυψὶ κυρίως δὲ οἱ γῦπες. *Oppiani Scholiaſtes* in *Halieuticῶn* libri primi verſum vigeſimum nonum, Οἰωνοὶ, τὰ ὄρνεα, κυρίως δὲ οἱ γῦπες, ἀπὸ τοῦ οἴω τὸ μόνω. Μονογαμίαν γὰρ συλλαμβάνει ὑπὸ τοῦ ἀνέμου, μὴ ὄντος ἄρρενος. *Jo. Tzetzes* in *Heſiodi Opera & Dies*, Οἰωνοὶ κυρίως οἱ γῦπες, ὡς εἰσὶ, ἤτοι μόνοι, δίχα συνουσίας, ὑπηνέμια γεννῶντες. Et *Chiliadis* decimæ tertiæ Hiſtoriâ 474.

Γῦπες κυρίως οἰωνοὶ. θῆλυ γὰρ πᾶν τὸ γένος.
Οἶαι, καὶ μόναι, κύουσαι ἀέρα, μηδ' ἐξ ἄρρενος.
Ὁ ἀγὰρ ὑπηνέμια γεννῶσιν, ὡς προεῖπον.
Οὕτω κυρίως οἰωνοὶ καλοῦνται μὲν οἱ γῦπες,
Καὶ πάντα δὲ τὰ ὄρνεα καταχρηστικωτέρως.

Hæc, mi *Allati*, ſi ſciviſti, quâ fronte dicam inſcitiæ *Scaligero* ſcripſiſti, pro vero id ſupponenti, quod tuorum popularium doctiſſimi tam disertè aſſerunt, & conſenſu tam unanimi? Aut, ſi neſciviſti, cùm ea ignores, quæ maximè protrita, & in ore vulgi ſunt, quâ fronte cum tali viro te committere auſus es, non veritus, ne vulgatum illud tibi objiceretur,

—— *Impar congreſſus* Achilli,

& tuorum Adagium,

Νεκρῷ σῶμα λέων ἐρυθρῶ ἐμυζεῖ λαγωοί.

Fateor interim, quod nemo neſcit, οἰωνὸν ſæpe ſumi pro *ave* qualibet, maximè, ſi ſit *rapax*, aut *carnivora*: ut *Iliados* ſtatim initio,

Οἰωνοῖσι

Οἰωνοῖσί τε πᾶσι. ——

id eſt, τοῖς σαρκοφάγοις ὄρνισι, maximè γυψὶ, καὶ κόραξιν, ut ibi habet vetus *Scholiaſtes*. Unde *Heſychius*, Οἰωνοί, σαρκοφάγα ὄρνεα, καὶ πάντα, γῦπες, κόρακες. Sed & hoc notiſſimum, Generis nomen ad Speciem ſæpe reſtringi. Ità ὄρνις, *avis*, ſæpe eſt *gallina*. Θὴρ, *fera*, ſæpe eſt *leo*. Θηρία, *fera*, ſæpe *ſerpentes*, aut etiam *viperæ*, unde Θηριακά. Ὑποζύγιον, *jumentum* pro *aſino Græci* interpretes paſſim uſurpant, & eos ſequuti *Matthæus*, *Petrus*, &c. Nobis *jumentum* eſt *equa*. Vobis hodiè ἄλογον eſt *equus*, quod jam videtur obtinuiſſe ævo *Heſychii*, cujus verba ſunt: Καπητὸν, παράβλημα ἀλόγων· pro quo legerim, Κάπη, τὸ παράβλημα ἀλόγων, id eſt, *equorum pabulum*. Cùm Κάπη vulgò *equorum præſepe* ſignificet, alicubi uſurpatum repererat *Heſychius* pro *pabulo equis in præſepi apponi ſolito*.

CAPUT VIGESIMUM OCTAVUM.

Variæ interpretationes vocis חסידה *chaſida*, vel *aſida*

A benignitate *avis* חסידה haſida, *dicta*. *Hujus vocis variæ interpretationes*. 1. Ἐρωδιὸς ardea Græcis. *Et* Arabibus بلشوم balſum, *vel* بلشون balſun, *quam avem dicunt à potu abſtinere, ne aqua deficiat*. Balſun, *ſola avium, non natat*. *Coitum non appetit*. *Ejus eſus hæmorrhoides generat*. *Quæ tria probant* balſun *eſſe* ardeam. 2. Fulica *vetuſto interpreti, quam cum* ardeâ *multi confundunt*. Diomedeæ *aves fulicis ſimiles*. Græci *volunt eſſe* ardeas. Antigonus *emendatus*. 3. Ciconia *nonnullis apud* Olympiodorum, *quod ſequuntur* Hebræi *recentiores*. 4. Cygnus *Symmacho, qui etiam ardeæ & fulicæ ſimilis*. *Tamen fortaſſe pro* κύκνος *legendum* ἰκτῖνος. 5. Milvus *Hieronymo, Symmacho, & aliis*. 6. Hebræis *vetuſtioribus* דיה לבנה, vultur albus. *Ità etiam* Chaldæis *Paraphraſtis*. 7. Aquila *Chaldæorum uni*. *Ibi de aquila herodiana*. Pagnini *error*. 8. *Ejuſdem vocis aliæ verſiones confertim allatæ*, hirundo accipiter, noctua, grus, pica, otus, upupa, *Indica* avis; *Arabica* avis *ſeu* ſtruthio.

UT *à miſericordia* רחם *racham*; ſic *à pietate* dicta eſt, quæ ſequitur, חסידה *haſida*, vel *aſida*, ut quidam ſcribunt, aſpiratione dempta. Cujus vocis interpretamenta aliquammulta reperio. I. Primò enim *Septuaginta* interpretes ἐρωδιὸν & *Vulgatus*, *herodium*, vel *herodionem*, id eſt, *ardeam*, reddunt in *Lege*, & *Pſalmi* centeſimi tertii (*Hebræis* centeſimi quarti) verſu decimo nono. *Aquila* etiam conſtanter ἐρωδιὸν ut & *Zach*. 5. *v*. 9. *Symmachus*, & *Theodotion*. Sed & *Arabica Pſalteria* manu-ſcripta duo habeo, quorum unum ubi ſuprà habet الهيرودي *alheiraudi* ἐρωδιὸν. *Æthiopicum* quoque ሄሮድዮስ: *herodios*. Quo eodem refero, quod in *Pariſienſi Pſalmorum* editione eſt البلشوم *albalſum*. Nam avis بلشوم *balſum*, vel بلشون *balſun*, quæ & مالك الحزين *malich alhazin*, omnino videtur eſſe *ardea*. Quod colligo ex *Arabum* deſcriptionibus, quæ ſic habent. *Damir*, البلشون هو مالك الحزين Albalſun *eſt Malich alhazin*. *Gianhari*, مالك الحزين هو طير الما Malich alhazin *eſt avis aquatica*. *Ibno Bari* in Marginalibus Notis هو طير طويل العنق والرجلين *Avis eſt longo collo, & pedibus*. *Alkazuinius* itidem, طير طويل الرقبة والرجلين يقال له بالفارسية بوتيما *Avis longo collo, & cruribus, quæ* Perſicè *vocatur* BUTHIMA. Idem, & *Damir* ex *Algiabid*; من اعاجيب الدنيا امر مالك الحزين لانه لا يزال يقعد بقرب الما ومواضع نبعها من الانهار وغيرها فاذا انتقصت حزن عليها ويبقي حزينا كئيبا وربما ترك الشرب حتي يموت عطشا خوفا من زيادة نقصها بشرب منها *E mundi miraculis eſt, quod ajunt de* malich alhazin, *eum ad aquas ſemper degere; ſive ſint fluviatiles, vel aliunde orta. Quas cum videt imminui; hoc illum torquet, ità ut mæſtus triſtìque maneat; & quandoque à potu tam diu abſtineat; ut præ ſiti moriatur, ne plus nimio imminuantur; ſi ex iis bibat*. Sequitur in *Damire* non abſimile commentum de quadam cicindelæ ſpecie; quam noctilucam, alatam, viridem; & lævem eſſe dicunt *Arabes*, & prope amnes volitare; & veſci terræ pulvere, ſed ità parce, & tenuiter; ut nunquam ſatietur, & quandoque fame pereat, veritâ; ne deficiat terræ pulvis, ſi ad ſatietatem uſque ederet. Quæ à *Poëtis* conficta ſunt, ut eſſent typi avari hominis, qui quæ aliis abſtulit ſibi ipſi negat, & ſuum defraudat genium. Sed veriora ſunt, quæ de eadem ave referuntur ab *Attangide* in libro الامتناع والموانسة *Antipathia & Sympathia*; مالك الحزين ينشل الحيتان من الما فياكلها وهي طعامها ولا يحسن السباحة فان اخطاه الانتشال وجاع طرح نفسه علي شاطي البحر وفي بعض ضحضاحاته فاذا اجتمع اليه السمك الصغار اسرع في خطف ما استطاع منها Malich alhazin *ex aquis piſces extrahit; quibus veſcatur, eoſque habet pro cibo, quamvis natandi imperitus. Et, cùm eſurit, hâc piſcatione non ſuccedente, è littore maris in vada ſe conjicit, & ex accedentibus piſciculis magnâ feſtinatione rapit quodcunque poteſt*. Unde *ardeam* eſſe conjicio, de qua *Oppiani Paraphraſtes* apud *Geſnerum*; *Ab ardeis victum ex aquis primùm inventum ajunt*;

reliquas ab iis didiciſſe, cum victus unus initio omnibus eſſet avibus. Deinde, cum gloriarentur hoc invento, & ne ipſum quidem Neptunum *natando cum eis contendere poſſe jactarent, hanc artem, irato Deo, amiſiſſe, &c. Hinc adeo reliquæ omnes aves captandis piſcibus merguntur in aquam: at ardeæ, natandi facultatis expertes, in littore ſtantes venantur.* Hæc nota eſt certiſſima, cùm in aquaticis avibus alia nulla ſit, quæ natare neſciat. Ecce aliam notam in *Damire*, quamvis minùs expreſſam!

وهو لا يحتاج الي تزواج الاسفان

Copulationem & coitum non appetit. Nempe quia ſine dolore non coit. *Philoſophus Hiſtoriæ* libri noni capite primo, Τῶν δ᾽ ἐρωδιῶν ἔστι τρία γένη· ὅ τε πέλλος, καὶ ὁ λευκὸς, καὶ ὁ ἀστερίας καλούμενος. Τούτων ὁ πέλλος χαλεπῶς εὐνάζει τε, καὶ ὀχεύει. κράζει τε γὰρ, καὶ αἷμα, ὥς φασιν, ἀφίησιν ἐκ τῶν ὀφθαλμῶν ὀχεύων. Et rurſus capite decimo octavo, Τῶν δ᾽ ἐρωδιῶν ὁ μὲν πέλλος, ὥσπερ εἴρηται, ὀχεύει μὲν χαλεπῶς. Unde *Plinius* libri decimi capite ſexageſimo, *Ardeolarum tria genera, leucon, aſterias, pellos. Hi in coitu anguntur. Mares quidem cum vociferatu ſanguinem ex oculis profundunt.* Proinde *Etymologus*, & *Euſtathius* in *Iliad*, κ΄. ἐρωδιὸν dici volunt παρὰ τὸ ἶαρ, vel ἴαρ. ὃ σημαίνει τὸ αἷμα, καὶ ἱδίειν τὸ ἱδροῦν. ἐν γὰρ ταῖς μίξεσιν (ὥς φασιν) ὁ ἐρωδιὸς αἷμα ἱδροῖ, *ab* ἶαρ, *aut* ἴαρ, *quod* ſanguinem *ſignificat*, & ἱδίειν, *quod* ſudare *eſt*. *Ardea enim, ut ajunt, in coitu ſanguinem ſudat.* Sed iis aſſentiri malo, quibus ἐρωδιὸς dicitur quaſi ἑλωδιὸς, *paluſtris*: φιλοδεῖ γὰρ τοῖς ἑλώδεσι τόποις, *locis enim paluſtribus delectatur.* Jam tertia ſequitur nota. *Mahumetani Theologi* permittunt eſum τοῦ *balſun*, ſeu *malich albazin*: ſed, ut aſſerunt *Medicorum* filii, لحمه غليظ بارد يولد السودا اكله البواسير (*craſſa eſt & frigida caro ejus, & ſtercora ex illius eſu hæmorrhoides generant.* Quod ipſum de *ardea* his verbis docet *Arnoldus de Villa-nova* apud *Geſnerum*, *Quicunque hæmorrhoides crebro experiuntur, præſertim pulſantes, inter alia grues, & agrones* (id eſt, *ardeas*) *præcipuè caveant.* Omnino igitur بلشوم *balſum*, vel بلشون *balſun*, eſt *ardea*, quæ à fabula, quam diximus, alio nomine dicitur مالك الحزين *malich alhazin*, *aquator* vel *potor triſtis*. Nam ملك *malch* apud *Arabes* inter cætera *aquam* ſonat. Quod ideò hic obſervo; quia vocem بلشوم vel بلشون *Lexicographi* omiſerunt.

II. Secundò, חסידה *haſida*, *fulica* redditur à vetuſto interprete, quem ſequuntur *Auguſtinus*, & *Arnobius* in *Pſalmos*, Sed hæc interpretatio ex præcedente nata eſt. Utùt enim ardea, & fulica, vel fulix, multum differant: tamen etiam è doctiſſimis reperti ſunt, qui has aves promiſcuè ſumerent. Ità in *Arati* verſione *Avienus* τὸν ἐρωδιὸν, modò *fulicem*, modò reddit *ardeam*. Et in *Gloſſis Philoxeni* legas, ἐρωδιὸς, *Erodius*, *fulica*. *Plinius* quoque libri undecimi capite trigeſimo ſeptimo, in eundem impingens lapidem, *Et fulicarum generi*, inquit, *natura dedit cirros*; quod ardearum eſt proprium. Et libri decimi capite quadrageſimo quarto, *Diomedeas* aves *fulicarum ſimiles* facit. Unde *Solinus* capite ſecundo, *Forma illis penè, quæ fulicis*. Et *Iſidorus* libri duodecimi capite ſeptimo, *Diomedeas aves, &c. formâ fulicæ ſimiles.* Sed, ut obſervat in *Solinum* vir magnus, *fulicarum* nomine *Plinius erodios* voluit. Nam *Græci Diomedeas* illas aves non tantum erodiis ſimiles eſſe jactant, ſed & αὐτόχρημα ἐρωδιοὺς, *reipſe erodios*, ſive *ardeas*. *Ælianus Hiſtoriæ* ſtatim initio, καλεῖταί τις Διομήδεια νῆσος, καὶ ἐρωδιοὺς ἔχει πολλούς. *Inſula quædam Diomedea nomine multos habet erodios, ſeu multas ardeas.* Stephanus, νῆσος ἡ Διομήδεια, ἐν ᾗ οἱ ἐρωδιοὶ χειροήθεις προσπετόμενοι, καὶ εἰς τοὺς κόλπους δύοντες. *Inſula* Diomedea, *in qua manſueti erodii advolantes, & ſinum ſubeuntes.* *Servius* in *Æneidos* librum undecimum, *Hinc eæ aves hodieque* Latinè Diomedeæ *vocantur, quas* Græci ἐρωδιοὺς *dicunt.* (*Cujus generis avem auſpicio dixit* Homerus Diomedi & Ulyſſi *ſpeculatoribus apparuiſſe*:

Τοῖσι δὲ δεξιὸν ἧκεν ἐρωδιὸν ἐγγὺς ὁδοῖο
Παλλὰς Ἀθηναίη. ———

Et his omnibus longe vetuſtior *Antigonus* Hiſtoriâ quadrageſimâ octavâ, quæ medicâ manu eget; Περὶ δὲ τῶν Τρώων Λύκον μὲν ἐν τῇ Διομηδείᾳ τῇ νήσῳ φησὶν ἱστορεῖν τοὺς ἐρωδιοὺς ὑπὸ μὲν τῶν Μήδων, ὅτ᾽ ἂν παραβάλλη τις εἰς τοὺς τόπους, οὐ μόνον ψαυομένους ὑπομένειν, ἀλλὰ καὶ προσπετομένους εἰς τοὺς κόλπους ἐνδύνειν, καὶ σαίνειν φιλοφρόνως. Quæ ſic vertenda. Lycum *de* Troibus (*id eſt, in Troicis*) *narrare dicit in* Diomedea *inſula ardeas ab advenis, ſi quis ad ea loca perveniat, non modo tangi ſe pati, ſed & devolantes in ſinum delabi, & blandè adulari.* Itaque pro Τρώων ſcribendum Τρωϊκῶν, non Κώων, ut vult *Xylander*. *Lycus Butheræ Rheginus*, Philoſophus *Peripateticus*, *Lycophronis* pater, circa *Ptolomæi Lagidæ* tempora Hiſtorias multas ſcripſerat, quarum meminerunt *Agatharchides*, *Clemens Alexandrinus*, *Porphyrius*, *Suidas*, uterque *Tzetzes*, &c. In his *Troica*, quæ hic citantur, unde illi nata eſt occaſio agendi de *Diomede*, & *Diomedis* avibus, quas ὑπὸ τῶν Μήδων, *à Medis*, ad ea loca devenientibus, tangi non dixit. Quod fuiſſet ridiculum cùm eò *Medi* nunquam venerint, neque cum *Diomede* commune quidquam habuerint. Itaque pro ὑπὸ τῶν Μήδων, reſtitue ὑπὸ τῶν ἀποδήμων, vel ἐκδήμων, *à peregrinis*: quibus ſtatim opponuntur, ἐγχώριοι, *indigenæ*. Sequitur enim, Λέγειν δέ τι τοιοῦτον ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων, ὡς τῶν τοῦ Διομήδους ἑταίρων εἰς τὴν τῶν ὀρνίθων τούτων φύσιν μετασχηματισθέντων, *referre indigenas* Diomedis *ſocios in harum avium naturam fuiſſe transformatos.* Sed hæc obiter.

III. Tertiò nonnulli veterum πελαργὸν *ciconiam* tranſtulerunt, quos *Olympiodorus* in *Jobum* conatur ſic refellere: Ἡ ἀσίδα δὲ ὁ ἐρωδιός ἐστι κατὰ Ἀκύλαν, ἢ ὁ πελαργὸς, ὥς τινες ἔφασαν, οὐ καλῶς νοήσαντες· οὐ γὰρ εἰς γῆν τίκτει ὁ πελαργὸς, ἀλλ᾽ εἰς τὰ ὑψηλὰ τῶν δένδρων. Καὶ οἱ περὶ φύσεως ζώων γράψαντες ἕτερον γένος ἔφασαν εἶναι παρὰ τὴν ἀσίδα τὸν πελαργόν. Aſida *autem eſt* ἐρωδιὸς ardea *juxta* Aquilam, *aut ciconia, ut quidam ajunt, non rectè ſentientes: neque enim humi ciconia, ſed in celſis arboribus ova ponit. Et qui de avium natura ſcripſerunt, ciconiam ab* aſida *diverſum genus eſſe tradiderunt.* *Suidas* tamen ἐρωδιὸς eſt εἶδος ὀρνέου ὁ πελαργὸς λεγόμενος, ἢ ὅμοιος αὐτῷ, Erodios *genus eſt avis, quæ ciconia dicitur, vel ipſi ſimilis.* Quod ferri potuiſſet, ſi ſolùm *ſimilem* dixiſſet: re verâ enim ardea & ciconia ſunt in multis ſimiles. Utùt ſit, hæc interpretatio maximè arriſit *Hebræis* recentioribus, quorum pleriſque *haſida* eſt *ciconia*.

IV. Quartò, à *Symmacho* חסידה *haſida*, in *Jobo* redditur ὁ κύκνος, *cygnus*, avis ardeæ, fulicæ, & ciconiæ aliqua ex parte ſimilis. Proinde *Diomedeas* aves, quas alii cum ardeis, alii cum fulicis, *Ovidius* cum cygnis confert *Metamorphoſeωs* libri decimi quarti Fabulâ decimâ,

Si volucrum quæ ſit dubiarum forma requiris,
Ut non cygnorum, ſic albis proxima cygnis.

Et *Græcus* auctor apud *Phavorinum*, Οἱ δὲ φίλοι αὐτοῦ θρηνοῦντες αὐτὸν μετεβλήθησαν εἰς ὄρνεα ὅμοια κύκνοις· *Eum flentes amici ejus mutati ſunt in aves cygnis ſimiles.* Et *Iſidorus*, ut varias ſententias aliquo modo conciliaret, has aves deſcribit

formâ

formâ fulicæ ſimiles, magnitudine cygnorum, colore candido, &c. Tamen dubito, an quæ avis ab aliis *ardea*, & *fulica*, & *ciconia* dicta eſt, à *Symmacho* in *Jobo cygnus* appellata ſit propter formæ ſimilitudinem. Et ſuſpicor vocem eſſe corruptam, & pro κύκνο‑ legendum eſſe ἰκτῖνο‑, id eſt, *milvus*, quomodo alibi reddidiſſe *Symmachum* jam dicemus.

V. Quintò חסידה *haſida*, ab *Hieronymo milvus* redditur *Pſalm.* 104. *v.* 17. *Jerem.* 8. *v.* 7. & *Zachar.* 5. *v.* 9. Et Epiſtolâ centeſimâ trigeſimâ quintâ, ad *Suniam* & *Fretellam*, profitetur ſe hâc in parte *Symmachum* ſequi, & *ſextam* editionem. "*Pro* herodio, (inquit) *quod in* Hebraico *dicitur* חסידה haſida, Symmachus ἰκτῖνον, *id eſt*, milvum *interpretatus eſt. Denique & nos ita vertimus in* Latinum, Milvi abies domus eſt. *Quod ſcilicet ſemper in excelſis & arduis arboribus nidos facere conſueverit. Unde & ſexta editio manifeſtiùs interpretata eſt.* Milvo cupreſſus ad nidificandum. Et rurſus in *Jerem.* 8. *Pro* milvo, *quem interpretatus eſt* Symmachus, &c. Et in *Zachar.* 5. *Haſidam* Hebræi *milvum putant, avem rapaciſſimam, & ſemper domeſticis avibus inſidiantem.*

VI. Sextò, *Hebræi* vetuſtiores דיה לבנה *deja lebana*, explicant: quod *milvum* cum *Hieronymo* non interpretor, ſed *vulturem album*. Nam דיה *daja vulturem* eſſe, non *milvum*, patet ex *Eſ.* 34. *v.* 15. ubi דיות *dajoth, congregari* dicuntur. Quod non convenire milvo, ſed è rapacium numero ſoli vulturi ſuo loco (a) docuimus. Præterea à *Talmudicis* & *Chaldæis* Paraphraſtis דיה *daja*, in *nigrum* & *album* diſtinguitur, quomodo milvos nemo diſtinguit; quia milvus albus nullus eſt. Sed de nigro & albo vulture multum (b) egimus: quorum ille ſuprà דיה *daja*, ſimpliciter; hic רחם *racham*, à *Moſe* dictus eſt. Res fiet manifeſtior ex *Talmudici* loci lectione, qui ſic habet in Tractatu *Cholim* cap. 3. fol. 63. a. אמר רב יהודה החסידה זו דיה לבנה למה נקרא שמה חסידה שעושה חסידות עם חברותיה, *Dixit Rabbi Juda*; Haſida, *eſt* daja *alba. Quorſum vocatur* haſida? *Quia facit* haſidoth (*benignitates*, id eſt, benignè agit) *cum ſociis ſuis*. Nempè, ut ibi *Gloſſa*, מחלקת מזונותיה, *cibos ſuos ipſis impertiens*. Nihil videt, qui non videt hæc de milvo non poſſe dici, qui in cibi ſocietatem alios milvos non admittit; ſed de vulturibus, qui gregatim in idem cadaver involant. Proinde דיה à *Selomone* diſertè *vultur* explicatur in *Notis* ad *Zachar.* 5. v. 9. *Chaldæi* etiam interpretes idem ſequuntur, quod *Talmudici*. Et in lege *Jonathan* & *Jeroſolymitanus* habent ריתא חוורתא, *vulturem album*. Et *Onkelos* חוורתא, ſolùm, id eſt, *album*, ſupple *vulturem*. Quomodo etiam occurrit in *Chaldæa* Paraphraſi *Jobi* & *Jeremiæ*. At *Rabbi Joſeph Cæcus* in *Pſalm.* 104. v. 17. habet חיא חוריתא. In quibus verbis quid ſit חיא, dicat qui poteſt.

(a) Cap. 9. pag. 196. lin. 5. &c. ſuprà.

(b) Supra, cap. 9. pag. 195. &c. & cap. 26. pag. 303. &c.

VII. Septimò, *Zach.* 5. *v.* 9. pro verbis, *Habebant alas* כנפי החסידה, *ut alas* haſidæ, *Chaldæus* habet, *Et populi celeres transferebant illos velociter* כמא דמשתרי נשרא, *ſicut volat aquila*: ac ſi *haſida* ſit aquilæ genus; nempe ex eorum ſententia, qui aquilas & vultures promiſcuè ſumunt. *Pagninus* quoque, in majore *Lexico*, *aquilam herodianam* reddit, ſed longè diverſa de cauſa. Apud barbaros ſcriptores *erodius*, vel *herodius*, non eſt *ardea*, ſed *aquila* major, & γρύπο‑, aut etiam *hiero-falco*, quem vocant. *Albertus*, Herodius *eſt aquila prægrandis, tota nigra, licet in ſenecta color in dorſo & ſuper alas in cinereum vertatur*, &c. *Vincentius* in *Doctrinali* libri decimi ſexti capite centeſimo ſexageſimo ſecundo, *Herodius, qui &* girfalchus *appellatur, eſt avis inter omnes nobiliſſima, colore cœruleo*, &c. *Adeò fortis, ut aquilam capiat*, &c. *Gloſſa* in *Deuteronomii* caput decimum quartum, *Herodius vulgo* girfalco *dicitur, & rapit aquilam*, &c. Et in *Pſalmum* centeſimum tertium, *Herodius eſt avis rapaciſſima omnium avium majorum, & vincit aquilam. Albertus* ità dici ſibi ſingit quaſi *heroem avium*. Itaque *herodii*, aut *herodiones*, vocabulo in *Vulgata* verſione, vel *majorem aquilam*, vel *girifalconem* intelligebant illorum temporum ſcriptores. Quorum torrente abreptus *Sanctes Pagninus* in eundem errorem incidit.

VIII. Cæteras hujus vocis interpretationes mihi erat animus pari filo perſequi. Sed vereor, ne lectori ſim tædioſus, ſi in ſingulis immorer. Utùt enim multas jam attulerim, tamen plures ſuperſunt. De *Samaritano* ſcilicet nondum actum; cui *haſida* eſt [Samaritan] *hirundo*. Nec de iis *Arabum*, qui in Lege الصقر *ſacrum* explicant *accipitrem*: & in *Pſalmis* الهام *noctuam*: in *Prophetis* القعقع *alkoke*; quod *Gabriel Sionita* in uno loco pro *grue*, in altero pro *pica* ſumit, ſed utrobique perperam, ut infrà docebitur. Neque de *Syro*, qui alibi [Syriac]; *ciconiam* interpretatur, ſed in *Jobo* [Syriac] *otum*. Neque de *Græcis* in *Zacharia*, quibus כנפי החסידה, ſunt πτέρυγες ἔποπος, *alæ upupæ*. Neque de *Olympiodoro* in *Jeremiam*, ubi Ἰνδικὸν δὲ ζῶον ὄρνεόν ἡ ἀσίδα, Indicum *avis genus eſt* aſida. Neque de *Polychronio* in *Jobum*, ubi Τινὲς ἔφασαν τὴν Ἀραβικὴν εἶναι ὄρνιν, ἥτις ἐν τῇ Μεσοποταμίᾳ εὑρίσκεται, Arabicam *eſſe avem nonnulli tradiderunt, quæ in* Meſopotamia *reperitur*. Neque de *Lexicographis*, *Cyrillo*, & *Phavorino*: quibus ἀσίδα eſt στρουθοκάμηλο‑. Quæ ſemel & ſimul monuiſſe ſufficiat, ut jam inter tot veterum fluctuationes pedem conemur in firmo loco ſiſtere.

CAPUT VIGESIMUM NONUM.

Probatur חסידה *haſida*, eſſe *Ciconiam*.

חסידה haſida; *id eſt*, pia, & benigna. Ciconia *Romanis* avis pia: *Publio* pietati-cultrix. *Parentibus vicem rependit; non ulla lege adacta; ſed bonitate naturæ. Animal feliciſſimum judicio ſeptem Sapientum. Hominibus magis pia. Apud* Ægyptios *cur culta; ut Symbolum* φιλοπάτορος, *& in ſummo Regum ſceptro. Quid* ἀντιπελαργεῖν, ἀντιπελάργωσις, & πελαργικοὶ νόμοι. *Ciconia etiam erga homines grata. Lapis lychnites à ciconia allatus, & Zingiberis radix. Ciconia etiam* φιλόστοργος. *Immunda* Moſi; *quia veſcitur ſerpentibus. Ideò in honore apud* Theſſalos; *& capitale eam occidiſſe. In* Ægypto *etiam in pretio.* Mahumetani *ex aquaticis avibus cur hanc ſolam prohibeant. Ejus nomen* Arabicum, *&* Turcicum. *Cur in* Jobo *cum ciconia conferatur ſtruthio. Cur* Græcè *dicatur* πελαργός. Vultur-aquila ὀρειπελαργός. *Naves* πελαργηγῶτις. *Domus ciconiarum, abietes.* Domus; *id eſt*, nidi. *Eorum ſtructura mirabilis. Nidi plerumque in turribus, & in ædium faſtigiis; ſed & in ramis arborum. Ciconia in monte* Amano. *Ciconia avis migratoria. Quod docent* 1. Græci, *&* Romani *ſcriptores* (Pelaſgi *obiter quaſi* Πελαργοί) 2. Patres. 3. Hebræi; *&* Arabes. 4. *Recentiores. Quid* ciconiæ in cœlo. *Ciconiarum alæ. Unde, & quo migrent, incertum. Zingiber ubi proveniat. Multis veterum* חסידה haſida, *eſt* ciconia.

(Y) 2 *Idem*

Idem Arabicè القعقع a'koko. *Hæc verſio cur preferenda reliquis. Cur dicatur Syris* ܟܘܪܒܐ churba, *Arabibus* لقلق lcklck, *Latinus* ciconia, *&* crotaliſtria, *&* --- crepitante ciconia roſtro.

NOn diu deliberandum ex tot interpretamentis vocis חסידה *haſida*, quod potiſſimum ſit ſeligendum. Omnino enim חסידה eſt *ciconia*. Quod probatur primo ex nomine. Nam חסידה *piam* & *benignam* ſonat. Talis autem eſt ciconia. *Romanorum uſu* [inquit (a) *Ambroſius*] avis pia *vocatur*. Et in Publio *pietati-cultrix*, in verſibus notiſſimis, qui citantur à *Petronio*:

(a) In Hexaëm. lib. 5. cap. 16.

Ciconia etiam grata, peregrina, hoſpita,
Pietati-cultrix, gracili-pes, crotaliſtria.

Ratio eſt in promptu. Pietatis eſt ἀμοιβὰς ἀποδιδόναι τοῖς προγόνοις, *mutuas parentibus vices rependere*: quod jubet *Paulus* 1. *Tim.* 5. *v.* 4. Id verò præſtare ciconiam uno ore teſtantur omnes ſcriptores. E vetuſtioribus ea de re *Platonem* conſule in fine primi *Alcibiadis*, & *Ariſtotelem* libri noni *Hiſtoriæ animalium* capite decimo tertio, & *Ariſtophanem* in *Avibus*, ubi graculus ità loquitur,

Ἀλλ' ἔστιν ἡμῖν τοῖσιν ὄρνισιν νόμος
Παλαιὸς ἐν τοῖς τῶν πελαργῶν κύρβεσιν,
Ἐπὴν ὁ πατὴρ ὁ πελαργὸς ἐκπετησίμους
Πάντας ποιήσῃ τοὺς πελαργιδεῖς τρέφων,
Δεῖ τοὺς νεοττοὺς τὸν πατέρα πάλιν τρέφειν.

Sed nobis avibus lex antiqua eſt in ciconiarum tabulis, ut, poſtquam pater ciconia evolabiles fecerit omnes pullos nutriens, ipſos patrem viciſſim nutrire oporteat. Hinc *Plinius* libri decimi capite vigeſimo tertio, *Genitricum ſenectam invicem educant.* Et *Solinus*, *Eximia illis ineſt pietas. Etenim quantum temporis impenderint fœtibus educandis, tantum & ipſa a pullis ſuis invicem aluntur.* Et *Ælianus* libri tertii capite vigeſimo tertio, Τρέφειν μὲν τοὺς πατέρας πελαργοὶ γεγηρακότας καὶ ἐθέλουσι, καὶ ὁμιλέτησαν. κελεύει δ' αὐτοὺς νόμος ἀνθρωπικὸς οὐδὲ εἰς τοῦτο, ἀλλ' αἰτία τούτων φύσις ἀγαθή. *Patres jam ſenes ciconia alere volunt, & ſtudent. Non quod eas ad id adigat ulla humana lex, ſed in cauſa eſt natura bonitas.* Quocirca ſeptem *Sapientes* cum interrogâſſet *Crœſus*, Τί τῶν ζώων εὐδαιμονέστατον; *Quod eſſet animal feliciſſimum?* Πελαργοὺς *ciconias* nonnulli reſponderunt, quia δίχα νόμου τῇ φύσει τὸ δίκαιον ἔχουσι, *naturâ & ſine lege juſtitiam obſervant.* Ita *Apoſtolius* Proverbio 1141. Et apud *Origenem* contra *Celſum* libro quarto *Celſus* aſſerit ob id ipſum εὐσεβεστέρους εἶναι τοὺς πελαργοὺς τῶν ἀνθρώπων, *ciconias eſſe hominibus magis pias.* Et *Æliani* libri decimi capite decimo ſexto Αἰγύπτιοι τοὺς πελαργοὺς καὶ προσκυνοῦσιν, ἐπεὶ τοὺς πατέρας γηρασκομένους, *Ægyptii ciconias adorant, quia parentes ſenes alunt.* Et in *Hori Hieroglyphicis*, libri ſecundi capite quinquageſimo quinto, Φιλοπάτορα βουλόμενοι σημῆναι ἄνθρωπον, πελαργὸν ζωγραφοῦσιν· ὑπὸ γὰρ τῶν γεννησάντων ἐκτραφεὶς οὐ χωρίζεται τῶν ἰδίων πατέρων, ἀλλὰ παραμένει αὐτοῖς ἄχρις ἐσχάτου γήρως, θεραπείαν αὐτοῖς ἀπονέμων. *Cum filium patris amantem ſignificare volunt, ciconiam pingunt: quæ à parentibus enutrita ab iis non divellitur, ſed ad extremum uſque ſenium unà permanet, cultum illis rependens.* Quale eſt, quod, ut innuerent vim juſtitiæ ſibi eſſe, ἐν τοῖς σκήπτροις ἀνωτέρω μὲν πελαργὸν τυποῦσι, κατωτέρω δὲ ποτάμιον ἵππον, *in ſummo ſceptro ciconiam, in infimo hippopotamum effingunt.* Ità *Scholiaſtes Ariſtophanis* in *Avibus*, & *Suidas* in voce Ἀντιπελαργεῖν, quæ *more ciconiarum par pari rependere* ſignificat; quo ſenſu a veteribus paſſim uſurpari videas. *Ariſtænetus* libri primi Epiſtolâ vigeſima quinta, Οὕτω με νῦν ἀντιπελαργοῦσα δικαίαν ἀποδίδωσι χάριν. *Baſilius* in *Hexaëmeron* Homiliâ octavâ, Τινὲς τῶν εὐεργετημάτων ἀντίδοσιν ἀντιπελάργωσιν ὀνομάζουσι. *Ambroſius* in *Hexaëmeron* libri quinti capite decimo ſexto, *Retributio beneficiorum* ἀντιπελάργωσις *nominatur.* Eodem refer quæ habentur in *Porta cœli* fol. 30. d.

אומרים מין
עוף אחד שנקרא ללאק שמפרנסין אביו ואמו אחר
שיגדל כמו שפרנסו אותו בקטנותו

Ajunt ſpeciem avium eſſe lalak (lege לקלאק *laklak*) *nomine, quæ parentes ſuos viciſſim alunt cum ſenuerunt, quomodo ab iis parvuli nutriti fuerant.* Sed de hoc argumento plura qui volet legat in iis locis *Baſilium* & *Ambroſium*, *Philonem* in *Decalogum*, *Epiphanium* in *Phyſiologo* capite vigeſimo quinto, *Euſtathium* in *Hexaëmeron*, *Philen* capite ſexto *De animalibus*, & Parœmiographos *Zenobium*, *Apoſtolium*, *Eraſmum*, ad voces, Ἀντιπελαργεῖν, & Πελαργικοὶ νόμοι. Neque enim nobis vacat in re omnium triſtiſſimâ diutius immorari. Tantum addo, ciconias non ſolum erga parentes, ſed & erga quosvis alios gratitudinem ſuam teſtari, ſi vera eſt *Æliani* (b) de *Tarentina* muliere *Heraclëide* narratio, quæ, cùm ciconiæ crus fractum obligâſſet & remediis ſuis ad incolumitatem perduxiſſet, anno ſequente accepti beneficii memor ciconia in ejus ſinum lapidem conjecit, cujus fulgore noctu ſplendebat domus, ὡς εἰσκομισθείσης δᾳδός, *tanquam illatâ face.* *Lychnin*, vel *lychnidem*, vel *lychnitem* lapidem intelligo, per quam noctu collucent ædes, ut lucernis accenſis. Vide *Lucianum* in *Syria Dea*, & *Plinium* libri trigeſimi ſeptimi capite ſeptimo, &, quod maximè ad rem facit, *Philoſtratum*, apud quem πελαργοὶ καλιὰς οὐκ ἂν πήξαιντο, μὴ πρότερον αὐταῖς ἐναρμόσαντες τὸν λυχνίτην λίθον, *ciconiæ nunquam nidos exſtruunt, quin lychnitem lapidem iis imponant.* Simile quid *Veſaliæ* accidiſſe refert *Goblerus* apud *Geſnerum*. Ibi ſcilicet ciconiam, quotannis in eadem domo nidificare ſolitam, poſtquam hoſpitis clementiam per multos annos eſſet experta, è conſueta migratione ſub Veris tempus redeuntem, viridem Zingiberis radicem, tanquam pro xenio, & hoſpitali munere, ad ejus pedes gratulabundam projeciſſe. Sed & in pullos ciconia eſt maximè φιλόστοργος, &, ſi cibus, quo illos alat, non ſuppetat aliunde, pelicani inſtar, ut ajunt, τὴν ἑαυτοῦ χθιζὴν (τροφὴν) ἀνεμέσας ἐκείνους τρέφει, *heſterno cibo evomito eos alit.* Ità *Ælianus* ubi ſuprà. Ex quibus lectori fit planum, nomen חסידה *haſida*, quaſi *benignam* & *piam* dicas, *ciconiæ* convenire multis de cauſis.

(b) Æl. Hiſt. lib. 8. cap. 22.

Altera probatio ducitur ex iis Scripturæ locis, in quibus de *haſida* agitur. In his enim quidquid *haſidæ* tribuitur, ciconiæ maximè convenit. Quod ut lectori planum fiat, juvat illa omnia percurrere, atque excutere.

I. *Moſes haſidam* cenſet inter immundas aves, & ejus eſum *Judæis* prohibet. Id in ciconiam apprimè quadrat, quæ ſerpentibus veſcitur, & venenoſis animalibus, neque in nido pullos ſuos aliis alit cibis. *Juvenalis Satyrâ* decimâ quartâ,

——— *ſerpente ciconia pullos*
Nutrit, & inventâ per devia rura lacertâ.

Unde eſt, quod in *Theſſalia* magni fiebat. *Ariſtoteles* in *Mirabilibus*, Περὶ Θετταλίαν μνημονεύουσιν ὄφεις ζωογονηθῆναι τοσούτους, ὥστε, εἰ μὴ ὑπὸ τῶν πελαργῶν ἀνῃροῦντο, ἐκχωρῆσαι ἂν αὐτούς. *Circa* Theſſaliam *ajunt tot generari ſerpentes, ut, à ciconiis niſi interimerentur, regio eſſet deſerenda.* Plutarchus *in* Iſide Θετταλοὶ δὲ πελαργοὺς (ἐτίμησαν,) ὅτι, πολλοὺς ὄφεις τῆς γῆς ἀναδιδούσης, ἐπιφανέντες ἐξώλεσαν ἅπαντας. Theſſali *ciconias in honorem habuerunt, quod, cum multos ſerpentes terra eorum edidiſſet, adventu ſuo omnes perdiderint.* *Plinius* libri decimi capite vigeſimo tertio, *Honos iis ſerpentum exitio tantus, ut in* Theſſalia *capitale fuerit occidiſſe.* Solinus *de* Theſſalia, *Ubi ſerpentum immanis copia eſt, quos dum eſcandi gratiâ* (ciconiæ) *inſectantur, regionibus* Theſſalicis *plurimum mali detrahunt.*

Ut de *Ægypto* Bellonius, *Ciconias Ægyptii meritò amant, cùm propter ranas, quas illic nimis abundè naſcentes conſumunt, tum quia ſerpentes etiam integros devorant.* Proinde hodieque *Mahumetani* diſputant, utrum licitus ſit eſus اللقلق *alleklek*, id eſt, *ciconiæ.* Et nonnulli quidem concedunt كالكركي *ut gruis:* ſed plerique prohibent, بانه ياكل الحيات *quia comedit ſerpentes.* Itaque ex regula, quâ conceduntur omnes aquaticæ, excipitur hæc ſola avis, alterâ inſuper additâ ratione, quòd دف في طيرانه كما تفعل الجوارح *alas inter volandum agitat, ac ſi illis verberaret, quomodo rapaces aves*, quæ omnes ſunt prohibitæ. Quod apud *Damirem* pluribus explicant impuræ ſectæ *Theologi*. *Leklek* eſſe *ciconiam*, non *gruem*, ut in *Avicenna* multi explicant, cùm ipſa deſcriptio nos docet, tum hæc *Abenbitaris*, فالرغوس هو اللقلق Πελαργὸς *eſt alleklek*. Scribitur etiam per *Gain* اللغلغ *allegleg*, quamvis in *Alcamus* nonnulli لقلق *leklek*, & لغلغ *legleg*, velint eſſe aves diverſas; ſed perperam: cum avis لغلغ *legleg*, à ciconia diverſæ, deſcriptio nuſquam extet. Et *Damir* Tractatum *De ciconia* ſic incipiat, اللقلق طاير طويل العنق وربما قالوا اللغلغ Alleklek, *avis longo collo, quam quandoque vocant* allegleg. Ex utroque conflatum *Turcicum ciconiæ* nomen *leglek* apud *Geſnerum*, pro quo legendum *leklek*, aut *legleg*. Et malè *Turcicum* vocatur, cùm ſit merè *Arabicum*. *Turcicum* autem eſt *tuigon*, ut *Busbequius* aſſerit in Epiſtolis *De legatione Turcica*.

II. Secundus de *haſida* locus eſt *Job.* 39. *v.* 16. (al. 13.) ubi ſtruthio cum *haſida*, id eſt, cum *ciconia*, confertur, ratione pennæ, & plumæ. Ità enim habet Sacer Scriptor, *Ala ſtruthionum exultat, verè ala tanquam ciconia, & pluma*, id eſt, illi concolor. Sic reddendum eſſe hoc Comma multis probavimus (c) in Tractatu *De ſtruthione*, & meritò ſtruthionem hâc in parte cum ciconia conferri propter nigri cum albo mixturam in colore pennarum. Unde *Scaliger* in *Cardanum* Exercitatione ducenteſimâ trigeſimâ, *Omnes* (ſtruthiones) *fuſco & albo picti ſunt, ut mihi dixerunt multi mercatores* Africani: *quod ut meliùs intelligerem, ciconiæ colori comparabant. Marmolius* de ſtruthione, *Africæ* ſuæ libri primi capite vigeſimo tertio; *En las alas, y en la cola tiene grandes plumas negras, y blancas, como las de cigueña*: id eſt, *In alis, & in cauda magnas habet pennas nigras, & albas, ut ciconia pennas.* His enim coloribus diſtinctas eſſe ciconias nemo eſt qui neſciat. Hinc *Albertus*, *Ciconia alas habet nigras, & caudam aliaſque partes albas.* Et *Turnerus*, *Avis eſt media magnitudinis inter gruem & ardeam, pennis albis & nigris diſtincta.* Neque aliunde ductum eſt *Græcum ciconiæ* nomen πελαργὸς, quod conflatum eſſe obſervant ex duobus contrariis, nempe *nigro* & *albo*. Sonat enim πελὸν τὸ μέλαν, καὶ ἀργὸν τὸ λευκόν. Vide *Suidam*, *Etymologum*, & *Euſtathium* in *Iliad.* λ'. A qua colorum mixturâ γυπαίετος *vultur-aquila* vocatur ὀρεοπέλαργος, id eſt, *ciconia montana*, & περκνόπτερος, id eſt, *nigras alas habens.* Vide *Ariſtotelem Hiſtoriæ* libri noni capite trigeſimo ſecundo, & *Plinium* libri decimi capite tertio Et in *Lycophrone* πελαργοχρῶτες αἱ Φαλακραῖαι κόραι, Phalacræ *filia ciconiarum colorem habentes*, ſunt *Græcorum* naves in *Phalacra*, *Idæ* promontorio, fabricatæ, & mixtum habentes τὸ πελὸν καὶ τὸ ἀργὸν χρῶμα *colorem nigrum & album.*

(c) Supra, cap. 16. pag. 248. lin. 36. &c.

III. Tertius de *haſida* locus eſt *Pſal.* 104. *v.* 17. (al. 103. *v.* 19.) חסידה ברושים ביתה, Haſidæ *domus ſunt abietes. Domus* autem hic pro *nido*: ut *Pſal.* 84. *v.* 4. (al. 83. *v.* 3.) *Etiam paſſer invenit* קן בית, *nidum ſibi.* Ità *Georgicorum* libro ſecundo,

> *Antiquaſque domos avium cum ſtirpibus imis*
> *Eruit.* ——

Et in *Epigrammate* hirundo,

> —— πηλοδομεῖ θάλαμον,

thalamum ſibi pro domo ex luto ædificat, id eſt, nidum ſumma arte ſibi fabricat. Quàm hirundinis artem cùm veteres, *Ariſtoteles*, *Plinius*, *Plutarchus*, *Ælianus*, tot laudibus extollant, mirum eſt illos de ciconiæ nidi ſtructura tam altum ſiluiſſe, quæ hâc in parte non minorem prodit induſtriam. Unde *Alkazuinius* de *leklek*, ſeu *ciconiâ*, فياتي بالاعواد والحشيش وتركب بعضها في بعض تركيبا عجيبا *Ligna, & herbas affert, quæ mirabili ſtructurâ ſimul compingit.* Et *Gaſpar Heldelinus* in *Encomio Ciconiæ*, quod argumentum accuratiſſimè tractat: *Ciconia primo protinùs adventu veterem nidum repetit: quem ſiquidem ſalvum & incolumem invenit, collectis hyberno ſitu ſordibus ſtatim repurgat, inſtauratque; ſin ſæviore aliquâ ventorum tempeſtate dejectum cernit, ramentis illico ex agris paluſtrique ulva comportatis, poſſeſſionem ſedis novo nido occupat. Pomœria primùm rotunda ſciotherico valde ſimilia figit, mox ædificat, deinde conſtabilit. Poſtremò ſi quid diſtortius horret, admirabili quâdam roſtri induſtria in ordinem componit.* Porrò nidum plerumque conſtruunt in ſummis turribus, aut in ædium faſtigiis. Non tamen id perpetuum. Sunt enim, quæ in agris degere malunt. Unde *Varro Ruſticorum* libri tertii capite quinto, *Advenæ volucres pullos faciunt, in agro ciconiæ, in tecto hirundines.* Agreſtis autem ciconiæ nidus eſt in ramis arborum. Hinc *Olympiodorus* in *Jobum*, Οὐ γὰρ εἰς γῆν τίκτει ὁ πελαργὸς, ἀλλ᾽ εἰς τὰ ὑψηλὰ τῶν δένδρων· *Non enim humi ciconia, ſed in celſis arboribus ova ponit.* Et Alkazuinius, ولا يتخذ الوكرا الا في موضع عال كمنارة وشجرة *Neque nidum ſibi ſumit niſi in loco celſo, putà in pharo, aut in arbore.* Et Heldelinus, *Nidificat in editioribus ædium faſtigiis, aut aridis proximè, idque rariùs, arboribus.* Id nempe ciconiæ cum ardea communè eſt, ut, licet aquatica avis, tamen in celſis locis niduletur. Geſnerus, *Ardea licet in aquis cibum ſuum quærat, in ſylvis tamen & altis arboribus nidum collocat.* Polydorus Virgilius *Anglicanæ Hiſtoriæ* libro primo, *Ardea ſolet in cornicum nidis poſteà nidulari*, id eſt, *in ſummis arboribus*, ut idem addit paulò poſt. *David* autem *abietes*, & paulò ante *Libani cedros*, uſurpat pro quavis celſa arbore, ut *ciconiam* pro quavis ave, quæ in arbore nidulatur. *Cedri* Libani, (inquit) *quas plantavit, ut aves ibi nidificent, & ciconiæ domus, abietes.* Quamvis minimè dubitem, quin in ipſo *Libano* ſint ciconiæ frequentes, ut in altero *Syriæ* monte, *Amano*, de quo *Bellonius*: *Ciconiæ, quæ æſtate in* Europa *ſunt, magna hyemis parte, ut in* Ægypto, *ſic etiam circa* Antiochiam *& juxta* Amanum *montem degunt.*

IV. Quartus locus eſt *Jerem.* 8. *v.* 7. *Etiam* haſida *in cœlo cognovit tempora ſua*, id eſt, quando ex uno loco in alterum ſit migrandum, & quod vel diſcedendi,

vel redeundi ſit tempus. Quod ciconiæ tam convenit, quàm reliqua, quæ allata ſunt. Notum enim eſt, ciconiam avem eſſe migratoriam. Et *Philoſophus* fruſtra objicitur, qui φωλεῖν, id eſt *latere*, dicit: φωλεῖ, inquit, (d) καὶ πελαργὸς, καὶ κόττυφος, καὶ τρυγὼν, καὶ κόρυδος. *Etiam ciconia latet, & merula, & turtur, & alauda.* Ciconiam enim ſecedere, & in alia loca migrare, docent quatuor genera teſtium. I. *Græci & Romani* ſcriptores. *Petronius* ex *Publio*,

(d) Hiſt. lib. 8. cap. 16.

Avis exul hyemis, titulus tepidi temporis.

Plinius libri decimi capite vigeſimo tertio, *Ciconiæ quonam è loco veniant, aut quò ſe referant, incompertum adhuc eſt: E longinquo venire non dubium, eodem quo grues modo.* Cætera ibi vide. *Solinus* capite quadrageſimo, *Pythonos Come in Aſia locus eſt campis patentibus, ubi primo adventûs ſui tempore ciconiæ advolant, & eam, quæ ultima venerit, lancinant.* (Quomodo apud *Gallos Cæſar, qui noviſſimus in conſilium veniſſet, omni cruciatuum genere adfectum, in conſpectu multitudinis necari ſolitum*, refert.) *Ælianus Hiſtoriæ* libri tertii capite vigeſimo tertio, Προσακούω δὲ τοὺς πελαργοὺς καὶ αὐτοὺς συμφεύγειν ταῖς γεράνοις, καὶ συναποδιδράσκειν τὸν χειμῶνα· τὰς δὲ ὥρας τὸ κρυμῶδες διελθούσης, ὅταν ὑποστρέψωσιν εἰς τὰ ἴδια, καὶ οἵδε καὶ αἵδε, τὴν ἑαυτῶν ἕκαστος καλιὰν ἀναγνωρίζειν, ὡς τὴν οἰκίαν ἄνθρωποι. *Ciconias etiam audio cum gruibus fugere, & hyeme ſimul ſecedere: &, exacto frigore, has & illas, ad patriam ſedem remigrantes, ſingulas nidos ſuos tam cognoſcere, quàm homines domum.* Proinde *Pelaſgos* volunt, διὰ τὸ πλανήτας εἶναι, καὶ δίκην ὀρνέων ἐπιφοιτᾶν ἐφ' οὓς ἔτυχε τόπους, Πελαργοὺς ὑπὸ τῶν Ἀττικῶν κληθῆναι, *quòd vagi eſſent, & ciconiarum inſtar in quævis loca oberrarent*, Pelargos *ab* Athenienſibus *dictos*. Ità *Strabo* libro quinto: & rurſus libro nono, Ὑπὸ τῶν Ἀττικῶν Πελαργοὶ προσαγορευθῆναι διὰ τὴν πλάνην, *Propter errores* Pelargi *ab* Athenienſibus *appellati ſunt.* (Quamvis apud *Etymologum* quidam ſic vocatos malint διὰ τὰς σινδόνας, ἃς ἐφόρουν, *propter veſtes, quas ferebant, ciconiarum inſtar, nigro & albo diſtinctas.*) II. Idem de ciconiis aſſerunt multi *Patres*. Sic ſcribit *Baſilius* Homiliâ octavâ, Κατὰ τὸν ἕνα καιρὸν πάντας ἐπιδημεῖν τοῖς τῇδε χωρίοις, ὑπὸ δὲ ἐφ' ἑνὶ συνθήματι πάντας ἀπαίρειν, *Uno tempore omnes ad hæc loca contendere, atque ità quaſi uno ſigno dato omnes recedere.* Quod ità imitatur *Euſtathius* in *Hexaemeron*, Οἱ δὲ πελαργοὶ καὶ ὑπὸ ἐπιδημοῦσι συνθήματι, καὶ ὑπὸ ἀπαίρουσι. Et Ambroſius, *Ciconias ferunt collecto proficiſci agmine, ſi quò pergendum putant, & ſimul pleriſque circa* Orientem *locis invehi, & quaſi teſſerâ militari pariter omnes moveri.* Et Iſidorus, *Hæ veris nuntiæ, ſocietatis comites, ſerpentium hoſtes, maria tranſvolant, in* Aſiam *collecto agmine pergunt.* III. *Arabes* quoque, & *Hebræi*. Alkazuinius,

لا يزال يتبع الربيع وله وكران
احدهما بالجروم والاخر بالصروب ولا
يزال يتحول من احدهما الي الاخر

Ver ſequi non deſinit: & cùm duos nidos habeat, unum æſtivum, alterum hyemalem, ab uno ad alterum migrare non ceſſat. Damir ex Avicenna,

من ذكاه انه
يتخذ له عشين يسكن في واحد منهما
بعض وانه اذا احسن يتغير الهوا

Ad ſolertiam ejus pertinet, quòd duos habet nidos, in quorum uno habitat aliquo (ſupple الزمان *tempore*, id eſt, aliquamdiu) *&, cùm commodum eſt, mutat aërem.*

Kimchius *in* Jeremiam, החסידה מנהגה לשכון בימי הקור והחורף במקום אחר ובימי הקיץ והחום במקום אחר, *Frigoris & hyemis tempore ciconia ſolet in uno loco degere, & in altero æſtatis & caloris diebus.* IV. Recentiores. Gaſpar Heldelinus, *Idibus* Auguſti *ciconiæ, juvenesque, ſenesque, collecto agmine pulcherrimo, iter laborioſum illud pernocte Lunâ ingrediuntur. Priusquàm verò mare trajiciant, omnes, quas quidem agri noſtri emisêre,* Atheſim, Galliæ *flumen, non ità procul ab* Sextinianis aquis (pro *Sextinianis* lege *Sextiis*) *vel, ut aliis placet*, Seſtianis aris, *nimirum ubi* Marius Cimbros *ferro fudit, congregantur. Illic, habitis inter ſe publicis concionibus, commurmurant, exercitum luſtrant,* &c. *Cæterùm abituræ* Aquilonis *ſecundum flatum prudenter exſpectant, qui ſimulatque pronior incidit, tum, ceu lege prædictâ die, abitum maturant.* Bellonius, *Cùm circa* Abydum *eſſem*, 24. *die* Auguſti *ingentem ciconiarum vim conſpexi, quæ ad tria vel quatuor millia accedere videbatur. Volabant illæ a* Ruſſia, *&* Tartariâ, *&* Helleſpontum *agmine decuſſato tranſverſum trajiciebant. Et cùm ſupra* Tenedum *eſſent, longo per anfractus tractu ſe convertebant, donec in circulum omnes colligerentur. Indè priusquàm longius à faucibus* Propontidis *pergerent, in minores aliquot turmas ſupra viginti ſe diſtribuebant, & ſe invicem versus Meridiem ſequebantur.* Cùm igitur ciconiæ ſtatis temporibus diſcedant, & redeant, meritò dixit *Propheta, Ciconia in cœlo cognovit tempora ſua.* *Kimchius* per *ciconiam in cœlo*, ciconiam intelligit, quæ in ſublimi loco nidulatur, בישוב במגדלי הגבוהים ובמדבר בעצים הגבוהים, *nempe in ſummis turribus, ſi loca ſint habitata: aut in celſiſſimis arboribus, ſi ſint deſerta*; quomodo in *Pſalmo* dicitur, *Abietes domus ejus.* Sic *Deut.* 1. *v.* 28. & 9. *v.* 1. *Urbes magnæ, & munitæ* בשמים, *in cœlo*, id eſt, *in cœlum usque*. Et *Prov.* 30. *v.* 19. *Via aquilæ in cœlo*, id eſt, *quæ ſurſum volat.* Tamen, quia hic non agitur de nido ciconiæ, ſic interpretari malo, *ciconia in cœlo*, id eſt, *in aëre*, & *ex aëre* cognovit tempus migrationis ſuæ, & tum eſſe diſcedendum, cùm intepeſcit aër, & remittuntur frigora.

V. Ultimus locus eſt *Zachariæ* capitis quinti verſu 9. ubi *Propheta* videt in viſione *Prophetica* duas mulieres volantes inter cœlum & terram, ורוח בכנפיהם ולהנה כנפים ככנפי החסידה *quæ ventum habebant in alis, & alæ earum erant ut alæ* haſidæ, id eſt, *ciconiæ.* Quidni enim ita interpreter? Non jam diſquiro, quid ſignificent duæ illæ mulieres, quia res eſt plena ambagibus, neque hoc loco neceſſaria. Tantùm aſſero per *alas vento plenas* alas hic deſignari ad volatum inſtructiſſimas. Quales alæ ciconiarum, quibus migrant & remigrant è locis remotiſſimis, quamvis non ſatis notis. Plinius, (e) *Quonam è loco veniant, aut quò ſe referant, incompertum adhuc eſt. E longinquo venire non eſt dubium.* Oppianus *in* Ixeuticis, *Unde veniant, & quo revertantur non ſatis conſtat. Quidam ex* Lycia *volare ajunt; alii ex* Æthiopia. Quod confirmari poſſe videtur ex hiſtoria, quam ſuprà (f) attigimus de radice Zingiberis adhuc recente à ciconia in *Germaniam* allata. Nam in *Æthiopia*, vel, quod idem, *Arabiâ Troglodyticâ*, ut plurimùm creſcit Zingiber. *Dioſcorides* libro primo, Ζιγγίβερις ἴδιόν ἐστι φυτὸν, γεννώμενον ἐν τῇ Τρωγλοδυτικῇ Ἀραβίᾳ πλεῖστον. *Plinius* libri duodecimi capite ſeptimo, de pipere; *Non eſt hujus arboris radix, ut aliqui exiſtimavêre, quod vocant* Zimpiberi, *alii verò* Zingiberi, *quanquàm ſapore ſimile. Id enim in* Arabia, *atque* Troglodytica, *in villis naſcitur.* Neque aliud voluit *Galenus*, cùm libro ſexto *Simplicium* Zingiber ſcripſit ex *Barbaria* convehi. Intelligitur enim *Barbaria Æthiopica*, de qua nos (g) ſupra. Fatendum interim, varia *Indiæ* loca, ut *Malabar*, *Bengala*, *Babul*, *Becain*. Zingibere eſſe feracia ut teſtantur viatores atque reperiri

(e) Hiſt. lib. 10. cap. 23.

(f) Pag. 118. lib. 3. &c.

(g) Lib. 1. cap. 14. pag. 131. &c.

periri etiam in *Arabiæ Felicis Omanitis.* Ità enim *Abuchanipha*, زنجبيل هو مما ينبت في بلاد العرب في الارض عمان *Zingiber eſt ex iis, quæ in* Arabia *proveniunt in terra* Oman. Sed ubicunque creſcat Zingiber, inde in *Germaniam* immenſum iter eſt, & multum æquoris interjectum, quod non trajicerent ciconiæ, niſi alis maximè valerent.

Ità excuſſis Scripturæ locis, tertium argumentum, quo *haſidam* probamus eſſe *ciconiam*, multorum interpretum auctoritate nititur. Quamvis enim plerosque in devia abiiſſe longâ inductione docuerimus, tamen multi ſuperſunt, quibus *haſida* eſt *ciconia*. In his 1. illi *Græcorum*, quos rationibus nihili refellit *Olympiodorus*: *Ciconia*, inquit, *humi non parit.* Sed neque ἀσίδα, ut ille vult, *Græcorum* verſione deceptus, qui *aſida* videntur id tribuere, quod *ſtruthioni* textus *Hebræus*. Nec majoris eſt momenti, quòd addit τὺς ἐρωδιοὺς καὶ χαράδριους *aſidam* à *ciconia* diſtinxiſſe. Nam *Græci* & *Romani* ſcriptores, qui de avibus tractaverunt, de *aſida* nomine nihil habent; quia *Hebræum* eſt, non *Græcum*, aut *Latinum*. Cæteros ante *Olympiodorum* nihil moror, quorum plerique cùm *Hebraiſmi*, tum naturæ avium fuerunt planè imperiti. 2. *Græcis Syros* addimus, quibus *haſida* eſt ܒܘܪܒܐ *burba*. Ita ubique reddunt, præterquam in loco *Jobi*. *Maronitarum* porrò doctiſſimis ܒܘܪܒܐ eſt *ciconia*. 3. His accedunt *Arabes Prophetarum* interpretes, qui *Jerem* 8. v. 7. & *Zachar*. 5. v. 9. pro *haſida* habent العقعق *alkoko*, id eſt, *ciconiam*, non *gruem* ut vult *Gabriel*, & multò minùs *picam*. Quamvis enim العقعق *alkoko* quandoque *picam*, tamen etiam *ciconiam* ſonat, quomodo hic ſumi res poſtulat. *Alcamus* العقعق العقعق وطاير اخر ابلق بري طويل المنقار والرجلين Alkoko, *pica, & alia avis varia, agreſtis, longo roſtro, & cruribus.* *Damir*, in uno exemplari, العقعق طاير ابلق من طير الما طويل المنقار قاله الجوهري وابن سيده وزاد وفيه بياض وسواد Alkoko, *avis varia ex aquaticis avibus, longo roſtro. Ità aſſerunt* Giauhari *&* Ibno-Saida: *quorum hic addit eam avem nigro & albo eſſe diſtinctam.* Et in altero diſertiùs, العقعق كلقلق طاير ابلق ضخم من طير الما Alkoko, *idem quod* legleg, (id eſt, *ciconia*) *avis varia, craſſa, ex aquaticarum genere*: & reliqua, ut in priore. Itaque hoc certum, ut *Græcos* quoſdam, & *Syros*, ita etiam quoſdam *Arabum haſidam* habuiſſe pro *ciconia*. 4. Neque aliter reddunt *Hebræi* recentiores abhinc ſexcentis annis. Vide inprimis *R. Selomonem* in *Legem*; eundem, & *Kimchium* in *Jeremiam*; & *Pomarium* in *Lexico*. Itaque in libro, cui titulus *Maſal Kadmoni* Fabulâ 62. colloquuntur הצפרדע והחסידה, id eſt, *Rana & ciconia*, ut ex pictura apparet. 5. Denique idem ſequuntur novi interpretes, *Pagninus*, *Munſterus*, *Arias*, *Caſtalio*, *Junius*, *Piſcator*, *Angli*, *Belgæ*, *Itali*, *Galli*, &c. &, è *Lexicographis*, *Santes*, *Schindlerus*, *Buxtorfius*, &c. 6. Nec deſunt, quibus *Talmudicorum* ריה לבנה, non eſt *milvus*, aut *vultur albus*, ſed πελαργὸς *ciconia*: quia ut *ab atrore* factum ריה, & *à candore* לבנה, ita vox πελαργὸς *avem* ſignificat *albo & nigro diſtinctam*, ut (b) diximus. Vide *Fulleri Miſcellanea* libri ſexti capite decimo.

(b) Pag. 320. lin. 64 &c.

Jam, ſi hanc verſionem cum reliquis conferas, eam eſſe deprehendes longè præſtantiſſimam. Nam in aliis omnibus vitium eſt manifeſtum. Sic in *ardea*, *fulica*, *cygno*, *milvo*, *ſtruthione* nihil eſt, cur *à pietate* denominentur. Et, ſi *milvum* excipias, harum nulla eſt migratoria. Idem de *upupa* judicium. Nec in arboribus nidulantur *fulica*, *cygnus*, *ſtruthio*. Atque, utut cætera quadrarent, cum ad *Jobi* locum deventum eſt, ubi cum *ſtruthionis* pennis confertur penna *haſidæ*, exceptâ *ciconia*, non aliam avem video, cui poſſit hoc competere. Quæ exempli causâ afferimus. Nam cætera per ſe præſtabit quisquis locorum de *haſida* collationem inſtituet.

Supereſt, ut de variis *ciconiarum* nominibus pauca ſubjiciantur. *Hebræum* חסידה *haſida*, & *Græcum* πελαργὸς jam ſunt abundè explicata. *Syrum* ܒܘܪܒܐ *burba* factum videtur ex ܒܘܒܪܐ *bubra*, per Metatheſim, quod *ſocialem avem* ſonaret. De *Iſraëlitis* dicitur *Jud*. 20. v. 11. *Congregati ſunt omnes* Iſraelitæ *quaſi vir unus* חברים, *ſocii*. Ecce idem apud *Plinium* de ciconiis! *Abituræ congregantur in loco certo, comitataque ſic, ut nulla ſui generis relinquatur, niſi captiva, & ſerva.* Arabica لقلق *leklek*, & لغلغ *legleg* à *ciconiæ voce* facta ſunt, quod *Arabes* expreſsè docent. *Damir* وصوته اللقلقة وكذلك كل صوت فيه حركة واضطراب *Et laklaka eſt ciconiæ vox, & vox omnis, quæ cum vibratione & agitatione fit.* Itaque etiam *laklaka* dicitur *ſerpentis ſibilus qui fit exertâ linguâ*. Illa porrò ciconiæ vox non prodit ex intimo gutture, ſed fit ex duabus roſtri partibus ad invicem colliſis, crotali iſtar, aut crepitaculi. Unde à *Publico Syro* *crotaliſtria* dicitur, & ab *Ovidio*, libro ſexto *Metamorphoſeos*,

——*crepitante ciconia roſtro.*

Et Solinus *ſonum*, *quo crepitant, oris potiùs, quàm vocis, eſſe* ſcripſit. Sed meliùs *roſtri* dixiſſet. *Philoſtratus* quoque in Epiſtola ad *Epictetum*, Καὶ τὺς πελαργὺς, ἐπειδὰν παριόντας ἡμᾶς κροτῶσιν, id eſt, *Ciconias, cùm ad nos prætereuntes crepitant.* Id enim ibi κροτῶσιν, unde *crotaliſtria*. Sed & eodem refertur CICONIÆ *Latinum* nomen. *Iſidorus*; CICONIÆ, *quaſi* cicaniæ, *à ſono, quo crepitant, dictæ ſunt; quem roſtro quatiente faciunt.* Neque dubium, quin ad hoc ipſum alludat *Arabum* العقعق *alkoko*, quod ſupra (i) explicavimus.

(i) Pag. 331. lin. 34 &c.

CAPUT

CAPUT TRIGESIMUM.

Hebræa voce אנפה *anapha*, ſignificari avem aliquam valde iracundam; fortaſſe *Arabum* زمج *zummag*, aquilæ genus, cui *ab ira* nomen eſt.

Aquilæ ſpecies زمج zummag, *barbaris* zimiech, Græcis *recentioribus* φιλάδελφος, *Perſis* du-bradran (*id eſt*, duo fratres;) *quia, cùm aquilæ reliquæ ſolitariæ ſint, hæc conſorte delectatur, cum quo venetur. Idem de falconibus. Deſcriptio avis* zummag *ex* Arabibus. Zummag aquæ, *id eſt*, catarrhactes. *Remedia ex ave* zummag. *Nomen* ab iracundia, *ut* Hebræi אנפה anapha. *Redditur à Talmudicis* דיה רגזניה, vultur iracundus. *Falcone montano nulla avis in iram pronior. An is jam olim in* Oriente *notus fuerit.* Ptolemæi *Regis præcepta de aucupio.* Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis *ad eum ſpuria Epiſtola de falconum generibus. Vocis* אנפה anapha, *quàm multæ ſint interpretationes. Cur reddatur* ardea, & picus, & otus *vel* otis *potiùs*, & charadrius, & pſittacus. *Pſittacorum nidus penſilis. Idem de ave* تنوط *quæ timet, ne cœlum ruat. Pſittacus, avis* Indica, *non* Syriaca, *ut vult* Diodorus.

INter aquilarum ſpecies una eſt nobis aliunde ignota quam *Arabes* زمج *zummag*, barbari ſcriptores *Zumach* & *zimiech* vocant. *Damir* in capite *De* العقاب *Alokab*, ſeu *Aquila*, وهو نوعان عقاب وزمج *Ejus duæ ſunt ſpecies*, okab, & zummag. *Tardivus* apud *Geſnerum* pag. 170. *Aquilæ duo genera ſunt: aquila abſolutè; & altera dicta* zimiech, *vel* zumach. Et rurſus, *Albedo in capite aut dorſo aquilæ ſignum eſt aquilæ melioris, quæ* Arabicè *vocatur* ZUMMACH, Syriacè NAPAM, Græcè *Philadelphe*, Latinè MILION. Ad quæ verba *Geſnerus*, *Ex his* Græcum & Latinum *aquilæ nomen apud nullum idoneum auctorem reperias.* Tamen *philadelphe* palàm detortum eſt ex *Græco* φιλάδελφος: quo nomine hanc avem à *Græcis* recentioribus fuiſſe nuncupatam etſi alibi non legerim, ideò mihi videtur vero conſentaneum; quia non potuit illi indi nomen aptius, neque quod naturam ejus magis ad vivum exprimat. Aquilarum enim generi proprium illud eſt, ut ament ſolitudinem, & omnis conſortii ſint prorſus impatientes. Unde eſt, quòd quamprimùm pulli aquilæ ſunt ad volatum habiles, matres ἐκ τῆς νεοττιᾶς αὐτοὺς ἐκβάλλουσι, καὶ ἐκ τοῦ τόπου τοῦ περὶ αὐτὴν παντὸς ἀπελαύνουσιν· ἐπέχει γὰρ ἓν ζεῦγος ἀετῶν πολὺν τόπον. διόπερ οὐκ ἐᾷ πλησίον αὐτῶν ἄλλους αὐλισθῆναι. Ità *Philoſophus* libri noni capite trigeſimo ſecundo: & eum ſequutus *Plinius* libri decimi capite tertio; *Adultos quoque perſequitur parens, & longè fugat, æmulos ſcilicet rapinæ. Et alioquin unum par aquilarum magno ad populandum tractu, ut ſatietur, indiget. Determinant ergò ſpatia, nec in proximo prædantur.* *Ælianus* libri ſecundi capite trigeſimo nono, Κοινωνίαν τε τὴν πρὸς ἄλλον ἥκιστα ἐνδέχεται· *Conſortium cum aliis nullum admittit.* Item, ἀλλήλων ἀπῳκισμένας οἰκοῦσι καλιάς, ὑπὲρ τοῦ μὴ διαφέρεσθαι ὑπὲρ θήρας· *Aliæ ab aliis longiſſimè nidificant, ne pro præda ſit iis contendendum.* Tamen ex illo genere زمج *zummag*, verè φιλάδελφος, conſorte delectatur, neque ſolet ſolus venari, ſed comite ſibi adjuncto. *Alcamus*, الزمج طاير فارسية دو برادران لانه اذا اعجز عن صيده اعانه اخوه Zummag, *avis, quæ* Perſicè *vocatur* DU-BRADRAN (id eſt, *duo fratres*,) *quia, cùm præda ei excidit, ille adeſt frater ejus.* Alleiths, الجمز طاير دون العقاب حمرته غالبة تسميه العجم دبران ومن طبعه انه اذا عجز عن صيده اعانه اخوه على اخذه *Giummaz* (aliud exemplar meliùs الزمج *zummag*) *avis infra aquilam* (id eſt, aquilæ ſimilis, ſed minor) *in qua rubedo præpollet. Vocatur in* Agem, (id eſt, in *Perſide*) DABRAN imò, ut antea, دو برادران DU-BRADRAN, id eſt, *duo fratres*!) *è natura cujus eſt, ut, cùm non poteſt prædam conſequi, frater ei opem ferat ad eam capiendam.* Quod de falconibus ſcribunt recentiores. *Vincentius* in *Doctrinali* libri decimi ſexti capite centeſimo quinquageſimo ſexto, *In ardeæ captura duo falcones pariter relaxantur: quorum unus ſumma petit; alius juxta terram in imo volat. Ut videlicet ille volantem ardeam impulſu præcipitet, iſte verò præcipitatam accipiat.* De eadem ave *zummag Sariph* in *Aben-bitare*, هو طاير معروف يصيد به الملوك للطير *Avis nota, quâ utuntur Reges in Aucupiis.* Et *Giulbaki*, الزمج جنس من الطير يصاد به Zummag, *genus avis aucupatricis.* Dixit & *Abuchatim Andaluſius*, ſeu *Hiſpanus* انه ذكر العقاب والجمع الزماميج *marem eſſe aquilæ, cujus Plurale* zemamigio. Et *Alkazuinius*, زمج طاير يقال له بالفارسية رهل Zummag, *avis Perſicè* RAHAL *dicta.* Quod alterum eſt hujus avis in *Perſide* nomen diverſum à priore *du-bradran*. Et *Damir*, اهل البزدرة يعدونه من خفاف الجوارح وذلك معروف في عينه وحركته وشدة وثبه والمحمود منه ما كان لونه احمر وهو احد نوعي العقاب ويوصف بالغدر وقلة الالف لكثافة طبعه وقد يقبل التعليم ولكن

ولكن بعد بطو ومن عادته ان يصيد في وجه الارض *Populus* Albizdaræ (quæ gens eſt *Arabica*) *ponit eum in illarum avium cenſu, quæ ad rapiendum ſunt celerrimæ. Quod docent oculus & motus ejus, & impetus, quo in prædam ruit. Præfertur in iis qui maximè rubet. Una eſt è duabus aquilæ ſpeciebus. Doloſus deſcribitur, ſed ad diſcendum tardus, quia naturâ ſuâ ſtolidus eſt. Tamen poſt moras aliquas tandem fit diſciplinæ capax. Aves ut plurimùm aucupatur circa terræ ſuperficiem.* Huic avi cognominis eſt, ſed diverſi generis, زمج الما *zummag aqua*, quam avem ſuo loco (a) *catarrhacten* eſſe docuimus. Quia *Zummag* aquilæ genus, & *zummag aqua*, ſeu *catarrhactes*, pari impetu in prædam ruunt. Itaque tam aquilæ dicuntur καταῤῥάσσειν, id eſt, *cum impetu in prædam ſe projicere*, quam aves catarrhactæ, quibus indè nomen obtigit. Hinc *Euſtathius* in *Iliad.* τ. Ἅρπη, ἢ ὁ ἰκτῖνος, ἢ ζῶον ἄλλο αἰτῶδες, ὃ εἰς ὕψος ἀρθὲν ἰσχυρῶς ὅτε θέλει καταῤῥάσσει. Harpe *aut eſt milvus, aut avis alia aquilini generis, quæ in altum ſublata facilè quocunque vult cum impetu ruit.* Et *Plinius* libri decimi capite tertio, *Haliaetus librans ex alto ſeſe, viſoque in mari piſce, preceps in eum ruens*, id eſt, καταῤῥάσσων. In *Medicorum* libris multa habentur de remediis ex hac ave. Collyrium è felle ſanat caligines. Stercus illitum abſtergit pannum, & lentigines. Stercus hominis, qui ejus carne veſcitur, ad tremores cordis eſt utile. Hæc in *Damire, Abenbitare,* & *Alkazuinio* reperire eſt. *Græcos* recentis ævi hanc φιλάδελφον ex argumento appellâſſe obſervavimus. *Arabicum* nomen زمج *zummag* iracundam eſſe inſinuat, cum ſit *ab ira* factum. Nam *Arabicè* زمج *zamigia* eſt *iraſci*, زمج zamag *ira*, مزمج muſmig *iratus*. Unde valde probabili conjecturâ colligas *Hebræis* אנפה *anapha* (avis ſpeciem, quam poſt חסידה *haſidam* recenſet *Moſes*) id ipſum eſſe, quod *Arabicum* زمج *zummag*. Quippe etiam אנפה *anapha*, avis iracunda eſſe creditur; quia Verbum *Hebræum* אנף *anaph*, *iraſci* ſonat & contractum Nomen אף *aph*, *iram*, vel *iracundiam*. Itaque in *Aben Ezra* ſic appellari dicitur; שתאנף מהרה, *quia facilè iraſcitur*. Et in *Talmudico* Tractatu *Cholin.* cap. 3. pag. 63. a. *Hebræi* definiunt דיה רגזניה *vulturem iracundum*. Nempe vultures, cum aquilis ſæpe confundi probatum ſuprà (b). At, inquies, additur ratio, cur vocetur *anapha*, quæ cum natura ✝ *zummag* parum convenit, למה נקרא שמה אנפה שמתאנפת עם הבריות, *Cur vocatur anapha*, nomine *ab ira* ſumpto? *Quia in ſocios iraſcitur.* Contra, *zummag* eſt φιλάδελφος, & fratrem, ſeu comparem, in prædæ ſocietatem admittit. Reſpondeo, fieri poſſe, ut qui in aucupio concordes fuerunt, & unanimes, iidem in prædæ diviſione inter ſe diſſideant, & ad iram mutuò concitentur.

(a) Suprà, cap. 31. pag. 280. lin. 21. &c.

(b) Suprà, cap. 11. pag. 175. lin. 62 &c. & cap. 9. pag. 196. lin. 63. &c.

Etiam ab אנפה *anapha*, deduci potuit nomen ἀνόπαια, quo *Homerus* utitur pro aquilæ ſpecie, cùm de *Minerva* dicit *Odyſſ.* α. verſu. 320.

Ὄρνις δ' ὡς ἀνόπαια διέπτατο,

Ut avis anopæa avolavit. In quem locum *Euſtathius*, Ἀνόπαια, εἶδός τινες ὀρνέου λέγουσιν αἰτώδους φασὶν ἰσικότος. Anopæa, *ut quidam tradunt, ſpecies eſt avis, ex aquilarum genere, oſſifragæ ſimilis.* Alii cum hac ave *Minervam* conferri volunt, διὰ τὸ ὡς ὄρνις ταχέως ἐξᾷξαι, *quia ut avis citò ruit*, ut habet vetus *Scholiaſtes*. Quod maximè conveniret, ſi avis ἀνόπαια eadem eſſet, quæ אנפה *anapha* ſeu زمج *zummag*. Hanc enim *Arabes* eſſe ajunt من خفاف الجوارح *è rapacium velociſſimis*. *Græcis* tamen avis زمج *zummag* nota fuiſſe non videtur, cum ejus deſcriptio neque in *Ariſtotele*, neque in aliis uſpiam occurrat. Sed *Phœnices*, qui in *Græciam* cum *Cadmo* trajecerunt, putaverim nomine אנפה *anapha*, aliam avem appellâſſe illi ſimilem, quæ *Græcè* dicta ſit ἀνόπαια.

Eſt in falconum genere qui *montanus* dicitur, barbaris *montanarius*, de quo *Albertus*: *Corpus ei breve, & valde ſpiſſum, præcipuè verò cauda hujuſmodi. Pectus planè rotundum, & magnum; crura fortia, & brevia proportione corporis; pedes nodoſi; ungues fortes. Solet autem pedes frequenter reſpicere. Dorſo aliiſque exteriùs color cinereus, qui paulatim magis magiſque, quo ſæpiùs ſcilicet pennas mutaverit, clarior efficitur, & pallidior, modicâ & fuſcâ varietate interpoſitâ.* Huic falconi maximè competeret nomen *anapha*; quia nulla eſt avis in iram pronior, ſi *Alberto* credimus, cujus verba ſunt: *Eſt hoc falconum genus ferum, & malis præditum moribus, iracundum, inconſtantis iræ. Itaque rarus eſt falconarius, qui mores ejus ſatis perſpectos habeat.* Addit *raro manu tenendum, præterquam in aurora, & aucupii tempore, & cum paſcendus eſt. Sic enim miteſcere ad manum falconarii tanquam beneficam, & iracundiam deponere.* Item, *Iraſcenti falconarius nè multùm reſiſtat, ſic enim citiùs remittitur ejus ira.* Et rurſus, *Si præda evaſerit præ cæteris indignatur, ità ut per iracundiam aliquando revocantem ſe invadat, & caput, aut faciem falconarii, vel, cui is inſidet, equi dilaniet.* Addit, *Eſt quando falco unus alterum invadit: quâ in re falconarius patiens requiritur, qui non adverſetur, ſed patienter diſſimulet revocationem, donec, irâ depoſitâ, miteſcat animus falconis.* Et paulo poſt, *Depoſitâ irâ ſuâ, ſponte ad domum falconarii revertetur.* Et inferius, *Si per iram immoderatè incaluerit, præcipitat ſe in mortem, quod accidiſſe in* Alpibus *quidam è ſociis noſtris jam obſervârant.* Item, *Cum falco montanus, e rupe veniens, perdicem ſequeretur, & aquila fortè advolans ex adverſo illam ei præripuiſſet, nec falco illam aquilæ denuo extorquere poſſet, cùm aliquamdiu fruſtrà id conatus eſſet, altiſſimè tandem conſcendit, & impetu deorſum facto, caput aquilæ feriens, ſe pariter & aquilam interemit. Semper igitur, ne in tantam iracundiam incidas cavendum eſt. Frequentior eſt, quam falcones cæteri, & mirè gaudet feritate ſua. Itaque ſæpe reperiuntur ex hoc genere falcones, quibus avem unam vulneraſſe & dejeciſſe non ſufficit, ſed multis dejiciendis gloriari videntur. Adeoque interdum crudelitati ſuæ indulgent, ut, occidendis avibus occupati, cibi obliviſcantur.* Hæc *Albertus* apud *Geſnerum*, qui quod in ſermone rude erat dedolavit, atque exaſciavit. Ex qua deſcriptione apparet nullam eſſe avem, imò neque ullum animal hoc falcone iracundius. Sed an in *Oriente* jam olim nota fuerit hæc avis, meritò dubitatur. *Albertus* quidem de hac ipſa ave nonnulla citat ex *Ægypti* Rege *Ptolemæo*. *Præceptum*, inquit, *eſt* Ptolemæi *Regis* Ægypti *raro tenendam manu.* Item, *Præcipit induſtrio falconario* Ptolemæus, *ne hunc falconem in fortes aves frequentius dimittat.* Sed hæc *Ptolemæi* præcepta tam ineptè conficta ſunt, quam quæ hodiè jactatur *Aquilæ, Symmachi,* & *Theodotionis* Epiſtola ad *Ptolemæum Ægypti* Regem de diverſis falconum generibus, eorumque mor-

morbis & medicinis. Quam abunde refellit ipſe titulus: cum *Aquila, Symmachus*, & *Theodotio* neque inter ſe, neque *Ptolemaïs* æquales fuerint, ſed uno aut altero ſæculo poſteriores. Neque arti aucupatoriæ, ſed literarum ſtudiis, & *Bibliorum* verſioni ſe addixerint. Quid, quod illam artem jam ſupra (c) probavimus eſſe longe recentiorem? Tamen illi finguntur citare ſcripta veterum, quaſi veteres de arte aucupandi multò antè ſcripſiſſent.

(c) Cap. 19. pag. 270, lin. 71 &c.

Jam, ſi aliorum quoque conjecturas audire libet, in uno *Pagnini Theſauro* decem reperire eſt hujus vocis interpretamenta. "*Avis*, inquit, *quam alii picam*, "*alii* milvum *appellant*; Hieronymus, *ſequutus Græcos*, "charadrium. *R.* Selomo *dicit, quod eſt* דיה רגזנית, "*milvus* (imo *vultur*) *irritabilis. Et videtur, inquit*, "*mihi, quod ſit, quam vocant* הירון heron, *Latinè* ar"dea. Thargum *habet* אבו, (*ibbu*) milvum, *ut* "*nonnulli interpretantur. Etiam* picam iracundam "*dicas. Quidam* palumbum ſylveſtrem, picum *alii, alii* "graculum *eſſe volunt. Quidam recentiorum* otum "*eſſe putant, de quo* Ariſtoteles Hiſtoriæ *libri octavi ca*"*pite duodecimo, quia à pinnulis circa aures eminentibus* "*ſic dictus eſt, quaſi* auritus. *Quidam* upupam *cre*"*dunt, quod ad* charadrium *proximè accedit; quia cri*"*ſtam in fronte geſtare videtur* Hæc *Pagninus*, aut *Mercerus*, qui *Theſaurum* illum non parum auxit. Et utrique tertius multa poſſet addere. Neque enim illi *Syrum* viderant, qui *Hebræam* vocem retinet, quam *Ferrarii Lexicon Syriacum porphyrionem* explicat. Neque *Samaritanum*, cui *anapha* eſt ࠏࠍࠐࠄࠀ, *hirundo*. Nam *Ajin* eſt ibi pro *Cheth*, Gutturalis pro Gutturali, quod in illo interprete frequens. Neque *Arabes* interpretes: quorum editi duo hic habent الببغا *albabga*, vel الببغة *albabgia, pſittacum*, qui *Græcis* hodiè παπαγᾶς voce noſtrati ſimillimâ; & manu-ſcripti duo العقاب *alokab*, id eſt, *aquilam*. Denique è tribus *Chaldæis* nonniſi unum citant, nempe *Onkeloſum*, à quo *anapha* redditur אבו *ibbu*: ſed ab *Hieroſolymitano* אבניתא *abnitha* (obſcurum per obſcurius,) & à *Jonathane* אכמתא דייתא, *vultur niger*. Ex quo verſionum examine hoc ſaltem colligere eſt, veteres interpretes de vera hujus vocabuli notione nihil habuiſſe compertum.

Dicam tamen, quid *Caſtalionem, Junium*, & *Tremellium, Gallos, Anglos, Italos*, &c. moviſſe videatur, ut cum *R. Selomone, ardeam* interpretarentur. *Ælianus Hiſtoriæ* libri quinti capite trigeſimo ſexto, ut ardeam aſteriam, ſeu ſtellarem, in *Ægypto* cicuratam, humanum ſermonem quadamtenus percipere probet, Εἴ τις, inquit, αὐτὸν ὀνειδίζων δοῦλον εἴποι, ὅδε ὀργίζεται· καὶ εἴ τις ὄνον καλέσειεν αὐτὸν, ὅδε βρενθύεται, καὶ ἀγανακτεῖ, ὡς καὶ εἰς ἀγεννὲς σκωπτόμενος, καὶ εἰς ἀργίαν ὀνειδιζόμενος· *Si quis eam per convitium ſervam appellet, iraſcitur: & in eum, qui pigram vocat, ſuccenſet, & indignatur, tanquam ignobilitate & ſegnitiâ per deriſionem illi objectâ.* In qua narratione ſi aliquid eſt veri, non tam ad vocem, quam ad geſtum convitiantis commovebatur ardea. Utùt ſit, in ardeæ vana & ſine viribus irâ nihil eſt conferendum cum ira rapacium avium; aquilæ puta, aut accipitris, quæ, vel minimum provocatæ, ſtatim bile turgent., & exardeſcunt, & in fermento totæ ſunt, roſtroque feriunt, atque unguibus. Itaque nomen *anapha*, ab *ira* ſumptum, *ardeæ* multo minus, quam avi rapaci convenire certum eſt.

Idem eſto judicium de iis, qui *picum* transferunt; quia ſcribit *Ovidius Metamorphoſeωs* libri decimi quarti Fabulâ ſeptimâ de *Pico, Latii* Rege, *Circes* veneficiis nuper mutato in picum avem,

Seque novam ſubitò Latiis *accedere ſylvis*
Indignatus avem, duro fera robora roſtro
Figit, & iratus longis dat vulnera ramis.

Quæ *Poetam* dixiſſe conſtat, ut ſcenæ ſubſerviret. Alioqui enim non per iram roſtro tundit arbores picus *Martius*, Græcis δρυοκολάπτης, ſed τῶν σκωλήκων, καὶ σκνιπῶν ἕνεκεν, ἵν᾽ ἐξίωσιν, *vermium, & culicum causâ, ut exeant*, ut ſcribit *Philoſophus Hiſtoriæ* libri noni capite nono. Hoc ſcilicet cibo veſcitur.

Otus autem quorſum dicatur *anapha*, cum iracundus non ſit, ſed κόβαλος, & μιμητὴς, *ſcurra, & imitator*, ita ut capiatur ἀντορχούμενος, *è regione ſaltantis vicisſim ſaltans*, quod docet *Philoſophus Hiſtoriæ* libri octavi capite duodecimo? Sed neque quisquam eſt, cui *anapha* ſit *otus*, ut putavit *Mercerus*. Tantum *Judæi Germaniæ* ſuâ linguâ trapp reddunt, id eſt, *otidem*, non *otum*: quæ aves multum differunt. Nam *otus* avis eſt nocturna ὅμοιος ταῖς γλαυξὶ καὶ περὶ τὰ ὦτα πτερύγια ἔχων ἔνιοι δ᾽ αὐτὸν νυκτικόρακα καλοῦσι, *noctuæ ſimilis, circa aures pinnulas habens*, (unde eſt, quod *otus* dicitur:) *alii nycticoracem vocant*. At *otis*, aliis *tarda*, eſt gallinæ ſylveſtris ſpecies, *Arabibus* حباري *hubâra*, de qua jam (d) actum. Atque hæc avis triſtis quidem eſt; unde *Arabes* اكمد من الحباري *Triſtiorem otide* dicunt pro ſumme triſti: non tamen eſt iracunda. Valde timidam & puſillanimem deſcribit *Geſnerus*, itàut vel leviter ſauciata moriatur. Quæ tanta puſillanimitas cum iracundia ſtare vix poteſt. Ira enim eſt cos fortitudinis. Itaque cur *Judæi anapham* eſſe *otidem* velint nullus capio: maximè, cum ſit gallinæ ſpecies; gallinæ autem omnes ſpecies pro mundis habeantur.

(d) Suprà, cap. 22. pag. 282, lin. 51. &c.

Cætera pariter perſequi longum eſſet, nec magni uſus. Itaque duo ſolum addemus minus obvia, cur pro *anapha Græci*, quos ſequitur *Hieronymus*, χαραδριὸν habeant, & *Arabes* editi ببغا vel ببغة *pſittacum*. *Charadrio*, ut notum eſt, nomen fecerunt αἱ χαράδραι, id eſt, *hiatus prope amnes, & torrentes*, in quibus nidificat hæc avis. Hinc *Philoſophus Hiſtoriæ* libri noni capite undecimo, Τὰς δ᾽ οἰκήσεις οἱ μὲν περὶ τὰς χαράδρας, οἱ δὲ χηραμοὺς ποιοῦνται, καὶ πέτρας, οἷον ὁ καλούμενος χαραδριός. Quæ *Gaza* ſic reddidit, *Colunt aliæ* (aves) *loca fragoſa, & ſaxa, & cavernas, ut quem à præruptis torrentium alveis* charadrium, *appellamus, quaſi* hiati-colam *dixeris*. Et *Ariſtophanis* Scholiaſtes in *Avibus*, Ὠνομαστοπεποίηται τὸ ὄρνεον ἀπὸ τοῦ ἐν ταῖς χαράδραις διατρίβειν. *Illa avis ſic appellata eſt, quia in hiatibus ad amnium ripas degit.* Proinde, cùm apud *Comicum Nephelococcygiam* urbem aves in *Nubibus* ædificabant,

Ὕδωρ ἐφόρουν κάτωθεν ἐς τὸν ἀέρα
Οἱ χαραδριοὶ, καὶ τ᾽ ἄλλα ποτάμι᾽ ὄρνεα,

Aquam ex inferioribus locis in aerem portabant charadrii, & aliæ aves fluviatiles. Ad hoc porro *charadrii* nomen non reſpondet אנפה *anapha*; ſed אגפה *agapha*. Quomodo legiſſe *Græcos* interpretes conjectamus, *Nun* & *Gimel* permutatis; quæ literæ ſunt ſimillimæ. Nempe אגף *agaph*, in ave eſt *ala*: in homine *brachium*, in amne aut alveo *ripa*. Ut in *Bava Bathra* cap. 6. fol. 99. b. ואמה מכאן ואמה מכאן לאנפיה, *Et foſſam hinc, & foſſam illinc, ad ripas ejus*. Hinc *Baal Aruch*, פירוש אנפיה גדותיה כדכתיב והירדן מלא על כל גדותיו אגפיים ראשונים בעופות ושניים באדם ושלשים בנהר ופתרון אחד להם

Senſus

Senſus eſt, vocem אנפיה idem eſſe, quod גדותיה, *ripas* ejus; ut cum *Joſ.* 3. v. 15. Igitur *Jordanes* amnis *ſuperâſſe omnes ripas ſuas.* Et אנפים primo de avibus uſurpari pro *alis*; ſecundo de homine pro *brachiis*; tertio de amne pro *ripis*: ità tamen analogicè hæc tria idem ſignificent; quia *ripæ* ſunt in amne, quod *alæ* in ave, & *brachia* in homine, id eſt, æque ad utrumque latus. Cum igitur vox אנף *agaph*, pro *amnis ripa* in uſu fuerit inter *Judæos*, quo tempore *Græci* interpretes verſionem ſuam ediderunt, putaverunt inde appellari אנפה *agapham*, vel *agappam* potius, avem in fluminum ripis nidificare ſolitam, id eſt, *charadrium.*

Sed *Arabibus*, qui *pſittacum* interpretati ſunt, in voce אנפה *anapha*, viſum eſt *Aleph* eſſe pro *Ajin*, ut deduceretur ab ענף *anaph*, quod *ramum* ſonat: & indè *pſittaco* nomen inditum, quia nidum ſuum ſuſpendit è ramis arborum. *Aloyſius Cadamuſtus* capite trigeſimo *Navigationum* ſuarum, *His mirum eſt ingenium, & ſolertia nidificandi. Nam excelſiſſimam quærunt arborem, quæ ſurculos habeat ſubtiles, & tenues, cujusvis ponderis ferè impatientes: horum cacumini adligant dependentem ſurculum, qui nidum mirâ induſtriâ fabricatum ſuſpendunt inſtar pilæ rotundum, relicto ſolum foramine admodum anguſto, quod oſtii vicem ſuppleat. Ajunt id efficere alitem, ut ſerpentum fallat aſtutias.* Id ipſum ex *Petro Gillio* refert *Geſnerus* paginâ 723. Et eandem induſtriam tribuunt *Arabes* avi *thenavvut.*

التنوط طاير يدلي خيوطا *Alcamus*,

من شجرة وينسج عشه كقارورة

الدهن منوطا بتلك الخيوط

Thenavvut (quaſi *penſilem avem* dicas) *avis quædam, quæ ex arbore filum ſuſpendit, & nidum ſibi texit, ut ampullam olei, appenſum illi filo.* Alaſinius انما

سمي بذلك لانه يدلي خيطا

من شجرة يفرخ فيها *Ità nempè vocatur; quia filum appendit arbori, in qua nidificat.* Quia نوط eſt *appendere.* De eadem *Damir*, من

شانه انه اذا اقبل الليل اخذ

بغصن شجرة ويضم عليه رجليه

وينكس راسه ثم لا يزال

يصيح حتى يطلع النور *E natura ejus eſt, quod inſtante nocte, capit ramum arboris, cui pedes applicat, capite deorſum inclinato, neque cantare ceſſat, donec dies oboriatur.* Joculare eſt, quod quidam addunt,

وانما يفعل ذلك خوفا من

السما تقع عليه *Illam ità facere, ne cœlum in ſe ruat.* Ut *Germani*, qui, ab *Alexandro* rogati quid timerent, reſponderunt hoc ſolum, ne cœlum rueret. Sed, ut ad pſittacum redeam, ut pavonem, de quo ſupra (e) ità pſittacum vix crediderim *Moſis* ævo *Judæis* fuiſſe notum. Eſt enim avis *Indica.* Ità teſtantur ſcriptores magno conſenſu. Sic in *Indicis* ſcribit *Cteſias* apud *Photium* περὶ τῆς ὄρνιθος τῆς βιττάκου, ὅτι γλῶτταν ἀνθρωπίνην ἔχει, καὶ φωνήν, *de ave bittaco* (quomodo tum appellabant) *eam humanam habere linguam, & vocem.* *Arrianus* etiam in *Indicis*, Σιττακοὺς δὲ Νέαρχος μὲν ὡς δή τι θαῦμα ἀπηγέεται, ὅτι γίνονται ἐν τῇ Ἰνδῶν γῇ, καὶ ὁκοῖος ὄρνις ἐστὶν ὁ σιττακὸς, καὶ ὅκως φωνὴν ἵει ἀνθρωπίνην. *Sittacos autem* Nearchus (qui cum *Alexandro* militavit) *ut miraculum quoddam narrat in* India *naſci, & qualis ſit avis ſittacus, & quomodo humanam vocem exprimat.* Unde pſittacos colligas cum temporis in *Græcia* nondum fuiſſe notos. *Ariſtoteles Hiſtoriæ* libri octavi capite duodecimo, Καὶ τὸ Ἰνδικὸν ὄρνεον ἡ ψιττάκη, τὸ λεγόμενον ἀνθρωπόγλωττον. *Et* Indica *avis pſittacus, quæ dicitur humanam habere linguam.* *Plinius* libri decimi capite quadrageſimo ſecundo, *India autem hanc mittit, pſittacen vocat.* Ælianus *Hiſtoriæ* libri decimi ſexti capite ſecundo, Ἐν Ἰνδοῖς μανθάνω σιττακοὺς ὄρνις γίνεσθαι. *In* Indis *procreari audio ſittacos aves.* Vide & libri decimi tertii caput decimum octavum, & libri decimi ſexti caput decimum quintum. *Pauſanias* in *Corinthiacis*, Παρὰ δὲ Ἰνδῶν μόνων ἄλλα τε κομίζεται, καὶ ὄρνιθες οἱ ψιττακοί. *A ſolis* Indis *cum alia, tum pſittaci, afferuntur.* Apulejus *Floridorum* libro ſecundo, *Pſittacus* Indiæ *avis eſt.* *Solinus* capite quinquageſimo ſecundo, *Sola* India *mittit avem pſittacum.* *Philoſtorgius* libro tertio, ubi de terris ad extremum Orientem & Meridiem ſitis; Καὶ μὴν δὴ καὶ τὴν σιττάκην ἐκεῖθεν ἴσμεν κομιζομένην. *Et verò pſittacum etiam novimus indè afferri.* Unde *Ovidius* libri ſecundi *Amorum Elegiâ* ſextâ,

Pſittacus Eois *ales mihi miſſus ab* Indis.

Item,

Pſittacus extremo munus ab orbe datum.

Et *Statius* libri ſecundi *Elegiâ* quarta,

Pſittacus ille plagæ viridis regnator Eoæ.

Et *vetus Poëta* in Ænigmate *De pſittaco*,

Indica *purpureo genuit me littore tellus,*
Candidus accenſo quà redit orbe dies.

Tamen ut de *Novo Orbe* taceamus, afferri etiam ex *Africa*, ſed intimâ, nos docent hodiernæ navigationes. Neque *Plinium* id latuerat, qui libri ſexti capite vigeſimo nono, in itinerario à *Syene* ad inſulam *Meroën*, quod ediderant *Neronis* exploratores, *Gagaudem* inſulam deſcribens, ait *indè primum viſas aves pſittacos.* Quod confirmat *Paulus Venetus*, cum de *Abaſia* ſcribit libri tertii capite quadrageſimo quinto; *Habet pſittacos, & epimachos pulcherrimos.* Sed hæc *Diodori* nullus capio libri ſecundi paginâ 95 Αἱ δὲ τῆς Συρίας ἐσχατιαὶ ψιττακοὺς, καὶ πορφυρίωνας, καὶ μελεαγρίδας (ἐκτρέφουσι.) Res eſt enim paradoxa, ſed & planè falſa, pſittacos in *Syria* naſci. Itaque locus ille mihi de mendo ſuſpectus eſt, quamvis quid ſit reponendum non ſuccurrat.

(e) *Lib.* 1. *cap.* 20. *pag.* 136. 137. *&c.* & *lib.* 2. *cap.* 16. *pag.* 242. *lin.* 2. *&c.*

CAPUT TRIGESIMUM PRIMUM.

Probatur דוכיפת *dukiphath*, eſſe *Upupam.*

Rabbinis *multa voces compoſita; in quibus* דו diu, *&* דו du, *vel* do, duo *ſonat. Indè ineptè deduci* Davidis *vocem* דופי dophi, *id eſt*, probrum: *&* Moſis דוכפת dukiphath, *quaſi* avem duplici criſtâ *ſignificet.* R. Selomonem *non id ſenſiſſe, ut putavit* Pagninus; *ſed aliud æquè abſurdum. Loca* Talmudis, *&* Baal Aruch, *emendata. Vi compoſitionis* דוכפת dukiphath, gallum, ſaxatilem *ſonat*; (*prout* Chaldæi, *&* Hebræi, gallum montanum, *aut* ſylveſtrem *explicant*) *vel* gallum ominoſum. *Sadducæi* vulgarem gallinam *intellexerunt. Elias* urogallum. *Junius* attagenem; *avem olim in deliciis, hodie non ſatis notam.* Græci, Hieronymus, Arabes, *multi recentiores* upupam. *Quæ verè* gallus ſaxatilis, *&* ſylveſtris, Æſchylo *ὀρεῖος ὄρνις*, Græcis *hodie ἀγριόκοκος*. Gallus *propter criſtam*; ſaxatilis, *&* ſylveſtris, *quia in ſaxis, montibus, & ſylvis degit. Item gallus portentoſus, & ominoſus, propter ſtupendam ſpeciem, & uſum in auguriis, & Magicis. Hæc avis ad* Solomonem *vermiculum* שמיר ſamir, *attuliſſe fertur, cujus vi fiſſi Templi lapides. Similis fabula in* Æliano. Solomonis *cum upupa colloquia: ejuſdem legatio ad Reginam* Sabæorum. *Fontes ab ea revelati. Eadem quando cæca. Gallina & attagen in* Judæorum *cibis. Sed upupa propter ſpurcitiem vetita, & quia in ſtercore commoratur.* Græcum *&* Latinum *nomen eo referri perperam, cùm ſit à voce ſumptum: ut & Arabicum* hudhud. *Ad* Hebraicum *accedunt Ægyptium* kukupha, *& Syrum* kikupha. *Upupa in parentes pia. Upupa in alaudam metamorphoſis.*

NOmen avis דוכיפת *dukiphath*, Magiſtri *Judæorum* compoſitum eſſe rectè aſſerunt. Sed eos latet ratio compoſitionis. Si *Pagnino* credimus, *R. Selomo* in *Commentario* exponit *gallum ſylveſtrem δίλοφον*, ſeu *duplicatam criſtam habentem*: & à *duplici criſta* דוכיפת *dukiphath*, appellari vult, quaſi habentem דוכפות *dukephoth*, id eſt (ait) *duas criſtas*. Cujuſmodi compoſitiones in *Rabbinorum* ſcriptis non infrequenter occurrunt. Ità caverna *Macpela*, ſeu *duplex*, ab illis vocatur דיוטרן, quaſi *duplex antrum*, voce conflata ex δύο & ἄντρον. Primus homo דיופרצוף *διπρόσωπος*, quaſi Deus illum bifrontem creaverit. *Siphon* דיופי, quaſi duo haberet ora. *Arbor biſera* דיופרא quaſi *δίφορος*. *Pera duplex* דיוסקיא, quaſi *δίσακκος*, ut Gallis *biſſac*, & *beſace*. *Duumviri præfecti urbis*, ſeu (*conſules*, דיופלין ex δύο & πόλις. *Gladius anceps* דיוסטר, propter duo latera. Illis enim סטר eſt *latus*. *Imago ex altera expreſſa* דיוקן, ex δύο & εἰκών. *Duæ columnæ* דיומדן, ex די & עומדין. Et דיוגי, *δίζυγος*, *bijugus*. Et דוכסוסטוס, quaſi *δίξυρος bis raſus*: ut *παλίμψηστος* eſt pergameni certa ſpecies, vel bis, vel utrimque raſi, & expoliti. Itaque, quaſi *Prophetarum* verba ſimiles compoſitiones admittant, *Joſephus Kimchius, Davidis* pater, *Pſalmi* quinquageſimi verſu vigeſimo, verbum דופי *dophi*, id eſt, *probrum, vituperium*, compoſitum eſſe contendit ex דו *do, duo*, & פי *pi*, vel *phi*, *os*; quia obtrectator aliter te præſente, aliter te abſente loquitur, quaſi duo haberet ora. Quod eſt valde abſurdum, ut vox à *Davide* uſurpata pro ſemi-*Latina* habeatur, aut ſaltem pro ſemi-*Græca*. Sed de *Moſe* multò abſurdius, cujus eſt vox דוכיפת *dukiphath*, in qua verſamur. Verum, ut dicam quod res eſt, *R. Selomo* non ſcribit, quod illi affingit *Pagninus*, avem, דוכיפת *dukiphath*, nomen habere ex דוכפות *du kephoth*, ſive *duabus criſtis*. Neque enim ulla eſt avis *δίλοφος*. Et *criſta* Hebraicè non dicitur כיפה *kepha*, vel כיפת *kephath*; ſed כרבלת *kirbela*, ut Britonibus *cribel*. Denique planè aliud ſonant verba *Solomonis*, à *Pagnino* citata, ולמה נקרא שמו דוכיפת שהודו כפות וזו היא כרבלתו. Quæ ſic vertenda ſunt, *Et cur vocatur nomen ejus* dukiphath? *Quia eminentia ejus alligata eſt, id eſt, criſta ejus.* Nam הוד hod, *decus, dignitatem, majeſtatem, eminentiam* ſonat. Et Verbum כפת *kephath*, Chaldæis *ligare* & *vincire* eſt. Vult igitur ex duabus vocibus הודו כפות *hodo kaphuth*, id eſt, *eminentia* (ſeu *criſta*) *ejus alligata eſt* (ſupple *capiti*) per Aphæreſin factum eſſe *dukiphath*; quia criſtatæ avis nomen eſt. Neque hæc tam ſunt *R. Selomonis*, quam *Talmudicorum* in *Cholin* cap. 3. fol. 63. 2. ubi dicit *R. Juda*, דוכיפת *dukiphath*, ideò appellari, שהודו כפות *quia eminentiam ſuam habet alligatam*. Et *Gloſſa* in margine, כרבלתו עבה ודומה כמו שכפולה לתוך הראש וכפותה שם, *Criſta ei denſa eſt, & quaſi in medio capite vincta, & ibi ligata.* Nam pro שכפולה, quod *geminatam* ſonat, legendum eſſe שכבולה, id eſt, *vinctam*, docet ſenſus, & vox ſynonyma כפותה, quæ ſequitur. Simile eſt mendum in *Aruch* in his verbis דוכיפת זה שהודו כפוף. Legendum enim כפות, ut in *Talmude*, & *Selomone*, non כפוף. Interim hæc originatio priore non multo melior eſt. Nam, utùt הוד *hod, decoris, roboris, gloriæ, dignitatis*, & *majeſtatis ὑπεροχὴν* atque eminentiam ſonet, tamen pro *criſta* nuſquam ſumitur. Neque criſtata avis rectè diceretur criſtam habere *alligatam*, cum in criſtatis avibus criſta innata ſit, non alligata. Conſtat igitur hoc ἔτυμον eſſe valde coactum, & fidiculis extortum.

Sed aliud venit in mentem, de quo velim ut docti judicent. *Arabibus* ديك *dik* eſt *gallus*, & ديكة *dika* eſt *gallina*. Unde conjectura non levis *Hebræis* quoque, aut *Syris*, דיך *dik*, vel דוך *duk*, *gallum* ſignificaſſe. & דוך כפא *duk kepha*, *gallum rupis*. Quibus vocibus κατὰ σύνθεσιν in unam coaleſcentibus, ex *duk-kepha* levi mutatione factum ſuſpicor דוכיפת *dukiphath*; duorum *Caph* uno ablato, cujus abſentia non potuit ſuppleri per punctum *Daghes* propter longam Vocalem præcedentem. *Hebræorum* Doctores, qui de tali compoſitione non poterant cogitare, quia neſciebant *duk*, vel *dik*, eſſe *gallum*, conjecturam tamen noſtram valdè confirmant, cum *dukiphath*, *gallum agreſtem*, aut *ſylveſtrem*, aut *montanum* explicant. Ita autem explicant ferè omnes recentiores. *Kimchius*, & *Aquinas* reddunt תרנגולא ברא, *gallum agreſtem*. R. Serira Gaon, גאלו דמונטייא, *gallum montium*. Pomarius תרנגול הבר, *gallum agri*, & Italicè *gallo, o gallina ſalvatica*. *Elias Levita* Germanicè אורהאן, *awerhan*/ quod ſylveſtris galli genus eſt. *Syrus* quoque hic habet ܐܪܢܓܠܐ ܕܛܘܪܐ *gallum agreſtem*. Et *Chaldæi* tres, *Hieroſolymitanus, Jonathan*, & *Onkelos* נגר טורא *gallum montanum*. *Gallus* porrò *agreſtis*, ſive *montanus*, idem (credo) ſunt cum *gallo rupicola*. Maximè, cum mons & rupes ita ſint ſynonyma, ut *Seniores* promiſcuè uſurpent: hinc eſt, quod *Hebræum* צור, alibi *πέτραν petram* reddunt, alibi *ὄρος montem*.

Quam-

Quamvis veram hanc eſſe putem vocabuli originem, tamen etiam alia poteſt hujus compoſitionis ratio aſſignari non parùm veriſimilis. Nempe, ſi vox דוכיפת divellatur in דוך, & יפת: quarum prior ſit *gallus*, altera *portendere*. Nam inde fit מופת *ſignum*, non qualecunque, inquit *Kimchius*, ſed *quo futurum aliquid portenditur*. Quomodo ſi ſumatur, דוך־יפת, erit *gallus portentoſus*, aut etiam *gallus ominoſus* vel *auguralis*.

Jam videndum, cui potiſſimùm avi hæc nomina tribui poſſint. Quadruplex eſt interpretatio. Una *Sadducæorum*, qui, cum nomine דוכיפת, *vulgarem gallinam* intelligerent, ab ejus uſu abſtinuerunt, tanquam ab ave immunda, & in Lege prohibitâ. Quò referendus eſt in illos *Aben Ezra* Sarcaſmus, אמרו הצדוקים שהיא תרנגולת ואלה טפשי עולם כי מי הגיד להם, *Dixerunt* Sadducæi dukiphath *eſſe gallinam. Sed hi ſunt ſtulti mundi*, (id eſt, mortalium ſtultiſſimi.) *Quis enim hoc illis indicavit?* Altera eſt interpretatio *Eliæ* in *Methurgeman*, ubi נגר טורא, *Germanicè* vocari dicit אוירהאן **awerhan**/vel **orhan**. Illud eſt galli ſylveſtris genus vulgari duplo majoris. *Geſnerus* putat eſſe *Plinii tetraonem*. Ipſe poſt *Albertum* appellat *urogallum*, *Latino* nomine fictoad inſtar *Germanici*. Ab *uris* ſic dici putant; quia vulgares gallos magnitudine tantùm ſuperat, quantùm uri vulgares boves. Tertia interpretatio eſt *Junii*, & *Tremellii*, quibus דוכיפת eſt *attagen*; avis, quæ maximè fuit in veterum deliciis. *Horatius Epodô* ſecundo,

Non Afra *avis deſcendat in ventrem meum,*
Non attagen Iönicus.

Martialis in *Xeniis* Epigrammate ſexageſimo primo,

Inter ſapores fertur alitum primus
Iönicarum *guſtus attagenarum.*

Græci vocant (a) ἀτλαγᾶς, & ἀτταγῆνας. *Ariſtophanes* in *Ciconiis*,

(a) Athenæi lib. 9. & 14.

Ἀτταγᾶς, ἥδιστον ἑψεῖν ἐν ἐπινικίοις κρέας.

Phœnicides ἐν *Μισουμένῃ* poſt longam ſeriem cupediarum,

—— κ' οὐδὲν ἦν τούτων ὅλως ——
Πρὸς τὴν ἀτταγῆνα συμβαλεῖν τῶν βρωμάτων.

Sed avis tam delicatæ deſcriptio tam eſt neglecta, ut hodiè docti diſputent, an *attagen* ſit *gallinago*, vel *ruſticula*, vel *coturnix*, vel Italorum *francolinus*. A *Junio* videtur ſumi pro *ruſticula*, quæ dicitur **woodcock**/ id eſt, *gallus ſylveſtris*, & alicubi à Gallis *gelinotte de bois*, id eſt, *ſylveſtris gallinula*.

Supereſt, ut dicamus de LXX. *Senioribus*, & *Vulgato* interprete, qui דוכיפת *dukiphath*, ἔποπα, *upupam* reddunt. Quomodo etiam *Arabes* quatuor interpretes, editi duo, & manuſcripti totidem, quos inter ſe conferre mihi contigit. In his enim omnibus الهدهد *alhudhud* reperias, id eſt, *upupam*. Quod meritò ſequuntur multi recentiorum. Nam in ea ſententia ſum, ex multis interpretationibus præferendam eſſe antiquiſſimam; niſi cauſæ ſint graviſſimæ, cur ab ea diſcedamus, quales hic nullas video. Quidni enim *upupam* Moſes *gallum ſaxatilem*, Chaldæi *gallum montanum*, Rabbini *gallum ſylveſtrem* appellaverint, cùm & à *Græcis* videam idem eſſe factitatum? Sic ἔποπα *Heſychius* explicat ἀλεκτρυόνα ἄγριον, *Æſchylus* πετραῖον ὄρνιν *avem* (aut etiam *gallinam*) *ſaxatilem*. Nam pro gallinaceo genere ſpecialiùs ὄρνιν vel ὄρνιθα ſumi docuimus (b) ſuo loco. Locus *Æſchyli*, quem innuimus, ſic citatur à *Philoſopho Hiſtoriæ* libri noni capite quadrageſimo nono,

(b) Lib. 1. cap. 16. pag. 112. lin. 9. &c. & lib. 2. cap. 27. pag. 321. lin. 6.

Τοῦτον δ' ἐπόπτην ἔποπα τῶν αὑτοῦ κακῶν
Πεποικίλωκε, κἀποδηλώσας ἔχει
Θρασὺν πετραῖον ὄρνιν ἐν παντευχίᾳ.

Quæ vir magnus ita reddit,

Hunc fecit upupam, qui ſuorum facinorum
Sit ipſe teſtis, variegato corpore
Inſeſſor ales rupium, ornatu ferox.

Agitur de *Tereo*, quem ſuorum malorum ἐπόπτην, ſeu *inſpectorem*, vocat, ad ἔποπα, ſeu *upupa*, nomen alludens, in quam mutatus *Tereus* factus eſt πετραῖος ὄρνις, *ſaxatilis avis*, aut *gallina* ſi mavis. Quid, quòd hodieque *upupam Græcorum* vulgus vocat ἀγριόκοκορον, *gallum ſylveſtrem*? *Gallus* dicitur ratione criſtæ, quamvis in gallo criſta ex cartilagine conſtet, in upupa ex plumis. Cur porrò *montanus* vocetur, & *ſylveſtris*, & *ſaxatilis*, non eſt obſcurum: cùm in montium jugis, & præruptis rupium, & ſylvarum receſſibus commorari ſoleat. *Philoſophus Hiſtoriæ* libri primi capite primo, Τὰ δ' ὄρη (ζῶα,) ὥσπερ ἔποψ· *Quædam autem animalia montana ſunt, ut upupa*. Et libri noni capite undecimo, Ἔνιοι δὲ τῶν ὀρνίθων ἐν τοῖς ὄρεσι καὶ τῇ ὕλῃ καθιζάνουσιν, οἷον ἔποψ. *Sunt in avibus, quæ montes & ſylvas colunt, ut upupa*. *Æſchylus* ubi ſupra,

Ἀστῶν δὲ μισεῖ, τῶν δὲ Παλλήνης τόπων
Δρυμοὺς ἐρήμους καὶ πάγους καθίζεται.
Sed odit urbes, inque Pallenes *ſolo*
Deſerta nemorum & rupium colit juga.

Idem ſcribit *Ælianus Hiſtoriæ* libri tertii capite vigeſimo ſexto, *Upupas* ὑποπλέκειν τὰς καλιὰς ἐν ταῖς ἐρήμοις, καὶ τοῖς πάγοις τοῖς ὑψηλοῖς, *nidos conſtruere in deſertis & celſis rupibus*. Vides igitur, lector, quiſquis es, meritò hanc avem דוכיפת ſeu *gallum ſaxatilem*, dici.

Sed &, ſi libet, דוכיפת *dukiphath*, *gallum portentoſum*, aut *ominoſum*, & *auguralem* interpretari, ratio patebit ſtatim upupam intuenti, cujus ſpecies tam portentoſa eſt, ut, eâ ave visâ, nemo non obſtupeſcat. *Ovidius Metamorphoſeos* libri ſexti Fabulâ ſeptimâ,

——*cui ſtant in vertice criſta,*
Prominet immodicum prælongâ cuſpide roſtrum,
Nomen epops volucri, facies armata videtur.

Proinde in *Ariſtophanis Avibus Euelpis* hoc ſpectaculo perculſus ità exclamat,

Ὦ Ἡράκλεις, τουτὶ τί ποτ' ἐστὶ θηρίον;
Τίς ἡ πτέρωσις; τίς ὁ τρόπος τῆς τριλοφίας;
Mehercule iſtud quod novum eſt feræ genus?
Pennata triplici criſta qualis ordine?

Item,

Τὸ ῥάμφος ἡμῖν σου γέλοιον φαίνεται.
Roſtrum videmus eſſe ridiculum tibi.

Taceo, quod upupam, magorum & augurum veteri ſuperſtitione, inter oſcines vel præcipuum fuiſſe nonnulli ſcribunt. *Pandectarius Arabs* lapidem *Quirin* fabulatur *proditorem eſſe ſecretorum, & phantaſias promovere, ſi ponatur ſuper pectus dormientis, & inveniri in nido upupæ, quæ tota*, inquit, *avis eſt præſtigioſa, & auguralis, ut ferunt magi & augures*. Auctore *Iſidoro Originum* libri duodecimi capite ſeptimo, *Hujus ſanguine ſi ſe quiſquam inunxerit dormitum pergens, Dæmones ſuffocantes ſe videbit*. *Damir* multa habet hujus farinæ in capite *De upupa propriis*, hujus aut illius partis ſuffitu è columbario noxia pelli; è corpore Dæmonia ejici; ſolvi eum, qui nuptiis ſuis defixus, & *devotatus* eſt, ut *Apuleii* verbo utar; corde toſto cum ruta comeſo ingenium acui, ac memoriam excitari; plumis appenſis litem obtineri. Sed & ex eadem ave varia præſcribit philtra; pharmaca item, quibus amoveantur hoſtes, & loca deſolentur, & oculi excutiantur, atque alia hujuſmodi ſuperſtitioſa, vana, impia, atque — ἄρρητ' ἀμείνω. Quod ipſum argumentum ita tractat *Aikazuinius*, ut *Damiri* vix cedat. Unde conſtat magos upupam ut monſtrificum animal in maxima admiratione poſuiſſe.

Judæi quoque narrant דוכיפת *dukiphath*, *Solomoni* obtuliſſe שמיר *ſamir*, id eſt, vermiculum, cujus virtute ſiſſi fuerint Templi lapides duriſſimi. Ità habetur in *Cholin* ubi ſupra, דוכיפת שהודו כפות
והוא.

חדו שהביא שמיר לבית המקדש, Dukiphath, *avis, cui criſta alligata eſt; ea eſt, quæ vermiculum Samir attulit ad domum Sanctuarii.* De quo prolixam fabulam legat, qui poteſt, in Tractatu *Gittin* cap.7.fol. 68 a.b. Summa eſt, *Solomonem*, auctore *Aſmodæo*, Rege Dæmonum, miſiſſe ad hujus avis nidum, quem habet in montibus inter petras duriſſimas, & repertos ibi pullos, quos in vitro pellucido ſervi *Solomonis* incluſerint. Ad quos acceſſus cùm matri non pateret ampliùs, eam attuliſſe vermem שמיר *ſamir*, cujus attactu vitrum ſtatim diſſiliit, & confractum eſt. Nam τοῦ *ſamir*, inquiunt, ea virtus eſt, ut non vitrum ſolùm, ſed & duriſſima quæque diffindat. Itaque eo uſus eſt *Moſes* ad gemmas τοῦ *Ephod* ſcalpendas, & inſculpendas. Et *Solomon* ad dedolandos Templi lapides absque ullo ferramento. Quod ideò duxi obſervandum, quia etiam in *Græcis* ſcriptoribus upupa legitur, non vermis quidem virtute, ſed vi herbæ cujusdam omnia obſtantia perfringere. *Ælianus Hiſtoriæ* libri tertii capite vigeſimo ſexto, Ἔτυχε δὲ ἐν τῷ τοῦ τείχους ἐρημοτέρῳ ἔνθ᾽ ὁ ὄρνις παιδοποιησάμενος, ἔν τινι ῥήγματι λίθου ὑπὸ τοῦ χρόνου διεστῶτι, ἐκεῖνο ὁ τοῦ τείχους μελεδωνὸς, ἰδὼν ἔνδον τὰ βρέφη, κατήλειψε τὸ χήραμον τῷ πηλῷ· καὶ ὑποστρέψας ὁ ἔποψ, ὡς εἶδεν αὐτὸν ἀποκλεισθέντα, πόαν ἐκόμισε, καὶ προσλείηκε τῷ πηλῷ. ὁ δὲ κατερρύη, καὶ προσῆλθε πρὸς τὰ αὑτοῦ ἐκεῖνος τέκνα. εἶτα ἐπὶ νομὴν ᾔξεν, αὖθις οὖν ὁ αὐτὸς ἐπήλειψεν ἄνθρωπος· καὶ ὁ ὄρνις τῇ αὐτῇ πόᾳ ἀνέῳξε τὸ χήραμον. καὶ τὸ τρίτον ἐπράχθη τὰ αὐτά. *Cum in parietis parte maximè deſertâ peperiſſet hæc avis, in lapidis rimâ vetuſtate actâ, & parietis curator, pullis intùs obſervatis, luto rimam obduxiſſet: upupa poſt reditum, murum obſtructum videns, herbam attulit, & luto admovit. Quo ſtatim diſſoluto, illa ad pullos ſuos acceſſit, & inde paſtum rediit. Et, cùm idem ille vir parietem rurſus obduxiſſet, avis eum hâc ipsâ herbâ denuò reſeravit: atque id tertiò factum eſt.* Vides utrobique hominis induſtriâ pullos incluſos, & matrem upupam occultâ vi hæc clauſtra reſerantem, ut illis ſubveniat. Ut valde ſit veriſſimile fabulam unam ex altera eſſe natam.

Eodem faciunt *Solomonis* cum upupa colloquia in *Alcorani Surata*, cui titulus *Formica*. Et quod ad *Sabæorum* Reginam pro *Solomone* legationem obit. Et fontes in ima tellure latentes ab eadem *Solomoni* revelati. Unde eſt, quòd pſeudo-*Propheta* dicit,

لا تقتلوا الهدهد فان كان دليل سليمان على بعد الما وقربه *Ne upupam interficiatis, quia* Solomoni *indicabat quàm procul, aut quàm propè eſſent aquæ.* Id eſt, quantum diſtarent à terræ ſuperficie: nempe, ut tradit *Ibno Abas*, كانت له الارض كالزجاجة يري من باطنها *Terra ipſi erat ut vitrum translucida, ità ut fundum videret.* Objicit *Naphi*, كيف يبصر الما من تحت الارض ولا يري الفخ اذا غطي له بقدر اصبع من التراب *Quomodo videt aquas, quæ ſunt ſub terra; & laqueum non videt, cùm pulvere tegitur latitudine digiti?* Et reſpondet *Ibno Abas*, اذا نزل القضا عمي البصر *Cùm deſcendit (Dei) decretum, (id eſt, Deo ſic volente) viſus ejus excæcatur.* Itaque ut *Hebræi* de ave *dukiphath*, ità *Arabes* de upupa in *Solomonis* hiſtoriam multas nugas inſerunt.

Addo nullam patere cauſam, cur gallina, vel attagen, vel urogallus, ſeu tetraon cenſeantur inter aves immundas. Adeoque gallinæ uſum *Judæis* fuiſſe permiſſum nemo neſcit. Et de attagene idem legas in *Ariſtea*, ſuppoſititio illo quidem, ſed *Judæo* tamen, & valde vetuſto, ut qui à *Joſepho* citetur tanquam genuinus ſcriptor. Verba ſunt, Τῶν γὰρ πτηνῶν οἷς χρώμεθα πάντα ἥμερα καθέστηκε. διαφέρει καθαρότητι, πυροῖς καὶ ὀσπρίοις χρώμενα πρὸς τὴν τροφὴν, οἷον περιστεραὶ, τρυγόνες, ἀτλαγαὶ, πέρδικες, ἔτι χῆνες, καὶ τὰ ἄλλα ὅσα τοιαῦτα. *Aves, quibus utimur, omnes manſuetæ ſunt: & puritate excellunt, nutriunturque tritico, & leguminibus; ut ſunt columbæ, turtures, attagenæ, perdices, anſeres etiam, & aliud id genus.* (Pro ἀτλαγαὶ, *attagenes*, malè legitur ἀττακοὶ, quod locuſtæ genus eſt *Levit.*11. *v.*22.) Gallina igitur & attagen *Judæis* erant conceſſæ, neque apparet ulla ratio, cur illis prohiberentur. Sed in upupa res clara, cùm ſit avis ſpurciſſima, quæ ex ſtercore nidum ſibi comparat, & rebus fœtidiſſimis veſcitur. *Ariſtoteles Hiſtoriæ* libri noni capite decimo quinto, Ὁ δ᾽ ἔποψ τὴν νεοττιὰν μάλιστα ποιεῖται ἐκ τῆς ἀνθρωπίνης κόπρου. *Upupa nidum facit maximè ex humano ſtercore.* Ælianus *Hiſtoriæ* libri tertii capite vigeſimo ſexto, Οἱ δὲ ἀντὶ τοῦ πηλοῦ χρίουσι τὴν καλιὰν, ἀποπάτημα ἀνθρώπου περιβαλόντες, τῇ δυσωδίᾳ τε καὶ κακοσμίᾳ ἀνείργοντες καὶ ἀναστέλλοντες τὸ ζῷον τὸ ἑαυτοῖς πολέμιον. *Illæ autem pro luto nidum humano ſtercore illinunt, fœtore & graveolentiâ quodcunque animal in ſe infenſum arcentes & repellentes.* Plinius libri decimi capite vigeſimo nono, *Obſcœna aliàs paſtu avis.* *Cyrillus* libro tertio *De adoratione*, Εἶδος δὲ τοῦτο στρουθίου τὰ τῶν τιλμάτων ἀεὶ δυσωδέστατα περιθέοντος, καὶ τὰ ἐκ βορβόρου καὶ ἀκαθαρσίας συλλέγοντος εἰς τροφήν· *Aviculæ genus eſt, quæ paludum fœtidiſſimas perpetuò circumvolat, atque ex cœno & ſordibus paſtum petit.* Et in *Zachariam* tomo tertio, φιλοβόρβορον (ἐστὶ) καὶ κοπροβόρον, καὶ τῶν σκωλήκων ἀγέλαις ἀγρίως ἐπιμαινόμενον, καὶ τροφὴν ἀεὶ ποιεῖσθαι νενομισμένον τὴν ἐσχάτην ἀκαθαρσίαν· *Avis eſt cœno gaudens, ſtercore veſcens, & in vermium greges ferociùs inſaniens, & immundiſſima quæque pro alimento uſurpare ſolita.* Et *Homiliâ* decimâ *De feſtis Paſchalibus*, Ἀκάθαρτον γὰρ τὸ στρουθίον, φημὶ δὴ τὸν ἔποπα, σκωλήκων τε καὶ περιττωμάτων τῶν ἀπὸ γαστρὸς ὅτι μάλιστα βορόν· *Upupa, inquam, impura eſt avicula, quæ vermibus & ventris excrementis veſci gaudet inprimis.* Hieronymus *in* Zachariam *cap.*5. *Ἔποπα appellant ab eo, quòd ſtercora humana conſideret. Avem dicunt eſſe ſpurciſſimam, ſemper in ſepulcris, ſemper in humano ſtercore commorantem. Denique & nidum ex eo facere dicitur, & pullos ſuos de vermiculis ſtercoris alere putreſcentis.* Unde *Iſidorus Originum* libri duodecimi capite ſeptimo, *Upupam* Græci *appellant; eò quòd ſtercora humana conſideret, & fœtenti paſcatur fimo, avis ſpurciſſima.* Quam tamen *Græci* nominis originationem haudquaquam probo. Et *Varroni* malo aſſentiri, qui à ſua voce deducit *upupæ* nomen. Videtur enim *epop*, vel *upup*, ſemper ingeminare. Hinc habetur in fabulis, *Tereum*, in upupam mutatum, clamâſſe ποῦ; ποῦ; *ubi? ubi?* ut inſequentes ſolent, cum *Prognen* & *Philomelam* inſequeretur. Et *upupæ* nomen *Arabicum* هدهد *hudhud* videtur eodem pertinere. Avium enim voces, cùm articulatæ non ſint, variè poſſunt exprimi.

Ad *Hebræum* דוכיפת *dukiphath*, accedit *Ægyptium* ΚΟΥΚΟΥΦΑ, quo *upupa* ſignificatur. Hinc in *Lexico Coptico* ΚΟΥΚΟΥΦᾺ *Arabicè* redditur الهدهد *alhudhud*, id eſt, *upupa*. *Syrum* quoque ܩܘܩܘܦܐ *kikupha*, in *Syro Ferraris Lexico* ſic explicatur. Et *cucupha* nomine *upupam* intelligi conſtat in his *Hori Apollinis* libri primi cap. quinquageſimo ſecundo, Εὐχαριστίαν γράφοντες (Αἰγύπτιοι) κουκουφὰν ζωγραφοῦσι, διότι τοῦτο μόνον τῶν ἀλόγων ζώων, ἐπειδὰν ὑπὸ τῶν γονέων ἐκτραφῇ,

γραφῇ, γηράσασιν αὐτοῖς, τὴν αὐτὴν ἀνταποδιδόναι χάριν. *Gratum indicantes animum* (Ægyptii) *cucupham pingunt, propterea quod ſolum hoc ex mutis animantibus, poſtquam à parentibus educatum eſt, iisdem ſenio confectis parem refert gratiam.* Nempe upupas *Ægyptii* in honore habent, *Æliano* teſte *Hiſtoria* libri decimi capite decimo ſexto; quia ſunt πρὸς τοὺς γειναμένους εὐσεβεῖς, *erga parentes pia.*

Jam vide, lector, præclaram metamorphoſim upupæ in alaudam, cujus auctor *Pandectarius*: *Alauda* (inquit) *Arabicè eſt upupa avis.* Imò *Arabicè alauda* vox eſt nihili. Sed is ex *albudhud* fecit *alaudam.* Sic *Athenienſes* de alauda fabulari quod de upupa *Brachmanes* obſervat *Ælianus Hiſtoriæ* libri decimi ſexti capite quinto.

CAPUT TRIGESIMUM SECUNDUM.

Probatur עטלף *atalleph*, eſſe *Veſpertilionem.*

Veſpertilio inter aves & quadrupedes media. Quomodo ſedere *dicatur.* Hebræis *vocatur* עטלף atalleph, *trajectis literis, pro* עפטלל aphtalel, *quaſi* avis tenebrarum. *Ut à nocte, & veſpere,* Græcum & Romanum *nomen habet.* Arabicum خفاش chopphas *eſt ab oculorum vitio.* Idola ad talpas & veſpertiliones projicere *quid ſit* Eſa. 2. v. 20. Mahumetanorum *ſomnium,* Chriſtum *præter veſpertiliones nihil creâſſe. Eadem Filii opera, quæ Patris.*

UT ab aquila incepit *Moſes*, quæ regina eſt avium, ita in veſpertilione deſiit, qui naturæ eſt ambiguæ, & inter aves & quadrupedes medium locum obtinet. Huc pertinet, quod *Philoſophus* eum ſcribit ἐπαμφοτερίζειν τοῖς πτηνοῖς καὶ πεζοῖς, ἀμφοτέρων τε μετέχειν, καὶ οὐδετέρων, *De partibus animalium* libri quarti capite decimo tertio. Hinc *Varro* in *Agathone*,

Quid multa? factus ſum veſpertilio, neque
In muribus planè, neque in volucribus ſum.

Et *Macrobius Saturnalium* libri ſeptimi capite decimo ſexto, *Exordio volantia univerſa de ovis prodeunt, excepto uno, quod incerta natura eſt. Nam veſpertilio volat quidem pellitus alis: ſed inter volantia non habendus eſt, quia quatuor pedibus graditur, formatosque pullos parit, & nutrit lacte quos generat.* Itaque ut *Samaritani* apud *Joſephum* modo ſe *Judæos*, modo ſe *Ethnicos* eſſe profitebantur, prout res *Judæorum* bene aut malè cedebant, ità in fabulis veſpertilio modò ſe murem, modò ſe avem eſſe dictitat, prout è re ſua eſt. Et notum eſt *Panarcis* Ænigma, ὅτι βάλοι ξύλῳ τε καὶ οὐ ξύλῳ καθημένην ὄρνιθα καὶ οὐκ ὄρνιθα ἀνήρ τε κοὐκ ἀνὴρ λίθῳ καὶ οὐ λίθῳ. *vir non vir* (eunuchus) *inſidentem avem non avem* (veſpertilionem) *ferit ligno non ligno* (ferulâ) *aut lapide non lapide* (pumice:) cujus griphi meminêre *Plato* libro quinto *De Legibus*, *Clearchus* in libro *De griphis*, *Athenæus* libri decimi capite decimo nono, & *Suidas* obiter in νυκτερὶς ὄρνις. Miratur vir doctiſſimus, cur ibi dicatur *ſedere* hæc avis, cùm non ſedeat, ſed vel volet, vel appenſa petris hæreat, aut arborum ramis. Itaque καθημένην mutari vult in πεπτωμένην. Sed non puto quidquam mutandum. Καθήμενος non ſemper *ſedentem* ſignificat, ſed ſæpe *deſidentem, manentem, quieſcentem.* Exempla vide *Matth.* 4. v. 16. & 9. v. 9. & 11. v. 16. & paſſim. Res notior eſt, quàm ut probatione egeat. Et *Romanis* quoque *ſedere* id ipſum eſt. Itaque de hac eadem ave *Sympoſius Ænigmate* vigeſimo octavo,

Sed ſedeo in tenebris, nec me committo diebus.

Hebraicè עטלף *atalleph*, & *Chaldaicè* עטלפא *attalepha*, cur dicatur, hactenus fuit incertum, ſed rem ignotam conabor aperire. In nominibus polyſyllabis ſæpe videas literarum trajectiones: ut in אלגומים *algumim*, pro אלמגים *almugim*; מתלעות *mathleoth*, pro מלתעות *maltheoth*; & in *Ægyptio* CALASIRI ex קרסול *karſol.* Aliquid hic ſimile contigiſſe putaverim, & עטלף *atalleph*, dictum pro עפטלל *aphtalel*, vel פטלל *phtalel*, id eſt, *ave tenebrarum.* Nam עוף *oph*, eſt *avis*: & *Hebræum* צל *tſel*, vel צלל *tſelal*, pro *umbra*, & *tenebris*, *Chaldaicè* ſcribitur טול *tul*, & טלל *telal.* Ità hæc avis nomen habuerit naturæ ſuæ planè congruum. Nam *Græcè* quoque νυκτερὶς dicitur ἀπὸ τῆς νυκτὸς, quia eſt ἐκ τῶν νυκτινόμων. Neque alia ratio *Romani* nominis. *Ovidius Metamorphoſeωs* libri quarti *Fabulâ* duodecimâ,

Nocte volant, ſeroque tenent à veſpere nomen.

Sympoſius ubi ſuprà,

Nox mihi dat nomen, primo de tempore noctis.

Nonnius, *Veſpertilio, animal volucre, biforme; dictum, quòd veſpere ſe ad volatum præparat noctis.* Iſidorus, *Veſpertilio pro tempore nomen accepit, eo quòd, lucem fugiens, crepuſculo veſpertino circumvolat.* *Arabes* vocant الخفاش *alchopphas* ab oculorum vitio. *Alcamus*, الخفاش الوطواط سمي لصغر عينيه وضعف بصره Alchopphas, *idem*, *quod* alvvatvvât (*veſpertilio.*) *Ità vocatur propter oculorum parvitatem, & viſûs debilitatem.* Nam الخفش *alchaphas* eidem eſt صغر العين وضعف البصر خلقة او فصاد في الجفون بلا وجع وان يبصر بالليل دون النهار وفي يوم غيم دون صحو *parvitas oculi, & viſûs debilitas naturalis, aut vitium in palpebris ſine dolore, aut cùm quis noctu plus videt quàm interdiu, & die caliginoſo plus quàm claro.*

Extra Legem unicus occurrit in Scriptura locus, in quo de veſpertilione agatur. Nempe *Eſa.* 2. v. 20. *In illa die projiciet homo idola ſua argentea, & idola ſua aurea, quæ ad adorandum ſibi fecerat, ad talpas,* לעטלפים, *& ad veſpertiliones*: id eſt, in tenebras detrudet, ut ne ampliùs ſuperſtitioſis hominibus fulgore ſuo illudant. Quia ut talpa cæca eſt, ita veſpertilio fugit lucem; quod pluribus docuimus (a) in capite *De talpis.*

(a) Part. 1. lib. 3. cap. 35. pag. 1032. lin. 42. &c.

Mahumetanam de veſpertilione fabulam pro corollario libet addere. Deum Patrem per verbum æternum, id eſt, per *Jeſum Chriſtum*, filium ſuum, omnia creaviſſe credimus, à Scriptura ità edocti. Ità enim *David* Pſal. 33. v. 6. *Verbo Domini cœli facti ſunt.* Et *Joh.* 1. v. 3. *Omnia per ipſum facta ſunt: & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt.* Et 1. *Cor.* 8. v. 6. *Unus Dominus* Jeſus Chriſtus, *per quem omnia, & nos per ipſum*: Et *Col.* 1. v. 16. *Per eum condita ſunt omnia, quæ in cœlis ſunt, & quæ in terra; viſibilia, & inviſibilia,* &c. *Omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt.* Et *Hebr.* 1, 2. *Loquutus eſt nobis in Filio, quem conſtituit hæredem omnium, per quem etiam mundum condidit.* Hinc *Joh.* 5, 19. *Quæcunque ille* (Pater) *fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit.* Hæc *Prophetæ*, & *Apoſtoli.* At recutiti Doctores præter veſpertilionem *Chriſtum* quidquam creâſſe negant. Quo argumento ipſi viderint. Nam in *Alcorani Surata*, cui titulus

titulus ال عمران *Familia Amrani*, quem *Mariæ* Virginis patrem fuiſſe fingunt, aves ſe creare dicit *Chriſtus*: *Ad vos*, inquit, *veni cum ſigno à Domino veſtro*, اني اخلق لكم من الطين كهية الطير فانفخ فيها فيكون طيرا باذن الله *Ego formo vobis ex luto tanquam avis figuram, & flo in eam, & fit avis, Deo ſic permittente.* Et in *Surata Almeida*, id eſt, *menſa*, Deus illum ſic alloquitur, وان تخلق من الطين كهية الطير باذني فتنفخ فيها فتكون طيرا باذني *Et, cùm ex luto avis imaginem formabas permiſſu meo, & flabas in eam, & me concedente fiebat avis.* Sed has ſcilicet aves veſpertiliones fuiſſe, & *Jeſum Chriſtum* nihil præterea creâſſe divinârunt, qui vixerunt poſt *Mahometem*; quia ad horum tenebrionum ingenium viſa eſt accommodatior avis tenebricoſa. Hinc *Alkazuinius*, وانما طالب بنو اسرايل عيسي عليه السلام يخلق الخفاش لانه اتم الطير خلقه لان له اذنا واسنان وثديا فاتخذ من الطين Iſraëlis *porrò filii* Jeſum, *cui bene ſit, rogaverunt, ut veſpertilionem crearet; quia veſpertilio eſt natura ſua perfectiſſimus, cùm habeat aures, & dentes, & mammas: & ſumpſit lutum*, &c. Et *Damir*, الخفاش هو الذي خلقه عيسي بن مريم باذن الله *Veſpertilio eſt avis, quam Dei permiſſu creavit* Jeſus Mariæ *filius*. Et *Ibno Abas*, الطير الوطواط الذي نفخ فيها عيسي بن مريم وكان طيرا باذن الله عز وجل *Avis* watwât (*veſpertilio*) *in quam flavit* Jeſus Mariæ *filius*, *& facta eſt avis permiſſu Dei fortis & glorioſi*. Et *VVaheb* filius *Manbe* لما خلق عيسي عليه السلام الخفاش باذن الله كان يطير ما دام الناس ينظرون اليه فاذا غاب عن ابصارهم سقط ميتا الحكمة في ذلك ليميز فعل الخلق من فعل الخالق تعالي *Cur* Jeſus, *cui bene ſit, permiſſu Dei, veſpertilionem creavit, qui à volatu non ceſſat, dum illum aſpiciunt homines: ſed, cùm aſpicere deſinunt, jacet ut mortuus? Ut inde ſciremus creaturæ opus quantum differat ab opere creatoris, qui ſummus eſt Deus.* At, ô boni, ſi *Chriſtus* veſpertilionem creavit demùm, poſtquàm ex Virgine natus eſt, quomodo illius *Moſes*, *Eſaias*, *Græci* interpretes, *Homerus*, *Herodotus*, *Corinna*, *Plato*, *Ariſtoteles*, *Clearchus*, *Antigonus*, *Nicander*, *Varro*, & ſexcenti alii ante *Chriſtum* natum meminerunt? Aut, ſi in ſpecie, quæ jam exſtabat, & à ſummo Deo creata fuerat, nova individua creavit *Chriſtus* *Mariæ* filius, *Chriſti* opera à primi illius creatoris operibus nihil differunt.

CAPUT TRIGESIMUM TERTIUM.

Immundarum avium numerus, & generales notæ. Harum prohibitio quomodo ad mores pertineant.

Cenſus avium immundarum ex Maimonide. *In illo confundi perperam* איה aja, *&* דיה daja. *Cùm avis prohibetur juxta ſpeciem ſuam, non ſequitur illius diverſas eſſe ſpecies.* זרזיר, ſturnus, *non turdus. An ſit corvi ſpecies.* שרנקא ſarneka, *vel* ſorinka, *ſpecies accipitris. Ejus deſcriptio ex* Arabibus. *Harum avium nomina neque* Maimonidem, *neque* Talmudicos, *neque* Seniores *ſatis intellexiſſe. Fruſtrà Magiſtri ſuos ad traditionem amandant, quæ nuſquam exſtat; aut adperitos aucupes, quales hâc in parte nulli. Rapaces omnes immundæ. In aliis tria ſigna requiri, aut ſaltem horum unum, ut pro mundis habeantur. Prohibitionis immundarum rationes myſticæ. Eâ de re multa ex* Patribus. *Notantur* Cyrillus *&* Procopius. *De his acutè* Thomas, *quamvis alicubi fallatur.*

POſtquam immundarum avium cenſum explicare conati ſumus, jam de illarum numero, & notis, aliquid addemus ex *Maimonidis* libro *De cibis vetitis*. Verba ſunt capitis primi ſectione decimâ quartâ, סימני עוף טהור לא נתפרש מן התורה אלא כנה מינן טמאין בלבד ושאר מיני העוף מותרין והמינין האסורין ארבעה ועשרים הן ואלו הן א׳ נשר ב׳ פרס ג׳ עזניה ד׳ דאה והיא הראה האמורה במשנה תורה ה׳ איה והיא הדייה האמורה במשנה תורה ו׳ מין האיה שכן כתוב בה למינה מכלל שהיא שני מינין ז׳ עורב ח׳ זרזיר שכן נאמר בעורב למינו להביא את הזרזיר ט׳ יענה י׳ תחמס י״א שחף י״ב נץ י״ג ושרנקא והיא מין הנץ שכן כתוב בו למינהו י״ד כוס ט״ו שלך י״ו ינשוף י״ז תנשמת י״ח קאת י״ט רחמה כ׳ חסידה כ״א האנפה כ״ב מין האנפה שכן נאמר בה למינה כ״ג הדוכיפת כ״ד העטלף *Signa mundarum avium non explicantur ex Lege, quæ ſolùm immundarum cenſum inſtituit, & reliquæ ſpecies conceſſa ſunt. Species porrò prohibitæ ſunt viginti quatuor.* 1. NESER. 2. PERES, 3. OZNIJA. 4. DAA, *qui in* Deuteronomio *dicitur* RAA. 5. AJA, *qui in* Deuteronomio *dicitur* DAJA. 6. *Species τῆς* AJA; *quia de ea ſcribitur* ſecundùm ſpeciem ſuam: *itaque genus eſt, cujus duæ ſpecies.* 7. OREB. 8. ZARZIR; *quia de* OREB *dicitur* ſecundùm ſpeciem ſuam, *ad deſignandam* ZARZIR. 9. JAANA. 10. THACHMAS. 11. SACHAPH. 12. NETS. 13. *Et* SARNEKA, *quæ eſt ſpecies* NETS; *quia de eo ſcriptum eſt* juxta ſpeciem ſuam. 14. CHOS. 15. SALACH. 16. JANSUPH. 17. THINSEMETH. 18. KAATH. 19. RACHAMA. 20. HASIDA. 21. ANAPHA. 22. *Species altera* ANAPHÆ; *quia de ea*

ea dicitur juxta ſpeciem ſuam. 23. DUKIPHATH. 24. ATALLEPH.

In quo *Maimonidis* cenſu quædam ſunt obſervanda. Ac primum illud ראה *daa*, & ראה *raa*, rectè pro eodem haberi. Nam *Leviticum* cum *Deuteronomio* conferenti palàm conſtabit, unum pro altero fuiſſe ſcriptum, propter ſimilitudinem literarum *Daleth* & *Res*. Quod in *Talmudico* Tractatu *Cholin* rectè obſervat *R. Abja* fol. 63. a. b. At non perinde verum eſt, quod illi ipſi volunt, idem eſſe איה *aja*, & דיה *daja*; & eam avem, quæ in *Levitico* איה *aja* dicitur, in *Deuteronomio* דיה *daja*, dici. Illud, inquam, verum non eſt, cum *Deut.* 14, 13. ambæ habeantur האיה והדיה, tanquam diverſæ aves. Quinetiam extra Legem utrumque nomen occurrit: nempe איה, *Job.* 28, 7. & דיות *Eſ.* 34, 15. Proinde illas diſtinximus: & איה *aja*, nobis (a) *aſalo*, דיה *daja*, fuit (b) *vultur niger*.

a) Supra cap. 8. pag. 192.
b. Supra cap. 9 pag. 195.

Secundo, ex eo, quod quaſdam aves prohibet *Moſes juxta ſpeciem ſuam*, non ſequitur illarum diverſas eſſe ſpecies: neque enim Plurali numero dixit, *juxta ſpecies ſuas*, ſed Singulari *juxta ſpeciem ſuam*: nimirum, ut ſignificet totam ſpeciem prohiberi. Et quod in quibuſdam diſertè dicit, in aliis ſupplere ſatis habuit, ut vitaret tædium perpetuæ repetitionis horum verborum *juxta ſpeciem ſuam*.

Tertio, non capio cur זרזיר *zarzir*, id eſt, *ſturnum*, *Hebræi* velint eſſe corvi ſpeciem potiùs, quam cornicem, aut picam, aut graculum, & monedulam, quæ ad corvi naturam magis accedunt. Tamen *Maimonides* hoc de ſuo non affert. Ità enim citat *Aruch* ex Tractatu *Cholin* fol. 63. זה עורב למינה להביא את הזרזירין, *iſte corvus* dictus eſt SECUNDUM SPECIEM SUAM *ad deſignandos* zarzirin (ſeu *ſturnos*.) Ubi tamen hodiè vocem הזרזירין, ſeu *ſturnorum*, non reperio. Sed in *Bava Kama* fol. 92. b. Proverbium indè natum legas, quod tale eſt, לא לחנם הלך זרזיר אצל עורב אלא מפני שהוא מינו, *Non fruſtra corvum adit ſturnus, cum ſit ejuſdem ſpeciei*. Et in *Bereſith Rabba* cap. 65. aliquantò contractiùs, לא הלך זרזיר אצל עורב אלא שהוא מינו, *Sturnus corvum non adiret, niſi eſſet ὁμογενής*. Et in *Baal Hatturim Cabaliſta* obſervant verba עורב למינו, *corvus juxta ſpeciem ſuam* per *Gematriam* idem valere, quod זרזיר *zarzir*. Nam in numeris *Hebraicis* utrumq; valet 414. Et in *Aquinate* זרזיר *zarzir*, definitur עוף שהוא קרוב לצורת העורב, *avis, quæ corvo ſpecie ſimilis eſt*. Neque dubium, quin זרזיר *zarzir* ſit *ſturnus*. Nam in *Gloſſa Talmudis* explicatur אשטורני״ל *eſtournel*. Et in Pomario, *ſtorno*. Et in *Maſal Kadmoni* Fab. 51. duo colloquutores, *Hebraicè* vocantur השפן והזרזיר, id eſt, *cuniculus, & ſturnus*, ut ex pictura apparet. Denique *Arabicum* زرزور *zarzour* id ipſum ſignificat. Proinde verba *Dioſcoridis* libro ſecundo, capite *De animalium fimo*, ψαρὰς ὀρύζῃ τρέφοντες, *ſturnos oryzâ alentes*, *Avicenna* libro ſecundo *Canonis* capite زبل id eſt, *De fimo*, ità reddidit, الزرزور المتعلف للارز Zarzur *oryzâ paſtus*: id eſt, *ſturnus*, non *turdus*, ut reddiderunt *Latini* interpretes, errore in *Hiſpania* nato, ubi *zorzal* eſt *turdus*.

Minus obvia eſt vox שרנקא, *ſarneka*, quam uſurpat *Maimonides* pro ſpecie נץ *nets*, ſeu *accipitris*, ut *Talmudici* שורינקא *ſorinka*, &, quod idem eſt, בר־חיריא *bar-chirja*. Verba ſic habent in Tractatu *Cholin* ubi ſuprà, ת״ר הנץ זה הנץ למינהו להביא את בר־חיריא מאי בר־חיריא אמר אביי שורינקא *Tradiderunt Magiſtri noſtri accipitrem dici* juxta ſpeciem ſuam, *ut ſignificetur* bar-chirja. *Quid eſt* bar-chirja? *Dixit* Abji, *Eſt* ſorinka. *Aruch* legit בר־חוריא *bar-churja*; & שורניקא *ſornika*. Et *Arabicè* in *Giggeio* سرنوق *ſurnouk* eſt *avis ex genere accipitrum, raptu vivens*. Fallor, aut hæc eadem eſt, quæ à *Damire* in uno exemplari vocatur شروق *ſaruk*, in altero زرق *zurrak*: de qua ſic *Ibne-Saida*, طاير يصاد به بين البازي والباشق *Avis eſt aucupatoria, media* (id eſt, mediæ magnitudinis) *inter Albazi & Albaſak*, accipitrum ſpecies apud *Arabes* notiſſimas. Et *Alphera*, هو البازي الابيض والجمع الزرارق وهو صنف من البازي لطيف الا ان مزاجه احر وايبس ولذلك هو اشد جناحا واسرع طيرانا واقوى اقداما وفيه ختل وخبث وخير الوانه الاسود الظهر الابيض الصدر الاحمر العين *Eſt Albazi* (ſeu *accipiter albus*.) *Plurale eſt* zerariko. *Eſt accipitris ſpecies elegans, ſed calidiſſimi & ſicciſſimi temperamenti. Ac proinde alis eſt firmior, volatu velocior, & pedibus fortior. Et in eo eſt verſutia, & malignitas, & coloris præſtantia. Dorſo enim niger eſt, albus ſtomacho, ruber oculo.* Ab albedine ſtomachi à *Talmudicis* vocatur בר־חוריא, *filius albedinis*. Videndum, an ſit falco albus recentiorum.

Hæc ſunt immundarum avium nomina, tam quæ in Scriptura leguntur, quàm quæ ex traditione proferunt *Judæorum* Magiſtri. Quorum cenſum inſtituere *Maimonidi* facilè fuit: ſed, quod à tali Doctore exſpectabamus, illa interpretari ne conatus quidem eſt. Et, quod mirere magis, *Talmudici* Doctores, tot ſæculis antiquiores, nonniſi pauca explicant, eaque valde ambiguè, ità ut eos appareat in mediis palpare tenebris. Et *Græcis* quoque interpretibus, qui tantò ante pleroſque *Talmudicos* vixerunt, quantò illi ante *Maimonidem*, calculum hic ſæpe hæſiſſe docet, quod ſibi tam parùm conſtant, & unius avis vocabulum in tam diverſas notiones diſtrahunt. In captivitate ſcilicet *Babylonica* *Judæi* linguam ſuam ex parte obliti ſunt, & *Hebraiſmi* puritas in *Syriſmum* degeneravit. Unde eſt, quod poſt reditum ex illa captivitate, vocum aliquot, quarum rarior erat uſus, periit vera ſignificatio. In quo numero fuerunt quædam avium appellationes. Unde *Aben Ezra* in *Levit.* 11, 29. 30. ubi reptilium octo genera prohibet *Moſes*. גם אלה השמנה לא נוכל לדעתם גם העופות כי אם מדברי קבלה, *Neque hæc octo* (reptilia,) *neque etiam aves verè nôſſe poſſumus, niſi ex traditionis verbis* Sed hæc traditio nuſquam extat. Et traditionum auctores *Talmudici* aliò nos amandant, nempe ad peritos aucupes. Ita in *Cholin* fol. 63. b. א״ר יצחק עוף טהור יאכ״ל במסורת נאמן הצייד לומר עוף זה טהור מסר לי רבי א״ר יוחנן והוא שבקי בהן ובשמותיהן, *Dixit* R. Iſaac, *Avis munda comeditur per traditionem fidelis aucupis: ità ut dicat, Hæc avis munda eſt, ut Magiſter* (anceps) *mihi tradidit*. R. Jochanan, *Et qui expertus ſit in iis, & in earum nominibus*. Unde *Maimonides* ubi ſupra ſectione decima quinta, כ״ל מי שהוא בקי במינין אלו ובשמותיהן ה״ז אוכל כ״ל עוף שאינו מהם ואינו צריך בדיקה ועוף טהור נאכל במסורת והוא שיהיה דבר פשוט באותו

באותו מקום שזה עוף טהור ונאמן צייד לומר עוף זה
התיר לי רבי הצייד והוא שיוחזק אותו צייד שהוא
בקי במינין אלו ובשמותיהן *Quisquis eſt exercitatus in illis ſpeciebus* (quæ prohibitæ ſunt) *& in earum nominibus, is liberè veſcitur omnibus iis avibus, quæ non ſunt in illo cenſu, neque eget ampliore diſquiſitione. Et avis munda comeditur per traditionem, cum id clarè explicatur in illo loco, in quo fuerit avis munda: & ibi eſt fidelis auceps. Ut dicat* (qui comedit,) *Hanc avem conceſſit mihi Magiſter auceps. Nempe confirmavit ipſum auceps in illis exercitatus, & in earum appellationibus.* Sed, quia hujuſmodi aucupes nuſquam reperire eſt, addit ſectione decima ſextâ, מי שאינו מכירן ואינו
יודע שמותיהן בודק בסימנין אלו שנתנו חכמים כל עוף
שהוא דורס ואוכל בידוע שהוא מאלו המינין וטמא ושאינו
דורס ואוכל אם יש בו אחד משלשה סימנין אלו הן עוף
טהור ואלו הן אצבע יתירה או זקף והיא המוראה או שהיה
קורקבנו נקלף ביד *Qui aves illas non novit, & earum neſcit nomina, eas ſecernit per ſigna hæc, quæ Sapientes nobis tradiderunt. Omnis avis, quæ prædam conculcando dilacerat, & vorat, palàm eſt ex illis ſpeciebus, & habetur pro immunda. Sed avis, quæ non eſt rapax, & carnivora, pro munda habetur, ſi in ea reperiatur unum ex his tribus ſignis. Nempe, 1. Si habeat digitum ſuperfluum* (id eſt, calcar, quale in gallis:) *2. aut ingluviem, quæ Hebraicè* murea *dicitur: 3. aut ſi ventriculus manu nudetur* (ſine cultro.) Quæ partim petita ſunt ex *Talmudico* Tractatu *Cholin*, partim ex *Jonathanis Chaldaica* Paraphraſi, quæ ſic habet *Levit.* 11, 13. וית אלין מינייא תשקצון מן עופא דלית
להון ציבעא יתירא ודלית זקפתא ודקורקבניה ליתוהי מקליף
Et has ſpecies ex avibus deteſtamini: quibus non eſt digitus ſuperfluus, & quæ ingluviem non habent, & quibus ventriculus non nudatur. Quod ultimum non capio ſatis. Tamen extremum hoc ſignum *Geonim* tanti faciunt, ut, vel ſi unicum hoc in ave deſit, ejus uſum nunquam concedant, ut docet pluribus *Maimonides*. Sed *Judæorum* coquos conſulat, qui hujuſmodi nugarum curioſus eſt.

Harum prohibitionum ratio tota videtur fuiſſe myſtica. 1. Rapaces aves prohibuit Deus; aquilam puta, oſſifragam, milvum, vulturem, accipitrem, corvum, *&c.* ut à rapina *Judæos* averteret. 2. Nocturnas; puta bubonem, noctuam, veſpertilionem: ut abjicerent opera tenebrarum, & ſe proderent lucis filios. 3. Lacuſtres, & riparias; ut onocrotalum, catarrhactem, pelicanum, ciconiam, quarum victus eſt impuriſſimus, & upupam, quæ in ſtercore nidulatur: ut ab omni immunditia eos arceret. 4. Struthionem denique, qui à terra non attollitur: ut, terrenis relictis, ad ea tenderent, quæ ſurſum ſunt. Quæ explicatio noſtra non eſt, ſed veterum interpretum. *Ariſteas*, Περὶ ὧν δ' ἀπηγόρευται πτηνῶν, εὑρήσεις ἄγριά τε, καὶ σαρκοφάγα, καὶ καταδυναστεύοντα τῇ δι' ἑαυτῶν δυνάμει τὰ λοιπά· *Aves, quæ prohibentur, reperies agreſtes eſſe, & carnivoras, & potentia ſua tyrannidem in alias exercere.* Quod ſtatim ad mores transfert *Barnabas* in *Epiſtola*, quam eximius vir edidit noſter *Voſſius*; Οὐδὲ μὴ φάγῃς, φησὶ, τὸν ἀετὸν, οὐδὲ τὸν ὀξύπτερον, οὐδὲ τὸν ἰκτῖνα, οὐδὲ τὸν κόρακα· οὐ μὴ, φησὶ, κολληθήσῃ ἀνθρώποις τοιούτοις, οἵτινες οὐκ οἴδασι διὰ κόπου καὶ ἱδρῶτος πορίζειν ἑαυτοῖς τὴν τροφὴν, ἀλλ' ἁρπάζουσι τὰ ἀλλότρια ἐν ἀνομίᾳ αὐτῶν· *Nec manducabis, inquit, aquilam, aut accipitrem, aut corvum: id eſt, inquit, non adjunges; qui victum per laborem & ſudorem ſibi acquirere neſciunt, ſed aliena rapiunt per ſuam iniquitatem.* Quæ *Clemens Alexandrinus* citâſſe non contentus libro quinto *Stromatum* etiam ità imitatur in *Pædagogi* libri tertii capite undecimo, Οὐδ' ἰκτῖνα, ἢ ὀξύπτερον μαστοφαγῆ, ἢ ἀετὸν φάγῃς, φησὶν ὡς ἐξηγεῖται, φησὶν, τοῖς δι' ἁρπαγῆς τὸν βίον πορίζομένοις· *Milvum non manducabis, aut accipitrem, qui mammas vorat, aut aquilam: id eſt, ne accedas ad eos, qui ex raptu victum ſibi comparant.* Origenes in *Leviticum* Homiliâ ſeptimâ, *Non manducabis*, inquit, *hæc, quia immunda ſunt, aquilam, & vulturem, & cætera his ſimilia. His etenim avibus ſemper mortuorum corporum cibus eſt, & ex mortuis cadaveribus vivunt. Omnes ergò, qui hujuſmodi vitam gerunt, immundi habendi ſunt. Ego puto & illos in his nominari, qui alienis incubant mortibus*, &c. *velut mortuorum cadaveribus inhiantes.* Sed & ibidem eos, qui, cum in verbis cœleſtem eruditionem præ ſe ferant, tamen in factis carnalia, & mortua opera præſtant, rectè *vultures* & *aquilas* dici aſſerit, *quæ de excelſis ad carnes mortuas & fœtidas delabuntur.* Et paulò pòſt, *Quædam non tam rapacitatem, quam obſcuritatem & tenebras amant. Omnis enim, qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut noctua, & veſpertiliones*, &c. Novatianus *De cibis Judaicis* capite tertio, *Quis corvum* (cibum faciat?) *ſed verſutas execratur voluntates. Paſſerem cum interdicit* (στρουθὸν voluit, id eſt, *ſtruthionem*,) *intemperantiam coarguit. Quando noctuam, odit lucifugas veritatis. Quando cygnum, cervicis altæ ſuperbos. Quando charadrium, garrulam nimis linguæ intemperantiam. Quando veſpertilionem, quærentes tenebras noctis ſimul & erroris.* Apud *Cyrillum* libro nono *Contra Julianum*, aquilæ, accipitres, catarrhactæ, gryphes, & vultures rapaces & avaros deſignant; corvus verſipelles; upupa, noctua, & veſpertilio indoctos, & tenebriones, qui doctrinæ lucem oderunt. Et libro decimo quarto *De adoratione* idem habet ejuſdem argumenti multò plura. Et ibidem non ſolùm upupam, ſed & ardeam, & charadrium, inter nocturnas aves cum noctua, & veſpertilione, recenſet, rejici aſſerens γλαῦκα, καὶ ἐρωδιὸν, καὶ χαραδριὸν, καὶ τὰ ὅμοια αὐτῶν, ἔποπα, καὶ νυκτερίδα, *noctuam, & ardeam, & charadrium, & his ſimiles, upupam, & veſpertilionem*, ut νυκτὸς φίλα, καὶ χαίροντα μὲν τῷ σκότει, καὶ πλεῖστα ὡς ἐνδιατάσθαι ἐν αὐτῷ ποιεῖσθαι μεμελετηκότα, καὶ ἐχθραίνοντα δὲ τὸ ἡλίου φῶς, καὶ τὸ ἐν αὐτῷ τι δρᾶν μὴ ἀνεχόμενα, *aves noctis amicas, & tenebris gaudentes, & in iis volare ſolitas libentiùs, & à Solis lumine abhorrentes, neque in eo quidquam molıri ſuſtinentes.* Quod noctuæ quidem & veſpertilioni convenit, ſed upupæ, ardeæ, & charadrio, non item. Tamen *Cyrillum* hâc in parte ſequitur *Procopius Gazæus* in *Commentariis in Leviticum*. Sed in iis, quæ ad naturam pertinent, non ſemper Sacris Doctoribus fidendum, quibus majoris momenti curæ his minutulis ſerio vacare non permiſerunt.

Placet inprimis *Thomæ* acumen, qui, *Hieronymi* verſionem & ordinem ſequutus, ex harum avium ſingulis aliquid transfert ad mores. *In aquila*, inquit, (c) *quæ altè volitat, prohibetur ſuperbia. In gryphe, qui equis & hominibus infeſtus eſt, crudelitas potentum prohibetur. In haliaeto, qui paſcitur minutis avibus, ſignificantur illi, qui pauperibus ſunt moleſti. In milvo, qui maximè inſidiis utitur, ſignificantur fraudulenti. In vulture, qui ſequitur exercitum, exſpectans comedere cadavera mortuorum, ſignificantur illi, qui mortes & ſeditiones hominum affectant, ut inde lucrentur.* Lege locum, & videbis eum reliqua pari curâ perſequi: ità tamen, ut quædam de avibus afferat minùs vera; 1. Puta porphyrionem habere unum pedem latum ad natandum, alterum fiſſum ad ambulandum: herodionem, (id eſt, *ardeam*) cum falcone eundem eſſe: caladrionem, (id eſt, *charadrium*) avem eſſe garrulam, *&c.* & quaſdam ἀποδείξεις coactas habeat, & vi extortas; qui morbus fuit illorum temporum. Tamen in multis elucet viri illius ingenium meliore ſæculo digni.

(c) Thom. 1. 2. q. 102. art. 6.

DE

SCRIPTVRÆ ANIMALIBVS,

PARS SECUNDA,

Liber Tertius,

DE

Serpentibus.

CAPUT PRIMUM.

Probatur אפעה *ephe*, eſſe *Viperam.*

Hebraa ſerpentum *nomina.* Cleopatra *ab aſpide morſa, qua ab* Hebræo *ſcriptore* אפעה ephe, *dicitur. Sic* Syro *interpreti* ܐܣܦܣ, *eſt aſpis. Aliis* אפעה, *eſt* regulus, *aliis* draco, *&* volucer anguis, *&* anguiculus, *&* ſerpens glaber, *&* cenchrites. *Nuga* Talmudicorum *de* אפעה ephe. *Probatur* אפעה ephe, *eſſe* viperam *ex* Arabico *Novi Teſtamenti Paraphraſte, & aliis* Arabum. Avicennæ *multa loca de* ephe, *cui ea ipſa tribuit, qua vipera* Dioſcorides, Galenus, Paulus, *&* Aëtius. *Mas habet duos dentes caninos, fœmina plures. Eidem latum caput, collum tenue, cauda mutila, color flavus. Caro cocta viſum acuit, ut & ſal ex ea factum. Ejus eſu leproſi ſanantur. Cacutiens fœniculo ſanatur. Ore coit, & in ardore coitus fœmina maris caput aut genitalia abſcindit. Hac omnia de* ephe Arabes, *ut* Græci *de* vipera. פעה, clamare contenta voce, *propriè* in partu. *Indè* vipera אפעה *cur dicta. Vipera ventrem non rumpit in partu, ut ajunt; ſed membranas, quibus catuli involvuntur.* Vipera *quaſi* vivipara; *quia ſola parit vivos catulos.* Job. 20, 16. Occidet eum lingua viperæ, *id eſt,* dentes, *ut in* Seneca. *Vipera in* Ægypto *Eſ.* 30, 6. *& apud* Ammianum, *quibus aliquid peculiare. Viperam eſſe oviparam multi negant. Tamen ova illi tribuuntur* Eſ. 59, 5. *& in* Ariſtotele, *&* Plinio. Theophraſtus *emendatus. Viperarum multa ſpecies apud* Arabes. *Ità etiam apud* Græcos. *Dipſas, ceraſtes, hamorrhous, hydra in viperis. Hydra* Herculis, *&* Philoctetis, *nonnullis* echidna. *In* Epiphanio *vipera nomen complecti ferè ſerpentum omne genus. Vipera* Pauli *Prudentio* aſpis, coluber, *&* hydrus.

INter ſpecies ſerpentum aut verè ſunt, aut putantur eſſe. 1. אפעה *ephe.* 2. כפיר *chephir.* 3. עכשוב *acſoub*, 4. פתן *pethen.* 5. צבע *tſeboa.* 6. צמאון *tſimmaon.* 7. צפע *tſepha*, vel צפעני *tſiphoni.* 8. קפוז *kippoz.* 9. שחל *ſachal.* 10. שפיפון *ſephiphon.* 11. שרף *ſaraph.* 12. תנין *thannin*, qui & לויתן *leviathan.* Itaque res poſtulat, ut de ſingulis dicamus, & has ſpecies conemur inter ſe diſtinguere: quamvis res ſit difficillima; quia in Scriptura vix quidquam de una ſpecie dicitur, quod non ſit omnibus commune. Neque interpretes ſibi conſtant. Dicam tamen quid videatur eſſe vero proximum. Et in hoc capite de אפעה *ephe*, agetur, quæ prima eſt in ordine Alphabetico.

In *Hiſtoria Templi ſecundi* paginâ 135. de *Cleopâtra* dicitur, וקראה להביאו לה אפעה והכנסתו תחת דדיה וישך אותה ותמת, *Et juſſit, ut ſibi afferretur* אפעה ephe, *à qua, uberibus admotâ, morſu interempta eſt. Ephe*, id eſt, *aſpis. Cleopatram* enim ab aſpide fuiſſe demorſam ſtatuit vulgus ſcriptorum. *Strabo* libro decimo ſeptimo, ἑαυτὴν ἐν τῇ φρουρᾷ διεχειρίσατο λάθρα δήγματι ἀσπίδος· *Se ipſam in cuſtodia clàm interfecit morſu aſpidis.* Velleius Paterculus libro ſecundo, *Cleopatra, fruſtratis cuſtodibus, illatâ aſpide, morſu ſanè ejus, expers muliebris metûs, ſpiritum reddidit.* Suetonius *in* Auguſto, *Periiſſe morſu aſpidis putabatur.* Plutarchus *in* Antonio, Λέγεται δὲ τὴν ἀσπίδα κομισθῆναι σὺν τοῖς σύκοις, &c. καὶ τὸν βραχίονα παρασχεῖν τῷ δήγματι γυμνώσασαν· *Aſpidem ajunt cum ficubus fuiſſe allatam,* &c. *& illam nudatum brachium ad morſum exhibuiſſe.* Item, Οἱ δὲ τηρεῖσθαι μὲν ἐν ὑδρίᾳ τὴν ἀσπίδα καθειργμένην φά-

σκευῶν· *Alii autem in urna clauſam aſpidem ſervatam fuiſſe dicunt*. Et infrà, Οἷς ἔοικε πιστεύσας καὶ ὁ Καῖσαρ· ἐν γὰρ τῷ θριάμβῳ τῆς Κλεοπάτρας αὐτῆς εἴδωλον ἐκόμιζε, καὶ τῆς ἀσπίδος ἐμπεφυκυίας. *Quibus credidiſſe videtur* Cæſar: *ſiquidem in triumpho* Cleopatræ *imago ferebatur, & aſpidis ei affixa*. Ælianus *Hiſtoriæ* libri noni capite undecimo, Τὸ τῆς ἀσπίδος δῆγμα πρᾳότατον εἶναι ἤλεγξε Κλεοπάτρα· *Leniſſimum eſſe aſpidis morſum argumentata eſt Cleopatra*. Et capite ſexageſimo primo, poſtquam morſum aſpidis vix deprehendi dixit, quia venenum intùs latet, neque in ſuperficiem diffunditur, Ἔνθεν τοι καὶ τῆς Κλεοπάτρας ὁ θάνατος τοῖς ἀμφὶ τὸν Σεβαστὸν οὐ πάνυ τι ῥᾳδίως ἐγνώσθη· *Unde eſt, quod* Cleopatræ *mors ab iis, qui circa* Auguſtum *erant, non facilè cognita eſt*. Dio in Auguſto, Ἀπέθανεν, ἀσπίδος αὐτῇ ἐν ὑδρείᾳ εἰσκομισθείσης. *Mortua eſt, aſpide ad ſe in urna allata*. Galenus libri primi *Ad Piſonem de Theriaca* capite octavo, poſtquam egit de ſpeciebus aſpidum; Ταύτην γοῦν φασι τὸ θηρίον τὴν βασιλίδα Κλεοπάτραν, βουληθεῖσαν λαθεῖν τοὺς φυλάττοντας, ταχέως τε, καὶ ἀνυπόπτως ἀποθανεῖν· *Harum igitur ferarum una Reginam* Cleopatram *ajunt, cum vellet latere cuſtodes, ſtatim, & citra ſuſpicionem mortem ſibi conſciviſſe*. Tertullianus *Ad Martyres* capite quarto, *Beſtias fœmina libens appetiit, & utique horridiores aſpides ſerpentes tauro, vel urſo, quas* Cleopatra *immiſit ſibi, ne in manus inimici perveniret*. Sextus Aurelius Victor *De viris illuſtribus* in *Cleopatra, cum ſe illi* (Antonio) *inferias ferre ſimularet in* Mauſoleo *ejus, admotis aſpidibus periit*. Eutropius *lib*. 7. Cleopatra *ſibi aſpidem admiſit, & veneno ejus extincta eſt*. Solinus, *Plures diverſaque aſpidum ſpecies, verùm diſpares effectus ad nocendum. Dipſas ſiti interficit. Hypnale, quod ſomno necat, teſte etiam* Cleopatra, *emitur ad mortem*. Iſidorus *Originum* libri duodecimi capite quarto, *Hypnalis genus aſpidis dicta, quod ſomno necat. Hanc ſibi* Cleopatra *appoſuit, atque ità morte, quaſi ſomno, ſoluta eſt*. Omnino igitur ſcriptori *Hebræo* אפעה *ephe*, quæ *Cleopatram* morſu peremit, eſt *aſpis*. Quomodo apud *Eutychium Alexandrinum* illuſtres illas ancillas juſſit eadem *Cleopatra* ان ياتياها بالافعا التي تسمي بالاسغيدة *ut ſibi afferrent* ephe, *quam vocant aſpidem*. Sic enim legendum eſt pro corrupta voce بالاسيليدة Ità *Job*. 20, 16. לשון אפעה, *lingua ephe* in *Syro eſt* ܠܫܢܐ ܕܐܣܦܣ, *lingua aſpidis*. Et *Eſ*. 30, 6. idem pro אפעה *ephe*, rurſus habet ܐܣܦܣ, *aſpidem*, & *Græci* ἀσπίδας.

Sed alii βασιλίσκον aut *regulum* reddunt, ut *Hieronymus*, & illi ipſi *Græci* Eſ. 59, 5. Alii ἔχιδναν *viperam*, ut *Aquila*, & idem *Hieronymus* in *Jobo*, & *Eſ*. 30, 6. *Chaldæus* modo תנינא, *draconem*, modò חיון, *ſerpentem*, modò חרמנין מפרחין, *volucres angues*. Et *Syrus* alicubi ܚܘܝܐ *anguiculum*, & *Arabs* الحية الجرو *ſerpentem glabrum*, qui & alio nomine dicitur الاقرع *calvus*. Unde *Alcamus*, الاقرع من الحيات متمعط شعر راسه لكثرة سمه *Calvus in ſerpentibus, is, qui nudatus eſt pilis capitis propter copiam veneni ejus*. Ità ut è vetuſtis Scripturæ verſionibus de hac voce vix quidquam certi poſſit elici.

Hebræorum Magiſtris eadem hic hæſitatio. אפעה *ephe*, à *Selomone* in *Jobum* redditur *ſerpens adurens*, id eſt, *preſter*: à *Mardochæo*, & *Pomario*, *ſerpens qui ſolo aſpectu inficit*, id eſt, *regulus*, ſeu *baſiliſcus*. In qua fuiſſe ſententia *Kimchium* collegerit aliquis ex eo, quod in *Eſ*. 30. אפעה *ephe*, & צפעוני *tſiphoni*, facit eſſe ſynonyma. Videtur tamen potius *cenchritem* ſignificare, cum idem alibi deſcribit אפעה *ephe*, *ſerpentem variæ pellis, & maculoſæ*, ex ſententia *R. Meir*, quæ nititur auctoritate *Chaldaicæ* Paraphraſis, ubi אפעיא ſunt הצבועים, id eſt, ut quidem volunt, *picti ſerpentes, & maculoſi*, 1. Sam. 13, 18. Taceo nugas *Talmudicorum*, in arbore ſiliqua, anno quoque ſeptuageſimo, hujus ſpeciei duos generari ſerpentes gemini ſexûs, marem appellari צבוע, & fœminam נפריא, & quaſi certo conſilio Naturam hic ſubſiſtere, ne ſcilicet nimio mortalitatis damno hæc peſtis ingraveſcat.

In hac interpretum turba non dubito, quin *Aquilæ* laurea deferenda ſit, cui אפעה *ephe*, eſt *vipera*. Quod meritò ſequuntur multi recentiorum: cum hodieque apud *Arabes* الافعي *alephe* ſonare *viperam* res ſit compertiſſima, non ſolum ex Novi Teſtamenti *Arabica* Paraphraſi, in qua الافعي *alephe*, id eſt, *vipera*, *Pauli* manui ſe adalligat, *Act*. 28, 3. & *Phariſæi* paſſim (a) vocantur اولاد الافاعي *progenies alaphai*, id eſt, *viperarum*, ſed etiam ex *Medicorum* libris. Sic *Avicenna* libro ſecundo *Canonis* ابوجلسا ſeu شنجار *anchuſam*, & اناجلس *anagallidem*, & لوف *dracontium*, & كرسنة *ervum*, & قسط *coſtum*, & حسك *tribulum*, & كرم *vitem*, & فاشر *bryoniam*, & بول الانسان *urinam hominis* præſcribit contra morſum الافاعي *alaphai*, id eſt, *viperarum*. Omnia enim hæc ex *Dioſcoride* ſumpta ſunt, qui iiſdem remediis conſulit ἐχιοδήκτοις. Idem *Avicenna* tradit (b) adipem الافعي *alephe* remedium eſſe efficax contra oculorum hebetudines, & ejuſdem carnes adhiberi jubet (c) ad curam lepræ. Quas ipſas vires viperæ carni atque adipi tribuunt *Dioſcorides*, *Galenus*, *Paulus*, & *Aëtius*. Denique vocem افعي *ephe* pro *vipera* uſurpari conſtabit luce clarius *Græcorum* ſcripta conferenti cum *Avicennæ* Tractatibus *De lepra*, *De theriaca*, & *De morſu* الافاعي *alaphai*.

a) Vide Matth. in 7. & 12, 34. & 23, 33. Luc. 3. 7.

b) Tom. 2. pag. 73.

c) Pag. 145.

Præcipuè notanda ſunt, quæ ad deſcriptionem pertinent: ut cum dicit *Avicenna* libro quinto pagina 179. in capite, cui titulus صنعة اقراص الافاعي *Ars trochiſcorum alaphai*, id eſt, *è viperis*, الافاعي هي الحياة المفرطحة الرووس المستعرضتها خصوصا عند قرب الرقبة الدقاق رقابها جدا المنتثر اذنابها الفحاحة الكفاشة وليس يصلح لهذا الاقراص كل الافاعي بل الشغر ومن الشغر

الشعر الاناث وعلامتها ان الذكر في كل شدق ناب واحد وللاناث اكثر من ناب واحد *Alaphai* (viperæ) *ſunt ſerpentes plani capitis, & lati maximè circa collum, colli valde tenuis, caudæ mutilæ, clari ſibili, & ſonori inceſſus. Nòn tamen ad hos trochiſcos bona ſunt omnes* الافاعي *alaphai* (viperæ) *ſed rubræ, & è rubris fœminæ: quarum nota eſt, quòd, cum mari ab unaquaq; maxillæ parte dens caninus ſit unus, fœmina plures habeat.* Hinc idem lib. 4. in capite في لسع الافاعي *De morſu alaphai* (viperarum) *Arab.* pag. 137. *Lat.* Fen. 6. tract. 3. cap. 32. لسع الانثي تعرف بوجود مغازر لاكثر من نابين في الجهة التي عض بها *Fœmina morſus ex eo cognoſcitur, quòd plures duobus caninis dentibus infixi reperiantur in ea parte, quam morſu attigit.* Quæ ad viperæ deſcriptionem pertinere nemo non videt, de quâ ſic *Ælianus* lib. 10. *Hiſt.* cap. 9. Νίκανδρος δέ φησιν, ἐκ μὲν τοῦ δήγματος, ὅπερ ἂν ὁ ἔχις ἐμφύῃ, δύο ὀδόντων ἴχνη φαίνεσθαι· πλείω δέ, εἰ δάκοι ἡ ἔχιδνα. Nicander *ait, ex morſu, quem infligit echis* (id eſt, *vipera mas*) *duo dentium veſtigia apparere; ſed plurium, cùm mordet echidna*, id eſt, *vipera fœmina*: quod de caninis intelligendum. Ita enim *Nicander* in *Theriacis* verſu 231.

Τοῦ μὲν ὑπὲρ κυνόδοντε δύο χροῒ τεκμαίρονται
Ἰὸν ἐρευγόμενοι· πλειοὺς δέ τοι αἰὲν ἐχίδνης·

Illum quidem (echin) *ſignificant dentes canini duo in corpore* (impreſſi) *virus eructantes: echidnam autem* (id eſt, *viperam fœminam*) *ſemper plures.* Et *Galenus* lib. 2. *De Theriaca* cap. 13. Τούτῳ γὰρ τοῦ ἄρρενος ἡ ἔχιδνα διήνεγκε τῷ πλείονας τῶν δύο κυνοδόντων ἔχειν· *Hoc enim à mare vipera fœmina differt, quod caninos dentes duobus plures habeat.* Κυνόδους *dens caninus* Arabicè eſt ناب qua voce utitur *Avicenna.* Jam de viperæ lato capite, collo tenui, caudâ mutilâ, colore flavo videndi *Galenus* & *Aëtius*; à quibus tamen in eo differt *Avicenna*, quòd viperæ in genere tribuit quod illi ſolùm fœminæ.

Notandum inſuper in *Abenbitare* totum *Dioſcoridis* caput *De viperæ carnibus* referri ad افعي *ephe.* Et hæc illius verba, Ἐχίδνης σὰρξ ἑψηθεῖσα, καὶ ἐσθιομένη, ὀξυδερκεῖς ποιεῖ τὰς ὄψεις, *Arabicè* ſic reddi, لحم الافاعي اذا طبخ واكل يحد البصر *Caro* alaphai *cocta & eſa viſum acuit.* Rurſus his *Græci* textus, Κατασκευάζονται δὲ καὶ ἅλες ἐξ αὐτῶν πρὸς τὰ αὐτά, πλὴν οὐχ ὁμοίως ἐνεργοῦσι, reſpondent hæc *Arabica* وقد يعمل ملح من لحوم الافاعي يفعل فعل الافاعي غير انه انقص فعلا منه *Fit quoque ſal ex carnibus* alaphai, *qui idem operatur, quod* alaphai, *niſi quòd minoris eſt efficaciæ.* Ibidem *Græcè* ſic habetur, Καθίεται δὲ ἔχιδνα ζῶσα εἰς καινὴν χύτραν· & *Arabicè* توخذ افعي حية وتصير في قدر جديدة *Sumitur* ephe *viva, & in ollam novam ponitur.* In eodem *Abenbitare* citatur prolixus *Galeni* locus, quo probatur leproſos viperinæ carnis eſu ſanari. Hujus tale eſt initium, لحوم الافاعي تجدها عيانا تسخن وتجفف البدن اذا هي طيبت كما يطيب لحم المرماهي بالزيت والملح والشبث والكراث والما بمقدار قصد *Carnes* alaphai (*viperarum*) *palam reperies corpus calefacere, & exſiccare, cum condiuntur ut anguillæ, oleo, ſale, anetho, porro, & aqua conveniente menſurâ.* Quæ *Græcè* ſic habentur *Simplicium Medicamentorum* lib. 11. cap. 1. Τὰς γοῦν τῶν ἐχιδνῶν θερμαινούσας τι, καὶ ξηραινούσας, ἐναργῶς ἔστιν ἰδεῖν ἀρτυομένας, ὥσπερ αἱ ἐγχέλεις, ἐλαίῳ, καὶ ἁλσί, καὶ ἀνήθῳ, καὶ πράσῳ, καὶ ὕδατι, δηλονότι κατὰ τὴν συμμετρίαν. Reliqua ibi vide.

In *Alkazuinio* dicitur de الافعي *alephe,* قد اظلمت عيناها تطلب شجرة الرازيانج وتحك عينها بها يرجع اليها ضوها *Cum oculi ejus occæcantur, fœniculum quærit, quo eos fricet, ut viſum recuperet.* Nempe in *Andromachi* Poemate *De compoſitione paſtillorum ex viperis* deſcribuntur hi ſerpentes, circa veris initia,

Διζόμενοι χλωροῦ σπέρμα λαβεῖν μαράθρου,
Ὀξυτέρην τὸ τίθησιν ἐφ' ἑρπυστῆρσιν ὀπωπήν·

Dantes operam, ut conſequantur viridis fœniculi ſemen, quod his reptilibus acutiorem reddit viſum. Quod *Arabum* in morem *Zamachſari* ita in majus auget. الافعي اذا اتت عليها الف سنة عميت وقد الهمها الله ان تمسح عينيها بورق الرازيانج الرطب فيرد اليها بصرها وربما كانت في برية وبينها وبين الريف مسيرة ثلثة ايام فتطوي تلك المسافة على طولها وعلي عماها حتي تهجم في بعض البساتين على شجر الرازيانج لا تخطيه فتحك به عينها فترجع باصرة باذن الله تعالي Alephe (*vipera*) *cum vixit mille annis, excæcatur: & inſpirat ei Deus, ut recentis fœniculi folio oculos ſuos inungat, ut reſtituatur illi viſus. Et quandoq; eſt in deſerto, quod cum à loco culto trium dierum itinere ſit diſſitum, totum hoc ſpatium, quantum quantum eſt, emetitur, donec in aliquo horto in fœniculum incidat, nec ab eo aberrat; &,*

&, cum illo fricavit oculos, viſum recuperat cum bono Deo.

Viperas ore coire, & in ardore coitus fœminam maris caput amputare, fabulantur multi veterum. *Herodotus* lib. 3. cap. 109. Ἐπεὰν θορνύωνται κατὰ ζεύγεα, καὶ ἐν αὐτῇ ᾖ ὁ ἔρσην τῇ ἐκποιήσει, ἀπιεμένου αὐτοῦ τὴν γονὴν, ἡ θήλεα ἅπτεται τῆς δειρῆς, καὶ ἐμφῦσα οὐκ ἀνιεῖ πρὶν ἂν διαφάγῃ· ὁ μὲν δὴ ἔρσην ἀποθνήσκει τρόπῳ τῷ εἰρημένῳ. *Dum per paria coeunt, & mas eſt in ipſa actione, & emittit ſemen, fœmina collo arctè adhærens non dimittit antequam devoraverit, & mas quidem perit hoc modo.* Nicander *Theriacῶn* verſu 130.

Ἠνίκα, θορνυμένου ἔχιος, θολερῷ κυνόδοντι
Θουρὰς ὀδὰξ ἐμφῦσα κάρην ἀπέκοψεν ὁμεύνου·

Cum ſtrenua fœmina, mari coeunti mordicus inhærens, audaci dente conjugis ſui caput amputavit. Plinius lib. 10. cap. 62. *Collum ejus arctè complexa cum ipſo capite illud abſcindit.* Ælianus *Hiſtoriæ* libri 1. cap. 24. Ἐμφῦσα γὰρ αὐτοῦ τοῦ τραχήλου, διακόπτει αὐτὸν αὐτῇ τῇ κεφαλῇ (lege σὺν αὐτῇ τῇ κεφαλῇ.) Galenus *De theriaca ad Piſonem* cap. 9. Φασὶ γὰρ αὐτὴν ἀνοίγουσαν τὸ στόμα πρὸς τὸ δέξασθαι τοῦ ἄρρενος τὸν θορὸν, μετὰ τὸ λαβεῖν, ἀποκόπτειν αὐτοῦ τὴν κεφαλήν· *Eam enim ajunt os aperire ad maris ſemen ſuſcipiendum, & eo accepto caput illius amputare.* Quod ſcribit etiam *Epiphanius* in *Gnoſticorum* Hæreſi, Διὰ τοῦ στόματος χαινούσης τῆς θηλείας τὸν ἄρρενα τὴν κεφαλὴν εἰσβάλλειν· ἐκείνης δὲ πάθει συσχεθείσης, ἀποτέμνειν τὴν τούτου κεφαλήν. *In os hiantis fœminæ marem caput conjicere: illam verò, libidine concitatam, ejus caput abſcindere. Prudentius* in *Hamartigenia* Poematis primi verſu 588.

\- - - - - *moriturum obſcœna maritum*
Ore ſitit patulo: caput inſerit ille trilingue
Conjugis in fauces, atque oſcula fervidus intrat,
Inſinuans oris coitu genitale venenum.
Nupta, voluptatis vi ſaucia, mordicus hauſtum
Frangit amatoris blanda inter fœdera guttur.

Iſidorus, *Fertur autem, quod maſculus, ore inſerto, viperæ ſemen exſpuat. Illa autem ex voluptate libidinis in rabiem verſa, caput maris ore receptum præcidit.* Sed aliter *Euſtathius* pag. 43. *in Hexaemeron*, Φασὶ δὲ τὴν ἔχιδναν διὰ στόματος τοῦ ἄρρενος τὴν γονὴν δέχεσθαι, καὶ συναποκόπτειν τοῖς ὀδοῦσιν αὐτὸ τὸ μόριον, καὶ ἀποκτείνειν αὐτόν· *Viperam ajunt per os maris ſemen excipere, membroq́ue dentibus exciſo illum occidere.* Quomodo etiam *Arabes* in *Damire*, ومن الافاعي ما يتسافد بافواهها فاذا وطي الذكر الانثي وقع مغشيا عليه فتعمد الانثي الي موضع مذاكيره فتقطعها نهشا فيموت من ساعته *Sunt ex alaphai (viperis) quæ ore coeunt. Et, poſtquàm mas fœminam iniit, deliquium patitur: tum verò fœmina, genitalium locum ſcrutata, ea morſu abſcindit, atq́ue is illicò moritur.*

Hæc & alia plus ſatis docent *Hebræorum* אפעה & *Arabum* افعي eſſe *viperam*. Neque obſcura eſt ratio nominis. Nam *Hebraicè* פעה eſt *clamare contentâ voce*: inde igitur dicta eſt אפעה *vipera*. Cui الغحاحة id eſt, *clarum ſibilum*, *Avicenna* ſupra (d) tribuit. Et eandem *Itali* circulatores, *Maſſario* teſte apud *Geſnerum*, *ſuffili* appellant ab horrendo ſibilo. Quia, cùm divexatur, tales edit ſibilos, ut ad ictum unius lapidis audiatur. Porro in partu potiſſimum eos intendi veriſſimile eſt; quia tum acerbiſſimo dolore conflictatur. Atque id eſt propriè פעה. Neque enim de clamore quovis Verbum פעה uſurpatur, ſed de *clamore in partu*. Sic *Eſa.* 42. *v.* 14. כיולדה אפעה, *ut parturiens clamabo*. Inde obſtetricem *Ægyptiam Exod.* 1. *v.* 15. פועה, vocitatam *Hebræi* volunt, quòd tali mulierum parturientium ejulatu ſoleret inclamari. Proinde אפעה *ephe*, propriè id *ſerpentis* genus ſignificat, *cui dolores partus extorquent vehementiorem ſibilum.* Quod *viperæ* maximè convenit. Non, quod catuli ejus exeant eroſa matris ab alvo; ut à veteribus creditum. Id enim ut fabuloſum meritò rejecit *Theophraſtus*, & poſt eum *Ælianus Hiſtoriæ* lib. 15. cap. 16. Sed neque id certum, quod illi ſtatuunt, ejus uterum propter anguſtias in ipſo partu disrumpi. Certè *Philoſophus* uterum in partu rumpi non dicit, ſed membranas, quibus catuli involvuntur. Verba ſunt *Hiſtoriæ* lib. 5. capite 34. Τίκτει δὲ μικρὰ ἐχίδια ἐν ὑμέσιν, οἳ περιρρήγνυνται τριταῖοι· *Parvas viperas in membranis parit, quæ tertiâ die rumpuntur.* At commento dedit occaſionem quod ſequitur, Ἐνίοτε δὲ καὶ ἔσωθεν διαφαγόντα αὐτὰ ἐξέρχεται· *Quandoque etiam, dum intus ſunt, exedentes* (non matris uterum, ſed membranas, quas dixerat) *per ſe exeunt.* Viperæ tamen ideo partus eſt difficilior: quia vivos parit catulos, cùm reliquæ ſerpentes ſolùm ova excludant. Unde eſt, quod *vipera dicitur*, aut quaſi *vi pariat*, aut potius quia *vivipara*. Ex his jam abundè conſtat אפעה *ephe*, eſſe *viperam*. Itaque hæc verſio convenit ſatis tribus Scripturæ locis, quibus occurrit illa vox; quod patebit ea percurrenti.

Primus eſt *Job.* 20. *v.* 16. תהרגהו לשון אפעה, *Occidat eum lingua ephe*, id eſt, *vipera*; cujus morſus vaſtiſſimis etiam belluis ſunt lethiferi. *Ovidius* lib. 2. *De Remedio Amoris*,

Parva necat morſu ſpatioſum vipera taurum.

Et in illis verbis *Occidat eum lingua ephe*, linguæ tribuitur quod dentium eſt proprium; quia mordet ſerpens exerta lingua, quaſi illâ vulnus infligeret. Hinc *Seneca* in *Medea* 686,

\- - - *ſerpens corpus immenſum trahit,*
Triſidamq́ue linguam exertat, & quærens quibus
Mortifera veniat. - - - - -

Et *Kimchius* in hæc verba *Pſalmi* 140. *Acuerunt linguam ſuam ut ſerpens* חדדו לשונם לדבר רעות כמו הנחש שמחדד לשונו כשבא לנשוך, *Acuerunt linguam ſuam ad maledicendum, ut ſerpens linguam ſuam exacuit, cum ad morſum ſe parat.*

Secundus locus eſt *Eſa.* 30. *v.* 6. ubi inter *Ægyptias* feras cenſentur אפעה ושרף מעופף, *ephe, & hydrus volans.* Nempe ut ſerpentum omne genus, ita etiam viperas magno numero alit *Ægyptus*. *Ammianus* lib. 22. *Serpentes quoque Ægyptus alit innumeras, ultra omnem perniciem ſævientes, baſiliſcos, & amphisbænas, & ſcytalas, & acontias, & dipſadas, & viperas.* Quin *Ægyptiis* viperis aliquid eſt peculiare. Proinde illas *Bellonius* ſpeciatim deſcribit *Singularium* lib. 2. cap. 54.

Tertius locus eſt *Eſa.* 59. *v.* 5. *Qui comedit ex ovis eorum, morietur*; והזורה תבקע אפעה *& quod compreſſum eſt, ex eo erumpet ephe*, ſeu *vipera*. *Quod compreſſum eſt*] Hebraicè הזורה hic de ovo dicitur: ut *Job.* 39. *v.* 18. de ſtruthionis ovo; *Obliviſcitur fore, ut pes* תזורה, *comprimat illud, & beſtia agri conculcet illud.* Objicies, viperæ ova non poſſe tribui; quia vipera non eſt ᾠοτόκος *ovipara*, ſed ζωοτόκος *vivipara*: quod jam obiter docuimus. Et diſertè aſſerit *Ariſtoteles* lib. 1. *Hiſtoriæ* cap. 6. Ἀλλ' οἱ μὲν ἄλλοι ᾠοτοκοῦσιν ὄφεις, ἡ δ' ἔχιδνα μόνον ζωοτοκεῖ· *Cæteri quidem ſerpentes ova pariunt, ſed animal ſola vipera.* Et Nicander *Theriacῶn* verſu 135.

Οἱ μὲν γὰρ βαρύθει ὑπὸ κύμασι, τοὶ δὲ καθ' ὕλην
Ὠοτόκοι ὄφιες λεπυρὴν θάλπουσι γενέθλην.

d) Pag. 361. lin. 10.

Sola enim fœtu gravatur, alii autem ſerpentes ovipari in ſylvis prolem teſta incluſam fovent. Et *Ælianus* lib. 1. cap. 24. Τίκτει δὲ οὐκ ᾠά, ἀλλὰ βρέφη, καὶ ἔστιν ἐναργὴς ἤδη τὴν φύσιν αὐτῶν τὴν κακίστην· *Parit autem non ova, ſed catulos, in quibus peſſima illa natura jam ſe prodit.* Et *Suidas*, Ἔχις, εἶδος ὄφεως, ἀπὸ τοῦ κατέχειν, διότι μόνον τῶν ὄφεων οὐκ ᾠοτοκεῖ, ἀλλὰ ζῳοτοκεῖ· *Vipera genus ſerpentis à continendo* (dictum, quod fœtum in utero contineat) *quia ſola ex ſerpentibus non ova, ſed animal parit.* Reſpondeo, viperam, quamvis animal edat, tamen ovum intus gignere, ex quo prodit illud animal. *Philoſophus* lib. 1. *De generatione animalium* cap. 10. Οἱ ἔχεις θύραζε μὲν ζῳοτοκοῦσιν, ἐν αὑτοῖς δὲ ᾠοτοκοῦσι πρῶτον, ᾠοτοκοῦσι δὲ τέλειον ᾠόν· οὕτως γὰρ γίνεται ἐκ τοῦ ᾠοῦ τὸ ζῷον. *Vipera quidem animal foràs edunt, ſed primùm intra ſe ovum pariunt, atque illud quidem perfectum: ita enim ex ovo generatur animal.* Idem *Hiſtoria* lib 3. cap. 3. Τὰ μὲν γὰρ ἄλλα γένη τῶν ὄφεων ᾠοτοκεῖ· ἔχις δὲ ζῳοτοκεῖ μόνον, ᾠοτοκήσας ἐν αὑτῷ πρῶτον. *Alia quidem ſerpentum genera ova edunt: vipera autem tantum animal generat, poſtquam intra ſe ova peperit.* Et lib. 5. in fine, Τῶν δὲ ὄφεων ὁ μὲν ἔχις ἔξω ζῳοτοκεῖ, ἐν αὑτῷ πρῶτον ᾠοτοκήσας· τὸ δὲ ᾠόν, ὥσπερ τῶν ἰχθύων, μονόχρων ἐστί, καὶ μαλακόδερμον. *Vipera è ſerpentibus ſola edit animal, cum intra ſe ova primum peperit: ovum autem ejus unius coloris eſt, & molle, ut piſcium.* Hinc de vipera *Plinius*, *Terreſtrium eadem ſola intra ſe parit ova unius coloris, & mollia, ut piſces.* Sunt, qui id ipſum confirment ex *Theophraſto* lib. 7. *Hiſtoria plantarum* cap. 14. ubi poſtquam τὴν ἀπαρίνην *lappam* florem, intra ſe non evidentem, ſed intus occultum, gignere dixit, addit, ὥστε παρόμοιον εἶναι τὸ συμβαῖνον, ὥσπερ ἐπὶ τῶν γαλεῶν, καὶ τῶν κερνῶν· ἐκεῖνά τι γὰρ ἐν ἑαυτοῖς ᾠοτοκήσαντα ζῳογονεῖ· Quæ *Gaza* ſic reddidit, *Ut illis ſimile ſit, quod in galeis ac viperis evenit: illa enim, ubi intra ſe ova pepererunt, mox animalia gignunt.* Nempe, pro κερνῶν corruptâ voce, legi voluit ἐχιδνῶν. Ego malim κυνῶν, vel ῥινῶν. Si prius ſequaris, γαλεῶν & κυνῶν erunt ſynonyma: & poſt τῶν γαλεῶν *Theophraſtus* καὶ τῶν κυνῶν addiderit διακριτικῶς, ut ſciremus τῶν γαλεῶν nomine κύνας *canes marinos* ſignificari, qui & γαλεοὶ dicuntur. At ſi pro τῶν κερνῶν legeris τῶν ῥινῶν, *ſquatina* intelligentur, quas inter galeorum genera his verbis cenſet *Oppianus Halieuticῶn* lib. 1. verſu 379.

- - - γαλεῶν δ' ἑτερότροπα φῦλα,
Σκύμνοι, καὶ λεῖαι, καὶ ἀκανθίαι, ἐν δ' ἄρα τοῖσι
Ῥῖναι. - - - - - - -

Galeorum autem diverſa ſunt genera, ſcymni, & lea, & acanthia, inter hos quoque ſunt ſquatina. Proinde galeis & ſquatinis hoc commune eſſe dicit *Philoſophus* quod fœtus intra ſe recipiunt, & emittunt, *Hiſtoria* lib. 6. cap. 10. In quo ipſo canes & ſquatinas inter ſe confert *Oppianus* ejusdem libri verſu 742. Sed quidquid in *Theophraſto* legas, ex *Ariſtotele* & *Plinio* conſtat, etiam viperæ ova rectè tribui, quamvis illa intra ſe habeat, & in utero recondita: ne cui mirum videatur, quod de viperæ ovis egit *Eſaias*.

Quamvis *viperam* eo loco præciſe intelligere haudquaquam ſit neceſſe. Utut enim אפעה *ephe*, propriè *viperam* ſonet, quod quæ hactenus docuimus abundè probant, certum tamen eſt apud *Arabes* vocem افعي *ephe* multò latiùs extendi. Quod probant hæc *Avicennæ Canonis* lib. 4. *Fen.* 4. tract. 3. cap. 3. qui eſt *De cura lepræ*, ولا يجب ان تكون الافعي سبخية او ريغية ولا رقية ولا شطية فانها في الاكثر قليلة المنفعة ولكثير منها غايلة التعطيش والاتلاف به بل تختار الجبلية لاسيما البيض *Non oportet, ut ſit* alephe (*vipera*) *è locis ſalſuginoſis, aut lutoſis, aut ripariis, aut littoralibus; quia talis, ut plurimum, eſt parum efficax. Inprimis ex iis exitio eſt, quæ pernicioſam ſitim excitat* (dipſas.) *Eligatur itaque montana, maximè alba,* &c. Et lib. 5. capite *De trochiſcis ex carne viperæ*, وليس يصلح لهذه الاقراص كل الافاعي بل شغر *Ad hos trochiſcos apti non ſunt omnes* alaphai, *ſed ſolum flavi,* &c. Et paulò poſt, ويجب ان تجتنب الضارنة والرقم والرقش الضارية الي البياض ولا تصطاد من السباخ وشطوط الاودية الانهار والبحار ولا الشجرة فان فيها الملوطية الخبيثة المعطشة *Et removeri oportet cornutas* (viperas,) *& varias, ſeu bicolores, vergentes ad albedinem. Neque petantur ex locis ſalſuginoſis, aut ripis torrentium & fluviorum, & littoribus marium; neque ex arboribus, quia in iis ſunt dryinæ, fœdæ, & ſitim excitantes.* Et in capite *De ſpeciebus Serpentum*, qui eſt lib. 4. *Fen.* 6. tract. 3. cap. 21. والطبقة الثانية من الافاعي ونحوها ايضا مختلفة منها الافاعي الاصلية ومنها الافاعي الملوطية ومنها المعطشة وساير ما نذكر *Ordo ſecundus eſt* alaphai (ſeu *viperarum*) *& ſimilium, quarum ſpecies diverſæ ſunt. Ex iis enim ſunt* alaphai *ῥιζίαι, ſeu in arborum radicibus viventes; item* alaphai *dryinæ, & ſitim excitantes, & reliquæ, quas memorabimus.* Nempe ex *Arabum* doctrina tres ſunt ſerpentum ordines. In primo continentur ii, quorum morſus omnem medicinam reſpuit, & conficit tribus horis. In ſecundo, qui vomitione curantur, & ſalſamentorum eſu, nec niſi tertiâ demum poſt morſum die mortem inferunt. In tertio, quorum morſus non ſolet eſſe lethalis, & remediis ſolum externis curatur, & ligatione partis affectæ, ne venenum ulterius ſerpat. Porro, quia viperæ in ſecundo illo ſerpentium ordine notiſſimæ ſunt, hinc factum, ut *viperarum* nomen commune eſſet omnibus ejusdem ordinis ſerpentibus. *Hebræum* igitur אפעה *ephe*, etſi propriè *viperam* ſonet, tamen ut *Arabicum* افعي potuit patere latius, atque inde fieri, quod interpretes hanc vocem in tam diverſa ſignificata diſtrahunt. Neque ſoli *Hebræi*, aut *Arabes viperæ* nomine ſic abuſi ſunt: ſic enim in *Aëtio dipſas* definitur viperæ ſpecies, quæ in maritimis magis locis reperitur. Et in *Antipatro Sidonio*, *Anthologiæ* lib. 3. cap. 16.

- - - - - - - - - - διψὰς ἔχιδνα

Σαρκὶ

Σαρκὶ τ' ἐκ γενύων πικρὸν ἐνεῖσα χόλον,

dipſas vipera carni ex malis acerbum immittens virus. Et *Nazianzenus* Jamb. 22.

Διψάς τίς ἐστι τῶν ἐχιδναίων γενῶν,

Dipſas quædam eſt ex viperarum genere. Galenus etiam *Simplicium* lib. 11. cap. 1. viperarum meminit διψάδων cognomine, à quibus τοὺς δηχθέντας φασὶν οὐκ ἐμπίπλασθαι πίνοντας, ἀλλὰ διαῤῥήγνυσθαι πρότερον, ἢ παύσασθαι διψῶντας, *demorſos ajunt potu nunquam ſatiari, ſed crepare medios antequam ſedetur ſitis.* Apparet *dipſades* deſcribi, quæ habentur pro viperis propter formæ ſimilitudinem. Nam, ut aſſerit *Lucianus* in *Dipſadibus*, ἡ διψάς ἐστιν ὄφις οὐ πάνυ μέγας, ἐχίδνῃ ὅμοιος, *dipſas eſt ſerpens non valde magnus, viperæ ſimilis.* Et *Nicander Theriacῶn* verſu 266.

Ναὶ μὴν διψάδος εἶδος ὁμοίιον αἰὲν ἐχίδνῃ,

Sanè dipſadis ſpecies viperinam ſemper refert. Ceraſten quoque ſcribit *Geſnerus* à multis cenſeri inter viperæ ſpecies, eadem ſcilicet de cauſa. Illum quippe deſcribit idem *Nicander*, verſu 259.

Ἠΰτ' ἔχιν· τῇ γάρ τε δέμας ἰνδάλλεται ἶσον,

Tanquam viperam; illi enim corpus eſt ſimile. Et in *Suida* voce Ἔχις, λέγεται καὶ αἱμόῤῥους γένος ἔχεως· *Dicitur etiam hæmorrhous genus eſſe viperæ.* Quod ſumptum ex *Æliano* libri 15. cap. 13. Sic hydra ab *Hercule* devicta à nonnullis ἔχιδνα, id eſt, *vipera*, nominatur. Unde *Hercules*, *Acheloo* in ſerpentem mutato, lib. 9. *Metamorphoſeos* Ovidii,

Pars quota Lernææ *ſerpens eris unus echidnæ?*

Ita ſagittam, qua *Neſſum* occidit *Hercules*, hydræ *Lernææ* veneno tinctam fuiſſe omnes ſcribunt: tamen de eadem ſic *Diodorus* libro 3. Τῆς ἀκίδος τ' ἐκ τῆς ἐχίδνης ἰὸν ἀνειληφυίας· *Cùm ſagitta echidnæ (ſeu viperæ) veneno imbuta fuiſſet.* Juxta *Homerum Iliad.* β'. verſu 723. *Græci Philoctetem* in *Lemno* inſula reliquerunt

Ἕλκεϊ μοχθίζοντα κακῷ ὀλοόφρονος ὕδρου,

Malo ulcere laborantem pernicioſi hydri: at in *Philoctete Sophoclis Græci* eundem expoſuerunt

Πληγέντ' ἐχίδνης ἀγρίῳ χαράγματι,

percuſſum vipera acerbo vulnere. Sed & *Epiphanius* in *Panario* ſerpentum ferè omne genus ſub *viperæ* genere complectitur. Sic *Cerinthianorum* Hæreſim confert τῇ καλουμένῃ σηπεδόνι ἐχίδνῃ. Et *Secundianorum* Hæreſin Evangelii calceo conculcari dicit, ὡς μύαγρον ταύτην τὴν ἔχιδναν τὴν πολλαῖς ἑτέραις ἐχίδναις ἐοικυῖαν. Idem in *Marcoſiis*, Διψάδα γάρ τινα ἔχιδναν φασὶν οἱ ἱστορήσαντες, *&c.* Et in *Coloibaſiis*, Ὡς ἀπὸ ἀμφισβαίνης τῆς δικεφάλου ἐχίδνης. Et in *Cataphrygaſtis*, Τῇ αἱμοῤῥοίᾳ ἐχίδνῃ ἐοικυῖα. Et in *Origenianis*, Ὥσπερ τὴν δεινὴν σκυτάλην, τὴν ἔχιδναν καλουμένην. Et in *Paulo Samoſateno*, Δρυΐνας τις ἔχις οὕτω καλουμένη. Unde illum apparet pro *viperis* habuiſſe *ſepedonem*, & *myagrum*, & *dipſadem*, & *amphisbænam*, & *hæmorrhoum*, & *ſcytalen*, & *dryinum*, & quid non?

CAPUT SECUNDUM.

De vipera *Pauli*, & cur *Phariſæi* dicantur *progenies Viperarum.*

Ab ejus hiſtoria, qui, cùm è naufragio evaſiſſet, in ipſo littore à vipera morſus, interiit, hiſtoria Pauli *quomodo diſſimilis.* *Quid propriè* συστρέψαντος Actor. 28. v. 3. Φρύγανα cremia. *Serpentes ex virgultis & ſarmentis ſæpe erumpunt; & mordent, calore recreati, vel irritati.* Καθῆψε *aliis momordit, aliis* invaſit, *aliis* pependit: *ſed* καθάπτειν *eſt* illigare, *quod hìc apprimè convenit, cum* ligare *dicatur ſerpens quod ſpiris ſuis complectitur. De eo plura exempla.* Melitenſes barbari, *id eſt*, Pœni. *Nomen inſulæ* Punicum. *Ab his* Pœnis Africa *tandem* Barbaria *dicta.* Θηρίον, *id eſt*, ſerpens: *unde derivata multa.* Hebræum חיה, fera, *Arabibus* ſerpens. *Quorum unum* Chaldæis חיוא, *alterum* חויא. Paulus *creditur* homicida, *id eſt*, gravis ſceleris reus. *Act.* 28. *v.* 4. ἡ Δίκη, *id eſt*, Nemeſis *Dea. De ea multa. Barbari rectè judicant ſceleratis impunè non eſſe, & viperas quoq; in horum pœnam adhiberi. Sed in multis aliis peccant.* Paulus *illæſus ſerpentem excuſſit, quaſi manus ejus ſe alligaſſet, non ut læderet, ſed ut ornaret; ut* ὄφις ἐπικάρπιος. *Vipera non ſponte decidit, nec in aerem, ſed in ignem à* Paulo *conjecta eſt. Hæc vipera, Diaboli typus.* Πίμπρασθαι ardere *vel* intumeſcere. *Viro modo hic reddas non refert. Pars, à vipera demorſa, ſtatim tumet. An viperæ morſum ſequatur mors repentina. Nonnulla in utramque partem.* Paulus *primò homicida, deinde Deus creditur. Hoc in fidem peccat, illud in charitatem. Ita* Lyſtrenſes. *Phariſæi* progenies viperarum, *id eſt*, κακοῦ κόρακος κακὸν ὠόν. *Aliud in* Sophocle ἐχίδνης θρέμμα.

Quidam, naufragio facto, cùm in *Libyam* ſalvus evaſiſſet, mox in littore dormiens à vipera morſus interiiſſe narratur. De quo habetur non inelegans *Statyllii Flacci* Epigramma *Anthologiæ* libri 3. cap. 22.

Λαίλαπα καὶ μανίην ὀλοῆς προφυγόντα θαλάσσης
Ναυηγὸν, Λιβυκαῖς κείμενον ἐν ψαμάθοις,
Οὐχ ἑκὰς ἠϊόνων, πυμάτῳ βεβαρημένον ὕπνῳ,
Γυμνὸν, ἀπὸ στυγερῆς ὡς κάμε ναυφθορίης,
Ἔκτανε λυγρὸς ἔχις. τί μάτην πρὸς κύματ' ἐμόχθει,
Τὴν ἐπὶ γῆς φεύγων μοῖραν ὀφειλομένην;

Turbinem & inſaniam pernicioſi maris effugientem naufragum, Libycis *in arenis jacentem, non procul à littore, ultimo gravatum ſomno, nudum, gravi naufragio adhuc laborantem, occidit funeſta vipera. Quid cum fluctibus fruſtrà laborabat, fatum, in terra debitum, fruſtrà fugiens?* Aliquid ſimile *Paulo* accidit. Illum enim, in inſulam *Libyæ* vicinam è naufragio vix elapſum, vipera ſtatim aggreſſa eſt; ſed eventu valde diſpari. Neque enim *Paulo*, ſed viperæ fatalis fuit hæc aggreſſio. Hiſtoriam ita incipit *Lucas* Actor. 28. v. 3. *Cum involviſſet* Paulus *ſarmentorum multitudinem, & in pyram impoſuiſſet.* Alii, *cum congregaſſet, cum collegiſſet, cum converriſſet.* Et *Syrus*, [illegible] *attulit, copiam ſarmentorum.* Quod ſequitur *Arabs Erpenianus*. Et alter, uſus longâ Periphraſi, quâ tamen *Pauli* mentem non aſſequitur, وبينما بولس يدور ويفتش ليجمع حطبا كثيرا *Et, dum* Paulus *circuibat, & diſquirebat, ut lignum multum colligeret.* *Baſilius* in *Hexaemeron* Homilia 9. uno verbo, φρυγανιζομένῳ τῷ Παύλῳ· quod *Hebraicè* eſſet מקשש ut *Num.* 15. *v.* 32. cujus Fœmininum מקששת 1. *Reg.* 17. *v.* 10. Sed, cùm *Lucas* habeat συστρέψαντος τοῦ Παύλου φρυγάνων πλῆθος, non poſſumus aliud intelligere, quàm *Paulum ſarmenta convolviſſe* (id enim propriè συστρέφειν) vel ut in faſcem colligeret, vel ut jam collecta ad pyram admoveret, cùm faſci ferendo par non eſſet. Sic igitur convoluta ſarmenta cum in ignem conjiceret; vipera, è calore prorepens, manui ejus ſe alligavit. *Sarmenta* propriè *ſuperflua luxuriantis vitis ligna* ſunt. Sed generalius eſt *Græcum* φρύγανα, quo hic utitur *Lucas*. Nam ἀπὸ τοῦ φρύγειν *ab urendo* Græcè dicuntur φρύγανα *virgulta quævis arida, quæ facilè*

facilè ignem concipiunt, uno verbo *cremia*. Porrò ex hujuſmodi ſarmentis, & virgultis, viperas, aliosque id genus ſerpentes, paſſim erumpere ſatis notum eſt. Indè in *Palladii Lauſiacis* capite vigeſimo *Macarius*, puteum fodiens, πλησίον θρύων καὶ φρυγάνων ἐκεῖ κειμένων, ὑπὸ ἀσπίδος ἐδήχθη, *prope juncos & ſarmenta ſeu virgulta ibi jacentia, ab aſpide morſus eſt.* Et *Midam* vinitorem ὑπὸ ἐχίδνης δηχθέντα, *à vipera demorſum*, jacuiſſe narrat *Lucianus* in *Philopſeude*: Κλαδεύοντι γὰρ αὐτῷ τὰ κλήματα, inquit, καὶ τῇ χάρακι περιπλέκοντι, προσερπύσαν τὸ θηρίον δακεῖν τὸν μέγαν δάκτυλον· *Et enim, dum ligares palmites, & pedamentis circumligares, indè adrepentem beſtiam maximum pedis digitum momordiſſe.* *Damir* capite الاسود ſeu *De Serpente nigro*, وقال للذي قال انه يموت حل حطبك فحله فاذا فيه حية اسود *Et* (Jeſus) *illi dixit, cui mortem interminatus fuerat, ut lignum ſuum* (id eſt, *faſcem ligni*) *ſolveret; quo facto, in eo repertus eſt ſerpens niger.* Thuanus *De vita ſua* libro tertio, *A templo proximo cum manè rediretur, & cuncti properè ad ignem nondum bene accenſum accederent, ex faſciculo, ſive ab imbre, ſive à cella ſubterranea, unde allatus erat, madido, ſerpens proſiliit, qui expoſitus, & diu conſideratus, amphiſbænæ ſpeciem præferebat.* Ità ex virgultis exceſſit *Pauli* vipera: nec attigit ea convolventem; quia tum torpebat frigore. Hyems enim erat. Hinc *Prudentius* ubi ſuprà,

> Paulus, *dum fragiles cogere ſurculos,*
> *Et denſare foci congeriem ſtudet,*
> *Incautam cumulis inſeruit manum,*
> *Torpebat glacie pigra ubi vipera,*
> *Sarmentis laqueos corporis implicans.*

Sed, cum ſarmenta, in quibus latebat vipera, *Paulus* in pyram conjeciſſet, illa, ſenſu caloris vel modico recreata, vel nimio exaſperata, *Paulum* aggreſſa eſt. Ut in *Gabriæ* Fabulis,

> Ἔθαλπέ τις γεωργὸς ἐν κόλποις ὄφιν,
> Περικρύους· ἐπειδὴ θέρμης ᾔσθετο,
> Ἔπληξε τὸν θάλψαντα. κακίστων τάχος.

Et apud *Phædrum* Fabula ſeptuageſima quinta,

> *Gelu rigentem quidam colubram ſuſtulit,*
> *Sinuque fovit, contra ſeipſum miſericors:*
> *Namque, ut refecta eſt, necuit hominem protinus.*

Porro *Pauli manui* hæc vipera ſe *illigavit*, καθῆψε τῆς χειρὸς αὐτοῦ, nempe ut infenſo dente morderet. *Vulgatus, Eraſmus, Caſtalio, Beza*, reddunt *invaſit manum ejus*, Æthiops, *pependit è manu ejus*. *Syrus*, & uterque *Arabs*, *momordit manum ejus*. In qua ipſa ſententia videntur fuiſſe nonnulli *Patrum*. Ità enim *Tertullianus* in *Scorpiaco*, de *Paulo*; *Morſum viperæ ſprevit.* Et *Ambroſius* in *Hexaemeron* libri ſexti capite ſexto, *Paulum momordit vipera.* Et *Prudentius*,

> *Quæ, poſtquam intepuit fomite fumeo,*
> *Laxavitque ferox colla rigentia,*
> *Jam flecti facilis rettulit ad manum,*
> *Vibrato capite, ſpicula dentium,*
> *Hærentem digiti vulnere mordicus*
> *Pendentemque gerens* Paulus *inhorruit.*

Et *Arator* libro ſecundo *Hiſtoriæ Apoſtolicæ*,

> \- - - - - - *cui vipera fixit*
> *Dæmonis arma ferens, ſurgentibus obvia flammis,*
> *Antiquâ feritate manum, gelidique veneni*
> *Vulnus in igne dedit.* - - - - -

Oecumenius quoque, Ἡ ἔχις, τῇ τοῦ Ἀποστόλου χειρὶ τοὺς ὀδόντας ἐμβαλοῦσα· *Vipera, injectis manui Apoſtoli dentibus.* Ego eundem Deum, qui, miſſo angelo ſuo, concluſit ora leonum, ne *Prophetam* morſu læderent, *Dan.* 6, 22. puto viperam cohibuiſſe, ne in *Apoſtoli* manum noxios dentes defigeret. Quod videntur palàm docere hæc verba *Lucæ*, ἔπαθεν οὐδὲν κακόν, *nihil mali paſſus eſt.* Nam qui à vipera fuiſſet morſus, non diceretur fuiſſe immunis ab omni malo. Neque verò καθάπτειν *mordere* ſignificat, quod quidem ſciám, ut neque *pendere*, aut *invadere*, ſed *illigare*, ut ſimplex ἅπτειν· *Xenophon* in *Cynegetico*, Ἐκ τῶν στρεμμάτων εἰς τὰ συμφέροντα καθάπτων τὰς περιδρόμους ἐπὶ τὴν γῆν· *Ex ramitibus ad loca commoda humi plagas alligans.* *Anonymus* in *Venerem* armatam *Anthologiæ* libri quarti capite duodecimo,

> Τίπτε μόθων ἄτλητος, Ἐνυαλίοιο λέλογχας,
> Κύπρι; τίς ὁ ψεύστας στυγνὰ καθᾶψε μάταν.

Cur, cum pugnas tolerare non poſſis, Martis arma ſortita es, O Venus? Quis mendax moleſta hæc fruſtrà adalligavit? Ità etiam περικαθάπτειν *circumalligare*: ut libro quinto *Dioſcoridis* capite *De hydrargyro*, Περικαθάπτουσιν ἄμβικα περιαλείψαντες πηλῷ, *Calicem luto illitum circumalligant.* Et Nomen καθαπτὸς *ligatus*. Sic in veteri *Proverbio* apud *Heſychium*, Καθαπτὰ λύεις, vel, ut alii, κάθαμμα (malè in *Suida* κάθαρμα) id eſt, *Ligata* vel *Nodos ſolvis*, quæque aliis ſunt δύσλυτα *inſolubilia*. Itaque in *Lucæ* verbis καθῆψε τῆς χειρὸς αὐτοῦ, *Stephanus* ſupplet ἑαυτὴν, & reddit, *alligavit ſe ejus manui*. Quomodo dixit *Baſilius* eandem hiſtoriam referens *Homiliâ* nona in *Hexaemeron* φρυγανιζομένῳ τῷ Παύλῳ ἐνάψας ὁ ἔχις ſupple ἑαυτὸν, *Sarmenta colligenti Paulo cum vipera ſe illigáſſet.* Tamen alii *pependit* reddunt; quia ἀφάπτειν, & ἐξανάπτειν, eſt *appendere*, aut *ſuſpendere*: & ſtatim ſequitur, ὡς δὲ εἶδον οἱ βάρβαροι κρεμάμενον τὸ θηρίον ἐκ τῆς χειρὸς αὐτοῦ, *cum barbari beſtiam viderunt pendentem è manu ejus.* Alii rurſus *momordit*, quaſi legerint καθήψατο. Nam καθάπτεσθαί τινος in Paſſiva voce eſt *aliquem mordere*, non tamen *dentibus*, ſed *cavillis* & *dicteriis*. Et verò *Chryſoſtomus* in hunc locum pro καθῆψε legit καθήψατο. Quod tamen aliter ſumit, nempe pro ſimplici ἥψατο, id eſt, *invaſit*. Is enim ità habet in ſequenti expoſitione, Εἶτα ἔχιδνα, ἐκ τῆς θέρμης ἐξελθοῦσα, τῆς χειρὸς αὐτοῦ ἥπτετο· καὶ ὅτι ἥψατο, δῆλον ποιεῖ τὸ ἐκ τῆς ἐπαγωγῆς. *Deinde vipera, è calore egreſſa, manum ipſius invadit: invaſiſſe enim palàm facit ex ſequentibus.* Ità omninò reddendum. Quippe ἅπτεσθαι ἀνθρώπου eſt *hominem invadere*, ut ex *Platone, Thucydide, & Plutarcho* probat *Stephanus*. Unde factum, quod à multis καθῆψε τῆς χειρὸς redditur *invaſit manum*; quaſi καθῆψε, vel καθήψατο ſit idem, quod ἥψατο. Sed nihil opus quidquam mutare, nec uſitato Verbo inuſitatas notiones affingere, cum apprimè id conveniat, ut dicatur *vipera* Pauli *manui ſe alligáſſe*. Nam id *ligare* dicitur ſerpens, quod ſpiris ſuis complectitur. Sic apud ſummum *Poetam* angues duo *Laocoontem*

> *Corripiunt, ſpiriſque ligant ingentibus.* - - -

Et in *Plutarchi* libro *Utra anim.* draco *Ætolæ* puellæ, quam amabat, ſubiratus, τῷ μὲν ἄλλῳ σπειράματι τὰς χεῖρας αὐτῆς ἔδησε πρὸς τὸ σῶμα, τῷ δὲ ἀπολήγοντι τῆς οὐρᾶς ἐμάστιγε τὰς κνήμας, *reliquo quidem volumine manus ejus corpori adalligavit, dum extremâ caudâ crura flagellabat.* Sic *Nicander* in *Theriacis* verſu 475. cavendum monet, ne cenchris

> \- - - - - - σε καταφλέξῃ, καὶ ἀνάγχῃ
> Πάντοθι μαστίζων οὐρῇ δέμας, - - -

te exurat, & conſtringat corpus undique caudâ feriens. Et *Leo Byzantius* in *Bœoticis* apud *Plutarchum* libro *De fluviis*, de *Cythærone* puero; Ὁ δὲ ὄφις, τοῖς κόλποις περισφίγξας, αὐτὸν ἀνεῖλεν· *Serpens eum, nexibus ſuis conſtrictum, interemit.* Et *Cicero* de *Roſcio* libro primo *De Divinatione*; *Noctu lumine appoſito experrecta nutrix animadvertit puerum dormientem circumplicatum ſerpentis amplexu.* Et libro ſecundo. *De ipſo* Roſcio *poteſt quidem eſſe falſum, ut circumligatus fuerit anguis.* Quò facit, quod *Æliani Hiſtoriæ* libri ſexti capite vigeſimo primo, draco, qui in elephantem pugnat τῷ τραχήλῳ περιερπύσας, θείνων τῷ οὐραίῳ μέρει, καὶ σφίγγων θατέρῳ, ἀπάγχει τὸ θηρίον ἀήθει βρόχῳ, καὶ καινῷ, *cum*

cum in collum erepſit, à caudâ parte verberans, & altera conſtringens, novo & inuſitato laqueo belluam ſtrangulat. Et in caducei deſcriptione apud *Macrobium* libri primi *Saturnalium* capite decimo nono: *Hi dracones parte mediâ voluminis ſui, invicem nodo, quem vocant,* Herculis *obligantur.*

Sequitur barbarorum judicium de iſto caſu, *Ut vero barbari viderunt pendentem beſtiam è manu ejus, alii aliis dicebant, " Omnino homicida eſt homo iſte, " quem è mari ſervatum juſtitia non ſinit vivere. Barbari*, id eſt, *Melitenſes.* Tum enim erat *Paulus* in inſula *Melite*, & *Melitenſes* ideo pro barbaris habebantur: quia plerique inſulæ illius incolæ neque *Græci*, neque *Romani* erant; ſed Φοινίκων, ἢ Καρχηδονίων, ἄποικοι, *Phœnicum*, aut *Carthaginenſium coloni*; ut ex *Scylace*, *Diodoro*, & *Stephano* alibi probavimus. Proinde primo bello *Punico Romanus* Conſul *Atilius*, in navali expeditione contra *Carthaginenſes*, Liparam Melitamque *inſulas* Siciliæ *nobiles, pervagatus evertit*, ut docet *Oroſius* libri quarti capite octavo. Et *Punico* bello ſecundo, *T. Sempronius* à Lilybæo *in inſulam* Melitam, *quæ à* Carthaginenſibus *tenebatur, trajecit. Advenienti* Amilcar, Giſgonis *filius, præfectus præſidii, cum paulò minus duobus millibus militum, oppidumque in inſula traditur.* Ità *Livius* Decadis tertiæ libro primo. Atque ipſum *Melites* nomen *Punicum* eſſe docuimus. Fuêre igitur *Melitenſes* pars Barbarorum, ut reliqui in *Africa Pœni*, à quibus tandem ipſa regio *Barbaria* denominata eſt. Hi porrò, cum viderunt κρεμάμενον τὸ θηρίον *pendentem beſtiam*, ſeu *viperam*, è manu *Pauli*, &c. Nam θηρίον non ſolum *beſtiam* in genere, ſed & *ſerpentem* ſignificat, ſeu *venenatam beſtiam.* Ut *Sirach.* 12, 17. Τίς ἐλεήσει ἐπαοιδὸν ὀφιόδηκτον, καὶ πάντας τοὺς προσάγοντας θηρίοις; *Quis miſerebitur incantatoris à ſerpente demorſi, aut ullius eorum, qui accedunt ad beſtias?* ſupple *venenatas*, id eſt, *viperas*, ſeu *ſerpentes. Dioſcorides* lib. 1. cap. *De vitice*; Τὰ φύλλα ὑποθυμιώμενά τε καὶ ὑποστρωννύμενα θηρία διώκει· quæ ſic reddit *Plinius* libri vigeſimi quarti capite nono, *Suffitu quoque* (folia) *aut ſubſtratu fugant venenata.* Hinc paſſim in *Medicorum* libris θηριόδηγμα, & θηριόδηκτος de eo *qui à ſerpente morſus eſt*, & θηριακὰ φάρμακα *quæ venenatis proſunt.* Quale eſt, quod *Joſepho Antiquitatum* libri ſecundi capite quinto, *Æthiopia* terra eſt θηριοτρόφος, quia *multos alit ſerpentes.* Et *Galeno* θηριοτρόφοι Μάρσοι, quia *veſcuntur ſerpentibus.* Et *Dionyſio Halicarnaſſeo* Σῖγμα litera θηριῶδες, quia ſerpentum ſibilum imitatur. Sic eadem vox חיה, *Hebræis* eſt *fera* quævis, & *Arabibus ſerpens.* Et apud *Chaldæos* parum differunt voces חיוא, & חויא: quarum illa *beſtiam* in genere, hæc *ſerpentem* ſonat. Ità igitur *Lucæ* τὸ θηρίον eſt *ſerpens*, adeoque *vipera*, quam cum barbari pendere vidiſſent è manu *Pauli*, cui ſcilicet ſe alligaverat, eum homicidam eſſe collegerunt, id eſt, aut cædis, aut alius gravis criminis, reum. Species pro genere. Quâ figurâ *Furiarum* una vocatur Τισιφόνη, ἀπὸ τοῦ τίειν τοὺς φόνους· neque enim cædis ſolius, ſed & reliquorum criminum credebatur eſſe vindex. Hæc autem ratio fuit barbaris, cur tam barbarum judicium de viro ſancto tulerint, quod illum videbant, ex uno malo vix elapſum, mox in aliud incidere: quaſi ἡ Δίκη illum vivere non permitteret. Ἡ δίκη, id eſt, *Juſtitia* Dea. Ità enim vocabant veteres. *Heſiodus* in *Operibus* verſu 254,

Ἡ δέ τε παρθένος ἐστὶ Δίκη, Διὸς ἐκγεγαυῖα,
Κυδρή τ᾽, αἰδοίη τε θεοῖς, οἳ Ὄλυμπον ἔχουσιν,
Καί ῥ᾽ ὁπότ᾽ ἄν τίς μιν βλάπτῃ σκολιῶς ὀνοτάζων,
Αὐτίκα πὰρ Διῒ πατρὶ καθεζομένη Κρονίωνι,
Γηρύετ᾽ ἀνθρώπων ἄδικον νόον, &c.

Virgo autem eſt Dice, Jove *prognata, clara, & veneranda Diis, qui cœlum tenent. Et, cum quis ipſam læſerit oblique convitiis inceſſens, ſtatim, patri* Jovi Saturnio *aſſidens, narrat hominum iniquam mentem.* Orpheus *Argonauticūn* verſu 349.

- - - - - - τοῦτο δ᾽ ἐπιμάρτυροι ἔστων
Ἰθύντειρα Δίκη, καὶ Ἐριννύες αἰνοδότειραι,

Hujus (juramenti) *teſtes ſint rectrix* Dice, & Furiæ *ultrices.* In *Euripidis Medea*, *Jaſon Medeæ* ſic imprecatur, poſtquam communium liberorum cæde manus polluit, verſu 1389.

Ἀλλ᾽ ὁ Ἐριννὺς ὀλέσειε τέκνων,
Φονία τε Δίκη· - - - - -

Sed te perdat Erinnys *cæſorum liberorum, & cædis vindex* Dice. *Ariſtoteles*, aut quiſquis eſt, in fine libri *De mundo*, ubi de ſummo Deo; Τῷ δ᾽ ἀεὶ ξυνέπεται Δίκη τῶν ἀπολειπομένων τοῦ θείου νόμου τιμωρός· *Illum ſemper ſequitur* Dice, *eorum, qui à divina Lege defecerint, vindex futura.* In *Orphei* Hymno *in Horas*, *Dice* una eſt filiarum Θέμιδος καὶ Ζηνὸς ἄνακτος *Themidis & Jovis regis.* Graphicam hujus picturam nobis exhibet *Chryſippus* apud *Gellium* libri decimi quarti capite quarto, Παρθένος δὲ εἶναι λέγεται, κατὰ σύμβολον τοῦ ἀδιάφθορος εἶναι, καὶ μηδαμῶς ἐνδιδόναι τοῖς κακούργοις· μηδὲ προσίεσθαι, μήτε τοὺς ἐπιεικεῖς λόγους, μήτε παραίτησιν, καὶ δέησιν, μήτε κολακείαν, μήτε ἄλλο μηδὲν τῶν τοιούτων. ὅς ἀκολούθως καὶ σκυθρωπὴ γράφεται, καὶ συνεστηκὸς ἔχουσα τὸ πρόσωπον, καὶ ἔντονον καὶ δεδορκὸς βλέπουσα, &c. *Virgo dicitur, ut ſignificetur eſſe incorrupta, nec malis ullo modo cedere; non orationem modeſtam, non deprecationem, aut petitionem, non adulationem, non denique tale quidquam ab iis admittere. Quamobrem meritò triſtis & corrugata fronte pingitur, & vultu contento & torvo*, &c. Apud *Plutarchum* libro *De ſera Numinis vindicta*, ſi qui ſunt, qui ſcelerum pœnas in hac vita nondum perfectè luerint, τούτους Δίκῃ μετὰ τὴν τελευτὴν ὁ δαίμων παραδίδωσι, *hos dæmon poſt mortem* Dice *tradit* gravius puniendos. In *Arati Phænomenis* aureâ ætate cum hominibus familiariter convixiſſe legitur: argenteâ quoque, quamvis rariùs: ſed æneâ, poſtquam ceperunt boves operarios edere, in cœlum ſeceſſiſſe,

- - - - πρῶτοι δὲ βοῶν ἐπάσαντ᾽ ἀροτήρων,
Καὶ τότε μισήσασα Δίκη κείνων γένος ἀνδρῶν
Ἔπταθ᾽ ὑπουρανίη. - - - -

Quo alludens *Nazianzenus* Carmine tertio,

Παρθενικὴ δ᾽, ἀπὸ σεῖο φυγάς, πρὸς Χριστὸν ἀνῆλθες,
Ὥς τε Δίκη τὸ πάροιθε βοὸς κταμένου ἀροτῆρος.

Virginitas, à te fugitiva, ad Chriſtum *redibit, ut* Dice *olim bove aratore cæſo.* Nec mirum *Græcæ* Deæ famam ad *Melitenſes* deveniſſe, quorum plerique *Phœnices* erant: cum antè, quàm *Romani Melitam* occupâſſent, inter *Græcos* & *Phœnices* hujus inſulæ imperium ità alternaverit, ut modo hos modo illos penes fuerit ſumma rerum, ut alibi probavimus ex idoneis teſtibus. Hujus igitur *Deæ* cultum à *Græcis* mutuati, illi tribuunt, quod *Paulus*, è maris periculo ereptus, in aliud ſtatim incidit priore non minus grave. In quo judicio id quidem placet, quod ſceleſtos ſtatuunt admiſſi facinoris pœnam haudquaquam effugere. Verè enim *Plato* libro quinto *De Legibus*, Τιμωρία δ᾽ ἀδικίας ἀκόλουθος πάθος· *Pœna omnis injuſtitiæ comes eſt.* Et *Horatius* libri tertii *Oda* ſecunda,

Rarò antecedentem ſceleſtum
Deſeruit pede pœna claudo.

Et viperas quoque à Deo in impiorum pœnam adhiberi habetur *Ecclef.* 39, 35. (al. 38.) Θηρίων ὀδόντες, καὶ σκορπίοι, καὶ ἔχεις, καὶ ῥομφαία ἐκδικοῦσα εἰς ὄλεθρον ἀσεβεῖς· *Ferarum dentes, & ſcorpii, & vipera, & gladius ulciſcens ad internecionem impios.* Idem de aſpide *Thermuti* dicta perſuaſum fuit *Ægyptiis. Ælianus* libri decimi capite trigeſimo primo, Φείδεσθαι μὲν αὐτὴν τῶν ἀγαθῶν, τοὺς δὲ ἀσεβοῦντας ἀπολλύναι. *Bonis quidem parcere, impiis autem necem afferre: quod ſi ità ſe habeat*, inquit auctor, τὸ πάντως ἂν ἡ δίκη τιμήσαιτο τὴν δὲ τὴν ἀσπίδα, *univerſi juſtitia hanc aſpidem honoraverit*: id eſt, *Dice* Dea, quæ per hanc in malos animadvertat, ut habetur in ſequentibus.

Itaque

Itaque in barbarorum judicio de *Paulo* aliquid fuit non omnino contemnendum. Sed & in eodem conſtat illos peccare multipliciter. Primò in eo, quod impiorum pœnam non referunt ad verum Deum, ſed ad idolum ab hominibus confictum, quod ab his Δίκη, ab aliis *Themis*, ab aliis *Aſtræa*, aut *Erigone*, ab aliis denique *Nemeſis* appellatur, aut *Adraſtia*. 2. Quod ſic agunt, quaſi ab impiis in hac vita ſemper repoſcantur pœnæ, cum in futuram ſæpe differantur, ubi judiciorum tarditatem Deus gravitate compenſat. 3. Quod neminem putant in gravem calamitatem incidere, qui non ſit idem graviter reus: cum etiam optimis mala accidant, *Jobo* puta, & cæco nato, quamvis neque ipſe, neque parentes ullius inſignis peccati rei fuerint, *Joh.* 9, 3. Proinde non eſt metienda cujusquam virtus, aut perverſitas, ex proſperis, & adverſis rebus. Sed eorum, quæ latent, judicium Deo ſoli permittendum, qui ſummus eſt omnium arbiter. 4. In eo quoque peccant, quod præceps judicium de *Paulo* ferunt. Neque nim eventum exſpectant. Sed eum pronuntiant jam periiſſe, tanquam de ejus exitio tam certi, quam ſi jam eveniſſet. Itaque in præterito dicunt, *Juſtitia*, (vel *Dice*) *non permiſit eum vivere:* ut qui de *Davide* dicebant *Pſ.* 41, 9. *Grave aliquod ſcelus ei adhæret, & qui decubuit non reſurget amplius.* Tamen è lecto ſurrexit *David*, contra quam putaverant. Atque idem hic *Paulo* accidit. Neque enim periit morſu viperæ, quam ex ejus manu barbari videbant dependentem.

Quin, *beſtiam in ignem cum excuſſiſſet, nihil mali paſſus eſt.* Ità impletum, eſt, quod *Chriſtus Apoſtolis* promiſerat, fore, ut ſerpentes tollerent, *Marc.* 16, 18. Et videtur ille ſerpens *Pauli* manui ſe alligâſſe, non, ut læderet, ſed ut ornaret. Fuit enim apud veteres inter armillarum genera ὀφιοειδὴς καρπιστήρ, aut περιβραχιόνιος, cujus meminêre in *Athenæo Nicoſtratus*, *Philoſtratus* Epiſtolâ trigeſimâ nonâ, *Heſychius*, & alii: ut à *Nonno Dionyſiacῶn* libro quinto monile deſcribitur, quod

Ὡς ὄφις ἦν ἑλικῶδες ἔχων δέμας,

Tanquam ſerpens erat tortuoſum habens corpus. Si *Oecumenio* credimus, vipera in ignem ſe ſponte projecit, tanquam pœnas à ſe exigens, quod corpus invaſiſſet nihil ad ſe pertinens: Κατὰ τῆς πυρᾶς ἥλατο, inquit, ὥσπερ δίκας ἑαυτὴν εἰσπραττομένη, ὅτι τῷ μηδὲν μηδαμόθεν προσήκοντι προσέβαλε σώματι. Sed *Lucas* diſertè aſſerit *Paulum* illam excuſſiſſe, idque in vicinum ignem, non procul in aërem, ut in *Prudentio* habetur:

Excuſſumque procul decutit aſpidem:
Abjectus coluber verberat aëra.

Hoc ad veterem ſerpentem, id eſt, Diabolum, referunt, qui, fideles fruſtrà aggreſſus, in ignem Gehennæ detruſus eſt. *Arator* ubi ſuprà,

- - - - - *digito nam beſtia pendens*
Excutitur projecta rogis, bene reddita flamma,
Quam dedit ipſa prius, quæ culpæ protulit ignem,
Unde Gehenna calet. - - - -.

Fuit id *Pauli* miraculum barbaris maximè improviſum, qui putaverant αὐτὸν μέλλειν πίμπρασθαι, ἢ καταπίπτειν ἄφνω νεκρόν, *fore, ut intumeſceret, aut conciderét ſtatim mortuus.* Πίμπρασθαι propriè eſt *ardere & exuri*; deinde etiam *præ ardore inflari, & intumeſcere.* *Heſychius*. Πιμπρᾶν, ἐμπυρίζειν, φυσᾶν, καίειν. *Ælianus* libri primi capite quinquageſimo ſeptimo, *Pſyllos* ait facilè ſanare eos, qui à ceraſte morſi ſunt, modò vocentur, πρὶν ἢ πρησθῆναι τὸ πᾶν σῶμα, id eſt, *priùs quàm totum corpus intumeſcat.* Nam totum corpus iis, varicum modo, tumere ſcribit *Dioſcorides*. *Etymologus* de bupreſti oleris ſpecie, Βούπρηστις δέ, φασι, λέγεται διὰ τὸ τοὺς γευσαμένους αὐτῆς μεγάλως πίμπρασθαι, τουτέστι φυσᾶσθαι. *Bupreſtis dicitur, ut ajunt, quia qui eam deguſtant, maximè intumeſcunt, quod Græcè eſt πίμπρασθαι.* Et *Nicander* de bupreſti animali *Alexipharmacῶn* verſu 344.

Ἢ καί που δαμάλεις ἐριγάστορας ἄλλοτε μόσχους
Πίμπρησι, - - - - - - -

Quæ interdum juvencas, interdum ventrioſos vitulos inflat. Et in *Theriacis* de hæmorrhoo verſu 306.

Τῆς γὰρ ὀδαξομένοιο τὰ μὲν ἀθρόα πίμπραται οὖλα,

Cum illa mordet, intumeſcunt tota gingivæ, aut etiam *ardent.* Ità enim *Scholiaſtes*, Πίμπραται, ἐπικαίεται, καὶ πυροῦται. Et paulò poſt, Πυρακτοῦται, καὶ ἀναβράζουσι. Neque aliter ſumitur in *Luciano*, cum de dipſade dicit, πίμπρασθαι ποιεῖ. Sequitur enim, Καὶ βοῶσιν ὥσπερ οἱ ἐν πυρὶ κείμενοι· *Et clamant* (qui icti ſunt) *ut qui in igne jacent.* Poteſt igitur in *Luca* utroque modo reddi. Proinde *Arabum* unus hic habet, *Exſpectabant fore, ut* يحترق *arderet.* Et *Caſtalio*, *Illius futurum exſpectantibus, ut arderet.* Sed *Hieronymus*, *Exiſtimabant eum in tumorem convertendum*, id eſt, *fore, ut intumeſceret.* Quod ſequuntur *Arias*, & *Beza*, & multi alii recentiorum. Neque id immeritò, cum inter ſymptomata, quæ accidunt ex morſu viperæ, hoc ſit unum è præcipuis, & maximè conſpicuis, quod demorſa pars ſtatim intumeſcit. *Dioſcorides* libro ſexto, Τοῖς δὲ ὑπὸ ἐχίδνης δηχθεῖσιν οἰδεῖ, καὶ ἐφ' ἱκανὸν τὸ σῶμα ξηραίνεται· *Iis, qui à vipera morſi ſunt, corpus tumet, & vehementer areſcit.* *Nicander*, ubi de morſis a vipera, *Theriacῶn* verſu 240.

- - - - - φλύκταιναι ἀραιαί,
Οἷα πυρικμήτοιο χροός, κλαδόωσιν ὕπερθεν

tumores noxii, ac ſi corpus ſit igne ambuſtum, supernè ebulliunt. Ità etiam *Paulus Ægineta*, *Puſtulæ in commorſa parte erumpunt, veluti in ambuſtis.* Et *Aëtius* ex vulnere à vipera inflicto enaſci ſcribit *tumorem biloſum, fervidum, bulloſum, ſubrubrum*, &c. Et *Avicenna* in capite *De morſu viperarum* imâ paginâ 137,

ثم يظهر ورم حار احمر ذو بثور كثيرة ونفاطات كحرق النار *Tunc apparet tumor calidus, ruber, multis bullis, & puſtulis plenus, tanquam ex aduſtione ignis.* Quæ quidem conveniunt. Sed iis, quæ habentur in fine ejusdem capitis, واكثر ما يهلك في ثلثة ايام وربما بقي الي السابع *Plerique eorum, qui pereunt, tertiâ die pereunt, & quandoque permanent uſque ad ſeptimum*, videtur poſſe opponi, quod putabant *Melitenſes* fore, ut *Paulus*, à vipera morſus, caderet illico mortuus, quaſi morſum viperæ ſequeretur mors repentina. Reſpondeo apud *Aëtium* τοὺς ἐχιοδήκτους intra ſeptem horas plerumque mori. Et *Plinius* libri undecimi capite quinquageſimo tertio *Scytharum* ſagittas, viperina ſanie tinctas, *mortem illico afferre levi tactu* (quamvis in *Ariſtotelis Mirabilibus* ſolùm legatur, μιγνύουσι τῷ τῆς ἐχίδνης ἰχῶρι. καὶ οὕτω ποιοῦσι θανάσιμον.) & in *Pauſania Bœoticis* narratur à *Phœnice* quodam ἄνθρωπον ἀποφεύγοντα ἐχίδναν ὁρμὴν ἔχουσαν, ἐπί τι ἀναδραμεῖν δένδρον, τὴν δὲ ἔχιν, ὡς ἦλθεν ὕστερον, ἀποπνεῦσαι πρὸς τὸ δένδρον τὸν ἰόν, καὶ οὐ ζῆν ἔτι τὸν ἄνθρωπον, *Hominem, ut inſequentis viperæ impetum declinaret, in arborem quandam celeri fugâ ſe recepiſſe, quo cum paulò poſt veniſſet vipera, venenum arbori afflâſſe, & hominem vivere deſiiſſe.* Sic apud *Arabes* جارية *giaria* viperæ genus eſt, quæ ſtatim occîdit. Unde *Damir* in *Proverbiis* de vipera, رماه الله بافعي جارية وهي التي يموت لذيعها من ساعته *Deus objecit illum viperæ giariæ*, id eſt

eſt, Conjecit illum in malum immedicabile: *quia qui ab hac vipera morſus eſt, moritur ipſo momento.* Nempe pernicioſior eſt viperæ morſus pro loci aut alimenti ratione, & ſi jejuna mordet, & æſtivis diebus, & priùs provocata. Tum enim, accenſá bili, venenum fit multò acrius. Præterea quædam corpora, & in ipſis corporibus quædam partes veneno minùs obſiſtunt. Cum igitur tam multæ ſint cauſæ, cur aut lentiùs aut citiùs viperæ morſu perimant, tempus futuræ mortis non poteſt certò definiri. Sed quæ *Paulum* invaſerat, poterat videri venenum habere præſentiſſimum; quia è mediis ignibus commotior & concitatior eruperat. Itaque ex illius morſu cum timeretur prompta mors, & barbari diu exſpectâſſent, nec *Paulo* quidquam incommodi accidiſſet, μεταβαλλόμενοι ἔλεγον θεὸν αὐτὸν εἶναι, *mutati illum Deum eſſe dicebant*, quem priùs homicidam eſſe ſtatuerant. Nempe

Ruſtica progenies neſcit habere modum.

Et,

Dum ſtulti vitant vitia, in contraria currunt.

Ut homicida non erat *Paulus*, ità nec Deus, ſed fidiſſimus Dei ſervus. Anteà in charitatem, nunc in fidem graviter peccant. Nimirum, ut notat *Oecumenius*, Gentiles ità ſolebant, πάντα ποιοῦντά τι παράδοξον θεὸν νομίζειν, *pro Deo quemlibet habere, qui mirabile aliquid ederet.* Ità *Lyſtrenſes* huic eidem *Paulo* divinos honores decreverunt; quia claudum ſanaverat: ſed & eundem iidem paulò poſt lapidaverunt: *Act.*14,10.19.

Multi quærunt, quorſum *Judæi*, aut *Phariſæi*, paſſim (*a*) vocentur γεννήματα ἐχιδνῶν, *progenies viperarum.* Et ad id alludi plerique putant, quod vipera ex eroſo matris utero naſci traditur. Quia *Judæi* in Deum, & Prophetas, quos patrum loco habere debuerant, ingratos ſe præſtiterunt. Vide præter eos, qui in *Matthæum* & *Lucam* ex profeſſo ſcripſerunt, *Iſidorum Peluſiotam* Epiſtolâ centeſima quinta; & *Parabolarum Evangelii interpretationes*, quæ *Athanaſio* tribuuntur, *Quæſtione* vigeſimâ. Mihi non fit veriſimile ad rem fabuloſam alludi; neque Deum, & Prophetas, hâc ratione cum *viperis* conferri. Iis igitur accedo, qui peſſimorum parentum peſſimos filios hic intelligunt. Nempe κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν, *Mali corvi malum ovum eſt.* Quo reſpiciens martyr *Stephanus Judæos* ità compellat *Act.*7,51. *O duri cervice, & incircumciſi corde & auribus, vos ſemper Spiritui Sancto obſiſtitis. Quales fuerunt patres veſtri, tales & vos eſtis.* Et multò antè *David* Pſal.78, 8. *Ne ſint ut patres eorum, generatio contumax, & rebellis*, &c. Nec multum repugnabo, ſi quis *viperarum* nomine Dæmones intelligat, qui cur per *ſerpentes* ſignificentur, neminem latet. Dæmonis porrò filii cenſentur, quotquot in Deum ſunt rebelles. Proinde Magum *Elymam Paulus* vocat *filium Diaboli* Act.13, 8. Et *Chriſtus Judæis* dicit *Joh.*8,44. *Vos ex patre Diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere.* Aliud δεινῆς ἐχίδνης θρέμμα in *Trachiniis Sophoclis* verſu 1106. Ibi enim ἔχιδνα non eſt *vipera*, ſed fabuloſa *Echidna*, ex qua natus *Cerberus*. De illo enim ibi agitur.

a) Matth.3,7. & 12,34. & 23,33. Luc. 3,7.

CAPUT TERTIUM.

Probatur כפיר *chephir*, & שחל *ſachal*, non ſolùm *leonum*, ut vulgo, ſed & *Serpentum* eſſe nomina.

Leonis nomen multis animalibus commune. Serpens cenchrines *Græcè* λέων αἰόλος. כפירים chephirim, *aliis* leunculi, *Senioribus* dracones. *Vox* Arabica شبل ſabl *pariter æquivoca. Et* שחל ſachal, *eſſe ſerpentis genus* Pſalm.91,13, *tam ex ratione probatur, quam ex veterum verſionibus. Ut* שחל *ſachal*, leo niger, *ita* niger ſerpens *eſſe videtur. Aſpides, hæmorrhoi, dipſades, dryini, quidam dracones, hydri, & cherſydri nigri. Alii ſerpentes maculis nigris aſperſi. Sed ſerpentum unus aliquis niger imprimis, qui* Arabicè الاسود alaſuad *dicitur, id eſt*, niger. *Videtur eſſe genus aſpidis.* Arabum *fabula de* Chriſto *& ſerpente nigro.*

LEonis nomen nonnullis animalibus commune eſt à leone diverſiſſimis. Sic *Diphilus* in *Athenæo*, *Plinius*, & *Ælianus* λέοντα θαλάττιον *leonem marinum* deſcribunt inter aſtacorum genera. Lacertæ vel ſtellionis ſpecies eſt ὁ χαμαιλέων, id eſt, *terreſtris leo*; qui idem *Arabicè* vocatur (*a*) ليث عفرين *leo Iphrina* ab *Arabia* loco, in quo frequens eſt. Quale, quod ليث *leo* in *Alcamus* eſt ضرب من العناكب *araneæ ſpecies.* Et in ſerpentum genere *cenchris*, ſeu *cenchrines*, à nonnullis vocatur λέων αἰόλος *leo varius. Nicander* in *Theriacis* verſu 463.

a) Part.1.lib.4. cap.4.p.1081. lin.30.&c.

Δήεις κεγχρίνην δολιχὸν τέρας, ὅν τε λέοντα
Αἰόλον αὐδάξαντο, πολύστικτον φολίδεσσι.

Invenies cenchrinis longum monſtrum, quem & leonem varium vocarunt, ſquamis maculoſum. Ad quæ verba *Scholiaſtes*, Ἔστι δὲ ὄφις μακρὸς καὶ ποικίλος, ὃν καὶ λέοντά φησι καλεῖν· ἢ διὰ τὸ πολύστικτον τῆς φολίδος· ἢ διὰ τὸ γενναῖον λέοντα ἐκάλουν αὐτόν· ἢ διὰ τὸ ὀρθοῦν τὴν οὐρὰν βαστάζοντα διεγείρειν ἑαυτὸν εἰς μάχην· ἢ διὰ τὸ δάκνειν, καὶ ῥοφᾷν τὸ αἷμα τοῦ ἀνθρώπου, ἅτινα δὲ καὶ λέων ποιεῖ. In quibus verbis cur dicatur leo vocari διὰ τὸ πολύστικτον τῆς φολίδος, *propter ſquamas maculoſas*, cum in leone nihil tale ſit. Sed ſcripſerat *Scholiaſtes* ὃν καὶ λέοντα αἰόλον φησὶ καλεῖν. Itaque mens ejus hæc eſt, *leonem quidem vocari propter generoſum animum; aut quia erecta cauda ad pugnam ſe incitat; aut quia leonum more mordet, & humanum ſanguinem exſorbet: varium* autem *appellari propter maculas ſquamis aſperſas.* Utut ſit, hinc patet, *Græcos* quoque *leonum* nomen ſerpentibus adhibuiſſe: ne cui novum videatur, quod *Hebræa leonum* nomina כפיר *chephir*, & שחל *ſachal*, etiam ad ſerpentes pertinent. Inde eſt, quod, cum כפיר *chephir*, propriè *leunculum* ſonet, tamen à *Senioribus* nonnunquam pro *dracone* ſumitur. Sic *Job.*4,10. *Hebræa* ושני כפירים נתעו, *Et dentes* chephirim (ſeu *leunculorum*) *avulſi ſunt*, reddunt mira libertate, γαυρίαμα δὲ δρακόντων ἐσβέσθη, *draconum autem gloriatio extincta eſt.* Et *Job.*38, 39. pro *Hebræis* וחית כפירים תמלא, *An animam leunculorum implebis?* iidem habent, ψυχὰς δὲ δρακόντων ἐμπλήσεις; *Animas autem draconum an explebis?* Nempe כפיר *chephir*, apud *Hebræos* non ſolum *leunculum*, ſed & *dracunculum* ſonabat. Quomodo *Arabicum* شبل *ſabl*, quod *Hebræo* כפיר *chephir* planè reſpondet; & pro *leunculo* ferè ſumitur. Tamen etiam de *catulo draconis* uſurpari docent hæc *Arabici* Paraphraſtis *Thren.*4,3. والتنانين خلعوا ثديهم اشبالهم ارضعوا *Et dracones mammas eduxerunt, catulos ſuos lactârunt. Dracones* nempe *marini*, id eſt, *ceti*, ut *Hebraicè* תנין, & *Græcè* δράκοντες hoc ipſo loco.

Ità vox שחל *ſachal*, cum alibi *leonem* ſonet, tamen *Pſal.* 91, 13. pro *aſpide*, aut alio *ſerpente*, ſumunt vetuſtiſſimi interpretes. Ubi *Hebræa* verba על שחל ופתן תדרך, *Seniores* exponunt, Ἐπ' ἀσπίδα καὶ βασιλίσκον ἐπιβήσῃ. Et *Vulgatus*, *Super aſpidem & baſiliſcum*

ſcum ambulabis. Et *Hieronymus*, *Super aſpidem & baſiliſcum calcabis.* Et *Apollinaris*,

Ἀσπίδα θαῤῥαλέως ἐπιβήσῃ, καὶ βασιλίσκον.

Et *Syrus*, ܥܠ ܐܦܥܐ ܘܥܠ ܚܪܡܢܐ ܬܕܪܘܟ Et *Arabs*, تطا علي الافعي والحية الجرو

Et *Æthiops*, ላዕለ፡ ተመን፡ ወበድብ፡ ትጼዐን፡

Omnes eodem ſenſu. Neque enim eorum ullus *leonem* hic intelligit voce שחל, ſed *ſerpentis* aliquod genus. Quamvis de ſpecie inter illos non conveniat Nam *Arabi* שחל eſt الافعي *vipera*, Syro ܐܦܥܐ *amphisbæna*, Æthiopi ተመን፡ ſerpentis genus à lupino ingenio ſic appellati. Et toto illo verſu על שחל ופתן תדרך תרמס כפיר ותנין, *Davidem* veriſſimile eſt ſolum egiſſe de ſerpentibus, adeoque vocibus כפיר, & שחל, tam *angues* intelligi, quam vocibus פתן, & תנין; quarum illa *aſpidem*, hæc *draconem* ſignificat. Sic enim omnia melius cohærebunt; quam ſi leones cum ſerpentibus permiſceas: ut novi interpretes, qui ferè hic habent; *Super leonem & baſiliſcum ambulabis, conculcabis leunculum & draconem.* In quibus verbis præter quàm feræ junguntur plane diverſæ naturæ, nemo facile dixerit, quid ſit *ambulare ſuper leonem*, aut *calcare leunculum.* Neque enim quiſquam eſt, qui leonem ambulando calcet, quomodo ſolemus aſpides, & anguium reliqua genera.

Jam, ſi quæras; quod anguis genus ſignificetur nomine שחל *ſachal*, reſpondebo, ut in leonibus שחל

b Lib. 3. cap. 1 *ſachal*, dicitur, qui *niger* eſt, ut ſuo loco (*b*) docuimus, ita etiam *nigrum ſerpentem* eadem voce deſignari. Cujuſmodi *Nicander* in *Theriacis* multos deſcribit: ut cum ſcribit de aſpide verſu 172.

Χροιὴ δ' ἄλλοτε μὲν ψαφαροῖς ἐπιδέδρομε νώτοις
Ἄλλοτε μηλινόεσσα, καὶ αἰόλος, ἄλλοτε τεφρή,
Πολλάκι δ' αἰθαλόεσσα, μελαινομένη ὑπὸ βώλῳ
Αἰθιόπων, οἵην τε πολύστομος εἰς ἅλα Νεῖλος
Πλησάμενος κατέχευεν ἄσιν, προὔτυψε δὲ πόντῳ.

Color autem in ſcabro dorſo quandoque melinus occurrit, & varius, quandoq; cinereus, ſæpe etiam fuliginoſus, atratus ſub gleba Æthiopum, quale lutum plenus Nilus *multis oſtiis in mare fundit, & in pontum influit.* Et de hæmorrhoo verſu 288.

Ἄλλοτε μὲν χροιῇ φολόεις, ὁτὲ δ' ἔμπαλιν αἰθός,

Quandoq; colore eſt ardens, quandoq; fuliginoſus. Et de dipſade verſu 337.

Αἰὲν ὑποζοφόεντα μελαίνεται ἄκροθεν οὐρή,

Semper ſubobſcura nigricat extrema cauda. Et de dryino verſu 420.

Αἰθαλόεις μὲν νῶτα, - - - - -

Dorſo quidem fuliginoſus. Et de dracone verſu 438.

Φράζεο καὶ χλοάοντα δαεὶς κύανόν τε δράκοντα,

Eloquere etiam peritus tam viridem quam nigrum draconem. Sed & hydri vel chelydri nigri ſunt. *Orpheus* de lapidibus, in Oſtrite lapide,

Ῥεῖά γε μὴν ἀέκοντα μέλας ἠρύκακεν ὕδρος,

Ipſum verò invitum retinuit niger hydrus. Virgilius *Georgicorum* lib. 2.

Et tophus ſcaber, & nigris exeſa chelydris
Creta. - - - - - - -

Ælianus quoque nigras habet aſpides, & nigros hæmorrhoos, *Hiſtoria* lib. 6. cap. 38. & lib. 15. cap. 13. *Aetius* ammodytem deſcribit maculis nigris inſignem, aſpidem chelidoniam hirundinum modo in dorſo nigram, & in alvo candidam, dipſadem atrâ caudâ, draconum alios nigros, alios rufos, alios cinereos. *Pauſanias* in *Bœoticis*, Ἐν Αἰθιοπίᾳ, inquit, μέλανας τὰς ἀσπίδας οὐ μεῖον ἢ καὶ τοὺς ἀνθρώπους ἡ γῆ τρέφει· *In Æthiopia nigras aſpides non minus quàm homines alit terra.* In *Avicenna* hirundo ſerpens, id eſt, aſpis chelidonias, لونها يشبه لون الخطاف *colore eſt hirundini ſimilis*, hoc eſt, nigro dorſo. Et baſiliſci color declinat الي سواد وصفرة *ad nigredinem & flavedinem.* Hæmorrhous quoque & ceraſtes (barbaris *auſudius*, & *ſabrin*) habent نقط سود وبيض *puncta nigra & alba* corpori ſuo inſperſa; & capita, & caudas quandoque سودا وحمرا وبيضا *nigras, & rubras, & albas.* Sunt & ſuper corpus dipſadis اثار سود كثيرة *nigredinis veſtigia plurima*: ولون موخرها الي الاذناب الي السواد *& color poſtremæ partis verſus caudam ad nigredinem declinat.* Et de draconibus idem, ولها وجوه صفرا وسودا *Facies habent flavas & nigras.* Neq; aliter recentiores. *Bellonius* enim teſtis αὐτόπτης *Singularium* lib. 1. cap. 31. & lib. 2. capite 14. jaculum deſcribit maculis nigris, oculorum inſtar, interſperſum. Et *Geſnerus* typhlopem fuſcum per totum corpus, aut obſcurè maculoſum. Et *Olaus Magnus*, in deſcriptione terrarum *Septentrionalium*, ait, *nigri coloris ſerpentes partim aquas partim terras inhabitare. Et ſerpentes in rupibus morantes plerumque nigros eſſe, quos vulgari gentis idiomate* Snok *appellant.* Colubros intelligo, qui *Anglice* Snake dicuntur. Meritò igitur *Poeta* ſummus lib. 1. *Georgicorum*,

Ille malum virus ſerpentibus addidit atris:

id eſt, quorum multi ſunt atri coloris. Tamen ſerpentum unus eſt præ cæteris niger, quique ob id ipſum *Arabicè* اسود *aſuad*, id eſt, *niger*, vocatur. *Alcamus*, الاسود الحية العظيمة *Alaſuad* (niger) *ſerpens magnus.* Quidam سالخ *ſalich* addunt ἐξιτικῶς, quaſi *exeuntem* dicas, quod *Damir* ita explicat: الاسود السالخ نوع من الحيات شديد السواد سمي بذلك لانه يسلخ جلده كل عام Alaſuad aſſalich, *ſerpentis genus nigredinis intenſiſſimæ, qui ſic vocatur, quia quotannis pellem exuit.* Aliud exemplar habet نوع من الافعوان *viperæ genus.* Nigras aſpides intelligo, quas ſub viperarum genere multi complectuntur *Arabes.* Ex nimirum aſpides nigerrimæ ſunt, quod præter *Nicandrum* docent *Pauſanias*, *Ælianus*, *Aetius*, atque *Arabum* nonnulli. Quo dato, veteres שחל *ſachal*, rectè *aſpidem* interpretantur. De nigro ſerpente multa fabulatur *Damir*, quæ piget hic referre. In his *Jeſum Mariæ* filium lignatori prædixiſſe, fore, ut illa ipſa die in ſummum vitæ diſcrimen incideret: qui, cùm lignatum iviſſet, & rediiſſet ſub veſperam cum faſce ligni, cumque juſſu *Chriſti* ſolviſſet, reperit in illo حية سودا *ſerpentem nigrum.* Tum, *Jeſu* rogante quid feciſſet, & illo negante ſe quidquam feciſſe, niſi quod tranſeunti mendico ſui panis partem dederat, regeſſit *Jeſus*, بهذا دفع عنك *Propterea Deus à te malum avertit.*

Alii

Alii de *Saleh* Propheta idem narrant, & dicunt ſerpentem اسود سالح *aſuad ſalich* craſſum fuiſſe مثل الجذع *inſtar trunci palmæ.*

CAPUT QVARTUM.

Probatur עכשוב *achſub*, eſſe *Aſpidem.*

Pſal. 140. v. 4. עכשוב achſub, *à* Chaldæo *redditur aranea: à pleriꝗ; aſpis, quibus ſuffragatur* Paulus Rom. 3. v. 13. *Aliud recentiorum* עכס eches, *nempe* ἔχις vipera. *Sed* Arabicè عكس achaſa *eſt* retorquere, reflectere, *item* in ſpiram ſe colligere. *Unde* עכשוב *literâ* Beth *in fine adſcitâ, ut ſæpe alibi. Quod etymum naturæ aſpidis convenit, quæ & in contrarium ſerpit, & in ſpiram ſe colligens pugnat, capite ex medio orbe ſublato. Unde* ἀσπὶς *pro* Argolico clypeo. Οἶμος aſpidis circulus.

QVæritur, quid ſit עכשוב *achſub*, in his *Pſal.* 140. *v.* 4. חמת עכשוב תחת שפתימו. *Venenum* achſub *ſub labiis eorum. Chaldæus* exponit, אירסא דעכובישא, *venenum araneæ*, quaſi עכשוב καὶ ἀναγραμματισμὸν ſit idem, quod עכביש. *Arabs* سم الافاعي *venenum viperarum.* Alii *venenum aſpidis:* quibus aſſentior potius; quia, præter *Græcos* interpretes, & *Latinum*, & *Syrum*, & *Apollinarem*, & *Hieronymum*, & ex *Hebræis Kimchium*, *Mardochæum*, & *Pomarium*, inſuper *Paulum Apoſtolum* ſuffragatorem habent, qui *Pſaltis* verba ſic effert *Roman.* 3. v. 13. Ἰὸς ἀσπίδων ὑπὸ τὰ χείλη αὐτῶν. Videri poſſit עכשוב *achſub*, alludere ad vocem עכס, *eches*, quam alii *ſerpentis venenum*, alii *viperæ* ſpeciem explicant. Prius his verbis aſſerit *Rabbi Selomo* in *Eſa.* 3. *v.* 16. עכס הוא ארס של נחש, Eches *eſt venenum ſerpentis.* Poſterius auctor *Mechilta*, ex quo *Aquinas*, עכס הוא מין אפעה שכשרואה העוף פורח באויר יתחבר אל צלו ואיבריו נשרין והו צלמות צל ועמו מות, Eches *eſt viperæ ſpecies, quæ, cum avem volantem videt, conſociatur umbræ ejus, & pennæ ejus defluunt, & hæc eſt umbra mortis, ſeu umbra mortifera.* Sed uterque fallitur. Nam עכס *eches*, nihil quidquam eſt, quam *Græcum*, ἔχις, id eſt, *vipera mas.* Neque illam vocem *Græci* ex *Hebræis*, ſed *Hebræi* recentiores ex *Græcis* mutuati ſunt. Itaque nugatur, quiſquis עכשוב *achſub*, vocem verè *Hebræam*, conatur ad hanc revocare.

Sed verum ejus etymum mihi videor ex *Arabica* lingua deprehendere, qua عكس *achaſa* eſt *retorquere*, & *reflectere rem ad principium ſuum*, ſive id fiat recta linea, ut in repercuſſu Solis, qui dicitur انعكاس in (a) *Avicenna*, ſive per circulos, & gyros, ut cum, capite ad caudam obverſo, ſerpens in ſpiram ſe colligit. Hinc *Altamus*, نعكس في مشيته مشي مشيا الافعي *Inceſſit inceſſu viperæ*, id eſt, in gyrum ſe convertendo. Fortè *Hebræis* idem fuit עכש, unde עכשוב, literâ *Beth* in fine adſcitâ. Quomodo ex כרך, *ambire* factum כרכוב, *ambitus* Exod. 27. v. 5. Et à *Chaldæo* תעל, *Arabicum* ثعلب *vulpes.* Et ערבוב, *miſtio*, à Verbo ערב, *miſcere.* Et זרבוב, *fuſorium*, à Verbo זרב, *fluere.* Et ſi

a) Avic. l. 2. 2. l. 3. Arab. pag. 40.

quæ alia ſunt hujuſmodi. Aſpidis certè naturæ planè convenit hoc nomen; cum, *Nicandro* (b) teſte, ſoleat καὶ ἐναντίον ἕρπειν, *in contrarium ſerpere*, id eſt, بالعكس (c) Ut taceam, quod idem *Nicander* pugnantem ita deſcribit verſu 166,

Ὁλκῷ δὴ προχέουσαν ἅλων εἰλίξατο γυῖα,
Σμερδαλέον δ' ἀνὰ μέσσα κάρη πιφαυσκὸς ἀείρει.
Deſcribit teretis ſinuoſa volumina tractu,
Horrendumꝗ; caput medio ſic tollit ab orbe.

Ita etiam *Etymologus*, Συστρέψας ἑαυτὸ πολεμεῖ, καὶ μάχεται· *Contorquens ſe ipſum bellum gerit, & pugnat.* Συστρέφειν ἑαυτὸ *Arabicè* eſt تعكس. Sic *Oppian. Cynegeticῶν* lib. 3. verſu 446. ichneumon aſpidem dilacerat

- - - - - - ἑλισσομένην ἑκάτερθε,

hinc inde convolutam. Et in *Phylarcho*, quem citat *Ælianus* lib. 17. cap. 5. manſuetæ aſpides τὴν μὲν λοιπὴν σπεῖραν ἐῶσι κατὰ τῆς δαπέδου, ἀράσαι δὲ τὴν κεφαλὴν περιλιχμῶνται, *reliquam quidem ſpiram humi relinquunt, capite autem ſublato circumlingunt.* Idem animal εἰς κύκλους πολλοὺς ἑλισσόμενον καθεύδειν, *in plures circulos convolutum dormire* aſſerit *Ariſtophanis Scholiaſtes* in *Veſpis.* Hi circuli *Græcè* dicuntur Οἶμοι. *Heſychius*, Οἶμος, οἶμος, ὁδὸς, κύκλος, τρόπος. ὅθεν καὶ τῆς ἀσπίδος κύκλους οἴμους ἐκάλεσαν. *Arabicè* انعكاس rectè dixeris. Proinde *Hebræum* aſpidis nomen עכשוב, videtur inde deduci, quâ ratione diximus. Neque alia eſt ratio *Græci* nominis. Ἀσπὶς enim tam pro *clypeo* quàm pro *ſerpente* ſumitur. Rotundos autem fuiſſe *Græcorum* clypeos vel ex *Poeta* diſce, à quo *Polyphemi* oculus orbicularis deſcribitur (d)

Argolici *clypei aut* Phœbeæ *lampadis inſtar.*

Hinc in *Homero* paſſim (e) ἀσπίδες εὔκυκλοι, & ἀσπίδες ἀμφιβρόται, ubi *Scholion*, στρογγύλαι, σφαιροειδεῖς. Et *Diodoro* (f) ἡ τῆς ἀσπίδος κύκλον μιμουμένη, *clypei circulum imitatus.* An *clypei* nomen ἀσπὶς à ſerpente ſit ductum, ut placet *Scholiaſti Ariſtophanis*; aut ſerpentis à clypei forma, quam ſpiris ſuis videtur exprimere, ut vult *Etymologus*: nobis diſquirere non libet; quia ad rem noſtram non facit.

b) Theriac. verſu 159.

c) Avic. 2. 1. in fine, Arab. pag. 112.

d) Æn. lib. 3. Vide Turnebi Advers. lib. 1. cap. 27

e) Hom. Iliad. γ. & ξ. &c.

f) Lib. 20. pag. 738.

CAPUT QVINTUM.

Probatur פתן *pethen*, eſſe *Aſpidem.*

Scripturæ loca de veneno פתן pethen. *Id crudele eſſe, & inſanabile. Ita venenum aſpidis omnium acutiſſimum. Immedicabile, & cito perimit, niſi morſa pars ſtatim amputetur. Has calcare quam periculoſum. Quod prædictum* Eſa. 11. v. 8. *fore, ut* ludat infans ſuper foramen aſpidis, *etiam ad literam impletum. Aſpides in* Ægypto *ſerpentum longè maximæ, &* πεντάπηχεις, *quæ draconum eſt magnitudo. Inde* פתן pethen, *non ſolum* aſpidem, *ſed &* draconem *ſonat, quomodo ſumunt* Græci *&* Syri *interpretes. Itaq;* פתן pethen, *&* תנין thannin, *id eſt*, draco, *ſunt ſynonyma*, Pſal. 91. v. 13. *&* Deuter. 32. v. 33. *ubi* Jonathan *habet* פיתוניא pithunja, *id eſt*, Pythones. *Fabula de* Pythone *ab* Apolline *cæſo quomodo intelligenda.* פיתום pithom, *Hebræis* ariolorum *genus. Idem* Ζαχχύρας Babyloniis *apud* Jamblichum. *Arabibus* سحار ſacchar *eſt* magus: *& Chaldæis* זכורו zechuru; *unde* ſacchuras. Z *&* S *permutari.*

ALiud eſt *aſpidis* nomen פתן *pethen.* Ita enim hanc vocem plerique reddunt. Et veram eſſe hanc verſionem ſuadent aliquot loca de veneno פתן *pethen.*

pethen. Sic *Job.* 20. *v.* 14. מרורת פתנים בקרבו. Ubi *Seniores*, Χολὴ ἀσπίδος ἐν γαστρὶ αὐτοῦ· & *Vulgatus*, *Fel aſpidum intrinſecus.* Et paulo poſt verſu decimo ſexto, ראש פתנים יינק. Ubi *Seniores*, Θυμὸν δὲ δρακόντων θηλάσειεν. Sed *Græci* interpretes alii, Χολὴν ἀσπίδων μυζήσει· & *Hieronymus*, *Caput aſpidum ſuget.* Rurſus *Deut.* 32. *v.* 33. וראש פתנים אכזר, *Et venenum* pethanim *crudele.* Pro quo *Græcè*, Καὶ θυμὸς ἀσπίδων ἀνίατος· unde *Vulgatus*, *Et venenum aſpidum inſanabile.* Ac ſi pro אכזר, legerint אין זר, *non eſt curatio* Nam זר, eſt *curare vulnus*, Eſa. 1. v. 6. Et מזור, *vulneris curatio*, Jer. 30. v. 13. Nempe venenum aſpidis eſt omnium acutiſſimum, & vitalia celerrimè penetrat. *Æliani* verba ſunt lib. 9. cap. 61. Ὀξύτατόν ἐστι τὸ ἐξ αὐτῆς φάρμακον, καὶ διαδραμεῖν ὤκιστον. Unde vulgatum Adagium in *Apoſtolio*, & *Eraſmo*, Δῆγμα ἀσπίδος, *Morſus aſpidis*, pro immedicabili vulnere; quia qui ab aſpide demorſus eſt, raro ſanatur. Quod teſtatum faciunt ſcriptores non contemnendi. *Ariſtoteles* lib. 8. *Hiſtoriæ* cap. 29. Τά τε τῶν ὄφεων δήγματα πολὺ διαφέρουσιν. ἥτε γὰρ ἀσπὶς ἐν Λιβύῃ γίνεται, ἐξ ἧς ὄφεως ποιοῦσι τὸ σηπτικὸν καὶ ἄλλως ἀνίατος. *Serpentum morſus multum differunt. Aſpis enim in* Africa *naſcitur, ex qua faciunt unguentum putrefactivum: & alioqui immedicabiliter* ſupple *mordet. Plinius* lib. 8. cap. 23. *Colla aſpidum intumeſcere* (vulgatum eſt) *nullo ictus remedio, præterquam ſi confeſtim partes contactæ amputentur. Ælianus* lib. 1. cap. 54. Ἀσπίδος ἢ ἀκούω μόνον δῆγμα ἀνίατον εἶναι, καὶ ἐπικουρίας κρεῖττον· *Aſpidis ſolum morſum immedicabilem eſſe audio, & omni remedio potentiorem.* Et lib. 6. cap. 38. Τῶν ὑπ' ἀσπίδος δηχθέντων οὐ μνημονεύονται οὐδεὶς ἐξάντης γεγονέναι τοῦ κακοῦ. Ἔνθεν τοι καὶ τοὺς βασιλεῖς ἀκούω τῶν Αἰγυπτίων ἐπὶ τῶν διαδημάτων φορεῖν πεποικιλμένας ἀσπίδας, τῆς ἀρχῆς αἰνιττομένους τὸ ἀνίκητον. *Eorum, qui ab aſpide morſi ſunt, nemo à malo* (id eſt, à morte) *traditur fuiſſe immunis. Unde eſt, quod* Ægyptiorum *Reges in diadematibus pictas aſpides ferre audio, ut invictum imperii robur ſic ſignificent.* Et infra, Οἱ δηχθέντες ὑπ' ἀσπίδων οὐ περαιτέρω βιοῦσι τετάρτης ὥρας· *Qui ab aſpidibus morſi ſunt, ultra quartam horam non vivunt. Phile* cap. 59.

Τῆς ἀσπίδος τὸ δῆγμα δῆγμ' ἐστι θανάτου.
Μή, μή, Γαληνέ, μηδὲ φάρμακον χέῃς.
Repentè mortem morſus infert aſpidis.
Ne, ne, Galene, *pharmacum ne infuderis.*

Quem fruſtra ſibi objicit, cum id abunde confirmetur ipſius *Galeni* ſuffragio lib. 1. *De Theriaca* capite 8. ubi de aſpidibus hæc habet; Πολλάκις ἐθεασάμην ἐγὼ ἐν τῇ μεγάλῃ Ἀλεξανδρείᾳ τὸ τάχος τοῦ ὑπ' αὐτοῦ γιγνομένου θανάτου. ὅταν γάρ τινα, τούτῳ τῷ νόμῳ τῆς κολάσεως κατακριθέντα, φιλανθρώπως καὶ ταχέως ἀποκτεῖναι θέλωσι, προσβάλλοντες αὐτοῦ τοῖς στέρνοις τὸ θηρίον, καὶ ποιήσαντες ὀλίγον περιπατῆσαι, οὕτω ταχέως ἀναιροῦσι τὸν ἄνθρωπον. *In magna* Alexandriæ *urbe ſæpe vidi quam cito mortem inferant. Quoties enim aliquem, hujus ſupplicii lege damnatum, humaniter citoque interimere volunt, admotam pectori beſtiam aliquantulum inambulare jubent, & hominem hac ratione ſtatim enecant.* Proinde aſpides calcare maximè periculoſum eſt. Et *Pſaltes*, ut virum bonum etiam inter hoſtes infenſiſſimos à Deo ſervari ſignificet, illum aſpides & dracones ait impunè calcaturum, *Pſal.* 91. v. 13. Quale eſt, quod, apud veteres *Onirocriticos* in *Suida*,

Ὄφεις πατεῖν, τὰ κέντρα τῶν ἐχθρῶν λύει·
Qui calcat angues, vitat inſultum hoſtium.

Neque ullus eſt, qui ad aſpidis aut baſiliſci foramen ultro accedat. Aut, ſi quiſquam ita inſaniat, is magnum adit vitæ diſcrimen. Hinc, ut doceat *Eſaias* magnam fore ſub *Chriſti* regno rerum converſionem, *Tum*, inquit, *ludet infans* על חור פתן, *ſuper foramen aſpidis: & ſuper cavernam baſiliſci puer, à lacte depulſus, manum injiciet*, Eſa. 11. v. 8. Id eſt, *Gentes* cum *Judæis* in unam Eccleſiam convenient: & tutus patebit acceſſus ad eos, qui fidelibus olim erant tam terribiles, quam ſunt pueris anguium maximè venenati, & peſtiferi; aſpides putà, & baſiliſci. Quamvis etiam ad literam hoc aliquando fuiſſe impletum his verbis narret *Sulpicius Dialogi* primi cap. 5. *Panem* Abbas *per duos pueros miſerat, quorum major habebat annos ætatis quindecim, minor duodennis erat. His ergo, inde redeuntibus, aſpis miræ magnitudinis fit obviam; cujus occurſu nihil perterriti, ubi ante pedes eorum venit, quaſi incantata carminibus, cærula colla depoſuit. Minor è pueris manu adprehenſam, ac pallio involutam, ferre cœpit. Deinde Monaſterium quaſi victor ingreſſus, in occurſum fratrum, inſpectantibus cunctis, captivam beſtiam, reſoluto pallio, non ſine jactantiæ tumore, depoſuit.* Sed & jam olim in *Ægypto* manſuefactas aſpides cum pueris innoxiè vixiſſe, & digitorum crepitu vocatas ex cavernis prorepſiſſe narrat *Phylarchus* in *Æliano* lib. 17. cap. 5. Verba ſunt, τοῖς παιδίοις (τὰς ἀσπίδας) συντρεφομένας μηδὲν ἀδικεῖν, καὶ καλουμένας δὲ ἐξέρπειν τῶν φωλεῶν, καὶ ἀφικνεῖσθαι· κλῆσις δὲ αὐτῶν ὁ τῶν δακτύλων ἐστὶ κρότος. Idem de *Pſyllis* refert *Lucanus* lib. 9. verſu 909.

\- - - - - - - - *pignora gentis*
Pſyllus *habet, ſi quis tactos non horruit angues,*
Si quis donatis luſit ſerpentibus infans.

Et *Ælianus Hiſtoriæ* lib. 1. cap. 57. eoſdem ait legitimos liberos ſuos in dolium ceraſtis plenum injectos ex eo agnoviſſe, quòd ad illorum contactum ceraſtæ *immaturè extabeſcerent.* Quin hodieque in *Africa* circa *Segelmeſſam* montes quindecim eſſe perhibentur, quorum incolæ cum ſerpentibus familiariter degunt, ita ut cum iis pueri ludant. Ita narrat *Vincentius le Blanc* partis 2. cap. 23.

In *Ægyptiis* ſerpentibus aſpides eſſe multo maximas ſcriptores docent. *Ammianus* lib. 22. *Serpentes quoq́;* Ægyptus *alit innumeras, ultra omnem perniciem ſævientes: baſiliſcos, & amphisbænas, & ſcytalas, & acontias, & dipſadas, & viperas, aliasq́; complures. quas omnes magnitudine & decore aſpis facilè ſupereminet, nunquam ſponte ſuâ fluenta egreditur* Nili. *Nicander* μήκος longitudinem iis tribuit ὀργυιῇ μετρητὸν *orgyâ* (ſeu *ulnâ*) *menſurabilem.* Quod ſequutus *Strabo* lib. 17. διττὴ δ' ἐστίν, inquit: ἡ μὲν σπιθαμιαία, ἥπερ καὶ ὀξυθανατωτέρα· ἡ δ' ἐγγὺς ὀργυιᾶς. *Duplex eſt aſpis: una quidem dodrantalis, quæ celerius necat; altera verò ferè orgyia.* Apud *Ælianum* libri 16. capite 39. *Ægyptii* dicunt ἀσπίδας τετραπήχεις γίνεσθαι πολλάκις, *aſpides ſæpe eſſe quatuor cubitorum.* Sed &, eodem teſte lib. 6. capite 38. γίνονται καὶ πεντάπηχεις, *ſunt etiam cubitorum quinque.* Aëtii *Tetrab.* 4. Serm. 1. cap. 21. tres aſpidum cenſentur ſpecies; terreſtres, chelidoniæ, & ptyades: quarum *terreſtres majores ſunt, & quandoque uſque ad quinque cubitorum longitudinem reperiuntur.* Quomodo in *Avicenna* de aſpide ſicca dicitur, هي في قدرها ما بين ثلثة اذرع الي خمسة اذرع *Eſt in quantitate ſuâ à tribus ad quinq́; cubitos.*

Quam molem ſerpentes cùm attigerunt, incipiunt dici *dracones.* Hinc *Aëtius*, in capite *De Draconibus*; *Alii cubitorum quinque ſunt, alii decem: ſunt & , qui ad triginta cubitos ſe extendant, & quidam etiam majores narrantur.* Et *Avicenna*, اصغر اصناف التنانين ـــــ على ما

ما ذكره بعضهم خمسة اذرع واما الكبار فتكون من ثلثين ذراعا الى ما فوق ذلك *Minima draconum ſpecies, ut quidam referunt, eſt quinq; cubitorum: maximi vero ſunt triginta cubitorum, & ſuprà.* Cum igitur creſcant aſpides usque ad draconum molem, non immeritò *Hebræum* nomen פתן *pethen, draconi* fuit cum *aſpide* commune. Proinde pro felle פתנים *pethanim*, *Syrus* habet ܕܬܢܝܢܐ ܡܪܪܬܐ & *Arabs* مرارة التنين *fel draconis*: & *Græci* θυμὸν δρακόντων. Illi *Job.* 20. *v.* 14. hi paulò poſt verſu 16. Addo פתן *pethen*, & תנין *thanin* (vulgare *draconis* nomen) ut ferè ſynonyma poni *Pſal.* 91. *v.* 13. & *Deut.* 32. *v.* 33. Quo loco pro Plurali פתנים *pethanim*, *Jonathan* habet פיתוניא *pithunja*, tanquam à Singulari פיתון *pithun*. Atque huc alludere videtur *Græcum* PYTHONIS nomen, quo cæſum in *Parnaſſo* draconem ab *Apolline Poetæ* vocant. Draconem tamen non fuiſſe, ſed hominem, ſcripſit *Ephorus*, ex quo refert *Strabo* lib. 9. *Apollinem* ſagittis confeciſſe χαλεπὸν ἄνδρα, Πύθωνα τοὔνομα, ἐπίκλησιν δὲ Δράκοντα, *virum atrocem*, Pythonem *nomine*, Draconem *cognomento*, poſtquam ſcilicet cædibus & latrociniis diu fuiſſet *Parnaſſiis* infeſtus. Idem pro *Pythone Delphynes* nominatur à (a) *Suida* poſt (b) *Apollonium*. In his tenebris ſi quid video, fuit is prædo inſignis in *Phocide*, cujus verum nomen erat *Delphynes*. *Python* cognomen inditum à *Phœnicibus*, in vicina *Bœotia* tum degentibus, ob tumultus concitatos, & latrocinia commiſſa. Nimirum apud *Arabes* (quibus *Phe* eſt loco *Pe*, quia litera *Pe* carent) فتن *phathana* eſt *concitare tumultus*: فتنة *phithna, ſeditio, cædes*: فتان phatthan, *ſeditioſus, latro, graſſator*. Sed idem ex graſſatore draco factus eſt à Fabularum architectis; quia *Syris* ܦܬܢ *pethen*, vel ܦܝܬܘܢ *pithun*, *draconem* ſignificat. Itaque etiam *Python* dictus eſt. Ab hoc *Pythone Pythii* ludi; & *Delphorum* urbs Πυθώ, vel Πυθών· atque ipſe *Apollo* Πύθων vocatus. *Macrobius* lib. 1. cap. 20. *Hoc nomen* (Πύθων) *ex nece draconis inditum Deo* Græci *fabulantur*. Itaque *Actor.* 16. *v.* 16. πνεῦμα Πύθωνος eſt *ſpiritus Apollinis*, quo Dæmone mulier illa ἐγγαστρίμυθος plena eſſe credebatur. Unde ipſos etiam *ventriloquos* Εὐρυκλέας πάλαι, νυνὶ Πύθωνας appellant, ait *Plutarchus* in libro *De defectu Oraculorum*. Eo ſenſu, pro *Pythone*, *Hebræi* פיתום *Pithom*, ſcribunt, voce leviter deflexâ. Atque ariolorum id genus non ex ventre, ſed ex axillis, vocem emiſiſſe ſomniant. *Talmudici* in *Sanhedrin* cap. 7. fol. 65. a. בעל אוב זה פיתום המדבר משחיו, Baal Ob *idem eſt, qui* Pithom, *ſeu qui loquitur ex axillis ſuis*. Et ibi *Gloſſa*, מעלה את המת מן הארץ ומושיב לו בשחיו תחת זרועותיו ומדבר, *Mortuum ex terra educit, quem ſub axillis, & brachiis ſuis, conſtituit, ut loquatur.* Proinde *Rabbi Selomo* in *Deut.* 18. *v.* 11. explicans quid ſit שואל אוב, *conſulens Ob* (ſeu *Pythonem*) זה מכשפות ששמו פיתום ומדבר משחיו ומעלה את המת בבית השחי שלו, *Hæc eſt divinatio, quæ vocatur* pithom, *quâ loquitur quis ex axillis, mortuum ad axillarum locum evocans.* De hoc ritu, qui plura volet, *Maimonidem* conſulat in Tractatu *De Idololatria*, ſtatim initio cap. 6. Auctor *Aruch* פיתום *Pithom*, dici vult quaſi פי תהום *pi-thehom*, *os abyſſi*. Quin פיתום *pithom*, & Πύθων idem ſunt: & utrumque factum ex פתן *pethen*, vel פיתון *pethun*, ut diximus.

a) Suid. in Πυθώ.
b) Apollon. Argon. lib. 2. verſu 708.

Obiter nota *ventriloquum*, ut *Græcis* Πύθωνα, & Εὐρυκλέα, ita *Babyloniis* Σακχούραν fuiſſe dictum. Sic teſtatur *Photius* Auctore 94. ex *Jamblicho De amoribus* Rhodanis & Sinonidis, Καὶ ἐγγαστρίμυθον, ὃν καί φησιν, ὥσπερ Ἕλληνες μὲν Εὐρυκλέα λέγουσι, Βαβυλώνιοι δὲ Σακχούραν ἀποκαλοῦσι· *Sacchuras* fortaſſe eſt *Arabum* ساحر *ſachir*, vel سحار *ſacchar*, quomodo *magum* illi vocant. Pro *mago* ساحر *ſachir* occurrit *Actor.* 8. *v.* 9. & 13. *v.* 8. & *Deut.* 18. *v.* 10. & Plurale سحرة *ſachara* Act. 19. v. 19. Et à Singulari سحار *ſacchar* Plurale سحارون *ſaccharuna* Gen. 41. v. 8. 24. Et Fœmininum سحارة *ſacchara* pro *venefica* Exod. 22. v. 18. Et سحر *ſichr* pro *magia* & *veneficio*, Act. 8. v. 9. & Galat. 5. v. 20. in *Pentateucho* & Novo Teſtamento *Erpenianæ* editionis. Et Verbum سحر *ſachara*, vel in ſecunda Conjugatione *ſacchara*, *incantare* in *Nubienſi Geographo* Clim. 1. part. 7. يسحرون الحيوان الضار *Incantant noxia animalia.* Vel, quod mihi ſit veroſimilius, *ſacchuras* eſt זכורו *zacchuru*, vel *zechuru*, quomodo à *Chaldæis*, & *Syris*, *ariolum* appellari notius eſt, quàm ut probatione egeat. Exempla vide in *Chaldæis* & *Syris* Paraphraſibus *Levit.* 19. v. 31. *Deut.* 18. *v.* 11. & 1. *Sam.* 28. *v.* 3. &c. Et in *Sanhedrin* fol. 65. 2. & 105. 1. & in *Vajekra Rabba* Sect. 26. &c. Sic ex *zacchuru* fieret *ſacchuras*, Z & S permutatis, ut in *Sagunto* pro Ζάκυνθος (ita enim vocat *Stephanus*:) & in *ſmaragdo* pro زمرجد *zmargiad*.

CAPUT SEXTUM.

De Aſpide ſurda, quæ *aurem obturare* legitur *ne audiat vocem incantantium*, Pſal. 58. v. 5. 6.

Aſpis non dicitur ſurda, *quod naturâ ſit talis, ut vult* Buſtamantinus; *neq; quòd verè aures obturet, ut veteribus placuit. Serpens incantationi cur maximè obnoxius. Hoc faſcini genere infames* Marſi, Pſylli, Ægyptii, Melindenſes, Nigritæ, Peruani, Indi. *Incantationis genus antiquiſſimum. Eo* Orpheum *uſum probant tam ex veteri Fabula de* Eurydice, *quam ex ipſius verbis, ad quæ alluſit* Paulus *Epheſ.* 6. *v.* 16. Medeam *quoq; &* Jaſonem, *eandem artem calluiſſe narrant. Alia ex* Ariſtotele, Nearcho, Theophraſto, Antigono. *Hujus faſcini multa genera. Alii enim manu & tactu faſcinant. Ab aliis orbis deſcriptus, medicamina adhibita, & barbara verba, loca ſulphure & igne luſtrata, laminæ, lapides, ligna peregrina, figuræ* Talismanicæ. Emeſa *urbs* τετελεσμένη, *ne ſerpentes & ſcorpii in eam ingrediantur. Voce* DUO *ſcorpiones; & voce* OS, *vel* OSO, *ſerpentes cohiberi. An quia ſerpentum ſibilum imitatur? Hujus faſcini præcipua vis in cantu, & carminibus, de quibus* Pſaltes. *His* 1. *Serpentes è cavernis elici, atq; evocari; unde* חובר *Pſalti* conſociator, *qui evocatos ſerpentes in unum locum congregat, & conſociat*: 2. *fugari*: 3. *ſopiri, deliniri, ſtupefieri*: 4. *à veneno expurgari, ne morſu noceant, quod in* Andinorum *montibus à vetula factum dictitant*: 5. *eos ſanari, quos morſu aut tactu læſit ſerpens*: 6. *ſerpentes rumpi,*

ità ut medii crepent. Quoſdam ſerpentes incantari non poſſe, hic, & Jerem. 8, 17. & Eccleſ. 10, 11. *Nempe incantatori ſerpens reſiſtit, vel cum recanit, vel cum ad cantum obſurdeſcit. Prior* Arabibus سل ſil, *ideſt,* ſtridulus: *poſterior* اصم ſurdus *dicitur, ideſt, qui cantu non magis afficitur, quam ſi ſurdus eſſet.* Obturare aurem *Hebræa Phraſi, ideſt,* verbis alicujus non affici: *ità etiam* Virgilio. *Mago creari periculum, cum cantationi obſiſtit ſerpens. In aſpidem nihil poſſe incantationem docet* Ælianus. *Et* Arabes *nullâ arte poſſe curari morſum ſerpentum ſurdorum, & ſtridulorum, in quo cenſu numerant baſiliſcos, aſpides, ceraſtas, hydros, & cherſydros. Quorſum hi* ſurdi *dicantur.* Obj. *Nullam eſſe cauſam, cur in hos quoque Magi non idem poſſint, quod in reliquos ſerpentes. Et alios ſcriptores aſpides quoque, & ceraſtas, & hydros, & cherſydros* Pſyllis *ſubjicere.* Reſp. *Deum nolle, ut Diabolo omnia in mundo liceant*, &c. *&* Pſyllos, Marſoſque, *& prope* Helleſponti Parium Ophiogenes *non vi Magicâ, ſed naturali à ſerpentibus fuiſſe immunes, aut audaciâ quadam ipſo uſu confirmata. Denique in Scriptura non doceri, ullam eſſe ſerpentum ſpeciem, in quam incantatio nihil unquam poſſit.*

SUpereſt, ut de aſpidum, adeòque ſerpentum omnium, incantatione dicamus in verba *Pſaltis* πολυθρύλλητα *Pſ. 58, 5. 6. Venenum eſt ipſis ſimile veneno ſerpentis: ſicut aſpidis ſurdæ, obturantis aurem ſuam, ne muſſitantium vocem audiat, & divini incantationum periti.* In quibus primò quæritur, quorſum aſpis *ſurda* dicatur. Reſpondet *Buſtamantinus* libri tertii *De Scriptura animantibus* capite undecimo. *ſurdam* ideò appellari, quod ut acutiſſimi viſus, ità ſit auditus hebetiſſimi. Sed conſulti Naturæ planè contra ſtatuunt, aſpidem auditu multò plus valere, quàm viſu. *Nicander* in *Theriacis* verſu 162.

- - - - - - - - ὑπαλλοκ ἦ
Αἰὲν ἐπιμύζουσα φαείνεται ἐνδυκὲς ὄσσοις.
Ἀλλ' ὅταν ἢ δοῦπον νέον οὔασιν, ἠέ τιν' αὐδὴν
Ἀθρήσῃ, νωθρὸν μὲν ἀπὸ ῥεθέως βάλεν ὕπνον.
- - - - - - - *ſomnoque gravatis*
Torpida continuè nictare videtur ocellis.
Aſt ubi vel murmur, facili vel percipit aure
Vocem aliquam, ſegnes rejicit de corpore ſomnos.

Plinius libri octavi capite vigeſimo tertio, *Jam primùm hebetes oculos huic malo dedit* (rerum Natura) *eoſque non in fronte ex adverſo cernere, ſed in temporibus: itaque excitatur, ſed ſæpius auditu, quàm viſu.* Fruſtrà regerit *Buſtamantinus* hæc de aſpide cherſæa dici, non de ptya, & chelidonia. Nam de toto genere aſpidum *Nicander* & *Plinius* agunt. Neque vero quiſquam alius à ptyis & chelidoniis cherſæas aſpides ità diſtinxit, ut illas viſu, has auditu præpollere ſomniaret. Omnibus enim aſpidibus eadem eſt oculorum hebetudo, & aurium acrimonia. Mercurialis, *Omnibus aſpidibus hæc communia ſunt, viſus imbecillus, inceſſus tardus, auditus ſubtilis.*

Itaque alii *ſurdam* aſpidem dici volunt non naturâ, ſed conſilio; quia, ut addit *Pſaltes*, obturat aures, ne vocem incantatoris audiat. *Theodoretus*, Προσφυῶς αὐτὸν ἀσπίδι παρέβαλλεν, οὐ κωφευούσῃ κατὰ φύσιν, ἀλλὰ καμμυούσῃ τὰ ὦτα, καὶ τὴν ἐπῳδῆς ἀναιρουμένῃ τὴν προσβολήν. *Appoſitè illum aſpidi comparavit, non naturâ ſurdæ, ſed aures obſtruenti, ut incantationis vim prohibeat.* Quomodo etiam *Suidas* in Κωφῆς. Et *Auguſtinus*, " Sicut " aſpidis ſurdæ] *Unde ſurda? unde* " Et obturantis " aures ſuas?] *ideò ſurda, quia obturat aures ſuas.* Mediam viam inſiſtit *R. Selomo*, ſcribens, aſpidem in ſenectute unâ aure obſurdeſcere, alteram opplere pulvere, ne incantatoris vocem audiat, quod merum commentum eſt. Sed neq; id ſatis certum, quod, ut ex vulgi rumoribus acceptum, referunt *Auguſtinus*, *Caſſiodorus*, *Beda*, *Iſidorus*, alii, aſpidem, cum cœperit pati incantatorem, unam aurem ad terram applicare, alteram obturare cauda, ne via pateat incantationi.

Verùm, ut tota res clarior fiat, neceſſe habeo pauca præfari de ſerpentum incantatione, quos cenſet *Auguſtinus (a)* ideo moveri magis hominum carminibus, quam ullum aliud genus animantium, ut hoc eſſet argumento, primum hominem à Diabolo fuiſſe per ſerpentem in *Paradiſo* ſeductum. Itaque integras gentes videas hoc faſcini genere infames. In his *Marſi*, & *Pſylli*; quod omnes ſciunt. Sed & idem præſtare *Ægyptios* μαγείᾳ τινὶ ἐπιχωρίῳ, *magicâ quadam ratione illis gentis propria*, in *Æliano* legas *Hiſtoria* libri ſexti capite trigeſimo tertio. Et de *Melindenſibus* hoc ipſum tradit *Geographus Nubienſis* primi *Climatis* parte ſeptima, يزعمون انهم يسحرون الحيوان الضار حتي لا يضر الا لمن ارادوا ضره *Dicuntur noxia animalia ità incantare, ut nemini noceant, niſi cui ipſi voluerint.* Et de *Nigritis* Cadamuſtus, *Sunt etiam faſcinatores, id eſt, incantatores eximii. Faſcinant præſertim ſerpentes.* Et de *Peruanis* in *Orbe Novo* Spitillus *in* Collectaneis: *Puer feſti tempore coronatus, altera manu telo inſtructa, altera vipera viva dependente, poſitam in loco quodam ornatiſſimò ſedem occupat. Unde facilè colligitur Dæmonis eſſe artes, cum à vipera non mordeatur.* Et de *Indis* *Teixeira* libri primi *Hiſtoriæ Perſicæ* capite 29. *Los vemos comunmente en la* India *ado ſuelen los gentiles traher culebras encantadas, algunes muy grandes, y terribles, por las calles, y caſas, haziendo las baylar al ſon de una flauta, y las rebuelven al cuello, y hazen con ellas otros ſemejantes ademanes, tratando las con las manos ſin offenſa ſuya. Y aunque algunos los attribuen a no tener dientes, porque dizen ſe los ſacan ſiendo chiquitas. La experiencia mueſtra lo contrario, puez ſiendo algunas vezes enſannadas, o no tan ligadas con el encanto como convenia, ſe ha viſto, que hazian grande eſtrago en los aſpectantes.* Quæ *Latinè* ſic ſonant, *Illud in* India *ſæpe vidimus, ubi ſerpentes incantatos, eoſque aliquando valde magnos, & terribiles, per vias & domos deducere Gentiles ſolent, quos manibus illæſi tradunt, & ad fiſtulæ ſonum ſaltare jubent, & collum retorquere, atque alios hujuſmodi geſtus agere. Quæ ideò fieri quidam dictitant, quia ſunt edentuli, & dentes, quos parvos habent, iis facilè avelluntur. Sed experientia refelluntur, qui ſic ſentiunt: cum iidem hi ſerpentes irritati, nec incantatione ità vincti, quam par erat, nonnunquam viſi ſunt magnam ſpectatorum ſtragem edere.*

Neque hæc ſuperſtitio hodie & heri nata eſt. Ejus enim veſtigia in vetuſtiſſimis ſcriptoribus paſſim videas. Sic *Eurydicem*, à ſerpente ictam, ideo fingitur *Orpheus* ex Inferis revocâſſe; quia

- - ὑπὸ ὄφιος αὐτὴν τῷ ὄρει δεδηγμένην
Καὶ κινδυνεύουσαν θανεῖν, ταῖς ἐπῳδαῖς, αἷς ᾔδει,
Καὶ ἀγχινοίᾳ, μούσῃ τε, καὶ πολυμαθείᾳ
Αὐτὴν ἐζωοποίησεν - - - -

Ab angue ipſam re verâ morſam, & de vita periclitantem, incantationibus, quas noverat, & ſolertia, & muſa, & multa doctrina ad vitam revocavit. Ità *Tzetzes Chiliadis* ſecundæ *Hiſtoriâ* quinquageſima quarta. Neque *Orpheum* hanc artem latuiſſe idem probat ex ipſius *Orphei* verbis in opere *De lapidibus* (quod tamen opus *Timocli Syracuſano* cum *Suida* tribuere malim)

Ῥοῖζόν τε στῆσαι χαμαὶ ἐρχομένοιο δράκοντος,
Εἴσεται, ἠδ' ὀφίων ἰὸν σβέσαι ἑρπυστήρων·

Stridoremque ſiſtere humi venientis draconis ſciet, & ſerpentum repentium venenum (aut verò *jaculum*) *extinguere.* Hæc verba ideò profero libentiùs, quia ad ea

a) *Auguſt.* l. 11 *De Gen. ad lit.* cap 28. *Et lib. Quæſtionum* 65. *Quæſt.* 44.

Paulus palàm alludit *Epheſ.* 6, 16. Illa porrò reperias in Proëmio Operis Περὶ λίθων, ſed corrupta. Nam pro ῥοῖζόν τε ςῆσαι, metro & ſenſu repugnante, noſtræ editiones habent ῥοιζῶντας, καὶ, &c. Eodem pertinet, quod *Apollonii Argonauticῶν* libri quarti verſu 147, *Medea* legitur

Ἡδείῃ ἐνοπῇ θέλξαι τέρας,

ſuavi voce mulſiſſe monſtrum, id eſt, draconem, velleris aurei cuſtodem. Proinde ſequitur non multò pòſt,

- - - - αὐτὰρ ὅ γ' ἤδη
Οἴμῃ θελγόμενος δολιχὴν ἀνελύετ' ἄκανθαν,

Hujus igitur cantu delinitis longa ſpina reſoluta eſt. At *Ovidius* idem *Jaſoni* tribuens libro ſeptimo *Metamorphoſeως*,

Hunc poſtquam ſparſit Lethæi *gramine ſucci,*
Verbaque ter dixit placidos facientia ſomnos.

Ad id ipſum Magiæ genus alludunt hæc *Platonis* libro ſecundo *De Republica*, Θρασύμαχος φαίνεται ὑπό σου ὥσπερ ὄφις κηληθῆναι· Thraſymachus *videtur à te ut ſerpens delinitus.* Sed diſertiora qui volet, in fine *Mirabilium*, quæ *Ariſtoteli* tribuuntur, longam hiſtoriam legat de ſerpente *ſacro* dicto Magæ *Theſſalæ* carminibus exanimato. Quale eſt, quod ſerpentum morſibus *Indos* ἐπῳδοὺς *Alexandri* comes *Nearchus*, & tibicines *Theophraſtus* mederi traduut: ille apud *Strabonem* libro decimo quinto; hic *Gellii* libri quarti capite decimo tertio. Et quod ſub *Lagi* filio ſcripſit *Antigonus*, *Pſyllos*, ab aſpidibus ictos, nihil pati, *Mirabilium* capite decimo nono.

Hujus porrò faſcini multa genera. Aliis enim ſerpentes manu & tactu faſcinare moris erat. *Virgilius* libro ſeptimo *Æneidos*,

Spargere qui ſomnos cantuque manuque ſolebat.

Silius Italicus libri primi verſu 411,

Nec non ſerpentes diro exarmare veneno
Doctus Atyr, *tactuque graves ſopire chelydros.*

Et libri octavi verſu 500,

Æetæ prolem Anguitiam *mala gramina primùm*
Monſtraviſſe ferunt, tactuque domare venena.

Symmachus libri ſeptimi Epiſtolâ decimâ nonâ, *Quis* Colchus, *aut* Theſſalus, *cantu, aut manu has offenſiones levaſſet?* Alii orbem deſcribebant, & medicamina adhibebant. Ità *Theſſalam* mulierem in urbe *Teno* narrat *Ariſtoteles*, aut quiſquis *Mirabilia* ſcripſit, ut ſacrum ſerpentem exanimaret, κύκλον χαράξασαν, καὶ τὰ φάρμακα θεῖσαν, εἰσβλῆναι εἰς τὸν κύκλον αὐτήν καὶ τὸν υἱόν, *cum circulum deſcripſiſſet, & pharmaca in eo poſuiſſet, in illum circulum cum filio eſſe ingreſſam.* Et in *Luciani Philopſeude Chaldæus*, ut ſerpentes evocaret, in agrum manè veniens, ſacra ſeptem nomina ex vetuſto libro legit, θείῳ καὶ δᾳδὶ καθαγνίσας τὸν τόπον, περιελθὼν εἰς τρίς, *ſulphure ac face luſtrato loco in orbem ter obambulans.* Rurſus alium faſcini ritum his verbis deſcribit *Seneca* in *Medea* Actu quarto,

Et triſte lævâ complicans ſacrum manu,
Peſtes vocat, quaſcunque ferventis creat
Arena Libyæ. - - - - - -

Laminæ, etiam lapides, ligna, figuræ *Taliſmanicæ*, quas vocant, in eum uſum adhibitæ. *Arnobius* libro ſecundo, *Adverſus ictus noxios, & venenatos colubrarum morſus, remedia ſæpe conquirimus, & protegimus nos laminis,* Marſis *&* Pſyllis *vendentibus.* (Alii, dubito an meliùs, *Protegimus nos labiis*, Marſis, Pſyllisve *dentibus.*) Et *Nubienſis Geographus* (*Climatis* primi parte tertiâ) circa *Nigritarum* urbem *Cucu* lignum quoddam naſci fabulatur, quod عون الحية *lignum ſerpentis* ideò vocant; quia اذا وضع علي جحر الحية خرجت الحية مسرعة *cum latibulo ſerpentis apponitur, ſtatim ad illud egreditur ſerpens.* Imò, ſi credimus, quiſquis hoc lignum manu tenet, ياخذ من الحيات ما شا بيده من غير ان يدركه شي من الجزع ويجد في نفسه قوة عند اخذها *ſerpentes, quotquot voluerit, ità manu capiet, ut interim nullo timore percellatur, quin in iis captandis quandam in ſe ſentiet fortitudinem.* Alii tamen aliter referunt: nempe, ſi quis hoc lignum manu teneat, aut collo appendat, لم تقربه حية البتة *ſerpentem ad eum nullo modo accedere.* Idem de *Emeſa* urbe hæc habet *Climatis* tertii parte quintâ, وهي مطلسمة لا يدخلها حية ولا عقرب ومتي ادخلت في الباب المدينة هلكت في الحال *Illa ſic* taliſmanizata *eſt* (id eſt, οὕτω τετελεσμένη, talibus τελέσμασι, ſeu *taliſmanis*, inſtructa) *ut nulli eam ſerpentes aut ſcorpiones ingrediantur, quin, ſi ad portam civitatis inferantur, ſtatim exſpirent.* Addit in quadam teſtudine lapidem eſſe infixum, in quo Scorpii figura eſt inciſa, cujus tactu ſanatur is, quem ſcorpio pupugit, aut momordit. Quâ fide apud *Plinium* libri vigeſimi octavi capite tertio, *Attalus* affirmat, *ſcorpione viſo, ſi quis dicat DUO, cohiberi, nec vibrare ictus.* Et *Alcamus*, اس OS, vel اسة OSOH, eſſe كلمة تقال للحية فتخضع *vocem, quæ cum ſerpenti dicitur, is ſe demittit.* An quia ſerpentis ſibilum videtur imitari? Sic enim in libro *Mirabilium Theſſala* Maga, ut ſacrum ſerpentem in ſuum circulum evocet, dicitur μιμεῖσθαι τὴν φωνὴν τοῦ θηρίου, *beſtiæ vocem imitari.* Quod *Arabicè* uno verbo صدا dicitur. Nempe صدا eſt *ſerpentem incantando illius ſibilum imitari*, quomodo Echo noſtram vocem imitatur. Nam صدى Nomen eſt *echo*, ex quo Nomine fit Verbum صدا

Sed hujus faſcini præcipua vis eſſe credìtur in cantibus, & carminibus, quæ *Hebræi* לחשים, id eſt, *ſuſurros*, aut *muſſitationes*, vocant; quia Magi cantus ſuos ſolent inter labia demurmurare. De his agit *Pſaltes* hoc loco, cum ſurdam aſpidem dicit obturare aurem ſuam, ne audiat vocem מלחשים, *muſſitantium*, ſeu *incantatorum.* Cantu nempe Magico credebantur ſerpentes, 1. Primò è cavernis elici, atque evocari. Sic *Plinius* libri octavi capite decimo ſexto eos *extrahi cantu*, dicit, *cogique in pœnam.* Et *Ælianus* de *Ægyptiis*, libri ſexti capite trigeſimo tertio, Τῶν φωλεῶν τοὺς ὄφεις, ἐπαοιδαῖς τισι καταγοητεύσαντες, εἶτα μέντοι προσάγουσι ῥᾷστα· *Serpentes, carminibus quibusdam primùm incantatos, è latibulis poſtmodum faciliimè extrahunt.* Et *Seneca* in *Medea*,

- - - *tracta Magicis cantibus*
Squamea latebris turba deſertis adeſt.

Ut in *Luciani Philopſeude* ad *Chaldæum* Magum ἧκον, ὥσπερ ἑλκόμενοι πρὸς τὴν ἐπῳδὴν, ὄφεις πολλοὶ, καὶ ἀσπίδες, καὶ ἔχιδναι, καὶ κεράσται, καὶ ἀκοντίαι, *Venerunt, tanquam incantatione tracti, multi ſerpentes, aſpides nimirum, & viperæ; & ceraſtæ, & jaculi.* Lampridius *in* Heliogabalo. *Serpentes per* Marſicæ *gentis Sacerdotes collegiſſe fertur.* Hieronymus *in* Pſal. 57. *Ille homo, qui incantat*, Marſus *dicitur, & trahit eos de tenebris ad lumen. Auguſtinus* libri undecimi *De* Geneſi *ad literam* capite vigeſimo octavo, *Putantur audire & intelligere ſerpentes verba* Marſorum, *ut, eis incantantibus, proſiliant plerumque de latebris.* Et libri *Quæſtionum* 65. Quæſt. 44. *Ut de antris ad verba* Marſorum *exeant, permittente Deo, coguntur à Diabolo.* Et in *De Hæreſibus* capite decimo ſeptimo, ubi de *Ophitis*; *Habent etiam verum colubrum, quem nutriunt, & venerantur. Qui &, incantante Sacerdote, egreditur*

ditur de ſpelunca, & aſcendit ſuper altare innixum ſpelunca. Cadamuſtus de nepote Principis *Budomel*, *Navigationum* capite vigeſimo octavo; *Deſignato in terra circulo, faſcinatione ſerpentes eo concedere compellit. Scaliger* in libros *anim.* libro primo capite vigeſimo octavo ſectione 123. *Nos aliquando vidimus cantationibus è cavernis exciri ſerpentes.* Eodem facere multi credunt, quod Magum *Hebræi* חובר *chober*, quaſi *conſociatorem*, appellant; quia evocata animalia in unum conſociat, & congregat. Sic *Deut.* 18, 11. חובר חבר. juxta *Selomonem* eſt שמצרף נחשים או עקרבים או שאר חיות למקום אחד, *qui conſociat ſerpentes, aut ſcorpiones, aut reliqua animalia in locum unum.* Quæ ex his *Jonathanis* ſumpta ſunt in Paraphaſi, ומחברין ואסרין חיון ועקרבין וכל מיני רחשין, *Qui conſociant & ligant* (Magicis ſcilicet verbis) *ſerpentes, & ſcorpiones, & omnes reptilium ſpecies.* Cui Paraphraſi *Hieroſolymitana* non eſt abſimilis. Neque videtur alia mens fuiſſe *Pſaltis*, cum in hoc ipſo loco dicit, *Non audit vocem incantatorum, neque* חובר חוברים מחכם. (ad verbum) *periti conſociatoris conſociationum*, id eſt, ejus, qui callet artem ſerpentes ad ſe evocandi, ut in unum congregentur. Proinde *Chaldæus* hic reddit. דלא מקבל לקרי מלי הרשיא אסורי נחשין, *Quæ* (aſpis) *non audit vocem, & verba Magorum, qui ligant ſerpentes.*

Sed & cantu ſerpentes fugari volunt. *Lucanus* libri noni verſu 913,

Primum quas valli ſpatium comprendit arenas,
Expurgat cantu, verbiſque fugantibus angues.

Hæc ille; ſed ſolus, quod meminerim.

Etiam cantu ſiſti, deliniri, & ſtupefieri dicuntur angues. *Tibullus Elegiâ* nonâ,

Cantus & iratæ detinet anguis iter.

Saga quædam in *Petronio*,

- - - - *& juſſi ſtare dracones.*

Virgilius ubi ſupra,

Vipereo generi, & graviter ſpirantibus hydris,
Spargere qui ſomnos cantuque manuque ſolebat,
Mulcebatque iras, & morſus arte levabat.

Columella in *Horto*,

Sic quondam Magicis ſopitum cantibus anguem.

Seneca in *Medea*,

Sopite primum cantibus ſerpens meis.

Silius libri tertii verſu 300. de *Marmaridis*,

Ad quorum cantus ſerpens oblita veneni,
Ad quorum cantus mites jacuere ceraſtæ.

Et libri quinti verſu 352. de *Synalo*,

- - - - - - *ungere vulnus*
Herbarum hic ſuccis, ferrumque è corpore cantu
Exigere, & ſomnum tòto miſiſſe chelydro
Anteibat cunctos. - - - - -

Et libri octavi verſu 497.

Hæ bellare acies norunt, ac Marſica *pubes*
Et bellare manu, & chelydris cantare ſoporem,
Vipereumque herbis hebetare & carmine dentem.

Plutarchus in *Catone*, de *Pſyllis*; Τὰ θηρία κατεπᾴδοντες ἀμβλύνουσι, καὶ κηλοῦσι· *Serpentes cantu obſtupefaciunt, & demulcent. Philoſtratus* in *Apollonio*, libri tertii capite ſecundo; *Scripta incantatoria verba draconibus dicuntur ſomnum inducere:* Græcè, ὕπνον ἐγγαστώσαντες τοῖς γράμμασιν. Sic *Theodoretus* in *Pſalmum* quinquageſimum ſeptimum, aſpidem aurem obturare dicit, cantante Mago; ὥστε μὴ θέλγεσθαι ταῖς ἐπῳδαῖς, *ne incantationibus demulceatur.* Et in eundem locum *Hilarius*, *Neque hic* Marſorum *cantus, aut conſopita viperarum ſibila memorat. Cadamuſtus*, ubi ſupra; *Juit, & faſcino compeſcuit ſerpentes, illicoque rediens ſic alloquitur hoſpitem, Obſederant ſerpentes domum devaſtaturi, ni ego occurriſſem tanto malo incantatione, quâ utimur frequentius.*

Cantu inſuper crediti ſerpentes ab omni veneno expurgari, ut ne morſu noceant. Ità *Oſidorus Originum* libri noni capite ſecundo, *Marſos* ſcribit *illæſos eſſe carminum maleficiis.* Quo pertinent hæc *Alcimi* libro ſecundo *De peccato originali*,

Concuſſit interiùs ſecreti carminis arma, &c.
Mox impunè manu coluber tractatur inermi:
Et morſus tantùm, non virus, in angue timetur.

Et *Maimonidis*, *De Idololatria* capitis undecimi ſectione decimâ; הן אומרים שח אומר כך וכך על הנחש או על העקרב אינו מזיק, *Si Magus, ut ajunt, hoc vel illud ſerpenti aut ſcorpioni dixerit, is non nocebit amplius.* Quin, apud *Delrium* libri ſecundi *Diſquiſitionum Magicarum* Quæſtione decima tertia, aſſerit *Petrus Chieza*, verè ne an ſecus, lectoris eſto judicium, omnes *Andinorum* montium vaſtos ſerpentes omnem ferociam, vimque noxiam, poſuiſſe, vetulæ cujuſdam carminibus olim exarmatos: ità ut nunc etiam aſpectu tantum terreant, cætera ſint innoxii.

Putatur quoq; virtus carminis eos ſanare, quos morſu læſit, aut tactu ſerpens. Quo nomine apud *Strabonem Indos* commendat *Nearchus.* Cum enim in *India* ſerpentes, & reptilia quævis, magno numero ſcateant, & locorum incolis ſint multis modis moleſta: ibi refert ἐπῳδοὺς περιφοιτᾶν πιστευομένους ἰᾶσθαι, καὶ ἴαμα σχεδόν τι ταύτην μόνην ἰατρεύειν, *circumvagari incantatores, qui mederi putantur, & hanc ferè ſolam eſſe medicinam.* Sic de *Umbrone Poeta* libro ſeptimo,

- - - - *& morſus arte levabat.*

Et *Lucanus* libri noni verſu 933.

- - - *peſtis nigris inſerta medullis*
Excantata perit. - - - -

Hoc præcipuum, quod angues, Mago cantante, *rumpi* dicuntur, & *crepare mediis.* Lucilius,

- - - - - - Marſu', *coluber*
Diſtendit cantu, venas cum extenderit omnes.

Virgilius Eclogâ octavâ,

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Ovidius libri ſeptimi *Metamorphoſeus* Fabulâ ſecundâ ſub perſona *Medeæ*,

Vipereas rumpo verbis & carmine fauces.

Et *Amorum* libri ſecundi *Elegiâ* primâ,

Carmine diſſiliunt, abruptis faucibus, angues.

Et *De Medicamine faciei*,

Nec media Marſis *findantur cantibus angues.*

Horatius Epodâ 7.

Caputque Marſâ *diſſilire næniâ.*

Lucanus libri ſexti verſu 488.

- - - - *gelidos his explicat orbes,*
Inque pruinoſo coluber diſtenditur arvo,
Viperei coëunt, abrupto corpore, nodi.

Nemeſianus, *Eclogâ* quartâ, de *Mycale* venefica;

Cantavit quod Luna timet, quo rumpitur anguis.

Et *Philoſophus* ubi ſuprà, Ὡς ἂν προσέλθῃ ὁ ὄφις εἰς τὸν κύκλον, λύσιν εὐθὺς γενέσθαι αὐτοῦ. *Quamprimum ſerpens in circulum eſt ingreſſus, eum* (aiunt) *ſtatim fuiſſe ſolutum*, id eſt, *ſolutis compagibus extinctum.*

Interim quoſdam eſſe ſerpentes, qui incantari non poſſint, vel ex Scriptura videtur poſſe elici. Nam *Jerem.* 8, 17. minatur Deus ſe in *Iſraelitas* immiſſurum נחשים צפעונים אשר אין להם לחש, *ſerpentes regulos, contra quos nulla ſit incantatio.* Complutenſes, οἷς οὐκ ἔστιν ἐκπαῦσαι, *à quibus non licet ſe avellere:* ſed alii melius, οἷς οὐκ ἔστιν ἐπᾶσαι, *quos incantare non licet.* Et *Eccleſ.* 10, 11. *Solomon* בעל לשון, *obtrectatorem* nihilo meliorem (id eſt, tam pernicioſum) eſſe dicit, quam אם נשך הנחש בלא לחש, *ſi mordeat ſerpens ſine incantatione*, id eſt, *non incantatus*, vel *qui incantari non poteſt.* Et in loco *Pſaltis* in quo verſamur, *aſpis ſurda* dicitur *aurem ſuam obturare, ne incantatoris vocem audiat.* Nempe duobus modis incantationi ſerpens putatur obluctari, aut cũ recanit, aut cũ obſurdeſcit ad cantum. *Recanere* ἀντᾴδειν, vel *recantare* ſi mavis, eſt *contrario ſibilo incantationem repellere & retorquere. Plinius* libri vi-

geſimi octavi capite ſecundo, *Non pauci etiam* (credunt) *ſerpentes ipſas recanere*, (ita cum *Turnebo* (b) lego) *& hunc unum eſſe illius intellectum.* *Ariſtoteles* de ſaga *Theſſala*, Εἶτα μιμεῖσθαι τὴν φωνὴν τοῦ θηρίου· τὸν δὲ ἀντᾴδειν, καὶ προσιέναι· *Deinde imitari* (cœpit Saga) *vocem ſerpentis: ſerpens verò recanere, & accedere.* Serpens, in quem irrita eſt incantatio, quia cantui ſic occinit, صل *ſil* dicitur *Arabicè*, ut اصم *aſammo*, id eſt, *ſurdus*, qui cantu non afficitur. Propriè صل *ſil* eſt *ſerpens tinnulus*, vel *ſtridulus*, id eſt, qui, ſtridore quodam edito, Mago occentat, & obſibilat. At Phraſi, tam *Hebræis* & *Arabibus* familiari, quàm *Græcis* & *Romanis* ignota, *ad cantum obſurdeſcere*, vel, quod idem eſt, *aurem obturare* dicitur ſerpens, cum cantu nihilo magis afficitur, quam ſi vel ſurdus eſſet, vel auribus obtuſis. Ità accepit *Kimchius* in loco *Pſalmi*, ubi de aſpide dicit, זה הנחש הקשה לא יועיל בו לחש כאילו הוא חרש וכאילו יאטם אזנו שלו ישמע מה שלוחשים לו *Durus eſt ille ſerpens, in quem non magis proficit incantatio, quam ſi vel ſurdus eſſet, vel obturaret aurem, ne audiret carmina, quibus illum incantant.* Eâdem Phraſi qui erga pauperes durus eſt, & immiſericors, *aurem obturare* dicitur *à clamore pauperis*, Prov. 21, 13. Et vir pius *aurem obturat, ne audiat cædes*, Eſ. 33, 15. id eſt, à cruentis & ſanguinariis conſiliis tam alienus eſt, neque ad ea magis attendit, cum ab impiis proponuntur, quam ſi aures haberet obturatas. Sic, cum de *Ænea* dicitur libro quarto *Æneidos*,

- - - - - ſed nullis ille movetur
Fletibus, aut voces ullas tractabilis audit.
Fata obſtant, placidasque viri Deus obſtruit aures.

Id eſt, ad *Didûs* & *Annæ* preces tam inflexum reddidit, ac ſi obſtruxiſſet aures. Aſpis pari ratione tum ad cantum ſurda eſt, & aurem obturat, cum in eam cantus tam parum valet, quam ſi eſſet planè ſurda, atque aures obturâſſet. Antecedens pro Conſequente. Neque aliter ab *Avicenna* ſumi puto, cum repetit toties hunc vel illum ſerpentem eſſe è genere ſurdorum, ut pluribus infrà docetur.

Porrò, ſive recanat ſerpens, aut ad cantum obſurdeſcat, non eluctari ſolùm, ſed & Mago creditur creare periculum. Sic apud *Ariſtotelem*, cum *Theſſalæ* veneficæ ſacer ſerpens occentaret, parum abfuit, quin in ſoporem lethiferum illa dilaberetur. Atque, ut teſtatur *Alcimus* ubi ſuprà,

Interdum perit incantans, ſi callida ſurdus
Adjuratoris contempſit murmura ſerpens.

Sive tota vis incantationis, juſto Dei judicio, cedat in perniciem auctoris; ſive ſerpens incantatori lethale vulnus inferat. Quo pertinet celebre exemplum (c) *Saltzburgenſis* illius Magi, qui, cum omnes ad unum milliare ſerpentes in quandam foveam cogere niteretur, tandem ab ingenti uno, & annoſo, in eum inſiliente, necatus fuit. Itaque Magos etiam morderi à ſerpentibus *Sirachides* his verbis docet *Eccleſiaſtici* capitis duodecimi verſu decimo tertio, Τίς ἐλεήσει ἐπαοιδὸν ὀφιόδηκτον, καὶ πάντας τοὺς προσάγοντας θηρίοις; *Quis miſerebitur incantatoris à ſerpente demorſi, aut ullius eorum, qui accedunt ad* venenatas *beſtias?* Ibi enim θηρία non *feras* quasvis, ſed *venenatas* ſignificare jam antè (d) probavimus.

Quî porrò ſerpentes recanant, vel ad cantum obſurdeſcant, vel quorum ſerpentum virus quovis faſcino credatur eſſe potentius, *Græcorum* nullus explicat. Niſi quod *Ælianus* libri primi capite quinquageſimo quarto hoc aſpidi videtur tanquam proprium aſſignare, quod in illius morſum neque medicamina neque incantationes quidquam proſunt: Καὶ ἔχιος, inquit, δῆγμα, καὶ ὄφεως, ἀλλ' οὖν, φασὶν, ἀντιπάλων μὴ διαμαρτάνειν φαρμάκων. Καὶ τὰ μὲν αὐτῶν ἀκούω πόματα εἶναι, τὰ δὲ χρίσματα· καὶ ἐπῳδαὶ δὲ ἐπράυναν τινῶν ἐγχυθέντα ἰόν. Ἀσπίδος δὲ ἀκούω μόνον δῆγμα ἄϊατον εἶναι, καὶ ἐπικουρίας κρεῖττον. *Viperæ quidem, & aliorum ſerpentium, morſus aiunt non carere remediis, quæ malo opponantur. Quorum alia propinari, alia inungi audio: in nonnullis etiam incantationes impactum venenum mitigaverunt. Sed ſolius aſpidis morſum inſanabilem eſſe accepi, & omni auxilio ſuperiorem.* At rem, à *Græcis* intactam, accuratè & dilucidè exponit *Avicenna* poſt *Arabes Philoſophos* in capite *De ſpeciebus Serpentum*, quod ſic incipit (e) ان العلما بامر الحيات وطبايعها قسموها ثلثة اقسام شديدة الحدة لا تمهل من الحال الي فوق ثلث ساعات ولا علاج للسوعها وهي الصم والاصلال ولا ينفع فيها الا قطع العضو في الحال او الكي البالغ النافذ بالنار فانه يحرق السم ويضيق المجاري *Philoſophi in libris de ſerpentibus, & natura eorum, trifariam illos dividunt. In prima ſpecie veneni vis tam intenſa eſt, ut mors à tempore morsûs non differatur ultra tres horas, neque ulla ſit curatio. Sunt enim è genere ſurdorum, & ſtridulorum* (id eſt, ut docuimus, eorum, qui vel ad cantum videntur obſurdeſcere, quia illo non magis afficiuntur, quàm ſi ſurdi eſſent, vel etiam τῷ ἐπαοιδῷ ἀντᾴδουσι, *incantatori recanunt*, ità ut in illos incantatio ſit irrita.) *Itaque nihil prodeſt præter membri amputationem in eodem momento, vel combuſtionem ad intima penetrantem; quia venenum exurit, & conſtringit meatus.* Addit ad hanc ſpeciem pertinere الملكة *regulum*, qui ſolo viſu & auditu interficit: & الخطاف *aſpidem chelidoniam*: & الاسفيس اليابسة *aſpidem ſiccam*, ſeu χερσαίαν quarum hæc ante tres horas, illa ante duas necat: & البزاقة *aſpidem ptyadem*, à qua morſus interit قبل ان توجع *priùs quàm doleat*, id eſt, *ſine dolore moritur*; *Latinus* interpres abſurdè, *antequam redeat*; quia legit ترجع pro توجع. Quale eſt, quod paulò pòſt idem interpres in hoc eodem cenſu ponit *ſurdos arcuatos, qui multiplicantur in terris Ægypti.* *Surdos arcuatos*, id eſt, الصم المقوسة. Quomodo legiſſe videtur nullo ſenſu, pro الصم المنغصة qui ſunt ſerpentes *ſurdi citò mortem inferentes.* Cujusmodi ſunt præter regulum, & aſpidem, المقرنة *ceraſtes*, & اودريس *hydrus*, & كرسودروس *cherſydrus*, quos omnes ſurdis accenſet *Avicenna* in ſequentibus. Sic in capite *de Baſiliſco*, هو الاول من الصم *Is eſt primus ſurdorum.* Et capite *De aſpide Chelidonia*, وهي من الصم *Etiam hæc eſt ex ſurdis.* Et infrà, وعلاجها علاج الصم *Et curatio ejus eſt curatio ſurdorum.* Quod ipſum habet in *Aſpide cherſæa.* Et in *Ptyade*, علاجها من جنس علاج الصم *Curatur eo modo, quo ſurdi.* Et capite *De Ceraſte*, الصم

a) Adverſar. lib. 23. cap. 10.

c) Dolrio lib. 2. Diſquiſ. Mag. Quæſt. 13.

d) Cap. 11, 371. lin. 31, &c.

(e) Arab. tom. 1 pag. 116.

هي جنس من الصم *Eſt è genere ſurdorum.* Et *De Hydro*, ſeu *Cherſydro*, هي اصغر من الا صلة صما *Eſt dryino minor, ſurdus.* Ut jam nemini ſit obſcurum, *ſurdos* ab *Arabibus* dici ſerpentes omnes, quos credunt ab incantatione eſſe immunes. Hinc *Alcamus* diſerte, الاصم من الحية لا يقبل الرقي · *Surdus de ſerpente is eſt, qui incantationem non admittit.* Tales porro ab iis habentur ii omnes, quorum virus in ſupremo gradu intenſum eſt, reguli puta, aſpidis, ceraſtæ, hydri, cherſydri. Cui doctrinæ conſonare videbitur, quod aſpidem Regius *Pſaltes*; & regulum, ſeu baſiliſcum, *Jeremias* in illo genere ponunt. Quaſi certis experimentis conſtet, aut ſerpentum id genus incantationem Magos nequaquam aggredi; aut, ſi aggrediantur, illis adeo non ſuccedere, ut ſæpe etiam cedat in perniciem auctorum.

At his duo poſſunt objici: primò nullam apparere cauſam, cur in aſpides, hydros, regulos, & ceraſtas Magi non idem poſſint, quod in reliquos ſerpentes. Quidni enim regulus, aut aſpis, potentiâ Dæmonis tam facilè evocetur, aut obtorpeſcat, aut diſſiliat, aut veneno exarmetur, quam quivis alius ſerpens? Et Magis hic hærere calculum quis crediderit, cum majora in aliis artis ſuæ ſpecimina videantur edere? Præterea hos quoque ſerpentes incantationi eſſe obnoxios multi ſcribunt. In *Philopſeude Luciani* à Mago evocantur ἀσπίδες, καὶ ἔχιδναι, καὶ κεράσται, καὶ ἀκοντίαι, *aſpides, & viperæ, & ceraſtæ, & jaculi.* Virgilius *Umbronem* dicit cantuque manuque ſparſiſſe ſomnos

- - - - - - *graviter ſpirantibus hydris.*

Et *Silius* lib. 8. *Marſos*

- - - - - - *chelydris cantare ſoporem.*

Et de *Marmaridis*, ſeu *Pſyllis*, lib. 3.

Ad quorum cantus mites jacuere ceraſtæ.

Eſt ſcilicet ceraſtis πρὸς τοὺς καλουμένους Ψύλλους ἔνσπονδα, οἵ περ ὑπ' αὐτοὶ ἀπαθεῖς εἰσὶ τῶν δηγμάτων, καὶ τοὺς τῷ τοιούτῳ κακῷ περιπεσόντας ἰῶνται ῥᾷστα, *fœdus cum iis, qui* Pſylli *vocantur, qui nec ipſi mordentium ſentiunt morſus, & eos, qui in id malum incidunt, facilè ſanant.* Ita *Ælianus Hiſtoriæ* lib. 1. cap. 57. Neque aliter affectæ aſpides erga eoſdem *Pſyllos.* Antigonus *Mirabilium* cap. 19. Ὑπὸ τῶν ἀσπίδων οὗτοι μὲν (Ψύλλοι) οὐδὲν πάσχουσι τυπτόμενοι· τῶν δ' ἄλλων οὐ'δεὶς, ὅστις διαφύγῃ δηχθείς· Pſylli *ab aſpidibus icti nihil patiuntur incommodi, cum aliorum nullus*, ab iis *morſus*, mortem *effugiat. Varro* apud *Priſcianum*, *Admota aſpis, cum pupugerit, ſi non occidat, ſciat ex* Pſyllorum *ſtirpe eſſe. Cinna* apud *Gellium* lib. 9. cap. 12.

Somniculoſum ut Pœnus *aſpidem* Pſyllus.

ſupple *venatur*, aut *impune tractat.* Quæ non videntur aliter poſſe fieri, quam per Magicas artes. Proinde *Lucanus* de *Pſyllis*,

- - - - - - *par lingua potentibus herbis.*

Et *Silius*,

Ad quorum cantus ſerpens oblita veneni.

Et *Plutarchus*, Αὐτά τε τὰ θηρία κατεπᾴδοντες ἀμβλύνουσι, καὶ κηλοῦσιν· *Ipſosq; adeo ſerpentes incantationibus ſtupefaciunt, & demulcent.* Et *Heſychius*, Ψυλλικὸς γόης, ὁ τῶν Ψύλλων, οἱ δὲ Ψύλλοι ἔθνος Λιβύης· Pſyllicus *Magus, id eſt, ex* Pſyllis, *quæ gens eſt* Libyæ. *Sulpicius* denique, qui totam *Ægyptum* peragraverat, ubi ſunt aſpides magna copia, eas credidit poſſe incantari: alioqui non dixiſſet, quod jam (*f*) ex illo citavimus, *Aſpis miræ magnitudinis*, &c. *quaſi incantata carminibus, cærula colla depoſuit.*

f) Cap. 5. pag. 182. lin. 13.

Jam, ut duæ objectiones allatæ diluantur, ad priorem reſpondemus, A Diabolo hydrum, & aſpidem, & ceraſtem, & baſiliſcum, tam facilè poſſe compeſci, quam quemvis alium ſerpentem, ſi modò permittat Deus: ſed Deum nolle, ut Diabolo omnia in mundo liceant. Utut enim ſuperbè jactet impurus ille ſpiritus (g) *omnia ſibi fuiſſe tradita*: tamen illi Deus id ſ ipſum, quod (*h*) mari, dixit, *Huc uſque venies, nec procedes ulterius.* Unde eſt, quod in *Ægypto* Magi, qui ſanguinem, & ſerpentes, & ranas in ſpecie produxerant, cum ad pediculos ventum eſt, (*i*) hærent, Deo non permittente, ut præſtigiis ſuis *Pharaoni* pergerent illudere. Et in *Evangelio* Dæmones, (k) nonniſi cum *Chriſti* venia, *Gergeſenorum* porcos invadunt. Ad poſteriorem reſpondemus, fruſtra objici *Luciani Philopſeudem*, cum ex ipſo titulo mentiri ſe profiteatur. Fruſtra etiam *Marſos*, & *Pſyllos*, de quibus quæ produntur, ſi vera ſint, naturæ potius tribui debent, quam vi Magicæ. In qua ſententia video fuiſſe pleroſque veterum. *Plinius* de *Pſyllis* lib. 7. cap. 2. *Horum corpori ingenitum fuit virus exitiale ſerpentibus, ut cujus odore ſopirent eas.* Et paulo poſt, *Simile & in* Italia Marſorum *gente durat, quos à* Circes *filio ortos ferunt, & ideo ineſſe iis vim naturalem eam.* Et Solinus, *Gentem* Marſorum *ſerpentibus illæſam eſſe nihil mirum. A* Circæ *filio hi genus ducunt: & de avita potentia deberi ſibi ſciunt ſervitium venenorum: ideo venena contemnunt.* Et alibi, *Supra* Garamantes Pſylli *fuerunt, contra noxium virus muniti incredibili corporis firmitate. Soli morſibus anguium non interibant, & , quamvis lethali dente appetiti, incorrupta durabant ſanitate.* Ita *Strabo* lib. 17. τοὺς Ψύλλους τοὺς πρὸς τῇ Κυρηναίᾳ φυσικήν τινα ἀντιπάθειαν ἔχειν πρὸς τὰ ἑρπετά· Pſyllos, *qui in* Cyrene *ſunt, naturalem vim quandam habere contra ſerpentes.* Et de iiſdem *Lucanus* libri 9. verſu 894.

g) Luc. 4. 6.
h) Iob. 38. 1.
i) Exod. 8. 18.
k) Matth. 8. 32

Ipſe cruor tutus, nullumq́; admittere virus
Vel cantu ceſſante poteſt, natura locorum
Juſſit, ut immunes miſti ſerpentibus eſſent.
Profuit in mediis ſedem poſuiſſe venenis.
Pax illis cum morte data eſt. Fiducia tanta eſt
Sanguinis. In terram parvus cum decidit infans,
Ne qua ſit externa Veneris *miſtura timentes,*
Letiſicâ dubios explorant aſpide partus.

Circa *Helleſponti Parium* eadem vis inſita fuit *Ophiogenis*, de quibus, poſt *Cratetem Pergamenum*, *Varro*, *Strabo*, *Plinius*, *Priſcianus*, &c. Quid, quod *Celſus* lib. 5. cap. 27. *Pſyllis* nihil quidquam tribuit ſupra vulgus hominum, præter *audaciam uſu ipſo confirmatam*? Ac ſi idem iis acciderit, quod *Mithridati*, de quo *Poeta*;

Effecit poto Mithridates *ſæpe veneno,*
Toxica ne poſſent ſæva nocere ſibi.

Præterea quamvis *Arabes* ſerpentum alios poſſe incantari ſcripſerint, alios ab incantatione eſſe prorſus immunes, quos *ſurdos* vocant, *Davidis* tamen, *Solomonis*, & *Jeremiæ* loca eo referre neceſſe non eſt. Neque enim Sancti *Prophetæ* ſerpentes uſpiam ita diſtinguunt. Sed ex illorum verbis hoc ſolùm elicias, ſæpe Magos id fruſtra conari, ſive aſpides, ſive regulos, ſive aliud quodvis ſerpentis genus cantu ſuo delinire, & demulcere conentur. Itaque, ut his Scripturæ locis ſua conſtet veritas, non opus eſt ſibi fingere quaſdam eſſe ſerpentum ſpecies, in quas Magorum carmina nihil poſſint. Quippe in eadem ſerpentis ſpecie poteſt diverſus eſſe ſucceſſus, prout variè Deus Diabolo habenas aut adducit, aut remittit. Nec Dæmon paredrus, à quo pendet incantationis tota vis, ad Magi nutum ſemper ſe accommodat. Unde eſt, quod illius conatus non ſemper voto reſpondet.

CAPUT

CAPUT SEPTIMUM.

Probatur צבוע *tſeboa*, eſſe Serpentem varium, quem *Hyænam* vocârunt *Græci* & *Ægyptii*.

Vallis Seboim *unde dicatur.* צבוע tſeboa, Hebræis *viperæ genus; nempe latè ſumpto nomine. A variis coloribus ita vocatur. Cujuſmodi plures ſerpentes in* Arabum *libris deſcribuntur. In his notiſſimus* cenchris. Τῷ צבוע tſeboa. Hebræi *tribuunt colores* CCCLXV. *Ejus aliud nomen* ברדלס bardales, *id eſt,* πάρδαλις· & נפריא niphreza, *cum ſit fœmina, id eſt,* nebriſſa. *Serpens idem, qui* Græcis *&* Ægyptiis hyæna *dictus, tam à colore vario, quàm quia ſexum, hyænæ inſtar, alternare creditus. De eo ſerpente loca* Æliani *&* Hori *corrupta.*

VAllem *Seboim*, de qua mentio 1. *Sam.* 13. *v.* 18. nomen habere vult *Junius* ab urbe *Benjamitica* SEBOIM, *Nehem.* 11. *verſ.* 34. Sed, cum illa vallis *Hebraicè* dicatur גי הצבעים, eum Articulo præfixo voci *Seboim*, conſtat ibi *Seboim* nomen eſſe Appellativum. Proinde *Hebræi* omnes, *R. Selomo*, *Kimchius*, & *Eſaias* in *Notis* in hunc locum, *R. Mardochæus* in *Concordantiis*, *Baal Aruch*, *Pomarius*, & *Aquinas* in *Lexicis* ſuis voce SEBOIM *ſerpentis* genus intelligunt. Et præiverat *Jonathan* in *Chaldæa* Paraphraſi, ubi, pro *valle Seboim*, reperias חילת אפעיא, *vallem viperarum* (ſic enim illi accipiunt.) Quale eſt, quod in Tractatu *Talmudico Bava Kama* cap. 1. folio 16. 2. אמר רב יוסף צבוע הוא אפרה, *Dixit Rabbi Joſeph*, TSEBOA *eſt vipera*. Ibi enim אפרה idem eſt, quod אפעה, eliſâ Gutturali, ut obſervatum à *Kimchio*. Nolim tamen intelligi *viperam* propriè dictam, ſed *maculoſi ſerpentis* genus: cujuſmodi in *Arabum* ſcriptis non pauci deſcribuntur. Sic in *Avicenna* Tom. 2. pag. 139. الحية الرقشا ذات الالوان المتخلفة *Serpens* rakſa, *qui variorum eſt colorum*. In *Damire*, الارقم الحية التي فيها بياض وسواد كانه رقم اي نقش Arkamo, *ſerpens albo & nigro diſtinctus, tanquam* Phrygium *opus, ſeu interpunctum*. In *Giauhari*, الحريش نوع من الحيات ارقط Alharis, *varii ſerpentis ſpecies* Denique in *Alcamus*, السف الارقم من الحيات والتي تطير *Aſſuph* (vel *aſſiph*) *ſerpens varius, & qui volat*. Eſt & in hoc cenſu *Græcorum* cenchris, ſeu cenchrites, *Arabicè* جاورسية *giavverſia*, de quo *Nicander Theriacῶn* verſu 463.

Δοιὰς κεγχρίνω δολιχὸν τέρας, ὅν τε λέοντα
Αἴολον αὐδάξαντο, περίστικτον φολίδεσσι.

Reperies (*in Lemno*, *Samothraciâ*, &c.) *cenchritem, monſtrum oblongum, quem leonem varium appellant, ſquamis diſtinctum.* Et *Lucanus* lib. 9. verſu 716.

Pluribus ille notis variatam tingitur alvum,
Quàm parvis tinctus maculis Thebanus *ophites.*

Hujuſmodi ſerpentem voce צבוע *tſeboa*, ſignificari ſuadet primò, quòd צבוע *tſeboa*, propriè *tinctum* aut *pictum* ſonat. Secundò, quod illum *Hebræi* varium eſſe aſſerunt. *Kimchius* enim in *Notis* ſic nominari docet; לפי שעשר בגונים ובמיני הצבעונים, *quia coloribus, & picturis diſtinctus eſt.* Et *Pomarius*, מין נחשים ונקראו כן על השתנות הצבעונים, *Species ſerpentum, qui ſic vocantur propter colorum varietatem.* Et multò ante *Bereſith Rabba*, הצבוע הזה מטפה של לובן הוא ויש לו שסה מיני צבעים כמנין ימות השנה של חמה *Serpens nomine* tſeboa *ex albi ſeminis guttula conſtat. Et tamen colores habet trecentos ſexaginta quinque: quot nimirum ſunt Solaris anni dies.* Ex qua inſigni Hyperbole hoc ſaltem elicimus, *ſerpentes varios ſignificari voce* TSEBOIM. De eodem *Baal Aruch* in voce ברדלס *bardales*, ברדלס זו אפא ז׳ שנים ראשונים שהוא זכר נקרא צבוע וכשמתהפך לנקבה נקראת נפריא ורעה היא יותר מן הזכר, Bardales *eſt vipera, quæ primis ſeptem annis, dum eſt mas, appellatur* tſeboa. *Sed, cum mutatur in fœminam, vocatur* niphreza, *& eſt mare multò pejor. Bardales* & *niphreza* deflexa videntur ex πάρδαλις & νέβρισσα. Huic ſerpenti utrumque nomen ab *Helleniſtis* inditum propter varios colores. Variam enim eſſe πάρδαλιν nemo neſcit. Ita etiam νεβρὶς, id eſt, *hinnuli pellis*, aut *cervi*. Proinde cervi paſſim à *Poëtis* ςικτοὶ vocantur, & καταςικτοὶ, id eſt, *varii*, & *maculis diſtincti*. Sic, in *Electra Sophoclis*, *Agamemnon* in *Dianæ* luco interfeciſſe legitur ςικτὸν κεραςὴν ἔλαφον, *varium, cornutum cervum.* Et cervorum genus deſcribit *Oppianus* libro 2. *Cynegeticῶn*

Στικτὸν, ἀείζωον, ποταμηπόρον, ὑψικάρηνον,
Varium, eximium, fluminis gradum, capite arduum.

Et, apud *Nonnum Dionyſiacῶn* lib. 4. *Actæone* in cervum mutato, canes ejus

Στικτὸν ἰθοινήσαντο νόθον δέμας ἄφρονι λύσσῃ,
Varium adulterinum corpus inſana rabie devorabant.

Unde *Pollux*, Ἔςι δὲ τοῖς ἐλάφοις τὸ χρῶμα ὑπόξανθον, καταςικτὸν λευκοῖς γράμμασι· πλείω δὲ αἱ θήλειαι τὰ ςίγματα ἔχουσι, καὶ μάλιςα τῶν ἐλάφων οἱ νεβροί. *Cervorum color ſubflavus eſt, albis lineis diſtinctus; fœminæ verò plures habent maculas, & hinnuli inprimis.* Itaque à vocibus νεβρὸς & νεβρὶς ſerpens *tſeboa* propter maculas primò νέβρισσα (ut *Hiſpaniæ* quoddam oppidum:) deinde, corrupta voce, נפריא *nephriza*, vel (ut hodie efferunt) *niphreza* eſt appellatus. Atque eodem recidunt tria hæc ejuſdem ſerpentis nomina צבוע *tſeboa*, ברדלס *bardales*, ſeu πάρδαλις· & נפריא *nephriza*, ſeu νέβρισσα. Illis enim omnibus hoc commune eſt, quod *maculoſum ſerpentem* ſonant. Sed nomini צבוע *tſeboa*, aliquid eſt peculiare, quod jam notandum. Propriè צבוע *tſeboa*, *Hebræis* eſt *hyæna*, etiam ipſa à *maculis* ita dicta. Hyænæ enim

- - - - - ἔρρανται δέμας αὐτὸν
Κυανέαις ἑκάτερθεν ἐπιςιγμαῖς ταρφείαισιν·
- - - *cutis horrida corpore toto*
Cæruleis denſè conſpergitur undique vittis.

Ita *Oppianus* lib. 3. *Cynegeticῶn* verſu 274. Qui proinde ςικτὰς *varias* paulò infra nominat. Atque, ut *tſeboa* ſerpens ſexum alternare creditur, ita etiam *tſeboa* quadrupes, id eſt, *hyæna*. Quod cum multis probaverim (a) in capite *De hyæna*, hic ſufficiet ejuſdem *Oppiani* verba proferre,

(a) Part. 1. lib. 3. cap. 11. pag. 832. b. lin. 36. &c.

Θαῦμα δὲ καὶ τόδ᾽ ἄκουσα περὶ ςικτῇσιν ὑαίναις,
Ἄρσενα καὶ θήλειαν ἀμειβομένας λυκάβαντι·

Miraculum etiam hoc audivi de pictis hyænis, marem & fœminam alternare quotannis. Merito igitur *tſeboa*, id eſt, *hyæna*, vocatur ſerpens, qui utrumque hoc cum hyæna

hyæna commune habet, pellem variam, & ſexus alternationem, ab *Hebræis* ſupra obſervatam. Et iiſdem de cauſis hic idem ſerpens *Græcis*, & *Ægyptiis*, *hyæna* dictus. *Geſnerus* de quadrupedibus in *Hyæna* pag. 556. Ælianus & Orus *in* Hieroglyphicis *hyænam, non quadrupedem, ſed ſerpentem, per vices marem & fœminam eſſe prodiderunt.* Nempe in *Æliano* legerat, *Hiſtoria* lib. 1. cap. 25. Τὴν ὕαιναν ὄφιν τῆτες μὲν ἄῤῥενα εἰ θεάσαιο, τὴν αὐτὴν ἐς νέωτα ὄψει θήλειαν δέ· *Hyænam ſerpentem hoc anno, ſi marem videris, illam ipſam anno altero fœminam videbis.* Et [illegible] Horo *Hieroglyphicῶn* libri 2. cap. 65. Ὕαιναν ὄφιν ζωγραφοῦσιν· αὕτη γὰρ ὅτε μὲν ἄῤῥην γίνεται, ὅτε δὲ θήλεια· *Hyænam ſerpentem pingunt* (ut hominem parum conſtantem deſignent:) *hæc enim modo mas eſt, modo fœmina.* Ita habebant libri, quos *Geſnerus* conſuluerat. At in noſtris editionibus vox ὄφιν utroque loco deſideratur; quia illam editores tanquam ſuperfluam induxerunt. Quod malo exemplo videtur & præter rationem eſſe factum: cum præter *Græcos*, & *Ægyptios*, *Hebræi* quoque צבעים *tſeboim*, id eſt, *hyænas*, inter ſerpentes cenſeant, & illis eandem tribuant ſexuum viciſſitudinem. In *Horo* igitur, & *Æliano*, vox ὄφις, deleta perperam, eſt omnino reſtituenda: & *Hebræorum Lexicis* addenda vox צבוע *tſeboa*, quæ & *hyænam quadrupedem*, & *hyænam ſerpentem* ſonat. Quamvis pro fabuloſo habeam, quod *Hebræi*, *Græci*, & *Ægyptii*, vel hanc, vel illam ſexum per vices mutare ſcribunt.

CAPUT OCTAVUM.

Probatur צמאון *tſimmaon*, non eſſe *Dipſadem*, ut quidam poſt *Hieronymum* reddunt, ſed *ſiticuloſum locum*, Deut. 8. v. 15.

Dipſadis deſcriptio, natales, variæ nomina. Non eſſe genus aſpidis, ſed viperæ. Hebræum צמאון tſimmaon, *non eſt* διψὰς, ſerpens, *ſed* δίψα, ſitis, *vel* ſiticuloſus locus. *Patet id ex locorum collatione. Itaq;, præter* Hieronymum, *veteres omnes ſic reddunt; adeoq; ipſe* Moſes.

Dipſas eſt viperæ ſimilis, ſed minor, vix dodrantalis, albo corpore, cauda gracili, & duabus lineis nigris inſigni, quam incedendo ſurſum attollit, ut obſervant *Arabes*. Omnes in *Africa* deſcribunt. Sed & in *Arabia* nonnulli. *Ælianus Hiſtoria* lib. 6. cap. 51. Γίνονται δὲ ἄρα ἐν Λιβύῃ τε καὶ Ἀραβίᾳ μᾶλλον. Ita etiam *Suidas*. Et in *Ægypti* deſertis *Gregorius Nazianzenus Iambico* 22.

Διψάς τις ἐστι τῶν ἐχιδναίων θηρῶν,
Τούτων, ὅσ' ἡ ἔρημος Αἰγύπτου φέρει·

Dipſas quædam eſt viperini generis ſerpens, ex iis, quos fert Ægypti *deſertum.* Alii etiam in *Syria*. *Avicenna* Tom. 2. pag. 139. وقال قوم ان اكثر ما تكون هذه في بلاد لوبية والشام *Nonnulli dicunt eam ut plurimum eſſe in* Africæ *&* *Syriæ regionibus.* Apud *Ælianum* nonnulli *preſterem* vocant, *cauſonem* alii, & *melanurum*, & *ammobaten*, & *centriden*. Sed vulgare nomen eſt διψὰς, *ab inexplebili ſiti*, quam morſu ſuo excitat. *Iſidorus* reddit *ſitulam*. Et *Avicenna*, per Periphraſim, الحية المعطشة *ſerpentem ſitim excitantem*; quaſi deſit proprium nomen: quod mirum, cùm dicatur eſſe in *Arabia* frequens, & in vicinis locis, ut in *Ægypto*, & *Syria*. De hoc ſerpente plura qui volet, præter *Nicandrum*, & *Medicos*, *Ælianum* legat, ubi ſupra, & *Lucianum* libro *De dipſadibus*, & *Lucanum* libri 9. verſu 738. & *Nazianzenum* in loco, quem citavimus, & *Epiphanium* in *Marcoſiis*, & *Iſidorum*, qui poſt *Solinum* eum in genere aſpidum perperam cenſet, cùm ad viperam maximè accedat.

Legitur etiam in *Hieronymi* verſione *Deut.* 8. *v.* 15. *Et ductor tuus fuit in ſolitudine magna atque terribili, in qua erat ſerpens flatu adurens, & ſcorpio, ac dipſas.* Sed *Hebræa* voce צמאון *tſimmaon*, quæ ibi *dipſas* redditur, aliud ſignificari, nempe *ſitim*, *ſiccitatem*, *ſiticuloſum locum*, multa ſunt, quæ non ſuadent modo, ſed & perſuadent. Primò perpetuus vocis uſus in ea, notione, quam diximus. Sic *Pſalm.* 107. *v.* 33. *Poſuit flumina in deſertum, & aquarum ſcatebras* לצמאון, *in ſiticuloſum locum.* Græci, εἰς δίψαν· Vulgatus, & Hieronymus, *in ſitim*: Chaldæus, היך צחותא, *ſicut ſiccitatem*: Syrus, ܠܨܗܝܘܬܐ *in ſiccitatem*: Arabs, عطشا *ſitim*: Æthiops: መጽምእ: *locum ſitis.* Rurſus *Eſa.* 35. *v.* 7. *Et erit locus aridus in ſtagnum,* וצמאון, *& locus ſiticuloſus in fontes aquarum.* Hieronymus, *& ſitiens*. Nec alii multo aliter. Græci, τὴν διψῶσαν γῆν. Arabs, الارض العطشانة *terram ſiticuloſam*. Chaldæus, בית צחונא. Syrus ܒܝܬ ܨܗܝܘܬܐ, *locum ſiticuloſum*. Sed & in illo ipſo loco, in quo verſamur, idem intelligunt omnes omnino interpretes, præter ſolum *Hieronymum*. Neque enim eorum ullus eſt, qui *dipſadem* hic intelligat, aut aliud ſerpentis genus. Et falſum eſt, quod multi ſcribunt, *Hieronymum* hic ſequi *Græcos*, in quibus pro צמאון non legitur διψὰς, ut volunt, ſed δίψα *ſitis*: ut in *Samaritano* ࠋࠑࠄࠅࠍ & in utroque *Arabe* edito عطش quæ itidem *ſitim* ſonant: at in *MSS.* مغازة & in utroque *Chaldæo* בית צחונא, & in *Syro* ܒܝܬ ܨܗܝܘܬܐ, *locus ſiticuloſus*. Præterea poſt צמאון, *Moſes* addit ἐπεξηγητικῶς אשר אין מים· id eſt, *locus ſiticuloſus, in quo non ſunt aquæ.* Itaque צמאון, ipſo *Moſe* interprete, non eſt *dipſas*, ſed *locus, in quo non ſunt aquæ*, quod idem eſt cum *loco ſiticuloſo*. Res clarior erit ex totius periodi lectione; quæ ſic habet, *Qui deduxit te in ſolitudine vaſta & terribili, in qua preſter, & ſcorpio;* וצמאון, *& loco ſiticuloſo, in quo non ſunt aquæ.* Sic incidendam eſſe periodum monet punctum *Zakeph-Katon* ſuper vocem עקרב, *ſcorpio*. Sed *Hieronymus* illam incidit poſt vocem וצמאון, quam reddidit *ac dipſas*. Et ſequentia אשר אין מים, exponit *ac nullæ omnino aquæ*, voculâ *ac* de ſuo addita, ne referrentur ad proximum antecedens, quia nullus fuiſſet ſenſus horum verborum, *Dipſas, in qua non ſunt aquæ.* Denique ſi צמאון, eſſet *dipſas*, in harum vocum ordine נחש שרף ועקרב וצמאון, poſſet id deſiderari, quod *ſcorpio* inſeritur inter duas ſerpentum ſpecies.

CAPUT

CAPUT NONUM.

Probatur צפע *tſepha*, vel צפעני *tſiphoni*, eſſe *Regulum*, ſeu *Baſiliſcum*.

Scripturæ loca de hoc ſerpente, & variæ verſiones. Aquila βασιλίσκον, *&* Hieronymus regulum *optimè reddunt. Idem* Chaldæis חורמן hurman, *&* Arabibus حرمانا harmene. *Quod probat* Avicennæ *definitio: quamvis* harmene *&* baſiliſcum *quantitate differre putet, ſed perperam; quia menſurarum nomina non intellexit, quæ diverſis verbis idem ſonant.* شبر σπιθαμὴ, palmus, ſemi-cubitus, *idem. Palmus major & minor ſæpe confunduntur.* Baſiliſcus חורמן hurman, *à* vaſtando *dictus. Idem* צפע tſepha, *vel* צפעני tſiphoni, *ut* Latinè SIBILUS, *ab horrendo ſibilo, quo reliqua animalia fugari dixerunt veteres, recentiores perimi. Ad* צפע tſepha, *alludit* Arabicum سفع ſaphaa, *id eſt*, flatu adurere, *quod baſiliſci maximè proprium. Arabicè* Sin *&* Sad *ſæpe permutantur. Baſiliſcus in Ægypto*, Libya *&* Cyrene. Ægyptiis ΟΥΒΑΙΟΣ *dictus, & variarum rerum ſymbolum.*

DE ſerpente צפע *tſepha*, vel צפעני *tſiphoni*, legitur *Prov.* 23. *v.* 32. *Tandem mordebit ut ſerpens, atq; ut* tſiphoni *punget.* Et *Eſa.* 11. *v.* 8. *Oblectabit ſe lactens infans ſuper foramen aſpidis; & ſuper cavernam* tſiphoni, *qui nuper ablactatus eſt, manum ſuam mittet.* Et *Eſa.* 14. *v.* 29. *E radice ſerpentis prodibit* tſepha. Et *Eſa.* 59. *v.* 5. *Ova* tſiphoni *excludunt*, &c. *Qui comedit de ovis eorum, morietur: &, ſi quis ea conterat, erumpet vipera.* Et *Jerem.* 8. *v.* 17. *Immittam in eos ſerpentes* tſiphonim, *in quos nulla eſt incantatio; & mordebunt vos, ait Dominus.* Ex quibus locis hos conſtat ſatis immanes eſſe ſerpentes. Sed ſpeciem definire non eſt obvium. *Græci* alibi κεράστας reddunt, alibi ἀσπίδας, & ἔγγονα ἀσπίδων, alibi ὄφεις θανατοῦντας. *Chaldæus* conſtanter חורמנין *hurmanim*; ut *Syrus* plerunque ܚܘܪܡܢܐ *hormanin*, ſemel tamen ܐܣܦܣ *aſpidem*, & ſemel ܐܡܦܝܣܒܝܢܐ *amphisbænam*: Aquila βασιλίσκους, Hieronymus *regulos*, Munſterus *hydros*, Junius *hæmorrhoos*, Caſtalio *viperas*. *Kimchius* ſolum dicit ſerpentem eſſe הקשה והרע, *durum & malum*: & *Aquinas* קשה ורע, *durum & dirum*.

Nos *Hieronymi* verſionem his omnibus præferimus. 1. Quia in veteribus plures habet ſuffragatores. Præiverat enim *Aquila*, omnium interpretum longè accuratiſſimus. Accedit *Chaldæi* Paraphraſtis auctoritas, qui חורמן *hurman*, conſtanter reddit, ut *Syrus* plerumque ܚܘܪܡܢ *horman*, id eſt, *regulum*: ut *Arabicum* حرمانا *harmene*, qua voce vel *regulum*, vel *ſerpentem regulo ſimillimum* ſignificari conſtat. Nam immedicabilem eſſe utriusque morſum, & utrumque non ſolo morſu, ſed viſu etiam, & ſibilo, nocere tradit *Avicenna*. Nempe, ut de baſiliſco dixerat, تقتل بصفيرها الي غلوة ومن وقع عليه بصرها من بعيد مات *Sibilo ſuo necat uſq; ad ſagittæ jactum* (interpres ineptè, *ſi exaltat ipſum.*) *Et moritur is, in quem eminus incidit viſus ejus*: ita de *harmene* ſcribit capite ſequenti, قد ذكر حرمانا في صفات قريبة من صفات الملكة من انها لا تسوي وليس انما تقتل باللسع فقط بل باللحظ وباسماع الصفير *Utique memoratur* harmene *attributa habere proxima baſiliſci attributis: quia non ſolo morſu lædit, aut verò interficit; ſed viſu etiam, atque auditu ſibili.* Unde *Pandectarius*: Harmene, *baſiliſcus.* Item, *Karmene* (perperam pro *Harmene*) *eſt ſerpens non interficiens morſu tantum, imo viſu, & auditu, ſive ſibilo.* Tantum eos vult *Avicenna* quantitate differre, cum baſiliſci longitudo dicatur eſſe شبران الي ثلثة *è duobus palmis ad tres*: harmenes autem من ذراع الي ذراع ونصف *ab uno cubito ad cubitum & ſemi.* Sed illum hic fugit ratio menſurarum. Nam شبر eſt *palmus major*, *Græcè* σπιθαμὴ, ſeu menſura duodecim digitorum, quæ duplicata facit cubitum. Itaque longitudo à duobus ad tres palmos planè eadem eſt, quæ ab uno cubito ad unum cubitum & ſemi. Et hæ duæ menſuræ differunt verbo tenus, re conſentiunt. Sed alii *Arabes* rectius baſiliſco ſolum شبر tribuunt, id eſt, unam σπιθαμὴν longitudinis. *Alkazuinius* in capite حية ſeu *De Serpentibus*, ومنها الحية تقال لها الملكة طولها شبرا واكثر *Etiam in iis eſt ſerpens Almelecha* (ſeu *baſiliſcus*,) *cujus longitudo eſt palmi* (majoris) *& amplius.* Ita etiam *Damir* in capite الملكة *Almelecha.* Quibus conſona tradunt plerique veterum. *Nicander Theriacῶn* verſu 398.

Ξανθὸς, ἐπὶ τρία δῶρα φέρων μῆκός τε, καὶ ἰθύν.

Flavus eſt, *ad tres palmos* (minores) *habens longitudinem, &* (creſcendi) *impetum.* Hi tres palmi minores majorem unum faciunt, id eſt, unam σπιθαμὴν. Sunt enim ſinguli quatuor digitorum. *Ælianus Hiſtoria* lib. 2. cap. 5. Σπιθαμὴ δὲ τοῦ βασιλίσκου τὸ μῆκός ἐστι. *Baſiliſci longitudo eſt unius ſpithamæ*, ſeu *palmi majoris.* *Plinius* lib. 8. cap. 21. *Cyrenaica hunc generat provincia, duodecim non amplius digitorum magnitudine.* Aëtius *Tetrab.* 4. Serm. 1. cap. 33. *Hoc animal magnitudine eſt trium palmorum.* *Græcè*, niſi fallor, τριῶν παλαιστῶν. Hæc vera baſiliſci magnitudo eſt, quam in triplum auxerunt, qui cubitum cum ſemiſſe aut tres σπιθαμὰς ei aſſignarunt, majores palmos cum minoribus confundentes; quod frequenter fieri monent ſcriptores. Porro cur à *Chaldæis* vocetur חורמן *hurman*, his verbis aperit *Rabbi Selomo* in *Geneſ.* 49. *v.* 17.

חורמן שם מין נחש שאין רפואה לנשיכתו והוא צפעני וקרוי חורמן על שם שעושה הכל חרם.

Hurman *vocatur ſerpentis ſpecies, cujus morſus eſt inſanabilis. Is eſt* Hebræis TSIPHONI, *&* Chaldaicè *dicitur* HURMAN; *quia omnia facit* חרם, *vaſtationem*: id eſt, quia omnia perdit, & vaſtat, & ad internecionem deſtruit.

Secundò, *Hebræum* nomen צפע *tſepha*, vel צפעני *tſiphoni*,

tſiphoni, *baſiliſco* apprimè convenit; quia ipſo ſono videtur horrorem ſibili exprimere, quo cætera animalia vel fugat, vel interficit. Solùm *fugare* dixerant vetuſtiores. *Nicander* ubi ſupra,

Οὐκ ἄρα δὴ κείνου ἀπειρεχθέα κνώδαλα γαίης
ἰυγὴν μίμνουσιν, &c.

Ejus ſibilum non exſpectant ſpirâ (caudæ) *onuſta* (id eſt, majora) *terræ reptilia*. *Archelaus* in *Æliano*, libri ſecundi capite ſeptimo; Ἐπὰν δὲ βασιλίσκου συρίγματος ἀκούσῃ, (τὰ τῶν ὄφεων φῦλα) τὰ μὲν ὑπὸ τοῖς ἰλυοῖς, καὶ τῇ ψάμμῳ, ἀφανίζουσι τὴν ταχίστην· *Cum reguli ſibilum audiverunt* (anguium genera) *ſtatim in cavernis, aut ſub arena, ſeſe abdere*, &c. *Lucanus* libro nono,

Sibilaque effundens omnes terrentia peſtes.

Plinius, *Sibilo omnes fugat ſerpentes*. Solinus, *Sibilum ejus etiam ſerpentes alii perhorreſcunt*. Sed qui ſequuntur baſiliſci ſibilum lethiferum eſſe aſſerunt. *Galenus* capite octavo *Ad Piſonem*, Ὀραθεὶς μόνον, καὶ συριττὼν ἀκουσθεὶς, ἀναιρεῖ τοὺς ἀκούοντας, καὶ τοὺς ἰδόντας αὐτόν· *Viſus ſolùm, atque auditus cum ſibilat, audientes & videntes ſe necat*. Aëtius, *Ajunt, quod ſibilans auditus, eos qui ipſum audierunt tollat*. *Damir*, ubi *De Serpentum ſpeciebus*: ونوع اخر اذا سمع الانسان صفيره مات *Eſt alia ſerpentis ſpecies, cujus ſibilum quiſquis audit, moritur*. Et *Alkazuinius*, اذا صفرت تموت من صفيرها كل حيوان سمع ذلكى بعد ما ينفخ ويسيل منه الصديد *Cum ſibilat, ejus ſibilo audito, moriuntur omnia animalia, quamprimùm ſlavit, & venenum à ſe dimiſit*. His adde quæ ex *Avicenna* jam citata ſunt. Sed notetur inprimis hic *Iſidori* locus; SIBILUS *idem eſt, qui & regulus*; *ſibilo enim occidit, antequam vel mordeat, vel exurat*. Itaque ut *Latinè* SIBILUS à *ſibilo*: ità *Hebraicè* TSEPHA, vel TSIPHONI, dici potuit à ſono, quem edit inter ſibilandum.

Tertiò ad *Hebræum* צפע *tſepha*, videtur alludere Verbum *Arabicum* سفع *ſaphaa*, quod *flatu adurere* ſignificat. Unde καύσωνες *venti adurentes* dicuntur سوافع. Id nempe baſiliſci proprium, quod flatu adurit. *Horus* libri primi *Hieroglyphicῶn* capite primo, Προσφυσήσας ἑτέρῳ παντὶ ζώῳ (τοῦτο γένος,) δίχα καὶ τοῦ δακεῖν ἀναιρεῖ· *Hoc genus, ſi aliud quodvis animal afflaverit, etiam ſine morſu interimit*. Et libri ſecundi capite quinquageſimo ſeptimo, Τοὺς πλησιάζοντας τῷ ἑαυτοῦ φυσήματι φονεύει· *Accedentes afflatu ſuo perimit*. Ælianus *Hiſtoria* libri ſecundi capite quinto, Θεασάμενος ὁ τῶν ὄφεων μήκιστος αὐτὸν, οὐκ εἰς ἀναβολὰς, ἀλλ᾽ ἤδη ἐκ τῆς τοῦ φυσήματος προσβολῆς αὐτός ἐστιν (lege καυθεὶς, vel καυστὸς ἐστιν.) *Eum intuitus ſerpens unus è maximis, non poſt moram aliquam, ſed ſtatim flatûs ipſius vi exuritur*. *Plinius* libri octavi capite vigeſimo primo, *Necat frutices non contactos modo, verùm & afflatos, exurit herbas, rumpit ſaxa, talis vis malo eſt*. Solinus, *Exſtinguit herbas, necat arbores, ipſas etiam corrumpit auras*. Itaque ut *baſiliſcus* צפע *tſepha*, dicitur: ità سفع *ſaphaa*, de vento, eſt *urere* & *torrere quomodo baſiliſcus*, in cujus halitu eſt vis cauſtica. Illud quidem per *Tſade*, hoc vero per *Sin* ſcribitur. Sed apud *Arabes* literæ *Sin*, & *Sad*, vel *Sade*, ſunt ità permutabiles, ut innumera vocabula & per hanc & per illam ſcribant. Sic سلط vel صلط *præfecit*. اسلنطح vel اصلنطح *latus fuit*: سوق vel صوق *platea*: سراط vel صراط *via*, ſi cum *Keſre*; & *gladius longus*, ſi cum *Damma* ſcribatur: سقاب vel صقاب *vitta cruenta, quam geſtant Arabicæ mulieres, cum in grave aliquod infortunium inciderunt*: سنط vel صنط *acacia*: سعطر vel صعطر *origanum*: اسفنط vel اصفنط *ſpecies potûs ex ſucco uvarum aromatibus condito*: سعوط vel صعوط ἔῤῥινον *purgando capiti*: مسمرط vel مصمرط *oblongum de capite*, &c.

Quartò, etſi baſiliſcus in *Judæa* nullus fuerit, *Judæis* tamen potuit eſſe notus per *Ægyptios*. In *Ægypto* enim erat frequens, & in *Libya*, & *Cyrenaica*, quæ *Ægypto* vicinæ ſunt. *Ammianus* libro vigeſimo ſecundo, *Serpentes quoque* Ægyptus *alit innumeros, ultra omnem perniciem ſævientes, baſiliſcos, & amphiſbænas*, &c. *Plinius* libri octavi capite vigeſimo primo, Cyrenaica *hunc generat provincia*. Solinus, *Cyrenis à tergo barbarorum variæ nationes, & ſolitudo inculta, ſquallens, & inacceſſa, quæ baſiliſcum creat*. Ælianus, libri tertii capite trigeſimo primo, *Libyam* vocat τὴν τῶν τοιούτων τροφὸν, *talium altricem terram*. Et *Avicenna* abundare dicit ببلاد التركى ولوبية *in regione Turciæ & Libyæ*, non *Arorch & Nubiæ*, ut habent interpretes. Itaque baſiliſcus in *Ægyptiis* fuit notiſſimus, qui ſuâ linguâ ΟΥΒΑΙΟΝ vocabant (ut hodieque ΟΒΙΟΝ vocant *ſerpentem* quemvis) & Deorum capitibus baſiliſcum aureum circumponebant. Et in Symbolis Sycophantam per baſiliſcum deſignabant, qui ſolo afflatu perimit: ut ævum baſiliſci imagine caudam ſub reliquo corpore abſcondentis. Vide *Horum* libri primi capite primo, & libri ſecundi capite quinquageſimo ſeptimo.

CAPUT DECIMUM.

Explicantur loca quinque Scripturæ de Baſiliſco.

I. Prov. 23, 32. *ubi* vinum mordere *dicitur &* pungere ut baſiliſcus; *non in gratiam Hæreticorum, qui vocabant* fel draconis. *Eſt enim naturâ bonum, ſed propter ebrietatis mala. Obiter de vini uſu, & abuſu.* Hieronymus יפרש *legit cum* ſin *ſiniſtro*, & Chaldæus יפרש. *Aſſeritur recepta lectio.* Mordere & pungere *in ſerpentibus idem ſunt.* II. *Eſ.* 11. 8. Super cavernam baſiliſci puer manum mittet: *alii*, ſuper cubile: *alii*, ſuper pupillam. *Prima verſio ex* Arabiſmo *aſſeritur.* III. *Eſ.* 14, 29. E radice ſerpentis exibit baſiliſcus, *id eſt, ex* Oziæ *genere* Ezechias, *qui* Philiſtæos *malè mulctabit. In* Hieronymi *verſione quid ſit* ſemen ejus abſorbens volucrem. *Nulla avis baſiliſci foramen impunè tranſvolat. Illa verſio unde nata. Serpens, Regis ſymbolum. Maximè baſiliſcus, ſeu regulus: qui regium nomen habet, & diademate inſignis eſt. Et erecto capite ſerpit. Et ſibilo reliquos ſerpentes fugat. Baſiliſcus,* Meſſiæ *typus.* Jeſſe *aliter* נחש (*ſeu* Serpens) *dictus.* IV. *Eſ.* 59, 5. Ova baſiliſci excluſerunt: *id eſt, crimina, quæ, cogitatione concepta, per opera excluduntur. Per varias ſerpentum ſpecies ſæpe idem in Scriptura ſignificari. Ex urino aſpidis ovo non edi baſiliſcum, ut ex* Eſaia *quidam colligunt.* V. *Jerem.* 8, 17. Baſiliſci, in quos nulla

eſt incantatio. Quidam hoſtes in genere intelligunt, alii Dæmones, nos Aſſyrios. *Cur pro baſiliſcis quidam reddant* σκοπὰς ſpeculatores. *De Baſiliſco nugæ* R. Selomonis.

JAM, ſi libet percurrere Scripturæ loca de hoc ſerpente, Primus eſt, *Prov.* 23, 32. ubi de vino dicit *Solomon*, *Ultimum ejus ut ſerpens mordet*, וכצפעני יפריש, *& ut tſiphoni* (ſeu *baſiliſcus*) *pungit*. Non ut *Tatiano* faveat, & *Encratitis*, & *Manichæis*, qui vinum appellabant *fel draconis*, & *venenum antiqui ſerpentis*, & ab eo abſtinebant etiam in ſacra cœna. Neque enim hic vini uſus, ſed abuſus damnatur. Deus vino *lætificat cor hominis*, Pſal. 104, 15. Adeoque vinum tam ipſum *Deum quàm homines exhilarare* dicitur *Jud.* 9, 13. In ſacrificiis ſcilicet, ad quæ adhibebatur *Exod.* 29, 40. & *Num.* 15, 5. Quamvis eo loco nomine אלהים *elohim*, pro *vero Deo*, nonnulli, *judices* & *magnates* ſignificari velint: ut *Exod.* 21, 6. & 22, 8. 9, 28. & *Pſal.* 82, 6. Quibus opponantur אנשים, *homines*, id eſt, *plebeii*. Quomodo *Gen.* 6, 2. *filiis Dei* opponuntur *filii hominum*; & *Pſal.* 82, 6. 7. אדם (id eſt, *homo*) *Diis & filiis excelſi*. Ut ſenſus ſit, vini potu divites & pauperes, principes & ſubditos, judices & clientes ex æquo exhilarari. Quod ipſiſſimum de vino dicit primus *Darii* ſatellitum 3. *Eſdr.* 3, 19. 20. Utut ſit, vini proventus Dei bonitati & liberalitati adſcribitur, *Jerem.* 31, 12. & *Oſ.* 2, 8. Et promittitur *Iſraelitis pluvia tempeſtiva, & ſerotina, ut colligant frumentum, & vinum*, Deut. 11, 14. Atque uvæ botrus in deſertum allatus iis fuit pro ſpecimine fertilitatis terræ *Chanaan*, Num. 13, 24. Nec dicendum, quod ſub Lege promiſſum & permiſſum fuerat, ſub Evangelio fuiſſe prohibitum; cum *Chriſtus*, ad nuptias invitatus, aquam in vinum mutaverit, quod convivis offerretur, *Joh.* 2, 8. Atque ipſe cum *Apoſtolis* vinum multoties biberit, adeoque in ultima illa cœna conſecraverit, ut eſſet toti Eccleſiæ ſanguinis ſui Sacramentum. Quid, quod *Timotheo Paulus* uſum vini commendat *propter ſtomachum*, 1. Tim. 5, 23. Sed res in ſe bona, hic damnatur propter ebrietatis mala. Quæ ſi quis non perpendit ſatis, cum *Lacedæmoniorum* pueris in ebrio homine vultum turbatum ſpectet, & titubantes pedes, & linguam balbutientem, & geſtus incompoſitos, & rationem cæcutientem, ac de ſede ſua motam. Cogitet idem helluonum lippientes oculos, naſum bile ſuffuſum, dentes putridos, fœtentem halitum, membra tremula, & abdomen arvinâ diſtentum; ut paralyſim taceam, & podagram, & vertiginem, & convulſiones, & lethargum, & apoplexiam, & mille morborum examina, qui, quantumlibet graves, plus tamen infamiæ, quam doloris afferunt: quia non ſunt fortuiti, ſed acceſſiti; nec infirmitati Naturæ tribuuntur, ſed intemperantiæ viribus. Præterea cum potu ſuffocatur ratio, accenduntur pravi affectus. Unde *Solomon* Prov. 20, 1. *Luxurioſa res vinum, & tumultuoſa ebrietas: quiſquis eo delectatur, non ſapit*. Et Prov. 23, 29. *Cui væ? cui evoe? cui contentiones? cui loquacitas? cui ſine cauſa vulnera? cui oculorum ſuffuſio? Commorantibus in vino*, &c. Et infrà, (a) *Oculi tui reſpicient alienas, & cor tuum loquetur perverſa*. Itaque hujuſmodi poculis homines mutantur in beſtias. Alii in leones: ut *Alexander*, qui *Clytum*, amicorum chariſſimum, occidit inter pocula; & *Herodes*, qui, è convivio excedens, Dei ſervum morti addixit. Alii in canes: ut *Nabal*, qui, vino plenus, *Davidem* allatravit. Alii in porcos, qui volutantur in fœdis voluptatibus: ut *Lot*, qui potus inceſto concubitu cum filiabus ſe polluit. Denique per alia vitia imago Dei, per crapulam & ingluviem etiam hominis imago in nobis extinguitur. Quin abjicimur infra pecudes, quæ non bibunt, niſi cum opus eſt, neque ſitim arte excitant, ſed Naturam ſequuntur ducem. Cum igitur tot modis pernicioſa ſit ebrietas, non immeritò vinum dicitur *nos mordere ut ſerpens, & baſiliſci inſtar pungere*. *Punget* Hebraicè eſt יפריש, cum *Sin* dextro. Quæ vox alibi *diſponere* [illegible] ſignificat, hic *pungere* ex *Chaldaica* lingua, qua פרש *peras*, eſt *bovis ſtimulus*, & פרש *paris*, eſt *calcar*. Unde *Hebræis etiam* פרש paras, *eques*, qui pungit equum calcaribus. Sed פרש Verbum cum *Sin* ſiniſtro eſt *extendere*. Quo reſpiciens *Hieronymus* reddidit, *Sicut regulus venena diffundet*: & *Græci*, ὥσπερ ὑπὸ κεράστου διαχεῖται αὐτῷ ὁ ἰός· *Tanquam à ceraſte diffunditur ejus venenum*. At *Chaldæus* & *Syrus* hic habent, *Ut baſiliſcus* דפרח, qui *volat*; quaſi legerint יפרח pro יפרש. Quod eſſet valde abſurdum. Neque enim quiſquam meminit *volantis baſiliſci*. Abſit igitur à nobis, ut alas addamus tali monſtro, quod vel ſolâ reptitatione tam eſt terribile. Ex prima verſione, *Ultimum ejus mordebit, ut ſerpens, & punget ut baſiliſcus*, duo hemiſtichia maximè ſunt ἀντίστροφα. Nam, ut *ſerpens* & *baſiliſcus*, ita *mordere* & *pungere*, ferè idem ſunt. Nempe ſerpens dicitur *morſu pungere*; quia dentes habet acutiſſimos. *Varro* apud *Priſcianum*, *Admota aſpis cum pupugerit*. Proinde morſus cherſydri, & draconis, in *Nicandri Theriacis* νύγμα dicitur, id eſt, *punctio*, verſibus 362, & 446. ut *Æliani Hiſtoriæ* libri decimi quinti capite decimo tertio, hæmorrhoüs morſu ſuo νύγμα ἐργάζεται *punctum excitat*, &c. Et *Arabica* tria verba لدغ *ladaga*, لسع *laſaa*, & وكع *vvachaa*, cum propriè *pungere* ſignificent, & de ſcorpione ſæpe uſurpentur, tamen etiam ad ſerpentis morſum pertinent; quia punctionis eſt ſpecies.

II. Secundum locum *Eſ.* 11, 8. *Oblectabit ſe infans ſuper foramen aſpidis, & ſuper cavernam baſiliſci puer ablactatus manum mittet*, jam antè (b) explicavimus in capite *De Aſpide*. Proinde hic ſolum obſerva cavernam *baſiliſci* dici *Hebraicè* מאורת צפעוני, & vocem מאורת, pro *caverna* alibi nuſquam occurrere. Unde eſt, quod in ejus verſione laborant interpretes. Et recentiores quidem, cum *Hieronymo*, *cavernam* reddunt: ſed *Græci* κοίτην, ut *Arabs* مضجع *cubile*, quaſi pro מאורת *meürath*, legerint מעונת *meonath*, quod κοίτην exponunt *Job.* 37, 8. & 38, 40. & *Jerem.* 10, 22. *Chaldæo* rurſus מאורת, eſt planè aliud, nimirum *pupilla oculi*, tanquam à Radice אור, quæ *lucidum eſſe* aut *illuminari* ſignificat. Unde nata illa Paraphraſis, על חזו גלגלי עיני חיוי חרמן חסילא ירודי יושיט, *Super aſpectum* (id eſt, *ſuperficiem*) *pupillæ oculi baſiliſci ablactatus manum ſuam mittet*. Hinc *Aben-Ezra*, מאורת העין שהיא בעלת האור, Meürath, *oculus, quia luce eſt præditus*. Nempe, ut hic habet *Kimchius*, *cum ſerpens eſt in foramine ſuo, & in tenebroſo illo loco, lucet pupilla oculi ejus, puer, lumen videns forinſecus, & lapidem pretioſum aut cryſtallum eſſe putans, manum extendit, ut hoc capiat*. Hæc ille ex mente *Chaldæi* interpretis. Sed idem ex ſua מאורת, *cavernam* dici vult ab אור, ſeu *luce*, quam per foramen admittit. Quomodo *Jud.* 6, 2. *Iſraëlitæ* dicuntur *Madianitarum* metu ſibi feciſſe in montibus את המנהרות, id eſt, *ſpecus*, ſic dictos propter feneſtram, per quam נהרה, *lux* ingreditur. In *Selomone R. Menachem* confert cum voce אור *ur*, quam *vallem* explicant *Gen.* 11, 28. & *Eſ.* 24, 15. Ego cum *Arabico* غار *aar*, quod *Arabes*, apud *Giggeium*, *ſpeluncam* interpretantur. Nempe illud غار ad Radicem غور referri docet noſter *Golius*. Itaque غار & מאורה ſunt voces ejuſdem originis, quantumvis diverſæ formæ.

III. Tertius locus eſt *Eſ.* 14, 29. (al. 15, 2.) *Nelætare tu*, Palæſtina *tota*, *quod confracta fuerit virga percutientis te*. *Nam è radice ſerpentis exit* צפע, *baſiliſcus*. Rex *Ozias* (ſub quo *Eſaias* ad munus Propheticum

a) *Verſu* 33.

b) Cap. 5 pag. 381. lin. 72. &c. ſuprà.

ticum à Deo vocatus fuerat *Eſ.* 1, 1.) *Palæſtinos* ad tempus gravi bello divexaverat, dirutis *Getha*, *Jabnia*, & *Azoti* mœnibus, atque urbibus in media *Palæſtina* ædificatis, 2. *Paral.* 26, 6. Sed, cum Sacerdotale munus uſurpare voluiſſet, à regno abdicatus in domo ſemota obierat: & ſucceſſerant *Jothamus* & *Achazus*, ſub quo *Palæſtini* animos & vires reſumpſerant, & irruerant in campeſtria & meridiana *Judææ* oppida, cœperantque *Bethſamem*, *Ajalonem*, *Gaderotha*, *Sochonem*, *Thamnam*, & *Gamzonem*, cum vicinis pagis, ibique conſederant. *Judæos* enim depreſſerat Dominus propter *Achazi* impietatem, 2. *Par.* 28, 18. 19. Sed illo ipſo anno, quo obiit *Achazus* (Eſ. 14, 28.) *Eſaias*, Deo plenus, magnam prædicit rerum mutationem brevi futuram ſub *Achazi* ſucceſſore *Ezechia*, qui *Palæſtinos Gazam* uſque ſubegit, 2, *Reg.* 18, 8. Proinde hic dicit *Propheta* Sanctus, *Ne lætare tu*, Palæſtina *tota, quod confracta fuerit virga percutientis te:* id eſt, Vos omnes, *Palæſtini*, qui olim exultaviſtis propter *Oziæ* Regis, qui vos malè mulctaverat, abdicationem, & mortem, & ſub *Achazo* auſi eſtis in noſtros inſurgere; ne lætamini ampliùs: nam è radice ſerpentis, id eſt, è ſtirpe *Oziæ*, qui ſerpentis inſtar vos pupugerat, exit alius ſerpens, *Ezechias* ſcilicet, iſque unus è graviſſimis, baſiliſcus, quem ipſo *Oziâ* graviorem & infenſiorem experiemini maximo veſtro malo. Unde *Hieronymus* in hunc locum, *Ne læteris*, O Philiſtæa, *ne inſultes populo meo*, &c. *quod baculus, qui te ferire ſolitus erat, videatur morte contritus, quod coluber interfectus. Pro hoc enim nocentior naſcetur* Ezechias *regulus, quem* Græci *vocant baſiliſcum, qui te ſuo aſpectu interficiat, & ſpiritu oris occidat. Quomodo enim nulla avis poteſt reguli aſpectum illæſa tranſire, ſed, quamvis procul fuerit, ejus ore ſorbetur: ità & à conſpectu Regis* Ezechiæ *totus peribis. Et pulchrè ſervavit Metaphoram; quia enim ſerpentem & regulum nominârat, ore ejus & ſpiritu dicit volucres devorari.* Nempe in *Hieronymi* verſione ſic habet integer verſus, quem tractamus; *De radice enim colubri egredietur regulus, & ſemen ejus abſorbens volucrem.* Cujus ultima verba vir ſanctus accommodat ad baſiliſci hiſtoriam, de quo *Solinus*; *Ipſas etiam corrumpit auras: ità ut aëra nulla alitum impunè tranſvolet, infectum ſpiritu peſtilenti.* Et ex illo *Iſidorus*, *Ad ejus aſpectum nulla avis volans illæſa tranſit: ſed quamvis procul ſit, ejus ore combuſta devoratur.* Et *Avicenna*, اذا حادي مسكنها طاير سقط *Cadit avis quandocunque eſt è regione latibuli ejus.* Et *Alkazuinius*, ان طار طاير فوقها سقط عليها *Si avis ſupervolat, in illum cadit.* Ita etiam *Damir*. Sed hæc non ſunt admodum certa, neque ante *Solinum*, qui non eſt optimus auctor, à quoquam tradita, quod meminerim. Et *Eſaias* fruſtrà profertur, cum *Hebræa* ſic habeant, ut in *Notis* agnoſcit ipſe *Hieronymus*, ופריו שרף מעופף. *Et fructus ejus ſerpens* (aut potiùs *hydrus*) *volans*, quæ infrà explicabuntur. Quiſquis igitur illa verba primus ità reddidit, *Et ſemen ejus abſorbens volucrem*, pro שרף legit שואף, quod *abſorbentem* ſonat. Verùm enimverò nihil opus eſt hic operosè cauſas conquirere, cur cum *ſerpente* aut *baſiliſco* conferatur Rex *Ezechias*, cum non ſit novum, ut Rex potens per *ſerpentem* adumbretur. Ità enim apud *Ægyptios*, qui *Palæſtinis* vicini erant, ſcribit *Ælianus Hiſtoriæ* libri ſexti capite trigeſimo octavo, τοὺς βασιλεῖς ἐπὶ τῶν διαδημάτων φορεῖν πεποικιλμένας ἀσπίδας, τῆς ἀρχῆς αἰνιττομένους τὸ ἀνίκητον, *Reges in diadematibus geſſiſſe pictas aſpides, quæ invictam imperii potentiam ſignificarent.* Quia ſcilicet τῶν ὑπ' ἀσπίδος δηχθέντων οὐ μνημονεύεται οὐδεὶς ἐξάντης γεγονέναι τοῦ κακοῦ, *eorum, qui ab aſpide morſi ſunt, nemo unquam evaſiſſe legitur.* Et *Hori* libri primi capite quinquageſimo ſexto, Βασιλέα δὲ κάκιστον (lege κράτιστον) δηλοῦντες, ὄφιν ζωγραφοῦσι κοσμοειδῶς ἐσχηματισμένον, οὗ τὴν οὐρὰν ἐν τῷ στόματι ποιοῦσι· *Ut Regem potentiſſimum ſignificent, ſerpentem pingunt cum cauda in ore in orbis figuram:* nempe ut illum innuerent toti terrarum orbi imperare. Lege etiam capita, quinquageſimum ſeptimum, & quinquageſimum octavum, & ſexageſimum, & ſexageſimum primum: in quibus omnibus per ſerpentem, vel vigilantem, vel inflexum, vel dimidium, vel integrum, Regum variæ virtutes aut officia ſignificantur. Sed in omni ſerpentum genere baſiliſcus maximè eſt figura Regis. Id enim *Arabico* ملكة melecha, *Græco* βασιλίσκου, & *Latinò* REGULI nomine ſignificatur. Nempe illum ἑρπηστῶν βασιλῆα, *reptilium Regem*, vocat *Nicander Theriacῶν* verſu 397. Et *Plinius* deſcribit *candidâ in capite maculâ ut quodam diademate inſignem.* Et Solinus *albâ quaſi mitrulâ lineatum caput.* Galenus quoque, & *Aetius*, θηρίον ἐπὶ τῇ κεφαλῇ τρεῖς ὑπεροχὰς ἔχον, *ſerpentem in capite tres habentem eminentias.* Et *Avicenna*, مكللة الراس *capite coronato.* Et *Damir*, علي راسه خطوط بيض مثل التاج *albas in capite lineas habentem coronæ inſtar.* Et *Alkazuinius*, قال جالينوس انها حية شقرا علي راسها ثلاث قنازع مثل التاج *Dixit* Galenus *anguem eſſe rufum, & ſuper caput tres habere criſtas in coronæ modum.* Illum addunt, non, ut reliquos, toto corpore pronum ſerpere, ſed erecto capite, & mediâ parte corporis. Plinius, *Non flexu multiplici, ut reliquæ ſerpentes, corpus impellit; ſed celſus, & erectus, in medio incedens.* Solinus, *Cum movetur, mediâ corporis parte ſerpit, mediâ arduus eſt, & excelſus.* Quaſi hoc ſit inſigne regni, ut *Perſarum* Regibus τὴν τιάραν ὀρθὴν ἔχειν. Sed & eidem, quamlibet parvo, cedit omne reptilium genus, tanquam pro Rege eum agnoſcens; illa enim ſibilo fugans, ut antè (c) docuimus, (c) Cap. 9. pag. 397. lin. 1. &c.

- - - - latè ſibi ſubmovet omne
Vulgus, & in vacua regnat baſiliſcus arenâ.

Ità *Lucanus* libro nono: quod pluribus explicant *Nicander* & apud *Ælianum Archelaus*. quin & Deorum capitibus hoc animal inſerebatur, tanquam μόνον ἀθάνατον, *ſolùm immortale*, id eſt, omnium ſui generis longè vivaciſſimum: &, quia quodvis aliud animal ſolo flatu perimit, videbatur ζωῆς καὶ θανάτου κυριεύειν, *habere jus vitæ & necis.* Quæ ideò hic obſervo; quia non ſolùm *Ezechiæ* Regis, ſed & *Chriſti* θεανθρώπου Symbolum eſſe creditur *baſiliſcus*. Proinde locum, in quo verſamur, *Jonathan* ſic παραφράζει· *Ne latemini, vos omnes* Philiſtæi, *quia contritum eſt dominium, cui ſerviebatis; quia de filiis filiorum* Jeſſe *exibit* Meſſias. In quibus verbis *Meſſiam* pro *baſiliſco* poni conſtat, quaſi *baſiliſci* nomine *Chriſtum Propheta* intellexerit: ut multis ante ſæculis illum ſignificaverat *Moſes* per *ſerpentem in deſerto erectum*. Ibidem *Jeſſe* eſt pro voce נחש *nahas*, quæ *ſerpentem* ſonat. Neque id ſine cauſa. Nam, ut obſervat *Kimchius*, *Davidis* pater, *Jeſſe* binomius fuit: neque ſolùm *Jeſſe*; ſed & נחש *Nahas*, dictus eſt. Proinde 2. *Sam.* 17, 25. legitur *Abigail* filia fuiſſe τοῦ *Nahas*, qui idem eſt cum *Jeſſe*. Itaque in *Eſaiæ* verbis, *Ex radice* τοῦ נחש nahas *exibit baſiliſcus*, intellexit *Chaldæus* Paraphraſtes *Meſſiam* naſciturum ex ſtirpe *Jeſſe*.

IV. Quartus locus eſt *Eſ.* 59, *v.* 5. ביצי צפעוני בקעו, *Ova baſiliſci excluſerunt.* Hic in malam partem ſumitur, ut anteà in bonam. Nam ova baſiliſci

ſunt crimina, & ſcelera, quæ, cogitatione concepta, per opera excluduntur. Proinde ad hunc locum *Kimchius*, *Cogitationes & opera eorum cum ovis baſiliſci confert, ex quibus excluſis exeunt baſiliſci, quomodo excluduntur eorum conſilia, & opera mala.* Et paulò pòſt, *Ut ovum pulli, quod is roſtro fodicat, teſtam paulatim frangens, donec in lucem exeat: Ità illi jugiter hærent in malis cogitationibus, donec ad opus illas perduxerint.* Sequitur in eodem *Eſaiæ* loco, *Qui comedit ex ovis eorum, morietur: &, ſi quis ea comprimat, excludetur* אפעה, *vipera.* Itaque in eodem verſu *baſiliſci* & *viperæ ovis* comparantur eadem facta. Unde tamen non ſequitur, quod vult *Kimchius*, אפעה & צפעני ejusdem ſerpentis eſſe nomina. Quin צפעני, eſt *baſiliſcus*, אפעה, *vipera*, ut probatum eſt hactenus. Sed id in Scriptura tralatitium eſt, ut per varias ſerpentum ſpecies res eadem ſignificetur. Sic *Deut.* 32, 33. *Fel draconum eſt vinum illorum, & venenum aſpidum crudele.* Job. 20, 16. *Fel aſpidum ſuget, & occidet eum lingua viperæ.* Pſal. 91, 13. *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis*, &c. Eſ. 11, 8. *Oblectabitur infans ſuper foramen aſpidis, & ſuper baſiliſci cavernam*, &c. Eſ. 14, 29. *Ex ſtirpe ſerpentis exibit baſiliſcus, & fructus ejus erit hydrus volans.* Quod notandum in *Gregorium Nazianzenum*, qui ſub finem *Irenici ſecundi* ſic agit, quaſi ex urino aſpidis ovo poſſet edi baſiliſcus. Ibi enim ita habet ſcriptor elegantiſſimus, Ἐπειδ᾽ ἂν τὰ ὠὰ τῶν ἀσπίδων ῥήξαντες, ἢ συντρίψαντες λόγῳ σκληρῷ, καὶ ἀντιτύπῳ, οὔρια καὶ ἀνεμιαῖα ταῦτα ἐλέγχωμεν, καὶ τὸν ἐν αὐτοῖς τῆς ἀσεβείας κρυπτόμενον βασιλίσκον εἰς μέσον ἀγάγωμεν· *Cum ruptis, aut ſolidâ diſputatione contritis, aſpidum ovis, urina ea & ſubventanea eſſe demonſtraverimus, abditumque in ipſis impietatis baſiliſcum in medium protulerimus.* Alludens ſcilicet ad hæc *Eſaiæ* juxta *Græcam* editionem, Ὠὰ ἀσπίδων ἔῤῥηξαν, &c. καὶ ὁ μέλλων τῶν ὠῶν αὐτῶν φαγεῖν, συντρίψας οὔριον, εὗρεν ἐν αὐτῷ βασιλίσκον. In quibus tamen illud αὐτῷ non refertur ad *aſpides*, ſed ad *impios* illos, quorum opera priore hemiſtichio aſpidum, poſteriore baſiliſcorum ovis comparantur.

V. Ultimus de baſiliſco locus eſt *Jerem.* 8. *verſ.* 17. *Nam ego in vos immittam ſerpentes baſiliſcos, in quos nulla eſt incantatio, qui mordebunt vos, dicit Dominus.* Ubi *Chaldæus*, *Nam ego in vos excitabo* עממיא קטולין כחוין חרמנין דלית להון לחשא, *populos occidentes, ſicut ſerpentes regulos, in quos nulla eſt incantatio.* Theodoretus *hoſtes* intelligit, qui τῆς ἡμετέραις οὐκ εἴκουσι παρακλήσεσιν, *noſtris obteſtationibus non cedunt.* Hieronymus *ſerpentem antiquum*, & *adverſarias poteſtates*, quibus tradentur, qui Dei præcepta contempſerint. Nos potiùs *Aſſyrios*, quibus *Iſraelitæ* proxime erant tradendi. *Secunda editio* pro baſiliſcis habuit σκοποὺς *ſpeculatores*, id eſt, צפים pro צפעני. Serpentem quemvis nugatur *R. Selomo*, poſtquam vixit annos ſeptuaginta, fieri צפע, *baſiliſcum*, & tum obturare aurem, ne incantatorem audiat. Quod probat ex *Pſal.* 58, 5. ubi tamen de צפע, ſeu *baſiliſco*, nihil. Sed פתן, *aſpis aurem obturare* (d) legitur, &c. quod abundè ſuprà (e) explicatum.

(d) Pſ. 58, 5. 6.
(e) Cap. 6. p. 384

CAPUT UNDECIMUM.

Probatur voce קפוז *kippoz*, *Eſ.* 34, 15. neque *Hericium*, ut veteribus; neque *Avis ſpeciem* ſignificari, ut recentioribus viſum: ſed Serpentem *Acontiam*, ſive *Jaculum*.

Explicantur Hebræa *tria verba de ovorum partu, fotu, & excluſione.* מלט malat, *id eſt*, parere; *unde* Μυλίττα, Μυλίττα, Μιλίτη, Aſſyria *Dea, quæ partus præeſt: non à* ילד jalad, *ut vult* Scaliger. בקע rumpere, *item* excludere. דגר, congregare, *item* ova fovenda colligere. *Conjunctio* ET *pro* CUM *uſurpata.* קפוז kippoz, *non eſt* קפוד kippod, *id eſt*, hericius: *ſed animal oviparum. Gravis doctorum hallucinatio de ovis hericis.* קפוז kippoz, *cum à* ſaltu *dicatur, non eſt* teſtudo, *neque* cypſelus *avis, quæ non ſaltat.* Cypſelus *unde dicatur. Neque eſt* merula. *Merula enim in cultis locis degit:* kippoz *in deſertis. Neque* ſcops, *quæ eſt* ὀρχηστικὴ· *non* ἁλτικὴ, *ut* kippoz. *Sed eſt* acontias, *ſive* jaculus *ſerpens, cui* ἅλμα *vel* προσπήδησιν *omnes tribuunt. Unde* Arabicè قفازة kipphaza *dicitur. Hic ſerpens quàm pernicioſus.* Agatharchides *emendatus.* Strabonis *interpres notatus. Salit tanto impetu, ut prævertat omnem fugam. Morſus inſanabilis, ſi ſit ſupra ilia. Saltus cubitorum viginti. Natales in* Libya, Ægypto, *&* Arabia. Nidulari *quidem dicitur* kippoz, *ſed non ſequitur eſſe avem; cum nidus etiam tribuatur reliquis animalibus, nempe homini, leoni, ſui, hyſtrici, hericio, phycidi piſci, crocodilo, vermibus, culici, muſcæ, api, veſpæ, crabroni, formicis, muribus, ſtellionibus, blattis, locuſtis, ipſis denique ſerpentibus: quod probatur exemplis undecunque allatis. Serpentes ova parere, fovere, & excludere: & Naturæ ſcriptores illa ipſa verba de iis uſurpare, quæ hic* Eſaias *de* kippoz. *Ova ſerpentum congregari, & ſimul connecti. Aves* ova ſub alis *vel* pennis fovere *dicuntur; ſed* kippoz *ſolùm* ſub umbra ſua. *Serpentes de ovis ſuis quam ſint ſolliciti.*

BOſtram & *Idumæam* ferro & igne ita vaſtandam interminatur *Eſaias* capite trigeſimo quarto, ut, omnibus incolis vel pulſis, vel extinctis, feris tantum & ſolivagis animalibus ſit deinceps habitabilis. In his nominatur קפוז *kippoz*, de quo ſic agit Divinus Vates verſu decimo quinto, *Ibi nidificabit* kippoz, *& liberabitur, & rumpet, & congregabit in umbra ſua.* Sic *Hebræa* ſonant ad verbum. Sed, verbis ומלטה, & ובקעה, & ודגרה, ex generali ſignificatione tranſlatis ad ſpecialem, recentiores *Hebræi* hunc verſum rectè reddunt; *Ibi nidificabit* kippoz, *& pariet, & excludet, & fovebit in umbra ſua.* Nempe מלט *malat*, in genere eſt *liberare*, vel *liberari*; hic *parere*, ut *Eſ.* 66. *v.* 7. והמליטה זכר, ubi noſtra verſio ad verbum, *Elle a eſté delivree d'un maſle*, Phraſi tam *Hebraicâ* quam *Gallicâ.* Idem Verbum ملط *malata* etiam *Arabes* de *partu* uſurpant, ſed de eo propriè, qui *abortivus* & *intempeſtivus* eſt. *Aſſyria Venus*, quam præſediſſe partui, atque eandem fuiſſe cum *Lucina*, & *Ilithya*, multis contendit *Seldenus* in libello *De Diis Syris*, ab hoc Verbo videtur nomen

men habuiſſe Μυλίττας, ut eſt in *Herodoto*; vel Μυλήττας, & Μυλίτης, ut eſt in *Heſychio*; potius quam à Verbo ילד, *generare*, prout conjicit *Scaliger*: cum ut verbi ſonus, ita etiam ſignificatio congruat magis. *Lucina* enim in partu juvat, non in generatione. Etiam בקע in genere eſt *findere*, vel *rumpere*, hic *ovi ruptione parvulos excludere*: ut *Eſa*. 59. *v*. 5. *Ova baſiliſci* בקעו, *ruperunt*, id eſt, *excluſerunt*. Sic *Latinè* dicitur pullus *ex ovo erumpere*. Denique דגר. apud *Chaldaos*, à quibus deſumptum eſt hoc Verbum, in genere eſt *congregare*, hic *congregare ſub ſe ova* vel *pullos*, ut calore materno foveantur. Non aliter ſumitur *Jer*. 17. *v*. 11. ubi *Propheta* dicit, קרא דגר ולא ילד, *Ruſticula congregat* (id eſt, *fovet*) *qua non peperit*. Nec à *Chaldao* interprete, cùm *Hebraum* תחמם, *calefaciet*, de ſtruthionis ovis, reddit תדגר, *congregabit*, id eſt, *fovebit*, Job. 39. v. 14. (al. 17.) Inſuper in hæc verba, בקעה ודגרה, *excludet*, *& fovebit*, notandum conjunctionem *ET* idem eſſe quod *CUM*, vel *POSTQUAM*. ac ſi *Propheta* ſcripſiſſet, *Excludet ova*, *poſtquam ea foverit*. Sic *Exod*. 14. *v*. 21. *Redegit mare in ſiccum*, *& diviſa ſunt aqua*: id eſt, *poſtquam diviſa ſunt aqua*. Et *Eſa*. 64. *v*. 5. *Iratus es*, *& peccavimus*: id eſt, *cùm peccavimus*, vel *quia peccavimus*. Ita *Kimchius*.

Sed hæc nemini non ſunt obvia: quid ſit קפז *kippoz*, non item; Cùm alibi nullum occurrat animal hujus nominis, nec in Scriptura, nec in *Talmude*, nec in *Syrorum* aut *Chaldaeorum* libris. Dicam tamen de ea voce quid ſenſerint cum veteres tum recentiores interpretes. *Graci*, *Chaldaus*, *Syrus*, *Arabs*, *Vulgatus*, *Hieronymus*, *Pomarius*, *Schindlerus* reddunt *hericium*, ac ſi קפז *kippoz*, ſit idem, quod קפד *kippod*, paulo ante verſu 11. Ita ſuadente ſcilicet ſoni vicinitate, & literarum Z & D facili permutatione. *Kimchius* item, & *Selomo*, & *Mardochaus*, & *Aquinas*, & *Hebrai* ferè quotquot ſunt, *kippod* & *kippoz* pro eodem habent. Sed *kippod*, adeoque & *kippoz*, alius *teſtudinem* exponit, alius *noctuam*, alius in genere *avem ſolitariam*. Solus *Aben Ezra*, quod ſciam, *kippod* & *kippoz* diverſas aves eſſe vult, ſed quales non explicat. Sed & eorum interpretum, qui noſtro ævo in novis verſionibus elucubrandis utilem operam navàrunt, non parva hic eſt diſſenſio. *Santes* exponit *hericium*, Caſtalio *bubonem*, Junius *merulam*, Deodatius *il gufo*, id eſt, *ſcopem*; Angli the great Owe/ id eſt, *magnam ululam*; Galli, poſt *Mercerum*, *le martinet*, id eſt, *cypſelum*; *Arias* ipſam vocem *Hebraam* in *Latinum* textum inſerit, ingenuè profeſſus eam à ſe non intelligi.

Nunc, ut modeſtè aperiam, ſed liberè, quid in ſingulis deſiderem: Primò hoc haberi velim pro certo, קפד *kippod*, & קפז *kippoz*, utut ſono ſimilia ſint, tamen eſſe nomina diverſorum animalium. 1. Quia in eadem ſerie contextus ab *Eſaia* proponuntur ut diverſa. *Eam*, inquit, *poſſidebunt pelecanus & KIPPOD*. Et, paucis interjectis, *Ibi nidificabit KIPPOZ*. Quæ inanis eſſet repetitio, ſi *kippod* & *kippoz* idem eſſent. 2. Hoc potiſſimum, quod, cum קפד *kippod*, *hericium* eſſe ſuo loco (*a*) probaverim, id eſt, animal quadrupes viviparum; contra deſcribitur קפז *kippoz*, ut animal oviparum: *Ibi nidificabit* kippoz, *& pariet*, *& excludet* (ova ſcilicet,) *poſtquam* (illa) *foverit in umbra ſua*. Quid expreſſius? Itaque *Santes* & *Schindlerus* in *Lexicis* ſuis, voce בקע, plane videntur ignoraſſe quod animal ſit *hericius*: alioqui nunquam dicturi, quod faciunt in hujus loci expoſitione, *nidificare hericium*, & *rumpere ova*, & *iis ruptis pullos ſuos excludere*.

a) Part. 1. lib. 3. cap. 36. pag. 1035.

Secundò, quidquid ſit קפז *kippoz*, cum *à ſaltu* nomen habeat, neque *teſtudo* eſt, neque *cypſelus* avis. Neutri enim convenit ſaltus. Non teſtudini, quæ ne graditur quidem aliter quam reptitando. Sed neque avi *cypſelo*, quam alii *apodem* vocant, quia pedum uſu caret, & inceſſus ferè eſt expers. *Plinius* lib. 10. cap. 39. *Plurimum volant*, *qua* apodes; *quia carent uſu pedum*: *ab aliis* cypſeli *appellantur hirundinum ſpecie*. Item, *His quies*, *niſi in nido*, *nulla*. *Aut pendent*, *aut jacent*. Eadem etiam alii ſcribunt. Præterea, cum cypſelus marina ſit avis, aut riparia, quorſum nidificare dicatur in *Idumaa* aridis locis? Fruſtra *Mercerus* urget, *cypſeli* vocem ab *Hebraa* קפז *kippoz*, non abludere. Neque enim id tanti eſt, cum cæteræ notæ deſint. Ut taceam ab *Hebraa* lingua malè repeti vocem, quæ palam eſt *Graca* originis. *Cypſeli* enim dicuntur ἀπὸ τῶν κυψελίδων *ab alveolis*, quos è luto ſibi conſtruunt. *Philoſophus Hiſtoria* libri 9. cap. 30. Οἱ δ' ἄποδες, οὓς καλοῦσί τινες κυψέλους, νεοττεύουσιν ἐν κυψελίσιν ἐκ πηλοῦ πεπλασμέναις μακραῖς. Sic, apud *Herodotum* in *Terpſichore*, *Eëtionis* filio *Cypſeli* nomen inditur ἀπὸ τῆς κυψέλης, in qua latens ex periculo mortis evaſerat.

Tertia interpretatio, quæ קפז *kippoz*, *merulam* exponit, plus habet veriſſimilitudinis. 1. *Merula* enim *Græcè* eſt κόσσυφος, quod ex *Hebrao*, *kipphoz*, ut efferebant veteres, factum videri queat per literarum Metathesim. 2. Et cum ſolitariis animalibus videtur poſſe cenſeri, cum *merulam* dici velint (b) *Varro*, (c) *Feſtus*, (d) *Iſidorus*, eò quod *mera*, (id eſt, *ſola*) volitet. 3. Eadem avis קפז *kippoz*, rectè dicatur *à ſaltu*, cum ſubſultet potius, quàm ambulet. *Plinius* lib. 10. cap. 38. *Avium ambulant aliqua*, *ut cornices*; *ſaliunt aliqua*, *ut paſſeres*, *merula*. Has rationes habuit *Junius*, cur *kippoz merulam* redderet. Sed vir doctiſſimus non cogitavit, *Prophetam* ibi agere de φιλερήμοις animalibus, quorum inhabitatione cultus antea locus vaſtus atque horridus fiat. In quo numero merulam eſſe nemo dixerit, quæ avis eſt innoxia, habitu corporis decens, voce ſuavi, ſapore grato, fimo ad lætificandos agros utiliſſimo, quamquè adeò in Ornithotrophiis cum luſciniis vult ali *Varro* lib. 3. *De Re Ruſtica* cap. 5. *Merulam* quidem dici volunt, quia ferè vagatur ſola, nec niſi propter ſobolem cum avibus ſui generis ſolet inire ſocietatem. Sed hanc originationem, cum aliis *Varronis*, deridet *Quintilianus* lib. 1. cap. 5. *Cui*, inquit, *non poſt* Varronem *ſit venia*? *qui* AGRUM, *quod in eo* agatur *aliquid*; *&* GRACULOS, *quia* gregatim *volent*, *dictos*; Ciceroni *perſuadere voluit* (*ad eum enim ſcribit*:) *cùm alterum ex* Græco *ſit manifeſtum dici*, *alterum ex vocibus avium*. *Sed hoc tanti fuit vertere*, *ut* MERULA, *quia ſola volat*, *quaſi* mera volans *nominaretur*. Et *merulam* quidem dici, quaſi *meri volam*, merum commentum: *merula* tamen pro *mera*, id eſt, *ſola*, dici potuit diminutivâ voce. Verùm, undecunque nomen traxerit, eam in habitatis locis degere, nemo eſt, qui neſciat, atque unam merulæ ſpeciem plerumque ἐπὶ τῶν κεράμων *ſuper tectorum tegulas* verſari, ut obſervat *Philoſophus Hiſtoria* libri noni capite decimo nono. Unde eſt, quod huc nonnulli referunt illud *Pſaltes*, *Fui ſicut paſſer ſolitarius ſuper tectum*.

b) Varro, De Ling. Lat. 4.
c) Feſtus in Merum.
d) Iſid. Orig. lib. 12. cap. 7.

Hoc vitavit incommodum *Deodatius* ὁ μακαρίτης, qui קפז *kippoz*, Italicè *gufo*, id eſt, *ſcopem*, interpretatur; avem non modò ſolitariam, & φιλέρημον, ſed & nocturnam, & deformem, & ominoſam, vocisque abſurdæ & abſonæ. *Homeri* vetus *Scholiaſtes*, Σκῶπες, ὄρνεα νυκτίνομα, κακόνομα, κακόφωνα, οἱονεὶ σκαρίζοντες τινές. 2. Accedit, quòd meritò קפז *kippoz*, id eſt, *ſaltatricula*, nominari poſſe videtur avis, quæ ſaltatione tam delectatur, ut, aucupe ſaltante, capi legatur ἀντορχουμένη, id eſt, *ex adverſo ſaltitans*. Quocirca ſcopem *Athenaus* (e) iis accenſet animalibus, quæ ſaltantem intuentia νευροσπαστεῖται, id eſt, *moventur ad inſtar ſigillariorum* νευροσπαστῶν (Gallicè *des marionettes*) & ut —— *nervis alienis mobile lignum*. Unde σκὼψ (f) appellatur *ſaltationis quoddam genus varietate motuum & geſticulationum inſignis*. Et σκώπτειν propriè

e) Athen. lib. 9. cap. 10. Ælian. Hiſtor. lib. 15. cap. 28. Euſtat. in Odyſſ. ε.
f) Athen. lib. 14. Pollux. lib. 4. cap. 14. Ælian. & Euſtath. ubi ſupr.

eſt

eſt ſcopis inſtar imitatione ridiculâ aliquid effingere.

g) Vide Athen. 3. lib. 9. Homer. Odyſſ. ι'. Ariſt. Hiſt. lib. 9. cap. 28.

Quid, quod pro *ſcope* veteres ferè *copem* (g) ſcribebant ſine *Sigma* præfixo. In his *Epicharmus*, *Speuſippus*, *Metrodorus*, & *Alexander Myndius*, qui *Homerum* etiam & *Ariſtotelem* aſſerit κῶπας ſcripſiſſe, non σκῶπας. Quod ideo obſervamus, quia κῶψ magis accedit ad *Hebræum* קפז *kippoz*. Et vox Italica *gufo* videtur ex utroque poſſe deduci: cùm *gli cufi*, vel *gufi*, ſint veterum *copes*, vel *ſcopes*. *Phavorinus*, καὶ σκῶπες σκῶπές τε), ὡς κύφοι ἢ γύφος οἱ Ῥωμαῖοι φασι. Idem eſt in *Euſtathio*, niſi quod, pro κύφοι ἢ γύφος, noſtra exemplaria perperam habent κυκύβας. Videt cordatus lector ultimam hanc interpretationem maximè eſſe probabilem. Neque aliud eos voluiſſe puto, qui *bubonem*, aut *magnam ululam*, eandem vocem reddiderunt. Tamen hoc certum eſt, *ſcopem* non potuiſſe dici קפז *kippoz*, eo quòd ſit ὀρχηστικὴ, & ab aucupe ſaltante capiatur ἀντορχουμένη. Neque enim *Hebræum* קפז eſt ὀρχεῖσθαι, ſed ἅλλεσθαι. Proprium vocis uſum didicimus ex *Arabibus*, qui tria verba prope ſynonyma زج *zaggia*, طفر *taphara* (Chaldaicè טפז *tephaz*) & قفز *kaphaza* (Chaldaicè קפז *kephaz*) ita promiſcuè uſurpant, ut زج *zaggia* plerumq; ſignificet *proſilire in plano*, طفر taphara *è ſublimi loco in inferiorem deſilire*, قفز kaphaza *ſurſum exſilire ex inferiore loco*.

h) Avic. l. 3. 1. 2.

Hinc in *Avicenna* (h) capite *De ſpeciebus exercitii*, القفز *Alcaphzo* fit الى شيء ليتعلق به *ad rem aliquam, ut ab ea quis ſuſpendatur.* Et in Sacris Paraphraſibus قفز *kaphaza* occurrit paſſim pro verbis *Hebrais* דלג, & זנק, & נתר, quibus ἅλμα, & πήδημα, non ὄρχησιν, ſignificari notum eſt. Ergo קפז *kippoz*, ut res nomini reſpondeat, oportet eſſe animal ἁλτικὸν, non ὀρχηστικὸν (Gallicè *propre a ſauter, non a dancer.*) Quæ duo quam differant, nemo non videt. Neque id omiſſum à *Scaligero*, qui *Ariſtotelis* locum explicans, quo capi legitur otus ἀντορχούμενος *Hiſtoria* lib.8.cap.12. Ἀντορχούμενος, inquit, *viciſſim geſticulans. Ὄρχησις aliud eſt quàm ἅλμα.*

Itaque tam in avium, quam in quadrupedum genere קפז *kippoz*, fruſtra quæſitus hactenus, docti judicent annon potius pertineat ad ſerpentes, ex quorum numero eſt *acontias*, ſive *jaculus*, ita dictus διὰ τὸ ὁρμᾶν ὥσπερ τὰ ἀκόντια, *quia jaculorum inſtar impetu fertur.* Ita *Nicandri Scholiaſtes*. Nec multò aliter *Ælianus* lib.6.cap.18. Ἤδη δὲ καὶ ἀκοντίου δίκην ἑαυτὸν τις μεθίησι, καὶ ἐπιφέρεται. καὶ τὸ ὄνομα ἐξ ὧν δρᾷ ἔχει· κέκληται γὰρ Ἀκοντίας. *Eſt & ſerpens quidam, qui in modum jaculi ſemet ipſum emittit* (*Apoſtolius* (i) legit μεθίησιν

i) Proverbio 1456. quem vide.

transfert) *& irruit: & ex eo, quod facit, nomen habet; vocatur enim Jaculus.* Itaque ferè omnes illi ἅλμα tribuunt, & προσπήδησιν. *Agatharchides* cap. 50. de hoc ſerpentum genere, Τὴν πληγὴν δὲ δίδωσι παλλόμενον εἰς ὕψος· *Plaga infert vibratum in altum.* Quod poteſt ferri. Tamen ἀλλόμενοι conſtanter ſcribunt poſteriores. *Artemidorus* apud *Strabonem* libro 16. Ὄφεις δὲ σπιθαμιαῖοι, φοινικοῖ τὴν χρόαν, προσαλλόμενοι, &c. *Serpentes ſunt trium palmorum, coloris puniceì, aſſilientes*, &c. *Diodorus* lib.3. pag.126. Δάκνουσι δὲ προσπηδῶντες, καὶ ἀλλόμενοι πρὸς ὕψος· *Mordent proſilientes, & in altum ſaltantes.* Ælianus *Hiſtoria* libri 8. cap.13. Ἔστι ἁλτικὸν θηρίον, καὶ διαπηδῆσαι καὶ εἴκοσιν εἰ δέοι, πήχεις οἷόν τε· *Eſt ſerpens ſaltu valens, quodq; viginti cubitorum ſpatium, ſi ſit opus, tranſilire queat.* *Galenus* cap. 8. *Ad Piſonem*, Ὁ δὲ ἀκοντίας, ὁλοίτας ἑαυτὸν πάνυ, καὶ ὥσπερ τι ἀκόντιον ἐφαλλόμενος τοῖς σώμασιν· *Jaculus ſe ipſum multum extendens, & in jaculi modum in corpora inſiliens.* Iſidorus Originum lib. 12. cap. 4. *Exſiliunt in arbores, & dum aliquod animal obvium fuerit, jactant ſe ſuper illud.* Et *Avicenna* (k) Tom. 2. pag. 139. ربما كمنت على الأشجار راصدة وترمي بانفسها على من يمر بها وتثب منزجة البعد *Quandoque ſuper arbores in inſidiis latet; &, ſi quis prope illas tranſeat, ſe jaculatur, & deſiliens in eum irruit.* Unde eſt, quod *acontias Arabicè* vocatur ab *Avicenna* قفازة *kipphaza*, & طفارة *tipphara*; quaſi *aſſultricem* dixeris, & *deſultricem*. Nam قفازة *kipphaza* propriè dicitur cum ſurſum nititur; putà ex ſolo in arbores: & طفارة *tipphara*, cum è ſublimi deſilit; putà ex arboribus in viatores. Prius nomen omnino factum ad inſtar *Hebrai* קפז *kippoz*, vel *kipphoz*, ut veteres legiſſe & extuliſſe certum eſt. Eædem utrobique literæ Radicales, & eadem penè nominis forma, quantum ferre potuit linguarum diverſitas. Tantum in *Arabico* قفازة *kipphaza* addita eſt Fœminina terminatio, quam in nomine קפז *kippoz*, deſiderari docent Fœminini generis quatuor verba huic adjuncta. Quamvis ideò diverſa ſit terminatio, quia *Hebræum ſerpentis* nomen נחש Maſculinum eſt, & *Arabicum* حية Fœmininum.

k) Avicen. Lam. 4. 6. 1. 4 40.

Hæc de verbo: rem quod attinet, inter *Africæ* peſtes nulla eſt hoc ſerpente deterior. *Aëtius* ubi ſupra cap. 27. *Ab hujus morſu ſequuntur omnia, quæ de vipera dicta ſunt, atque etiam graviora.* Avicenna, *Accidit ex morſu ejus dolor vehement, & ulcus calidum toto corpore, atque ex eo mors.* Et morſum ejus ἀνίατον vel ἀνήκεστον, id eſt, *inſanabilem eſſe* ſcribunt *Agatharchides*, *Diodorus*, & *Strabo*. Proinde in *Agatharchide* hoc ſerpentis genus dicitur eſſe ἰωδέστατον πάντων *omnium venenoſiſſimum.* Is enim videtur ita ſcripſiſſe, non ἰδιώτατον, ut habent noſtræ editiones. Neque vitabile eſt hoc telum, cum ex inſidiis erumpat tanto impetu, ut prævertat omnem fugam. *Miſſili volare tormento* dicit *Plinius*: & *Solinus*, *ex arboribus vi maxima turbinatum, penetrare animal quodcunque obvium fortuna fecerit.* Et *Ælianus*, ἁλλόμενος δὲ παραχρῆμα ἐνέφυ, *Inſiliens ſtatim adhæret*, nempe iis, quæ ſaltu appetit. Tam præceps rapiditas à *Lucano* ſic deſcribitur lib. 9. verſu 822.

Ecce! procul ſævus ſterilis ſe robore trunci
Torſit & immiſit (*jaculum vocat* Africa) *ſerpens,*
Perque caput Pauli *transactaq; tempora fugit.*
Nil ibi virus agit, rapuit cum vulnere fatum:
Deprenſum eſt, quæ funda rotat, quam lenta volarent,
Quam ſegnis Scythicæ *ſtrideret arundinis aer.*

Sunt, qui hunc ſerpentem levi ſaltu defungi colligunt, nec attolli ſupra hominis ilia, ex his *Strabonis* in *Latina* verſione; *Serpentes etiam ſpithamam longos, colore puniceo, usque ad ilia aſſilientes, quorum morſus incurabilis eſt*: ſed fallit eos prava verſio, eaque nata ex prava *Græci* textus interpunctione, qui ſic legitur; Ὄφεις δὲ σπιθαμιαῖοι, φοινικοῖ τὴν χρόαν, προσαλλόμενοι καὶ μέχρι λαγόνος, τὸ δῆγμα ἔχοντες ἀνήκεστον· cùm ſit legendum προσαλλόμενοι, καὶ μέχρι λαγόνος τὸ δῆγμα, &c. Neque enim ſenſus eſt, eos ſalire usque ad ilia; ſed vulnera, quæ aſſultu ſuo infligunt, toto corpore usque ad ilia eſſe inſanabilia, cum alioqui ſanari poſſint, nempè ſi ſint infra ilia, puta in cruribus, aut femoribus. Hæc enim ex *Artemidoro* ſumpſit *Strabo*.

&

& *Artemidorus* ex *Agatharchide*, cujus verba ſunt; Δῆγμα ἢ ἀνίατον, ἂν τ λαγόνος ἀνώτερον ἅψηται· *Morſus eſt inſanabilis, cum ſupra ilia ſauciat.* Itaque jaculus, de quo *Lucanus*, non ſolùm ad ilia ſaltu ſe extulit, ſed

Perq; caput Pauli, *tranſactáq; tempora fugit.*

Et in *Iſidoro* jaculi *exſiliunt in arbores*: & in *Æliano* tranſiliunt καὶ εἴκοσιν, εἰ δέοι, πήχεις, *etiam viginti cubitos, ſi ſit opus*; cui ſaltus longitudini neceſſe eſt ut altitudo ſit proportione par. Ex his intelligit lector, vaſta omnino & inculta oportere eſſe loca, quæ tali peſte fœcunda ſunt. Atque hoc eſt, quod vult *Eſaias*, cum acontiam in *Idumæa* ſcribit non modo diverſaturum, ſed pariturum etiam, & excluſurum ova, quibus incubuerit. Si quis *Libyci* ſerpentis genus *Judæis* neget aut *Idumæis* fuiſſe notum, audiat hæc *Marcellini* libro 22. *Serpentes quoq; Ægyptus alit innumeras, ultra omnem perniciem ſævientes, baſiliſcos, & amphisbænas, & ſcytalas, & acontias.* Alii *Arabiæ* adſcribunt. *Lucanus* libri 6. verſu 677.

Non Arabum *volucer ſerpens:* - - -

id eſt, *jaculus*. Idem enim lib. 9. verſu 720.

Et natrix violator aquæ, jaculiq; volucres.

Ut de *Agatharchide*, *Diodoro*, & *Strabone* taceam, qui in *Sabæis* deſcribunt, ad quos *Judas* navigare cœperant jam inde à *Solomonis* ævo.

Sed, ut res clarior fiat, juvat *Eſaiæ* ſingula verba perpendere. *Ibi*] inquit, in *Idumæa*, *Arabiæ* parte *Ægypto* contiguâ, in qua ſerpentes acontias deſcribit *Ammianus*. *Nidulabitur Kippoz*] id eſt, *jaculus*, ſeu *acontias*, ut *Hebraicè* קפז *kippoz*, ſic *Arabicè* قفازة *kipphaza* dictus à *ſaltu*. *Nidulari* fateor maximè proprium eſſe avium, quod mihi olim objecit vir doctiſſimus: ſed & *nidus* καταχρηστικῶς aliis animantibus tribuitur. 1. Homini puta, ut *Eccleſ.* 36. *verſ.* 28. Τίς γὰρ πιστεύσει, &c. ἀνθρώπῳ μὴ ἔχοντι νοσσιάν, καὶ καταλύοντι οὗ ἐὰν ὀψίσῃ· *Quis credet homini, qui non habet nidum, & divertitur ubicunque adveſperaſcit?* Hinc *Job.* 29. *v.* 18. *In nido meo moriar.* Num. 24. v. 21. de *Kenæo*, *In rupe poſuiſti nidum tuum.* Jerem. 49. v. 16. & *Abd.* 11. *de Idumæo*, *Quamvis exaltares ut aquila nidum tuum.* Hab. 2. *v.* 9. *Væ inhianti lucro malo pro domo ſua, ut ponas in excelſo nidum ſuum!* 2. Leoni in *Græca* verſione *Nahum* 2. v. 12. Ἔπλησε θήρας νοσσιὰν αὐτοῦ, *Prædâ implevit nidum ſuum.* Hebr. חריו, *foramina ſua.* Alcamus, العرزال عريسة الاسد وما يجمعه في ماوا للاشبال مما يمهده كالعش Alirzal, *antrum leonis, & quod in luſtro ſuo colligit catulis ſuis, ut tanquam nidum ſubſternat.* 3. Sui. *Columella* lib. 8. c. 9. *In cubili ſuum quiſque matrem nidus exſpectat*, id eſt, porcelli in hara jacentes tanquam in nido. 4. Hyſtrici. *Callimachus* Hymno in *Dianam*,

Καὶ κοίτην ἐλάφοιο, καὶ ὕστριχος ἔνθα καλιαί,

Et cubile cervi, & hyſtricis ubi nidi. 5. Hericio. *Eſa.* 13. *v.* 22. Καὶ νοσσοποιήσουσιν ἐχῖνοι ἐν τοῖς οἴκοις αὐτῶν· *Et nidificabunt hericii in domibus eorum.* *Iſacius* ad *Lycophronem* verſu 1093. *Hericius, cum præcognoſcat, qui venti ſpirare debeant*, ἀποφράττει τὸ πρὸς τὸν μέλλοντα πνεῖν μέρος τῆς καλιᾶς αὐτοῦ, ὑπανοίγει δὲ τὸ ἕτερον, *nidi partem obturat oppoſitam ei vento, qui ſpiraturus eſt, & alteram aperit.* 6. Phycidi piſci, de qua *Plin.* lib. 9. cap. 26. *Eadem piſcium ſola nidificat ex alga, atque in nido parit.* Et *Ovidius* in *Halieutico*,

Atq; avium dulces nidos imitata ſub undis.

7. Crocodilo. Solinus, *Metatur locum nido naturali providentiâ.* 8. Vermibus. Sic *Plinius* lib. 11. cap. 28. dicit *in fimo nidulari vermiculos*, 9. Culici, muſcæ, api, veſpæ, crabroni. *Lucianus* in *Muſcæ encomio*, Νοσσιὰν δὲ, ἢ καλιὰν, οὐκ ἐπὶ τόπῳ κατεστήσατο· *Nidum autem, aut nidulum, non uno in loco conſtituit.* Et in *Icaromenippo*, Ἅπαντα διεγινώσκεις τὰ ἐπὶ γῆς· τοὺς ἀνθρώπους, τὰ θηρία, μικροῦ δεῖν, τὰς τῶν ἐμπίδων νοσσιάς· *Omnia, quæ in terra ſunt, dignoſcis; homines, feras, &, penè dixerim, culicum nidos.* Joſephus de *Samſone* libri 5. *Antiquitatum* cap. 10. Ἐντυγχάνει σμήνει μελισσῶν, ἐν τῷ στήθει τοῦ λέοντος ἐκείνου νενοσσευκότων· *Incidit in apum examen, quæ in leonis illius pectore nidificaverant.* *Chaldæa* Paraphraſis *Judic.* 14. v. 8. והא קנא דדבורתא בפגרא דאריא, *Et ecce nidum apum in cadavere leonis!* Et *Arabica*, واذا في صدر الاسد نحل قد عشش هنالك وقد سال العسل من عش النحل *Et ecce in pectore leonis apes, quæ nidificaverant illic, & mel effluebat ex apum nido.* Ut 1. *Sam.* 14. *v.* 26. *Mel decurrebat* من عش النحل *ex apum nido.* Et *Chaldæa* rurſus verſu ſequente, *Extendit caput baculi, quem in manu habebat, & intinxit illud* בקינא דדובשא, *in nido mellis.* *Virgilius* lib. 4. *Georgicorum*, de apibus;

Progeniem nidosq; fovent. - - -

Plinius lib. 11 cap. 21. *Veſpæ in ſublime è luto nidos faciunt, & in iis ceras: crabrones in cavernis ac ſub terra.* Et rurſus, *Veſpæ, quæ ichneumones vocantur, unum genus ex araneis perimunt phalangium appellatum, & in nidos ſuos ferunt.* Item, de crabronibus; *Nidos vero faciunt fere quadrifores, in quibus opifices generentur. Iis educatis, alios deinde nidos majores fingunt, in quibus matres futuras producant.* Et cap. 22. de bombycibus; *Nidos luto fingunt ſalis ſpecie, applicatos lapidi tantâ duritiâ, ut ſpiculis perforari vix poſſint.* Epiphanius *Hæreſi* 44. de veſpæ genere, quam ζάμουρον vocant: Ἐπὰν δέ τις διερχόμενος τὴν αὐτοῦ φωλεὰν, ἢ καλιὰν, καθέλοι· *Si quis viator latebram illius, nidumque, diruat.* Ζάμουρον eſt *Chaldaicè* זבורא *zibbora*, & *Arabum* زنبور *zanbur*, de qua *Damir*, يتخذ عشه تحت الارض *Nidum ſub terra ſibi ſumit.* 10. Formicis. Sic in Tractatu *Talmudico Nedarim* legas קני דשומשמני, *nidos formicarum.* Et in *Horo* lib. 2. cap. 60. Τιθεμένου (νυκτερίδος) τῶν πτερῶν εἰς τὰς νοσσιὰς τῶν μυρμήκων, οὐ προέρχεταί αὐτῶν τις· *Veſpertilionis pennis ad formicarum nidos admotis, nulla illarum egreditur.* Et *Apulejus* lib. 8. *Cujus in ipſo carioſo ſtipite inhabitantium formicarum nidificia burriebant* (al. *bulliebant.*) 11. Muribus, & aliis animalculis. Minutius Felix, *Mures*, &c. *niſi abigatis, in ipſo Dei veſtri ore nidificant.* Et *Arnobius* lib. 6. *Non videtis ſub iſtis ſimulacrorum capſis (al. cavis) ſtelliones, ſorices, mures, blattasque lucifugas nidamenta ponere, atq; habitare.* 12. Locuſtis. Unde eſt, quod, cum *David* ſe excuſſum fuiſſe queritur *ut locuſtam* Pſalm. 109. v. 23. *Kimchius* & *Aben Ezra* obſervant agi de locuſta, שאין לו קן, *quæ non habet nidum.* Et *Damir*, poſtquam locuſtam parturientem caudâ ſuâ petras duriſſimas diverberare dixit, donec in rimam pateant, atque ova ſua in ea rima ponere, addit, فيكون لها كالافحوص ويكون حاضنا لها ومربيا *Et (hæc rima) pro nido illis eſt, in quo fœtum foveant, atq; educent.* 13. Serpentibus deniq; certum eſt nidos non raro tribui. *Cic.* l. 2. *de Divin. Ut in cunis fuerit anguis non tam eſt mirũ, in* Selonio *præſertim* (qui eſt campus agri *Lanuvini*) *ubi apud focũ angues nidulari ſolent.*

Perperam legunt *nundinari*. *Epiphanius* in *Phyſiologo* cap. 16. Ὅταν δὲ ἐπὶ τὴν πηγὴν τὸ ὕδωρ πιεῖν ἔλθῃ ὁ ὄφις, οὐ φέρει τὸ ἰὸν, ἀλλὰ γε ἀφεὶς αὐτὸν ἐν τῇ νοσσιᾷ, οὕτω καθαρὸς πορεύεται. *Cùm ſerpens ad fontem venit, ut bibat, virus non defert, ſed, illo in nido dimiſſo, ita purus accedit.* *In nido*, id eſt, ἐν τῷ φωλεῷ, *in luſtro*, ut idem habet in *Ophitarum Hæreſi* cap. 8. *R. Selomo* explicans quid ſit *foramen aſpidis* Eſa. 11. v. 8. ait eſſe *foramen terræ*, שהנחש מקנן בתוכו, *in cujus medio nidificat ſerpens.* Et *Arabs* interpres ibidem pro *foramine aſpidis* habet عش الافاعي *nidum viperarum.*

Jam in *Eſaia* quæ ſequuntur, *Ibi nidulabitur acontias, & pariet, & ova excludet, quæ foverit umbrâ ſuâ*, ipſiſſima verba ſunt, quæ in hoc argumento Naturæ conſulti uſurpant. *Philoſophus* de ſerpentibus, *Hiſtoriæ* lib. 5. in fine; ᾠοτοκοῦσι ἔξω· ὅταν δὲ τέκῃ, εἰς τὴν γῆν ἐπωάζει. ἐκλέπεται δὲ καὶ ταῦτα τῷ ὑστέρῳ ἔτει. *Ova foris edunt: quæ cum pepererunt, in terra fovent. Ea autem excluduntur anno ſequente.* Unde *Plinius* libri 10. cap. 62. *Ova pariunt ſerpentes*, &c. *Et contexta in terra incubant, & fœtum ſequente excludunt anno.* Et *Celſus* lib. 5. cap. 27. *Pernicioſiſſimi ſunt* (ſerpentes) *cum incubant*. Ergo in *Eſaia* מלט, eſt ᾠοτοκεῖν *ova parere*: דגר, ἐπωάζειν *fovere, incubare*: בקע, ἐκλέπειν *excludere*. Atq; ipſemet *Eſaias* alibi eodem Verbo *ovorum baſiliſci excluſionem* exprimit, ut ſupra (*l*) notavimus.

l) Pag. 409. lin. 61. &c.

Etiam Verbum דגר, *congregare* propriè, vel *ova congregata & connexa fovere*, etſi tribuatur avibus, tamen in ſerpentem maximè quadrat, cujus ova non modo ſunt ſimul collecta, ſed & mutuo nexu cohærent monilis inſtar. *Ariſtoteles* ubi ſupra, Τὰ δ᾽ ᾠὰ ἀλλήλοις συνεχῆ ἐστιν, ὥσπερ αἱ τῶν γυναικῶν ὑποδερίδες· *Ova ſunt ſibi mutuò connexa ut mulierum monilia*, id eſt, ut margaritæ in monilibus. *Damir* etiam, poſtquam ſerpentis ova deſcripſit longa, coloris fuſci, viridis, nigri, albi, varii, punctis quibuſdam diſtincti, lucidi, cum tantæ varietatis cauſa non appareat ſatis, atque egit etiam de ſanie intus latente, وهو في جوفها منضد طولا سلك خط واحد *Per ventrem*, inquit, *in longitudinem ſuper lineam unam connexa ſunt.* Et Scaliger, *Ea ova vidimus nos agglutinata inter ſe, globulorum modo, quibus preces numerant mulieres.* Sunt, qui *Hebraicè* id dici putant שלל של ביצים, Sed propriè שלל של ביצים eſt, *ovorum in gallina ventre conglobatio, cum ad maturitatem vergunt.* Ut אשכול של ביצים, *botrus ovorum* dicuntur ova minora ex ſemine primum conglobata. Vide *Talmudicos* in Tractatu *Betſa* fol. 7. a.

Neque id omittendum, quod acontiam ova בצלה, *umbrâ ſuâ* fovere dicit *Propheta*, dicturus potius *ſub alis*, aut *ſub pennis*, aut *ſub alarum umbra*, ſi de ave res eſſet. Fortè etiam his ipſis verbis inſinuat Divinus Vates hoc ſerpentis genus de ſuis ovis magis eſſe ſollicitum. Amphisbæna ſaltem, quam *Avicenna* jaculi ſpeciem eſſe ſuſpicatur, legitur apud *Albertum* ſerpens eſſe *vigil, & ſollicitus de ſuis ovis valde, cum ea incubat.*

CAPUT DUODECIMUM.

Probatur שפיפן *ſephiphon*, Gen. 49. v. 17. eſſe *Ceraſten* & *Hæmorrhoum.*

Dan ut SEPHIPHON ſuper ſemitam, qui mordet calces equi, & ſeſſor cadit retrorſum. Hebræi *ſerpentem eſſe ſcribunt: ſed ſpeciem prorſus ignorant.* Arabicè سف ſupphon, *vel* ſipphon, *ſerpens nigro & albo diſtinctus homini infenſiſſimus, fortaſſe* hæmorrhous. *Hieronymo* ſephiphon *eſt* ceraſtes, *qui in arenis & rotarum orbitis viatoribus inſidiatur. Et morſus ejus hominibus & brutis eſt lethifer. Nec facilè vitatur, quia arena eſt concolor. Utriq;* Arabi معرون *id eſt*, ceraſtes. Ajin *&* Koph *ſæpe permutantur. Ceraſta cornua carnea. Ex illis fieri cultrorum manubria, ut ſudore prodant venenum; gravis error: & unde natus.* Ceraſtes Epiphanio *monoceros. Voce* ſephiphon *tam* hæmorrhoum *quam* ceraſten *ſignificari. Qui ſunt forma tam ſimiles, ut hæmorrhous pro ceraſtis ſpecie poſſit haberi. Et utrìuſq; communis flexuoſus inceſſus; quia ſpinam oſſeam non habent, ſed cartilagineam, & in utramque partem flexilem. Hinc utrosq;* claudicare *dicit* Nicander, *& cauſam arceſſit è Fabulis. Eò pertinet nomen* שפיפן ſephiphon, *quod* claudum *ſonat.* Hebræi *de hoc ſerpente quidquid dicitur ad* Samſonem *referunt; cùm ad totam* Danitarum *tribum pertineat, quæ potius aſtu, quam aperto* Marte *res geſſit. Neque id in bello illicitum. Alii eadem hæc verba & ad* Samſonem Chriſti *typum, & ad* Anti-Chriſtum *accommodant: quæ ἀσύςατα.*

GEn. 49. v. 17. cur שפיפן *ſephiphon*, Græci ἐγκαθήμενον, & Samaritani ̇ ̇ . *inſidiantem* verterint, nullus capio. Sed alios ſcio multo rectius ſtatuere שפיפן eſſe ſerpentis genus. Id enim apertè clamant *Jacobi* verba, quæ ſic habent; DAN *erit ſerpens ſuper viam*, שפיפן ſephiphon *ſuper ſemitam, qui mordet calces equi, & cadit ſeſſor ejus retrorſum.* Itaque *ſephiphon* eſſe *ſerpentem* planè conſtat. Tantùm de ſpecie ambigitur. Et *Hebræi* quidem de ſola vocabuli origine ſolliciti ſunt: quod *Aben Ezra* deducit à Verbo שוף, *à conterendo*; quia ſerpenti dictum *Gen.* 3. v. 15. אתה תשופנו עקב, *Tu conteres ei calcaneum.* *Kimchius* à Verbo שפה, quod etiam *conterendi* ſignificationem habet *Job.* 33. *verſ.* 21. Ita ut שפיפן ſit à שפה, ſecundâ geminatâ, quomodo יגיגה ex דגה. Sed *Selomo* & *Pomarius* dici malunt à נשף, *ab afflando*, vel *ſibilando.* Hæc *Hebræi* de vocis origine, de propria ſignificatione οὐδὲ γρῦ. Alios verò ſi conſulas, ipſa te diverſitas dubium tenebit, & ambiguum. *Jonathan* explicat רישי חורין, *præcipuos ſerpentum*: Onkelos פתנא, *aſpidem*: Jeroſolymitanus, & Syrus ܫܦܝܦܘܢ, *baſiliſcum*: Arabs uterque معرون ignotum per ignotius: Hieronymus *ceraſten*: Junius *acontiam*: Schindlerus, in ארח *viperam*: Caſtalio, Itali, Galli, & Angli *colubrum.*

In his tenebris nonnihil lucis mutuamur ex *Arabibus*, apud quos سف *ſipphon*, vel *ſupphon*, eſt *ſerpens albo & nigro diſtinctus.* Alcamus, السف الارقم

الارقم من الحيات *Sipphon (vel ſupphon) in ſerpentibus is, qui vocatur* arkamo (*varius.*) Et alibi الارقم اخبث الحيات واطلبها للناس او ما فيه سواد وبياض Arkamo, *ſerpens perniciosiſſimus, & hominis inſenſiſſimus: aut qui partim niger, partim albus eſt.* Hinc conjectura non levis *ſipphon* eſſe *hæmorrhoum*, & *hæmorrhoidem*, de quib⁹ *Aetius: Animalia hæc colore quidem ſunt arenoſo*, &c. *Per corpus verò notis nigris & albis variegata ſunt. Avicenna* itidem (a) ذكرت القدما ان هاتين الحيتين رمليتا الابدان وعلي ابدانها نقط سود وبيض *Referunt veteres hos ſerpentes corpora habere arenoſa, eaque adeò punctis nigris & albis eſſe aſperſa.* Itaque ſi שפיפן *ſephiphon*, ex *Arabiſmo* explicatur, videbitur eſſe *hæmorrhois*, viperæ ſpecies, quæ morſu ſanguinem elicit, ità ut *quidquid animæ eſt per cruorem evocetur*, ut habetur in *Solino*.

a) Avic. Arab. tom. 2. pag. 138. & l. 4. f. 3. t. 36.

Mihi tamen impensè arridet *Vulgata* verſio, quæ *ceraſten* exponit; quia natura ceraſtis planè videtur exprimi *Jacobi* verbis, "Dan *erit ſerpens ſuper viam*, שפיפן עלי ארח, ſephiphon *ſupra ſemitam*; vel, ut alii, *ſuper orbitam.* Ità enim ceraſten latere dicit *Nicander Theriacῶn* verſu 262.

- - - - - ἐν δ' ἀμάθοισιν
Ἢ καὶ ἁματροχιῇσι παρὰ στίβον - - -

In arenis, aut etiam in rotarum orbitis prope viam, ut indè viatoribus inſidietur. Et *Jacobus* addit *ſephiphon equi calces ità mordere, ut ſeſſor cadat retrorſum*, equo labante ſcilicet, cum in ſuffragines ſerpere incipit virus. In poplitibus enim, atque inguine, potiſſimum mali vim ſe exerere tradit idem *Nicander*;

Δειπλοῖς δ' ἐν βουβῶσι, καὶ ἰγνύσιν ἀσκελὲς αὔτως
Μόχθος ἐπιτρέφεται - - - - -

Mox gravis exercet labor inguina, & acriter urget
Poplitem utrumque dolor. - - - -

Neque hominibus ſolùm, ſed & brutis lethifer eſt ille morſus. Dicit enim *Callias* in *Æliano* libri decimi ſexti capite vigeſimo octavo, Τοὺς κεράστας ὄφεις δεινοὺς εἶναι τὸ δῆγμα, ἀναιρεῖν γὰρ τὰ ζῶα ἄλογα, καὶ ἀνθρώπους. *Ceraſtas ſerpentes eſſe morſu graves, quique tam bruta quam homines interimant.* Hoc graviſſimum, quod ceraſtis inſidias devitare facile non eſt: quia, cum ſit arenæ concolor, calcatur ab imprudentibus, quos viciſſim ille remordet. *Diodorus* libro tertio, (b) Τὴν δὲ χρόαν ἄμμῳ παραπλησίαν ἔχουσι· διόπερ ἐξωμοιωμένων αὐτῶν κατὰ τὴν πρόσοψιν τοῖς ὑποκειμένοις ἐδάφεσι, ὀλίγοι μὲν ἐπιγινώσκουσιν· οἱ πολλοὶ δ' ἀγνοοῦντες πατοῦσι, καὶ κινδύνοις περιπίπτουσιν ἀπροσδοκήτοις. *Arenam colore referunt: proinde cum ſubjecto ſolo ſint colore ſimiles, illos pauci dignoſcunt; & pleriqueimprudentes calcant, atque in improviſa pericula ſic incidunt.* Unde factum, ut olim *Æthiopiæ* partem *Ægypto* ſubjectam hi ſerpentes prorſus deſolaverint, ut ibidem habet *Diodorus*.

b) Pag. 128.

Jam, ſi auctoritate certatur, cum *Vulgato* convenit utrique *Arabi*, in quibus معرون eſt *ceraſtes*, ut *Avicennæ* مقرنة. In illis ſcilicet linguis *Koph* & *Ajin* non rarò permutantur. Hinc *Chaldæis*, & *Syris*, *terra* dicitur ܐܪܥܐ, & ܐܪܩܐ: *fumare* ܥܛܪ, & ܩܛܪ: *frigus* ܥܘܪܐ, & ܩܘܪܐ. Et *Jonathani* רקם eſt idem locus, qui *Hebræis* קדש *Num.* 34, *v.* 4. Non aliter apud *Arabes cornu* tam eſt عرن quam قرن *Giggeius* ex *Alcamus*, عران البقر *cornua boum*, عرنة *cornuum radix*, عرون *limax cochlea*, nempe (c) ob cornicula duo, quibus prætentat iter, cum oculorum uſu careat. Pari ratione ceraſtes ut مقرن ità & معرون, id eſt, *cornutus*, dicitur, vel *qui cornicula cochleæ ſimilia habet. Ælianus*, Ἐπὶ δὲ τοῦ μετώπου κέρατα ἔχει δύο, καὶ ἔοικε τοῖς κοχλίου τὰ κέρατα, οὐ μὴν ὥσπερ ἐκείνου ἁπαλά· *Super frontem duo habet cornua cochleæ cornibus ſimilia, quamvis non æquè mollia. Plinius* tamen libri undecimi capite trigeſimo ſeptimo, tam ceraſtæ, quam cochleæ *corporea* dicit eſſe *cornua*, id eſt, *carnea.* Proinde *Bellonius* non appellat cornua, ſed *parvas eminentias inſtar granorum hordei, quæ cornicula referunt.* Unde falli non parùm eos (d) apparet, qui ſcribunt ex ceraſtis cornibus cultellorum manubria fieri ad menſas Imperatorum, quia ſudore produnt venenum appoſitum. Quis enim manubria cultris ex cornu tantillo fecerit, eoque molli? Ne dicam vero non eſſe conſentaneum, ut venenoſi animalis corniculis vis ſit ἀλεξιφάρμακος. Sed ceraſtis cornibus perperam tribuunt barbari Scriptores quod de cornu كركدن *carcaddan*, ſive *monocerotis*, alicubi legerant. De illo ſcilicet *Geographus Nubienſis* Clim. 1. part. 8. ملوك الهند تصنع من قرن هذه الدابة انصبة السكاكين للموايد فاذا وضع الطعام بين ايديهم وكان فيه سم عرق ذلك النصاب فيعلم بذلك ان الطعام مسموم *Reges Indiæ ex hujus animalis cornu cultrorum manubria ſibi conficiunt ad menſarum uſum. Cumque apponitur eis cibus, ſi fuerit venenatus, ſudore madeſiunt ea manubria. Unde deprehenditur cibus eſſe veneno infectus.* An tale quid habebat in animo *Epiphanius*, cum in *Pneumatomachos* ſcribens meminit κεράστου δεινοῦ μονοκέρωτος, *ceraſtæ gravis monocerotis?* Non puto, ſed ſerpentem *ceraſten* ex illius ſententia eſſe *monoceroten.* Idem enim ſic habet de *Baſilidianorum* Hæreſi, Ὡς κεράστου τρόπον ἐν ἄμμῳ κεχωσμένη, διὰ δὲ τοῦ κέρατος εἰς ἀέρα προκύπτουσα, καὶ τὸν ὄλεθρον τοῖς περιτυγχάνουσιν αὐτῇ ἐργαζομένη· *Ceraſtis inſtar in arena defoſſa, cornu in aerem exerto, iis, qui in eam incidunt, exitioſa.*

c) Plin. lib. 9. cap. 32.

d) Vincent. & auctor De nat. rerum.

Ut redeamus ad rem, hactenùs id incertum, *ſephiphon* ſitne *ceraſtes*, an *hæmorrhous*, cum utrique interpretationi multa faveant. *Ceraſten* exponi diximus ab *Hieronymo*, & utroque *Arabe*, atque hanc interpretationem cum *Patriarchæ* verbis apprimè convenire. *Sipphon* tamen voce ſimili ab *Arabibus* ita deſcribi, ut videatur potiùs eſſe hæmorrhoüs. Quid, ſi *ſephiphon* ad utrumque commune nomen eſſe dicamus? Omninò ſic videtur. Atque id in dubium vix revocabit, qui ſciet, quam ſint ſimiles ceraſtes & hæmorrhoüs. Uterque eſt viperæ ſpecies. Arenoſus utrique color, ſed maculoſus hæmorrhoo. Eadem utrique menſura. *Avicenna* de hæmorrhoo, & hæmorrhoide, واطوالها اطوال المقرنة *Longitudo illorum eadem, quæ ceraſtæ.* Neque hæmorrhoo deeſſe cornua ſic teſtatur *Ælianus* libri decimi quinti capite decimo tertio, Φρίττει δὲ τὴν κεφαλὴν ὡσεὶ κέρασί τισιν· *Tanquam quibusdam cornibus caput inhorreſcit.* Et multò antè *Nicander*,

Τῶ μὲν ὑπὲρ νιφόεντα κεράατα δοιὰ μετώπῳ.
Ἔγκειται· - - - - - -

Bina ſuper frontem nive candidiora videntur
Cornua.

Ita ut ceraſtæ, ſive cornuti ſerpentis, ſpecies ſit hæmorrhoûs. Hoc præcipuum, quod, cum cæteri ſerpentes rectà proſerpant, ſoli, ceraſtes & hæmorrhoûs, dubio greſſu feruntur, & ambiguo, & in utrumque latus titubantes, ut ità dicam, ebrii, vel claudicantis in morem. Hinc de ceraſte *Aëtius*, *Per obliquum non rectà prorepat.* Et *Iſidorus*, *Eſt flexuoſus plus quam alii ſerpentes.* Sed & de hæmorrhoo *Ælianus*, λοξὸν δ' οἶμον πρόεισιν, *Obliquâ viâ progreditur.* Et eum hoc ipſo *Nicander* cum ceraſte conferens,

Δοχμὰ δ' ἐπισκάζει ὀλίγον δέμας, ἶσα κεράςῃ·
Claudicat obliquans corpus breve, more ceraſtæ.

Cauſa eſt in dorſi ſpinis, quæ non oſſeæ, ut in reliquis, ſed cartilagineæ ſunt, & in utramque partem ità flexiles, ut in inceſſu nulla poſſit eſſe firmitas. Quo faciunt hæc *Lucani*,

- - - *ſpinâque vagi torquente ceraſtæ.*

Proinde ceraſten auctor eſt *Iſidorus* tam eſſe flexuoſum, *ut ſpinam non habere videatur.* Et *Feſtus Avienus* in *Orbis terræ deſcriptione*,

Sic viroſarum prolixa volumina ſeſe
Sponte ceraſtarum facili ſub viſcere curvent.

Sed cauſam *Poëtæ* ad *Helenam* referunt, quæ ſerpentum homogeneorum ceraſtæ & hemorrhoi ſpinas confregerit, ut ſic *Canopi* naucleri ſui manibus parentaret, ceraſtæ ſcilicet (vel hæmorrhoi) morſu in *Ægypto* interempti. Hanc fabellam *Nicander*, poſtquam Poëtico ſale aſperſit, claudit hoc Epiphonemate;

Ἔξοθεν αἱμοῤῥόοι, σκολιοπλανέες τε κεράςαι,
Οἷοι χωλεύουσι· - - - - -
Fertur claudus ab hinc hæmorrhoüs, atque ceraſtes,
Obliquam ſulcare viam. - - -

Quibus ſimilia legere eſt *Canonis* Hiſt. 8. & *Æliani* libri decimi quinti capite decimo tertio. In his notandum inprimis, quod hæmorrhoos & ceraſtas, ratione greſsûs obliqui, ſolos è ſerpentibus χωλεύειν, & ἐπισκάζειν, id eſt, *claudicare*, dicit *Nicander*. Quia indè *Hebræis* nominis origo manifeſta. *Hebraicè* nimirum apud Magiſtros שפף *ſaphah*, eſt claudicare, & שפוף *ſaphuph*, eſt *claudus*. Utrumque eâ notione profert *Boderianus* ex libro *Bereſith Rabba.* Sed & *Talmudici* שפי *ſephi*, & שפיפן *ſephiphon*, pro *claudo* uſurpant. Hâc tamen differentiâ, quod ab illis שפי dicitur, *qui uno pede*; שפיפן, *qui utroque pede claudicat*, *Græcè* uno verbo ἀμφιγυήεις, quod eſt *Vulcani* Epithetum in *Homero* & *Heſiodo*. Hinc in Tractatu *Sota* pag. 10. a. אמר ר׳ יוחנן בלעם חיגר ברגלו אחת שנאמר וילך שפי שמשון חיגר בשתי רגליו היה שנאמר שפיפן עלי ארח *Dixit* R. Jochanan, Balaam *uno pede claudus fuit*, *cùm de eo dicatur* Num. 23, 3. " *Et ivit* שפי *claudus. Sed* Samſon *utroque pede claudus fuit*; *unde eſt*, *quod de illo dicitur* Gen. 49, 17. " Sephiphon *ſuper ſemitam.* Quæ, licet perabſurda, tamen docent id, quod volumus, nomen שפיפן ſcilicet, ex *Hebræorum* ſententia, à *claudicatione* eſſe factum. Itaque *ſephiphon* eſt *ſerpens claudus*, quales nulli, quod ſciam, præter ceraſten, & hæmorrhoûm. Proinde utrumque hoc nomine ſignificari valde veriſſimile eſt.

Samſonem quod attinet, quia non ſolùm *Danita* fuit, ſed & *Danitarum* clariſſimus, ad eum referunt quæ hic habentur, *Hebræi* omnes. De *Talmudicis* id jam patuit. Et diſertis verbis *Hieroſolymitana* Paraphraſis, הוא שמשון בר מנוח, *Is eſt* Samſon Manoæ *filius.* *Jonathan* quoque, & *Onkelos*, eum licet non nominent, tamen apertè deſignant: ſed hic inprimis; cujus verba ſunt, *Erit vir, qui eligetur, & ſurget de domo* Dan. *Ejus timor irruet ſuper populos: & idem* Philiſtæos *fortiter percutiet. Ut baſiliſcus morabitur circa viam, & ut aſpis inſidiabitur circa ſemitam. Interficiet robuſtos in caſtris* Philiſtæorum, *equites cum peditibus: enervabit equos, & quadrigas* (id eſt, *quadrigarum equos*, per Figuram ἓν διὰ δυοῖν) *& eorum aſcenſores retrorſum dejiciet.* Quod de *Samſone* cur dicatur non conſtat ſatis, cum nuſquam tradant Sacri Scriptores illi rem fuiſſe cum equitibus aut quadrigis *Philiſtæorum.* Neque vero neceſſe eſt ad ſolum *Samſonem* referre quæ dicuntur de tota tribu aut fractos equitum globos hic ſibi fingere. Nec enim aliâ de cauſa *Danitæ* cum ceraſte conferuntur, qui in via latens equorum mordet calcaneos, quàm quia potiùs aſtu, quàm aperto *Marte* rem gerebant. Cujus rei exemplum habemus *Jud.* 18, 27. ubi *Danitæ Laiſitas* incautos adoriuntur. Quod in juſto bello licitum. *Braſidas* apud *Thucydidem* libro quinto, τὰ κλέμματα ταῦτα καλλίστην δόξαν ἔχει, ἃ τὸν πολέμιον μάλιστ' ἄν τις ἀπατήσας, τοὺς φίλους μέγιστ' ἂν ὠφελήσειεν· *Hæc belli furta pulcherrimam conſequuntur gloriam, quibus hoſtes quis maximè fallens, amicos plurimùm juvat.* Et *Chorœbus* libro ſecundo *Æneidos*,

Mutemus clypeos, Danaumque *inſignia nobis*
Aptemus. Dolus, an virtus, quis in hoſte requirat?

Et apud *Silium* libro quinto *Corvinus*,

Bellandum eſt aſtu: levior laus vindice dextrâ.

Ità malo quàm quod vulgò legunt *indice dextrâ*, aut in *duce dextrâ.* Proinde *Vegetius* libri tertii *De arte militari* capite nono laudat duces, *qui non aperto* Marte *prælium, in quo eſt commune periculum, ſed ex occulto ſemper attentant: ut, integris ſuis, quantum poſſunt, viribus, hoſtes interimant certè, vel terreant.* Et è noſtris *Auguſtinus* in *Joſuam* capite decimo, *Cum juſtum bellum ſuſceperit* (homo juſtus,) *utrùm apertâ pugnâ, utrùm inſidiis vincat, nihil ad juſtitiam intereſt.* Tamen hic quædam diſtinguenda, quæ, quia non ſunt hujus loci, petenda ex Cl. *Grotio*, libri tertii *De jure belli* capitis primi ſectione ſextâ, &c.

Mirum eſt, quoſdam veterum eadem hæc *Jacobi* verba, & ad *Samſonem* cum *Judæis*, & ad *Anti-Chriſtum* referre, quaſi per *colubrum*, & *ceraſten*, *qui inſidiatur in via*, uterque hic ſignificetur. Neque enim iiſdem verbis deſcribi poteſt *Samſon*, *Chriſti* typus, ac Eccleſiæ liberator; & *Anti-Chriſtus*, *Chriſti* hoſtis, & Eccleſiæ ſubverſor. Præterea huic interpretationi maximè repugnat, quod in *Græca* & *Latina* verſione, quâ uſi ſunt hi Doctores, *Jacobi* verba Optativè concipiuntur; Γενηθήτω Δὰν ὄφις ἐφ' ὁδοῦ, *Fiat* Dan *coluber in via.* Quippe non eſt veriſſimile *Jacobum* optâſſe, ut ex ſtirpe ſua oriatur *Anti-Chriſtus.* Rectè igitur ad hunc locum *Bellarminus* libri tertii *De Romano Pontifice* capite duodecimo, *Videtur ſanè* Jacob *bene precari filio ſuo, cum hæc dicit; & proinde non malum, ſed bonum prædicere.*

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Probatur שרף *ſaraph*, eſſe *Hydrum* & *Cherſydrum*; à quibus morſi *Iſraelitæ* æneî ſerpentis aſpectu ſanati ſunt.

Chriſti *typus & Seraphinis cognominis* שרף ſaraph, *ſerpens. Idem ſerpentum ſolus volucer. In A-rabia & Ægypto degit. Nomen habet* ab uſtione, *ut Angeli* ſeraphim, *id eſt*, ἐμπρησταὶ, *dicti. Non tamen eſt* preſter, *ſed* hydrus, *qui æſtate fit* cherſydrus; *cum aquam conſumpſit æſtus, & infeſtante ſiti virus habet multò acrius, & morſu ſuo exurit quidquid attingit. Quo igne conſumptus* Hercules *juxta Fabulam.* Eſ. 30, 6. *in* Ægypto *deſcribitur* ſaraph volans. *Ibi nempe ſunt ſerpentes alati hydrorum ſpecie. Iſidorus* ſirenas *vocat. Multa de pennatis anguibus. Graviter ſpirat* ſaraph. *Ità etiam hydri.* Objicies, *hydros in aquis naſci, quibus caruit locus, in quo* Iſraëlitæ *ab his ſerpentibus morſi ſunt.* Reſp. 1. *Si poculentæ aquæ ibi defecerunt, non ſequitur paluſtres nullas fuiſſe. 2. Aut ſi prorſus defuerunt, ob id ipſum hydros factos cherſydros. Et convenire tempus, quia tum erant* Caniculares *dies. 3. Aquoſa loca in vicinia fuiſſe, unde hydri potuerunt immitti. Quas hujus plagæ cauſas* Hebræi *comminiſcantur. Noſtrorum Allegoria.* Saraph, *ſeu* ſerpens æneus, *in quorum gratiam erectus. Quomodo fuerit* Chriſti *typus. 1. Serpentis figuram habuit, non venenum: 2. æreus, non aureus: 3. ex metallo firmiſſimo, 4. & maximè ſonoro: 5. in altum ſubvectus,* זקף, *quod &* crucifixum *ſonat: 6. ſolo aſpectu ſanavit. Quæ omnia in* Chriſtum *quadrant. Veritatem ſupra figuram multis gradibus exſurgere. Serpens erectus in loco* Phunon *dicto, ubi æris fodina. Ex eo ære ſerpentem conflatum fuiſſe, & quorſum. De eodem loco plura.*

Etiam שרף *ſaraph*, dignus eſt commentatione noſtrâ, cum & *Chriſti* typus fuerit *Numer.* 21, 9. *Joh.* 3, 14. & nobiliſſimos Angelorum habeat cognomines *Eſ.* 6, 2. Accedit, quod ſerpentum ſolus volare legitur *Eſ.* 14, 29. (al. 15, 2.) & 30, 6. Ubi מעופף ad verum volatum pertinet, non ad ſaltum, ut *Hebræi* perperam ſcribunt. Duo loca memorant Sacri Scriptores, in quibus alitur potiſſimum, *Arabiam deſertam* ſcilicet, *Deut.* 8, 15. & *Ægyptum* Eſ. 30, v. 6. Nomen *ab uſtione* factum: ſeu propter colorem igneum, quem expreſſerit æneus ſerpens; ità *Vatablus*: vel, quia flatu, & morſu adurit. *R. Selomo*, in *Numerorum* 21. את הנחשים השרפים ששורפים את האדם בארס שניהם. *Serpentes* ſeraphim *dicti, quia hominem urebant veneno dentium ſuorum.* Et in *Eſ.* 30. de ſerpente *ſaraph.* זורק להב מפיו, *Flammam ex ore ſuo ſpargit.* Et in *Lexico* Kimchius, נקראים כן לפי שהם שורפים בהבלי פיהם, *Ità vocantur, quia urunt halitu oris ſui.* Non abſimili de cauſa ii Angeli dicti שרפים *Seraphim*, (id eſt, *Dionyſio* (a) & *Cyrillo* (b) interpretibus, ἐμπρησταὶ, ἤτοι θερμαίνοντες) quorum unus *Eſaiæ Prophetæ* labia mundavit, carbone ex altari ſumpto. Sed & *Græci* πρηστῆρας, & καύσωνας, quoſdam ſerpentes etiam *ab ardore* appellant. Quam cauſam habuêre nuperi quidam interpretes, cur שרף *ſaraph* Hebræum *preſterem* & *cauſonem* redderent, vocibus, quæ *Hebraicæ* reſpondent ad amuſſim, ſi originem reſpexeris. Nam שרף Verbum idem eſſe, quod ἐμπρῆσαι, vel κατακαῦσαι, ſtatim animadvertet quisquis cum fonte conferet *Græcorum* verſiones. Sed originationibus ità mordicus hærendum non eſt, ut res interim negligatur. Cum diverſiſſimis ſerpentibus id commune ſit, ut flatu vel morſu adurant, quidni deſumptum inde nomen ad varias ſerpentum ſpecies pertinere potuerit? Quid, quod ipſi *Græci* neſciunt quod ſerpentis genus ſit *preſter*? *Preſterem* enim alii confundunt cum *dipſade*; ut *Dioſcorides*, & *Ægineta*. Alii diverſum faciunt; ut *Lucanus* & *Solinus*. Et quid hic ſenſerit *Ælianus* nemo facilè dixerit, cum alibi *Dioſcoridi*, alibi *Lucano* videatur accedere. Itaque rem potiùs involvunt, quam explicant, qui שרף *ſaraph*, interpretantur voce tam dubia & ambigua.

Mihi, omnia expendenti, maximè fit veriſſimile שרף *ſaraph*, eſſe *hydrum*, vel *cherſydrum*. Hi duo parùm inter ſe differunt. Qui enim hydrus hyeme fuerat, dum aqua erat in lacunis, poſtquam ea defecit æſtu, in ſicco degere cogitur, atque ità fit cherſydrus, id eſt, hydrus ἐν χέρσῳ *in ſicco* degens. Tum verò infeſtante ſiti in calidis regionibus virus habet multò acrius & nocentius. Unde *Poeta*,

(c) Poſtquam exhauſta palus, terraque ardore dehiſcunt,
Exſilit in ſiccum, &, flammantia lumina torquens,
Sævit agris, aſperque ſiti, atque exterritus æſtu.

c) Lib. 3. Georg.

Aëtius *Tetrab.* 4. Serm. 1. cap. 35. *Cherſydrus in terra degens, ſeipſo ſævior redditur. In humidis quidem locis ex humido victu exſatiatus, non purum venenum habet. Cum verò terreſtris ſit, maximè merum & nocentius id acquirit.* Itaque tum morſu ſuo exurit quidquid attingit. *Nicander* de morſis à cherſydro, *Theriacῶn* verſu 363.

- - - - τὰ δ᾽ ἄλγεα φωτὰ δαμάζει
Μυρία πυρπολέοντα· θοαὶ δ᾽ ἐπὶ γυῖα χέονται
Πρηδόνες· - - - - - - -

Homines domant dolores infiniti, tanquam incendiis depopulantes: ſtatim autem per membra ſparguntur puſtulæ urentes. Id enim propriè πρηδόνες, Aëtius, *Morſis accidit tumor, continuus dolor ardens*, &c. Avicenna, (d) تاخذ اللسعة بوجع شديد وتلتهب, *Incipit morſus cum dolore vehementi, & inflammatur.* Alii apud *Geſnerum* tradunt in virga, ejus ora admotâ, *excitari veſicas, aut fellei coloris puſtulas.* Et, *gladium, à mucrone uſque ad capulum, tetro ac cœruleo colore tingi, ac ſi flammâ violentâ corriperetur.* Item, *Vim habere igneam hoc virus; quare ſemper ſuperiora petere.* Hoc igne conſumptum fuiſſe *Herculem Poetæ* fingunt, cum veſtem induiſſet *Hydræ Lerneæ* veneno tinctam. *Ovidius* libri noni *Metamorphoſeos* Fabula tertiâ,

d) Avic. 4, 6. 3. 29.

Ipſe cruor gelido, ceu quondam lamina candens
Tincta lacu, ſtridet, coquiturque ardente veneno.
Nec modus eſt, ſorbent avidæ præcordia flammæ,
Cœruleusque fluit toto de corpore ſudor,
Ambuſtique ſonant nervi, pulmonibus errat
Ignis edax imis, perque omnes paſcitur artus.

Et ipſe *Hercules* apud *Senecam* in *Hercule Oetæo* verſu 1216.

Eheu! quis intùs ſcorpius, quis fervidâ
Plagâ reverſus cancer infixus meas
Urit medullas? - - - - -

Cætera ibi vide, & ejusdem argumenti plura apud *Sophoclem* in *Trachiniis*, ubi vellus etiam, hoc veneno tinctum, tanquam igne ſecreto, carpitur, & conſumitur:

(e) Τοῦτ᾽ ἠφάνισται διάβορον πρὸς οὐδενὸς

e) Verſu 686.

a) Cœleſt. Hier. cap. 7. & Eccleſ. Hier. cap. 4.
b) Cyril. in Eſ.

Τῶν ὕδρων, ἀλλ' ἴδιος ὃν ἐξ αὐτοῦ φθίνει.

Quæ, utut in majus aucta, prout *Poetarum* moris eſt, tamen abundè docent huic malo vel maximè nomen שרף *ſaraph*, id eſt, *ἐμπρηστοῦ*, convenire.

Sed id me movet inprimis, ut שרף *ſaraph*, *hydrum* eſſe credam, quod *Ægyptum* Eſ. 30, 6. vocari video *terram, ex qua eſt vipera*, ושרף מעופף, & SARAPH *volans*: nempe *ſerpentes alati*, quos ex
f) Cic. lib. 1. De nat. Deor. *Libya* (f) *Cicero*, & (g) *Joſephus*; ex *Arabia* (h) *Herodotus*, (i) *Mela*, (k) *Lucanus*, (l) *Solinus*, (m) *Ammianus*; ex utrisque partibus *Ælianus* in *Ægyptum* volare (n) ſcribit; hydrorum habuere ſpeciem. Res expreſſa eſt in *Herodoto*, (o) Τῶν δὲ ὀφίων ἡ μορφὴ, ὅκοιηπερ τῶν ὕδρων· *Serpentis verò forma, qualis hydrorum*. Huc facit, quod *Cicero* vocat *angues*, id eſt, *ſerpentes aquarum*. Et *Lucilius* libro vigeſimo tertio,
g) Antiq. lib. 2. cap. 5.
h) Lib. 2. & 3.
i) Lib. 3. c. 9.
k) Lib. 6.
l) Cap. 32.
m) Lib. 22.
n) Lib. 2. c. 38.
o) Lib. 3. c. 109.

- - - - *portenta, anguesque volucres.*

Ità etiam *Solinus*, & *Ammianus*: qui iidem poſt *Melam* illos è paludibus emergere referunt. Ut jam nemini non ſit planum, volucrium ſerpentum genus in hydrorum eſſe ſpecie. Quæres, unde *Iſidorus* habeat *Sirenas* appellari. *In* Arabia (inquit) *ſerpentes ſunt cum alis, quæ* Sirenæ *vocantur, quæ non ſolùm plùs currunt equis, ſed etiam volare dicuntur.* Putaverit aliquis *Arabicam* eſſe vocem. At ego in *Arabum* ſcriptis *volucrium ſerpentum* nomina duo duntaxat reperi, ab hoc remotiſſima: nempe سف & اعرجات

Et hoc quid ſit dicetur in capite *De Dracone*.

Si quis erit, qui, cum *Hebræis*, *ſaraph volantem* in *Eſaia* putet eſſe *acontiam*, & per *volatum* nil niſi ſaltum ſignificari, quo ſenſu dixit *Lucanus*,

- - - - - *jaculique volucres*,

quaſi ſint fabuloſa, quæ de pennatis anguibus leguntur apud veteres; ſciat is rem confirmari à pluribus noſtro ſæculo: atque in ipſa *Gallia* ad *Pyrenæos Bigerrones* anguium eſſe genus, quorum è latcribus alarum more ac facie panduntur cartilagines. Ità *Scaliger* in *Cardanum* Exercitatione CLXXXIII. Et *Brodæus Miſcellaneorum* libri tertii capite primo unum memorat in *Santonibus* à ruſtico ligone cæſum, cum in eum involaret, & oblatum *Franciſco* Regi. *Cardanus* etiam libri ſeptimi *De Varietate rerum* capite vigeſimo nono ſcribit quinque ſerpentes bipedes exiguis alis ſe vidiſſe *Lutetiæ*, ſed ex *India* allatos: in qua pennatos angues pridem deſcripſerat *Megaſthenes* in *Æliano* libri decimi ſexti capite quadrageſimo primo. Et *Odoardus Barboſa* agens de monte, quo dividuntur *Malabar* & *Narſinga*; *Vi ſi trouano ſerpe con ali, molto velenoſe, che volano: delli quali è fama, che col fiato è la guardatura ammazano, quei che vi, ſi pongono troppo appreſſo.* Id eſt, *Ibi alati & volucres ſerpentes reperiuntur, valde venenoſi, quos flatu & aſpectu propiùs accedentes interficere fama eſt.* Hæc penè ad verbum deſcripſit *Scaliger* in *Cardanum* Exercitationis CLXXXIII. capite quinto. Et *Vincentius le Blanc* Partis primæ *Peregrinationum* capite vigeſimo quinto, *Ad ortum lacûs* Chiamay *magnæ ſylvæ ſunt, & vaſtiſſimæ paludes, ad quas iter eſt periculoſum: quia ibi ſerpentes maximi degunt, qui, tanquam veſpertilionum alis è terra ſublati, & extremâ caudâ ſubnixi, rapidiſſimè feruntur. Hos ajunt circa hæc loca olim exſtitiſſe tanta copiâ, ut vicinam provinciam penè deſolaverint.* Et infrà, *Eorum vidi nonnullos immenſæ molis, qui, cum eſuriunt, in oves pecudesque alias irruunt.*

Non poſſum non addere *ſaraph volantem* ab *Hebræis* in iis animalibus poni, quorum gravis eſt odor. *Porta Cæli* fol. 24. 2. b. ויש מקצת בעלי חיים שיצא ארס גדול וריח רע וחזק מפיהם כמין זאב ומין שרף מעופף, *Sunt & quædam animalia, ex quorum ore exit multum virus, & malus gravisque odor; ut lupus, &* ſaraph *volans.* Et rurſus ושרף מעופף שורף האויר המעפש ההוא כל קרוב אליו, *Et* ſaraph *volans, aerem adurens, omnia inficit,* *quæ vicina ſunt.* Unde novum emergit argumentum, quo probetur τὸ *ſaraph* eſſe in *hydrorum* genere. De illis enim *Poeta* ſummus

- - - - *graviter ſpirantibus hydris.*

Et *Ælianus Hiſtoriæ* libri octavi capite decimo tertio, Περὶ Κέρκυραν δὲ γίνονται καλούμεναι ὕδραι· αἳ πρὸς τὰς διώκοντας (lege πρὸς τοὺς διώκοντας) ἐπιστραφεῖσαι, καὶ φυσῶσαι πνεῦμα ἄτοπον, εἶτα ἀναστέλλουσι τὴν ὁρμὴν, καὶ ἀποστρέφουσι. *In* Corcyra *verò hydræ procreantur; quæ ad inſequentes converſæ, & gravem ſpiritum anhelantes, eorum impetum reprimunt, atque à ſe avertunt.*

Unum video poſſe objici, hydros in aquoſis locis naſci, & educari: qualibus caruiſſe deſertum *Iſraelitarum* vero conſentaneum eſt, in illa parte inprimis, in qua morſi ſunt à ſerpentibus. Cum ob id ipſum hi ſerpentes in illos immiſſi ſint, quod propter aquæ inopiam in Deum & *Moſem* obmurmuràſſent, *Num.* 21, 5. 6. Sed huic objectioni poteſt occurri multifariam. 1. Neque enim, ſi ſiti fatiſcentibus *Iſraelitis* poculentæ defuerunt aquæ, continuo ſequitur nullas fuiſſe in deſerto paluſtres, & lutulentas aquas, in quibus hydri laterent. Certè *Nicander* auctor eſt, hydros ut plurimum degere ἐπὶ βροχθώδει λίμνῃ, id eſt, ἀνύδρῳ, ἢ ξηρᾷ, ἢ ὀλίγον ὕδωρ ἐχούσῃ, *in lacu inaquoſo, aut arido, aut parùm aquæ habente*, ut interpretatur *Scholiaſtes*. 2. Præterea *hydros* notum eſt (atque id jam antè (p) probavimus,) aquâ deficiente non continuò mori, ſed fieri *cherſydros*, atque hoc ipſo verè *ſeraphim*, id eſt, *ardentes*, & *exurentes*. Idem hic contigiſſe probabile eſt: & tum fuiſſe ſerpentes illos morſus periculoſioris; quia etiam è paludibus aquas æſtus abſumpſerat. Non vanam eſſe hanc conjecturam, temporis ratio probat. Addit enim *Nicander* hydros fieri cherſydros, & vias obſidere circa *Caniculares* dies:
p) Pag. 420. lin. 21. &c.

- - - - - - ὅταν ὕδωρ
Σείριος ἀζλείνῃσι, τρύγη δ' ἐνὶ πυθμένι λίμνης·

Cum aquam exſiccavit canicula, & ariditas eſt in fundo lacûs. Jam vide, & perpende, lector, quà anni tempeſtate in *Iſraelitas* ingruerit hæc calamitas. *Aaron* obiit in monte *Hor* primâ die quinti menſis, *Num.* 33, 38. id eſt, menſis *Ab*, vel *Abba* (ità lege in *Joſepho* pro Σαββὰ, *Antiquitatum* libri quarti capite quarto.) Convenit tempus cum *Julii* die decimo nono. Mortuum luxerunt *Iſraelitæ* diebus triginta, *Num.* 20, 29. Statim pugnatum eſt in Regem *Arad*. Indè populi murmura, & ſerpentes immiſſi, *Numer.* 21. Itaque factum id oportuit circa finem *Auguſti* menſis, Sole ex *Canicula* excedente. 3. Denique ut demus aquas in illa parte deſerti quovis anni tempore defuiſſe, tamen aquoſa loca non erant procul diſſita. Nam prima profectione *Num.* 21, 10. venit populus ad locum *Oboth* (id eſt, *utres*) dictum, ut quidem veriſimile eſt; quia ibi non biberunt modò, ſed & utres pridem vacuos repleverunt. Secunda profectio fuit ad *Ije-abarim*, id eſt, *cumulos vadorum*, vel, ut *Chaldæi* exponunt, *vadum trajicientium*. Tertia ad torrentem *Zered*. Quarta ad flumen *Arnon*. Quinta ad *Beer*, id eſt, *puteum* illuſtribus verbis in Scriptura celebratum, *Num.* 21, 17. 18. Unde eſt, quod *Deut.* 10, 7. leguntur *Iſraelitæ* paulò pòſt mortem *Aaronis* veniſſe in regionem fluminibus aquarum irriguam. Ne quis hoc deſertum ſibi fingat fuiſſe ubique aridum, & inaquoſum. In iis igitur, aut ſimilibus, locis hydri geniti potuerunt, vel reptiles, vel volucres etiam, à Deo in *Iſraelitas* immitti. Quod videtur poſſe confici ex verbis *Moſis*, *Miſit Dominus in populum ſerpentes* SERAPHIM. His, inquam, verbis Divinus Scriptor non obſcurè inſinuat, hos ſerpentes non ibi fuiſſe natos, ſed vi quâdam θεηλάτῳ aliunde accerſitos, ut de populo contumaci pœnas ſumerent. Quomodo in *Ægypto* ranæ ex naturali loco ſuo, id eſt, ex fluviis, & rivis, & paludibus excedentes, totam terram nubis inſtar cooperuerunt; ità ut etiam ſuperiora ædium tabu-

tabulata conſcenderent. Proinde de ſerpentibus à Deo immiſſis dicitur *Sap.* 16,5. Ἐπῆλθε θηρίων θυμός· *Supervenit* (tanquam ex improviſo) *ſerpentum venenum.*

Addam pro corollario quas cauſas *Hebræi* comminiſcantur hujus plagæ à Deo in populum murmurantem inflictæ. *Aben Ezra* obſervat *Eccleſ.* 10. *v.* 11. בעל לשון, id eſt, *maledicum*, ſeu *blaſphemum*, à *Solomone* conferri cum ſerpente, qui mordet non incantatus. Unde colligit morſu ſerpentum jure caſtigatam fuiſſe in populo *Iſraelitico* linguæ procacis mordacitatem. Neque id fortaſſe extra rem. Nam & *Pſal.* 140. *v.* 4. *maledici* dicuntur *acuere linguam ſuam ſicut ſerpentes, & venenum aſpidum ſub labiis habere.* Sed *Jeroſolymitanus* interpres, *Jonathanem* ferè ſequutus, videtur meras nugas afferre in Paraphraſi *Num.* 21. *v.* 6. *Filia vocis* (inquit, id eſt, *oraculum*) *exivit ex media terra, & audita eſt vox in excelſis:* ſcilicet, *Videte, omnes filii hominum, & auſcultate; & audite, omnes filii carnis. Maledixi ſerpenti à fundatione mundi, & ei dixi,* “*Pulvis erit cibus tuus. Neque tamen is murmuravit propter cibum ſuum. At populum meum* (Iſraelitas) *liberos eduxi ex* Ægypto, *& ad eos demiſi Mannam è cœlis, & traduxi coturnices è mari, & ipſis excitavi puteum ex abyſſo. Tamen iterum obmurmurant adverſus me propter Mannam, dicendo animam ſuam anguſtiari, propter panem, cujus eſus eſt levis. Proinde veniet ſerpens, qui non murmuravit propter cibum ſuum; & mordere faciam populum eorum, qui murmuraverunt propter cibum ſuum. Et excitavit verbum Domini in populum ſerpentes ardentes*, &c. Ac ſi ſerpenti id in laudem ſit vertendum, quod non murmuret in Deum, quem non novit.

Noſtri quoque hic Allegorias quærunt: & per ſerpentum adurentium morſus *ignita Satanæ tela* intelligunt *Epheſ.* 6. *v.* 16. id eſt pravas ſuggeſtiones, quibus ardorem libidinis accendens, varia nobis infligit vulnera, & in omnes animæ partes diffundit virus ſuum. Porro ut in *Iſraelitas* ſerpentes immittuntur propter *Mannæ* contemptum, & murmura in Deum, & *Moſem*, Num. 21. v. 5. 6. ſic *Satanæ* meritò traduntur, qui Dei verbum negligunt per *Manna* ſignificatum, aut in Deum ipſum blaſphemi ſunt; ut *Hymenæus*, & *Alexander* 1. Tim. 1. v. 20. Sed ut *Iſraelitarum* illi, quibus, de medicina non ſollicitis, ſerpentum morſus ſunt lethiferi, figura ſunt impœnitentium, qui, ſpretâ Dei gratiâ, in peccatis moriuntur: ita qui ad *Moſem* confugiunt, peccata confitentes, & Dei gratiam implorantes *Num.* 21. *v.* 7. eos aperte ſignificant, quos peccatorum ſenſus, & divini judicii metus ad ſaniora conſilia incitat; quales, qui compuncti corde dicunt ad *Petrum*, & reliquos *Apoſtolos*, *Quid faciemus, viri fratres?* Act. 2. v. 37. & *Philippenſium* commentarienſis, qui procidens tremefactus ad *Pauli* & *Silæ* pedes, *O Domini*, ait, *quid me oportet facere, ut ſalutem conſequar?* Actor. 16. v. 29. 30. In horum autem gratiam Deus *Moſem* juſſit, ut ſerpentem æneum perticæ imponeret, & promiſit fore, ut ejus aſpectu ſanarentur, quotquot à ſerpentibus morſi fuerant. Quod confirmavit eventus. Neque dubium, quin ille ſerpens *Chriſtum* adumbraverit. Ita enim aſſerit ipſe *Chriſtus* Johan. 3. v. 14. *Sicut* Moſes *extulit ſerpentem in deſerto, ita extolli oportet Filium hominis.* Et typi rationes multi multas afferunt. Puta primò ſerpentem illum ſerpentum, qui morſu adurebant, figuram quidem, venenum tamen non habuiſſe: prout in ſimilitudine carnis peccati fuit *Chriſtus* Roman. 8. v. 3. quamvis à peccato immunis. Secundò, æreum fuiſſe ſerpentem, non aureum, & è viliore metallo conflatum; ut nobis *Chriſtum* exhiberet, in quo *non fuit forma, neque decor, neque ulla ſpecies, cur deſideremus eum*, Eſa. 53. v. 2. Tertiò, divinum *Chriſti* robur ſignificari æris firmitate, & perennitate. Unde *Job.* 6. *v.* 12. *An vis mea eſt vis lapidum? An caro mea eſt ærea?* Et *Poeta*,

Exegi monumentum ære perennius.

Quartò, inter omnia metalla æs maximè eſſe ſonorum. Unde *Paulus* 1. *Cor.* 13. *v.* 1. γέγονα χαλκὸς ἠχῶν. Et *Claudianus*,

Non te progenitum Cybeleïus *ære ſonoro*
Luſtravit Corybas. - - - - -

Itaque per *æs* rectè deſignari *Chriſtum* crucifixum, & prædicationem crucis, cujus *ſonus ivit per omnem terram*, Rom. 10. v. 18. Sed duo potiſſimum hic obſervanda ſunt. Nempe, 1. *Chriſtum* in crucem fuiſſe ſubvectum, quomodo ſerpentem in perticam. Unde *Chriſtus* jam modo *Joh.* 3. *v.* 14. *Sicut* Moſes *extulit ſerpentem in deſerto, ita extolli oportet Filium hominis.* Et *Joh.* 12. *v.* 32. *Si è terra ſublatus fuero, omnes ad me attraham. Sublatus*, id eſt, *crucifixus*, ex linguæ *Syræ* uſu, quâ Verbum ܙܩܦ *zekaph* propriè eſt *attollere.* Sic 2. *Tim.* 4, 15. ܛܒ ܓܝܪ ܙܩܦ ܠܘܩܒܠ ܡܠܝܢ *Valde enim ſe extulit contra ſermones noſtros.* Tamen occurrit ſæpenumero in *crucifigendi* notione: ut *Matth.* 20. *v.* 19. ܘܢܙܩܦܘܢܝܗܝ *Et attollent eum*, id eſt, *crucifigent eum*: Græce καὶ σταυρῶσαι. Et 23. 34. ܘܬܙܩܦܘܢ ܐܢܘܢ *Et vos attolletis*, id eſt, *crucifigetis*: Græcè, καὶ σταυρώσετε. Et 26. v. 2. *Filius hominis traditur* ܕܢܙܕܩܦ *ut attollatur*, i.e. *ut crucifigatur*: Gr. εἰς τὸ σταυρωθῆναι. Et 27. v. 22. ܢܙܕܩܦ *attollatur*: Gr σταυρωθήτω *crucifigatur*. *Chaldæis* quoque familiaris eſt eadem κατάχρησις. Sic *Eſther*. 7. *v.* 10. in ſecundo *Thargum* וחקפו ית המן על קיסא, *Et ſuſtulerunt* Hamanem *ſuper lignum*, id eſt, ויתלו *& ſuſpenderunt.* Ita enim in *Hebræo*. Et in primo *Thargum* Eſther. 9. v. 13. *Decem filios* Haman יזקפון על צליבא, *attollant ſuper patibulum*, Hebraicè יתלו על העץ, *ſuſpendant ſuper lignum.* Quæ locutio videtur orta ex edicto *Darii* Regis *Eſd.* 6. *verſ.* 11. *Quiſquis hoc mutaverit, tollatur lignum de domo ejus*, וזקיף יתמחא עלוהי, *& ſublatus in eo deleatur*: *ſublatus*, id eſt, *ſuſpenſus*. Sed & holocauſta, quæ *Hebraicè* עולות, id eſt, ὑψώσεις, dicebantur; quia ſurſum attollebantur, ſignificabant fore, ut *Chriſtus*, pro peccatis ſe offerens, exaltaretur in cruce. Hoc quoque hic obſervandum ænei ſerpentis, in pertica evecti, ſolo aſpectu ſanatos fuiſſe *Iſraelitas* à vulneribus, quæ ſerpentes inflixerant. Nempe à Dæmone inflicta vulnera *Chriſti*, in crucem ſublati, ſolus aſpectus perfectè ſanat. Aſpectus fidei ſcilicet, quæ eſt *hypoſtaſis eorum, quæ ſperamus, & demonſtratio eorum, quæ non videntur, & per quam* Moſes *eum vidit, qui eſt inviſibilis*, Hebr. 11. v. 1. 27. Et verò per ſerpentis aſpectum fidem in *Chriſtum* intelligi diſertè docent hæc *Chriſti* verba *Joh.* 3. *v.* 14. 15. *Prout* Moſes *extulit ſerpentem in deſerto: ita extolli oportet Filium hominis, ut quiſquis credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Nempe ut ſerpentis aſpectus *Iſraelitas* à morte eximebat; ita nos fides in *Chriſtum*, qua nimirum illum intuemur. Si qui igitur in *Iſraele* cæcutiebant, aut oculos ultrò avertebant, iis ſalutis erat nulla ſpes: ut neque hodie incredulis, & *rebellib adverſus lucem*, Job. 24, 13. & iis, *quorum mentes hujus ſæculi Deus excæcavit, ne fulgeat illis lumen Evangelii gloriæ* Chriſti, 2. Cor. 4, 4. Neq; alterius aſpectu, ſed proprio, *Judæi* ſanabantur: ut nos, ex fide noſtra, non ex aliena vivimus, *Hab.* 2, 4. & *Rom.* 1. *v.* 17. Tamen ut ſaluti eſſe potuit viſus etiam imbecillus: ita ex morte nos eripit fides adhuc infirma, modò ſit vera, & ſincera. Atq; ut ſemel morſus, & viſo ſerpente ſanatus, ſi rurſus mordebatur, ad idem remedium confugiebat: ita, ſi poſt reſtitutionem denuò in peccata labimur, eadem ſuccurrit fides, quæ prius. Et *cadit juſtus ſepties, & ſepties reſurgit*, Prov. 24, 16. Proinde ut *Judæi*, tam præſenti auxilio freti, anguium morſum, & aculeum parum timebant: ſic fidelis, qui *Chriſto* nititur, dæmonū inſultus nihili faciens, cum fiducia exclamat, *O mors, ubi eſt victoria tua? O ſepulchrum, ubi eſt ſtimu-*

ſtimulus tuus? 1. Cor.15.v.55. *Judæos* tamen nemo dixerit hujus medicinæ fiduciâ tam fuiſſe ſecuros, ut ſerpentes ad morſum ultrò provocaverint : ita cavendum, ne, *Chriſti* gratia & auxilio freti, in tentationes ſponte incidamus. Quin *Diabolo reſiſtendum eſt*, ut *is fugiat à nobis*, Jac.4.v.7.

Ex his cum ſignum conſtet rem ſignificatam apprimè expreſſiſſe, veritas tamen ſupra figuram multis gradibus aſſurgit. Serpens enim æneus, utut gratiæ Dei Symbolum, tamen per ſe nihil poterat. *Non enim, qui reſpiciebat, per rem viſam, ſed per te, Servatorem omnium, ſanabatur*; ut verè ait auctor libri *Sapientiæ* cap.16.v.7. ſed *Chriſtus vitam habet in ſe abſconditam*, Coloſſ.3.v.3. & *vivificat quoſcunque vult*, Joh.5.v.21. Serpentis aſpectus ſolis *Iſraelitis* erat ſalutaris : fides in *Chriſtum* omnibus; in eo enim *neque* Judæus, *neque* Græcus *eſt*, *ſed omnes unus eſtis in* Chriſto Jeſu, *Gal.*3.v.28. Serpens æneus intuentes à morte corporis ita eximebat, ut morti adhuc eſſent obnoxii : per *Chriſtum*, tam ab animæ, quàm à corporis morte, in æternum liberamur; ut ipſe docet *Joh.* 11.v.26. *Quiſquis vivit, & credit in me, non morietur in æternum.* In diem unum, aut alterum, duravit ſerpentis ænei virtus : at *Jeſus Chriſtus heri & hodie idem eſt, & in ſæcula*, Hebr.13.v.8. Itaque ſerpentem æneum colere nefas fuit; & tam eximium divinæ virtutis monimentum meritò contrivit *Ezechias*, cum *Iſraelitas* ei adolere animadvertiſſet, 2. *Regum* 18.v.4. At *omnes honorant filium, prout honorant Patrem*, Joh.5.v.23. Et *eum adorant omnes Angeli*, Hebr.1.v.6. Et *Deus illum ſummè exaltavit, & donavit illi nomen, quod eſt ſupra omne nomen, ut in nomine* Jeſu *flectatur omne genu cœleſtium, terreſtrium, ac ſubterraneorum*, Phil.2.v.9.10. Proinde, cùm contritus fuerit ſerpens æneus, quem colebant *Iſraëlitæ*; contra, ii conterentur, qui debitum *Chriſto* cultum denegabunt. *Pſal.*2.v.9. *Conteres eos virga ferrea, & ut vas figuli confringes eos.* Et *Dan.* 2.v.44. de regno *Chriſti*, *Comminuet, & conſumet omnia illa regna; ipſum autem ſtabit in æternum.* Et in Parabola *Luc.*19.v.27. *Inimicos illos meos, qui noluerunt me regnare ſupra ſe, huc adducite, & coram me jugulate.*

In quo præciſè loco fuerit erectus ſerpens æneus, *Moſes* non dicit: ſed *Iſraelitas*, inde profectos, narrat caſtra poſuiſſe in *Oboth*, *Num.*21.v.10. Unde ſequitur, locum illum fuiſſe פינן *Phinon*, vel פונן *Phunon*, de quo *Gen.* 36.v.41. *Num.*38.v.42. 43. & 1. *Paral.*1.v.52. Nam ex *Phunone* profecti caſtra metati ſunt in *Oboth*, *Num.* 33.v.43. Is porrò fuit *Idumææ* locus fodinis æris valde inſignis, ut conſtat ex *Patribus*, qui *Pheno*, & *Phennen*, & *Fenon*, & *Metallo-fenon* ſcribunt; atque inde *Phaneſia*, vel *Phenneſia metalla*. Sic apud *Euſebium* lib.8. *Hiſtoriæ* cap.13. *Sylvano* Eccleſiarum circa *Gazam* Epiſcopo, & aliis undequadraginta, caput amputatum eſt κατὰ τὰ ἐν Φαινοῖ χαλκοῦ μέταλλα, *ad æris metalla, quæ in* Phæno. Et in *Athanaſii* Epiſtola *Ad Solitarios* narratur *Eutychius* εἰς μέταλλον ἀποςαλῆναι, καὶ μέταλλον οὐχ ἁπλῶς, ἀλλ' εἰς τὸ τῆς Φαινῶ, *ad metallum fuiſſe miſſus, neque ſolum ad metallum, ſed & ad metallum* Phæno. Et apud *Epiphanium* in *Meletianis*, Meletius, *& alii multi in exilium acti ſunt*, ὑπερορισθέντες ἐν τοῖς Φαινήσιος μετάλλοις, *ad* Phæneſia *metalla relegati.* Theodoretus *Hiſtoriæ* lib.4. cap.19. Τοῖς Φαινησίοις καὶ Προκοννησίοις παρεδίδοντο μετάλλοις. *Ad* Phenneſia & Proconneſia *metalla damnabantur.* Nec multo poſt de quodam *Damaſi* Diacono, Τοῖς κατὰ Φαινὼ παρεδόθη μετάλλοις· ἔστι δὲ ταῦτα τοῦ χαλκοῦ. *Ad* Phennes *metalla damnatus eſt; quæ ſunt æris metalla.* Ita etiam *Nicephorus Calliſtus* lib.11. cap.28. Sed diſertiſſimè *Hieronymus* in *Locis*; FENON, *caſtra filiorum* Iſraelis *in deſerto. Fuit autem quondam civitas Principum* Edom, *nunc viculus in deſerto, ubi æris metalla damnatorum ſuppliciis effodiuntur, inter civitatem* Petram & Zoaram. Item, DEDAN *eſt in quarto milliari à* Metallo-feno *contra Aquilonem.* Eodem refero hæc *Ariſtea* in *Hiſtoria de Septuaginta Interpretibus*, Ἐλέγετο δὲ καὶ ἐκ τῶν παρακειμένων ὀρέων τῆς Ἀραβίας μέταλλα χαλκοῦ καὶ σιδήρου συνίστασθαι πρότερον· ἐκλέλειπται δὲ ταῦτα, καθ' ὃν ἐπεκράτουν χρόνον Πέρσαι. *Narrabatur etiam ex* Arabiæ *montibus* (Judææ) *vicinis prius metalla æris & ferri fuiſſe eruta: ſed ea defeciſſe* (id eſt, *neglecta fuiſſe*, ut conſtat ex ſequentibus) *quo tempore* Perſæ *rerum potiebantur.* In his fodinis ſumptum videtur æs, ex quo conflatus fuit ſerpens æneus. Neque id fortaſſe ſine myſterio. Sic enim ſignificari potuit corpus, quod aſſumpſit *Chriſtus*, non aliunde fuiſſe allatum, ſed ibi natum, & formatum, ubi in carne manifeſtatus eſt.

CAPUT DECIMUM QVARTUM.

De Draconibus.

Hebræum תנין thannin, *de quovis* ſerpente *etiam apud* Arabes *uſurpatur: tamen propriè eſt* draco. *Draco triplex; cœleſtis, terreſtris, & marinus. Terreſtris draconis deſcriptio ex* Avicenna. *In ejuſdem verſione corrupta* draconum *nomina reſtituuntur & explicantur*: Albediſimon Perſin, Haren carmen, Semurion, Alhatraf, & Hauden, &c. Sirenes *pro* draconibus. Semurion *non eſt* doctor, *ut volunt: ſed* σμύραινα muræna *piſcis. De draconum magnitudine multa. Minimi ſunt quinque cubitorum, magni triginta. Sed longè majores ſæpe viſi, ſi credimus: ut* Romæ, & *in* Etruria *ſub* Auguſto, *in* Africa *ad* Bagradam, *in* Cœle-Syria, *in* Æthiopia, *in* India. Apoſiaris Indi *dracones duo: unus*, LXXX; *alter* CXL *cubitorum.* Taxilæ *draco* πεντάπλεθρος. *Draco ab* Arabe *deſcriptus duarum paraſangarum. Dracones bipedes, criſtatos, & volucres falſo deſcribi. Alas perperam illis tribuere* Strabonis *verſionem, cum aliud ſit in* Græco *textu.* Apoc.12. *myſticus draco* ἄπτερος. *Dracones alatos* Poetæ *fingunt, quibus* Cererem, Triptolemum, Medeam & Circen *vehant. Hi dracones ſunt naves, quibus draco eſt pro inſigni. Sed dracones à ſerpentibus diſtinguit*, 1. *Vaſta moles.* 2. *Barba, & paleария.* 3. *Dentium ordo triplex.* 4. *Color niger, aut rufus, ſeu fulvus, aut cinereus.* 5. *Rictus oris ingens.* 6. *Quod aſpiratione ſua non ſolum aërem attrahunt, ſed & aves ſupervolantes.* Pamelius *notatus.* 7. *Sibilus terribilis, & aliquo modo lugubris: unde* תנין thannin, draco, *dicitur. In* Græcia *veneno carent, in* Africa, Æthiopia, & Arabia *non item. Venenum illud vini potu fit acrius. In vaſtis & deſolatis locis degunt.* Fons draconis *prope* Jeruſalem *unde dictus.* Villalpandus *notatus, & veterum interpretum nonnulli.* Diabolus ſerpens antiquus, & magnus draco, Apoc.12. Philoni *quoque*, & Hebræis *ſic dictus. Quia ſerpentis habuit ſpeciem, & eſt inſidioſus, aſtutus, veneno ſus, homini maximè infenſus.*

HEbraicè תנין *thannin*, duo ſignificat, nempe *draconem*, & *cetum*; ac ſi cetus ſit draco marinus. Quin aliquando תנין ſumitur pro *ſerpente* quovis, planè ut נחש. Ut cum virga *Moſis* mutari legitur לתנין, in *thannin*, Exod.7.v.9. id eſt, לנחש, *in ſerpentem*, ut explicat ipſe *Moſes* Exod.4.v.3. & 7.v.15. Ita *Naſrius*, Scriptor *Arabs* in *Oxonienſi* Bibliotheca, cum refert in Ὀνειροκριτικοῖς (lib.3. ſect.21. cap.30.)

de

de muliere quadam, quæ ſomniavit ſe peperiſſe الحية *ſerpentem, & peperit magnum & celebrem Oratorem: quia* تنين thannin *eſt bilinguis.* Patet eum تنين *thannin*, & حية id eſt, *ſerpentem*, pro eodem uſurpâſſe. Tamen non ſolum *Hebræis*, *Syris*, ſed & *Arabibus*, propriè תנין *thannin*, eſt *draco*. Atque, ut alia taceam, patet id ex Paraphraſtis, qui pro *dracone* תנין conſtanter habent in libro *Revelationum Johannis*. Hinc تنين *thannin* in *Alcamus* definitur حية عظيمة *magnus ſerpens.* Et apud *Arabes* التنين *draco* vel eſt السماوي *cœleſtis*, vel الارضي *terreſtris*, vel البحري *marinus*. Et *cœleſtis*, inquiunt, qui *Perſicè* هشتنبر obſcurior quædam albedo eſt, quæ ſex occupat ſigna, & cum Planetis locum mutat. *Draco marinus*, Græcè δράκων θαλάσσιος (Gallicè *vive*) eſt ARANEUS *Plinii*, de quo *Avicenna* lib. 2. & 4. *Canonis*. *Terreſtrem* idem deſcribit his ferè verbis lib. 4. *Fen. 6.* tractatu 3. cap. 53. *Minimus in ſpecie draconum, ut quidam referunt, eſt quinque cubitorum: maximus, triginta, & ſupra. Oculi magni: in mandibula inferiore quid eminens inſtar barbæ. Dentes plurimi. Ajunt reperiri multos in* Nubia, *& India, ſed* Indos *eſſe majores.* Jonici *in* Aſia *quatuor cubitos non excedunt.* Indis, *præterquam quod maximi ſunt, & de cætero qua ſpecie diximus, facies ſunt flavæ & nigræ, ora ampliſſima, ſupercilia oculos obtegentia, colla ſquamis obſita. In unaquaque maxilla tres dentes.* (id eſt, dentium ordines.) *Unum in eo genere nos vidimus qui denſos habebat pilos ab utraq; parte colli.*

Libet hic obiter explicare barbara draconum nomina, quæ citantur ex ſequentibus, quæ ubique ſunt corruptiſſima, ſed in *Latina* verſione longè magis quàm in fonte, id eſt, in textu *Arabico*. Primo ſe offert *Albedſimon Perſin*. Ita *Latini* Interpretes. Sed textus *Arabicus* habet اغاثذيمون والسسر *agadanimon & alſir* vel *aſſir*, qui ab *Avicenna* cenſentur in genere draconum. Fallor, aut prius nomen factum ex *Græco* ἀγαθοδαίμων quod draconis fuit cognomen. *Philo Byblienſis* apud *Euſebium De præparatione Evangelii* lib. 1. cap. 7. poſtquam *Phœnices* & *Ægyptios*, auctore *Taauto*, docuit draconum & ſerpentum naturæ divini aliquid attribuiſſe. Φοίνικες δὲ, inquit, αὐτὸ (τὸ ζῶον) ἀγαθὸν δαίμονα καλοῦσιν· ὁμοίως δὲ καὶ Αἰγύπτιοι Κνὴφ ἐπονομάζουσι· *Hoc autem animal* Phœnices *agathodæmonem appellant, & Ægyptii ſimiliter* Kneph *vocant. Lampridius de Heliogabalo, Ægyptios dracunculos* Romæ *habuit, quos illi agathodæmonas vocant. Servius* in hæc *Poetæ* de vipera,

- - - - - - cœlumq; exterrita fugit,

lib. 3. *Georgicorum: id eſt, tectis gaudet, ut ſunt ἀγαθοὶ δαίμονες, quos* Latinè Genios *vocant.* Quò *Lucanus* alludens de draconibus dixit lib. 9.

Vos quoq;, qui cunctis innoxia numina terris.

Et *Sir*, & *Iſidori Sirena*, (imo *Siren*) *Sirenæ*, inquit, *ſunt in* Arabia *ſerpentes cum alis.* Et *Eucherius*, Sirenæ *in* Eſaia *dæmones, aut dracones magni, criſtati pariter, & volantes.* Et multo ante *Hieronymus* in *Eſa.* 13. *v.* 22. *Sirenæ autem* תנין *vocantur; quas nos aut Dæmones, aut monſtra quædam, vel certè dracones magnos interpretati ſumus, qui criſtati ſunt, & volantes.* Melius *Sirenes* dixiſſent, quas *Poetæ* multo aliter deſcribunt. Sed Patribus *Siren* eſt draconis ſpecies; quia in *Græca* verſione aliquoties occurrit pro תנין: ut *Job.* 30. *v.* 29. *Eſa.* 34. *v.* 13. & 43. *v.* 20. Inde igitur factum *Arabicum* سير *ſir* pro *dracone.*

Sequitur caput *De morſu draconis marini*, ubi araneum non intelligit, ſed ſcorpionem marinum *Aetii*, ut conferenti patebit.

Excipit caput, cui *Latinè* titulus eſt *De haren carmen*, ſed *Arabicè* في حيوان بحريان *De ſerpentibus marinis.* Et intelliguntur σμύραιναι *murænæ*, quas idem vocat سموريا. Sed *Latinus* interpres hic habet *ſemurion*, & Doctorem eſſe putat ſic appellatum, cum ſit σμύραινα *piſcis*. Me verè conjectaſſe planum erit *Aetium* cum *Avicenna* conferentibus. Ibi enim ipſiſſima *Aetii* verba de muræna piſce deſcribit *Avicenna.*

Sequenti capite titulus eſt *De Albatraf & Hauden*, quæ rurſus eſſe volunt inter genera draconum. Sed in *Arabe* eſt طروغوورون *truguron*, pro quo reſcribendum طروغون τρύγων, id eſt, *paſtinaca marina*, de qua agi apparet ex ejuſdem *Aetii* collatione cum *Avicenna*. Hæc in *Phil-Arabum* gratiam. Jam è diverticulo in viam.

Dracones à ſerpentibus mole præſertim differunt. Proinde draconem in *Alcamus* definiri diximus حية عظيمة *magnum ſerpentem.* Et notum eſt *Græcorum* Adagium, ὄφις, εἰ μὴ φάγῃ ὄφιν, δράκων οὐ γενήσεται· *Serpens, niſi ſerpentem comederit, draco non fiet.* Nec immeritò *Auguſtinus* in *Pſalm.* 148. *Magna quædam ſunt animantia dracones: majora non ſunt ſuper terram.* Sed nemo facile dixerit quouſque creſcant, cum hic veteres multa fabulentur, neque major ſit uſpiam mentiendi licentia, quod gradatim jam oſtendemus. *Plinius* lib. 8. cap. 13. ex *Juba* refert apud *Aſachæos Æthiopes* criſtatos generari dracones vicenûm cubitorum. *Aetius* & *Avicenna* à quinto cubito ſcribunt uſque ad triceſimum augeri. Quod & aliunde confirmatur. Nam apud *Ælianum Hiſtoriæ* lib. 2. capite 20. dracones in *Phrygia* creſcunt ad decem orgyias; quarum ſingulas tricubitales eſſe docent *Heſychius*, & *Euſtathius*. Et *Pauſanias* in *Corinthiacis* τοὺς ὄφεις τοὺς Μεγαλαύνας *ſerpentes Megalaunas* circa *Epidaurum* ſupra triginta cubitorum magnitudinem excreſcere tradit; quales in *India*, & in *Africa*, feruntur progenerari. Sic *Philoſtratus* lib. 3. cap. 2. ubi de draconum ſpeciebus in *India*; Οἱ μὲν δὴ ἕλειοι νωθροί τέ εἰσι, καὶ τριακοντάπηχυ μῆκος ἔχουσι· *Paluſtres quidem tardi ſunt, & triginta cubitos longi.* Quæ eadem menſura fuit draconis *Ægyptii*, qui vivus *Alexandriam* ad *Ptolemæum Philadelphum* adductus eſt. Fallitur enim *Tzetzes*, qui illum facit τεσσαρακονταπεντάπηχυν *triginta quinq; cubitorum*, Chiliadis 3. *Hiſtoria* 113. cum is, quem ſequitur, *Diodorus* lib. 3. hunc nonniſi τριάκοντα πηχῶν *triginta cubitorum* fuiſſe disertis verbis aſſerat. Qualem unum ſe vidiſſe teſtatur his verbis *Agatharchides* lib. 5. cap. 41. Τῶν μέν τοι ὑπὸ τὴν ἡμετέραν ὄψιν πεπτωκότων ὁ μέγιστος, πέφυκε πηχῶν τριάκοντα· *Maximus illorum, qui in noſtros obtutus incidit, videbatur cubitorum eſſe triginta.* Et apud *Strabonem* libro decimo ſexto δρακόντων εἴρηκε μεγέθη τριάκοντα πηχῶν ὁ Ἀρτεμίδωρος, ἐλέφαντας καὶ ταύρους χειρουμένων, *dracones triginta cubitorum deſcribit* Artemidorus, *qui tauris & elephantis ſunt ſuperiores.* Per me igitur licet, ut pro vero id habeatur, quod teſtantur tam multi veterum, dracones mole ſui corporis

poris triginta cubitorum, aut, quod idem eſt, quadraginta quinque pedum menſuram adimplere. Sed eorum, quæ ſequentur, pleraque fidem ſuperant. In *Periplo Rubri maris* apud *Ælianum* lib. 17. cap. 1. *Alexander* ſe vidiſſe refert ſerpentes quadraginta cubitorum longitudinis, ad quam latitudo & craſſitudo proportione reſpondebat. *Philoſtorgius* lib. 3. cap. 11. in *Oriente*, & *Meridie*, dracones memorat, πάχος μὲν δοκῶν ὡς ἐλάτlως, τὸ δὲ μῆκος εἰς δέκα πέντε παρατεινόμενα ὀργυίας, *craſſitudine tignis non minores, longitudine verò ad quindecim orgyias* (id eſt, cubitos XLV.) *extenſa*, quorum pelles *Romam* allatas ipſe viderit. *Auguſtum* narrat *Suetonius* cap. 43. anguem quinquaginta cubitorum pro comitio publicaſſe. Et ſub eodem meminit *Dio* lib. 50. Τῦ δικεφάλυ δράκοντος τῦ ἐν τῇ Τυρσηνίδι φανέντος, καὶ ἐς πέντε καὶ ὀγδοήκοντα πόδας ἐξικνυμένυ, πολλά τε κακώσαντος, εἶτα κεραυνωθέντος, *bicipitis draconis in* Hetruria *viſi, longi pedes octoginta quinque, qui, cùm multa devaſtaſſet, fulmine percuſſus eſt.* Tale eſt, quod *Strabonis* lib. 16. in *Cœle-Syria* campo *Macra* narrat *Poſidonius* τὸν δράκοντα πεπτωκότα ὀραθῆναι νεκρὸν, μῆκος σχεδὸν τι καὶ πλεθριαῖον, πάχος δὲ, ὥσθ' ἱππέας ἑκατέρωθεν παραςάντας ἀλλήλυς μὴ καθορᾷν, χάσμα δὲ ὥς τ' ἔφιππον δέξασθαι, τῆς δὲ φολίδος λεπίδα ἑκάςlω ὑπεραίρυσαν θυρεῦ, *viſum fuiſſe draconem mortuum plethri* (ſeu *centum pedum*) *longitudine, & tantâ craſſitudine, ut equites, utrinque aſſiſtentes, ſe non viderent invicem: & oris hiatu tanto, ut hominem equo inſidentem reciperet, qui denique exuvii ſquamas ſingulas habuerit ſcuto majores.* Jam quid notius dracone centum viginti pedum, quem non procul ab *Utica* ad *Bagradam* flumen ſtabulantem reperiſſe fertur *Regulus*. Qui, cum telis & jaculis à toto exercitu fruſtra impeteretur, tandem balliſtis, tormentisque, ut oppidum aliquod, eſt expugnatus. Et pellis maxillæque usque ad bellum *Numantinum Romæ* in Templo duravere. Hæc teſtantur multi Scriptores. Sed videndi inprimis *Tubero* apud *Gellium* lib. 6. cap. 3. *Livius* apud *Valerium* lib. 1. in fine, *Plinius* lib. 8. cap. 14. & *Oroſius* libri 4. cap. 8. Quid, quod molem tam portentoſam non exæquare modo, ſed & ſuperare leguntur *Æthiopici* atque *Indici* dracones. *Æthiopicis* enim triginta orgyiarum, id eſt, cubitorum nonaginta, ſeu pedum cxxxv. longitudinem tribuit *Ælianus Hiſt.* lib. 2. cap. 21. Et in eadem fuêre, qui dracones centum cubitorum, id eſt, centum quinquaginta pedum, longos ſe vidiſſe palam aſſererent: ſed illorum fidem eſſe ſuſpectam his verbis teſtatur *Diodorus* lib. 3. *Serpentum multa genera, & magnitudine incredibilia, videri ajunt, qui prope deſertam & feris frequentem* (Æthiopiæ) *regionem incolunt.* Ἑκατὸν γὰρ πηχῶν τὸ μῆκος ἑωρακέναι τινὲς ἀποφαινόμενοι, δικαίως ἂν οὐχ ὑφ' ἡμῶν μόνον, ἀλλὰ καὶ ὑπὸ τῶν ἄλλων ἁπάντων ψευδολογεῖν ὑποληφθεῖεν, *centum enim cubitorum longos videri quidam pronunciantes, jure merito non nobis ſolùm, ſed & aliis omnibus mendacii ſuſpecti ſunt.* *Indicos* quod attinet, unum memorat *Ælianus*, lib. 15. cap. 21. longum cubitos ſeptuaginta, ſeu pedes centum & quinque, oculis ad inſtar clypei *Macedonici*, ab *Indis* in antro quodam ſumma religione cultum, quique ſolo flatu & ſibilo totum *Alexandri* exercitum terruerit, ac turbaverit. Sed quaſi hoc parum eſſet, apud eundem lib. 16. cap. 39. refert *Oneſicritus Apoſiſarem Indum* duos nutriviſſe dracones: quorum minor fuerit cubitorum octoginta, id eſt, pedum centum & viginti; major cubitorum centum & quadraginta, id eſt, pedum ducentorũ & decem, quos videre *Alexander* maximè appetiverit. Quod ipſum in *Tzetze* legas *Chiliadis* tertiæ Hiſtoria 113. Sed *Strabo*, qui pro *Apoſiſare Biaſarum*, vel *Abioſarum*, ſcribit, hujus commenti fidem ita elevat. Ἐν τοῖς ὄρεσιν ἡ τῦ Βιασάρυ (MSS. Ἀβισάρυ) χώρα, παρ' ᾧ δύο δράκοντας ἀπήγγελλον οἱ παρ' αὐτῦ πρέσβεις τρέφεσθαι, τὸν μὲν ὀγδοήκοντα πηχῶν, τὸν δὲ τετταράκοντα πρὸς τοῖς ἑκατὸν, ὡς εἴρηκεν Ὀνησίκριτος, ὃν ὐκ Ἀλεξάνδρυ μᾶλλον ἢ τῶν παραδόξων Ἀλεξάνδρυ ἀρχικυβερνήτlω προσείποι τις ἄν· *In montibus eſt Biaſari* (vel *Abioſari*) *regio, apud quem legati, ab eo miſſi, duos nutriri dracones nuntiaverunt; quorum alter octoginta, alter centum & quadraginta fuerit cubitorum, auctore* Oneſicrito: *quem non tam* Alexandri *navis quàm incredibilium gubernatorem meritò quis appellaverit.* Nondum tamen hic mendaciorum finis. Levicula enim hæc videri poſſunt, præ eo, quod *Abioſaro* Rex vicinus *Taxiles Alexandro* oſtendiſſe traditur draconem quinque plethrorum, id eſt, quingentorum pedum. Ita habet *Maximus Tyrius* Serm. 38. Ἔδειξε καὶ ζῶον ὑπερφυὲς, Διονύσυ ἄγαλμα, ᾧ Ἰνδοὶ ἔθυον, δράκοντα μῆκος, πεντάπλεθρον, *Oſtendit immenſum quoddam animal, Bacchi ſimulacrum, cui Indi ſacrificabant, draconem ſcilicet quinque plethrorum longitudinis.* Interim *Græci Arabibus* ſunt longè modeſtiores, quorum unus apud *Damirem* aſſerit ſe vidiſſe تنينا طوله نحو فرسخين ولونه مثل لون النمر مفلسا مثل فلوس السمك بجناحين عظيمين على هيئة جناح السمك وراسها كراس الانسان لكنها كالتل العظيم *draconem longum ferè duabus paraſangis* (id eſt, paſſuum octo millibus) *coloris pardi, piſcis ſquamis ſquamatum, pinnis quoque magnis inſtructum, quomodo piſces, & humanum caput habentem ad inſtar excelſi collis.*

De forma quoque draconum valde ambigitur. His enim pedes, criſtas, & alas multi tribuunt. Et de pedibus quidem ita *Paulus Jovius* lib. 18. *Aſſerunt* Georgiani *regni incolæ, in his vallibus dracones eſſe alatos, qui anſerinis pedibus gradatim humi ſerpant.* Et *Scaliger* apud *Geſnerum*, *Genera omnia draconum pedes habent.* Et rurſus, *Draconibus crura eſſe notum eſt.* Criſtatos quoque apud *Plinium* deſcribit *Juba*. Et *Ovidius* lib. 4. *Metamorphoſeos* Fabula 15.

Lubrica permulcent criſtati colla draconis.

Et lib. 7. de dracone, velleris aurei cuſtode.

Qui criſta linguisq; tribus præſignis. - -

Et *Philoſtratus* lib. 3. cap. 2. Τὸν ἐν τῷ τῆς Νεμέας ἄλσει (δράκοντα) φασὶ καὶ λοφιὰν ἔχειν. Ὅπερ ὐκ ἂν περὶ τὺς ἑλείυς εὕροιμεν· *Draconem in* Nemeæ *luco criſtatum eſſe dicunt, quod nos in paluſtribus non invenimus.* Et de montanis draconibus idem, Τύτοις καὶ λοφιὰ φύεται· νέοις μὲν ὑπανίσχυσα τὸ μέτριον, τελειυμένοις δὲ συναυξανομένη τι, καὶ συνανιῦσα εἰς πολύ. *His etiam criſta naſcitur; juvenibus quidem mediocriter erecta, ſed ætate provectis grandior & valde remiſſa.* Et infra, Ἀπὸ δὲ τῶν λόφων, πυῤῥῶν ὄντων, πῦρ αὐτοῖς ἄττει λαμπάδος πλέον· *Ex criſtis autem, quæ rubra ſunt, ignis plus quàm ex face ſcintillat.* Et *Ælianus* lib. 11. cap. 26. Ὁ μὲν δράκων ὁ ἄῤῥην τὸν λόφον (ἔχει) καὶ τὴν ὑπήνlω δασεῖαν· *Draco mas criſtam habet; & barbam denſam.* Et *Hieronymus* in *Eſa.* 13. תנין *dracones magnos interpretati ſumus, qui criſtati ſunt, & volantes.* Et *Iſidorus* lib. 12. *Originum* cap. 4. *Eſt autem* (draco) *criſtatus ore parvo*, &c. Volucres denique eſſe dracones plerique putant. *Lucanus* lib. 9. verſu 732.

- - - - - - - - *ducitis altum*
Aëra cum pennis. - - - - - -

Hiero-

Hieronymus jam modò, *Criſtati ſunt, & volantes.* *Auguſtinus* libri tertii *De Geneſi ad literam* capite nono: *Dracones autem,* &c. *in aerem ſuſtolli perhibentur.* Et in *Pſalmum* 148. *De ſpeluncis procedunt, feruntur in aera.* *Jovius* ubi ſuprà, *Aſſerunt* Georgiani *regni incolæ his in vallibus dracones gigni alatos.* *Scaliger* quoque, *Quædam genera draconum alas habent.* Cui ſententiæ id favere videri poſſit, quod *Apoc.* 12, 7. draco myſticus *in cœlo*, id eſt, in ſummo aëre, cum *Michaele* pugnat, tanquam alis eo ſubvectus.

Tamen in hac draconum deſcriptione non puto quidquam eſſe veri. Nam, ut à pedibus ordiamur, veterum Scriptorum nullus eſt, qui draconi pedes tribuat. Et *Auguſtinus* in loco, quem nuper citavimus, eum eſſe ἄποδα diſertè docet. *Dracones,* ait, *ſine pedibus & in ſpeluncis requieſcere, & in aerem ſuſtolli perhibentur* Neque *gradi* ſed *ſerpere* dicuntur in his *Lucani*,

Vos quoque, qui, cunctis innoxia numina terris,
Serpitis aurato nitidi fulgore dracones.

Nempe draco eſt ſerpentis genus, quem *in ventrem ſerpere* juſſit Deus *Gen.* 3, 14. Jam de criſtis ità *Plinius* libri undecimi capite trigeſimo ſeptimo, *Draconum criſtas qui viderit, non reperitur.* Et libri octavi capite decimo tertio, *Id modò mirum, unde criſtatos dracones* Juba *crediderit.* Alis denique, iiſque cartilagineis tam vaſtam molem attolli nemo facilè in animum ſibi induxerit. Maximè, cum nihil tale *Philoſophi* tradant, nec fideles *Hiſtorici*. Nam, quod ajunt, *Strabonis* libro decimo ſexto, *Indicis* ac *Libycis* draconibus alas tribui, habetur quidem in *Xylandri* verſione, at in *Græco* textu longè aliud eſt. Neque iis πτερὰ *ala*, ſed πόαν ἐπιφύεσθαι λέγει *herba innaſci dicitur.* Quod ex *Iphicrate* videtur ſumptum, qui ejuſdem *Strabonis* libro decimo ſeptimo in occidua *Æthiopia* δράκοντας λέγει μεγάλους, ὥστε καὶ πόαν ἐπιφύεσθαι, *dracones deſcribit tam vaſtos, ut iis herba innaſcatur.* Nec à myſtico dracone ad naturalem valet argumentatio. Quamvis ille ipſe draco myſticus alas habere nuſquam legatur. quin ἄπτερον eſſe colligas, ex eo, quod mulierem illam, quæ aquilinis alis avolat, non inſequitur: ſed, quod unum poteſt, aquarum vim in eam evomit, *Apoc* 12, 14. 15. Ut in aquilæ cum dracone pugna apud *Nicandrum* in *Theriacis*, cum aquila volatu ex periculo ſe eripit,

- - - ἱπτάμενον δὲ πέριξ ἀτίταλτα διώκει
Σπειρηθεὶς, καὶ λοξὸν ὑποδρὰξ ὄμμασι λεύσσων,

Volantem circumcircà fruſtrà inſequitur (draco) *in ſpiras convolutus, obliquis & torvis oculis illam intuens.* Elatam enim in ſublime non poteſt attingere.

Itaque nullus video, unde apud vulgus invaluerit hæc opinio, dracones eſſe alatos, niſi ad *Mythologos*, & *Poetas*, eam referamus, quibus, cum pictoribus,

Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.

Illâ igitur hic uſi currum *Cereris* alatis draconibus vehunt. *Orpheus* in *Hymno Cereris*,

Ἅρμα δρακοντείοισιν ὑποζεύξασα χαλινοῖς,

Currus (volucrium) *draconum fræna ſubjungens.* Ovidius *Metamorphoſeus* libri quinti *Fabulâ* undecimâ,

- - - *Geminos Dea fertilis angues*
Curribus admovit, frænisque coërcuit ora
Et medium cœli terræque per aera vecta eſt.

Et libro quarto *Faſtorum*,

- - - *frænatos curribus angues*
Junxit, & æquoreas ſicca pererrat aquas.

Et infrà,

- - - - - - *inque dracones*
Tranſit, & aliſero tollitur axe Ceres.

Claudianus libro primo *De raptu Proſerpinæ*,

- - - - - *ſinuoſa draconum*
Membra regens, volucri qui pervia nubila tractu
Signant, & placidis humectant fræna venenis.

Quo ipſo curru *Triptolemus* in *Scythiam* vectus, *Lynco Scythiæ* Regi dixit, apud *Ovidium* ubi ſupra;

- - - - *veni nec puppe per undas,*
Nec pede per terras: patuit mihi pervius æther.

Nempe *Ceres*

Δίφρον ἐχιδνήεντα δι' ἠέρος ἡνιοχεύων,
Στικτὰ φολιδοστιχέων ἐπιμάστιε νῶτα δρακόντων,

Currum per aërem agitans, varia ſquamigerorum draconum dorſa flagellabat. Ità *Nonnus* libro decimo tertio *Dionyſiacῶn*. Eum enim alatis draconibus vectum per totum terrarum orbem miſit *Ceres*, ut frumenti uſum hominibus indicaret. Ità docent *Hyginus fabulâ* centeſimâ quadrageſima ſeptimâ, & libro ſecundo *Aſtronomicῶn* in *Ophiucho*; *Servius* in librum primum *Georgicorum*; *Phornutus* libro *De natura Deorum*, capite *De Cerere*; nec pauci alii. Ut de *Medea* taceam, quam hujuſmodi currum à patre *Sole* accepiſſe fingunt. *Euripidis Scholiaſtes* in Argumento *Medeæ*, Μήδεια δὲ, τοὺς ἑαυτῆς παῖδας ἀποκτείνασα, ἐφ᾽ ἅρματος δρακόντων πτερωτῶν ἐποχουμένη, ἀπέδρα εἰς Ἀθήνας. Quod ſumptum ex *Apollodoro* in fine libri primi *Bibliothecæ*. Hinc de eadem *Ovidius Metamorphoſeωs* libri ſeptimi *Fabula* ſecunda,

Nec fruſtrà volucrum tractus cervice draconum
Currus adeſt; aderat demiſſus ab æthere currus:
Quo ſimul aſcendit, frænataque colla draconum
Permulſit, manibusque leves agitavit habenas,
Sublimis rapitur. - - - - - -

Et *Fabula* quintâ.

Quæ, niſi pennatis ſerpentibus iſſet in auras,
Non exempta foret pœnæ. - - -

Et *Fabula* vigeſima,

Tandem vipereis Ephyrea Pyrenida *pennis*
Contigit. - - - - - -

Et *Fabula* vigeſima prima,

Hinc Titaniacis *ablata draconibus intrat*
Palladias *arces.* - - - - -

Neque mirum, hoc eodem curru *Circen* quandoque vehi, cum illa etiam *Solis* filia, & *Medeæ* ſoror, fuerit. Proinde in *Apollonio* (libri tertii *Argonauticῶn* verſu 308) *Circe* in *Heſperiam*, ſeu *Italiam*, deducitur,

- - - - πατρὸς ἐν ἅρμασιν Ἠελίοιο,

in patris Solis *curribus*. Quod ex *Heſiodo* illum habere tradit eximius *Scholiaſtes*. Et *Valerii Flacci* libro ſeptimo,

- - - *ut aligeri* Circen *rapuere dracones.*

Et ibidem infrà,

- - - - *tandem vix reddita* Circe
Duratnis, quæ te bijugis ſerpentibus egit
Hinc fuga! - - - - -

Sed *draconum* nomine naves ſignificari docent illi ipſi veteres: ut in *Euſebii Chronico* celeberrimus ſcriptor *Philochorus*, cum, ſub *Eleuſinis* Rege *Celeo*, *Triptolemum* tradit μακρῷ πλοίῳ προσβαλόντα ταῖς πόλεσι τὸν σῖτον διαδοῦναι· ἀπενεχθῆναι δὲ πτερωτὸν ὄφιν εἶναι τὴν ναῦν, ἔχειν δέ τι καὶ τοῦ σχήματος, *longâ navi delatum urbibus frumentum diſtribuiſſe; & per alatum ſerpentem navem ſignificari, cum figura ſit aliqua ex parte ſimilis.* Adde, ſi lubet, *Draconis* nomine potuiſſe inſigniri navem, quæ pro inſigni draconem habuit: ut, apud *Plutarchum* libro *De virtutibus mulierum*, pirata *Chimarrus*, à *Bellerophonte* occiſus, ἔπλει πλοίῳ λέοντα μὲν ἔχοντι πρόσθεν ἐπίσημον, ἐκ δὲ πρύμνης δράκοντα, *vehebatur navi, quæ in prora leonem, & in puppe draconem habuit pro inſigni.* Et, apud *Euripidem* in *Iphigenia in Aulide*, *Bœoticis* navibus pro ſigno fuit *Cadmus*

Χρύσεον δράκοντ᾽ ἔχων
Ἀμφὶ ναῶν κόρυμβα·

aureum draconem habens in navium roſtris. Eodem pertinet, quod in *Fabulis*, qui draconibus vehuntur, non niſi è maritimis, nec niſi ad maritima loca proficiſcuntur. Sic *Ceres*, *Proſerpinam* quærens, cum totam *Siciliam* abſque draconibus peragrâſſet, etiam inſulæ littora tandem adiit:

Quò ſimulac venit, frænatos curribus angues
Junxit, & æquoreas ſicca pererrat aquas.

Ità *Ovidius* libro quarto *Faſtorum.* Et *Circe* ex *Colchide* draconum curru vehitur in *Italiæ* promontorium *Circeum*: *Medea*, liberis cæſis, *Corintho Athenas*: *Triptolemus Athenis Patras*, *Achaiæ* maritimam urbem; ubi *Eumeli* filius *Antheas*, exemplo *Triptolemi*, dracones jungere auſus, de curru excuſſus periit; id eſt, naufragium fecit, cum navigandi imperitus mare attentâſſet. Hiſtoria habetur in *Pauſania Achaicis.* Sed fruſtrà diſputamus, cum *Corœbi*, aut *Margitæ* (id eſt, fatuorum,) ſit credere Τριπτόλεμον ἐλάσαι διὰ τ̃ ἀέρ@ ἐπὶ δρακόντων ὑποπτέρων, Triptolemum *alatis draconibus per aërem vectum fuiſſe*: ut in *Philopſeude* verè aſſerit *Lucianus*, hæc *Poetarum* commenta ridens. Quâ mente etiam *Auguſtinus*, aut quiſquis libri auctor eſt, *Soliloquiorum* libri ſecundi capite decimo quinto: *Non enim, cum dicitur junctis alitibus anguibus* Medeam *volâſſe, ullâ ex parte res iſta verum imitatur: quippe quæ nulla ſit, nec imitari aliquid poſſit ea res, quæ omnino non ſit.* Alæ tamen draconibus non aliunde natæ ſunt, quàm ex hujuſmodi commentis.

Sed aliæ notæ non deſunt, quibus à vulgo ſerpentum dracones dignoſcantur. In his prima ſit vaſta moles, in draconibus tam frequens, quam in reliquis ſerpentibus rara & inſolita. Secunda, ſub mento barba, & palearia. *Nicander*,

- - - - νέρθε ᾗ πώγων
Ἔπλεθ' ὑπ' ἀνθερεῶνα χολοίβαφ@,

Infrà autem ſub mento flava eſt barba. *Ælianus* libri undecimi capite vigeſimo ſexto, Ἔχει γοῦν ὁ μὲν δράκων ὁ ἄῤῥην τὸν λόφον, καὶ τὴν ὑπήνην δασεῖαν· *Criſtam quidem habet draco mas, & barbam hirſutam.* Avicenna.

وتحت الفك الاسفل نتو كالذقن

Et ſub inferiore maxilla eminentiam (habent) *tanquam barbam.* *Philoſtratus* non omnibus barbam tribuit, ſed draconum certo generi: Οἱ δὲ ἢ πυρωποὶ, inquit, καὶ πριονώδεις γίνονται, ὅτοι καὶ γενειάσκουσι· *Qui colorem igneum & dorſum ſerratum habent, iis etiam barba adnaſcitur.* Tertia, dentium ordo triplex: ſiquidem verè *Nicander*,

- - - - - - - ἐν ᾗ γενείῳ
Τείςιχοι ἑκάτερθε ἐπιςιχόωσιν ὀδόντες,

In maxilla autem tres dentium ordines utrimque digeſti ſunt. *Avicenna* ſolum habet, وفي كل لحي ثلثة انياب *Et in unaquaque maxilla tres ſunt dentes.* Sed puto aliquid eſſe omiſſum, putà vocem سطور aut صفوف id eſt, *ordines.* Quarta nota ſit color, qui quidem eſt varius. Obſervat enim *Aëtius* alios eſſe nigros, alios rufos, alios cinerei coloris. Et, juxta *Avicennam*, لها وجوه صفر وسود *Facies ipſis ſunt flavæ & nigræ.* Et multò antè *Nicander*,

Φράζεο καὶ χλοάοντα δαεὶς κύανόν τε δράκοντα,

Etiam peritus deſcribe flavum, & nigrum draconem. Tamen fulvi, aut flavi, aut aurei, aut rufi coloris, quod ferè idem eſt, plerumque deſcribuntur. *Lucanus*,

Serpitis aurato nitidi fulgore dracones.

Pauſanias in *Corinthiacis*, Δράκοντες δὲ οἱ λοιποὶ, καὶ ἕτερον γένος, ἐς τὸ ξανθότερον ῥέποντες χρόας, ἱεροὶ μὲν τ̃ Ἀσκληπιοῦ νομίζονται· *Cæteri quoque dracones, ſed* (*inprimis*) *aliud genus in fulvum colorem vergens, Æſculapio ſacri habentur.* Et *Philoſtratus* ubi ſupra, poſtquam πυρωπούς (id eſt, *ignei coloris*) dracones ſerrato dorſo & barbatos eſſe dixit, addit, καὶ τὸν αὐχένα ὑψοῦ αἴρουσι, καὶ τὴν φολίδα στίλβουσι δίκην ἀργύρου, *& cervicem altiùs attollunt, & eorum ſquama inſtar argenti fulgent*: ut hos in draconibus doceat maximè eminere. Ut non fruſtrà ſcripſerit *Poeta* ſummus *Iliad.* β'. verſu 308.

Ἔνθ' ἐφάνη μέγα σῆμα, δράκων ἐπὶ νῶτα δαφοινός·

Ibi apparuit magnum ſignum, draco dorſo rubens (aut *rufus.*) Nec multò aliter Divinus ſcriptor *Apoc.* 12, 1. 3. *Signum magnum apparuit in cœlo,* &c. *Et ecce draco magnus rufus!* Quamvis aliud ſignificetur: Diabolus nempe, qui ſanguineus eſt, & *homicida ab initio*, Joh. 8, 44. & *bile ſuccenſus, & ardens, quia tempus ipſi breve*, Apoc. 12, 12. Quo reſpiciens *Syrus* interpres reddit ܬܢܝܢܐ ܕܢܘܪܐ *draconem ignitum.* Et *Arabs*, تنين بلون النار *draconem coloris ignei.* Qui *Philoſtrato* πυρωπὸς, & *Johanni* πυῤῥός, id eſt, πυρόεις τὴν χροιάν.

Rictum draconis alii parvum, alii magnum deſcribunt. In priore ſententia *Solinus* eſt, qui draconibus *ora* dicit eſſe *parva, & ad morſus non dehiſcentia.* Adeò ut *verbere potius, quàm rictu noceant.* Quod ſequutus *Iſidorus*, *eſt*, inquit, *ore parvo, & arctis fiſtulis, per quas trahit ſpiritum, & linguam exerit. Vim autem non in dentibus, ſed in cauda habet, & verbere potiùs, quàm rictu nocet.* Sed *Aëtius* contra, *Maximè hiante ſunt oris rictu.* Et *Avicenna*, qui viderat, لها افواه شديد السعة *Illis ora ſunt valde ampla.* Quod idem *Poſidonium* ſenſiſſe patet, cum draconi πλεθριαίῳ in *Macra Cœle-Syria* tribuit χάσμα ὥστ' ἱππέα ἐφ' ἵππου δέξασθαι, *talem hiatum oris, ut cum equo ſeſſorem admiſerit.* Et *Megaſthenem*, cum ſcripſit *in India ſerpentes* (id eſt, dracones) *in tantam magnitudinem adoleſcere, ut ſolidos hauriant cervos, taurosque*; auctore *Plinio* libri octavi capite decimo quarto. His cum *Jeremia* magis convenit, apud quem Eccleſia non diceret, (*a*) Nebucadnetſar *me deglutivit ut draco*, ſi draco animal eſſet tam parvi hiatûs & innoxii. a) Ierem. 51, 34.

Idem *Propheta* rectè omninò cum draconibus confert onagros, qui, inopiâ pabuli fatiſcentes,

- - - - - - - - - *cœlum*
Suſpiciunt patulis captantes naribus auras.

Onagri (inquit capitis decimi quarti verſu ſexto) *ſtantes in clivis attrahunt ventum ut dracones.* Quamvis dracones non ſolùm ventos, ſed & aves ſupervolantes aſpiratione ſuâ legantur ad ſe attrahere. *Mela* libri primi capite decimo nono, *Circa* (Rhyndacum) *angues naſcuntur immanes, neque ob magnitudinem modò, ſed ob id etiam mirabiles, quod ubi in alveum ejus æſtus Solemque fugerunt, emergunt, atque hiant, ſupervolantesque aves, quamvis altè & perniciter ferantur, abſorbent.* *Plinius* id ipſum ſcribit libri octavi capite decimo quarto, tanquam ex *Metrodoro.* Et *Ælianus* libri ſecundi capite vigeſimo primo, Δράκοντες περὶ τὸν ποταμὸν τὸν καλούμενον Ῥυνδάκην, τὸ μέν τι τῆς σπείρας ἀπήρεισαν εἰς τὴν γῆν, τὸ δὲ λοιπὸν σῶμα ἀνασχόντες πᾶν, ἀτρέμα, καὶ ἡσυχῇ τὴν φάρυγγα ἀνατείναντες, καὶ μέντοι καὶ τὸ στόμα ἀνοίξαντες, εἶτα τὰ πτηνὰ ἕλκουσιν, ὥσπερ ἴυγγι, τῷ ἄσθματι. τὰ δὲ εἰς ἐκείνων ἐμπίπτει γαστέρας, ὑπὸ τ̃ περὶ αὐτ̃ εἰσπνοῆς συρόμενα αὐτοῖς πτεροῖς. *Circa fluvium* (Ponti) *Rhyndacum nomine dracones, parte voluminis terræ innixi, reliquo corpore erecto, collo tacitè & quietè extenſo, & ore hiante, aves adſpiratione ſuâ, tanquam amatoriâ illecebrâ, ad ſe attrahunt. Illæ autem in eorum ventrem decidunt, ipſis ſuis alis draconum ſpiritu ductæ.* *Phile* capite quinquageſimo nono de

de draconibus id ipſum tradit.

Δράκοντας Αἰθιόπων δ' ἔτ', εἰ θηρᾶν δεῖ,
Χαίνοντας ἀσθμαίνουσιν εἰς τὸν ἀέρα,
Καὶ τῶν πετεινῶν τὰς κρεμαστὰς ἀγέλας,
Ἴυγγι θερμῆς εἰσπνοῆς καθημένας,
Καὶ σπωμένας ἄνωθεν εἰς γῆν ἀθρόας
Ἐκ τῶν γνάθων ἕλκουσιν εἰς τὴν γαστέρα.

Æthiopici *dracones, ſi aucupio egent, biantes in aerem anbelant, & avium ſuſpenſos greges, calida aſpirationis illecebrâ demulctas, & ex alto ad terram frequentes attractas, ex maxillis in ventrem trahunt.* Quo *Tertullianus* alludens *De corona militis* capite decimo, *Draco etiam terrenus*, inquit, *de longinquo non minus ſpiritu abſorbet alites.* Ubi abſurdè *Pamelius draconis* nomine *baſiliſcum* intelligit.

Hebræorum antiquiſſimi, qui dracones, ut diximus, erectos, & diductis faucibus hiantes, ſurſum aſpirare obſervârunt, id ità ſunt interpretati, ac ſi, ore in cœlum obverſo, per ſuſpiria, & gemitus, ad Deum de ſorte ſua conquererentur; quodque omnibus odioſi, deſertisque ac feralibus addicti locis, longam quidem, ſed miſeram, vitam ægrè traherent. Ac proinde *Job* dracones cum ſtruthionibus jungens capitis trigeſimi verſibus vigeſimo octavo & vigeſimo nono, *Surgens*, inquit, *in congregatione clamavi. Frater fui draconum, & ſocius ſtruthionum. Micheas* itidem capitis primi verſu octavo, *Super hoc plangam, & ululabo*, &c. *Faciam planctum velut dracones, & luctum ſicut ſtruthiones.* Fortaſſe etiam horrendos draconum ſibilos reſpiciunt, quibus deſerta perſonant. *Ælianus* libri decimi quinti capite vigeſimo primo, de dracone quodam in *India*; Συριγμὸν μὲν μέγα φῦσαι μέγιστον, καὶ φύσημα, ὥστε ἐκπλῆξαι πάντας, καὶ ἐκταράξαι· *Maximum igitur ſibilum & flatum emiſit, ita ut omnes terruerit, & conturbaverit* (in *Alexandri* copiis. Et libri decimi ſexti capite trigeſimo nono idem in *Chio* alterum memorat δράκοντα μεγέθει μέγιστον, οὗ τὸν συριγμὸν ἐπιπεφρίκασιν οἱ τὴν Χίον κατοικοῦντες, *draconem immenſæ magnitudinis, cujusque adeò ſibilum exhorruerint omnes* Chii *incolæ*. Præterea ut ſtruthiones à *clamore* dicuntur בנות יענה, ità draconum nomen תנים *thannim*, alludit ad תנות *thannoth*, quod θρηνεῖν *plangere* explicant vetuſtiſſimi interpretes *Judic*. 11, 40.

Venenum habere draconem multi negant. *Plinius* libri vigeſimi noni capite quarto, *Draco non habet venena.* Aëtius, *Animal hoc venenum non jacit.* Iſidorus, *Innoxius eſt à venenis.* Proinde à dracone morſis parùm dolere ſcribit *Nicander*. Verba ſunt,

\- - - - - - οὐ μὲν ὅγ' αὐτοῖς
Ἐγχρίμψας ἤλγυνε, καὶ ἢν ἔκπαγλα χαλεφθῇ.
Βληχρὸν γὰρ μυὸς οἷα μυχοβόρου ἐν χροῒ νύγμα
Εἴδεται, αἱμαχθέντος ὑπὸ κραντῆρος ἀραιοῦ.

Non is æquè (ac alii ſerpentes) *pungens dolorem excitat, etiamſi graviter lædat. Nam à debili dente cruentato levis in cute punctio apparet, tànquam à mure, qui noctu vorat* (alii μυχοβόρου, *qui in penu vorat.*) Tamen in Cantico *Moſes*, Deut. 32, 33. *Venenum draconum, vinum eorum.* Et *Sap*. 16, 10. Τοὺς δὲ υἱούς σου οὐδὲ ἰοβόλων δρακόντων ἐνίκησαν ὀδόντες· *Filios autem tuos nec venenatorum draconum vicerunt dentes.* Sed, ne dicam *Hebræum* תנין poſſe pro *quovis ſerpente* ſumi, etiamſi *draconem* intelligas, facile erit hæc conciliare Nam *Græcia* dracones, de quibus *Nicander*, & alii, veneno carere verum eſt: niſi quod noxias herbas, datâ opera, leguntur edere, ut ſuo morſu plus periculi creent. *Homerus* Iliad. χ'.

Ὡς δὲ δράκων ἐπὶ χειῇ ὀρέστερος ἄνδρα μένῃσι
Βεβρωκὼς κακὰ φάρμακα· - - -

Ut in luſtro draco montanus exſpectat paſtus malas herbas. Et *Ælianus* libri ſexti *Hiſtoriæ* capite quarto, Μέλλοντες δέ τινα ἐλλοχᾶν, ἢ ἄνθρωπον, ἢ θῆρα, τὰς θανατηφόρους ῥίζας ἐσθίουσι· *Cum homini aut feræ cuipiam moliuntur inſidias, mortiferas radices edunt.* Apud *Euſtathium* alii dicunt, ὅτι δράκων, ἐσθίων μύρμηκας, καὶ κανθαρίδας, ἰοῦ πληροῦται, καὶ εἰς λύσσαν ἄγεται, *draconem, formicas, & cantharidas comedentem, veneno impleri, & in rabiem agi.* Alii item intelligunt πόαν τινὰ χολῆς γεννητικήν, ἣν ἐσθίων ὄφις εἰς χολὴν ἐρεθίζεται, *herbam, quæ bilem generat, quâ cum veſcitur, bilis ejus irritatur.* Sed in *Africa*, & *Arabia*, hâc arte nihil eſt opus, cum venenum habeat lethiferum. Quod his verbis à *Lucano* eſt obſervatum,

Vosque quoque, qui, cunctis innoxia numina terris,
Serpitis aurato nitidi fulgore dracones,
Peſtiferos ardens facit Africa. - - -

Proinde *Heliodorus*, de ſagittariis agens ex *Æthiopia* regione cinnamomifera; Οἱ δὲ μικροῖς μὲν τοῖς βέλεσιν, ἰῷ δὲ δρακόντων πεφαρμαγμένοις ἐπιτοξεύοντες, ὀξύν τινα καὶ ἀπότομον θάνατον ἐπέφερον· *Illi autem parvas quidem ſagittas, ſed veneno draconum infectas, conjicientes, citam, & acerbam mortem inferebant.* Et Prudentius *Hamartigenia* verſu 481,

Ecce! Jebuſiacæ *fervent ad prælia turmæ:*
Aurea tela quibus, de ſanguine tincta draconis,
Mortifero ſplendore micant. - - -

Et Apollinaris *Pſalmo* ſeptuageſimo tertio,

Θλίψας ἰοβόλων κεφαλὰς ῥοθίοισι δρακόντων,

In fluctibus draconum venenum ejaculantium capita perdidiſti. Et *Pſalmo* nonageſimo,

Ἰοβόλον δὲ δράκοντα ποσὶν καὶ θῆρα πατήσεις,

Venenatum draconem & leonem pedibus conculcabis. Et *Leo Africanus* libro nono, *Atlantici dracones ſunt virulenti admodum: &, ſi caſu quenquam vel contingant, vel mordeant, carnem emolliunt, & debilitant.* Sed & in *Africa*, & *Numidiâ*, ſerpentes quivis peſtilentius habent venenum, quàm in terrarum aliis. Unde *Horatius* libri terti *Odâ* decimâ,

Nec mauris *animum mitior anguibus.*

Et libro ſecundo *Satyrarum* in fine,

\- - - - - - - *velut illis*
Canidia *afflâſſet, pejor ſerpentibus* Afris

Nemo eſt, qui ſerpentes neſciat vini eſſe avidiſſimos. Id enim docet *Philoſophus Hiſtoriæ* libri octavi capite quarto, Οἱ δὲ ὄφεις καὶ πρὸς τὸν οἶνόν εἰσιν ἀκρατεῖς. Διὸ θηρεύουσί τινες καὶ τοὺς ἔχεις εἰς ὀστράκια, διὰ τὸ τιθέναι οἶνον εἰς τὰς αἱμασιάς· λαμβάνονται γὰρ μεθύοντες. *Serpentes vini avidi ſunt. Proinde viperas aliqui, vino in teſtis ad ſepes diſpoſito, venantur: ebriæ enim capiuntur.* Et *Plinius* libri decimi capite ſeptuageſimo ſecundo, *Serpentes, cum occaſio eſt, vinum præcipuè appetunt.* Sed, vini potu, ſerpentum & draconum venenum acrius & intenſius fieri non aliunde didici, quam ex *Chaldæo Jonathane*, qui, pro *Moſis* verbis, *Venenum draconum eſt venenum eorum*, Deut. 32, 33. Sic habet in *Paraphraſi*, הי כמרירתהון דתניניא כי הגון הוון מן חמרהון בכן יהי מריר כס דלוות דישתון ביום פורענותהון *Ecce! ut eſt fel draconum, cum ſunt à vino ſuo* (id eſt, poſtquam vinum biberunt) *ità erit fel calicis, è quo bibent in die ultionis eorum.*

Draco ſectatur ſolitudines, τὴν ἐρημίαν πρὸ τῶν ἀστικῶν διατριβῶν, inquit *Ælianus* libri ſexti capite ſexageſimo tertio. Acutè igitur *Plutarchus* libro *De defectu Oraculorum* negat verum eſſe, quod ajunt *Delphos* olim fuiſſe deſertas, quia draco ibi degebat. Cùm contrà ibi draco degeret; quia locus erat deſertus. Ἡ γὰρ ἐρημία τὸ θηρίον ἐπηγάγετο, μᾶλλον ἢ τὸ θηρίον ἐποίησε τὴν ἐρημίαν. Ideò *Propheta* toties (b) urbes populoſiſſimas prædicunt fore draconum domicilia, aut habitandas à draconibus. Quibus verbis extremam illis deſolationem minitantur. *Aquila* igitur non malè *Pſ*. 44, 20. *Contriviſti nos* ἐν τόπῳ ἀοικήτῳ *in loco inhabitabili*, pro eo, quod eſt *Hebraice, in loco draconum.* Sed, utut dracones ſæpe degant in ſiticuloſis locis, tamen, ubi liberum eſt, in irriguis vallibus ſedes figunt multò libentiùs. Itaque etiam de veris

b) *Eſ*. 13. 21. & 34. 13. *Ierem*. 9. 11. & 10. 22. & 49. 33. & 51. 37. *Malach*. 1, 3.

draconibus ſuo modo verum eſt, quod de myſticis draconibus, id eſt, gentibus, à veri Dei cognitione remotis, ſed ſuo tempore vocandis, prophetavit (c) *Eſaias*, fore, ut *dracones glorificent Deum*, *cum poſuerit in deſerto aquas*, *& flumina in ſolitudine*. Et *Nehem.* 2, 13. *fons draconis* propè *Jeruſalem* dici videtur à dracone ibi ſtabulari ſolito, dum urbs erat deſolata. Sic *Pauſanias* in *Bœoticis* fontem deſcribit prope amnem *Iſmenium*, cui draco cuſtos à *Marte* ſcilicet fuerit appoſitus. Et *Philoſtratus* libri tertii capite ſecundo *Homerum* obſervat draconem in *Aulide* ſtatuiſſe circa fontem ἀμφὶ κρήνην. Hoc longè veriſſimilius, quam, quod conjicit *Villalpandus*, fonticulum hunc magnos illos piſces aluiſſe, qui *Hebraicè* dicuntur תנים. Sed & id videtur coactum, quod aſſerit vir doctus, fontem *Siloë* ſic vocari à lento & ſerpente fluxu, de quo *Eſ.* 8, 6. *Græci* reddunt πηγὴν τῶν συκῶν *fontem ficuum*; quia, pro תנים, legerunt תאנים. *Syrus* autem [illegible] [illegible] *fontem collium*, quaſi תלים legerit.

c) *Eſ.* 43, 20.

Apocal. 12, 9. Diabolus vocatur *magnus draco*, & *ſerpens antiquus*, quæ ferè eodem recidunt. Serpentes enim fama eſt longo decurſu annorum tandem fieri dracones. Præterea *draco* non appellatur quivis Dæmon, ſed qui ſeduxit *Evam*. Eum porrò Dæmonum principem eſſe plerique volunt, & *draconis* nomine ſignificari illum inter Dæmones tam eminere, quàm in vulgo ſerpentum magnus draco. Proinde hunc ipſum Dæmonem *draconem* vocat (d) etiam *Philo Judæus*, qui ante *Johannem* ſcripſerat. Ταῦτα δὲ, inquit, οὕτω μὲν λεγόμενα φάσμασιν ἔοικε, καὶ τέρασι, δράκων ἀνθρώπου προϊέμενος φωνὴν, καὶ σοφιστεύων ἀκακωτάτοις ἤθεσι, καὶ πιθανότησιν ἐπιβουλεύων γυναῖκα ἀπατῶν. *Hæc*, *quæ referuntur*, *ſpectris & portentis propiora videri queant*, *draco humana verba emittens*, *& argutiis innocentiſſimos mores corrumpens*, *& perſuaſionibus*, *quibus facilè imponatur*, *mulierem decipiens*. Sed & eundem *Hebræi* הנחש הקדמוני, *ſerpentem antiquum* vocant. Quod pridem obſervârunt *Druſius* in hunc locum, & in *Geneſim Paulus Fagius*. Neque obſcura eſt ratio nominis. Primò enim ſerpentis figurâ ſeduxit *Evam*. Secundò, *Satan* occulto, & ex inſidiis, nos aggreditur, &

d) Libro De Agricultura.

\- - - - - *latet anguis in herba.*

Tertiò, ut aſtutus eſt ſerpens *Gen.* 3, 1. ità Diabolus longè callidiſſimus. Hinc *Evam* ſeduxiſſe legitur, ἐν τῇ πανουργίᾳ αὐτοῦ, 2. *Cor.* 11, 3. Quartò, ut ſerpentis venenum per totum corpus: ità Dæmonis virus per totam animam effunditur. Denique ſerpente homini nihil eſt odioſius, quodque fugiamus magis. Unde *Theophraſtus* in *Characteribus* de cavillatione, Τὰ δὲ τῶν ἠθῶν μὴ ἁπλᾶ, ἀλλ' ἐπίβουλα, φυλάττεσθαι μᾶλλον δεῖ, ἢ τοὺς ἔχεις. *Mores qui non ſunt ſimplices*, *ſed inſidioſi*, *fugiendi plùs*, *quàm viperæ*. Et apud *Theocritum Praxinoë*, ut ſternaces equos doceat ſe maximè horrere;

Ἵππον, καὶ τὸν ψυχρὸν ὄφιν, τὰ μάλιστα δεδοίκω·
Equum & frigidum anguem maximè timeo.

Et in *Mercatore Plautus*,

Nempe ruri eſt uxor tua, *quam dudum dixeras*
Te odiſſe æquè atq; angues. - - - -

Ut *Horatius* libro primo *Epiſtolarum*,

\- - - - - - *cane pejus & angue*
Vitabit. - - - - - - - -

Ita inter genus Dæmonum atque hominum grave odium intercedit, de quo *Gen.* 3, 15. Sed hæc ſolùm obiter attingimus; quia ſunt alterius loci.

DE

DE SCRIPTVRÆ ANIMALIBVS, PARS SECUNDA,

Liber Quartus,

DE *Inſectis Animalibus.*

CAPUT PRIMUM.

Locuſtarum nomina & ſpecies.

Hebræa locuſtarum *nomina decem in* Prophetarum *ſcriptis juxta Magiſtros.* 1. ארבה arbe, *à* multitudine *dicta; quia nullum animal fœcundius.* 2. גוב gob, *vel* גובי gobai, *quia è terra emergit: quod* Arabicè جبا *Eodem pertinere nomen* Æthiopicum አንበጣ : anbat. 3. גזם gazam; *quia ramos arborum morſu ſuo* גזם amputat. Gazam *Græcis & Hieronymo* eruca, *quæ herbas morſu exurit potius, quàm amputat; unde* uruca *nonnullis.* 4. חגב chagab *ab* obvelando; *quia quaſi velum Soli obtendit.* Aben Ezra *notatus.* 5. חנמל chanamal, *non eſt* locuſta, *ſed* pruina; *quaſi* נחמל nachamal; *quia, ſuper arbores, fruges & herbas quieſcens, eas incidit. Aliud* ἰχνεῖον. 6. חסיל chaſil, *à* conſumendo. 7. חרגול chargol, *Arabicè* حرجلة chorgola, locuſtarum agmen; *quod quandoque patet ad plura millia.* حرجل chargala *eſt* longa ſerie ferri. 8. ילק jelek, *à* lingendo. Lingere *Hebræis eſt* abſumere; *locuſtæ, tineæ, bovi, igni tribuitur.* 9. סלעם ſolam; *non quia* conſcendit petras, *ſed à* vorando. *Id enim eſt* סלעם 10. צלצל tſelatſal; *non ab* alarum ſtrepitu; *ſed ab* umbra: *quia locuſtæ Solem obumbrant. His vocibus locuſtarum plures ſpecies ſignificari, quod ex* Joele *&* Moſe *probatur. Locuſtarum ſpecies in* Damire *&* Marcello Virgilio. *Diverſa locuſtarum nomina apud* Arabes, *ratione formæ, coloris, natalium, ſexus, ætatis.* دبا daba, *bruchus,* غوغا gauga *attelabus,* جراد girad *locuſta. Quæ voces quid differant apud* Latinos Patres, *à quibus* Græci *diſſentiunt, &* Philoſophi *veteres. Multa de brucho, attelabo, attaco, vel aſtaco, ophiomacho. An verè ſerpentes oppugnet* ὀφιομάχης, *qui* Hebraicè חרגול chargol, *vel* argol. *Fabula in* Suida *de* Argolis, *ex* Argo *ſcilicet in Ægyptum allatis ad oppugnandas aſpides. An idem ſit* σκορπιομάχος. Ἀκρὶς locuſta *unde dicta, tres ſententiæ.* Græca *locuſtarum multa nomina.* Ἀσίρακος Talmudicis אסקרא. Ὄρπας *locuſtæ fœtus, ex quo fit garum.* Heſychius *emendatus. De locuſtarum ſpeciebus quàm obſcurè* Talmudici. *Quædam locuſtæ caudam & gibbum habent, quædam neutrum, quædam alterutrum. Locuſtis mundis quatuor notæ: item quinta; quæ ſola gryllo deeſt.* R. Selomo *fatetur locuſtarum ſpecies ſibi eſſe ignotas. Notæ tamen erant* Judæis Chriſti *ætate, ſed paulo poſt ignoratæ. Celeberrimi interpretis multiplex peccatum in verſione loci Legis de locuſtis. Affirmativam mutat in Negativam. Bombycem & cantharum cenſet inter locuſtas Lege conceſſas. Mundæ locuſtæ, volucres, & quadrupedes. Alas quatuor habent, unde* τετραπτερυλλίδες. Suidas *emendatus. Cur* Moſes *ſolùm quatuor pedes locuſtis tribuat, quæ aliàs ſunt* ἑξάποδες. *Crura poſteriora in pedibus à* Moſe *non cenſeri; quia non pertinent ad greſſum, ſed ad ſaltum. Non tamen à ſaltu vocari* πηδάλια, *ut vult* Scaliger: *ſed quia ſunt* πηδαλιώδη, *id eſt*, gubernaculi formâ. *Olim in navibus duo fuiſſe gubernacula. De his cruribus* Piſidæ *locus inſignis ab interprete malè acceptus.*

VT *Hebræorum* terra locuſtis, ita lingua *locuſtarum* nominibus eſt maximè fœcunda. Nam, ut *Talmudica* taceam, quæ magno numero occurrunt, in ſolis *Prophetarum* ſcriptis Doctores decem numerant. Ea ſunt 1. ארבה *arbe.* 2. גוב *gob,* vel גובי *gobai.* 3. גזם *gazam.* 4. חגב *chagab.* 5. חנמל *chanamal.* 6. חסיל *chaſil.* 7. חרגל *chargal.* 8. ילק *jelek.* 9. סלעם *ſolam.* 10. צלצל *tſelatſal.* Quarum vocum origines, cum pleræque parum notæ ſint, hic obiter explicare operæ pretium eſſe duximus: quia res latet in verbis, & ex nominibus multa eruuntur, quæ ad horum animalium naturam pertinent.

I. Primum ארבה *arbe*, *Aben Ezra* in *Leviticum* rectè deducit מלשון רבוי, *ex ſignificatione multitudinis. Nam* רבה raba, *multum eſſe*, vel *multiplicari*, ſignificat. Unde ארבה *arbe*, præfixo *Aleph*, ut paſſim. Nec obſcurum, cur à *copia* locuſtæ nomen traxerint, cum nullum animal ſit fœcundius,

Hinc

Hinc de *Madianitis* Jud. 6. v. 5. *Et veniebant ut locuſtæ, ipſi, & cameli eorum innumeri.* Et Judic. 7. v. 12. *Diffuſi erant in ea convalle, tanquam locuſta multitudine.* Et Pſal. 105. v. 34. *Et venit locuſta, & bruchus; cujus non erat numerus.* Et Jerem. 46. v. 23. de ſylvæ arboribus, *Quia plures ſunt locuſtis, neque illis eſt numerus.* Et 51. v. 14. *Niſi te impleam, hominibus quaſi bruchis.* Et Joel. 1. v. 6. de locuſtis *Judæam* devaſtaturis, *Gens aſcendit contra terram tuam valida & innumerabilis.* Et Nahum. 3. v. 15. *Eſto tam copioſa quàm bruchus, tam copioſa quàm locuſta.* Et Judith. 2. v. 11 *Conveniebant ad eos ut locuſtæ, & ut arena terræ: innumerabiles enim erant præ multitudine.* Et de locuſtis *Ægypti* Exod. 10. v. 5. *Operient ſuperficiem terræ, ita ut non poſſit quiſquam videre terram.* Hinc *Hieronymus* in *Joelem*, *Quid locuſtis innumerabilius?* Et vulgare *Arabum* Proverbium. مال كالدبا *Opes, (vel Pecudes) ut locuſtæ*, id eſt, valde copioſæ. Sed hæc nemini non nota ſunt.

II. At locuſta cur *Hebraicè* dicitur גוב *gob*, vel גובי *gobai*, Amos 7. v. 1. & Nahum. 3. v. 17. & *Arabicè* جاب *gab*, vel جابي *gabi*, adhuc neſcirem; niſi me docuiſſent *Arabes*, apud quos جبا *gaba* Verbum, *è terra emergere* ſignificat, quod locuſtarum proprium. *Ariſtoteles* lib. 5. *Hiſtoriæ* capite 28. Ὅταν τίκωσιν (αἱ ἀκρίδες) ἐνταῦθα γίνονται σκώληκες ᾠοειδεῖς, οἳ περιλαμβάνονται ὑπό τινος γῆς λεπτῆς, ὥσπερ ὑφ' ὑμένος· ἐν ταύτῃ δὲ ἐκπέτονται. *Cum locuſtæ pepererunt, ibi fiunt vermes ovorum ſpecie, qui terra quadam prætenui, tanquam membranula, ambiuntur, unde evolant.* Gaza, *Quâ diſſectâ, emergunt locuſtæ, ac evolant.* Plinius, lib. 11. cap. 29. *Hæ pariunt in terram demiſſo ſpinæ caule ova condenſa Autumni tempore. Ea durant hyeme ſub terra: ſubſequente autem exitu Veris, emittunt parvas*, &c. Eodem refero, quod ab *Æthiopibus*, & *Troglodytis*, *locuſta* vocantur አንበጣ: *anbat*. Nempe *Arabicè* نبط *nabata* eſt *ſcaturire*, atque *è terra emanare*, ac *emergere*. Quod quidem fontium proprium, ſed & ad alia transfertur καταχρηστικῶς.

III. Tertium *locuſtæ* nomen גזם *gazam*, Joel. 1. v. 4. & 2. v. 25. & *Amos* 4. v. 9. *Hebræi* deducunt à גז *guz*, vel גזז *gazaz*, quod *tondere* eſt & *abſcindere*. Et Finale *Mem* Servile eſſe volunt; quamvis ſimile Nomen nullum proferant. Quippe חנם, *gratis*, ריקם, *fruſtra*, דומם, *quiete*, יומם, *interdiu*, אמנם, *verè*, quæ hic citant, non ſunt Nomina, ſed Adverbia. Itaque vera Radix eſt Verbum גזם *gazam*, quod *Talmudici* in *abſcindendi* & *amputandi* notione quandoque uſurpant: ut in *Avoda Zara* fol. 50. b. אין מגומין וסכין שמן בגחם *Non amputant ramos arborum, ſed oleum ungunt in locum amputationis.* Sic *Arabicè* in *Alcamus*, جزم النخل *Putavit palmam.* *Æthiopicè* etiam occurrit pro ἐκκόπτεται *Matth.* 3. v. 10. & 7. v. 19. *Luc.* 3. v. 9. & 13. v. 7. 9. In quibus locis æquè agitur de arborum amputatione. Inde igitur *locuſtæ* dictæ; quia præacutis dentibus non ſolum gramen, & ſegetes, atque arborum folia, ſed & cortices, ipſoſque arborum teneriores ramuſculos, ita erodunt, ac ſi amputarent. *Plinius*, ubi ſupra; *Multa contactu adurentes: omnia verò morſu erodentes, & fores quoque tectorum.* Hieronymus *in* Joelem *cap.* 1. Judæi *putant in diebus* Joel *tam innumerabilem locuſtarum ſuper* Judæam *veniſſe multitudinem, ut cuncta complerent, & non dicam fruges, ſed ne vinearum quidem, & arborum cortices, ramoſque dimitterent.* Sed & *Amos* 4. v. 9. *Hortos veſtros, & vineas veſtras, & ficeta veſtra, & oliveta veſtra* יאכל הגזם, *comedet Gazam* (ſeu *locuſta.*) Proinde *Piſidas* locuſtarum agminibus tribuit μυριόστομον ξίφος, *enſem decies mille acierum.* Hæc ex *Hebræorum* mente, qui ſummo conſenſu ſtatuunt גזם *gazam*, eſſe *locuſtæ* ſpeciem: *Chaldæum* ſcilicet ſequuti, cui *gazam* eſt זחלא *locuſta repens*, ſeu ἀττέλεβος, ut infra docebimus. *Syrus* quoque reddit ܙܚܠܐ eodem ſenſu. Inverſum enim eſt ܠܚܙܐ ex *Chaldæo* שמושא. Et שמושא cenſetur inter *locuſtæ* ſpecies, ut *Hebræum* חסיל, pro quo habetur in *Jonathane* 1. *Reg.* 8. v. 37. & *Joel.* 1. v. 4. Sed *Græcis*, & *Hieronymo*, גזם *gazam*, eſt κάμπη *eruca.* Quam verſionem etſi multis aſſerere conetur *Fullerus* in *Miſcellaneis* lib. 5. cap. 20. me tamen haud quaquam perſuadet: cum quia *Hebræi*, *Chaldæi*, & *Syri* aliter ſentiunt; tum quia Nomen גזם *gazam*, à *ramorum amputatione* factum, videtur erucæ minus convenire, quàm locuſtæ, cujus fortior eſt morſus. *Exurit* enim potius, quam amputat erucæ morſus. *Columella*,

- - - - - - *ſerpitq; eruca per hortos,*
Quos ſuper ingrediens exurit ſemina morſu.

Itaque ut *ab erodendo* ERUCA, ſic *ab urendo* URUCA etiam appellatur. *Gloſſæ* veteres *Latino-Græcæ* à *Stephano* editæ pag. 347. *Uruca*, κάμπη. Et *Græco-Latina* pag. 501. Κάμπη λαχάνου, *Eruca*, *uruca*. Et pag. 516. λαχάνων κάμπη, *urica*. Quæ tria loca cum ſe mutuò confirment, horum unus non debuit *Fullero* eſſe ſuſpectus.

IV. Quartum *locuſtæ* nomen חגב *chagab*, notum eſſe aſſerit *Aben Ezra* in *Leviticum* מלשון ישמעאל *ex lingua Iſmaelis*, id eſt, *Arabicâ*: quod falſiſſimum. Quamvis enim apud *Arabes* quamplurima ſint *locuſtarum* nomina, tamen huic ſimile nullum occurrit. Interim origo vocis poteſt eſſe *Arabica.* Nam *Arabicum* Verbum حجب *chagaba velare* ſignificat. Sic *Avicenna* capite *De anatomia oculi*, tunicam ἀραχνοειδῆ ideò ſubtilem eſſe docet; quia, ſi denſa eſſet, يحجب الضو عن الجليدية *lumen velaret ab humore glaciali*, ſeu *cryſtallino*, id eſt, lumen ab eo arceret, tanquam oppanſo velo. Unde حجاب *chigab* eſt *velum Matth.* 27. v. 51. & *Hebr.* 6. v. 19. & حاجب *chagib*, id eſt, *janitor*, Gen. 43. v. 16. 19. editionis *Pariſienſis*; quia januam claudens ei quaſi velum obtendit. Locuſtas igitur indidem חגבים *chagabim*, dictas fuiſſe putaverim; quia, cum turmatim volant, Solis lumini velum videntur obtendere, ut infra docebimus in *Joel.* 2. v. 20.

V. Quintum חנמל *chanamal*, Pſal. 78. v. 47. pro *locuſta* ſumitur à *R. Selomone*, & *R. Chaſane*, quem citat *Aben Ezra*. Sed alii melius *chanamal* ſtatuunt aliquid eſſe *grandini* analogum. Ut de more ſint ἀντίστροφα duo ejuſdem verſus hemiſtichia, quæ ſic habent, *Et occidit* בברד, *in grandine vites eorum, & ſycomoros eorum* בחנמל, *in Chanamal.* Ita *Hebræa* ad verbum. Itaque *Aben Ezra* lapides grandinis hic intelligit. Sed *Saadias*, & *Kimchius*, id, quod *Arabes* vocant אלצקיע id eſt *pruinam*. Rectè omnino. Ita enim *Græci* veteres, Καὶ τὰς συκαμίνους αὐτῶν ἐν τῇ πάχνῃ. Unde *Vulgatus*, *Et moros eorum in pruina.* Et *Arabicum Pſalterium* vetus apud me manuſcriptum وتوتهم بالصقيع Et *Æthiopicum*, ወበለሶሙ: በአስሐትያ: omnes eodem ſenſu. Præterea in *Midras* חנמל *chanamal* per Metatheſin dici aſſeritur pro נחמל *nachamal*; quia נח ומל *nach vemal*, *quieſcit & incidit.* Quorum utrumque pruinæ valde convenit. Hinc *Theophraſtus* lib. 5. *De cauſis* cap. 19. nivem cum pruina conferens, Ἡ μὲν γὰρ πάχνη, inquit, ἀλλ' ἐπιπήκτεται

τήκεται ἀπὸ τῶν βλαστημάτων, καὶ τῶν βλαστῶν· ἡ δὲ πάχνη (ἐπιμένουσα, id enim ſupplendum, ut oppoſitio conſtet) ταῦτ' ἀποκαίει, *illa quidem non diu manet, ſed à palmitibus & germinibus liqueſcens delabitur: at pruina* (diu manens) *hæc exurit.* Et infra, Τμητικωτέρα δοκεῖ ἡ πάχνη τῆς χιόνος εἶναι, *Vim incidendi pruina quam nix majorem habere videtur. Plinius* quoque pruinam ſatis *perſidere* ſcribit, id eſt, *diu inſidere.* Verba ſunt libri 17. cap. 24. *Pruina pernicioſior naturâ eſt, quoniam lapſa perſidet. Pruinam* igitur potius quam *locuſtam* voce חנמל ſignificari vero valde conſentaneum eſt. Aliud ἐρυσίβη *rubigo.* Tamen in *Græco Scholiaſte* in *Pſalmos* ἐρυσίβη ἐστὶ κατὰ τὸν Ἡρωδιανὸν τὸ ἐπικαθίζον τοῖς καρποῖς παχνῶδες, καὶ διαφθεῖρον αὐτούς, *rubigo eſt juxta* Herodianum *pruinoſum id, quod fructibus inſidens eos corrumpit.*

VI. Sextum *locuſtæ* nomen חסיל *chaſil*, factum eſt à Verbo חסל *chaſal,* quod *conſumere* ſignificat, & de locuſta proprie dicitur. Sic in *Hebræo* textu *Deut.* 28. *v.* 38. *Semen multum in agrum jacies, & parum colliges;* כי יחסלנו הארבה׃ *quia conſumet illud locuſta.* Et in *Chaldæo Onkeloſi* ארי יחסליניה גובא׃. Et *Nahum.* 3. *v.* 16. in *Jonathane* יחסלינך כגובא׃, *Conſument te ut locuſta.* Unde, ſignificatione nonnihil immutata, חסל etiam in *abſolvendi* & *perficiendi* notione paſſim occurrit, quaſi *conſummare* ferè idem ſit, quod *conſumere.*

VII. Septimum חרגל *chargol*, unde fiat, *Hebræi* prorſus ignorant. Sed *Arabicè* حرجل *chargala* ſonat *longum eſſe*, aut *longâ ſerie ferri & produci.* Unde Nomen حرجل *chargal*, vel حرجلة *chergola*, in *Alcamus*, الجماعة من الخيل والقطعة من الجراد *de equis, agmen ſignificat; & de locuſtis gregem.* Quem quandoque patere per duodecim milliaria ſcribit *Cadamuſtus Navigationum* cap. 13. Et quamvis in *Europa* minus pateant, tamen etiam in ea quandoque vaſtiſſima videntur locuſtarum agmina. *Aldrovandus* lib. 4. *De Inſectis* pag. 423. *Scribunt anno* 1475. Siredienſem & Lencicienſem *eram, atq;* Maſoviam, *ingentem locuſtarum vim ex* Ungaria, Moravia, & Sileſia *advenientem, pervagatam eſſe,* &c. *continuatis ad ſeſquimilliarium in latitudinem, & alterum tantum in longitudinem, examinibus,* id eſt, ad tria milliaria. *Surius*, ad Annum 1541, de locuſtis circa *Poloniam: Hæ tanta multitudine provolârunt, ut duo milliaria in longum & latum cubito tenus ita occuparent, ut Solis quoq; ſplendorem à toto illo terræ ſpatio ſua denſitate excluderent.* Ita ut à longa ſerie non immeritò nomen habeant hæc locuſtarum agmina. Tamen à *Moſe* non ſumitur חרגל *chargol*, pro *locuſtarum grege*, ſed pro *locuſtæ certa ſpecie.* Ita etiam in Tractatu *Talmudico De Sabbatho* fol. 67. 2. in *Miſna* יוצאין בביצת החרגל ובשן של שועל ובמסמר מן הצלוב משום רפואה׃ *Egrediuntur* (licitè die Sabbathi) *cum ovo* chargol, *& cum dente vulpis, & cum clavo patibuli medicinæ cauſa* (appenſo:) & ibi *Gemara* dicit ovum *chargol* adhibitum fuiſſe לשיחלא׃. Et *Gloſſa* שיחלא׃ eſſe כאבא אזן חולי באזן, *dolorem auris, aut morbum in aure.*

VIII. Octavum ילק *jelek*, à *lingendo* deductum שילוק בלשונו; quia *lingua ſua lingit* ſata & fruges. Sic *Aben Ezra* in *Joelem.* His concinunt *Arabes*, quibus لحس *lahaſa* Verbum eſt *lingere.* Et Nomen لحس *lahas*, id eſt, *linctus*, de locuſta dicitur, quæ terræ proventum, ut tinea lanam, lingendo abſumit. *Alcamus*, اللحس اكل الدود الصوف, واكل الجراد الخضر Quale eſt quod in *Giauhari*, & *Damire*, العثة *tinea* (Hebr. עש) definitur دويبة تلحس الصوف *Animalculum, quod lanam lingit*, id eſt, *rodit.* Hinc in Scriptura *lingere* quandoque idem eſt, quod *abſumere.* Sic *Num.* 22. *v.* 4. *Linget hæc congregatio omnia, quæ circum nos ſunt, ut lingit bos gramen agri.* Et 1. *Reg.* 18. *v.* 20. *Tum ignis Domini delapſus conſumpſit holocauſtum, & ligna, & lapides, & pulverem ipſum, atque aquam etiam linxit, quæ erat in aquæ-ductu.*

IX. Nonum סלעם *ſolam*, *Aben Ezra* eſt *locuſtæ* genus, quod עולה בסלעים׃ *conſcendit petras.* Quaſi fiat à סלע, *Mem* addito in fine vocis, cujus formæ nullum Nomen ab illis proferri jam docuimus. Ut taceam nullam eſſe *locuſtæ* ſpeciem, quæ petris ſit addictior. Itaque in סלעם finale *Mem* putamus ad Radicem pertinere, ut in גזם, de quo (a) prius. Nempe *Chaldaicè* סלעם, eſt *vorare* & *abſumere*, ut *Hebraicè* בלע, pro quo paſſim occurrit in *Paraphraſtis.* Hinc igitur *locuſta* meritò vocatur סלעם *ſolam*; ut *Græcè* βροῦχος, vel βροῦκος, & ἀκρίς, de quibus infra. a) Pag. 443. lin. 46. &c.

X. Decimum צלצל *tſelatſal*, Deut. 28. v. 42. *Græcis* ἐρυσίβη, *Vulgato* RUBIGO: ſed *Hebræis* omnibus, *Onkeloſo*, & *Arabi Erpeniano* locuſta. Multi à ſtrepitu alarum ſic dici volunt; quia צלל, *tinnire* eſt, & צלצלים, ſunt *cymbala*; vel *tintinnabula.* Sed & צלל eſt *obumbrare.* Unde *locuſtas* appellari mihi fit veroſimilius; quia Solem obumbrant, ut ſuo loco (b) probamus ex *Plinio*, & aliis. Alarum ſonum ad cymbali aut tintinnabuli tinnitum accedere nullus obſervat. b) Infra, c. 5.

Recenſuimus hactenus multa locuſtarum nomina in *Propheticis* libris hinc inde ſparſa. Quæ ne quis putet eſſe prorſus ſynonyma, ſciendum eſt harum plerisque certas ſpecies ſignificari. Patet id ex *Joel.* 1. *v.* 4. ubi reſiduum τοῦ *gazam* comedit *arbe*, & reſiduum τοῦ *arbe* comedit *jelek*, & reſiduum τοῦ *jelek* comedit *chaſil.* Ita ut appareat *gazam, arbe, jelek*, & *chaſil* ſpecies eſſe diſtinctas. Rurſus *Levit.* 11. *v.* 21. 22. quatuor numerantur locuſtarum ſpecies, nimirum *arbe, ſolam, chargol*, & *chagab*; quibus omnibus hoc commune eſt, quod ſunt alatæ, & quadrupedes, & ad eſum conceſſæ. Locuſtas enim variè diſtingui docent *Arabes.* *Damir*, وهو اصناف فبعضه اصفر وبعضه ابيض وبعضه احمر وبعضه اسود وبعضه كبير الجثة وبعضه صغيرها *Locuſtarum ſunt variæ ſpecies. Quædam enim ſunt flavæ, quædam albæ, quædam rubræ, quædam nigræ. Quædam magni corporis, & quædam parvi.* Sed multò diſertiùs *Marcellus Virgilius* in *Dioſcoridem* lib. 2. *Variavit admirabili artificio locuſtas Natura*, &c. *Sunt enim, quæ virides, quæ nigræ, quæ liventes, quæ aliqua parte hunc, aliqua illum colorem oſtendant. Sunt, quæ volantes tantum latentem antea colorem aliquem proferant. Sunt, quæ ſimplicibus, quæ pluribus alis volent, quæ alis carentes ſaltent, quæ, utroque hoc motu privatæ, ingrediantur tantum. Sunt, quæ longioribus, quæ brevioribus cruribus ſint: & in his, pluribus brevioribusq;; & paucioribus longioribusque internodiis. Sunt, quæ canant, quæ mutæ ſint, quæ per diem, quæ in tenebris tantum audiantur. Et, ne longiores ſimus, ſunt, quæ nihil homini in re ruſtica noceant, innocenteſq; à pueris capi ſe patiantur. Sunt contra, quæ peſtem & calamitatem ſatorum omninm totius regio-*

regionibus afferant, illataque fame antiquos agros deſerere ſæpenumero gentes coegerint. Itaque ut locuſtarum diverſæ ſunt ſpecies, ita & diverſa nomina. Sic formæ aut coloris ratione *Arabicè* سرعوف *ſurouph* eſt *locuſta longa*, جندخ giondoch *locuſta obeſa*: برقان borkan *locuſta varia*: جردم giardam *locuſta viridis capite nigro*; contra, كدم chudam *locuſta nigra capite viridi*. Diſtinguuntur etiam ratione locorum, & حبشان *chobſan* eſt *locuſta Æthiopica*; عرفان *orphan*, quæ reperitur in arenis *Aligi*, aut *Dahna*, prope *Medinam*: & ratione ſexûs, nam *locuſta* mas dicitur عصفور *uſphour*, & عظاري *adari*, & عسقول *uſcoul*; fœmina دباسا *dibaſa*, & عيسا *aiſa*: & ratione ætatis, ut probant hæc *Damiris*,

اذا خرج الجراد من بيضة يقال
لها الدبا فاذا طلعت اجنحته وكبرت
فهو الغوغا وذلك حين يموج بعضه
في بعض فاذا بدت فيه الالوان
واصفرت الذكور واسودت الاناث
سمي جراد حينيذ

Cùm exit ex ovo locuſta, vocatur daba: *cum alæ ſuboriuntur, & creſcunt, dicitur* gauga, *idque cum alia in alias tumultuantur. Variis autem coloribus inſigniri cum occipiunt, ita ut flaveſcant mares, & fœminæ nigreſcant, tum demum appellatur* girad.

Latinè دبا *daba* eſt *bruchus*, غوغا gauga *attelabus*, & جراد girad *locuſta*; ſi vera ſunt hæc *Remigii Altiſſiodorenſis* in *Joelem*: Bruchus *appellatur fœtus locuſtæ, vel filius, antequam habeat alas. Deinde, ubi parumper inceperit volitare, vocatur* attelabus. *Deinde, ubi penitus volare cœperit, efficitur* locuſta. Nec multo aliter *Hieronymus* in *Nahum*. 3. *Quod bruchus nihil aliud faciat, niſi ſemper in terra ſit, & abſq; alis cibo & ventri ſerviat. Attelabus autem ſaltem modicas aſſumat alas, &, cùm in altum volare non poſſit, tamen de terra exſilire notatur, & tandem perveniens in locuſtam volitat,* &c. Et rurſus, *Attelabus, quem ſignificantius* comeſſorem *interpretatus eſt* Aquila, *parva locuſta eſt inter locuſtam & bruchum, & modicis pennis reptans potius quam volans, ſemperque ſubſiliens.* Et *Auguſtino* quoque in *Pſalmum* 104. bruchus eſt locuſtæ fœtus. *Una, inquit, plaga eſt locuſta & bruchi; quoniam altera eſt parens, & alter eſt fœtus.* Et Iſidorus *bruchi penè totum corpus in ventrem colligi* aſſerit: id eſt, vix quidquam eſſe quam ventrem, ut qui alis prorſus careat. Quod habet ex *Gregorio* in *Jobum*, lib. 33. cap. 17. Itaque βροῦχος, vel βροῦκος, quomodo ſcribebant *Iones*, auctore *Heſychio* dicitur παρὰ τὸ βρύκειν τὸ ἐσθίειν, *ab edendo*, ſeu *vorando*, ut μάσταξ παρὰ τὸ μασᾶσθαι *à mandendo*; quaſi nihil aliud quàm ventri ſerviat, cùm ſit volatûs expers.

Hæc ex mente *Latinorum Patrum*. Quod mirum, cum in *Vulgata* verſione legatur *Nahum* 3. *v.* 16. *Bruchus expanſus eſt, & avolavit*: & in *Græca*, Βροῦχος ὥρμησε, καὶ ἐξεπετάσθη. Et *Levit.* 11. *verſ.* 22. cenſeatur *bruchus* inter locuſtas volucres. Proinde volatum & alas *Græci Patres* brucho tribuunt. Ita de illo *Cyrillus* in *Nahumi* cap. 3. Φασὶ γὰρ, ὅτι, πεσούσης χαλάζης, καὶ ὑετῶν καταῤῥηγνυμένων ἀδρανὴς εἰς πτῆσιν ὁ βροῦχος, καταδεδευμένων αὐτοῦ τῶν πτερῶν· *Ajunt enim, cadente grandine, & pluviis erumpentibus, bruchum ad volatum infirmum fieri alis ipſius irrigatis.* Et *Theodoretus* ibidem de eodem, Τῆς ἡλιακῆς προσβαλλούσης ἀκτῖνος ἀνίσταται, καὶ πετάννυσι τὰ πτερὰ, καὶ εἰς ἕτερον μεταβαίνει τόπον· *Incidente Solis radio ſurgit, & alis expanſis aliò migrat.* Quin idem in *Amos* 7. *v.* 1. bruchum palam diſtinguit à fœtu locuſtarum, Ἐπιγονὴν δὲ ἀκρίδων, inquit, ἐκάλεσε τὸν Ἀσσύριον, βροῦχον δὲ τὸν Βαβυλώνιον· *Fœtum locuſtarum vocavit* Aſſyrium, *bruchum verò* Babylonium. *Græci* etiam interpretes *Levit.* 11. *v.* 22. videntur bruchum à vulgari locuſta, non ſola ætate, ſed & ſpecie diſtinxiſſe. Sed varius fuit vocis uſus. *Ionibus* enim βροῦκος fuit locuſtæ ſpecies, & βροῦκος *Cypriis* locuſta viridis: at *Tarentinis* attelabus. *Heſychius*, Βροῦκος, ἀκρίδων εἶδος, Ἴωνες. Κύπριοι δὲ τὴν χλωρὰν ἀκρίδα βροῦκαν· Ταραντῖνοι δὲ ἀττέλεβον, id eſt, ἀττέλαβον. Sic *Theophraſto*, in libello *De animalibus quæ repentè apparent*, βροῦκος eſt *attelabi* ſpecies: Χαλεπαὶ μὲν οὖν, inquit, αἱ ἀκρίδες, χαλεπώτεροι δὲ οἱ ἀττέλαβοι, καὶ τούτων μάλιστα οὓς καλοῦσι βρύκους· *Graves quidem ſunt locuſtæ, ſed graviores attelabi, & ii maximè, quos* brucos vocant. Ita legendum pro corrupto βαρύκλυς.

Sic vetuſtioribus *attelabus* non poteſt eſſe *immaturus locuſtæ fœtus*: cum attelabi partus atque ovorum non ſemel meminerint, *Ariſtoteles Hiſtoriæ* lib. 5. cap. 29. Ὁμοίως δὲ τίκτουσι καὶ οἱ ἀττέλαβοι, *Pari modo pariunt etiam attelabi.* Et paulo poſt, Φθείρεται δὲ αὐτῶν τὰ ᾠὰ ὑπὸ τῶν μετοπωρινῶν ὑδάτων· *Corrumpuntur eorum ova aquis autumnalibus.* Plutarchus in *Iſide*, Λήμνιοι κορύδους τιμῶσι τὰ τῶν ἀττελάβων ἀνευρίσκοντας ᾠὰ, καὶ κόπτοντας· *Alaudas coluerunt* Lemnii; *quia reperta attelaborum ova frangebant.* Idem paſſim ἀττέλαβον vel ἀττέλεβον videtur ſumere pro *locuſta* in genere: ut in *Sympoſiacῶν* lib. 2. cap. 3. ubi ovum generare dicit δίποδα τὸν ὄρνιν, καὶ ἄποδα τὸν ὄφιν, καὶ πολύποδα τὸν ἀττέλεβον, *avem bipedem, ſerpentem expedem, & attelabum multipedem.* Et paulo infra in *Sicilia* ſervili bello, cum fuſum fuiſſet multum ſanguinis, & cadavera putreſcerent ſuper terram inſepulta, πλῆθος, inquit, ἀττελέβων ἐξήνθησε, καὶ τὸν σῖτον ἔφθειρον, πανταχοῦ σκεδασθέντες ἐπὶ τὴν νῆσον, *attelaborum copia pullulavit, qui, per inſulam ubique ſparſi, ſegetes corruperunt.* Quale eſt, quod in *Eubuli* gripho apud *Athenæum* lib. 10. *ichneumon* pro ἀκριδοφθάλμῳ vocatur ἀττελεβόφθαλμος. Tamen hoc certum attelabum in locuſtarum genere parvum fuiſſe, atque ἄπτερον. *Heſychius*, Ἀττέλεβος, ἀκρὶς μικρά· *Plinius* lib. 29. cap. 5. *Locuſtarum minima ſine pennis, quas attelabos vocant.* Unde *Græci* interpretes *Nahum.* 3. *v.* 17. Ἐξήλατο ὡς ἀττέλαβος, *Exſilit ut attelabus*, illi non volatum ſed ſaltum tribuentes. Quin videtur *à ſaltu* dictus. Notum φ & β ſæpe transmutari. Sic *Macedonibus* Φίλιππος erat Βίλιππος· Φερενίκη, Βερενίκη· Φρύγες, Βρίγες. Idem ſonant φάλαινα & *balæna*; ἀμφιλαφὴς & ἀμφιλαβής. Πιστάκιον ſcribitur quoque φιστάκιον, & βιστάκιον· Ita putaverim ἀττέλαβον idem fuiſſe, quod ἀττέλαφον, id eſt, *ſalientem cervum*, vel *inſtar cervi ſalientem.* Nam ἄττειν *ſalire* eſt, & ἔλαφος *cervus*, cujus in ſaltu agilitas laudatur *Eſa.* 35. *v.* 6. Huc facit, quod à *Talmudicis* inter locuſtarum ſpecies cenſetur ארזבא קמצא, quaſi dicas ἀκριδέλαφον, ſeu *cervi-locuſtam*. *Nahumi* interpres *Arabs*, qui *Græco* textui hæret mordicus, *Græca* verba, Ἐξήλατο ὡς ἀττέλαβος, ſic reddit وثب مثل جرادة سودا *Exſilit ut locuſta nigra.*

Aliud

Aliud *locuſta* nomen ἀττέλεβος vel ἀττελαβὸς *Levit.* 11, 22. videri poſſit etiam ἀπὸ τοῦ ἅλλεσθαι *a ſaliendo* nomen habere, ut vulgari linguâ *ſaltarella*. Niſi putetur ἀττέλαβος idem eſſe, quod ἀσακὸς, *Æolum* dialecto: quibus πίστις eſt πίττις, unde *fides*; & βλάστη βλάττη, unde *planta*. Huc facit 1. quod inter marinas locuſtas eſt ἀσακὸς *aſtacus* (Normanis *houmar*. 2. Quod in optimis Gloſſis *lucuſta*, ſeu *locuſta* redditur ἀκρὶς, ἀσακός. Neque aliud ſibi volunt hæc *Iſidori*, alioqui valde inepta. *Locuſta, quod pedibus ſit longis velut haſta: unde eam* Græci *tam maritimam quàm terreſtrem* haſtago *appellant*. Apparet enim illum captâſſe frigidas alluſiones inter *locuſtam*, *haſtam*, & *aſtacum*; quaſi *aſtacus*, illi *haſtago*, tam ſit terreſtris quàm marinæ locuſtæ genus.

Eſt & *Levit.* 11, 22. *locuſtæ* ſpecies ὀφιομάχης *ophiomachus*, quaſi *ſerpentes oppugnet*. Quod utut παράδοξον, tamen affirmat *Philoſophus Hiſtoriæ* libri noni capite ſexto, Πολλοὶ δὲ καὶ τὴν ἀκρίδα ἑωράκασιν, ὅτι ὅταν μάχηται τοῖς ὄφεσι, λαμβάνεται τοῦ τραχήλου τοῦ ὄφεως. Unde *Plinius* libri undecimi capite vigeſimo nono, *Serpentem, cum libuit, necant ſingulæ, faucibus ejus apprehenſis morſicus*. Sed & *Simon Majolus Vulturiacenſis* Epiſcopus *Dialogo* decimo olitorem ſuum narrat, ex agro venientem, locuſtam conſpexiſſe, quæ ſerpentem gutture apprehenderit, atque itâ citra pugnam interemerit. Notandum eſt, ὀφιομάχην in Lege poni pro *Hebræo* חרגל *chargol*, aut *argol*. Nam ex uſu veterum poteſt utroque modo ſcribi. Sic idem *Meſopotamiæ* fluvius חבר *Græcè* ſcribitur Χαβώρας & Ἀβώρας. Idem *Arabiæ Felicis* populus חצרמות, Χατραμωτῖται & Ἀτραμωτῖται. Et in *Leuco-Syris Alybes* iidem, qui *Chalybes*. Et חסידים modò *Chaſidæi*, modò *Aſidæi* dicti. Et avis חסידה *chaſida* ſcribitur ἀσιδὰ in *Græca* verſione *Jobi*. Sic *Hebræum ophiomachi* nomen חרגל *chargol* puto veteres *argol* ſcripſiſſe, aſpiratione demptâ. Atque indè natam eſſe fabulam de argolis ophiomachis, quos pro locuſtis ſerpentes fuiſſe nugantur, & ideò dictos *argolas*, quod ex *Argo Pelaſgico* in *Ægyptum* ab *Alexandro* tranſlati ſint, ut aſpides interficerent. Itâ refert *Suidas*, Ἀργόλαι, εἶδος ὄφεων, οὓς ἐκόμισεν ὁ Μακεδὼν ὁ Ἀλέξανδρος ἐκ τοῦ Ἄργους τοῦ Πελασγικοῦ εἰς Ἀλεξάνδρειαν, καὶ ἐνέβαλεν εἰς τὸν ποταμὸν, πρὸς ἀναίρεσιν τῶν ἀσπίδων. Neque auctorem citat. Sed aliquid ſimile reperio in *Synopſi de vita & morte Prophetarum*, quam *Dorotheo* Martyri falſo tribuunt, capite *De Jeremia*. Sed pro locuſta ophiomacho in *Argo* fuit locuſta ſcorpiomachus, de qua ſic *Philoſophus* in libro *Mirabilium*: Ἐν Ἄργει δέ φασι γίνεσθαι ἀκρίδος τινὸς γένος, ὃ καλεῖται σκορπιομάχον· ὅταν γὰρ ἴδῃ τάχιστα σκορπίον, ἀνθίσταται αὐτῷ, ὡσαύτως δὲ καὶ ὁ σκορπίος ἐκείνῃ. *In Argo locuſtæ genus eſſe ferunt ſcorpiomachum nomine, quod quamprimùm ſcorpium viderit, in eum inſurgit, ut ſcorpius viciſſim in illam*. Cætera ibi vide, & apud *Stobæum* capite nonageſimo octavo, qui eſt *De morbis*, ubi hæc ipſa citat; non tamen ex *Ariſtotele*, ſed ex *Trophilo*.

Ἀκρὶς etiam, locuſtis omnibus commune nomen, in eodem *Levitici* loco pro certa ſpecie ſumitur. Quia κὰρ vel κάρη eſt *caput*, ἀκρὶς à nonnullis dici putatur, quaſi ἀκαρὶς, vel à parvo vel à magno capite, prout *Alpha* præfixum vel στερητικὴν vel ἐπιτατικὴν vim habet. Ab aliis παρὰ τὸ ἄκρας τῶν ἀσταχύων καὶ τῶν φυτῶν νέμεσθαι. Itâ *Etymologus*. At *Euſtathio* ἀκρὶς eſt quaſi ἀχρὶς, ἀπὸ τοῦ χρᾶν τὸ ἐσθίειν. Quæ, quia ſunt remotiora, mihi fit veroſimilius à ſtridore dici τὴν ἀκρίδα ὀνοματοποιητικῶς. In pugna cum ſcorpione locuſta κύκλῳ περιιοῦσα τρίζει περὶ αὐτὸν, *circumambiens circa eum ſtridet*. Itâ habet *Philoſophus* loco nuper citato.

Hæ ſunt locuſtarum ſpecies, quarum meminerunt Sacri Interpretes. Quibus aliæ multæ addi queant ex *Græcorum* promptuariis petitæ, ſi hæc res ageretur. Ut in *Ariſtophane* τετραπτερυλλίδες, à quatuor alis ſic appellatæ. Et *Attici* agri πάρνοπες, à quibus pulſis *Apollinem Parnopium* fuiſſe dictum tradit *Pauſanias* in *Atticis*: ut *Oetæorum* κόρνοπες nomen fecerunt *Herculi Kornopioni* apud *Strabonem* libro decimo tertio. Et μάσταχες, & μολουρίδες in *Nicandri Theriacis* verſu 416. & 802. Et *Theocriti Idyll.* 10. μάντις ἁ καλαμαία, quæ aliis ἀγραία, *vates calamorum*, aut *arvorum*. Ut in *Cypro Cerynetæ parvas cicadas* καλαμαίδας vocabant, *Heſychio* teſte in Καλαμίς. At *locuſta* non ſolùm καλαμαία, ſed μάντις καλαμαία dicta eſt; quia calamis ſeu ſegetibus ſterilitatem præſagit. Ut locuſtæ *Arabicè* genus جندب *gindab*, cui nomen fecit جدب *gidab*, id eſt, *anni ſterilitas* His addenda *tryxalis*, de qua *Plinius* libri trigeſimi capite ſexto; *Eſt animal locuſtæ ſimile ſine pennis, quod* TRYXALIS Græcè *vocatur*. Latinum *nomen non habet*, &c. (Malim *troxalis* τρωξαλὶς, ut ab *Æliano* ſcribitur *Hiſtoriæ* libri ſexti capite decimo nono.) Et *Dioſcoridis* ἀσίρακος in capite *De locuſtis* libro ſecundo (ubi quædam exemplaria perperam ἡ σιξαχόρειν) locuſtæ ſpecies circa *Leptim Africæ* ἄπτερος & μεγαλόκωλος, *ſine pennis, & magnis cruribus*, quæ *Græcè* quidem ὄνος *aſinus* dicitur, ſed incolarum patrio ſermone, (id eſt, *Punicè*) ἀσίρακος. Unde factum unius literæ trajectione *Talmudicorum* אסקרא *askra*, vel *iskra*; locuſtæ genus, de quo Doctores Tractatu *Cholin* cap. 3. fol. 65. a. מאי זחל אמר רבי אסקרא *Quid eſt* ZACHAL? *dixit* Rabbi, *Aſcra*. Id eſt, idem locuſtæ genus, quod *aſcra*. Et *Gloſſa*, זחל מין חגב בלשון ארמי אסקרא ואין לו קרסולים בקטנותו וגדלים לאחר זמן ZACHAL *eſt locuſtæ ſpecies* Syriacè ASKRA *dicta, quæ longa crura non habet, quamdiu parva eſt, ſed cum tempore illa creſcunt*. Tum verò fit μεγαλόκωλος, ut habet *Dioſcorides*. Tamen inceſſu tarda eſt, unde *Hebræis* זחל, & *Græcis* ὄνος dicitur. In *Theſauro Arabico-Syro-Latino Thomæ à Novaria* pro ܐܣܩܪܐ *askra* perperam ſcribitur ܐܣܩܕܐ *askda*, & *Arabicè* redditur المذنب *locuſta caudata*.

Etiam in *Heſychio* multa ſunt locuſtarum nomina: ut Ἄχερον, ἀκρίδα, Κέρτης. (At *Suidæ* Ἀχήρας, ſive ἀχώρας, eſt *vermis* genus.) Βριττάτα φοβερά, ἀκρὶς μακρὰ ἀπὸ Κρητῶν. Item, Θυλακοτρὼξ, μῦς, οἱ δὲ ἀκρίς· quaſi æquè ac mus rodat culeos. Item, Πιτυλὶς, ἀκρίς· à foliis, quæ abſumit: nam πέταλον eſt *folium*. Item, Ὄρπας, τῆς ἀκρίδος ὁ γόνος, ἔνθεν γὰρ ὄσμησιν (lego γάρον ποιοῦσιν) *Orpas, locuſtæ fœtus, ex quo garum conficiunt*: nempe ad ipſas abigendas, aut conficiendas. Veram eſſe hanc emendationem collige ex his *Democriti* in *Geoponicis* libri decimi tertii capite primo, Ἀποδιώξεις τὰς ἀκρίδας, ἐὰν, γάρον ἐξ αὐτῶν σκευάσας, βόθρους ὀρύξῃς, καὶ ταύτας ἐγκαταβρέξῃς τῷ γάρῳ. μεθ᾽ ἡμέρας γὰρ ἐπελθὼν, εὑρήσεις αὐτὰς ἐν τοῖς βόθροις ὕπνῳ βεβαρημένας. *Locuſtas abiges, ſi, garo ex ipſis confecto, ſcrobes fodias, quas illo garo irriges. Nam poſt aliquot dies eò te conferens, illas in ſcrobibus reperies ſomno gravatas.* Ad ORPAN *Heſychii* alludit *Arabum* عرفان orphan, *locuſtæ* genus propè *Medinam*, de (c) Pag. 44. l. 15. quo (c) ſuprà.

Cum conſtet igitur hactenus tam *Græcos*, quam *Arabes*, varias habuiſſe voces, quibus *locuſtarum* ſpecies inter ſe diſtinguerent; & de *Chaldæis*, & *Syris*, idem nullo negotio doceri poſſit? quidni *Hebræos* quoque credamus per diverſa illa vocabula, quorum origines aperuimus, harum diverſa genera deſignâſſe? Non eſt tamen, quod quis exſpectet ſingularum definitiones, & notas διαγνωστικὰς, quibus inter ſe differunt. Quamvis *Talmudici* Doctores eâ de re multis diſputent in Tractatu *Cholin* cap. 3. fol. 65. *a. b.* & 66. *a.* Sed more ſuo verbis tam obſcuris, & intricatis, ut ex iis certi vix quidquam poſſit elici. Quale eſt, quod à Ma-

giſtris ſuis ſe didiciſſe profitentur, ארבה זה גובאי סלעם זה רשון חרגול זה ניפול חגב זה גדיאן ARBE, *ideſt*, gobai: SOLAM, *ideſt*, raſon: CHARGOL, *ideſt*, niphul: CHAGAB, *ideſt* gadjan. Ignotum per ignotius. Rurſus, quia in *Moſe* legitur, ARBE *ſecundùm ſpeciem ſuam*, SOLAM *ſecundùm ſpeciem ſuam*, CHARGOL *ſecundùm ſpeciem ſuam*, CHAGAB *ſecundùm ſpeciem ſuam*, unicuique afferunt ſpeciem congenerem. Sic *locuſta*, quæ dicitur צפורת כרמים *tſippoveth cheramim*, id eſt, *avis vinearum*, congener eſſe dicitur τῷ *arbe*: & יוחנא ירושלמית *jochana Jeroſolymitana*, τῷ *ſolam*: & ערצוביא *arſubia*, τῷ *chargol*: & הרזבית *harzabith*, τῷ *chagab*. Et per multas ambages in eo differre notantur: quod *chargol* habet גבחת חנב, *gibbum & caudam*; *arbe* neutrum; *ſolam* gibbum, ſed non caudam; *chagab* caudam ſine gibbo. Quæ eadem aſſeruntur de quatuor congeneribus. Ibidem locuſtæ mundæ leguntur habere quatuor notas; ארבעה רגלים וארבע כנפים וקרצולים וכנפיו חופים את רובו, nempe *quatuor pedes*, *quatuor alas*, *crura longiora*, *& quod alæ tegunt totum corpus*. Et הצרצור *gryllum* habere has quatuor notas, nec tamen eſſe mundum; quia quinta nota deeſt, nempe caput longius. Cætera ibi vide; quæ cum *R. Selomo* non ſolùm accuratè legerit, ſed & notis illuſtraverit, ut reliquum corpus *Talmudis*, tamen in *Notis* ad *Leviticum* profitetur ſe locuſtarum ſpecies ignorare. Verba ſunt, אין אנו בקיאין בהם, *In his exercitati non ſumus*. Et rurſus, אין אנו יודעין להבדיל בינותן, *Illas inter ſe diſtinguere neſcimus*. Neque veterum verſiones hic quidquam proſunt. Quia *Chaldæi*, *Syri*, *Arabes*, *Samaritani* interpretes, vel retinent voces *Hebræas*, vel aliis utuntur nihilo magis notis. Nec in *Græca* & *Vulgata* verſione ſatis ſcitur quid à ſe invicem differant *locuſta*, *bruchus*, *attacus*, *ophiomachus*. Et multò minùs, an *Græca* & *Latina* voces *Hebræis* accuratè reſpondeant. Tamen uſque ad *Chriſti* tempora *Judæos* hoc non latuiſſe ex eo colligitur, quod *Johannes Baptiſta* locuſtis veſcebatur, iis nimirum, quarum eſum in Lege *Moſis* ſciebat eſſe conceſſum. Neque id potuit aliter ſciri, quam ex *Prophetæ* vocibus rectè explicatis. Sed, aliquanto poſt *Chriſtum* exciſis *Hieroſolymis*, *Judæi*, hinc indè diſperſi, linguæ ſuæ ſic obliti ſunt, ut nonnulla ſint in ipſa Lege, quæ illorum doctiſſimis ſunt planè ignota.

Itaque, cum non liceat in locuſtarum ſpecies accuratius inquirere, quantò ſatius eſt ignorantiam noſtram hic ingenuè fateri, quam in devia ferri cum celeberrimo interprete, qui verba Legis ità reddidit *Levit.* 11, 20. 21. 22. *Omne reptile volucre ambulans quatuor pedibus abominationi eſto vobis. Verumtamen hoc comedetis ex omni reptili volucri, quod ambulat quatuor pedibus, quòd non habet crura ſuper pedes ſuos, quibus ſaliat ſuper terram: ex illis comedetis iſta, locuſtam ſecundùm ſpeciem ſuam, & bombycem ſecundùm ſpeciem ſuam, & cantharum ſecundùm ſpeciem ſuam, & cicadam ſecundùm ſpeciem ſuam.* In qua verſione multiplex eſt peccatum. Primò enim, verſu vigeſimo primo, Affirmativam mutat in Negativam contra mentem Legis apertiſſimam. Nam verſu vigeſimo prohibetur eſus omnis inſecti, volucris, & quadrupedis. Sed excipiuntur verſu vigeſimo primo inſecta volucria, quæ præter quatuor pedes habent duo crura ſaltatoria, ut quatuor locuſtarum ſpecies, quæ nominantur verſu vigeſimo ſecundo. At ſic agit ipſe interpres, quaſi ex reptilibus, ſeu inſectis volucribus, & quadrupedibus, Lex ſolùm illa concederet, quæ non habent crura illa ſaltatoria. Quo poſito, cur ſtatim addit, *comedetis locuſtam*, quam majora illa crura habere nemo neſcit? Præterea quorſum in hoc cenſu ponuntur *bombyx*, & *cantharus*, ſeu *ſcarabæus*: quorum ille non volat quamdiu manet bombyx: & neuter eſt quadrupes, neuter in cibis ab ulla gente adhibitus, multo minus à *Judæis*; quorum ſumma fuit in eſu munditiès. In *Æthiopia*, & alibi fuiſſe ſcimus ἀκριδοφάγους, & ὀφιοφάγους· ſed τὸν βομβυκοφάγον, aut τὸν κανθαροφάγον, qui meminerit, nullus exſtat. A tam fœdis & fœtidis cibis natura hominum ſemper abhorruit. Illos igitur *Judaicis* menſis apponere non debuit vir doctiſſimus, idque tanquam auctore Deo. Dicam tamen, cur hæc verba אשר לו כרעים ממעל לרגליו *quod habet crura ſuper pedes ſuos*, additâ Negatione reddiderit, *quod non habet*, &c. Notum eſt quaſdam *Prophetarum* voces aliter legi, quam ſcribi. In his eſt vocula לו, quam *Maſoretha* notant quindecim locis ſcribi לא, & legi לו: quorum prius ſonat *non*, alterum *ei*. Ità hoc loco cum in textu ſcribatur אשר לא כרעים *quod crura non habet*, in margine habetur, אשר לו כרעים, *cui ſunt crura*. Cui lectioni ſtandum eſſe conſtat, cum ex tota textûs ſerie, tum ex conſenſu interpretum. Ità enim legunt *Hebræi* omnes. Neque aliud ſequuntur *Græci*, *Hieronymus*, *Chaldæi* duo (*Jonathan*, & *Onkelos*) *Syrus*, *Arabes* quatuor interpretes (quos conſulere licuit, excuſi duo, & duo manu-ſcripti in *Suecia*) *Samaritanus*, &c. ne dicam *Hebraicum Samaritanorum* exemplar habere in ipſo textu לו per *Vau*, non per *Aleph*.

Mundas locuſtas *Moſes* volucres deſcribit, & quadrupedes. Et volucres quidem, ut opponat ἀπτέροις, quales in *Plinio attelabi*, & in *Dioſcoride*, *aſiracus*. Alæ autem quatuor his aſſignantur a *Talmudicis*. Quale eſt, quod τετραπτερυλλίδες, id eſt, *quadripennes*, *Græcè* appellantur. *Ariſtophanes* in *Acharnenſibus*,

> Ἀλλ' εἴ τι βούλει πρίασθαι τῶν ἐγὼ φέρω,
> Τῶν ὀρταλίχων, ἢ τῶν τετραπτερυλλίδων·

Sed emito ſi quid vis eorum, quæ ego fero, gallorum, aut quadripennium. Et ad hanc vocem vetus *Scholiaſtes*, atque ex illo *Suidas*; Τετραπτερυλλίδων, τῶν ἀκρίδων· διὰ τὸ τέσσαρα ἔχειν πτερά. Duæ voces τῶν ἀκρίδων in *Suida* omiſſæ ex *Scholiaſte* ſupplendæ ſunt. Pedes autem locuſtis à *Moſe* ſolum quatuor tribui mirabere, cum alii ſenos numerent. *Ariſtoteles* in *De Partibus* libri quarti capite ſexto hæc habet de locuſtis, culicibus, &c. Ἑξάποδα δὲ τὰ τοιαῦτα πάντα εἰσί. *His autem omnibus ſunt ſeni pedes.* Et *Damir Arabs*, والجرادة ستة ارجل *Et locuſta ſex habet pedes.* Sed hæc facilè conciliantur. E locuſtarum ſex pedibus duo poſtremi longiores non ad inceſſum, ſed ad ſaltum, ſunt comparati. Proinde *Moſes crura* vocat, non *pedes*: *Comedetis*, inquit, *ex omni reptili volucri, ambulante ſuper quatuor pedes; cui* כרעים ממעל לרגליו, *crura ſunt ſuper pedes ſuos* (id eſt, *præter pedes ſuos*) *quibus ſaliat ſuper terram.* Hæc igitur volatilia in Lege quadrupedia vocari obſervat *Auguſtinus* libri ſecundi *Retractationum* capite decimo quinto; quia Lex *non computat in pedibus duo poſteriora crura, quibus locuſtæ ſaliunt.* At *Philoſophus*, qui ἑξάποδα vocat, expreſsè monet ſe in illis ſex pedibus etiam illas partes connumerare, quarum enixu ſaliunt. Ἑξάποδα δὲ τὰ τοιαῦτα πάντα εἰσί, σὺν τοῖς ἁλτικοῖς μορίοις. In quibus verbis ἁλτικὰ μόρια, *partes ſaltatorias* dici palàm eſt illa duo crura, quæ *Moſes* locuſtam habere ſcribit, לנתר בהן על הארץ, *ut iis ſaliat ſuper terram.* Πηδάλια vocat *Philoſophus Hiſtoriæ* libri quarti capite nono, ubi leguntur αἱ ἀκρίδες τοῖς πηδαλίοις τρίβουσαι ποιοῦσι τὸν ψόφον, *locuſtæ pedaliis atterentes* (vel, *pedaliorum attritu*) *ſonum excitare.* Et *ſaltatoria crura* reddit magnus *Scaliger*, quaſi ſic dicantur ἀπὸ τοῦ πηδᾶν à *ſaliendo*. Quin πηδάλια ſunt *gubernacula*, quo nomi-

nomine rectè vocantur, quia ſunt πηδαλιώδη, hoc eſt, *gubernaculorum formam imitantur.* Hæc explicatio noſtra non eſt, ſed ipſius *Philoſophi*, qui ſic loquitur libri quarti *De partibus* capite ſexto, Οὐκ ἔμπροσθεν δὲ, ἀλλ' ὄπισθεν μόνον ἔχουσιν αἱ ἀκρίδες τὰ πηδαλιώδη. *Non anteriùs, ſed poſteriùs ſolùm, locuſtæ habent partes in gubernaculorum formam conditas.* Nempe, ut duo crura hujuſmodi locuſtæ habent: ità olim multæ naves duo gubernacula habuère. De *Carthaginienſium* navibus diſertè id aſſerit *Ælianus Variorum* libri noni capite quadrageſimo, Δύο μὲν πηδάλια ἔχειν, ac proinde etiam δύο κυβερνήτας. Unde eſt, quod, *Heliodori Æthiopicῶn* libro quinto, *Theagenes*, & *Charíclea*, *Tyria* nave vecti, ad *Creticum Ithaca* promontorium appellunt, τῶν πηδαλίων θάτερον ἀποβαλόντες, *altero clavo amiſſo.* Et in *Pauli* nave *Lucas* Plurali numero dixit τὰς ζευκτηρίας τῶν πηδαλίων, *vincula gubernaculorum*, Act.27,40. Ad quæ verba non ſatis probo quod habet doctiſſimus interpres, *Gubernacula Plurali numero dixit pro Singulari, cum unius navis plura non ſint gubernacula.* Duplici enim gubernaculo *Phœnicum* (vel, quod idem eſt, *Pœnorum*) naves inſtructas fuiſſe probavimus. Qualis fuit *Pauli* navis, ſi in *Vulgata* rectè legitur *Act.*27,2. *Aſcendentes navem Adrumetinam.* Et in *Æthiopica* ሐመር: አድረማጢቶት: *chamar Adrumatavith*, id eſt, *navem ex Adrumeto*, urbe *Punicâ* in *Africa* littore notiſſima. Aut, ſi fuit πλοῖον Ἀδραμυττηνὸν ex *Adramytteo Myſiæ*, ut in *Græco* habetur, tamen neceſſe non eſt, ut unum ſolum habuerit gubernaculum. A *Pœnis* enim ad alios quoque manavit hæc conſuetudo. Hinc de *Argo* navi *Hyginus*, *Hac habet in puppi ad ſingula gubernacula; ad primum ſtellas quinque, ad alterum quatuor.* Et *Germanicus* de eadem, *Quam notatam* (lege *mutatam*) Pallas *in cœlo figuravit, ſed à gubernaculis uſque ad malum.* Et apud *Apuleium*, *Aſini* libro ſecundo, *Diophanes* de *Græca*, ut videtur, nave ad *Eubœam* ſubmerſa: *Navis ipſa, quâ vehebamur, utroque regimine amiſſo, præcipitio demerſa eſt.* *Utroque regimine*, id eſt, *utroque clavo amiſſo*: quod fugit *Beroaldum*. *Petronius* etiam *Tarentina* navis *gubernacula* Plurali voce non ſemel dixit. Et pompilos *Oppianus* libro primo *Halieuticῶn* navis utraque latera circumſilire dixit, *& frenos gubernaculorum, qui circà ſunt puppim verſus,*

- - - - - περί τε φρυμναῖα χαλινὰ
Οἰήκων. - - - - - - -

Sed plura vide in *Cl. Schefferi* libro pereruditо *De militia navali.* Non immeritò igitur cum duobus navium gubernaculis conferuntur à *Philoſopho* gemina illa, quæ diximus, locuſtarum crura, quibus motum ſuum aliquo modo dirigunt. Illis enim extenſis, vel ad ſaltum, vel ad volatum attolluntur. Quippe, ut ibidem habetur, ὅταν κάμψασι ἐκτείνῃ πάλιν, ἀναγκαῖον ἀπὸ τῆς γῆς ἐξαίρεσθαι· *Cum inflexa rurſus extendunt, è terra attolli neceſſe eſt.* Proinde illa *Piſidas* cum arcu confert, quo adducto tela mittuntur. Verba ſunt,

Καὶ συλλέγει τὰ κῶλα, καὶ τείνει πάλιν,
Ὥσπερ τὰ νεῦρα τῶν βελῶν ἐν τόξοις·
Καὶ τραυματίζει τὸ σῶμα τῶν ἐναντίων
Τοῖς ἀντιλόξοις τῶν σκελῶν ἀκοντίοις.

Et artus (id eſt, poſtrema illa crura) *colligit, & rurſus extendit, ut ſagittarum nervos ſagittarii; & hoſtium corpus vulnerat obliquis crurum miſſilibus.* Hi verſus quid ſignificent, prorſus latuit doctiſſimum interpretem, qui primùm ità reddidit, *Cadavera modò congregat, modò diſſipat.* Et in ultimo legi vult τῶν βελῶν pro τῶν σκελῶν.

CAPUT SECUNDUM.

Explicantur obſcura aliquot Scripturæ loca de Locuſtis.

Cur ילק jelek, *locuſtæ ſpecies*, סמר *vocetur, id eſt*, ἐρθόθριξ, horrens, *Jerem.*51, 27. סמר, horrere, horripilare, ὀρθοτριχεῖν, Syriacè ܩܦܣ, *ab hericio ſumptum, ut Gallicum* heriſſer. *Quæ affectio non videtur in locuſtam poſſe cadere, cum ſit glabra, & depilis. Itaque alii* ילק jelek, *eſt* eruca, *hirſutum animal. Male; cum* ילק *volet*, Nahum. 3,16. *Aliis* μηλολόνθη, vel χρυσοκάνθαρος, *Gallis* haneton, *quam verſione* Fullerus *conatur adſtruere, ſed futili argumento. Scriptura* jelek *ſæpe ponit inter locuſtarum genera, & veteres omnes id intelligunt nomine* jelek. *Sed & locuſta* horrere *dicitur ratione pilorum capitis. Locuſta alia calvo, alia hirſuto capite, etiam in* Talmude. عرفان orphan, bruchi *genus jubatum.* Johannes *huc alludit* Apoc.9. v. 8.

الخنتف locuſta depilata. *Nec ſolis pilis horremus, ſed & toto corpore. Fortè etiam* jelek סמר *non eſt* locuſta horrens, *ſed horribilis, Græcis* βριτῆλα φοβερά. Græci *pro* סמר legerunt ספר, & Chaldæi סגר. Syrus *vocem omiſit. Locuſta, vagum animal, & inſtabile. Equi ut locuſtæ ſaltant* Job.39, 23. *&* Jerem.51, 27. *in* Chaldæo حرجل chargala *de equo quid ſit.* David *Pſ.*109, 23. excuſſus ſicut locuſta, *quæ vaga eſt, cum nido caret.* Arabica *verſio emendata. Cur* Ninivitæ *locuſtis comparentur, quæ, orto Sole, ſepem deſerunt*, Nahum.3, 15.16. *Verbum elegans, quo id efferunt* Arabes. התכבר, *de locuſtis non eſt* converrere, *ſed* multiplicari. *Quod probatur ex* Exod. 10, 14. Locuſta regem non habet, tamen exit *ad bellum*, unaquæque *ſibi* dividens, *nempe ſpolia*, Prov.30, 27. *Quod alioqui Regum & Imperatorum eſt.* Exire *Hebræis eſt* ad bellum proficiſci. *Similis locus* Eſ.33, 4. חצה, dividere *de præda dicitur* Num.31, 27, *&* חצץ, *id ipſum eſt. Verbum in* Talmude *frequens, nec ignotum* Arabibus. *Refelluntur* Hebræi, *qui* Solomonis *locum aliter reddunt. Et vir doctiſſimus, cui* חצץ, *eſt* ſagittare, *vel* ſagittæ inſtar ſe jaculari. Arabes, *qui locuſtas ducem habere ſcribunt, cum* Solomone *conciliantur. Itidem locuſtam in agro diverſari dicunt; ut* Sirach. 43, 17. (*al.*19.)

QUæri poteſt, quorſum in *locuſtarum*, aut *bruchorum* genere ילק *jelek*, dicatur סמר *ſamar*, *Jerem.* 51, 27. id eſt, φρίττων, *horrens*, aut ὀρθόθριξ, *horripilans*, cujus arrectæ ſunt horrore comæ. Ità *Job.*4,15. *Cum ſpiritus coram me tranſiret*; תסמר שערת בשרי, *arrecti ſunt crines carnis meæ.* Et *Pſal.* 119, 120. סמר מפחדך בשרי, *Horruit præ metu tui caro mea.* Ubi *Symmachus* ὀρθοτριχεῖ. & *Syrus* ܩܦܣ Verbo eleganti facto ex *Hebræo* Nomine קפוד, quod *hericium* ſonat. Quomodo *Gallicè* dicimus *heriſſer*: non *ab horreſcendo*, ut volunt; ſed ab hoc ipſo animali, quod nobis *un heriſſon*. *Romani* veteres per Periphraſim id exprimebant, ut *Poeta*,

Obſtupui, ſteteruntque comæ. - - -

Et

Arrectaque horrore comæ. - - -

Sed ſequior ætas *horripilare* & *horripilationem* dixit. *Apuleius*, libro tertio de ſeipſo loquens in aſinum mutato; *Aures immodicis horripilant auctibus.* *Gloſſæ* veteres, *Horripilatur*, ὀρθοθριχεῖ. Lexicon *Philoxeni*, Ὀρθοθριχιῶ, *horripilo.* *Vulgatus* interpres *Eccleſiaſt.* 27,15. *Loquela multùm jurantis* (legerim *multùm jurantis*, ut Græcè λαλιὰ πολυόρκου) *horripilationem capiti ſtatuet*, Græcè ὀρθώσει τρίχας. Quæ affectio non videtur in locuſtam aut bruchum poſſe cadere, cum depiles ſint. Itaque *Caſtalio*, *Petrus Robertus*, *Angli* interpretes, & fortaſſe plures alii, *erucam* reddunt, animalculum valde hirſutum. Unde *Columella* in *Horto*,

Nec ſolùm teneras audent erodere frondes
Implicitus concha limax, hirſutaque campe.

Campe [illegible] eſt, *eruca*, quomodo interpretatur ipſe in Proſa *De cultu horti* circa finem libri duodecimi; *Quæ à nobis appellantur* ERUCÆ, Græcè *autem* κάμπαι *nominantur.* Sed una nota verſioni adſtruendæ non ſufficit, cum reliquæ deſunt: putà in eruca volatus, qui τῷ *jelek* tribuitur *Nahum.* 3,16. ילק פשט ויעף, Jelek *graſſatus eſt*, *& avolavit.* Eleganter *Hieronymus* in *Amoſi* caput quartum, *Non avolat eruca ut locuſta*, &c. *Sed permanet perituris frugibus, & tardo lapſu, pigriſque morſibus, conſumit univerſa.* Præterea quod *Jeremias* globos equitum, in *Babylonios* magno impetu irruentes, confert cum *jelek horripilante*, non videtur in erucam poſſe quadrare, quæ nihil habet, quo hoſtiles turmas referat.

Proinde *Junio*, & *Tremellio* ילק *jelek*, neque *locuſta* eſt, neque *eruca*, ſed *melolontha*, animalculum, de quo *Heſychius*: Μηλολόνθη, εἶδος κανθάρου, ὃς τινες χρυσοκανθάρους λέγουσι. Nempe *melolontha* dicitur, quia *pomorum* eſt *pernicies*: & *chryſocantharus*, quaſi *aureus ſcarabæus*; quia figurâ ſcarabæum, aurum colore imitatur. Unde & χρυσομηλολόνθιον vocat *Ariſtophanes* in *Veſpis*. Ubi *Scholiaſtes*, Ζωΰφιόν τί ἐστι κατὰ κάνθαρον ξανθόν, ὃ δὴ κατέχοντες οἱ παῖδες ἀνεμοῦσιν ἐκ τοῦ ποδός, καὶ ἀφιᾶσι πρὸς τὸν ἀέρα· *Animalculum eſt canthari ſpecie fulvum, quod captum pueri pede vinciunt, & in aërem dimittunt.* Quo faciunt hæc ejuſdem *Ariſtophanis* in *Nubibus*,

Ἀλλ' ἀποχάλα τὴν φροντίδ' ἐς τὸν ἀέρα,
Λινόδετον ὥσπερ μηλολόνθην τοῦ ποδός·

Sed dimitte curam in aërem, ut melolontham, quæ pedem habet lino vinctum. Ubi rurſus in *Scholiaſte* ferè eadem, quæ ſuprà legas. Nec multò aliter deſcribunt idem animal *Julius Pollux* & *Suidas*: quorum ille pro μηλολόνθη à nonnullis μηλολάνθην ſcribi ait (potiùs μηλάνθην) ἤτοι ἐκ τῆς ἀνθήσεως τῶν μήλων (lege μηλέων cum *Euſtathio*) ἢ σὺν τῷ ἀνθεῖν γιγνόμενον, *ſive à malorum floribus*, quibus illum inſidere refert *Suidas*, *aut quia cum floribus gignatur.* Quæ omnia ſi junctim ſumas, ſtatim colliges animalculum deſcribi nobis *Normanis* maximo malo noſtro nimio quàm notius: cum in pomorum flores, unde proventus apud nos eſt uberrimus, per ſingula triennia hæc peſtis ingraveſcat. Sed nulla mihi ratio apparet, cur ילק *jelek*, cenſeatur potiùs eſſe *melolontha*, quam *bruchi* aut *locuſtæ* genus. Quomodo conſtanter reddunt omnes veteres, à *Prophetis* ipſis ità edocti, qui in multis Scripturæ locis meminerunt τοῦ *jelek* inter locuſtarum genera. Exempla vide *Pſal.* 105,34. *Joel.* 1,4. & 2,25. & *Nahum.* 3,15.16. Itaque ab hac verſione non eſt temerè diſcedendum. Quin hoc dato, nõ conceſſo, *jelek* eſſe *melolontham*, nihilo faciliùs ſolvetur quæſtio propoſita, quorſum deſcribatur *jelek* tanquam ὀρθόθριξ. Quia *melolontha* non minùs glabra eſt, quàm locuſta, aut bruchus. *Fullerus* quidem, qui *Junio* & *Tremellio* hâc in parte accedit *Miſcellaneorum* libri quinti capite nono, melolontham advolantem aſſiduâ & veloci pennarum quatuor agitatione, herinacei ſpinis undique exſtantibus hiſpidi ſpeciem referre ſibi fingit.

Credimus? an qui amant ipſi ſibi ſomnia fingunt?

Mihi certè non conſtat, quid alæ molles, & in extremis obtuſæ, commune habeant cum hericii aculeis. Quamvis, vel ſi verum id eſſet, cauſa non fuerit, cur novi interpretes à recepta verſione diſcederent, cum locuſtis etiam & bruchis ſint alæ quatuor, quarum agitatio tam crebra eſt, quàm alarum melolonthæ. De locuſtis igitur tam proclive fuit id ipſum ſibi fingere.

Sed, ut ſolvatur quæſtio, duo ſunt, quæ reſpondeamus. 1. Non id certò conſtare, quod volunt, locuſtas omne genus eſſe prorſus glabras, & depiles. Saltem in *Alcamus* vocari reperio قرن الجراد شعران في راسه *cornu locuſtæ pilos duos, quos habet in capite:* quorum ratione *horrere* aut *horripilare* quidni dicatur, eum eos ſurſum erigit? Quomodo de hæmorrhoo ſcribit *Ælianus Hiſtoriæ* libri decimi quinti capite decimo tertio, φέρει δὲ τὴν κεφαλὴν εἶναι κέρασι τισίν. *Tanquam quibuſdam cornibus caput inhorreſcit.* Sed & locuſtæ deſcriptionem *Poeta* magni nominis *Claudianus* ità incipit,

Horret apex capitis, medio fera lumina ſurgunt
Vertice, &c.

Et in Tractatu *Talmudico Cholin* fol. 65. cum locuſtarum aliæ dicuntur habere גבחת *gabbathath*; aliæ non habere: ſunt, qui gibbum intelligunt in cameli modum dorſo exſtantem, in quo numero eſt *Baal Aruch*: Sed aliis גבחת, eſt *calvitium*; quomodo ſumitur hæc vox in aliis *Talmudis* locis. Itaque *Talmudica* hæc de locuſtis שאין לו גבחת, *Ea, cui non eſt Gabbachath*, ſic exponit *Gloſſa* marginis, שאין ראשו קרוח, *cujus caput non eſt glabrum.* Nempe, ex mente *Gloſſatoris*, locuſtarum aliæ glabro, aliæ hirſuto capite ſunt. Quo fortaſſe alludit *Johannes Apoc.* 9,8. cum myſticis illis locuſtis tribuit τρίχας ὡς τρίχας γυναικῶν, *crines ut crines fæminarum.* Neque alio refero, quod *Arabes* bruchi genus عرفان *orphan* vocant, tanquam ab عرف *orph*, id eſt, *à juba* facto nomine. *Alcamus*, العرفان جندب ضخم كالجرادة لا يكون الا في رمث او عنظوانة او دويبة صغيرة تكون برمل عالج او الدهنا Alorphan, *bruchi genus tam craſſi, quam eſt locuſta, non alibi verſari ſoliti, quam in* ramthſa, *&* onduana (herbis acidiſſimis, ex quarum eſu camelis ſæpe venter intumeſcit.) *Aut animalculum degens in arenis* Aligi *&* Dahnæ: quæ ſunt loca prope *Medinam.* Addo in eodem *Alcamus* الخنتف *alchamhapho* vocari الجراد المنتف المنقى للطبخ *locuſtam, quæ coquenda depilatur, & mundatur.* Quæ vera eſt explicatio, cum etiam dicatur الخنتوف *Alchanthouph*, qui *barbam ſuam vellicat.* Ex quibus planè ſequitur, locuſtas quaſdam hiſpidas eſſe, & hirſutas. Quod noſtri interpretes ignoraverant. Præterea ילק סמר, neceſſario non ſignificat *locuſtam* ὀρθότριχα, cum non ſolis capillis, ſed & toto corpore horreamus. Neque enim de pilis agitur, cum dicit *David*, סמר מפחדך בשרי, *Horruit præ metu tui caro mea.* Poteſt igitur *horrere* etiam locuſta depilis: ut, cum horrore hoſtis imminentis,

nentis, & metu periculi perculſa, ad defenſionem ſe parat. Et cum locuſtis & bruchis in tali ſtatu, à quorum invaſione difficile eſt ſe defendere, ut infra docebimus, equites, magno numero in *Babylonem* ingruituros, potuit conferre *Propheta* in loco, in quo verſamur, qui ſic habet; *Conſtituite in eam imperatorem. Adducite equos ſimiles locuſtis horrentibus*: tam numero quam conſilio vaſtandi & perdendi omnia. Quid, ſi Verbale Nomen סמר *ſamar*, quod alibi nusquam occurrit, non tam *horrentem* quam *horrendum* ſonet, & cuivis intuenti horrorem incutientem? In locuſtarum agmen id apprimè quadrabit, quo ingruente, ירגזו כל ישבי ארץ, *omnes incolæ terræ contremiſcunt* Joel. 2. v. 1. Hinc *Heſychius*, ex aliquo *Poeta*, ut ſuſpicor; Βρεταία φοβερὰ, *locuſta horribilis*.

Nunc dicemus quid veteres de hac voce ſenſerint, ne quis in illis conſulendis mecum ſe fatiget incaſſum. *Græci*, quos ſequitur *Arabs* pro כילק סמר habent *ὡς ἀκρίδων πλῆθος*, *ut locuſtarum multitudinem*, quaſi pro סמר legerint ספר, vel מספר. *Chaldæus* quorſum pro ילק סמר habeat זחלא דמצלהב, *bruchum nitentem*, aut *ſplendentem*, nemo facilè dixerit. Neque enim nitori, & ſplendori, cum horrore, & ἀγριότητι quidquam commune eſt. Fallor, an hic quoque aliter legit? nempe סגור pro סמר, quæ ſunt voces ſcriptura valde vicinæ? Porro סגור eſt *aurum* Job. 28. v. 15. & paſſim in 1. *Regum*, & 2. *Paralipomenon*. Ergo ילק סגור eſſet *bruchus aureus*, aut *locuſta aurea*, id eſt, aurei coloris, & auri inſtar fulgens: quales ſunt *Arabicæ*, de quibus *Ælianus Hiſtoriæ* lib. 10. cap. 13. *Χρυσοειδῆ ἐν ἰνδάλματα καὶ ἐπ' αὐτῆς κατίστικται*. *Auri coloribus figuris diſtinctæ ſunt.* Atque id ipſum locuſtæ genus à *Chaldæo* dici potuit מצלהב, *ſplendens*, vel unâ literâ minus מצהב, *aureo colore fulgens*. Quomodo ſi legatur, firmior erit hæc conjectura. *Hieronymus* reddidit *quaſi bruchum aculeatum*: quibus verbis vir ſanctus neque *Hebræa* ſatis expreſſit, neque rei naturam. Neque enim ullis aculeis inſignes ſunt bruchi, aut locuſtæ; niſi myſticæ illæ intelligantur, quibus *Johannes* tribuit ſcorpionis aculeos *Apoc.* 9. *v.* 10. *Syrus* ſolum habet ܐܝܟ ܩܡܨܐ, *ut bruchum*, ſequenti voce סמר prorſus omiſſâ, ſive illam non legerit, ſive non intellexerit. *Hebræi* omnes reddunt, *ut bruchum horripilantem*. Sed nemo illorum aperit, quorſum *bruchus* ſic appelletur.

Locuſta vagum eſt animal, & inſtabile, quodque levi momento huc atque illuc impellitur, & facili ſaltu, aut volatu, fertur ubivis. Hinc *Job.* 39. *v.* 20. (al. 23.) de equo, *An feciſti, ut moveretur ſicut locuſta?* id eſt, ut pari agilitate ſaltaret. Ut in *Chaldæo* Paraphraſte *Jerem.* 51. *v.* 27. *Quorum equi aſcendant* מפנקין הנא כזחלא, *ſaltantes ut locuſtæ*. Proinde ut *Hebraicè* חרגל *chargol*, eſt *locuſta* genus, ſic *Arabicè* حرجل *chargala* de equo dicitur, qui عدا يمينة او يسرة *ſaltat ad dextram, aut ad ſiniſtram*, verbo à locuſtæ ſaltu palam facto, ut ſuo loco (*a*) notatum. Et *David* de ſeipſo dicit *Pſal.* 109. *v.* 23. *Excuſſus ſum ſicut locuſta*, quæ, cum nido caret, vaga eſt, & fertur è ſepe in ſepem. Putatur enim *David* hunc *Pſalmum* tum ſcripſiſſe, cum *Saulem* fugiens, ſine foco, & lare, huc illuc diſcurreret. Vide *Aben Ezram*, & *Kimchium*. Itaque *Chaldæus* hic habet אטלטלית, *divagatus ſum*. Prorſus aliena videbitur verſio *Arabis Savariani*, *Sicut locuſta*, انتغضت *conſumptus ſum*. Sed uno punctulo minus legendum انتفضت *excuſſus ſum*, ut in *Pariſienſi* editione, & in *Syro* ܐܬܢܦܨܬ quod idem Verbum eſt. In *Arabe* MSS, quod penes me eſt, legitur تقفزت *Saltavi ſicut locuſta*. Quod, utut locuſtæ proprium, tamen huic loco non convenit.

(a) Part. 1. lib. 2. cap. 8. pag. 112. lin. 19. &c.

Sed hoc animal quàm ſit vagum, & νομαδικόν, atque incertarum ſedium, nullibi tam diſertè docetur, quam *Nahum* cap. 3. ubi, poſtquam *Propheta* urbi *Ninivæ* dixit συγχωρητικῶς verſ. 15. & 16. *Eſto tam copioſa, quàm bruchi; tam numeroſa, quàm locuſtæ; ita ut multiplices negotiatores tuos ſicut ſtellas cœli*: mox κατ' ἐπανόρθωσιν, ad id ipſum alludens, quod de bruchis & locuſtis dixerat, *Bruchus*, inquit, *graſſatus eſt, & avolavit. Principes tui locuſtis ſimiles erunt. & duces tui* כגוב גובי, *ut locuſtæ; locuſtæ*, inquam, *quæ caſtra metantur in ſepibus die frigoris; ſed, Sole orto fugiunt, nec agnoſcitur locus earum, ubi fuerint.* Quaſi diceret, “Tu quidem es urbs populoſiſſima, & incolæ tui tibi videntur eſſe locuſtis numero pares. Et in mœnibus tuis multi mercatores & principes aſylum quærunt, quomodo locuſtæ in ſepibus, cùm frigent. Sed non eſt, quod confidas tam numeroſæ multitudini, aut horum mercatorum opibus; vel principum, & ducum tuorum viribus intumeſcas. Quippe, ut, orto Sole, locuſtæ avolant, & ſepem eam deſerunt, quæ in tempore frigoris pro ſuffugio illis fuerat: ſic populi, mercatores, principes, qui, cùm res tulit, ad mœnia tua confugerant, quamprimùm rei alibi meliùs gerendæ occaſio & ſpes affulgebit, unanimi conſenſu te ita derelinquent, ut ne minimum quidem ſuperſit illorum veſtigium. Locuſtas porrò avolare cùm Sol oritur *Arabes* eleganter efferunt Verbo اصقعر *aſcaara*. *Alcamus*, اصقعر الجراد اصابته الشمس وذهب *Aſcaara algirado, locuſtæ Sol accidit, & abiit*. R. *Selomo* exponit verba extremi verſûs 15. התכבד כילק התכבדי כארבה. *converritione pereas, tanquam converritione bruchi, & locuſtæ*. Solent enim hæc animalcula omnia converrere cum pulviſculo, id eſt, in pratis, hortis, & ſegetibus omnia erodere, & eradere. Unde *locuſtæ* nomen *Arabicum* جراد *girad*; quia جرد *giarada* Verbum, de agro, eſt illud *deglabrare* & *denudare*. Sed Verbum התכבד in *everrendi* notione non occurrit niſi apud *Talmudicos*. Itaque alii meliùs ad copiam referunt, quæ *Hebræis* eſt כבד. Et ſic cohæret aptiùs cum ſequentibus, *Multiplicaſti mercatores tuos ut ſtellas cœli*. Quid, quòd *Exod.* 10. *v.* 14. de locuſtis legitur, *Et aſcendit locuſta ſuper omnem terram Ægypti, & reſedit in tota Ægyptiorum orâ* כבד מאד *gravis valde*; copiâ ſuâ nimirum? Ita ut ad copiarum numerum pertinere conſtet illud ipſum כבד, ac proinde deductum inde Verbum התכבד.

Quatuor ſunt animalia, quorum ſapientiam demiratur *Solomon*, ipſe Regum ſapientiſſimus: in his *Locuſta Regem* [illegible] *habet*, ויצא חצץ כלו, *tamen exit* ad bellum, *un*[illegible]*que ſibi dividens*, Prov. 30. v. 27. nempe prædam, & ſpolia bellica: quod alioqui Regum proprium, atque Imperatorum. Ita *Exodi* 15. *v.* 9. dicit *Pharao*, *Dividam ſpolia*, &c. Et *Moſes*, & *Joſue*, & *David* prædam dividunt inter ſuos. *Exire* ſimpliciter *Hebræâ* Phraſi ſæpe eſt *ad bellum exire*. Sic *Gen.* 10. *v.* 11. *Ex terra illa egreſſus eſt* (Nimrod) *in Aſſyriam*, nempe ad bellum inferendum. 2. *Sam.* 11. *verſ.* 1. *Quo tempore egrediuntur Reges*: Id eſt, eo tempore, quo ſolent ad bella procedere; ut rectè *Hieronymus*. Zachar. 14. v. 3. *Egreſſus eſt Dominus, pugnavit in gentes.* Eſa. 42. verſ. 13. *Dominus ut robuſtus miles egreditur.* Pſalm. 60. verſ. 10. (al. 12.) *Non es egreſſus, ô Deus, cum exercitibus noſtris.* Ita locuſta, quamvis ἀβασίλευτος, ut hic habent *Græci* interpretes, tamen exit, nempe ad bellum, חצץ כלו, *unaquaque ſibi dividens*.

Neque

Neque enim locuſtæ exſpectant, ut Imperator ſingulis prædæ partem aſſignet: ſed in quamcunque agri partem involent, illam pro ſua habent, nec ulla eſt inter eas de prædæ diviſione contentio. Hinc ad *Eſaiæ* verba cap. 33. v. 4. *Et colligetur præda veſtra collectione bruchi*, *Hebræi* veteres apud *Kimchium*, אמר להם נביא לישראל אספו שללכם אמרו לו לבוז או לחלק אמר להם אוסף החסיל מה אסיפת החסיל זה: כל אחד ואחד לעצמו אף שללכם כל אחד ואחד לעצמו, *Propheta dixit* Iſraelitis, " *Colligite prædam veſtram. Dixerunt illi:* " *An ad deprædandum, aut ad dividendum: Et is reſpondit,* " *Collectione bruchi. Quænam autem eſt bruchi collectio? Eorum unusquisque ſibi deprædatur. Sic prædam ſuam veſtrûm unusquisq; ſibi diripiat.* Verbum חצץ, *dividere* reddimus; quia eſt idem, quod חצה, *dimidiari & dividere*. Unde חצי, *dimidium*. Sic *Job.* 21. *v.* 21. *Numerus menſium ejus* (id eſt, *menſe ejus numeroſi*) חצצו *dimidiati ſunt*. Ubi חצצו eſt pro חצו. Et locus eſt huic parallelus *Pſal.* 55. *verſ.* 24. *Viri ſanguinolenti & doloſi* לא יחצו ימיהם, *non dimidiabunt dies ſuos.* Itaque ut חצה refertur ad prædæ diviſionem, cum *Moſi* dicitur *Num.* 31. *v.* 27. וחצית את המלקוח, *Et divides prædam*, hic putamus τὸ חוצץ eodem pertinere: maximè, cùm apud *Talmudicos* hoc idem Verbum חוצץ de arbitro uſurpetur, qui rem litigioſam inter contendentes dividit. Ut in *Bava Bathra* cap. 8. fol. 133. b. חוצצין מחיצה לזה ומחיצה לזה, *Huic dimidium dividunt, & illi dimidium.* Quales arbitri in *Gemara* vocantur דייני דחצצתא, *judices diviſionis*, aut *dimidiationis*. Sed & *Arabicè* حصة Plur. حصص eſt *portio rei*: & حص Verbum in tertia & ſexta Conjugatione *cum alio partiri & dividere*, in quarta *portionem alteri dare*.

Alii locum *Solomonis* multo aliter interpretantur. *Græci*, Ἀβασίλευτόν ἐστιν ἡ ἀκρὶς, καὶ ἐκστρατεύει ἀφ᾽ ἑνὸς κελεύσματος εὐτάκτως. Chaldæus, *Locuſta, quæ Regem non habent, congregantur omnes ſimul*, מתכנשין כלהון כחדא. Ita etiam *Syrus*. Et *Hieronymus*; *Egreditur univerſa per turmas ſuas*. Et *Arabs*, بعسكره امره واخذه بحسن ترتيب *In caſtris ejus res illius, & modus illius eſt cum pulchra diſpoſitione.* Quas veterum verſiones vel inter ſe, vel cum *Hebræo* textu, conciliare ſit valde arduum. Tamen *Aben Ezra*, *Chaldæo* accedens, *Hebræa* verba ויצא חוצץ, reddit יצא מאוסף ומקובץ, *Exit collecta, & congregata.* Qua notione ſumi חצץ probare conatur ex *Jobi* verbis חדשיו חוצצו, id eſt, inquit, נקבצו ונאספו, *Menſes ejus congregati, & collecti ſunt.* Sed illum locum docuimus (*b*) aliter eſſe reddendum. Et negamus *Hebræum* חצץ uſpiam ſic uſurpari. *Kimchio* hoc loco חוצץ eſt *herbas, & arborum folia exſcindendo dividere*, ut hic ſit ſenſus; " Locuſtæ Regem non habent, tamen exeunt univerſæ, ut dividant, id eſt, exſcindant folia, & herbas. In qua verſione duo ſunt, quæ deſiderem. 1. Quòd hæc ſunt ἀνακόλουθα. Quidni enim locuſtæ etiam ſine Rege paſcantur, & gramina detondeant? 2. חצץ *dividere* quidem eſt, ut diximus; non tamen *exſcindere*. Itaq; vir quidam impenſe doctus, cui non placebant hæc interpretamenta, aliud commentus eſt: nempe חוצץ à Nomine חץ, id eſt, *ſagitta*, deduci; ut *Jud.* 3. *v.* 11. מחצצים, *ſagittarii*: & locum ſic exponit, *Regem non habent locuſtæ, tamen prodeunt ſagittantes omnes*: id eſt, (ait) *ſagittarum inſtar ſe ejaculantes.* Sed neque *Hebræum* verbum *ſagittare* ſignificat. Neque verum eſt, quod ille ſupponit, *ſagittare* idem eſſe, quod *ſagittarum inſtar ſe ejaculari*. Præterea locuſtarū volatus tardior eſt, quam ut poſſit cum emiſſa ſagitta comparari. Denique hæc non ſatis cohærent, *Locuſtæ Regem non habent, tamen ſagittarum inſtar omnes ſe ejaculantur.* Neque enim volucribus Rege opus eſt, ut cito volent. Sed is rurſus aliud ſupponit, nempe *ſe ejaculari* idem eſſe, quod *bellum gerere*: quod ei multò minus, quam priora illa conceſſerim.

b) Lib. 18. ſup.

Si *Solomonis* effato, *locuſtas Regem non habere*, opponatur illud *Arabum* de locuſtis in *Damire*, وهو من الحيوان الذي ينقاد لرئيسه فيجتمع كالعسكر اذا ظعن اوله تتابع جميعه ظاعنا واذا نزل اوله نزل جميعه *Eſt animal ex eorum genere, quæ ſequuntur ducem, & congregantur ut exercitus. Earum enim prima cum migrat, ſequuntur univerſa, & pariter migrant. Et, cùm diverſatur prima, diverſantur etiam reliquæ omnes.* Reſpondeo, primam illam locuſtam, quam reliquæ ſequuntur, pro Rege non haberi, qualis eſt inter apes اليعسوب ó *Jaſub.* Quia in locuſtis quæ præcedit, tacito conſenſu electa non eſt: ſed quælibet, prout ſors tulit, prima migrat, aut diverſatur. *Diverſatur Arabibus* eſt نزل id eſt, in agrum deſcendit, ut ibi figat ſedes ad tempus, & paſtu reficiatur, tanquam in diverſorio. *Græce* καταλύειν dixeris. Unde *Sirachides* de nive *Ecclesiaſt.* 43. *v.* 17. (al. 19.) ὡς ἀκρὶς καταλύουσα ἡ κατάβασις αὐτῆς· *Ejus deſcenſus eſt ſimilis locuſtæ, quæ diverſatur.*

CAPUT TERTIUM.

De Locuſtis *Ægyptiis* Exod. 10, 4.

Locuſtæ, totius anni laborem paucis horis abſumentes, dominis famem indicunt. Earum voracitatem Arabes *quibus verbis exprimant. Non ſolo morſu nocent, ſed & contactu adurunt. Saliva earum omnia perdit. Et ſæpe multò plus damni mortuæ, quam vivæ, afferunt. Nullum animal pernicioſius. Tamen* Ægyptiæ *locuſtæ ſolito graviores. Quia numero ſuperarunt quidquid unquam fuit uſpiam locuſtarum in uno loco, & magis noxiæ fuerunt. Nemo poterat videre terram. Abſumpſerunt quidquid reſiduum fecerat grando: id eſt, 1. Triticum, & Zeam; quæ grando non læſerat, quia ſunt in* Ægypto *ſerotina. 2. Herbas, ramos, & fructus arborum, qui grandinis impetum evaſerant. Refelluntur, qui annum interceſſiſſe volunt inter plagam grandinis & plagam locuſtarum. An hominibus quoque fuerint locuſtæ pernicioſæ, ut habetur* Sap. 16. v. 9. *& quo ſenſu hæc plaga* mors *vocetur* Exod. 10. verſ. 17. *Quibus ventis locuſtæ adductæ, vel abductæ, & in mare projectæ. Ventus* קדים kadim, *non ſolùm* Orientalis, *ſed &* Auſtralis. *Quo potiſſimum locuſtæ in* Ægyptum *adductæ, nempe ex* Æthiopia: *ubi magnâ copiâ ſunt. Miraculum in quo ſitum.*

IN *Prophetarum* ſcriptis tres de locuſtis occurrunt vel Hiſtoriæ, vel Prophetiæ, præ cæteris inſignes, ac proinde hic explicandæ. Prima eſt de *Ægyptiis* locuſtis, id eſt, in *Ægyptum* à Deo immiſſis, poſt ſeptem plagas atrociſſimas, quibus frangi non potuerat *Pharaonis*

nis contumacia. In qua hiſtoria, ut intelligantur quæ habentur de locuſtis, hæc tria ſunt obſervanda. 1. In genere, quantam locuſtæ perniciem creent herbis, ſegetibus, arboribus, atque omni terræ proventui. 2. Quid in his locuſtis fuerit peculiare. 3. Quomodo in *Ægyptum* adductæ fuerint, & ex *Ægypto* abductæ. Et de primo fruſtra ageremus, ſi locuſtæ nobis tam notæ eſſent, quàm *Arabibus* & *Africanis*, qui experiuntur indies quam grave ſit hoc malum. Cùm jam paratis meſſibus, aut pratis, & paſcuis, aut hortis, & pomariis incumbunt locuſtarum mille myriades, quæ, totius anni laborem paucis horis abſumentes, miſeris incolis famem indicunt. Quam voracitatem, & ingluviem *Arabes* exprimunt verbis احتنك *ingurgitare* (à حنك id eſt, *faucibus*, deducta voce) نعص vel لعص *vorare*; (*Lam* & *Nun* permutatis:) ىبش *decorticare* (quod tamen de terra, & agris, non de arboribus accipiunt, quaſi fruges, & herbæ, quas abſumunt locuſtæ, ſint terræ cortex:) بشر *corii inſtar radere*, & *lævigare*: جرب *deglabrare*, & *depilare*. Unde & ipſi *locuſtæ* nomen جراب Nimirum hæc animalcula quidquid in agris viret ingurgitant, vorant, excorticant, radunt, deglabrant. Neque ſolo morſu nocent, ſed & contactu adurunt. Quin لعابهم سم ناقع للنبات والشجر لا يقع على شي منه الا اهلكه *ſaliva earum virus eſt herbis & arboribus tam noxium, ut, in quodcunque incidat, id deperdat*; ut in *Damire* legere eſt. Quæ tamen levia videri queant, cum ſæpe multo plus damni mortuæ quàm vivæ inferant, tetro & viroſo odore aerem inficientes, unde graviſſima ſequitur lues, adeoque plures hominum myriades tali peſte paucis diebus abripiuntur, quàm diuturnis bellis; ut dicetur ſuo loco. Unde idem *Damir*, ليس في الحيوان اكثر افساد *Nullum eſt animal pernicioſius*. Et *Mahumetes*, ut ajunt, الله خلق الف امة منها ستماية في البحر واربعماية في البر وان اول هلاك هذه الامم الجراد واذا اهلك الجراد تتابع هلاك الامم كنظم السلك *Mille animalium ſpecies creavit Deus, ſexcentas in mari, & quadringentas in terra. Sed horum prima peſtis eſt locuſta, qua deſtruente ſequitur reliquorum exitium, ut monile conſertum*: id eſt, ut baccæ in monili conſertæ ſe mutuò ſubſequuntur.

Sed in *Ægyptiis* locuſtis aliquid fuit ſolito gravius. Cùm enim in *Ægypto* peſtis nulla ſit frequentior, tamen *Moſes* diſertè dicit (a) *his locuſtis neque pares unquam fuiſſe, neque in poſterum futuras*; ſive fuerint mole majores; ut locuſtæ illæ *Indicæ*, quas *Plinius* ſcribit lib. 9. cap. 3. quaterna cubita implere, & lib. 10. cap. 29. ternum pedum longitudinis eſſe, cruribus & feminibus ſerrarum uſum præbentes, cùm inaruerint: ſive, quod credo potius, numero ſuperaverint quidquid unquam fuit uſpiam locuſtarum in uno loco, & magis noxiæ fuerint. Quod ſuadent *Prophetæ* verba, has terræ ſuperficiem ita cooperuiſſe, ut non potuerit quiſquam videre terram; adeoque reſediſſe in univerſa *Ægypti* terra, cum in hunc vel illum agrum involare ſoleant, aliis præteritis; & abſumpſiſſe omnem herbam, & omnem fructum arborum, & quidquid reſiduum fecerat, quæ præceſſerat grando.

(a) Exod. 10, 6. 14.

Ad quæ verba ſi roges, Quod fuerit hoc reſiduum, cum *grando percuſſiſſe* legatur *quidquid erat in agris in tota terra* Ægypti, *& omnem herbam læſiſſe, & omnem arborem confregiſſe*, Exod. 9. verſ. 25? Reſpondeo, 1. Triticum, & zeam, à grandine non fuiſſe læſa. Ita enim habet Sacer Textus verſib. 31. & 32. *Linum autem & hordeum læſum fuit; quia hordeo erat calamus, & lino culmus. Triticum vero & zea læſa non fuerunt, eò quod erant ſerotina.* Nempe triticum in illis locis hordeo ſerius provenit. Unde *Clemens Alexandrinus* lib. 6. *Stromatum*, Πρωτοτιςέρα εἰς ὥραν θέρους τῶν πυρῶν, μᾶλλον ἡ κριθή· *Hordeum eſt tritico citius tempore æſtatis.* Et *Plinius* lib. 18. cap. 7. *In Ægypto hordeum ſexto à ſatu menſe, frumenta ſeptimo metuntur*: id eſt, uno menſe ſerius. Hinc, cum hordeo collata אפילות, id eſt, *ſerotina*, vocantur. Non, quòd ſub terra planè laterent, ut ex *Kimchio* reddunt *Junius* & *Tremellius*; pridem enim ſe exeruerant: ſed quod, adhuc tenera, lentâ flexilique ſua mollitie ingruentes grandinis ictus evitarent & ſubterfugerent; ut à *Fullero* rectè obſervatur *Miſcellaneorum* lib. 3. cap. 11. Porrò ut triticum, & zeam, ſic herbas quaſdam, & gramina, nonnullarum quoque arborum ramos, & fructus, grandinis impetum evaſiſſe vero conſentaneum eſt. Itaque non citra Hyperbolen grando læſiſſe legitur omnem herbam, atque omnem arborem. Quod ſequens exceptio apertè docet. Vel omnes herbas atque arbores ita læſiſſe dicenda eſt, ut non prorſus corruperit.

Plerique, ut hunc nodum ſolvant, ſibi fingunt multos menſes, aut annum etiam interceſſiſſe inter plagam grandinis, & plagam locuſtarum: atque interea temporis creviſſe nova gramina, novas ſegetes, novos arborum fructus, in eorum locum, quos grando perdiderat. Quæ videntur fruſtra dici, cùm *Moſes* diſertè ſcribat *locuſtas abſumpſiſſe quidquid grando reliquum fecerat*, Exod. 10. v. 5. 12. 15. Nec dici poſſit grando id *reliquum feciſſe*, quod nondum erat, aut ſuper terram nondum exſtabat. Præterea ab eo tempore, quo in *Ægypto* cœpit *Moſes* patrare miracula, uſque ad ejuſdem obitum, fluxerunt anni præciſè quadraginta. Agebat enim annum octogeſimum, cùm convenit *Pharaonem* Exod. 7. verſ. 7. Et anno ætatis centeſimo vigeſimo mortuus eſt in ora terræ *Chanaan*, quam viderat à monte *Nebo*, Deut 34. v. 1. 5. Per hos porro quadraginta annos dicuntur *Iſraelitæ* per deſertum iter feciſſe *Joſ.* 5. *v.* 6. Quod ſtare non poſſet, ſi *Moſes* annum integrum in *Ægypto* triviſſet in miraculis patrandis. Nam annus ille demendus eſſet ex annis quadraginta moræ *Iſraelitarum* in deſerto. Falſum eſt igitur, quod hi ſupponunt, inter *Moſis* miracula multum ſpatium interceſſiſſe. Neque id ſatis convenit cum Dei bonitate, ut, populo ſuo jam ad incitas redacto, tam lentè ſubveniſſet, & tot moris interpoſitis. Sed & juſtitia ejus requirebat, ut in tam gravem *Pharaonis* σκληροκαρδίαν continuis plagis animadverteret, nec ullo ei dato reſpirandi ſpatio. Proinde iis accedimus, qui decem plagas *Ægyptiis* inflictas intra breve tempus contrahunt, puta menſtruum, aut circiter.

Quod prope omiſeram, non ſolùm agros, ſed & *Ægyptiorum* domos implebant hæ locuſtæ, *Exod.* 10. *v.* 6. Neque tantùm terræ frugibus & fructibus arborum, ſed & hominibus putantur fuiſſe noxiæ: atque eo hæc pertinere de Eccleſiæ hoſtibus, *Sap.* 16. *v.* 9. Οὓς μὲν γὰρ ἀκρίδων καὶ μυιῶν ἀπέκτεινε δήγματα, καὶ οὐχ εὑρέθη ἴαμα τῇ ψυχῇ αὐτῶν, ὅτι ἄξιοι ἦσαν ὑπὸ τοιούτων κολασθῆναι·

Quos

Quos quidem locuſtarum & muſcarum morſus occiderunt, neque inventum eſt remedium animæ (id eſt, vitæ) *ipſorum, quia digni erant, qui ab hujuſmodi rebus punirentur.* Sed libri auctor niti videtur verbis, quibus *Pharao* liberari petiit ab hac plaga, *Exod.* 10. *v.* 17. *Rogate Dominum Deum veſtrum, ut auferat à me mortem iſtam.* Unde tamen haudquaquam ſequitur, has locuſtas hominib. mortem inflixiſſe. Mors enim etiam agrorum eſt, & herbarum, atque arborum. Sic *Ægyptii Joſepho* dicunt *Gen.* 47. *v.* 19. *Cur moreremur coram te, tam nos, quam terra noſtra.* Et de arbore *Jobus* capitis 14. v. 8. *Si ſenuerit in terra radix ejus, & in pulvere mortuus fuerit truncus ejus.* Et *David* Pſal. 78. v. 47. *Occidit grandine vites eorum.* Et *Paulus* 1. Cor. 15, 36. *Quod tu ſeminas, non vivificatur, niſi prius moriatur.* De qua locutione plura habentur ſtatim initio hujus operis. Præterea locuſtæ homines & bruta occidunt, ſaltem *ex conſequenti*, quod ajunt; quia conſumptis illis, quæ fuiſſent vitæ ſubſidio, ſic ad mortem eos adigunt. Utroque igitur reſpectu *Pharao* potuit rogare, ut Deus auferret *mortem iſtam*, id eſt, *mortiferas iſtas locuſtas.*

De cætero, ut vento קדים *Kadim*, id eſt, *Orientali*, in *Ægyptum* illatæ fuerant hæ locuſtæ: ita vento ים, *maris*, id eſt, *Occidentali*, abductæ ſunt, & in *mare Rubrum* projectæ. Locuſtas enim vento vehi tralatitium eſt. *Plinius* ubi ſupra, *Eſt & alius earum obitus. Gregatim ſublatæ vento in maria aut ſtagna decidunt.* Hieronymus *in* Joelem *cap.* 2. *Etiam noſtris temporibus vidimus agmina locuſtarum terram texiſſe* Judæam: *quæ poſtea miſericordia Domini*, &c. *vento ſurgente, in mare primum & noviſſimum præcipitatæ ſunt.* *Oroſius* lib. 4. cap. 11. de locuſtis *Africanis*, *Repentino arreptæ vento, atque in globos coactæ, portataque diu per aerem*, Africano *pelago immerſæ ſunt.* Ventus autem קדים *Kadim*, qui locuſtas in *Ægyptum* advexit, quamvis propriè *Orientalem* ſonet, tamen etiam pro *Auſtrali* ſumitur, ut probavimus (*b*) in capite *De miraculo Coturnicum.* Itaque *Græci* interpretes Νότον & Λίβα reddunt, id eſt, *Notum*, & *Africum*, & καύσωνα, *ventum urentem.* Neque fortaſſe erit extra rem ita hic interpretari: cum ventus *Orientalis* nonniſi ex *Arabia* locuſtas potuerit in *Ægyptum* advehere: ſed *Auſtralis* ex *Æthiopia*, quæ hac peſte multò eſt fœcundior. Proinde الحبشان *albabſan*, *locuſtæ* genus, nomen habet ab *Abaſenis*, ſeu *Abyſſinis*, in quorum ſolo naſcitur. Et in *Æthiopia* nonnullæ gentes ex ſolis locuſtis vixerunt, quas copia vix credenda eò advehebant venti, partim *Occidentales*, partim *Meridionales*. Idque circa vernum Æquinoctium, quo ipſo anni tempore in Ægyptum adductæ ſunt. *Agatharchides* ubi de *Acridophagis*, Ὑπὸ δὲ τὴν ἐαρινὴν ἰσημερίαν, ὅτε λίβες παρ' αὐτοῖς καὶ ζέφυροι πνέουσι παμμεγέθεις, ἀκρίδων πλῆθος ἀμύθητον ἐκ τῆς ἀοικήτου μετὰ τῶν ἀνέμων παραγίνεται χώρας. Et *Diodorus* lib. 3. Κατὰ γὰρ τὴν ἐαρινὴν ὥραν παρ' αὐτοῖς ζέφυροι καὶ λίβες παμμεγέθεις ἐκφέρουσιν ἐκ τῆς ἐρήμου πλῆθος ἀκρίδων ἀμύθητον. Et *Strabo* lib. 16. Ζῶσι δ' ἀπὸ ἀκρίδων, ἃς οἱ ἐαρινοὶ λίβες, καὶ ζέφυροι, πνέοντες μεγάλοι, συνελαύνουσιν εἰς τοὺς τόπους τούτους. Proinde hi ipſi venti locuſtas ex iiſdem locis videntur in *Ægyptum* attuliſſe, id eſt, ex *Æthiopia.* Nam, quod eas plerique volunt à Deo fuiſſe creatas, mihi vix perſuaſerint. Quia Scriptura nihil tale refert, ſed à vento fuiſſe advectas, qui tota die flaverit, & tota nocte. Nec miracula confingenda ſunt abſque neceſſitate. Qualis hic nulla apparet, cum in *Æthiopia* prope *Ægyptum* plures locuſtæ procreentur, quàm in ulla parte terrarum. Miraculum igitur non fuit in eo, quod produxit Deus, ſed in eo, quod adduxit nutu ſuo tam prodigioſam locuſtarum multitudinem. Et quod idem, qui adduxerat, ad *Moſis* ſervi ſui orationem ſtatim abduxit, alio vento excitato, *Occidentali* ſcilicet, quem *Hebræi* vocant רוח ים, *ventum maris*; quia mare habent ad *Occaſum.* Et, illo vento magna vi flante, in *mare Rubrum* projectæ ſunt locuſtæ omnes, ne una quidem relicta in cunctis *Ægypti* finibus. Cum enim ad *Orientem Ægypti* ſit *mare Rubrum*, has *Occidentali* vento eò propelli oportuit.

(b) Supra lib. 1. c. 15 pag 101. lin. 24. &c.

CAPUT QVARTUM.

De Locuſtis quid habeat *Joel* cap. 1.

Cur ſenes compellet Joel. *Cum* Moſe *conciliatur. Cur hæc filiis narrari velit. Quatuor locuſtarum ſpecies in* Joele Judæam *devaſtaſſe, non ſingulas ſingulis annis, ſed omnes ſimul. Etiam in* Ægypto *plures locuſtarum ſpecies. Docetur hæc ad literam ſumenda, contra quam ſentiunt nonnulli* Patrum, *& ex* Hebræis Abarbanel. *Hoſtes cum locuſtis non conferuntur, niſi ratione numeri; neque homines in genere, niſi* κατ' ἐξουθενισμόν. *Ebrii cur excitentur. Locuſtarum proprium, exſcindere. Cur vocentur gens valida. Hæc Metaphora quam frequens. Iiſdem leoninos dentes meritò aſſignari. Cur* Arabicè ناشر *dicatur quod ab illis demorſum eſt. Bruchi vitibus, & locuſtæ ficubus quam infeſtæ.* Theophraſtus *emendatus.* קצפה *à* Græcis *rectè reddi* κλασμὸν, *probatur ex* Arabiſmo. *Locuſtæ* ἀκρίδες *cur dictæ. An arbores decorticent. Nudari arbores, & ramos earum exalbeſcere etiam ſine decorticatione. Locuſtas etiam fruticum truncos exſcindere. Locuſtas* Joelis Judæam *devaſtaſſe, Templo nondum exciſo.* Terra lugere, muſtum erubeſcere, oleum languere *quomodo dicantur. His opponuntur* lætus ager, lætæ ſegetes, *&c. unde* lætamen *Italicè* letame. Χιασμὸς Joel. 1. v. 11. 12. *&* Cant. 1. v. 5. *Gaudium in meſſe. Locuſta ipſis arboribus noxia.* Dies Domini *pro* judicio, *ut 1. Corinth.* 4. *v.* 3. Cilicum *Phraſis. Paronomaſia elegans* Joel. 1. v. 15. *Exultatio in ſacrificiis.* Joel. 1. v. 17. *tria verba, quæ nuſquam alibi ſunt, accuratè explicantur. Variæ de his ſententiæ. Non ſolum ex pluviis, ſed etiam ex nimia ſiccitate ſata putreſcere, aut vaneſcere veris. Sicco Vere locuſtarum major proventus.*

HActenus de locuſtis *Ægyptiis*, quibus ſimiles *Iſraelitis* Propheta *Joel* graviſſimis verbis interminatus, tandem deſinit in verba pacis, & Dei nomine iis multa bona promittit. Noſtrum igitur eſt ex *Joele* edecumare, & pro viribus interpretari quæcunque de locuſtis habet, prout occurrent, & ſervato *Prophetæ* ordine. Qui, ut attentionem captet, ſtatim ab initio nova & inaudita ſe dicturum profitetur cap. 1. v. 2. *Audite*, inquit, *hoc ſenes; & auribus percipite, omnes incolæ terræ: An fuerit iſtud in diebus veſtris, & in diebus patrum veſtrorum?* Primò *ſenes* compellat, qui ætatis beneficio plura viderant, atque audiverant. Ut *Moſes* Deut. 32. v. 7. *Interroga ſenes, ut tibi dicant.* Et *Job.* 32. v. 7. *Dies loquentur, & numerus annorum docebit ſcientiam. Propheta* igitur ſignificat locuſtas, de quibus ſtatim dicturus eſt, eam cladem intuliſſe, qualis nulla memoratur ab omni ævo illata. In *Judæa* ſcilicet. Eò enim hæc pertinent, *Audite hoc, ſenes; & auribus per-*

percipite, omnes incolæ terræ, ſupple *Judaicæ*, de qua hic res eſt. Sic, cum de *Ægyptiis* legitur *Exod.* 10, 14. *Anteà non fuerant locuſtæ iſtis pares, neque poſteà futuræ ſunt:* hæc ad *Ægyptum* ſunt reſtringenda. Alioqui cum *Joele* pugnaret *Moſes*, aut cum *Moſe Joel*. Cætera enim, quæ *Hebræi* afferunt, ſunt minùs ad rem, ut infra docebimus.

Verſu tertio, *Hæc filiis veſtris narrate. & filii veſtri filiis ſuis, & filii ipſorum ætati alteri.*] Quod *Poeta* verbis dixeris,

Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis.

Neque enim inſignia Dei facta ſunt oblivione ſepelienda, ſed eorum memoria ad poſteros ſedulo propaganda, atque in poſterum conſervanda. Ut vel beneficiis acceptis grati ſimus, & pleni fiducia, vel pœnis illatis trepidi, & cauti magis. Hinc *David* Pſal. 78, 3. &c. *Quæ audivimus, ac novimus, & patres noſtri narraverunt nobis, non celabimus filios eorum, generationem alteram, ut narrent Domini laudes, & virtutem, & mirabilia, quæ fecit*, &c. *Et mandavit patribus noſtris, ut filiis ſuis nota facerent, ut ſciat altera generatio, filii qui naſcentur, ſurgentesque enarrent filiis ſuis. Et ponant in Deo ſpem ſuam, neque obliviſcantur operum Dei*, &c. Vide & *Deut.* 4, 9. & 6, 6.20. *Joſ.* 4, 6. &c.

Verſu quarto, *Reſiduum* gazam *comedit* arbe, & *reſiduum* arbe *comedit* jelek, & *reſiduum* jelek *comedit* chaſil.] Hæ ſunt locuſtarum quatuor ſpecies, ut jam antè (*a*) monuimus, quas *Hebræis* nominibus hic appellamus, quia *Latina* non ſuppetunt. Sic infrà capitis ſecundi verſu vigeſimo quinto, *Et reddam vobis annos, quos comederit* ARBE, JELEK, CHASIL, & GAZAM. Ubi *gazam*, quæ prima fuerat, poſtrema nominatur. Quod obſervandum in *Hebræos*, qui has quatuor locuſtarum ſpecies quatuor añis continuis, *gazam* nempe primo año, *arbe* ſecundo, *jelek* tertio, *chaſil* denique quarto, *Judæam* devaſtâſſe putant. Quod mihi fit parum veriſſimile. Quia ſi locuſta *gazam* dicta in *Judæam* primo anno fuiſſet immiſſa, non poneretur ultimo loco *Joel.* 2, 25. Et in his plagis enumerandis *Propheta* eundem utrobique ſervâſſet ordinem. Præterea, ſi ſingulæ ſpecies ſingulis annis aſſignatæ fuiſſent, non diceretur *arbe* comediſſe reſiduum *gazam*, & *jelek* reſiduum *arbe*, & *chaſil* reſiduum *jelek*: neque enim hujus anni proventus ſunt præcedentis reliquiæ, nec quæ futuro provenient in hujus anni reliquiis haberi poſſunt. Itaque, ſive annotina fuerit hæc locuſtarum plaga, aut, quod ex *Joel.* 2, 25. videtur rectè concludi, in plures annos propagata: non tamen ſingulas locuſtarum ſpecies ſingulis annis aſſignandas, ſed omnes eodem anno in *Judæam* puto ingruiſſe. Ità ut, uno agmine ex agro aliquo diſcedente, alterum ſuccederet, præcedentis reliquias, ſi quæ eſſent, depaſturum, ac conſumpturum: Idque repetitum toties, quoties fuit neceſſe, ut nihil omnino, quo vel homines vel beſtiæ veſcerentur, in agro llupereſſet, Nihilo magis probo, quod volunt *Judaicam* hanc plagam ab *Ægyptia* in eo differre, quod *Ægypto* unum locuſtæ genus, (ארבה *arbe* nimirum) at *Judææ* quatuor illæ ſpecies incubuerint. Quamvis enim *arbe* ſumatur εἰδικῶς pro *certa locuſtæ ſpecie*, cum reliquis opponitur, ut in *Joele*, & *Levit.* 11, 21. plerumque tamen γενικῶς uſurpatur pro *toto genere locuſtarum*. Quomodo ſumpſit *Moſes*, ubi egit de τῷ *arbe* in *Ægyptios* immiſſo. Ità ut etiam ילק *jelek*, & חסיל *chaſil*, atque aliæ locuſtarum ſpecies includerentur. Proinde *David* de *Ægyptiis* Pſal. 78. v. 46. *Dedit* τῷ *chaſil proventum eorum, & laborem eorum* τῷ *arbe.* Et *Pſal.* 105. v. 34. *Dixit, & venit* arbe & jelek *ſine numero.* Itaque non ſolus *arbe*, ſed & *chaſil*, & *jelek* in illos à Deo immiſſi ſunt. Meritò igitur apud *Piſidam* Deus in *Ægyptios* inſtruit παγγενῆ τὴν ἀκρίδα, *locuſtam omnigenam.* Quatuor in *Joele* locuſtarum ſpecies, *gazam*, *arbe*, *jelek*, & *chaſil*, quomodo *Chaldæi*, *Syri*, atque *Arabes* efferant, hic dicere nihil attinet. In *Græca*, & *Vulgatâ*, hæ ſunt, ἡ κάμπη, ἡ ἀκρὶς, ὁ βροῦχος, ἡ ἐρυσίβη, *eruca*, *locuſta*, *bruchus*, *rubigo.* Quarum prima & ultima ad locuſtarum genus non pertinent. Nam ἡ ἐρυσίβη *rubigo*, ne animal quidem eſt, ſed morbus ſegetum. Itaque huic verſioni haud quâquam ſtamus. Nobis enim id perſuaſiſſimum eſt, *Hebraicis* quatuor vocibus quatuor *locuſtarum* ſpecies ſignificari. Quod uno ore hic aſſerunt *Hebræi* omnes: quamvis illæ ſpecies quomodo inter ſe differant, definire non poſſint.

Sed hæ voces quidquid ſonent, gravis agitatur quæſtio, nempe, an quæ de locuſtis hic dicuntur, ad literam ſint explicanda. Myſteria enim hic multi quærunt, quaſi non *veræ locuſtæ* intelligantur, ſed *Judæorum hoſtes.* Inter utramque ſententiam ità fluctuare videtur *Hieronymus*, ut ad ultimam magis propendeat. Primò enim hæc refert ad quatuor Imperia, quæ ſingula ſucceſſivè in *Judæos* inſurrexerunt. ERUCAM, inquit, *quæ* Hebraicè גזם GAZAM, Græcè *dicitur* κάμπη, Hebræi Aſſyrios *interpretantur*, Babylonios, *atque* Chaldæos; *qui, de uno orbis climate procedentes, tam decem Tribuum, quam duarum, hoc eſt*, Iſraëlitici *populi, cuncta vaſtàrunt.* LOCUSTAM *autem* Medos *interpretantur*, & Perſas; *qui, ſubverſo imperio* Chaldæorum, Judæos *habuère captivos.* BRUCHUM Macedonas, *& omnes* Alexandri *ſucceſſores, maximeque Regem* Antiochum *cognomento* Epiphanem, *qui inſtar bruchi ſedit in* Judæa, *& omnes priorum Regum reliquias devoravit.* RUBIGINEM *referunt ad imperium* Romanum; *qui, quarti, & ultimi, in tantum oppreſſère* Judæos, *ut de ſuis finibus eos pellerent.* Hæc ille, tanquam ex mente *Hebræorum*, qui tamen, ipſo fatente, agnoſcunt etiam ad literam contigiſſe, quæ de locuſtis hic habentur. *Judæi*, inquit, *putant in diebus* Joël *tam innumerabilem locuſtarum ſuper* Judæam *veniſſe multitudinem, ut cuncta complerent; & non dicam fruges, ſed ne vinearum quidem, & arborum, cortices, ramosque dimitterent.* Sed hanc *Judæorum* ſententiam ità refellit in ſequentibus, *Hoc utrùm factum, necne ſit, liquidò affirmare non poſſumus. Neque enim* Regum & Paralipomenωn *narrat Hiſtoria. Quod utique ſi fuiſſet, nunquam Scriptura tacuiſſet. Tantùm dicimus, quod ſub Metaphora locuſtarum hoſtium deſcribatur adventus.* Deinde, quaſi inter utramque ſententiam ambiguus; *Ni fallor*, inquit, *videor mihi in hoc* Propheta *aliquid reperiſſe. Narratur impietas hoſtium ſub figura locuſtarum. Et rurſus ſic de ipſis locuſtis dicitur, quaſi hoſtibus comparentur: ut, cum locuſtas legeris, hoſtes cogites; cum hoſtes cogitaveris, redeas ad locuſtas.* Videtur *Hieronymo Cyrillus* aſſentiri, qui per has quatuor peſtes, *Salmanaſſarem*, *Nabuchodonozorum*, *Antiochum*, & *Romanos* intelligit. In eodem tamen hæc legas, Ἀληθὲς μὲν ἂν τὸ χρῆμα, κἂν εἰ ἐπὶ ἀκρίδος τυχὸν νοοῖτο, βρούχου τε, καὶ κάμπης· *Verum quidem hoc eſt, etiamſi de locuſta, bruchoque, & erucâ accipiatur.* *Theodoretus*, poſtquam nonnullos *Tropicè* hæc interpretari ſcripſit de quatuor *Aſſyriæ* Regibus, *Theglaphalaſare*, *Salmanaſſare*, *Sennacheribo*, & *Nabuchodonozoro*! Ἐγὼ δὲ, ait, ἀληθῆ μὲν ἡγοῦμαι καὶ ταῦτα· ὑπολαμβάνω δὲ καὶ τὰ κατὰ τὸ ῥητὸν νοούμενα τῷ ὄντι γεγενῆσθαι· *Ego verò*, inquit, *vera quidem hæc eſſe cenſeo; ſed & quæ ad literam intelliguntur re verâ contigiſſe arbitror.* Chaldæus *literalem* ſenſum plerumque amplectitur. Nonnunquam tamen in *myſticum* delabitur: ut *Joel.* 2. v. 25. ubi pro quatuor locuſtarum ſpeciebus, *arbe*, *jelek*, *chaſil*, & *gazam*, habet עממיא ולשניא ושלטוניא ומלכותא פרענות, *populos, & linguas, & imperia, & regna vindictæ*; id eſt, quibus Deus uſus eſt ad rebellium in populo ſuo ultionem. Ex *Hebræis* Commentatoribus *Jarchius*, *Kimchius*, & *Aben Ezra* literæ mordi-

a Cap. 1. Sect. 3, 1. 8. 6.

cus hærent. At his poſterior *Abarbenel*, *Hieronymum* ſequutus hunc *Prophetam* veniſſe aſſerit, להתנבאות על ממשלת ארבע המלכיות בבל ופרס יון ורומי *ut prophetaret de dominatione quatuor imperiorum*, Babylonici *ſcilicet*, & Perſici, & Græci, & Romani. Et à literali ſenſu uſque adeo alienus eſt, ut de iis agens, qui ad locuſtas hæc referunt, in ipſa Præfatione exclamet, חלילה לי מלהאמין כזה, *Abſit à me, ut hoc credam*: quaſi id eſſet valde abſurdum. Sed, cum nihil objiciat, quod non ſit futiliſſimum, non dubito, quin à *Propheta* veræ locuſtæ intelligantur, quæ paulò poſt *Prophetiam* ejus *Judæam* devaſtaverint. Neque enim *hoſtes infenſi* ſolent cum *locuſtis* conferri, niſi ratione numeri: ut cum de *Madianitis*, & *Amalekitis* dicitur *Jud.* 6, 5. *Venerunt quaſi locuſta multitudine.* Et *Jud.* 7, 12. *Diffuſi erant in ea valle tanquam locuſta multitudine.* Et *Judith.* 2. 2. de copiis *Aſſyriorum*; *Et multi miſcelli, ut locuſta, ad eos conveniebant.* Et de *Trojanis*, & *Æthiopibus*, quos *Memnon* adduxerat, *Q. Smyrnæus* libri ſecundi verſu 195.

- - - - - τοὶ δ' ἐπέχυντο

Ἀκρίσιν καρποβόροις ἐναλίγκιοι, αἵ τε φέρονται

Ὡς νέφος, ἢ πολὺς ὄμβρος ὑπὲρ χθονὸς εὐρυπέδοιο,

Ἄπλητοι, μερόπεσσιν ἀεικέα λοιμὸν ἄγουσαι·

Ipſi autem effundebant ſe locuſtis frugivoris pares, quæ feruntur ut nubes, aut immodicus imber ſuper latam terram, innumeræ, tetram hominibus famem allaturæ. Alioqui enim, cum homines *locuſtis* comparantur, id ad contemptum pertinet, & πρὸς τὸ ἐξουθενισμένον. Quale illud de *Iſraelitis* cum *Anakæis* Gigantibus collatis, *Num.* 13, 34. *Quibus comparati ut locuſtæ videbamur.* Et de hominibus præ Deo *Eſ.* 40, 22. *Qui ſedet ſuper gyrum terræ, & incolæ ejus ſunt quaſi locuſtæ.* Nec diſſimile illud *Luciani* in *Hermotimo*, Οἷον μύρμηκας ἀπὸ τοῦ ὕψους ἐπισκοποῦντας τινὰς τοὺς ἄλλους, *Alios homines tanquam formicas è ſublimi contemplantes.* Itaque magna Imperia cum his animalculis nuſquam conferri videas: ſed cum *leonibus*, *pardis*, & *urſis*, ut *Danielis* capite ſeptimo. Sed, ut res ſit manifeſtior, jam ſequentia diſpiciamus,

Verſu quinto, *Expergiſcimini, ebrii*; (quibus longa compotatio ſolet ſomnum conciliare,

- - - *àque mero redeunt in pectora ſenſus*,

ut in *Poeta* habetur) *flete, & ejulate, omnes vini potores, ob muſtum; quoniam exciſum eſt ex ore veſtro.*] Ut infrà verſu nono, *Exciſum eſt ſacrificium.* Et verſu decimo ſexto, *Coram oculis noſtris cibus exciſus eſt.* Nempe à locuſtis, quarum una ſpecies גזם *gazam* dicitur *ab excidendo*. Sed *Propheta* hic utitur Verbo כרת, ut *Nahum* 3, 15. תכריתך, *Exſcindet te gladius, & abſumet ut bruchus.*

Verſu ſexto, *Gens enim aſcendit contra terram meam, valida, & innumerabilis. Dentes ejus ut dentes leonis, & molares ut leænæ.*] Ad quæ *Abarbanel*, לא אמר הנביא זה באמת על הארבה כי איך יקראהו גוי וקהל גוים *Propheta certè id non dixit de locuſtis: eas enim quomodo gentem vocaret, & congregationem gentium?* At *Propheta* habuit, quem ſequeretur, Regum ſapientiſſimum, cujus verba ſunt *Prov.* 30, 25. 26. הנמלים עם לא עז *Formicæ, populus invalidus.* Et, שפנים עם לא עצום, *Chærogrylli, populus non fortis.* Ridiculum enim eſt, quod ibi habet ex *Midras*, etiam eo loco *Solomonem* per quatuor animalcula quatuor Imperia ſignificâſſe. Fateor quidem *gentis* nomen de *homine* propriè uſurpari, nec transferri ad *beſtias* niſi per Metaphoram. Sed eâ Metaphora nihil quidquam eſt uſitatius. Hinc *Poetarum* antiquiſſimus, idemque optimus, dixit *Iliad.* Β. verſu 87.

Ἠΰτε ἔθνεα εἶσι μελισσάων ἁδινάων,

Ut ſunt gentes apum frequentium. Ubi *Scholiaſtes*, Πρώτη γὰρ αὕτη παραβολὴ ἡ τῷ ποιητῇ. Et verſu 458.

- - - ὀρνίθων πετεηνῶν ἔθνεα πολλὰ,

Χηνῶν, ἢ γεράνων, ἢ κύκνων δουλιχοδείρων

Avium volucrium multæ gentes, anſerum, aut gruum, aut cygnorum longo collo. Et verſu 469.

Ἠΰτε μυιάων ἁδινάων ἔθνεα πολλὰ,

Ut frequentium muſcarum multæ gentes. Et *Odyſſ.* Ξ. verſu ſeptuageſimo tertio de ſuilibus,

- - - - - ἔνθ' ἱ ἔθνεα ἔρχατο χοίρων,

Ubi includebantur porcorum gentes. Et Orpheus *De lapidibus in Corallio*,

Ἐκ τε μυῶν ἀγέλας, ἐκ τ' ἀκρίδος ἄπλετον ἔθνος

Ῥαίει. - - - - - - - -

Et murium greges, & locuſtarum infinitam gentem perdet. *Oppianus* quoque libri tertii *Cynegeticῶn* ferè initio,

Ἀλλ' ὅτε δὴ κεραῶν ἠείσαμεν ἔθνεα θηρῶν,

Sed poſtquam cornutarum cecinimus gentes ferarum. Et *Lucillius* libri ſecundi *Anthologiæ* capite vigeſimo ſexto,

Ὄψῃ γυπῶν ἔθνεα, ἢ κοράκων

Videbis & vulturum & corvorum gentes. Et *Piſidas* in *Hexaemero*,

Τίς ἐσφαλίσει παγγενῆ τὴν ἀκρίδα,

Ἔθνος πτερωτὸν, εἰς φθορὰν Αἰγυπτίων;

Quis omnigenam locuſtam inſtruit, gentem alatam, in perniciem Ægyptiorum? Neque aliter *Latini* Scriptores. Ut cum de equis *Poeta* dicit libro tertio *Georgicorum*,

Tu modò quos in ſpem ſtatues ſubmittere gentis.

Et de vitulis, - - *notas & nomina gentis inurunt.*

Quale eſt, quod ibidem peſtis corripit

Spemq; gregemq; ſimul, cunctamq; ab origine gentem:

id eſt, *totum ovile*. Ut cum libro quartò vocantur *Protei* piſces - - - *vaſti gens humida ponti.*

Et de apibus idem ibidem,

- - - - - - *totiuſque ordine gentis*

Mores, & ſtudia, & populos, & prælia dicam.

Et rurſus,

Ut bene Regum facies, ità corpora gentis.

Et libro primo *Æneidos*, - - *cum gentis adultos*

Educunt fœtus.

Quod loquendi genus, ne quis *Poëtis* proprium eſſe putet, etiam in *Columella* occurrit libri decimi capite tertio, *Gens univerſa totius alvei conſumitur.* Et capite nono, *Inteſtino bello tota* (apum) *gentes conſumuntur.* Et capite decimo de Rege apum, cui detractæ ſunt alæ, *Ne ditionis quidem populo ſua permittit longius evagari.* Et capite decimo tertio, *Duo populi conjungi debent.* Et de fucis capite decimo quinto, *Nec ad occidionem gens interimenda eſt.* Quale eſt, quod *Ælianus* libri ſexti *Hiſtoriæ* capite decimo nono, τὸ τεττίγων φῦλον *cicadarum nationem* dixit. Ità enim ſcripſerat, non φῶλον, vocem nihili, quam habent noſtræ editiones. Sed & *Arabicè* أمة *umma*, *gentem*, de quovis animali dici notant *Arabum* Lexicographi, *Giauhari*, & *Alcamus*. Ut in celebri Pſeudo-*Propheta* dicto de animalibus, quod ſuprà (a) citavimus; الله خلق الف امة منها ستماية في البحر واربعماية في البر وان اول هلاك هذه الامم الجراد *Mille animalium gentes* (ità ad verbum habetur) *creavit Deus, ſexcentas in mari, & in terra quadringentas. Et prima harum gentium peſtis eſt locuſta.* Quidni igitur locuſtas *Joel* hic appellaverit גוי, *gentem*, & עם, *populum*, capitis ſecundi verſu ſecundo.

(a) Cap. 5. pag. 461. lin. 46.

Iisdem leonum dentes & molares aſſignantur: ut *Apoc.* 9, 8. Ὀδόντες αὐτῶν ὡς λεόντων ἦσαν, *Dentes eorum ut leonum erant*, id eſt, *duri*, *validi*, *acuti*. Proinde *Plinius* de locuſtis, *Omnia morſu erodentes, & fores quoque tectorum.* Quæ vis eſt ſtupenda prorſus in tam vili animalculo. Ut non immeritò *Hieronymus* ad hæc verba exclamet; *Quid locuſtis fortius, quibus humana induſtria reſiſtere non poteſt?* Et *Cyrillus*, ἄμαχον

τὸ

τὸ χρῆμά ἐστι, καὶ ἀκαταγώνιστος κομιδῇ τῶν τοιούτων ἡ ἔφοδος, ἱκανή τε ἄρδην ἀπολέσαι τὰ ἐν ἀγροῖς. *Res eſt inſuperabilis: & prorſus inexpugnabilis eſt earum impreſſio, & ad perdendas ruris opes planè ſufficit.* Quod ab illis demorſum eſt *Arabes* ناشر vocant, id eſt, *denticulatum in ſerra modum.* Nam اشر eſt *ſerra ſecare.*

Verſu ſeptimo, *Poſuit vitem meam in deſolationem, & ficum meam in confractionem. Penitùs nudavit eam, & abjecit: albuerunt rami ejus.*] *Vitem* ait, & *ficum*; quia bruchi, & locuſtæ utrique infeſti ſunt, Proinde, ut à vitibus bruchi arceantur, hoc præſcribit *Didymus* libro decimo *Geoponicũn*, Περὶ τὸ στέλεχος τῆς ἀμπέλου περὶ τὴν ῥίζαν, τρεῖς κόκκους σινήπεως χῶσον· φυτευόμενα γὰρ ταῦτα τῇ ὀσμῇ τὸν βροῦχον ἀναιρεῖ. *Circa vitis truncum ad radicem tria ſinapi grana defode: illa enim conſita bruchum odore ſuo perimunt.* Et de ficubus *Plinius* libri decimiſeptimi capite vigeſimo quinto: *In* Bœotia *deroſa à locuſtis ficus iterum germinavêre.* quæ ſumpta ſunt ex his *Theophraſti* libri ſecundi *Hiſtoriæ* capite quarto, Ἐν δὲ τῇ Βοιωτίᾳ καταβρωθέντων τῶν ἔργων ὑπὸ τῶν ἀττελέβων πάλιν ἀνεβλάστησαν. Itaque pro τῶν ἔργων legendum τῶν ἐρινῶν. Nempe ἐρινὰ ſunt *ficus ſylveſtres*, vel *ficus quævis immaturæ*; ut in *Alexi* apud *Athenæum*. *Hebræum* לקצפה reddo *in confractionem*, cum *Græcis*, qui hic habent εἰς κλασμὸν, aut συγκλασμόν. Quæ vocis, alioqui inuſitatæ, verſio confirmatur ex *Arabiſmo*. Arabicè enim قصف eſt *frangere*, & القصيف eſt *fractus arboris ramus*. Ità *Giauhari*, & *Ibno-maruph*. Quod maximè ad rem facit. Modò ad ſummos arborum ramos referatur, quos locuſtæ depaſcuntur. Itaque à nonnullis dici putantur ἀκρίδες, παρὰ τὸ ἄκρας τῶν ἀσταχύων καὶ τῶν φυτῶν νέμεσθαι. *Hieronymo* קְצָפָה, eſt *decorticatio*. Is proinde hic habet, *Ficum meam decorticavit.* Et arbores à locuſtis *decorticari* non ſemel ſcribit. Ut in *Oſeæ* caput decimum tertium, *Locuſta noxia eſt in tantum, ut arbores quoque & vineas decorticet.* Et in *Joelem*: Judæi *putant in diebus* Joel *tam innumerabilem locuſtarum veniſſe multitudinem, ut ne vinearum quidem & arborum cortices ramoſque dimitterent.* Et infrà, *Locuſtæ in tantum cuncta populantur, ut derodant arborum cortices. Chaldæus*, qui vocem קצפה reddidit multò aliter, tamen arbores à locuſtis decorticari concluſit ex ſequentibus de ficu, חשף חשפה, *nudando nudavit eam*; quæ ſic interpretatur, מקלף קלף, *decorticando decorticavit.* Sed, ut *nudari* dicatur arbor, corticem adimi neceſſe non eſt. Sufficit enim, ut folia, & fructus, vel flores auferantur. Unde *Poeta* vetus, in *Deſcriptione quatuor anni tempeſtatum*,

Fronde nemus denudat hyems, amneſque rigeſcunt.

Id *Græcè* dixeris ψιλοῦν. *Theophraſtus* libri quarti *Hiſtoriæ Plantarum* capite decimo ſexto, Ἐν Μιλήτῳ δὲ τὰς ἐλαίας, ὅταν ὦσι περὶ τὸ ἀνθεῖν, κάμπαι κατεσθίουσιν· αἱ μὲν τὰ φύλλα, αἱ δὲ τὰ ἄνθη ἕτεραι τῷ γένει· καὶ ψιλοῦσι τὰ δένδρα. Mileti *oleas, cum florent, erucæ erodunt, aliæ frondem, aliæ genere diverſæ florem, atque arbores ità denudant.* At in *Joele* ſequitur, fici ramos exalbeſcere: quod non videbitur aliter poſſe fieri, quam ſi cortex detrahatur, ut detegatur alburnum, quomodo factum à *Jacobo Gen.* 30, 37. Reſpondeo, ipſum arboris corticem, cum putreſcit, exalbeſcere. Hinc *Theophraſtus* libri quinti *De cauſis* capite duodecimo, Διὰ τὴν ἀτροφίαν ἐκλευκαίνεται καὶ ἀπόλλυται τὰ δένδρα· *Alimenti defectu arbores exalbeſcunt, & pereunt.* Arbores autem locuſtarum contactu perire & exareſcere dicetur infra. Utut ſit, ex *Abyſſinorum* Hiſtoriis conſtat, locuſtas non ſolùm corticem, ſed & fruticum exſcindere truncos, cum ad alius pabuli inopiam deventum eſt. Ità aſſerit *Scaliger* in *Cardanum Exercitatione* centeſimâ nonageſimâ ſecundâ,

Verſu nono, *Exciſum eſt fertum & libamen è domo Domini, lugent Sacerdotes miniſtri Domini.*] Ut verſu decimo tertio, *Venite, & pernoctate in ſaccis; quoniam prohibitum eſt è domo Dei veſtri fertum, & libamen.* Ex utroque hoc loco colligit *Abarbanel*, Templum à *Babyloniis* fuiſſe tum exciſum: cum ſequatur contrarium, nempe Templum extitiſſe. Neque enim *exſcindi* & *prohiberi poteſt ſacrificium ex domo*, quæ non amplius exſtat.

Verſu decimo, *Vaſtatus eſt ager, luget terra; quoniam vaſtatum eſt triticum, erubuit muſtum, languit oleum.*] Unde primitiæ & decimæ Domino offerebantur, *Num.* 18, 12. *Deut.* 14, 23. & 18, 3. 4. Sed & ex iiſdem fiebant ferta, & libamina. Itaque cum hæc tria deeſſent, non erat, unde fierent ſolitæ oblationes. *Lugere terra* dicitur, ut apud *Hebræos* quæcunque vaſtata & deſolata ſunt, & in deterius mutata. Ut *Eſ.* 24, 7. *Luget muſtum, vitis languet.* Thren. 2. 8. *Fecit, ut lugerent antemurale & murus: pariter elanguerunt.* Eodem tropo *oleum languere* & *muſtum erubeſcere* dicuntur (quomodo *vitis* verſu duodecimo) tanquam pudore affecta, quod hominum expectationi reſpondere non poſſint. Sic *Eſ.* 33, 9. *Luxit, languit terra, erubuit* Libanus. *Lugenti terræ* opponuntur *frugum pabulique lætus ager* in *Salluſtii* libro ſecundo *Hiſtoriarum*, & *læta ſegetes* apud *Poetam*. Unde & fimus, quo ſtercorantur agri, vulgò *lætamen* vocari ſcribit *Servius*, quod *Italis* eſt *letame*.

Verſu undecimo, *Erubeſcite, agricolæ; ejulate vinitores, propter triticum & hordeum: quia periit meſſis agri.* 12. *Vitis erubuit*, &c.] Ordo eſſet, "Erubeſcite, agricolæ, propter triticum & hordeum; quia "periit meſſis agri. Ejulate, vinitores; quia vitis erubuit. Sed hæc tranſponuntur per figuram, qualis χιασμός. Tale illud de Eccleſia *Cant.* 1, 4. (al. 5.) *Nigra ſum, ſed formoſa: ut tentoria* Kedar, *& aulæa* Solomonis. *Id eſt*, "Extrinſecùs, & hominum judi-"cio, nigra ſum, ut cilicina *Kedarenorum* tentoria: "ſed formoſa intrinſecus, & coram Deo, ut magnifi-"ca *Solomonis* aulæa. Itaque par μετάθεσις.

Verſu duodecimo, *Erubuit vitis, & ficus languet. Malus punica etiam, palma, & malus, omnes agri arbores exaruerunt, quia periit gaudium a filiis hominum.* Quo ſcilicet in meſſe & vindemia afficiuntur, & cum colliguntur arborum fructus. Unde *Eſ.* 9, 3. *Lætati ſunt coram te ea lætitiâ, quæ in meſſe eſt.* Et *Pſal.* 4, 8. *Majorem animo meo lætitiam indidiſti, quam tempore, quo frumentum & muſtum illis abunde provenerunt.* In his cum planum ſit agi de damno terræ frugibus ac arborum fructibus à locuſtis illato, tamen reperit *Abarbanel* quod objiceret. Nempe, ſi res ſit de locuſtis, fruſtrà dici, vitem, & ficum, & omnes agri arbores exaruiſſe: cum fructus quidem locuſtæ abſumant, ſed ipſas arbores haud quaquam lædant. Unde hanc peſtem patet illi fuiſſe minùs notam. Locuſtam enim *Plinius* ſcribit *multa contactu adurere.* Et *Piſidas* in *Opificio mundi*,

Τήκει τὰ δένδρα, καὶ μαραίνει τὴν πόαν,

Arbores tabefacit, & herbam marcidam reddit. Et *Damir*, لعابه سم ناقع النبات والشجر لا يقع على شي منه الا اهلكه *Saliva ejus plantis & arboribus venenum eſt præſentiſſimum: ità ut, in quamcunque inciderit, eam perdat.* Quod idem poſt *Valeriolam* his verbis tradit *Muffetus*, *Nec ſolùm morſu ſegetibus, paſcuis, pratis, hortis, pomariiſque nocent: ſed ſtercore item nigro, viridi, mordaci, gravi, biliosíque imprimis atque acri ſalivâ, quam multam ex ore inter rodendum fundunt.*

Verſu decimo quinto, *Heu diem illum! quia propinquus eſt dies Domini, & ut vaſtitas ab omnipotente veniet.*

Dies Domini, quo nempe ſedebit tanquam judex, ut in *Judaos* animadvertat, locuſtarum agmine in eos immiſſo. *Diem* enim pro *judicio* hic ſumi docti rectè obſervant, Ut 1. *Cor.* 4. 3. *Mihi parum eſt judicari ab humana die*, id eſt, *humano judicio.* Quomodo loqui *Cilices*, unde *Paulus* oriundus, ſcribit *Hieronymus* ad *Algaſiam* Quæſtione decima. Quod illos à vicinis *Syris* crediderim eſſe mutuatos. *Ut vaſtitas ab omnipotente*] *Hebraicè* כשד משדי, eleganti Paronomaſiâ. Ac ſi quis *Gracè* dixerit, ὡς ἀπώλεια ἀπ᾽ Ἀπόλλωνος· aut ὡς δήωσιν ἐκ Διός. Tamen Dei nomen שדי *ſaddai*, *vaſtatorem* non ſonat, ſed παντοκράτορα *omnipotentem*, ut *Arabicè* شد *ſadda* eſt *roborare*.

Verſu decimo ſexto, *Nonne coram oculis noſtris cibus ſucciſus eſt, è domo Dei noſtri gaudium, & exultatio?*] Unde rurſus apparet agi de Templo adhuc ſtante, non à *Chaldæis* ſubverſo, ut placet *Abarbaneli*. *Gaudium* autem intelligitur, quo illi afficiuntur, qui ſacrificiis & primitiis in Dei Templo oblatis hilares veſcebantur, Lege ità jubente *Deut.* 12, 6. 7. *Eò adducetis holocauſta veſtra, & ſacrificia veſtra, decimaſque veſtras, & oblationes manûs veſtræ*, &c. *Ut ibi comedentes coram Domino veſtro lætemini, vos, & familia veſtra*, &c. Et *Deut.* 16, 10. 11. *Celebrabis feſtum ſeptem ſeptimanarum Domino Deo tuo voluntariâ oblatione*, &c. *Et lætaberis coram Domino Deo tuo.* Et 1. *Paralip.* 29, 21. 22. *Sacrificaverunt Domino*, &c. *Et comederunt, ac biberunt illâ die coram Domino cum lætitia magna.* Sic, *Alcinoo* ſacra *Jovi* faciente, *Odyſſ.* ν´. *Phæaces*

Μηρὰ δὲ κήαντες δαίνυντ᾽, ἐρικυδέα δαῖτα
Τερπόμενοι - - - - - -

Femora aſſantes epulabantur, magnifico convivio ſe oblectantes. Ceſſat autem hoc gaudium, cum deſunt oblationes. Eæ autem deerant, quia locuſtæ nihil intactum reliquerant.

Verſu decimo ſeptimo, *Putruerunt grana ſub glebis ſuis, deſolata ſunt cellæ, deſtructa ſunt horrea; quia exaruit frumentum.*] In hujus verſûs primo commate, עבשו פרדות תחת מגרפתיהם, è quatuor verbis tria ſunt, quæ nuſquam alibi reperiuntur. Proinde hic hærent interpretes, neque diſſenſus major uſpiam. *Græci* enim reddunt, Ἐσκίρτησαν δαμάλεις ἐπὶ ταῖς φάτναις, *Subſultaverunt juvencæ in præſepibus ſuis.* Et *Hieronymus*, *Computruerunt jumenta in ſtercore ſuo.* Et *Chaldæus*, אתמסיו גרבי חמר תחות מגופתהון, *Effluxerunt dolia vini ſub operculis ſuis.* Et *Syrus* rurſus aliter. Nos cum *Hebræis*, *Computruerunt grana ſub glebis ſuis.* Nempe עבשו idem, quod עפשו, *Beth* & *Pe* permutatis, quæ literæ ſunt homogeneæ, & facilè permutabiles. Porrò *Talmudicis* עפש, eſt *putreſcere*. Rectè igitur *Hieronymus*, *computruerunt*. Et פרדות, *grana* verè exponi ſuadet, quod *Syris* ܦܪܕܐ eſt *granum*. Hinc in *Syra* Paraphraſi *Matth.* 13, 31. ܦܪܕܐ ܕܚܪܕܠܐ eſt *granum ſinapi*. Joh. 12, 24. ܦܪܕܐ ܕܚܛܬܐ *granum frumenti*. 1. Corinth. 15, 37. ܦܪܕܐ ܕܚܛܐ ܐܘ ܕܣܥܪܐ *grana tritici, & hordei.* Denique מגרפות eſſe *glebas* ſuadet ſimilitudo vocum גרף (unde מגרפות) & רגב: quarum hæc in *Jobo* bis occurrit pro *gleba*. Et verò *glebæ* dici videntur מגרפות à Verbo גרף, quod, de torrente uſurpatum, *avehere* ſignificat. Sic *Jud.* 5, 21. *Torrens* Kiſon גרפם, *avexit eos.* Et *Arabicè* in *Alcamus*, جرفته السيل *illum avexit torrens.* سيل جراف *Torrens omnia avehens.* جرف *Terra gleba, quam torrens avehit.* Itaq; מגרפות ſunt propriè גרבי נחל, *glebæ torrentis*, quomodo vocantur *Job.* 21, 33. deinde etiam glebæ quævis. *Grana* porrò (ſeu *ſemina*) ſolent *ſub glebis ſuis* (id eſt, in terram jacta) *putreſcere*, cum nimii ſunt imbres. Proinde *Plinius*, libri decimi capite vigeſimo quarto, ſationem locis humidis vult celerius fieri, *ne ſemen imbre putreſcat.* Et *Kimchius* in hunc *Joelis* locum, יתעפשו גרגרי הזרע מפני הגשמים. *Putreſcunt grana ſeminis propter pluvias.* Et *Junius*, *Mucida facta ſunt ſata ex nimiis imbribus ſemen corrumpentibus.* Quo eodem ſenſu Cl. *Deodatius*, *Accenna che le ſemente ſarebbero guaſte da ſoverchie pioggie.* Sed hæc non cohærerent cum ſequentibus, quibus deſcribitur ſumma ſiccitas. Eò enim hæc pertinent verſu decimo nono, *Ignis conſumpſit paſcua deſerti, & flamma adulſit omnes arbores agri.* Et verſu vigeſimo, *Etiam agri beſtia ad te clamant, propterea quod exaruerunt alvei aqua & paſcua deſerti abſumpſit ignis.* *Ignis, & flamma*, id eſt, immodicus æſtus. Ut *Pſal.* 82, 13. (al. 83, 15.) *Ut ignis comburit ſylvam, & flamma montes incendit.* Hinc loca Solis ardore retorrida חררים, vocantur *Jerem.* 17, 6. id eſt, *ardentia*, vel *aduſta*. Satorum igitur putredo, de qua *Joel*, non venit ex pluviis, ſed ex ſumma ſiccitate. Quâ, ſi propriè loqui velimus, ſemina non tam putreſcere, quam vaneſcere dicuntur. *Plinius* ubi ſuprà *Sationem locis humidis celerius fieri ratio eſt, ne ſemen imbre putreſcat ſiccis ſerius, ut pluviæ ſequantur, ne diu jacens, atque non concipiens, vaneſcat.* Quale eſt, quod capite præcedenti dixit ventos noxios *exinanire grana*. Sed, ſive imbre grana putreſcant, aut ſiccitate vaneſcant, *Hebræum* עבש, vel עפש, potuit utrumque complecti. Ut in *Heſiodi Clypeo* cadaverum oſſa

Σειρίου ἀζαλέοιο κελαινῇ πύθεται αἴῃ,

ſub arido Syrio in nigra putreſcunt terrâ. Quaſi etiam ſiccitas ſit cauſa putredinis. Atque illa ipſa ſiccitas, cujus *Propheta* meminit, cauſa fuit cur locuſtæ uberius provenirent. De iis enim ita *Plinius* libri undecimi capite vigeſimo octavo, *Vernis aquis intereunt ova, ſicco Vere major proventus.* Et de attelabis *Philoſophus* libri quinti *Hiſtoriæ* capite vigeſimo nono, φθείρεται δ᾽ αὐτῶν τὰ ᾠὰ ὑπὸ τῶν μετοπωρινῶν ὑδάτων, ὅταν πολλὰ γένηται. ἂν δὲ αὐχμὸς συμβῇ, τότε γίνεται μᾶλλον ὀττέλαβοι πολλοί, διὰ τὸ αὐτὰ μὴ φθείρεσθαι ὁμοίως. *Eorum ova corrumpuntur Autumnalibus aquis, ſi multæ ſint. At ſicco autumno largior eſt attelaborum proventus, quia tum ſimilis non eſt illorum corruptio.* Hinc *Tertullianus* *De Anima* capite trigeſimo ſecundo, *Siccitatibus gaudent locuſtæ, papiliunculi, chamæleontes.* Itaque, ut locuſtarum ova deſtruantur, ex *Valeriola*, & *Pencero*, docet *Muffetus*, in eorum loca primo Vere derivare torrentes, qui totam terræ ſuperficiem, aut maximam ejus partem, abundè humectent. Hæc ad primum caput *Joelis*; jam ad ſecundum.

CAPUT QVINTUM.

De Locuſtis quid habeat *Joel* capite ſecundo.

Cur futura mala conferantur cum Aurora ſuper montes expansâ. *Auroram* ſpargi ſuper montes, *Poetarum phraſis.* Locuſtæ *non dicuntur* à locis uſtis, *ut* Grammatici *volunt*; *ſed à loquendo. De cicadarum & locuſtarum loquacitate obiter. Summa in* Judæa *ſiccitas ante, & poſt locuſtas. Locuſtis caput equinum. In iiſdem natura decem magnorum animalium.* Joelem *de* Centauris *egiſſe negatur* Abarbanel. *Sonitum locuſtarum tanquam curruum ad ſextum milliare auditur. Is fit alis, cum volant; & dentibus, cum comedunt. Eſt & illis propria vox, de* cujus

cujus origine diſputatur. Ut cicadarum, ita etiam locuſtarum cantum Poetæ *laudant. Locuſta inexpugnabiles. Ordo earum in acie mirabilis. Agmen quomodo* Arabicè. *Neque urbes, neque domus his inacceſſa. Per feneſtras ingrediuntur. Etiam in menſas decidunt. Greſſus quam firmus. Per medios enſes illæſa ruunt; nec, viſo homine, fugiunt. Sunt quaſi loricata. Talis hoſtis quàm terribilis. Sua multitudine Solem obumbrant:* unde locuſta *dicta* חגב. *&* צלצל. *Lunam quoq; obſcurant, cùm noctu volant. Falſum enim eſt, eas nonniſi interdiu volare.* Oſ. 13. v. 3. ut fumus מארבה, è fumario; *al.* ex locuſtis. *Joel. 2. v. 20.* *per* Septentrionalem, *&c. nec* Aſſyrios, *nec* Romanos *ſignificari; ſed locuſtas, ad Aquilonem urbis in* Arabiam Deſertam, *& utrumq; mare impellendas. Mortuorum fœtor* Hebræis צחנה, Græcis βρόμος, *aut* βρῶμος *potius, quod pro* ſonitu *perperam accipiunt. Fœtor ille quàm peſtifer, & quot hominum millia quandoq; abſumpſerit. Locuſtæ* Arabibus *etiam* Dei exercitus *dicuntur.* Obj. *Si hæc ad literam contigiſſent, Scriptura non tacuiſſet.* Reſp. *Hiſtorias famis in Scriptura paucas haberi: nec niſi ex occaſione.*

IN *Joelis* Prophetia cap. 2. v. 1. & 2. hæc habentur, *Commoveantur omnes incolæ terræ: quia advenit dies Domini; quia propinquus eſt. Dies tenebrarum, & caliginis; dies nubis, & obſcuritatis; ut Aurora ſuper montes expanſa: populus multus, & robuſtus. Cui ſimilis non fuit a ſæculo, nec poſt ipſum amplius erit uſq; ad annos cujusq; ætatis.*] Ut antea vocavit locuſtas *gentem validam* & *innumerabilem*; ita hic *populum multum* & *robuſtum* appellat: quæ Metaphora jam explicata eſt. His populum *ſimilem* aut *fuiſſe* aut *futurum eſſe* negat; ut ſupra cap. 1. v. 2. Tempus quo venturæ ſunt *dies Domini* dicitur: quia tum reis diem dicet Dominus, & de iis pœnas repoſcet. Et *dies tenebrarum* & *caliginis*; quia, ut *lux* res ſecundas, ita *tenebræ*, in Scripturis, adverſas notant. Et confertur cum *Aurora ſuper montes expanſa*; ut ſignificetur fore, ut hoc malum & latè & citò diffundatur. Utrumque enim eſt Auroræ proprium, cujus lumen ubique ſpargitur puncto temporis. Eodem ſenſu dixit *Eſaias* cap. 58. v. 8. *Erumpet ut Aurora lumen tuum.* Nempe οἷον ἀστραπῆς τινος δίκην, σὺν ὁρμῇ καὶ δρόμῳ καθιεμένην παρὰ Θεοῦ, *ut in fulguris modum à Deo cum impetu & curſu dimiſſum*, ut ibi habet *Cyrillus*. De cætero *Auroram expandi*, vel *ſpargi* etiam *Poetæ* dicunt. *Homerus Iliad.* θ'. initio,

Ἠὼς μὲν κροκόπεπλος ἐκίδνατο πᾶσαν ἐπ' αἶαν.

Quod *Virgilius* ita expreſſit lib. 4. *Æneidos*,

Et jam prima novo ſpargebat lumine terras
Tithoni *croceum linquens* Aurora *cubile.*

Et *Æneidos* lib. 12.

Poſtera vix ſummos ſpargebat lumine montes.

Ubi *montes lumine ſuo ſpargere* legitur, ut in *Propheta*, *Sicut Aurora ſuper montes expanſa*: quia lux in montibus primùm apparet.

Verſu 3. *Ante eum conſumet ignis, & poſt eum exuret flamma. Quaſi hortus* Edenis *erat terra ante eum. Poſt eum verò deſertum erit vaſtum; nec erit, quod ei evadat.*] Sunt, qui locuſtas ipſas cum *igne* & *flamma* conferri volunt hic, & ſupra, cap. 1. verſu 19. & 20. quia auctore *Plinio* (a) *multa contactu adurunt.* Unde eſt quòd in *Aphraatis Monachi* vita *Theodoretus* locuſtas deſcribit πυρὶ παραπλησίως ἅπαντα προσδαπανώσας, *ignis inſtar omnia conſumentes.* Ita LOCUSTAS *Grammatici* dici volunt *à locis uſtis.* Verùm, ut hoc dicam obiter, mihi quidem *locuſta* non aliunde videtur, quàm *à locutione* appellata: cùm tam *loquax* ſit, quàm cicada, quam volunt Loquacitatis eſſe Symbolum. Itaque in *Ariſtophontis Pythagoriſta* apud *Athenæum* libro 6. jactat quidam paraſitus ſe eſſe λαλεῖν τέττιγα *loquacitate cicadam.* Et τὸ τεττίγων φῦλον, *cicadarum gentem*, Ælianus λάλον *loquacem* appellat *Hiſtoriæ* lib. 6. cap. 19. Hinc *Alexis* in *Thraſone* apud *Athenæum* lib. 4.

- - - - - - σοῦ δ' ἐγὼ λαλιστέραν
Οὐ πώποτ' εἶδον, οὔτε κερκώπην, γύναι,
Οὐ κίτταν, οὐκ ἀηδόνα, οὐ τρύγονα, οὐ τέττιγα.

Ego, ô mulier, te loquaciorem nunquam vidi, non cercopem, non picam, non luſciniam, non cicadam. Heſychio quoque Ἀχέτας eſt ὁ ἄῤῥην τέττιξ ὁ λαλίστατος, *cicada mas maximè loquax.* Et, *Servio* ſi credimus, longævus ille *Tithonus* ideò in cicadam fingitur eſſe verſus; quia ſenes ſunt naturâ loquaciores. *Tzetzes* lenique de cicadarum loquacitate multa habet lib. 10. *Hiſtoriâ* 301. Hæc inprimis, in æſtu eas eſſe loquaciores: & alas fruſtra comprimi, ut taceant; quia eo magis loquuntur. Ac proinde loquacibus vulgari *Proverbio* dici, Τέττιγα δόξεις τῶν πτερῶν ταχὰ κεκρατηκέναι, *Cicadam videris alis fortaſſe cohibuiſſe.* Jam, ut de locuſtis eadem jactari ſcias, lege hæc *Theocriti Idyllio* 5.

- - - - - - Καὶ ἀκρίδες ὧδε λαλεῦντι,

Etiam hic loquuntur locuſtæ. Et *Meleagri* de locuſta, *Anthologia* lib. 3. cap. 24.

Ἐκκρούων φίλας ποσσὶ λάλους πτέρυγας,

Pedibus concutiens charas loquaces alas: quaſi locuſta loquatur alis. Sed eò maximè pertinet ἀπὸ τῶν ἀκρίδων *à locuſtis* formatum Verbum κατακριδοῦνειν, quod ſignificat *loquacitate ſua aliquem obtundere*, quaſi *locuſtare* dixeris. *Heſychius*, Κατακριδοῦνες, καταλήσεις (lege καταλαλήσεις) ἐπεὶ καὶ αἱ ἀκρίδες πολύφωνοί εἰσιν. *Locuſtabis* (ſi verbo datur venia,) *loquacitate obrues; quia locuſtæ ſunt loquaciſſimæ.* Sed, ut ad rem jam redeamus, cum de venturo locuſtarum populo dicit *Propheta*, *Ante eum conſumet ignis, & poſt eum exuret flamma:* utrobique agi puto de ſumma ſiccitate, quæ locuſtarum adventum præceſſerit, & ſequuta ſit. Ac proinde à *Propheta* dici, *Ante eum* (locuſtarum populum) *conſumet*, &c. Terra *Chanaan* cum horto *Edenis* confertur; ut *Ægyptus*, & *Sodomæorum* ager, ante cladem à Deo immiſſam *Gen. 13. v. 10. Ante eum*, id eſt, *ante adventum ejus*: ut *poſt eum*, id eſt, *poſt ejus diſceſſum*; ut *Zachar. 7. v. 14. Terra deſolata eſt poſt eos*, id eſt, *poſt eorum migrationem.*

Nec erit, quod ei evadat.] Nempe in terræ proventu. Omnia enim ita abſument, ut nihil planè ſit reſiduum.

Verſu 4. *Qualis aſpectus equorum aſpectus ejus, & ut equites ita current.*] Ut *Apoc. 9. v. 7. Et ſpecies locuſtarum ſimiles erant equis ad bellum paratis.* Hoc *Hebræi* referunt ad curſus aut volatus velocitatem, quâ ſint equis prope pares: nos inſuper ad caput aut faciem equinæ non abſimilem. A qua *locuſtæ* ab *Italis* vocantur *cavallette.* Hinc *Albertus* lib. 26. *Caput habens figurâ equi.* Et *Aldrovandus*, *Equinum quodammodo caput habent.* Et multò ante *Theodoretus* in *Joelem*, Εἴ τις ἀκριβῶς κατίδοι τὴν κεφαλὴν τῆς ἀκρίδος, σφόδρα τῇ τοῦ ἵππου ἐοικυῖαν εὑρήσει. *Locuſtæ caput ſi quis attentè conſideret, id equi capiti reperiet valde ſimile.* Et *Muhammeaddin Aſſarhurienſis*, *Poeta* apud *Arabes* non incelebris;

لها فخذ ابكر وساقا نعامة
وقادمتا نسر وجوجو ضيغم
دنيها

(a) *Nat. Hiſt. lib. 10. cap. 29.*

دنبها افاعي الارض وانعتت عليها

جياد الخيل بالراس والفم ❊

Habent femur camelorum, crura ſtruthionis, alas aquilæ, pectus leonis. Cauda iis ut viperarum terræ: & decorans eas equorum ſpecies in capite, & ore. Et alius *Arabs* Anonymus apud *Damirem*, في جرادة خلق عشرة من جبابرة الحيوان مع ضعفها وجه فرس وعينا فيل وعنق ثور وقرنا ايل وصدر اسد وبطن عقرب وجناحا نسر وفخذا جمل ورجلا نعامة وذنب حية *In locuſta, quamlibet infirmâ, natura eſt decem magnorum animalium: 1. facies equi, 2. oculi elephantis, 3. collum tauri, 4. cornua cervi, 5. pectus leonis, 6. venter ſcorpionis, 7. alæ aquilæ, 8. femora cameli, 9. ſtruthionis pedes, 10. cauda ſerpentis.* In quo cenſu prima omnium ponitur *equi facies.* Pro بطن عقرب *ventre ſcorpionis* lege بطن عقاب *ventrem melanaeti.* Quia ſcorpio, qui locuſta minor eſt, in magnis illis animalibus non poteſt habere locum. Sequitur quidem, وجناحا نسر *& alæ aquilæ.* Sed عقاب & نسر ſunt aquilarum diverſæ ſpecies. *Abarbanel* anxiè diſquirit, quorſum *Aſſyrii*, de quibus *Joelem* vult hic agere, cum *equis* aut *equitibus* conferantur. Et modo *equorum* nomine *Centauros* intelligit, quibus ſimiles fuerint *Chaldæorum* equites: modò illorum pedites veris equis, proceritate, viribus, & celeritate ſimiles fuiſſe contendit. Quæ quàm abſurda ſint, nemo non videt. *Centaurorum* hic neque vola, neque manus apparet: nec quiſquam ſanus crediderit *Chaldæos* à *Propheta* dici ſimiles animali, quod nuſquam eſt. Pedites autem cum equitibus conferri novum eſt, & inauditum. Denique quis *Aſſyrios* dixerit ut equites fuiſſe, cùm re verâ equites fuerint, iique magno numero? Quod Scriptura diſertè docet *Ezech.* 23. *verſ.* 6. 12. 23. & 26. 7. 10. 11. *Nahum* 3. *v.* 2. *Hab.* 1. *v.* 8. &c.

Verſu 5. *Tanquam ſtrepitu curruum ſuper cacumina montium ſalient, tanquam ſtrepitu flammæ ignis ſtipulam devorantis, ut populus validus ad pugnam inſtructus.*] Hoc quoque locuſtis prorſus convenit, quæ magno ſtrepitu volant, & in agros decidunt, & ſegetes dentibus commolunt. Hinc *Johannes* de locuſtis *Apoc.* 9. *v.* 9. *Sonitus alarum iis ut ſonitus curruum, equis multis ad bellum currentibus. Plinius* lib. 11. capite 29. *Tanto volant pennarum ſtridore, ut aliæ alites credantur.* Remigius Altiſſiodorenſis *in* Joelem, *Magnum ſonitum faciunt, quando mittuntur; in tantum, ut à ſexto milliari poſſit audiri ſonitus earum.* Cyrillus, Φασὶ γὰρ οὐ δίχα κτύπου σφάττεσθαι παρ' αὐτῶν ἐν ἀγροῖς τὴν κατάπληξιν· ἠχὼ δέ τινα τῶν ἐσθιόντων ἀποτελεῖσθαι βληχρὰν, ἀποθραυομένων αὐταῖς τῶν πεπτωκότων, ὡς ἀνέμου φλόγα διαῤῥιπίζοντος. *Eas non citra ſtrepitum in agros decidere ajunt. Sed & tenuem quendam ſonum dentibus edere, dum proſtratas fruges mandendo comminuunt, tanquam venti flammam agitantis.* Præterea locuſtis propria vox tribuitur. Proinde in *Mirabilibus* locuſta σκορπιομάχος *in ſcorpionem depugnans*, κύκλῳ περιοῦσα τρύζει περὶ αὐτὸν *circumiens circa illum ſtridet.* Et *Ælianus* lib. 6. *Hiſtoria* cap. 19. βομβοῦσαν ἀκρίδα deſcribit, καὶ πάρνοπα ὑποκρίζοντα (ita lego pro ὑποκρίζοντα, vel ὑποκορίζοντα) id eſt, *locuſtam bombilantem, & parnopem ſucclamantem.* Fatendum tamen vocem illam eſſe incertæ originis. *Plinius* ubi ſupra, *Vox earum proficiſci ab occipitio videtur eo loco in commiſſura ſcapularum habere quaſi dentes exiſtimantur, eoſque inter ſe terendo quaſi ſtridorem edere circa duo Æquinoctia, ſicut cicadæ circa Solſtitium.* Sed idem aliter cap. 51. *Locuſtæ pennarum & feminum attritu* (ſonare) *creditur ſanè.* Ut *Philoſophus* lib. 4. *Hiſtoriæ* cap. 9. Τοῖς πηδαλίοις τρίβουσαι ποιοῦσι τὸν ψόφον, *Crurum poſteriorum attritu ſtrepitum edunt. Poetæ* ad alas referunt hanc qualemcunque vocem. *Mneſalchus* lib. 3. *Anthologiæ* cap. 24.

Οὐκ ἔτι δὴ πτερύγεσσι λιγυφθόγγοισιν ἀείσεις,
Ἀκρὶ, κατ' εὐκάρπους αὔλακας ἑζομένα.

Non ampliùs alis dulciſonis canes, O locuſta, prope frugiferos ſulcos ſedens. Et rurſus,

Ξουθᾶν ἐκ πτερύγων ἁδὺ κρέκων μέλος.

Flavis ex alis melos dulce canens. Et ibidem *Meleager*,

Αὐτοφυὲς μίμημα λύρας, κρέκε μοί τι ποθεινὸν,
Ἐκκρούων φίλαις ποσσὶ λάλους πτέρυγας.

O quæ naturâ lyram imitaris, cane mihi aliquid amabile, concutiens pedibus charas vocales alas. Et *Phaennus*,

Δαμοκρίτῳ μὲν ἐγὼ λιγυρὰν ἵνα Μοῦσαν ἐοίκω
Ἀκρὶς ἀπὸ πτερύγων, τὸν βαθὺν ὕπνον ἄγω.

Damocrito *quidem cum dulcem Muſam ego locuſta ab alis emiſerim, profundum ſomnum provocans.* Neque eſt, quod mireris laudari vocem, in qua non videtur quidquam eſſe elegantiæ. Nam, ut cicadam, ita etiam locuſtam *Poetæ* paſſim à cantu laudant. *Leonidas*,

Ἀκρίδι, τᾷ κατ' ἄρουραν ἀηδόνι, καὶ δρυοκοίτᾳ
Τέττιγι ξυνὸν τύμβον ἔτευξε Μυρώ.

Locuſtæ, quæ agrorum eſt luſcinia, & in quercubus jacenti cicadæ communem tumulum fecit Myro. *Anyte*,

Οὐκ ἔτι λιγεῖα σε κατ' ἀφνειὸν Ἄκιδος οἶκον,
Ἀκρὶ, μελιζομέναν, ὄψεται ἀέλιος.

Non ampliùs, O canora locuſta, ad divitem Acidis *domum canentem te videbit Sol.* Et multò ante *Theocritus Idyllio* 7. ſeipſum ἐξουθενίζων, tanquam ad certamen impar cum *Poeta* magni nominis,

— βάτραχος δέ ποτ' ἀκρίδας, ὥς τις ἐρίσδω·

Ut rana contra locuſtas contendo. Nec opus fuit *cicadas* intelligi, quas à cantu alibi commendat. Nam in locuſtis etiam nonnullæ ſunt αἱ συρίζουσαι ἐναρμόνιον, *quæ harmonicum ſibilum edunt*, ut ibi *Scholiaſtes.* Proinde *Idyllio* 5. *Lacon Comatem* ad quieſcendum in proxima ſylva hâc ratione invitat,

Ψυχρὸν ὕδωρ τηνεὶ καταλείβεται· ὧδε πεφύκει
Ποία, χ' ἁ στιβὰς ἅδε, καὶ ἀκρίδες ὧδε λαλεῦντι.

Frigida aqua ibi fluit; ibi nata eſt herba, & thorus, & locuſtæ ibi loquuntur, ſeu *canunt.*

Utut ſit, à voce & ſonitu Sacer Scriptor ad militarem ordinem tranſiens, verſu 5. *Eſt*, inquit, *ut populus validus ad pugnam inſtructus. 6. A facie ejus contremiſcent populi, omnes vultus pallorem contrahent. 7. Sicut ſtrenui milites current: ut viri bellatores aſcendent murum. Quiſque in viis ſuis procedent, nec pervertent ſemitas ſuas. 8. Et alter alterum non prement, quiſque in calle ſuo procedet. Etiam in enſem ruentes non ſauciabuntur. 9. Per urbem gradientur, in domos aſcendent, per ipſas feneſtras ut fur ingredientur.*] In quibus verbis primò notandum, hunc qualemcunque exercitum non jam dici *populum*, ſed *ut populum.*

Itaque

b) v. 2. v. 2. Itaque cum *gentem* & *populum Propheta* ſupra (*b*) vocavit, loquebatur Metaphoricè; *populum* vocans eas copias, quæ re vera populus non ſunt, ſed *ut populus* ad pugnam inſtructus. Quale eſt, quod eaſdem addit *currere ſicut ſtrenuos milites*, atque *ut viros bellatores murum ſcandere*. Ne quis hic veros milites, & bellatores, ſibi fingeret. Sed utut milites non ſint, meritò tamen cum veris militibus conferuntur: 1. Ratione numeri, & virium. *Eſt ut populus validus*. Hieronymus, *Quid locuſtis innumerabilius, & fortius; quibus humana induſtria reſiſtere non poteſt?* Cyrillus, Χρῆμα ἄμαχον, καὶ δυσκαταγώνιστον παντελῶς ἀνθρώποις, βρούχου καὶ ἀκρίδος ἐμβολή. *Eſt inexpugnabilis, & hominibus prorſus inſuperabilis, bruchi & locuſtæ irruptio. Piſidas* pugnandi modum ita deſcribit,

Τὸ πτηνὸν ὅπλον εἰς ἀνάμνησιν φόβου,
Βέλος νεφῶδες ἐξ ἀδήλου τοξότου,
Λόγχην ἑτοίμην, αὐτοκίνητον δόρυ,
Πυκνὴν φάλαγγα, μυριόστομον ξίφος,
Πηδητικὴν ἔπαλξιν ἀστάτου μάχης.
Οὐχ ἵσταται γὰρ, ἀλλὰ πλήττει, καὶ τρέχει,
Ἕρπων πορθεῖ, καὶ κλονεῖ πτερούμενον.
Δοκεῖ δὲ φεύγειν, καὶ παλινδρομῶν μένει.

Telum volatile ad metum excitandum, ſagittam nubilam ab incerto ſagittario, (emiſſam,) *lanceam paratam, haſtam per ſe mobilem, frequentem phalangem, enſem mille acierum, deſultorium inſtabilis pugnæ propugnaculum. Neq; enim ſtat, ſed currens ferit, ſerpens devaſtat, & volans tumultuatur. Videtur autem fugere, & ſtatim recurrens manet.* 2. Cum exercitu conferuntur ratione ordinis, quem in volatu & in inceſſu ſervant. Sunt enim *ut populus validus ad pugnam inſtructus* (Hebraicè ערך, *ordinatus*.) *Quisq; in viis ſuis procedent, nec pervertent ſemitas ſuas, & alter alterum non premet. Quisq; in calle ſuo vadet.* Quod ita ſe habere his verbis aſſerit *Hieronymus*, *Tanto ordine, ex jubentis Dei diſpoſitione, volitant; ut, inſtar teſſerularum, quæ in pavimentis artificis finguntur manu, ſuum locum teneant, & ne puncto quidem, ut ita dicam, ungue ve tranſverſo, declinent ad alteram.* Neque ex incerta traditione id refert, ſed tanquam teſtis αὐτόπτης. *Hoc nuper*, inquit, *in hac provincia* (Palæſtinæ) *vidimus.* Et *Theodoretus*, Ἔστι γὰρ ἰδεῖν τὴν ἀκρίδα, τὴν πολεμίων δίκην, καὶ τειχῶν ἐπιβαίνουσαν, καὶ ταῖς ὁδοῖς βαδίζουσαν καὶ οὐδ᾽ ὑπό τινος ἀνάγκης σκεδασθῆναι ἀνεχομένην, ἀλλ᾽ οἷον μετά τινος συμπνοίας ταύτην ἔφοδον ποιουμένην· *Nam locuſtas videre eſt hoſtium inſtar conſcendere, & per vias incedere: nec ulla vi ſe divelli patientes, ſed tanquam mutuâ quadam conſpiratione impetum facientes.* Et *Cyrillus*, Φασὶ δὲ αὐτὰς στοιχηδὸν ἰέναι, καὶ ὡς ἐν τάξει δίπτασθαι, καὶ ἥκιστα μὲν ἀποσχίζεσθαι, ἀκολουθεῖν δὲ οὕτως ἀλλήλαις, ὡσανεὶ καὶ ἀδελφαί, φύσεως αὐτῆς (lege αὐταῖς) βραβευούσης τὸ φιλάλληλον. *Ajunt eas ordine ire, & quaſi per acies volare, minimeq; ſejungi, & tanquam ſorores ſe mutuò ſubſequi, mutuum illis amorem naturâ diſpenſante. Arabes* quoque apud *Damirem* idem docere jam ſupra (*c*) probavimus. *Congregantur*, inquiunt, كالعسكر *ut exercitus. Earum enim prima cum migrat, ſequuntur univerſæ, & pariter migrant. Et prima cùm diverſatur, diverſantur reliquæ omnes.* Sed huc maximè pertinet, quòd ab *Arabico* Verbo نظم *nadama*, quod *certa ſerie jungere*, & *connectere* ſignificat, quomodo in monili margaritas, *locuſtarum agmen* منظوم *mandoum* dicitur. *Alcamus*, المنظوم الجماعة من الجراد Almandoum, *locuſtarum agmen*. Proinde *Sigebertus* de locuſtarũ multitudine, quæ *Galliam* vaſtavit Anno 874. *Quod mirum eſt dictu, tanto ordine volitavit, præmiſſis ducibus, qui pridie caſtra metarentur; ut militaris diſciplina in iis animalibus cerneretur.* 3. *Ut milites* locu-

c) Cap. 11 pag. 460. lin. 10. & c.

ſtæ mœnia ſcandunt, per urbem gradiuntur, in muro current, domos aſcendunt, per feneſtras ingrediuntur.] Ut *Pharaoni* dicit, (d) *Moſes* de locuſtis Ægyptiis, *Implebunt ædes tuas, & ædes omnium ſervorum tuorum, & ædes omnium Ægyptiorum.* Hinc in *Joelem* Hieronymus, *Nihil locuſtis invium eſt; cùm & agros, & ſata, & arbores, & urbes, & domos, & cubiculorum ſecreta penetrent.* Et *Cyrillus*, Οἴκοις αὐτοῖς καὶ πόλεσιν εἰσπεφοιτηκότα, καὶ παρενοχλοῦντα δεινῶς, τὸν ἐκ τῶν ἀκρίδων ἐξοισει στρατόν· *In ipſas ædes & urbes ingreſſum, & atrociter turbantem locuſtarum ſuſtinebunt exercitum.* Quod ne videatur incredibile, en oculatum teſtem omni exceptione majorem, *Theodoretum*, inquam, in hunc locum! Οὐκ ἀπόχρη τῶν περιβόλων τὸ ὕψος ἐμποδὼν τῇ τούτων εἰσόδῳ γενέσθαι. Ἀλλὰ ῥᾳδίως μὲν ὑπερβαίνονται τὰ τείχη· κλέπταις δὲ παραπλησίως διὰ θυρίδων εἰς τὰς οἰκίας εἰσελαύνονται. Καὶ τοῦτο δὲ οὐ μόνον ὑπὸ πολεμίων, ἀλλὰ καὶ ὑπὸ ἀκρίδων γεγενημένων (lege γεγενημένον) πολλάκις ἐθεασάμεθα. οὐ πετόμεναι γὰρ μόνον, ἀλλὰ καὶ κατὰ τῶν τειχῶν ἀνερποῦσαι, διὰ τῶν φωταγωγῶν εἰς τοὺς οἴκους εἰσίασι. *Non ſufficit murorum altitudo ad illorum* (hoſtium) *ingreſſum prohibendum. Muros enim facilè tranſcendent: &, furum inſtar, per feneſtras in domos ingrediuntur. Quod non ſolùm ab hoſtibus, ſed etiam à locuſtis ſæpe factum vidimus. Non ſolùm enim volando, ſed & ad muros irrependo, per feneſtras in domos penetrant.* Et jam locuſtas monuerat *Plinius* etiam ad domos accedere, morſuque omnia erodere, & *fores quoq; tectorum.* Sic *Hieronymus Mercurialis* peſtis *Venetæ* ac *Patavinæ* ſignum ponit, quod per vias, ac parietes, multi apparuiſſent bruchi. Itaque in *Arabum Hiſtoriis* locuſtas reperio quandoque in eorum menſas decidere. Sic in *Tabranio* dicit *Algeſen* filius *Ali*, *In menſa ſedebamus, & convivabamur ego & frater meus,* Muhammed *filius* Alchanaphiæ, *& filii patrui mei* Abdallæ, *&* Kethem *&* Alphadal *filii* Alibas, فوقعت الجرادة على المايدة *& ſuper menſam cecidit locuſta*, &c. Plura hujuſmodi collegit *Damir*: unde eas in *Arabum* ædes penetrare liquidò conſtat. 4. *Per miſſilia* (aut *per enſes*) *ruunt, nec ſauciantur.*] Reliqua enim animalia, viſo homine, fugiunt: ſed hæc hominem ultrò impetunt. Proinde, cùm locuſtarum nubes ingruit, omnes in ædibus latent, ne, ſi prodeant, eas provocent. *Democritus* in *Geoponicis* lib. 13. Ἐὰν νέφος ἀκρίδων ἐπέρχηται, πάντες ἔνδον μενέτωσαν ἀφανεῖς, καὶ παραλλάττονται τὸ χωρίον. Nec eſt, quòd armis intentatis has abigi poſſe ſperes. Feruntur enim cæco impetu, neque enſes timent, aut iis facile ſauciantur. Sua ſcilicet levitate, & corpuſculi tenuitate, quosvis ictus eludunt. Præterea, ut à *Claudiano* rectè animadverſum,

- - *cognatus dorſo dureſcit amictus,*
Armavit natura cutem. - - - -

Unde *Johannes* Apoc. 9. v. 9. *Et loricas habebant tanquam loricas ferreas. Non ſauciantur.*] Hebraicè לא יבצעו, pro לא יפצעו. Itaque hic rurſus *Beth* pro *Pe*; ut ſupra in יעבטו. Veteres multò aliter. Sed aptiſſima eſt hæc verſio. *Per urbem gradientur.*] Hebraicè בעיר ישקו. Verbo à Nomine שוק id eſt, *crure*, deducto: ut *Eſ.* 33, 4. כמשק גבים שוקק בו, *tanquam greſſu locuſtarum graditur in eum*; hoſtis in *Aſſyrium*: id eſt, Ita graditur, ut non poſſit averti. Nam, quidquid agas, locuſtæ pergunt; nec, niſi ſaturæ, recedunt. Cohæret hæc cum præcedentibus, initio ejuſdem verſus, quem ſupra attigimus; *Colligitur præda veſtra collectione bruchi*: id eſt, " Vos ſpoliabit hoſtis, quomodo bruchus " agrum, quem, non niſi nudum, relinquit. 6. Meritò igitur hic hoſtis, quamlibet exiguus, hominibus eſt terribilis. Proinde *Propheta* dixerat 6. verſu, *A facie ejus contremiſcent populi, omnes vultus pallorem contrahent.* Et *Jer.* 51, 27. ילק סמר, fortaſſe eſt *bruchus horrendus*, ut *Heſychio* βρύτ᾽ανα φοβερά *locuſta terribilis*.

d) Exod. 10, 6.

Verſu

Verſu 10. *Ante ipſum commovetur terra, moventur cœli; Sol & Luna obſcurantur, & Stellæ retrahunt ſplendorem ſuum.*] Sunt, qui terræ-motus, tonitrua, & Eclipſes hic intelligunt. Sed *Hieronymus* hæc dici Hyperbolicè ſentit, *Non, quòd locuſtarum tanta vis ſit, ut poſſint movere cœlos, & terram concutere: ſed quod adverſa patientibus præ terroris magnitudine cœlum ruere, & terra fluctuare videatur.* Idem tamen quæ in fine verſûs habentur de Sole, Luna, & Stellis, tanquam propriè dicta ſic exponit: *Præ multitudine locuſtarum obtegentium cœlum, Sol, & Luna convertentur in tenebras, & ſtellæ retrahent lumen ſuum: dum lumen in medio nubes poſita locuſtarum ad terram non ſinit pervenire.* Ita etiam *Remigius* in hunc locum, *Suâ denſitate & multitudine radios Solis ſolent replere* (lege *repellere*) *à terra, & quaſi nubes obumbrare.* Quod in *Ægypto* accidiſſe ſcribit *Onkelos* Exod. 10. v. 15. חפא עין שמשא וארעא חשיכת ארעא, *Et terra cooperuit oculum Solis* (locuſtarum copia:) *& terra obſcurata eſt.* Ita *locuſtas* Plinius *Solem obumbrare* ſcribit. Et *Hiſtoria Saracenica* p. 98. Anno (Hegiræ) CCCXVII. *tanta in Ægypto locuſtarum multitudo fuit,* انه منع شعاع الشمس ان تقع على الارض *ut impediret radios Solis, ne terram attingerent.* Quomodo etiam *Eutychius* Tom. 2. pag. 518. ووقع بمصر من الجراد ما لا يوصف كثرته حتى منع شعاع الشمس ان تقع على الارض *Et cecidit in Ægyptum locuſtarum multitudo innumera; ita ut Solis radios prohiberet, ne terram attingerent.* Et *Aloyſius Cadamuſtus* cap. 13. *Navigationum*, ubi de deſertis prope *Nigritas*; *In iiſdem etiam regionibus innumeram locuſtarum multitudinem aerem vidimus inumbrantem: nam ferè ſingulis trienniis adventant, & cœlum obſcurant.* Et paulo poſt, *Adeoq; ſunt frequentes, ut ſpatio milliarium duodecim cœlum inumbrent.* Et *Thuanus* lib. 84. de locuſtis in *Syria*; *Denſæ nubis inſtar, die in media luce obſcurato, volitantes, agrum circumquaq; depaſtæ ſunt.* Hinc *Marcellus Palingenius* in *Zodiaco* lib. 8.

- - - - - - - *triſteſq; locuſtas*
In morem nebulæ nitidum prætexere Solem.

(c) Supra, cap. 1. Sect. 4, 10.

Atque eò pertinere docuimus (c) *Hebræa* duo locuſtarum nomina חגב & צלצל: quorum hoc *ab umbra* ſumptum, illud *à velo* quod Soli obtendit. Quin ob id ipſum coram iis *cœlos moveri*, dicit *Joel*, id eſt, *cœlorum virtutes*; ut *Matth.* 24. *v.* 29. Cùm enim præcipua cœli virtus ſit in lumine, quo nobis illuceſcit: quidni, eo prohibito, atque, ut ſic dicam, extincto, *moveri* dicatur *cœli virtus*, adeoque ipſum *cœlum*. *Moveri* autem *terra* dicitur, cùm homines, terræ incolæ, gravi metu, aut ſubita & improviſa calamitate, concutiuntur. Cujus locutionis exempla in Scripturis paſſim ſuppetunt. Si quis objiciat *Prophetæ* verba, *Sol & Luna obſcurantur, & ſtellæ retrahunt ſplendorem ſuum*, non poſſe ad locuſtas referri, quæ quidem volantes Solem, ſed Lunam, & ſtellas nunquam obſcurant, quia non volant, niſi interdiu: Reſpondebo cum *Plinio*, id tradidiſſe priſcos Scriptores, non volare eos noctibus propter frigora, ignaros etiam longinqua maria ab iis tranſiri, continuâ plurium dierum fame.

Oſeas cap. 13. v. 3. ut doceat quàm vana ſit eorum gloria, qui idolorum, quæ colunt, patrocinio tutos ſe putant. *Erunt*, inquit, *ſicut nubes matutina, & ut ros manè abiens, ut palea, quæ turbine ex area abripitur, & ſicut fumus è fumario.*] *Fumarium* ibi eſt ארבה *arubba*, pro quo *Græci* legerunt ארבה *arbe*, id eſt *locuſta*; quia hæ duæ voces, licet punctis Vocalibus multum differant, tamen eaſdem habent literas. Inde nata eſt *Græca* verſio, ὡς ἀτμὶς ἀπὸ ἀκρίδων, *ut vapor ex locuſtis.* Et vir doctiſſimus & piiſſimus *nebulam* intelligit *ex locuſtis conſtantem*, quæ Solis lucem obſcurat, ſed citò tranſiens brevi evaneſcit, redditque Solis lucem, quam ad breve tempus veluti interceperat. *Hieronymus* ipſum locuſtarum halitum intelligit, *Ephraim* dicens ἀτμῷ, *id eſt, vapori, ſive auræ, & ſpiritus comparari, qui ita tenuis de ore locuſtæ egreditur, ut non ſentiatur.* *Theodoretus*, impios eſſe perdendos, quomodo ἀτμὸν, ἐν ἀέρι γινόμενον, νέφος ἀκρίδων ἐπιγινόμενον διαλύει, *Vaporem, in aere excitatum, nubes locuſtarum ingruens diſſolvit.* Sed *Græci* quid ſenſerint non multùm refert, cùm in *Hebræo* textu aliud habeatur, nempe *fumus ex fumario*, ἀπὸ καπνοδόχης, ut *Theodotion* rectè reddidit. Atque id ſequitur *Cyrillus*. *Fumi* etiam & *nubis* ſimilitudine utitur *Seneca* in pari argumento, *Troadis* Actu 2.

- - *ut calidis fumus ab ignibus*
Vaneſcit ſpatium per breve ſordidus;
Ut nubes gravidas, quas modò vidimus
Arctoi Boreæ *diſſipat impetus:*
Sic hic, quo regimur, ſpiritus effluet.

Verſu 11. *Dominus dedit vocem ſuam ante exercitum ſuum, ut magna ſint caſtra ejus, ut multus ſit, qui exequatur verbum ejus. Magnus enim eſt dies Domini, & terribilis valde: & quis ſuſtineat eum?*] Id eſt, „Dominus verbo ſuo multas conſcripſit copias, ut „grave in peccatores judicium exerceat, quodque „nemo ſuſtinere poſſit. Hæc videtur eſſe *Prophetæ* mens, quamvis interpretes longè aliter ſentiant. Atque hic minæ deſinunt. Quas excipiunt hortationes ad pœnitentiam, & Dei nomine multa promiſſa. In quibus cùm ad locuſtas pertineant, quæ habentur verſibus vigeſimo & vigeſimo quinto, illa etiam explicabimus.

Verſu 20. *Et Septentrionalem procul removebo à vobis, & impellam eum in terram ſiticuloſam, & deſolatam: faciem ejus in mare Orientale, & poſtremum illius in mare poſterum. Et aſcendet fœtor ejus, aſcendet, inquam, putor ejus; quia magna fecit.* Qui ad *Chaldæos* hæc referunt, hunc locum inprimis urgent, quo per *Septentrionalem* volunt *Aſſyrios* ſignificari, qui ab *Aquilone* venerant. Hieronymus, *Aquilonem interpoſuit, ut non veram locuſtam, quæ ab Auſtro venire conſuevit, ſed ſub locuſta intelligamus* Aſſyrios *atque* Chaldæos. Nec ſolùm *Aſſyrios* intelligit *Abarbanel*, qui decem tribus abduxerunt; & *Babylonios*, à quibus prius Templum exciſum eſt: ſed & *Romanos*, qui ſecundum deſtruxerunt. Quia degunt illi omnes ad *Aquilonem Judææ*: ità tamen, ut *Aſſyrii*, & *Babylonii* verſùs Ortum; & *Romani* verſùs Occaſum vergant. Ac proinde vult *Prophetam* horum *Septentrionalium* alios ad faciem, alios ad extremum poſuiſſe, prout Oriens *Hebræis* pro mundi facie habetur, Occaſus pro parte poſtrema. Sed hæc quoque planum eſt ad locuſtas pertinere, à quibus *Judæa* erat devaſtanda. Nempe reſpectu *Jeruſalem*, in qua urbe *Joel* videtur prophetaſſe, hæ locuſtæ vel ad Aquilonem erant, vel ad Ortum, vel ad Occaſum. Auſtralium non meminit; quia cùm *Jeruſalem* fuerit ferè in extremo Auſtro terræ *Chanaan*, Auſtrales paucæ fuerunt, reſpectu urbis, & ſub aliis comprehenſæ. His præmiſſis, verba *Prophetæ* nihil habebunt, quod lectorem remoretur. *Septentrionalem*, inquit, (id eſt, locuſtarum agminis partem, quæ eſt ad Aquilonem urbis) *procul removebo à vobis, & impellam eam in terram aridam, & deſolatam*, id eſt, in *Arabia* deſerta.

Faciem

Faciem ejus in mare Orientale, id eſt, partem, quæ ad mundi faciem, (ſeu, ad Ortum) converſa eſt, in *mare Mortuum* ad Orientem urbis ſitum: *Et poſtremum ejus in mare poſterum*, id eſt, Occidentalem agminis partem in mare Occidentale, ſeu *Mediterraneum*. *Et aſcendet fœtor ejus, aſcendet* (inquam) *putor ejus. Fœtor ejus* & *putor ejus* Hebraicè ſunt באשו & צחנתו: quorum hoc in *Hebræo* textu alibi nuſquam occurrit; ſed à *Chaldæo* Paraphraſte uſurpatur *Ezech.* 23, 20. *Syris* quoque ܘܣܢܐ id ipſum eſt, eliſâ Gutturali. Quorſum igitur hic *Græci* interpretes, Ἀναβήσεται ὁ βρόμος αὐτοῦ, *Aſcendet ſonitus ejus?* Unde *Cyrillus*, Ἐκεῖ τὸν βροῦχον καὶ τὴν ἀκρίδα διολέσαι φησὶ, δυσαχθῆ γενέσθαι τὸν βρόμον αὐτῶν. *Ibi* (in mari *Mediterraneo*) *bruchum & locuſtam interiiſſe ait, eorum vero ſonitum gravem extitiſſe.* Aio utrobique mendum eſſe, & pro βρόμον legendum βρῶμον, ut habet *Theodoretus* rectè omninò. Nam βρῶμος eſt *fœtor*, unde βρωμώδης, pro *fœtido* & *viroſo*, in *Dioſcoride* & *Athenæo* paſſim occurrit. Sed hoc mendo nihil frequentius. Itaque etiam in *Heſychio* βρῶμος ὀσμὴ redditur. Et *Dioſcoridis* libro quinto aqua marina diu ſervata tandem ἄβρωμος γίνεται, id eſt, *virus ſuum deponit.* Et *Athenæi* libri tertii capite trigeſimotertio, Τάριχος τέλειος, καὶ μὴ βρωμῶδες. *Salſamentum perfectum, & non viroſum.* Hoc ipſum eſſe *Hebræum* צחנה vel ex eo colligas, quod *ſalſos piſciculos Talmudici* vocant צחנתא, & *Arabes* صحنا nempe *ab odore viroſo.* Hoc eſt igitur, quod dicit *Joel*, locuſtas, in mare demerſas, tetrum & viroſum odorem exhalaturas. Eas porrò, vento abreptas è terris, quas devaſtant, ſæpe in maria demergi, ex *Plinio*, *Hieronymo*, & *Oroſio* docuimus (*f*) in verba *Moſis* Exod. 10, 19. *Immiſit Deus ventum Occidentalem, qui, locuſtas afferens, dejecit eas in mare* Rubrum. De tetro odore quod additur probant hæc *Hieronymi* de locuſtis, quarum agmina ſuis temporibus *Judæam* texiſſe ſcribit: *Vento ſurgente, in mare primum & noviſſimum præcipitata ſunt*, &c. *Cumque littora utriuſque maris acervis mortuarum locuſtarum, quas aqua evomuerant, implerentur, putredo earum, & fœtor in tantum noxius fuit, ut aerem quoque corrumperet, & peſtilentia tam jumentorum, quam hominum gigneretur.* Et quod, poſt *Julium Obſequentem*, & alios vetuſtiores, referunt (*g*) *Auguſtinus*, (*h*) *Oroſius*, (*i*) *Freculphus*, &c. *M. Plautio* & *M. Fulvio Flacco* Conſulibus, cum locuſtarum immenſam multitudinem venti in mare *Africanum* dejeciſſent, & fluctus ad littora propuliſſent, harum tabidam & putrefactam congeriem tam peſtiferum vaporem exhalâſſe, ut in ſola *Numidia* hominum octingenta millia, & circa *Carthaginenſe* atque *Uticenſe* littus plùs quam ducenta millia periiſſe tradantur. Apud ipſam verò *Uticam* triginta militum millia, quæ ad totius *Africæ* præſidium ibi conſtituta fuerant, deleta fuiſſe, & extincta. *Sigebertus* quoque, ubi ſupra, locuſtarum multitudinem, quæ *Galliam* vaſtaverat, ventorum flatu delatam, & ſubmerſam in mari *Britannico*, *Oceani* refuſione narrat in littus rejectam, putredinem aëris ex fœtore peperiſſe: unde magna nata ſit fames, & peſtilentia, quæ tertiam partem hominum abſumpſerit. Plura hujuſmodi poſſent afferri, niſi hæc plus ſatis ſufficerent.

f) Supra cap. 3. pag. 463. lin. 24. &c.

g) De civitate Dei lib. 3. c. 31.
h) Hiſt. lib. 5. cap. 11.
i) Chron. lib. 6. cap. 6.

Verſu vigeſimo quinto, *Et reddam vobis annos, quos comederunt* arbe, jelek, chaſil, *&* gazam, *exercitus meus magnus, quem in vos immiſeram.*] Verſibus vigeſimo ſecundo, vigeſimo tertio, & vigeſimo quarto, promittit *Propheta*, Dei nomine, contraria omnia minis, quæ præceſſerant: fore nimirum, ut herbeſcant deſerti paſcua, & arbores fructum ſuum proferant, ficuſque & vitis vim ſuam edant, pluviâ tam maturâ, quam ſerâ, primo quoque tempore, à Deo abundè demiſſâ: & impleantur frumento areæ, muſtoque & oleo redundent lacus torcularium; ut ſic miſeris *Judæis* reſtituantur anni, id eſt, annui proventus, quos locuſtarum ſpecies quatuor abſumpſerant: non ſingulæ ſingulis annis, ut monuimus, ſed omnes eodem tempore ſibi mutuò ſuccedentes. Quæ peſtis in quot annos *Chananæam* vexaverit, planè neſcimus. Tantùm *Judæos* ſcimus, & graviter, & in plures annos his locuſtis fuiſſe afflictos, Deo ſic animadvertente in contumaces, & nominis ſui contemptores. Unde eſt, quod locuſtas vocat *exercitum ſuum magnum*, quomodo etiam *Arabes*. Sic in *Damire* Lex citatur, tanquam à *Mahumete* ſancita, & promulgata,

لا تقتلوا الجراد فانها جند الله الاعظم

Locuſtas non occidetis; quia ſunt exercitus Dei maximi. Ut taceam quod fabulatur *Ibn-Omar* inter ejuſdem Pſeudo-*Prophetæ* manus cecidiſſe locuſtas cum hac inſcriptione in alis, نحن جند الله الاكبر

Nos ſumus exercitus Dei maximi.

Qui in myſticum ſenſum detorquent quæ ex *Joele* hactenùs de locuſtis allata ſunt, magnâ pompâ objiciunt in Hiſtoriis *Regum* & *Paralipomenωn* de hac tam gravi locuſtarum in *Judæam* irruptione, neque de fame indè ſequuta, quidquam haberi. Hieronymus, *Neque enim* Regum *&* Paralipomenωn *narrat Hiſtoria: quod utique ſi fuiſſet, quomodo famem ſub* Elia *trium annorum & ſex menſium legimus, nunquam Scriptura tacuiſſet.* Abarbanel in *Joelem* Quæſtione quartâ, *Si fames & locuſtæ tam graves fuerunt, ſive in diebus* Joram, *filii* Achab, *& in diebus* Eliſæi, *aut* Manaſſis *tempore, quò, in* Seder Olam, *prophetâſſe dicuntur* Joel, Nahum, *&* Habacuc: *quæritur, Cur hujus rei nulla fiat mentio in libris* Regum? *Aut, ſi de eo ipſo diſputatur, Cur non meminit* Jeremias, *qui multa refert non ità magni momenti? Sed neque in libris* Paralipomenωn, *ubi res prolixiùs narrantur, ullum de hac re verbum occurrit, quod eſt valde mirabile.* Reſpondeo, Scriptores Sacros hoc ſibi non propoſuiſſe, ut referrent quoties *Judæam* fame afflixerit Deus. Quin, ſi à capite ad calcem tota Scriptura evolvatur, reperietur hiſtoriam famis nuſquam niſi obiter recitari, & tanquam alius narrationis appendicem. Ita *Gen.* 12, 10. & 26, 1. ſub *Abrahamo*, & *Iſaaco*, refertur gravis fuiſſe fames in terra *Chanaan*, ut ſciremus quorſum ille in *Ægyptum*, hic in *Palæſtinam* ſe contulerit. Et *Geneſeωs* quadrageſimo primo, ſeptennem famem, quam *Joſephus* prædixerat, *Moſes* ideò deſcribit, ut viam ſibi ſternat ad mirabiles hiſtorias de *Joſepho*, & fratribus, & durâ *Iſraelitarum* in *Ægypto* ſervitute, ex qua, manu forti, & extenſo brachio, illos aſſeruit Deus. In toto libro *Judicum* nulla habetur hiſtoria de fame. Tamen initio libri *Ruth* narratur *Elimelech Bethlehemita* in terram *Moab* ſeceſſiſſe famis occaſione, quæ in *Judæa* ſub Judicibus graſſata eſt. Sic quia nos ſcire intererat, quomodo, familiâ *Saulis* exciſa, regnum *Davidis* ſit ſtabilitum, libri ſecundi *Samuelis* capite vigeſimo primo, agitur de trienniali fame, quæ aliter ſedari non potuit, quàm ſeptem viris è *Saulis* ſtirpe cruci affixis. Rurſus hiſtoriæ famis ſub *Elia* & *Eliſæo*, Prophetis, 1. *Reg.* 18, 2. & 2. *Reg.* 4, 38. & 8, 1. referuntur propter miracula, ab ipſis câ de causâ patrata. *Lucas* denique famem, quæ ſub *Claudio* obtigit, attingit uno verbulo, tantùm ut ab *Agabo* prædictam fuiſſe doceat, & *Chriſtianis Antiochenſibus* indè natam occaſionem *Hieroſolymitanis* fratribus eleemoſynam conferendi. Præter illas, quæ citatæ ſunt, nullam aliam famis hiſtoriam in utroque Teſtamento reperire eſt. Itaque cum in quater mille annorum hiſtoria tam pauca de hoc argumento, nec niſi obiter, & propter aliud, referantur

rantur, cur præteritam fuiſſe mirabimur hiſtoriam famis illius, quam prædixerat *Joel.*

CAPUT SEXTUM.

Quæ de Locuſtis habeat *Amos* Propheta.

Amoſi *capite quarto & ſeptimo non agi de iis locuſtis, de quibus* Joel. *Quin alias duas clades refert* Amos *per locuſtas illatas. Unam capite quarto, quæ præceſſit meſſem, & cum ſiccitate & uredine conjuncta fuit,* Græcè ἀνεμοφθορία *dicta; quia fit à vento* קדים kadim, *& omnes arborum fructus conſumpſit. Nempe* גזם gazam, *ſolas arbores vaſtat. Alteram capite ſeptimo poſt fœniſecia.* לקש, fœnum cordum. *Autumno id accidiſſe, cum locuſtæ pariunt. Multa de partu locuſtarum ex* Ariſtotele, Plinio, *&* Arabibus. *Quomodo* Arabicè *vocentur locuſtæ ova, & fœmina vel ante, vel poſt partum, & fœtus nuper editus. Cur* Propheta *Deum dicat formare locuſtas.* Arabum *ineptia, Deum locuſtas ex eo luto formâſſe, ex quo formatus eſt* Adam. *Dei providentia ſpecialis in locuſtarum multiplicatione. Id etiam ab* Ethnicis *agnitum. Tamen* Arnobius *hujuſmodi animalcula negat eſſe Dei opus: quod ex* Marcionitarum *lacunis hauſtum. Locuſtæ capite ſeptimo neq; ſegetibus, neq; arboribus noxiæ, ſed ſolis herbis: &* Prophetæ *precibus amotæ.*

AD objectionem ſuprà allatam de locuſtis *Joelis* neminem alium meminiſſe, aliter reſpondet *Theodoretus*, nempe præter *Joelem* etiam *Prophetam Amos* meminiſſe καὶ ἀκρίδος, καὶ βρούχου, καὶ πυρώσεως, καὶ ἰκτέρου, καὶ συκῶν, καὶ ἐλαιῶν, καὶ ἀμπέλων, ὑπὸ καμπῶν διαφθειρομένων, καὶ πρὸς τούτοις αὐχμοῦ, καὶ ἀνομβρίας, *& locuſtæ, & bruchi, & combuſtionis, & aruginis, ficuum item, & olearum, & vitium ab erucis conſumptarum, ſiccitatis inſuper, & pluviarum inopiæ.* Alludit nimirum ad duo loca, quorum prior eſt *Amos* 4, 7. 8. 9. *Ego prohibui à vobis imbrem, cum adhuc tres menſes ad meſſem* (ſupereſſent.) *Et demiſi pluviam ſuper civitatem unam; ſuper alteram verò civitatem non demiſi pluviam. Pars una compluta eſt, & pars, ſuper quam non pluit, exaruit. Et vagabantur duæ vel tres civitates ad unam, ut biberent aquas, neque ſaturabantur,* &c. *Percuſſi vos uredine, & rubigine* (Græcè ἐν πυρώσει, καὶ ἐν ἰκτέρῳ, *combuſtione, & æruginе.*) *Multitudinem hortorum veſtrorum, & vinearum veſtrarum, & ficus veſtras, & oleas veſtras comedit* הגזם *gazam* (id eſt, *locuſta arboribus infeſta*, non κάμπη *eruca*, ut in *Græcis*, & *Vulgato*, *nec tamen ad me converſi eſtis, dicit Dominus.* Alter eſt *Amos* 7, 1. 2. 3. *Sic oſtendit mihi Dominus Deus. Is nempè formabat* גובי (gobai) *locuſtas, cum primùm ſuccrevit* הלקש, *fœnum cordum. Erat autem fœnum cordum poſt fœniſecia Regis. Fuit autem, cum abſolviſſent comedere herbam terræ, ut dicerem, Domine Deus, condona, obſecro. Quomodo ſtabit* Jacobus *: nam parvus eſt. Pœnituit* (igitur) *Dominum hujus rei. Non erit, inquit Dominus.* Quæ duo loca *Theodoretus* cum *Joele* conferens putavit utrumque *Prophetam* eandem calamitatem, unum ut futuram, alterum ut præteritam, deſcripſiſſe. Sed quam verè non ſatis ſcio, cum *Joel* & *Amos* non parùm in multis differant. In illo ſum̃a eſt ubiq; ſiccitas.

a) Stat. lib. 4. Thebaid.

- - - (a) *haurit ſitis ignea campos,*
Diffugêre undæ, ſqualent fonteſque, lacuſque,
Et cava ferventi dureſcunt flumina limo,
Ægra ſolo macies, tenerique ab origine culmi,
Inclinata ſeges, deceptum margine ripæ
Stat pecus, atque amnes quærunt armenta natatos.

Vide *Joelem* capitis primi verſibus 18. 19. 20. At *Amoſi* capite quarto Deus pluviam alibi dimittit, alibi non dimittit: &, parte unâ complutâ, altera exareſcit. Ibidem ſolus *gazam*, in *Joele* præter *gazam* tres aliæ locuſtarum ſpecies *Judæam* depopulantur, nec ſolùm arborum proventum abſumunt, ut in *Amoſo*, ſed & ipſas arbores corrumpunt, ac tabefaciunt, *Joel.* 1, 12. Et populi, quibus *Amos* ἀμεταμέλειαν objicit, in *Joele* ad Deum convertuntur, jejunioque, & precibus ejus miſericordiam implorant. Rurſus *Amoſi* capite ſeptimo locuſtas non format Deus, niſi poſt fœniſecia, cum fœnum cordum jam ſuccreviſſet. Itaque, jam peractâ meſſe, ſolis herbis ſunt noxiæ. At in *Joele* vaſtatur frumentum, & hordeum, & perit meſſis agri. *Amos* denique ſolus pro *Iſraele* intercedens malum ingruens ſtatim avertit. Sed in *Joele* Sacerdotes, & è populo ſenes, juvenes, ipſi pueri adhuc ab ubere pendentes, in domum Dei clangore tubæ convocantur, ut communibus ſuffragiis Deum exorent. Neque is facilè flectitur, ſed poſtquàm continuâſſet hoc malum in plures annos. Parùm igitur veriſſimile eſt *Amoſum*, ut completa illa ipſa narrare, quæ prædixerat *Joel*, cum in tam multis diſſideant.

Sed & *Amos* duas clades refert ſuo tempore per locuſtam illatas: unam capite quarto, quæ præceſſit meſſem, & cum ſiccitate, uredine, & rubigine conjuncta fuit. Nempe in ſiccitate locuſtas uberius provenire jam *(b)* docuimus. Et eaſdem in *Ægyptum* impellit ventus קדים *kadim*, Exod. 10, 13. A quo ipſo vento שדפן, *uredo*, & ירקן, *rubigo*. Unde eſt, quod utrumque malum ἀνεμοφθορία *Græcè* dicitur. Et in *Græca* Paraphraſi modò pro ירקן occurrit; ut *Agg.* 2, 18. modo etiam pro שדפן, ut *Deut.* 28, 22. & 2. *Par.* 6, 28. Quod ſequuntur *Aquila*, *Symmachus*, & *Theodotion* in eo ipſo loco, in quo verſamur, id eſt, *Amos* 4, 8. ubi *Senſores* ἐν πυρώσει. Et *Gen.* 41, 6. 27. ſpicæ שדופות קדים, id eſt, *uredine percuſſæ à vento kadim*, in *Græca* editione uno verbo vocantur ἀνεμόφθοροι. Ab eodem igitur vento *kadim*, à quo ſiccitas, uredo, & rubigo, locuſtæ quoque in *Judæam* adductæ, hortos, & vineas, id eſt, hortorum & vinearum proventum, ficuſque, & oleas conſumpſerunt, id eſt, omnes fructus arborum. Nam præcipuæ nominantur, & *hortorum* nomine reliquæ continentur. Hic enim *horti* ſunt *paradiſi*, ut *Syrus* interpres rectè reddidit: id eſt, agri conſepti, atque omnis generis plantis diligenter conſiti. Hic porrò cum neque paſcuis, neque ſegetibus infeſtus fuerit *gazam*, ſed ſolos arborum fructus legatur conſumpſiſſe, huic locuſtæ ſpeciei potuit id eſſe proprium, ut non aliunde veſceretur, quam ex arborum proventu. Atque ipſum nomen id ſuadet. Nam, ut ſuo loco notatum, apud *Talmudicos*, *Arabes*, & *Æthiopes*, Verbum גזם eſt *abſcindere*, & *amputare*, non quidvis, ſed *ramos arborum*.

b) Supra, cap. 4. pag. 471. lin. 33. &c.

Hæc de prima locuſtarum in *Judæam* irruptione *Amos* 4, 9. Quæ cum *Iſraelitas* ad pœnitentiam non provocâſſet, *Hortos veſtros*, &c. *comedit* גזם *gazam* (*inquit Dominus*) *neque tamen ad me converſi eſtis*: alias locuſtas immiſit Deus, de quibus ità *Propheta* capitis ſeptimi verſu primo, *Sic oſtendit mihi Dominus. Et, ecce! formabat locuſtas, cum ſuccreviſſet fœnum cordum: & fœnum erat poſt regis fœniſecia.* Fœnum cordum, *Hebrais* לקש, ſolet in *Italia* Autumno provenire. *Columella* de agnis libri octavi capite tertio, *Aluntur commodiſſimè Autumnali fœno, quod* cordum *vocatur.* Quo ipſo anni tempore locuſtas parere nos docent *Ariſtoteles* & *Plinius*. Ille *Hiſtoriæ* libri quinti capite vigeſimo octavo, Τίκτουσι δὲ λήγοντος τοῦ θέρους, *Pariunt æſtatis exitu* (non *veris*, ut habet *Gaza.*) Hic libri undecimi capite vigeſimo nono, *Hæ pariunt*, &c. *Autumni tempore.* Et naturalis quidem eſt ille partus, ut reliquorum animalium. Quod ibidem *Philoſophus* multis verbis docet, quorum ſumma eſt, fœminas parituras in terram defigere τὸν πρὸς τῇ κέρκῳ αὐλὸν, *cauliculum, quod in cauda habent*, & circa finem æſtatis univerſas eodem loco fœtus deponere, ut quaſi favus videantur. Nec ſummæ tellurі committi, ſed rimis, & fiſſuris, quibus terra dehiſcit.

cit. Ubi cum tota hyeme latuerunt, incunte æſtate indè emergunt nigri vermes ovorum ſpecie, ruptâ quâdam terrâ tenui, quâ tanquam membranulâ ambiuntur. Ex quibus *Plinius* hæc ſolùm, *Hæ pariunt in terram, demiſſo ſpinæ caule. ova condenſa Autumni tempore. Ea durant hyeme ſub terra: ſubſequenti autem exitu Veris emittunt parvas, nigrantes, & ſine cruribus, & pennis.* Et paulò pòſt, alios ſequutus; *Alii duplicem earum fœtum, geminumque exitum tradunt. Vergiliarum exortu parere: deinde ad Canis ortum obire, & alias renaſci. Quidam* Arcturi *occaſu renaſci.* Nempe, prout varia ſunt climata, locuſtis quoque varium eſt naſcendi tempus, & denaſcendi. De eodem hoc argumento multa legas apud *Arabes. Damir*, وهى اذا اراد ان

يبيض التمس لبيضه المواضع الصلدة

والصخور الصلبة التي لا تعمل فيها

المعاول فيضربها بذنبه فتنفرج له ثم

يلقي بيضه في ذلك الصدع فيكون

له الافحوص ويكون حاضنا لها ومربيا

Cum paritura eſt locuſta, ovis ſuis loca ſalebroſa eligit, & petras duriſſimas, quas non attigerit ferrum, easque cauda diverberat, donec in rimam pateant. Tum verò in illa rima ovificat: eaque illi pro nido eſt, in quo fœtus ſuos foveat, atque educet. Sed aliter *Alkazuinius*, واذا رعت ايام الربيع طلبت

ارض طيبة التربة رخوة ونزلت هنالك

وحفرت باذنابها حفرا وباضت فيها

كل واحد ماية بيضة وطارت

Cum verno tempore paſcuntur, terram agri fœcundi & mollis quærunt, in quam deſcendant: & caudis foſſas fodiunt, in quibus cum ſingulæ ova centum ediderunt, indè avolant. Ad quem ovorum numerum proximè accedit *Ibno Omar*, cum inter *Mahumetis* manus locuſtas decidiſſe fabulatur, in quarum alis ſcriptum fuerit, نحن جند الله الاكبر لنا

تسعة وتسعون بيضة ولو تمت لنا

المائة لاكلنا الدنيا بما فيها *Sumus exercitus Dei magni. Nobis ſunt ova nonaginta novem: &, ſi centuria perficeretur, totum mundum abſumeremus, & in illo quidquid eſt.* Sequitur in *Alkazuinio*, ثم اذا اتي ايام الربيع واعتدل

الزمان شققت البيض المدفون فظهرت

مثل الدبيب الصغار علي وجه الارض

فاكلت زرعها حتي قويت ثم

نهضت الي بيض اخر وباضت

كما فعلت في العام الاول *Deinde verno tempore, cum temperatum eſt anni tempus, ſepultum illud ovum finditur: & ex eo emergit parvi reptilis genus ſuper faciem terræ, quod comedit ejus ſemina donec ætate robuſtius ad aliam ovificationem pergat, atque ovificet, ut anno præcedente factum fuerat.* In *Alcamus* سرا *ſara*, & قصم *kaſam*, & مكن *machin* eſt *locuſtæ ovum:* مزكوت *mazcuth* eſt *locuſta gravida:* متح *mathaha*, vel متخ *mathacha*, سخت *ſachatha*, زز *zarra*, & قلز *kallaza* totidem verba ſunt, quæ de locuſta uſurpantur, cum غرزت ذنبها في الارض لتبيض *caudam ſuam terræ infigit, ut ovificet.* Ipſa dicitur صفرا *ſaphra* cum ova poſuit, quia tum flava eſt. Fœtus ipſe nuper editus دبا *daba*, & دبر *dabar*, & قمص *kamas*. Ex his cum ſatis conſtet, locuſtas à Natura formari, tamen locuſtarum formationem *Propheta* Deo tribuit. *Formabat*, inquit, *locuſtas, cum primum aſcenderet fœnum cordum.* Et quidem uſus Verbo יצר, quod adhibet *Moſes*, ubi agitur de formatione hominis, & reliquorum animalium, in hiſtoria creationis *Gen.* 2, 7. 8. 19. Non quaſi Deus locuſtas de novo creaverit, poſt primam illam rerum omnium productionem; aut, ut locuſtis peculiare aliquid tribuat cum *Mahumetanorum Theologaſtris*, qui Deum locuſtas finxiſſe fabulantur من الطين التي فضلت من خلق ادم عليه السلام *de (meliore illo) luto, quod ſuperfuit ex creatione* Adami, *cui ſit pax:* ſed locuſtarum formatio Deo tribuitur, cum præter ſolitum fœcundæ ſunt, atque in immenſum multiplicantur. Quia id non accidit abſque ſpeciali Dei providentia, qui his utitur in pœnam peccatorum. Itaque minarum divinæ Legis hæc una eſt *Deut.* 28, 38. *Semen multum in agrum conjicies, & parum colliges; quia abſumet illud locuſta.* Et verſu quadrageſimo ſecundo, *Omnes arbores tuas, & fructus terræ tuæ* (tanquam) *hæreditario jure obtinebit locuſta.* Proinde ſic loquitur Deus 2. *Paral.* 7, 13. *Si præcepero locuſtæ, ut terram abſumat.* Quale eſt, quod de Ægyptiis legitur *Pſal.* 78, 46. *Proventum eorum brucho dedit* (Deus) *& laborem eorum locuſtæ.* Et Pſal. 105, 34. *Dixit* (Deus) *& venit locuſta, & bruchus ſine numero.* Hinc locuſtas non ſolum *Hebræi*, ſed & *Arabes* appellant *Dei exercitum*, ut ſuprà (c) obſervatum eſt in *Joel* 2, 25. Et *Prophetâ* ſuo cum *Abdalla* ſedente, locuſtam fingunt in eorum menſam cecidiſſe cum hac inſcriptione in tergo, & alis, انا الله لا اله الا انا رب الجراد ورازقها ان شيت بعثتها رزقا القوم وان شيت بعثتها بلا علي القوم *Ego ſum Deus, neque ullus eſt præter me locuſtarum dominum, qui eas alo, &, cum libet, immitto, ut ſint eſca populis: ſed &, cum libet, immitto, ut iiſdem plagæ ſint.* Unde Poeta Anonymus de locuſtis,

فسبحان من يهلك القوي الاكول
بالضعيف الماكول

(c) Cap. 5. pag. 482. lin. 14. &c.

Laus illi ſit, qui perdit robuſtum cibum (id eſt, *ſegetes*, unde panis) *per infirmum comedonem* (id eſt, *per locuſtam.*) Neque aliud ſibi volunt hæc *Plinii*, *Deorum iræ peſtis ea intelligitur.* Et vota, & ſacrificia, etiam ab Ethnicis, Diis ſuis oblata ad hoc malum avertendum. Sic *Caſii* montis incolas, cum fruges eorum locuſtæ vaſtabant, *Seleucidum* avium adventum à *Jove* precibus impetrâſſe, à quibus abſumerentur, teſtatur *Plinius* libi decimi capite vigeſimo ſeptimo. Quod idem ab *Apolline* in *Sarpedonio* Templo petiiſſe *Ciliciæ Seleucienſes* legas apud *Zoſimum* libro primo. Et *Athenis Apollo Parnopius* dictus eſt *à locuſtis pulſis*, ut habetur in *Pauſania Atticis*: quomodo in *Oëta Hercules Cornopion*, auctore *Strabone* libro decimo tertio.

Notanda hæc in *Arnobium*, qui hujusmodi animalcula negavit eſſe Dei opus, & profeſſus eſt ſe neſcire, à quo condita fuerint. *Non*, inquit, *ſi negemus muſcas, ſcarabæos, & cimices, nitedulas, curculiones, & tineas, omnipotentis eſſe opus Regis, ſequaciter poſtulandum à nobis eſt, ut, quis ea fecerit, inſtitueritque, dicamus. Poſſimus enim nullâ cum reprehenſione neſcire, quis & illis originem dederit, & obtinere non eſſe à Deo ſuperiore prolata tam ſupervacua, tam vana, tam ad nullas pertinentia rationes.* Hæc ille libro ſecundo ex *Marcionitarum* lacunis hauſta, qui apud *Tertullianum* adverſus *Marcionem* libro primo ità loquuntur: *Sufficit unicum hoc opus Deo noſtro, quod hominem liberavit ſumma & præcipua bonitate ſua, & omnibus locuſtis anteponendâ*: id eſt, omnium locuſtarum creationi, quam Deo affingitis. Hinc *Hieronymus* in *Proœmio* in Epiſtolam ad *Philemonem*, *Quod ſi non putant eorum eſſe parva, quorum & magna ſunt; alterum mihi conditorem, juxta* Valentinum, Marcionem, *& A*pellem, *formicæ, vermium, culicum, locuſtarum: alterum cœli, terræ, maris, & Angelorum debent introducere.*

In *Propheta* ſequitur, *Cum autem abſolviſſent comedere herbam terræ, Dixi, Domine Deus, condona, obſecro*, &c.] Agitur de locuſtis, quæ, poſt meſſem creatæ, ſolis herbis veſcebantur. Tum enim deerant ſegetes. Nec volatu poterant in arbores ſe attollere, cum alas nondum haberent, nec niſi humi reptitarent. Hujusmodi locuſtas *bruchos* à multis appellari obſervavimus (*b*), atque ex illis primò attelabos fieri, & poſtmodum locuſtas propriè dictas. Priusquam igitur hi bruchi, in majus aucti, plura damna inferrent, pro populo intercedit *Propheta*, & precibus ſuis obtinet, ut amoveatur hæc peſtis.

a) Supra cap. 1. pag. 447. lin. 24. &c.

CAPUT SEPTIMUM.

Johannem Baptiſtam veras locuſtas habuiſſe pro cibo.

Johannis *cibus* Ebionæis *non* ἀκρίδες, *id eſt*, locuſtæ; *ſed* ἐγκρίδες, *id eſt*, liba cum melle & oleo. *Aliis* ἀκρόδρυα, *vel* ἀκρέμονες, arborum *&* plantarum extremitates. *Aliis* ἀκρίδες, *vel* μέλαγχα, *herba genus*, blitum, *vel* rapunculus *Aliis aviculæ* ἰχυθρόποδες. *Aliis* locuſtæ marinæ, *id eſt*, οἱ κάραβοι. *Aliis* καρίδες ſquillæ. *Aliis* ἀχράδες pira ſylveſtria. *Sed nihil mutandum, cum locuſtarum eſus in* Oriente, *&* Auſtro, *ſit receptiſſimus.* Acridophagi *inde dicti. Iisdem* Parthi *victitant, &* Mauritaniæ *confines populi*, Naſamones, Libes *ad* Leptim. *Exercitus in* Libya *his ſuſtentatus. In* Græcia *quoque in cibis* αἱ ἀκρίδες, τετραπτεροφυλλίδες, τέττιγες, κέρκωπες. *Quatuor locuſtarum ſpecies in Lege conceſſa*, Levit. 11. v. 21. 22. *Locuſta ab Ægyptiis ſale condita in cibi uſum*, Exod. 10, 19. *in* Jonathane. Arabes *quoque, &* Judææ *incolæ eas in cibis hodieque recipiunt. Ergo* Johanni *non fuit peculiare, quod locuſtis, & agreſti melle, ſed quod his ſolum cibis veſcebatur, iisque forte oblatis, ut* Judæi Johannem *ſcirent extraordinarium habere munus.* Iſidorus Peluſiota *imperitiæ perperam accuſat ſic ſentientes, qui & magno numero, & celeberrimi ſunt.*

LOcuſtis patuit hactenùs vix ullum eſſe animal humano generi pernicioſius. Tamen his quoque ſuus uſus eſt, quem alii multis explicant. Nobis docere ſufficiet, locuſtas non paucis gentibus in cibum ceſſiſſe jam olim, & cedere hodieque, in verba de *Johanne Baptiſta* πολυθρύλλητα *Matth.* 3, 4. Ἡ δὲ τροφὴ αὐτοῦ ἦν ἀκρίδες, καὶ μέλι ἄγριον. Et *Marc.* 1, 6. Ἐσθίων ἀκρίδας, καὶ μέλι ἄγριον. Quæ verba cum clare & apertè doceant, locuſtas, & mel ſylveſtre pro cibo illi fuiſſe: tamen, quaſi non ſit ferendum, ut vir Sanctus locuſtis vitam ſuſtinuiſſe credatur, veterum & recentiorũ multi in omnes formas ſe transformârunt, ut hęc alio detorquerent. Agmen ducunt *Ebionæi*, in quorum Evangelio hæc de *Johanne* legebantur. Τὸ βρῶμα αὐτοῦ μέλι ἄγριον, οὗ ἡ γεῦσις ἦν τοῦ μάννα, ὡς ἐγκρὶς ἐν ἐλαίῳ· *Cibus ejus erat mel ſylveſtre, ſapore Manna, tanquam lagana in oleo fricta.* Ad quem locum *Epiphanius* illos aſſerit hoc ſibi propoſuiſſe, *ut veritatis ſermonem in mendacium mutarent, &* ἀντὶ ἀκρίδων ποιήσωσιν ἐγκρίδας ἐν μέλιτι, *ex locuſtis facerent lagana in melle fricta.* Occaſione hæc confingendi ex eo ſumpta, quod ἀκρίδες & ἐγκρίδες ſunt voces ſimillimæ. Atque in *Evangelio* junguntur ἀκρίδες καὶ μέλι, ita de Manna dicitur *Exod.* 16, 31. *Ejus autem ſapor erat* ὡς ἐγκρὶς ἐν μέλιτι, *ut lagana in melle* (ſive, *cum melle*,) *fricti.* Quomodo ſi ſapuerint *Johannis* in deſerto cibi, non magnum id fuerit auſteræ vitæ argumentum. Alii aliter ſentiunt, nempe ἀκρίδες hoc loco eſſe ἀκρόδρυα, vel τῶν φυτῶν ἀκρέμονας, *arborum & herbarum extremitates*, quibus *Johannes* in illo deſerto vixerit. Ità *Iſidorus Peluſiota* libri primi, *Epiſtola* quinta vult, ut Monachus, a *Johanne* edoctus, contentus ſit ἀκρέμοσι βοτανῶν καὶ φύλλων πρὸς ὀλίγην τροφήν, *herbarum & foliorum extremis ad tenue alimentum.* Et *Epiſtola* centeſima trigeſima ſecunda ità mordicus hæret huic interpretationi, ut iis, qui ἀκρίδων nomine *locuſtas* intelligunt, his verbis dicam ſcribat: Αἱ ἀκρίδες, αἷς Ἰωάννης ἐτρέφετο, οὐ ζῶά εἰσιν, ὥς τινες οἴονται ἀμαθῶς, κανθάροις ἀπεοικότα· μὴ γένοιτο. ἀλλ' ἀκρέμονες βοτανῶν, ἢ φυτῶν. *Illæ acrides, quibus* Johannes *veſcebatur, non ſunt animalia ſcarabæis ſimilia, ut quidam imperite exiſtimant; abſit: ſed herbarum aut arborum extrema.* Ita etiam *Paulinus* in carmine de *Johanne Baptiſta*,

Præbebant victum facilem ſylveſtria mella,
Pomaque, & incultis enata cautibus herba.

Et *Pantaleon Diaconus* in Sermone *De luminibus ſanctis*, Ὁ τοῖς τῶν μελισσῶν κατὰ τὴν ἔρημον πόνοις, καὶ τοῖς τῶν βοτανῶν συντρεφόμενος ἐκ βρέφους ἀκρέμοσι· *Qui apum in deſerto laboribus, & herbarum extremis ab infantiâ nutritus eſt.* Et *Theophylactus*, Τινὲς δὲ (λέγουσι) τὰ ἀκρόδρυα, περὶ ὀπώρας ἀγρίας (εἶναι τὰς ἀκρίδας·) *Acridas quidam dicunt eſſe extrema arborum, aut poma ſylveſtria.* Et *Euthymius*, *Locuſtas verò quidam herbarum eſſe virgulta dixerunt.* Et *Nicephorus Calliſtus* libri primi *Hiſtoriæ* capite decimo quarto, *Ibi teneris arborum ſummitatibus*, ἄκροις δρυῶν, *pro cibo utebatur.* Et ſuperiore ſeculo *Cajetanus*, *Suſpicor æquivocum eſſe nomen ad animalia illa locuſtas, & radices, vel ſummitates teneras virgultorum, ſeu ramuſculorum, ſeu aliquid hujusmodi, quo crudo veſcimur.* Quo torrente abreptus *Baronius* ad Annum 31, *Quid*, inquit, *de his ſentiendum ſit, definiendum nobis non eſt, ſed totum relinquimus lectoris arbitrio. Nam*

conſtat Græcam *dictionem* ἀκρίδας, *&* locuſtam, *inſecti genus, infirmas habens alas ad volandum, &* ſummitates arborum *ſignificare.* Imò conſtat ἀκρίδας & ἀκρόδρυα multum differre, nec à ſcriptoribus verè *Græcis* usquam confundi hæc duo vocabula. Quod tamen illi veterum, qui à locuſtarum eſu abhorrebant, eò fecere libentius, quod ἀκρόδρυα ſciebant nonnullis pro cibo fuiſſe. Sic, in *Pædagogo Clementis* lib. 2. cap. 1. *Matthæus* Apoſtolus σπερμάτων, καὶ ἀκροδρύων, καὶ λαχάνων, ἄνευ κρεῶν, μετελάμβανεν, *ſeminibus, & arborum ſummitatibus, & oleribus ſine carnibus veſcebatur.* Sed ibidem *Johannes* eo ipſo à *Matthæo* diſtinguitur, quod ὑπερτείνας τὴν ἐγκράτειαν, ἀκρίδας, καὶ μέλι ἤσθιεν ἄγριον, *continentiam ulterius promovens, locuſtas, & mel agreſte comedebat.* Ut illi aliud fuiſſe ſcias ἀκρίδας, aliud ἀκρόδρυα. Sic *Epiphanii* ævo nonnulli in jejuniis ſuis usque adeò rigidi erant, ut etiam abſtinerent ἀκροδρύων, καὶ ἑψημάτων, *ab arborum ſummitatibus, & olerum juſculis:* quaſi hoc nimium fuiſſet. Hæc ille in *Expoſitione fidei*, cap. 23. Tertia ſententia eorum eſt, quibus αἱ ἀκρίδες ſunt herbæ genus. Euthymius, *Locuſtas verò quidam herbarum eſſe virgulta dixerunt: quidam autem herbam dictam Locuſtam.* Theophylactus, Τινὲς λέγουσι βοτάνας εἶναι τὰς ἀκρίδας, ἃς καὶ μελάγρα καλοῦσι· *Acridas quidam herbas eſſe dicunt, quas etiam melagra vocant.* Ut alludatur ad μέλι ἄγριον. Itaque, ex hac ſententia, idem erunt mel & locuſtæ; herbæ ſcilicet genus aliunde prorſus ignotæ, quæ tamen *Johanni* pro cibo ſola ſuffecit. Nihil abſurdius fingi potuit. Tamen etiam hæc ſententia ſuos habuit ſectatores: in his *Surianum* Monachum, à quo *Jacobus de Vitriaco* cap. 53. *Hiſtoriæ Hieroſolymitanæ* ſe didiciſſe profitetur ἀκρίδας *Johannis* non fuiſſe *locuſtas*, ſed *herbam* quandam Monachis in *Syria* apponi ſolitam. Fortaſſe etiam *Dionyſium Carthuſianum*, qui nonnullos per *locuſtas* intelligere ſcribit *herbas deſerti, cùm non videatur probabile, quòd* Johannes, *qui nec pane veſcebatur, carnes animalium, aut aliquid coctum, comederit.* Et *Hermolaus* in *Dioſcoridem* Corollario 256. eam herbam ait intelligi, quæ *Arabicè* dicitur رجل الجراد *pes locuſtæ:* id eſt, *blitum*, ut quidam volunt; aut, ut alii, *rapunculum.* Quarta ſit ſententia, quæ *Johannis* ἀκρίδας *aviculas* eſſe vult. *Chriſtianus Druthmarus*, qui in *Matthæum* ſcripſit nono poſt *Chriſtum* ſæculo, *De locuſtis audivi quendam dicere, quod iſtæ locuſtæ aviculæ fuerunt parvæ cum rubeis tibiis.* Quod ferendum eſſet, ſi ſolum *volucres* dixiſſet. Nam è locuſtis volucribus nonnullæ ſunt rubris pedibus. Sed cùm *aviculam* dixerit *rubris pedibus*, quid aliud intelligamus, quàm *Græcorum* ἐρυθρόποδα? *Fringillæ* ſpeciem eſſe volunt. *Druthmarum* certè patet veram avem intellexiſſe, cum hujus ſententiæ auctorem ita refellit; *Quare laudaretur* (Johannes) *de abſtinentiæ rigore, ſi volatilia ederet, quæ deſideraverunt* Judæi? Quinta, *locuſtas* eſſe *piſces marinos*, quos *Johannes* ex *Jordane* habuerit, ut refert idem *Druthmarus*: quod eſt perridiculum. Neque enim in fluviis, ſed in ipſo mari has locuſtas reperire eſt. Ut taceam *locuſtas marinas* à *Græcis* non dici ἀκρίδας, ſed καράβους. Denique cum locuſtæ marinæ in deliciis habeantur, hic quoque meritò objicit *Druthmarus* non eſſe, cur *Johannes* ab abſtinentia laudetur, ſi marinas delicias ederit. Quæ eadem in illos objici queant, qui ἀκρίδας in καρίδας, id eſt, *ſquillas*, mutant; quibus in toto cancrorum genere nihil eſt præſtantius. Huic ſententiæ, quæ ſexta eſt, ſeptimam addo viri maximi, & piiſſimi, qui conjicit *Evangeliſtas* hic ſcripſiſſe ἀχράδας, id eſt, *pira ſylveſtria*, & exiguâ mutatione hoc nomen deflexum eſſe in ἀκρίδας.

Sed nihil opus eſt quidquam mutare, cùm in receptam lectionem conſpirent libri omnes. Neque illa quidquam habeat, quo lector eruditus meritò poſſit offendi. Certum enim eſt, locuſtarum eſum in iis, quæ vel ad Ortum, vel ad Auſtrum ſunt, regionibus fuiſſe receptiſſimum. Quæ *Hieronymi* verba ſunt in *Jovinianum* lib. 2. cap. 6. *Orientales, & Libyæ populos, quia per deſertum & eremi vaſtitatem locuſtarum nubes reperiuntur, locuſtis veſci moris eſt.* Sic, ab *Alexandri* ævo, inter *Æthiopum* populos *Græcia* deſcripſit *Acridophagos à locuſtarum eſu* ſic dictos. De his *Agatharchides* lib. 5. cap. 27. Ὑπὸ δὲ τὴν ἐαρινὴν ἰσημερίαν, ὅτι λίβυες (lege λίβες) παρ' αὐτοῖς καὶ ζέφυροι πνέουσι, παμμεγεθῶν ἀκρίδων πλῆθος ἀμύθητον ἐκ τῆς ἀγνοουμένης μετὰ τῶν ἀνέμων παραγίνεται χώρας. τῇ μὲν δυνάμει τῆς πτήσεως τῶν ὀρνίθων μικρὸν παραλλάττον, μακρὸν δὲ τῷ σώματι. ἀπὸ τούτου δὲ τοῦ ζώου τρέφονται πάντα τὸν χρόνον, ἄλλως τε τούτοις καὶ τεταριχευμένοις χρώμενοι. *Sub vernum Æquinoctium, cùm apud eos ſpirant* Africi, *&* Favonii, *inenarrabile locuſtarum prægrandium agmen ex ignotis terris unà cum ventis advolat, quæ vi quidem volatus parum ab avibus, ſed corpore plurimum differt. Hoc autem animalculo quovis tempore veſcuntur, ſive cum ſale, aut aliter condito.* Ita etiam *Diodorus* lib 3. editionis *Steph.* pag. 113. Ἐκ τούτου δαψιλεῖς τροφὰς ἔχουσιν ἅπαντα τὸν βίον· *Ex eo uberem victum habent per omnem vitam.* Et *Artemidorus* apud *Strabonem* lib. 16. Ζῶσι δ' ἀπὸ ἀκρίδων, ἃς οἱ ἐαρινοὶ λίβες καὶ ζέφυροι, πνέοντες μεγάλοι, συνελαύνουσιν εἰς τοὺς τόπους τούτους· *Locuſtis vivunt, quas verni*, Africi, & Favonii, *vehementius flantes, in ea loca impellunt.* Et Solinus, *Confines* Mauritaniæ *certo tempore locuſtas terreſtres legunt, durataſque ſalſugine in præſidium vitæ ſolas habent.* Et *Plinius* libri 6. cap. 30. *Pars quædam* Æthiopum *locuſtis tantum vivit, fumo & ſale duratis in annua alimenta.* Et lib. 11. cap. 29. Parthis *& hæ in cibo gratæ.* Et de *Naſamonibus Euſtathius* in *Dionyſium*, Ἐσθίουσι δὲ ἀττελάβους πρὸς ἥλιον ξηράναντες· εἶδος δὲ ἀκρίδος ὁ ἀττέλαβος· *Attelabos, locuſtæ ſpeciem, ad Solem exſiccatos comedunt.* Et *Dioſcorides*, ubi de aſiraco, locuſtæ ſpecie; Χρῶνται δ' αὐτῷ κατὰ πλῆθος οἱ κατὰ Λέπτιν Λίβυες· *Eà utuntur in cibo uſque ad ſatietatem* Libes, *qui ad* Leptim *incolunt.* *Porphyrius* quoque lib. 1. *De abſtinentia à carne* ſcribit, exercitui, in *Libya* inediâ laboranti, locuſtarum nubes ſe obtuliſſe.

Quid, quod in ipſa *Græcia* idem cibus fuit in uſu; quod probare eſt obvium? In *Ariſtophanis Acharnenſibus*, Actus quarti Scena prima, *Bœotius* ruſticus inter venales cibos, quos fert *Athenas* in forum, aliquid habere ſe dicit

Τῶν ὀρνίχων, ἢ τῶν τετραπτερυλλίδων,

gallinarum, aut locuſtarum, quas τετραπτερυλλίδας vocari obſervavimus (a) *à quatuor alis*, quibus inſtructi ſunt. Et Scenâ 7. a) *Supra, cap. 1. pag. 449. lin. 74.*

Δ. Βούλει διαδικάσασθαι κἀπιτρέψαι Λαμάχῳ,
Πότερον ἀκρίδες ἥδιόν ἐστιν, ἢ κίχλαι;
Λ. Οἴμ' ὡς ὑβρίζεις. Δ. Τὰς ἀκρίδας κρίνει πολύ.

D. *Vis paciſci &* Lamacho *permittere*, (ut dicat) *utrum plus ſapiant locuſtæ, aut turdi?* L. *Hei mihi! quàm in injurius es.* D. *Locuſtas præfert.* Et ibi *Scholiaſtes.* Διασύρει τὸν Λάμαχον, ὡς ἀκρίδας ἐσθίοντα, ἢ ὅτι πρότερον εὐτελεῖ ἐχρῆτο τῇ διαίτῃ· Lamachum *inſectatur, tanquam locuſtis veſcentem, aut quia antea vili cibo uſus fuerat.* *Plutarchus* in *Convivio* Tyrannum, qui mancipiis mavult præeſſe, quam viris, colono ſimilem eſſe dicit, qui vellet ἀκρίδας, καὶ ὄρνιθας, ἀντὶ πυρῶν, καὶ κριθῶν συγκομίζειν, *locuſtas, & aves, pro frumento, & hordeo* (edendas) *colligere.* Apud *Theophylactum* in *Epiſtolis* ruſticus quidam, lautè ſe exceptum fuiſſe jactitans, Ἰσχάδες, inquit, ἦν μοι, καὶ ἀκρίδες, τὰ ὄψα· ὁ δὲ θεσπέσιος οὗτος νεανίας τῶν ἰσχάδων τὰ πλεῖστα κατέβρωξε καὶ τὰς ἀκρίδας, οὐκ οἶδ' ὅπως, ἐξερρόφησε. *Habebam*, inquit, *caricas, & locuſtas, pro obſonio; divinus autem ille juvenis pleraſque caricas voravit: locuſtas etiam*

neſcio

neſcio quomodo, abſorbuit. Sic animalcula locuſtis ſimillima, cicadas ſcilicet, & cercopas, quæ ſunt cicadæ minores, eſitaſſe veteres, & quidem ad provocandam orexin, teſtatur *Athenæus* lib. 4. Verba ſunt, Ἤσθιον δὲ καὶ τέττιγας, καὶ κέρκωπας, ἀναστομώσεως χάριν. Ibidem *Anaxandridas*, in apparatu nuptiarum *Iphicratis*, cùm *Cotyis Thraciæ* Regis filiam in uxorem duceret, τέττιγας ὀπτοὺς, *cicadas coctas*, inter cætera recenſet. Et ex *Ariſtophanis Anagyro* hæc citantur, Πρὸς θεῶν ἐρᾷς τέττιγα φαγεῖν, καὶ κερκώπην θηρευσαμένη καλάμῳ λεπτῷ. *Per Deos cicadâ & cercope libenter veſceris, quas tenui calamo venaris.* Et lib. 9. *Ariſtophanes* in *Horis Athenas* laudat, quod etiam hyeme ibi vendat inſtitor κίχλας, ἀπίους, χαδίνας, ἐλάας, πυὸν, χόρια, χελιδόνα, τέττιγας, *turdos, pira, favos, oleas, coloſtrum, choria (id eſt, edulia ex lacte & melle) hirundines, cicadas.* Ut lib. 2. *Alexis* anum introducit, cui pro conſueto cibo ſunt, ut ipſa ait, κύαμος, θέρμος, λάχανον, γογγυλὶς, ὄχρος, λάθυρος, φηγὸς, βολβὸς, τέττιξ, *faba, lupinum, olus, rapa, ervilium, cicercula, æſculi glans, bulbus, cicada.* Quin *Philoſophus* lib. 5. *Hiſtoriæ* capite 30. & poſt eum *Plinius* lib. 11. cap. 26. docent quo potiſſimum tempore maximè ſapiant. Et hic gentes ad *Orientem* iis veſci teſtatur, in quibus *Parthi*, licet *opibus abundantibus*. Unde eſt, quòd *Ælianus Hiſtoriæ* lib. 10 cap. 6. graviter indignatur in ſui ſæculi homines, quorum alii Muſis ſacrum animal, cicadas, in lineam digeſtas, ad cœnam vendunt, alii iis emptis avidè veſcuntur.

Sed, quod rei caput eſt, etiam inter *Judæos* edulis fuit locuſta. Teſtatur id *Moſaica* Lex *Levit.* 11. v. 21. 22. ubi in eſum conceduntur quatuor locuſtarum ſpecies, *arbe, ſolam, chargol*, & *chagab*. Et *Talmudici* Doctores, qui Tractatûs *Cholin* cap. 3. fol. 65. & 66. multis diſputant, quibus notis dignoſcantur mundæ locuſtæ ab immundis, id eſt, quas licet edere, ab iis, quarum eſus Lege prohibetur. Proinde ad *Exod.* 10. *v.* 19. ubi ventus à Deo immiſſus abripuiſſe, & in mare *Rubrum* conjeciſſe legitur quidquid in *Ægypto* locuſtarum erat, ita ut ne una quidem remanſerit in omnibus *Ægyptiorum* finibus. *Jonathan* in Paraphraſi id excipit, מה דמלחין במניא לצרוך מיכלהון, *quod in vaſis ſuis ſale condierant in cibi uſum.*

Arabes quoque idem docent. *Damir* in capite *De locuſtis*, titulo الحكم ſive *De uſu*, اجمع المسلمون على اباحة اكل الجراد Muſulmanni *in id conſentiunt, locuſtarum eſum eſſe licitum.* Freti nimirum *Abdalla* auctoritate, cujus verba ſunt,

غزونا مع رسول الله صلي الله عليه وسلم سبع غزوات ناكل الجراد فيها

Bellicas expeditiones ſeptem ſuſcepimus cum Dei Propheta, cui Deus ſit propitius, locuſtarum carnem comedentes. Hinc eſt, quòd Deum illas immittere dictitant, modò ut ſint زرقا القوم *eſca populis*, modò ut ſint بلا على القوم *plaga in populos.* Exemplo ſint pauca hæc petita ex *Alcamus*, الصراح طاير كالجندب يوكل Sorrach, *volucre animalculum bruchi inſtar, quod comeditur.* جرب شرى جلده عن اكله Giarida, *puſtulæ effloruerunt in carne ejus propter illius eſum*; id eſt, propter eſum locuſtæ, de qua antea. جرد شكا بطنه من اكله Giurida, *propter ejuſdem eſum venter doluit.* المرتجل من يقع برجل من جراد فيشتوي منها Almurtegilo, *qui in locuſta pedes incidens eos aſſat.* الخنتف الجراد المنتف المنقي للطبخ Alchantapho, *locuſta, quæ, ut coquatur, depilata, & mundata eſt*, الوهيسة ان يطبخ الجراد وتجفف ويدق ويخلط بدسم Alvvahiſatho, *cùm coquitur locuſta, & arefacta contunditur, & cum adipe miſcetur*: nimirum ut ſit pro cibo. His adde recentiorum teſtimonia. Ut *Nicolaus Clenardus* in Epiſtolis, *Plauſtra plena locuſtis advehunt* Feſſam; *nam hos hoſtes vulgò hic comedunt.* Et *Leonis Africani* lib. 9. Arabiæ *deſertum* & Libyæ *populi earum adventum pro felici habent omine: nam vel elixas, vel ad Solem exſiccatas in farina tundunt, atque comedunt.* Et *Hermolai Barbari* Corollario in *Dioſcoridem* CCLVI. *Hodie quoque locuſtas comedunt* Ægyptii.

Sed & idem in *Judæa* fieri multi ſcribunt. Sic *Beda, De locis ſanctis* cap. 14. à ſancto Epiſcopo *Arculpho*, qui ad ea loca peregrinatus erat, ſe accepiſſe tradit, *notiſſimas eſſe locuſtas in* Palæſtina, *quæ corpuſculis in modum digiti manus exiguis & brevibus, in herbis facile captæ, coctæque oleo pauperem victum parent.* Et *Euthymius* in *Matthæum*, *Dicunt uſque ad hodiernum diem in illis partibus plerosque illud* (inſecti genus) *edere fumo ſiccatum: habere autem gravem odorem, malumque guſtum.* *Jacobus* quoque *de Vitriaco*, *Ptolemaidis* Epiſcopus, ubi ſupra (b) teſtatur locuſtas in *Judæa* & recentes edi ſolitas, & ſervatas.

b) *Hiſt. Hieroſolym. cap.* 53.

Summa eorum quæ diximus hæc eſt, præter *Acridophagos* omnibus notos, *Naſamones* etiam, & *Leptitanos*, & *Parthos*, & *Græcos*, & *Hebræos* locuſtas olim pro cibo habuiſſe. Quomodo *Arabes* quoque, & *Numidas*, & *Mauritanos*, & novos *Palæſtinæ* incolas jam inde à multis ſæculis. Itaque quod locuſtas edebat *Johannes*, novum non fuit, nec inauditum: ſed hoc in illo fuit ſingulare, quod in deſerto ſolùm locuſtis & agreſti melle veſcebatur, iiſque fortè oblatis, nec aliunde comparatis; ut virum illum *Judæi* ſcirent extraordinarium habere munus, atque ad ejus conciones eſſent attentiores. Cauſa igitur non fuit, cur *Iſidorus Peluſiota* eos accuſaret imperitiæ, qui *locuſtas* hic intelligunt. In quo numero multi fuerunt illo longè celebriores: ut *Theophilus Antiochenus*, *Origenes*, *Hilarius*, & *Chryſoſtomus* in *Matthæum*; *Ambroſius* in *Lucam*, *Clemens Alexandrinus* lib. 2. *Pædagogi*, *Hieronymus* lib. 2. in *Jovinianum*, & *Epiſtola* 23. ad *Marcellam*, *Auguſtinus* lib. 10. *Confeſſionum* cap. 31. Scriptores denique quotquot ſunt *Iſidoro* vetuſtiores, præter unicum *Paulinum* in ſacro *Poemate* de *Johanne Baptiſta*, cui facilè ſit alios *Poetas* opponere nobiscum ſentientes. Ita enim de eodem *Juvencus* lib. 1. *Hiſtoriæ Evangelicæ*,

Arvis qui ſolitus ruralibus eſſe locuſtas.

Et *Prudentius*, *Cathemerinωn Hymno* 7.

Parvum locuſtis & favorum agreſtium
Liquore paſtum corpori ſuetus dare.

Et *Amœnus* in *Enchiridio*,

Perfundit fluvio paſtus Baptiſta *locuſtis.*

Et *Paulus Diaconus* in Hymno *De Nativitate Sancti Johannis Baptiſtæ*,

Præbuit

Præbuit hirtum tegimen camelus,
Artubus ſacris ſtrophium bidentes,
Cui latex hauſtum, ſociata paſtum
Mella locuſtis.

CAPUT OCTAVUM.

De Locuſtis Myſticis.

Ecclеſ.12.v.7. *de ſene dicitur*, Et ingraveſcet locuſta, *aliis* creſcet, *aliis* impinguabitur. *Varia hic quæri myſteria, ſed longiùs petita. Fabulæ* Hebræorum *de ſtatua* Nebucadnetſaris. Kimchii, *& recentiorum explicationes hujus loci. Senex locuſtæ ſimilis.* Tithonus *cur fingatur in cicadam eſſe mutatus. Senes ab* Homero *cum cicadis collati.* חגב, *nonnullis, pro* locuſta, pudendum *eſt; aliis* talus, *aut* crus, *aut* malleolus pedis: *imò*, caput femoris, *quod* Arabes *docent, quæ pars ſenibus ingraveſcit, unde inceſſus tardior.* Apocal.9. *locuſtæ myſticæ multa habent ex veræ locuſtæ deſcriptione petita, ut quod ex fumo prodeunt. (Quomodo per fumum locuſtas venentur* Acridophagi.) *Quod nocent per quinque menſes. Et equis ſunt ſimiles, ut* Joel.2.v.4. *Dentes habent leonum; ut* Joel.1.v.6. *Et loricas ferreas. Sonus alarum ut curruum, ut* Joel.2.v.5. *Sed ſeptem illis notæ peculiares, quæ ad myſterium pertinent.*

HÆc Scriptura de locuſtis, ſi duo loca excipias: unum in *Veteri Teſtamento*, alterum in *Novo*, quorum ſenſus non eſt obvius; quia his putatur aliquid myſticum ſubeſſe. Prior eſt *Eccleſ.* 12. *v.* 7. ubi è variis ſenectutis incommodis, quæ Allegoricis verbis à *Solomone* deſcribuntur, unum hoc eſt, ויסתבל החגב, *Et ingraveſcet* (aut *gravitabit*) *locuſta.* Græci, Hieronymus, Arabs, *impinguabitur locuſta.* Et Syrus, ܢܣܓܐ, *creſcet.* Antecedens pro Conſequente. Quia quæ impinguantur, & augentur, graviora ſunt. Jam quid illud ſit, nonnulli veterum anxiè quærunt. Et, obliti de ſene hic agi, multa ſibi fingunt myſteria; ſed ea arte, quâ quidlibet fit ex quolibet. Salonius, *Impinguabitur locuſta*] *id eſt, Credet Gentilis populus, & replebitur bonis ſpiritualibus. Olympiodorus*, hæc jungens cum iis, quæ præcedunt, & ſequuntur, *Florebit amygdalus, pingueſcet locuſta, & aperietur capparis*, obſervat illa omnia verè accidere. Vult igitur vitam æternam ita deſcribi, in qua ver erit æternum. Tamen idem paulo poſt, ſenſu non ſolùm diverſo, ſed & prorſus oppoſito, per *locuſtam quæ pingueſcit* intelligit *Inferos*, qui peccatorum ſuppliciis aluntur, & aliquo modo pingueſcunt. Τροφὴν, inquit, ἡ κόλασις δέχεται τοὺς ἁμαρτωλοὺς, καὶ τρόπον τινὰ παχύνεται. Nempe locuſtam addit ſuppliciorum eſſe Symbolum, quia per eam Deus punivit *Ægyptios. R. Selomoni* ויסתבל, id eſt, *in pedes erectus eſt.* Quod planè falſum. Sed libuit illi ſic reddere, ut *per locuſtam quæ erecta eſt* ſignificaretur ſtatua alta ſexaginta cubitos, quam erexit *Nebucadnetſar* in campo *Dura, Dan.* 3. *v.* 1. Quam tamen toties corruiſſe fingit, quoties erigebatur, donec ad pedes ejus effuſum eſt tributi vice quidquid erat auri *Hieroſolymis*, ut impleretur quod dictum eſt *Ezech.* 7. *v.* 19. *Aurum eorum amovebitur.* Kimchio *locuſta gravitabit*, id eſt, *gravis erit*, vel *oneri erit.* Quaſi tanta ſit in ſene infirmitas, ut ne locuſtam quidem ferre poſſit, id eſt, ne minima quidem pondera ſuſtinere, cum ipſe ſibi ſit gravis. Recentiorum aliis *locuſta ingraveſcet*: id eſt, qui juvenili ætate ſaltabat ut locuſta, nunc per ætatem ita eſt gravis, ut ne quidem poſſit incedere. Aliis *locuſta* dicitur *ſenex*, quâ ſenex, tanquam locuſtæ ſimilis: quia ſenis oſſa exſtant, & corpus eſt exhauſtum, ita ut ſit mera mortis imago. Proinde *Tithonum Poetæ* fingunt in extrema ſenectute mutatum fuiſſe in cicadam, animal non ſolùm aridiſſimum, & ſicciſſimum inſtar locuſtæ, ſed & maximè garrulum, quæ ſenectuti conveniunt. Hinc de illo *Horatius* lib.1. *Odâ* 28.

Tithonusq; *remotus in auras.*

Et lib.3. *Odâ* 16.

Longa Tithonum *minuit ſenectus.*

Et *Servius* in lib. 1. *Georgicorum*, *Cum optaſſet prolixiorem vitam, verſus eſt in cicadam.* Et in lib. 4. *Æneidos*, *Quem longinquitas vitæ in cicadam convertit. Quod ideo fingitur; quia, ut eſt apud* Ciceronem, (ſeni) *ſola vox remanet, & eſt naturâ loquacior.* Hinc *Iliadis* 3. verſu 151. duo *Trojani* ſenes, *Ucalegon*, & *Antenor*, qui, ad arma jam inepti, in *Scæis portis* populum ſermonibus detinebant, deſcribuntur

- - τεττίγεσσιν ἐοικότες, οἵ τε καθ' ὕλην,
Δενδρέῳ ἐφεζόμενοι, ὄπα λειριόεσσαν ἱεῖσι,

Cicadis ſimiles, quæ in ſylva, arbori inſidentes, vocem floridam emittunt. Nempe, ut poſt *Plutarchum* ſcribit *Euſtathius*, διὰ συνέχειαν λαλιᾶς, *propter continuam loquacitatem.* Vide etiam *Tzetzem Chiliadis* 8. *Hiſtoriâ* 166.

Sunt, qui *locuſtæ* mentionem arbitrati hic eſſe intempeſtivam, חגב *chagab*, hoc loco aliud eſſe volunt. Et nonnullis *Hebræorum*, *Cheth & Ajin* permutatis, חגב idem eſt quod עגב. id eſt, *pudendum.* Quaſi hanc partem in ſenibus languere & remitti ſignificetur. Quod meritò rejiciunt *Kimchius* & *Aben Ezra.* Sed huic חגב eſt הקרסול, *crus*, vel *talus.* Et *malleolus pedis Chaldæo* interpreti, qui *Solomonis* verba ſic reddit, ויתנפחון אסתורי רגליך, *Et intumeſcent malleoli pedum tuorum.* Alii, *tali pedum tuorum.* Sed אסתורי vel אסתירי eſſe *pedum malleolos* ex *Talmudis Gloſſa* didici, Tractatu *Jebamoth* cap. 12. fol. 109. a. ubi אסתורא definitur קבילא המפסקת בין שוק לרגל, *Malleolus dividens crus à pede.* קבילא, non eſt vox *Hebræa*, ut putant; ſed *Gallica cheville*, quâ ſignificatur *pedis malleolus.* Nempe, qui ea utitur, *R. Selomo*, *Gallus* erat. Rurſus in Tractatu *Menachoth* fol. 33. a. legitur eſſe מקום חבור השוק והרגל הוי השוק זקוף מלמעלה והרגל שוכב בזה, *Locus conjunctionis cruris cum pede, crure nempe ſuprà elato, & pede infra jacente.* Unde אסתורא pro *greſſu* à *Chaldæo* Paraphraſte ſæpe uſurpatur. Et reſpondet *Hebræo* אשור, à quo deductum dicerem, ſi *Hebræum* ש in ס *Chaldæi* permutarent, quomodo ſolent *Arabes.* Nunc, ut dicam quod ſentio, iis accedo, quibus חגב *chagab*, hoc loco non eſt *locuſta*, ſed *pars cruris*, prout *cruris* nomen etiam *femur* complectitur. Et quæ pars illa ſit, ex *Arabibus* puto me didiciſſe, quibus جبة *chagaba* eſt *caput femoris.* Golius, جبة (Chagaba) *caput coxæ utrimque prominens, quæ duo* جبتان chagabathani *dicuntur.* Giggeius, الجبتان (Alchagabathani) *utraq; extremitas femoris, & ancha ſuper inguina.* Intelligo femoris geminum caput, à quo Anatomici illud vocant ἀμφικέφαλον. A quo femoris capite cum incipiat motus cruris, meritò de ſene dicit *Solomon*, ויסתבל החגב. *Et ingraveſcit chagab*; ut doceat illi graviorem & tardiorem eſſe inceſſum.

Alter locus eſt *Apocalypſeos* capite nono, ubi de locuſtis agitur, quæ quædam habent ex veræ locuſtæ deſcriptione petita. Sed his addi videas multa peculiaria, quæque ad myſterium pertinent. Ad prius illud

illud refero, quod eas locuſtas fumus in terram dejicit. Aſcendit enim fumus ex puteo abyſſi, ὡς καπνὸς καμίνου μεγάλης, *ut fumus fornacis magnæ*, vel, ut alii legunt, καιομένης *ardentis.* Unde *Syrus*, ܐܬܘܢܐ ܕܡܫܬܓܪ. Et *Arabs Pariſiis* editus, تنور مضطرما

Sequitur, *Et obtenebratus eſt Sol, & aer à fumo putei: & ex fumo prodierunt locuſtæ in terram.* Quâ ipſa ratione locuſtas venantur *Acridophagi*, de quibus *Agatharchides*; Καπνῷ δὲ ταύτας θηρῶσιν, ἐκ τοῦ ἀέρος ἐπὶ γῆν καταφέροντες· *Fumo autem illas venantur ex aere in terram dejectas.* Et *Strabo*, Ἐν τοῖς χαράδραις δὲ ἐμβάλλοντες ὕλην καπνώδη, καὶ ὑφάψαντες μικρόν· ὑπερπετάμεναι γὰρ τὸν καπνὸν σκοτοῦνται, καὶ πίπτουσι. *Fumoſam materiam in voragines injectam incendunt; illæ autem ſupervolantes, fumo tenebras offundente, decidunt.* Plura qui volet, *Diodorum* legat lib. 3. ubi profunda vorago deſcribitur per multa ſtadia patens, & accenſa materie plena, quæ in illis locis abundè ſuppetit: Ἐγειρομένου δὲ καπνοῦ πολλοῦ, καὶ δριμέος, αἱ μὲν ἀκρίδες ὑπερπετόμεναι τὴν χαράδραν, καὶ διὰ τὴν τοῦ καπνοῦ δριμύτητα πνιγόμεναι, καταπίπτουσιν ἐπὶ τὴν γῆν, ὀλίγον διαπετασθεῖσαι τόπον· *Excitato autem multo, & acri fumo, locuſtæ voraginem ſupervolantes, & propter fumi acrimoniam præfocatæ in terram decidunt, locum illum parùm prætergreſſæ.* Ad eam *Acridophagorum* hiſtoriam Sacer Scriptor videtur alluſiſſe. Ita quod verſu 5 & 10. nocent hominibus per quinque menſes, videtur ideo dici; quia locuſtæ vere natæ ſub finem æſtatis obeunt, nec ſupra quinque menſes vivere ſolent. Et quod verſu 7. deſcribuntur equis ſimiles paratis ad prælium, petitum eſt ex *Joelis* cap. 2. v. 4. *Sicut aſpectus equorum aſpectus earum, & ſicut equites current.* Et verſ. 8. *Dentes earum ut leonum erant:* ita habetur *Joelis* cap. 1. verſ. 6. *Dentes ejus dentes leonis, & leænæ molares.* Sed & hæc verſ. 9. *Habebant etiam loricas ut loricas ferreas*, ad locuſtarum naturam aliquo modo pertinet, de quibus *Claudianus*:

- - cognatus dorſo dureſcit amictus,
Armavit natura cutem. - - - -

Arabs Erpenianus ad *alas* referens ita reddidit,

واجنحتهم مثل اتراس حديد *Et alæ earum erant ut clypei ferrei.* Alter autem ita ad *pectus*,

وكانت صدورها مزردة كزرد حديد

Et erant pectora earum tanquam loricis ferreis loricata. Quod ſequitur, ſonitum alarum fuiſſe *ut ſonitum curruum, multis equis ad bellum currentibus*, ſumptum eſt ex *Joelis* cap. 2. verſ. 5. *Tanquam ſonitu curruum ſuper montium verticem ſalient, &c. ſicut populus validus ad prælium inſtructus.* Itaque ex locuſtarum hiſtoria petiit *Johannes* quæ hactenus obſervata ſunt. Sed jam plura ſequuntur his peculiaria. Quorum illud primum eſto, quòd fumus ille, quo dejiciuntur in terram, ex *Acridophagorum* voragine non prodit, ſed ex abyſſi puteo, quæ *Inferorum* eſt vorago. 2. Quod neque terræ gramen, neque arbores agri lædunt, ſed ſolùm homines, qui non habent Dei ſignum in frontibus ſuis. 3. Quod in caudis habent ſcorpionum aculeos, quibus homines torquent cruciatu, qui ſimilis eſt cruciatui ſcorpionis, cùm percuſſit hominem. 4. His adduntur coronæ in capitibus auri ſpecie. 5. Et hominum facies. 6. Et muliebres capilli, quæ omnes notæ in veris locuſtis deſunt. 7. Denique veræ locuſtæ Regem non habent, *Prov.* 30. *v.* 27. At hæ Regem habent, eumque non ſui generis, ſed abyſſi Angelum, qui *Hebraicè* אבדון *Abaddon*, dicitur; & *Græcè* Ἀπολλύων, non Ἀπόλλων, ut habent *Syrus*, & *Æthiops*; utrumque *à perdendo* ſumptum. Nam אבד *abad* Verbum eſt ἀπολλύειν, & אבדון *abaddon* eſt ἀπώλεια. Et locuſtæ, ſi Regem haberent, illi conveniret hoc nomen; quia locuſtarum proprium eſt perdere. Hinc *Joel* 1. *v.* 11. *Hebraicè* אבד קציר שדה׃, *Periit agri meſſis.* Et *Græcè*, Ἀπόλωλε τρύγητος ἐξ ἀγροῦ, *Periit ex agro vindemia*, à locuſtis ſcilicet perdita. Sed hic ut aliæ locuſtæ, ita etiam alia perditio intelligitur, ab ea longè diverſa, quam vulgares locuſtæ inferunt. Cujus auctor abyſſi Angelus, id eſt, Diabolus, qui, ipſe pridem perditus, in id ſolum incumbit, ut nos quoque in idem perditionis barathrum devolvat, atque detrudat. Quod cùm faciat locuſtarum miniſterio, quæ à *Johanne* deſignantur, operæ-pretium eſſet docere, quænam ſint illæ locuſtæ, & ſuis notis illas inſignire: ſed ab hac diſquiſitione certis de cauſis abſtinemus, jam ad alia tranſituri.

CAPUT NONUM.

De Muſca.

In Scriptura, vel Verſionibus, ſeptem muſcarum ſpecies. Muſca. Apis. Veſpa. Oeſtrum. Cynomyia. Culex. Sciniphes. Muſcæ *nomen* Hebræum, *&* Arabicum, *ab* incertis ſedibus. *Proverbium* Arabicum, Muſcâ inconſtantior. *Muſca nonnullis* Arabum *munda, ſed immunda ex Lege* Moſis. *Eadem* Hebræis *quadrupes, quamvis* ἑξάπους Græcis; *quia duo pedes anteriores manuum potius vicem gerunt. His oculos abſtergunt, cibos ſumunt, quidquid tollendum eſt evehunt.* Χαρακίζειν *quia propriè. Muſca quàm immunda in* Eccleſ. 10. v. 1. *Cum* muſcis Ægyptios *conferri* Eſa. 7. v. 18. *cùm aliis de cauſis, tum propter multitudinem.* Accaronitarum *Deus* Beelzebub 2. *Reg.* 1. *v.* 2. *an quia ſub muſca imagine cultus, aut quaſi muſcarum Deus? Deus* μυιώδης, Μυίαγρος, Ἀπόμυιος. *Fana, & alia loca muſcis inacceſſa. Templum quoque* Jeruſalem, *ut volunt. An & ædes* Beelzebub, *quod verum fuit idoli nomen, non* διασυρτικὸν, *ut vult* Scaliger. Beel-zebul *pro* Beelzebub; *ut* Babel-mandel, *&* rabel; *pro* Bab-elmandab, *&* rebab. *Dæmonum princeps Deus* Accaron, *id eſt*, Acherontis *Deus* Pluto: *quaſi* Accaron, *&* Acheron *idem ſint.* Hebræi *poſteriores multas ſuæ linguæ voces ex* Græca *deduxerunt: quod probatur exemplis.*

VEL in ipſa Scriptura, vel in vetuſtis Scripturæ verſionibus, ſeptem leguntur muſcarum ſpecies. I. *Muſca* propriè dicta, *Hebraicè* זבוב *zebub*, *Græcè* μυῖα, Eccleſ. 10. v. 1. *Muſcæ mortuæ faciunt, ut fœtorem eructet unguentum pigmentarii.* Eſa. 7. v. 18. *Sibilabit Dominus ad muſcam, quæ eſt in extremo fluminum Ægypti.* II. Apis, *Hebræis* דבורה debora; *Græcis* μέλιττα Deut. 1. v. 44. *Perſequuti ſunt vos, ut faciunt apes.* Jud. 14. v. 8. *Et, ecce! examen apum in corpore leonis.* Pſalm. 118. v. 12. *Circumdederunt me ut apes.* Eſa. 7. v. 18. *Sibilabit Dominus ad muſcam, &c. & ad apem, quæ eſt in terra* Aſſyriæ. III. Veſpa, vel crabro, *Hebræis* צרעה tſira; *Græcis*, σφὴξ, vel σφηκία, ut habent *Græci* interpretes *Exod.* 23. *v.* 28. *Mittam crabronem ante te, qui expellet* Hevæum, *&c.* Deut. 7. v. 20. *Etiam crabronem immittet Dominus Deus tuus in eos.* Joſ. 24. verſ. 12. *Miſi ante vos crabronem, qui expulit eos à facie veſtra.* IV. Οἶστρος, *æſtrum*, ſeu *aſilus*: ad cujus nomen alludentes *Græci* dicunt *Ezech.* 2. *v.* 6. Διότι παροιστρήσουσι, *Quia, ut æſtro perciti, inſanient*, & *Oſe.* 4. *v.* 16. Ὡς δάμαλις παροιστρῶσα παροίστρησεν Ἰσραήλ· *Ut juvenca æſtro percuſſa inſanivit* Iſrael. V. Κυνόμυια, ſeu *canina muſca*, in *Græca* verſione ſæpe nominatur. Sic *Exod.* 8. *verſ.* 21.

ἰδοὺ

ἰδὲ, ἐγὼ ἐξαποστέλλω ἐπὶ σὲ κυνόμυιαν. Et paſſim reliquo capite. Et *Pſal.* 77, 45. Ἐξαπέστειλεν εἰς αὐτοὺς κυνόμυιαν. Et *Pſal.* 104, 31. Εἶπε, καὶ ἦλθε κυνόμυια. Sed *Hieronymus* in fine *Epiſtolæ* ad *Suniam* & *Freſellam*, legi vult κοινόμυιαν. Pro quo *Aquila* παμμυῖαν habet, quia *Hebræum* ערב *arob*, à *mixtura* putatur ſumptum. Itaque ſunt etiam in *Hebræis*, qui ſic interpretantur. Sed de his infrà ſuo loco. VI. Ad muſcarum ſpecies poteſt referri κώνωψ *culex*, de quo *Matt.* 23, 24. Οἱ διυλίζοντες τὸν κώνωπα, τὴν δὲ κάμηλον καταπίνοντες, *Excolantes culicem, camelum autem deglutientes.* VII. Ut & σκνῖπες (vel, ut alii legunt, σκνίφες) *Exod.* 8, 16. Ἐγένοντο σκνῖπες ἔν τε τοῖς ἀνθρώποις, καὶ ἐν τοῖς τετράποσι καὶ ἐν πάσῃ γῇ Αἰγύπτου. Et *Pſal.* 104. 31. Καὶ σκνῖπες ἐν πᾶσι τοῖς ὁρίοις αὐτῶν. *Vulgatus* quoque interpres, & *Hieronymus*, *ſciniphes.* Sed *Hebræum* כנים *Joſephus* & *Hebræi* recentiores *pediculos* veriùs reddunt. Jam dicemus de muſca propriè ſic vocata.

Muſca, ut *Hebraicè* זבוב *zebub*; ſic *Chaldaicè* דבובא *debuba*; *Syriacè* ܕܒܒܐ *debaba*; & *Arabicè* ذباب *dſebab*, dicitur levi mutatione. Nominis originem, *Hebræis*, & *Syris* ignotam, aperiunt *Arabes*, apud quos ذب *dſabba*, *incertis ſedibus divagari*, nec in *uno loco conſiſtere* ſignificat. Quod muſcæ convenire nemo eſt, qui neſciat. Hinc *Lucianus* in *Muſcæ encomio*, Νεοττιὰν δὲ, ἢ καλιὰν, οὐχ ἐνὶ τόπῳ καθίστησιν, ἀλλὰ πλάνητα τὴν πτῆσιν κατὰ τοὺς Σκύθας ἐπανῃρημένη, ὅπου ἂν τύχῃ ὑπὸ τῆς νυκτὸς καταληφθεῖσα, ἐκεῖ καὶ ἑστίαν καὶ εὐνὴν ποιεῖται. *Nidum autem, aut nidulum, non uno in loco, conſtituit, ſed,* Scytharum *in morem, vago volatu ſublata, ubicunque à nocte fuerit deprehenſa, ibi domum & cubile facit.* Eodem pertinet, quod qui maximè vagus eſt, & inconſtans, *Arabico* Proverbio dicitur eſſe اطيش من ذباب *Muſcâ inconſtantior.*

Muſcarum eſum concedunt nonnulli *Arabum*; quia ſæpe ex rebus conceſſis generantur: puta ex faba, quam corruptam ajunt *Arabes* in muſcas ita mutari, ut nihil ſuperſit præter corticem. Sed *Hebræi* muſcas vetabant, freti lege, quæ habetur *Deut.* 14, 19. *Omne reptile volucre immundum eſt: non comedetur.* Quam *Jonathan* ſic παραφράζει, וכל ריבבי חיבורי וזיזי רטלופחי ופולי דפרשי מן אוכלא ופרחין הי כעופא מסאבין אנון לכון לא יתאכלון. *omnes muſcæ, & veſpa* (ſeu *apes*) *& vermes lentium, & fabarum, qui, a cibo ſeparati, avis inſtar evolant, vobis erunt immundi, non comedentur.* Idem concludunt ex his *Levit.* 11, 20. *Omne reptile, volucre, & quadrupes, abominatio erit vobis.* Ubi *Jonathan*, וכל ריחשא דעופא דמהלך על ארבע זני דיבבי וזני אורעי וזני דבורי שיקצא הוא לכון ברם דובשא דזיבורי יתאכל, *Et omne reptile, volucre quadrupes, ſpecies muſcarum, & ſpecies crabronum, & ſpecies apum, abominatio erunt vobis: tamen mel apum comedetur.* Et ibidem *R. Selomo*, הם הדקים הנמוכים הרחושים על הארץ כגון זבובין וצרעין ויתושין וחגבין, *Hæc minuta ſunt animalcula, quæ ſuper terram repunt, ut muſca, & crabrones, & veſpa, & locuſta.* Si muſcas, crabrones, veſpas, & apes objeceris in cenſu reptilium quadrupedum ab *Hebræis* perperam poni, cum muſcarum genus non ſit τετράπους, ſed ἑξάπους: duos pedes anteriores reſpondebo non haberi pro pedibus; quia manuum vicem potiùs gerunt. Neque enim iis incedunt, quomodo quatuor reliquis, ſed oculos pulvere obſitos abſtergunt, cibos ſumunt, & quidquid tollendum eſt evehunt. *Lucianus* de muſca, Ἑξάπους δὲ οὖσα, τοῖς μὲν τέτταρσι βαδίζει μόνοις· τοῖς δὲ προσθίοις δυσὶ, καὶ ὡς χερσὶ χρῆται. Ἴδοις ἂν οὖν αὐτὴν ἐπὶ τεττάρων βεβηκυῖαν, ἔχουσάν τι ἐν ταῖν χεροῖν μετέωρον ἐδώδιμον ἀνθρωπικῶς πάνυ, καὶ καθ' ἡμᾶς. *Cum ſit ſexipes, quatuor tantùm pedibus incedit; aliiſque duobus anterioribus utitur tanquam manibus: ipſam igitur pedibus quatuor gradientem videas, & edule aliquid manibus in ſublime tollentem, humano prorſus noſtroque more.* Sed & *Philoſophus* libri quarti *De partibus* capite ſexto Τοὺς δὲ πόδας τοὺς προσθίους μείζους ἔνια τούτων ἔχει, ὅπως διὰ τὸ σκληρόφθαλμα εἶναι, ἐπειδὴ οὐκ ἀκριβῶς τὴν ὄψιν ἔχει, τὰ προσπίπτοντα τοῖς προσθίοις ἀποκαθαίρωσι σκέλεσιν· ὅπερ καὶ φαίνονται ποιοῦσαι αἵ τε μυῖαι, καὶ τὰ μελιττώδη τῶν ζῴων· ἀεὶ γὰρ χαρακίζουσι τοῖς προσθίοις σκέλεσι. *Pedes priores nonnulla* (animalia) *longiores habent, ut, quoniam propter oculorum duritiem non exquiſitè cernunt, prioribus illis pedibus id abſtergant, quod in oculos incidit. Quod & muſcas facere videas, & melliſica quæcunque ſunt animalcula. Semper enim prioribus pedibus* (tanquam palis) *quidvis in ſublime tollunt.* Ità reddendum. Nam χαρακίζειν hic eſt μετεωρίζειν, ut eſt in *Heſychio*; non *vallare*, & *protegere*, ut voluit *Gaza*. *Plinius* libri undecimi capite quadrageſimo octavo, *Inſectorum pedes primi longiores, duros habentibus oculos, ut ſubinde pedibus eos tergeant, ceu notamus in muſcis.* Damir, والذباب ليس له اجفان لصغر احداقه ومن شان الاجفان ان تصقل مراة الحدقه من الغبار فجعل الله له يدين يصقل بها مراة احداقه فلهذا ترى الذباب ابدا يمسح عينيه بيديه *Muſcæ non habent palpebras propter pupillæ parvitatem: ſed, cum palpebrarum proprium ſit, ut à ſpeculo pupillæ pulverem abſtergant, Deus illis dedit manus, quibus id præſtent. Illas igitur ſubinde videas oculos his manibus detergentes.*

Nec, ſine cauſa, reptilium, atque in his muſcarum, eſus *Judæis* prohibitus eſt: cum muſca ſit fœdum ac fœtidum animal, quodque ex immunditia naſcitur, atque in immundis libenter hæret. Et, ſive ad hominum menſas, aut ad Deorum aras accedat, dapes impudenter diripit, contactuque omnia fœdat. Quid, quod puſilla beſtia, ad myropolium volans, & in narthecio caſu mortua, unguentum in eo reconditum totum inficit? Unde illud *Solomonis* Eccleſ. 10, 1. *Muſcarum mortuarum* una *facit, ut fœtorem eructet unguentum pigmentarii. Sic parùm ſtultitiæ* fœtere facit hominem *ſapientiâ & gloriâ eximium.* Quomodo dicit *Paulus parùm fermenti totam maſſam corrumpere*, 1. Cor. 5, 6. Nam multò facilius corrumpitur, quod bonum eſt; quam emendatur, quod malum. Proinde notat *Aggæus* capitis ſecundi verſu duodecimo, & decimo tertio, rei ſacræ contactu rem immundam non conſecrari; ſed, contra, ſacram pollui contactu rei immundæ.

Quæritur, cur cum muſcis conferantur *Ægyptii* in his *Eſ.* 7, 18. *Sibilabit Dominus ad muſcam, quæ eſt in extremo fluminum* Ægypti: & varii varia afferunt. Hieronymus, *Muſcas autem* Ægyptios *vocat propter ſordes idololatriæ, & imbellem populum. Baſilius* reſpici putat τὸ εὐτελὲς τῶν ἀντικειμένων δυνάμεων· μυῖα γὰρ ἐπὶ ζῷον ἀπὸ κόπρου τὴν γένεσιν ἔχον, ὀχληρὸν τοῖς ἀνθρώποις γίνεται, καὶ μυσαρὸν ὄν, καὶ ἡ ζωὴ ὀχληρὰ, καὶ ὁ θάνατος βδελυκτός, *vilitatem copiarum, quæ* Iſraëlitis *oppoſitæ ſunt: muſca enim ex ſtercore generatur, & genus eſt hominibus infeſtum, & abominandum, cujus vita moleſta eſt, & mors execrabilis.* At *Cyrillus Ægyptios* muſcis comparari aſſerit διά τοι τὸ πλῆθος, καὶ τὸ μὴ λίαν εὔηχες τῆς φωνῆς, *propter multitudinem & ſermonem abſonum atque inconditum.* Quaſi non tam ſit ſermo, quam muſcarum ſuſurrus. Videtur ſimpliciſſimum, ut ad multitudinem id referamus

mus cum Chaldæo interprete, cujus Paraphraſis ſic habet; יכלי יי לעם קטרי משרית גבריא רסגיאין כדבביא ויתינן מארעא דמצרים, Clamabit Dominus ad populum ligationum exercitûs virorum fortium (id eſt, in quo copiæ virorum fortium ſimul junctæ, & conjuratæ) qui multi ſunt ut muſca & adducet eos de terra Ægypti. Sed & R. Selomo hic intelligit חילות רבות כזבובים exercitus muſcarum inſtar numeroſos. Et Abarbanel, המשיל אותם בזבוב לקלות מרוצתם ולרוב האספם Confert eos cum muſcis propter levitatem curſûs eorum, & propter multitudinem congregationis eorum. Quorum prius ex Kimchio: poſterius eſt ex Chaldæo, & Solomone; quod præferendum puto, quia Ægyptus olim ſuprà fidem fuit populoſa. Ad Dianæ feſtum Bubaſtim conveniſſe hominum ſeptingenta millia: & urbium in Ægypto viginti millia ſub Amaſi culta fuiſſe narrat Herodotus libri ſecundi capite ſexageſimo, & centeſimo ſeptuageſimo ſeptimo. In Ptolemæi Philadelphi regno, cujus maxima pars Ægyptus fuit, recenſet Theocritus Idyllio decimo ſeptimo oppidorum plus triginta tria millia. Rectè igitur Ægyptii cum muſcis conferuntur, quorum immenſa eſt multitudo. Unde Plautus in Truculento, Actûs primi Scena primâ,

Nam nunc lenonum, & ſcortorum plus eſt ferè,
Quam olim muſcarum eſt, cum caletur maximè.

Et Homerus, Iliad. β'. verſu 469. Græcorum copias in prato Scamandrio magno numero conſtitiſſe ait,

Ἠΰτε μυιάων ἀδινάων ἔθνεα πολλὰ,
Ut confertarum muſcarum gentes plurimas.

A Muſca nomen habet Beel-zebub Deus Accaronitarum, 2. Reg. 1, 2. LXX explicant μυῖαν Θεὸν Ἀκκαρὼν muſcam Deum Accaronis. Quod ſequuntur multi veterum. Ità Joſephus libri noni capite primo, Ochoziam miſiſſe narrat πρὸς τὸν Ἀκκάρων Θεὸν μυῖαν, τοῦτο γὰρ ἦν ὄνομα τῷ Θεῷ, ad Accaronis Deum muſcam, id enim erat nominis Deo. Et apud Suidam, voce Ἠλίας, ſcriptor vetus de eodem Ochozia; Ἐχρήσατο μυίᾳ τῷ ἐν Ἀκκάρων εἰδώλῳ, Muſcâ uſus eſt Accaronitarum idolo. Quo alludens Nazianzenus Oratione quartâ, Οὐδὲ ζητήσουσι μυῖαν Θεὸν Ἀκκαρὼν, ἢ εἴ τι ταύτης ἐστὶ γελοιότερον Neque quærent ampliùs muſcam Deum Accaronis, aut ſi quod aliud numen eſt illo magis ridiculum. Nempe Græci Patres hunc Deum putant ſub muſcæ imagine fuiſſe cultum. Theodoretus in hunc locum, Τί μυσαρώτερον μυίας; ἀλλ᾽ ὅμως τὴν εἰκόνα ταύτης Θεὸν ἀνηγόρευσαν. Muſca quid eſt odioſius? Tamen ejus imaginem Deum eſſe pronuntiaverunt. Et paulò poſt, Ἣν ζῶσαν ταῖς ῥιπίσιν ἐλαύνουσι, ταύτης τὸν τύπον Θεὸν προσηγόρευσαν· Quam vivam muſcariis abigunt, ejus figuram Deum appellaverunt. Quos ſequutus Philaſtrius in Catalogo Hæreticorum, qui ante Chriſtum vixerunt, Muſcaccaronitas cenſet, qui, inquit, muſcam colunt in civitate Accaron. Sed & Procopius eidem Deo muſcæ tribuit imaginem. Dubitat tamen, an fuerit Dæmonis nomen, aut vetulæ in Divos relatæ. Quod commentum refellit Hebræum nomen בעל־זבוב Beel-zebub, ex Maſculinis vocibus conflatum. Malo igitur Latinos ſequi, quibus Beel-zebub non eſt Nominativo caſu Deus muſca, ſed Genitivo Deus vel Dominus muſcæ. Auguſtinus in Johannem Tractatu primo, BEEL-ZEBUB interpretatum dicitur princeps muſcarum. Hieronymus in Eccleſiaſten capite decimo, Ab his muſcis etiam princeps appellatus eſt Dæmoniorum BEEL-ZEBUB, qui interpretatur aut idolum muſcarum, aut vir muſcarum, aut habens muſcas. Et in Matthæum capite decimo, BEEL-ZEBUB idolum eſt Accaron, quod vocatur in Regum volumine idolum muſcæ. Liber nominum in Johanne, BEEL-ZEBUB habens muſcas, aut vir muſcarum. Iſidorus Originum libri octavi capite undecimò, BEEL-ZEBUB, idolum fuit Accaron, quod interpretatur vir Muſcarum. Malim Deus, aut Dominus, aut Princeps muſcarum, ut in Auguſtino habetur. Nam בעל Baal, cum idoli nomen eſt, virum non ſonat, ſed Deum, aut Dominum. Neque ratio nominis eſt obſcura, cum etiam Græci Deum habuerint Μυιώδην, vel Μυίαγρον, vel Ἀπόμυιον, ſive is Jupiter, aut Hercules, aut alius aliquis Deus fuerit, à muſcis abigendis ſic appellatus. In quam rem diſerta ſunt loca veterum. Plinius libri decimi capite vigeſimo octavo, Elei Myiagron Deum (invocant,) muſcarum multitudine peſtilentiam adferente; quæ protinus intereunt, quà litatum eſt illi die. Alii, quàm litatum eſt illi Deo. Et libri vigeſimi noni capite ſexto, Nullum animal (muſcâ) minùs docile exiſtimatur, minorisve intellectus: eo mirabilius eſt, Olympio ſacro certamine, nubes earum immolato tauro Deo, quem Myiodem vocant, extra territorium id abire. Pauſanias in Arcadicis, ubi de nundinis Aliphærarum; Ἐν ταύτῃ τῇ πανηγύρει Μυιάγρῳ προθύουσιν, ἐπευχόμενοί τε κατὰ τοῦ ἱερείου τῷ ἥρωι, καὶ ἐπικαλούμενοι τὸν Μυίαγρον. Καί σφισι ταῦτα δρῶσιν, οὐδὲν ἔτι ἀνιαρόν εἰσιν αἱ μυῖαι. In illis nundinis uni ante omnes Myiagro rem divinam faciunt, Heroëmque ſuper hoſtiis precati, & Myiagri nomine implorato, poſtquam hæc præſtiterunt, muſcæ illis non ſunt ampliùs moleſtæ. Et in Eliacis prioribus, Φασὶ δὲ Ἡρακλεῖ τῷ Ἀλκμήνης, θύοντι ἐν Ὀλυμπίᾳ, διὰ ὄχλου μάλιστα γίνεσθαι τὰς μυίας. ἐξευρόντα οὖν αὐτὸν, ἢ καὶ ὑπ᾽ ἄλλου διδαχθέντα, Ἀπομυίῳ θῦσαι Διῒ, καὶ οὕτως ἀποτραπῆναι τὰς μυίας πέραν τοῦ Ἀλφειοῦ. Λέγονται δὲ κατὰ ταὐτὰ καὶ Ἠλεῖοι θύειν τῷ Ἀπομυίῳ Διῒ ἐξελαύνοντες τῆς Ἠλείας Ὀλυμπίας τὰς μυίας· Ajunt etiam Herculi Alcmenes filio, cum Olympiæ ſacrificaret, maximam muſcas exhibuiſſe moleſtiam. Eum itaque vel proprio inventu, vel monitu alieno, ſacra feciſſe Jovi Apomyio (quaſi dicas muſcarum abactori) atque ita muſcas trans Alpheum fuiſſe profligatas. Ac proinde dicuntur Elei Apomyio Jovi ſacra facere, qui ex Olympia Elidis muſcas abigat. De quo eodem ritu multa Ælianus Hiſtoriæ libri quinti capite decimo ſeptimo, & libri undecimi capite octavo. Et Antiphanes Comicus apud Athenæum libri primi capite quinto. Clemens etiam in Protreptico, Ἀπομυίῳ Διῒ θύουσιν Ἠλεῖοι, Ῥωμαῖοι δὲ Ἀπομυίῳ Ἡρακλεῖ. Et Solinus capite primo, ubi de ſacello Herculis Romæ in Boario foro; Divinitus illo neque canibus, neque muſcis, ingreſſus eſt. Etenim, cum viſcerationem ſacricolis daret, Myiagrum Deum dicitur imprecatus. Quod idem ex parte refert Plinius libri decimi capite vigeſimo nono, Romæ in ædem Herculis in foro Boario, nec muſcæ, nec canes intrant. Ut in Papho περὶ τὰ θυρώματα τὰ τῆς Ἀφροδίτης, circa fores Veneris (niſi ſit legendum περὶ τὰ θυσιάσματα circa ſacrificia Veneris) muſca nulla eſt. Ità ex Androne memorat Apollonius Mirabilium Hiſtoriâ octava. Et in Leucade è fano Apollinis Actii muſcæ diſcedunt bovis ſanguine ſaturatæ, ut habetur in Æliano libri undecimi Hiſtoria capite octavo. Nec in monte Cretæ, Carinâ, IXM. paſſuum ambitu muſcæ reperiuntur, ſi Plinio credimus libri vigeſimi primi capite decimo quarto. Sed & in Templo Dei Hieroſolymis tale aliquod miraculum obtigiſſe Judæi referunt in Pirke Aboth capitis quinti ſectione quinta. Verba ſunt, לא נראה זבוב בבית המטבחים, Muſca nulla viſa eſt in domo mactationum. Quæ ſi vera ſunt, Diabolus, ut ſolet, fuerit hac in parte Dei ſimia. Atque ut Apollo Athenis PARNOPIUS, & Hercules in Oëta monte CORNOPION appellatus eſt propter pulſas locuſtas: & ab Erythræis Ἰποκτόνος propter ἶπας interemptos, ſeu vermiculos, à quibus vites infeſtantur. Ità quisquis Deus muſcas abigere creditur, ut Græcè μυίαγρος, μυιώδης, & Ἀπόμυιος ſic Hebraicè BEEL-ZEBUB dictus fuerit,

id

id eſt, *muſcarum Dominus*. Qualem ſe prodidiſſe creditus eſt eas à ſacris ſuis amovendo, atque abigendo. Itaque hoc idoli illius verum nomen fuiſſe reor. Nec viro magno aſſentior, qui putat à cultoribus ſuis בַּעַל זְבָחִים *Beel-zebachim*, id eſt, *Deum ſacrificiorum*, appellatum; quod per contemptum in בַּעַל זְבוּב *Beel-zebub*, id eſt, *muſcæ Dominum*, *Iſraelitæ* detorſerint. Nam, ut taceam *Zebub* & *zebachim* voces eſſe tam diſſimiles, ut inter illas vix videatur quæſita fuiſſe alluſio; nec vero eſſe conſentaneum, ut ab oblatis victimis Deus ullus nomen traxerit, cum omnibus id fuerit commune, ut victimarum oblatione colerentur: certum eſt *Ochoziam* ſeriò egiſſe, cum dixit, *Ite, & conſulite* Beel-zebub *Deum* Accaron, *an ex hoc morbo convaliturus ſim*. Neque enim eum Deum ludos habuerit *Ochozias*, quem in morbo jubebat de ſalute ſua conſuli. Itaque nomen *Beel-zebub* tam apud *Philiſtæos*, quam apud *Iſraelitas* in uſu fuiſſe reor. Sed cum in *Evangelio* legatur *Beel-Zebul* cum L in fine, ac ſi dicatur à voce זְבֶל *zebel*, quæ *ſtercus* ſonat, poſteriores *Judæos* putaverim interpolâſſe nomen, ut inter *ſtercoreos* Deos *Beel-zebub* ſic rejicerent. Quamvis nihil ſit neceſſe, cum in linguis illis B Finale quandoque mutetur in L. Ità ſinus *Arabici* oſtium vulgò *Babel-mandel* dicitur pro *Arabico* باب المندب *Bab-el-mandab*. Et *nablium*, Hiſpanis *rabel*, *Arabibus* eſt رباب *rebab*. Pari ratione *Beel-zebul* dici potuit pro *Beel-zebub*.

Difficilior eſt quæſtio, cur *Matth*. 12, 24. & *Luc*. 11, 15. *Phariſæi* ſive *Beel-zebub*, ſive *Beel-zebul*, Dæmonum principem eſſe voluerint, qui *Hebræorum* aliis eſt אַשְׁמְדַאי, *Aſmodæus*. Neque habeo, quod reſpondeam, niſi quod *Philiſtæorum* urbs *Accaron* etiam ſcribitur *Acharon* ab *Hieronymo*, & aliis: quo cum *Acheron* proximè alludat, potuit ab ignaris *Deus-Acharon*, cum *Acherontis* Deo, id eſt, cum *Plutone*, confundi, quem præfecit *Inferis Gentilium* Theologia. Notum enim eſt, *Hebræos* poſteriores non pauca ſuæ linguæ vocabula è *Græca* deduxiſſe. Quale eſt, quod τὰ Ἱεροσόλυμα *Joſephus* ita dici vult propter τὸ ἱερὸν, id eſt, Templum ibi conditum. Et torrentem *Jabok* is ipſe *Jobacchum* vocat: tanquam ab *Jobaccho* Deo appellatum. Idem iis fuit animus, qui, pro torrentibus *Kedron* & *Kiſon*, χειμάῤῥους τῶν κέδρων, & τῶν κισσῶν, primi dixerunt, ac ſi à *cedris* & *picis* ſic vocarentur. Et *Scitta* urbs *Scythopolis* dicta eſt, tanquam à *Scythis*. Et AR *Moabitarum* Ἀρεόπολις, quaſi *Martis urbs*. Et nomen *Taphnes* mutatum in *Daphnes*, ut vocari crederetur ἀπὸ τῶν ἐκεῖ πολλῶν πεφυκυιῶν δαφνῶν, *à multa lauru ibi conſita*. Denique pari de cauſa ex *Philiſtæis* facti Ἀλλόφυλοι, ex *Pibeſeth* Βύβαστος, ex *Giblis Byblii*, ex *Horais Heroum urbs*, ex *Jabneel* Ἰάμνια, quaſi hoc nomen habuerit, ὅτι ἰάμνας ἐκάλουν τοὺς καθύγρους, καὶ τεθηλότας τόπους, *quia locos humidos & virentes iamnas vocabant*. Ità *Stephanus*. Et *Ptolemais*, pro עַכּוֹ *Accho*, Ἄκη dicta eſt, tanquam, ἀπὸ τοῦ ἀκεῖν, quia ibi ſanatus *Hercules*.

CAPUT DECIMUM.

Apum nomen & origo. Quomodo repertæ legantur in Leonis cadavere. Eaſdem audire, æris tinnitu terreri, fumo pelli, & fortitudine eſſe inſignes in varia Scripturæ loca

Apis *Hebræis* דְּבוֹרָה debora, *dicta* à mirabili ductu & ordine. *Apes non ſolum ex apibus, ſed & ex bove naſci. Quomodo id fiat.* Σκῆνος tabernaculum *pro* corpore *in* Nicandro, *ut in* Paulo. *Quomodo apes* Samſon *reperit in leonis cadavere, cum indè non naſcantur, & à carne abſtineant, & graves odores fugiant, unde eſt, quod apes, in alveari mortuas, ſuperſtites efferunt, ne tetrum odorem exhalent.* Didymus *obiter explicatus*. Reſp. 1. *Apes ibi repertæ, non natæ. Apes quaſdam eſſe* λεοντογενεῖς *leoninâ ferociâ, meræ fabulæ. Quin in* Æthiopia, *ubi leones, apes ſunt mitiſſimæ: at aſperrimæ in* Scythia, *quæ leonibus vacat. Apes ab* Herodoto è Scythia *perperam excluſæ, ut animal* δύσριγον. Ælianus *emendatus*. 2. *Cadaver leonis, in quo apes, fuit* σκελετὸν. *Mel enim ibi repertum non ſtatim à cæde, ſed* pòſt dies, *id eſt*, poſt annum Hebræâ *Phraſi*. *Sic apes mellificæ* Amathunte *in* Oneſili *capite, & in* Hippocratis Coi *ſepulchro, in aliis item* Veronæ. *Apes audire quidam negant. Tamen ad* Eſ. 7, 18. *ſibilo vocari ait* Cyrillus, *ut alii tinnitu æris, & teſtis colliſis, terreri.* Ariſtoteles *hic ambiguus*. Deut. 1, 44. *apes fumo irritari juxta* Syrum, *&* Chaldæum, *qui emendatur. Id* Græcis θύειν *&* ἐπαύειν. *Et* Arabibus جلا *&* Hebræis מַדְּף maddaph, *vas quo fumigantur.* Heſychius *obiter emendatus. Ex apum fumigatione ductæ ſimilitudines, ut à* Moſe, *ſic à* Poëtis. *Hoſtes infenſiſſimos cum apibus meritò conferri*, Pſal. 118, 12. *&* Eſ. 7, 18. *Quia apes ſunt fortiſſimæ, nec animalia vaſtiſſima infeſtis aculeis aggredi timent. Apes in bello hoſti objectæ. Loca inacceſſa propter apum multitudinem. Adulteri à* Judæis *nudi apibus expoſiti.*

HEbræum דִּבֶּר non ſolum *loqui* ſignificat, ſed & *ordinare, regere, ducere, deducere*, ex *Chaldæorum* uſu. Exempla vide 1. *Sam*. 8, 21. *Pſal*. 47, 4. & 18, 48. Indè *apis* Hebraicè דְּבוֹרָה *debora*; *Chaldaicè* דִּבּוּרָא *dabbara*, dicitur à *mirabili ductu* & *ordine*: ut *Arabicè* دبر *dabron* eſt *examen apum*. Politicum enim eſt hoc animalculum, Reges habens, & populos, & urbes, & prætoria. De quibus è *Græcis* potiſſimum conſulendi, *Ariſtoteles*, *Ælianus*, & ſcriptores *Geoponicῶn*; ut, è *Romanis*, *Varro*, *Virgilius*, *Columella*, *Plinius*; & ex *Arabibus*, *Damir*, & *Alkazuinius*: quorum ſcrinia in argumento tam trito compilare mihi non vacat.

Apes non ſolùm ex apibus, ſed & ex bove progenerari conſtans fama eſt apud Scriptores. *Antigonus Mirabilium Hiſtoriâ* vigeſimâ tertiâ, Ἐν Αἰγύπτῳ τὸν βοῦν ἐὰν κατορύξῃς ἔν τόποις τισὶν, ὥστε αὐτὰ τὰ κέρατα τῆς γῆς ὑπερέχειν, εἶθ᾽ ὕστερον ἀποπρίσῃς, λέγουσιν μελίττας ἐκπέτεσθαι· σαπέντα γὰρ αὐτὸν εἰς ταύτας διαλύεσθαι τὸ ζῶον. *In nonnullis Ægypti locis ſi bovem ità defoderis, ut cornua ſupra terram extent, quæ deinde ſerrâ amputes, ajunt apes evolare: eum enim putrefactum in hoc animal mutari.* *Varro* itidem de bove, *Ruſticorum* libri ſecun-

di capite tertio, *Scio ex hoc putrefacto naſci dulciſſimas apes, mellis matres: à quo eas* Græci βουγόνας *appellant.* Et libri tertii capite decimo ſexto, *Apes naſcuntur partim ex apibus, partim ex bubulo corpore putrefacto. Columella* libri primi capite decimo quarto, *Progenerari apes poſſe juvenco perempto,* Democritus, & Mago, *nec minus* Virgilius *prodiderunt.* Mago *quidem ventribus etiam bubulis idem fieri affirmat. Philo* Περὶ θυσιῶν, Μέλιττα ζῶόν ἐστιν οὐ καθαρὸν, ἐκ σήψεως καὶ φθορᾶς νεκρῶν, ὡς ὁ λόγος, βοῶν γεννώμενον· *Apis impurum eſt animal, quodque ex mortuorum boum putredine & corruptione naſci ajunt. Plinius* libri undecimi capite vigeſimo, *Sunt, qui apes in totum amiſſas reparari* (putent,) *ventribus bubulis recentibus cum fimo obrutis. Plutarchus* in extremo *Cleomene*, Μελίττας μὲν βόες, σφῆκας δὲ ἵπποι κατασαπέντες ἐξανθοῦσι· *Apes quidem boves, veſpas autem equi putrefacti emittunt. Ælianus* in fine libri ſecundi, Ἀποθανὼν δὲ βοῦς γενναῖόν τι χρῆμα, καὶ ἀξιέπαινον· μέλιτται γοῦν ἐκ τῶν ἐκείνου λειψάνων ἐκφύονται. *Bos etiam mortuus res eximia eſt, & magni facienda; cum ex ejus reliquiis enaſcantur apes. Galenus* libri *An animal ſit quod in utero continetur* capite quinto, Οὐ δὲ γὰρ ὅπως ἐν φυτοῖς σκώληκες γίνονται, ἢ ἀφ᾽ ἵππων καὶ βοῶν οἱ σφῆκες, καὶ μέλιτται, ῥᾴδιον ἡμῖν λέγειν· *Neque enim nobis facile dictu eſt, quo pacto vermes in plantis gignantur, aut ex equis bobusque veſpæ & apes. Origenes* contra *Celſum* libro quarto, *Cum non miremur etiam nunc ex homine mortuo ſerpentem fieri, è dorſi medulla, ut quidem ajunt; & ex bove apem, ex equo veſpam, ex aſino ſcarabæum. Servius* in librum quartum *Georgicorum*, *Apum ſunt multa genera. Propriè tamen vocantur apes de bobus, fuci de equis, crabrones de mulis, veſpæ de aſinis* Et quâ ratione id fiat, narrat pluribus *Florentinus* libro decimo quinto *Geoponicῶn*, capite Περὶ μελισσῶν, καὶ πῶς ἂν ἐκ βοὸς γένηται ὃ καλεῖται βουγόνη, *De apibus, & quomodo ex bove fiat quod vocatur* BUGONE. Concinunt multi *Poetæ*, ut è *Græcis* in *Antigono Philetas*; is nempe, quem teſtatur *Suidas Ptolemæi ſecundi* fuiſſe præceptorem, & *Elegias* atque *Epigrammata* ſcripſiſſe.

Βουγενέας φάμενος προσεβήσαο μακρὰ μελίσσας,
Taurigenas hac fatus apes longinquus adiſti.

Et apud *Varronem Archelaüs*, cum apes vocat

\- - - - βοὸς φθιμένης πεποιημένα τέκνα,

corrupta bovis factitiam prolem. Et idem rurſus,

Ἵππων μὲν σφῆκες γενεαὶ, μόσχων δὲ μέλισσαι·
Veſpæ ab equis, ſed apes taurorum ab origine natæ.

Quem *Nicander* ſic imitatur in *Theriacis* verſu 741.

Ἵπποι γὰρ σφηκῶν γένεσις, ταῦροι δὲ μελισσῶν,
Σκήνεσι πυθομένοισι, λυκοσπάδες ἐξεγένοντο·

Diſcerpti enim à lupis equi veſpas, & tauri apes, corporibus corruptis, progenerarunt. (Ubi obiter nota σκῆνος *tabernaculum* pro *corpore* ſumi, ut à *Paulo* 2. Cor. 5. 1. 4.) Et *Ovidius* libro decimo quinto *Metamorphoſeωs*,

\- - - - - *mactatos obrue tauros.*
(Cognita res uſu) de putri viſcere paſſim
Florilegæ naſcuntur apes, quæ, more parentum,
Rura colunt, operique favent, in ſpemque laborant.

Sed omnium uberrimè *Poëtarum* princeps libro quarto *Georgicorum*, ex quo ſit ſatis hæc pauca protuliſſe:

Hic verò ſubitum ac dictu mirabile monſtrum
Aſpiciunt, liquefacta boum per viſcera toto
Stridere apes utero, & ruptis effervere coſtis,
Immenſásque trahi nubes, jámque arbore ſummâ
Confluere, & lentis uvam demittere ramis.

Hæc de apum origine veteres cùm tanto conſenſu referant, mirum videri queat, quòd legitur, *Judicum* capitis decimi quarti verſu actavo, *Samſonem* in leonis cadavere עדת דברים, *examen apum* reperiſſe. Maximè, cùm apes à carne legantur abſtinere, & graves odores prorſus fugere. *Ariſtoteles* libri noni capite quadrageſimo, πρὸς σάρκα δὲ οὐδενὸς καθίζει, οὐδὲ ὀψοφαγεῖ· *Carni nullius animalis aſſidet, neque obſoniis inhiat.* Varro *Ruſticorum* libri tertii capite decimo ſexto, *Nulla harum aſſidet loco inquinato, aut eo, qui malè oleat.* Item, *Non ut muſcæ ligurriunt, quod nemo has videt (ut illas) in carne, aut ſanguine, aut adipe. Plinius,* libri undecimi capite vigeſimo primo, de veſpis, & crabronibus; *Omnes carne veſcuntur: contra, quam apes, quæ nullum corpus attingunt. Phile* de ape, capite vigeſimo octavo;

Καὶ ζῇ μὲν ἁγνὸν ἡ σοφὴ χρεὼν βίον,
Ἄγευστος οὖσα νεκρικῶν σπαραγμάτων·

Et vitam quidem caſtam ſapiens exigit, nec diſcerptas cadaverum carnes deguſtat. Didymus *Geoponicῶn* libro decimo quinto, Ἔστι δὲ καὶ καθαρὸν ὑπερβαλλόντως τὸ ζῶον, οὐδενὶ τῶν δυσωδῶν καὶ ἀκαθάρτων προσιζάνον, οὔτε λιχνεῦον· οὔτε γὰρ σαρξὶν, οὔτε αἵματι, οὔτε λιπάσματι οὐδενὶ προσίπταται· *Eſt & maximè purum animal, nec graveolenti aut impuræ rei inſidens, neque ligurriens* (*Græcè* οὔτε λίχνον, quod alii abſurdè reddunt *neq; ad lucernam*) *neq; enim ad carnes, aut ad ſanguinem, aut ad ullam pinguedinem advolat.* Quin apis, ſi quæ moriatur in alveari, ſuperſtites cadaver efferunt, ne tetrum odorem exhalet. *Virgilius,*

\- - - - *tum corpora luce carentum*
Exportant tectis, & triſtia funera ducunt.

Plinius libri undecimi capite decimo octavo, *Defunctas progerunt, funerantiumque more comitantur exequias.* Elianus *Hiſtoriæ* libri quinti capite quadrageſimo nono, Χελιδὼν ἐκβάλλει χελιδόνα νεκρὰν, καὶ μέλιτταν μέλιττα· *Hirundo hirundinem mortuam effert, & apem apis.* Damir, اذا هلك شي منها داخل الخلايا اخرجته الاحيا خارج *Cum obiit una ex iis in alveari, vivæ illam foràs efferunt.*

His, quæ in Sacrum textum poſſunt objici, duo habeo, quæ reſpondeam: Primò, apes in leonis corpore fuiſſe repertas, non tamen ibi natas. Neque enim id auctor aſſerit. Proinde falluntur, qui hinc adſtruunt apum genus λεοντογενῶν, cum apes à leone naſci in veterum ſcriptis nuſquam legatur. Nec audiendus *Muffetus Anglus*, qui in *Inſectorum Theatro* alias apes ſcribit eſſe λεοντογενεῖς, alias ταυρογενεῖς· Optimas nimirum, & verè nobiles, ex leone habere originem, harumque Principes, & Reges, ex ejus cerebro ſtemma deducere. Unde fieri, quod, tantulæ cum ſint, ingentiſſima nonnunquam animalia aggrediantur, & leonina ferociâ præditæ nihil timeant. Quæ ſi vera eſſent, in locis, quæ leonibus ſcatent, apes eſſent acerbiſſimæ. At rem planè ſecus ſe habere nullo negotio probavero. In *Æthiopia* ſiquidem, ubi terribiles illos leones ex αὐτοψίᾳ deſcribit *Oppianus* libro tertio *Cynegeticῶn*, apes ſunt ità cicures, ut inter hominum cubilia nidificare ſoleant. Ità teſtatur *Alvarez* in *Æthiopia* ſua. Contrà, in (*a*) *Creta*, ubi nec leones, nec lupi, nec vulpes, nec urſi, nec maleficum ullum eſt animal, apes tam acerbæ fuerunt, ut nonnunquam incolas è ſedibus ſuis pepulerint: quod infrà probabitur. Et in (*b*) *Scythia*, à qua leones maximè abſunt, loca quædam trans *Iſtrum* fuêre olim inacceſſa; quia apes illa ſic occupabant, ut non liceret ulteriùs progredi. Id è *Thracibus Iſtro* proximis ſe accepiſſe refert *Herodotus* libri quinti capite decimo. Quod tamen ipſe rejicit ut parùm veriſſimile, eo quod apes videantur eſſe ζῶα δύσριγα, *animalia frigoris impatientia.* Sed *Herodotum* refellunt multi ſcriptores. Ut *Maximus Tyrius* Oratione ſecundâ *De Amore*, Σκυθῶν δὲ οἱ μὲν πολλοὶ, γάλακτι βιοτεύουσιν, ὡς οἱ ἄλλοι ἐπὶ οἴνῳ, τοῖς δὲ αἱ μέλιτται καθιδρύουσι τὸ σῶμα, ἐπὶ πετρῶν καὶ δρυῶν διαπλάττουσαι τὰ σίμβλα. Scytharum *Plerique vitam lacte ſuſtentant, perinde atque alii vino: aliis verò apes, quæ vel in ſaxis vel in quercubus favos conſtruunt,*

(a) Plin. lib. 8. cap. 58.

(b) Ælian. lib. 17. cap. 35.

conſtruunt, potum edulcant. Et *Ælianus* lib. 2. cap. 53. *Meminit quendam literis mandaſſe*, καὶ μελίττας ᾽Σ οὐδίδας (?), ἐπαΐειν τι τῆς κρύους οὐδὲν, καὶ μὲν τοι καὶ πεπορίσκειν εἰς Μυσοὺς κομίζοντας Σκύθας, οὐκ ἰθνεῖον (lege ὀθνεῖον) σφίσιν, ἀλλ᾽ ἀνθιγενὲς (lege αὐθιγενὲς) μέλι καὶ κηρία ἐπιχώρια, *apes etiam in* Scythia *eſſe, quæ à frigore non lædantur. &* Scythas *mel non externum, ſed vernaculum, & indigenas favos venum ad* Myſos *exportare. Nec in me quiſquam indignetur, quod contra ſcribam ac* Herodotus. *Nam qui hæc ſcribit, hiſtoriam ſe afferre, non incertam famam decantare teſtatus eſt.* Et *Matthias à Michou* lib. 2. *De Sarmatia Europea* cap. 1. *Hæc eſt terrarum fertiliſſima*, C*ererisque & mellis feraciſſima.* Item, *Examina vero apum non ſolum in mellificiis & arboribus cavatis mellificant, verum in arboribus, & terra, mella ſponte reponunt.* Et *Paulus Jovius* in libro *De legatione Moſchovitarum*, *Certiſſima* Moſchoviæ *meſſis in cera & melle conſiſtit. Regio enim tota fœcundiſſimis apibus plena eſt: quæ non in manufactis agreſtium alvearibus, ſed in ipſis arborum cavis probatiſſima mella conficiunt.* Cætera ibi vide de permagnis mellis lacubus, & de ruſtico, quem in mellis gurg te demerſum urſa mirè liberavit. Neque enim in re notiſſima libet diutius immorari.

Secundò, ne quæratur, quomodo *Samſonis* apes cadaveris carnes attigerint, aut tetrum odorem tulerint, cum ab utroque apes abhorreant, ajo *cadaver* hic vocari, quod potius erat σκελετὸν σῶμα, *corpus exſiccatum* atque *arefactum*, & in quo nihil quidquam ſupererat præter compagem oſſium. Ita accipit *Syrus* interpres, qui ܫܠܕܐ ܓܪܡܢܐ reddidit, id eſt, *cadaver oſſeum*, ſeu, quod idem eſt, σκελετόν. Cui interpretationi favet, quod leonis cadaver ſuper terram diu jacuerat. *Samſon* enim, qui occiderat, reliquit in agro jacentem, וישב מימים, *& reverſus eſt poſt dies* (ſic habetur ad verbum) *ut duceret* Dalilam, *& ſeceſſit, ut videret cadaver illius leonis. Poſt dies*: id eſt, *poſt annum.* Ita *Hebræi* hoc loco ſumunt, & in Scriptura paſſim. Sic *Gen.* 4. *v.* 3. *Et fuit* מקץ ימים, *in fine dierum*: id eſt, *in fine anni.* Geneſ. 24. v. 55. *Maneat puella nobiscum* ימים או עשר, *dies, aut decem*: id eſt, *annum, aut decem menſes.* Levit. 25. v. 29. *Cum quis vendiderit domum*, &c. ימים תהיה גאלתו, *per dies erit redemptio ejus*: id eſt, *per annum durabit jus eam redimendi, & donec compleatur* שנה תמימה, *annus integer*; ut explicatur ſequenti verſu. *Judic.* 11. *v.* 4. *Et fuit poſt dies*, (id eſt, *poſt annum*) *ut bellum gererent* Ammonitæ *contra* Iſraelitas. Et verſ. 40. מימים ימימה, *A diebus ad dies* (id eſt, *ab anno ad annum*, uno verbo *annuatim*) *ibant filiæ* Iſraelis *ad lugendam filiam* Jephthæ. Ut 1. *Sam.* 1. *v.* 3. *Aſcendebat vir ille à diebus in dies, ut adoraret in Silo*: id eſt, שנה בשנה, *annuatim*, ut explicatur verſ. 7. Et ejuſdem capitis verſ. 20. *In revolutione dierum*: (id eſt, *anni*) *concepit* Anna, *& peperit filium.* Et cap. 2. v. 19. *Ad immolandum ſacrificium dierum*: id eſt, *annuum.* Et cap. 27. v. 7. *Et fuit numerus dierum, quibus habitavit* David *in agro* Philiſtæorum, ימים וארבעה חדשים, *dies* (id eſt, *annus*) *& quatuor menſes.* Hac locutione nihil frequentius. Itaque cum *Samſon* legitur *reverſus poſt dies*, &c. idem eſt, ac ſi dicatur poſt annum demum reverſus ſeceſſiſſe, ut videret cadaver leonis ante annum interempti. Ex quo proinde veriſimile eſt nihil præter oſſa ſuperfuiſſe, cum carnes conſumpſiſſet tempus, aut feræ devoraſſent. In tali porrò ſceleto quidni potuerit apum examen conſiſtere, & mel ſuum conficere, quomodo in *Oneſili* capite ad *Amathuntis* portam ſuſpenſo? Ita enim habet *Herodotus* lib. 5. cap. 114. Ὀνησίλου μὲν Ἀμαθούσιοι, ὅτι σφέας ἐπολιόρκησε, ἀποταμόντες τὴν κεφαλὴν, ἐκόμισαν ἐς Ἀμαθοῦντα, καὶ μιν ἀνεκρέμασαν ὑπὲρ τῶν πυλέων· κρεμαμένης δὲ τῆς κεφαλῆς, καὶ ἤδη ἐούσης κοίλης, ἐσμὸς μελισσέων, ἐσδὺς ἐς αὐτὴν, κηρίων μιν ἐνέπλησε· Oneſili *caput* Amathuſii, *quia ipſos obſederat, amputatum, &* Amathuntem *delatum, ſupra portas ſuſpenderunt. Illud autem ſuſpenſum, cum exinanitum jam eſſet, examen apum ingreſſum favis implevit.* Et in ſepulchro *Hippocratis*, ſi *Sorano* credimus in ejus *Vita*, μέχρι πολλοῦ σμῆνος ἦν ἐργαζόμενον μέλι, *mellificantium apum examen diu fuit.* Neque eſt abſimile, quod in *Aldrovando* legi, lib. 1. *De Inſectis* pagina 110. *Veronæ* in æde *Sanctæ Crucis* in ſepulchro ſororum Cl. Juriſperiti *Bartholomæi Vitalis*, quarum una occubuerat Anno 1558, altera Anno 1562, apes inter utrumque cadaver mellis favos copioſe confeciſſe, donec Anno 1566 ſepulchrum fulmine apertum, abſque ulla vel cadaverum vel favorum læſione, favos ipſos, atque apes numeroſiſſime mellificantes, coram omnibus exhibuerit.

Sunt, qui apes audire negent: tamen ad *Eſa.* 7. *v.* 18. *Sibilabit Dominus ad muſcam, quæ eſt in extremo fluminum Ægypti; & ad apem, quæ eſt in terra* Aſſur, ita *Cyrillus*, Πεποίηται δ᾽ ἐν τούτῳ ὁ λόγος, ὡς ἐκ μεταφορᾶς τῆς τῶν μελισσοκόμων ἐμπειρίας, οἳ συρίσμασι τὰς μυίας ἀποφέρουσί τι (lege ἀποφέρουσί τι) τῶν σίμβλων εἰς ἀγροὺς, καὶ πάλιν ἀνακομίζουσι· *Figurata eſt oratio, tanquam Metaphorâ ſumptâ ex mellariorum induſtria, qui ſibilis muſcas ab alvearibus in agros evocant, & iterum reducunt.* Et in *Eſa.* 5. *v.* 26. *Aſſibilabit illis ab extremo terra*, idem *Cyrillus*, Λήψεται δὲ καὶ τοῦτο πάλιν, ὡς ἀπὸ γε τῆς συνηθείας τῆς ἐπὶ τῶν μυιῶν. Ἐν ἔθει γάρ πως ἐστὶ τοῖς μελισσοκόμοις συρίζειν αὐταῖς· ὥστε τι τῶν σίμβλων ἀποφέρειν εἰς ἄνθη, καὶ πόας, καὶ μὴν καὶ ἀνακομίζειν ἐξ ἀγρῶν, οἴκοι τε αὐτὰς ἐναυλίζεσθαι ποιεῖν. *Sumit hoc rurſus velut ex muſcarum* (id eſt, apum) *conſuetudine. Solent enim apiarii iis aſſibilare, & ita ex alvearibus ad flores, & herbas eas educere, & ex agris revocare, domique ut immorentur efficere.* Alii tinnitum æris, aut teſtas colliſas, in eundem uſum adhibent. *Columella* lib. 10. cap. 7. *Quod* (examen) *ſive eſt abditum ſpecu, fumo elicietur: &, cùm erupit, æris ſtrepitu coercetur.* Et cap. 12. *Crepitaculis æreis, aut teſtarum plerunq; vulgò jacentium ſonitu terreatur fugiens juventus.* *Plinius* lib. 11. cap. 20. *Gaudent plauſu, atq; tinnitu æris, eoq; convocantur. Quo manifeſtum, auditus quoque ineſſe ſenſum.* *Ælianus* lib. 5. cap. 13. Ὅταν γοῦν σκιρτήσωσι, καὶ πλανηθῶσιν, ἐνταῦθα οἱ σμηνουργοὶ κροτοῦσι κρότον τινὰ ἐμμελῆ τε, καὶ συμμελῆ. αἱ δὲ ὡς ὑπὸ σειρῆνος ἕλκονται, καὶ μέντοι ὑποστρέφουσιν εἰς τὰ οἰκεῖα αὖθις. *Cum laſciviunt, & aberrant, tum apiarii ſonum quendam canorum & harmonicum edunt. Eæ autem tanquam à* Sirene *retrahuntur, & ad conſueta domicilia revertuntur.* Virgilius,

Tinnitusq; cie, & Martis *quate cymbala circum*; ut nimirum vagas apes ad alvearia revoces. Et paulò poſt, cùm ad pugnam exeunt,

- - - - - - - - - - *morantes*
Martius *ille æris rauci canor increpat, & vox*
Auditur fractos ſonitus imitata tubarum.

Et rurſus,

Curetum *ſonitus crepitantiaq; æra ſequutæ,*
Dictæo *cœli Regem pavêre ſub antro.*

Ovidius de Baccho lib. 3. *Faſtorum* verſu 739.

Jamq; erat ad Rhodopen Pangæaq; *flumina ventum,*
Æriferæ comitum cum crepuêre manus.
Ecce! nova coeunt volucres tinnitibus actæ,
Quosq; movent ſonitus æra ſequuntur apes.

Lucanus libri 9. verſu 288.

- - - Phrygii *ſonus ut crepat æris,*
Attonitæ poſuêre fugam, ſtudiumq; laboris
Floriſegi repetunt, & ſacri mellis amorem.

Clau-

Claudianus *Panegyrico* in ſextum *Conſulatum Honorii* verſu 259.

> \- - - - - *qualis*, Cybeleïa *quaſſans*
> Hyblæus *procul æra ſenex, revocare fugaces*
> *Tinnitu conatur apes, quæ ſponte relictis*
> *Deſcivêre favis.* - - - - -

Didymus *Geoponicῶn* lib. 15. Θέλγεται δὲ τοῦτο τὸ ζῶον, καὶ κάλλιστον μέλος· ὅθεν οἱ μελισσουργοὶ διασκορπιζομένας αὐτὰς κυμβαλίζοντες, ἢ τὰς χεῖρας ἐυρύθμως κροτοῦντες συνάγουσι. *Mulcet etiam hoc animal dulcedo cantus. Unde eſt, quod apiarii diſperſas apes, cymbalis pulſatis, aut manus concinnè plaudentes congregant.* His *Philoſophus* fruſtra opponitur, quaſi, primo *Phyſicorum*, apes auditu carere aſſerat. Neque enim locum, quem citant, uſquam reperio. Quin *Hiſtoriæ* lib. 9 cap. 40. eas manè ad opus ſono excitari, & adveſperam altero ſono edito ab opere revocari dicit, ut ad quietem ſe componant. Ὄρθριαι inquit, σιωπῶσιν, ἕως ἂν μία ἐγείρῃ βομβοῦσα δὶς, ἢ τρίς· τότε δ᾽ ἐπ᾽ ἔργον ἀθρόαι πέτονται· καὶ ἐλθοῦσαι πάλιν, θορυβοῦσι τὸ πρῶτον. κατὰ μικρὸν δ᾽ ἧττον, ἕως ἂν μία περιπετομένη βομβήσῃ ὥσπερ σημαίνουσα καθεύδειν· εἶτ᾽ ἐξαπίνης σιωπῶσι· *Manè ſilent, donec una excitaverit bombo edito bis, aut ter. Tum vero confertim ad opus evolant. At reverſæ primum fremunt: ſed paulatim minus minusq́ue, donec una circumvolitans bombum edat, quaſi ſigno dormiendi dato: atque exinde continuò ſilent.* Unde *Plinius* lib. 11. cap. 10. *Noctu quies in matutinum, donec una excitet gemino aut triplici bombo, ut buccino aliquo.* Item, *Cum adveſperaſcit, ſtrepunt in alveo minus ac minus, donec una circumvolet, eodem quo excitavit bombo, ceu quietem capere imperans, & hoc caſtrorum more. Tum repentè omnes conticeſcunt.* Tamen, ut dicam quod res eſt, *Philoſophus* paulò ante rem in incerto reliquerat his verbis, Δοκοῦσι δὲ χαίρειν αἱ μέλιτται καὶ τῷ κρότῳ. διὸ καὶ κροτοῦντές φασιν ἀθροίζειν αὐτὰς εἰς τὸ σμῆνος, ὀστράκοις τε, καὶ ψόφοις. ἔστι μέν τοι ἄδηλον ὅλως, εἴτε ἀκούουσιν, εἴτε μὴ, καὶ πότερον ἢ δι᾽ ἡδονὴν τοῦτο ποιοῦσιν, ἢ διὰ φόβον. *Plauſu etiam gaudere videntur apes. Quapropter ſonitu æris, aut fictilis, dicuntur in alveare congregari. Prorſus tamen incertum eſt, an audiant; & utrum id faciant præ voluptate, aut præ metu. Deut. 1. v. 44.* dicit *Moſes Amorrhæis*, quos *Chananæorum* omnium infeſtiſſimos experti erant *Iſraelitæ*; *Vos perſequuti ſunt*, כאשר תעשינה דבורים, *ſicut faciunt apes.* Ita plerique veteres. Sed *Syrus* multò aliter, *Vos perſequuti ſunt, quomodo apes* ܡܬܬܢܢܐ *fumigatæ*: (vel, *fumo irritatæ*) perſequuntur invadentem. Et *Arabs* manu-ſcriptus, quem in *Suecia* vidi, فطردوكم كما يطرد النحل بالدخان *Et vos expulerunt, quomodo apes fumo expelluntur. Chaldæus* etiam *Onkelos* ita legendus, כמא דתנן דבריתא *ut qui fumigat apes.* Nam vox דנתן, quam variè torquent, nullum commodum ſenſum admittit. Hi nimirum interpretes pro תעשינה *thaaſena*, id eſt, *faciunt*, legiſſe videntur תעשנה *theaſſenna*, id eſt, *fumigantur*; levi in literis mutatione, nec ſenſu incommodo. Notum enim eſt, eos, qui caſtrant alvearia, apes priùs fumo absterrere. Unde *Poeta* lib. 4. *Georgicorum* verſu 230.

> \- - *fumosq́ue manu prætende ſequaces.*

Et ibi *Servius*, *Fumum etiam profer, ut, cum his rebus territæ illæ diſceſſerint, impunè poſſis mella colligere.* Item, *Sequaces fumos, quippe apum perſecutores, ut* "Maleæq́ue *ſequacibus undis.* Et *Ovidius* lib. 1. *De Remedio Amoris* verſu 185.

> *Quid, cum ſuppoſitos fugiunt examina fumos,*
> *Ut relevent dempti vimina curva favi?*

Et *Zonas* de *Pane* ad apes *Anthologiæ* lib. 1. cap. 60.

> \- - - - - - ὁ δὲ βλοσυρείδει χειρὶ
> Καπνώσας, βαιὴν κύμμασι λίπῃ μερίδα.

Hic vero caſtrante manu fumum excitans, vobis parvam (mellis) *relinquat partem.* Et de *Ariſtæo Nonnus Dionyſiacῶn* lib. 5. verſu 249.

> Καὶ δολίῳ πνιγόεντι πυρὸς τεχνήμονι καπνῷ
> Σινομένην πρήϋνεν - - - - -

Et doloſo ſuffocante ignis induſtrio fumo noxiam (apem) *mitigavit.* Sunt & alii, qui idem tradant. *Antigonus* Mirabilium *Hiſtoriâ* 37. Τὰς δὲ μελίττας θυμιωμένας ὑπὸ τοῦ καπνοῦ, καὶ κακοπαθούσας τότε μάλιστα μὲν ἐσθίειν. *Apes* (ajunt) *cum fumo ſuffiuntur, & divexantur, tum maximè edere.* Ariſtophanis *Scholiaſtes* ad hæc *Poetæ* in *Veſpis*,

> \- - - - - - Τῦφε πολλῷ τῷ καπνῷ,

Incende multo fumo. Τύφε δὲ καίων δίωκε· ὁ γὰρ καπνὸς διώκει τὰς μελίσσας, καὶ τὰς σφῆκας. *Vox* τῦφε *ſignificat: Exurens perſequere: fumus enim apes & veſpas perſequitur. Columella* lib. 10. capite 15. ubi de caſtrandis apum alvearibus; *Ubi à poſteriore parte, quæ nullum eſt veſtibulum, patefactum fuerit alveare, fumum admovebimus factum galbano vel arido fumo* (fortè fœno.) Et infrà, *Fumus ad apes promovetur, quæ confeſtim, nidoris impatientes, in priorem partem domicilii, & interdum extra veſtibulum ſe conferunt. Plinius* lib. 11. cap. 16. *Cùm eximuntur mella, apes abigi fumo utiliſſimum, ne iraſcantur, aut ipſa avidè vorent. Fumo crebriore etiam ignavia earum excitatur ad opera.* Id *Græcè* βλίσαι dicitur, & ἐναύειν. *Heſychius*, Βλίσαι, καπνίσαι μελίσσας, καὶ ἐξελάσαι τῶν σκηνῶν (legendum σμηνῶν.) *Fumigare apes, & ex alvearibus expellere.* Item, ἐναύοντες, ἀνάπτοντες πυρὶ, τὰ γὰρ σμήνη τῶν μελισσῶν διώκουσι διὰ πυρὸς καὶ καπνοῦ· *Ignem ſuccēdentes: apum enim examina igne & fumo perſequuntur.* Et *Arabicè* جلا *giala.* Alcamus, جلا النحل دخن عليها ليشتار العسل Giala *apem, id eſt, eam fumigavit, ut mel ex alveari educeret.* In *Talmude* Tractatu *Kelim* cap. 16. §. 7. pag. 26. a. quid ſit מדף של דבורים. *maddaph apum*, *Gloſſator* ſic explicat, כלי שמשימין בו אש וגללי בקר ומעשנים שיברחו מן הכוורת הנחילים ויקח הדבש מלשון אשר תדפנו רוח *Vas eſt, in quo ponitur ignis, & ſtercus bubulum, cujus ſuffumigatione fugentur apes ex alveari, ut ſumatur mel:* (Derivatur autem à Verbo נדף *dispellere.*) *unde* Pſal. 1. v. 4. "*Dispellit eam ventus.* Ex hac porro fumigatione *Poetæ* paſſim ducunt ſimilitudines, quomodo hoc loco *Moſes*, ſi *Syræ, Chaldaicæ*, & *Arabicæ* verſioni ſtamus. *Lycophron* de *Paride* verſu 180.

> Χ᾽ ὁ μὲν παλιμπόρευτον ἵξεται τρίβον,
> Σφῆκας δαφοινοὺς χηραμῶν ἀνειρύσας,
> Ὁποῖα κοῦρος δῶμα κνίσας καπνῷ·
> *Et hic quidem retrogradâ incedet viâ,*
> *Veſpas cruentas ex cavernis extrahens,*
> *Ut cum puer fumo alveare ſuffiit.*

Id eſt, raptâ *Helenâ Trojam* rediens *Græcos* irritabit, ut fumo veſpæ & apes irritantur. Et verſu 254. idem de *Græcis*,

> Ἀλλ᾽ ὡς μελισσαι συμπεφυρμέναι καπνῷ.

Sed ut apes fumo commixtæ, &c. Cætera ibi vide. *Apollonius* lib. 2. *Argonauticῶn* verſu 29.

> Λευγαλέως Βέβρυκας ὑπερφιάλους ἐφόβησαν·
> Ὡς δὲ μελισσάων σμῆνος μέγα μηλοβοτῆρες,
> Ἠὲ μελισσοκόμοι, πέτρῃ ἔνι καπνιόωσιν·
> Αἱ δ᾽ ἤτοι τείως μὲν ἀολλέες ᾧ ἐνὶ σίμβλῳ
> Βομβηδὸν κλονέονται, ἐπιπρὸ δὲ λιγνυόεντι
> Καπνῷ τυφόμεναι πέτρης ἑκὰς ἀΐσσουσιν.

Bebrycas *ſuperbos graviter terruerunt; ut apum examen magnum opiliones, aut apiarii, in petra fumigant.*

Quæ

Quæ quidem interea congregata in ſuo alveari cum ſono turbantur, & plus æquo fuliginoſo fumo aduſtæ, procul è petra effunduntur. Ubi ſcribit *Scholiaſtes* apes fumum fugere, διὰ τὸ στενώτερον τῶν αὐτῶν τὴν ὄσφρησιν, *quia odoratus meatus habent anguſtiſſimos. Virgilius* de *Lavinienſibus*, ab *Ænea* in ſua urbe obſeſſis, *Æneidos* lib. 12.

Arma ferunt alii, & pergunt defendere muros:
Incluſas ut cum latebroſo in pumice paſtor
Veſtigavit apes, fumoque implevit amaro.
Illæ intus trepidæ rerum, per cerea caſtra
Diſcurrunt, magniſq; acuunt ſtridoribus iras.
Volvitur ater odor tectis, nunc murmure cæco
Intus ſaxa ſonant, vacuas it fumus ad auras.

Quintus Smyrnæus, ubi de *Ajace Achillis* cadaver contra *Trojanos* propugnante lib. 3. verſu 217.

- - τοί δ᾽ οὐκ ἀπλήγοι ὁμοκλῆς,
Ἀλλά οἱ ἀμφιμάχοντο, περιςαδὸν ἀΐσσοντες,
Αἰὲν ἐπασσύτεροι, ταναχειλέες ἠΰτε μέλισσαι,
Αἵ τ᾽ ἐν περὶ σίμβλον ἀπειρέσιαι ποτέονται,
Ἄνδρ᾽ ἀπαμυνόμεναι, ὁ δ᾽ ἄρ᾽ οὐκ ἀλέγων ἐπιόντας,
Κηροὺς ἐκτάμνῃσι μελίχροας. αἱ δ᾽ ἀνάχονται
Καπνοῦ ὑπαὶ ῥιπῆς ὁ δ᾽ ἐνίσσεται· ἀλλ᾽ ἄρα καὶ ὣς
Ἀντίαι ἀΐσσουσιν, ὁ δ᾽ οὐκ ὄθετ᾽, οὐδ᾽ ἄρα βαιόν.

Illi verò minas non intermiſerunt, ſed impugnarunt ipſum circumquaq; irruentes ſubinde denſiores, ut protenſis labiis apes, quæ circa alveare ſuum innumero agmine volant, ut virum (mel vindemiantem) *arceant. Qui tamen invadentes non curans, mellitos favos caſtrat. Illi autem, quamvis fumi & viri impetu torqueantur, tamen contra tendunt. At is ne minimum quidem illarum rationem habet.* Gregorius Nazianzenus *Carmine* De vita ſua,

Ἀνίςατ᾽ εὐθὺς ὥσπερ ἐκ καπνοῦ βίας
Ἑσμὸς μελισσῶν· - - - -

Surgit ſtatim (populus) *ut apum examen vi fumi.*

Poſtquam de fumo abundè actum eſt, ſequitur, ut dicamus de apum fortitudine in ea Scripturæ loca, quibus cum apibus conferuntur hoſtes infeſtiſſimi: ut ubi ſupra, *Amorrhæi*, de quibus *Moſes*; *Et vos perſequuti ſunt, ſicut faciunt apes.* Et *Pſal.* 118. *verſ.* 12. *David* de hoſtibus ſuis, *Circumdederunt me ut apes.* Et *Eſa.* 7. *v.* 18. *Sibilabit Dominus api, quæ eſt in terra* Aſſur: ubi *Chaldæus*, *Clamabit Dominus ad validas copias*, דאנון תקיפין כדבריתא, *quæ ſunt fortes ut apes, & adducet eas de finibus terræ* Aſſyriæ. Et ibidem *R. Selomo*, לדבורה חיל גבורים דעוקצים כדבורים, *Ad apem, id eſt, ad exercitum fortium, qui pungunt ut apes.* Quæ ſimilitudines ne videantur ſubſidere infra argumenti dignitatem, ſciendum eſt, apem in tam tenui corpuſculo ingentes habere animos; atque ut mel ſuum tueantur, non ſolum homines, ſed & vaſtiſſima quæque animalia infeſtis aculeis aggredi non timere, & quandoque interimere. *Ariſtoteles Hiſtoriæ* libri 9. cap. 40. Κτείνουσι δ᾽ αἱ βάλλουσαι καὶ τὰ μεγάλα τῶν ζώων. καὶ ἵππος ἤδη ἀπέθανεν ὑπὸ μελιττῶν. *Injecto aculeo necant maxima quæque animalia. Adeoque ab apibus punctus equus obiit.* Unde *Plinius* lib. 11. cap. 18. *Eſt in exemplis equos ab iis occiſos.* Sed & ex *Antenore* refert *Ælianus* lib. 17. cap. 35. *Rhaucios*, *Cretæ* populos, apum χαλκοειδῶν aculeis ex urbe ſua pulſos, aliò migraviſſe. Nihil igitur mirum, ſi iidem lethiferi fuerunt *Hermonacti* puero, de quo *Antipater* lib. 1. *Anthologiæ* cap. 37.

Τὸ βρέφος Ἑρμώνακτα διεχρήσασθε μέλισσαι,

Infantem Hermonactem *interfeciſtis apes.* Et *Bianor.*

Κῦρον ἀποπλανίην, ἐπιμάζιον, Ἑρμώνακτα
Φεῦ! βρέφος ὡς ἀδίκως εἵλετε βουγενέες;

Puerum errantem & lactentem Hermonactem, *infantem, hei mihi! quàm iniquè perdidiſtis apes?* Proinde in *Theocrito Idyllio* 19. apud matrem conqueritur *Cupido* κηροκλέπτης,

- - - - - - - ὅτι γε τυτθὸν
Θηρίον ἐστὶ μέλισσα, καὶ ἁλίκα τραύματα ποιεῖ·

Quod, tam exile animalculum cum ſit apis, tanta vulnera faciat. Et apum examina ſæpe in bello profuêre. Sic in *Appiani Mithridatico*, cum *Lucculliani* per cuniculos *Themiſcyram* aggrederentur, *Themiſcyrii* urſos, feraſq; alias, & σμήνη μελισσῶν, *apum examina*, in operarios emittebant. Et, *Amurathe Albam Græcam* obſidente, oppidani, apum examinibus in *Turcas* immiſſis, ſe tuebantur, ut ſcribit *Bonfinius Decadis* 3. libro 4. Nec abſimile eſt, quod refert *Wittichindus*, lib. 1. *De geſtis Saxonum*, unum ex Ducibus *Henrici Imperatoris* à *Giſelberto Lotharingiæ* Rege obſeſſum, invaſores, objectis apum alvearibus, inhibuiſſe, quorum aculeis equi in furorem acti ſeſſores vel excuſſerint, vel ad pugnandum inutiles reddiderint. Et Anno 1513. cùm *Barriga*, Dux *Luſitanus*, *Tanis*, *Maurorum* oppidum in ditione *Xiatimenſi*, pene ad incitas redegiſſet. *Oppidani, cum ſe in extremum diſcrimen adductos cernerent, alvearia apum innumerabilia, quibus abundabant, incenſa è mœnibus demisêre. Noſtri & alvearium flammis ambuſti, & apum aculeis ſtimulati, oppugnationem deſerere coacti ſunt. Oſorii* verba ſunt lib. 8. *De rebus Emmanuelis.* Itaque, ſi minus verum, ſaltem vero ſimile eſt, quod apud *Photium* ſcribit *Jamblichus* de copiis, quæ *Rhodanem*, & *Sinonidem* obſidebant: Φεύγουσιν ὁ στρατὸς, τῷ τῶν μελισσῶν πολέμῳ πονούμενοι· *Copiæ diffugiunt apum pugnâ afflictæ.* Neque prorſus eſt incredibile, quod ex *Herodoto* ſupra attulimus, loca quædam trans *Iſtrum*, propter apum multitudinem hominibus fuiſſe inacceſſa. Hodie inter pœnas, quas adultero imponit *Judaica* gens, hæc una eſt, ut nudus æſtate per denſam apum turbam tranſeat, & illarum aculeis corpus ſuum objiciat, donec totum intumuerit: & poſtquam convaluerit, iterum, imò ſæpius, pro peccati gravitate pœnam eandem ſubeat. Ita habetur cap. 34. *Synagogæ Buxtorfii.*

CAPUT UNDECIMUM

Loca quædam de Apum Mellificio, quæ tanquam ex *Scriptura* proferunt *Græci Patres.*

Examen apum, & mel: *id eſt examen apum mellificarum.* Græci *Pſal.* 117. *v.* 12. Circumdederunt me ὡσεὶ μέλισσαι κηρίον, ut apes favum. *Ita etiam* Æthiops: & Arabum *unus* favum, *alter* ceram. Græcos *hanc vocem perperam addidiſſe.* Proverb. 6. v. 8. *poſt locum de formica, ſequitur alius de ape, quem ex* Græcis *habent* Arabs. Caſtalio, & *multi* Patres. *In eo nota*, 1. *apem cum formica jungi; ut paſſim.* 2. *Ex brutis peti exempla vitæ; ut in multis Scripturæ locis.* 3. *Apem imitandam ſæpe proponi. Hinc mulier frugi ex ape nata fingitur, & cum ape confertur. Et illuſtribus fœminis non paucis commune nomen* Deboræ & Meliſſæ. 4. *Apem* ἐργάτιν *dici.* 5. *Ejus* ἐργασίαν σεμνὴν. Arabs *emendatus. De voce* σεμνὴν *conjectura. Ignotum, quomodo apes opus ſuum conficiant.* Ariſtotelis *alveare vitreum.* 6. *Apis labores, id eſt, mel, ad ſanitatem & longævitatem conferre. Exempla ex* Pythagora, Glauco, Democrito, Pollione Romulo *petita.* Diophanes *emendatus. Mel, Magnatum etiam cibus.* Mellita, *vel* mitellita, à Nerone *indicta.* 7. *Apis ubique clara, & amabilis.* Ariſtodemus *malè pro* Ariſtomacho. 8. *In apibus ſapientia, pars etiam divinæ mentis.* Sirach. 11. v. 3. Apis parva in volucribus (*non* minima, *ut* vult

vult Druſius) principium dulcedinum, *id eſt*, ſummè dulce. *Vera mens illius loci, quem aliò detorſit* Epiphanius.

APes commendat inprimis mellis conficiendi artificium, de quo in *Hebræorum* ſacro textu hoc ſolum reperias *Jud.* 14. *v.* 8. *Et, ecce examen apum in corpore leonis, & mel! Examen apum, & mel:* id eſt, *examen apum mellificarum*, aut *mel conficientium*, per figuram ἓν διὰ δυοῖν. Sed *Græci Patres* è penu ſuo tres alios textus proferunt. Primus eſt *Pſalmi* 117. (*Hebræis* 118.) verſ. 12. Ἐκύκλωσάν με, ὡσεὶ μέλισσαι κηρίον. *Circumdederunt me, ſicut apes favum.* Ita ex *Græca* verſione citant *Auguſtinus, Hieronymus, Theodoretus*. Neque aliud habent noſtræ editiones. *Æthiops* quoque idem ſequitur. Et *Arabs*, quem habeo manuſcriptum, احتاطوا بي مثل النحل بالشهد *Circumdederunt me, ut apes favum.* Sed pro الشهد id eſt, *favo*, editi habent الشمع *ceram*. Quaſi *Arabes* κηρὸν *Græcè* legerint, non κηρίον. At in *Hebræo* ſolùm legitur, סבוני כדבורים, *Circumdederunt me, ut apes.* Et illud κηρίον videtur perperam additum. Agit enim *David* de hoſtibus ſuis: nec eos confert cum apibus, quæ favum circumſtant, cum in eo nihil ſit hoſtile, ſed cum apibus, quæ hominem aut brutum agminatim circumdant, ut infeſtis aculeis pungant. Quomodo apud *Statium Thebaidos* lib. 10.

Sic, ubi pumiceo paſtor rapturus ab antro
Armatas exegit apes, fremit aſpera nubes,
Inque vicem ſeſe ſtridore hortantur, & omnes
Hoſtis in ora volant. - - - - -

Sed de his ſupra jam actum.

Secundus textus eſt *Prov.* 6. *v.* 8. ubi poſt locum de formica πολυθρύλλητον, *Vade ad formicam, ô piger*, &c. *Græca* editio ſic habet, Ἢ πορεύθητι πρὸς τὴν μέλισσαν, καὶ μάθε, ὡς ἐργάτις ἐστὶ, τήν τε ἐργασίαν ὡς σεμνὴν ποιεῖται· ἧς τοὺς πόνους βασιλεῖς καὶ ἰδιῶται πρὸς ὑγίειαν προσφέρονται. ποθεινὴ δέ ἐστι πᾶσι, καὶ ἐπίδοξος· καίπερ οὖσα τῇ ῥώμῃ ἀσθενὴς, τὴν σοφίαν τιμήσασα προήχθη. Quæ in verſione ſuâ *Caſtalio* ſic expreſſit, *Aut apem adi, & diſce quam operoſa ſit, quamq; auguſtum opus exerceat: cujus laboribus & Reges & privati veſcuntur ſalubriter. Eaq; omnibus eſt amabilis, & illuſtris: &, quamvis viribus infirma ſit, tamen ſapientiæ ſtudio promovit.* *Arabica* quoque verſio, او انهب الي النحلة واعرف انها مثل الفاعل هي تعمل صناعتها طرفة عجيبة * واتعابها تحمل الي الملوك * والعامة يستعملوها لحفظ الصحة * وهي عند جميع الناس ماثورة مشرفة * مع ضعيفة في قوتها تقدمت لانها اكرمت بالحكمة * وفضلت * *Aut vade ad apem, & ſcito eam, velut operarium, opus ſuum fabricare arte mirabili. Et labores ejus deferuntur ad Reges. Et vulgus iis utitur ad tuendam ſanitatem. Eſtq; apud omnes homines excellens & nobilis. Etiamſi debilis ſit viribus, tamen antecellit; quia commendatur ſapientiâ, & præſtans eſt.* Eundem locum citant multi veteres: ut *Clemens Alexandrinus* lib. 1. *Stromatum*; *Origenes* in *Numeros* Homiliâ 27. & in *Eſaiam* Homilia 2. *Baſilius* in *Hexaemeron* Homilia 8. *Ambroſius* in *Hexaemeron* lib. 5. cap. 21. *Hieronymus* in *Ezechielem* cap. 3. *Theodoretus* De Providentia *Oratione* 5. *Antiochus Abbas Saba* Homilia 36. *Johannes Damaſcenus* lib. 2. *Parall.* cap. 89. Tamen, ut verè obſervat *Hieronymus* ubi ſupra, hoc *Hebræa* non habent exemplaria. Itaque nec in *Chaldæa*, nec in *Syra*, nec in *Vulgata* verſione ullum eſt hujus loci veſtigium. Et ſæpe mirari ſubiit, unde id ſumpſerint *Græci* interpretes, ut & quædam alia, quæ variis locis paſſim inſerunt. Neque enim credibile eſt, illos de ſuo hæc fuiſſe additùros, niſi in quibusdam *Hebræorum* exemplaribus jam inſerta reperiſſent.

Utut ſit, in hoc de ape loco quædam notanda. Primò apem cum formica jungi, ut paſſim apud Scriptores. Sic *Philoſophus Hiſtoriæ* lib. 1. cap. 1. poſtquam apem & formicam politica & gregalia dixit eſſe animalia, addit τὸ τῶν μελιττῶν γένος ἐστὶν ὑφ' ἡγεμόνα· μύρμηκες δὲ, καὶ μυρία ἄλλα ἄναρχα, *apum genus eſſe ſub duce, formicas autem & infinita alia ſine duce.* Et lib. 9. cap. 38. Τῶν δ' ἐντόμων ζώων ἐργατικώτατα σχεδόν ἐστι, καὶ πρὸς τ' ἄλλα συγκρίνεσθαι πάντα, τό τε τῶν μυρμήκων γένος, καὶ τὸ τῶν μελιττῶν· *Inſectorum animalium ſunt laborioſiſſima, & reliquis omnibus præferenda, formicarum & apum genera.* Cicero *Academicarum Quæſtionum* lib. 4. *Cujus quidem* (Dei) *vos majeſtatem deducitis usque ad apum formicarumq; perfectionem.* Plutarchus in libro, *An ſeni gerenda ſit Reſpublica*, Τὸ κοινωνικὸν, καὶ πολιτικὸν, ὃ καὶ μύρμηξιν ἄχρι τέλους παραμένει καὶ μελίτταις· *Vita communis, & politica, in qua ad finem usq; permanent tam formicæ, quàm apes.* Ælianus *Hiſtoriæ* lib. 5. cap. 49. Μελίτταις, μύρμηξί τε, καὶ ἐκείνοις, ἐκφορᾶς νεκρῶν μέλειν ἡ σοφωτάτη φύσις δέδωκεν· *Apibus & formicis id ſapientiſſima Natura tribuit: ut mortuos ſuos efferrent.* *Phocylides*, aut quisquis eſt, poſtquam formicam pluribus deſcripſit, de ape addit continuò poſt,

Κάμνει δ' ἠεροφοῖτος ἀριστοπόνος τε μέλισσα,
Operatur quoq; aeria laborioſa apis.

Celſus apud *Origenem* hominem ſtultè aſſerit à brutis ideo non differre, quia civitates condidit, & civili adminiſtratione utitur, καὶ γὰρ μύρμηκες, καὶ αἱ μέλισσαι, *formica enim, & apes idem præſtant.* Sed eum accuratè refellit *Origenes* lib. 4. *Tertullianus* lib. 1. *contra Marcionem* cap. 14. *Imitare, ſi potes, apis ædificia, formicæ ſtabula*, &c. *Pontanus* lib. 1. *De ſtellis*,

Sola hyemi metuens latebroſo pumice condit
Triticeos populata hominum formica labores.
Idem amor atq; apibus eadem experientia parcis.

Scaliger in carmine, cui titulus *Avara militia*;

Formica, & apis, utraq; deponit in annum.
Hanc ſedulitas, hanc ſtudium facit utrilem.
Huic alveus, illi ſatis eſt cavum puſillum.

Et in titulo *Labor pater fruitionis*,

Formica & apis nos operaria docebunt
Pro parte laborare, dein frui labore.

2. Neque id præter Scripturæ morem eſt, quod ex brutis petuntur exempla vitæ: ut ex formica in eodem verſu; ex bove, & aſino, *Eſa.* 1. *v.* 3. ex turture, grue, & hirundine, *Jerem.* 8. *v.* 7. ex ſerpentibus, & columbis, *Matth.* 10. *verſ.* 16. Deo ad claſſem inferiorem, nempe ad brutorum Scholam, ſic eos ablegante, qui in ſua Schola nihil profecerunt. 3. Hoc quoque tralatitium eſt, quòd apis hominibus imitanda proponitur. *Seneca* Epiſtolâ 84. *Apes, ut ajunt, debemus imitari, quæ vagantur, & flores ad mel faciendum idoneos carpunt,*

carpunt, deinde quidquid attulère diſponunt, ac per favos digerunt, &c. *Lucretius* libro tertio,

Floriferis ut apes in ſaltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depaſcimur aurea dicta,

Horatius libri quarti *Odâ* ſecundâ,

- - - - - - *ego apis Matinæ*
More modoque
Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum, circa nemus uvidique
Tiburis *ripas operoſa parvus*
Carmina fingo.

Plura hujuſmodi ex *Platone*, *Plutarcho*, *Luciano*, & aliis nemini non ſunt obvia. Neque aliud volunt, qui mulierem frugi ex ape natam eſſe fingunt, ut apud *Stobæum* capite ſeptuageſimo primo *Simonides*,

Τὴν δ' ἐκ μελίσσης, τήν τις εὐτυχεῖ λαβών·
Κείνῃ γὰρ οἴη μῶμος οὐ προσιζάνει·
Θάλλει δ' ὑπ' αὐτῆς κἀπαέξεται βίος.

Natam ex ape qui duxerit, felix eſt: in hac enim ſolâ culpa non reſidet; floretque, & ab ea augetur res familiaris. Et *Phocylides*,

- - - - - - - ἡ δὲ μελίσσης
Οἰκονόμος τ' ἀγαθὴ, καὶ ἐπίσταται ἐργάζεσθαι,

Quæ autem ex ape nata eſt rem œconomicam probè callet, & novit operari. Hinc in *Oeconomico Xenophontis* capite decimo tertio, ἡ τῶν μελισσῶν ἡγεμὼν, *dux apum*, confertur pluribus cum matre familias. Itaque etiam illuſtres mulieres *apis* nomine appellari non dedignatæ ſunt: ut apud *Hebræos* DEBORA duplex; una *Rebeccæ* nutrix, *Gen.* 35, 8. & altera Propheteſſa, quæ judicavit *Iſraelem*, *Judicum* 4, 4. Et apud *Græcos Jovis* nutrix MELISSA Nympha: & MELISSA *Epidamni* filia, de qua *Stephanus* in Δυῤῥάχιον: & MELISSA *Periandri* uxor, Regis *Corinthiorum*: & MELISSA recentior, cujus *Epiſtolam* edidit *Aldus* in volumine *Græcarum Epiſtolarum*. 4. Eſt etiam id receptum, ut *apis* dicatur ἐργάτις *opifex*, vel *operaria*. Ariſtoteles *Hiſtoriæ* libri noni capite quadrageſimo, Εἰσὶ δ' αἱ μικραὶ ἐργάτιδες μᾶλλον τῶν μεγάλων. Quibus ſimilia hæc *Varronis* libri tertii *Rusticorum* capite decimo ſexto, *Sylveſtres minores ſunt magnitudine, & piloſæ, ſed opifices magis.* Et quod *Anthologiæ* libri primi capite ſexageſimo apes in *Antiphilo* vocantur

Αἰθερίου πτηναὶ νέκταρος ἐργάτιδες,
Ætheris volucres nectaris artifices.

Ut de *Luciano* taceam, qui in *Halcyone* apem appellat μέλισσαν ἐργάτιν, quomodo etiam *Piſidas* τὴν σοφὴν τὴν ἐργάτιν. 5. Sed nemo alius, quod quidem ſciam, harum ἐργασίαν σεμνὴν vocavit. Quod *Ambroſius* reddit *operationem venerabilem*, Hieronymus *opus caſtum*, Caſtalio *auguſtum opus*, Godefridus Tilmannus, *opus munditia & honeſtatis plenum*. Malim *opus pretioſum*, aut *mirabile*; quia magis ad rem eſt, & σεμνὸν, vel σεπτὸν, ſic ſumi docent *Lexicographi* veteres. *Heſychius*, Σεμνὴ (lege Σεμνά) τίμια, σεφρων. Idem, Σεπτὰ, θαυμαστά. Quod ſequutus *Arabs* hic habet apem fabricare opus ſuum طرفة عجيبة *arte mirabili*. (Malè editum ظرفة) Quid ſi σεμνὴν legas pro σεμνὴν hoc modo, τὴν τε ἐργασίαν σεμνὴν ὡς ποιεῖται, *& quomodo faciat opus alvearium*, id eſt, mirabile illud opus, quod fit in alvearibus? Quod ingens Naturæ arcanum eſt, neque dum ſatis perſpectum. *Philoſophus* ubi ſuprà, Ὅταν δὲ εἰς σμῆνος ἀφίκωνται ἀποσείονται, καὶ ἀκολουθοῦσιν ἑκάστῃ τρεῖς, ἢ τέτταρες. Τὸ δὲ λαμβανόμενον οὐ ῥᾴδιόν ἐστιν ἰδεῖν, οὐδὲ τὴν ἐργασίαν, ὃν τινα τρόπον ποιοῦνται, οὐ ὦπται. *Cum autem in alveare* (à florilegio) *redeunt, ſe excutiunt, & unamquamque apem tres aut quatuor ſequuntur. Sed quid accipiant videre facile non eſt. Neque dum obſervatum eſt quomodo opus ſuum faciant.* Scitu dignum, modò verum, quod de illo referunt *Alkazuinius*, & *Damir*, وقد صنع ارسطاطاليس لها بيتا من زجاج لينظر الي كيفية ما تصنع فابت ان تعمل حتي لطخته من باطن الزجاج بالطين *Fecit illis* Ariſtoteles *alveare vitreum, ut introſpiceret, qua ratione ad opus ſe accingerent. Sed abnuerunt quidquam operari, donec interiora vitri luto oblevisset.* 6. Sequitur in ſacro textu, Ἧς τοὺς πόνους βασιλεῖς καὶ ἰδιῶται πρὸς ὑγίειαν προσφέρονται· *Cujus labores Reges & privati ad ſanitatem adhibent.* *Apis labores*, id eſt, *mel*: ut in *Heſiodi* verſu de fucis notiſſimo *Operum* verſu 303,

Οἵ τε μελισσάων κάματον τρύχουσιν ἀεργοί,

Quique apum laborem abſumunt otioſi. Et apud *Euripidem*, *Iphigenia in Tauris*, cenſetur in inferiis

- - - - - - - ξουθῆς πόνημα μελίσσας,

flavarum apum labor. Hinc Adagium de juvene, qui in re pervulgata explicanda tempus inutiliter terit; Σύγγνωθι τῷ μειρακίῳ τὸ μέλι πόνον μελίττης λέγοντι, *Ignoſce juveni, qui mel apis laborem eſſe prædicat.* De quo *Tzetzes Chiliadis* octavæ *Hiſtoriâ* ducenteſima octava,

Τοῦτο τὸ σχῆμα γίνωσκε τυγχάνειν εἰρωνείας.
Καὶ τίς γὰρ, ὃς ἠγνόηκε πόνον μελίσσης μέλι;

Hanc figuram ſcito eſſe Ironiæ. Quis enim eſt, qui neſciat laborem apis eſſe mel? Porrò mel πρὸς ὑγίειαν *ad ſanitatem* adhiberi verè dicitur. Ità enim ſtatuunt veteres. *Hippocrates* capite quinquageſimo *De Affectionibus*, Μέλι, ξὺν ἑτέροις ἐσθιόμενον, καὶ τρέφει, καὶ εὔχροιαν παρέχει· *Mel, cum aliis comeſtum, & nutrit, & bonum colorem exhibet.* Et capite quinquageſimo quarto, Οἶνος καὶ μέλι κάλλιστα κέκριται ἐν ἀνθρώποισι, ἢν πρὸς φύσιν καὶ ὑγιαίνουσι, καὶ ἀσθενοῦσι, σὺν καιρῷ, καὶ μετριότητι, προσφέρηται· *Vinum & mel optima judicata ſunt in hominibus, ſi juxta naturam & ſanis, & debilibus, cum temporis opportunitate, ac mediocritate, exhibeantur.* *Diophanes* libro decimo quinto, in *Geoponicis*, Οὐ μόνον ἡδὺ τοῖς χρωμένοις, ἀλλὰ καὶ μακροβίους ποιεῖ. οἱ οὖν γῆρα μέλιτι μετ' ἄρτου μόνῳ τρεφόμενοι, ἐπὶ πλεῖστον βιοῦσι καὶ τὰς αἰσθήσεις δὲ διαφυλάττει πάσας ἐῤῥωμένας. *Mel utentibus non ſolum ſuave eſt, ſed & eos longævos facit. Qui igitur in ſenectute melle cum ſolo pane veſcuntur, diu vivunt; & ſenſus vegetos facit ille cibus:* Proinde Λύκος πολυχρονίους φησὶν εἶναι τοὺς Κυρνίους, διὰ τὸ μέλιτι ἀεὶ χρῆσθαι, *longævos eſſe* Corſos *tradit* Lycus, *quia melle ſemper utuntur.* Ità *Athenæus* libri ſecundi capite ſeptimo. Et ibidem, Τῶν Πυθαγορικῶν τροφὴ ἄρτος μετὰ μέλιτος, ὥς φησιν Ἀριστόξενος, τοὺς προσφερομένους αὐτὰ ἀεὶ ἐπ' ἀρίστῳ λέγων ἀνόσους διατελεῖν. *Pythagoricorum nutrimentum panem cum melle fuiſſe ſcribit* Ariſtoxenus, *addens ſine morbo vivere, qui ea ad prandium ſemper adhibent.* Quod videntur ex præceptore ſuo *Pythagora* didiciſſe, de quo *Euſtathius* in *Iliad.* λ'. Ὅτι δὲ καὶ τρόφιμον τὸ μέλι Πυθαγόρας μαρτυρεῖ, ὃς, εὐτελέστατα διαβιοὺς, πολλάκις μέλιτι μόνῳ ἠρκεῖτο. *Mel etiam poſſe alere teſtatur* Pythagoras, *qui frugaliter admodum vivens, plerumque ſolo melle contentus erat.* Eòdem facit vetus de *Glauco* Proverbium, Γλαῦκος πιὼν μέλι ἀνέστη· Glaucus, *poto melle, revixit*: id eſt, ſi *Paræmiaſta* mentem capio, è gravi morbo convaluit. Et quod *Democritum* ſcribit *Athenæus*, cum de eo jam eſſet conclamatum, διαζῆσαι ἡμέρας ἱκανὰς, τῇ ἀπὸ τοῦ μέλιτος ἀναφορᾷ μόνῃ τρεφόμενον, *in dies aliquot vitam prorogâſſe, ſolo mellis odore nutritum.* Nempe, ut ibidem ſequitur, mellis uſu maximè delectabatur. Itaq; πρὸς τὸν πυθόμενον, Πῶς ἂν ὑγιῶς τις διάγοι; ἔφη, Εἰ τὰ μὲν

μὲν ἔνδον μέλιτι βρέχοι, τὰ δ' ἐκτὸς ἐλαίῳ· *percontanti, Quâ ratione vitam quis ſanus degeret? reſpondit, Si corporis interiora melle rigarentur, exteriora oleo.* Nec multò aliter *Diophanes*, Δημόκριτος δ', ἐρωτηθεὶς Πῶς ἂν ὑγιεῖς καὶ μακραίωνες γίγνοιντο οἱ ἄνθρωποι; εἶπεν, Εἰ τὰ μὲν ἔξωθεν ἐλαίῳ τοῦ σώματος, τὰ δ' ἔνδοθεν μέλιτι χρίσιντο. Pro quo malim χρίσοιντο. Indidem petitum *Pollionis* Apophthegma, de quo *Plinius* libri vigeſimi ſecundi capite vigeſimo quarto, *Multi ſenectam longam mulſi tantùm nutritu toleravère, neque alio ullo cibo, celebri* Pollionis Romuli *exemplo. Centeſimum annum excedentem eum Divus* Auguſtus *hoſpes interrogavit, quanam ratione maximè vigorem illum animi corporisque cuſtodiſſet. At ille reſpondit, Intùs mulſo, foris oleo. Mulſo*, id eſt, τῷ οἰνομέλιτι. Patet igitur mel poni meritò inter Regum & Magnatum dapes. Quod facilè ſit probare exemplis ex Scriptura petitis. Sic enim ad *Joſephum, Ægypti* pro-Regem, pro eximio munere mel mittitur, *Gen.* 43, 11. & Regi *Davidi*, cum eſſet in oppido *Mahanajim*, mel obtulerunt vicini nobiles, 2. *Sam.* 17, 29. *Solomon* quoque ità loquitur *Cant.* 5, 1. *Comedi favos cum melle meo.* Ut *Jonathanem* taceam, Regis filium, cujus oculi & vires mellis eſu refectæ ſunt, 1. *Sam.* 14, 27. Quibus ſi profana jungimus, *Iliad.* λ'. verſu 630. *Hecamedem* reperiemus *Neſtori*, & *Patroclo* in convivio μέλι χλωρὸν *mel flavum*, aut *mel recens*, appoſuiſſe. Et *Odyſſ.* υ'. verſu 69. *Venerem Pandari* filias nutriviſſe τυρῷ, καὶ μέλιτι γλυκερῷ, *caſeo & dulci melle.* Sic *Suetonius* de *Nerone* capite vigeſimo ſeptimo, *Indicebat & familiaribus cœnas, quarum uni mellita quadragies ſeſtertium conſtiterunt*: id eſt, *centena aureorum millia*, ex *Budæi* ſupputatione. Sed vocem *mellita*, quam habent vulgares editiones mutavit doctiſſimus *Caſaubonus* in *mitellita*, quia ſic legunt codices vetuſtiſſimi. Interim *mitellita* quid ſint, ingenuè fatetur ſe ignorare. Hodiè, poſt ſaccharum inventum, multum de mellis pretio deceſſiſſe nemo mirabitur. 7. Additur, apem eſſe apud omnes ποθεινὴν, καὶ ἔνδοξον, *amabilem, & claram.* Mel enim ubique naſcitur, ut notat *Plinius* libri vigeſimi ſecundi capite vigeſimo tertio, & ubique eſt in pretio, ab ultima *Scythia* uſque ad *Afros* & *Æthiopes. Auguſtinus*, aut quisquis eſt, Sermone decimo quinto *Ad fratres in eremo*, ſcribit *Philoſophum Ariſtodemum* annis multis inſudâſſe in natura apis inveſtigandâ. Sed pro *Ariſtodemo Ariſtomachum* libens ſcripſerim, de quo *Plinius* libri undecimi capite nono, *Ne quis miretur amore earum* (apum) *captos* Ariſtomachum Solenſem *duodeſexaginta annis nihil aliud egiſſe:* Philiſcum *verò* Thaſium *in deſertis apes colentem*, Agrium *cognominatum.* 8. Concluſio denique hæc eſt: *Quamvis* (apis) *ſit infirma viribus* τὴν σοφίαν τιμήσασα προήχθη, *quia ſapientiam coluit* (id eſt, ſapientiæ ſtudio) *provecta eſt.* Nempe ut ſerpenti prudentia, ſic api ſapientiæ ſtudium tribuitur καταχρηστικῶς, quæ naturæ inſtinctu id facit, quæ ſi facerent homines, ſapientum catalogo meritò inſcriberentur. Quâ καταχρήσει ſapientem eſſe apem non pauci ſcribunt. Ità *Lucianus* in *Halcyone* apem appellat σοφὴν θείου μέλιτος ἐργάτιν, *ſapientem divini mellis opificem.* Et *Plutarchus* Περὶ φιλοστοργίας, Τὴν μέλιτταν ἡμεῖς σοφὴν καλοῦμεν, καὶ νομίζομεν, ξανθὸν μέλι μηδομένην· *Apem nos ſapientem vocamus, & cenſemus, quia mel flavum operatur. Phile* capite vigeſimo ſeptimo de ape,

Ἡ σύντονος δ' οὖν, καὶ σοφὴ, καὶ τεχνικὴ,

Illa igitur vehemens, & ſapiens, & artifex. Et capite vigeſimo octavo,

Καὶ ζῇ μὲν ἁγνὸν ἡ σοφὴ χρηστὸν βίον,

Et ſapiens puram vitam ſolet vivere. Piſidas *De mundi opificio* verſu 1371

Τίς τὴν μέλιτταν τὴν σοφὴν τὴν ἐργάτιν
Γεωμετρεῖν ἔπεισε, καὶ τριωρόφους
Ὅπως ἐγείρειν ἐξαγώνων κλισμάτων;

Quis apem ſapientem opificem geometriam exercere induxit, & trium contignationum domos excitare hexagono ædificio? Et infrà,

Μή πως σε κέντρον τῆς σοφῆς διδασκάλου
Πλήξῃ μελίττης, καὶ μαθεῖν ἀναγκάσῃ·

Ne ſapientis magiſtræ apis aculeus te percutiat, & diſcere cogat. Didymus libro decimo quinto *Geoponicῶn*, Ἡ μέλιττα πάντων τῶν λοιπῶν ζώων ἐστὶ σοφωτάτη, καὶ εὐμηχανωτάτη, καὶ συνεγγὺς ἀνθρώπῳ κατὰ τὸ συνετόν· *Apis eſt omnium animalium ſapientiſſima, & artificioſiſſima, & ad hominis ſolertiam maximè accedens. Poeta* denique, *Poetico* more rem in majus efferens, voluit apes partem habere divinæ mentis. Verba ſunt,

His quidam ſignis atque hæc exempla ſequuti
Eſſe apibus partem divinæ mentis, & hauſtus
Æthereos dixère. - - - - -

Tertius de apum mellificio locus ex eo libro ſumptus eſt, qui neque *Hebraicè* exſtat, neque ab *Hebræis* pro Canonico agnoſcitur. Sed verba *Græca* ſic habent *Eccleſiaſtici* 11, 3. Μικρὰ ἐν πετεινοῖς μέλισσα, καὶ ἀρχὴ γλυκασμάτων ὁ καρπὸς αὐτῆς· *Parva in volucribus eſt apis, & principium dulcedinum eſt fructus ejus. Parva in volucribus*; id eſt, *una è minimis*; non abſolutè *minima volucrium*, ut hic habet *Druſius.* Nam ape minores ſunt muſca & culex. Sic *Beth-lehem parva fuit in millibus Juda*, non tamen minima omnium, *Matth.* 2, 6. *Principium dulcedinum*: id eſt, *ſummè dulcis, primas tenet inter dulcia.* Ut Amos 6, 6. ראשית שמנים, *principio unguentorum unguunt ſe:* id eſt, *unguento primario.* Nempe inter dulcia primas tenet apis fructus qui eſt mel. Unde *Hebræum* Proverbium, *Dulce ut mel*, de quo infrà. Jungendus eſt hic de ape verſus cum proxime præcedente, Μὴ αἰνέσῃς ἄνδρα ἐν κάλλει αὐτοῦ, καὶ μὴ βδελύξῃ ἄνθρωπον ἐν ὁράσει αὐτοῦ· *Non laudaveris virum ob pulchritudinem ejus, neque hominem dedignare propter ſpeciem ejus.* Quibus verbis non ſignificat homini à forma nihil accedere commendationis; nam

Gratior eſt pulchro veniens è corpore virtus:

ſolum igitur vult viri laudem in eo potiſſimum non eſſe ſitam, quod forma ſit eximius; cum vera laus non tam in corporis, quàm in animi bonis conſiſtat. Proindè neque quisquam propter externam ſpeciem ſpernendus eſt. Putà, ſi ſit deformior, aut ſtaturâ brevior. Sæpe enim

Major in exiguo regnavit corpore virtus.

Quod probatur apis exemplo, quæ, quamlibet parva, tamen producit fructum inſignis dulcedinis. Cum hæc auctoris ſit vera mens, tamen *Epiphanium*, in *Phyſiologo* capite vigeſimo primo eundem locum multò aliter intellexiſſe probant illius verba. *A ſapiente dicitur, Parva in volucribus eſt apis; & principium dulcedinum fructus illius. Sic etiam Dei opera ſunt* ἀνεξιχνίαστα ἐν ἀνθρώποις, καὶ θαυμαστὰ ἐν ὑψηλοῖς, καὶ γλυκύτερα ὑπὲρ μέλι, *inſcrutabilia in hominibus, & mirabilia in excelſis, & melle dulciora.* Quæ ex parte petita ſunt ex ejusdem *Sirachidis* verſu quinto, Ὅτι θαυμαστὰ τὰ ἔργα Κυρίου, καὶ κρυπτὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ ἐν ἀνθρώποις quaſi quintus ille verſus cum tertio cohæreret, qui eſt de ape: cum cohæreat cum quarto proximè præcedenti, quo homini dixerat non eſſe gloriandum, nec eſſe cur ſe efferat, cum ab aliis honoratur. Nam Deus, cujus opera (id eſt, *judicia*) mira ſunt, & inſcrutabilia, poteſt ſuperbos uno momento de ſtatu ſuo dejicere, & in ruinam impellere. Ut *Nabuchodonoſori* obtigit *Dan.* 4, 31. & *Herodi* Act. 12, 23. Quem verum eſſe loci ſenſum confirmant ſequentia verſu ſexto & ſeptimo de tyrannis ſolo afflictis, & potentibus ignominia affectis, & illuſtribus traditis in manus aliorum.

CAPUT

CAPUT DUODECIMUM.

De Melle, & Cera.

Mel, *Hebrais* דבש, *etiam pro* dactylorum *&* palmæ ſucco. *Ubi, & quorſum ſic ſumatur.* Mel ſylveſtre, *Johannis Baptiſtæ victus*, *μέλι ἄγριον*, *non* *μελαγρία*, vel *μέλαγρα* herbæ genus, *aut* fructus arboris, *aut* manna, *ut quidam volunt.* *De hoc melle agi*, Prov. 25, 16. Jud. 14, 8. *&* 1. Sam. 14, 25. 26. *Rupes mellis* Pſal. 81, 17. Mel è petra, *Deut.* 32, 13. יערה, favus mellis *propriè* in ſylva repertus, 1. Sam. 14, 27. *&* Cant. 5, 1. *Idem in* Moſcovia, *&* Bœtica. *Apes in cavis arborum, arundinetis, & antris apud* Poëtas. *Mel ſylveſtre circa* Themiſcyram, *&* Amiſum, *in nudo ſolo.* Chananæa *terra mellis, & melle fluens.* Poëtas *ſæpe ſic loqui.* Torrentes mellis, *Job.* 20, 17. Fluxum mellis *Hebræi quot modis efferant.* Jud. 14, 9. רדה *à* Syris *huc referri.* *A* Chaldæo, ברין brez, *vel* briz. *Bacchus* Briſæus, *&* Briſæ *Nymphæ.* *Sylveſtre mel in* Judæa *non eſſe amarum, & inſuave, ut volunt: quale* Sardoum, *&* Corſicum, *&* Ponticum *ad inſaniam adigens.* *Mel* Chanaan *in terra bonis, inprimis* Jerichuntinum, *&* Thecoenſe, Tyrum *delatum, & in* Ægyptum. *Sylveſtre etiam in deliciis.* *Tamen in* Johanne Baptiſta *magna id fuiſſe abſtinentiæ, quod ſolis locuſtis, & melle, vixerit.* *In melle parùm alimenti.* Ariſtoxeni *&* Pythagoræ *abſtinentia aliquâ ex parte ſimilis, ſed multò minor.* *Mel à dulcedine commendatur*, *Eccleſ.* 11, 3. *&* Jud. 14, 14. *ubi* Græci *στόματι pro σώματι, ut verſu nono ἴξυος pro ἰξύος.* *De gripho* Samſonis *multa obiter.* *Griphi apud veteres inter epulas proponi ſoliti.* *Quid ab ænigmate differant, quæ præmia, vel pœna.* De forti exiit dulce: *id eſt*, de acri. *Dulcia omnia cum melle conferri: ut Manna, ambroſiæ genus*, Sap. 19, 20. *volumen* Ezech. 3, 3. Apoc. 10, 9. 10. *lex* Pſal. 19, 11. & 19, 103. *ſapientia*, Prov. 24, 13. 14. *&* Sirach. 24, 20. *ubi verba μέλιτος κηροῦ quàm variè legantur, & quomodo legenda.* Joſiæ *memoria ut mel*, Sirach. 49, 1. *Et verba ſponſi & ſponſæ*, Cant. 4, 11. *&* 5, 16. *Ita Poëtæ paſſim.* *Mel in maximè neceſſariis*, Sirach. 39, 26. *Ad quam multa utile.* *Apis immunda, tamen mel mundum*, Levit. 11, 20. *in* Jonathane. *Ut lac humanum permiſſum, tamen caro prohibita.* *Scripturæ loca & exempla de eſu mellis.* *Mel, infantum cibus*, Eſ. 7, 15. *Olim in Baptiſmo lac & mel.* Jupiter lacte *&* *melle nutritus.* *Sed mellis quoque faſtidium*, Prov. 25, 16, & 27, 7. *Mel in potu*, Nehem. 8, 10. *in* Vulgata, Bibite mulſum, id eſt, *οἰνόμελι*, *de quo multa.* *Mulſi uſus aliis vetus, aliis recens.* *In* Hebræo *textu ſolum*, Bibite dulcia. Jonathanis *oculi mellis eſu aperti*, 1. Sam. 14, 27. *quia propter inediam caligo ei erat oborta.* *Id* Arabicè اسدف aſdapha. *Mel illi ſuam caliginem diſcutere, quod tamen ad rem non facit.* *Mel* Jonathanis *meretrix fuit*, *ſi* Hieronymo *creditur.* *Tuber camelorum cur dicatur* דבשת, *tanquam à melle.* *An* Jacobus *melle fuerit pollinctus, ut in* Ægypto *fiebat.* *Mos idem alibi.* Democritus *corpora ſic aſſervari voluit in ſpem reſurrectionis.* *Mel in primitiis oblatum, non tamen ſuper altare*, Levit. 2, 11. 12. *De melle apum ibi agi, non de fructibus arborum.* *Hujus prohibitionis* Patres *pias cauſas afferunt, ſed ridiculam* Plutarchus, *quæ refellitur.* *Mel* Baccho, *& aliis Diis, oblatum.* *Mellis uſus in mortuorum inferiis.* *In* Virgilio *legendum* Melle ſoporatam, *non* ſaporatam, *ut contendit* Turnebus. Saporatus *vox ignota* Auguſti *ævo.* *In melle ſoporandi vis.* *Cera varii uſus.* מום Mum, *pro cera, vox vetus, unde* Mumia. *Cadavera ſcilicet cera condiebantur.* *Cum cera ad ignem liqueſcente quam multa conferant ſacri & profani ſcriptores.* השתעה *cera inſtar molleſcere*, Eſ. 41, 10. *Fabella de* Jacobo *in* Geneſ. 27, 21. נכאת, ceram *non eſſe, nec* myxaria, *ſed* ſtyracem, *Geneſ.* 37, 25. *&* 43, 11.

SEquitur ut de melle dicamus, de quo Scriptura paſſim. *Mel* Hebraicè vocatur דבש *debas*, æquivoco nomine, quo appellantur etiam *dactyli*. *Kimchius* in *Lexico*, ונקראו התמרים דבש, *Etiam dactylos* DEBAS (id eſt, *mel*) *vocârunt*. Quomodo ſumi voluit *R. Selomo* & idem *Kimchius* 2. *Paral.* 31, 6. ubi *Iſraelitæ* leguntur obtuliſſe *primitias frumenti, muſti, & olei*, ודבש, *& debas*, id eſt, inquiunt, *dactylorum*. Addit *Kimchius* veteres ità ſumere *Deut.* 8, 8. in quo loco promittit Deus ſe eos introducturum in terram זית שמן ודבש, *olea olivifera, & debas*. Huc facit quod in *Alcamus* دبوس *dubous* ſunt خلاص تمر يلقى في مسلاء السمن فيذوب فيه *dactyli ſelectiores, qui in butyrum liquefactum conjiciuntur, ut in eo colliqueſcant*. Et دبس *dibs*, vel *dibis*, غسل التمر وغسل النخل *mel dactyli, & mel palmæ*, id eſt, *dactyli*, vel *palmæ ſuccus*. Qui jure merito cum melle habet commune nomen, cum ſit vicini ſaporis. *Joſephus* libri quinti *De bello Judaico* capite tertio, ubi de valle *Jerichuntina*: *Pulcherrimos paradiſos ac denſiſſimos educat, palmarumque irriguarum multa genera, tam ſapore, quam nominibus varia.* Τούτων οἱ πιότεροι πατούμενοι, καὶ μέλι δαψιλὲς ἀνιᾶσιν, οὐ πολλῷ τοῦ λοιποῦ χεῖρον· *Harum pinguiſſimæ calcatæ plurimum mellis emittunt, non multò deterius alio melle.* Et *Joſephus* alius, propior quidem tempore, ſed loco remotior, *Indus* nimirum *Navigationum* capite 138. *Menſe* Auguſto Indi *palmam putant. Et quoniam tunc arbores potiſſimum luxuriant, gemunt inciſæ, lacrymaſque inſtar ſauciatæ vitis emittunt. Has vaſis excipiunt tribus ſolùm diebus ab arbore ſauciata*, &c. *Qui verò ſaccharum efficere voluerit, is aquam hujuſmodi ſumat emanantem intra triduum, & ahenis impoſitam tantiſper coquat, donec vix tertia pars ſuperſit. Tunc ſic decocta mel efficitur ſuaviſſimum.* Patet igitur cur ab *Hebræis* inditum fuerit *mellis* nomen vel *dactylorum* vel *palmæ ſucco*. Quin *R. Selomo* in *Levit* 2, 11. id extendit multò latiùs, quaſi דבש *debas*, ſignificet כל מתיקת פרי *omnem dulcedinem fructûs*. Utut ſit, hic agimus de melle propriè dicto.

Hujus duo ſunt genera: domeſticum unum, ex apibus, quæ domi aluntur; & alterum ſylveſtre, quali legitur *Johannes* in deſerto vixiſſe, *Matth.* 3, 4. *Cibus ejus erant locuſtæ, & mel ſylveſtre.* Et *Marc.* 1, 6. *Comedens locuſtas, & mel ſylveſtre.* Cum ibi *μέλι ἄγριον* *mel ſylveſtre* diſertè ſcribant *Evangeliſtæ* duo, mirum quoſdam eſſe, qui *μελαγρίαν* intelligant herbæ genus, ſi credimus, in deſerto creſcentis. *Suidas*, Μελαγρία, εἶδος βοτάνης φυομένης ἐν ἐρήμῳ. Alii τὰ μέλαγρα ſcribunt, quaſi herba ſit hujus nominis, quam aliter *ἀκρίδας* vocent. *Theophylactus*, Τινὲς λέγουσι βοτάνας εἶναι τὰς ἀκρίδας, ἃς καὶ μέλαγρα καλοῦσι· *Acridas quidam herbas eſſe ajunt, quas etiam* melagra *vocant*. Quæ utut concederemus, tamen extra rem eſſent. Neque enim legitur *Joannes* comediſſe *μελαγρίαν*, aut *μέλαγρα*, ſed *μέλι ἄγριον*. Nihilo magis placet quod afferunt *Beda* in libro *De locis ſanctis*, & *Thomas* in *Matthæum* ex *Arnulpho*, vel *Archulpho*, in deſerto *Johannis* arbores fuiſſe latis & rotundis foliis, lactei coloris, & mellei ſaporis,

ris, quæ natura fragilia manibus confricentur, atque edantur, & hoc dici *mel ſylveſtre*. Nec *Chriſtiano Druthmaro* aſſentior, cui mel ſylveſtre hoc loco eſt illud ipſum Manna, quo filii *Iſrael* paſti ſunt per quadraginta annos. *Manna* quidem ſapor fuit כצפיחת בדבש, *ut ſapor lagani melliti*, Exod. 16, 31. Ac proinde à nonnullis *Manna* vocatur ἀεροβόμελι ac ἀερόμελι. Tamen aliud *Manna*, aliud ſylveſtre mel. Nec Scripturæ vocibus novæ notiones ſunt affingendæ, cum receptæ quadrare poſſunt. Hic igitur nihil quidquam intelligo, quàm locuſtas, & mel ſylveſtre. Et locuſtas jam probavimus (a) in illis locis eſſe frequentes, adeoque in cibis receptas. Idem de ſylveſtri melle vel ex ipſa Scriptura probare eſt obvium. Notum eſt illud *Solomonis* Prov. 25, 16. *Mel reperiſti? comede quantum ſatis eſt.* Et haud dubiè pertinet ad ſylveſtre mel, quod in agris paſſim reperiebatur. Ità cum in agro *Samſon* in leonem incidiſſet, eumque dilaceràſſet, anno ſequente mel reperit, quod in ejus cadavere apes elaboraverant, *Jud.* 14, 8. Quale eſt, quod legitur 1. *Sam.* 14, 25, 26. *Populus venit in ſylvam, in qua erat mel* על פני השדה, *in agri ſuperficie. Et in eam ſylvam populus ingreſſus eſt, & ecce* הלך דבש, *fluxum mellis.* Id nempe fuit ſylveſtre mel, quod apes vel in nudo ſolo, vel in cavis arborum, vel in fiſſuris rupium confecerant. Qualis rupes *Hebraicè* vocatur צור דבש, *rupes mellis*, Pſal. 81, 17. Et mel inde manans דבש מסלע, *mel è petra*, Deut. 32, 13. Sic à voce יער *jaar*, quæ *ſylvam* ſonat, (ut *jar* Punicè *lignum* apud *Auguſtinum* in *Pſalmum* 23.) יער *jaar*, vel יערה *jaara*, eſt *favus propriè in ſylva repertus.* Ut 1. *Sam.* 14, 27. *Extendit* Jonathan *ſummitatem virgæ, quam habebat in manu, & immerſit eam* ביערת הדבש, *in favum mellis.* Et *Cant.* 5, 1. *Comedi* יערי, *favum meum cum melle meo.* Neque eſt, quod quis hoc credat *Judææ* fuiſſe peculiare, quod ibi paſſim apes in agris aut ſylvis mellificabant. Nam idem de *Scythia*, & *Moſcovia*, ex idoneis ſcriptoribus jam (b) didicimus. Et *Maldonatus* in *Matthæum* refert ſe pauperes homines in *Bætica* vidiſſe, qui mel ex ſylvis colligerent, eoque vendendo quæſtum factitarent. Itaque apum, quæ vel in cavis arborum, vel in arundinetis, aut in antris, nidificant, *Poetæ* paſſim meminêre. *Heſiodus Theogonia* verſu 230.

a) Suprà cap. 7. pag. 492. lin. 28. &c.

b) Suprà, cap. 10. pag. 504. lin. 70. &c.

- - - - - - οὔρεσι δὲ δρῦς
Ἄκρη μέν τε φέρει βαλάνους, μέσση δὲ μελίσσας,

In montibus autem ſumma quidem quercus fert glandes, media autem apes. Nempe ἐν τοῖς κοιλώμασι τῶν στελεχῶν, *in truncorum cavis*; ut ibi *Scholiaſtes*. *Phocylides*, aut quiſquis eſt, in Νουθετικῷ verſu 160,

Κάμνει δ' ἠερόφοιτος, ἀριστοπόνος τε μέλισσα,
Ἢ πέτρης κοίλης κατὰ χηραμὸν, ἢ δονάκεσσιν,
Ἢ δρυὸς ὠγυγίης κατὰ κοιλάδος·

Operatur quoque aëria & laborioſa apis, aut in antro cavæ petræ, aut in arundinibus, aut in antiqua quercûs cavitate. Virgilius libro quarto *Georgicorum*,

*Sæpe etiam effoſſis (ſi vera eſt fama) latebris
Sub terra fodêre larem, penituſque repertæ,
Pumicibuſque cavis, exeſæque arboris antro.*

Statius *Thebaidos* libri decimi verſu 569.

*Sic ubi pumiceo paſtor rapturus ab antro
Armatas exegit apes.* - - - -

Claudianus *De raptu* libro ſecundo,

- - - - *fagique cavo demiſſus ab alvo
Mellifer electis exercitus obſtrepit herbis.*

Sed & auctore *Philoſopho Hiſtoriæ* libri quinti capite vigeſimo ſecundo, Αἱ δ' ἐν Θεμισκύρᾳ περὶ τὸν Θερμώδοντα ποταμὸν, ἐν τῇ γῇ, καὶ ἐν τοῖς σμήνεσι ποιοῦντες κηρία. *Apud* Themiſcyram, *circa* Thermodoontem *amnem, tam in terra, quam in alvearibus favos faciunt.* Et infra Κατάγεται δὲ καὶ εἰς Ἀμισὸν ἄνωθεν μέλι λευκὸν, καὶ παχὺ σφόδρα, ὃ ποιοῦσιν αἱ μέλιτται ἄνευ κηρίων πρὸς τοῖς δένδρεσι, γίνεται δὲ τοιοῦτον καὶ ἄλλοθι ἐν τῷ Πόντῳ. *Ad Amiſſum urbem convehitur à locis ſuperioribus mel candidum, & valde craſſum, quod apes in arboribus ſine favis conficiunt. Fit etiam mel hujuſmodi in aliis* Ponti *locis.* Item, Εἰσὶ δὲ καὶ μέλιτται, αἳ ποιοῦσι τριπλᾶ κηρία ἐν τῇ γῇ· *Sunt etiam apes, quæ humi favos triplici ordine faciunt.* Itaque etiam alibi mel ſylveſtre reperire eſt: ſed in *Judæa* frequentius, quæ ſemel atque iterùm dicitur (c) eſſe *terra olei & mellis*, & locis circiter viginti (d) *terra fluens lacte & melle*, id eſt, lactis & mellis proventu fertiliſſima, Phraſi etiam apud *Poetas* uſitatâ. *Euripides* in *Bacchis* verſu 142.

c) Deut. 8, 8. 2. Reg. 18, 32.

d) Exod. 3, 8. 17. & 13, 5. & 33, 3. Lev. 20, 24. Num. 13, 28. & 14, 8. & 16, 14. Deut. 6, 3. & 11, 9. & 26, 9. 15. & 27, 3. & 31, 20. Joſ. 5, 6. Jerem. 11, 5. & 32, 22. Ezech. 20, 6. 15. Sirach. 46, 8 (al. 10.) Baruch. 1, 20.

Ῥεῖ δὲ γάλακτι πέδον,
Ῥεῖ δ' οἴνῳ, ῥεῖ δὲ μελισσᾶν
Νέκταρι - - - -

Fluit lacte ager, fluit etiam vino, fluit & apum nectare. Virgilius *Ecloga* tertia,

Mella fluant illi, ferat & rubus aſper amomum.

Ovidius *Metamorphoſeus* libro primo, ubi de aurea ætate;

Flumina jam lactis, jam flumina nectaris ibant.

Nectaris, id eſt, *mellis*, ut ſuprà in *Euripide*. *Horatius* libri ſecundi *Odâ* decimâ nonâ,

- - - - *lactis & uberes
Cantare rivos, atque truncis
Lapſa cavis iterare mella.*

Claudianus libri primi *De laudibus Stiliconis* verſu 84.

*Tunc & Solis equos, tunc exultâſſe choreis
Aſtra ferunt, melliſque lacus, & flumina lactis
Erupiſſe ſolo.* - - - - - -

Quale eſt, quod *Job.* 20, 17. memorantur נחלי נהרי דבש וחמאה, *torrentes mellis & butyri.* Quæ locutio ſic eſt Hyperbolica, ut melli ex parte conveniat; quia è favo mel defluit, cum copioſum eſt. Mellis ille fluxus apud *Hebræos*, & *Syros*, variè ſignificatur. Primò voce הלך *halach*, quæ propriè eſt *ire*, vel *incedere*. Sed 1. Sam. 14, 26. הלך דבש, eſt *fluxus mellis*. Ità in *Ovidio* ſuprà,

- - - - *jam flumina nectaris ibant*,

id eſt, *fluebant*. Secundò, nomine נפת *nopheth*, quod *diſtillationem* ſonat, *ut* נוף *nuph*, Verbum *ſtillare*, vel *aſpergere*. Sic *Pſal.* 19, 11. נפת צופים, eſt *diſtillatio favorum*. Et *Cant.* 4, 11. נפת תטפנה, *Diſtillationem ſtillant labia tua.* Et *Prov.* 5, 3. *Diſtillationem ſtillant labia meretricis*, Ut *Prov.* 24, 13. נופת. *Et diſtillatio dulcis eſt palato tuo.* Et *Prov.* 27, 7. *Anima ſaturata calcat* נפת, *ſtillationem*, ſupple *mellis*, aut *favorum*. Id enim ubique ſupplendum. Tertio à Verbo צוף, id eſt, *fluere*, צוף *tſuph*, nomen eſt *favus* propriè *fluens*. Sic *Prov.* 16, 24. צוף דבש, *mellis favus* (fluens ſunt) *ſermones amœni*. Et *Pſal.* 19, 11. *Judicia Domini melle dulciora ſunt*, ונפת צופים *& diſtillatione favorum* (fluentium.) Quartò, Verbum רדה *rada*, quod *Hebræi accipere* reddunt, *Syri Jud.* 14, 9. ex ſuæ linguæ idiotiſmo referunt ad mellis fluxum, quia illis ܪܕܐ, *fluere* eſt. Itaque hæc verba de melle à *Samſone* reperto, וירדהו אל כפיו, *Et accepit illud in manus ſuas*, à *Syro* interprete ſic exponuntur, ܘܪܕܐ ܗܘܐ ܕܒܫܐ ܥܠ ܐܝܕܘܗܝ ܘܡܗܠܟ *Et defluebat mel ſuper manus ejus, & ibat.* Et rurſus in eodem verſu, *Non ſignificavit ipſis, quod è corpore leonis* רדה הדבש, *ſumpſerat mel.* Ità *Hebræi*; ſed *Syri* ܪܕܐ ܕܒܫܐ, *fluxerat mel*: ut 1. *Sam.* 14, 25. (vel 26.) ܘܪܕܐ ܗܘܐ ܕܒܫܐ *Et fluebat illud mel.* Quinto ibidem *Chaldæo fluxus mellis* eſt בריז דובשא. Nempe برز *baraza* Arabicè eſt *egredi*, Inde בריז *brez*, vel *briz*, *Chaldaicè* eſt *fluxus mellis ex favo egredientis.* Quo fortaſſe pertinet quod mellis inventor, *Bacchus*, *Briſæus* dicebatur, aut *Breſſæus*. *Cornutus* in *Perſium* Satyrâ primâ, *Eſt* BRISÆUS Liber Pater *cognominatus à mellis uſu, eo quod ipſe primus inveniſſe dicitur mel, & ex favis exprimere* (lege *expreſſiſſe*.) *Heſychius*, Βρισαῖος, Διόνυσος. Eodem facit, quod *Briſas* voca-

vocabant *Nymphas*, quæ *Ariſtæum* docuerunt mellis conficiendi rationem. *Heraclides* in *Coorum*, vel *Ceorum* potius, *Republica*; Ἀρισταῖον δέ φασι μαθεῖν παρὰ Βρισῶν τὴν μελιττουργίαν. *Etymologus*, Βρίσαι, Νύμφαι οὕτω καλούμεναι. Et ſtatim, Μελιττουργίαν αὗται τὸν Ἀρισταῖον ἐδίδαξαν.

Probatum eſt hactenus in *Judæa* mel abundaſſe, atque ubertim proveniſſe, etiam in agris, & ſylvis. Quidni igitur potuerit à *Johanne Baptiſta* in cibis adhiberi? Multis videtur vulgare mel lautior eſſe cibus, quam ut *Johanni* convenerit in tali abſtinentia. Proinde mel ſylveſtre, de quo *Evangeliſta*, amarum fuiſſe volunt, & guſtui prorſus ingratum. Sic *Iſidorus Peluſiota*, Epiſtola 132. illud definit μέλι ὄρειον, ὑπὸ μελισσῶν ἀγρίων γινόμενον, πικρότατον, καὶ πάσῃ γεύσει πολέμιον. Et *Euthymius*, *Mel*, inquit, *agreſte in petrarum ſciſſuris ab agreſtibus apibus conficitur: ſed amarum eſt, ac inſuave.* Sed hæc gratis dicuntur, nec Scripturæ ſatis conſonant, quæ *Judæam* à melle non tantopere commendaret, ſi mel in agris proveniens inſuave & amarum eſſet. Non me latet in certis locis mel amarum progenerari, puta *Sardoum*, & *Corſicum*, ſive cauſa ſit in abſinthio, quod depaſcantur apes: *Dioſcorides* libro 2. Τὸ δὲ ἐν Σαρδονίᾳ γινόμενον μέλι πικρὸν διὰ τὴν τῆς ἀψινθίου νομήν. Galenus *De ſimplici facultate medicamentorum* libro 7. *Si quod mel amarum eſt, ceu Sardoum, clarum eſt & ipſum mixtæ facultatis, tanquam ſi noſtrum quiſpiam ei abſinthium admiſcuiſſet.* Sive id à buxo fiat, quæ in *Corſica* plurima eſt. *Diodorus* lib. 5. Φύεται δὲ κατὰ τὴν νῆσον ταύτην καὶ πύξος πλείστη, καὶ διάφορος· δι' ἣν καὶ τὸ μέλι τὸ γινόμενον ἐν αὐτῇ παντελῶς γίνεται πικρόν. Sive à taxis: ut hæc *Poetæ* ſuadent *Ecloga* 5.

Sic tua Cyrnæas *fugiant examina taxos.*

Ad quæ *Servius*, *Taxus venenata arbor eſt, quæ abundat in Corſica.* Item, *Cyrenæas taxos, quibus paſtæ apes mel amariſſimum faciunt.* Sive à cicutæ paſtu: ut *Ovidius*, cum de cera ſcribit *Amorum* lib. 1. Elegia 12.

Quam, puto, de longè collectam flore cicutæ
Melle ſub infami Corſica *miſit apis.*

Aut à thymis mali ſaporis: ut *Martialis* lib. 11. *Epigrammate* 13.

Mella jubes Hyblæa *tibi, vel* Hymettia, *naſci.*
Et thyma Cecropiæ Corſica *ponis api.*

Eſt & alibi mel venenatum, quod comedentes ad inſaniam adigit. Ut circa *Ponti Heracleam*, de quo (e) *Dioſcorides*, & (f) *Plinius*. Et prope *Trapezuntem*, de quo (g) *Ariſtoteles*, & (h) *Ælianus*. Meminêre & multi alii: ſed (i) *Xenophon*, & (k) *Diodorus Siculus* in *Colchis* ponunt. *Strabo* (l) in *Hepta-cometis*, & in *Sannis* (m) *Plinius*. Ex quo eodem didici etiam in *Perſide*, & in *Mauritania Cæſarienſis Getulia* contermina *Maſſæſylis* venenatos favos gigni. At in *Judæa* mel amarum, aut ullâ ex parte vitioſum gigni, ne per ſomnium quidem auditum eſt. Quin *Gen.* 43. *v.* 11. mel eſt מזמרת ארץ, ex iis, quæ in terra *Chanaan* laudantur, & decantantur. Et blaſphemus ille *Rabſake Aſſyriam* ex eo commendat, quòd, inſtar terræ *Chanaan*, oleæ ſit & mellis ferax, 2. *Reg.* 18. *v.* 32. Sic apud *Joſephum* lib. 5. *De bello* cap. 4. agri *Hierichuntini* laudum hæc una, quod eſt μελιττοτρόφος ἡ χώρα, *apibus alendis apta regio.* Et *Alcamus Thecoenſe* mel inter eximia memorat, dictum ab oppido *Thecoa Jeroſolymis* vicino. Verba ſunt, تقوع بالقدس ينسب اليه العسل Thecoa, *oppidum prope* Kuds (id eſt, *Jeruſalem*) *à quo mel denominatur*, vel etiam *cujus mel celebratur.* Proinde mel è *Judæa* in alias terras deferebatur. Ut ad *Tyriorum* nundinas, *Ezech.* 27 *v.* 17. & in *Ægyptum*, *Gen.* 43. *v.* 11. Quamvis ipſa etiam *Ægyptus* melle abundaſſe legatur, *Num.* 16. *v.* 13.

e) Lib. 2.
f) Lib. 21. c. 13
g) In Mirab.
h) Hiſt. lib. 5. cap. 42.
i) Cyr. Min. lib. 4.
k) Lib. 12.
l) Lib. 12.
m) Ubi ſupra.

Nec eſt, quòd quis hæc ſibi fingat non niſi de domeſtico melle dici. Agreſte enim fuit mel illud, cujus dulcedinem *Samſon* tam illuſtribus verbis deprædicavit *Jud.* 14. *v* 14. Et mel aliud, quo deguſtato, *Jonathanis* oculi aperti ſunt, 1. *Sam.* 14. *v.* 29. Agreſte etiam erat mel petræ, id eſt, ex petrarum fiſſuris manans, in quibus feræ apes mellificabant. Tamen id cenſetur in deliciis, quas populo ſuo Deus obtulit, Deut. 32. v. 13. *Vexit eum ſuper excelſa terræ, ut comederet reditus agrorum, deditq́ue ei ſugendum mel è petra.* Pſalm. 81. v. 17. *Cibabit eum adipe tritici, & ex rupe, melle ſatiabit.* Itaque tam in ſylveſtri, quam in domeſtico melle fuit, quod palato placeret. Tamen in *Johanne Baptiſta* magnæ id fuit abſtinentiæ, quòd ſolis locuſtis, & melle ſylveſtri, vixit: quia ut in locuſtis, quod ſuo loco probatum, ita etiam in melle parum eſt alimenti, cum ſolùm & per ſe ſumitur. *Hippocrates* cap. 50. *De affectionibus*, Τὸ μέλι, ξὺν ἑτέροις ἐσθιόμενον, καὶ τρέφει, καὶ εὔχροιαν παρέχει. Αὐτὸ δὲ ἐφ' ἑαυτοῦ λεπτύνει μᾶλλον ἢ κομίζει. *Mel, cum aliis quidem comeſtum, & nutrit, & bonum colorem exhibet. Ipſum autem per ſe ipſum magis attenuat, quàm reficit. Ariſtoxeni Cyrenæi* Philoſophi abſtinentiam ex eo celebrant veteres, quod θρίδακα ἐν κήπῳ οἰνομέλιτι ποτίζων ἑσπέρας, καὶ ὑπὸ τὴν ἕω λαμβάνων, χλωροὺς ἔχειν ἔλεγε πλακοῦντας, *lactucam in horto ſub veſperam mulſo irrigatam veſperè & manè ſumens, dicebat ſe flavas habere placentas.* Et *Pythagoræ*, quòd εὐτελέστατα διαβιοὺς, πολλάκις μέλιτι μόνῳ ἠρκεῖτο, *tam frugaliter viveret, ut ſæpe ſolo melle contentus eſſet.* Ita refert *Euſtathius* in *Iliad.* λ'. Sed utrumque noſter longè ſuperat. *Ariſtoxenus* enim melli vinum & lactucam addebat, à quibus abſtinuit *Johannes*. Et *Pythagoras* ſæpe quidem, non tamen ſemper, ſolo melle contentus fuit. Sic enim de eo *Laertius*, Ἐνίοτε δὲ αὐτὸν ἀρκεῖσθαι μέλιτι μόνῳ φασί τινες, ἢ κηρίῳ, ἢ ἄρτῳ· οἴνου δὲ μεθ' ἡμέραν μὴ γεύεσθαι· ὄψῳ τε τὰ πολλὰ λαχάνοις ἑφθοῖς, καὶ ὠμοῖς, τοῖς δὲ θαλαττίοις σπανίως. *Solo melle, aut favo, aut pane interdum contentum vixiſſe quidam ajunt. Vinum autem interdiu* (id eſt, *uſque ad veſperam*) *non guſtaviſſe. Pro obſonio autem habuiſſe elixa, vel cruda olera, marinis autem rarò uſum.* Præterea hi cibis emptis, *Johannes* fortè fortunâ oblatis veſcebatur, Dei providentiâ ita fretus, ut in deſerto ex ea ſola penderet, certus ſibi non defutura, quæ ad vitam ſuſtentandam eſſent neceſſaria.

Mel commendatur inprimis à ſaporis dulcedine. Hinc *Sirachides* ſupra de ape, Ἀρχὴ γλυκασμάτων ὁ καρπὸς αὐτῆς, *Principium dulcedinum*, (ſeu, *ſummè dulcis eſt*) *fructus ejus.* Et *Samſon* in ænigmate, quod in nuptiali convivio *Philiſtæis* propoſuit, *Jud.* 14. *v.* 14. *Ex comedente exiit cibus, & ex forti exiit dulce:* id eſt, *ex leone mel.* Jam enim didicimus in corpore leonis mel fuiſſe repertum. *Hebræi*, בגוית האריה, *Græci*, Ἐν στόματι τοῦ λέοντος· ſed reſcribendum ἐν σώματι. Sic verſu 9. ubi legitur in editione *Complutenſi*, & in *Pariſienſi* nupera, Ἐκ τῆς ἕξεως τοῦ λέοντος ἐξεῖλεν τὸ μέλι, repoſuerim, ἐκ τῆς ἰξύος, *ex lumbo*, quomodo redditum גוית. quia, גו paſſim ſumitur pro *tergo*, vel *dorſo*, ubi ſunt *lumbi*. Sed vox ἰξύος minus frequens mutata eſt in ἕξεως per ſcribarum imperitiam, quibus corrumpere ſolenne eſt quidquid non intelligunt. Utut ſit, ex leonis corpore cum mel eruiſſet *Samſon*, quod alioqui ſine exemplo eſt, griphi vel ænigmatis argumentum is inde ſumpſit, prout moris erat apud veteres inter epulas quæſtiones proponere, in quarum ſolutione ingenia exercerentur. Hujuſmodi quæſtionem *griphum* vocat *Clearchus*, & apud *Athenæum* ita definit, Γρῖφος πρόβλημά ἐστι παιστικὸν, προστακτικὸν τοῦ διὰ ζητήσεως εὑρεῖν τῇ διανοίᾳ τὸ προβληθὲν, τιμῆς ἢ ἐπιζημίου χάριν εἰρημένον. Griphus *eſt problema ludicrum, quo jubetur, ut veſtigatione mentis quod propoſitum eſt inveniatur, præmii aut mulctæ gratiâ in medium prolatum.* Et conviviis ſolere pro-

proponi latè probat *Athenæus* lib. 10. Meminit etiam *Julius Pollux* libri 6. capite 19. ubi compotorum ænigmata & griphos ita diſtinguit, ut illa ſtatuat ſemper fuiſſe jocoſa, hos quandoque ſerios. Verba ſunt, Τῶν μὲν συμποτικῶν αἴνιγμα καὶ γρῖφος· τὸ μὲν παιδιὰν εἶχεν, ὁ δὲ γρῖφος καὶ σπουδήν. Sequitur ſolventi datum fuiſſe carnium aliquod ferculum κρεῶν τινα περιφοράν, ut ἅλμης ποτήριον *muria poculum* dabatur ei ebibendum, qui non potuiſſet ſolvere. Sed & alia præmia, alias item pœnas apud *Græcos* in uſu receptas legere eſt in *Athenæo* ubi ſupra. *Athenis* in *Saturnalibus* tale quid à *Romanis* eſſe agitatum refert *Gellius* lib. 18. cap. 2. *Conveniebamus ad eandem cœnam compluſculi, qui* Romani *in* Græciam *veneramus, quiq; eaſdem auditiones eoſdemq; doctores colebamus. Tum qui cœnulam ordine ſuo curabat, præmium ſolvendæ quæſtionis ponebat librum veteris ſcriptoris, vel* Græcum, *vel* Latinum, *& coronam è lauro plexam: totidemq; res quærebat, quot homines hic eramus. Cumq; eas omnes expoſuerat, rem locumq; dicendi ſors dabat. Quæſtione igitur ſolutâ, coronâ & præmio donabatur, non ſolutâ autem transmittebatur ad eum, qui ſortitò ſucceſſerat. Idque in orbem vice pari ſervabatur. Si nemo diſſolvebat quæſtionis ejus nodum, præmium ipſum, & corona, Deo, cujus id feſtum erat, dicabatur.* Sed moris antiquitatem nihil tam adſtruit, quàm quòd legitur *Sampſon* triginta convivis ſuis ænigma ſolvendum intra ſeptem convivii dies propoſuiſſe, eâ lege, ut, ſi ſolverent, pro præmio acciperent triginta ſindones, & veſtes mutatorias totidem: ſin minus, ipſi darent. Ænigma autem hoc fuit, *De comedente exiit cibus, & de forti exiit dulce.* In quibus verbis ut *comedenti cibus*, ita *forti dulce* opponitur. Quæ tamen non videntur eſſe oppoſita. *Fortis* enim *imbelle* aut *debile*; *dulci* opponitur *acre* aut *amarum*. Sed quandoque hæc confunduntur: & *amarum* pro *forti*, *acre* pro utroque ſumitur. Sic *Arabicè* مر *mirra*, id eſt, *robur*, & مرير *merir*, id eſt, *robuſtus, validus*, fit à Verbo مر *marra*, quod *amarum eſſe* ſonat. Et *acer* Latinè dicitur, qui *fortis* eſt: ut *Æneidos* lib. 8.

Aut acrem dubites in prælia poſcere Turnum?

Ad quem locum *Servius*, ACREM TURNUM *) fortem. Et propriè apud nos acer eſt, qui* δεινὸς *apud* Græcos. *Nam* fortem, *& vehementem, & aſperum, & amarum poteſt ſignificare. Nonnius* item, *Acrem, fortem* ÆN. *lib.* 7. (*lege lib.* 8.) Rectè igitur *Junius* Judic. 14. v. 14. *Ab acri prodiit dulce.* Et in ſolutione ænigmatis verſu 18. *Quid dulcius eſt melle? Et quid acrius eſt leone?* Ut lib. 4. *Faſtorum*,

- - - - - - - - *genus acre leonum.*

Porrò quia mel non ſolùm dulce eſt, ſed & ἀρχὴ γλυκασμάτων· inde eſt, quòd quæcunque vel ſunt guſtui dulcia, vel animo grata & jucunda, cum *melle* conferuntur. Sic de *Manna* dicitur *Exod.* 16. *v.* 31. *Et ſapor ejus erat* כצפיחת בדבש, *ut placenta cum melle*, id eſt, *mellita*. Cibus enim tam dulcis fuit, ut ab auctore *Sapientiæ* haberi videatur pro *ambroſiæ genere*, cum illum vocat εὔτηκτον γένος ἀμβροσίας τροφῆς cap. 19. verſu 20. Quo ipſo nomine *mel* vocatur à veteri *Poeta*,

- - - - - - - ἡ δὲ μελισσῶν
Ἀμβροσίην, πυκναί τ᾽ ἐπέρχονται πελάδες·

Apum ambroſia, & frequentes placentæ pertenues. Ita citat *Suidas* in Πελάδες. Et volumen *Propheticum Ezechieli, & Johanni*, fuit *melle dulcius*, Ezech. 3. v. 3. Apoc. 10. v. 9. 10. Ut mandata Domini, de quibus *David*, Pſal. 19. v. 11. *Melle dulciora ſunt, & diſtillatione favorum.* Et *Pſal.* 119. *v.* 103. *Quam dulcia fuerunt palato meo eloquia tua, & præ melle ori meo.* Divina item Sapientia *Prov.* 24. *v.* 13. 14. *Fili mi, comede mel, quia bonum eſt, & favum, qui dulcis eſt palato tuo. Sic cognitio ſapientiæ* (dulcis erit) *animæ tuæ, ſi eam inveneris, &c.* Et *Sirach* cap. 24. verſibus 19. 20. (al. 26. 27.) ipſa de ſe Sapientia, *Accedite ad me, qui mei eſtis cupidi, & de proventibus meis ſaturamini: nam memoria mei melle dulcior eſt, & hæreditas mea mellis favo.* Græcè, Ὑπὲρ μέλιτος κηρῶ, alii κηρῶ, alii κλήρῳ, alii κηρίω, alii κηρίου. Fortaſſe auctor uno verbo ſcripſerat μελικηρῶ· nempe μελικηρὸς eſt *favus*. Vox non exſtat in *Lexicis*, ſed in *Theocrito* legitur *Idyll.* 20.

- - - - - - - ἐκ στομάτων δὲ
Ἔῤῥεέ μοι φωνὰ γλυκερωτέρα, ἢ μελικηρῶ·

Ex ore autem fluebat mihi vox dulcior favo. Unde illam potuit deſumere *Sirachides*. Scripſit enim paucis poſt *Theocritum* annis, & uterque in *Ægypto*. Huic conjecturæ favent *Syra* verſio & *Arabica*. Utraque enim *favum* ſimpliciter hic habet, non *favum mellis*. Sed *Hieronymus*, *mel & favum*. Ibidem cap. 49. v. 2. *Ita ſic* memoria ſive mentio ἐν παντὶ στόματι ὡς μέλι γλυκανθήσεται, *in omni ore ut mel dulceſcet.* Et de *Sponſo* legitur in *Chaldæo* Paraphraſte *Cantic.* 5. *verſ.* 6. מלי פומיה מתיקן כדבש, *Verba palati ejus dulcia ſunt ſicut mel*; pro *Hebræis*, חכו ממתקים, *Palatum ejus dulcedines.* Et de *Sponſa* Cant. 4. v. 11. *Favum ſtillant labia tua, mel & lac ſubſunt linguæ tuæ.* Sic de *Neſtore* Poeta *Iliad.* α΄. verſu 249.

Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή,

E cujus lingua melle dulcior fluebat vox· Et *Theocritus* Idyll. 8.

Κρεῖσσον μελπομένω τεῦ ἀκουέμεν, ἢ μέλι λείχειν.

Præſtat te canentem audire, quàm mel lingere. Et *Moſchus* de *Amore* Idyll. 1.

- - - - - - - - - ὡς μέλι φωνά,

Vox illi (dulcis) *ut mel.* Quod de meretrice *Solomon* Prov. 5. v. 3. *Favum ſtillant labia extraneæ.* Et de *Glaucia Statius* in *Epicedio*, lib. 2. *Sylvarum*,

- - - - - - - - *penitusque loquentis*
Hyblæis *vox mixta favis.* - - -

Hinc paſſim in *Pindaro* (n) μελιγάρυες ὕμνοι, & (o) μελίφθογγοι ἀοιδαί. Et, in *Illuſtri* 10. *Sophocles Tragicus* μέλιττα ἐκαλεῖτο διὰ τὸ ἡδὺ, *apis vocabatur propter carminis ſuavitatem*: ut *Xenophon* apud *Suidam* Ἀττικὴ μέλιττα, *apis Attica*. Et in *Ariſtophanis Avibus*,
(n) *Olymp.* 11. (o) *Pyth.* 3. *Iſthm.* 2. *Iſthm.* 6.

- - - ὥσπερ ἡ μέλιττα
Φρύνιχος ἀμβροσίων
Μελέων ἀπεβόσκετο καρπὸν ἀεὶ,
Φέρων γλυκεῖαν ᾠδάν·

Ut apis Phrynichus (Comicus Poeta) *ambroſiorum carminum fructum ſemper depaſcebatur, ferens dulcem cantionem.* Et *Anthologiæ* lib. 5. in ſtatuam *Sapphûs*,

Πιερικὴ δὲ μέλιττα λιγύθροος ἵζετο Σαπφώ,

Pieria verò apis dulciſona ſedebat Sappho. Et in *Erinnam*,

Πιερικὰς ῥαθάμιγγας ἀποσταλάουσα μελίσσας,

Pieriæ guttas ſtillans apis. Et in *Homerum*,

Πιερικὴ δὲ μέλισσα περὶ στόμα θεῖον ἀλᾶτο,
Κηρίον ὠδίνουσα μελισταγές· - - -

Pieria verò apis circa divinum os errabat, favum pariens melle fluentem. Eodem pertinet, quod (p) *Plinius*, atque (q) alii referunt apes in ore infantis *Platonis* ſediſſe, ſuavitatem illam prædulcis eloquii portendentes. Quod idem de (r) *Pindaro*, (s) *Lucano*, & (t) *Ambroſio* ſcribunt auctores non contemnendi.
(p) *Lib.* 11. *c.* 17. (q) *Cic. Divin. l.* 1. *Val. Max. lib.* 1. *c.* 6. *Ælian. Var. hiſt.* (r) *Ælian. Var. hiſt.* (s) *Vita Lucani* (t) *Paulin. in Ambroſ. Vita.*

Mel inter ea, quæ vitæ ſunt maximè neceſſaria poſuerunt *Hebræi* veteres. Ut *Sirachides* cap. 39. v. 31. Ἀρχὴ πάσης χρείας εἰς ζωὴν ἀνθρώπου, ὕδωρ, πῦρ, καὶ σίδηρος, καὶ ἅλας, καὶ σεμίδαλις πυροῦ, καὶ μέλι, &c. *Principium omnis neceſſitatis ad vitam hominis* (id eſt, primas tenent inter ea, quæ ad vitam maximè requiruntur) *aqua, ignis, ferrum, ſal, frumenta, ſimila, mel, &c.*

Ad

Ad multa enim mel fuit utile, ad eſum, ad potum, ad medicinam, ad conſervanda cadavera. Melle denique in ſacris uſi ſunt ſuperſtitioſi homines. Mellis eſum quod attinet, ita de eo *Jonathan* in *Paraphraſi* Lev. 11. v. 20. *Species apum abominatio erunt vobis. Tamen* דובשא דדבורי יתאכל, *mel apum comedetur.* Quod ipſum ſcribunt *Arabes*, & humani lactis exemplo illuſtrant, cujus eſus permittitur, licet humana caro ſit prohibita. Itaque de eſu mellis in Scriptura paſſim agitur. Ut *Deuter.* 32. v. 13. *Sugendum ei dedit mel è rupe.* Pſal. 81. v. 17. *Ex rupe mellis ſatiabo te.* Prov. 24. v. 13. *Fili mi, ede mel; quia bonum eſt.* Prov. 25. v. 16. *Cum mel repereris, ede quantum tibi ſufficit.* Eſa. 7, 22. *Quiſquis in terra ſuperfuerit, butyrum & mel comedet.* Ezech. 16. v. 13. *Similam & mel oleumq; comediſti.* Et exemplo ſunt *Samſon*, Judic. 14. v. 9. *Jonathan*, 1. Sam. 14. v. 27. *Solomon*, Cant. 5. v. 1. *Johannes*, Matth. 3. v. 4. *Chriſtus* ipſe denique, Luc. 24. v. 42. 43. Et infantili etiam ætati convenire hunc cibum probatur ex celebri *Eſaiæ* loco de *Emmanuele* cap. 7. v. 15. *Butyrum & mel comedet, donec ſciat reprobare malum, & eligere bonum:* id eſt, donec ſit paulò adultior. *Baſilius*, Παιδικῇ τροφῇ χρῆται ὁ Ἐμμανουὴλ διὰ τὴν σάρκα, βουτύρῳ, καὶ μέλιτι· *Puerili alimento utitur propter carnem* Emmanuel, *butyro nempe, & melle.* Cyrillus, Τροφὴν αὐτῷ γενήσεσθαι λέγων τὴν νηπίοις πρέπουσαν, βούτυρόν τε, καὶ μέλι· *Cibum ei fore dicens parvulis convenientem, butyrum, & mel.* Hieronymus, *Cibis utitur infantia,* " *Butyrum comedet, & mel.* Bernardus *De Adventu* Serm. 2. " *Butyrum, inquit, & lac comedet: ac ſi dicat,* " *Parvulus erit, & veſcetur infantilibus alimentis.* Inde eſt, quòd in Baptiſmo, in quo fideles renaſcuntur, lac & mel prægustandum dabant veteres. Tertullianus *De corona militis* cap. 3. *Inde ſuſcepti lactis & mellis concordiam prægustamus.* Quò alludens *Hieronymus* adverſus *Luciferianos* capite 4. è lavacro egreſſos dicit *lactis & mellis prægustare concordiam ad infantiæ ſignificationem.* Neque enim ſolo lacte, ſed & melle tum alebantur infantes. Sic ex antiquiſſimis *Cretenſium* Hiſtoriis narrat *Didymus Meliſſea, Cretenſium* Regem, duas habuiſſe filias, *Amaltheam*, & *Meliſſam*, quæ *Jovem* puerum caprino lacte ac melle nutrierint. Ita habetur in *Lactantio* lib. 1. *De falſa religione* cap. 22. Et apud *Antonium Liberalem Boëus* antri meminit, quod occupabant ἱεραὶ μέλιτται τροφοὶ τοῦ Διός, *apes ſacræ* Jovis *nutrices.* Quale eſt, quòd Πινδάρῳ, τῆς πατρῴας οἰκίας ἐκτεθέντι, μέλιτται τροφοὶ ἐγένοντο, ἀντὶ τοῦ γάλακτος παρατιθεῖσαι μέλι, Pindaro è *paterna domo* pulſo & *expoſito apes nutricum vicem præſtiterunt, pro lacte mel illi præbentes.* Itaque pueris in morbo ſi quid amari eſſet ebibendum, prius ora poculi melle illinebantur, ut conſuetum cibum ſibi propinari putarent. *Lucretius*,

Sed veluti pueris abſinthia tetra medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flavoque liquore,
Ut puerorum ætas improvida ludificetur.

Sed, utut mel ſuavis ſit cibus, & in qualibet ætate conveniat, videndum tamen, ne quid nimis. Hinc *Solomon* Proverb. 25. v. 16. *Cum mel repereris, comede quantum ſatis eſt tibi, ne ſatur illud evomas.* Et Prov. 27. v. 7. *Anima ſaturata calcat favum.* Ut *Pindarus Nemeâ* 7.

Κόρον δ' ἔχει, καὶ μέλι.

Mellis etiam eſt ſatietas. Et *Epigramma* vetus,

- - καὶ μέλιτος τὸ πλέον ἐστὶ χόλος,

Mellis etiam quod abundat eſt fel. Rabbinicum quoque Adagium huc pertinet, אוכל דבש הרבה סופו מקיאה, *Qui mel multum comedit, tandem illud evomit.*

Mellis uſus in potu commendari videtur his *Nehemiæ* verbis in verſione *Hieronymi* cap. 8. v. 10. *Ite, comedite pinguia, & bibite mulſum.* Ita eſt in *Hieronymo.* *Mulſum* autem eſt οἰνόμελι, id eſt, potus ex vino & melle confectus. Hujus conficiendi rationem accuratè docent *Dioſcorides* lib. 5. cap. 8. *Palladius* lib. 11. cap. 17. & auctores *Geoponicũn* lib. 8. cap. 25. *Plinius* quoque obiter lib. 22. cap. 24. Nec *Talmudicos* id præteriit in Tractatu *De Idololatria* cap. 2. fol. 30. a. ubi ad quæſtionem, Quid ſit אינומלין, οἰνόμελι, reſpondent eſſe יין ודבש ופלפלין, *vinum, & mel, & piper, ſimul mixta, & temperata.* Quæ tamen deſcriptio potius ad *conditum* pertinet. Quærit denique *Macrobius Saturnalium* lib. 7. cap. 12. cur ex recenti melle & vetuſto vino mulſum optimè temperetur. Eſt etiam in *Poetis* frequens mulſi mentio. *Plautus* in *Perſa* Scena 3.

Commiſce mulſum, ſtruthea, colutheaque appara.

Et in *Sticho* Actus 2. Scena 1.

Quot potiones mulſi, quot autem prandia?

Horatius lib. 2. *Satyra* 2.

Sperne cibum vilem, niſi Hymettia *mella* Falerno
Ne biberis diluta. - - - - - -

Et *Satyra* 4.

Aufidius *forti miſcebat mella* Falerno,
Mendoſe; quoniam vacuis committere venis
Nil niſi lene decet: leni præcordia mulſo
Prolueris melius. - - - - - -

Virgilius lib. 4. *Georgicũn*,

Dulcia mella premes, nec tantum dulcia quantum
Et liquida, & durum Bacchi *domitura ſaporem.*

Id eſt, apta mulſo (inquit *Servius*) *quia majores vina aſperrima mellis dulcedine temperabant.* *Martialis* libri 4. *Epigrammate* 13.

Tam bene rara (a) ſuo miſcentur cinnama nardo,
Maſſica Theſeis *tam bene vina favis.*

Et lib. 13. *Epigrammate* 108.

Attica *nectareum turbatis mella* Falernum,
Miſceri decet hoc à Ganymede *merum.*

Corippus lib. 3.

Fuſca dabant fulvo Riſattica *vina metallo,*
Quæ natura parat liquidi non indiga mellis.

Homerum præiviſſe volunt, *Iliad.* κ'. verſu 234. ubi *Circe*

- - - - - - - μέλι χλωρὸν
Οἴνῳ Πραμνείῳ ἐκύκα, - - - -

mel recens vino Pramnio *miſcuit.* Quin, diu ante *Circen*, *Ariſtæum primum omnium* (ajunt) *mel miſcuiſſe vino.* Ita *Plinius* lib. 14. cap. 4. Tamen *Plutarchus* οἰνόμελι mulſum inter ea cenſet, quæ nuper inventa ſunt. Locus eſt *Sympoſiacũn* lib. 8. Quæſt. 9. Πολλὰ γὰρ τῶν ἀγεύστων καὶ ἀβρώτων πρότερον, ἥδιστα νῦν γέγονεν, ὥσπερ οἰνόμελι, καὶ μήτρα· *Multa enim, quæ guſtari olim & comedi non ſolebant, nunc pro ſuaviſſimis habentur, ut mulſum, & vulva.* An quia veterum inventis tam multa addidit gula recentiorum, ut res pro nova haberi potuerit? Itaque ne nomen quidem οἰνόμελι uſpiam extat, quod ſciam, ante *Dioſcoridem.* Et in *Nehemia* loco, quem ſupra citavimus, *Hebræa* ſolum habent שתו ממתקים, *Bibite dulcia:* & *Græca* verſio, Πίετε γλυκάσματα. Ut & 3. *Eſdr.* 9. v. 52.

De mellis uſu ad Medicinam jam (*b*) actum ad illa *Græca* verſionis verba de ape *Proverb.* 6. v. 8. Ἧς τοὺς πόνους βασιλεῖς τε καὶ ἰδιῶται πρὸς ὑγίειαν προσφέρονται, *ſeqq.* *Cujus labores* (mel nimirum) *Reges & privati ad ſanitatem adhibent.* Quibus hæc adde de *Jonathane* 1. Samuel. 14. v. 27. *Extendens ſummitatem virgæ, quam habebat in manu, eam intinxit in favum mellis: &, cum manum ad os admoviſſet, lumen receperunt oculi ejus.*

Addit *Arabs*, لان كان اظلم عليه

Quia

(a) Al. Syro.

(b) lib. 4. c. 4. p. 511. lin. 39.

Quia caligo ei erat oborta. Nempe propter inediam, ut *Plautino Curculioni*, qui, urgente fame, in hæc verba prorumpit Actûs 2. Scena 3.

- *tenebræ oboriuntur, genua inediâ ſuccidunt.*

Et paulò poſt,

- - - - - *periì, proſpicio parùm.*
Os amarum habeo, dentes plenos, lippiunt fauces fame.

Caligare fame Arabicè أسدف *asdapha* dicitur verbo maximè proprio. Porrò, ut ad hunc locum verè obſervat Cl. *Voſſius* lib. 4. *De Idololatria* cap. 79. cùm omnis id habeat cibus, ut vires deperditas inſtauret, tum præcipuè hoc, uti vinum, ſic mel præſtat, quia ambo ſubtilia ſunt, eoque citius vires ſuas diffundunt. Sunt, qui mellis obſervent id eſſe proprium, ut oculorum caliginem diſcutiat. Quod aſſerunt multi veteres. *Dioſcorides* lib. 2. de melle; Ἀποκαθαίρει δὲ τὰ ἐπισκοτοῦντα τῆς κόραις· *Ea abſtergit, quæ oculis caliginem inducunt.* *Plinius* lib. 29. cap. 6. *Mel utiliſſimum oculis, in quo apes immortuæ ſunt. Samonicus* cap. 14.

Hyblæi *mellis ſucci cum felle caprino*
Subveniunt oculis dirâ caligine preſſis.

Sed fruſtra hæc afferuntur, cùm non eſu, ſed illitu, legatur oculis prodeſſe mel. Non poſſum mirari ſatis quorſum *Hieronymus* in *Epiſtola* ad *Fabiolam* de XLII. manſionibus, *mellis* nomine, de quo guſtavit *Jonathan, meretricem* ſignificari putet: *Mel*, inquit, *diſtillat à labiis mulieris meretricis: de quo puto juxta myſticos intellectus guſtâſſe* Jonathan, *& forte deprehenſum vix populi precibus liberatum.*

Ad medicos mellis uſus etiam id Magiſtri referunt, quod *Eſa.* 30. *v.* 6. *cameli tuber* Hebraicè דבשת *dabbeſeth* dicitur, tanquam à voce דבש *debas*, quæ *mel* ſonat. Quaſi ſic appelletur, eò quod oneribus læſum melle inungi ſoleat. *R. Selomo* in *Eſaiam*, על שם שמתוקנת תמיד וסכין שם דבש לרפואה קרויה דבשת, *Quia ſemper putreſcit, & melle ad ſanandum illud inungunt,* dabbeſeth *appellatur.* Quod ipſum aſſerunt *Talmudici* Tractatus *De Sabbatho* cap. 8. & 14. & in *Bava Meſia* cap. 3. Non aſſentior tamen, quia hæc originatio videtur longè petita. Ad *Hebræum* דבשת aliquo modo alludit *Arabicum* سديف *ſadiph* ejuſdem notionis. Fortaſſe enim ex דבשת *dabbeſeth*, primò factum eſt دقيس *daphis*, deinde per Metatheſim, سديف *ſadiph*, de quo periti judicent.

De mellis uſu ad cadaverum pollincturam & condituram nihil in Scriptura reperio. Niſi quis adhibitum putet ab *Ægyptiis* Medicis, qui *Jacobum* pollinxerunt. Nam in *Ægypto* ſic fiebat. Hinc *Statius* in *Propemptico Metii Celeris*,

Duc & ad Emathios *manes, ubi belliger urbis*
Conditor Hyblæo *perfuſus nectare durat.*

Id eſt, ad urbem *Alexandriam*, ubi conditoris *Alexandri* corpus ſervatur melle perfuſum. Et apud *Eutychium Alexandrinum*, *Philemon* idem cadaver *Alexandriam* delaturus ملاه غسلا *melle* illud implevit. Et *Plinius* lib. 7. cap. 3. de *Claudio Cæſare*, *Nos principatu ejus allatum illi ex* Ægypto *in melle* (hippocentaurum) *vidimus.* Qui ritus etiam à *Babyloniis* uſurpatus, de quibus *Herodotus* lib. 1. ταφαὶ δέ σφι ἐν μέλιτι. Et à *Lacedæmoniis* cum Reges, peregrè defuncti, domum referendi erant. Sic *Ageſipolis*, cùm in *Macedonia Aphyto* diem obiiſſet, ἐν μέλιτι τεθεὶς, καὶ κομισθεὶς οἴκαδε, ἔτυχε τῆς βασιλικῆς ταφῆς, *in melle poſitus, & domum relatus, regiam ſepulturam conſequutus eſt.* Ita *Xenophon* lib. 1. *Rerum Græcarum.* Et ejus in regio munere collega *Ageſilaus*, cùm in *Menelai* portu inter *Ægyptum* & *Cyrenas* morbo implicitus deceſſiſſet, τοῦ σώματος ἐν μέλιτι κομισθέντος εἰς τὴν Σπάρτην, ἔτυχε τῆς βασιλικῆς ταφῆς τε, καὶ τιμῆς, *corpus in melle* Spartam *delatum regiam ſepulturam atq; honorem conſequutum eſt. Diodori* verba ſunt *Hiſtoriarum* lib. 15. Tamen mellis penuriâ in cera conditum fuiſſe ſcribit *Plutarchus* in ejus *Vita*. Ad eundem morem alludunt hæc *Lucretii* lib. 3. verſu 902.

Nam ſi in morte malum eſt malis morſuq; ferarum
Tractari, non invenio qui non ſit acerbum
Ignibus impoſitum calidis torreſcere flammis,
Aut in melle ſitum ſuffocari, &c.

Sed & *Corippus* lib. 3. *Juſtiniani* funus deſcribens, inter præſtantiſſima aromata, puta thus, & balſamum, quibus Imperatorum corpora condiebantur, melli quoque ſuum fuiſſe locum his verbis docet:

Thura Sabæa *cremant, flagrantia mella locatis*
Infundunt pateris, & odoro balſama ſucco,
Centum aliæ ſpecies, unguentaq; mira feruntur,
Tempus in æternum ſacrum ſervantia corpus.

Nempe ſcribit *Plinius* lib. 22. cap. 24. mellis naturam talem eſſe, *ut putreſcere corpora non ſinat, jucundo ſapore, atq; non aſpero, aliâ quàm ſalis naturâ.* Et *Democritus* in ſpem reſurrectionis corpora voluit melle aſſervari. Quod didici è duobus veterum locis. Uno *Varronis* apud *Nonium* cap. 3. verbo *Vulgus*, Heraclides Ponticus *plus ſapit, qui præcepit ut comburerent, quàm* Democritus, *qui ut in melle ſervarent.* Altero *Plinii* lib. 7. cap. 55. *Similis & de aſſervandis corporibus hominum & reviviſcendis promiſſa à* Democrito *vanitas, qui non revixit ipſe.*

De melle Lex habetur *Levit.* 2. *v.* 11. 12. *Nullum fermentum & mel nullum Deo adolebitis in oblationem igne abſumendam. In oblationem tamen primitiarum ea Domino offeretis. Sed ſuper altare ne offerantur in odorem ſuavitatis.* Ubi *mellis* nomine *R. Selomo* כל מתיקת פרי, *omnem fructuum dulcedinem*, & nonnulli apud *Aben Ezram dactylos* intelligunt: ut 2. *Paral.* 31. *v.* 5. ubi leguntur *Iſraelitæ* obtuliſſe *primitias frumenti, muſti, olei, & mellis, & omnis agri proventus.* Et verò idem ab *Eſdra*, quod in Lege ſignificari videbitur veriſimile, cùm utrobique agatur de mellis primitiis Deo oblatis, aut offerendis, ſed ſi de dactylis in Lege agatur, aut in genere de fructibus arborum, nullibi mellis uſum in ſacrificiis Lex prohibuerit. Quem tamen fuiſſe prohibitum omnes veteres conſtanter docent. Ut ἐν τοῖς ἔξωθεν *Plutarchus* lib. 4. *Sympoſiacῶν* cap. 5. E *Judæis Philo* Περὶ θυόντων. E *Patrum* choro *Hieronymus, Chryſoſtomus, Procopius, Cyrillus, Theodoretus*, &c. Ita quidquid velint *Hebræi* recentiores, utrobique nomine דבש, *mel* ſignificari puto. Et *mellis primitias* dici, quod verno tempore primùm ex alvearibus colligitur. Porrò mel ſuper altare cur Lex prohibeat offerri, nemo facilè dixerit. Et varii varia comminiſcuntur. *Philo* mel prohiberi, ἐπειδήπερ ἡ συναγωγὸς αὐτοῦ μέλιττα ζῶόν ἐστιν οὐ καθαρόν, ἐκ φθορᾶς νεκρῶν, ὡς ὁ λόγος, βοῶν γεννώμενον, *quia ejus collectrix apis animal eſt impurum, quodq; ex mortuorum boum putredine & corruptione naſci perhibent.* Alii in *Theodoreto*, ὡς τῆς μελίττης καὶ ἀκαθάρτοις τόποις ἐφιζανούσης, καὶ πάντοθεν ἀθροιζούσης τῆς μελιττουργίας τὰς ἀφορμάς, *quia apis in locis impuris ſedet, & mellis conficiendi materiam undecunq; colligit.* Alii apud eundem, διδάσκεσθαι ἡμᾶς ἐξ οἰκείων πόνων τὰς θυσίας ἐπιτελεῖν, κατὰ τὴν τοῦ Σολομῶντος παραίνεσιν· ὁ δὲ τῆς μελίττης καρπὸς, οὐχ ἡμέτερός φασι πόνος, *inde nos edoceri ex proprii laboribus ſolvenda eſſe ſacrificia; apis autem fructum, ut ajunt, à labore noſtro non procedere.* Ipſe cenſet διὰ τοῦ μέλιτος τὴν ἡδονὴν ἀπαγορεύεσθαι, *mellis nomine voluptatem prohiberi.* Quòd etiam in *Philone* legas. Et *Hieronymus* Epiſtola nona ad *Euſtochium*, mel in

Dei

Dei ſacrificiis offerri negat, *quia apud Deum nihil voluptuoſum, nihil tantùm ſuave placet, niſi quod in ſe habet mordacis aliquid veritatis.* Et Epiſtolâ duodecimâ ad *Gaudentium*, ut à carnis illecebris abſtinendum eſſe doceat, *In Domini ſacrificiis*, inquit, *mel non offerunt: ceráque contemptâ, quæ mellis hoſpitium eſt, oleum accenditur in Templo Dei, quod de amaritudine exprimitur olivarum.* Et *Iſychius* in hunc locum vult *Paganorum doctrinam intelligi, propter ſuavitatem verborum, & dulcedinem eloquii.* Quæ, utut minus certa, ferri poſſunt. Sed joculare eſt, quod *Plutarchus* dum in eo eſt, ut *Judæos Bacchum* coluiſſe probet, inter cætera hoc affert *Sympoſiacῶn* libri quarti quæſtione quintâ, Ἔτι τοίνυν μέλι μὴ προσφέρουσι ταῖς ἱερουργίαις, ὅτι δοκεῖ φθείρειν τὸν οἶνον κεραννύμενον. *Nunc etiam mel in ſacrificiis non offerunt, quia vinum admixtum videtur corrumpere.* Tanquam veriti ne *Bacchum* irritarent vinum mixturâ mellis inficientes. Quæ ratio eſt ineptiſſima. Potuiſſent enim vinum & mel *Baccho* ſeparatim offerre. Neque veros *Bacchi* cultores inceſſit hæc religio, qui illi non ſolùm vinum, ſed & mel offerebant. Res ex *Tibullo* certa, qui *Bacchum* ſic alloquitur libri primi *Elegiâ* octavâ,

Sic venias, hodierne: tibi dem thuris honores,
Liba & Mopſopio dulcia melle feram.

Concinit *Ovidius* libri tertii *Faſtorum* verſu 735,

Liba Deo fiunt, ſuccis quia dulcibus idem
Gaudet, & à Baccho *mella reperta ferunt.*

Unde illi *Briſæi* nomen, ut ſuprà notavimus. Sed & Deorum aliis mel fuiſſe paſſim oblatum, nemo eſt, qui neſciat. Quod *Ezechielis* capite decimo ſexto *Judaicæ* ſynagogæ Deus objicit. *Feciſti*, inquit, *tibi maſculas imagines, ut ſcortareris cum iis*, &c. *Et cibum meum, quem dederam tibi, ſimilam, ac oleum, ac mel, quibus te cibaveram, hoc obtuliſti illis in odorem ſuavitatis.* Nam Deorum vix ullus fuit, cui melle non ſit libatum. Sic de *Mercurio* dicit *Antipater Sidonius* libri primi *Anthologiæ* capite trigeſimo octavo,

Εὔκολος Ἑρμείας, ὦ ποιμένες, ἐν δὲ γάλακτι
Χαίρων, καὶ δρυΐνῳ σπενδόμενος μέλιτι.

Facilis eſt Mercurius, *ô paſtores, qui lacte gaudet, & querno placatur melle.* Et de *Plutone Silius* libri decimi tertii verſu 415.

Duc prædicta ſacris duro placamina Diti
Mella ſimul tecum, & puri fer dona Lyæi.

Et de *Hecate Apollonius* lib. 3. *Argonauticῶn* verſ. 1034.

Μουνογενῆ δ' Ἑκάτην Περσηΐδα μειλίσσοιο
Λείβων ἐκ δέπαος σιμβλήϊα ἔργα μελισσῶν.

Unigenitam Hecatem Perſeidem *placa, ex patera libans apum opera, quæ in alvearibus fiunt.* Et de *Priapo* paſtor *Aſtacus* in *Calphurnio Eclogâ* ſecundâ,

Rorantesque favos damus, & liquentia mella.

Ut *Jano* cum palmulis & ficubus mel offerre moris erat, ut annus eſſet dulcior, *Ovidius* libri primi *Faſtorum* verſu 185.

Quid vult palma ſibi, rugoſaque carica, dixi,
Et data ſub niveo candida mella cado?
Omen, ait, cauſa eſt, ut res ſapor ille ſequatur,
Et peragat cœptum dulcis ut annus iter.

Nymphis etiam mel & vinum apponi jubet *Apollinis* oraculum apud *Euſebium* libro quarto *Præparationis Evangelicæ*,

Χεῦε μέλι νύμφαισι, Διωνύσοιό τε δῶρα,

Funde mel Nymphis, & Bacchi dona. Sed & *Furiæ* melle placantur in *Silio* ubi ſuprà,

Inde tibi Alecto, *tibi nunquam læta* Megæra
Corpora lanigerum procumbunt lecta bidentum,
Fundunt mella ſuper, Bacchique *& lactis honorem.*

Sed ut doceamus ſimul & ſemel nullum fuiſſe Deorum, qui melle gaudere non crederetur, legendus eſt *Pauſanias* in *Eliacis prioribus*, ubi poſtquam aras minimum quinquaginta recenſuit in *Jovis Olympii* Templo variis numinibus erectas, & quaſdam in illo cenſu omnibus Diis ſacras; Ἑκάστου δὲ ἅπαξ τοῦ μηνὸς (inquit) θύουσιν ἐπὶ πάντων Ἠλεῖοι τῶν καταλεχθέντων βωμῶν, θύουσι δὲ ἀρχαῖόν τινα τρόπον· λιβανωτὸν γὰρ ὁμοῦ πυροῖς μεμιγμένους μέλιτι θυμιῶσιν ἐπὶ τῶν βωμῶν. *Semel quolibet menſe ad omnes, quas recenſuimus, aras* Elei *ſacra faciunt, vetuſto quodam ritu, thura, & melle ſubactum triticum adolentes.* *Perſas* etiam deſcribit *Strabo* libro decimo quinto in omnibus ſacrificiis ἀποσπένδοντας ἔλαιον, ὁμοῦ γάλακτι καὶ μέλιτι κεκραμένον, *Oleum cum lacte, & melle mixtum libantes.* Proinde *Homerus*, vel quiſquis eſt, *Hymno* in *Mercurium*, mel vocat

- - - - - - Θεῶν ἡδεῖαν ἐδωδὴν,

Deorum ſuavem cibum. Et mus in *Batrachomyomachia* ranæ ſuas delicias cum jactantia enumerans; *Non me fugit*, inquit, *panis ter piſtus, non placenta ſeſamo condita, non perna fruſta, non jecora, non caſeus,*

Οὐ χεῖρον μελίτωμα, τὸ καὶ μάκαρες ποθέουσιν,

Non optimum ex melle dulciarium, quod etiam Dii deſiderant. Cujuſmodi ſacrificia νηφάλια, καὶ μελίσπονδα, vocat *Plutarchus* in libro *De ira cohibenda*, & *Sympoſiacῶn* libri quarti quæſtione quintâ. Taceo frequentem mellis uſum inter inferias & libationes pro mortuis. Sic in *Patrocli* funere *Achilles Iliad.* ψ'.

Ἐν δ' ἐτίθει μέλιτος καὶ ἀλείφατος ἀμφιφορῆας,

Impoſuit (feretro) *mellis & olei amphoras.* Et *Odyſſ.* ω. crematur *Achillis* cadaver,

- - - - - ἐν τ' ἐσθῆτι Θεῶν, καὶ ἀλείφατι πολλῷ,
Καὶ μέλιτι γλυκερῷ, - - - - -

in veſte Deorum, & cum oleo multo, & melle dulci. Et apud *Euripidem Iphigenia* in *Tauris* inferias *Oreſti* fratri parat

Πηγάς τ' οὐρείων ἐκ μόσχων
Βάκχου τ' οἰνηρὰς λοιβάς,
Ξουθᾶν τε πόνημα μελισσᾶν,

Fontes ſanguinis ex montanis vitulis, & Bacchi *vinoſam libationem, & flavarum laborem apum.* Ità habetur verſu 163. Et rurſus eundem tanquam moriturum alloquens verſu 632,

Πολύν τε γάρ σοι κόσμον ἐνθήσω τάφῳ,
Καὶ τ' ὀρείας ἀνθεμόρρυτον γάνος
Ξουθῆς μελίσσης εἰς πυρὰν βαλῶ σέθεν,

Multum enim ornatum tibi in ſepulchro ponam, & montanæ flavæ apis delicias ex floribus manantes in rogum tuum injiciam. Taceo item

Melle ſoporatam & medicatis frugibus offam

Cerbero ab *Ænea* objectam. Ubi non probo, quod vir ſui ævi facilè doctiſſimus (a) legendum eſſe *ſaporatam* tanto molimine contendit. Quamvis enim *ſaporatum* pro *condito* dixerint *Tertullianus, Arnobius, Marcellinus*, atque alii poſterioris ævi ſcriptores, tamen *Auguſti* ævo vox fuit ignota prorſus, neque à quoquam uſurpata. Et quamvis ullam eſſe in melle ſoporandi vim perneget vir eximius, tamen aliter ſenſiſſe veteres *Cœlius Rhodiginus* (b) ex *Orpheo* probat, qui *Saturnum* à *Jove* mellis appetitum inſidiis, & conſopitum fuiſſe narrat. Quibus addo hæc *Jamblichi* apud *Photium* auctore 94. Οἱ δὲ τῷ μέλιτι καρωθέντες μόλις ἀνίσταντο. *Illi autem melle ſoporati vix expergiſcuntur.* Sed hæc de melle plus ſatis. Tantùm addo, Deum, ob id ipſum, quod in Dæmonum ſacris mellis uſus penè perpetuus fuerit, pro impuro illud habuiſſe, & in ſuis ſacrificiis offerri noluiſſe.

(a) *Turneb. Advers. lib.* 18. *cap.* 45.
(b) *Lection. lib.* 28. *cap.* 27.

Alius apis labor eſt *cera*, melle nō minus utilis. Ex cera enim cerei fiunt, quibꝰ tenebræ fugantur. *Martialis*,

Hic tibi nocturnos præſtabit cereus ignes.

Eadem præſtat uſum glutinis. *Virgilius*,

Pan *primus calamos cerâ conjungere plures*
Inſtituit. - - - - - - -

Nec minùs cerâ, quam melle condiebantur cadavera. Sic *Herodotus* libro quarto *Scythas* refert Regis mortui corpus κατακεκηρωμένον per totam *Scythiam* circumtuliſſe, antequam terra conderent. Et libro primo idem de *Perſis*, κατακηρώσαντες τὸν νεκρὸν γῇ κρύπτουσι. Unde *Cicero* libro primo *Tuſculanarum*, Perſæ *jam cerâ circumlitos condunt, ut quam maximè permaneant*

corpora. Et *Strabo* libro decimo quinto, θάπτουσι δὲ κηρῷ περιπλάσαντες τὰ σώματα. Itaque مومیا *mumia* vox notiſſima deduci videtur ex موم *mum. Perſa ceram* & *Arabes* ϛρωπίλιν ſic appellant. Et *Eſaiæ* verba capitis ſexageſimi quarti verſu ſecundo, כקדח אש המסים מים, *Seniores* ſic reddunt, ὡς κηρὸς ἀπὸ προσώπου πυρὸς τήκεται. Quia pro מים, id eſt, *aquis*, מום, id eſt, *ceram*, legerunt. Et כקדם אש, *ut coram igne*, pro כקדח אש, *ut conflagrat ignis*. Itaque jam tum pro *cera* erat in uſu vox מום *mum*, unde *Mumia*. Ceræ etiam multus fuit uſus in ſcriptura, & pugillaribus, & in pictura, & in fuco, & in ſigillis, qui hodieque durat. Sed hæc ſunt alterius loci.

Cum cera ad ignem liqueſcente multa conferunt Sacri Scriptores. Sic *David* Pſal. 22, 15. *Cor meum ſimile ceræ eſt, liqueſcit, in viſceribus meis.* Et *Pſal.* 68, 3. *Ut coram igne cera liqueſcit, ità coràm Deo improbi pereunt.* Et *Pſal.* 97, 5. *Montes ut cera liqueſiunt coram Domino.* Et *Mich.* 1, 4. *Liqueſient montes ſub eo, & valles diffindentur, ut cera coram igne.* Unde ſcriptor libri *Judith*, quisquis eſt, capitis decimi ſexti verſu decimo octavo, *Petra à conſpectu tuo ut cera liqueſcent.* Ità etiam profani paſſim. *Theocritus* in *Pharmaceutria*,

> Ὡς τοῦτον τὸν καρὸν ἐγὼ, σὺν δαίμονι, τάκω,
> Ὡς τάκοιθ' ὑπ' ἔρωτος ὁ Μύνδιος αὐτίκα Δέλφις.

Ut hanc ceram ego, Deo juvante, liquefacio, ità ſtatim liqueſcat præ amore Myndius Delphis. Unde *Virgilius*,

> *Limus ut hic dureſcit, & hæc ut cera liqueſcit*
> *Uno eodemque igni, ſic noſtro* Daphnis *amore.*

Lucretius de nubibus libri ſexti verſu 512,

> *Præterea cum rareſcunt quoque nubila ventis,*
> *Aut diſſolvuntur Solis ſuper icta calore,*
> *Mittunt humorem pluvium ſtillantia, quaſi igni*
> *Cera ſuper calido tabeſcens multa liqueſcat.*

Ovidius de *Narciſſo* libro tertio *Metamorphoſeωs*,

> *Non tulit ulterius, ſed ut intabeſcere flavæ*
> *Igne levi ceræ, matutinæque pruinæ*
> *Sole repente ſolent: ſic attenuatus amore*
> *Liquitur, & tecto paulatim carpitur igni.*

Et libro decimo de ſtatua *Pygmalionis*,

> *Subſedit digitis, ceditque ut* Hymettia *ſole*
> *Cera remolleſcit.* - - - - -

Lucanus de *Sabello*, quem ſeps ſerpens momorderat, libri noni verſu 783;

> - - - *manant humeri, forteſque lacerti,*
> *Colla caputque fluunt, calido non ocyus* Auſtro
> *Nix reſoluta cadit, nec Solem cera ſequetur.*

Aſclepiades Anthologiæ libri ſeptimi *Epigrammate* vigeſimo ſexto,

> Τήκομαι ὡς κηρὸς παρὰ πυρὶ, κάλλος ἰδών·

Liqueſio ut cera ad ignem, pulchritudinem videns.

Cera Hebraicè dicitur דונג, ſed *Chaldaicè* שעוה, unde *Hebræum* Verbum השתעה, eſt *cera inſtar molleſcere*, ſi Magiſtris credimus, qui hæc *Eſ.* 41, 10. אל תשתע כי אני אלהיך, in hunc ſenſum ferè reddunt, *Ne* (ut cera) *molleſcas, quia ego ſum Deus tuus.* Ità *R. Selomo* Et obſervat *Kimchius* ſic interpretari majores ſuos, nempe in *Bereſcith Rabba* ſectione 65. his verbis, כיון שאמר יצחק ליעקב גשה נא ואמשוך בני נשפכו מים על שוקיו והיה לבו רפה כשעוה חמן לו הקדוש ברוך הוא שני מלאכים אחד בימינו ואחד בשמאלו והיו אוחזין אותו במרפקו כדי שלא יפול הדא הוא דכתיב אל תשתע כי אני אלהיך. *Cum* Jacobo (ſub *Eſavi* veſte latenti, ut benedictionem conſequeretur) *dixit* Iſaac *Geneſ.* 27, 21. “ *Accede, quæſo, fili mi, & tangam te: ſudore diffluxerunt crura ipſius. & cor ceræ inſtar emollitum eſt. Sed Deus Sanctus & Benedictus ille præparavit duos Angelos, unum à dextris, alterum à ſiniſtris, qui eum ſub axilla tenerent, ne caderet. Unde eſt, quod dicitur* Eſ. 41, 10. “ *Ne* (ut cera) *molleſcas, quia ego* “ *ſum Deus tuus.*

Vocem נכאת *necoth*, perincertæ ſignificationis *Gen.* 37. 25. & 43, 11. *Jonathan* שעוא, & *Arabs Erpenianus* شمعا id eſt, *ceram*, exponunt, ut & auctor *Bereſith Rabba* ſectione 91. propè in fine. Et in *Onkelo* putant שעף idipſum eſſe, quia accedit ad שעוא. Utut ſit, alii interpretes multo aliter explicant. LXX θυμίαμα, vel θυμιάματα· *Aquila*, ϛύρακα· *Hieronymus* in priore loco *aromata*, in poſteriore *ſtoracem* ut *Aquila*; Syrus ܪܛܝܢܐ *reſinam*; Samaritanus קטף *balſamum*; *Arabs Pariſiis* editus, حرنوبا ut apud *Kimchium* nonnulli חרוב *ſiliquam*; *Arabes* duo manu-ſcripti in *Suecia* صمغا *gummi*; *Rabbi Moſes Sacerdos*, & *Kimchius*, דבר נחמד, *rem deſiderabilem*; Rabbi Selomo, כנוסי בשמים הרבה, *collectiones plurium aromatum*. Poſteriores in re dubia è vetuſtioribus hunc, vel illum ſequuntur, prout viſum eſt. Solus *Junius*, privatam inſiſtens viam, *myxaria* reddidit, *quæ Arabicè*, inquit, *dicuntur* NUKETA, *teſte Æginetâ*, Aëtio, Pſello, *& Actuario, voce proximè ad* Hebraicum NEKOTH *accedente*. Sed virum, alioqui pium, & doctum, fugit ratio. Nam *Arabicum* myxariorum nomen مخيط *mucchait*, prout *Arabes* conſtanter ſcribunt, ne unam quidem literulam communem habet cum *Hebræo* נכאת *nechoth*, quod ſtatim agnoſcet, quisquis in his linguis non eſt prorſus ἀναλφάβητος. Neque *Arabici* nominis ii meminêre, quos ille citat, ſed *Græcorum* unus *Charito*, quod quidem ſciam, qui ſcribit μυχαΐτας, ut officinæ *mukeitas*, & *mokaitas*. Recentiorum plerique alii נכאת *necoth*, θυμιάματα *aromata* exponunt, cum *Græcis*, & *Hieronymo*, & *Hebræorum* nonnullis. Quod vix ſtare poſſe patebit legenti duo Scripturæ loca, in quibus occurrit hæc vox. Prior enim ſic habet *Gen.* 37, 25. *Sublatis oculis aſpexerunt; & ecce turmam viatorum* Iſmaëlitarum *ex* Galaade *venientium, quorum cameli ferebant* נכאת nechoth, *& reſinam, & ſtacten: & ibant, ut ea in* Ægyptum *deportarent.* Et poſterior *Gen.* 43. 11. *Sumite de laudatiſſimis hujus terræ fructibus in vaſis veſtris, ut ad virum illum munus feratis, parum reſinæ,* נכאת nechoth, *& ſtacten, & piſtacia, & amygdala.* Ex quorum lectione attento lectori conſtabit נכאת non eſſe θυμιάματα vel *aromata*, vel *rem deſiderabilem* in genere, ſed peculiare aliquid, ut *mel, reſinam, ſtacten*, &c. quorum ibidem fit mentio. Et cur *Aquila* maximè placeat, qui *ſtoracem* reddidit; plures habeo rationes. Quarum prima hæc eſto, quod in *Syria ſtorax* abundè provenit. *Plinius* libri duodecimi capite vigeſimo quinto, *Proxima* Judææ Syria *ſupra* Phœnicem *ſtyracem gignit circa* Gabala, *&* Marathunta, *&* Caſium Seleuciæ *montem. Dioſcorides* libro ſecundo poſtquam ſtyracis præſtantiſſimi notas attulit, τοιοῦτος δέ ἐστιν ὁ Καβαλίτης, καὶ Πισιδικὸς, καὶ Κιλίκιος, ubi pro ὁ Καβαλίτης, legendum ὁ Γαβαλίτης, id eſt, ex *Syriæ* urbe notiſſima *Gabalis*, de qua *Plinius*. Alii *Phœniciæ* adſcribunt, ut *Artemidorus* apud *Stephanum* in Κάρνη. Et *Joſephus Galilæa*, libri decimi quinti *Antiquitatum* capite vigeſimo tertio. Secundò, meritò cenſetur ſtorax inter laudatiſſimos terræ fructus, cum ejus uſum Medici inter aromata maximè commendent. Tertio, ut hic *Iſmaelitæ*, ſic, apud *Plinium* libri duodecimi capite 17, Arabes *ex Syria revehunt ſtyracem.* Quarto, à *Moſe* non fruſtrà jungitur ſtyrax

ſtyrax cum reſina, melle, & myrrhæ ſtacte, cum ad illorum naturam accedat. Proinde à *Dioſcoride* ſtorax optimus ῥητινώδης *reſinoſus* deſcribitur, καὶ ἐν τῷ μαλάσσεσθαι ἀνεὶς ὑγρασίαν τινὰ μελιτώδη. *& cum ſubigitur emittens melleum quendam liquorem.* Eidemque tribuitur δακρύον κόμμει ἐοικὸς, διαυγὲς, σμυρνίζον, *lacryma gummi ſimilis, translucida, qualis myrrha.* Ita etiam *Iſidorus* libri decimi ſeptimi capite octavo, *Storax calamites, pinguis, reſinoſa, odoris jucundi, humecta, & veluti melloſum liquorem emittens.* Hinc apud *Plinium* ſtyrax *adulteratur cedri reſina, vel gummi, aliàs melle.* Quinto, *Hebræi* nominis originem ignotam hactenùs videor mihi deprehendere. *Arabicum* Verbum نكث *nachatha* eſt 1. *haſtâ terram ita verberare ut nota impreſſa maneat:* 2. *haſtâ confoſſum aliquem in caput dejicere:* & النكث talis confoſſio: & النكات qui ſic confodit. Quidni huc alludat *Hebræum* ſtyracis nomen נכאת *nechoth*, cum ex ſtyrace arbore fiant τὰ στυράκινα ἀκοντίσματα ἐοικότα τοῖς κρανείνοις, *ſtyracina haſtilia iis, quæ ex corno fiunt, ſimilia?* Ita habetur in *Strabone* libro duodecimo. Ac proinde apud *Heſychium Græcum* στύραξ non ſolum *ſtyracem* arborem, aut *aroma*, ſed & *lanceam* ſignificat, & *haſtæ partem*, ſive *infimam*, ſive *ſupremam*. Neque enim convenit ſatis inter veteres. *Pollucis* libri primi capite decimo, Τὸ μὲν τέλος τοῦ δόρατος σαυρωτὴρ, τὸ δὲ πρῶτον αἰχμὴ, καὶ ἐπιδορατὶς, καὶ στύραξ, *ima pars haſtæ eſt ſauroter, & ſumma cuſpis, & ſtyrax.* Tamen eidem libri decimi capite trigeſimo primo σαυρωτὴρ, & στύραξ idem ſunt. Ità etiam *Heſychio, Suidæ,* & *Etymologo.* Et apud *Athenæum* libro duodecimo ab *Heraclide Cumano* deſcribuntur *Perſarum* μηλοφόροι *melophori* ἐπὶ τῶν στυράκων μῆλα χρυσᾶ ἔχοντες *habentes in ſtyracibus* (id eſt, ſummis haſtilibus) *aurea mala.* Atque id ipſum eſt στυράκιον libro ſecundo *Thucydidis*, ubi legitur *Platæenſis* quidam urbis clauſiſſe portas στυρακίῳ ἀντὶ βαλάνου χρησάμενος ἐς τὸν μοχλὸν, *cuſpide haſtilis pro vecte in ſerram trajecto.* Et Verbum στυρακίζειν *Heſychio* eſt κεντεῖζειν *pungere*, tanquam *haſtâ* vel *haſtæ cuſpide.* Sexto, ſi auctoritate certamus, *Aquilam*, cui נכאת *nechoth*, eſt στύραξ, ſequitur *Hieronymus Gen.* 43, 11. ubi *ſtoracem* reddit. Et in *libro Nominum* legas, NECHOTA, *ſtyracem, vel aromata.* Quod ipſum ſenſiſſe ſuſpicor *Syros*, qui *reſinam*, & *Arabes*, qui *gummi* explicârunt, nomine generico abuſos, quia ſpeciale illos latebat. Cum נכאת *nechoth*, *aromate Hebræi* perperam confundunt נכותה *necotha*, quod planè aliud eſt *Eſ.* 39, 2. & 2. *Reg.* 20, 12. ut alibi dicetur.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

De Veſpis & Crabronibus.

Scripturæ loca tria de veſpa, quæ Hebræis צרעה *tſira. Quidam morbi genus eſſe volunt, ſed perperam. Et plerique meliùs crabronem aut veſpam reddunt.* Ἀνθρήνη crabro, *&* σφὴξ veſpa, *quàm ſimiles, & quid differant. Veſpæ deſcriptio ex* Arabibus. *De veſpæ & crabronis melle.* Βλίττειν *quid propriè. Veſpa oculos impetit.* Euripides *emendatus. Veſpa cur* צרעה *tſira, dicatur, duplex conjectura. Quid* σφηκίσκοι, σφηκώδεις, *&* διάσφαγή. Cracere, *unde* crabro. *Veſpæ* Chananæis *infeſtæ, an veræ veſpæ, vel* timoris aculei, *ut nonnulli volunt, qui pluribus refelluntur. Multa ſolùm obiter referunt Sacri Scriptores, circumſtantiis planè ſuppreſſis, quod probatur exemplis. Loca ab animalculis deſolata, & gentes pulſæ, vel exciſæ. A ranis* Autariatæ, *& quidam* Galli. *A muribus* Abderitæ, Troës, *in* Italia *quædam gentes,* Megarenſes, Chalcidenſes, Gyarenſes. Juſtinus, Ariſtoteles, *&* Ælianus *emendati.* Neuris, Amyclis, Rhodo, Chio, Theno, Salamini *ſerpentes quàm infeſti. A ſcorpionibus, & ſolpugis, vel phalangiis, gens deleta. Culices* Myuſiis *moleſti, &* Perſis *prope* Niſibin. *Loca trans* Iſtrum *propter apes inacceſſa. Apes* Lucullo *adverſæ, &* Rhauciis Cretæ *populis. Phaſelitas veſpæ pepulerunt, id eſt,* Phœnices, *ſeu* Chananæos, *qui ex* Phœnice *profecti* Phaſelidis *montana occupaverant. Veſpæ apibus & hominibus moleſtiſſimæ. Earum in pullos amor. Illis proprium* τὸ ἀμυντικόν. *In ſomniis viſæ quid ſignificent.* Σφηκῶν δειμύτεροι. *His cur ſimilis* Antiſthenes. *Cur* Archilochi *&* Hipponactis *tumulis veſpa inſculpta.* Σφηκίαν ἐρεθίζειν, *irritare crabrones. Veſpæ quæ acerbiores, & quomodo ictus faciant lethiferos.* Cyprus *olim* Σφηκεία. *Veſpa ex crocodilo iracundior, ex quo nata animoſior. Veſpæ ab equis & aſinis, crabrones à mulis. Crabronum ictus qui lethiferi.* Ἀνθρήνη *unde dicta. Crabro juvencis, hominibus, apibus, aviculis quàm infeſtus.* Chaldæa *Paraphraſis explicata* Pſal. 101, 5. *Cur leprâ percutiatur, qui proximo detrahit.* Linguâ tertiâ loqui quid *ſit* Chaldæis *&* Arabibus.

IN tribus parallelis Scripturæ locis agitur de veſpis, vel crabronibus, à Deo in *Chananæos* immiſſis, à quibus percuſſi, & è ſedibus ſuis pulſi fuerint. Primus eſt *Exod.* 23, 28. *Mittam ante te veſpam, quæ expellat* Hevæum, Chananæum, *&* Hetthæum *à facie tua.* Secundus *Deut.* 7, 20. *Sed & veſpam mittet Dominus Deus tuus in eos, donec pereant hi, qui ſuperfuerunt, & à facie tuâ abſconditi ſunt.* Tertius *Joſ.* 24, 12. *Et miſi ante faciem veſtram veſpam, quæ expulit eos à conſpectu veſtro.* In his locis duo quæruntur. 1. An *Hebræum* צרעה *tſira*, quod ibi habetur, verè ſit *veſpa.* 2. Et ſi צרעה *tſira*, verè *veſpa* ſit, utrum literali ſenſu, an figurato veſpæ dicantur *Chananæos* expuliſſe.

De primo dubitatur, quia *Hebræis* צרוע *tſarua* eſt *leproſus*, & צרעת *tſaraath, lepra.* Itaque ex eadem Radice vox צרעה *tſira*, *Aben Ezra* videtur idem ſonare, aut ſaltem מכה בגוף שתחליש כח הגוף, *plagam aliquam in corpore, qua debilitentur vires corporis.* Quod ſequuti *Arabs Pariſiis* editus, & alii duo manuſcripti in utroque Legis loco pro צרעה *tſira*, habent العاهة *morbum, perniciem, calamitatem.* Sed hæc interpretatio mihi non placet; quia morbus non diceretur pepuliſſe *Chananæos.* Ægros enim potiùs detinet morbus, quàm è ſedibus ſuis pellit. Præterea in priorem verſionem conveniunt veteres ferè quotquot ſunt. 1. *Græci* enim τὰς σφηκίας, vel τὴν σφηκίαν, conſtanter habent. Unde liber *Sapientiæ* capitis duodecimi verſu octavo, Ἀπέστειλας προδρόμους τοῦ στρατοπέδου σου σφῆκας, ἵνα αὐτοὺς κατὰ βραχὺ ἐξολοθρεύσωσιν· *Miſiſti præcurſores exercitus tui veſpas, ut eos paulatim perderent.* 2. Eodem pertinet, quod *Hieronymus* tam in libris *Legis*, quàm in *Joſua*, *crabrones* exponit. Utut enim nonnihil differant ἀνθρήνη *crabro*, & σφὴξ *veſpa*, quia crabro veſpâ major eſt, atque alvo minùs gracili, tamen ferè promiſcuè ſumuntur. Nam Proverbium vetus σφηκιὰν κινεῖν, vel ἐρεθίζειν, in *Ariſtophanis Lyſiſtrata* à *Plauto* redditur *irritare crabrones.* Et *Ariſtophanis* σφῆκες ἀνθρήνια vocant nidulos ſuos, quaſi σφὴξ idem ſit, quod ἀνθρήνη. Nec crabro aliud quàm veſpa in his *Poetæ Metamorphoſeus* libro decimo quinto,

Preſſus humo bellator equus crabronis origo eſt.

Ἵπποι γὰρ σφηκῶν γένεσις, *Equi enim veſparum origo ſunt,* ut *Nicander* & alii docent. Hinc *Gloſſæ* veteres *Latino-græcæ, Crabro,* Σφήξ. Et *Græco-Latinæ, Philoxeni,* Σφήξ,

Grabro, crabro, veſpa. 3. Neque aliud ſunt in *Onkeli*, & *Jonathanis* Paraphraſi ערעיתא *aritha*, vel אורעיתא *aritha*. Sive ab ערע id eſt, *occurrendo*, veſpæ à *Chaldeis* ſic appellentur, ut *Hebræi* aſſerunt, quomodo מפגע, culicis genus, à פגע, quod idem eſt. Aut, quod puto verius, à צרעה fiat ערעיתא, ut ארע *terra*, ab ארץ. *Hebræum* enim צ *Chaldæos* in ע permutare paſſim, nemo eſt qui neſciat. 4. *Syrus* etiam interpres hic habet ܙܒܘܪܝܬܐ *zibberitha*, id eſt, *veſpam* ut *Chaldæum* זבורא *zibbora*, & *Arabicum* زنبور *zunbur*, quo *veſpam* ſignificari tam certum eſt, quam quod eſt certiſſimum. Ità enim vocantur veſpæ paſſim in *Avicenna*. Vide inprimis *Canonis* lib. 3. *Fen.* 6. Tract. 3. caput في طرد الزنابير *De expulſione veſparum*. Et Tract. 5. caput في لسع الزنابير *De punctura veſparum*. Nec poſſum hic præterire *Damiris* deſcriptionem, qualis habetur capite زنبور *zunbur*, ſeu *De veſpa*,

وهو صنفان جبلي
وسهلي والجبلي ياوي الجبال ويعيش في
الشجر ولونه الي السواد وبداة خلقه دود
ثم يصير كذلك ويتخذ بيوتا من
تراب كبيوت النحل ويجعل لبيته اربعة
ابواب لمهاب الرياح الاربع وله حمة
يلسع بها وغذاوه من الثمار والازهار
ويتميز ذكورها من اناثها بكبر
الجثة والسهلي لونه احمر ويتخذ
عشه تحت الارض ويخرج التراب منه
كما يفعل النمل ويختفي في
الشتي لان متي ظهر فيه هلك
وهو نيام طول الشتا كالميتة والايجمع
القوت كما النمل بخلاف النحل
فاذا جاء الربيع وقد صارت من
البرد وعدم القوت كالخشب اليابس
نفخ الله في تلك الجثة الحياة
فعاشت مثل العام الاول وذلك دانها
وفي هذا النوع صنف مختلف
اللون مستطيل الجسد في طبعه
الحرص والشره يطلب المطابخ
وياكل ما فيها من اللحوم ويطير
مفردا ويسكن بطن الارض وهذا
الحيوان باسره مقسوم في وسطه
وكذلك لا يتنفس من جوفه البتة

Veſparum duæ ſunt ſpecies, montana, & campeſtris. Montana in montibus degit, & vivit inter arbores. Coloris eſt ſubnigri. Rudimentum ejus eſt vermis, ex quo formatur poſtmodum. Domum in terra ſibi ſumit apum cellulis ſimilem, quatuor portis inſtructam ad flatus quatuor ventorum. Aculeum habet, quo pungit. Victus ejus, fructus, & flores. Mares à fœminis diſtinguit moles corporis. Campeſtris eſt rubri coloris. Nidum ſibi parat ſub terra, pulvere ex ea effoſſo, quo modo formicæ ſolent. Hyeme latet, quia, cum eâ prodit, ſtatim perit. Proinde totâ hyeme dormit tanquam mortua. Neque enim victum ſibi comparat, ut formica, contrà quam apes. Et, inſtante vere, præ frigore, & victûs inopiâ, fit tanquam lignum aridum. Sed in illud corpuſculum vitam inſpirat Deus, ita ut reviviſcat, quomodo anno præcedente. Talis enim eſt natura ejus. Eſt & in eo genere quædam ſpecies varii coloris, longi corporis, avida, mala, culinarum amans, & in iis comedens quidquid habetur carnium, ſeorſim volans, in ventre terræ degens. Eſt autem animal naturâ ſuâ in medio ſectum; unde eſt, quod è ventre nullo modo reſpirat. 5. In Tractatu *Talmudico Macſirin* capite ſexto legas דבש דבורים ודבש צרעים, *Mel apum, & mel tſirim*, id eſt, *veſparum*, ſeu *crabronum*. Junguntur enim apibus, tanquam animal congener, atque aliquo modo mellificum. Nam in veſparum genere ſunt οἱ βομβύλιοι, de quibus *Ariſtoteles* libri noni *Hiſtoriæ* capite quadrageſimo tertio, Εὑρίσκεται δὲ καὶ μέλιτος ἀρχὴ φαύλου τινὸς ἐν τούτοις, *Mali etiam cujuſdam mellis rudimentum in his reperitur.* Et de crabrone idem libri quinti capite vigeſimo tertio, Οἷον σταλαγμὸς μέλιτος ἐγγίνεται ἐν τοῖς τῶν ἀνθρηνῶν κηρίοις· *Quaſi gutta mellis eſt in crabronis favis.* Proinde *Ovidius* de *Sileno* libri tertii *Faſtorum* verſu 751,

Conſtitit ipſe ſuper ramoſo ſtipite nixus,
Atque avidè trunco condita mella petit.
Millia crabronum coëunt, & vertice nudo
Spicula defigunt, oraque prima notant.

Et in *Ariſtophanis Lyſiſtrata* Chorus mulierum,

Ἤν μή τις ὥσπερ σφηκιὰν βλίττῃ με κἀρεθίζῃ,

Modò ne quis mel exprimens me ut veſparum examen irritet. Βλίττειν propriè eſt ἐκπιάζειν μέλι, ut hic habet *Scholiaſtes* apud me manu-ſcriptus, necdum editus. 6. *Hebræi* recentiores, uno *Aben Ezra* excepto, hoc idem volunt. *Baal Aruch*, הצרעין הן דבורים מדבריות. TSIRIN *ſunt apes ſylveſtres*, id eſt, *veſpæ*, quas etiam alii apibus accenſent. Itaque *Arabs Erpenianus* hic habet, النحلة *apem*. *R. Bechai* in *Deuteronomium*, הוא מין זבוב ומטיל ארס, *Muſca venenata genus eſt.* Ut & *Kimchius* in *Lexico*: quia etiam apis habetur pro muſcæ ſpecie. *David de Pomis*, צרעה, *crabro, veſpa, vel muſca venenoſa.* *R. Selomo* in *Exodum*, הצרעה מין שרץ העוף והיתה מכה אותם בעיניהם ומטיל בהם ארס והם מתים. TSIRA *eſt inſecti volucris ſpecies, quod ipſorum oculos pungebat, veneno lethifero eos perfundens.* Et in *Deuteronomium*,

מן

מין שרץ העוף שהיתה זורקת בהם מרה ומסרסתם ומסמאת את עיניהם בכל מקום שהיו נסתרים שם, *Inſecti volucris ſpecies venenum in eos ſpargentis, illosq; exſtirpantis, eorumq; oculos excæcantis, ubicumq; delitеſcerent.* Hæc omnino pertinent ad crabronis aut veſpæ deſcriptionem, quarum id proprium eſt, ut irritatæ oculos impetant. *Ariſtophanes* in *Nubibus*,

Τὸ πρόσωπον ἅπαν, καὶ τ᾽ ὠφθαλμώ,
Κεντούμενος ὥσπερ ὑπ᾽ ἀνθρηνῶν·

Totam faciem, & utrosque oculos, punctus tanquam à crabronibus. Et in ejusdem *Veſpis* ſemet ipſas ad pugnam *Veſpæ* his verbis concitant,

Αἱ δὲ τὠφθαλμὼ κύκλῳ κεντεῖθ᾽, αἱ δὲ τοὺς δακτύλους,

Aliæ ambos oculos circumquaq; pungite, aliæ digitos. *Euripides* in *Cyclope* verſu 472.

Εἰ τὸν Κύκλωπος τὸν κακῶς ὀλούμενον
Ὀφθαλμὸν, ὥσπερ σφῆκες ἀντιθλίψομεν·

Si Cyclopis *male-perituri oculum, tanquam veſpæ, viciſſim elidimus. Viciſſim*, id eſt, ab eo tam malè accepti par pari rependentes. Lego

- - ὥσπερ σφῆκες ἀντιθλίψομεν

pro recepta lectione,

- - ὥσπερ σφηκιὰν ἐκθλίψομεν,

quæ palam eſt mendoſa. Nam peccat in carminis leges, & ſenſum parit planè futilem. Quid enim eſt *Cyclopis oculum effodere ὡς σφηκιὰν ut veſparum nidum?* Itaque levi mutatione, tam ſenſui, quam verſui conſuluimus. 7. At, inquies, quorſum *veſpa* aut *crabro* צרעה *tſira*, dicitur, tanquam à צרעת *tſaraath*, ſeu *lepra?* An aliquid veſpa cum lepra commune habet? Non puto, ſed צרעה *tſira*, per Metatheſin pro רצעה *ritſa*, videtur dici; quia רצע *ratſa*, eſt *perforare*, Exod. 21. v. 6. Unde מרצע, *ſubula*, Deuter. 15. v. 17. Sic רצעה *ritſa*, vel inverſum צרעה *tſira* eſſet *ſubulo*, veſpæ & crabroni nomen aptiſſimum, cùm aculeos habeant, quibus acerrimè pungunt, ut dicetur in ſequentibus. Aut per aliam Metatheſin, צרעה *tſira*, dicitur, quaſi עצרה, quaſi *preſſa*, & *conſtricta*; quia עצר *atſar*, eſt *premere* & *conſtringere*, & veſpa ilia habet mirè conſtricta. Hinc *Ariſtophanis Scholiaſtes* in *Plutum* σφηκίσκους vocari notat τὰ μικρὰ τῶν ξύλων, καὶ εἰς ὀξὺ συνηγμένα, *parva ligna & in acutum collecta.* Et Σφηκώδεις in hominibus dici τοὺς λαγαροὺς τοῖς σώμασι, καὶ μὴ προκοίλους, *corpore graciles, nec ventricoſos.* Quin, ſi *Euſtathio* credimus in *Iliad.* μʹ. veſpæ *Græcum* nomen σφὴξ factum ἀπὸ τοῦ σφάζω σφάξω, ἐξ οὗ καὶ διασφὰξ ἐπὶ χισμάτων λεγομένη. Διασφὰξ aliis eſt διασφαγή. Ut *Nehem.* 4. *v.* 7. de mœnibus *Hieruſalem*, Ἤρξαντο αἱ διασφαγαὶ ἀναφράσσεσθαι, *Cœperunt rupturæ obſtrui*, Hebraicè הפרצים. Et *cracere*, apud *Ennium*, *gracilem eſſe* ſignificat, unde *crabronis* nomen deducit *Scaliger* in *Varronem*. *Gloſſæ* etiam *grabronem* ſcribunt tanquam à *gracere*, unde *gracilis*; ut à *facere facilis*, & *docilis* à *docere*. Ita ex *Hebræis* nonnulli ſunt, quibus *Proverb.* 30. *v.* 31. זרזיר מתנים, quaſi *lumbis accinctum animal* dicas, eſt apis Epithetum, quæ tamen eſt circa lumbos veſpâ craſſior, & compactior.

Sequitur ſecunda quæſtio, an *Moſes* & *Joſue* veſpas intelligant propriè dictas, quæ *Chananæis* infeſtæ fuerint, & eos è ſedibus ſuis migrare coegerint. Quod quia fidem prope ſuperat, neque in Hiſtoria Sacra narratur quo loco, & tempore, factum fuerit multi ſumunt tanquam Metaphoricè dictum. Cujus ſententiæ primus citatur auctor *Euſebius Cæſarienſis*: quem ſequutus *Auguſtinus*, quamvis cunctanter admodum, ſic habet in *Exodum* lib. 2. cap. 93. *Veſpæ iſtæ aculei timoris intelligendi ſunt fortaſſe, quibus agitabantur memoratæ gentes, ut cederent filiis* Iſrael. Et in *Joſuam* cap. 27. *An fortè tranſlato verbo veſpas intelligi voluit acerrimos timoris aculeos, quibus quodammodo volantibus rumoribus pungebantur ut fugerent, aut aerios occultos ſpiritus, quod in* Pſalmo *dicitur,* " *Per Angelos malignos?* *Arabs* quoque *Joſuæ* interpres *Joſ.* 24. *v.* 12. *Et miſit ante vos* الخوف *terrorem*, ubi *Hebræa* את הצרעה, *veſpam*. Eidem ſententiæ adhærent *Rabanus Maurus*, *Liranus*, & alii. Et è recentioribus *Germani* Theologi, *Borrhaus*, *Piſcator*, & *Lavaterus*: Angli, *Willetus*, & *Ainsvvorthus*: Italus, *Deodatus*: Gallus, *Junius*; Quorum hic in verſione Sacri textus ipſa *Moſis* verba ita expreſſit *Exod.* 23. verſ. 27. 28. *Terrorem mei præmittam ante faciem tuam*, &c. *Mittam*, inquam, terrorem mei, tanquam *crabronem ante te, qui expellat* Chivæum, Chananæum, & Chittæum *à conſpectu tuo.* Et *Deut.* 7. *v.* 20. *Sed etiam* tanquam *crabronem immittet* Jehova *Deus tuus in eos.* Sed idem *Joſ.* 24. *v.* 12. ſine nota ſimilitudinis, *Miſique ante vos crabrones.* Interim literalem ſenſum palam tuentur è veteribus auctor libri *Sapientiæ* cap. 12. verſ. 8. *Theodoretus*, & *Procopius* in *Exodum*, *Hebræi* quoque quotquot ſunt, & recentiorum pars maxima. Neque id immeritò, ſi quid in his video. Palam enim hæc diſtinguuntur *Exod.* 23. *v.* 27. 28. *Mittam terrorem mei ante te*, &c. *Et mittam veſpam*, &c. Aliud igitur terror à Deo immiſſus, aliud veſpæ in *Chananæos* ab eodem excitatæ. Nec dici poteſt verba, *Et mittam veſpam*, &c. addi per ἐπεξήγησιν. Neque enim explicantur propriè dicta per Metaphoram, eamque inuſitatam: cùm terrorem *veſpæ* nomine ſignificari alibi nusquam reperias. Et convellentur Hiſtoriæ omnes, ſi liceat ſic ad libitum Metaphoras ſibi fingere in ſimplici narratione, qualis hæc omnino eſt. Nam quòd in *Exodo* promiſerat Deus ſe veſpas immiſſurum ante *Iſraelitas*, quæ *Chananæos* è ſedibus ſuis pellerent, in *Joſua* narratur impletum, cujus verba ſunt diſertiſſima, *Joſ.* 24. *verſ.* 11. 12. *Vobis* (inquit Dominus) *bella moverunt domini* Jerichuntis, Amorrhæi, Pherezæi, Chananæi, Hetthæi, Gergeſæi, & Jebuſæi, *quos in manum veſtram tradidi. Miſi enim veſpam, quæ illos à facie veſtra expelleret.* Unde eſt, quod veſpas illas appellat liber *Sapientiæ* προδρόμους, *præcurſores exercitus Dei.* Et *Hebræi* apud *Kimchium* in *Joſuam* ſcribunt illas *Chananæorum* oculos percuſſiſſe, atque ita excæcaſſe, ut pugnare non poſſent. Præterea *Deut.* 7. *v.* 20. minatur Deus fore, ut eædem illæ veſpæ fugaces perſequantur, quocunque loco latuerint. *Veſpam in eos immittet Dominus Deus tuus, donec pereant qui reliqui fuerint, & à facie tua ſe abſconderint.* Quod ad veſpas rectè refertur, quæ à Deo impulſæ omnes terræ *Chanaan* latebras ruſpabantur, & rimabantur, ut miſeros incolas infeſtis perſequerentur aculeis. Sed quomodo ad terrorem animi poſſit id pertinere, nullus video. An terror animi pervadit angulos, ut fodicet ibi latentes? Itaque *Auguſtinus*, cui veſpæ in *Exodo*, & *Joſua*, ſunt animi terrores, hunc locum reliquit intactum. Denique in Metaphoricum ſenſum ea non ſunt detorquenda, quæ ſimplicem admittunt, ut loci, in quibus verſamur. Quos ſi ad literam interpreteris, nihil poterit objici, quod habeat veri ſpeciem. Nam fruſtra eſt, quod ajunt nusquam in Scriptura narrari, quando, & in qua pugna, hæc geſta ſint. Neque enim id opus fuit, cum fortaſſe toties geſta ſint, quoties in *Chananæos* à *Joſua*, Deo favente, pugnatum eſt. Itaque ſatis fuit id in genere referri, ne toties repetendum eſſet, quoties *Iſraelitæ* novas pugnas inierunt. Præterea quis neſcit à Sacris Scriptoribus obiter multa referri, locique & temporis circumſtantiis planè ſuppreſſis, quæ tamen eo modo, quo narrantur, geſta credimus, & absque ulla Metaphora? Sic *Geneſ.* 47. *v.* 22. *Joſepho* dat *Jacobus* agri partem, quam *Amorrhæo* armis eripuerat. Id quando, aut quâ occaſione, *Jacobus* præ-

præſtiterit, nuſquam narratur. *Gen.36.v.24. Ana, Eſavi* ſocer, is eſſe dicitur, qui patris aſinos in deſerto paſcens *Emais* (*a*) occurrit, id eſt, cum iis decertavit, cujus certaminis alibi nulla mentio. *Deut.2. v.9.10.11. Moabita Ar Emais*, & *Idumæi Seir Horæis* leguntur eripuiſſe. Sed quo tempore, & quibus Ducibus, id factum ſit, nuſquam legas. *Philiſtæorum* arioli *1.Sam.6.v.5.* jubent illos facere imagines murium, qui terram devaſtaverant. De quibus muribus antea ne γρῦ quidem in *Hebræo* textu. Unde tamen nemo colligat veros mures non intelligi, ſed Allegoricè hæc ſumi. Aliter reſpondet doctiſſimus *Maſius* in *Joſuam*, nempe immiſſas fuiſſe veſpas ante *Iſraelitarum* in *Chananæam* adventum, ac proinde in libro *Joſuæ* non memorari, in quo ſolùm ea referuntur, quæ ſub *Joſuæ* ductu geſta ſunt. Sed hæc reſponſio nodum non ſolvit, quia non ſatis vera eſt. Neque enim ſolum præceſſerunt, ſed & *Iſraelitis* ſucceſſerunt veſpæ à Deo in *Chananæos* immiſſæ. Quod palam docent hæc verba *Moſis* Deut.7.v.20. *Veſpam mittet Dominus Deus tuus in eos, donec pereant hi, qui ſuperfuerunt, & à facie tua abſconditi ſunt.*

At, inquiunt, veſpas quis credat horum locorum incolis tam fuiſſe infeſtas, ut inde migrare coacti ſint, atque alias ſedes quærere? Quaſi non idem ſæpe acciderit, aut quidquam in Hiſtoriis occurrat frequentius, quam hujuſmodi beſtiolas hæc vel illa loca fugatis incolis, deſolaſſe. Ita quidam populi circa *Pæoniam* & *Dardaniam* à ranis divexati regionem deſeruerunt. Quod referunt *Athenæus* lib.8. ex *Heraclide Lembo*: & ex *Phanea Euſtathius* in lib. 1. *Iliados*. Et populos illos *Aphtariatas*, vel, quod idem eſt, *Autariatas* appellant *Agatharchides* lib. 5. & *Diodorus* lib.3. & *Ælianus* lib.17. *Hiſtoriæ* cap.41. ubi eos perperam *Indis* adſcribit, ſed librarii errore, ut alibi dicetur. In *Gallia* quoque idem accidit. *Plinius* libri 8. cap.29. *Marcus Varro auctor eſt ab ranis civitatem in* Gallia *pulſam.* Et *Abderitis Thraciæ.* Juſtinus *ex* Trogo *lib.15.* Caſſander *ab* Apollonia *rediens* (*incidit*) *in* Abderitas, *qui, propter ranarum muriumque multitudinem, relicto patriæ ſolo, ſedes quærebant.* Addidi vocem *incidit* in noſtris exemplaribus omiſſam, ex *Oroſii* lib.3. cap.23. ubi habetur eadem hiſtoria, nec verbis diſſimilibus. *Troes*, quoque à *Græcis* non victos niſi poſt decennale bellum, mures in fugam egêre, ſi his *Plinii* credimus lib.10. cap.15. *Plurimi* (*mures*) *ita ad* Trojam *proveniunt, ut jam inde fugaverint incolas.* Et in *Italia* quaſdam gentes aliò migrare adegit murium agreſtium incurſio, plantis non arroſis modò, ſed & radicitus ſuccisis. Quod, poſt *Agatharchidem*, & *Diodorum*, *Ælianus* narrat pluribus. Quo eodem teſte μυῶν, aut ut alii, μυιῶν πλῆθος ἀνίστησι Μεγαρέας, *murium*, aut *muſcarum*, *multitudo* Megarenſes *ſedibus ſuis pepulit.* Quomodo *Chalcidenſes* quoque & *Gyarenſes* fugarunt mures tam horrendi morſus, ut ferrum etiam deglutiverint. Itaque de illis ita *Heraclides* in *Politiis*, Κλεωνὰς Χαλκιδεῖς οἱ ἐν τοῖς Ἄθῳ ἐξαναστάντες ἐξ Ἐλυμνίου, ὡς μὲν μυθολογοῦσιν, ὑπὸ μυῶν οἳ τά τ' ἄλλα κατήσθιον αὐτῶν, καὶ τὸν σίδηρον· Chalcidenſes, *qui in* Atho *monte* Cleonas *incoluerunt ex* Elymnio *pulſi à muribus, ut quidem ajunt; qui præter alia ferrum quoque devorabant.* Et de his *Plinius* lib.8. capite 29. *M. Varro auctor eſt*, &c. *ex* Gyaro, Cycladum *inſula, incolas à muribus fugatos.* Et capite 57. *Theophraſtus* auctor eſt in *Gyaro* inſula, cùm incolas fugaſſent, *ferrum quoque roſiſſe eos.* Hinc de *Gyaro Antigonus* cap. 21. *Mirabilium*, Ἐνταῦθα οἱ μύες διατρώγουσι τὸν σίδηρον, *Ibi mures ferrum peredunt.* Ita etiam *Stephanus De urbibus*, & *Suidas* voce Γύαρος. Proinde hæc *Ariſtotelis Mirabilium* in mendo cubant, Ἐν Κύπρῳ τῇ νήσῳ λέγεται τοὺς μέτας τὸν σίδηρον ἐσθίειν· *In Cypro inſula metas ajunt ferrum edere.* Et hæc *Æliani* lib.5. *Hiſtoriæ* cap.14. Ἐν τῇ Πάρῳ τῇ νήσῳ Ἀριστοτέλης λέγει μῦς εἶναι, καὶ μέν τοι καὶ γῆν σιτεῖσθαι τὴν σιδηρῖτιν· (aut potius τὴν σιδηρῖτιν) *In Paro inſula mures eſſe dicit* Ariſtoteles, *qui ferraria terra veſcantur*, qualis nimirum è ferri fodinis eruitur. Et utrobique pro Κύπρῳ, & Πάρῳ, legendum eſt Γυάρῳ, & in *Ariſtotele* μύας pro μέτας voce nihili. Jam à ſerpentibus vaſtata loca referre longum eſſet. Et, ut de *Libya* taceam, inter *Sarmaticas* nives *Neuros* refert *Herodotus* lib. 4. paulò ante *Darii* ætatem ſolum vertere coactos, &, relictis ſuis ſedibus, ad *Budinos* ſe conferre, propter ſerpentum copiam è diverſis locis ingruentem. Sic in medio *Latio Amyclas* à ſerpentibus deletas tradunt *Varro* & *Plinius*. Et Sotion ex *Iſigono* cives in le pulſos aſſerit per hydrorum multitudinem. *Rhodon* etiam, & *Chion*, & *Tenon*, & *Salamin* inſulas propter hujuſmodi peſtes aliquamdiu fuiſſe deſertas alibi probavimus. *Citra* Cynamolgos Æthiopas *latè deſerta regio eſt* (inquit *Plinius* libri octavi capite vigeſimo nono) *à ſcorpionibus, & ſolpugis gente ſublata.* Eam regionem intelligo, quam *Agatharchides* mediam facit inter *Acridophagos* & *Cynamolgos*, qui ſunt *Æthiopiæ* populi ad meridiem ultimi. *Ælianus*, libri decimi ſeptimi capite quadrageſimo, ponit circa *Iſlamenum* fluvium, qui aliis eſt *Aſtaboras*, ad lacum Ἀψατίαν, quem *Arabes* & *Æthiopes* الرهبنتيا *Arrahabatian*, id eſt, *Monachorum* hodie vocant. Uterque regionem cultam olim fuiſſe aſſerit, & ab incolis ideò deſertam, quod in eam ſcorpionum incredibilis copia ſupervenerit, & phalangiorum illorum, quæ vocantur τετράγναθα, quaſi dicas *quadrimaxilla*. Et de eadem *Diodorus* libro tertio, Οὐκ ἀπ' ἀρχῆς ἐστερίσκετο τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων, ἀλλ' ἐν τοῖς ὕστερον χρόνοις ἔκ τινος ἐπομβρείας ἀκαίρου πλῆθος φαλαγγίων, καὶ σκορπίων, ἐξήνεγκαν· *Non ab initio caruit genere hominum, ſed poſtremis demum temporibus, cum poſt imbrem intempeſtivum phalangiorum & ſcorpionum multitudinem produxiſſet.* Et *Strabo* libro decimo ſexto, Ἐκλελεῖφθαι δ' ὑπὸ πλήθους σκορπίων καὶ φαλαγγίων τῶν τετραγνάθων καλουμένων ἐπιπλεόντων ποτέ. *Derelicta autem eſt, propter ſcorpionum copiam, & phalangiorum quadri-maxillorum, ut vocant, quæ olim eam infeſtavit.* Aut potius, *quæ olim ibi abundavit.* Nam pro ἐπιπλεόντος legendum puto ἐπιπολάζοντος, ut in *Agatharchide*: Τοῦτο γὰρ τὸ φῦλον ἔκ τινος ἐπομβρείας λέγουσιν ἐπιπολάσαι. Et in *Diodoro*, Τοσοῦτο γὰρ ἱστοροῦσιν ἐπιπολάσαι τῶν εἰρημένων θηρίων πλῆθος. Et in *Æliano*, Σκορπίων δὲ ἐπιπολάσαι πλῆθος ἄμαχον. Non eſt, quod quemquam turbet, quod pro phalangiis, quæ ſunt in aranearum genere, *Plinius* habet *ſolpugas*, vel *ſolipugas*, quas ipſe formicis ita adſcribit libri vigeſimi noni capite quarto, *Eſt & formicarum genus venenatum, non ferè in* Italia: SOLIPUGAS *Cicero appellat*, SALPUGAS Bætica. Alii enim *ſolipugam*, vel, quod idem eſt, *ſolifugam*, ſcribunt araneæ formam habere. Solinus, *Animal perexiguum ſimileque araneis formâ, ſolifuga dicta.* Unde *Iſidorus*, *Eſt & in* Sardinia *animal perexiguum araneæ formâ, quæ ſolifuga dicitur.* Et in phalangii ſpeciebus μυρμήκιον eſt, à formicæ ſimilitudine dictum, de quo *Nicander* in *Theriacis*, *Plinius*, & *Avicenna*. His adde quantam *Myuſiis* cladem intulerint culices ex *Pauſaniæ Achaicis*: *Ad* Myuſium *agrum ſinus attinebat haud magnus, quem, oblimato oſtio,* Mæander *fluvius lacum reddidit. Ut verò edulcuit aqua, neque amplius fuit mare*, κώνωπες ἄπειροι πλῆθος ἐγίγνοντο ἐκ τῆς λίμνης, ὡς ὁ τοὺς ἀνθρώπους ἠνάγκασεν ἐκλιπεῖν τὴν πόλιν, *tanta repente coorta eſt ex palude culicum vis, ut urbem deſerere homines coacti ſint.* Et paulò poſt,

Μυουσίους

Μυσοῖσι δέ γε κατέλαβεν ἐοικότα καὶ Ἀταρνείτας παθεῖν, τοὺς ὑπὸ Περγάμῳ. *Sed & Myſiis ſimilia pati contigit* Atarnitas, *qui ſunt infra* Pergamum. Ita cum *Sapores, Niſibin* obſidens, curſum *Mygdonii* amnis, qui mediam ſecabat, oppoſitis aggeribus repreſſiſſet, culicum copia ſtatim enata Regem coegit motis caſtris inde emigrare. Nimirum οἵ τε ἄνδρες τοῖς θείοις κατετιτρώσκοντο βέλεσιν· οἵ τε ἵπποι, καὶ οἱ ἐλέφαντες, τὰ δεσμὰ διαῤῥήξαντες, ἐδραπέτευον, τῇ δὲ κἀκεῖσε σκεδαννύμενοι, καὶ φέρειν ἐκείνας οὐ δυνάμενοι τὰς ἀκίδας, *& viri divinis telis vulnerabantur: & equi ac elephanti, ruptis vinculis, cum illos aculeos ferre non poſſent, huc illuc diſperſi fugiebant.* Ita *Theodoretus*, qui *divina* vocat hæc tela, quia Deum *Jacobi*, ſanctiſſimi *Epiſcopi* precibus exoratum, hos culices in hoſtiles copias immiſiſſe credidit. Vide illum *Religioſæ Hiſt.* cap. 1. Sed ut preſſius agamus, non paucis infeſti fuerunt veſparum & apum aculei. Sic in *Herodoti Terpſichore*, ut *Thraces* aſſerunt, μέλισσαι κατέχουσι τὰ πέρην τοῦ Ἴστρου, καὶ ὑπὸ τουτέων οὐκ εἶναι διελθεῖν τὸ προσωτέρω, *apes loca, quæ ſunt trans* Iſtrum, *obtinent, nec propter illas ulterius progredi licet.* Et, *Lucullo* per cuniculos *Themiſcyram* oppugnante, *Themiſcyrii*, diductis cuniculis, σμήνη μελισσῶν ἐς τοὺς ἐργαζομένους ἐνέβαλλον, *apum examina in operarios immittebant.* Ita narrat *Appianus* in *Mithridatico.* Ut in *Jamblichi Babylonicis* φεύγουσιν ὁ στρατὸς τῷ τῶν μελισσῶν πολέμῳ πονούμενοι, *fugiunt* Babyloniorum *copiæ apum inſultu divexatæ.* Et in *Antenoris Creticis* refertur (*b*) τῇ τῶν καλουμένων Ῥαυκίων πόλει ἐκ τινος δαιμονίας προσβολῆς ἐπιφοιτῆσαι μελιττῶν σμῆνος, αἵπερ οὖν καλοῦνται χαλκώδεις· ἐγχρίμψασαι δὲ αὐτοῖς τὰ κέντρα, εἶτα μέν τοι πικρότατα λυποῦν ἐκείνους, ἐκείνους δὲ τὴν προσβολὴν οὐ φέροντας ἀναστῆναι τῆς πατρίδος, *ad* Rhauciorum *urbem divino quodam impulſu apum, quæ vocantur* chalcoides, *examen acceſſiſſe, & defixis aculeis obvios graviter anxiſſe, atque illos hunc impetum non ferentes ſolum mutaſſe.* Et, quod maximè ad rem facit, apud *Ælianum* libri undecimi capite vigeſimo octavo, *murium multitudo* Megarenſes *ſedibus ſuis pepulit*, Φασηλίτας δὲ σφῆκες, *Phaſelitas autem veſpæ. Phaſelitas*, id eſt, *Solymos*, qui *Solymos* montes occupabant *Phaſelidi* urbi imminentes. *Strabo* libro decimo quarto, Εἶτα Φασηλὶς τρεῖς ἔχουσα λιμένας, πόλις ἀξιόλογος, καὶ λίμνη, ὑπέρκειται δὲ αὐτῆς τὰ Σόλυμα ὄρος. *Deinde* Phaſelis *tres habens portus, urbs inſignis, & lacus, cui imminent* Solymi *montes.* Hi porro, ſive *Solymi*, ſive *Phaſelitæ*, *Phœniciæ* erant originis, id eſt, à *Chananæis* oriundi. Proinde eorum regionem *Plutarchus* in *Alexandro* Φοινίκην vocat, & *Smyrnæus* libro tertio Φοίνικος ἔδος, *Phœnicium ſolum*, ut alibi obſervavimus. Et usque ad *Xerxis* tempora incolæ *Phœnicium* ſermonem incorruptum ſervaverant. Unde eſt, quod in *Xerxis* copiarum cenſu à *Chœrilo* ſic deſcribuntur;

> Τῶν δ' ὄπιθεν διέβαινε γένος θαυμαστὸν ἰδέσθαι,
> Γλῶσσαν μὲν Φοίνισσαν ἀπὸ στομάτων ἀφιέντες,
> Ὤκει δ' ἐν Σολύμοις ὄρεσι, πλατέῃ ἐνὶ λίμνῃ.
> *Pone ſequebatur genus admirabile viſu,*
> *Barbara* Phœnicum *quod ab ore vocabula mittens*
> *Montibus in* Solymis *lacus loca juncta tenebat.*

Lacui nempe *Phaſelidis*, de quo *Strabo* in loco, quem citavimus. Et circa *Joſuæ* tempora hanc *Phœnicum* coloniam in montana *Phaſelidis* deductam fuiſſe ſuadet, quod, *Joſuâ* non multo recentior, *Bellerophontes* in hos dimicaſſe legitur apud *Homerum*, & alios. Quin triplex *Chimæra* monſtrum ab eodem debellatum ex tribus *Solymorum* Ducibus, *Ario*, *Arſalo*, & *Troſibi*, vel *Roſibi* potius, conflatum eſſe docuimus in noſtro *Chanaan*, lib. 1. cap. 6. Vero igitur conſentaneum eſt, *Phaſelitas*, ſeu *Solymos*, ex eorum fuiſſe numero, quos *Iſraelitarum* exercitus πρόδρομοι veſpæ è patrio ſolo migrare coegerant. Cujus injuriæ memoria manſerit tam alta mente repôſta, ut nondum abolita fuerit Æliani ævo, qui annis minimum mille quingentis poſt *Joſuam* vixit, & ſcripſit. Nec novum id videri debet, quod *Chananæi*, à veſpis pulſi, in alias ſedes migrant: cùm apes quoque in *Creta Rhaucios*, & trans *Iſtrum Scythas*, pari ratione divexâſſe, & ſedibus ſuis pepuliſſe legantur, ut probavimus.

Apibus enim acriores eſſe veſpas, & aculeis infeſtiores eſſe conſtat, cùm veſpas ſedulò venentur apiarii, ne apibus moleſtæ ſint. Ita docent *Ariſtoteles Hiſtoriæ* lib. 9. cap. 40. & *Ælianus* lib. 1. cap. 58. Proinde *Smyrnæi* lib. 11. *Trojani* in *Græcos* magno impetu irruunt,

> Ἀργαλέοις σφήκεσσιν ἐοικότες, οἵ τ' ἀλίγεντον
> Ἐκ θυμοῦ κοτέοντες, ἐπεσσεύονται μελίσσαις,

moleſtis veſpis ſimiles, quæ irâ graviter concitatæ apes invadunt. Neque minoribus animis homines aggrediuntur. Itaque lib. 8. *Græci* cum *Neoptolemo* ad pugnam eodem ardore properant, quo veſpæ

> Χηραμοῦ ἐκποτέονται, ἐελδόμεναι χρόα (c) θεῖναι
> Ἀνδρόμεον, πάντες δ' ἀμφὶ στίβον ὡρμαίνοντες,
> Τεύχουσιν μέγα πῆμα παρεσσυμένοισι βροτοῖσιν·

c) Lege θείνειν.

Ex alveari evolantes, cùm humano corpore paſci cupiunt: & omnes circa tectum ruentes, magnam cladem inferunt mortalibus, qui prætereunt. Et lib. 13. verſ. 55. *Græci* Heroes ex ligneo equo egrediuntur,

> — — σφήκεσσιν ἐοικότες, ὥς τε κλονέει
> Δρυτόμος, οἱ δ' ἄρα πάντες ὀρινόμενοι περὶ θυμῷ
> Ὄζου ὑπὲρ προχέονται ὅτε κτύπον εἰσαΐωσιν·

Veſparum inſtar, quas turbat lignator: & hæ omnes animo concitatæ ſuper ramum funduntur, cum ſtrepitum audiverunt. Ita in *Homero Iliad.* μ', veſpæ

> — — — — — — — — μένοντες
> Ἄνδρας θηρητῆρας ἀμύνονται περὶ τέκνων,

Viros venatores expectantes pugnant pro liberis. Et *Iliad.* π'.

> — — — οἱ δ' ἄλκιμον ἦτορ ἔχοντες
> Πρόσσω πᾶς πέτεται, καὶ ἀμύνει οἷσι τέκεσσι,

Hæ generoſum animum habentes, unaquæque ante involat (id eſt, in aggreſſoris faciem) *& tuetur ſuos liberos.* Quò pertinent hæc *Sulpiciæ*,

> — — — — — *Nam cum defendier armis*
> *Suadet amor patriæ, & captiva penatibus uxor,*
> *Convenit, ut veſpæ, quarum domus arce* Monetæ,
> *Turba rigens ſtrictis per lutea corpora telis.*

Proinde *Euſtathius* his tribuit ut maximè proprium τὸ ἀμυντικὸν, id eſt, *animum ad injuriam propulſandam procliviſſimum.* Et in *Veſpis Ariſtophanis* veſpæ de ſe ipſis dictitant,

> — — — οὐδὲν ἡμῶν ζῷον ἠρεθισμένον
> Μᾶλλον ὀξύθυμόν ἐστιν, οὐδὲ δυσκολώτερον,

Nullum animal concitatum nobis eſt iracundius, aut moleſtius. Hinc apud veterem *Oniro*c*riticum* in *Suida*,

> Σφῆκες φανέντες δυσμενῶν εἰσι βλάβαι,

Veſpæ in ſomnis viſa damna ſignificant ab hoſtibus inferenda. Et in *Caſſandra Lycophronis*, *Paris*, *Helenâ* raptâ, redit in patriam,

> Σφῆκας δαφοινοὺς χηράμων ἀνεγρέσας,
> *Veſpas cruentas ex cavernis extrahens.*

Id eſt, *Græcos* hoſtes in ſe concitans. Et *Clementis Stromatum* lib. 2. hoſtes inſenſiſſimi dicuntur eſſe σφηκῶν δριμύτεροι *veſpis acerbiores.* Quale eſt, quod *Antiſthenes* à *Demoſthene* ſperni ſe videns propter vocis tenuitatem, reſpondit ſe veſpis eſſe ſimilem, καὶ γὰρ τῶν σφηκῶν τὸν μὲν ψόφον τῶν πτερῶν εἶναι μικρὸν, τὸ δὲ κέντρον δριμύτατον. *veſpas enim ſonum alis haud magnum edere, ſed aculeum habere acerrimum.* Quocirca non immeritò contumelioſiſſimi *Poetæ*, *Archilochus*, & *Hipponax*, quorum ille *Lycamben*, hic *Bupalum* & *Athenidem* carminum ſuorum virulentiâ ad ſuspendium adegerunt, veſpas habuiſſe dicuntur tumulis ſuis inſculptas. Hinc de *Archilocho Julianus.*

Ἠρίῳ

d) Anthol. lib. 3. cap. 25.

(d) Ἠρέμα δὴ παράμειψον, ὁδοιπόρε, μήποτε τὸν δὴ
Κινήσῃς τύμβῳ σφῆκας ἐφιζομένους·

Tacitè accede, viator, ne fortè crabrones excites hujus tumulo inſidentes. Et de *Hipponacte Leonidas* eodem ſenſu,

Ἀτρέμα τὸν τύμβον παραμείβετε, μὴ τὸν ἐν ὕπνῳ
Πικρὸν ἐγείρητε σφῆκ' ἀναπαυόμενον.

Et in eundem ignotus alius,

Μή πως ἐγείρῃς σφῆκα τὸν κοιμώμενον.

Nec quidquam *Græcis* Proverbiis notius, Σφηκιὰν ἐκίνησας, & Σφηκιὰν ἐρεθίζειν, & Σφηκιὰν ἐξεγείρειν καθ' ἑαυτοῦ· nec *Plautino* ex iis orto, *Noli irritare crabrones.* Quæ ad univerſum veſparum genus ita pertinent, ut tamen quædam legantur aliis eſſe acerbiores, & iis, quos pupugerunt, plus creare periculi. Sic *Philoſophus Hiſtoriæ* lib. 9. cap. 41. veſpas colore varias cum nigris conferens, ποικίλοι εἰσὶ, inquit, καὶ ἔγκεντροι πάντες, καὶ ἀλκιμώτεροι, καὶ τὸ πλῆγμα ὀδυνηρότερον αὐτῶν ἢ ἐκείνων, καὶ γὰρ τὸ κέντρον ἀνάλογον μεῖζον τὸ τούτων, *Variæ & aculeatæ ſunt omnes, & robuſtiores, & acerbius pungunt, cùm aculeum habeant proportione majorem.* Quædam etiam, carne viperæ deguſtatâ, fiunt infeſtiores. *Plinius* lib. 11. cap. 53. *Veſpæ ſerpente avidè veſcuntur, quo alimento mortiferos ictus faciunt. Ælian.* lib. 9. *Hiſt.* cap. 15. Ὁ γοῦν σφὴξ γευσάμενος ἔχεως χαλεπώτερός ἐστι τὴν πληγήν. Aut poſtquam aculeum mortuæ viperæ veneno imbuerunt. Idem lib. 5. cap. 16. Ὅταν θεάσωνται νεκρὰν ἔχιδναν, οἱ δὲ ἐμπίπτουσι, καὶ φαρμάττουσι τὸ κέντρον. Sed & pro loci ratione magis timentur. Sic *Cyprus* olim Σφήκεια dicebatur ab atrocibus veſpis in ea inſula nidificare ſolitis. Putatur etiam in ortu aliquid eſſe momenti, & iracundior eſſe κροκοδείλου σφὴξ, id eſt, *veſpa ex crocodilo nata*, de qua *Horus* lib. 2. capite vigeſimo tertio. Quamvis alii ex crocodilo ſcorpiones, ſed veſpas ex equo naſci ſcribant. *Antigonus* cap. 23. *Mirabilium*, Φασὶ δὲ καὶ τὸν κροκόδειλον σκορπίους γεννᾷν, καὶ ἐκ τῶν ἵππων σφῆκας γεννᾶσθαι. *Nicander* in *Theriacis*,

Ἵπποι γὰρ σφηκῶν γένεσις, ταῦροι δὲ μελισσῶν.

Archelaus Ægyptius apud *Varronem*,

Ἵππων μὲν σφῆκες γενεαί, μόσχων δὲ μέλισσαι.

Et apud *Antigonum*,

Ἐκ νέκυος ταύτην ἵππου χάψασθε γενέθλην.

Horus lib. 2. *Hieroglyphicῶn* cap. 41. Σφῆκας βουλόμενοι σημῆναι νεκρὸν ἵππον ζωγραφοῦσιν, ἐκ γὰρ αὐτοῦ ἀποθανόντος πολλοὶ γίνονται σφῆκες. *Plutarchus* in *Cleomene*, Ὡς μελίττας μὲν βόες, σφῆκας δὲ ἵπποι κατασαπέντες ἐξανθοῦσι. *Plinius* lib. 11. cap. 20. *Virgilius* (apes reparari putat) *juvencorum corpore exanimato, ſicut equorum veſpas, atque crabrones.* Tamen ab equis fucos, & crabrones à mulis, & veſpas ab aſinis mavult deducere *Servius* in lib. 4. *Georgicorum.* Utut ſit, veſpa ex equo orta animoſior eſſe putatur. *Nicander*,

Ὃς δὴ θαρσαλέην γενεὴν ἐκμάσσεται ἵππου.

Senſus eſt, veſpam equinam ejus audaciam exprimere. Atque ut crabro veſpâ major eſt, ita etiam pungit acriùs, & pernicioſius. Quin plus timentur ſylveſtres, de quibus *Plinius* lib. 11. cap. 21. *Ictus eorum haud temere ſine febri eſt. Auctores ſunt ter novenis punctis interfici hominem.* Sunt, qui ἀνθρήνην Græcè dici volunt, quia ſuo ictu ἄνθρακας ſæpe creat, id eſt, ulcerum genera, quæ *carbunculos* vocant. Eſt juvencis quandoque infeſtus, ſi *Ovidio* credimus, qui de *Dædalione* ſcribit *Metamorphoſeωs* lib. 11.

Concita membra fuga mandat, ſimiliſque juvenco
Spicula crabronum preſſa cervice gerenti.

Et hominibus, ut ſupra in *Plinio*, & *Faſtorum* lib. 3. in *Silenum*,

Millia crabronum coeunt, & vertice nudo
Spicula defigunt, oraque prima notant.

Apes etiam inequitant earum ſuccum exſugentes. Hinc *Poeta* ſummus in cenſu animalculorum, quæ apibus noxam *inferunt*;

Aut aſper crabro imparibus ſe immiſcuit armis.

Et *Columella* lib. 10. cap. 14. *Inter Caniculæ & Arcturi exortum cavendum erit, ne apes intercipiantur violentiâ crabronum, qui ante alvearia plerumque inſidiantur prodeuntibus.* Sed & aviculas venatur crabro. *Muffetus* in *Inſectorum Theatro* lib. 1. cap. 9. *Dum Metropoli* Anglorum *fuit* Pennius, *in publico urbis vico crabronem paſſerem infeſtantem vidit, quem tandem ſtimulo percuſſum è veſtigio exanimem terra mandavit crabro, ac mortui ſanguine ſeſe explevit.*

Hic de crabrone & veſpa conjunctim egi, quia *Hebræa* voce צרעה *tſira*, puto utrumque ſignificari. Neque enim aliud nomen occurrit, quo *Hebræi crabronem* appellent. Pauca addam pro appendice.

Davidis verba *Pſal.* 101. v. 5. *Clam detrahentem proximo ſuo illum exſcindam*, *Chaldæus* ſic [illegible], ודמשתעי לישן תליתי על חבריה יתיה אמגר וילק בצורעתא. *Loquentem lingua tertiâ contra ſocium ſuum, illum exſcindam, & vapulabit crabronibus.* Ultima verba ſic reddit Cl. *Buxtorfius* in *Lexico Talmudico* verbo לקה. Sed idem melius in צרע, *percutietur leprâ.* Nam *veſpa*, ſeu *crabro*, *Chaldæis* non eſt צרעתא, ſed [illegible], vel ארעיתא, *Tſade* mutato in *Ajin*, aut etiam in *Aleph.* Nec crabronibus quiſquam vapulat, ſed ab illis pungitur. Ut taceam cauſam non eſſe, cur qui proximo detrahit, à crabronibus potius, quàm quavis alia ratione torqueatur. Sed *Chaldæus* ſcribit fore, ut lepra percutiatur, nempe inſtar *Mariæ*, quæ lepra percuſſa eſt, quia de *Moſe* fratre detraxerat, *Num.* 12. v. 1. 10. De cætero *Chaldæis linguâ tertiâ loqui in aliquem eſt illum calumniari.* Hujus locutionis *Druſius* ex Paraphraſtis multa exempla congeſſerat *Quæſtionum* lib. 1. quæſt. 4. Sed longè plura refert *Buxtorfius* in *Lexico* voce לשן. Et locutionem ſic explicant *Talmudici* Tractatus *Erachin* fol. 15. b. במערבא אמרי לישן תליתאי קטיל תליתאי למספרו ולמקבלו ולאומרין עליו *In Occidente dicunt « Lingua tertia occidit tres: nempe ipſum « loquentem, & audientem, & eum de quo dicitur.*

Nec multò aliter *Alcamus*, الثالث الساعي باخيه عند السلطان بانه يهلك ثلاثة نفسه واخاه والسلطانا *Tertians* (id eſt, *tertia lingua loquens*) *is eſt, qui fratrem ſuum calumniatur apud Principem, quia tres perdit, ſe ipſum, & fratrem, & Principem.* Hinc collige quid ſit γλῶσσα τρίτη *Eccleſ.* 28. v. 16. 19. *Arabs* reddit اللسان الدعار *lingua mala*, & اللسان النمام *lingua calumniatrix*, & اللسان الواشي *lingua obtrectatrix.* Sed ubique pro اللسان *lingua*, pravè ſcribitur الانسان *homo.*

CAPUT

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

De Oeſtro ſeu Aſilo.

Οἶςρ@ aſilus, *licet ex vetuſtis* Poëtarum *fabulis de* Bellerophonte, Ampelo *&* Jo, *οἰςροπλῆγι* cele*berrimus, tamen hodiè paucis notus. Ore pungit, non caudâ.* Οἶςρ@ *ab* οἴω fero, *ut* οἰςὸς ſagitta. Latina *vox* aſilus *ævo* Senecæ *jam uſurpari deſierat.* Hebræum נתש nathas, vellicare *etiam* carnem. *Indè* יתוש jatthus, pro ינתוש janthus, aſilus. Οἶςρ@ aſilus, *&* μύωψ tabanus, *à graviſſimis & vetuſtiſſimis ſcriptoribus pro ſynonymis habentur. Tamen diſtinguit* Philoſophus. *Et differunt* 1. *origine*, 2. *mole, aculeo, bombo:* 3. *quia aſilus ſolis bobus, tabanus etiam aliis quadrupedibus infeſtus eſt. Ità* Helychius. *Tamen alii camelos quoque, & equos, ab œſtro, chelydros à tabano agitari volunt. Sed uterque boves ut plurimum invadit, idque maximè in ilibus,* λαγόσι, *non* λογάσι, *ut alicubi mendoſe.* יתוש *elephantem in umbilico pungit. Boves hoc vulnere læſi quam graviter afficiantur, docetur* 1. *ex* Poetis, 2. *ex* Patribus. Ezech. 2. v. 6. παροιςρήσουσι pro *Hebræo* סרבים ſarabim, *id eſt*, rebelles. *Vox* Hebræis *aliunde ignota, ſed* Chaldæis *familiaris, &* Ægyptiis, *apud quos* Sarabaitæ *Monachi, aliis* Renuitæ *à* renuendo *dicti, quia, omnis diſciplinæ jugo excuſſo, ſuo arbitratu vivebant.* Oſ. 4. v. 16. *δαμαλις παροιςρῶσα*, Hebræis סררה ſorera, refractaria. *Boscur refractarius* شران ſarran Arabibus *quod muſcæ genus.*

QUia in *Græca* verſione de *Iſraelitis* dicitur *Ezech.* 2. v. 6. *παροιςρήσουσι, tanquam œſtro perciti inſanient:* & *Oſ.* 4. v. 16. *ὡς δάμαλις παροιςρῶσα παροίςρησεν Ἰσραὴλ, ut vacca œſtro percuſſa inſanivit* Iſrael, res poſtulat, ut aliquid de œſtro dicamus. Οἶςρ@, *Latinè aſilus*, ex vetuſtiſſimis *Poetarum* Fabulis jam olim fuit celebris. Nam, ut taceam quæ de *Bellerophonte Homeri Scholiaſtes* atque alii memorant, *αὐτὸν ἐπαρθέντα ἐφ᾽ οἷς ἔπραξε, θελῆσαι μετὰ τοῦ Πηγάσου τὸν οὐρανὸν κατοπτεῦσαι, τὸν δὲ Δία μέλλουσαν τα, οἶςρον ἐμβαλεῖν τῷ Πηγάσῳ, ὅθεν ἐκπεσεῖν τὸν Βελλεροφόντην, illum rerum geſtarum gloriâ elatum, voluiſſe cum* Pegaſo *cœlum intueri propius; ſed ex eo delapſum eſſe, cum iratus* Jupiter Pegaſo *œſtrum immiſiſſet.* Et quæ pluribus refert *Nonnus Dionyſiacῶn* libro undecimo taurum, quo vehebatur *Bacchi* deliciæ *Ampelus*, ab œſtro graviter percuſſum, per invia loca iter feciſſe, *Ampelumque*, fruſtrà *Bacchum* invocantem, è dorſo ſuo excuſſiſſe, & in præcipitia devolviſſe. Hæc, inquam, ut taceam, quis neſcit *Jo, Inachi* filiam, in vaccam ſcilicet mutatam, œſtri ab irata *Junone* immiſſi aculeis ad extrema terrarum fuiſſe pulſam. Unde *Sophocles, Electræ* ſtatim initio;

> Τὸ γὰρ παλαιὸν Ἄργος οὗ πόθεις τόδε·
> Τῆς οἰςροπλῆγος ἄλσος Ἰνάχου κόρης.

Hoc eſt antiquum Argos, *quo tendis, hic lucus œſtro percitæ* Inachi *filiæ.* Et *Moſchus Idyllio* ſecundo,

> ——— Ἰναχὶς Ἰὼ
> Ἐκείτι πόρτις ἐοῦσα, φύλω δ᾽ οὐκ εἶχε γυναικὸς,
> Φοιταλέη ᾗ πόδεσσιν ἐφ᾽ ἁλμυρὰ βαῖνε κέλευθα·

Inachi *filia* Jo, *cum adhuc eſſet juvenca, nec mulieri naturam haberet, ibat œſtro percita per maris vias.* Ut *Poeta* ſummus ubi de œſtro libro tertio *Georgicorum*,

> *Hoc quondam monſtro horribiles exercuit iras*
> Inachiæ Juno *peſtem meditata juvencæ.*

Sed præ aliis videndus *Æſchylus* in *Prometheo vincto*, ubi ipſa *Jo* de ſua ſorte apud *Jovem* his verbis expoſtulat,

> Οἰςρηλάτῳ δὲ δείματι δειλαίαν
> Παράκοπον ὧδε τείρεις;

Itane ex œſtri ſtimulis orto terrore miſeram & amentem exagitas? Et, eâ auditâ, *Prometheus*;

> Πῶς δ᾽ οὐ κλύω τῆς οἰςροδινήτου κόρης
> Τῆς Ἰναχείας; ———

Quomodo non audiam illam œſtro percitam Inachi *filiam?* Cui illa reſpondet inter cætera,

> ——— οἰςροπλὴξ δ᾽ ἐγὼ
> Μάςιγι θείᾳ γῆν πρὸ γῆς ἐλαύνομαι·

Ego verò œſtro agitata, flagro divino è terra in terram impellor. Et totam Fabulæ rationem *Palæphatus* bellè explicat, quem conſulere cuivis liberum. Nobis probaſſe ſufficit hoc animalculum à *Poetarum* vetuſtiſſimis fuiſſe celebratum, quamvis hodieque pauci ſint, qui illud diſtinctè norint. In genere οἶςρ@ *œſtrum*, vel *æſtrus*, *Græcè* dicitur muſcæ majoris genus, quæ non pungit poſticâ parte, ut apes, veſpæ, crabrones, *&c.* ſed anticâ, id eſt, ore, vel promuſcide, ut ſanguinem exſugat. Fit autem οἶςρ@ ἀπὸ τοῦ οἴω, τουτέςι φέρω, ὁρμῇ γὰρ φέρεται, *à ferendo, quia impetu fertur.* Ità eſt in *Etymologo*. Indidem οἰςὸς *ſagitta*, cujus ſummus eſt impetus. *Latinum* nomen *aſilus* ex his *Poetæ* notiſſimum,

> ——— *cui nomen aſilo*
> Romanum *eſt*, OESTRON Græci *vertêre vocantes.*

Aſilus videtur dictus voce ὀνοματοποιητικῇ, à ſono, quem edit inter volandum. In *Romanorum* gratiam *Græcos* id vertiſſe *Poeta* dicit, quaſi *Romani Græcis* eſſent vetuſtiores. Tamen ut *Latina* vox *Græcâ* fuit multò recentior, ità multò citius deſiit eſſe in uſu. Quippe *Neronis* ævo, qui non fuit toto ſæculo poſterior, jam in deſuetudinem abierat, ut docent hæc *Senecæ* Epiſtolâ quinquageſimâ octavâ, *Hunc, quem* Græci OESTRUM *vocant, pecora peragentem, & totis ſaltibus diſſipantem, aſilum noſtri vocabant. Hoc* Virgilio *licet credas.* Cujus verbis citatis, addit; *Puto intelligi iſtud verbum interiiſſe. Hebraice* dicitur יתוש *jatthus*, pro ינתוש *janthus*, N latente in *Daghes.* ינתוש *janthus*, Nomen eſſet formæ ינשוף *janſuph.* Radix נתש, *Hebræis, Chaldæis,* & *Arabibus* eſt *exſtirpare*, & *avellere.* Et ſpeciatim de carne dicunt *Arabes* نتش اللحم *morſu traxit vulſitq; carnem.* Indè igitur יתוש *jatthus*, dictus, qui morſu ſuo carnem vellicat, & lancinat, ut ab ea eliciat ſanguinem, quo alitur. Minuta hæc explicare cogor, quia nondum fuerunt à quoquam obſervata.

Οἶςρ@ *aſilus*, & μύωψ *tabanus*, à plerisque ſcriptoribus pro ſynonymis habentur. Hinc *Plinius* libri undecimi capite vigeſimo octavo, *Quibusdam aculeus in ore, ut aſilo, ſive tabanum dici placet.* Hieronymus in *Oſeæ* caput quartum, *Pro laſciviente vacca* LXX. *tranſtulerunt παροιςρῶσαν, quæ œſtro aſiloque percuſſa ſit, quem vulgo* TABANUM *vocant. Philargyrius* ad *Georgicorum* librum tertium, *Aſilus eſt muſca varia, tabanus, bubus maximè nocens. Hic apud* Græcos *priùs* MYOPS *vocabatur, poſtea magnitudine incommodi* OESTRUM *appellârunt.* Servius, OESTRUM *autem* Græcum *eſt*, Latinè ASILUS *vulgo* TABANUS *vocatur.* Ità etiam *Iſidorus Originum* libro duodecimo propè extremo. Et *Probus*, *Aſilo genus eſt tabani. Gloſſæ* optimæ, *Tabanus*, Μύωψ τὸ ζῶον, οἶςρ@. Aliæ *Gloſſæ*, *Tabanus*, Οἶςρ@, Gloſſæ *Philoxeni*, Μύωψ, *Tabanus, veſpa, aſilio.* Item, Οἶςρ@, ὁ Μύωψ, *Tabanus, aſilio.* Heſychius, Οἶςρ@, εἶδ@ μυίας, ὑφ᾽ οὗ κεντιζόμεναι αἱ βόες σκιρτῶσιν, ὃ μύωψ καλεῖται· *Oeſtrum volucris genus, quo ictæ boves ſaliunt, quod myops* (id eſt, *tabanus*) *vocatur.* Apollonii *Scholiaſtes*, Μύωψ, εἶδος μυίας ἐςὶ τὸ ἐπὶ γνώμενον, ἥτις λογάσι τῶν βοῶν ἐπικαθιζομένη, δάκνει αὐτὰς, καὶ εἰς μανίαν ἄγει, ἀφ᾽ οὗ καὶ οἶςρ@ λέγεται· *Myops* (ſeu *tabanus*,) *muſca ſpecies vere naſcens, quæ boum oculis inſidens eos mordet, & in furorem impellit, unde & OESTRUM dicitur. Euſtathius* in *Odyſſ.* χ᾽. Οἶςρ@ ᾗ, θηρίδιον, ὃ καὶ μύωψ λεγόμεν@· *Oeſtrum, animalculum, quod etiam myops vocatur, ſeu tabanus.*

d) Anthol. lib. 3. cap. 25.

(d) Ἠρέμα δὴ παράμειψον, ὁδοιπόρε, μήποτε τοὺς δὲ
Κινήσῃς τύμβῳ σφῆκας ἐφιζομένους·

Tacitè accede, viator, ne fortè crabrones excites hujus tumulo inſidentes. Et de *Hipponacte Leonidas* eodem ſenſu,

Ἀτρέμα τὸν τύμβον παραμείβετε, μὴ τὸν ἐν ὕπνῳ
Πικρὸν ἐγείρητε σφῆκ' ἀναπαυόμενον.

Et in eundem ignotus alius,

Μή πως ἐγείρῃς σφῆκα τὸν κοιμώμενον.

Nec quidquam *Græcis* Proverbiis notius, Σφηκιὰν ἐκίνησας, & Σφηκιὰν ἐρεθίζειν, & Σφηκιὰν ἐξεγείρειν καθ' ἑαυτοῦ· nec *Plautino* ex iis orto, *Noli irritare crabrones.* Quæ ad univerſum veſparum genus ita pertinent, ut tamen quædam legantur aliis eſſe acerbiores, & iis, quos pupugerunt, plus creare periculi. Sic *Philoſophus Hiſtoriæ* lib. 9. cap. 41. veſpas colore varias cum nigris conferens, ποικίλοι εἰσὶ, inquit, καὶ ἔγκεντροι πάντες, καὶ ἀλκιμώτεροι, καὶ τὸ πλῆγμα ὀδυνηρότερον αὐτῶν ἢ ἐκείνων, καὶ γὰρ τὸ κέντρον ἀνάλογον μεῖζον τὸ τούτων, *Variæ & aculeatæ ſunt omnes, & robuſtiores, & acerbius pungunt, cùm aculeum habeant proportione majorem.* Quædam etiam, carne viperæ deguſtatâ, fiunt infeſtiores. *Plinius* lib. 11. cap. 53. *Veſpæ ſerpente avidè veſcuntur, quo alimento mortiferos ictus faciunt.* *Ælian.* lib. 9. *Hiſt.* cap. 15. Ὁ γοῦν σφὴξ γευσάμενος ἔχεως χαλεπώτερός ἐστι τὴν πληγήν. Aut poſtquam aculeum mortuæ viperæ veneno imbuerunt. Idem lib. 5. cap. 16. Ὅταν θεάσωνται νεκρὰν ἔχιδναν, οἱ δὲ ἐμπίπτουσι, καὶ φαρμάττουσι τὸ κέντρον. Sed & pro loci ratione magis timentur. Sic *Cyprus* olim Σφήκεια dicebatur ab atrocibus veſpis in ea inſula nidificare ſolitis. Putatur etiam in ortu aliquid eſſe momenti, & iracundior eſſe κροκοδείλου σφὴξ, id eſt, *veſpa ex crocodilo nata*, de qua *Horus* lib. 2. capite vigeſimo tertio. Quamvis alii ex crocodilo ſcorpiones, ſed veſpas ex equo naſci ſcribant. *Antigonus* cap. 23. *Mirabilium*, Φασὶ δὲ καὶ τὸν κροκόδειλον σκορπίους γεννᾷν, καὶ ἐκ τῶν ἵππων σφῆκας γεννᾶσθαι. *Nicander* in *Theriacis*,

Ἵπποι γὰρ σφηκῶν γένεσις, ταῦροι δὲ μελισσῶν.

Archelaus Ægyptius apud *Varronem*,

Ἵππων μὲν σφῆκες γενεαὶ, μόσχων δὲ μέλισσαι.

Et apud *Antigonum*,

Ἐκ νέκυος ταύτην ἵππου χάψασθε γενέθλην.

Horus lib. 2. *Hieroglyphicῶn* cap. 41. Σφῆκας βουλόμενοι σημῆναι νεκρὸν ἵππον ζωγραφοῦσιν, ἐκ γὰρ αὐτοῦ ἀποθανόντος πολλοὶ γίνονται σφῆκες. *Plutarchus* in *Cleomene*, Ὡς μελίττας μὲν βόες, σφῆκας δὲ ἵπποι κατασαπέντες ἐξανθοῦσι. *Plinius* lib. 11. cap. 20. *Virgilius* (apes reparari putat) *juvencorum corpore exanimato, ſicut equorum veſpas, atq; crabrones.* Tamen ab equis fucos, & crabrones à mulis, & veſpas ab aſinis mavult deducere *Servius* in lib. 4. *Georgicorum*. Utut ſit, veſpa ex equo orta animoſior eſſe putatur. *Nicander*,

Ὃς δὴ θαρσαλέην γενεὴν ἐκμάσσεται ἵππου.

Senſus eſt, veſpam equinam ejus audaciam exprimere. Atque ut crabro veſpâ major eſt, ita etiam pungit acriùs, & pernicioſius. Quin plus timentur ſylveſtres, de quibus *Plinius* lib. 11. cap. 21. *Ictus eorum haud temere ſine febri eſt. Auctores ſunt ter novenis punctis interfici hominem.* Sunt, qui ἀνθρήνην *Græcè* dici volunt, quia ſuo ictu ἄνθρακας ſæpe creat, id eſt, ulcerum genera, quæ *carbunculos* vocant. Eſt juvencis quandoque infeſtus, ſi *Ovidio* credimus, qui de *Dædalione* ſcribit *Metamorphoſeωs* lib. 11.

Concita membra fuga mandat, ſimiliſq; juvenco
Spicula crabronum preſſa cervice gerenti.

Et hominibus, ut ſupra in *Plinio*, & *Faſtorum* lib. 3. in *Silenum*,

Millia crabronum coeunt, & vertice nudo
Spicula deſigunt, oraq; prima notant.

Apes etiam inequitant earum ſuccum exſugentes. Hinc *Poeta* ſummus in cenſu animalculorum, quæ apibus noxam *inferunt*;

Aut aſper crabro imparibus ſe immiſcuit armis.

Et *Columella* lib. 10. cap. 14. *Inter Caniculæ & Arcturi exortum cavendum erit, ne apes intercipiantur violentiâ crabronum, qui ante alvearia plerumq; inſidiantur prodeuntibus.* Sed & aviculas venatur crabro. *Muffetus* in *Inſectorum Theatro* lib. 1. cap. 9. *Dum Petropoli Anglorum fuit Pennius, in publico urbis vico crabronem paſſerem infeſtantem vidit, quem tandem ſtimulo percuſſum è veſtigio exanimem terræ mandavit crabro, ac mortui ſanguine ſeſe explevit.*

Hic de crabrone & veſpa conjunctim egi, quia *Hebræa* voce צרעה *tſira*, puto utrumque ſignificari. Neque enim aliud nomen occurrit, quo *Hebræi crabronem* appellent. Pauca addam pro appendice.

Davidis verba *Pſal.* 101. *v.* 5. *Clam detrahentem proximo ſuo illum exſcindam*, *Chaldæus* ſic דמשתעי לישן תליתי על חבריה יתיה אמגר וילקי בצרעתא *Loquentem lingua tertiâ contra ſocium ſuum, illum exſcindam, & vapulabit crabronibus.* Ultima verba ſic reddit Cl. *Buxtorfius* in *Lexico Talmudico* verbo לקה. Sed idem melius in צרע, *percutietur leprâ.* Nam *veſpa*, ſeu *crabro*, *Chaldæis* non eſt צרעתא, ſed ערעיתא, vel ארעיתא, *Tſade* mutato in *Ajin*, aut etiam in *Aleph*. Nec crabronibus quiſquam vapulat, ſed ab illis pungitur. Ut taceam cauſam non eſſe, cur qui proximo detrahit, à crabronibus potius, quàm quavis alia ratione torqueatur. Sed *Chaldæus* ſcribit fore, ut lepra percutiatur, nempe inſtar *Mariæ*. quæ lepra percuſſa eſt, quia de *Moſe* fratre detraxerat, *Num.* 12. *v.* 1. 10. De cætero *Chaldæis linguâ tertiâ loqui in aliquem eſt illum calumniari.* Hujus locutionis *Druſius* ex Paraphraſtis multa exempla congeſſerat *Quæſtionum* lib. 1. quæſt. 4. Sed longè plura refert *Buxtorfius* in *Lexico* voce לשן. Et locutionem ſic explicant *Talmudici* Tractatus *Erachin* fol. 15. b. במערבא אמרי לישן תליתאי קטיל תליתאי למספרו ולמקבלו ולאומרין עליו *In Occidente dicunt "Lingua tertia occidit tres: nempe ipſum "loquentem, & audientem, & eum de quo dicitur.*

Nec multò aliter *Alcamus*, الثالث الساعي باخيه عند السلطان بانه يهلك ثلاثة نفسه واخاه والسلطانا *Tertians* (id eſt, *tertia lingua loquens*) *is eſt, qui fratrem ſuum calumniatur apud Principem, quia tres perdit, ſe ipſum, & fratrem, & Principem.* Hinc collige quid ſit γλῶσσα τρίτη *Eccleſ.* 28. *v.* 16. 19. *Arabs* reddit اللسان الدعار *lingua mala*, & اللسان النمام *lingua calumniatrix*, & اللسان الواشي *lingua obtrectatrix.* Sed ubique pro اللسان *lingua*, pravè ſcribitur الانسان *homo.*

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

De Oeſtro ſeu Aſilo.

οἶστρος aſilus, *licet ex vetuſtis* Poëtarum *fabulis de* Bellerophonte, Ampelo & Jo, οἰστροπλῆγι *celeberrimus, tamen hodiè paucis notus. Ore pungit, non caudâ.* οἶστρος *ab* οἴω fero, *ut* οἰστὸς ſagitta. Latina *vox* aſilus *ævo* Senecæ *jam uſurpari deſierat.* Hebræum נתש nathas, vellicare *etiam* carnem. *Indè* יתוש jatthus, pro ינתוש janthus, aſilus. οἶστρος aſilus, & μύωψ tabanus. *à graviſſimis & vetuſtiſſimis ſcriptoribus pro ſynonymis habentur. Tamen diſtinguit* Philoſophus. *Et differunt 1. origine, 2. mole, aculeo, bombo: 3. quia aſilus ſolis bobus, tabanus etiam aliis quadrupedibus infeſtus eſt. Ità* Heſychius. *Tamen alii camelos quoque, & equos, ab œſtro, chelydros à tabano agitari volunt. Sed uterque boves ut plurimum invadit, idque maximè in ilibus,* λαγόσι, *non* λογάσι, *ut alicubi mendoſe.* יתוש *elephantem in umbilico pungit. Boves hoc vulnere læſi quam graviter afficiantur, docetur 1. ex* Poëtis, *2. ex* Patribus. Ezech. 2. v. 6. παροιστρήσουσι pro *Hebræo* סרבים ſarabim, *id eſt*, rebelles. *Vox* Hebræis *aliunde ignota, ſed* Chaldæis *familiaris, &* Ægyptiis, *apud quos* Sarabaitæ *Monachi, alias* Renuitæ *à* renuendo *dicti, quia, omnis diſciplinæ jugo excuſſo, ſuo arbitratu vivebant.* Oſ. 4. v. 16. δάμαλις παροιστρῶσα, Hebræis סררה ſorera, refractaria. *Bos cur refractarius* شران ſarran Arabibus *quod muſca genus.*

QUia in *Græca* verſione de *Iſraelitis* dicitur *Ezech.* 2. v. 6. παροιστρήσουσι, *tanquam œſtro perciti inſanient:* & *Oſ.* 4. *v.* 16. ὡς δάμαλις παροιστρῶσα Ἰσραὴλ, *ut vacca œſtro percuſſa inſanivit* Iſrael, res poſtulat, ut aliquid de œſtro dicamus. οἶστρος, *Latinè aſilus*, ex vetuſtiſſimis *Poëtarum* Fabulis jam olim fuit celebris. Nam, ut taceam quæ de *Bellerophonte Homeri Scholiaſtes* atque alii memorant, αὐτὸν ἐπαρθέντα ἐφ' οἷς ἔπραξε, θελῆσαι μετὰ τοῦ Πηγάσου τὸν οὐρανὸν κατοπτεῦσαι, τὸν δὲ Δία μηνίσαντα, οἶστρον ἐμβαλεῖν τῷ Πηγάσῳ, ὅθεν ἐκπεσεῖν τὸν Βελλεροφόντην, *illum rerum geſtarum gloriâ elatum, voluiſſe cum* Pegaſo *cœlum intueri propius; ſed ex eo delapſum eſſe, cum iratus* Jupiter Pegaſo *œſtrum immiſiſſet.* Et quæ pluribus refert *Nonnus Dionyſiacῶn* libro undecimo taurum, quo vehebatur *Bacchi* deliciæ *Ampelus*, ab œſtro graviter percuſſum, per invia loca iter feciſſe, *Ampelumque*, fruſtrà *Bacchum* invocantem, è dorſo ſuo excuſſiſſe, & in præcipitia devolviſſe. Hæc, inquam, ut taceam, quis neſcit *Jo, Inachi* filiam, in vaccam ſcilicet mutatam, œſtri ab irata *Junone* immiſſi aculeis ad extrema terrarum fuiſſe pulſam. Unde *Sophocles, Electræ* ſtatim initio;

Τὸ γὰρ παλαιὸν Ἄργος οὗ πόθεις τόδε
Τῆς οἰστροπλῆγος ἄλσος Ἰνάχου κόρης.

Hoc eſt antiquum Argos, *quo tendis, hic lucus œſtro percitæ* Inachi *filiæ*. Et *Moſchus Idyllio* ſecundo,

——— Ἰναχὶς Ἰὼ
Εἰσέτι πόρτις ἐοῦσα, φύσιν δ' οὐκ εἶχε γυναικός,
Φοιταλέη δὲ πόδεσσιν ἐφ' ἁλμυρὰ βαῖνε κέλευθα·

Inachi *filia* Jo, *cum adhuc eſſet juvenca, nec mulieri naturam haberet, ibat œſtro percita per maris vias.* U *Poëta* ſummus ubi de œſtro libro tertio *Georgicorum*,

Hoc quondam monſtro horribiles exercuit iras
Inachiæ Juno *peſtem meditata juvencæ.*

Sed præ aliis videndus *Æſchylus* in *Prometheo vincto*, ubi ipſa *Jo* de ſua ſorte apud *Jovem* his verbis expoſtulat,

Οἰστρηλάτῳ δὲ δείματι δειλαίαν
Παράκοπον ὧδε τείρεις;

Itane ex œſtri ſtimulis orto terrore miſeram & amentem exagitas? Et, eâ auditâ, *Prometheus*;

Πῶς δ' οὐ κλύω τῆς οἰστροδινήτου κόρης
Τῆς Ἰναχείας; ———

Quomodo non audiam illam œſtro percitam Inachi *filiam?* Cui illa reſpondet inter cætera,

——— οἰστρόπληξ δ' ἐγὼ
Μάστιγι θείᾳ γῆν πρὸ γῆς ἐλαύνομαι.

Ego verò œſtro agitata, flagro divino è terra in terram impellor. Et totam Fabulæ rationem *Palæphatus* bellè explicat, quem conſulere cuivis liberum. Nobis probaſſe ſufficit hoc animalculum à *Poëtarum* vetuſtiſſimis fuiſſe celebratum, quamvis hodieque pauci ſint, qui illud diſtinctè norint. In genere οἶστρος *œſtrum, vel œſtrus*, *Græcè* dicitur muſcæ majoris genus, quæ non pungit poſticâ parte, ut apes, veſpæ, crabrones, &c. ſed anticâ, id eſt, ore, vel promuſcide, ut ſanguinem exſugat. Fit autem οἶστρος ἀπὸ τοῦ οἴω, τουτέστι φέρω, ὁρμῇ γὰρ φέρεται, *à ferendo, quia impetu fertur.* Ità eſt in *Etymologo.* Indidem οἰστὸς *ſagitta*, cujus ſummus eſt impetus. *Latinum* nomen *aſilus* ex his *Poëtæ* notiſſimum,

——— *cui nomen aſilo*

Romanum *eſt*, OESTRON Græci *vertêre vocantes.* *Aſilus* videtur dictus voce ὀνοματοποιητικῇ, à ſono, quem edit inter volandum. In *Romanorum* gratiam *Græcos* id vertiſſe *Poëta* dicit, quaſi *Romanis Græcis* eſſent vetuſtiores. Tamen ut *Latina* vox *Græcâ* fuit multò recentior, ità multò citius desiit eſſe in uſu. Quippe *Neronis* ævo, qui non fuit toto ſæculo poſterior, jam in deſuetudinem abierat, ut docent hæc *Senecæ* Epiſtolâ quinquageſimâ octavâ, *Hunc, quem* Græci OESTRUM *vocant, pecora peragentem, & totis ſaltibus diſſipantem, aſilum noſtri vocabant. Hoc* Virgilio *licet credas.* Cujus verbis citatis, addit; *Puto intelligi iſtud verbum interiiſſe. Hebraice* dicitur יתוש *jatthus*, pro ינתוש *janthus*, N latente in *Daghes.* ינתוש *janthus*, Nomen eſſet formæ ינשוף *janſuph.* Radix נתש, *Hebræis, Chaldæis*, & *Arabibus* eſt *exſtirpare*, & *avellere.* Et ſpeciatim de carne dicunt *Arabes* نتش اللحم *morſu traxit vulſitq́; carnem.* Indè igitur יתוש *jatthus*, dictus, qui morſu ſuo carnem vellicat, & lancinat, ut ab ea eliciat ſanguinem, quo alitur. Minuta hæc explicare cogor, quia nondum fuerunt à quoquam obſervata.

οἶστρος *aſilus*, & μύωψ *tabanus*, à plerisque ſcriptoribus pro ſynonymis habentur. Hinc *Plinius* libri undecimi capite vigeſimo octavo, *Quibusdam aculeus in ore, ut aſilo, ſive tabanum dici placet.* Hieronymus in *Oſeæ* caput quartum, *Pro laſciviente vacca* LXX. *tranſtulerunt* παροιστρῶσαν, *quæ œſtro aſiloque percuſſa ſit, quem vulgo* TABANUM *vocant. Philargyrius* ad *Georgicorum* librum tertium, *Aſilus eſt muſca varia, tabanus, bubus maximè nocens. Hic apud* Græcos *prius* MYOPS *vocabatur, poſtea magnitudine incommodi* OESTRUM *appellârunt.* Servius, OESTRUM *autem* Græcum *eſt*, Latinè ASILUS *vulgo* TABANUS *vocatur.* Ità etiam *Iſidorus Originum* libro duodecimo propè extremo. Et *Probus*, *Aſilo genus eſt tabani. Gloſſæ* optimæ, *Tabanus*, μύωψ τὸ ζῶον, οἶστρος. Aliæ *Gloſſæ, Tabanus*, οἶστρος, Gloſſæ *Philoxeni*, μύωψ, *Tabanus, veſpa, aſilio.* Item, οἶστρος, ὁ μύωψ, *Tabanus, aſilio.* Heſychius, οἶστρος, εἶδος ζῴου, ὑφ' οὗ κεντριζόμεναι αἱ βόες σκιρτῶσιν, ὃ μύωψ καλεῖται· *Oeſtrum volucris genus, quo icta boves ſaliunt, quod myops* (id eſt, *tabanus*) *vocatur.* Apollonii *Scholiaſtes*, Μύωψ, εἶδος μυίας κατὰ τὸ ἔαρ γινόμενον, ἥτις λογάσι τῶν βοῶν ἐπικαθιζομένη, δάκνει αὐτὰς, καὶ εἰς μανίαν ἄγει, ἀφ' οὗ καὶ οἶστρος λέγεται· *Myops* (ſeu *tabanus*,) *muſcæ ſpecies vere naſcens, quæ boum oculis inſidens eos mordet, & in furorem impellit, unde &* OESTRUM *dicitur. Euſtathius* in *Odyſſ.* χ'. Οἶστρος δὲ, θηρίδιον, ὃ καὶ μύωψ λεγόμενος· *Oeſtrum, animalculum, quod etiam myops vocatur, ſeu tabanus.*

Sotion Geoponicῶn libri decimi ſeptimi capite ſeptimo, Περὶ οἴςρου τοῦ καλουμένου μύωπος, id eſt, *De aſilo, qui dicitur tabanus.* Nempe in *Poëtarum* ſcriptis paſſim videas hæc duo promiſcuè ſumi. Hinc in *Æſchyli Prometheo vincto* verſu 544. *Io* queritur ſe miſeram ab œſtro pungi,

Χρίει τις αὖ με τάλαιναν οἶςρος.

Quod & ſubinde repetit. Sed verſu 650. narrat eadem ſe, acuto myope, ſeu tabano, ſtimulatam, ſaltu furibundo delatam fuiſſe ad ſalubrem *Cenchreæ* fluvium.

—— ὀξυςόμῳ
Μύωπι χρισθεῖσ' ἐμμανεῖ σκιρτήματι
Ἦσσον πρός εὔποτόν τε Κεγχρείας ῥέος.

Apollonius etiam libri primi *Argonauticῶn* verſu 1265.

Ὡς δ' ὅτε τίς τε μύωπι τετυμμένος ἔσσυτο ταῦρος,

Ut cùm quis myope (ſeu tabano) ictus fertur taurus. Et de eodem paulò poſt,

Ἵησιν μύκημα κακῷ βεβολημένος οἴςρῳ,

Mugitum emittit malo percitus œſtro. Et libri tertii verſu 276. diſertiſſimè,

—— οἷόν τε νέαις ἐπὶ φορβάσιν οἶςρος
Τέλλεται, ὅν τε μύωπα βοῶν κλείουσι νομῆες·

Ut in tenera armenta aſilus incidit, quem tabanum bubulci vocant. Et de tauro *Nonnus Dionyſiacῶn* libri undecimi verſu 190.

Καὶ οἱ πέμπε μύωπα βοοσσόον· αὐτὰρ ὁ πικρῷ
Ἀςαθέος φοιτητῆρι δέμας κεχαραγμένος οἴςρῳ.

Et illi miſit (Dea Luna Ampelo) tabanum boves agitantem: is igitur acerbo vagoque aſilo corpus laceratus. His lectis, quotusquiſque eſt, qui non audacter aſſerat tot ſcriptoribus fretus, οἶςρον καὶ μύωπα, *aſilum & tabanum,* idem eſſe animal. Tamen aliter ſentiunt, qui ſcribunt accuratiùs. In quo numero *Philoſophus* eos ſæpe diſtinguit. Ut *Hiſtoriæ* libri primi capite quinto, Τὰ δὲ δίπτερα ἔμπροσθεν ἔχει τὰ κέντρα, οἷον μυῖα, καὶ μύωψ, καὶ οἶςρος, καὶ ἐμπίς· *Bipennia aculeos anterius habent, ut muſca, tabanus, aſilus, & culex.* Et libri quarti capite quarto, Οἱ μύωπες καὶ οἱ οἶςροι τὰ δέρματα τιτρώσκουσι τῶν τετραπόδων ὅτι τὴν ἰσχὺν ἐπὶ τὸ ἰσχυρότατον· *Tabani & aſili quadrupedum pelles (ore) perforant, quia id robore maximè valet.* Et rurſus capite ſeptimo, Καὶ οἱ μύωπες καὶ οἱ οἶςροι ἰσχυρὸν τοῦτο ἔχουσι, *Tam tabani quam aſili illud habent firmiſſimum.* Et lib. octavi cap. undecimo, *Inſectorum, quæ dentes non habent, ſed ſolùm linguam, alia,* inquit, *ſunt* παμφάγα *omnivora, ut muſca, alia autem* αἱμοβόρα, καθάπερ μύωψ, καὶ οἶςρος, *ſanguinis avida, ut tabanus, & aſilus.* Nempe aſilus & tabanus differunt primo origine. Aſilus enim ἐκ τῶν ἐν τοῖς ποταμοῖς πλατέων ζωδαρίων τῶν ἐπιθεόντων γίνεται, διὸ καὶ οἱ πλεῖςοι περὶ τὰ ὕδατα γίνονται, *ex latis animalculis naſcitur, quæ feruntur ſuper amnes: unde eſt, quòd circa aquas plurimi ſint.* Οἱ δὲ μύωπες γίνονται ἐκ τῶν ξύλων, *tabani autem ex ligno naſcuntur.* Ita *Philoſophus* libri quinti capite decimo nono. Unde apud *Apollonii Scholiaſtem Soſtratus* ille, qui de animalibus ſcripſit, Ὁ μὲν μύωψ ἐκ τῶν ξύλων ἀπογεννᾶται· ὁ δὲ οἶςρος ἐκ τῶν ἐν τοῖς ποταμοῖς, ἐπιπλεόντων ζωδαρίων. Sed & *Plinius* libri undecimi capite vigeſimo octavo, *Nec enim coſſi tantùm in ligno, ſed etiam tabani ex eo naſcuntur.* Secundò, aſilus mole, & aculeo, tabanus bombo ſuperior eſt. *Ælianus Hiſtoriæ* libri ſexti capite trigeſimo octavo, Ὁ μὲν οἶςρος κατὰ τὰς μυίας τὰς μεγίςας ἐςὶ, καὶ ἔχει ςερεὸν, καὶ μέγα κέντρον, καὶ ἦχον βομβώδη τινὰ ἀφίησι καὶ τραχύν, ὁ δὲ μύωψ τῇ κυνομυίᾳ παρέοικεν· ἀλλὰ βομβεῖ μὲν τοῦ οἴςρου μᾶλλον· ἔλαττον δὲ ἔχει τὸ κέντρον. *Aſilus par eſt maximis muſcis, aculeo magno & firmo inſtructus, ſonum aſperum & bombi inſtar edens. Tabanus autem muſcæ caninæ ſimilis eſt, aſilo magis ſonorus, ſed aculeo minor.* Quæ ferè eadem jam dixerat libri quarti capite quinquageſimo primo. Unde multa mutuatus eſt *Homeri* vetus *Scholiaſtes* in *Iliad.* χ'. Tertiò, aſilus ſolis bobus, tabanus etiam aliis animalibus infeſtus eſt. *Heſychius,* Μύωψ μυῖά τις ἐρεθίζουσα τὰς βοῦς, καὶ πᾶν ζῶον ἐλαύνουσα, οἶςρος μόνον βοῦν. Hæc ille, non tamen certa. Nam *Plinii* libri trigeſimi primi capite primo *Juba* tradit *Arabes piſcium* adipe camelos perungere, ut aſilos ab his fugent odore. Et *Jovem,* ut monuimus, *Poëtæ* fabulantur οἶςρον ἐμβαλεῖν τῷ Πηγάσῳ, aſilum equo *Pegaſo* immiſiſſe, quo percuſſus *Bellerophontem* in *Aleium* campum dejecerit. Aſilus igitur non ſolos boves, ſed & equos, & camelos ferit; At tabanus animalium ſpecies longè plures. Quippe etiam ex anguium genere chelydrum invadit, de quo *Nicander Theriacῶn* verſu 416,

Ἀγρώςαις λειμῶσι μολουρίδας, ἢ βατραχίδας,
Σπέρχεται ἐκ μυωπος, ἀήθεα δέγμενος ὁρμὴν.

Dum per prata locuſtas aut ranas venatur, a tabano invaditur, inſuetum paſſus impetum. Bobus tamen tam aſilum quam tabanum eſſe maximè infeſtos clamant *Poëtæ* omnes. Quorum choragus *Odyſſ.* χ'. verſu 299,

Οἱ δ' ἐφέβοντο κατὰ μέγαρον, βόες ὣς ἀγελαῖαι,
Τὰς μέν τ' αἰόλος οἶςρος ἐφορμηθεὶς ἐδόνησεν·

Illi autem per ædes fugerunt, ut armentariæ boves, quas varius aſilus aggreſſus exagitat. Et apud *Homeri Scholiaſtem Callimachus,*

Βουσόον, ὅν τε μύωπα βόων καλέουσιν ἀμορβοί,

Boum agitatorem, quem tabanum bubulci appellant. Et *Apollonius,* & *Nonnus,* ubi ſuprà. Et *Tryphiodorus* in *Ilii excidio* de *Caſſandra* verſu 348,

Ἔδραμεν ἠΰτε πόρτις ἀήσυρος, ἥν τε τυπεῖσα
Κέντρον δ' ἂν ἐποίησε * βεβρίθαιτο μύωπος.

* Lege ἐπήγνυσι.

Currebat ut juvenca levis, quæ percuſſa eſt, quamque transfixit aculeus boves vexantis tabani. Et *Q. Smyrnæus* libri undecimi verſu 207,

Ἀργεῖοι δὲ βόεσσιν ἐοικότες ἐπτοίηντο
Οἵ τ' ἀμοτον μεμαῶτας ὑπὸ ζυγὸν ἠδ' ἀρότρῳ
Τύψῃ ὑπαὶ λαπάρην τανασὶς ὑπὸ χείλεσιν οἶςρος,
Αἵματος ἱέμενος· ——

Argivi *autem attoniti erant, boum inſtar, quos ſub jugo ad aratrum graviter connitentes, roſtro extento, ſuper ilia pungit aſilus ſanguinis avidus.* Et *Oppianus Halieuticῶn* libri ſecundi verſu 521.

Καὶ γάρ τοι καὶ βουσὶν ἀγάρροος ἦν τε πελάσσῃ
Οἶςρος, ἐνιχρίμψῃ δὲ βέλος λαγόνεσσιν ἀραιαῖς·

Quinetiam ad boves infeſtus ubi acceſſerit aſilus, & telum infixerit laxis ilibus. Nota hos duos, *Smyrnæum,* inquam, & *Oppianum,* deſignare quo potiſſimum loco boves pungere ſoleat aſilus, nempe ὑπαὶ λαπάρην, aut, quod idem eſt, λαγόνεσσιν ἀραιαῖς, quia hæ partes corporis, ut molliores, ejus aculeis maximè patent. Hinc de aſilis *Homeri* vetus *Scholiaſtes,* Εἰσὶ δὲ οὗτοι πολέμιοι τοῖς βουσίν. Ὅταν γὰρ κατὰ τὴν λαπάρην αὐτοὺς δρύψωσιν, εὐθέως ἀποδιδράσκουσι τὸν νομὸν φοβηθέντες. *Illi autem bobus ſunt infenſiſſimi, quos cùm ſub ilibus lacerarunt, boves ſtatim territi paſcuum relinquunt.* Unde corrigendus *Apollonii Scholiaſtes,* quo loco myopem ſcribit eſſe muſcæ ſpeciem, ἥ τις λογάσι τῶν βοῶν ἐπικαθιζομένη, δάκνει αὐτὰς, καὶ εἰς μανίαν ἄγει, *quæ, boum oculis inſidens, eos mordet, & in furorem impellit.* Nam pro λογάσι legendum λαγόσι, *ilibus* non *oculis.* Ità יתוש *jattuſh,* in *Aruch* elephanto inſidens נכנס לו בטבורו ומפחידו, *umbilicum ejus invadit, & eum terret.* Scribit tamen *Plutarchus* in libro *De diſcrimine adulatoris & amici,* τοῖς μὲν ταύροις τὸν οἶςρον ἐνδύεσθαι παρὰ τὸ οὖς, καὶ ταῖς κυσὶ τὸν κρότωνα, *aſilum taurorum aures ingredi, & ricinum canum.* Unde *Euſtathius* ubi ſuprà, Ὁ ἐγχρίπτων βοΐ, καὶ δάκνον, κατὰ δέ τινας, καὶ εἰς τὰ ὦτα εἰσέρχον αὐτῶν. *Quod animalculum eſt bobus adhærens, eoſque mordens, & juxta quoſdam etiam in illorum aures irrepens.*

Sed quocunque loco boves pungat ſive aſilus, ſive tabanus, certum eſt eos hoc vulnere ità affici, ut non amplius ſui compotes, &, omni jugo excuſſo, in devia ferantur, tanquam rabie perciti. Quod *Poëtæ* paſſim deſcribunt tam graphice ut videantur rem ob oculos ponere. *Apollonius* ubi ſuprà,

Ὡς δ' ὅτε τίς τε μύωπι τετυμμένος ἔσσυτο ταῦρος,
Πίσεά τε προλιπὼν, καὶ ἑλεσπίδας, οὐδὲ νομήων,
Οὐδ' ἀγέλης ὄθεται, πρήσσει δ' ὁδὸν, ἄλλοτ' ἄπαυςος,

Ἄλλοτε δ' ἱστάμενος, καὶ ἀνὰ πλατὺν αὐχέν' ἀείρων,
Ἵησιν μύκημα κακῷ βεβλημένος οἴστρῳ.

Ut cum aliquis ictus tabano fertur taurus, prataque linquens, & paluſtria, neque paſtores, neque armentum curat. Viam autem conficit, quandoque irrequietus, quandoque ſtans, & latam cervicem ſurſum erigens, mugitum emittit, malo percitus œſtro. Et *Tryphiodorus* verſu 350,

Ἡ δ' οὔτ' εἰς ἀγέλην πετινάσσεται, οὔτι βοτῆρι
Πείθεται, οὐδὲ νομοῖο λιλαίεται, ἀλλὰ βελέμνῳ
Ὀξέϊ θηγομένη, βοῶν ἐξήλυθε δεσμῶν.

Illa autem (bos œſtro percuſſa) *neque ad armentum accedit, neque bubulco paret, neque paſcuum appetit, ſed acuto ſpiculo incitata, boum vincula tranſgreditur.* Et *Virgilius* de aſilo,

Aſper, acerba ſonans, quo tota exterrita ſylvis
Diffugiunt armenta, furit mugitibus æther
Concuſſus, ſylvæque & ſicci ripa Tanagri.

Et de tauro *Ampeli Nonnus*,

Δύσβατον ἀμφὶ τένοντα κατέτρεχεν ἴκελος ἵππῳ.
Καὶ νέος ἄζυγα ταῦρον ἰδὼν λυσσώδεϊ κέντρῳ,
Ἴχνος αἰγιλόφοισιν ἐπιρρώσαντα κολώναις.

Invium circa collem cucurrit equo ſimilis. Et puer (Ampelus) *injugem taurum videns furioſo ſtimulo* (actum) *in celſos montes pede præcipiti ferri.* Et infrà,

—— αἴσσων δὲ ποδῶν διδυμάονι χηλῇ.
Οὔρεος ἄκρα κάρηνα δυσέμβατα λυσσαλέος βοῦς,
Ἡβητὴν προκάρηνον ἑὸν ἀπεσείσατο νώτων.

Bifidâ pedum ungulâ in invium montis ſummum verticem cum impetu ruens, rabidus bos puerum pronum è ſuo dorſo excuſſit. *Oppianus* denique reliquis hic multò uberior,

Οὔτέ τι βουφορβῶν μέλεται σέβας, οὔτι νομοῖο,
Οὔτ' ἀγέλης. ποίην δὲ καὶ αὔλια πάντα λιπόντες,
Σεύονται λύσσῃ τεθοωμένοι. Οὐ δέ τις αὐτοῖς
Οὐ ποταμὸς, οὐ πόντος ἀνέμβατος, οὐδὲ χαράδραι
Ῥωγάδες, οὐ πέτρη τις ἀφείτητος κατερύκει
Ῥιπὴν ταυρείην, ὅτ' ἐπαΐσσει ὀξὺ κελεύων
Βύτυπος, ὀτρηρῇσιν ἐπαΐσσων ὀδύνῃσι.
Πάντῃ δὲ βρυχή, πάντῃ δὲ οἱ ἴχνια χηλῆς
Εἱλεῖται. τοίη μιν ἄγει δριμεῖα θύελλα.

Neque ipſis cura eſt bubulcorum auctoritas; neque paſcuum, neque armentum. Prato autem, & ſtabulis omnibus relictis, agitantur rabie perciti. Neque ullus ipſis amnis, neque mare impervium eſt, nec petrarum fiſſura abrupta: nec ſcopulus ullus, quantumvis invius, impetum taurinum ſiſtit, quando incumbit acriter impellens aſilus, gravibus urgens doloribus. Ubique autem mugitus, ubique ungulæ veſtigia verſantur, talis eum rapit acerba procella. His non abſimilia ſcribunt veteres ad Scripturæ loca, quæ diximus. Ità *Theodoretus* in *Ezechielem* monet verbum *Græcæ* verſionis παροιστρήσουσι ſumptum eſſe ἐκ μεταφορᾶς τῶν βοῶν, οὓς ὁ οἶστρος νεμομένους ἐλαύνει, καὶ φέρεσθαι κατὰ κρημνῶν ἀναγκάζει πολλάκις· μυίας δ' ἐστὶν εἶδος κέντρον πάντως σφοδρότερον τοὺς βόας ἐλαῦνον, *ex boum ſimilitudine, quos paſcentes aſilus impellit, & per præcipitia ferri ſæpe cogit: cum ſit muſcæ ſpecies, quæ boves vehementiùs impellit quovis ſtimulo.* Et idem, in *Oſeam* Οἶστρός ἐστι μυῖά τις ταῖς βουσὶν ἐπιοῦσα, καὶ τοσαύτην αἴσθησιν ἐμποιοῦσα τοῖς δήγμασιν, ὡς τὰς ὑπ' ἐκείνης νυττομένας, μήτε τῆς τῶν βουκόλων ἀνέχεσθαι φωνῆς, μήτε ταῖς ἄλλαις συννέμεσθαι βουσὶν, ἀλλὰ θεῖν ἁπλῶς καὶ κατὰ κρημνῶν ἔστιν ὅτε φέρεσθαι. *Aſilus muſca quædam eſt boves invadens, quæ ſuis morſibus tantum doloris ſenſum excitat, ut ab ea ſtimulatæ neque bubulcorum voce retineantur, neque cum aliis vaccis paſcantur, ſed temere currant, & per abrupta interdum præcipites agantur.* Et *Cyrillus Iſraëlem* ſcribit à grege abſcedere ἐν ἴσῳ δαμάλεσιν, αἷς εἴπερ οἶστρος ἐπιζήσειεν, ἤτοι βύτυπος, εἶδος δὲ τοῦτο ἐμπίδος δακνούσης καὶ φορτικῆς, ἀποφοιτᾷ τῆς ἀγέλης, καὶ ὀξεῖ φέρεσθαι δρόμῳ παρασκευάζει λοιπὸν, ὅπῃ περ ἂν τύχῃ. *Ut vaccas, quibus cum inſedit æſtrum, aut aſilus, culicis ſpecies morsûs intolerabilis, eas ab armento abducit, & de cætero ad præcipitem curſum quâcunque via fert incitat.* Et *Theophylactus*, *Oeſtrum parva cujusdam muſcæ ſpecies eſt, quæ ſimulatque vitulum vel bovem momorderit, adeo eum in rabiem adigit, ut ſurſum ac deorſum curſitans interdum per præcipitium feratur.* *Græca* non ſunt ad manum, in quibus ſi ſcripſit œſtrum eſſe μυίας μικρᾶς εἶδος, magno errore id fecerit, cum ſit μυῖα μεγίστη, ut *Ælianus* atque alii teſtantur. Sed fortaſſe ſcripſerat εἶδος μυίας μακρᾶς, quod mutatum in μικρᾶς. Aut πονηρᾶς, *pravæ*, quod mutatum in *parvæ*.

Jam, ut veniamus ad rem, quamvis in *Hebræo* textu de œſtro nulla ſit mentio, non malè *Græci* interpretes rebelles *Iſraëlitas* παροιστρεῖν dicunt, id eſt, *more bovis œſtro perciti*, omni Legis jugo excuſſo, & ſpretis monitoribus, per avia ferri præcipites, tanquam de propria ſalute non amplius ſollicitos. Id enim *Prophetæ* volunt, utroque loco, quo vox παροιστρεῖν ab illis adhibita eſt. In priore ſcilicet Deus *Ezechielem* ad gentem rebellem mittendum ita compellat capitis ſecundi verſu ſexto, *Fili hominis, ab iis ne timeto, & ab illorum verbis ne metuito, quia rebelles ſunt & ſpinæ tecum, & cum ſcorpionibus habitas.* *Rebelles Hebraicè* ſunt סרבים *ſarabim*, quæ vox in *Hebræo* textu alibi nuſquam extat, ſed ex *Chaldæa* lingua facile explicatur, quâ סרב *ſerab*, *rebellare*, & *renuere* eſt, סרבן ſarban, *rebellis*, סרבנות ſarbanuth, *rebellio*. Nec *Ægyptiis* fuit ignota vox. Nam in *Ægypto Sarabaitas* indè vocabant Monachos quosdam, qui, omnis diſciplinæ jugo excuſſo, ſuo arbitratu vivebant, quaſi *Renuitas* dixiſſent. Ita enim vocem explicant veteris ævi ſcriptores. *Caſſianus*, *Collationis* decimæ octavæ capite quarto, *Tria ſunt in Ægypto genera Monachorum, quorum duo ſunt optima, tertium tepidum, atque omnibus modis evitandum. Primum eſt Cœnobitarum*, &c. *Secundùm Anachoretarum*, &c. *Tertium reprehenſibile Sarabaitarum*, &c. Et capite ſeptimo, *Ab eo quod ſemet ipſos à Cœnobiorum congregationibus ſequeſtrarent, ac ſigillatim ſuas curarent neceſſitates*, Ægyptiæ *linguæ proprietate* Sarabitæ *nuncupati ſunt.* Auctor Sermonum *ad fratres in Eremo* ſub *Auguſtini* nomine Sermone vigeſimo primo, *Sola voce paupertatem & abſtinentiam prædicant, ſed digito ſuo non cogitant ea movere. Corpora deſpectu veſtibus tegunt, foris oſtendunt; ſed intus ad carnem purpurâ induuntur. In cinere prædicant ſe jacere, ſed excelſa palatia non deſpiciunt. Angelicam faciem foris oſtendunt, ſed lupina corda eos habere non dubitamus. Tales fuerunt illi* Sarabaitæ, *de quibus tertio nobis ſcripſit pater* Hieronymus, *quorum genus eſt omni affectu vitandum.* Regula *Benedicti* capite primo, *Tertium vero Monachorum teterrimum genus eſt* Sarabaitarum, &c. *Pro lege eis eſt deſideriorum voluptas. Cum quidquid putaverint, vel elegerint, hoc dicunt ſanctum: & quod noluerint, putant non licere.* Iſidorus *De Officiis* capite decimo quinto, *Quod ſemet ipſos à cœnobiali diſciplinâ ſequeſtrant; ſuiaque appetunt liberi voluntates*, Ægyptiorum *linguâ* Sarabaitæ; *ſive* Renuitæ; *nuncupantur.* *Odo Cluniacenſis Collatione* tertiâ in perſona Monachorum ſui temporis, *Nos miſeri non ſumus Monachi, ut falſo nominamur: ſed* Sarabaitæ, *id eſt*, Renuitæ, *qui jugum regularis diſciplinæ renuimus.* Eodem ſenſu vocem סרבים *ſarabim* uſurpat *Ezechiel*, pro iis, qui renuentes jugo Dei ſe ſubmittere, & propriis affectibus indulgentes, extra præſcriptum Legis iter in tranſverſum abripi ſe ſinebant. Hinc *Septuaginta*; *Ne timeas ab iis*, &c. διότι παροιστρήσουσι, quia *tanquam œſtro agitati* inſanient, & ferentur in præceps: quod vim vocum כי סרבים ſatis exprimit.

Alter locus *Oſ.* 4. v. 16. *Hebraicè* ſic habet, כפרה סררה סרר ישראל, *ut juvenca refractaria, refractarius* fuit Iſraël. Nam סרר *ſarar*, ferè idem

eſt, quod præcedens סרב *ſarab*. Sic *Deut*. 21. v. 18. בן סורר ומורה, *Filius refractarius & rebellis* Pſal. 78. v. 8. דור סורר ומורה, *generatio refractaria & rebellis*, Eſ. 65. v. 2. *Expandi manus meas totâ die* אל עם סורר, *ad populum refractarium*. Nehem. 9. v. 29. ויתנו כתף סוררת, *Et præbuerunt humerum refractarium*. Ità etiam *Zachar*. 7. v. 11. Quod ſumptum à bobus jugum recuſantibus, eique obnitentibus. Ut hic, *Ut juvenca refractaria, refractarius fuit* Iſrael. Variis porrò de cauſis bos refractarius eſt. Puta ſi nondum pleno robore ſit adhuc jugo indocilis. Ut apud *Poetam*,

Nondum ſubactâ ferre jugum valet
Cervice, nondum munia comparis
Æquare, &c.

Aut ſi naturâ contumax: aut diſtento abdomine ſi ſit juſto pinguior, aut ſi gravi aliquo prematur incommodo, ut is, quem invaſit œſtrum. Quo *Prophetæ* verba *Græci* referentes hic habent, Ὡς δάμαλις παροιστρῶσα, &c. At *Chaldæus*, quaſi de vaccâ agatur, quæ præ nimiâ pinguedine laſcivit, & detrectat jugum, כתורא דאתפטים ובעט כן מרד בסני טובא ישראל, *ut vacca, quæ ſaginata recalcitrat, ita propter bonorum copiam rejecit* Iſrael. Ut *Hebraicè* סרר ſarar, *refractarium eſſe*, ſic *Arabicè* شر ſarra *pravum & perverſum eſſe* ſonat. Unde شران *ſarran* eſt *muſcæ genus homini moleſta, culici non abſimile*. Alcamus الشران دواب كالبعوض SARRAN, *animalculum ut culex*. Damir, الشران شبيه بالبعوض يقع على وجوه الناس *Sarran*, animal *culici ſimile, quod in faciem hominum incidit*. Aliud exemplar habet يغشب وجوه الناس *faciem hominum ex improviſo invadit*. Id fortaſſe œſtri aut tabani genus eſt, & potuit habere nomen *Hebræum Arabico* ſimile, à quo *juvenca œſtro percuſſa* dicta fuerit פרה סררה. Sed hæc ſunt in incerto.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

Probatur ערוב *arob*, eſſe *Cynomyiam*

Canis & muſca duo animalia maximè impudentia. Ex utroque conflata vox κυνόμυια. *Minerva per convitium ſic vocatur. Et* Nicion *meretricula. Eſt & muſcæ genus, quæ tabano eſt ſimilis: mordax, inſidioſa*, &c. *Nonnulli canem vocant. Refelluntur, qui ſcribunt* κνώμυιαν & κοινόμυιαν. *Dicitur κυνόμυια quia canibus infeſta eſt, & eorum aures lancinat. Hujus* Arabica *nomina. Non eſt idem, quod acceptur ricinus, quamvis ricinus ſit canibus æquè infeſtus. Unde vocatur* κυνοραιστής. *Multis* ערוב arob, *non eſt* cynomyia, *ſed variorum animalium colluvies: & uni* Arabum حرقوس hurkous *pediculi inguinalis genus*. Probatur ערוב *neque* ferarum, *neque* ſerpentum, *neque* muſcarum *eſſe* colluviem, *ſed certi animalis genus. Non ſequi* ערוב *eſſe* colluviem, *ſeu* miſtionem, *quia* ערב, miſcere *ſonat, cum ſit vox* πολύσημος, *& multa ſignificet, quæ in muſcam caninam quadrant, ac proinde non eſſe cauſam, cur à veteri verſione diſcedamus.*

Ut in quadrupedibus cane, ità in inſectis muſca nihil eſt impudentius. Utrumque in-vocatum ad convivium venire ſolet, nec facile repellitur. Hinc *Ælianus* libri ſeptimi capite decimo nono, Ἀναιδῆ δὲ καὶ μὴ ῥᾳδίως ἀποστελλόμενα, μυῖα, καὶ κύων· *Impudentia ſunt animalia, quæque vix ſummoventur, muſca, & canes.* Et inde compoſita vox κυνάμυια vel κυνόμυια maximè *impudentem* ſonat. In Deorum contentione apud *Homerum Mars Minervam* eo convitio excipit *Iliad*. φ', verſu 394.

Τίπτ' αὖ, ὦ κυνάμυια, θεοὺς ἔριδι ξυνελαύνεις;

Cur rurſus, ô cynomyia, Deos prælio committis? Et infrà de eâdem *Juno*,

Καὶ δ' αὖθ' ἡ κυνάμυια ἄγει βροτολοιγὸν Ἄρηα
Δηΐου ἐκ πολέμοιο κατὰ κλόνον·

En rurſus illa cynomyia perniciosum Martem *cum tumultu ex hoſtili prælio abducit. Heſychio* Κυνόμυια eſt ἀναιδὴς, καὶ ἰταμὴ, καὶ θρασεῖα, τοιαῦτα γὰρ τὰ ζῶα ὁ κύων καὶ ἡ μυῖα, (ità legendum, non καὶ ἡ κυνόμυια.) Vetus quoque *Scholiaſtes* ità vocari obſervat ἐκ δύο ἀναιδῶν τελείων, τοῦ τε κυνὸς, καὶ τῆς μυίας, διὰ τὸ ὑπερβάλλον τῆς ἀναιδείας. Et *Euſtathius* περὶ τὴν κύνα, καὶ τὴν μυῖαν, ἀναιδῆ ζῶα, καὶ ἄμφω. Proinde *Clemens* in *Protreptico*, ut Deos ab *Homero*, & *Euripide*, convitiis proſcindi probet, τὴν Ἀθηνᾶν, inquit, κυνόμυιαν, καὶ τὸν Ἥφαιστον ἀμφιγυήεντα καλοῦσιν, Minervam *cynomyiam*, & Vulcanum *utrimque claudum vocant*. Eodem pertinet, quod κυνάμυια *Nicii* meretriculæ cognomentum eſt *Athenæus* libro quarto.

Sed & κυνόμυια *canina muſca* eſt. In *Græca* verſione vox occurrit pluries. Sic *Exod*. 8. v. 21. Ἰδοὺ, ἐγὼ ἐξαποστέλλω ἐπὶ σὲ κυνόμυιαν, καὶ πλησθήσονται αἱ οἰκίαι τῶν Αἰγυπτίων τῆς κυνομυίης. Et verſu vigeſimo ſecundo de terra *Goſen*, Οὐκ ἔσται ἐκεῖ ἡ κυνόμυια. Et verſu vigeſimo quarto, Καὶ παρεγίνετο ἡ κυνόμυια πλῆθος. Et rurſus, Ἐξωλοθρεύθη ἡ γῆ ἀπὸ τῆς κυνομυίας. Et verſu vigeſimo nono, Ἀπελεύσεται ἡ κυνόμυια. Et verſu trigeſimo primo, Καὶ περιεῖλε τὴν κυνόμυιαν. Et *Pſalm*. 77. v. 45. Ἐξαπέστειλεν εἰς αὐτοὺς κυνόμυιαν, καὶ κατέφαγεν αὐτούς. Et *Pſal*. 104. v. 31. Εἶπε, καὶ ἦλθε κυνόμυια. Muſcæ genus eſt tabano non abſimilis. Hinc ſcribit *Ælianus* libri quarti *Hiſtoriæ* capite quinquageſimo primo, Τὸν μὲν οὖν μύωπα ὅμοιον φασὶ τῇ καλουμένῃ κυνομυίᾳ. Et libri ſexti capite quinquageſimo ſeptimo, Ὁ δὲ μύωψ τῇ κυνομυίᾳ προσέοικε. Et vetus *Homeri Scholiaſtes* in *Odyſſ*. χ'. Ὁ δὲ μύωψ παρόμοιος τῇ κυνομυίᾳ. *Philo* libro primo *De vita Moſis* tradit eſſe δηκτικὸν καὶ ἐπίβουλον ζῶον, καὶ γὰρ πόῤῥωθεν μετὰ ῥοίζου, καθάπερ βέλος, εἰσακοντίζεται, καὶ ἐμπίπτουσα βιαίως, ἐπὶ μάλα ἐγχρίμπτεται, *mordax, & inſidioſum animal, nam è longinquo, in teli morem, cum ſtridore fertur, & magno impetu ruens (cuti) maximè hæret*. Proinde κυνομυίας eſſe puto muſcas illas majores, quas militares & canes vocari dicit *Lucianus*, ſonitu aſperrimas, & volatu velociſſimas: Γίγνονται δὲ, inquit, καὶ μέγισται τινὲς μυῖαι, ἃς στρατιώτιδας οἱ πολλοὶ καλοῦσιν. οἱ δὲ κύνας, τραχύταται τὸν βόμβον, καὶ τὴν πτῆσιν ὠκύταται. Apud *Euſtathium* nonnulli διὰ τὸ περισσὸν ſcribunt κνώμυιαν, quaſi τὴν μὴ ἔχουσαν ἠρεμαῖον τὸ βλέμμα, ἀλλὰ κινοῦσαν συνεχῶς τοὺς μύας τῶν ὀφθαλμῶν, *quæ quietum non habeat viſum, ſed oculorum muſculos continuo moveat*. Quod à vero prorſus alienum eſt. In muſcis enim oculi ſunt προπετεῖς, πολὺ τοῦ κέρατος ἔχοντες, *in anteriora defixi, cornu multum habentes*, id eſt, corneam ſpeciem, aut cum cornu multum ſimilitudinis, quia hærent immobiles. Ita obſervat *Lucianus* in *Encomio muſcæ*. Neque *Hieronymo* aſſentior, qui *Epiſtolâ* centeſimâ trigeſimâ quintâ ad *Suniam* & *Fretellam* mutat κυνόμυιαν in κοινόμυιαν, ut ſignificet muſcarum omne genus. Neque enim κοινόμυια id eſſet, quod vult vir ſanctus, ſed *muſca pluribus communis*, ut κοινόβιον *habitatio pluribus communis*, κοινογάμια *communes & promiſcuæ nuptiæ*, κοινολόγημα *ſermo pluribus communis*, id eſt, *colloquium*. Proinde κυνόμυιαν conſtanter legunt quotquot *Hieronymo* aut æquales, aut vetuſtiores fuerunt, ut *Philo*, *Origenes*,

Apelli-

Apollinaris, Auguſtinus, &c. Nec eſt, quòd in illis quisquam ſuſpicetur vocem eſſe corruptam. Quippe κυνομυίας nomen compoſitum eſſe ſcribit *Philo* ἐκ τῶν ἀναιδεστάτων ζώων, μυίας, καὶ κυνός. *ex impudentiſſimis animalibus muſcâ & cane. Origenes* cynomyiam *Cynicorum* ſectæ comparat *Homiliâ* quartâ in *Exodum. Auguſtino* in *Pſalmum* ſeptuageſimum ſeptimum cynomyia canum mores ſignificat, qui nec parentes quando naſcuntur vident. Et *Apollinaris* in Paraphraſi ſic habet *Pſal.* 77.

Πρῶτον μὲν κυνόμυια μετέστιχε παμφάγος αἶαν.

Et *Pſal.* 104.

Εἶπε δ᾽ ἐχθρὴ κυνόμυια μετέστιχε δώματ᾽ ἄνακτος.

Pro quo ne ſcribatur κοινόμυια Syllaba contumax prohibet. Dicitur autem κυνόμυια, non, ut putavit *Philo,* quia caninâ eſt impudentiâ, ſed quia canibus maximè infeſta. Quò hæc *Plinii* pertinent libri undecimi capite trigeſimo quarto, *Eſt & volucre canibus peculiare ſuum malum, aures maximè lancinans, quæ defendi morſu non queunt.* Et *Muffetus* in *Inſectorum Theatro* cap. 11. Κυνόμυια *catulorum auribus infeſta, quam etſi frequenter excutiant, importunè tamen revolat, ac diutius ubi haſerit, eroſione carnis ulcus excitat.* Non tamen ſolos canes, ſed & reliqua invadit animalia. *Aldrovandus* libri tertii *De Inſectis* capite primo, *Muſca caninæ alvo ſunt tumidâ, & plurimo plenæ ſanguine, quem ex animalium corpore flagrantiſſime exſugunt, ut ex earum acutiſſimis & dolorificis morſibus homines etiam ſæpe percipiunt.* Arabicè شذا *ſadſa* vocatur *à nocendo,* & شذا شعرا *ſira,* quaſi *hirſuta.* Damir, ذباب الكلب وقد يقع على البعير SADSA, *muſca canina, quæ etiam camelos invadit.* Idem, الشعرا ذباب ازرق واحمر يقع على الابل والحمير الكلب فيوذيها اذا شديدا SIRA, *muſca cærulea, & rubra, quæ camelos, aſinos & canes invadit, eosque graviſſimè lædit.* Quidam in *Euſtathio* τὴν κυνόμυιαν magno errore putant idem eſſe, quod τὸν κρότωνα, id eſt, *ricinum.* Illa enim in muſcarum, hic in pediculorum eſt genere, nec volatu ſe attollit, cùm ſit prorſus ἄπτερος. Tamen hoc commune habent, quòd canibus ſunt æquè infeſti. Nam ut cynomyia, ità & ricinus ad canis aures potiſſimum ſe applicat, ut ſanguinem inde exſugat. *Plutarchus* libro *De diſcrimine adulatoris & amici,* Τοῖς μὲν οὖν ταύροις τὸν οἶστρον ἐνδύεσθαι παρὰ τὰ ὦτα λέγουσι, καὶ τοῖς κυσὶ τὸν κρότωνα. Proinde alio nomine dicitur κυνοραιστής. *Ariſtoteles* libri quinti *Hiſtoriæ* capite trigeſimo primo, Ἐν δὲ τοῖς κυσὶν, οἱ καλούμενοι γίνονται κυνοραισταί. *Homerus Odyſſ.* ρ΄. verſu 300.

Ἔνθα κύων κεῖτ᾽ Ἄργος ἐνίπλειος κυνοραιστέων,

Ubi canis jacebat Argus *plenus ricinis.* Et ibi vetus *Scholiaſtes,* Κυνοραιστέων, τῶν κροτώνων. ῥαίουσι γὰρ τοὺς κύνας πίνοντες τὸ αἷμα αὐτῶν. εἰσὶ δὲ ταῦτα τὰ καλούμενα τριβίκια. Nec diſſimilia habent *Heſychius, Euſtathius, Suidas.* Itaque ricini κυνοραισταὶ dicuntur *à perdendis canibus,* ut canes λυκοῤῥαισταὶ *à perdendis lupis,* libri tertii *Anthologiæ* capite vigeſimo quinto *Epigrammate* in *Euripidem* Et *Heſychio* θυμοῤῥαιστὴς eſt θυμοφθόρος.

Supereſt, ut diſquiramus, an *Hebræa* vox ערוב *arob,* in *Exodo,* & *Pſalmis,* verè ſit κυνόμυια, prout *Græci* reddiderunt, cùm de illius verſionis ſinceritate magna ſit dubitandi ratio. Nempe, quòd ab ea recedunt reliqui interpretes ferè quotquot ſunt. Quibus ut ערב *arab,* Verbum *miſcere* eſt, & ערב *ereb, hominum colluvies* ſeu *miſcellanea turba,* ſic ערוב *arob,* eſt *mixtura & colluvies animalium.* Quod rurſus variè explicant. *Aquila* πάμμυιαν, & eum ſequutus *Hieronymus, omne genus muſcarum,* vel *muſcas diverſi generis, vel muſcam omnimodam. Arabes Pentateuchi* interpretes editi خلط الوحوش *mixturam ferarum.* Alius, quem in *Suecia* manu-ſcriptum legi, هوام وحشرة من كل جنس *Venenata inſecta & reptilia omnis generis. Rabbi Selomo,* כל מיני חיות רעות ונחשים ועקרבים בערבוביא. *Omnes venenatorum animalium ſpecies, ſerpentum putà, & ſcorpionum ſimul permiſtas.* Aben Ezra, חיות רעות מעורבות כמו אריות זאבים דובים ונמרים. *Feras omnes maleficas permiſtas, ut leones, lupos, urſos, & pardos.* Quomodo *Jonathan* in Paraphraſi ערבוב חיות ברא, *mixturam beſtiarum agri,* id eſt, *ferarum.* Cujus ſententiæ primus auctor *Joſephus* libri ſecundi capite quinto, Θηρίων, inquit, παντοίων, καὶ πολυτρόπων, ὧν εἰς ὄψιν οὐδεὶς ἀπηντήκει, πρότερον τὴν χώραν αὐτῶν ἐγέμισεν. *Regionem eorum feris omnis generis & multiformibus implevit, in quorum conſpectum antea nullus inciderat.* In editione *Pſalmorum Savariana* utramque verſionem ità jungit *Arabs Pſalmi* ſeptuageſimi ſeptimi verſu quinquageſimo, ارسل عليهم الهوام وذباب الكلب *Miſit adverſus eos inſecta venenata, & muſcas caninas.* Et *Pſal.* 104. *v.* 30. امر الهوام فجاء ذباب الكلب *Præcepit venenatis inſectis, & venerunt caninæ muſcæ.* At in editione *Syro-Arabica* ſic habet *Arabs* ejusdem loci interpres, فامر واتي الحرقوس *Et præcepit, & venit* ALCHURKOUS. Quod animal in *Damire* ſic definitur, الحرقوص والحرقوس بالصاد والسين دويبة كالبرغوث صغير ارقط بحمرة او صفرة ولونه الغالب عليه السواد وربما نبت له اجنحة فطار ALCHURKOUS, *ſive per Sad ſcribatur, aut per Sin, animalculum eſt pulice non majus, rubro aut flavo ità diſtinctum, ut color ater prævaleat, cui quandoque alæ creſcunt, & avolat.* Aliud exemplar addit, وهو مولع بعض فروج النسا وعضه اشد من عض البرغوث *Delectatur muliebris pudendi morſu, eoque validiore, quàm eſt morſus pulicis.* Et *Alcamus,* الحرقوص دويبة كالبرغوث حمتها كحمة الزنبور او كالقراد يلصق بالناس او اصغر من الجعل يثقب الاساقي ويدخل في الفروج الجواري ALCHURKOUS, *animalculum ut culex, aculeo ut veſpa, aut inſtar ricini, viris adhærens. Aliis animal ſcarabæo minus, quod perforat .... ut in puellarum pudenda penetret.* Eidem *Ibno-Saida* veſpæ tribuit aculeum, quo

quo تلدع كالطراف السياط ولذلك يقال لمن يضرب بالسياط اخذته الجراقيص. *pungit ut flagri extrema: ac proinde dicitur de eo, qui flagro verberatus eſt, Eum corripuerunt* ALCHARAKISO. Quod Plurale eſt à Singulari *alchurcous.* Apparet deſcribi pulicis inguinalis genus aliquod nobis aliunde ignoti. *Alcamus* alio nomine نهيكى *nahich* vocat, quod nomen à torquendo factum. Nam نهكى *nahacha torquere* eſt. Itaque, ſi hunc interpretem ſequimur, tam *Ægyptios*, quàm *Philiſteos* in pudendis afflixerit Deus. Sed in hac interpretum diſcordia non facilis eſt optio. Tamen, ut dicam quod ſentio, eos omnium minimè probo, qui leones, pardos, urſos, & lupos hic intelligunt. Quos *Ægyptii* moniti facilè potuiſſent ex urbibus & domibus arcere, urbium portis & ædium foribus occluſis. Aut, ſi per vim irrupiſſent, horrendam incolarum ſtragem edidiſſent, & pauci ſuperfuiſſent. Quid, quòd his feris inter ſe non ita convenit, ut in unum agmen coire poſſint? Quod idem de ſcorpionibus, & ſerpentum ſpeciebus poteſt objici. Nam ſcorpio ſerpentes occidit, & ſcorpionem vipera. Serpentum omne genus ſolo ſibilo fugat baſiliſcus. Unde *Poëta*,

—— late ſibi ſubmovet omne
Vulgus, & in vacua regnat baſiliſcus arenâ.

Et de dracone notum eſt Proverbium, Ὄφις, εἰ μὴ φάγῃ ὄφιν, δράκων οὐ γενήσεται. Muſcarum quoque variæ ſpecies plurimùm inter ſe diſſident. De apibus dicit *Philoſophus* libri noni *Hiſtoriæ* capite quadrageſimo ſecundo, Ἀδικοῦσι δὲ αὐτὰς μάλιστα αἱ σφῆκες, *Veſpæ iis maximè infeſtæ ſunt.* Et rurſus, Ἡ δὲ μάχη αὐτῶν ἐστὶ καὶ πρὸς αὐτὰς, πρὸς τοὺς σφῆκας· *Pugnant inter ſe & cum veſpis.* Et capite quadrageſimo de crabronibus, Θηρεύουσι τὰς μεγάλας μυίας, καὶ, ὅταν καταλάβωσιν, ἀφελοῦσαι τὴν κεφαλὴν, ἀποπέτονται φέρουσαι τὸ σῶμα τὸ λοιπόν· *Magnas muſcas venantur, quas ubi cœperint, capite amputato, reliquum corpus geſtantes avolant.* Itaque, ut animalia naturâ tam diſſimilia, & ſibi mutuò tam infenſa in unum agmen coaleſcant, multa miracula ſupponenda ſunt. Præterea, ſi עָרוֹב *arob*, *mixturam* aut *colluviem* ſonat, eſt, quod miremur, quòd *Propheta* ſolùm dixerit Deum miſiſſe in *Ægyptios* אֶת הֶעָרוֹב, *mixturam*, ſeu *colluviem*, nec addiderit quorum animalium fuerit illa miſtura, ſeu colluvies. Quod ſcire noſtrâ intererat, quia plagæ illius gravitas non poteſt aliter intelligi. Denique nomine עָרוֹב *arob*, non ſignificari *mixturam* aut *colluviem*, ſed ſpeciale aliquod animal docere videntur hæc *Prophetæ* verba Exod 8. v. 31. וַיָּסַר עָרוֹב, *Et amovit* AROB *à* Pharaone: *à ſervis ejus, & à populo ejus* לֹא נִשְׁאַר אֶחָד, *ne unus quidem remanſit.* Id eſt, *ne unus quidem* AROB. Neque enim aliud præceſſit, quò referri poſſit illud *ne unus quidem.* Itaque עָרוֹב *arob*, non eſt *colluvies.* Neque enim quiſquam dixerit, *Sic amovit colluviem, ut ne una quidem ſuperfuerit.* Sed ſi עָרוֹב *arob*, eſt *cynomyia*, rectè dicetur Deus ſic illas amoviſſe, ut nulla in *Ægypto* manſerit. Quæ rationes cùm penè cogant nomen עָרוֹב *arob*, reſtringere ad certum animalis genus; quod potiùs intelligemus, quam κυνόμυιαν *caninam muſcam*, nobis tam in *Exodo*, quàm in utroque *Pſalterii* loco, à priſcis illis interpretibus ante annos ferè bis mille deſignatam?

Fruſtrà nonnulli verbi vim urgent, & à verbo עָרַב *arab*, quod *miſcere eſt* עָרוֹב *arob*, *mixtionem* eſſe contendunt. Nam עָרַב *arab*, verbum eſt tam πολύσημον, ut in toto *Hebraiſmo* vix aliud ullum noverim, quod in plura ſignificata diſpeſcatur. Primò *miſcere* ſignificat: unde עֵרֶב *ereb*, *miſcellanea turba*; item *trama* vel *ſubtegmen*, quia liciis miſcetur, & intexitur. Secundò, *dulceſcere*: unde עָרֵב *arab*, pro *dulci*, & *ſuavi.* Tertiò, *ſpondere, fide-jubere, oppignerare*: unde עֲרֻבָּה aruba, *ſponſio*, עֵרָבוֹן erabon, *arrhabo, pignus.* תַּעֲרֻבוֹת *thaaruboth*, fide-juſſiones. Quartò, *negotiari*: unde מַעֲרָב marab, *commercium*, & עֹרְבִים orobim, *mercatores.* Quintò, *adveſperaſcere, obſcurari, obtenebrari*: unde עֶרֶב ereb, *veſpera*, מַעֲרָב maarab, *occaſus*, עֲרָב Arab, *Arabia*, ſic ab *Aſſyriis* primùm appellata, quia eorum imperii pars fuit Occidentalis; עוֹרֵב oreb, *corvus*, à nigredine, qui tenebrarum eſt color. Cùm igitur tam latè pateat verbum עָרַב *arab*, apud *Hebræos*, ex eoque deducantur tot vocabula ſignificationis diverſiſſimæ, cauſa nulla eſt, cur *miſcendi* notionem ſolam urgeant, quaſi non aliud ſonet hoc verbum. Sed, quidquid ſonet, inquiunt, muſca canina quorſum inde appelletur עָרוֹב *arob?* Reſpondeo, in his linguis multa eſſe derivata, quorum ratio non eſt perſpecta. Ut in hac ipſa Radice, quis dixerit, quorſum *ſolitudo* dicatur עֲרָבָה *araba*; *cœli* עֲרָבוֹת *araboth*; ſalices עֲרָבִים *arabim*? Præterea cùm pauci de muſca canina ſcripſerint, in ejus natura multa nos latent, quæ ſi ſciremus, fortaſſe ratio nominis facile poſſet erui. *Veſpa* nomen per ἀποκοπὴν *à veſpera* multi deducunt, quia volat, & venatur maximè ſub veſperam. Videndum, an pari de cauſa עָרוֹב *arob*, ab עֶרֶב *ereb*, ſeu *veſperâ*, dicta fuerit? Aut ab עֲרָב *Arab*, ſeu *Arabia*, ubi ſcateat? Aut *ab atrore*, ut עוֹרֵב *oreb*, *corvus*? Nam, ſi *Muffeto* credimus, *nomen cynomyiæ nulli muſcarum magis convenit, quàm* NIGRIS *illis grandioribus, latioribus, compreſſioribus, quæ impudenter involant jumentis, & non tantùm ichorem, ut reliquæ, ſed ex alto ſanguinem maximo cum dolore eliciunt atque exſugunt. Carent proboſcide, verùm illius loco geminos dentes ut veſpæ habent, quos altè infigunt cuti; potiſſimùm verò pendulas canum aures infeſtant apud* Germanos, *aſſerente* Camerario, *atque ſæpe excoriant.* Sed & *Arabicè* عرب *araba* idem eſt, quod اكل *achala*, *comedit*, ſeu *conſumpſit.* Ità teſtatur *Alcamus*, & ex eo *Giggeius*, *Golius*, alii. Inde עָרוֹב *arob*, dici potuit animalculum voraciſſimum, humanique etiam ſanguinis avidiſſimum. Quod confirmare videntur hæc *Davidis* Pſal. 78. v. 45. יְשַׁלַּח בָּהֶם עָרוֹב וַיֹּאכְלֵם, *Miſit in eis* AROB, *qui comedit eos.* Sed in quæſtione, quæ non eſt magni momenti, diutiùs immorari piget.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

De Cynomyis in *Ægyptios* immiſſis.

Nilus *in honore apud* Ægyptios. Pharaonem Hebræi *putant fuiſſe Magum* ὑδρομάντην. *Muſcarum copia ſæpe peſtifera. Muſcæ caninæ* Ægyptiis *magis odioſæ, quia canes colebant. Ab hac plaga, & à reliquis, immunis terra* Goſen. *Quæ diſtinctio meritò dicitur mirabilis.* פְּדֻת, *redemptio cur ſcribatur defectivè. Deus quomodo in medio terræ* Goſen. *Reges cur ſoleant in medio regno degere. Deus in medio Eccleſiæ, & eorum, quos tuetur.* Cynomyia gravis, *id eſt, multa. Exempla utriuſque locutionis. Cynomyia terram perdit, id eſt, terræ incolas, ut explicatur* Pſal. 78. v. 45. *&* Sap. 16. v. 9. *Quàm gravis fuerit hæc plaga. Quid ſit* abominationem Ægyptiorum ſacrificare. *Boves, oves, & hirci in* Ægypto *culti.* Landia *pro* India *in* Aben Ezra. *Idem de* Indis, *&* Ægyptiis, *multa mentitur.* Ægyptii *in cultu animalium quàm ſuperſtitioſi. Lapides arma conſueta in populari ſeditione.* Moſem *non mentiri. cùm nullam diſceſſus ſui cauſam prætexit, quàm ſacrificandi neceſſitatem. An* Moſi *licuerit* Pharaonem

raonem *in os impoſturæ arguere. Quomodo muſcæ omnes ex Ægypto remotæ, quæ iis maximè ſcatet.*

MAnè *Pharao* egrediebatur ad *Nili* aquas, *Exod.* 7. v. 15. & 8. v. 20. ſive animi cauſâ id fecerit; aut ut coleret *Nilum* fluvium. Nam, ut *Plutarchus* auctor eſt in libro *De Iſide* οὐδὲν οὕτω τιμῇ Αἰγυπτίοις ὡς ὁ Νεῖλος, *nihil in majore eſt Ægyptiis honore, quam* Nilus. Sive Magus fuerit, & ὑδρομάντις, ut *Hebræi* ſibi fingunt. Ità enim legere eſt in *Talmudico* Tractatu *Moed Katon* fol. 18. a. *Dixit* Abital *ſcriba nomine* R. Papæ, פרעה שה״ה בימי משה אמגושה היה שנאמר הנה יוצא המימה, Pharao *ille, qui vixit diebus* Moſis, *Magus fuit, unde eſt, quòd de illo dicitur, Ecce exit ad aquas,* &c. Quod ſequutus *Jonathan* de *Pharaone* ſic habet in Paraphraſi, הא נפיק למנטר קוסמין עלוי מ״א הי כאמגושא *Ecce exit, ut obſervet divinationes ſuper aquas ut Magus.* Utut ſit, *Moſes*, cui fortaſſe ad Regis palatium non ſatis liber erat acceſſus, jubetur hanc captare occaſionem, ut illum adiret, & eidem Dei nomine denuntiaret fore, ut, niſi dimitteret *Iſraëlitas*, Deus craſtinâ die in eum, & ſervos, & populum, & domos ejus את הערוב *arob*, id eſt, *cynomyias*, immitteret, quæ non ſolùm *Ægypti* domos, ſed & univerſam terram implerent. Muſcæ enim quandoque in immenſum multiplicantur. Ut olim apud *Elæos*, ubi muſcarum multitudo peſtilentiam afferebat, ut auctor eſt *Plinius* libri decimi capite vigeſimo octavo. Et in *Cantabria Romani*, pretio dato, μυοθηρευτὰς πρὸς μέτρον ἀποδειχθὲν διεσώζοντο μόλις, *muſcas ad certam menſuram venantes vix ſervabantur.* Ita legi vult in *Strabone Mercurialis* pro vulgato μυοθηρευτὰς, id eſt, *mures venantes.* Quod ſi quis conceſſerit, eodem quo loco dicit idem *Strabo* in *Hiſpania* increbuiſſe μυῶν πλῆθος, ἀφ᾽ οὗ καὶ λοιμικαὶ νόσοι πολλάκις ἠκολούθησαν, *murium copiam, quam ſæpe peſtiferæ lues ſubſequutæ ſit,* legendum erit μυιῶν πλῆθος *muſcarum copiam.* Ut apud *Ælianum* libri undecimi capite vigeſimo octavo, μυιῶν ᾗ πλῆθος ἐξήλασε Μεγαρέας· *Muſcarum multitudo* Megarenſes *è ſedibus ſuis pepulit.* Quomodo quidam legunt pro μυῶν πλῆθος. Porrò in muſcarum genere caninam potiſſimùm in *Ægypto* multiplicari voluit Deus, cùm quia magis noxiam (unde *Arabicè* شذا dicitur, id eſt, noxia κατ᾽ ἐξοχὴν) tum quia canibus maximè infeſtam, atque ob idipſum magis odioſam *Ægyptiis*, à quibus colebantur canes:

Omnigenumque Deûm monſtra, & latrator Anubis.

Interim *Iſraëlitas*, & terram *Goſen*, quam incolebant *Iſraëlitæ*, ab *Ægyptiis*, & reliqua *Ægypto* diſtinguit Deus. *Diſtinguam, inquit, terram* Goſen, *in qua habitat populus meus, ut non ibi ſit Cynomyia.* Ut *Exod.* 9. v. 26. *Tantùm in terra* Goſen, *ubi erant* Iſraëlitæ, *non fuit grando.* Et cùm *Ægyptus* denſis illis tenebris obducta fuit *Exod.* 10. v. 23. *Omnibus* Iſraëlitis *lux fuit in habitationibus ipſorum.* Quod ipſum de reliquis *Ægypti* plagis ſupplendum eſt, quamvis non expreſsè dicatur. *Diſtinguam Hebraicè* eſt הפליתי, & *Chaldaicè* in *Onkeloſo* אפריש. Quorum utrumque propriè ſignificat *mirabiliter diſtinguam.* Proinde *Græci* reddunt ἐνδοξάσω *illuſtrem & mirabilem reddam* terram *Goſen*, nempe illam à reliqua *Ægypto* ſic diſtinguendo. Et *Jonathan*, ואעבד פלאין ביומא ההוא עם ארעא דגשן, *Et illâ die miracula faciam in terra* Goſen. Ut valde mirabile id fuit terras ſitu tam vicinas, Deo ſic diſpenſante, forte fuiſſe tam diverſas, ut una mortem, & tenebras adverſaque haberet omnia; dum altera vitâ, & luce, atque omnibus proſperis in ſumma pace fruebatur. Nec immeritò פדת, id eſt, *redemptio*, & *liberatio*, *Iſraëlitarum* reſpectu appellatur hæc diſtinctio, cum per eam liberati ſint à malis imminentibus. Notat tamen *Baal Hatturim* commentator *Cabaliſticus*, פדת hic defectivè ſcribi, id eſt, ſine *Vau*, cum plenè פדות ſcribatur *Pſal.* 111. v. 9. & 130. v. 7. quibus ſolum locis extat, quia hic de redemptione particulari à certo malo, in *Pſalmis* de redemptione generali agitur, quâ ab omni malo redimimur. Deus autem populum ſuum ab *Ægyptiis* dicit ſe ſic diſtinguere, ut ſciat *Pharao* ſe *Dominum eſſe in medio terræ.* Ad quem locum eleganter dicit *R. Selomo*, ששכינתי בשמים וגזרתי מתקיימת בתחתונים, *Præſentiam majeſtatis ejus eſſe in cœlis, ſed providentiam ad infima extendi.* Et *R. Aben Ezra*, משרי כמנהג המלכי׳ לעמד באמצע מלכותו להיות קרוב אל הקצוות *Parabolam eſſe ex eo ſumptam, quòd Reges ſoleant in medio regni ſui degere, ut omnibus extremis ex æquo vicini ſint.* Ac proinde cor, præcipuam animi ſedem, in medio corpore Deum creâſſe, ut inde regnaret in univerſum corpus, ut dicitur *Zachar.* 12. v. 1. *Formavit ſpiritum hominis* בקרבו, *in medio ejus.* Et *Jeruſalem*, Dei ſolium, eſſe in medio terræ. Id *Alexandrum* docuit *Calanus Indus* exemplo corii ſicci & retorridi, cujus extrema ſi prementur, reliquæ partes ſe efferebant. At medium ſi calcaretur, totum corium manebat immotum. Sed ad terram *Goſen* refero, quòd dicit Deus ſe in medio terræ degere. In cujus medio fuit, quia ibi erat Eccleſia, in cujus medio eſt Deus. Ut dicitur *Matth.* 18. v. 20. *Ubi erunt duo, vel tres, in nomine meo congregati, ibi ero in medio eorum.* Quin ſpeciali modo Deus in medio eorum eſſe dicitur, quos tuetur, & à malis eximit. Hinc illud de *Chananæis* Deut. 7. v. 21. *Non timebis eos, quia Dominus Deus tuus in medio tui eſt; Deus magnus, & terribilis.* Et *Deut.* 23. v. 14. *Dominus Deus tuus ambulat in medio caſtrorum, ut eruat te, & tradat tibi hoſtes tuos.* Et *Joſ.* 3. v. 10. *In hoc ſcietis, quod Dominus Deus vivens in medio veſtri eſt, quòd diſperdet in conſpectu veſtro* Chananæum, Hethæum, &c. Et de urbe *Jeruſalem* Pſal. 46. v. 6. *Deus in medio ejus eſt, non commovebitur.* Et *Soph.* 3. v. 15. *Rex* Iſrael *Dominus in medio tui eſt, non timebis malum ultra.* Contra, *Num.* 14. v. 42. *Nolite aſcendere, quia non eſt Dominus in medio veſtri, ne coram hoſtibus veſtris corruatis.* Et *Deut.* 1. v. 42. *Ne pugnetis* (ait *Dominus*) *quia non ſum in medio veſtri.* Et *Deut.* 31. v. 17. *Nonne, quia Deus meus non eſt in medio mei, invenerunt me hæc mala?* Proinde poſt vituli aurei cultum, Deus *Iſraëli* ità minatur *Exod.* 33. v. 3. *Non aſcendam in medio tui, quia populus duræ cervicis es.* Sed his minis opponitur *Moſis* deprecatio *Exod.* 34. v. 9. *Gradiatur nunc Dominus in medio noſtri.* Cui ſimile eſt votum *Iſraëlitarum* 1. Sam. 4. v. 3. *Ambulet in medio noſtri, & è manu hoſtium noſtrorum nos liberet.* Et in *Kaphidim*, quia

—— ignea venis
Omnibus acta ſitis miſeros adduxerat artus,

clamant *Iſraëlitæ Exod.* 17. v. 7. *Eſtne Dominus in medio noſtri, annon?* Sed de hac phraſi plus ſatis.

Porrò *Moſis* denuntiationem cùm inſuper habuiſſet *Pharao*, nec *Iſraëlem* dimiſiſſet, poſtridie venit ערוב כבד, *cynomyia gravis in domum* Pharaonis, *& domos ſervorum ejus, & in omnem Ægypti terram, ita ut omnis terra ab iis devaſtata ſit. Cynomyia gravis*, id eſt, *multa, numeroſa.* Sic *Gen.* 50. v. 9. *Et fuit exercitus gravis admodum*, id eſt, *valde numeroſus.* Tale *grando gravis valde.* Exod 9. v. 1. *Locuſta gravis*, Exod. 10. v. 14. *Gravitas cadaverum*, id eſt, *multitudo*, Hab. 3. v. 3. *Populus iſte tuus gravis*, 1. Reg. 3. v. 9. id eſt, *multus*, aut *magnus*, ut explicatur 2. *Paral.* 1. v. 10. Quæ *Romana* etiam eſt Phraſis. Nonius, *Grave* multùm, valde *ſignificare veteres probant.* Titinnius *Pſaltriâ*, "Gra-

“ *Gravique obſonio convivas.* *Nam &* GRAVITER “ multum *ſignificat.* Cæcilius *Plocio*, “ *Placere hoc* “ *cœpit graviter*, &c. Salluſtius *Hiſtoriarum libro ter-* “ *tio*, *Cùm grave pretium fructibus eſſet*, &c. Var- “ ro γερόντοδιδασκάλῳ, *ubi graves paſcantur*, *atque* “ *alantur pavonum greges.* Ità *graves cynomyiæ*, id eſt, *multæ*, & *copioſæ*. Dicuntur autem *Ægyptiorum* terram univerſam devaſtâſſe, ut mures *Philiſtæorum* 1. *Sam.*6. *v.*5. non tamen eodem modo. Mures enim terram devaſtant proventum ejus abſumendo. *Ariſtoteles Hiſtoriæ* libri ſeptimi capite trigeſimo ſeptimo, Πολλαχοῦ γὰρ εἰώθασι γίνεσθαι πλῆθος ἀμύθητον τῶν μυῶν ἀρουραίων, ὥστε ὀλίγον λείπεσθαι τοῦ σίτου παντός· *Multis in locis oritur murium copia ineffabilis, ità ut ex univerſo frumento parùm relinquatur.* At cynomyiæ terram perdunt, dum perdunt incolas terræ. Ità enim explicat *Pſaltes* Pſal. 78. v. 45. *Miſit in eos cynomyiam, quæ conſumpſit eos.* Et auctor libri *Sapientiæ* capite decimi ſexti verſu nono, Οὓς μὲν γὰρ ἀκρίδων καὶ μυιῶν ἀπέκτεινε δήγματα· *Quos quidem locuſtarum & muſcarum morſus interemerunt.* Neque id novum, ut *terra* ſumatur pro *incolis*. Sic *Gen.*6.*v.*12. *Terra erat corrupta, quia corruperat omnis caro viam ſuam ſuper terram.* Incolas autem terræ muſcæ perdebant, eorum ſanguinem avidè exſugendo. *Philo* ubi ſupra, Ἐπιφοιτῶσι γὰρ, καὶ ἐπιτρέχουσιν ἀδεῶς, κἂν ἀνείργῃ τις, εἰς τὸ ἄντικρυς ἀντιφιλονεικοῦσιν, ἄχρις ἂν αἱμάτων καὶ σαρκῶν κορεσθῶσιν· *Intrepide invadunt, atque incurrunt, &, ſi quis arcere velit, inſuperabili pervicaciâ contendunt, donec ſanguine & carnibus ſatiatæ fuerint.* Et paulò poſt, Τότε δὲ, καὶ διπλασίαν ἡ προσβολὴ, ὡς διπλασιάσαι τὴν ἐξ αὐτῆς ἐπιβουλήν. (*) οὐκέτι μόνον τοῖς φυσικοῖς κεχρημένης πλεονεκτήμασιν· ἀλλὰ καὶ τῆς ἐκ θείας ἐπιφροσύνης, ἣ τὸ ζῶον ὥπλιζε, καὶ πρὸς ἄλλην ἀνήγειρε κατὰ τῶν ἐγχωρίων· *Tunc autem à Deo concitatus erat impetus, ità ut duplo moleſtior eſſet cynomyiæ invaſio, cùm non ſolùs Naturæ donis uteretur; ſed & Dei impulſu regeretur, qui hoc animal armaverat, & vires illi inſpiraverat contra regionis incolas.*

(*) Lege ἐπιβολήν.

His malis oppreſſus *Pharao* concedit *Iſraëlitis*, quod hactenus vetitum fuerat, ut publico ſacrificio Deum placare niterentur. Nam antea ſolùm κρυφῇ ἐθυσίαζον *clàm ſacrificabant*, *Sap.*18.*v.*9. non palàm, & in propatulo. Regerit *Moſes* id non poſſe fieri, quia ſi in *Ægypto* abominationes *Ægyptiorum* Deo ſacrificarent, *Ægyptii* illos lapidarent. Quæcunque quadrupedes Deo in ſacrificium offerebantur, nempe boves, oves, & capræ colebantur ab *Ægyptiis*. De bove res notiſſima. Nam, ut de *Apide Memphitarum*, & *Mnevi Heliopolitanorum* Diis taceam, *Strabo* libro decimo ſeptimo bovem numerat inter ea animalia, quæ ἅπαντες κοινῇ τιμῶσιν Αἰγύπτιοι. Quod idem de vaccis aſſerit *Herodotus* libro ſecundo, quia erant *Iſidi* ſacræ, quæ pingebatur βούκερως. Sic in honorem *Jovis Ammonis*, qui capite arietino, & *Mendetis*, ſeu *Panis*, qui caprinâ facie & hircinis pedibus pingebatur, arietes quoque, & hirci, pro ſacris habebantur. Unde *Poëta* Satyrâ decimâ quintâ,

—— lanatis animalibus abſtinet omnis
Menſa, nefas illic fœtum jugulare capellæ.

Non tamen per totam *Ægyptum* colebantur oves, & capræ, ſed certis locis. *Strabo* ubi ſupra, Ἄλλα δ᾽ ἐστὶν (τῶν ζώων) ἃ τιμῶσι καθ᾽ ἑαυτοὺς ἕκαστοι, καθάπερ Σαΐται πρόβατον, καὶ Θηβαῖται, &c. Αἶγα δὲ καὶ τράγον Μενδήσιοι. Sunt apud *Diodorum*, qui hircum aſſerunt inter Deos fuiſſe relatum διὰ τὸ γεννητικὸν μέλος, ut *Græcorum Priapum*. Aliud affert *R. Joſua*. Nempe Deum ipſorum formam habuiſſe arietis, כי היו חושבים על מזל טלה שהוא מושל בארצם ובעבור זה לא היו אוכלים בשרו, *Quia ſignum* Arietis *regioni ſuæ dominari putabant*, *ac proinde ab eſu carnis ejus abſtinebant.* Rurſus aliter viſum *Aben-Ezræ* in hunc locum. Is enim *Ægyptios* putat idem ſenſiſſe, quòd אנשי לנדיא שהם יותר מחצי העולם וכלם הם בני חם ואינם אוכלים בשר עד היום גם דם וחלב ודג וביצים הכלל כל דבר שיצא מן החי והם מתעבים מי שיאכל אותם ומלאכה נמאסה בעיניהם לרעות הצאן, *viros* Landiæ, *qui habitati orbis occupant plus quàm dimidiam partem, & omnes ſunt à* Chami *filiis. Et hodieque non ſolùm à carne, ſed & à ſanguine, & lacte, & piſcibus, & ovis, denique ab iis omnibus abſtinent, quæ ab animalibus prodierunt, & iis veſcentes abominantur, & nefas eſſe putant gregibus paſcendis incumbere.* Hæc ille de viris *Landiæ* mihi prorſus ignotis, niſi *Landiæ* ſubſtituatur *India*, cujus incolæ, ſi *Cteſiæ* credimus, πλεῖους σχεδὸν συμπάντων ἀνθρώπων *plures fuerunt reliquis hominibus ferè quotquot ſunt.* Et in iis *Gymnoſophiſtæ* miram abſtinentiam profitebantur. Utut ſit, recutitus doctor, pergens in inſtituta collatione incolarum *Landiæ* cum *Ægyptiis*, *Ità*, inquit, *ſcribitur* Gen.46. v.34. *omnem paſtorem ovium* Ægyptiis *eſſe abominationi. Quin hodieque in terra ſua nemini carnis uſum concedunt. Et, ſi quis eorum peregrinetur, fugit ab omni loco, in quo comeditur caro. Neque quidquam comedunt, quod tetigerit is, qui comedit carnem. Et vaſa ejus pro pollutis habent. Proinde ſcriptum eſt*, Ægyptios *non potuiſſe panem comedere cum* Hebræis, Gen. 43. v. 32. *Et* Joſeph, *cùm eſſet in domo* Potipharis, *præfecit eum* Potiphar *omnibus ſuis, præter panem, quem comedebat, ne illud tangeret, quia* Hebræus *erat*, Gen. 39. v. 6. *Nec ratio eſt quærendi, ſi res ità ſe habeat, cur pecora habuerint; cùm habeant etiam incolæ terræ* Landiæ. *Equi nimirum, aſini, & cameli ferendis oneribus & equitationi inſerviunt, & boves aranda terra, & oves propter lanam requiruntur.* Hæc ille, in quibus tam de *Ægyptiis*, quàm de *Indis* multa mentitur. Nam ejus ævo *Ægyptii* veterem ſuperſtitionem pridem exuerant. Nec in ipſo *Ethniciſmo* tam rigidi fuerant, quàm ille ſibi fingit. Certum tamen eſt, *Ægyptios* in animalium cultu tam fuiſſe ſuperſtitioſos, ut grande nefas & morte piandum eſſe crediderint, ſi quis illa vel minimum læſiſſet. *Cicero* libro quinto *Tuſculanarum Quæſtionum*, Ægyptiorum *morem quis ignorat, quorum imbutæ mentes pravitatis erroribus, quamvis carnificinam priùs ſubierint, quàm ibin, aut aſpidem, aut felem, aut canem, aut crocodilum violent? Quorum etiamſi imprudentes quippiam fecerint, pœnam nullam recuſent.* Narrat *Diodorus* libro primo rem à ſe viſam, non ex auditione acceptam: Ἀποκτείναντος Ῥωμαίου τινὸς αἴλουρον, καὶ τοῦ πλήθους συνδραμόντος εἰς τὴν οἰκίαν τοῦ πράξαντος, οὔτε οἱ πεμφθέντες ὑπὸ τοῦ βασιλέως ἄρχοντες ἐπὶ τὴν παραίτησιν, οὔτε ὁ κοινὸς ἀπὸ τῆς Ῥώμης φόβος ἴσχυσεν ἐξελέσθαι τῆς τιμωρίας τὸν ἄνθρωπον, καίπερ ἀκουσίως τοῦτο πεπραχότα, *Cum* Romanus *quidam felem occidiſſet, facto à plebe concurſu ad domum illius, qui hoc admiſerat: neque principes à Rege* (Ptolemæo) *ad deprecandum miſſi, neque communis* Romani *nominis timor, potuerunt hominem à pœna eximere, quamvis id feciſſet imprudens.* Sequitur aliquando in extremâ fame, cùm ab humana carne plures ob inopiam cibi non abſtinerent, ſacra tamen animalia intacta reliquiſſe. *Juvenalis Satyrâ* decimâ quintâ narrat inter *Ombitas* & *Tentyritas*, quorum illi crocodilum, hi accipitrem colebant, propter diſſenſum in religione tam acrem pugnam eſſe exortam, & tantâ animorum contentione, ut *Ombitarum* unum in fruſta diſſectum *Tentyritæ* crudum comederint, corroſis etiam oſſibus:

—— ultimus autem
Qui ſtetit abſumpto jam toto corpore, ductis
Per terram digitis aliquid de ſanguine guſtat.

Nec nova fuit hæc ſuperſtitio. Nam obtinuiſſe jam olim conſtat ex *Herodoto* & *Plutarcho* in *De Iſide*. Proinde inter populos tam veſanâ ſuperſtitione dementatos,

tatos, tutum non fuiſſet *Iſraelitis* ea animalia mactare, quæ pro Diis ipſi colebant. Et *Judæorum* ſacrificia meritò vocat *Moſes Ægyptiorum* abominationes, quia ab hujusmodi ſacrificiis *Ægyptii* maximè abhorrebant. Alii putant abominationes eo ſenſu vocari quo Deos gentium Scriptura paſſim ità nominat, quia ſunt Deo mximè exoſi. Sic *Deut.* 7. v. 25. *Sculptiles Deorum eorum igne comburite,* &c. *quia ſunt abominatio Domino Deo tuo.* Deut. 32. v. 16. *Per abominationes provocârunt eum*, id eſt, per idola ſua. 1. Reg. 9. v. 5. *Coluit* Solomon *Aſtartem Deum* Sidoniorum, & Milchom *abominationem* Ammonitarum; Et 2. Reg. 23. v. 13. *Excelſa quæ ædificaverat* Solomon *Aſtartæ abominationi* Sidoniorum, *Chemoſo abominationi* Moabitarum & Milchomo *abominationi* Ammonitarum. Sed prior interpretatio verior eſt. Neque enim veriſſimile eſt, *Moſem* cum Rege agentem ejus Deos appellâſſe contumelioſo nomine. Et hæc melius cohærent, *Sacrificia noſtra* Ægyptiis *eſſent abominanda, qui proinde nos lapidarent*. Itaque hoc ſequuntur *Chaldæi* interpretes, & plerique *Hebræorum*. Pœnam lapidationis inter *Ægyptios* fuiſſe in uſu aliunde conſtare non puto. Sed neque id eſt neceſſe. Non enim hic agitur de pœna per leges illatâ, ſed de furore plebeculæ, quæ peregrina ſacra in receptorum locum introduci non ferens, aut illas pecudes mactari, quas myſtæ ſui conſecraverant, & Deorum loco habebant, potuiſſet obvios lapides in *Iſraelitas* intentare, & quod fecit *Pilatus Luc.* 13. *v.* 1. offerentium ſanguinem miſcere cum ipſorum ſacrificiis. Notum illud *Poetæ*,

Ac veluti magno in populo, cum ſæpe coorta eſt
Seditio, ſævitque animis ignobile vulgus.
Jamque faces & ſaxa volant, furor arma miniſtrat.

Itaque in pugna, de qua nuper inter *Ombitas* & *Tentyritas*, cùm initio teli vice ſæviſſent nudæ manus, tandem ad ſaxa deventum, quorum uſus in populari ſeditione receptiſſimus:

——— *ergo acrior, impetus & jam*
Saxa inclinatis per humum quæſita lacertis
Incipiunt torquere, domeſtica ſeditione
Tela. ———

Hoc metu igitur petit *Moſes*, ut *Iſraelitis* Deo ſacra facturis ex *Ægypto* longius recedere liceat, nempe tridui itinere. Quod illis præcisè ſpatium cum definiviſſet Deus, alibi ſacra facere fuiſſet nefas. Ut *Abrahamo* non licuit *Iſaacum* filium alibi offerre quam in monte *Morijæ*. Et poſt templum Dei juſſu *Jeroſolymis* ædificatum, oblatæ alibi victimæ illi non erant acceptæ. Nec *Moſes* ideò mentiri cenſendus eſt, quod non aliam ſui diſceſsûs cauſam prætexit quam neceſſitatem Deo ſacrificium offerendi, ſuppreſſo conſilio de itinere ex *Ægypto* in terram *Chanaan*. Ut neque *Samuel* mentitus eſt, cùm in oppidum *Bethlehem* ideò ſe veniſſe dixit, ut Domino immolaret, 1. *Sam.* 16. *v.* 2. unctione *Davidis* prorſus diſſimulatâ, quæ ſuſcepti itineris præcipua fuerat cauſa. Cùm enim hæc duo *Samuel* in animo deſtinaviſſet, ſacrificium facere, & Regem ungere, potuit abſque ullo veritatis diſpendio horum unum profiteri, & alterum reticere. Ità *Moſi* duabus de cauſis ex *Ægypto* diſceſſuro, harum alteram *Pharaoni* tacere liberum fuit. Qui cum non haberet quod regereret, ſibique timeret & ſuis ab importunis illis muſcis, quibus *Ægyptus* infeſtabatur, tandem *Iſraelitis* concedit, ut diſcedant Deo ſuo ſacra facturi. Sed eâ lege, ut ne longius recederent, quàm petîerat *Moſes*, id eſt, itinere tridui, & ut ante diſceſſum precibus ſuis muſcas pellerent. Id ſe craſtinâ die facturum promiſit *Moſes*, modò ne Rex ipſe falleret amplius, quomodo jam ſæpe fecerat. Quod erat Regem in os mendacii, & impoſturæ coarguere. Sed agebat Dei nomine, qui non patitur ſe derideri, *Job.* 13. *v.* 9. *Gal.* 6. *v.* 7. Nec fruſtrà fuiſſe quod *Moſes* Regem officii ſui monuit, patuit ex eventu. Quia quamprimùm plaga deſîit, Rex ad ingenium ſuum rediens populum retinere perſtitit, contra quam promiſerat. At longè aliter *Moſes*, qui, cum Dominum pro *Pharaone* & *Ægyptiis* ſincere atq; ex animo rogâſſet, Deus has muſcas ex tota *Ægypto* ſic amovit, ut ne una quidem ſuperfuerit. Sive Angelus, vel ventus à Deo excitatus illas in mare demerſerit, aut in vicina *Libyæ* deſerta propulſaverit. Atque id miraculum fuit priore majus, quod *Ægyptus* ab illis muſcis ità liberata eſt, ut ne una quidem remanſerit. *Ægyptum* enim ſcatere muſcis ex *Bellonio* notum *Obſervationum* libri ſecundi capite quadrageſimo ſeptimo, ubi circa pyramides tantam earum eſſe frequentiam aſſerit, ut illis volantibus aër reſonet.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

De Culice.

βύτζα *culex* Græcis *recentioribus, vox* Arabicæ *originis. Culicis encomium ex* Alkazuinio & Plinio. *Alii culici elephantem, ſed* Chriſtus *camelum opponit ut notiorem. Culex pro re minima.* Κώνωψ *propriè non quivis culex, ſed vinarius. Ità ſumitur* Matth. 23. v. 24. Judæi *vinum percolabant. De eo more* Græci *interpretes* Amos 6. v. 6. (*ubi* Hebræa *aliter legerunt.*) *Et* Talmudici *paſſim. Ad eum morem alluſit* Chriſtus Κώνωπας *cur* Hebraicè יבחושין. *Inſigne mendum in* Arabico *Evangelio.* Ἐμπὶς culex *in aquoſis locis naſcens.* Ἐμπὶς πεικοζουσία, Hebraicè יתוש jatthus. *Sanguinem exſugit. Elephantum terret. In ejus aures & promuſcidem ingreditur. Exemplum illuſtre circa* Niſibin. *Idem bubalis & bobus infeſtus. Alter* בק bak, *dicitur, &* βύτυπ☉, & mulio, *non tamen mulos, ſed apes impugnans.* Ἐφήμερον ζῶον. *Et* מפגיע maphgia, *qui leonem invadit. Maximè in* Meſopotamia, & *in* Rhizophagis. *Qui & ipſi per culices è regione ſua pulſi, ut propè* Mæandrum Myuſii, & *infra* Pergamum Atarnitæ. Ægyptii *paluſtres quomodo huic malo medeantur. Conopæa reticulati operis ad arcendos culices. Conopæa* Cleopatræ. Tiberiadenſes *quomodo infantes à culicibus liberent. Fabulæ* Judaicæ *de* jatthus, *ſeu culice qui in nares* Titi *ingreſſus cerebrum ejus toto ſeptennio convulſit.* Arabes *de* Socaina *culice* Nimrodis *idem narrare.* ὀψίλιω *culex, qui ex caprifico vel ex palma oritur.* Ariſtoteles *emendatus. Sexus in caprifico, ficu, & palma obſervatur. Per hos culices fructus ad maturitatem perduci. Culices in ulmo nati, & robore, & ficu,* cnipes, *vel* ſcnipes *nomine, qui pſenes vorant.* Heſychius *emendatus. Hic culex* Arabicè بقة bakka. *Arbor* albak *non eſt arbor cimicum, ut volunt, ſed culicum, Tamen* البق albak *etiam eſt cimex. In* Galeno *vermes vitibus infeſtos malè vocari* σκνίπας *pro* ἶπας Græca *verſio* σκνίπας *habet pro* Hebræo כנים.

CUlex generale nomen apud *Græcos* vetuſtiores nullum habuit. Nam κώνωψ, quo paſſim utuntur pro generali nomine, pertinet ad certam ſpeciem, ut poſtea dicemus. Et βύτζα culicis nomen recens apud *Moſchopulum*, & alios, eſt *Arabum* بعوضة baudſa, qui de culice mira dictitant. In his *Alkazuinius*, هو الحيوان في غاية الصغر على صورة الفيل وكل عضو خلق الفيل فالبعوض مثله مع زيادة جناحين انظر الي صغر جسمة

جسمه فان الطرف بالشده لا يدركه لصغره ثم الي راسه فان راسه لم يكن من جسمه وفيه القوة الباصرة والشامعة ثم الي دماغه وانظر كم يكن دماغه من راسه فان فيه القوة الباطنة الخمس فيها الحس المشترك لانها تري الحيوان يمشي اليها وفيها الخيال لانها اذا وقعت علي الحيوان تغمس خرطومها واذا وقعت علي الحايط لا تفعل ذلك ومنها الوهم لانها يعرف بين من يقصده فهرب وبين من لا يقصده فيبقا وفيها الحافظة لانها اذا اخذت الدم تهرب في الحال لعلمها فانها وجعت فيتبعها صدمها المتالم وفيها المتفكرة لانها اذا احست بحركة يد الانسان تهرب لعلمها انها مهلكها واذا سكن يده عادت الي مكانها لعلمها ان والمنا في ذهب وله خرطوم انق شي يكون ومع دقته مجوف حتي يجري فيه الدم الرقيق وخلق في راسه ذلك الخرطوم قوة يضرب بها جلد الفيل والجاموس ينفذه فيها والفيل والجاموس يهربان من البعوض في الما *Eſt animal, quod in minima ſtatura formam habet elephantis. Et quidquid elephanti, culici pariter natura contulit cum alarum auctario. Attende ad parvitatem corporis ejus, qua tanta eſt, ut viſus, quantumvis intendatur, eum* (volantem) *non aſſequatur. Deinde caput* (reſpice,) *quod corporis illius caput eſſe non videatur. In eo enim eſt videndi facultas, & audiendi. Tum de cerebro cogita, & præ capite quantum illud ſit: & ibi latere facultates quinque interiores. In eo ſcilicet eſt ſenſus communis, quia videt animal ad ſe venire. 2. Et imaginatio, quia, cùm incidit in animal, promuſcidem ſuam in illud immergit, neque idem facit, cùm incidit in parietem. 3. Et eſt virtus æſtimativa, quâ diſcernit ſe inſequentem ab eo, qui ſe non inſequitur. Ab illo enim fugit, & coram hoc in loco ſuo manet. 4. Facultas quoq; eſt conſervans* (ſeu memoria.) *Quippe, cum ſuxit ſanguinem, fugit illico, tanquam ſibi conſcius ſe dolorem intuliſſe, ne pœnas repoſcat, qui læſus eſt. 5. Eſt & vis cogitativa. Unde eſt, quòd fugit cùm ſentit motum manûs humanæ, ut qui ſciat eam ſibi eſſe pernicioſam. Sed, quamprimùm quievit manus, redit ad locum ſuum, quia ſcit id abiiſſe, quod exitium ſuum machinabatur. Promuſcidem habet tenuiſſimam, ſed cum tenuitate ſua concavam, ut per illam defluant partes ſanguinis tenuiſſimæ. Et capiti ejus indita promuſcis illa tam valida eſt, ut, cùm ferit elephantis, aut verò bubali, corium illud penetret. Proinde elephas, & bubalus, ut culicem vitent, ad aquas fugiunt,* &c. *Damir* multò plura habet hujus generis, quæ exſcribere jam non libet, cùm et vulgò notiora, ita longè meliora ſint hæc *Plinii* libri undecimi capite ſecundo, *Ubi tot ſenſus* (Natura rerum) *collocavit in culice?* &c. *Ubi viſum in eo prætendit? ubi guſtatum applicavit? Ubi odoratum inſeruit? Ubi vero truculentam illam & portione maximam vocem ingeneravit? Quâ ſubtilitate pennas adnexuit? prælongavit pedum crura? diſpoſuit jejunam caveam, uti alvum, avidam ſanguinis, & potiſſimùm humani, ſitim accendit? Telum verò perfodiendo tergori quo ſpiculavit ingenio? Atque ut incapaci concerni non poſſit exilitas, ita reciprocâ geminavit arte, ut fodiendo acuminatum pariter, ſorbendoque fiſtuloſum eſſet.*

In his notanda quæ dicuntur de parvitate culicis. Quia in *Chriſti* Adagio de *Phariſæis Matth.* 23. v. 24. Οἱ διϋλίζοντες τὸν κώνωπα, τὴν δὲ κάμηλον καταπίνοντες, *Excolantes culicem, & camelum deglutientes*, quo eos ſignificat in minutulis ita fuiſſe ἀκριβοδικαίους, ut interim ea negligerent, quæ ſunt majoris momenti, & in quibus propriè poſita eſt vera pietas: In illo, inquam, Adagio camelo culex opponitur, ut minimum animal maximo. Alius elephantem maluiſſet, ut *Libanius* ad *Caſilum*; Οἷον κώνωψ ἐλέφαντι παραβαλλόμενος, *Inſtar culicis elephanti collati.* Sed quia *Judæis* camelus elephante notior erat, vel ipſe *Chriſtus*, vel quiſquis alius ante *Chriſtum* Adagii fuit auctor, maluit ſimilitudinem ex re maximè obvia, id eſt, ex camelo, ducere, cui culex oppoſitus, ſi non eſt abſolutè minimum animal, ſaltem unum eſt è minimis. Unde *Poëta in Culice,*

Parvulus hunc prior humoris conterret alumnus.

Et in ejuſdem Epitaphio,

Parve culex, &c.

Et *Martialis* de tenuiſſima illa *Pauli* phiala, libri octavi *Epigrammate* trigeſimo tertio,

Illa poteſt culicem longè ſentire volantem.

Quaſi tam tenuem eſſe dicat, ut, aëre culicis volatu impulſo, etiam eminùs agitetur. Et *De Lupi prædiolo* libri undecimi *Epigrammate* decimo nono,

Conſumpto moritur culex ſalicto.

Quaſi ne culici quidem paſcendo ſufficiat ſalictum. In quibus locis culicem patet pro re minima uſurpari. Sed, cum multæ ſint culicum ſpecies, notandum eſt in *Matthæo* τὸν κώνωπα propriè *vinulam* ſignificare, quomodo vocat *Scaliger*, id eſt, *vinarium culicem*, qui ex vino aceſcente natus, eodem alitur, atque paſcitur. Hinc *Ariſtoteles Hiſtoriæ* libri quinti capite decimo nono, Οἱ δὲ κώνωπες ἐκ σκωλήκων, οἳ γίνονται ἐκ τῆς περὶ τὸ ὄξος ἰλύος· *Vinulis* (ſeu vinariis culicibus) *origo eſt ex vermiculis, qui ex aceti fæce oriuntur.* Et libri quarti capite octavo, ὁ δὲ κώνωψ πρὸς οὐδὲν γλυκὺ προσπέτεται, ἀλλὰ πρὸς τὰ ὀξέα· *Vinarius culex non advolat ad dulce quidquam, ſed ſolum ad acida.* *Plutarchus* quoque contra *Stoicos*, Χαίρουσι δὲ (οἱ κώνωπες) λάμπῃ, καὶ ὄξει· τὸν δὲ πότιμον καὶ χρηστὸν οἶνον ἀποπετόμενοι φεύγουσιν· *Spuma vini & aceto vinulæ gaudent: poculentum vero & ſuave vinum avolantes fugiunt.* Et *Sympoſiacῶn* libri quarti capite primo idem vini meminit ἀχρειοτέρου, ὃν πίθου κυνώπων χορῷ ἐκκεχυμένου, *acerbioris, ex dolio, quod vinariorum culicum*

culicum chorus circumſtrepit. Sed & libro ſexto Geoponicω̃n Anatolius, poſt calcatas uvas, torcular diligenter abſtergi jubet, quia reſiduus humor conculcatum fructum corrumpit, καὶ τὸ κώνωπα ποιεῖ, & vinarium culicem generat. Non me latet τὸ κώνωπα ſæpe latius pro quovis culice ſumi. Sed in Evangelio propria vocis ſignificatio retinenda eſt, quia agitur de culice, qui percolatur, id eſt, qui in vinum delapſus ex eo percolato eximitur. Vinum ſcilicet apud Judæos in colo, vel in ſudario, percolare moris erat, ne culex, aut aliud animalculum per legem prohibitum tanquam immundum, ab incautis abſorberetur. Unde Græci interpretes Amos 6, 6. Οἱ πίνοντες τὸν διυλισμένον οἶνον, Qui bibunt vinum percolatum, pro Hebræis, השותים במזרקי יין, οἱ πίνοντες ἐν φιάλαις οἶνον, qui vinum in phialis bibunt. Quomodo rectè redditur Juſtinus in Dialogo cum Tryphone Judæo: ſed Seniores pro במזרקי bemizreke, in phialis, legiſſe videntur במזקקי bemizkeke, in colis ſupple מזקק mezukkak, percolatum. Et Talmudici Tractatu De Sabbatho cap. 10. fol. 139. b. מסננין את היין בסודרין, Qui vinum in ſudariis percolant. Et in Cholin cap. 3. fol. 67. a. יבחושין שסוננן Jabchusin quos percolant: ubi Gloſſa voce יבחושין jabchuſin, ſignificari ait כמין יתושין דקין הנמצאות במחבות של יין, genus culicum puſillorum, qui in vini fæcibus reperiuntur. Itaque יבחושין jabchuſin, Talmudicis id ipſum ſunt, quod Græcis κώνωπες. Et videntur ſic appellari, quia vino immixti ſunt. Illis enim בחש bachas, miſcere eſt. Sunt, qui, addito Epitheto, vocent יבחושין אדומין, jabchuſin rubros. Ut in Nidda fol. 22. a. & in Zebachim fol. 22. a. Ubi rurſus Gloſſator יבחושין ſcribit creſcere בשולי חביות של יין שלנו מבחוץ, in fundo doliorum vini noſtri extrinſecus. Ad eoſdem hæc Maimonidis pertinent in Tractatu De cibis vetitis cap. 2. art. 20. המסנן את היין או את החומץ או את השכר ואכל את היבחושין או את היתושין והתולעות שסנן לוקה, Qui colat vinum, aut acetum, aut ſiceram, & comedit Jabchusin, aut culices, & vermiculos, quos percolavit, vapulat. Itaque Chriſtum ad hunc ritum alluſiſſe palam eſt, cum Scribas & Phariſæos culices percolare dixit: atque hic τὸν κώνωπα propriè vinarium culicem ſignificare, quomodo in Ariſtotele, Plutarcho, & Anatolio. Obiter obſervandum eſt, Arabem hic habere الذين يتركون البعوضة qui omittunt culicem, inſigni mendo. Nam pro يستركون jatbruchouna, omittunt, legendum يروقون juravvicouna, excolant. Ut Amos 6. v. 6. الخمر المروقة eſt vinum excolatum, voce Avicennæ & Medicorum aliis perquam familiari, quam tamen imperiti Scribæ ideò corruperunt, quia non intelligebant.

Aliud culicis genus ἐμπίδες in aquoſis locis naſcitur. Ariſtophanes in Lyſiſtrata,

Οὐκ ἐμπὶς ἐστὶν ἥδε Τρικορυσία;

Nunquid hæc eſt empis Tricoryſia? id eſt, culicis majoris genus, quales in Attica pago Tricorytho, qui locus erat nemoroſus, & uliginoſus. Scholiaſtes apud me manu-ſcriptus, neque dum editus: Ἐμπὶς ζῷον κώνωπι παραπλήσιον, ὡς ἐν Τρικορύθῳ (lege Τρικορύθῳ) πολλῶν ἐμπίδων γινομένων· ἔστι γὰρ ἀλσώδης, καὶ κάθυγρος. Empis eſt animalculum culici vinario ſimile (Tricoryſiam Poëta dicit) quia Tricorythi multæ ſunt. locus enim eſt nemoroſus, atque humidus. Quod ipſum ſequitur Suidas in Τρικορυσία Apud Philoſophum Hiſtoriæ libri quinti capite decimo nono. Αἱ ἐμπίδες γίνονται ἐκ τῶν ἀσκαρίδων· αἱ δὲ ἀσκαρίδες γίνονται ἐν τῇ ἰλύϊ τῶν φρεάτων, καὶ ὅπου ἂν σύρρευσις γίνηται ὕδατος, γεώδη ἔχουσα ὑπόστασιν. Empides ex vermibus generantur, quibus origo eſt ex limo puteorum, vel cujuſcunque aquarum confluxûs, in terrenam ſubſtantiam concreſcente. Proinde vetus Ariſtophanis Scholiaſtes in Nubes, & in Aves, ἐμπίδας definit, εἶδος κώνωπος παραποτάμιον, culicis genus ad amnes degens: & ζῷον περὶ τοῖς ὕδασι γινόμενον, ὅμοιον τῷ κώνωπι, animal vinario culici ſimile, quod ad aquas naſcitur. Id Hebræis propriè יתוש jatthus. Eſt enim culicis ſpecies: & definitur in Aruch, רחש שגדל במים inſectum in aquis creſcens. Scribitur יתוש jatthus, pro ינתוש janthus; Nun latente in Daghes. Fit enim à Verbo נתש nathas, quod Hebræis, Chaldæis, & Arabibus, vellere & vellicare ſignificat. Unde in Giauhari, & Alcamus نتش اللحم traxit mordendo vulſitque carnem. Quod horum culicum proprium; qui Anthologiæ libro ſeptimo à Meleagro vocantur

Ὀξυβόαι κώνωπες, ἀναιδέες, αἵματος ἀνδρῶν
Σίφωνες ———

Acute clangentes culices, impudentes, ſanguinis virorum ſiphones. Hebræi יתוש jatthus, dicunt elephanto eſſe terrori, אימת יתוש על הפיל. Ità habetur in Tractatu Talmudico De Sabbatho cap. 8. fol. 77. b. Et, ſi creditur Baal Aruch, נכנס לו בטבורו ומפחידו ingreditur ipſi in umbilicum, & terret eum. Sed in Achille Tatio timet elephas, ne culex in aures penetret. Ibi enim elephas à leone rogatus, cur aures haberet in perpetuo motu, reſpondet, oſtenſo culice circa caput ſuum volitante, Ὁρᾷς τουτὶ τὸ βραχὺ τὸ βομβοῦν; ἢν εἰσδύῃ μου τῇ τῆς ἀκοῆς ὁδῷ, τέθνηκα. Vides bombilantem hanc beſtiolam? ſi in aures meas ingrediatur, peris. At apud Theodoretum libri ſecundi Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ capite vigeſimo ſexto, Rege Sapore Niſibin obſidente, Τῶν σκνιπῶν, καὶ τῶν κωνώπων τὰ νέφη τῶν ἐλεφάντων τὰς προνομαίας αὐλοειδεῖς πεφυκυίας ἐπλήρουν, ciniphum & culicum nubes cavas elephantorum promuſcides impleverunt. Quomodo Gloſſa Talmudis ad locum, quem citavimus, יתוש נכנס בפיל בחוטמו, Jatthus in elephantis promuſcidem ingreditur. Arabs, quem ſuprà citavi, ſcribit elephantos in hoc metu ad aquas confugere, in quibus nempe ſe immergant, ut culicum impetum evitent. Idem de bubalis ibidem habetur. Et Talmudici, ubi ſuprà, מט חורא אריכא גנובתיה משום דדייר באגמי ובעי לכרכושי בקי Quorſum bovi longior eſt cauda? Quia in paludoſis locis degit, & culices vult abigere. Ibi enim בקי bakke, ſunt יתושין jatthuſin, (id eſt, ἐμπίδες) ut habet Gloſſa. Proinde in Heſychio βούτυπος, bovicida, eſt εἶδος ζῴου καλουμένου ἐμπὶς animalis genus, quod vocatur EMPIS. Aliud culicis genus mulio dici putatur, quia mulis infeſtus eſt. Plinius tamen nonniſi de apibus ſcribit libri undecimi capite decimo octavo, Impugnant eas è culicum genere, qui vocantur muliones. Et libri trigeſimi cap. decimo ſexto, Eos, qui arborarii pici roſtrum habeant, & mella eximant, ab apibus non attingi. Nec plura habet de mulione, niſi quod paulo ante tradit in culicum genere muliones non amplius, quam uno die vivere. Quale eſt Talmudicum illud in Cholin. fol. 58. b. לית בקא בר יומא ולית ריבבא בת שתא, Non eſt bakka (ſeu culex) qui in unum diem, nec muſca, qua in unum annum vivat. Eſt & culicis genus Hebraicè מפגיע maphgia, dictus ab occurſando; quia ſolus audet leoni occurrere. Hinc Talmudici, אימת מפגיע על ארי, Maphgia terror eſt ſuper leonem. Et ibi Gloſſa, מפגיע חיה קטנה וקולה גדול ושומע ארי וירא שתהא בריה גדולה ובורח, Maphgia eſt beſtiola valde ſonora vocis; quâ auditâ, leo fugit, tanquam metu feræ majoris. Achilles Tatius lib. 2 Ἐμπίπτει τῷ λέοντι (ὁ κώνωψ) καὶ εἰς τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐμπηδᾷ, καὶ εἴ τι ἄλλο ἄτειχον τῶν

(a) al. καταυλῶν.

προσώπων, ἀξιόπλάμενος ἅμα, καὶ τῷ βόμβῳ (a) καταχῶν. *In leonem incidit culex, & oculos ejus invadit aliasque facies partes, quæ pilis carent, circumvolans, & bombum edens.* *Marcellinus* lib. 18. de *Meſopotamiæ* leonibus, *Magnitudine culicum agitantur, quorum examinibus per eas terras referta ſunt omnia. Et quoniam oculos, quaſi humida & lucentia membra, eadem appetunt volucres, palpebrarum libramentis mordicus inſidentes, iidem leones cruciati diutius, aut fluminibus merſi ſorbentur, ad quos remedii cauſâ confugiunt, aut amiſſis oculis, quos unguibus crebro lacerantes effodiunt, ſummanius efferaſcunt.* *Quod ni fieret univerſus Oriens hujuſmodi beſtiis abundaret.* Hoc præcipuum, quod leones in *Rhizophagis* culicum voce fugari teſtantur idonei ſcriptores. *Agatharchides* libri quinti capite vigeſimo ſecundo, Ὑπὸ δὲ τὴν ἐπιτολὴν τοῦ κυνὸς γίνεται κωνώπων πλῆθος ἄπλετον, &c. ὑφ' ὧν καὶ οἱ λέοντες ἐκτοπίζονται, οὐχ οὕτως ὑπὸ τῶν δηγμῶν δηλούμενοι, καίπερ ὄντος ἰσχυροῦ, ὡς τὸν ἀπὸ τῆς φωνῆς ἦχον ἀδυνατοῦντες φέρειν. *Sub Canis ortum naſcitur culicum immenſa copia, à quibus leones etiam pelluntur, non tam morſu vexati, quamvis moleſto ſatis, quam quia ſonum vocis ferre non poſſunt.* *Diodorus* quoque libro tertio leones ex iis locis fugere narrat, ἅμα μὲν ὑπὸ τῶν λιμῶν (lege ὑπὸ τῶν δηγμῶν, ut in *Agatharchide*) κακουχουμένους, ἅμα δὲ τὸν ἀπὸ τῆς φωνῆς ἦχον καταπεπληγμένους, *tam morſu* (culicum) *malè affectos, quam vocis illorum ſono territos*: quod ipſum de *maphgia Hebræi* ſcribunt. Neque dubium, quin hi culices fuerint in genere τῶν ἐμπίδων, quia naſcebantur in paludibus, quorum incolæ erant *Rhizophagi*, unde & Ἑλεῖοι, id eſt, *paluſtres* appellabantur. Vide *Strabonem*, & alios.

Eadèm animalcula hominibus ſunt maximè infeſta. Nam illos ipſos *Rhizophagos* tandem è paludibus ſuis alio migrare coëgerunt κωνώπιά τινα ἐκπληκτικὰ *culices quidam terribiles*: & regio tota deſerta manſit. Ita *Ælianus* libri decimi ſeptimi capite quadrageſimo. Et *Pauſanias* in *Achaicis* idem *Myuſiis* accidiſſe narrat, quorum cum urbs & ager ad *Mæandri* oſtium eſſet prope ſinum non magnum, τοῦτον λίμνην ὁ ποταμὸς ἐποίησεν ὁ Μαίανδρος, ἀποτεμόμενος τὸν ἔσπλουν τῇ ἰλύϊ. ὡς δὲ ἐγένετο τὸ ὕδωρ, καὶ οὐκ ἔτι ἦν θάλασσα, κώνωπες ἄπειροι ἐγίγνοντο ἐκ τῆς λίμνης, ἐς ὃ τοὺς ἀνθρώπους ἠνάγκασαν ἐκλιπεῖν τὴν πόλιν. *Eum ſinum* Mæander *fluvius, oſtio aquarum impetu oblimato, ſtagnum reddidit. Poſtquam igitur edulcuit aqua, neque amplius mare fuit, culices è lacu tanta copia enati ſunt, ut incolas urbem deſerere coëgerint.* Et paulò poſt ſequitur, etiam *Atarnitas*, qui ſunt infrà *Pergamum*, in eandem calamitatem incidiſſe. Paluſtres quoque *Ægyptios*, ut hoc vitent incommodum, alios refert *Herodotus* dormire in ſummis turribus, ad quas nè culices provolent ventus prohibet. Alios iiſdem retibus, quibus interdiu piſcantur, noctu cubile ſuum circumdare: & culices, qui ſindones, & veſtes ipſas, morſu penetrant, retium metu contineri. Itaque τὰ κωνωπεῖα *conopea* ad τοὺς κώνωπας, ſeu *culices*, arcendos facta, erant reticulati operis. *Juvenalis Satyrâ* ſextâ.

Ut teſtudineo tibi, Lentule, *conopeo*.

Et ibi *Scholiaſtes*, *Hoc eſt linum tenuiſſimis maculis* * *nanctum*, lege *textum*, aut tale quid. Horum uſum ab *Alexandrinis Romani* didicerant. Itaque *Cleopatræ* conopeum *Romani Poetæ* inter ea cenſent, quæ erant peregrini moris. Et de illa *Propertius* lib. 3.

Auſa Jovi *noſtro latrantem opponere* Anubim,
Et Tiberim Nili *cogere ferre minas.*
Romanamque *tubam crepitanti pellere ſiſtro,*
Baridos, *& contis noſtra* Liburna *ſequi*
Fœdaque Tarpejo *conopea tendere ſaxo*, &c.

Et *Horatius Epodωn* Oda nona, quæ eſt de bello *Actiaco*, quod à *Cæſare* cum *Antonio* & *Cleopatra* geſtum eſt.

Romanus (*eheu! poſteri negabitis*)
Emancipatus fœmina,

Fert vallum & arma miles, & ſpadonibus
Servire rugoſis poteſt.
Interque ſigna turpe militaria
Sol aſpicit conopeum.

Circa *Tiberiadem*, ubi lacus eſt notiſſimus, ex quo oriuntur multi culices, *Hebræi* timuiſſe videntur, ne per naſum, aut aures in infantum caput penetrantes cerebrum eorum convellerent. Hinc in *Bereſith Rabba* Sectione trigeſimâ quartâ dicunt *Tiberiadenſes*, כי ינוקא מתיליד אנא גבלין ליה אדמדמני וטושין מוחיה דלא יכלוניה יתושיא *Cum infans natus eſt, maſſam ei ſubigimus ex uvis immaturis, & cerebrum ejus* (id eſt, caput) *inungimus, ne mordeant illud* jattuſia, id eſt, αἱ ἐμπίδες.

Quomodo a *Judæis* nugivendis narratur יתוש *jatthus*, in *Titi* nares irrepſiſſe, & cerebrum ejus toto ſeptennio convulſiſſe. *Talmudici* in Tractatu *Gittin* cap. 5. fol. 56. b. בא יתוש ונכנס בחוטמו נקר במוחו שבע שנים, *Venit* jatthus, *qui in nares ejus ingreſſus, illius cerebrum perfodit per ſeptem annos.* Et paulo poſt, אר' פנחס בן ערובא אני הייתי בין גדולי רומי וכשמת פצעו את מוחו ומצאו בו כצפור דרור משקל שני סלעים במתניתא תנא כגוזל בן שנה משקל שני ליטרין אמר אביי נקטינן פיו של נחושת וציפורניו של ברזל, *Dixit* R. Phinees Arubæ *filius, Fui inter magnates* Romæ, *ubi, cum mortuus eſt, cerebrum ejus aperuerunt, & in eo repererunt tanquam hirundinem ponderis duorum ſiclorum. In* Miſna *traditur tanquam columbæ pullum bilibrem.* *Dixit* Abjai, *Accepimus os ejus fuiſſe æreum, & ungues ferreos.* Imo hos impoſtores ferrei oris fuiſſe oportet, quibus tamen multi ſuffragium addunt. Nam id ipſum legitur in *Bereſith Rabba* capite decimo, כין שעלה לרומי נכנס למרחץ כין שיצא הביאו פיילא פוטירין של יין לשתות ונכנס יתוש בתוך חוטמו והיה נוקר את מוחו והלך עד שעשה גדול כמו גוזל של שתי ליטראות והיה צווח ואומר פצעו מוחו של אותו האיש ודעו במה אלהיהם של יהודים נפרע מאותו האיש מיד קראו לרופאים ופצעו מוחו והוציאוהו כגוזל של שתי ליטראות אמר ר' אליעזר בר יוסי אנא צבא חמיתיה ברומי תרתין ליטרין, *Cum Romam rediit, in balneum ingreſſus eſt, ex quo cum exiit, allatum eſt ipſi vini poculum, ex quo biberet. Et ingreſſus eſt* jatthus (ſeu *culex*) *in nares ejus, qui in cerebrum uſque penetrans ità crevit, ut ad magnitudinem pulli duarum librarum pervenerit. Et ejus cerebrum aperiri juſſum eſt, ut videretur quomodo* Judæorum *Deus in illum animadvertiſſet. Medici igitur ſtatim vocati ex aperto cerebro eduxerunt tanquam pullum bilibrem. Dixit nempe* R. Eliezer *filius* Joſe *ſe illum* Romæ *vidiſſe, & fuiſſe duarum librarum.* Nec diſſimilia reperias in *Vaikra Rabba* capite vigeſimo ſecundo, & in *Midras Koheleth* capite quinto. Sed & *R. Eliezer* in *Capitulis* ſectione quadrageſimâ nonâ idem prodigium his verbis refert, טיטוס הרשע נכנס לבית קדש קדשים ואמר אין צר ואויב יכול לפני מה עשה הקב"ה שלח עליו יתוש אחד ונכנס לתוך חוטמו והיה מהלך עד שהגיע למוחו ונעשה כגוזל בן יונה משקל שני סלעים להודיעו שאין גבורתו מאומה, *Impius* Titus *domum Sanctuarii ingreſſus dixit, Nullus eſt hoſtis, aut adverſarius, qui poſſit coram me conſiſtere. Quid fecit Deus Sanctus Benedictus? Miſit in eum culicem unum, qui nares ejus ſubiens, uſque ad cerebrum penetravit, & factus eſt ut columbæ pullus ponderis duarum librarum, ut doceret potentiam ejus nihil quidquam eſſe.* Sed tam putidi commenti puduit poſteriores. Proinde in *Chronologia R. Ganz* libro ſecundo quidam negant,

gant, hæc ad literam eſſe ſumenda. Et *R. Azarias* in ſuo *Meor enajim* libri tertii capite decimo ſexto, poſtquam multis rationibus Phyſicis, ac Hiſtoricis, hanc fabellam confutavit, tandem ità concludit,

ובכן כל מעשה טיטוס הנזכר יכול ורשאי אתה לומר כי ספורו איננו רק המצאה ואופן למוד נהוג אצל תמימי הדעת ליסוד בלב ההמון כי גדול אדונינו ורב כח להשיב את מתקוממיו ובפרט אל כל זד יהיר גמול ועונש אף על ידי הקטנה שבבריאותיו, *Itaque de Hiſtoria* Titi *ſupra memoratâ liberè potes dicere, narrationem ejus nihil aliud eſſe, quàm apologum, & modum docendi apud doctos uſitatum, ut in animis vulgi hoc ſtabiliatur, maximum eſſe, & potentiſſimum Dominum noſtrum, ut iis qui adversùs ipſum inſurgunt, & ſuperbis maxime pœnas meritas infligat, etiam per minimam quamque creaturam.* Ex quo ſpecimine colliges, quæ fides adhibenda ſit *Judæorum* narrationibus. De *Nimrode Arabes* non diſſimilia fabulantur. *Alcamus*, السكينة الاتان واسم البقة الداخلة انف نمرود وصحابي Socaina, *aſina, & nomen culicis, qui ingreſſus eſt in nares* Nimrodis, *& ſociorum ejus.*

Hæc de culicibus, qui vel ex vino, vel ex aquis, oriuntur. Tertium genus eſt arborarium: ut ὁ φθεὶρ ex pinu naſcens, ὁ ψὴν ex caprifico, vel ex palma, & κνὶψ, vel σκνὶψ, ex ulmo, quercu, & ficu. De primo ſic *Euſtathius* in *Catalogo Iliad.* β'. Ὁ δὲ ἰθυτενέφθορος ... φθειρῶν ὄρος Καρίας, οἱ κατοικοῦντες φθεῖρες. οἱ δὲ Σχολιασταὶ οὕτω. Φθειρὼν, ὄρος Καρίας περὶ Μίλητον, πολλὰς ἔχον πίτυς, ὧν τὰ ἐξανθήματα οὕτω καλεῖται ὡς ὅμοια φθειρσίν. οἱ δὲ δίρκοι λέγονται, ὡς δηλοῖ Παυσανίας ἐν τῷ κατ' αὐτὸν λεξικῷ εἰπών, Δίρκοι οἱ φθεῖρες. *Auctore* (Stephano) *eo qui de Gentibus ſcripſit*, Phthir *eſt* Cariæ *mons, cujus incolæ* Phthires. *Ad quem ità* Scholiaſtæ, Phthiron *mons* Cariæ *circa* Miletum, *multas pinus habens, unde quæ efflorеſcunt ſic appellantur, quia ſunt pediculis ſimilia, qui etiam Dirci dicuntur, ut in* Lexico *ſuo docet* Pauſanias, *&c.* De his pediculis aliud non reperio. De pſene ſic *Philoſophus Hiſtoriæ* libri quinti capite trigeſimo ſecundo, Οἱ δὲ ῥῆνες οἱ ἐν τοῖς ἐρινεοῖς ἔχουσι τοὺς καλουμένους ψῆνας, lege οἱ δὲ ἄῤῥενες & τοὺς καλουμένους ψῆνας, *mares in caprificis culices habent, quos pſenas vocant.* Nam in his arboribus, ut in palma, ſexus obſervatur. Nec deſunt, qui caprificos omnes pro maribus habeant, & ficus pro fœminis. *Heſychius*, Ἐρινάδες, ὀλυνθοι, ἡ συκαῖ ἄῤῥενες. Item, Ἐρινὸς θῆλυς (ὄλυνθος) ἡ συκῆ ἄῤῥην. Et tam ficum, quàm palmam fœminam à mare juvari docet *Theophraſtus*, cùm de utraque dicit *Hiſtoriæ* libro ſecundo ferè in fine: Φαίνεται δὲ ἀμφοῖν ἀπὸ τοῦ ἄῤῥενος ταῖς θηλείαις βοήθειαν γίνεσθαι. Idem *De cauſis plantarum* libri ſecundi capite duodecimo & decimo tertio multis docet, quomodo Οἱ ψῆνες οἱ ἐκ τῶν ἐρινεῶν τῶν ἐπικρεμαννυμένων γινόμενοι, διοίγωσι τὰ ἐπὶ τῆς συκῆς, *pſenes* (id eſt, *culices*) *qui ex caprificis appenſis nati ſunt, poma fici aperiant.* Ità de palmis *Herodotus* libro tertio, Ψῆνας γὰρ δὴ φέρουσι ἐν τῷ καρπῷ οἱ ἔρσενες, καθάπερ δὴ οἱ ὄλυνθοι. *Pſenas* (ſeu *culices*) *in fructu ferunt palmæ maſculæ ut caprifici.* Et paulò ante dixerat harum fructum alligari palmis fœminis, ἵνα πεπαίνηταί σφι ὁ ψὴν τὴν βάλανον ἐσδύνων, καὶ μὴ ἀπορρέῃ ὁ καρπὸς ὁ τοῦ φοίνικος, *ut pſen* (ſeu *culex*) *palmulam penetrans ad maturitatem perducat, neque palmæ fructus decidat.* Quæ eadem reperias *Athenæi* libro decimo quarto.

Eſt & aliud culicis genus ex ulmo naſcens. *Theophraſtus Hiſtoriæ* libri tertii capite decimo quarto, Ἐν ταῖς κωρυκίοις (ἡ πτελέα) τὸ κόμμι καὶ θηρία ἄττα κωνωποειδῆ φέρει. *In folliculis gummi fert ulmus, & animalcula quædam, quæ culicum ſpeciem habent.* *Dioſcorides* libro primo, de ulmo; *Humor, qui in prima foliorum productione in folliculis ejus invenitur, cui niorem vulnerâ affert*, ξηραινόμενον δὲ τὸ ὑγρὸν τοῦτο ἀναλύεται εἰς θηρία κωνωποειδῆ, *cùm vero exaruit humor ille in beſtiolas culicibus ſimiles reſolvitur.* At hi culices *Græcè* non vocantur ψῆνες, ut in palma, & caprifico, de quibus actum, ſed κνῖπες, vel σκνῖπες. Atque hi quidem etiam in robore & ficu gignuntur. Sed in ficu geniti cnipes pſenas vorant. Hæc omnia ex *Theophraſto*, qui de polio & ulmo dicit circa finem libri ſecundi *Hiſtoriæ* plantarum, Ἐγγίνεται γὰρ ἐν τούτοις θηρίδια ἄττα, κνῖπες, οἳ, ὅταν ἐν ταῖς συκαῖς γίνωνται, κατεσθίουσι τὰς ψῆνας. *In iſtis gignuntur beſtiolæ quædam cnipes nomine, quæ, cùm in ficu naſcuntur, pſenas comedunt.* Et lib. 4. cap. decimo ſeptimo, Ἐγγίνονται δὲ καὶ κνῖπες ἔν τισι τῶν δένδρων ὥσπερ ἐν τῇ δρυῒ, καὶ τῇ συκῇ. *Generantur etiam cnipes in nonnullis arboribus, ut in quercu, & ficu.* Et paulò poſt, Γίνονται δὲ καὶ ἐν λαχάνοις τισίν. *Gignuntur etiam in quibusdam oleribus.* Hinc *Heſychius*, Κνὶξ (lege Κνὶψ) ζῶον πτηνὸν ὅμοιον κώνωπι. KNIPS *animal alatum culici* (vinario) *ſimile.* In *Ariſtophanis Avibus* tam κνῖπες, quàm ψῆνες ficubus veſcuntur. Dicit enim *Piſthetærus*, Εἶθ' οἱ κνῖπες καὶ ψῆνες ἀεὶ τὰς συκᾶς οὐ κατέδονται. Et cnipes *culicum* nomine à *Plinio* & *Columellâ* deſcribuntur. Quorum ille libri decimi ſeptimi capite vigeſimo quarto, *Sunt*, inquit, *culicum genera aliquibus moleſta, ut glandibus, & fico.* Et libri decimi noni capite undecimo, *Infeſtant & culices hortos, rignos præcipuè, ſi ſunt arbuſculæ aliqua.* Et *Columella* libri duodecimi capite tertio, *Qui æſtate iſta ſeret, caveat, ne propter ſiccitates culex adhuc tenera folia prorumpentia conſumat.* *Arabicè* hic idem culex بق *bak* vel بقة *bakka* nominatur. *Abenbitar* capite دردار *Dirdar* (quomodo *ulmum* vocant *Perſæ*, & *Arabes*) سميت شجرة البق لانها تحمل نفاخات في شكل الحنظل مملوة رطوبة فاذا جففت وانفقات خرج منها دلك البق وهو البعوض *Vocatur arbor* ALBAK, *quia fert folliculos, inſtar colocynthidis humore plenos, qui cum exareſcunt, & diffinduntur, inde prodeunt hi* ALBAK, *qui ſunt culices.* Quod notandum non ſolùm in veterem *Avicennæ* interpretem, qui libro ſecundo *Canonis* reddit *arborem cimicum*: & in *Baal-Aruch*, cui פשפש בלשון ערבי בק, *cimex* Arabica *linguâ* BAK *dicitur.* Sed & in *Arabum* doctiſſimos, qui in eodem errore ſunt. Ità *Damir*, قال الجوهري البقة البعوضة والجمع البق وهو وهم والبق معروف هو الفسافس *Dixit* Giauhari *voce* BAKKA, *cujus Plurale eſt* BAK, culicem *ſignificari. Sed hic eſt error. Notum enim eſt* ALBAK *eſſe* cimices. Quin voce بقة *bakka culicem* ſignificari conſtat, non ſolùm apud *Arabes*, ut ſtatuunt *Giauhari*, & *Abenbitar*, ſed & apud *Hebræos*, & *Syros*. Vox enim eſt in *Talmude* frequens. Et eandem *Syrus* interpres pro *culice* uſurpat *Matth.* 23. *v.* 24. In *Gloſſa Talmudis* Tractatu *Cholin*, explicatur זנזלא *Zanzala*, quomodo *Itali culicem* vocant. Proinde fallitur vir doctiſſimus, qui putat eſſe *Gallicum chenille*, id eſt, *erucam*. Fatendum tamen eſt in *Avicenna* ſemel pro *cimice* adhiberi. Nempe libro tertio *Canonis*, *Fen.* 9. cap. 7.

cap. 7. ubi dicit الفسافس ضربا من البق الحمر الدموية الشبيهة بالقراد *cimices eſſe ſpeciem* ALBAK, *rubras, ſanguineas, ricinis ſimiles.* Quod videtur errori anſam dediſſe. Itaque cautioribus البق *albak* vox eſt æquivoca, quæ & *culicem* & *cimicem* ſignificat. *Alcamus*, البقة البعوضة والدويبة مفرطحة حمرا منتنة ALBAKKA, *culex*, *item animalculum latum, rubrum, fœtidum*, id eſt, *cimex.* Hinc in *Alſamio* alius eſt بق الخشب BAK *lignorum*, id eſt, *culex arborarius*; alius بق الحيطان BAK *parietum*, id eſt, *cimex*, qui ſæpe naſcitur in parietibus lecto proximis. Interim cùm *ulmus* vocatur *arbor* ALBAK rectè omnino monet *Abenbitar culicem* ſignificari. Neque enim cimices, ſed culices generat ulmus, ut abundè probavimus. Rurſus *e Avicenna* lib. 4. *Fen.* 6. tract. 3. cap. 12. طرد البعوض والبق malè redditur, *Effugatio culicum & cimicum.* Ibi enim البعوض & البق ſunt ſynonyma, & utrumque *culices* ſonat. Sed & *Græcum* σκνὶψ videbitur eſſe æquivocum, cùm à *Galeno* aliquoties uſurpetur pro vermiculo, à quo vites infeſtantur. Ut cùm dicit ἀμπελῖτιδα γῆν vitibus inunctam perdere τοὺς γιγνομένους ἐπ᾽ αὐτῶν σκώληκας, οὓς σκνῖπας ὀνομάζουσιν, *vermes ſcnipas nomine, qui in iis generantur*: & τοὺς (τῶν ἀμπέλων) ὀφθαλμοὺς διεσθίοντας σκνῖπας, *ſcnipes, qui vitium oculos comedunt.* Verùm enimverò docti rectè obſervant pro σκνῖπας legendum eſſe ἶπας, quomodo vocari conſtat *vermes vitibus infeſtos* à *Theophraſto*, & aliis. Unde eſt, quòd *Strabo* libro decimo tertio *Herculem* ἰποκτόνον ab *Erythræis* coli tradit, ὅτι φθαρτικὸς τῶν ἀμπελοφάγων ἰπῶν, *quia perditor ipes vermes, qui vites comedunt.* Ut *Ionibus* κῶς pro πῶς, & κοτὲ pro ποτὲ, ita ἴκες dicti pro ἶπες. Hinc *Alcman*, Καὶ ποικίλον ἶκα τὸν ὀφθαλμῶν ἀμπέλων ὀλετῆρα. Et *Heſychius*, ἶξ, θηρίδιόν τι ἀμπέλους ἐσθίον. Aliud igitur ἶπες, aliud σκνῖπες. De quo culicum genere hic ideò plura diximus, quia in *Moſe*, & *Pſalmis*, *Hebræum* כנים *Græci* σκνῖφας conſtanter reddunt. Unde auctor libri *Sapientiæ* capitis decimi noni verſu decimo, Ἐξήγαγεν ἡ γῆ σκνῖπα. Et *Philo* libro primo *De vita Moſis*, Φορὰ σκνιπῶν ἐχύθη (vel ἐχύθη potiùs.) Et *Origenes* in Homilia *De decem plagis*, *Et facti ſunt ſcinipes.* Hieronymus *ſciniphes*, vel *cniphes* exponit. Neque veterum *Patrum* ullus eſt, qui aliter ſumat. *Joſepho* tamen, & *Hebræis* omnibus, כנים ſunt *pediculi.* Itaque neceſſe eſt, ut has verſiones inter ſe conferamus: quod capite ſequenti fiet.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

De Pediculis.

Scnipes, ſeu ciniphes, à Patribus *ità deſcribi, ut videantur potiùs* ἐμπίδες *intelligi, ſeu* paluſtres culices. Niſibeni *culices unde nati. Horum meminiſſe* Arabes. *Culicis malleus, id eſt, aculeus, quàm gravis, ex* Talmudicis. *Nomine* כנים cinnim, pediculos *potiùs ſignificari.* 1. *Quia in* Ægypto *non orti ſunt ex aquis, ſed ex terra.* 2. *Quia erant in hominibus, & jumentis; quod de culice non dicitur.* 3. *Quia nomen* כנים à firmitate, & ſtabilitate *ductum, non convenit culici, ſed pediculo.* 4. *Quia* כנה cinna, Talmudicis *eſt* pediculus. 5. *Ad* Hebræum *alludunt* κόνις pro lende, & κονία *pro* minoribus pediculis. 6. *Ad* כנים *alludunt* Samaritanum ... Chaldæum קלמין & Arabicum قمل. 7. Joſephus, Chaldæi, Syri, Arabes, & Hebræi *omnes ſic reddunt.* 8. Alcoranus *etiam*, & Mahumetanorum *doctiſſimi. Cur* Exod. 8. v. 16. 17. *ad pediculos procreandos terra potiùs ab* Aarone *quàm à* Moſe *ſit percuſſa.* Hebræorum *commentum, quod refellitur. Vera ratio, cur* Ægyptios *Deus modò immediatè, modò per ſervos ſuos percuſſerit. Pediculi ex pulvere quomodo procreati. Pediculi tam beſtiis, quàm hominibus infeſti; herbis etiam, & vitibus. In ſolo homine plures pediculorum ſpecies. Pediculi inguinales, lendes, acari, ſeu* cirones, *alati in* Rhizophagis, *ricini. Cur hujuſmodi beſtiolis uſus ſit Deus in* Ægyptiorum *perniciem. Sacerdotes* Ægyptii *à pediculis quanto ſtudio ſibi caverint, tanquam in hujus plagæ memoriam.* Magi *cur* Hebræis חרטמים hartumim. *Varia vocis origines ab aliis allatæ. Sententia auctoris. Murmura Magica.* Heth *initiale ſæpe perit.* Mem *in* Nun *ſæpe mutari.* חרטם hartum, *propriè* λυκοειδής. לט lat, *id eſt*, ſecretum murmur, & חרטם *correlata.* Magi علما ulama, Arabibus. *Inde* Elymas *Act.* 13. *vel ab* Elymæis *populis. Ad* חרטם hartum, *alludit* Ἄρτεμις, Diana, *ſeu* Hecate, *quam Magi invocabant. Magorum principes* Jannes & Jambres, 2. *Tim.* 3. *v.* 9. Magi ità fecerunt, *id eſt*, facere conati ſunt. *Scripturæ Phraſis. Cur Magi non potuerint pediculos procreare.* Hebræorum *ratio futilis, quæ refellitur. Vera ratio. Magi tribus quaſi gradibus dejecti.* Digitus Dei *quid in Scriptura. Non opponitur* manui, *ſed pro* manu *ſumitur. Magi fatentur ſe eſſe* θεομάχους. *Pediculi per totam* Ægyptum, *non tamen in terra* Goſen. *Loca Scripturæ, quæ nonnulli ad pediculos referunt.* Arabica *verſio emendata* Pſal. 77. v. 51. & Græca Jerem. 43. v. 12. Antiochum & Herodem *vermes eroſerunt, non pediculi.*

De ſcnipe ſic *Philo* libro primo *De vita Moſis*, Τὸ δὲ ζῶον, εἰ καὶ βραχύτατον, ὅμως ἀργαλεώτατον· οὐ γὰρ μόνον τὴν ἐπιφάνειαν λυμαίνεται, κνησμοὺς ἐμποιοῦν ἀηδεῖς, καὶ βλαβερωτάτους, ἀλλὰ καὶ εἰς τὰ ἐντὸς βιάζεται διὰ μυκτήρων, καὶ ὤτων. εἰσέδυεται δὲ καὶ κόρας ὀφθαλμῶν εἰσπετόμενον, εἰ μὴ φυλάξαιτό τις. *Animal eſt minutiſſimum, ſed moleſtiſſimum tamen: neque enim ſolam ſuperficiem lædit injucundos & valde noxios pruritus excitans, ſed & in interiora per aures nareſque penetrat. Oculorum quoque pupillas infeſtat involans, niſi quis ſibi caveat.* Et *Origenes* Homiliâ tertiâ in *Exodum*, *Hoc animal pennis quidem ſuſpenditur per aëra volitans: ſed ità ſubtile eſt, & minutum, ut oculi viſum niſi acutè cernentis effugiat: corpus tamen, cùm inſederit, acerrimo terebrat ſtimulo: ità ut quem volitantem videre quis non valeat, ſentiat ſtimulantem.* Et *Auguſtinus*, vel quiſquis eſt, in libro *De convenientia decem præceptorum & decem plagarum*: *Ciniphes natæ ſunt in terra* Ægypti *de limo, muſcæ minutiſſimæ, inquietiſſimæ, & inordinatè volantes, non permittentes homines quieſcere. Dum abiguntur, iterùm irruunt,* &c. Proinde cùm *Perſarum* Rex, *Sapores*, *Niſibin* obſideret, narrat *Theodoretus* Deum *Jacobi* Epiſcopi precibus flexum in eos immiſiſſe σκνιπῶν καὶ κωνώπων νέφος, *ſcnipum & culicum nubem*, qui cùm magnâ vi irrupiſſent,

ſent: οἵ τε ἄνδρες τοῖς θείοις κατετιτρώσκοντο βέλεσιν, οἵ τε ἵπποι, καὶ οἱ ἐλέφαντες, τὰ δεσμὰ διαῤῥήξαντες, ἐσκεδάννυντο, τῇ δὲ κακώσει σκεδαννύμενοι, καὶ φέρειν ἐκείνας οὐ δυνάμενοι τὰς ἀκίδας, *viri quidem divinis telis vulnerabantur, equi autem, ac elephantes, ruptis vinculis, cùm aculeos illos ferre non poſſent, huc & illuc diſperſi fugiebant.* Hæc ille in *vita Jacobi* ſic attigiſſe non contentus, refert multò pluribus *Hiſtoria Eccleſiaſtica* libri ſecundi capite vigeſimo ſexto. Quæ tamen nullus capio, niſi *ſcnipum* nomine κατ᾽ ἐξοχὴν intelligantur quivis *culices*, aut peculiariter *paluſtres*, qui aliis ἐμπίδες. *Scnipes* enim propriè dicti, cùm oleribus veſcantur, & fructu arborum, hominibus, & jumentis non ſolent eſſe infeſti. At paluſtres culices, qui ſanguine maximè aluntur, in locis, quæ ad Auſtrum vergunt, ſunt utriſque graviſſimi. Ità *Æthiopici* culices in *Rhizophagorum* paludibus orti, primò leonibus, deinde etiam incolis graves, loca illa prorſus deſolârunt. Et ex oblimato *Mæandri* oſtio nati culices *Myuſios* ex ſedibus ſuis pepulerunt. *Horatio Poëta*, ex *Appii* foro *Feroniam* per *Pontinas* paludes naviganti,

— mali culices, ranæque paluſtres
Avertunt ſomnos.——

Eoſdem quoque *Tiberiadenſibus*, qui ad lacum *Tiberiadis*, & *Ægyptiis*, qui ad *Nili* paludes degunt, moleſtos fuiſſe probavimus. Ac primùm ab *Alexandrinis* uſurpata fuiſſe conopea, quæ *culicaria* vocat *Juvenalis Scholiaſtes*, ut ſibi ab hoc malo quomodocunque caverent. Quod hodieque durare teſtatur *Bellonius Obſervationum* libri ſecundi capite trigeſimo quinto: *Nobis*, inquit, *in urbe* Cairo *noctu dormientibus tam infeſti erant culices, ut manè in facie apparerent tanquam rubra* ἐξανθήματα. *Itaque vel vultu operto ſub conopeis dormire neceſſe erat, aut in ſumma parte ædium.* *Niſibenos* quoque culices ejuſdem fuiſſe originis, valdè veriſſimile eſt. Tum enim, ut refert *Julianus Imperator* orationis primæ pag. 49. Ἐπῄρετο Μυγδόνιος πελάγιζων τὸ περὶ τὸ τεῖχος χωρίον, καθάπερ ὁ Νεῖλός φασι τὴν Αἴγυπτον· προσῆγετο δὲ ἐπὶ νεῶν τὰ ἑλεπόλεις τὰ μηχανήματα. Mygdonius *amnis in pelagi modum æſtuans campum mœnibus adjacentem inundaverat, ſicut* Nilus Ægyptum: *ità ut machina ad propugnacula navibus admoverentur.* Nempe alveum fluvii, qui *Niſibin* interſecat, ſupra urbem obſtruxerat *Sapores* ripis utrimque altiùs exaggeratis, ut fluentem aquam coërceret, atque eam ità collectam, velut machinam, in mœnia urbis immitteret. Ità narrat *Theodoretus*. Inde igitur facta eſt eluvies, ex qua nati culices *Jacobi* Epiſcopi precibus in hoſtiles copias converſi ſunt. Cujus miraculi memoria durat hodieque apud *Arabes*, qui in *Damire* narrant, ان بعض جبابرة الملوك بالعراق كان يعذب بالبعوض *Reges aliquos potentiſſimos in* Irak (*ſeu* Meſopotamia) *per culices fuiſſe punitos.* Et *Zamachſari* vult *Alcoranum* in *Surata vaccæ* huc alludere. Neque dubium, quin ad idem culicum genus pertineat, quod ſcribunt *Talmudici* in *Cholin* fol. 58. b. שיתין סני פרזל הלו ליה לבקא בקורנסיה *Sexaginta libra ferri ſuſpenſæ ſunt in malleo* (id eſt, aculeo) *culicis.* Quibus culicem innuunt tam graviter pungere, quàm ſi haberet aculeum multo ferro gravatum. *Seniores* igitur σκνιπῶν nomine, qui in *Ægypto* fuerunt ἐν τοῖς ἀνθρώποις, καὶ ἐν τοῖς τετράποσι, *in hominibus, & in jumentis*, videntur hos culices intellexiſſe. Qui quidem ἐμπίδες potiùs quàm σκνῖπες dicendi fuerant. Illis tamen placuit magis σκνιπῶν nomen, aut κνιπῶν, quia viſum eſt ad כנים *cinnim*, nonnihil alludere.

Sed *Græci* σκνιπῶν nomine quidquid intellexerint, *Hebræo* nomine כנים *cinnim*, puto *pediculos* potiùs quàm *culices* ſignificari. 1. Quia neque in σκνῖπας propriè dictos, neque in ἐμπίδας, ſeu *paluſtres culices* ſatis quadrant, quæ habet *Moſes* περὶ τῶν כנים *cinnim*. Non in σκνῖπας propriè dictos, propter rationes jam allatas; neque in *paluſtres culices*. 1. Quia כנים *cinnim*, è pulvere terræ orti ſunt, *Exod.* 8. *v.* 16. 17. At paluſtres culices locis aquoſis oriuntur. Unde *Poëta* in *Epigrammate*,

Τοὺς κώνωπας ἐρᾶν μᾶλλον ἔπρεπε, ἤπερ ἄνδρας,
Φύντας τῶν γονίμων, ὡς Κύπρις, ἐξ ὑδάτων·

Plùs quàm viros culices amare decet, natos, ut Cypris, *ex fœcundis aquis.* Sic ἐμπὶς in *Philoſopho* fit ex verme in limo & aquis nato. Et à *Grammaticis* definitur ζῶον περὶ τοῖς ὕδασι γινόμενον, *animal ad aquas genitum.* Ut יתוש *jatthus*, ab *Hebrais* רחש שגדל במים, *inſectum ad aquas creſcens.* Et *Baſilius* in *Hexaëmeron* Homiliâ ſeptimâ dicit in creatione otioſum non fuiſſe quidquid aquarum fuit ἐν ἰλύσι, καὶ τέλμασι, *in limoſis & paluſtribus locis.* Βάτραχοι γὰρ, καὶ ἐμπίδες, καὶ κώνωπες ἐξ αὐτῶν ἀπεγεννῶντο, *ex iis enim ranæ, empides, & culices emergebant.* Et *Ambroſius* in *Hexaëmeron* libri quinti capite primo, *Culices quoque & ranunculi circa gentiles ſtrepunt paludes: & ipſa audierunt Domini mandatum dicentis, Producant aqua reptilia animarum viventium.* Itaque ſcriptor *De decem plagis*, ſub *Auguſtini* nomine ſupra citatus, ciniphes in *Ægypto* ſcribit de limo eſſe natos. Sed כנים *cinnim*, *Moſes* de pulvere terræ. 2. *Exod.* 8. *v.* 17. כנים *cinnim*, leguntur fuiſſe *in hominibus, & in jumentis.* Quod pediculis convenit multò magis, quàm culicibus. Cùm pediculi verè iis inſint, quos vetuſtas *pedicoſos*, nos *pediculoſos* appellamus. Ab homine enim, aut à jumento, cui ſemel adhæſerunt, nunquam recedunt, niſi inviti. Sed culices, utut homines & jumenta graviter pungant, iis ineſſe non dicuntur, quia, ut ſupra docuit veterum aliquis, ſunt inquietiſſimi, neque ullibi conſtanter manent. Proinde apud *Achillem Tatium* libro ſecundo ita loquitur culex, Ἐμπεσὼν δὲ ὡς ἀπὸ βέλους ποιῶ τὸ τραῦμα, ὁ δὲ πατάχθεὶς ἐξαίφνης βοᾷ, καὶ τὸν τετρωκότα ζητεῖ. ἐγὼ δὲ παρὼν οὐ πάρειμι· ὁμοῦ δὲ καὶ φεύγω, καὶ μένω, καὶ περιστρωννύω τὸν ἄνθρωπον τῷ πληγῷ. *Vibratus tanquam telum vulnus infero: Et qui percuſſus eſt illico clamat, & vulneris auctorem quærit. Ego verò adſum, & abſum, ſimulque fugio & maneo, aliſque hominem obequito.* 3. Mihi occurrit nulla ratio, cur culices dicantur כנים *cinnim*. Sed pediculis hoc nomen vel maximè convenit. Eſt enim *à firmitate & ſtabilitate* ſumptum. Nempe כון *cun* in *Niphal* נכון *nacon*, *ſtabile & firmum eſſe* ſignificat, in *Piel* כונן *conen*, *ſtabilire*, in *Hithpaël* התכונן *hithconen*, *ſtabiliri*: & eadem notione כנן *canan*, olim in uſu fuiſſe docet, quòd nomen כן *cen*, pro *baſi* cum Affixis habet *Daghes*. Ita legitur כנו *canno*, *baſis ejus*, tanquam à כנן *canan*, Exod. 30. v. 28. Indidem כנים *cinnim*, *firmum & ſtabile animalculum*, & δυσαφαίρετον ἀπὸ τοῦ σώματος, *quod à corpore non facilè eximitur*, ut ait *Philoſophus Hiſtoria* libri quinti capite trigeſimo primo. Proinde *Arabicè pediculi* cognominantur بنات الدروز *filia durouz*, id eſt, *ſuturarum*, aut *commiſſurarum* لملازمتة propterea quod firmiſſimè adhærent, quaſi capiti, & corpori, per ſuturas, & commiſſuras conjuncti. Ità habetur in *Alcamus*. 4. Talmudicis כנה *cinna*, eſt *pediculus*. Ut in Tractatu *De Sabbatho* cap. 14. fol. 107. b. ההורג כנה בשבת כהורג גמל בשבת, *Qui pediculum* Sabbatho *necat tam reus eſt, quam qui camelum* Sabbatho *necat*. Et Plurali, כנים *cinnim*, paulò poſt, יושב הקבה וזן מקרני ראמים ועד ביצי כנים, *Qui ſedet in cœlis cibat* omnia animalia *à cornibus* reemim *uſque ad ova* cinnim *ſeu pediculorum*,

rum, id eſt, à maximis animalibus, ut ſunt in *Judæorum* fabulis *remim*, ad minima, ut *lendes*. 5. Ab eodem verbo כנן *cun*, vel *Piel* כונן *conen*, à quo *Hebræum pediculi* nomen, ortum videtur *Græcum* κόνις pro *lende*, ſeu *ovo pediculi*. Cujus Plurale κόνιδες paſſim occurrit *Ariſtoteles Hiſtoriæ* libri quinti capite trigeſimo primo. Οἵ τε φθεῖρες, καὶ ψύλλαι, καὶ κόρεις ἐκ μὲν τῆς ὀχείας πάντα γεννᾷ τὰς καλουμένας κονίδας· *Pediculi, pulices, & cimices omnes ex coitu conides ſeu lendes generant. Athenæus* libro octavo, Ἐκ τῶν τῶν φθειρῶν ὀχειῶν αἱ κόνιδες γεννῶνται. *Ex pediculorum coitu conides naſcuntur. Dioſcorides* libro primo de cedro, φθεῖράς τε, καὶ κόνιδας φθείρει ἐγχριθεῖσα, *Pediculos, & conidas inunctu necat.* Ut libro ſecundo de melle, φθεῖρας, καὶ κόνιδας φθείρει καταχριόμενον, *Inunctum pediculos, & lendes perdit.* Et de vino ex tamarice: Πρόςχυμα τοῖς φθεῖρας, καὶ κόνιδας γεννῶσιν ἐπιτήδειον, *Aptè iis inſpergitur, qui pediculos, & lendes generant.* Fortaſſe etiam ex כנים *cinnim*, facta κιννία pro minoribus pediculis. *Heſychius*, Κιννία, μικρὰ φθειρία. In voce κικνία, pro κιννία, vel κινία, ex כנים geminatum eſt *Kappa*. Ut κέκαμον pro ἔκαμον *laboravi*, κέκλυθι pro κλῦθι *audi*, κακίς *acies* pro ἀκή vel ἀκή. Quibus addi poteſt καύχημα *gloriatio* pro αὔχημα. 6. Ex כנים factum כנם cum M epenthetico pro pediculorum copia, *Exod.* 8. *v.* 17. Et ex כנם, L & N de more permutatis, *Samaritani* fecerunt [Samaritan] *Chaldæi* קלם, & *Arabes* قمل quomodo pediculos vocant, voce paulatim ità deflexâ, ut priſcæ originis veſtigia vix ulla ſervet. 7. Jam, ſi auctoritate certetur, auctori *Sapientiæ*, *Græcis*, *Philoni*, & *Hieronymo*, opponetur primò *Joſephus*, cujus verba ſunt, Φθειρῶν τοῖς Αἰγυπτίοις ἐξηνθήκει ἄπειρόν τι πλῆθος ἔνδον ἀναδιδόμενον, ἐφ' ὧν κακοὶ κακῶς ἀπώλλυντο, μήτε λουτροῖς, μήτε χρίσει φαρμάκων διαφθεῖραι τὸ γένος αὐτῶν δυνάμενοι. *Pediculorum intùs diffuſorum pullulabat Ægyptiis immenſa multitudo, à quibus mali malè perdebantur, cùm neque lavacris, neq; medicamentorum unctionibus eos poſſent extinguere.* Idem ſequuntur *Chaldæi*, *Jonathan*, & *Onkelos*, *Syrus*, *Samaritanus*, *Arabes* quatuor, editi duo, & manuſcripti totidem, quos in *Suecia* conſului, *Hebræi* omnes nullo excepto, eosque ſequuti recentiores *Lexicographi* & *Bibliorum* interpretes. 8. Si *Mahumetani* digni ſunt, qui in hoc cenſu ponantur: quamvis de hoc animali ſit gravis inter illos contentio, & alii intelligant السوس الذي يخرج من الحنطة *tineam, quæ exit ex tritico*, id eſt, curculionem. Alii الجراد الطيار الذي له اجنحة *locuſtam volucrem & jam alatam.* Alii الدبا وهو الجراد الصغير الذي لا اجنحة له *daba, id eſt, locuſtam parvam necdum alatam.* Alii الحمنان وهو ضرب من القراد *alhemnam, qui eſt ricini ſpecies.* Alii دواب سود صغار *animalculum nigrum.* Alii البراغيث *pulices*; tamen ſtatuit *Ata Choraſanius* hic ſignificari القمل *pediculum.* Et huic ſuffragium addunt *Arabum* doctiſſimi, qui *Moſem* iviſſe narrant بقرية من قري مصر تدعي عين الشمس فضربه بعصاه فانتشر كله قملا في مصر فتتبع ما بقي من زروعهم واشجارهم ونباتهم واكله ولحس الارض وكان يدخل بين ثوب احدهم وجلده فيعضه وكان احدهم ياكل الطعام فيتملي قملا فلم يصابوا بلا كان اشد عليهم من القمل فانه اخذ شعورهم وابشارهم واشفار عيونهم وحواجبهم وجلودهم كانه الجدري عليهم فمنعهم النوم والقرار فصرخوا واستغاثوا بموسي وقالوا انا نتوب فادع لنا ربك ليكشف عنا هذا البلا فدعا لهم موسي عليه السلام فرفع الله عنهم القمل بعد ما اقام عليهم سبعة ايام من السبت الي السبت *ad urbem* Ægyptiam, *quæ vocatur* Ainſam. (Fons Solis) *quam cùm virgâ ſuâ percuſſiſſet, inde ſparſos fuiſſe pediculos per totam* Ægyptum, *qui aggreſſi quidquid ex ſeminibus, arboribus, & herbis ſupererat, totum id conſumpſerint, adeoque terram linxerint. Et inter cujusque veſtem & pellem irrepſerint, ut eum morſu divexarent. Et ſi quis cibum comederet, eum ſcatuiſſe pediculis, nec ullam iis accidiſſe plagam moleſtiorem plagâ pediculorum, qui capillos invadebant, & carnem, & palpebras, & ſupercilia, & pellem, ac ſi variolis laboraſſent; ſomnumque & quietem arcebant. Itaque ad* Moſem *clamaviſſe, & opem ejus imploraviſſe, dicentes, Nos pœnitet, roga igitur pro nobis Dominum Deum tuum, ut hoc malum avertat. Et oraſſe pro ipſis* Moſem *cui bene ſit: & Deum pediculos ab ipſis abſtuliſſe poſt ſeptem dies elapſos, ab uno nempe Sabbatho ad alium Sabbathum.* Hæc in *Damire*, qui pediculos in plagis *Ægyptiis* fuiſſe probat ex *Alcorani Surata* اعراف ſeu *De limbis*, in qua Pſeudo-propheta Deum inducit ita loquentem, فارسلنا عليهم الطوفان والجراد والقمل والضفادع والدم *Miſimus in eos diluvium, & locuſtas, & pediculos, & ranas, & ſanguinem.*

His præmiſſis ad *Moſis* verborum explicationem nos conferimus *Exod.* 8. *v.* 16. 17. *Aaron*, jubente *Moſe* Dei nomine, percutit pulverem terræ, qui verſus eſt in pediculos per totam terram *Ægypti*, & tam in hominibus, quàm in jumentis fuerunt hi pediculi. In *Chaldaica Jonathanis* paraphraſi Deus *Moſi* dicit, *Jube* Aaronem, *ut pulverem virgâ ſuâ percutiat* ברם על ידך לית אפשר למלקי ארעא דהדה לך שזובתא כד קבלתא ית מצראי וקבילתיה, *Sed terra manu tuâ non debet percuti, quia per eam tibi fuit effugium, cùm illa recepit Ægyptium.*

gyptium, *quem interfeceras.* Et *R. Selomo* idem ſequitur. Sed inanis eſt hæc obſervatio, cum hic ipſe *Moſes* legatur manu ſua terram *Ægypti* percuſſiſſe; ut locuſtas accerſeret. *Exod.* 10. *v.* 12. 13. Et quomodo hic terram, ità etiam aquas per *Aaronem* bis percuſſerit: ſemel ut in ſanguinem verteret, *Exod.* 7. *v.* 19. 20. Et rurſus ut ex iis ranas educeret, *Exod.* 8. *v.* 5. 6. Nec *Moſi* licuiſſet magis terram *Ægypti Aaronis* manu quam ſua percutere. Nam quod quis per alium facit, id cenſetur ipſe facere. Sunt, qui *Moſem* obſervant *Aaronis* miniſterio accerſiviſſe plagas, quæ ex terra & aquis educebantur: cùm grandinem, locuſtas, & tenebras, quæ ex ſuperiore elemento, nempe ex aëre, inflictæ ſunt, ipſe per ſe accerſiverit. Sed anxiè quærendum non eſt, cur Deus quaſdam plagas *Moſis* aut *Aaronis* interventu, quaſdam immediate in *Ægyptios* inflixerit. Sufficit enim ut in genere ſciamus Deum variis modis has plagas immiſiſſe, ne ſi omnes aut *Moſis* aut *Aaronis* virgâ inflixiſſet, hæreremus in mediis, quaſi aut *Moſis*, aut *Aaronis*, aut peculiari aliquâ virgæ virtute hæc geſta fuiſſent. Quomodo Magiſtri virgam hanc in *Edenis* horto ſcilicet ab Angelo ex arbore vitæ decerptam fuiſſe fingunt, atque ideò polluiſſe vi quâdam θαυματουργικῇ. Nec deſunt è *Chriſtianis*, qui Deum hujuſmodi vires rebus inanimatis indidiſſe aſſerant. Quod tam ex hac virga probari volunt, quam ex ſudariis, & ſemicinctis, a *Paulo* ad ægros delatis; *Act.* 19. *v.* 12. Sed cum vera miracula vim infinitam requirant, non videtur illa vis poſſe creaturæ communicari. Itaque virga *Moſis* non mutavit aquas in ſanguinem, nec ranas produxit; aut pediculos. Sed, ea motâ, id præſtitit Deus, quod ſe facturum promiſerat. Interim Deus ſervorum ſuorum operâ ad hæc præſtanda non fruſtra uſus eſt. Sic enim illis auctoritatem tam apud *Ægyptios*, quàm apud *Iſraëlitas*, conciliavit. Apud *Ægyptios*, ut Dei populum durâ ſervitute oppreſſum in libertatem dimitterent. Et apud *Iſraëlitas*, ut illos ſequerentur duces. *Aaron* porro virgâ pulverem percutere juſſus eſt, ut ex eo fierent pediculi. Non quòd ex pulvere pediculi progenerari ſoleant. Illos enim *Philoſophus* (a) ἐκ τῶν σαρκῶν *è carnibus* putrefactis oriri ſcribit, aut ὅταν ὑγρασία πολλὴ ἐν τῷ σώματι ᾖ, *cùm in corpore multa eſt humiditas. Theophraſtus* (b) ἐξ αἵματος διαφθαρέντος *ex ſanguine corrupto. Plinius* item, cum naſci ait, (c) *in ſanguine ipſo hominis animalia exeſura corpus*, id eſt, pediculos. *Galenus* (d) & *Avicenna* (e) *ex ſudore, & ſordibus.* At ex pulvere naſci pediculos nemo eſt, qui ſcripſerit. Itaque non fuit hæc productio naturalis; ſed divina creatio, ut cum homo factus eſt ex terræ pulvere. In qua tamen id ſervatum eſt, ut quomodo ranæ ex aquis eductæ fuerant, quia ſunt aquaticæ, ità ex terræ pulvere pediculi educerentur, quia pediculus eſt terreſtre animalculum.

Pediculi autem illi non ſolum hominibus, ſed & beſtiis infeſti fuerunt. Illis enim tam obnoxiæ ſunt beſtię, quam homines. *Philoſophus Hiſtoriæ* libri quinti capite trigeſimo primo, Τῶν ἐχόντων τρίχας πλὴν ὄνος οὐκ ἔχει οὔτε φθεῖρας, οὔτε κρότωνας. οἱ δὲ βόες ἔχουσιν ἀμφω. Τὰ δὲ πρόβατα καὶ αἶγες κρότωνας, φθεῖρας δὲ οὐκ ἔχουσι· καὶ ὕες φθεῖρας μεγάλους καὶ σκληρούς. ἐν δὲ τοῖς κυσὶν οἱ καλούμενοι γίνονται κυνοραισταί. *Animalium, qui pilos habent, ſolus aſinus neque pediculos habet; neque ricinos. Boves utroque malo laborant. Oves, & capræ ricinos habent, non pediculos: ſues magnos & duros pediculos. In canibus ii gignuntur, quos vocant cynoraiſtas:* Quod ſequutus *Plinius* libri undecimi capite trigeſimo tertio, *Pilos habentium aſinum tantum immunem hoc malo credunt, & oves.* Tamen *Geoponicûn* libro decimo octavo, *Didymus*, ne oves quidem excipiens; Ἐὰν φθεῖρας ἢ κρότωνας ἔχῃ πρόβατον, inquit, σφενδάμνου ῥίζας κόπτειν· *Si pediculos, aut ricinos ovis habet, aceris radices ſcindendæ ſunt, &c.* Et in *Alcamus* ساست الشاة de ove dicitur, cum كثر قملها *multiplicantur pediculi* ejus. Itaque tam ovium quam caprarum pediculos deſcribi video in recentiorum ſcriptis. Horum enim multa genera, neque brutorum pediculi ſunt iidem, qui hominum. Quin alii equorum, alii boum, alii porcorum, alii canum, alii ovium & caprarum proprii: & ſua cuique lues, & peculiare malum eſt. *Muffetus* in *Inſectorum theatro* libri ſecundi capite vigeſimo tertio, *Equi quos non pediculos vidi, lendes rubentibus capitibus, reliquo corpore obſcurius albicante conſpicuos. Boum & vitulorum nigri ſunt, & in macris magni multique, pediculis porcorum fere ſimiles, ſed breviores, & paulo craſſiores. Porcorum pediculi forma illis reſpondent: ſunt autem adeò grandes, & duri, ut vix digitis interimantur. Canes, quamvis rariùs, aliquando tamen pediculantur. Sunt autem eorum pediculi parvi, lentiginoſi, capite albicante, reliquo corpore ex cæruleo livente vel nigricante; ut in canibus* Melitæis *primum vidi. Pediculi ovium minuti valde, quibus corpora rubent, capita candicant. Caprini ab his parum differunt.* Sunt etiam leonum & cervorum pediculi. Sunt aquilarum, accipitrum, olorum; anſerum, gallinarum, phaſianorum, columbarum, perdicum, coturnicum, de quibus multa Scriptores. In quibus *Philoſophus* ubi ſupra Καὶ οἱ ὄρνιθες ἔχουσι· καὶ οἵ γε καλούμενοι φασιανοὶ, ἐὰν μὴ κονίωνται, διαφθείρονται ὑπὸ τῶν φθειρῶν, καὶ τῶν ἄλλων δὲ ὅσα πτερὰ ἔχει τῶν ἐχόντων καυλόν. *Etiam aves* (pediculos) *habent. Et phaſiani quidem per eos pereunt, niſi ſe pulverent. Et quæcunque aves pennas habent, quæ caule conſtant, iis ſunt obnoxiæ.* Delphines quoq; & ſalmones in piſcibus: & in inſectis ſcarabæi: & in plantis abrotonum; abſinthia, aquilegia, nymphæa, &c. ſuos habent pediculos. Vites etiam, ſi *Cteſiæ* credimus, qui ad *Hyparchi* fluvii fontes animalcula quædam deſcribit, quæ arbores electriferas depaſcuntur, & corrumpunt, ὥσπερ ἐν τοῖς Ἕλλησιν οἱ φθεῖρες τὰς ἀμπέλους, *ut pediculi in* Græcia *vites.* Ita ut vix ulla ſit peſtis, quæ latius divagetur. Quid, quód etiam in homine plures pediculorum numerantur ſpecies? *Philoſophus* duas recenſet: Ἔστι, inquit, γένος φθειρῶν, οἳ καλοῦνται ἄγριοι, καὶ σκληρότεροι τῶν ἐν τοῖς πολλοῖς γιγνομένων· εἰσὶ δὲ οὗτοι δυσαφαίρετοι ἀπὸ τοῦ σώματος. *In pediculorum genere ſunt, qui vocantur feri, vulgaribus duriores, quiq; difficilius ex corpore eximuntur.* Quæ ad inguinalis pediculi deſcriptionem pertinere putantur. His addi queant *lendes, Græcè* κονίδες, & *Arabicè* صيبان *ſeiban*; qui aut ova ſunt, aut veluti quoddam pediculorum rudimentum. Et minimi illi, quos Galli *cirones*, Itali *pedicellos* vocant, nonnulli *Latinè acaros.* Alati idem pediculi in *Acridophagis* ricinis ſimiles. *Agatharchides* capite vigeſimo ſeptimo, Ἅμα πλησιάζειν τὸ γῆρας, ἐγγίνεται τοῖς σώμασιν αὐτῶν πτερωτὰ γένη φθειρῶν, ὅμοια μὲν τῷ τύπῳ τοῖς κρότωσι, βραχὺ δ' ἐλάττω τῶν ἐν τοῖς κυσὶ φαινομένων· *Simulac ſenium imminet corporibus ipſorum volatile pediculorum genus innaſcitur; figurâ quidem ſimiles, ſed aliquanto minores ricinis, qui in canibus apparent.* Et *Diodorus* lib. 3. Ἐμφύονται τοῖς σώμασι πτερωτοὶ φθεῖρες, οὐ μόνον διάφοροι τοῖς εἴδεσιν, ἀλλὰ καὶ τὰς ἰδέας ἄγριοι, καὶ παντελῶς εἰδεχθεῖς, *in ipſorum corporibus alati pediculi procreantur, non ſolum genere diverſi, ſed & ſpecie horridi, atque omnino viſu deformes.* Quas pediculorum ſpecies omnes contineri puto ſub *Hebræo* nomine כנים *cinnim*, ut & cognatum animal τὸν κρότωνα, id eſt, *ricinum*, quem cum pediculo conferens dicit *Plinius* libri undecimi capite trigeſimo quarto, *Eſt animal ejuſdem turpitudinis infixo ſemper ſanguini capite vivens, atque ità intumeſcens; unum animalium, cui cibi non ſit exitus, dehiſcitque nimia ſatietate, alimento ipſo moriens. Nunquam in jumentis gignitur; in bubus frequens, in canibus aliquando, in quibus omnia: in ovibus & in capris hoc ſolum.* Hæ porrò diverſæ ſpecies aut in ipſos homines, aut in beſtias, ferebantur, prout naturæ ductus ſingulas impellebat.

Philo, qui pro *pediculis ſcnipes* hic intelligit, quærit; cur

cur Deus in *Ægyptios* utatur *ὕτως ἀφανέσι, καὶ ἠμελημένοις ζώοις, tam vilibus, & contemptis animalculis*, nec urſos adhibuerit potius, & pardos, & leones, & alia ferarum genera, quæ hominum carne veſcuntur, aut ſaltem Ægyptias aſpides, quarum morſus eſt immedicabilis. Et reſpondet, 1. Deum incolas caſtigare voluiſſe, non è medio tollere. 2. Homines, cum bella gerunt, auxilia ſibi aſciſcere potentiſſima, quorum opera ſuæ infirmitati ſubveniatur: Deum verò, qui eſt omnipotens, ſi quando mediis utitur ad rebelles puniendos, infirmiſſima quæque eligere, quæ, utut parva, & vilia, viribus ſummis inſtruat; idque hic accidiſſe. Nempe per animalcula Deus de hoſtibus ſuis triumphavit glorioſius, & illorum ſuperbiam magis retudit. Superbum enim hominem nihil tam graviter pungit, quam cum vili animalculo cogitur tanquam inferiori cedere. *Jud.* 9. *Abimelech* à muliere percuſſus rogavit ſervum, ut ſe occideret, ne a muliere diceretur eſſe occiſus. Quanto gravius fuit *Ægypti* Regi à ranis, & cynomyis, & locuſtis, & pediculis victum ſe agnoſcere? Cujusmodi beſtiolis in ſummorum Regum perniciem ſi Deus quandoque uſus eſt, quid habebunt hominum potentiſſimi, quod opponant Angelorum legionibus, quorum unus millia hominum prope ducenta unâ nocte interemit in *Sennacheribi* copiis? *Herodotus* libri ſecundi capite trigeſimo ſeptimo, Sacerdotes *Ægyptios* tertio quoque die corpus eradere ſcribit, *ἵνα μήτε φθεὶρ, μήτε τι ἄλλο μυσαρὸν ἐγγίνηται σφι θεραπεύουσι τοὺς θεούς, ne Deos colentibus pediculus, aut quid aliud inſit immundum.* Et eoſdem lineis veſtibus indui tradit *Plutarchus* in *Iſide*, quia linum eſt *ἥκιστα φθειροποιόν*, id eſt, quia minimè pediculos gignit. Quas cautiones crediderim illos adhibuiſſe in hujus plagæ memoriam, illâ enim veriſimile eſt Magos & Sacerdotes gravius fuiſſe afflictos.

Hoc ſaltem certum, quod ſequitur verſu decimo octavo & nono, Magos, qui prioribus *Moſis* miraculis præſtigias ſuas oppoſuerant, hic demum ſuccubuiſſe, ingenue profeſſos nihil ſimile à ſe poſſe præſtari, cum hic eſſet digitus Dei. *Magi* Hebraicè חרטמים *hartumim*, vocantur, voce, cujus ut origo, ità præciſa ſignificatio nondum eſt nota: ſunt, qui compoſitam eſſe velint ex חרר *harrar, ardere*, & טמיא *tumaja*, id eſt, *mortuorum oſſa*, quorum in Magia ſit multus uſus. Proinde *νεκρομάντις Talmudicus* eſt אובא טמיא. Ità igitur חרטם is eſſet, *qui ardet cadaverum oſſa*, vel *ardenti ſtudio is occupatur.* Quod non puto poſſe ſtare, quia טמיא propriè *immunda* ſonat, nec pro *oſſibus* alibi quam in *Talmude* reperitur, aut in *Rabboth*, & *Midraſoth*. Aliis eſt compoſita vox ex חור־טום *chortum*, vel אטום *atum*, id eſt, *foramen obſtructum.* Nam, ut ait *Saadias* in *Dan.* 1. v. 20. היו נוקבין חור באילן ומכניסין בו דבר כשפים אוטמין אותו והוא מגיד להם כל דבר *Perforabant arborem, & in foramine aliquid ponebant ad divinationes pertinens, eoque obſtructo, id quid vis iis revelabat.* Nempe, ut *Homerus Dodonæ* veteres ſcribit

(f) *Ἐκ δρυὸς ὑψικόμοιο Διὸς βουλὴν ἐπακοῦσαι*
Ex quercu procera Jovis voluntatem audiviſſe. Quod *Strabo* libro ſeptimo fabuloſum eſſe cenſet. *Aben Ezra* in *Gen.* 41. quadratam eſſe vocem מצרית או ארמית חכמי תולדות, *Ægyptiam, aut Chaldæam*, quæ ſignificet *Genethliacos*, aut in genere *Phyſicos*. At cum in *Daniele* Chaldæorum, & in *Moſe Ægyptiorum* Magi חרטמים *hartumim*, appellentur, eam neque *Chaldeam*, neque *Ægyptiam* eſſe vir doctus rectè colligit. Neque enim *Ægyptiâ* voce *Chaldæi*, aut *Chaldæa Ægyptii* Magi appellarentur. Sunt in *Mercero*, quibus חרטם *hartum*, eſt *qui ſe devovet*, quaſi fiat à חרם *haram, devovere*, inſerto *Teth*, quod eſt ſine exemplo. *Fullerus* (g) finale *Mem* in חרטם *hartum*, Heemanticum eſſe contendit, ut deducat à חרט *heret*, id eſt, à *ſtylo ſcriptorio*, quo Magi ſcilicet figuras & characteres pingant, ad nefariæ ſuæ artis opera adhibendos. *Conſtantinus l'Empereur* in *Danielem* mavult referre ad חרש *hares*, qui *magus* eſt *Chaldæis*, quia *Teth* eundem ferè ſonum habet, ac *Thau*, in quem *Scin* ſæpe mutatur. Sed ש in ת mutare *Chaldæorum* eſt, non *Hebræorum*. Et quamvis ט ſit ſono vicinum, tamen ש in ט nunqu[illegible] mutatur. Poſt aliorum ſententias, jam liceat no[illegible] proferre. *Arabicè* رطن *ratana* eſt *murmu*[illegible] *ignota lingua verba proferre.* *Chaldæi* quoque P[illegible]phraſtæ & *Syrus* paſſim utuntur Verbo [illegible] *murmurandi* notione. Sed & iiſdem [illegible] quandoque רטן *retan*, eſt *incantare.* [illegible] Paraphraſis *Deut.* 18. v. 11 רטן רטן [illegible] *incantans incantatione.* Et *Pſ.* 58. v. 6. [illegible] *eſt ſapientior* מן רטני רטן *mim ratene retan* [illegible] *iis, qui incantant incantatione.* Hinc in *Talm*[illegible] tractatu *Sota* cap. 3. fol. 22. a. רטין *ratin* & נומנמא *ma*[illegible]*gus*, ponuntur ut ſynonyma. Nempe magorum proprium eſt verba ignota demurmurare, quaſi in iis eſſet magna vis. *Ovidius*,

Ter novies carmen Magico demurmurat ore.

Et apud *Valerium Flaccum Argonauticon* libro [illegible]mo *Medea*, dum in eo eſt, ut *Jaſoni* artibus ſuis robur atque animum inſpiret,

Carmina nunc totos ſolvit ſigitque per artus
Æſonidæ, & totum SEPTENO MURMURE *fertur*
Per clypeum, atque viro graviorem reddidit haſtam.

Et in *Apulejo* ſaga *Pamphile*, in bubonem mutand[illegible], fingitur multum cum lucerna ſecreto colloquuta. Porrò ad חרטם *hartum*, alludit רטן *retan*, & videtur ex co deductum. Initialis aſpiratio periit, ut in *Talmudico* סחום, *cartilago*, pro חסחום, & פירא *foſſa* pro חפירא. Quomodo *Eſ.* 2. v. 20. פירות *foſſa* pro חפירות juxta *Kimchium*. Sic *Tigris* amnis *Chaldæum* nomen דגלה, & *Arabicum* دجلة & *Armenum Diglito* apud *Plinium* libri ſexti capite vigeſimo ſeptimo facta ſunt ex *Hebræo* חדקל *Hiddekel*, aſpiratione demptâ. *Caula ovium* Chaldaice eſt חטרא, & *Syriacè* ܚܛܪܐ. *Milvus* Arabicè حداه & Hebraicè ראה. Et Conjugata eſſe apparet כצל, *cape*, & חבצלת, *lilium*; quia utrumque eſt bulbacei generis, quamvis in illo deſit *Heth*. Præterea in רטן *Nun* finale factum eſt ex *Mem* finali vocis חרטם *hartum*, qua permutatione nihil eſt frequentius. Sic *Hebr*[illegible] *adverſari* שטם vel שטן dicitur, unde *Satan* & *Chaldæis robuſtus* חסים, vel חסין: *Pinguis* Hebr[illegible] דשן, & Arabibus دسم *Pollex* Hebræis בהן, & Arabibus ابهام Locus Hebræis מקום, & מכן, ut Arabibus مكان *Ruta* Talmudicis פיגם, ſed Syris ܦܝܓܢܐ & Arabibus فيجن ut Græcis *πήγανον*. *Balſamum* Arabibus بلسان *balſam*. Et [illegible]ralia Hebræa in ים, Syri & *Chaldæi* mutant in ין *in*. Sed & in Hebræo textu legas רצין, *curſores*, & צדנין, *Sidonios*, 1. Reg. 11. v. 13. 32. & alibi multa hujusmodi. Puto igitur *Chaldæa* רטן *retan, demurmurare*, vel *incantare*, & רטין *ratin*, id eſt, *Magus*, vel *incantator*, facta fuiſſe ex Hebræo חרטם *hartam*, & חרטום *hartum*, quæ idem ſignificaverint. Sic חרטם *hartum*, propriè eſſet *ἐπαοιδὸς incantator*, ut in *Daniele Theodotion* conſtanter reddit, & *Seniores* hoc ipſo *Exodi* loco, & tribus aliis. Quod confirmant ipſa verba *Moſis*, *Et fecerunt* חרטמים בלטיהם, *hartumim per incantationes ſuas.* Ex iis enim ſequitur חרטמים e[illegible] *cantatores.* Cum ibi לטים *latim*, nihil aliud [illegible] quam *ſecreta murmura*, quorum [illegible] incantatione [illegible]. Relata igitur ſunt חרטם *hartum*, & לט *lat*, atque inter ſe cohærent. Notandum obiter in *Arabica* Paraphraſi

(f) *Odyſſ.* ξ, v. 328.

(g) *Miſcellan.* lib. 5. cap. 15.

raphraſi, quæ *Pariſiis* edita eſt, *Magos* vocari علما *Ulama*, unde *Elymas* pro *Mago*, *Act.* 13. *v.* 8. Niſi quis malit ab *Elymais* deducere. Nam & *Magi* ſunt *Perſica* gens, de qua *Clemens* libro ſexto *Stromatῶn*, & *Euſebius* libro ſexto *Præparationis*, & Hiſtorici *Arabes* paſſim. Ne dicam *Chaldæorum* nomen eâdem notione ſæpe uſurpari, quod etiam pueri ſciunt. Sed, quod me pene fugerat, ad חרטם *hartum*, alludit Ἄρτεμις *Diana*, quam magi ſæpe invocant. Ut in *Theocriti Pharmaceutria Simætha Saga*,

——— τύ δ᾽ Ἄρτεμι, καὶ τὸν ἐν Ἅδᾳ
Κινήσαις Ῥαδάμανθα, καὶ εἴ τι περ ἀσφαλὲς ἄλλο.

Nempe *Diana* eadem eſt, quæ *Hecate*, quam præeſſe veneficiis & Magicis artibus veteres crediderunt. Hinc *Scholiaſtes*, Ἣν γὰρ πρὸ τούτου Ἑκάτην ἐκάλεσε, ταύτην νῦν Ἄρτεμιν λέγει· *Quam vocaverat antea* Hecatem, *eam nunc* Artemin, (id eſt, Dianam) *dicit*. Itaque *Medea Senecæ* in veneficiis ſuis eandem ſic compellat,

Tibi ſanguineo ceſpite ſacrum
Solenne damus: tibi de medio
Rapta ſepulchro fax nocturnos
Suſtulit ignes, &c.

In *Magis Ægyptiis* eminebant *Jannes*, & *Jambres*, *Talmudicis* non ignoti, quorum amentia tandem ἔκδηλος *manifeſta* facta eſt omnibus. ut ait *Paulus*, 2. *Tim.* 3. *v.* 9. Nempe cum hactenus *Moſi* utcunque obſtitiſſent, & miracula ejus illuſionibus ſuis aliquo modo eſſent imitati, in iſto ſubſtiterunt, ultro agnoſcentes ſe non poſſe ulterius progredi. Ità enim habent Prophetæ verba, *Sic etiam fecerunt Magi incantationibus ſuis, ut pediculos producerent, ſed non potuerunt*, &c. *Et Pharaoni dixerunt, Hic eſt digitus Dei.* Itaque *ità fecerunt*, id eſt, ità facere conati ſunt. Ut *Matth.* 7. *v.* 13. Εἰσέλθετε διὰ τῆς στενῆς πύλης, *Intrate per portam anguſtam*, id eſt, ἀγωνίζεσθε εἰσελθεῖν, *intrare contendite*, ut *Luc.* 13, 24. Ratio autem, cur qui ſaltem in ſpeciem virgas ſuas in ſerpentes, & aquas in ſanguinem mutaverant, & ranas ex amne produxerant, non potuerint terræ pulverem in pediculos ſimili ratione mutare, ab *Hebræis* hæc affertur, שאין השד שולט על בריה פחותה מכשעורה, *Quod diabolus non dominatur ſuper creaturam, quæ grano hordei ſit minor.* Ità *R. Selomo* ex vetuſtioribus, quæ ratio eſt futiliſſima. Quidni enim princeps mundi in hæc minutula tam dominetur, quam in majora animalia? Neque ab *Ethnicis* ità creditum, qui quoſdam phthiriaſi periiſſe referunt propter impietatem in Deos ſuos. *Pauſanias*, in *Bœoticis*, *Sylla illud ipſum, quod* Alalcomenis, *fuit* Minervæ *ſignum eripuit. Hunc hominem, qui* Græcorum *civitates & patrios Deos tam furenter vexarat, morbus omnium teterrimus oppreſſit, pediculis è toto corpore erumpentibus. Valerius* libri primi capite primo, de *Q. Plemimio* legato *Scipionis*, qui *Locris Proſerpinæ* theſaurum ſpoliaverat: *Cùm vinctum* Romæ Senatus *protrahi juſſiſſet, is ante cauſæ dictionem in carcere teterrimo genere morbi conſumptus eſt*, id eſt. *phthiriaſi*, ut volunt. Diabolo nimirum injuriam Diis à ſe confictis illatam ſic ulciſcente. Quæ ſi vera ſunt, pediculos in *Syllæ* & *Plemimii* carnibus produxiſſe Diabolus rectè dicetur. Sed & ipſi *Hebræi* Diabolum *Beel-zebub*, id eſt, *muſcæ dominum* appellârunt, quæ grano hordei ſæpe minor eſt. Queat igitur pari ratione nominari בעל־כנים *Baal-cinnim*, *dominus pediculorum* & eujuſcunque *inſecti*. Sed ideò Magi pediculos producere non potuerunt, quia noluit Deus id illis concedere. Diabolo enim dicit id ipſum, quod mari; (h) *Huc uſque venies, & non procedes ampliùs.* Ne

Job.38.11. Magi præſtigiis ſuis *Pharaoni* imponere pergerent, eos tribus quaſi gradibus ex illo honoris faſtigio dejecit, in quo erant apud *Ægyptios*. Primo, cum *Aaronis* virga in ſerpentem verè mutata illorum virgas deglutivit, quæ ſolam habebant ſerpentum ſpeciem *Exod.* 7. *v.* 12. Secundò, cum neque pediculos, neque cynomyias, neque locuſtas, neque quidquam eorum, quæ deinceps à *Moſe* producta ſunt, potuerunt imitari. Tertiò, cum iiſdem ulceribus, quibus reliquos *Ægyptios* afflixerat *Moſes*, etiam ipſi divexati, non potuerunt coram *Moſe* conſiſtere, *Exod.* 9. *v.* 11. Sed præcipuè notanda eſt hæc confeſſio, quam ab ipſis extorſit vis veritatis; *Hic eſt digitus Dei.* In *Hiſtoria Hebraica Templi ſecundi* legitur *Antiochum Epiphanem* in lethali morbo idem dixiſſe. Verba ſunt, נגעו ה׳ הוא וכל מחנהו בגרב ובחרס ובכל חלאים רעים וכשראה כל זה אמר אצבע אלהים היא, *Percuſſit eum Dominus, & totum ejus exercitum, ſcabie, & prurigine, aliisque peſſimis morbis: quod omne cum videret, dixit, Hic eſt digitus Dei.* *Digitus Dei*, id eſt, *ſpiritus* vel *virtus Dei.* Quâ Phraſi dixit *Chriſtus* Luc. 11. v. 20. Εἰ δὲ ἐν δακτύλῳ Θεοῦ ἐκβάλλω τὰ δαιμόνια, *Si in digito Dei ejicio dæmonia*, id eſt, ἐν πνεύματι, *in ſpiritu*, ut explicatur *Matth.* 12. *v.* 28. *Tertullianus* in *Marcionem* libri quarti capite vigeſimo ſexto de *Pharaonis* Magis, *Virtutem creatoris digitum Dei appellaverunt.* Quæ meliora, quam quæ ſequuntur; *Digitus Dei eſt hoc, quod ſignificarent etiam modicum, validiſſimum tamen.* Quaſi *digitus* hic diceretur κατ᾽ ἐξουθενισμὸν, prout toti manui opponitur. Quomodo etiam à *Philone* ſumptum, qui in hunc locum ſcripſit, utût vile animalculum, ità valuiſſe, ut tota *Ægyptus* exclamare cogeretur, *Hic eſt digitus Dei*: χεῖρα γὰρ Θεοῦ μηδὲ τὴν σύμπασαν οἰκουμένην ὑποστῆναι ἄν, *manum enim integram Dei ne totam quidem terram ferre poſſe.* Quin hic *digitus Dei* idem eſt, quod *digiti*, per Numeri Enallagen. Ut *Exod.* 31. *v.* 18. *Dedit* Moſi *tabulas ſcriptas digito Dei*, id eſt, *digitis Dei*; neque enim uno digito ſcribimus. Et *digiti* ſæpe ſumuntur pro *tota manu*: ut Pſal. 8. v. 4. *Cum aſpicio cœlos tuos, opus digitorum tuorum*, id eſt, *manuum*. Et Pſal. 144. v. 1. *Docet manus meas prælium, digitos meos bellum.* Itaque *Hic eſt digitus Dei*, idem eſt ac ſi dixiſſent, *Hæc eſt manus Dei.* Ut Pſal. 109. v. 27. *Ut cognoſcant hanc eſſe manum tuam, te Dominum feciſſe hoc.* Quod autem Magi fatentur hanc eſſe Dei manum, non ideo fatentur, ut Deo dent gloriam, ſed tantum, ut famæ ſuæ conſulant, nec putentur *Moſes* aut *Aaron* illis eſſe virtute aut ſcientia ſuperiores: quaſi dicerent. *Nos non cohibent* Moſes *aut* Aaron, *ſed divina vis utriuſque major.* Non malè igitur *Jonathan*, *Magi* Pharaoni *dixerunt*, לא מן כח נבורת משה ואהרן היא אלהן מחא משתלחא מן קדם יהוה היא, *Hoc non contigit* Moſis *aut* Aaronis *virtute, ſed plaga hæc eſt à Domino immiſſa.* Interim hâc confeſſione abunde revincuntur: cum eo ipſo *Moſem* inviti ſibi præferant, quod Dei virtutem per *Moſem* agnoſcunt ea operari, quæ ipſi imitari non poſſunt. Quod idem eſt, ac ſi *Moſem* faterentur eſſe Dei Prophetam, ſe verò θεομαχεῖν, & cum Deo certamen ſuſcepiſſe. Tamen hanc veritatem in injuſtitia detinentes, ab inſtituto non deſiſtunt, & Dei ſervis pro viribus obſiſtere pergunt, ut colligitur ex *Exod.* 9. v. 11. Ità ut his Magis tribui potuerit illud *Medeæ*,

——— *video meliora, proboque,*
Deteriora ſequor. ———

Pediculos per totam *Ægyptum* procreatos fuiſſe legitur *Exod.* 8. *v.* 16. 17. Unde *Pſaltes*. Pſal. 105. v. 31. *Et pediculi in omnibus finibus eorum.* Tamen ut ab aliis plagis *Exod.* 8. *v.* 22. & 9. *v.* 7. 26. & 10. *v.* 23. & 12. *v.* 23. ità etiam ab iſta immunis fuit terra *Goſen*, quæ pro parte *Ægypti* tum temporis non habebatur, quia non habebat *Ægyptios* incolas, ſed *Judæos*.

Novum videri poterit, quod in *Arabica* verſione legitur *Pſ.* 77, 51. (*Hebræis* 78, 46.) اطعم القمل ثمارهم *cibavit pediculum fructibus eorum*, cum pediculi

culi non ſoleant veſci terræ fructibus. Sed ibi *Hebræa* habent, ויתן לחסיל יבולם, *Et dedit brucho proventum eorum.* Et *Syrus* quoque ܠܩܡܨܐ, id eſt, *locuſtæ.* Itaque *Arabicum* القمل *alkamla*, id eſt, *pediculum*, mutandum in القمص *alkamſa*, id eſt, *locuſtam.* Quamvis enim illa vox ſit *Syris* uſitatior, tamen etiam *Arabibus* القمص eſt locuſtæ genus, & definitur in *Alcamus*, الجراد اول ما يخرج من بيضه *locuſta quamprimùm ab ovo ſuo exit*, quæ nimirum aliis دبا *daba.*

Hoc quoq; parum capiunt interpretes, quod de *Nabuchodonozore* habet *Græca* verſio *Jerem.* 43. *v.* 12. φθειριεῖ τὴν Αἴγυπτον, ὥσπερ φθειρίζει ποιμὴν τὸ ἱμάτιον αὐτοῦ· *Excutiet pediculos terra Ægypti, ut paſtor excutit pediculos veſtis ſuæ.* Neque enim ſatisfaciunt hæc Theodoreti, *Ut doceret non perfunctoriè bellum in Ægyptum geſturum, ſed illam exactè deleturum*, ἀπεικάζει αὐτὸν ποιμένι τοὺς φθεῖρας συλλέγοντι, *eum cum paſtore confert, qui pediculos ſuos colligit: nempe id accuratè faciunt paſtores, quia otio maximè abundant.* Hæc, inquam, non ſatisfaciunt, quia in *Hebræo* textu nihil ſimile habetur. Nec *Prophetam* veriſſimile eſt egregium bellatorem cum paſtore comparâſſe, qui pediculos ſuos eximit. Verum enimverò ſuo loco abunde probavimus *Græcos* non ſcripſiſſe φθειριεῖ & φθειρίζει, ſed φθερεῖ & φθείρει. Ut ſenſus ſit, fore, ut *Ægyptum* deſtruat *Nebucadnetſar*, quomodo paſtor deterit veſtem ſuam. Quæ ipſa verſio cum non ſit ſacro textui ſatis conſona, tamen cauſæ non defuerunt, cur ſic redderent.

De *Sylla*, qui phthiriaſi periit, meritò dicit *Plinius* lib. 7. cap. 43. *Age, non exitus vitæ ejus omnium proſcriptorum ab illo calamitate crudelior fuit, erodente ſe ipſo corpore, & ſupplicia ſibi gignente? Plutarchus* in *Sylla* plures alios memorat, qui eodem genere mortis occubuerunt. Nempe *Acaſtum Peliæ* filium, *Alcmanem* Poetam, *Pherecydem* Theologum, *Olynthium Calliſthenem*, dum in vinculis fuit, *Mutium* Juris-conſultum, & *Eunum* illum, qui in *Sicilia* bellum ſervile moverat. His multi noſtrorum *Antiochum Epiphanem*, & *Herodem Agrippam* accenſent, quia viventium corpus à vermibus legitur fuiſſe conſumptum. Nam de priore dicitur 2. *Machab.* 9. v. 9. Ὥστε καὶ ἐκ τοῦ σώματος τοῦ δυσσεβοῦς σκώληκας ἀναζεῖν, καὶ ζῶντος ἐν ὀδύναις καὶ ἀλγηδόσι τὰς σάρκας αὐτοῦ διαπίπτειν· *Ità ut ex impii corpore vermes ebullirent, ejusque viventis carnes cum doloribus & angoribus deciderent.* Et de altero *Act.* 12. *v.* 23. Καὶ γενόμενος σκωληκόβρωτος ἐξέψυξεν, *Et eroſus à vermibus exanimatus eſt.* Volunt igitur *vermium* nomine *pediculos* intelligi, à quibus hi conſumpti fuerint. Sed in *Actorum* loco hos omnino refellit vetuſtiſſimus ille *Bezæ* codex, qui ſic habet; καὶ γενόμενος σκωληκόβρωτος ἔτι ζῶν, οὕτως ἐξέψυξεν, *Et à vermibus eroſus adhuc vivus, ità exanimatus fuit.* Quod de veris vermibus rectè dicitur, qui erodere non ſolent niſi mortuos; ſed fruſtrà obſervaretur, ſi res eſſet de pediculis. Pediculi enim vivis, non mortuis, infeſti ſunt. Quin morituri hominis corpus deſerunt. Ità obſervat *Philoſophus* ἐν τοῖς Ζωικοῖς, quæ hodiè non extant. Diverſi enim ſunt libri illi Περὶ ζώων, quos habemus, ab illis, quibus titulum fecerat τὰ Ζωικά. Sed ipſa met *Philoſophi* verba ſic citat *Apollonius Mirabilium* capite vigeſimo ſeptimo, Οἱ φθεῖρες ἐν τῇ κεφαλῇ ἐν ταῖς μακραῖς οὐ φθίνουσι νόσοις, μελλόντων τελευτᾶν τῶν παχόντων, ἀλλ' ἐπὶ τὰ προσκεφάλαια εὑρίσκονται, προλελοιπότες τὴν κεφαλήν· *Pediculi capitis in longis morbis non tabeſcunt, cum ægri ſunt interituri, ſed, capite deſerto, in pulvinaribus inveniuntur.* Nempè, ut aſſerit *Alexander Aphrodiſæus* libri ſecundi *Problemate* trigeſimo, pediculi tepore quodam, & ſucco ſanguineo, eoque dulci opus habent, quibus cum deſtituantur in morituris corporibus, facilè illa deſerunt, ut quærant meliora loca. *Scaliger* quoque in *Cardanum Exercitatione* 246. extremâ tradit, tanquam in publicis noſocomiis rem notiſſimam, *ubi è miſeris illis moritur aliquis, confeſtim è veteri hoſpitio, ſcilicet cadavere, demigrare pediculos.* Et curà defuncto ſtatim fugiant pediculi, cauſas diſquirit *Ambroſius Leo Nolanus* Problemate 225. quas hic afferre nihil attinet. Tantum colligimus, vermes, quos ait *Lucas Herodem* adhuc vivum eroſiſſe, non fuiſſe pediculos, ſed veros vermes, qui, licet mortuos ſæpiùs, tamen etiam vivos nonnunquam erodunt. Nec paucos aliunde illuſtres hoc mortis genere occubuiſſe probabimus in capite *De vermibus.*

CAPUT DECIMUM NONUM.

De Pulice.

Pulex *Hebræis* פרעש paros. *Quomodo inde fiat* Arabicum برغوث borguths, *&* Syriacum ܦܘܪܬܥܢܐ purthaana, *vel* ܦܘܪܛܥܢܐ purtaana, *quod pro* pulice *malè redditur* culex. *In* Plinio, *&* Auguſtino, culex *pro* pulice, *& in* Giggejo *multoties. Deſcriptio pulicis ex* Arabibus. *Dicitur* pater ſaltûs. *Habet elephantis proboſcidem. Pulicem inter orandum occidere nefas.* Pſyllium *Arabibus* برغوثي borguthſi. *Cur* pulicem *ſe vocet* David. Pediculus *pro* vili *in* Homero. *Tenuiores* Claudius pulices *vocavit. Copia imbelles*, ψυλλῶν νέφος, *&* ἱππικόν. In pulicis morſu Deum invocat, *Proverbium.* Socratem *pulicum ſaltus metitum eſſe præter* Ariſtophanem *etiam ſcripſit* Xenophon. Excoriat pulicem, ut pellem habeat, *de viro ſordido dictum. Ad cerastis morſum non adhiberi* ψύλλας, pulicem, *ut putat* Phile, *ſed* ψύλλιον Pſyllium, *qui virus exſugat. Vir illuſtris in* Eſdra פרעש, *id eſt*, pulex *dictus* Pſyllus Græcis *viri nomen*, Pſylla *vel* Pſyllium *urbis.* Pſyllici *canes.* Pſylli *populi unde dicti. Ager* Siciliæ terra di pulici *hodie, non à* pulice, *ſed à* Polluce.

UT pauca habet Scriptura de pulice, ita nos pauca dicemus. Nomen *Hebræum* פרעש *paros*, vel ἀρχαϊκῶς *pharos*, verè eſſe *pulicem* patet tam ex conſenſu interpretum, quam ex vicinis linguis. *Arabicè* enim dicitur برغوث *borguths*, mutatis tribus literis, ſed in tres alias homogeneas. Nempe *Pe* in *Be*, *Ajin* in *Gain*, & *Sein* in *Thſe*. Indidem *Syrum* ܦܘܪܬܥܢܐ *purthaana*, iiſdem Radicalibus, niſi quod *Sein* de more in *Thau* mutatum eſt, & ex ultima ſede translatum in penultimam. In *Midras* Cant. 1. 12. perperam ſcribitur per *Teth*, אפלו פורטענה לא עקץ בם בא הבה ומצאן ישנים, *Niſi pulex eos pupugiſſet, veniens Deus Sanctus Benedictus eos reperiſſet dormientes.* Et hujus Plurale פורטעני *purtaane*, viri duo doctiſſimi *Boderianus* & *Buxtorfius* male reddunt *culices*, Niſi ſit mendum librarii, qui *culices* ſcripſerit pro *pulices.* Quale in his *Plinii* libri decimi noni capite decimo, *Beſtiolarum quoque genera innaſcuntur, napis culices, raphano erucæ & vermiculi.* Quæ ſic in *Theophraſto Hiſtoriæ* libri ſeptimi capite quinto, Θηρία δὲ ἐγγίνεται, ταῖς μὲν ῥαφανίσι ψύλλαι, τῇ δὲ ῥαφάνῳ κάμπαι καὶ σκώλη-

σκώληκες. Legendum igitur in *Plinio*, *napis pulices*, non *culices*. Rurſus in *Soliloquiis*, quæ *Auguſtino* tribuuntur, capite vigeſimo quarto, *Num damnabis, Rex* Iſraël *æterne, canem mortuum? Num damnabis culicem unum?* Legendum *pulicem unum*. Palàm enim alludit ad hæc *Davides*, 1.*Sam*.24.*v*.15. *Poſt quem egreſſus eſt Rex* Iſraëlis? *quem perſequeris? canem mortuum? pulicem unum?* In *Arabico Giggeii Lexico* mendum idem tam ſæpe occurrit, ut non poſſit auctori non adſcribi. Sic tom.1.pag.263. برغوث *culex*, & pag.1196. الخدوش *muſca, culex*. Et tom.2.pag.1249. الصوابة *Ovum id, ex quo culices gignuntur.* Et pag.1365. الاصلم *culex*. Et tom.3.pag.276. العدام *culex*. Et pag.1165. قرص البراغيث *morſus culicum*. Et pag.1166. القرصة *Cùm quis à culice mordetur.* قرصه البراغيث *illum culices momorderunt*. Et tom.4.p.1147. ابو الوثاب *Vulpes, muſcula, culex*. Quibus locis omnibus *culicis* nomine pro *pulice* illum abuti conſtat, quia *Alcamus*, quem ſequitur, ubique habet البرغوث *alborguthſi*, vel Plurale البراغيث *albaraguthſi*. Quâ voce *pulicem* ſignificari tam certum eſt, quàm quod eſt certiſſimum. Ità enim deſcribit *Alkazuinius*, هو اسود احدب ضامر اذا وقع نظر الانسان عليه احس بـه فيوثب تارة الي اليمين وتارة الي الشمال حتي يغيب عن نظر الانسان *Eſt niger, gibboſus, macer, cùm in eum incidit hominis viſus, ſtatim ſentit, & modò ad dextram, modò ad ſiniſtram ſalit, donec à conſpectu hominis lateat.* *Damir* quoque aſſerit eſſe animal multi ſaltûs, atque inde vocari طامر *tamir*, id eſt, *ſalientem*, & ابو الوثاب id eſt, *patrem ſaltûs*: nec ſolùm anteriùs, ſed & retrorſum ſalire, ut venatorem fugiat, & eſſe احدب ثرا *valde gibboſum*, & promuſcide, quâ fugit, elephantem imitari. Idem multis quærit, an illud liceat inter orandum interficere, aut orare cum veſte hujus nuper occiſi ſanguine delibutâ. Medici quoque, ut *Avicenna* Can.4. *Fen*.6.tract.3.cap.11. & apud *Damirem Hamri* & *Razi* iis remediis fugant البراغيث quibus *Græci* & *Romani* pulices. Et *herba pulicaris*, ut *Græcè* ψύλλιον ἀπὸ τῶν ψυλλῶν *pſyllium à pulicibus*, ità *Arabicè* vocatur برغوثي *borguthſi*, quamvis vulgare nomen ſit بزرقطونا *bazarkatuna*, unde *Zargatona* Hiſpanis. *Abenbitar*, بزرقطونا وهو الاسفيوس يالفارسية وفسليون باليونانية وتاويله البرغوثي BAZARKATUNA Perſicè *dicitur* ASPHIUS, *&* Græcè PSYLLION, *quod* Arabicè *redditur* ALBORGUTHSI.

Propheta *David* cum Rege *Saule* diſceptans, ὅπως τῇ ταπεινότητος ὑπερβολῇ τὴν ἀτεράμονα [illegible] μαλάξῃ καρδίαν, *ut humilitatis exuperantiâ præfractum cor emolliret*, ut ait *Theodoretus*, ſe ſemel atque iterum pulicem appellavit. Prior locus jam citatus eſt ex 1.*Sam*.24.*v*.15. *Poſt quem egreſſus eſt Rex* Iſraëlis? *Quem perſequeris? canem mortuum? pulicem unum?* Alter capitis vigeſimi ſexti verſu vigeſimo, *Egreſſus eſt Rex* Iſraëlis *ad quærendum pulicem unum.* Qui ſi unus quæratur, vix invenitur, & inventus vix capitur, & captus venatori levis eſt præda, Regi maximè. Pro pulice in uno loco *Chaldæus* habet הדיוט חד, *idiotam*, (id eſt, plebeium) *unum*: in altero חלש חד, *infirmum unum*, Non malè, cùm hyperbolicâ hâc metaphorâ *David* nihil aliud ſignificet, quàm ſe vilem eſſe homuncionem, in quo inſequendo Rex potens, qualis erat *Saul*, malè operam ſuam collocet: cùm propter tenuitatem facilè latere poſſit, nec ſi tandem caperetur, magnum operæ pretium *Saul* facturus eſſet. Non diſſimili hyperbole de *Agamemnone* dicit *Achilles* libri decimi *Iliad*. verſu 378. Τίω δέ μιν ἐν καρὸς αἴσῃ, vel, ut alii legunt, ἐγκάρος αἴσῃ, *non pluris illum facio quàm pediculum.* Ità enim ex *Euſtathio* multi accipiunt. Et apud *Dionem Claudius*, ut doceret ſe tenuiorum hominum inſidias ſuſque deque habere, Οὐ τὸν αὐτὸν χρὴ τρόπον ψύλλαν τε καὶ θηρίον ἀμύνασθαι, *Non oportet eodem modo adversùs pulicem, quam adverſus feram ſe tueri.* Proinde *Tzetzis* Hiſtoriarum *Chil*.9.*Hiſt*.272. *Xerxis* imbelles copiæ vocantur ψυλλῶν νέφος *pulicum nubes*. Et in *Anonymi* Epigrammate *Anthol*. libri ſecundi capite trigeſimo ſecundo *Cajus* pumilio dignus eſſe dicitur, qui militiæ det nomen,

> Εἰ μὲν ἐπ' ἀττελάβους ἄγεται στρατὸς, ἢ κυνομυίας,
> Ἢ μύας, ἢ ψυλλῶν ἱππικὸν, ἢ βατράχων,

Si in attelabos copiæ ducantur, aut cynomyias, aut mures, aut pulicum, vel ranarum equitatum. Hinc ridetur in fabulis qui à pulice morſus *Herculem* invocavit. Unde natum Adagium apud Parœmiographos, Ἐν ψύλλης δήξει θεὸν ἐπικαλεῖται, *In pulicis morſu Deum invocat.* Et *Ariſtophanes* in *Nebulis*, ut *Socratem* doceat de rebus nihili philoſophari, fingit illum pulicis ſaltum dimetiri, & ſaltu ſuo proprios pedes quot tranſiliat. Verba ſunt *Actûs* 1. *Scenâ* 2.

> ΜΑ. Ἀνήρετ' ἄρτι Χαιρεφῶντα Σωκράτης
> Ψύλλαν ὁπόσους ἅλλοιτο τοὺς αὑτῆς πόδας.
> Δακοῦσα γὰρ τοῦ Χαιρεφῶντος τὴν ὀφρῦν,
> Ἐπὶ τὴν κεφαλὴν τοῦ Σωκράτους ἀφήλατο.
> ΣΤΡ. Πῶς δῆτα τοῦτ' ἐμέτρησε; ΜΑ. Δεξιώτατα.
> Κηρὸν διατήξας, εἶτα τὴν ψύλλαν λαβὼν,
> Ἐνέβαψεν εἰς τὸν κηρὸν αὐτῆς τὼ πόδε,
> Κᾆτα ψυχείσῃ περιέφυσαν Περσικαί,
> Ταύτας ὑπολύσας ἀνεμέτρει τὸ χωρίον.

DISC. *Nuper interrogavit* Chærephontem Socrates, *quot ſuos ipſius pedes ſaltet culex. Demorſo enim* Chærephontis *ſupercilio, in* Socratis *caput inſilierat.* STREPS. *Quomodo igitur id metitus eſt?* DISC. *Dexterrimè. Ceram enim liqueſecit, & capto pulice, pedes ejus in ceram immerſit: & mortuo crepidæ adnatæ ſunt, quibus ſolutis ſpatium dimenſus eſt.* Et *Act*.3.*Sc*.1.

> ΦΕΙ. Τίς φησι ταῦτα; ΣΤΡ. Σωκράτης ὁ Μήλιος,
> Καὶ Χαιρεφῶν, ὃς οἶδε τὰ ψυλλῶν ἴχνη.

PHI. *Quis hæc dicit?* STR. *Socrates Melius* (id eſt, tam atheus, quàm *Diagoras Melius*) *&* Chærephon, *qui novit pulicum veſtigia.* Nempe de *Socrate* fuiſſe tale aliquid diſſeminatum etiam ex *Xenophontis Sympoſio* colligere eſt, ubi *Socrati* dicit quidam *Syracuſanus*; Εἰπέ μοι πόσους ψύλλα πόδας ἐμοῦ ἀπέχει· ταῦτα γάρ σε φασὶ γεωμετρεῖν. *Dic mihi quot pedes à me diſtet culex: ajunt enim te hæc dimetiri.* Eodem pertinet, quòd de ſordido *Euclione* ſcribit *Petrus Nellus* Satyricus *Italus*: *Scortica di pulci per haver la cuoia*, id eſt *Excoriat culices ut pellem habeat.* Ut *Philen* prætercam, qui ut in Medicina doceat prodeſſe res viliſſimas, ad eraſtis morſum ſe adhibere ait ἐντίλῃ ψύλλαν μόνην *nil niſi vilem pulicem*: ſed, niſi fallor, gravi errore. Sic enim ταῖς ψύλλαις *pulicibus* tribuit, quod alii τοῖς Ψύλλοις, *Pſyllis populis.* Ælianus *Hiſtoriæ* libri primi

primi capite quinquageſimo ſeptimo, ubi de *Africa* ceraſtis; Ἔςι ϑ αὐτοῖς πρὸς τοὺς καλουμένους Ψύλλους ἰσπονδα, ὅτι περ οὔτε αὐτοὶ δακνόμενοι ἐπαισθάνονται τῶν δηγμάτων, καὶ τοὺς τῷ ἑτέρῳ κακῷ περιπεσόντας ἰῶνται ῥᾷστα. *Illis eſt pax cum iis, qui Pſylli dicuntur, qui nec ipſi, ſi mordeantur, morſum ſentiunt, & eos, qui in id malum incidunt, facillimè ſanant.* Et multò ante ſcripſerat *Callias* libro 10. *De rebus Agathoclis*, τοὺς κεράστας ὄφεις δείνους εἶναι τὸ δῆγμα, ἀναιρεῖν γὰρ καὶ ζῶα ἄλογα, καὶ ἀνθρώπους, εἰ μὴ παρείη Λίβυς ἀνὴρ Ψύλλος ὢν τὸ γένος. *ceraſtas ſerpentes eſſe diri morsûs, & tam bruta, quàm homines, interimere, niſi adſit vir* Libycus Pſyllus *genere*. Quâ autem ratione id fiat, vide apud *Ælianum* ubi ſupra, & libri decimi ſexti caput vigeſimum ſeptimum & vigeſimum octavum.

Ut à culice *Conopem* ſervum in *Achille Tatio*, ſic à pulice Virum illuſtrem nomen duxiſſe mirabere. Is eſt פרעוש, *Paros*, vel *Pharos*, qui ſæpe nominatur in libris *Esdræ*, & *Nehemiæ*. Sed & in *Menandri Meſſenia* Ψύλλος eſt viri nomen, de quo *Suidas*. Et *Pſylla*, vel *Pſyllium*, *Bythiniæ* urbs non procul ab *Heraclea*. Et apud *Pollucem* οἱ κύνες οἱ ψυλλικοὶ *Pſyllici canes* ab *Achaiæ* urbe dicti. Nec deſunt, qui *Græcos Africæ Pſyllos* ἀπὸ τῶν ψύλλων *à pulicibus Græcum* nomen indidiſſe ſuſpicentur, quia pulicum more ſanguinem exſugebant, nempe ut à ſerpentibus percuſſos ità ſanarent. *Plinius* libri vigeſimi octavi capite tertio, *Quorundam hominum tota corpora proſunt, ut ex his familiis, quæ ſunt terrori ſerpentibus, tactu ipſo levant percuſſos, ſuctuve modico. Quorum è genere ſunt* Pſylli Marſique. *Suetonius* in *Auguſto* capite decimo ſeptimo, Cleopatræ *etiam* Pſyllos *admovit, qui venenum ac virus exſugerent*. *Arnobius* libro ſecundo, *Adversùs ictus noxios, & venenatos colubrarum morſus, remedia ſæpe conquirimus, & protegimus nos labiis* Pſyllis, Marſisve *dentibus*. Ità legit *Cl. Salmaſius* pro vulgato, *laminis* Pſyllis, Marſis *vendentibus*. *Celſus* libri tertii capite vigeſimo ſeptimo, ubi de ſerpentum morſu; *Homo adhibendus eſt, qui vulnus exſugat: neque* Hercules *ſcientiam propriam habent, qui* Pſylli *nominantur, ſed audaciam uſu ipſo confirmatam*. Unum addo, in *Sicilia* agrum circa *Pintiam* urbem vernaculo ſermone vocari *terra di pulici*, non tamen *à pulicibus*, ſed à templo *Pollucis* ibi olim culti.

CAPUT VIGESIMUM.

Formicæ nomen *Latinum*, *Græcum*, *Hebræum*, & *Chaldaicum*.

Formica, φόρμικα, βύρμηξ, & μύρμηξ *unde dicta*. B, M, & F, *literæ permutabiles*. Ex Græco *Accuſativo formari* Latinum *Nominativum*. Formica *Hebraicè* נמלה nemala. *An quia granorum capita abſcindit, ne regerminent? Quod docent ſcriptores omne genus.* Ποίμνη Epiphanio ἡ μυρμηκιά. Hieronymus *emendatus*. *Formica, cur grana coriandri quadrifariam dividat, lentes, hordeum, & fabas ſolùm excorticet.* Coriandrum *Arabicè* كسفرة *pro* كزبرة Job. 24. v. 24. נמל namal, *eſt* ſpicæ caput abſcindere. *Inde* formica נמלה nemala; *quia ſpicarum ſummitates abſcindit, ut grana ex iis eximat. Inſignis de eo* Æliani *locus non ſatis intellectus.* Ἀθέρας *eſſe ſpicarum capita. His oppono* ἀθέρας *in* Æliano, *ſed legendum* ἀθέρικας, *vel* ἀθρύσκας. *Infimam ſpicam à* Varrone urruncum dici. Formica *Chaldæis* שומשמנא *ſumſemana*, *ab inſigni odoratu*. Arabibus سمسم *ſimſima formicæ ſpecies*.

FOrmicam dici eò quòd *ferat micas farris* perperam ſtatuit *Iſidorus*. Vox enim eſt *Græcæ* originis. Quam ſcilicet μύρμηκα nominat *Græcorum* vulgus, nonnulli βύρμηκα vocabant, aut βύρμακα. *Heſychius*, βύρμακας, μύρμηκας. Nempe *M* in *B* ſæpe mutari docent voces μίλλειν & βίλλειν, μυρσίνη & βυρσίνη, τερμινθος & τερέβινθος, ἐπισομεῖν & ἐπισοβεῖν. Rurſus literæ B & Φ, vel *F*, non ſunt minùs permutabiles. Dicitur enim βιςάκιον & φιςάκιον, ἀμφιλαβὲς & ἀμφιλαφὲς, ςρόβω & ςρέφω. Et *Latina*, *triumphus*, *fremo*, *faſcinus*, *fun*[illegible], *fæcca* ſunt ex *Græcis* θρίαμβος, βρέμω, βάσκανος, [illegible]λω. *Formica* itidem ex βύρμηκα. Quamvis ipſos *Græcos* φόρμικα pro *formica* dixiſſe doceant hæc *Heſychii*, φόρμικα, μύρμηκα. Neque id præter morem, quod ex Accuſativo βύρμηκα, vel φόρμικα, factum Nominativum *formica*. Sic enim Nominativa ſunt *orca*, *forda*, *ſporta*, *tæda*, *fera*, *ſpelunca*, ex *Græcis* Accuſativis ὄρυγα, φοράδα, σπυρίδα, δαΐδα, θῆρα, vel φῆρα, σπήλυγγα. Sed & id veriſſimile eſt, quod *Grammatici* aſſerunt, μύρμηκα *Græcè* dici, quaſi μέρμηκα, vel μερμήρηκα, ἀπὸ τοῦ μερμηρίζω καὶ φροντίζω, cùm ſit ſollicitum animal, & de futuro valde anxium. Itaque μύρμηξ quaſi μέρμηξ potuit appellari, ut urbs circa *Trojam*, & *Lampſacum*, rubris mœnibus, unde *Sibylla Erythræa*, in *Stephano* modo Μερμησσὸς nuncupatur, modo Μυρμισσός.

Sed *Hebræum formicæ* nomen נמלה *nemala*, fit à נמל *namal*, quod *ſuccidere* eſt. An quia Naturæ quodam inſtinctu grana, quæ ſub terra recondit, aut media dividit, aut eorum capita abſcindit, quaſi vereatur ne regerminent? Quod teſtari video ſcriptores omne genus. *Plinius* libri undecimi capite trigeſimo, *Semina arroſa condunt, ne rurſus in fruges exeant è terra*. *Plutarchus* in libro *Utra anim.* Ἵνα μὴ γενόμενον σπέρμα τὴν σιτίου χρείαν διαφθείρῃ, περιτέμνει δὲ αὐτοῦ ἐδώδιμον, ἐξαιροῦσι τὴν ἀρχὴν, ἀφ' ἧς ἡ βλάστη ὁ σῖτος ἀφίησιν. *Ne tritici granum ſemen evadens cibi uſum perdat, atque ut edule ipſis maneat, caput ejus corrodunt, ex quo germen emittit.* *Lucianus* in *Icaro-Menippo*, Πυροῦ ἡμίτομον ἐπιφέρων, *Frumenti granum ſemi*[illegible] *ferens currit*. Ælianus *Hiſtoriæ* libri ſecundi capite vigeſimo quinto, Ἑκάςου σπέρματος διατετραίνουσι τὸ μέσον, τὸ μὲν ἐκπεσὸν δεῖπνον γίνεται μύρμηξι, τὸ δὲ λοιπὸν ἄγονόν ἐςι. *Poſtquam ſingula ſemina in medio exterebrarunt, quod excidit formicæ pro prandio eſt, reliquum autem ſterile.* *Zoroaſtres* in *Geoponicis* libri decimi quinti capite primo, Οἱ μύρμηκες, ἵνα ὁ σῖτος ἀποθησαυριζόμενος παρ' αὐτῶν μὴ φύῃ, τὰς ἐντεριώνας τῶν ῥαγῶν ἀφαιροῦσι. *Formicæ, ne frumentum apud ſe reconditum germinet, granorum interiora eximunt.* *Origenes* libro quarto *Contra Celſum*, aut *Celſus* ipſe veriùs; Τῶν ἀποτιθεμένων καρπῶν τὰς ἐκφύσεις ἀποτικτίθασιν οἱ μύρμηκες, ἵνα μὴ ἀναβλαςάνωσιν, μένωσι δὲ αὐτοῖς εἰς τροφὴν. *Reconditarum frugum germina eximunt formicæ, ne regerminent, & ut illis per annum in alimentum maneant.* *Baſilius* in *Hexaëmeron* Homilia nona, Ἐκτέμνει ταῖς ἑαυτοῦ χηλαῖς τῶν καρπῶν τὸ μεσαίτατον, ὡς ἂν μὴ ἐκφύντες ἄχρηςοι πρὸς τροφὴν αὐτῷ γένωνται. *Sicut unguiculis ſuis medias fruges, ne germinantes ipſi fiant ad alimentum inutiles.* *Epiphanius* in *Phyſiologo* capite decimo octavo, Ὅταν ἀποτιθεμένη τοὺς κόκκους ἐν τῇ ποίμνῃ, διχοτομεῖ αὐτούς, &c. *Cùm grana in cellulis recondit, illa dividit*, &c. Mira eſt κατάχρησις in verbo ποίμνη, quod propriè *gregem* ſonat, deinde etiam *caulam ovium*. At hic ſumitur pro τῇ μυρμηκιᾷ. *Hieronymus* in vita *Malchi*, *Illa ventura hyemis memores, ne madefacta humus in barbam horrea verteret, illata ſemina præcidebant.* Pro corruptis vocibus *in barbam* lego *in herbam*. *Euſtathius* in *Hexaëmeron*, Οἱ δὲ μύρμηκες τὸν σῖτον συνάγοντες διὰ μέσου τὸν κόκκον τέμνουσι, πρὸς τὸ μὴ ἐκφῦσαι αὐτὸν νοτιζόμενον. *Formica, cùm frumentum*

mentum

mentum colligunt, media grana abſcindunt, ne madefacta germinent. Piſidas *De mundi opificio*,

Πρόσελθε, μύρμηξ σιτολέκτε, ἐργάτις,
Τὸ κόκκον ἡμίτμητον ἐγκλείων κάτω,
Μήπως νοτισθῇ καὶ σαπῇ ταῖς ἰκμάσι,
Καὶ φθαρτικὴν κάτωθεν ἀνθήσῃ χλόην.

Accede, formica, frugilega, operaria, granum ſemiſectum humi recondens, ne humoribus madefiat, & putreſcat, & è terra in pernicioſam herbam effloreſcat. Tzetzes in *Heſiodum*, Τὸν σῖτον εἰς δύο τέμνων ἀποτίθησι, μή πως ἀναφύῃ· *Frumentum in duas partes diſſectum reponit, ne regerminet.* R. *Levi* in *Prov. 6. v. 6.* היא אוכלת חודו של זרע אשר בו מה שמדרגתו מדרגת זרע הזכר כמו שנזכר בספר הצמחים בדרך שלא יצמח הגרגרים הטמון בארץ ובזה יהיה נשמר מהעיפוש, *Comedit grani cuſpidem, quæ proportione reſpondet ſemini maris, ut traditur in libro De ſeminibus, ne germinent grana, quæ ſub terra latent, & ut à corruptione ſic ſerventur.* Liber *Hebraicus* in *Suecia* MSS. *Nôrunt homines naturam formicarum*, &c. ואיך יחתכו גרגיר החטה לשנים ואיך יקלפו השעורים והפולים והעדשים כי הם יודעי׳ שלא יצמחו אחרי כן, *Et quomodo frumenti granum in duas partes incidant, & quomodo hordeum, fabas, & lentes excorticent, quia ſciunt eas poſtmodum non germinare.* Alkazuinius, اذا جمعت الحب في موضع بيتها خافت ان ينبت فتقطع كل حبة قطعتين ليذهب عنها قوة النبت ويقطع حبة الكزبرة لرباع قطاع لان نصفها ينبت واذا كان عدسا او شعيرا او باقلا يقشرها ولا يكسرها فان بالتقشير يذهب عنها قوة النبت *Cùm grana collegerunt in apothecis ſuis, quia metuunt, ne germinent, in duas partes ſingula ſecant, ut ſic iis eximatur virtus vegetativa. Sed coriandri granum quadrifariam dividunt, quia etiam dimidiatum regerminat. Lentem autem, hordeum, & fabam non frangunt, ſed excorticant, quia per excorticationem vegetandi facultate privantur.* Idem in *Damire* legitur de granis, & coriandro, quod non vocatur الكزبرة *alkuzbara* per *Ze* & *Be*, ut in *Alkazuinio*, & aliis, ſed الكسفرة *alchuſphara* per *Sin* & *Phe*, in utroque meo exemplari. Quod obiter moneo, quia *Giggeio* hæret calculus in voce الكسفرة *alchuſphara*, & doctiſſimus *Golius* noſter eam intactam planè præterit. Sed, ut ad rem jam redeamus, quamvis tot ſcriptoribus fidem abrogare vix poſſimus, tamen ſi videatur ſubtilius *Hebræum formicæ* nomen hinc deducere, quia *Græci* vetuſtiores de formica nihil tale obſervaverunt, neque quiſquam eorum, qui vixerunt ante *Plinium*, quod meminerim; ſaltem formicas conſtat ſpicarum ſummitates ideò abſcindere, ut ex iis grana eximant, quod *Hebraice* Verbo נמל *namal*, aptiſſimè efferatur, cùm ſcriptura illud uſurpet in ſimili argumento. Nempe, cùm de impiis dicitur *Job. 24. v. 24.* וכראש שבלת ימלו, *Et ut ſpica caput abſcinduntur.* Ad quæ verba ſcribit *Kimchius* in *Lexico* מלל eſſe à נמל *namal*. Itaque formicas נמלים, *nemalim*, inde dici vero eſt conſentaneum. Rem graphicè deſcribit *Ælianus Hiſtoriæ* libri ſexti capite quadrageſimo tertio, ſed iis verbis, quæ non ſatis intelliguntur. Proinde libet illa explicare, Οἱ δὲ μύρμηκες προϊόντες ὥσπερ ἐπὶ νομὴν ἕπονται τοῖς μεγίστοις ἰοῦσιν· οἱ δὲ ἄγουσι στρατηγοῦ δίκην. καὶ εἰς τὰ λήϊα ἐλθόντες, οἱ μὲν ἔτι νεαροὶ τὴν καλάμην ὑφεστᾶσιν. οἱ δὲ ἡγεμόνες ἀνέρπουσι, καὶ τοὺς καλουμένους οὐραγοὺς τῶν καρπίμων διατραγόντες τῷ δήμῳ τῷ κάτω ῥιπτοῦσιν. οἱ δὲ περιελθόντες τοὺς μὲν ἀθέρας ἀποκόπτουσιν, ἐκλέπουσι δὲ τὰς τοῦ πυροῦ στολίδας τε, καὶ περιαμπεχόντας θυλακίδας. *Formicæ tanquam pabulatum proficiſcentes natu grandiores ſequuntur, quæ ducum inſtar præeunt: & cùm ad agrum ſegetum devenerunt, ſub calamis ſtant juniores. Duces autem aſcendunt, & frugum uragos, quos vocant, eroſos populo, qui infra eſt, abjiciunt. Illæ autem circumſtantes ſpicarum capita abſcindunt, & glumas, quibus granum induitur, & includitur, deglubunt*, &c. Ἀθέρας expono τοὺς ἀστάχυων τὰ ἄκρα cum *Homeri Scholiaſte* in *Odyſſ.* λ′. verſu 127. His opponit *Ælianus* οὐραγοὺς, vel, ut alii ſcribunt, οὐραχοὺς τῶν καρπίμων, *frugum uragos*, vel *urachos*. Quorſum nemo facilè dixerit. Alibi enim οὐραγὸς eſt plane aliud, nempe *dux extremi agminis*: item *in embryo meatus urinarius*. qui & οὐραχὸς nonnullis. Sed pro οὐραγοὺς, vel οὐραχοὺς, in *Æliano* ſcripſerim οὐρύγγους, vel ὀρρύγχους. Ut Græcè ὀῤῥυγχος ſit idem, quod *urruncum Varroni*, cujus verba ſunt *Rei Ruſticæ* libri primi capite quadrageſimo octavo, *Illud autem ſummâ in ſpicâ jam maturâ, quod eſt minus quàm granum, vocatur* FRIT. *Quod in infimâ ſpicâ ad culmen ſtramenti ſummum, item minus quàm granum eſt appellatur* URRUNCUM. Sic in *Æliano* ἀθέρες opponerentur τοῖς ὀῤῥύγχοις, ut in *Varrone* FRIT URRUNCO, quia illud in ſumma, hoc in infima ſpica eſt.

Arabicum formicæ nomen نملة *nimla*, *Hebræo* ſimile eſt: ſed *Chald.* & *Syr.* ܫܘܡܫܡܢܐ *ſumſemana*, unde oriatur, non ſatis ſcio. Niſi putetur fieri, Radicalibus geminatis, ab *Arabico* شم *ſamma*, quod odorari ſignificat. Quia formicam ſcribunt *Arabes* odoratu maximè valere. *Damir*, النمل شديد الشم *Formica eſt vehementis odoratûs.* Alkazuinius, ومن عجايبه انه مع لطافة جسمه وشخصه وخفة وزنه له شم ليس لا حد من الحيوان مثله واذا وقع شيء من يد الانسان في موضع لا يري فيه شيا من النمل فلا يلبث ان يقبل النمل كالخط الاسود الممدود الي ذلك الشي *E mirabilibus ejus eſt, quòd cum corporis ſui tenuitate, & ponderis ſui levitate, odoratum habet, qualem nullum animal. Cùm enim aliquid cecidit è manu hominis in loco, in quo formica nulla apparent, ſine mora formicæ accedunt tanquam linea nigra ad rem illam protenſa.*

Eſt & سمسمة *ſimſima* in uſu apud *Arabes* pro certa formicæ ſpecie. *Alcamus* السمسمة نمل حمر SIMSIMA, *formica rubra*, ſed per *Sin* ſcribitur, non per *Scin*, ut *Chaldæum* שומשמנא.

CAPUT

“ *Gravique obſonio convivas.* Nam & GRAVITER “ multum *ſignificat.* Cæcilius *Plocio,* “ *Placere hoc* “ *cœpit graviter,* &c. Salluſtius *Hiſtoriarum libro ter-* “ *tio, Cùm grave pretium fructibus eſſet,* &c. Var- “ ro γεροντοδιδασκάλῳ, *ubi graves paſcantur, atque* “ *alantur pavonum greges.* Ità graves cynomyiæ, id eſt, *multa,* & *copioſa.* Dicuntur autem *Ægyptiorum* terram univerſam devaſtâſſe, ut mures *Philiſtæorum* 1. *Sam.*6. *v.*5. non tamen eodem modo. Mures enim terram devaſtant proventum ejus abſumendo. *Ariſtoteles Hiſtoriæ* libri ſeptimi capite trigeſimo ſeptimo, Πολλαχοῦ γὰρ εἰώθει γίνεσθαι πλῆθος ἀμύθητον τῶν μυῶν ἀρουραίων, ὥς τε ὀλίγον λείπεσθαι τοῦ σίτου παντός· *Multis in locis oritur murium copia ineffabilis, ità ut ex univerſo frumento parùm relinquatur.* At cynomyiæ terram perdunt, dum perdunt incolas terræ. Ità enim explicat *Pſaltes* Pſal. 78. v. 45. *Miſit in eos cynomyiam, quæ conſumpſit eos.* Et auctor libri *Sapientiæ* capite decimi ſexti verſu nono, Οὓς μὲν γὰρ ἀκρίδων καὶ μυιῶν ἀπέκτεινε δήγματα· *Quos quidem locuſtarum & muſcarum morſus interemerunt.* Neque id novum, ut *terra* ſumatur pro *incolis.* Sic *Gen.*6. *v.*12. *Terra erat corrupta; quia corruperat omnis caro viam ſuam ſuper terram.* Incolas autem terræ muſcæ perdebant, eorum ſanguinem avidè exſugendo. *Philo* ubi ſupra, Ἐπιφοιτῶσι γὰρ, καὶ ἐπιτρέχουσιν ἀδεῶς, κἂν ἀνείργῃ τις, εἰς τὸ ἀήττητον ἀντιφιλονεικοῦσιν, ἄχρις ἂν αἵματος καὶ σαρκῶν κορεσθῶσιν· *Intrepide invadunt, atque incurrunt, &, ſi quis arcere velit, inſuperabili pervicaciâ contendunt, donec ſanguine & carnibus ſatiatæ fuerint.* Et paulò poſt, Τότε δὲ, καὶ θηλαστὴς ἦν ἡ προσβολὴ, ὡς διπλασιάσαι τὴν ἐξ αὐτῆς ἐπιβουλήν. (*) οὐκέτι μόνον τοῖς φυσικοῖς κεχρημένης πλεονεκτήμασιν, ἀλλὰ καὶ τῆς ἐκ θείας ἐπιφροσύνης, ὃ τὸ ζῷον ὥπλιζε, καὶ πρὸς ἄλλην ἀνήγειρε κατὰ τῶν ἐγχωρίων· *Tunc autem à Deo concitatus erat impetus, ità ut duplo moleſtior eſſet cynomyiæ invaſio, cùm non ſolis Naturæ donis uteretur; ſed & Dei impulſu regeretur, qui hoc animal armaverat, & vires illi inſpiraverat contra regionis incolas.*

(*) Lege ἐπιβολλῶ.

His malis oppreſſus *Pharao* concedit *Iſraëlitis,* quod hactenus vetitum fuerat, ut publico ſacrificio Deum placare niterentur. Nam antea ſolùm κρυφῇ ἐθυσίαζον *clàm ſacrificabant, Sap.*18. *v.*9. non palàm, & in propatulo. Regerit *Moſes* id non poſſe fieri, quia ſi in *Ægypto* abominationes *Ægyptiorum* Deo ſacrificarent, *Ægyptii* illos lapidarent. Quæcunque quadrupedes Deo in ſacrificium offerebantur, nempe boves, oves, & capræ colebantur ab *Ægyptiis.* De bove res notiſſima. Nam, ut de *Apide Memphitarum,* & *Mnevi Heliopolitanorum* Diis taceam, *Strabo* libro decimo ſeptimo bovem numerat inter ea animalia, quæ ἅπαντες κοινῇ τιμῶσιν Αἰγύπτιοι. Quod idem de vaccis aſſerit *Herodotus* libro ſecundo, quia erant *Iſidi* ſacræ, quæ pingebatur βούκερως. Sic in honorem *Jovis Ammonis,* qui capite arietino, & *Mendetis,* ſeu *Panis,* qui caprinâ facie & hircinis pedibus pingebatur, arietes quoque, & hirci, pro ſacris habebantur. Unde *Poëta* Satyrâ decimâ quintâ,

—— Lanatis animalibus abſtinet omnis
Menſa, nefas illic fœtum jugulare capellæ.

Non tamen per totam *Ægyptum* colebantur oves, & capræ, ſed certis locis. *Strabo* ubi ſupra, Ἄλλα δ' ἐστὶν (τῶν ζῴων) ἃ τιμῶσι καθ' ἑαυτοὺς ἕκαστοι, καθάπερ Σαΐται πρόβατον, καὶ Θηβαῖται, &c. Αἶγα δὲ καὶ τράγον Μενδήσιοι. Sunt apud *Diodorum,* qui hircum aſſerunt inter Deos fuiſſe relatum διὰ τὸ γεννητικὸν μόριον, ut *Græcorum Priapum.* Aliud affert *R. Joſua.* Nempe Deum ipſorum formam habuiſſe arietis, כי היו חושבים על מזל טלה שהוא מושל בארצם ובעבור זה לא היו אוכלים בשרו, *Quia ſignum Arietis regioni ſuæ dominari putabant, ac proinde ab eſu carnis ejus abſtinebant.* Rurſus aliter viſum *Aben-Ezra* in hunc locum. Is enim *Ægyptios* putat idem ſenſiſſe, quòd אנשי לנדיא שהם יותר מחצי העולם וכלם הם בני חם ואינם אוכלים בשר עד היום גם דם וחלב ודג וביצים והכלל כל דבר שיצא מן החי והם מתעבים מי שיאכל אותם ומלאכה נמאסה בעיניהם לרעות הצאן, *viros* Landiæ, *qui habitati orbis occupant plus quàm dimidiam partem, & omnes ſunt à* Chami *filiis. Et hodieque non ſolùm à carne, ſed & à ſanguine, & lacte, & piſcibus, & ovis, denique ab iis omnibus abſtinent, quæ ab animalibus prodierunt, & iis veſcentes abominantur, & nefas eſſe putant gregibus paſcendis incumbere.* Hæc ille de viris *Landiæ* mihi prorſus ignotis, niſi *Landiæ* ſubſtituatur *India,* cujus incolæ, ſi *Cteſiæ* credimus, πλείους σχεδὸν συμπάντων ἀνθρώπων *plures fuerunt reliquis hominibus ferè quotquot ſunt.* Et in iis *Gymnoſophiſtæ* miram abſtinentiam profitebantur. Utut ſit, recutitus doctor, pergens in inſtituta collatione incolarum *Landiæ* cum *Ægyptiis, Ità,* inquit, *ſcribitur* Gen. 46. v. 34. *omnem paſtorem ovium* Ægyptiis *eſſe abominationi. Quin dodieque in terra ſua nemini carnis uſum concedunt. Et, ſi quis eorum peregrinetur, fugit ab omni loco, in quo comeditur caro. Neque quidquam comedunt, quod tetigerit is, qui comedit carnem. Et vaſa ejus pro pollutis habent. Proinde ſcriptum eſt,* Ægyptios *non potuiſſe panem comedere cum* Hebræis, Gen. 43. v. 32. *Et* Joſeph, *cùm eſſet in domo* Potipharis, *præfecit eum* Potiphar *omnibus ſuis, præter panem, quem comedebat, ne illud tangeret, quia* Hebræus *erat,* Gen. 39. v. 6. *Nec ratio eſt quærenda, ſi res ità ſe habeat, cur pecora habuerint; cùm habeant etiam incolæ terræ* Landiæ. *Equi nimirum, aſini, & cameli ferendis oneribus & equitationi inſerviunt, & boves arandæ terræ, & oves propter lanam requiruntur.* Hæc ille, in quibus tam de *Ægyptiis,* quàm de *Indis* multa mentitur. Nam ejus ævo *Ægyptii* veterem ſuperſtitionem pridem exuerant. Nec in ipſo *Ethniciſmo* tam rigidi fuerant, quàm ille ſibi fingit. Certum tamen eſt, *Ægyptios* in animalium cultu tam fuiſſe ſuperſtitioſos, ut grande nefas & morte piandum eſſe crediderint, ſi quis illa vel minimum læſiſſet. *Cicero* libro quinto *Tuſculanarum Quæſtionum, Ægyptiorum morem quis ignorat, quorum imbutæ mentes pravitatis erroribus, quamvis carnificinam priùs ſubierint, quàm ibin, aut aſpidem, aut felem, aut canem, aut crocodilum violent? Quorum etiamſi imprudentes quippiam fecerint, pœnam nullam recuſent.* Narrat *Diodorus* libro primo rem à ſe viſam, non ex auditione acceptam: Ἀποκτείναντος Ῥωμαίου τινὸς αἴλουρον, καὶ τοῦ πλήθους συνδραμόντος εἰς τὴν οἰκίαν τοῦ πράξαντος, οὔτε οἱ πεμφθέντες ὑπὸ τοῦ βασιλέως ἄρχοντες ἐπὶ τὴν παραίτησιν, οὔτε ὁ κοινὸς ἀπὸ τῆς Ῥώμης φόβος ἴσχυσεν ἐξελέσθαι τῆς τιμωρίας τὸν ἄνθρωπον, καίπερ ἀκουσίως τοῦτο πεπραχότα, *Cum* Romanus *quidam felem occidiſſet, facto à plebe concurſu ad domum illius, qui hoc admiſerat: neque principes à Rege* (Ptolemæo) *ad deprecandum miſſi, neque communis* Romani *nominis timor, potuerunt hominem à pœna eximere, quamvis id feciſſet imprudens.* Sequitur aliquando in extremâ fame, cùm ab humana carne plures ob inopiam cibi non abſtinerent, ſacra tamen animalia intacta reliquiſſe. *Juvenalis Satyrâ* decimâ quintâ narrat inter *Ombitas* & *Tentyritas,* quorum illi crocodilum, hi accipitrem colebant, propter diſſenſum in religione tam acrem pugnam eſſe exortam, & tantâ animorum contentione, ut *Ombitarum* unum in fruſta diſſectum *Tentyritæ* crudum comederint, corroſis etiam oſſibus:

—— ultimus autem
Qui ſtetit abſumpto jam toto corpore, ductis
Per terram digitis aliquid de ſanguine guſtat.

Nec nova fuit hæc ſuperſtitio. Nam obtinuiſſe jam olim conſtat ex *Herodoto* & *Plutarcho* in *De Iſide.* Proinde inter populos tam veſanâ ſuperſtitione dementatos,

tatos, tutum non fuiſſet *Iſraelitis* ea animalia mactare, quæ pro Diis ipſi colebant. Et *Judæorum* ſacrificia meritò vocat *Moſes Ægyptiorum* abominationes, quia ab hujusmodi ſacrificiis *Ægyptii* maximè abhorrebant. Alii putant abominationes eo ſenſu vocari quo Deos gentium Scriptura paſsim ità nominat, quia ſunt Deo maximè exoſi. Sic *Deut.* 7. v. 25. *Sculptiles Deorum eorum igne comburite*, &c. *quia ſunt abominatio Domino Deo tuo.* Deut. 32. v. 16. *Per abominationes provocârunt eum*, id eſt, per idola ſua. 1. Reg. 9. v. 5. *Coluit* Solomon *Aſtartem Deum* Sidoniorum, *&* Milchom *abominationem* Ammonitarum; Et 2. Reg. 23. v. 13. *Excelſa quæ ædificaverat* Solomon *Aſtartæ abominationi* Sidoniorum, *Chemoſo abominationi* Moabitarum *&* Milchomo *abominationi* Ammonitarum. Sed prior interpretatio verior eſt. Neque enim veriſimile eſt, *Moſem* cum Rege agentem ejus Deos appellâſſe contumelioſo nomine. Et hæc melius cohærent, *Sacrificia noſtra Ægyptiis eſſent abominanda, qui proinde nos lapidarent.* Itaque hoc ſequuntur *Chaldæi* interpretes, & plerique *Hebræorum*. Pœnam lapidationis inter *Ægyptios* fuiſſe in uſu aliunde conſtare non puto. Sed neque id eſt neceſſe. Non enim hic agitur de pœna per leges illatâ, ſed de furore plebeculæ, quæ peregrina ſacra in receptorum locum introduci non ferens, aut illas pecudes mactari, quas myſtæ ſui conſecraverant, & Deorum loco habebant, potuiſſet obvios lapides in *Iſraelitas* intentare, & quod fecit *Pilatus Luc.* 13. *v.* 1. offerentium ſanguinem miſcere cum ipſorum ſacrificiis. Notum illud *Poetæ*,

Ac veluti magno in populo, cùm ſæpe coorta eſt
Seditio, ſævitque animis ignobile vulgus.
Jamque faces & ſaxa volant, furor arma miniſtrat.

Itaque in pugna, de qua nuper inter *Ombitas* & *Tentyritas*, cùm initio teli vice ſæviſſent nudæ manus, tandem ad ſaxa deventum, quorum uſus in populari ſeditione receptiſſimus:

——— *ergo acrior, impetus & jam*
Saxa inclinatis per humum quæſita lacertis
Incipiunt torquere, domeſtica ſeditione
Tela.

Hoc metu igitur petit *Moſes*, ut *Iſraelitis* Deo ſacra facturis ex *Ægypto* longius recedere liceat, nempe tridui itinere. Quod illis præcisè ſpatium cum definiviſſet Deus, alibi ſacra facere fuiſſet nefas. Ut *Abrahamo* non licuit *Iſaacum* filium alibi offerre quam in monte *Morijæ*. Et poſt templum Dei juſſu *Jeroſolymis* ædificatum, oblatæ alibi victimæ illi non erant acceptæ. Nec *Moſes* ideò mentiri cenſendus eſt, quod non aliam ſui diſceſsûs cauſam prætexit quam neceſſitatem Deo ſacrificium offerendi, ſuppreſſo conſilio de itinere ex *Ægypto* in terram *Chanaan*. Ut neque *Samuel* mentitus eſt, cùm in oppidum *Bethlehem* ideò ſe veniſſe dixit, ut Domino immolaret, 1. *Sam.* 16. *v.* 2. unctione *Davidis* prorſus diſſimulatâ, quæ ſuſcepti itineris præcipua fuerat cauſa. Cùm enim hæc duo *Samuel* in animo deſtinaviſſet, ſacrificium facere, & Regem ungere, potuit abſque ullo veritatis diſpendio horum unum profiteri, & alterum reticere. Ità *Moſi* duabus de cauſis ex *Ægypto* diſceſſuro, harum alteram *Pharaoni* tacere liberum fuit. Qui cum non haberet quod regereret, ſibique timeret & ſuis ab importunis illis muſcis, quibus *Ægyptus* infeſtabatur, tandem *Iſraelitis* concedit, ut diſcedant Deo ſuo ſacra facturi. Sed eâ lege, ut ne longius recederent, quàm petierat *Moſes*, id eſt, itinere tridui, & ut ante diſceſſum precibus ſuis muſcas pellerent. Id ſe craſtinâ die facturum promiſit *Moſes*, modò ne Rex ipſe falleret amplius, quomodo jam ſæpe fecerat. Quod erat Regem in os mendacii, & impoſturæ coarguere. Sed agebat Dei nomine, qui non patitur ſe derideri, *Job.* 13. *v.* 9. *Gal.* 6. *v.* 7. Nec fruſtrà fuiſſe quod *Moſes* Regem officii ſui monuit, patuit ex eventu. Quia quamprimùm plaga deſiit, Rex ad ingenium ſuum rediens populum retinere perſtitit, contra quam promiſerat. At longè aliter *Moſes*, qui, cum Dominum pro *Pharaone* & *Ægyptiis* ſincere atq; ex animo rogâſſet, Deus has muſcas ex tota *Ægypto* ſic amovit, ut ne una quidem ſuperfuerit. Sive Angelus, vel ventus à Deo excitatus illas in mare demerſerit, aut in vicina *Libyæ* deſerta propulſaverit. Atque id miraculum fuit priore majus, quod *Ægyptus* ab illis muſcis ita liberata eſt, ut ne una quidem remanſerit. *Ægyptum* enim ſcatere muſcis ex *Bellonio* notum *Obſervationum* libri ſecundi capite quadrageſimo ſeptimo, ubi circa pyramides tantam earum eſſe frequentiam aſſerit, ut illis volantibus aër reſonet.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

De Culice.

βύτζα culex Græcis *recentioribus, vox* Arabicæ *originis. Culicis encomium ex* Alkazuinio *&* Plinio. *Alii culici elephantem, ſed* Chriſtus *camelum opponit ut notiorem. Culex pro re minima.* Κώνωψ *propriè non quivis culex, ſed vinarius. Ità ſumitur* Matth. 23. v. 24. Judæi *vinum percolabant. De eo more* Græci *interpretes* Amos 6. v. 6. (*ubi* Hebræa *aliter legerunt.*) *Et* Talmudici *paſſim. Ad eum morem alluſit* Chriſtus *κώνωπες cur* Hebraicè בחושין. *Inſigne mendum in* Arabico *Evangelio.* Ἐμπὶς culex *in aquoſis locis naſcens.* Ἐμπὶς πεικογυσία, Hebraicè יתוש jatthus. *Sanguinem exſugit. Elephantum terret. In ejus aures & promuſcidem ingreditur. Exemplum illuſtre circa* Niſibin. *Idem bubalis & bobus infeſtus. Alter* בק bak, *dicitur, &* βύτυπος, *&* mulio, *non tamen mulos, ſed apes impugnans.* Ἐφήμερον ζῶον. *Et* מפגיע maphgia, *qui leonem invadit. Maximè in* Meſopotamia, *& in* Rhizophagis. *Qui & ipſi per culices è regione ſua pulſi, ut propè* Mæandrum Myuſii, *& infra* Pergamum Atarnitæ. Ægyptii *paluſtres quomodo huic malo medeantur. Conopea reticulati operis ad arcendos culices. Conopea* Cleopatræ. Tiberiadenſes *quomodo infantes à culicibus liberent. Fabula* Judaicæ *de* jatthus, *ſeu culice qui in nares* Titi *ingreſſus cerebrum ejus toto ſeptennio convulſit.* Arabes *de* Socaina *culice* Nimrodis *idem narrare.* ὁ ψὴν *culex, qui ex caprifico vel ex palma oritur.* Ariſtoteles *emendatus. Sexus in caprifico, ficu, & palma obſervatur. Per hos culices fructus ad maturitatem perduci. Culices in ulmo nati, & robore, & ficu,* cnipes, *vel* ſcnipes *nomine, qui* pſenes *vorant.* Heſychius *emendatus. Hic culex* Arabicè بقة bakka. *Arbor* albak *non eſt arbor cimicum, ut volunt, ſed culicum, Tamen* البق albak *etiam eſt cimex. In* Galeno *vermes vitibus infeſtos malè vocari σκνῖπας pro ἶπας* Græca *verſio σκνῖπας habet pro* Hebræo כנים.

CUlex generale nomen apud *Græcos* vetuſtiores nullum habuit. Nam κώνωψ, quo paſsim utuntur pro generali nomine, pertinet ad certam ſpeciem, ut poſtea dicemus. Et βύτζα culicis nomen recens apud *Moſchopulum*, & alios, eſt *Arabum* بعوضة *baudſa*, qui de culice mira dictitant. In his *Alkazuinius*,

هو الحيوان في غاية الصغر على صورة
الفيل وكل عضو خلق الفيل فالبعوض
مثله مع زيادة جناحين انظر الي صغر
جسمه

جسمه فان الطرف بالشده لا يدركه
لصغره ثم الي راسه فان راسه لم يكن
من جسمه وفيه القوة الباصرة والشامعة
ثم الي دماغه وانظر كم يكن دماغه
من راسه فان فيه القوة الباطنة
الخمس فيها الحس المشترك لانها تري
الحيوان يمشي اليها وفيها الخيال
لانها اذا وقعت على الحيوان تغمس
خرطومها واذا وقعت على الحايط لا تفعل
ذلك ومنها الوهم لانها يعرف بين
من يقصده فهرب وبين من لا
يقصده فيبقا وفيها الحافظة لانها اذا
اخذت الدم تهرب في الحال لعلمها
فانها وجعت فيتبها صدمها المتالم
وفيها المتفكرة لانها اذا احست
بحركة يد الانسان تهرب لعلمها انها
مهلكها واذا سكن يده عادت الي
مكانها لعلمها ان والمنا في ذهب وله
خرطوم ادق شي يكون ومع دقته
مجوف حتي يجري فيه الدم الرقيق
وخلق في راسه ذلك الخرطوم قوة
يضرب بها جلد الفيل والجاموس
ينفذه فيها والفيل والجاموس يهربان
من البعوض في الما *Eſt animal, quod in minima ſtatura formam habet elephantis. Et quidquid elephanti, culici pariter natura contulit cum alarum auctario. Attende ad parvitatem corporis ejus, quæ tanta eſt, ut viſus, quantumvis intendatur, eum* (volantem) *non aſſequatur. Deinde caput* (reſpice,) *quod corporis illius caput eſſe non videatur. In eo enim eſt videndi facultas, & audiendi. Tum de cerebro cogita, & præ capite quantum illud ſit: & ibi latere facultates quinque interiores. In eo ſcilicet eſt ſenſus communis, quia videt animal ad ſe venire. 2. Et imaginatio, quia, cùm incidit in animal, promuſcidem ſuam in illud immergit, neque idem facit, cùm incidit in parietem. 3. Et eſt virtus æſtimativa, quâ diſcernit ſe inſequentem ab eo, qui ſe non inſequitur. Ab illo enim fugit, & coram hoc in loco ſuo manet. 4. Facultas quoq; eſt conſervans* (ſeu memoria.) *Quippe, cùm ſuxit ſanguinem, fugit illico, tanquam ſibi conſcius ſe dolorem intuliſſe, ne pœnas repoſcat, qui læſus eſt. 5. Eſt & vis cogitativa. Unde eſt, quòd fugit cùm ſentit motum manûs humanæ, ut qui ſciat eam ſibi eſſe pernicioſam. Sed, quamprimùm quievit manus, redit ad locum ſuum, quia ſcit id abiiſſe, quod exitium ſuum machinabatur. Promuſcidem habet tenuiſſimam, ſed cum tenuitate ſua concavam, ut per illam defluant partes ſanguinis tenuiſſimæ. Et capiti ejus indita promuſcis illa tam valida eſt, ut, cùm ferit elephantis, aut verò bubali, corium illud penetret. Proinde elephas, & bubalus, ut culicem vident, ad aquas fugiunt,* &c. *Damir* multò plura habet hujus generis, quæ exſcribere jam non libet, cùm ut vulgò notiora, ita longè meliora ſint hæc *Plinii* libri undecimi capite ſecundo, *Ubi tot ſenſus* (Natura rerum) *collocavit in culice?* &c. *Ubi viſum in eo prætendit? ubi guſtatum applicavit? Ubi odoratum inſeruit? Ubi vero truculentam illam & portione maximam vocem ingeneravit? Quâ ſubtilitate pennas adnexuit? prælongavit pedum crura? diſpoſuit jejunam caveam, uti alvum, avidam ſanguinis, & potiſſimùm humani, ſitim accendit? Telum verò perfodiendo tergori quo ſpiculavit ingenio? Atque ut incapaci concerni non poſſit exilitas, ita reciprocâ geminavit arte, ut fodiendo acuminatum pariter, ſorbendoque fiſtuloſum eſſet.*

In his notanda quæ dicuntur de parvitate culicis. Quia in *Chriſti* Adagio de *Phariſæis Matth.* 23. *v.* 24. Οἱ διυλίζοντες τὸν κώνωπα, τὴν δὲ κάμηλον καταπίνοντες, *Excolantes culicem, & camelum deglutientes*, quo eos ſignificat in minutulis ita fuiſſe ἀκριβοδικαίους, ut interim ea negligerent, quæ ſunt majoris momenti, & in quibus propriè poſita eſt vera pietas: In illo, inquam, Adagio camelo culex opponitur, ut minimum animal maximo. Alius elephantem maluiſſet, ut *Libanius* ad *Caſilum*; Οἷον κώνωψ ἐν ἐλέφαντι παραβαλλόμενος, *Inſtar culicis elephanti collati.* Sed quia *Judæis* camelus elephante notior erat, vel ipſe *Chriſtus*, vel quiſquis alius ante *Chriſtum* Adagii fuit auctor, maluit ſimilitudinem ex re maximè obvia, id eſt, ex camelo, ducere, cui culex oppoſitus, ſi non eſt abſolutè minimum animal, ſaltem unum eſt è minimis. Unde *Poeta* in *Culice*,

Parvulus hunc prior humoris conterret alumnus.

Et in ejusdem Epitaphio,

Parve culex, &c.

Et *Martialis* de tenuiſſima illa *Pauli* phiala, libri octavi *Epigrammate* trigeſimo tertio,

Illa poteſt culicem longè ſentire volantem.

Quaſi tam tenuem eſſe dicat, ut, aëre culicis volatu impulſo, etiam eminùs agitetur. Et *De Lupi prædiolo* libri undecimi *Epigrammate* decimo nono,

Conſumpto moritur culex ſalicto.

Quaſi ne culici quidem paſcendo ſufficiat ſalictum. In quibus locis culicem patet pro re minima uſurpari. Sed, cum multæ ſint culicum ſpecies, notandum eſt in *Matthæo* τὸν κώνωπα propriè *vinulam* ſignificare, quomodo vocat *Scaliger*, id eſt, *vinarium culicem*, qui ex vino aceſcente natus, eodem alitur, atque paſcitur. Hinc *Ariſtoteles Hiſtoriæ* libri quinti capite decimo nono, Οἱ δὲ κώνωπες ἐκ σκωλήκων, οἳ γίνονται ἐκ τῆς περὶ τὸ ὄξος ἰλύος· *Vinulis* (ſeu *vinariis culicibus*) *origo eſt ex vermiculis, qui ex aceti fæce oriuntur.* Et libri quarti capite octavo, ὁ δὲ κώνωψ πρὸς οὐδὲν γλυκὺ προσιζάνει, ἀλλὰ πρὸς τὰ ὀξέα· *Vinarius culex non advolat ad dulce quidquam, ſed ſolum ad acida.* *Plutarchus* quoque contra *Stoicos*, Χαίρουσι γὰρ (οἱ κώνωπες) λάμπῃ, καὶ ὄξει· τὸν δὲ πότιμον καὶ χρηστὸν οἶνον ἀποπετόμενοι φεύγουσι· *Spuma vini & aceto vinulæ gaudent: poculentum vero & ſuave vinum avolantes fugiunt.* Et *Sympoſiacῶn* libri quarti capite primo idem vini meminit ἀχρειοτέρου, ὃν πίθου κωνώπων χορῷ περιᾳδόμενον, *acerbioris, ex dolio, quod vinariorum culicum*

culicum chorus circumſtrepit. Sed & libro ſexto *Geoponicῶn Anatolius*, poſt calcatas uvas, torcular diligenter abſtergi jubet, quia reſiduus humor conculcatum fructum corrumpit, καὶ τὸ κώνωπα ποιεῖ, *& vinarium culicem generat.* Non me latet τὸ κώνωπα ſæpe latius pro quovis *culice* ſumi. Sed in *Evangelio* propria vocis ſignificatio retinenda eſt, quia agitur de culice, qui percolatur, id eſt, qui in vinum delapſus ex eo percolato eximitur. Vinum ſcilicet apud *Judæos* in colo, vel in ſudario, percolare moris erat, ne culex, aut aliud animalculum per legem prohibitum tanquam immundum, ab incautis abſorberetur. Unde *Græci* interpretes *Amos* 6, 6. Οἱ πίνοντες τὸν διυλισμένον οἶνον, *Qui bibunt vinum percolatum*, pro *Hebræo*, השותים במזרקי יין, οἱ πίνοντες ἐν φιάλαις οἶνον, *qui vinum in phialis bibunt.* Quomodo rectè redditur *Juſtinus* in *Dialogo cum Tryphone Judæo*: ſed *Senſores* pro במזרקי *bemizreke, in phialis*, legiſſe videntur במזקקי *bemizkeke, in colis* ſupple מזקק *mezukkak*, *percolatum.* Et *Talmudici* Tractatu *De Sabbatho* cap. 10. fol. 139. b. מסננין את היין בסודרין, *Qui vinum in ſudariis percolant.* Et in *Cholin* cap. 3. fol. 67. a. יבחושין שסננן JABCHUSIN *quos percolant*: ubi *Gloſſa* voce יבחושין *jabchuſin*, ſignificari ait כמין יתושין דקין הנמצאות במחבות של יין, *genus culicum puſillorum, qui in vini fæcibus reperiuntur.* Itaque יבחושין *jabchuſin*, *Talmudicis* id ipſum ſunt, quod *Græcis* κώνωπες. Et videntur ſic appellari, quia vino immixti ſunt. Illis enim בחש *bachas, miſcere* eſt. Sunt, qui, addito Epitheto, vocent יבחושין אדומין, *jabchuſin rubros.* Ut in *Nidda* fol. 22. a. & in *Zebachim* fol. 22. a. Ubi rurſus *Gloſſator* יבחושין ſcribit creſcere בשולי חביות של יין שלנו מבחוץ, *in fundo doliorum vini noſtri extrinſecus.* Ad eoſdem hæc *Maimonidis* pertinent in Tractatu *De cibis vetitis* cap. 2. art. 20. המסנן את היין או את החומץ או את השכר ואכל את היבחושין או את היתושין והתולעות שסנן לוקה, *Qui colat vinum, aut acetum, aut ſiceram, & comedit* JABCHUSIN, *aut culices, & vermiculos, quos percolavit, vapulat.* Itaque *Chriſtum* ad hunc ritum alluſiſſe palam eſt, cum *Scribas* & *Phariſæos culices percolare* dixit: atque hic τὸν κώνωπα propriè *vinarium culicem* ſignificare, quomodo in *Ariſtotele*, *Plutarcho*, & *Anatolio.* Obiter obſervandum eſt, *Arabem* hic habere الذين يتركون البعوضة *qui omittunt culicem*, inſigni mendo. Nam pro يتركون *jatbruchouna, omittunt*, legendum يروقون *jurauvicouna, excolant.* Ut *Amos* 6. v. 6. الخمر المروقة eſt *vinum excolatum*, voce *Avicennæ* & Medicorum aliis perquam familiari, quam tamen imperiti Scribæ ideò corruperunt, quia non intelligebant.

Aliud culicis genus ἐμπίδες in aquoſis locis naſcitur. *Ariſtophanes* in *Lyſiſtrata*,

Οὐκ ἐμπὶς ἔστιν ἥδε Τρικορυσία;

Nunquid hæc eſt empis Tricoryſia? id eſt, culicis majoris genus, quales in *Attica* pago *Tricorytho*, qui locus erat nemoroſus, & uliginoſus. *Scholiaſtes* apud me manu-ſcriptus, neque dum editus: Ἐμπὶς ζῶον κώνωπι παραπλήσιον, ὡς ἐν Τρικορείθῳ (lege Τρικορύθῳ) πολλῶν ἐμπίδων γινομένων· ἔστι γὰρ ἀλσώδης, καὶ κάθυγρος. *Empis eſt animalculum culici vinario ſimile (Tricoryſiam Poëta dicit) quia* Tricorythi *multæ ſunt. locus enim eſt nemoroſus, atque humidus.* Quod ipſum ſequitur *Suidas* in Τρικορυσία Apud *Philoſophum Hiſtoriæ* libri quinti capite decimo nono. Αἱ ἐμπίδες γίνονται ἐκ τῶν ἀσκαρίδων· αἱ δὲ ἀσκαρίδες γίνονται ἔν τε τῇ ἰλύϊ τῶν φρεάτων, καὶ ὅπου ἂν σύρρευσις γίνηται ὕδατος, γεώδη ἔχουσα ὑπόστασιν. *Empides ex vermibus generantur, quibus origo eſt ex limo puteorum, vel cujuscunque aquarum confluxûs, in terrenam ſubſtantiam concreſcente.* Proinde vetus *Ariſtophanis Scholiaſtes* in *Nubes*, & in *Aves*, ἐμπίδας definit, εἶδος κώνωπος παραποτάμιον, *culicis genus ad amnes degens*: & ζῶον παρὰ τοῖς ὕδασι γινόμενον, ὅμοιον τῷ κώνωπι, *animal vinario culici ſimile; quod ad aquas naſcitur.* Id *Hebræis* propriè יתוש *jatthus.* Eſt enim culicis ſpecies: & definitur in *Aruch*, רחש שגדל במים *inſectum in aquis creſcens.* Scribitur יתוש *jatthus*, pro ינתוש *janthus*; *Nun* latente in *Daghes.* Fit enim à Verbo נתש *nathas*, quod *Hebræis, Chaldæis*, & *Arabibus*, *vellere* & *vellicare* ſignificat. Unde in *Giauhari*, & *Alcamus* نتش اللحم *traxit mordendo vulſitque carnem.* Quod horum culicum proprium, qui *Anthologiæ* libro ſeptimo à *Meleagro* vocantur

Ὀξυβόαι κώνωπες, ἀναιδέες, αἵματος ἀνδρῶν
Σίφωνες ———

Acute clangentes culices, impudentes, ſanguinis virorum ſiphones. *Hebræi* יתוש *jatthus*, dicunt elephanto eſſe terrori, אימת יתוש על הפיל. Ità habetur in Tractatu *Talmudico De Sabbatho* cap. 8. fol. 77. b. Et, ſi creditur *Baal Aruch*, נכנס לו בטבורו ומפחידו *ingreditur ipſi in umbilicum, & terret eum.* Sed in *Achille Tatio* timet elephas, ne culex in aures penetret. Ibi enim elephas à leone rogatus, cur aures haberet in perpetuo motu, reſpondet, oſtenſo culice circa caput ſuum volitante, Ὁρᾷς τουτὶ τὸ βραχὺ τὸ βομβοῦν; ἢν εἰσδύῃ μου τῇ τῆς ἀκοῆς ὁδῷ, τέθνηκα. *Vides bombilantem hanc beſtiolam? ſi in aures meas ingrediatur, perii.* At apud *Theodoretum* libri ſecundi *Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ* capite vigeſimo ſexto, Rege *Sapore Niſibin* obſidente, Τῶν σκνιπῶν, καὶ τῶν κωνώπων τὰ νέφη τῶν ἐλεφάντων τὰς προνομαίας κοίλας οὔσας πεφυκυίας ἐπλήρωσεν, *ciniphum & culicum nubes cavas elephantorum promuſcides impleverunt.* Quomodo *Gloſſa Talmudis* ad locum, quem citavimus, יתוש נכנס בפיל בחוטמו, JATTHUS *in elephantis promuſcidem ingreditur.* *Arabs*, quem ſuprà citavi, ſcribit elephantos in hoc metu ad aquas confugere, in quibus nempe ſe immergant, ut culicum impetum evitent. Idem de bubalis ibidem habetur. Et *Talmudici*, ubi ſuprà, מט תורא אריכא גנובתיה משום דדייר באגמי ובעי לכרכושי בקי *Quorſum bovi longior eſt cauda? Quia in paludoſis locis degit, & culices vult abigere.* Ibi enim בקי *bakke*, ſunt יתושין *jatthuſin*, (id eſt, ἐμπίδες) ut habet *Gloſſa.* Proinde in *Heſychio* βουτύπος, *bovicida*, eſt εἶδος ζώου καλούμενον ἐμπὶς; *animalis genus, quod vocatur* EMPIS. Aliud culicis genus *mulio* dici putatur, quia mulis infeſtus eſt. *Plinius* tamen nonniſi de apibus ſcribit libri undecimi capite decimo octavo, *Impugnant eas è culicum genere, qui vocantur muliones.* Et libri trigeſimi cap. decimo ſexto, *Eos, qui arborarii pici roſtrum habeant, & mella eximant, ab apibus non attingi.* Nec plura habet de mulione, niſi quod paulo ante tradit *in culicum genere muliones non amplius, quam uno die vivere.* Quale eſt *Talmudicum* illud in *Cholin.* fol. 58. b. לית בקא בר יומא ולית ריבבא בת שתא, *Non eſt* bakka (ſeu *culex*) *qui in unum diem, nec muſca, quæ in unum annum vivat.* Eſt & culicis genus *Hebraicè* מפגיע *maphgia*, dictus *ab occurſando*; quia ſolus audet leoni occurrere. Hinc *Talmudici*, אימת מפגיע על ארי, *Maphgia terror eſt ſuper leonem.* Et ibi *Gloſſa*, מפגיע חיה קטנה וקולה גדול ושומע ארי וירא שהוא בריה גדולה ובורח, Maphgia *eſt beſtiola valde ſonoræ vocis; quâ auditâ, leo fugit, tanquam metu feræ majoris.* *Achilles Tatius* lib. 2 Ἐμπίπτει τῷ λέοντι (ὁ κώνωψ) καὶ εἰς τοὺς ὀφθαλμοὺς ἱππεύει, καὶ εἴ τι ἄλλο ἀτείχιστον τοῦ προσώ-

(a) al. καταυλῶν.

προσώπων, περιιπτάμενος ἅμα, καὶ τῷ βόμβῳ (a) καταυχῶν. *In leonem incidit culex, & oculos ejus invadit aliasque faciei partes, quæ pilis carent, circumvolans, & bombum edens.* *Marcellinus* lib. 18. de *Meſopotamiæ* leonibus, *Magnitudine culicum agitantur, quorum examinibus per eas terras referta ſunt omnia. Et quoniam oculos, quaſi humida & lucentia membra, eadem appetunt volucres, palpebrarum libramentis mordicus inſidentes, iidem leones cruciati diutius, aut fluminibus merſi ſorbentur, ad quos remedii cauſâ confugiunt, aut amiſſis oculis, quos unguibus crebro lacerantes effodiunt, immanius efferaſcunt. Quod ni fieret univerſus Oriens hujuſmodi beſtiis abundaret.* Hoc præcipuum, quod leones in *Rhizophagis* culicum voce fugari teſtantur idonei ſcriptores. *Agatharchides* libri quinti capite vigeſimo ſecundo, Ὑπὸ δὲ τὴν ἐπιτολὴν τοῦ κυνὸς γίνεταί τι κωνώπων πλῆθος ἄπλετον, &c. ὑφ᾽ ὧν καὶ οἱ λέοντες ἐκτοπίζονται, οὐχ οὕτως ὑπὸ τοῦ δηγμοῦ θλιβόμενοι, καίπερ ὄντος ἐπαχθοῦς, ὡς τὸν ἀπὸ τῆς φωνῆς ἦχον ἀδυνατοῦντες φέρειν. *Sub Canis ortum naſcitur culicum immenſa copia, à quibus leones etiam pelluntur, non tam morſu vexati, quamvis moleſto ſatis, quam quia ſonum vocis ferre non poſſunt.* *Diodorus* quoque libro tertio leones ex iis locis fugere narrat, ἅμα μὲν ὑπὸ τοῦ λιμοῦ (lege ὑπὸ τοῦ δηγμοῦ, ut in *Agatharchide*) κακουχουμένους, ἅμα δὲ τὸν ἀπὸ τῆς φωνῆς ἦχον καταπεπληγμένους, *tam morſu* (culicum) *malè affectos, quam vocis illorum ſono territos:* quod ipſum de *maphgia Hebræi* ſcribunt. Neque dubium, quin hi culices fuerint in genere τῶν ἐμπίδων, quia naſcebantur in paludibus, quorum incolæ erant *Rhizophagi*, unde & Ἑλεῖοι, id eſt, *paluſtres* appellabantur. Vide *Strabonem*, & alios.

Eadèm animalcula hominibus ſunt maximè infeſta. Nam illos ipſos *Rhizophagos* tandem è paludibus ſuis alio migrare coëgerunt κωνώπιά τινα ἐκπληκτικά *culices quidam terribiles*: & regio tota deſerta manſit. Ita *Ælianus* libri decimi ſeptimi capite quadrageſimo. Et *Pauſanias* in *Achaicis* idem *Myuſiis* accidiſſe narrat, quorum cum urbs & ager ad *Mæandri* oſtium eſſet prope ſinum non magnum, τοῦτον λίμνην ὁ ποταμὸς ἀπέκλεισεν ὁ Μαίανδρος, ἀποτεμόμενος τὸν ἔσπλουν τῇ ἰλύϊ. ὡς δὲ ἐγένετο τὸ ὕδωρ, καὶ οὐκ ἔτι ἦν θάλασσα, κώνωπες ἄπειροι ἐγίγνοντο ἐκ τῆς λίμνης, ἐς ὃ τοὺς ἀνθρώπους ἠνάγκασαν ἐκλιπεῖν τὴν πόλιν. *Eum ſinum* Mæander *fluvius, oſtio aquarum impetu oblimato, ſtagnum reddidit. Poſtquam igitur edulcuit aqua, neque amplius mare fuit, culices è lacu tanta copia enati ſunt, ut incolas urbem deſerere coëgerint.* Et paulò poſt ſequitur, etiam *Atarnitas*, qui ſunt infrà *Pergamum*, in eandem calamitatem incidiſſe. Paluſtres quoque *Ægyptios*, ut hoc vitent incommodum, alios refert *Herodotus* dormire in ſummis turribus, ad quas nè culices provolent ventus prohibet. Alios iiſdem retibus, quibus interdiu piſcantur, noctu cubile ſuum circumdare : & culices, qui ſindones, & veſtes ipſas, morſu penetrant, retium metu contineri. Itaque τὰ κωνωπεῖα *conopea* ad τοὺς κώνωπας, ſeu *culices*, arcendos facta, erant reticulati operis. *Juvenalis Satyrâ* ſextâ.

Ut teſtudineo tibi, Lentule, *conopeo*.

Et ibi *Scholiaſtes*, *Hoc eſt linum tenuiſſimis maculis* * *nanctum*, lege *textum*, aut tale quid. Horum uſum ab *Alexandrinis Romani* didicerant. Itaque *Cleopatræ* conopeum *Romani Poetæ* inter ea cenſent, quæ erant peregrini moris. Et de illa *Propertius* lib. 3.

Auſa Jovi *noſtro latrantem opponere* Anubim,
Et Tiberim Nili *cogere ferre minas.*
Romanamque *tubam crepitanti pellere ſiſtro,*
Baridos, *& contis noſtra* Liburna *ſequi*
Fœdaque Tarpejo *conopea tendere ſaxo*, &c.

Et *Horatius Epodun* Oda nona, quæ eſt de bello *Actiaco*, quod à *Caſare* cum *Antonio* & *Cleopatra* geſtum eſt.

Romanus (*eheu! poſteri negabitis*)
Emancipatus fœmina,
Fert vallum & arma miles, & ſpadonibus
Servire rugoſis poteſt.
Interque ſigna turpe militaria
Sol aſpicit conopeum.

Circa *Tiberiadem*, ubi lacus eſt notiſſimus, ex quo oriuntur multi culices, *Hebræi* timuiſſe videntur, ne per naſum, aut aures in infantum caput penetrantes cerebrum eorum convellerent. Hinc in *Bereſith Rabba* Sectione trigeſimâ quartâ dicunt *Tiberiadenſes*, כי ינוקא מתיליד אנא גבלין ליה ארמרמני וטושין מוחיה תלא יכלוניה יתושיא *Cum infans natus eſt, maſſam ei ſubigimus ex uvis immaturis, & cerebrum ejus* (id eſt, caput) *inungimus, ne mordeant illud* jattuſia, id eſt, αἱ ἐμπίδες.

Quomodo a *Judæis* nugivendis narratur יתוש *jatthus*, in *Titi* nares irrepſiſſe, & cerebrum ejus toto ſeptennio convulſiſſe. *Talmudici* in Tractatu *Gittin* cap. 5. fol. 56. b. בא יתוש ונכנס בחוטמו נקר במוחו שבע שנים, *Venit* jatthus, *qui in nares ejus ingreſſus, illius cerebrum perfodit per ſeptem annos.* Et paulo poſt, אר' פנחס בן ערובא אני הייתי בין גדולי רומי וכשמת פצעו את מוחו ומצאו בו כצפור דרור משקל שני סלעים במתניתא תנא כגוזל בן שנה משקל שני ליטריין אמר אביי נקטינן פיו של נחושת וציפורניו של ברזל, *Dixit* R. Phinees Arubæ *filius, Fui inter magnates* Romæ, *ubi, cum mortuus eſt, cerebrum ejus aperuerunt, & in eo repererunt tanquam hirundinem ponderis duorum ſiclorum.* *In* Miſna *traditur tanquam columbæ pullum bilibrem.* *Dixit* Abjai, *Accepimus os ejus fuiſſe æreum, & ungues ferreos.* Imo hos impoſtores ferrei oris fuiſſe oportet, quibus tamen multi ſuffragium addunt. Nam id ipſum legitur in *Bereſith Rabba* capite decimo, בין שעלה לרומי נכנס למרחץ כיון שיצא הביאו פיילא פוטירין של יין לשתות ונכנס יתוש בתוך חוטמו והיה נוקר את מוחו והולך עד שעשה גדול כבן גוזל של שתי ליטראות והיה מצוה ואומר פצעו מוחו של אותו האיש ודעו במה אלהיהם של יהודים נפרע מאותו האיש מיד קראו לרופאים ופצעו מוחו והוציאוהו כגוזל של שתי ליטראות אמר ר' אליעזר בר יוסי אנא אנא חמיתיה ברומי תרתין ליטרין, *Cum* Romam *rediit, in balneum ingreſſus eſt, ex quo cum exiit, allatum eſt ipſi vini poculum, ex quo biberet. Et ingreſſus eſt* jatthus (ſeu *culex*) *in nares ejus, qui in cerebrum uſque penetrans ità crevit, ut ad magnitudinem pulli duarum librarum pervenerit. Et ejus cerebrum aperiri juſſum eſt, ut ſciretur quomodo* Judæorum *Deus in illum animadvertiſſet. Medici igitur ſtatim vocati ex aperto cerebro eduxerunt tanquam pullum bilibrem.* *Dixit nempe* R. Eliezer *filius* Joſe *ſe illum* Romæ *vidiſſe, & fuiſſe duarum librarum.* Nec diſſimilia reperias in *Vaikra Rabba* capite vigeſimo ſecundo, & in *Midras Koheleth* capite quinto. Sed & *R. Eliezer* in *Capitulis* ſectione quadrageſimâ nonâ idem prodigium his verbis refert, טיטוס הרשע נכנס לבית קדש קדשים ואמר אין צר ואויב יכול לפני מה עשה הקבה שלח עליו יתוש אחד ונכנס לתוך חוטמו והיה מהלך עד שהגיע למוחו ונעשה כגוזל בן יונה משקל שני סלעים להודיעו שאין גבורתו מאומה, *Impius* Titus *domum Sanctuarii ingreſſus dixit, Nullus eſt hoſtis, aut adverſarius, qui poſſit coram me conſiſtere. Quid fecit Deus Sanctus Benedictus? Miſit in eum culicem unum, qui nares ejus ſubiens, uſque ad cerebrum penetravit, & factus eſt ut columbæ pullus ponderis duarum librarum, ut doceret potentiam ejus nihil quidquam eſſe.* Sed tam putidi commenti puduit poſteriores. Proinde in *Chronologia R. Ganz* libro ſecundo quidam negant,

gant, hæc ad literam eſſe ſumenda. Et R. *Azarias* in ſuo *Meor enajim* libri tertii capite decimo ſexto, poſtquam multis rationibus Phyſicis, ac Hiſtoricis, hanc fabellam confutavit, tandem ità concludit, ובכן כל מעשה טיטוס הנזכר ימור ורשאי אתה לומר כי ספורו איננו רק המצאה ואופן למוד נהוג אצל חכמי הדעת ליסוד בלב ההמון כי גדול אדונינו ורב כח להשיב את מתקוממיו ונפרע אף בכל זה יחיר גמול ועונש אף על ידי הקטנה שבבריאותיו, *Itaque de Hiſtoria* Titi *ſupra memoratâ liberè potes dicere, narrationem ejus nihil aliud eſſe, quam apologum, & modum docendi apud doctos uſitatum, ut in animis vulgi hoc ſtabiliatur, maximum eſſe, & potentiſſimum Dominum noſtrum, ut iis qui adversùs ipſum inſurgunt, & ſuperbis maximè pœnas meritas infligat, etiam per minimam quamque creaturam.* Ex quo ſpecimine colliges, quæ fides adhibenda ſit *Judæorum* narrationibus. De *Nimrode Arabes* non diſſimilia fabulantur. *Alcamus*, السكينة الاتان واسم البقة الداخلة انف نمرود وصحابي Socaina, *aſina, & nomen culicis, qui ingreſſus eſt in nares* Nimrodis, *& ſociorum ejus.*

Hæc de culicibus, qui vel ex vino, vel ex aquis, oriuntur. Tertium genus eſt arborarium: ut ὁ φθεὶρ ex pinu naſcens, ὁ ψὴν ex caprifico, vel ex palma, & κνὶψ, vel σκνὶψ, ex ulmo, quercu, & ficu. De primo ſic *Euſtathius* in *Catalogo Iliad.* β'. ὁ δὲ ἐθνογράφος φησιν, Φθεὶρ ὄρος Καρίας, οἱ κατοικοῦντες Φθεῖρες. οἱ δὲ Σχολιασταὶ οὕτω. Φθειρῶν, ὄρος Καρίας περὶ Μίλητον, πολλὰς ἔχων πίτυς, ὧν τὰ ἐξανθήματα οὕτω καλεῖται, ὡς ὅμοια φθειρσίν. οἱ δὲ Δίρκοι λέγονται, ὡς δηλοῖ Παυσανίας ἐν τῷ κατ' αὐτὸν λεξικῷ εἰπὼν, Δίρκοι οἱ φθεῖρες. *Auctore* (Stephano) *eo qui de Gentibus ſcripſit*, Phthir *eſt* Cariæ *mons, cujus incolæ* Phthires. *Ad quem ità* Scholiaſtæ, Phthiron *mons* Cariæ *circa* Miletum, *multas pinus habens, unde quæ efflureſcunt ſic appellantur, quia ſunt pediculis ſimilia, qui etiam Dirci dicuntur, ut in Lexico ſuo docet* Pauſanias, *&c.* De his pediculis aliud non reperio. De pſene ſic *Philoſophus Hiſtoriæ* libri quinti capite trigeſimo ſecundo, Οἱ δὲ ψῆνες οἱ ἐν τοῖς ἐρινεοῖς ἔχουσι τοὺς καλουμένους ψῆνας, lege οἱ δὲ ἄῤῥενες & τοὺς καλουμένους ψῆνας, *mares in caprificis culices habent, quos pſenas vocant.* Nam in his arboribus, ut in palma, ſexus obſervatur. Nec deſunt, qui caprificos omnes pro maribus habeant, & ficus pro fœminis. *Heſychius*, Ἐρινάδες, ὀλυνθοι, ἢ συκαῖ ἄῤῥενες. Item, Ἐρινεὸς δ' ὃς (ὀλυνθος) ἢ σῦκος ἄῤῥην. Et tam ficum, quàm palmam fœminam à mare juvari docet *Theophraſtus*, cùm de utraque dicit *Hiſtoriæ* libro ſecundo ferè in fine: Φαίνεται δὲ ἀμφοῖν ἀπὸ τοῦ ἄῤῥενος ταῖς θηλείαις βοήθειαν γίνεσθαι. Idem *De cauſis plantarum* libri ſecundi capite duodecimo & decimo tertio multis docet, quomodo Οἱ ψῆνες οἱ ἐκ τῶν ἐρινεῶν τῶν ἐπικρεμαννυμένων γινόμενοι, διοίγουσι τὰ ὄπη τῆς συκῆς, *pſenes* (id eſt, *culices*) *qui ex caprificis appenſis nati ſunt, poma fici aperiant.* Ità de palmis *Herodotus* libro tertio, τὸν καρπὸν δ' ὦν φέρουσι ἐν τῷ καρπῷ οἱ ἔρσενες. καθάπερ δὲ οἱ ὀλυνθοι. *Pſenas* (ſeu *culices*) *in fructu ferunt palmæ maſculæ ut caprifici.* Et paulò ante dixerat harum fructum alligari palmis fœminis, ἵνα πεπαίνηταί σφι ὁ ψὴν τὴν βάλανον ἐσδύων, καὶ μὴ ἀποῤῥέῃ ὁ καρπὸς ὁ τοῦ φοίνικος, *ut pſen* (ſeu *culex*) *palmulam penetrans ad maturitatem perducat, neque palmæ fructus decidat.* Quæ eadem reperias *Athenæi* libro decimo quarto.

Eſt & aliud culicis genus ex ulmo naſcens. *Theophraſtus Hiſtoriæ* libri tertii capite decimo quarto, Ἐν ταῖς κωρυκίοις (ἡ πτελέα) τὸ κόμμι καὶ θηρία ἄττα κωνωποειδῆ φέρει. *In folliculis gummi fert ulmus, & animalcula quædam, quæ culicum ſpeciem habent.* *Dioſcorides* libro primo, de ulmo; *Humor, qui in prima foliorum productione in folliculis ejus invenitur, cutis nitorem unctus affert*, ξηραινόμενον δὲ τὸ ὑγρὸν τοῦτο ἀναλύεται εἰς θηρία κωνωποειδῆ, *cùm vero exaruit humor ille in beſtiolas culicibus ſimiles reſolvitur.* At hi culices *Græcè* non vocantur ψῆνες, ut in palma, & caprifico, de quibus actum, ſed κνῖπες, vel σκνῖπες. Atque hi quidem etiam in robore & ficu gignuntur. Sed in ficu geniti cnipes pſenas vorant. Hæc omnia ex *Theophraſto*, qui de polio & ulmo dicit circa finem libri ſecundi *Hiſtoriæ* plantarum, Ἐγγίνεται γὰρ ἐν τούτοις θηρίδια ἄττα, κνῖπες, οἳ, ὅταν ἐν ταῖς συκαῖς γίνωνται, κατεσθίουσι τοὺς ψῆνας· *In iſtis gignuntur beſtiolæ quædam cnipes nomine, quæ, cùm in ficis naſcuntur, pſenas comedunt.* Et lib. 4. cap. decimo ſeptimo, Ἐγγίνονται δὲ καὶ κνῖπες ἔν τισι τῶν δένδρων ὥσπερ ἐν τῇ δρυῒ, καὶ τῇ συκῇ· *Generantur etiam cnipes in nonnullis arboribus, ut in quercu, & ficu.* Et paulò poſt, Γίνονται δὲ καὶ ἐν λαχάνοις τισίν· *Gignuntur etiam in quibusdam oleribus.* Hinc *Heſychius*, Κνὶξ (lege Κνὶψ) ζῶον πτηνὸν ὅμοιον κώνωπι· KNIPS *animal alatum culici* (vinario) *ſimile.* In *Ariſtophanis Avibus* tam κνῖπες, quàm ψῆνες ficubus veſcuntur. Dicit enim *Piſthetærus*, Κἀτ' οἱ κνῖπες καὶ ψῆνες ἀεὶ τὰς συκᾶς οὐ κατέδονται. Et cnipes *culicum* nomine à *Plinio* & *Columella* deſcribuntur. Quorum ille libri decimi ſeptimi capite vigeſimo quarto, *Sunt*, inquit, *culicum genera aliquibus moleſta, ut glandibus, & fico.* Et libri decimi noni capite undecimo, *Infeſtant & culices hortos, rigues præcipuè, ſi ſunt arbuſcula aliqua.* Et *Columella* libri duodecimi capite tertio, *Qui æſtate iſta feret, caveat, ne propter ſiccitates culex adhuc tenera folia prorumpentia conſumat.* *Arabicè* hic idem culex بق *bak* vel بقة *bakka* nominatur. *Abenbitar* capite دردار *Dirdar* (quomodo *ulmum* vocant *Perſæ*, & *Arabes*) سميت شجرة البق لانها تحمل نفاخات في شكل الحنظل مملوة رطوبة فاذا جففت وانفقات خرج منها دلك البق وهو البعوض *Vocatur arbor* ALBAK, *quia fert folliculos, inſtar colocynthidis humore plenos, qui cùm exareſcunt, & diffinduntur, inde prodeunt hi* ALBAK, *qui ſunt culices.* Quod notandum non ſolùm in veterem *Avicennæ* interpretem, qui libro ſecundo *Canonis* reddit *arborem cimicum*: & in *Baal-Aruch*, cui פשפש בלשון ערבי בק, *cimex Arabica linguâ* BAK *dicitur.* Sed & in *Arabum* doctiſſimos, qui in eodem errore ſunt. Ità *Damir*, قال الجوهري البقة البعوضة والجمع البق وهو وهم والبق معروف هو الفسافس *Dixit* Giauhari *voce* BAKKA, *cujus Plurale eſt* BAK, culicem *ſignificari. Sed hic eſt error. Notum enim eſt* ALBAK *eſſe* cimices. Quin voce بقة *bakka culicem* ſignificari conſtat, non ſolùm apud *Arabes*, ut ſtatuunt *Giauhari*, & *Abenbitar*, ſed & apud *Hebræos*, & *Syros.* Vox enim eſt in *Talmude* frequens. Et eandem *Syrus* interpres pro *culice* uſurpat *Matth.* 23. *v.* 24. In *Gloſſa Talmudis* Tractatu *Cholin*, explicatur צנצלא *Zanzala*, quomodo *Itali culicem* vocant. Proinde fallitur vir doctiſſimus, qui putat eſſe *Gallicum chenille*, id eſt, *erucam*. Fatendum tamen eſt in *Avicenna* ſemel pro *cimice* adhiberi. Nempe libro tertio *Canonis*, *Fen.* 9. cap. 7.

cap. 7. ubi dicit الغسافس ضربا من البق الحمر الدموية الشبيهة بالقراد *cimices eſſe ſpeciem* ALBAK, *rubras, ſanguineas, ricinis ſimiles*. Quod videtur errori anſam dediſſe. Itaque cautioribus البق *albak* vox eſt æquivoca, quæ & *culicem* & *cimicem* ſignificat. *Alcamus*, البقة البعوضة والدويبة مفرطحة حمرا منتنة ALBAKKA, *culex*, *item animalculum latum, rubrum, fœtidum*, id eſt, *cimex*. Hinc in *Alſamio* alius eſt بق الخشب BAK *lignorum*, id eſt, *culex arborarius*; alius بق الحيطان BAK *parietum*, id eſt, *cimex*, qui ſæpe naſcitur in parietibus lecto proximis. Interim cùm *ulmus* vocatur *arbor* ALBAK, rectè omnino monet *Abenbitar culicem* ſignificari. Neque enim cimices, ſed culices generat ulmus, ut abundè probavimus. Rurſus è *Avicenna* lib. 4. *Fen.* 6. tract. 3. cap. 12. طرد البعوض والبق malè redditur, *Effugatio culicum & cimicum*. Ibi enim البق & البعوض ſunt ſynonyma, & utrumque *culices* ſonat. Sed & *Græcum* σκνὶψ videbitur eſſe æquivocum, cùm à *Galeno* aliquoties uſurpetur pro vermiculo, à quo vites infeſtantur. Ut cùm dicit ἀμπελουργίᾳ vitibus inunctam perdere τοὺς γινομένους ἐπ' αὐτῶν σκώληκας, οὓς σκνῖπας ὀνομάζουσιν, *vermes ſcnipas nomine, qui in iis generantur*: & τοὺς (τῶν ἀμπέλων) ὀφθαλμοὺς διεσθίοντες οἱ σκνῖπες, *ſcnipes, qui vitium oculos comedunt*. Verùm enimverò docti rectè obſervant pro σκνῖπες legendum eſſe ἶπες, quomodo vocari conſtat *vermes vitibus infeſtos* à *Theophraſto*, & aliis. Unde eſt, quòd *Strabo* libro decimo tertio *Herculem* ἰποκτόνον ab *Erythræis* coli tradit, ὅτι φθαρτικὸς τῶν ἀμπελοφάγων ἰπῶν, *quia perdit ipes vermes, qui vites comedunt*. Ut *Ionibus* κῶς pro πῶς, & κοτε pro ποτὲ, ita ἶκες dicti pro ἶπες. Hinc *Alcman*, Καὶ ποίκιλον ἶκα τὸν ὀφθαλμῶν ἀμπέλων ὀλετῆρα. Et *Heſychius*, Ἶξ, θηρίδιόν τι ἀμπέλους ἐσθίον. Aliud igitur ἶπες, aliud σκνῖπες. De quo culicum genere hic ideò plura diximus, quia in *Moſe*, & *Pſalmis*, *Hebræum* כנים *Græci* σκνῖπας conſtanter reddunt. Unde auctor libri *Sapientiæ* capitis decimi noni verſu decimo, Ἐξήγαγεν ἡ γῆ σκνῖπα. Et *Philo* libro primo *De vita Moſis*, φορὰ σκνιπῶν ἐχώθη (vel ἐχύθη potiùs.) Et *Origenes* in Homilia *De decem plagis*, *Et facti ſunt ſcinipes*. Hieronymus *ſciniphes*, vel *ciniphes* exponit. Neque veterum *Patrum* ullus eſt, qui aliter ſumat. *Joſepho* tamen, & *Hebræis* omnibus, כנים ſunt *pediculi*. Itaque neceſſe eſt, ut has verſiones inter ſe conferamus: quod capite ſequenti fiet.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

De Pediculis.

Scnipes, ſeu ciniphes, à Patribus *ità deſcribi, ut videantur potiùs* ἐμπίδες *intelligi, ſeu* paluſtres culices. Niſibeni *culices unde nati*. *Horum meminiſſe* Arabes. *Culicis malleus, id eſt, aculeus, quàm gravis*, *ex* Talmudicis. *Nomine* כנים cinnim, pediculos *potiùs ſignificari*. 1. *Quia in* Ægypto *non orti ſunt ex aquis, ſed ex terra*. 2. *Quia erant in hominibus, & jumentis; quod de culice non dicitur*. 3. *Quia nomen* כנים à firmitate, & ſtabilitate *ductum, non convenit culici, ſed pediculo*. 4. *Quia* כנה cinna, Talmudicis *eſt* pediculus. 5. *Ad* Hebræum *alludunt* κόνις *pro* lende, & κονία *pro* minoribus pediculis. 6. *Ad* כנם *alludunt* Samaritanum [illegible] Chaldæum קלם & Arabicum قمل. 7. Joſephus, Chaldæi, Syri, Arabes, & Hebræi *omnes ſic reddunt*. 8. Alcoranus *etiam, &* Mahumetanorum *doctiſſimi*. *Cur* Exod. 8. v. 16. 17. *ad pediculos procreandos terra potiùs ab* Aarone *quàm à* Moſe *ſit percuſſa*. Hebræorum *commentum, quod refellitur*. *Vera ratio, cur* Ægyptios *Deus modo immediatè, modo per ſervos ſuos percuſſerit*. *Pediculi ex pulvere quomodo procreati*. *Pediculi tam beſtiis, quàm hominibus infeſti, herbis etiam, & vitibus*. *In ſolo homine plures pediculorum ſpecies*. *Pediculi inguinales, lendes, acari, ſeu* cirones, *alati in* Rhizophagis, *ricini*. *Cur hujuſmodi beſtiolis uſus ſit Deus in* Ægyptiorum *perniciem*. *Sacerdotes* Ægyptii *à pediculis quanto ſtudio ſibi caverint, tanquam in hujus plagæ memoriam*. Magicæ Hebræis חרטמים hartumim. *Varia vocis origines ab aliis allatæ*. *Sententia auctoris*. *Murmura Magica*. Heth *initiale ſæpe perit*. Mem *in* Nun *ſæpe mutari*. חרטם hartum, *propriè* ἐπαοιδός. לט lat, *id eſt*, ſecretum murmur, & חרטם *correlata*. *Magi* علما ulama, Arabibus. *Inde* Elymas *Act.* 13. *vel ab* Elymæis *populis*. *Ad* חרטם hartum, *alludit* Ἄρτεμις, Diana, *ſeu* Hecate, *quam Magi invocabant*. *Magorum principes* Jannes & Jambres, 2. *Tim.* 3. *v.* 9. Magi ità fecerunt, *id eſt*, facere conati ſunt. *Scripturæ Phraſis*. *Cur Magi non potuerint pediculos procreare*. Hebræorum *ratio futilis, quæ refellitur*. *Vera ratio*. *Magi tribus quaſi gradibus dejecti*. Digitus Dei *quid in Scriptura*. *Non opponitur* manui, *ſed pro* manu *ſumitur*. *Magi fatentur ſe eſſe* θεομάχους. *Pediculi per totam* Ægyptum, *non tamen in terra* Goſen. *Loca Scripturæ, quæ nonnulli ad pediculos referunt*. Arabica *verſio emendata* Pſal. 77. v. 51. & Græca Jerem. 43. v. 12. Antiochum & Herodem *vermes eroſerunt, non pediculi*.

DE ſcnipe ſic *Philo* libro primo *De vita Moſis*, τὸ δὲ ζῷον, εἰ καὶ βραχύτατον, ὅμως ἀργαλεώτατον· οὐ γὰρ μόνον τὴν ἐπιφάνειαν λυμαίνεται, κνησμοὺς ἐμποιοῦν ἀηδεῖς, καὶ βλαβερωτάτους, ἀλλὰ καὶ εἰς τὰ ἐντὸς βιάζεται διὰ μυκτήρων, καὶ ὤτων. σίνεται δὲ καὶ κόρας ὀφθαλμῶν εἰσπετόμενον, εἰ μὴ φυλάξαιτό τις. *Animal eſt minutiſſimum, ſed moleſtiſſimum tamen; neque enim ſolam ſuperficiem lædit injucundos & valde noxios pruritus excitans, ſed & in interiora per aures nareſque penetrat. Oculorum quoque pupillas infeſtat involans, niſi quis ſibi caveat*. Et *Origenes* Homiliâ tertiâ in *Exodum*, *Hoc animal pennis quidem ſuſpenditur per aëra volitans: ſed ità ſubtile eſt, & minutum, ut oculi viſum niſi acutè cernentis effugiat: corpus tamen, cùm inſederit, acerrimo terebrat ſtimulo: ità ut quem volitantem videre quis non valeat, ſentiat ſtimulantem*. Et *Auguſtinus*, vel quiſquis eſt, in libro *De convenientia decem præceptorum & decem plagarum*: *Cinipbes natæ ſunt in terra* Ægypti *de limo, muſcæ minutiſſimæ, inquietiſſimæ, & inordinate volantes, non permittentes homines quieſcere. Dum abiguntur, iterùm irruunt*, &c. Proinde cum *Perſarum* Rex, *Sapores*, *Niſibin* obſideret, narrat *Theodoretus* Deum *Jacobi* Epiſcopi precibus flexum in eos immiſiſſe σκνιπῶν καὶ κωνώπων νέφος, *ſcnipum & culicum nubem*, qui cùm magnâ vi irrupiſſent,

ſcent οἵ τε ἄνδρες τοῖς θείοις κατετιτρώσκοντο βέλεσιν, οἵ τε ἵπποι, καὶ οἱ ἐλέφαντες, τὰ δεσμὰ διαῤῥήξαντες, ἐσκεδάννυντο, τῇ δὲ χαλεπῇ ἐκεῖσε σκεδαννύμενοι, καὶ φέρειν ἐκείνας οὐ δυνάμενοι τὰς ἀκίδας, *viri quidem divinis telis vulnerabantur, equi autem, ac elephantes, ruptis vinculis, cùm aculeos illos ferre non poſſent, huc & illuc diſperſi fugiebant.* Hæc ille in *vita Jacobi* ſic attigiſſe non contentus, refert multò pluribus *Hiſtoria Eccleſiaſtica* libri ſecundi capite vigeſimo ſexto. Quæ tamen nullus capio, niſi *ſcnipum* nomine καταχρηστικῶς intelligantur quivis *culices*, aut peculiariter *paluſtres*, qui aliis ἐμπίδες. *Scnipes* enim propriè dicti, cùm oleribus veſcantur, & fructu arborum, hominibus, & jumentis non ſolent eſſe infeſti. At paluſtres culices, qui ſanguine maximè aluntur, in locis, quæ ad Auſtrum vergunt, ſunt utriſque graviſſimi. Ità *Æthiopici* culices in *Rhizophagorum* paludibus orti, primò Iconibus, deinde etiam incolis graves, loca illa prorſus deſolârunt. Et ex oblimato *Mæandri* oſtio nati culices *Myuſios* ex ſedibus ſuis pepulerunt. *Horatio Poëtæ*, ex *Appii* foro *Feroniam* per *Pontinas* paludes naviganti,

— mali culices, ranæque paluſtres
Avertunt ſomnos. ——

Eoſdem quoque *Tiberiadenſibus*, qui ad lacum *Tiberiadis*, & *Ægyptiis*, qui ad *Nili* paludes degunt, moleſtos fuiſſe probavimus. Ac primùm ab *Alexandrinis* uſurpata fuiſſe conopea, quæ *culicaria* vocat *Juvenalis Scholiaſtes*, ut ſibi ab hoc malo quomodocunque caverent. Quod hodieque durare teſtatur *Bellonius Obſervationum* libri ſecundi capite trigeſimo quinto: *Nobis*, inquit, *in urbe* Cairo *noctu dormientibus tam infeſti erant culices, ut manè in facie apparerent tanquam rubra* ἐξανθήματα. *Itaque vel vultu operto ſub conopeis dormire neceſſe erat, aut in ſumma parte ædium.* *Niſibenos* quoque culices ejuſdem fuiſſe originis, valdè veriſſimile eſt. Tum enim, ut refert *Julianus Imperator* orationis primæ pag. 49. Ἐπῄρετο Μυγδόνιος πέλαγος ἴσον τὸ περὶ τὸ τεῖχος χωρίον, καθάπερ ὁ Νεῖλός φασι τὴν Αἴγυπτον· προσῆγε δὲ ἐπὶ νεῶν ταῖς ἐπάλξεσι τὰ μηχανήματα. Mygdonius *amnis in pelagi modum æſtuans campum mœnibus adjacentem inundaverat, ſicut* Nilus Ægyptum: *ità ut machina ad propugnacula navibus admoverentur.* Nempe alveum fluvii, qui *Niſibin* interſecat, ſupra urbem obſtruxerat *Sapores* ripis utrimque altiùs exaggeratis, ut fluentem aquam coërceret, atque eam ità collectam, velut machinam, in mœnia urbis immitteret. Ità narrat *Theodoretus*. Inde igitur facta eſt eluvies, ex qua nati culices *Jacobi* Epiſcopi precibus in hoſtiles copias converſi ſunt. Cujus miraculi memoria durat hodieque apud *Arabes*, qui in *Damire* narrant, ان بعض جبابرة الملوك بالعراق كان يعذب بالبعوض *Reges aliquos potentiſſimos in* Irak (*ſeu* Meſopotamia) *per culices fuiſſe punitos.* Et *Zamachſari* vult *Alcoranum* in *Surata vaccæ* huc alludere. Neque dubium, quin ad idem culicum genus pertineat, quod ſcribunt *Talmudici* in *Cholin* fol. 58. b. שיתין מני פרזל תלו ליה לבקא בקורנסיה *Sexaginta libra ferri ſuſpenſa ſunt in malleo* (id eſt, aculeo) *culicis.* Quibus culicem innuunt tam graviter pungere, quàm ſi haberet aculeum multo ferro gravatum. *Seniores* igitur σκνιπῶν nomine, qui in *Ægypto* fuerunt ἐν τοῖς ἀνθρώποις, καὶ ἐν τοῖς τετράποσι, *in hominibus, & in jumentis*, videntur hos culices intellexiſſe. Qui quidem ἐμπίδες potiùs quàm σκνῖπες dicendi fuerant. Illis tamen placuit magis σκνιπῶν nomen, aut κνιπῶν, quia viſum eſt ad כנים *cinnim*, nonnihil alludere.

Sed *Græci* σκνιπῶν nomine quidquid intellexerint, *Hebræo* nomine כנים *cinnim*, puto *pediculos* potiùs quàm *culices* ſignificari. 1. Quia neque in σκνῖπας propriè dictos, neque in ἐμπίδας, ſeu *paluſtres culices* ſatis quadrant, quæ habet *Moſes* περὶ τῶν כנים *cinnim*. Non in σκνῖπας propriè dictos, propter rationes jam allatas; neque in *paluſtres culices*. 1. Quia כנים *cinnim*, è pulvere terræ orti ſunt, *Exod.* 8. *v.* 16. 17. At paluſtres culices locis aquoſis oriuntur. Unde *Poëta* in *Epigrammate*,

Τοὺς κώνωπας ἐρᾶν μᾶλλον πρέπει, ἤπερ ἄνδρας,
Φύντας τῶν γονίμων, ὡς Κύπρις, ἐξ ὑδάτων·

Plùs quàm viros culices amare decet, natos, ut Cypris, *ex fœcundis aquis.* Sic ἐμπὶς in *Philoſopho* fit ex verme in limo & aquis nato. Et à *Grammaticis* definitur ζῶον περὶ τοῖς ὕδασι γινόμενον, *animal ad aquas genitum.* Ut יתוש *jathus*, ab *Hebræis* רחש שגדל במים, *inſectum ad aquas creſcens.* Et *Baſilius* in *Hexaëmeron* Homiliâ ſeptimâ dicit in creatione otioſum non fuiſſe quidquid aquarum fuit ἐν ἰλύϊ, καὶ τέλμασι, *in limoſis & paluſtribus locis.* Βάτραχοι γὰρ, καὶ ἐμπίδες, καὶ κώνωπες ἐξ αὐτῶν ἀπεγίνοντο, *ex iis enim ranæ, empides, & culices emergebant.* Et *Ambroſius* in *Hexaëmeron* libri quinti capite primo, *Culices quoque & ranunculi circa gentiles ſtrepunt paludes: & ipſæ audierunt Domini mandatum dicentis, Producant aquæ reptilia animarum viventium.* Itaque ſcriptor *De decem plagis*, ſub *Auguſtini* nomine ſupra citatus, cinipħes in *Ægypto* ſcribit de limo eſſe natos. Sed כנים *cinnim*, *Moſes* de pulvere terræ. 2. *Exod.* 8. *v.* 17. כנים *cinnim*, leguntur fuiſſe *in hominibus, & in jumentis.* Quod pediculis convenit multò magis, quàm culicibus. Cùm pediculi verè iis inſint, quos vetuſtas *pedicoſos*, nos *pediculoſos* appellamus. Ab homine enim, aut à jumento, cui ſemel adhæſerunt, nunquam recedunt, niſi inviti. Sed culices, utut homines & jumenta graviter pungant, iis ineſſe non dicuntur, quia, ut ſupra docuit veterum aliquis, ſunt inquietiſſimi, neque ullibi conſtanter manent. Proinde apud *Achillem Tatium* libro ſecundo ita loquitur culex, Ἐμπεσὼν δὲ ὡς ἀπὸ βέλους ποιῶ τὸ τραῦμα, ὁ δὲ πληγεὶς ἐξαίφνης βοᾷ, καὶ τὸν τετρωκότα ζητεῖ. ἐγὼ δὲ παρὼν οὐ πάρειμι· ὁμοῦ δὲ καὶ φεύγω, καὶ μένω, καὶ περιτρέχω τὸν ἄνθρωπον τῇ πληγῇ. *Vibratus tanquam telum vulnus infero: Et qui percuſſus eſt illico clamat, & vulneris auctorem quærit. Ego verò adſum, & abſum, ſimulque fugio & maneo, aliisque hominem obequito.* 3. Mihi occurrit nulla ratio, cur culices dicantur כנים *cinnim.* Sed pediculis hoc nomen vel maximè convenit. Eſt enim *à firmitate* & *ſtabilitate* ſumptum. Nempe כון *cun* in *Niphal* נכון *nacon*, *ſtabile* & *firmum eſſe* ſignificat, in *Piel* כונן *conen*, *ſtabilire*, in *Hithpaël* התכונן *hithconen*, *ſtabiliri*: & eadem notione כנן *canan*, olim in uſu fuiſſe docet, quòd nomen כן *cen*, pro *baſi* cum Affixis habet *Daghes*. Ita legitur כנו *canno*, *baſis ejus*, tanquam à כנן *canan*, Exod. 30. v. 28. Indidem כנים *cinnim*, *firmum* & *ſtabile animalculum*, & δυσαφαίρετον ἀπὸ τοῦ σώματος, *quod à corpore non facilè eximitur*, ut ait *Philoſophus Hiſtoria* libri quinti capite trigeſimo primo. Proinde *Arabicè pediculi* cognominantur بنات الدروز *filiæ durouz*, id eſt, *ſuturarum*, aut *commiſſurarum* للملازمة propterea quod firmiſſimè adhærent, quaſi capiti, & corpori, per ſuturas, & commiſſuras conjuncti. Ità habetur in *Alcamus*. 4. Talmudicis כנה *cinna*, eſt *pediculus*. Ut in Tractatu *De Sabbatho* cap. 14. fol. 107. b. ההורג כנה בשבת כהורג גמל בשבת, *Qui pediculum* Sabbatho *necat tam reus eſt, quam qui camelum* Sabbatho *necat.* Et Plurali, כנים *cinnim*, paulò poſt, יושב הקב״ה וזן מקרני ראמים ועד ביצי כנים, *Qui ſedet* in cœlis *cibat* omnia animalia *à cornibus* reemim *uſque ad ova* cinnim *ſeu pediculorum*,

rum, id eſt, à maximis animalibus, ut ſunt in *Judæorum* fabulis *remim*, ad minima, ut *lendes*. 5. Ab eodem verbo כנן *cun*, vel *Piel* כונן *conen*, à quo *Hebræum pediculi* nomen, ortum videtur *Græcum* κόνις pro *lende*, ſeu *ovo pediculi*. Cujus Plurale κόνιδες paſſim occurrit *Ariſtoteles Hiſtoriæ* libri quinti capite trigeſimo primo. Οἵ τε φθεῖρες, καὶ ψύλλαι, καὶ κόρεις ἐκ μὲν τῆς ὀχείας πάντα γεννᾷ τὰς καλουμένας κόνιδας· *Pediculi, pulices, & cimices omnes ex coitu conides ſeu lendes, generant.* *Athenæus* libro octavo, Ἐκ τῆς τῶν φθειρῶν ὀχείας αἱ κόνιδες γεννῶνται. *Ex pediculorum coitu conides naſcuntur.* *Dioſcorides* libro primo de cedro, φθεῖρας τε, καὶ κόνιδας φθείρει περιχρισθεῖσα, *Pediculos, & conidas inunctu necat.* Ut libro ſecundo de melle, φθεῖρας, καὶ κόνιδας φθείρει καταχριόμενον, *Inunctum pediculos, & lendes perdit.* Et de vino ex tamarice: Περίχυμα τοῖς φθεῖρας, καὶ κόνιδας γεννῶσιν ἐπιτήδειον, *Aptè iis inſpergitur, qui pediculos, & lendes generant.* Fortaſſe etiam ex כנים *cinnim*, facta κιννία pro minoribus pediculis. *Heſychius*, Κιννία, μικρὰ φθειρία. In voce κιννία, pro κινία, vel κινία, ex כנים geminatum eſt *Kappa*. Ut κέκαμον pro ἔκαμον *laboravi*, κέκλυθι pro κλῦθι *audi*, κακή, *acies* pro ἀκή vel ἀκμή. Quibus addi poteſt καύχημα *gloriatio* pro αὔχημα. 6. Ex כנים factum כנם cum M epenthetico pro pediculorum copia, *Exod* 8. *v*.17. Et ex כנם, L & N de more permutatis, *Samaritani* fecerunt ࠒࠋࠌ *Chaldæi* קלם, & *Arabes* قمل quomodo pediculos vocant, voce paulatim ità deflexâ, ut priſcæ originis veſtigia vix ulla ſervet. 7. Jam, ſi auctoritate certetur, auctori *Sapientiæ*, *Græcis*, *Philoni*, & *Hieronymo*, opponetur primò *Joſephus*, cujus verba ſunt, Φθειρῶν τοῖς Αἰγυπτίοις ἐξήνθησεν ἄπειρόν τι πλῆθος ἔνδον ἀναδιδόμενον, ὑφ' ὧν κακοὶ κακῶς ἀπώλλυντο, μήτε λουτροῖς, μήτε χρίσει φαρμάκων διαφθεῖραι τὸ γένος αὐτῶν δυνάμενοι. *Pediculorum intùs diffuſorum pullulabat* Ægyptiis *immenſa multitudo, à quibus mali malè perdebantur, cùm neque lavacris, neq; medicamentorum unctionibus eos poſſent extinguere.* Idem ſequuntur *Chaldæi, Jonathan*, & *Onkelos*, *Syrus*, *Samaritanus*, *Arabes* quatuor, editi duo, & manuſcripti totidem, quos in *Suecia* conſului, *Hebræi* omnes nullo excepto, eosque ſequuti recentiores *Lexicographi* & *Bibliorum* interpretes. 8. Si *Mahumetani* digni ſunt, qui in hoc cenſu ponantur: quamvis de hoc animali ſit gravis inter illos contentio, & alii intelligant السوس الذي يخرج من الحنطة *tineam, quæ exit ex tritico*, id eſt, curculionem. Alii الجراد الطيار الذي له اجنحة *locuſtam volucrem & jam alatam*. Alii الدبا وهو الجراد الصغير الذي لا اجنحة له *daba, id eſt, locuſtam parvam necdum alatam*. Alii الحمنان وهو ضرب من القراد *alhemnam, qui eſt ricini ſpecies*. Alii دواب سود صغار *animalculum nigrum*. Alii البراغيث *pulices*; tamen ſtatuit *Ata Choraſanius* hic ſignificari القمل *pediculum*. Et huic ſuffragium addunt *Arabum* doctiſſimi, qui *Moſem* iviſſe narrant

بقرية من قري مصر
تدعي عين الشمس فضربه بعصاه
فانتشر كله قملا في مصر فتتبع
ما بقي من زروعهم واشجارهم ونباتهم
واكله ولحس الارض وكان يدخل
بين ثوب احدهم وجلده فيعضه
وكان احدهم ياكل الطعام فيمتلي
قملا فلم يصابوا ببلا كان اشد عليهم
من القمل فانه اخذ شعورهم وابشارهم
واشفار عيونهم وحواجبهم وجلودهم
كانه الجدري عليهم فمنعهم النوم
والقرار فصرخوا واستغاثوا بموسي وقالوا
انا نتوب فادع لنا ربك ليكشف
عنا هذا البلا فدعا لهم موسي عليه
السلام فرفع الله عنهم القمل بعد
ما اقام عليهم سبعة ايام من السبت
الي السبت

ad urbem Ægyptiam, quæ vocatur Ainſams (Fons Solis) *quam cùm virgâ ſuâ percuſſiſſet, inde ſparſos fuiſſe pediculos per totam Ægyptum, qui aggreſſi quidquid ex ſeminibus, arboribus, & herbis ſupererat, totum id conſumpſerint, adeoque terram linxerint. Et inter cujuſque veſtem & pellem irrepſerint, ut eum morſu divexarent. Et ſi quis cibum comederet, eum ſcatuiſſe pediculis, nec ullam iis accidiſſe plagam moleſtiorem plagâ pediculorum, qui capillos invadebant, & carnem, & palpebras, & ſupercilia, & pellem, ac ſi variolis laboráſſent; ſomnumque & quietem arcebant. Itaque* ad Moſem *clamaviſſe, & opem ejus imploraviſſe, dicentes, Nos pœnitet, roga igitur pro nobis Dominum Deum tuum, ut hoc malum avertat. Et oráſſe pro ipſis* Moſem *cui bene ſit: & Deum pediculos ab ipſis abſtuliſſe poſt ſeptem dies elapſos, ab uno nempe Sabbatho ad aliud Sabbathum.* Hæc in *Damire*, qui pediculos in plagis Ægyptiis fuiſſe probat ex *Alcorani Suratâ* اعراف ſeu *De limbis*, in qua Pſeudo-propheta Deum inducit ità loquentem, فارسلنا عليهم الطوفان والجراد والقمل والضفادع والدم *Miſimus in eos diluvium, & locuſtas, & pediculos, & ranas, & ſanguinem.*

His præmiſſis ad *Moſis* verborum explicationem nos conferimus *Exod.* 8. *v*.16. 17. *Aaron*, jubente *Moſe* Dei nomine, percutit pulverem terræ, qui verſus eſt in pediculos per totam terram *Ægypti*, & tam in hominibus, quàm in jumentis fuerunt hi pediculi. In *Chaldaica Jonathanis* paraphraſi Deus *Moſi* dicit, *Jube* Aaronem, *ut pulverem virgâ ſuâ percutiat* ברם על ידך לית אפשר למילקי ארעא דהוה לך שיזובתא כד קטלתא ית מצראי וקבילתיה, *Sed terra manu tuâ non debet percuti, quia per eam tibi fuit effugium, cùm illa recepit Ægyptium.*

gyptium, *quem interfeceras.* Et *R. Selomo* idem ſequitur. Sed inanis eſt hæc obſervatio, cum hic ipſe *Moſes* legatur manu ſuâ terram *Ægypti* percuſſiſſe, ut locuſtas accerſeret. *Exod.* 10. *v.* 12. 13. Et quomodo hic terram, ità etiam aquas per *Aaronem* bis percuſſerit: ſemel ut in ſanguinem verteret, *Exod.* 7. *v.* 19. 20. Et rurſus ut ex iis ranas educeret, *Exod.* 8. *v.* 5. 6. Nec *Moſi* licuiſſet magis terram *Ægypti Aaronis* manu quàm ſua percutere. Nam quod quis per alium facit, id cenſetur ipſe facere. Sunt, qui *Moſem* obſervant *Aaronis* miniſterio accerſiviſſe plagas, quæ ex terra & aquis educebantur: cùm grandinem, locuſtas, & tenebras, quæ ex ſuperiore elemento, nempe ex aëre, inflictæ ſunt, ipſe per ſe accerſiverit. Sed anxiè quærendum non eſt, cur Deus quaſdam plagas *Moſis* aut *Aaronis* interventu, quaſdam immediatè in *Ægyptios* inflixerit. Sufficit enim ut in genere ſciamus Deum variis modis has plagas immiſiſſe, ne ſi omnes aut *Moſis* aut *Aaronis* virga inflixiſſet, hæreremus in mediis, quaſi aut *Moſis*, aut *Aaronis*, aut peculiari aliquâ virgæ virtute hæc geſta fuiſſent. Quomodo Magiſtri virgam hanc in *Edenis* horto ſcilicet ab Angelo ex arbore vitæ decerptam fuiſſe fingunt, atque ideò pollui ſſe vi quâdam θαυματουργικῇ. Nec deſunt è *Chriſtianis*, qui Deum hujuſmodi vires rebus inanimatis indidiſſe aſſerant. Quod tam ex hac virga probari volunt, quàm ex ſudariis, & ſemicinctis, à *Paulo* ad ægros delatis, *Act.* 19. *v.* 12. Sed cum vera miracula vim infinitam requirant, non videtur illa vis poſſe creaturæ communicari. Itaque virga *Moſis* non mutavit aquas in ſanguinem, nec ranas produxit, aut pediculos. Sed, ea motâ, id præſtitit Deus, quod ſe facturum promiſerat. Interim Deus ſervorum ſuorum operâ ad hæc præſtanda non fruſtra uſus eſt. Sic enim illis auctoritatem tam apud *Ægyptios*, quàm apud *Iſraelitas*, conciliavit. Apud *Ægyptios*, ut Dei populum durâ ſervitute oppreſſum in libertatem dimitterent. Et apud *Iſraelitas*, ut illos ſequerentur duces. *Aaron* porro virgâ pulverem percutere juſſus eſt, ut ex eo fierent pediculi. Non quòd ex pulvere pediculi progenerari ſoleant. Illos enim *Philoſophus* (a) ἐκ τῶν σαρκῶν *è carnibus* putrefactis oriri ſcribit, aut ὅταν ὑγρασία πολλὴ ἐν τῷ σώματι ᾖ, *cùm in corpore multa eſt humiditas.* *Theophraſtus* (b) ἐξ αἵματος διαφθαρέντος *ex ſanguine corrupto.* *Plinius* item, cum naſci ait, (c) *in ſanguine ipſo hominis animalia exeſura corpus*, id eſt, pediculos. *Galenus* (d) & *Avicenna* (e) *ex ſudore, & ſordibus*: At ex pulvere naſci pediculos nemo eſt, qui ſcripſerit. Itaque non fuit hæc productio naturalis, ſed divina creatio, ut cum homo factus eſt ex terræ pulvere. In qua tamen id ſervatum eſt, ut quomodo ranæ ex aquis eductæ fuerant; quia ſunt aquaticæ, ità ex terræ pulvere pediculi educerentur, quia pediculus eſt terreſtre animalculum.

(a) *Hiſt. anim. lib.* 5. *cap.* 31.
(b) *De Cauſ. lib.* 2. *cap.* 12.
(c) *Lib.* 26. *cap.* 13.
(d) *Lib.* 1. *De comp. medic. cap.* 7.
(e) *Can. lib.* 4. *Fen* 7. *tract.* 3. *cap.* 26.

Pediculi autem illi non ſolum hominibus, ſed & beſtiis infeſti fuerunt. Illis enim tam obnoxiæ ſunt beſtiæ, quam homines. *Philoſophus Hiſtoriæ* libri quinti capite trigeſimo primo, Τῶν ἐχόντων τρίχας πλὴν ὄνος οὐκ ἔχει οὔτε φθεῖρας, οὔτε κρότωνας, οἱ δὲ βόες ἀμφω. Τὰ δὲ πρόβατα καὶ αἶγες κρότωνας, φθεῖρας δὲ οὐκ ἔχουσι· καὶ ὗες φθεῖρας μεγάλους, καὶ σκληρούς. ἐν δὲ τοῖς κυσὶν οἱ καλούμενοι γίνονται κυνοραισταί. *Animalium, qui pilos habent, ſolus aſinus neque pediculos habet; neque ricinos. Boves utroque malo laborant. Oves, & capræ ricinos habent, non pediculos: ſues magnos & duros pediculos. In canibus ii gignuntur, quos vocant cynoraiſtas:* Quod ſequutus *Plinius* libri undecimi capite trigeſimo tertio, *Pilos habentium aſinum tantum immunem hoc malo credunt, & oves.* Tamen *Geoponicûn* libro decimo octavo, *Didymus*, ne oves quidem excipiens; Ἐὰν φθεῖρας ἢ κρότωνας ἔχῃ πρόβατον, inquit, σφενδάμνου ῥίζας κόπτειν. *Si pediculos, aut ricinos ovis habet, aceris radices ſcindendæ ſunt*, &c. Et in *Alcamus* الشاة سلت de ove dicitur, cum كثر قملها *multiplicantur pediculi*

ejus. Itaque tam ovium quam caprarum pediculos deſcribi video in recentiorum ſcriptis. Horum enim multa genera, neque brutorum pediculi ſunt iidem, qui hominum. Quin alii equorum, alii boum, alii porcorum, alii canum, alii ovium & caprarum proprii: & ſua cuique lues, & peculiare malum eſt. *Muffetus* in *Inſectorum theatro* libri ſecundi capite vigeſimo tertio, *Equi quos non pediculos vidi, lendes rubentibus capitibus, reliquo corpore obſcurius albicante conſpicuos. Boum & vitulorum nigri ſunt, & in macris magni multique, pediculis porcorum fere ſimiles, ſed breviores, & paulo craſſiores. Porcorum pediculi formâ illis reſpondent: ſunt autem adeò grandes, & duri, ut vix digitis interimantur. Canes, quamvis rarius, aliquando tamen pediculantur. Sunt autem eorum pediculi parvi, lentiginoſi, capite albicante, reliquo corpore ex cœruleo livente vel nigricante, ut in canibus* Melitæis *primum vidi. Pediculi ovium minuti valde, quibus corpora rubent, capita candicant. Caprini ab his parum differunt.* Sunt etiam leonum & cervorum pediculi. Sunt aquilarum, accipitrum, olorum, anſerum, gallinarum, phaſianorum, columbarum, perdicum, coturnicum, de quibus multa ſcriptores. In quibus *Philoſophus* ubi ſupra Καὶ οἱ ὄρνιθες ἔχουσι· καὶ οἵ γε καλούμενοι φασιανοὶ, ἐὰν μὴ κονίωνται, διαφθείρονται ὑπὸ τῶν φθειρῶν, καὶ τῶν ἄλλων δ᾽ ὅσα πτερὰ ἔχει τῶν ἐχόντων καυλόν. *Etiam aves* (pediculos) *habent. Et phaſiani quidem pereunt, niſi ſe pulverent. Et quæcunque aves pennas habent, quæ caule conſtant, iis ſunt obnoxiæ.* Delphines quoq; & ſalmones in piſcibus: & in inſectis ſcarabæi: & in plantis abrotonum; abſinthia, aquilegia, nymphæa, &c. ſuos habent pediculos. Vites etiam; ſi *Cteſiæ* credimus, qui ad *Hyparchi* fluvii fontes animalcula quædam deſcribit, quæ arbores electriferas depaſcuntur, & corrumpunt, ὥσπερ ἐν τοῖς Ἕλλησιν οἱ φθεῖρες τὰς ἀμπέλους, *ut pediculi in* Græcia *vites.* Ita ut vix ulla ſit peſtis, quæ latius divagetur. Quid, quòd etiam in homine plures pediculorum numerantur ſpecies? *Philoſophus* duas recenſet: Ἔστι, inquit, γένος φθειρῶν, οἱ καλοῦνται ἄγριοι, καὶ σκληρότεροι τῶν ἐν τοῖς πολλοῖς γιγνομένων· εἰσὶ δὲ οὗτοι δυσαφαίρετοι ἀπὸ τοῦ σώματος. *In pediculorum genere ſunt, qui vocantur feri, vulgaribus duriores, quique difficilius ex corpore eximuntur.* Quæ ad inguinalis pediculi deſcriptionem pertinere putantur. His addi queant *lendes, Græcè* κονίδες, & *Arabicè* صيبان *ſeiban*; qui aut ova ſunt, aut veluti quoddam pediculorum rudimentum. Et minimi illi, quos Galli *cirones*, Itali *pedicellos* vocant, nonnulli *Latinè acaros.* Alati idem pediculi in *Acridophagis* ricinis ſimiles. *Agatharchides* capite vigeſimo ſeptimo, Ἅμα πλησιάζειν τὸ γῆρας, ἐγγίνεται τοῖς σώμασιν αὐτῶν πλεῖστα γένη φθειρῶν, ὅμοια μὲν τῷ τύπῳ τοῖς κρότωσι, βραχὺ δὲ ἐλάττω τῶν ἐν τοῖς κυσὶ φαινομένων. *Simulac ſenium imminet corporibus ipſorum volatile pediculorum genus innaſcitur; figurâ quidem ſimiles, ſed aliquanto minores ricinis, qui in canibus apparent.* Et *Diodorus* lib. 3. Ἐμφύονται τοῖς σώμασι πτερωτοὶ φθεῖρες, οὐ μόνον διάφοροι τοῖς εἴδεσιν, ἀλλὰ καὶ τῇ ὄψει ἄγριοι, καὶ παντελῶς εἰδεχθεῖς, *in ipſorum corporibus alati pediculi procreantur, non ſolum genere diverſi, ſed & ſpecie horridi; atque omnino viſu deformes.* Quas pediculorum ſpecies omnes contineri puto ſub *Hebræo* nomine כנים *cinnim*, ut & cognatum animal τὸ κρότωνα, id eſt, *ricinum*, quem cum pediculo conferens dicit *Plinius* libri undecimi capite trigeſimo quarto, *Eſt animal ejuſdem turpitudinis infixo ſemper ſanguini capite vivens, atque ità intumeſcens; unum animalium, cui cibi non ſit exitus, dehiſcitque nimiâ ſatietate, alimento ipſo moriens. Nunquam in jumentis gignitur, in bubus frequens, in canibus aliquando, in quibus omnia: in ovibus & in capris hoc ſolum.* Hæ porrò diverſæ ſpecies aut in ipſos homines, aut in beſtias, ferebantur, prout naturæ ductus ſingulas impellebat.

Philo, qui pro *pediculis ſcnipes* hic intelligit, quærit, cur

cur Deus in *Ægyptiorum* utatur ὕτως ἀφανέσι, καὶ ἠμελημένοις ζώοις, *tam vilibus, & contemptis animalculis*, nec urſos adhibuerit potius, & pardos, & leones, & alia ferarum genera, quæ hominum carne veſcuntur, aut ſaltem *Ægyptias* aſpides, quarum morſus eſt immedicabilis. Et reſpondet, 1. Deum incolas caſtigare voluiſſe, non è medio tollere. 2. Homines, cum bella gerunt, auxilia ſibi aſciſcere potentisſima, quorum opera ſuæ infirmitati ſubveniatur: Deum verò, qui eſt omnipotens, ſi quando mediis utitur ad rebelles puniendos, infirmisſima quæque eligere, quæ, utut parva, & vilia, viribus ſummis inſtruat; idque hic accidiſſe. Nempe per animalcula Deus de hoſtibus ſuis triumphavit glorioſius, & illorum ſuperbiam magis retudit. Superbum enim hominem nihil tam graviter pungit, quam cum vili animalculo cogitur tanquam inferiori cedere. *Jud. 9. Abimelech* à muliere percuſſus rogavit ſervum, ut ſe occideret, ne à muliere diceretur eſſe occiſus. Quanto gravius fuit *Ægypti* Regi à ranis, & cynomyis, & locuſtis, & pediculis victum ſe agnoſcere? Cujusmodi beſtiolis in ſummorum Regum perniciem ſi Deus quandoque uſus eſt, quid habebunt hominum potentisſimi, quod opponant Angelorum legionibus, quorum unus millia hominum prope ducenta unâ nocte interemit in *Sennacheribi* copiis? *Herodotus* libri ſecundi capite trigeſimo ſeptimo, Sacerdotes *Ægyptios* tertio quoque die corpus eradere ſcribit, ἵνα μήτε φθεὶρ, μήτε τι ἄλλο μυσαρὸν ἐγγίνηταί σφι θεραπεύουσι τοὺς θεούς, *ne Deos colentibus pediculus, aut quid aliud inſit immundum.* Et eosdem lineis veſtibus indui tradit *Plutarchus* in *Iſide*, quia linum eſt ἥκιστα φθειροποιόν, id eſt, quia minimè pediculos gignit. Quas cautiones crediderim illos adhibuiſſe in hujus plagæ memoriam, illâ enim veriſſimile eſt Magos & Sacerdotes gravius fuiſſe afflictos.

Hoc ſaltem certum, quod ſequitur verſu decimo octavo & nono, Magos, qui prioribus *Moſis* miraculis præſtigias ſuas oppoſuerant, hic demum ſuccubuiſſe, ingenue profeſſos nihil ſimile à ſe poſſe præſtari, cum hic eſſet digitus Dei. *Magi* Hebraicè חרטמים *hartumim*, vocantur, voce, cujus ut origo, ità præciſa ſignificatio nondum eſt nota: ſunt, qui compoſitam eſſe velint ex חרר *harrar, ardere*, & טמיא *tumaja*, id eſt, *mortuorum oſſa*, quorum in Magia ſit multus uſus. Proinde νεκρομάντις *Talmudicis* eſt אובא טמיא. Ità igitur חרטם is eſſet, *qui ardet cadaverum oſſa*, vel *ardenti ſtudio iis occupatur.* Quod non puto poſſe ſtare, quia טמיא propriè *immunda* ſonat, nec pro *oſſibus* alibi quam in *Talmude* reperitur, aut in *Rabboth*, & *Midraſoth.* Aliis eſt compoſita vox ex חור־טום *chortum*, vel אטום *atum*, id eſt, *foramen obſtructum.* Nam, ut ait *Saadias* in *Dan.* 1. v. 20. היו נוקבין חור באילן ומכניסין בו דבר כשפים אוטמין אותו והוא מגיד להם כל־ דבר *Perforabant arborem, & in foramine aliquid ponebant ad divinationes pertinens, eoque obſtructo, id quidvis iis revelabat.* Nempe, ut *Homerus Dodonæ* veteres ſcribit

(f) Odyſſ. ξ. v. 328. (f) Ἐκ δρυὸς ὑψικόμοιο Διὸς βουλὴν ἐπακοῦσαι

Ex quercu procera Jovis *voluntatem audiviſſe.* Quod *Strabo* libro ſeptimo fabuloſum eſſe cenſet. *Aben Ezra* in *Gen.* 41. quadratam eſſe vocem מצרית או ארמית, *Ægyptiam, aut Chaldæam*, quæ ſignificet חכמי תולדות, *Genethliacos*, aut in genere *Phyſicos.* At cum in *Daniele* Chaldæorum, & in *Moſe Ægyptiorum* Magi חרטמים *hartumim*, appellentur, eam neque *Chaldæam*, neque *Ægyptiam* eſſe vir doctus rectè colligit. Neque enim *Ægyptiâ* voce *Chaldæi*, aut *Chaldæa Ægyptii* Magi appellarentur. Sunt in *Mercero*, quibus חרטם *hartum*, eſt *qui ſe devovet*, quaſi fiat à חרם *haram, devovere*, inſerto *Teth*, quod eſt ſine exemplo. *Fullerus*

(g) Miſcellan. lib. 5. cap. 15. (g) finale *Mem* in חרטם *hartum*, Heemanticum eſſe contendit, ut deducat à חרט *heret*, id eſt, à *ſtylo ſcriptorio*, quo Magi ſcilicet figuras & characteres pingant, ad nefariæ ſuæ artis opera adhibendos. *Conſtantinus l'Empereur* in *Danielem* mavult referre ad חרש *hares*, qui *magus* eſt *Chaldæus*, quia *Teth* eundem ferè ſonum habet, ac *Thau*, in quem *Scin* ſæpe mutatur. Sed ש in ת mutare *Chaldæorum* eſt, non *Hebræorum.* Et quamvis ט ſit ſono vicinum, tamen ש in ט nunquam mutatur. Poſt aliorum ſententias, jam liceat noſtram proferre. *Arabicè* رطن *ratana* eſt *murmurare*, & *ignota lingua verba proferre.* *Chaldæi* quoque Paraphraſtæ & *Syrus* paſſim utuntur Verbo ܪܛܢ *retan*, in *murmurandi* notione. Sed & iiſdem *Chaldæis* quandoque רטן *retan*, eſt *incantare.* Hinc *Chaldaica* Paraphraſis *Deut.* 18. v. 11 רטין רטן *raten retan*, id eſt, *incantans incantatione.* Et *Pſ.* 58. v. 6. de aſpide, *Ea eſt ſapientior* מן רטני רטן *mimratene retan*, id eſt, *iis, qui incantant incantatione.* Hinc in *Talmudis* Tractatu *Sota* cap. 3. fol. 22. a. רטין *ratin*, & אמגושא *magus*, ponuntur ut ſynonyma. Nempe magorum proprium eſt verba ignota demurmurare, quaſi in illis eſſet magna vis. *Ovidius*,

Ter novies carmen Magico demurmurat ore.

Et apud *Valerium Flaccum Argonauticon* libro ſeptimo *Medea*, dum in eo eſt, ut *Jaſoni* artibus ſuis robur atque animum inſpiret,

Carmina nunc totos ſolvit figitque per artus
Æſonidæ, & totum SEPTENO MURMURE *fertur*
Per clypeum, atque viro graviorem reddidit haſtam.

Et in *Apulejo* ſaga *Pamphile*, in bubonem mutanda, fingitur multum cum lucerna ſecreto colloquuta. Porrò ad חרטם *hartum*, alludit רטן *retan*, & videtur ex eo deductum. Initialis aſpiratio periit, ut in *Talmudico* סחוס, *cartilago*, pro הסחוס, & פירא *foſſa* pro הפירא. Quomodo *Eſ.* 2. v. 20. פירות *foſſa* pro חפירות juxta *Kimchium.* Sic *Tigris* amnis *Chaldæum* nomen דגלה, & *Arabicum* دجلة & *Armenium Diglito* apud *Plinium* libri ſexti capite vigeſimo ſeptimo facta ſunt ex *Hebræo* חדקל *Hiddekel*, aſpiratione demptâ. *Caula ovium* Chaldaice eſt חטרא, & *Syriacè* ܚܛܪܐ. *Milvus* Arabicè حداة & Hebraicè דאה. Et Conjugata eſſe apparet בצר, *cape*, & חבצלת, *lilium*; quia utrumque eſt bulbacei generis, quamvis in illo deſit *Heth.* Præterea in רטן, *Nun* finale factum eſt ex *Mem* finali vocis חרטם *hartum*, qua permutatione nihil eſt frequentius. Sic *Hebræis adverſari* שטם vel שטן dicitur, unde *Satanas*: & *Chaldæis robuſtus* חסם, vel חסין: *Pinguis* Hebræis דשן, & Arabibus دسم *Pollex* Hebræis בהן, & Arabibus ابهام Locus Hebræis מקום, & מכן, ut Arabibus مكان *Ruta* Talmudicis פיגם, ſed Syris ܦܝܓܢܐ & Arabibus فيجن ut Græcis πήγανον. *Balſamum* Arabibus بلسان *balſan.* Et Pluralia *Hebræa* in ים, *Syri* & *Chaldæi* mutant in ין *in.* Sed & in *Hebræo* textu legas רצין, *curſores*, & צדנין, *Sidonios*, 1. Reg. 11. v. 13. 32. & alibi multa hujusmodi. Puto igitur *Chaldæa* רטן *retan*, *demurmurare*, vel *incantare*, & רטין *ratin*, id eſt, *Magus*, vel *incantator*, facta fuiſſe ex Hebræo חרטם *hartam*, & חרטום *hartum*, quæ idem ſignificaverint. Sic חרטם *hartum*, propriè eſſet ἐπαοιδός *incantator*, ut in *Daniele Theodotion* conſtanter reddit, & *Seniores* hoc ipſo *Exodi* loco, & tribus aliis. Quod confirmant ipſa verba *Moſis*, *Et ſic fecerunt* חרטמים בלטיהם, hartumim *per incantationes ſuas.* Ex iis enim ſequitur חרטמים eſſe *incantatores.* Cum ibi לטים *latim*, nihil aliud ſit quam *ſecreta murmura*, quorum in incantatione uſus, Relata ſunt חרטם *hartum*, & לט *lat*, atque inter ſe cohærent. Notandum obiter in *Arabica* Paraphraſi

raphraſi, quæ *Pariſiis* edita eſt, *Magos* vocari علما *Ulama*, unde *Elymas* pro *Mago*, *Act.* 13. *v.* 8. Niſi quis malit ab *Elimais* deducere. Nam & *Magi* ſunt *Perſica* gens, de qua *Clemens* libro ſexto *Stromatῶn*, & *Euſebius* libro ſexto *Præparationis*, & Hiſtorici *Arabes* paſſim. Ne dicam *Chaldæorum* nomen eâdem notione ſæpe uſurpari, quod etiam pueri ſciunt. Sed, quod me penè fugerat, ad חרטם *hartum*, alludit Ἄρτεμις *Diana*, quam magi ſæpe invocant. Ut in *Theocriti Pharmaceutria Simætha Saga*,

——— τὺ δ᾽ Ἄρτεμι, καὶ τὸν ἐν ᾅδᾳ
Κινήσαις Ῥαδάμανθα, καὶ εἴ τι περ ἀσφαλὲς ἄλλο.

Nempe *Diana* eadem eſt, quæ *Hecate*, quam præeſſe veneficiis & Magicis artibus veteres crediderunt. Hinc *Scholiaſtes*, Ἣν γὰρ πρὸ τούτου Ἑκάτην ἐκάλεσε, ταύτην νῦν Ἄρτεμιν λέγει. *Quam vocaverat antea* Hecatem, *eam nunc* Artemin, (id eſt, Dianam) *dicit*. Itaque *Medea Senecæ* in veneficiis ſuis eandem ſic compellat,

Tibi ſanguineo ceſpite ſacrum
Solenne damus: tibi de medio
Rapta ſepulchro fax nocturnos
Suſtulit ignes, &c.

In *Magis Ægyptiis* eminebant *Jannes*, & *Jambres*, *Talmudicis* non ignoti, quorum amentia tandem ἔκδηλος *manifeſta* facta eſt omnibus. ut ait *Paulus*, 2. *Tim.* 3. *v.* 9. Nempe cùm hactenus *Moſi* utcunque obſtitiſſent, & miracula ejus illuſionibus ſuis aliquo modo eſſent imitati, in iſto ſubſtiterunt, ultro agnoſcentes ſe non poſſe ulterius progredi. Ità enim habent Prophetæ verba, *Sic etiam fecerunt Magi incantationibus ſuis, ut pediculos producerent, ſed non potuerunt*, &c. *Et* Pharaoni *dixerunt*, *Hic eſt digitus Dei*. Itaque *ità fecerunt*, id eſt, ità facere conati ſunt. Ut *Matth.* 7. *v.* 13. Εἰσέλθετε διὰ τῆς στενῆς πύλης, *Intrate per portam anguſtam*, id eſt, ἀγωνίζεσθε εἰσελθεῖν, *intrare contendite*, ut *Luc*. 13, 24. Ratio autem, cur qui ſaltem in ſpeciem virgas ſuas in ſerpentes, & aquas in ſanguinem mutaverant, & ranas ex amne produxerant, non potuerint terræ pulverem in pediculos ſimili ratione mutare, ab *Hebræis* hæc affertur, שאין השד שולט על בריה פחותה מכשעורה, *Quod diabolus non dominatur ſuper creaturam, quæ grano hordei ſit minor*. Ità *R. Selomo* ex vetuſtioribus, quæ ratio eſt futilisſima. Quidni enim princeps mundi in hæc minutula tam dominetur, quam in majora animalia? Neque ab *Ethnicis* ità creditum, qui quoſdam phthiriaſi periiſſe referunt propter impietatem in Deos ſuos. *Pauſanias*, in *Bœoticis*, Sylla *illud ipſum, quod* Alalcomenis, *fuit* Minervæ *ſignum eripuit. Hunc hominem, qui* Græcorum *civitates & patrios Deos tam furenter vexarat, morbus omnium teterrimus oppreſſit, pediculis è toto corpore erumpentibus*. *Valerius* libri primi capite primo, de *Q. Pleminio* legato *Scipionis*, qui *Locris Proſerpinæ* theſaurum ſpoliaverat: *Cùm vinctum* Romæ Senatus *protrahi juſſiſſet, is ante cauſæ dictionem in carcere teterrimo genere morbi conſumptus eſt*, id eſt. *phthiriaſi*, ut volunt. Diabolo nimirum injuriam Diis à ſe confictis illatam ſic ulciſcente. Quæ ſi vera ſunt, pediculos in *Sylla* & *Pleminii* carnibus produxiſſe Diabolus rectè dicetur. Sed & ipſi *Hebræi* Diabolum *Beel-zebub*, id eſt, *muſcæ dominum* appellârunt, quæ grano hordei ſæpe minor eſt. Queat igitur pari ratione nominari בעל־כנים *Baal-cinnim*, *dominus pediculorum* & cujuſcunque *inſecti*. Sed ideò Magi pediculos producere non potuerunt, quia noluit Deus id illis concedere. Diabolo enim dicit id ipſum, quod mari; (h) *Huc uſque venies, & non procedes ampliùs*. Ne Magi præſtigiis ſuis *Pharaoni* imponere pergerent, eos tribus quaſi gradibus ex illo honoris faſtigio dejecit, in quo erant apud *Ægyptios*. Primo, cum *Aaronis* virga in ſerpentem verè mutata illorum virgas deglutivit, quæ ſolam habebant ſerpentum ſpeciem *Exod.* 7. v. 12. Secundò, cum neque pediculos, neque cynomyias, neque locuſtas, neque quidquam eorum, quæ deinceps à *Moſe* producta ſunt, potuerunt imitari. Tertiò, cum iiſdem ulceribus, quibus reliquos *Ægyptios* afflixerat *Môſes*, etiam ipſi divexati, non potuerunt coram *Moſe* conſiſtere, *Exod.* 9. *v.* 11. Sed præcipuè notanda eſt hæc confesſio, quam ab ipſis extorſit vis veritatis; *Hic eſt digitus Dei*. In *Hiſtoria Hebraica Templi ſecundi* legitur *Antiochum Epiphanem* in lethali morbo idem dixiſſe. Verba ſunt, נגעו ה׳ הוא וכל מחנהו בגרב ובחרס ובכל חלאים רעים וכשראה כל זה אמר אצבע אלהים היא, *Percuſſit eum Dominus, & totum ejus exercitum, ſcabie, & prurigine, aliisque peſſimis morbis: quod omne cum videret, dixit, Hic eſt digitus Dei. Digitus Dei*, id eſt, *ſpiritus* vel *virtus Dei*. Quâ Phraſi dixit *Chriſtus* Luc. 11. v. 20. Εἰ δὲ ἐν δακτύλῳ Θεοῦ ἐκβάλλω τὰ δαιμόνια, *Si in digito Dei ejicio dæmonia*, id eſt, ἐν πνεύματι, *in ſpiritu*, ut explicatur *Matth.* 12. *v.* 28. *Tertullianus* in *Marcionem* libri quarti capite vigeſimo ſexto de *Pharaonis* Magis, *Virtutem creatoris digitum Dei appellaverunt*. Quæ meliora, quam quæ ſequuntur; *Digitus Dei eſt hoc, quod ſignificarent etiam modicum, validiſſimum tamen*. Quaſi *digitus* hic diceretur κατ᾽ ἐξουθενισμόν, prout toti manui opponitur. Quomodo etiam à *Philone* ſumptum, qui in hunc locum ſcnipem ſcribit, utût vile animalculum, ità valuiſſe, ut tota *Ægyptus* exclamare cogeretur, *Hic eſt digitus Dei*: χεῖρα γὰρ Θεοῦ μηδὲ τὴν σύμπασαν οἰκουμένην ὑποστῆναι ἄν, *manum enim integram Dei ne totam quidem terram ferre poſſe*. Quin hic *digitus Dei* idem eſt, quod *digiti*, per Numeri Enallagen. Ut *Exod.* 31. *v.* 18. *Dedit* Moſi *tabulas ſcriptas digito Dei*, id eſt, *digitis Dei*; neque enim uno digito ſcribimus. Et *digiti* ſæpe ſumuntur pro *tota manu*: ut Pſal. 8. v. 4. *Cum aſpicio cœlos tuos, opus digitorum tuorum*, id eſt, *manuum*. Et Pſal. 144. v. 1. *Docet manus meas prælium, digitos meos bellum*. Itaque *Hic eſt digitus Dei*, idem eſt ac ſi dixiſſent, *Hæc eſt manus Dei*. Ut Pſal. 109. v. 27. *Ut cognoſcant hanc eſſe manum tuam, te Dominum feciſſe hoc*. Quod autem Magi fatentur hanc eſſe Dei manum, non ideo fatentur, ut Deo dent gloriam, ſed tantum, ut famæ ſuæ conſulant, nec putentur *Moſes* aut *Aaron* illis eſſe virtute aut ſcientia ſuperiores: quaſi dicerent. *Nos non cohibent* Moſes *aut* Aaron, *ſed divina vis utriuſque major*. Non malè igitur *Jonathan*, *Magi* Pharaoni *dixerunt*, לא מן כח גבורת משה ואהרן היא אלהן מחא משתלחא מן קדם יהוה היא, *Hoc non contigit* Moſis *aut* Aaronis *virtute*, *ſed plaga hæc eſt à Domino immiſſa*. Interim hâc confesſione abunde revincuntur: cum eo ipſo *Moſem* inviti ſibi præferant, quod Dei virtutem per *Moſem* agnoſcunt ea operari, quæ ipſi imitari non poſſunt. Quod idem eſt, ac ſi *Moſem* faterentur eſſe Dei Prophetam, ſe verò θεομαχεῖν, & cum Deo certamen ſuſcepiſſe. Tamen hanc veritatem in injuſtitia detinentes, ab inſtituto non deſiſtunt, & Dei ſervis pro viribus obſiſtere pergunt, ut colligitur ex *Exod.* 9. v. 11. Ità ut his Magis tribui potuerit illud *Medeæ*,

——— *video meliora, proboque,*
Deteriora ſequor. ———

Pediculos per totam *Ægyptum* procreatos fuiſſe legitur *Exod.* 8. v. 16. 17. Unde *Pſaltes*. Pſal. 105. v. 31. *Et pediculi in omnibus finibus eorum*. Tamen ut ab aliis plagis *Exod.* 8. *v.* 22. & 9. *v.* 7. 26. & 10. *v.* 23. & 12. *v.* 23. ità etiam ab iſta immunis fuit terra *Goſen*, quæ pro parte *Ægypti* tum temporis non habebatur, quia non habebat *Ægyptios* incolas, ſed *Judæos*.

Novum videri poterit, quod in *Arabica* verſione legitur *Pſ.* 77, 51. (*Hebræis* 78, 46.) اطعم القمل ثمارهم *cibavit pediculum fructibus eorum*, cum pediculi

(h) Iob. 38. 11

culi non ſoleant veſci terræ fructibus. Sed ibi *Hebræa* habent, ויתן לחסיל יבולם, *Et dedit brucho proventum eorum.* Et *Syrus* quoque ܩܡܨܐ, id eſt, *locuſtæ.* Itaque *Arabicum* القمل *alkamla*, id eſt, *pediculum*, mutandum in القمص *alkamſa*, id eſt, *locuſtam.* Quamvis enim illa vox ſit *Syris* uſitatior, tamen etiam *Arabibus* القمص eſt locuſtæ genus, & definitur in *Alcamus*, الجراد اول ما يخرج من بيضه *locuſta quamprimùm ab ovo ſuo exit*, quæ nimirum aliis دبا *daba.*

Hoc quoq; parum capiunt interpretes, quod de *Nabuchodonozore* habet *Græca* verſio *Jerem.* 43. *v.* 12. φθειριεῖ τὴν Αἰγύπτου, ὥσπερ φθειρίζει ποιμὴν τὸ ἱμάτιον αὐτοῦ· *Excutiet pediculos terræ Ægypti, ut paſtor excutit pediculos veſtis ſuæ.* Neque enim ſatisfaciunt hæc Theodoreti, *Ut doceret non perfunctoriè bellum in Ægyptum geſturum, ſed illam exactè deleturum*, ἀποικάζει αὐτὴν ποιμένι τοὺς φθεῖρας συλλέγοντι, *eum cum paſtore confert, qui pediculos ſuos colligit: nempe id accuratè faciunt paſtores, quia otio maximè abundant.* Hæc, inquam, non ſatisfaciunt, quia in *Hebræo* textu nihil ſimile habetur. Nec *Prophetam* veriſimile eſt egregium bellatorem cum paſtore comparâſſe, qui pediculos ſuos eximit. Verum enimverò ſuo loco abunde probavimus *Græcos* non ſcripſiſſe φθειριεῖ & φθειρίζει, ſed φθειρεῖ & φθείρει. Ut ſenſus ſit, fore, ut *Ægyptum* deſtruat *Nebucadnetſar*, quomodo paſtor deterit veſtem ſuam. Quæ ipſa verſio cum non ſit ſacro textui ſatis conſona, tamen cauſæ non defuerunt, cur ſic redderent.

De *Sylla*, qui phthiriaſi periit, meritò dicit *Plinius* lib. 7. cap. 43. *Age, non exitus vitæ ejus omnium proſcriptorum ab illo calamitate crudelior fuit, erodente ſe ipſo corpore, & ſupplicia ſibi gignente? Plutarchus* in *Sylla* plures alios memorat, qui eodem genere mortis occubuerunt. Nempe *Acaſtum Peliæ* filium, *Alcmanem* Poetam, *Pherecydem* Theologum, *Olynthium Calliſthenem*, dum in vinculis fuit, *Mutium* Juris-conſultum, & *Ennum* illum, qui in *Sicilia* bellum ſervile moverat. His multi noſtrorum *Antiochum Epiphanem*, & *Herodem Agrippam* accenſent, quia viventium corpus à vermibus legitur fuiſſe conſumptum. Nam de priore dicitur 2. *Machab.* 9. v. 9. Ὥστε ἐκ τοῦ σώματος τοῦ δυσσεβοῦς σκώληκας ἀναζεῖν, καὶ ζῶντος ἐν ὀδύναις καὶ ἀλγηδόσι τὰς σάρκας αὐτοῦ διαπίπτειν· *Ità ut ex impii corpore vermes ebullirent, ejusque viventis carnes cum doloribus & angoribus deciderent.* Et de altero *Act.* 12. *v.* 23. Καὶ γενόμενος σκωληκόβρωτος ἐξέψυξεν, *Et eroſus à vermibus exanimatus eſt.* Volunt igitur *vermium* nomine *pediculos* intelligi, à quibus hi conſumpti fuerint. Sed in *Actorum* loco hos omnino refellit vetuſtiſſimus ille *Bezæ* codex, qui ſic habet; καὶ γενόμενος σκωληκόβρωτος ἔτι ζῶν, οὕτως ἐξέψυξεν, *Et à vermibus eroſus adhuc vivus, ita exanimatus fuit.* Quod de veris vermibus rectè dicitur, qui erodere non ſolent niſi mortuos; ſed fruſtrà obſervaretur, ſi res eſſet de pediculis. Pediculi enim vivis, non mortuis, infeſti ſunt. Quin morituri hominis corpus deſerunt. Ità obſervat *Philoſophus* ἐν τοῖς Ζωικοῖς, quæ hodiè non extant. Diverſi enim ſunt libri illi Περὶ ζώων, quos habemus, ab illis, quibus titulum fecerat τὰ Ζωϊκά. Sed ipſa mei *Philoſophi* verba ſic citat *Apollonius Mirabilium* capite vigeſimo ſeptimo, Οἱ φθεῖρες ἐν τῇ κεφαλῇ ἐν ταῖς μακραῖς οὐ φθίνουσι νόσοις, μελλόντων τελευτᾶν τῶν πασχόντων, ἀλλ' ἐπὶ τὰ προσκεφάλαια εὑρίσκονται, προλελοιπότες τὴν κεφαλήν· *Pediculi capitis in longis morbis non tabeſcunt, cum ægri ſunt interituri, ſed, capite deſerto, in pulvinaribus inveniuntur.* Nempè, ut aſſerit *Alexander Aphrodiſæus* libri ſecundi *Problemate* trigeſimo, pediculi tepore quodam, & ſucco ſanguineo, eoque dulci opus habent, quibus cum deſtituantur in morituris corporibus, facilè illa deſerunt, ut quærant meliora loca. *Scaliger* quoque in *Cardanum Exercitatione* 246. extremâ tradit, tanquam in publicis noſocomiis rem notiſſimam, *ubi è miſeris illis moritur aliquis, confeſtim è veteri hoſpitio, ſcilicet cadavere, demigrare pediculos.* Et curà defuncto ſtatim fugiant pediculi, cauſas diſquirit *Ambroſius Leo Nolanus* Problemate 225. quas hic afferre nihil attinet. Tantum colligimus, vermes, quos ait *Lucas Herodem* adhuc vivum eroſiſſe, non fuiſſe pediculos, ſed veros vermes, qui, licet mortuos ſæpius, tamen etiam vivos nonnunquam erodunt. Nec paucos aliunde illuſtres hoc mortis genere occubuiſſe probabimus in capite *De vermibus.*

CAPUT DECIMUM NONUM.

De Pulice.

Pulex *Hebræis* פרעש paros. *Quomodo inde fiat* Arabicum برغوث borguths, *&* Syriacum ܦܪܥܬܢܐ purthaana, *vel* ܦܪܛܥܢܐ purtaana, *quod pro* pulice *malè redditur* culex. *In* Plinio, *&* Auguſtino, culex *pro* pulice, *& in* Diggejo *multoties. Deſcriptio pulicis ex* Arabibus. *Dicitur* pater ſaltûs. *Habet elephantis proboſcidem. Pulicem inter orandum occidere nefas.* Pſyllium *Arabibus* برغوثي borguthſi. *Cur* pulicem *ſe vocet* David. Pediculus *pro* vili *in* Homero. *Tenuiores* Claudius pulices *vocavit. Copiæ imbelles*, ψύλλων νέφος, *&* ἱππικόν. In pulicis morſu Deum invocat, *Proverbium.* Socratem *pulicum ſaltus metitum eſſe præter* Ariſtophanem *etiam ſcripſit* Xenophon. Excoriat pulicem, ut pellem habeat, *de viro ſordido dictum. Ad ceraſtis morſum non adhiberi* ψύλλαν, pulicem, *ut putat* Phile, *ſed* ψύλλον Pſyllum, *qui virus exſugat. Vir illuſtris in* Eſdra פרעש, *id eſt*, pulex *dictus* Pſyllus Græcis *viri nomen*, Pſylla *vel* Pſyllium *urbis.* Pſyllici *canes.* Pſylli *populi unde dicti. Ager* Siciliæ terra di pulici *hodie, non à* pulice, *ſed à* Polluce.

Ut pauca habet Scriptura de pulice, ita nos pauca dicemus. Nomen *Hebræum* פרעש *paros*, vel ἀρχαϊκῶς *pharos*, verè eſſe *pulicem* patet tam ex conſenſu interpretum, quam ex vicinis linguis. *Arabicè* enim dicitur برغوث *borguths*, mutatis tribus literis, ſed in tres alias homogeneas. Nempe *Pe* in *Be*, *Ajin* in *Gain*, & *Scin* in *Thſe.* Indidem *Syrum* ܦܪܥܬܢܐ *purthaana*, iiſdem Radicalibus, niſi quod *Scin* de more in *Thau* mutatum eſt, & ex ultima ſede translatum in penultimam. In *Midras* Cant. 1. 12. perperam ſcribitur per *Teth*, אפלו פורטענה לא עקץ נם בא הבה ומצאן ישנים, *Niſi pulex eos pupugiſſet, veniens Deus Sanctus Benedictus eos reperiſſet dormientes.* Et hujus Plurale פורטעני *purtaane*, viri duo doctiſſimi *Boderianus* & *Buxtorfius* male reddunt *culices*, Niſi ſit mendum librarii, qui *culices* ſcripſerit pro *pulices.* Quale in his *Plinii* libri decimi noni capite decimo, *Beſtiolarum quoque genera innaſcuntur, napis culices, raphano erucæ & vermiculi.* Quæ ſic in *Theophraſto Hiſtoria* libri ſeptimi capite quinto, Θηρία δὲ ἐγγίνεται, ταῖς μὲν ῥαφανῖσι ψύλλαι, τῇ δὲ ῥαφάνῳ κάμπαι καὶ σκώλη-

εὐώλακες. Legendum igitur in *Plinio*, *napis pulices*, non *culices*. Rurſus in *Soliloquiis*, quæ *Auguſtino* tribuuntur, capite vigeſimo quarto, *Num damnabis, Rex* Iſraël *æterne, canem mortuum? Num damnabis culicem unum?* Legendum *pulicem unum*. Palàm enim alludit ad hæc *Davidis*, 1.*Sam*.24.*v*.15. *Poſt quem egreſſus eſt Rex* Iſraëlis? *quem perſequeris? canem mortuum? pulicem unum?* In *Arabico Giggeii Lexico* mendum idem tam ſæpe occurrit, ut non poſſit auctori non adſcribi. Sic tom.1.pag.263. برغوث *culex*, & pag.1196. الخدوش *muſca, culex*. Et tom.2.pag.1249. الصوابة *Ovum id, ex quo culices gignuntur.* Et pag.1365. الاصلم *culex*. Et tom.3.pag.276. العدام *culex*. Et pag.1165. قرص البراغيث *morſus culicum*. Et pag.1166. القرصة *Cùm quis à culice mordetur.* قرصه البراغيث *illum culices momorderunt*. Et tom.4.p.1147. ابو الوثاب *Vulpes, muſcula, culex*. Quibus locis omnibus *culicis* nomine pro *pulice* illum abuti conſtat, quia *Alcamus*, quem ſequitur, ubique habet البرغوث *alborguthſi*, vel Plurale البراغيث *albaragithſi*. Quâ voce *pulicem* ſignificari tam certum eſt, quàm quod eſt certiſſimum. Ità enim deſcribit *Alkazuinius*, هو اسود احدب ضامر اذا وقع نظر الانسان عليه احس بـه فيوثب تـارة الى اليـمين وتارة الى الشمال حتى يغيب عن نظر الانسان *Eſt niger, gibboſus, macer, cùm in eum incidit hominis viſus, ſtatim ſentit, & modò ad dextram, modò ad ſiniſtram ſalit, donec à conſpectu hominis lateat.* *Damir* quoque aſſerit eſſe animal multi ſaltûs, atque inde vocari طامر *tamir*, id eſt, *ſalientem*, & ابو الوثاب id eſt, *patrem ſaltûs*: nec ſolùm anteriùs, ſed & retrorſum ſalire, ut venatorem fugiat, & eſſe احدب ثرا *valde gibboſum*, & promuſcide, quâ fugit, elephantem imitari. Idem multis quærit, an illud liceat inter orandum interficere, aut orare cum veſte hujus nuper occiſi ſanguine delibutâ. Medici quoque, ut *Avicenna* Can.4. *Fen*.6.tract.3.cap.11. & apud *Damirem Hamri* & *Razi* iis remediis fugant البراغيث quibus *Græci* & *Romani* pulices. Et *herba pulicaris*, ut *Græcè* ψύλλιον ἀπὸ τῶν ψύλλων *pſyllium à pulicibus*, ità *Arabicè* vocatur برغوثي *borguthſi*, quamvis vulgare nomen ſit بزرقطونا *bazarkatuna*, unde *Zargatona* Hiſpanis. *Abenbitar*, بزرقطونا وهو الاسغيوس يالفارسية وفسليون باليونانية وتاويله البرغوثي BAZARKATUNA *Perſicè dicitur* ASPHIUS, *&* Græcè PSYLLION, *quod* Arabicè *redditur* AL BORGUTHSI.

Propheta *David* cum Rege *Saule* diſceptans, ὅτι τῇ ταπεινότητος ὑπερβολῇ τὴν ἄτεγκτον ἐκείνου μαλάξῃ καρδίαν, *ut humilitatis exuperantiâ præfractum cor emolliret*, ut ait *Theodoretus*, ſe ſemel atque iterum pulicem appellavit. Prior locus jam citatus eſt ex 1.*Sam*.24.*v*.15. *Poſt quem egreſſus eſt Rex* Iſraëlis? *Quem perſequeris? canem mortuum? pulicem unum?* Alter capitis vigeſimi ſexti verſu vigeſimo, *Egreſſus eſt Rex* Iſraëlis *ad quærendum pulicem unum*. Qui ſi unus quæratur, vix invenitur, & inventus vix capitur, & captus venatori levis eſt præda, Regi maximè. Pro pulice in uno loco *Chaldæus* habet חד הדיוט, *idiotam*, (id eſt, plebeium) *unum*: in altero חד חלש, *infirmum unum*, Non malè, cùm hyperbolicâ hâc metaphorâ *David* nihil aliud ſignificet, quàm ſe vilem eſſe homuncionem, in quo inſequendo Rex potens, qualis erat *Saul*, malè operam ſuam collocet: cùm propter tenuitatem facilè latere poſſit, nec ſi tandem caperetur, magnum operæ pretium *Saul* facturus eſſet. Non diſſimili hyperbole de *Agamemnone* dicit *Achilles* libri decimi *Iliad*. verſu 378. Τίω δέ μιν ἐν καρὸς αἴσῃ, vel, ut alii legunt, ἐγκάρος αἴσῃ, *non pluris illum facio quàm pediculum*. Ità enim ex *Euſtathio* multi accipiunt. Et apud *Dionem Claudius*, ut doceret ſe tenuiorum hominum inſidias ſusque deque habere, Οὐ τὸν αὐτὸν χρὴ τρόπον ψύλλαν τε καὶ θηρίον ἀμύνεσθαι, *Non oportet eodem modo adversùs pulicem, quàm adversus feram ſe tueri*. Proinde *Tzetzis* Hiſtoriarum *Chil*.9.*Hiſt*.272. *Xerxis* imbelles copiæ vocantur ψυλλῶν νέφος *pulicum nubes*. Et in *Anonymi* Epigrammate *Anthol*. libri ſecundi capite trigeſimo ſecundo *Cajus* pumilio dignus eſſe dicitur, qui militiæ det nomen,

Εἰ μὲν ἐπ' ἀττελάβους ἄγεται στρατὸς, ἢ κυνομυίας,
Ἢ μύας, ἢ ψυλλῶν ἱππικὸν, ἢ βατράχων,

Si in attelabos copiæ ducantur, aut cynomyias, aut mures, aut pulicum, vel ranarum equitatum. Hinc ridetur in fabulis qui à pulice morſus *Herculem* invocavit. Unde natum Adagium apud Parœmiographos, Ἐν ψύλλης δήγματι θεὸν ἐπικαλεῖται, *In pulicis morſu Deum invocat*. Et *Ariſtophanes* in *Nebulis*, ut *Socratem* doceat de rebus nihili philoſophari, fingit illum pulicis ſaltum dimetiri, & ſaltu ſuo proprios pedes quot transiliat. Verba ſunt *Actûs* 1. *Scenâ* 2.

ΜΑ. Ἀνήρετ' ἄρτι Χαιρεφῶντα Σωκράτης
Ψύλλαν ὁπόσους ἅλλοιτο τοὺς αὐτῆς πόδας.
Δακοῦσα γὰρ τοῦ Χαιρεφῶντος τὴν ὀφρὺν,
Ἐπὶ τὴν κεφαλὴν τὴν Σωκράτους ἀφήλατο.
ΣΤΡ. Πῶς δῆτα τοῦτ' ἐμέτρησε; ΜΑ. Δεξιώτατα.
Κηρὸν διατήξας, εἶτα τὴν ψύλλαν λαβὼν,
Ἐνέβαψεν εἰς τὸν κηρὸν αὐτῆς τὼ πόδε,
Κᾆτα ψυγείσῃ περιέφυσαν Περσικαὶ,
Ταύτας ὑπολύσας ἀνεμέτρει τὸ χωρίον.

DISC. *Nuper interrogavit* Chærephontem Socrates, *quot ſuos ipſius pedes ſaltet culex. Demorſo enim* Chærephontis *ſupercilio, in* Socratis *caput inſilierat*. Strepſ. *Quomodo igitur id metitus eſt?* DISC. *Dexterrimè. Ceram enim liquefecit, & capto pulice, pedes ejus in ceram immerſit: & mortuo crepidæ adnatæ ſunt, quibus ſolutis ſpatium dimenſus eſt.* Et *Act*.3.*Sc*.1.

ΦΕΙ. Τίς φησι ταῦτα; ΣΤΡ. Σωκράτης ὁ Μήλιος,
Καὶ Χαιρεφῶν, ὃς οἶδε τὰ ψυλλῶν ἴχνη.

PHI. *Quis hæc dicit?* STR. *Socrates Melius* (id eſt, tam atheus, quàm *Diagoras Melius*) *&* Chærephon, *qui novit pulicum veſtigia*. Nempe de *Socrate* fuiſſe tale aliquid diſſeminatum etiam ex *Xenophontis Sympoſio* colligere eſt, ubi *Socrati* dicit quidam *Syracuſanus*; Εἰπέ μοι πόσους ψύλλα πόδας ἐμοῦ ἀπέχει· ταῦτα γάρ σε φασὶ γεωμετρεῖν. *Dic mihi quot pedes à me diſtet culex: ajunt enim te hæc dimetiri.* Eodem pertinet quòd de ſordido *Euchione* ſcribit *Petrus Nellus* Satyricus *Italus*: *Scortica di pulci per haver la cuoia*, id eſt *Excoriat culices ut pellem habeat.* Ut *Philen* prætercam, quæ ut in Medicina doceat prodeſſe res viliſſimas, ad eraſtis morſum ſe adhibere ait εὐτελῆ ψύλλαν μόνην *nil niſi vilem pulicem*: ſed, niſi fallor, gravi errore. Sic enim ταῖς ψύλλαις *pulicibus* tribuit, quod alii τοῖς Ψύλλοις, *Pſyllis populis*. Ælianus *Hiſtoriæ* libri

primi

primi capite quinquageſimo ſeptimo, ubi de *Africæ* ceraſtis; Ἔστι δὲ αὐτοῖς πρὸς τοὺς καλουμένους Ψύλλους ἔνσπονδα, ὑπὲρ ὧν τι αὐτοὶ δακνόμενοι ταῖς ὀδύναις τῶν δηγμάτων, ἢ τοὺς παρὰ τούτων κακῶς πεπονθότας ἰῶνται ῥᾷστα. *Illis eſt pax cum iis, qui* Pſylli *dicuntur, qui nec ipſi, ſi mordeantur, morſum ſentiunt, & eos, qui in id malum incidunt, faciliime ſanant.* Et multò antè ſcripſerat *Callias* libro 10. *De rebus Agathoclis*, τὰς κεράστας ὄφεις ἐκτυφλεῖσθαι τὸ δῆγμα, ἀναιρεῖν γὰρ καὶ ζῶα ἄλογα, καὶ ἀνθρώπους, εἰ μὴ παρείη Λίβυς ἀνὴρ Ψύλλος ὢν τὸ γένος. *Ceraſtas ſerpentes eſſe diri morſûs, & tam bruta, quam homines, interimere, niſi adſit vir* Libycus Pſyllus *genere*. Quâ autem ratione id fiat, vide apud *Ælianum* ubi ſupra, & libri decimi ſexti caput vigeſimum ſeptimum & vigeſimum octavum.

Ut à culice *Conopem* ſervum in *Achille Tatio*, ſic à pulice Virum illuſtrem nomen duxiſſe mirabere. Is eſt פַּרְעשׁ, *Paros*, vel *Phares*, qui ſæpe nominatur in libris *Eſdræ*, & *Nehemiæ*. Sed & in *Menandri Meſſenia* Ψύλλος eſt viri nomen, de quo *Suidas*. Et *Pſylla*, vel *Pſyllium*, *Bythiniæ* urbs non procul ab *Heraclea*. Et apud *Pollucem* οἱ κύνες οἱ ψυλλικοὶ *Pſyllici canes* ab *Achaiæ* urbe dicti. Nec deſunt, qui *Græcos Africæ Pſyllis* ἀπὸ τῶν ψύλλων *à pulicibus Græcum* nomen indidiſſe ſuſpicentur, quia pulicum more ſanguinem exſugebant, nempe ut à ſerpentibus percuſſos ità ſanarent. *Plinius* libri vigeſimi octavi capite tertio, *Quorundam hominum tota corpora proſunt, ut ex his familiis, quæ ſunt terrori ſerpentibus, tactu ipſo levant percuſſos, ſuctuve modico. Quorum è genere ſunt* Pſylli Marſique. *Suetonius* in *Auguſto* capite decimo ſeptimo, Cleopatræ *etiam* Pſyllos *admovit, qui venenum ac virus exſugerent. Arnobius* libro ſecundo, *Adverſus ictus noxios, & venenatos colubrarum morſus, remedia ſæpe conquirimus, & protegimus nos labiis* Pſyllis, Marſiſve *dentibus*. Ità legit *Cl. Salmaſius* pro vulgato, *laminis* Pſyllis, Marſis *vendentibus*. *Celſus* libri tertii capite vigeſimo ſeptimo, ubi de ſerpentum morſu; *Homo adhibendus eſt, qui vulnus exſugat: neque* Hercules *ſcientiam propriam habent, qui* Pſylli *nominantur, ſed audaciam uſu ipſo confirmatam.* Unum addo, in *Sicilia* agrum circa *Pintiam* urbem vernaculo ſermone vocari *terra di pulici*, non tamen *à pulicibus*, ſed à templo *Pollucis* ibi olim culti.

CAPUT VIGESIMUM.

Formicæ nomen *Latinum*, *Græcum*, *Hebræum*, & *Chaldaicum*.

Formica, φόρμικα, βύρμηξ, & μύρμηξ *unde dicta*. B, M, & F, *literæ permutabiles*. Ex *Græco Accuſativo formari* Latinum *Nominativum*. Formica *Hebraicè* נְמָלָה nemala. *An quia granorum capita abſcindit, ne regerminent? Quod docent ſcriptores omne genus.* Ποίμνη Epiphanio ἡ μυρμηκιά. Hieronymus *emendatus*. *Formica, cur grana coriandri quadrifariam dividat, lentes, hordeum, & fabas ſolùm excorticet.* Coriandrum *Arabicè* كسفره *pro* كزبره Job. 24. v. 24. נמל namal, *eſt* ſpicæ caput abſcindere. *Inde* formica נמלה nemala; *quia ſpicarum ſummitates abſcindit, ut grana ex iis eximat. Inſignis de eo* Æliani *locus non ſatis intellectus.* Ἀθέρας *eſſe ſpicarum capita. His oppone* ἀθέρας *in* Æliano, *ſed legendum* ἀθέρας, *vel* ... *Infimam ſpicam à* Varrone urruncum dici. Formica *Chaldais* שׁוּמְשְׁמָנָא ſumſemana, *ab inſigni odoratu*. Arabibus سمسمه ſimſima *formicæ ſpecies*.

FOrmicam dici eò quòd *ferat micas farris* perperam ſtatuit *Iſidorus*. Vox enim eſt *Græcæ* originis. Quam ſcilicet μύρμηκα nominat *Græcorum* vulgus, nonnulli βύρμηκα vocabant, aut βύρμακα. *Heſychius*, βύρμακας, μύρμηκας. Nempe *M* in *B* ſæpe mutari docent voces μίλλειν & βίλλειν, μυρσίνη & βυρσίνη, τέρμινθος & τερέβινθος, ἐπισμεῖν & ἐπισβεῖν. Rurſus literæ β & φ, vel *F*, non ſunt minùs permutabiles. Dicitur enim βράχιον & φράχιον, ἀμφίλαφ... & ἀμφίλαφες, στρέβω & στρέφω. Et *Latina, triumphus, fremo, faſcinus, fullo*, facta ſunt ex *Græcis* θρίαμβος, βρέμω, βάσκανος, βυλλῶν. *Formica* itidem ex βύρμηκα. Quamvis ipſos *Græcos* φόρμικα pro *formica* dixiſſe doceant hæc *Heſychii*, φόρμικα, μύρμηκα. Neque id præter morem, quod ex Accuſativo βύρμηκα, vel φόρμικα, factum Nominativum *formica*. Sic enim Nominativa ſunt *orca, forda, ſporta, tæda, fera, ſpelunca*, ex *Græcis* Accuſativis ὄρυγα, φοράδα, σπυρίδα, δᾷδα, θῆρα, vel φῆρα, σπήλυγγα. Sed & id veriſimile eſt, quod *Grammatici* aſſerunt, μύρμηκα *Græcè* dici, quaſi μέρμηκα, vel μερμήρικα, παρὰ τὸ μεριμνᾶν καὶ φροντίζειν, cùm ſit ſollicitum animal, & de futuro valde anxium. Itaque μύρμηξ quaſi μέρμηξ potuit appellari, ut urbs circa *Trojam*, & *Lampſacum*, rubris mœnibus, unde *Sibylla Erythræa*, in *Stephano* modo Μερμησσὸς nuncupatur, modo Μυρμισσός.

Sed *Hebræum formicæ* nomen נמלה *nemala*, fit à נמל *namal*, quod *ſuccidere* eſt. An quia Naturæ quodam inſtinctu grana, quæ ſub terra recondit, aut mediâ dividit, aut eorum capita abſcindit, quaſi vereatur ne regerminent? Quod teſtari video ſcriptores omne genus. *Plinius* libri undecimi capite trigeſimo, *Semina arroſa condunt, ne rurſus in fruges exeant è terra.* *Plutarchus* in libro *Utra anim.* Ἵνα μὴ γενόμενον ἀτέρμα τὴν σιτίου χρείαν διαφθείρῃ, περιτέμνειν δὲ αὐτοὺς ἱστοῦσιν, ἐξαιρεῖν τὴν ἀρχὴν, ἀφ᾽ ἧς ὁ βλαστὸς ὁ πυρὸς ἀφίησιν. *Ne tritici granum ſemen evadens cibi uſum perdat, atque ut edule ipſis maneat, caput ejus erodunt, ex quo germen emittit.* *Lucianus* in *Icaro-Menippo*, Πυροῦ ἡμίτομον διαφέρων, *Frumenti granum ſemiſectum ferens currit.* *Ælianus Hiſtoria* libri ſecundi capite vigeſimo quinto, Ἑκάστου περιτέμνουσι διατρυπῶντες τὸ μέσον, τὸ μὲν ἐκπεσὸν δεῖπνον γίνεται μύρμηκι, τὸ δὲ λοιπὸν ἄγονόν ἐστι· *Poſtquàm ſingula ſemina in medio exterebrârunt, quod excidit formicæ pro prandio eſt, reliquum autem ſterile.* *Zoroaſtres* in *Geoponicis* libri decimi quinti capite primo, Οἱ μύρμηκες, ἵνα ὁ σῖτος ἀποθησαυριζόμενος παρ᾽ αὐτῶν μὴ φύῃ, τὰς ἐντεριώνας τῶν ῥαγῶν ἀφαιροῦσι· *Formicæ, ne frumentum apud ſe reconditum germinet, granorum interiora eximunt.* *Origenes* libro quarto *Contra Celſum*, aut *Celſus* ipſe veriùs; Τῶν ἀποτιθεμένων καρπῶν τὰς ἐκφύσεις ἀποτέμνουσιν οἱ μύρμηκες, ἵνα μὴ ἀναχλοῶσιν, μένωσι δὲ οὕτως αὐτοῖς εἰς τροφὴν. *Reconditarum frugum germina eximunt formicæ, ne regerminent, & ut illis per annum in alimentum maneant.* *Baſilius* in *Hexaëmeron* Homilia nona διατέμνει ταῖς ἑαυτοῦ χηλαῖς τῶν καρπῶν τὸ μεσαίτατον, ὡς ἂν μὴ ἐκφύντες ἄχρηστοι πρὸς τροφὴν αὐτῷ γίνοιντο· *Sicut unguiculis ſuis medias fruges, ne germinantes ipſi fiant ad alimentum inutiles.* *Epiphanius* in *Phyſiologo* capite decimo octavo, Ὅταν ἀποθησαυρίζῃ τοὺς κόκκους ἐν τῇ ποίμνῃ, διχοτομεῖ αὐτούς, &c. *Cum grana in cellula recondit, illa dividit*, &c. Mira eſt κατάχρησις in verbo ποίμνη, quod propriè *gregem* ſonat, deinde etiam *caulam ovium*. At hîc ſumitur pro τῇ μυρμηκιᾷ. *Hieronymus* in vita *Malchi*, *Illa ventura hyemis memores, ne madefacta humus in barbam horrea verteret, illata ſemina præcidebant.* Pro corruptis vocibus *in barbam* lego *in herbam*. *Euſtathius* in *Hexaemeron*, Οἱ δὲ μύρμηκες τὸν σῖτον συνάγοντες διὰ μέσου τῶν κόκκων τέμνουσι, πρὸς τὸ μὴ ἐκφῦσαι αὐτὸν νοτιζόμενον *Formicæ, cùm frumentum*

mentum colligunt, media grana abſcindunt, ne madefacta germinent. Piſidas *De mundi opificio,*

Προῆλθε, μύρμηξ σιτολέκτις, ἐργάτις,
Τὸ κόκκον ἡμίτμητον ἐγκλείων κάτω,
Μήπως νοτισθῇ καὶ σαπῇ ταῖς ἰκμάσι,
Καὶ φθαρτικὴν κάτωθεν ἀνθήσῃ χλόην.

Accede, formica, frugilega, operaria, granum ſemiſectum humi recondens, ne humoribus madefiat, & putreſcat, & è terra in pernicioſam herbam effloreſcat. Tzetzes in *Heſiodum*, Τὸν σῖτον εἰς δύο τέμνων ἀποτίθησι, μή πως ἀναφύῃ· *Frumentum in duas partes diſſectum reponit, ne regerminet.* *R. Levi* in *Prov. 6. v. 6.* היא אוכלת חודו של זרע אשר בו מה שמורנתו מדרגת זרע הזכר כמו שנזכר בספר הצמחים כדרך שלא יצמח מהגרגרים הטמון בארץ ובזה יהיה נשמר מהעיפוש, *Comedit grani cuſpidem, quæ proportione reſpondet ſemini maris, ut traditur in libro De ſeminibus, ne germinent grana, quæ ſub terra latent, & ut à corruptione ſic ſerventur.* Liber *Hebraicus* in *Suecia* MSS. *Nôrunt homines naturam formicarum,* &c. ואיך יחתכו גרגיר החטה לשנים ואיך יקלפו השערים והפולים והעדשים כי הם יודעי׳ שלא יצמחו אחרי כן, *Et quomodo frumenti granum in duas partes incidant, & quomodo hordeum, fabas, & lentes excorticent, quia ſciunt eas poſtmodum non germinare.* Alkazuinius, اذا جمعت الحب في موضع بينها خافت ان ينبت فتقطع كل حبة قطعتين ليذهب عنها قوة النبت ويقطع حبة الكزبرة لرباع قطاع لان نصفها ينبت واذا كان عدسا او شعيرا او باقلا يقشرها ولا يكسرها فان بالتقشير يذهب عنها قوة النبت *Cùm grana collegerunt in apothecis ſuis, quia metuunt, ne germinent, in duas partes ſingula ſecant, ut ſic iis eximatur virtus vegetativa. Sed coriandri granum quadrifariam dividunt, quia etiam dimidiatum regerminat. Lentem autem, hordeum, & fabam non frangunt, ſed excorticant, quia per excorticationem vegetandi facultate privantur.* Idem in *Damire* legitur de granis, & coriandro, quod non vocatur الكزبرة *alkuzbara* per *Ze* & *Be*, ut in *Alkazuinio*, & aliis, ſed الكسفرة *alchuſphara* per *Sin* & *Phe*, in utroque meo exemplari. Quod obiter moneo, quia *Giggeio* hæret calculus in voce الكسفرة *alchuſphara*, & doctiſſimus *Golius* noſter eam intactam planè præterit. Sed, ut ad rem jam redeamus, quamvis tot ſcriptoribus fidem abrogare vix poſſimus, tamen ſi videatur ſubtilius *Hebræum formicæ* nomen hinc deducere, quia *Græci* vetuſtiores de formica nihil tale obſervaverunt, neque quiſquam eorum, qui vixerunt ante *Plinium*, quod meminerim; ſaltem formicas conſtat ſpicarum ſummitates ideò abſcindere, ut ex iis grana eximant, quod *Hebraicè* Verbo נמל *namal*, aptiſſimè efferatur, cùm ſcriptura illud uſurpet in ſimili argumento. Nempe, cùm de impiis dicitur *Job. 24. v. 24.* וכראש שבלת ימלו, *Et ut ſpica caput abſcinduntur,* Ad quæ verba ſcribit *Kimchius* in *Lexico* ימלו eſſe à נמל *namal*. Itaque formicas נמלים, *nemalim*, inde dici vero eſt conſentaneum. Rem graphicè deſcribit *Ælianus Hiſtoriæ* libri ſexti capite quadrageſimo tertio, ſed iis verbis, quæ non ſatis intelliguntur. Proinde libet illa explicare, Οἱ δὲ μύρμηκες προϊόντες ἐπὶ νομὴν ἕπονται τοῖς μεγίστοις ἑπόμενοι· οἱ δὲ ἄγουσι στρατηγῶν δίκην. καὶ εἰς τὰ λήια ἐλθόντες, οἱ μὲν ἔτι νεαροὶ τὴν καλάμην ὑποστάντες· οἱ δὲ ἡγεμόνες ἀνέρπουσι, καὶ τοὺς καλουμένους οὐραγοὺς τῶν καρπίμων διατραγόντες τῷ δήμῳ τῷ κάτω ῥίπτουσιν. οἱ δὲ περιελθόντες τοὺς μὲν ἀθέρας ἀποκόπτουσιν, ἐκλέπουσι δὲ τὰς τῶν πυρῶν στελέχας τε, καὶ περιαμπεχούσας θυλακίδας. *Formicæ tanquam pabulatum proficiſcentes natu grandiores ſequuntur, quæ ducum inſtar præeunt: & cùm ad agrum ſegetum devenerunt, ſub calamis ſtant juniores. Duces autem aſcendunt, & frugum uragos, quos vocant, croſos populo, qui infrà eſt, abjiciunt. Illæ autem circumſtantes ſpicarum capita abſcindunt, & glumas, quibus granum induitur, & includitur, deglubunt,* &c. Ἀθέρας expono τῶν ἀσταχύων τὰ ἄκρα cum *Homeri Scholiaſte* in *Odyſſ.* λ'. verſu 127. His opponit *Ælianus* οὐραγοὺς, vel, ut alii ſcribunt, οὐραχοὺς τῶν καρπίμων, *frugum uragos*, vel *urachos.* Quorſum nemo facilè dixerit. Alibi enim οὐραγὸς eſt plane aliud, nempe *dux extremi agminis*: item *in embryo meatus urinarius*, qui & οὐραχὸς nonnullis. Sed pro οὐραγοὺς, vel οὐραχοὺς, in *Æliano* ſcripſerim οὐρύγγους, vel ὀρρύγγους. Ut *Græcè* ὄρρυγγος ſit idem, quod *urruncum Varroni*, cujus verba ſunt *Rei Ruſticæ* libri primi capite quadrageſimo octavo, *Illud autem ſummâ in ſpicâ jam maturâ, quod eſt minus quàm granum, vocatur* FRIT. *Quod in infimâ ſpicâ ad culmen ſtramenti ſummum, item minus quàm granum eſt appellatur* URRUNCUM. Sic in *Æliano* ἀθέρες opponerentur τοῖς ὀρρύγγοις, ut in *Varrone* FRIT URRUNCO, quia illud in ſumma, hoc in infima ſpica eſt.

Arabicum formicæ nomen نملة *nimla*, *Hebræo* ſimile eſt: ſed *Chald.* & *Syr.* ܫܘܡܫܡܢܐ *ſumſemana*, unde oriatur, non ſatis ſcio. Niſi putetur fieri, Radicalibus geminatis, ab *Arabico* شم *ſamma*, quod *odorari* ſignificat. Quia formicam ſcribunt *Arabes* odoratu maximè valere. *Damir,* النمل شديد الشم *Formica eſt vehementis odoratûs.* Alkazuinius, ومن عجايبه انه مع لطافة جسمه وشخصه وخفة وزنه له شم ليس لا حد من الحيوان مثله واذا وقع شي من يد الانسان في موضع لا يري فيه شيا من النمل فلا يلبث ان يقبل النمل كالخط الاسود الممدود الي ذلك الشي *E mirabilibus ejus eſt, quòd cum corporis ſui tenuitate, & ponderis ſui levitate, odoratum habet, qualem nullum animal. Cùm enim aliquid cecidit è manu hominis in loco, in quo formicæ nullæ apparent, ſine mora formicæ accedunt tanquam linea nigra ad rem illam protenſa.*

Eſt & سمسمة *ſimſima* in uſu apud *Arabes* pro certa formicæ ſpecie. *Alcamus* السمسمة نمل خمر SIMSIMA, *formica rubra*, ſed per *Sin* ſcribitur, non per *Scin*, ut *Chaldæum* שומשמנא.

CAPUT

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

Explicatur *Solomonis* locus de formica Prov. VI, 6. *Vade ad formicam, ô piger*, &c.

Ælianus, *ut* Solomon, *formicam pigris in exemplum proponit.* Vade ad formicam, *quomodo ad Doctores itur.* Aſpice vias ejus, *etiam propriè dictas. Eâdem viâ ſemper incedunt. Vacua cedunt onuſtis. Onera partiuntur. Succumbentes adjuvant. Egrediens ingredienti non obſtat.* Poëta Agathon *formicæ vias cecinit. Tamen hic aliud viæ* formicæ, *nempe vivendi ratio, de qua citatur ex* Hebræo *ſcriptore locus inſignis.* Aſpice vias ejus, & ſape: *non ſolùm, ut doctior ſed & ut ſis ſapientior, & referas ad vitæ praxim. Sic* Horatius, *&* Juvenalis. Ducem non habet. Ducem *Hebraicè* קצין, *pro quo* Græci γεώργιον, *&* Syrus meſſem, *quia aliter legerunt. Formica* Ariſtoteli ἄναρχος. *Parat æſtate cibum, colligit in meſſe eſcam.* Æſtas *&* meſſis *ſynonyma. Sed* æſtas *ibi pro* vere. *Formicæ cryptas quâ arte effodiant, quomodo ab aquarum alluvione defendant. Variæ in iis manſiones, commune ſtabulum, penus, cœmeterium, in quo patria monumenta. Apothecas ſubterraneas* Ælianus εἱρκὰς *vocat. Variæ manſiones ſepibus diſtinguuntur. Via ad illas curſu flexuoſæ. Inde hyeme non prodeunt; ſed circa meſſem. Onera quomodo vel ore vel humeris ferant, & partiantur inter ſe, & ſemina dividant, ſi meatus ſit anguſtior; & madefacta ſudo cœlo proferant, ut exſiccent. Noctu in pleniluniis laborant, interluniis ceſſant. Sabbatha quoque ſeptima, & triceſima ab iis obſervari nugatur* Tzetzes. *Origo fabulæ.*

DE formica dicit *Solomon* Prov. 6. v. 6. *Vade ad formicam, O piger; aſpice vias ejus, & ſape. Cum ducem non habeat, præfectum, aut dominatorem, comparat æſtate cibum ſuum, colligit in meſſe eſcam ſuam.* Et *Prov. 30. v. 25. Quatuor iſta ſunt minima terræ, ſed ſapientia tamen, & ſapientiam edocta: Formica populus non potens, quæ æſtate parant cibum ſuum*, &c. In priore loco *Solomon* formicarum diligentiam pigro imitandam proponit. Ità etiam *Ælianus Hiſtoriæ* libri quarti capite quadrageſimo tertio, Οὕτως ἄρα αὐταῖς τι ἐθελουργὸν, καὶ τὸ ἐθελόπονον πάρεστι ἀφειδῶς, καὶ ἄνευ τινὸς ὑποτιμήσεως ἐθελοκακήσεις, καὶ σκήψεως, εἰς ἣν ὑποχωρεῖ τὸ ῥᾴθυμον· ὡς καὶ ταῖς πανσελήνοις μηδὲ νύκτωρ βλακεύειν, μηδὲ ἐλινύειν. *Tantâ ſedulitate, & tanto laboris ſtudio, ad opus ſe conferunt, abſque ullo prætextu, aut ignaviæ excuſatione & velamine, cujuſmodi deſides obtendere ſolent: ità ut in pleniluniis ne noctu quidem torpeant, & quieſcant.* Cætera ibi vide. Jam, ut verba *Solomonis* accuratiùs perpendamus, *Vade*, inquit, *ad formicam*, nempe quomodo ad Doctorem ire moris eſt. Ut *Jeroboam* uxori, illam amandans ad *Prophetam* 1. Reg. 14. v. 3. *Vade ad illum*, ait, *is indicabit tibi*, &c. Verum quia hic doctor verbo non docet, ſed exemplo, piger non jubetur formicam audire, ſed intueri. *Aſpice vias ejus*: quæ vel ſi propriè ſumerentur, tamen eſſet quod diſceremus. Nam in ipſo itinere mira ſe prodit ſedulitas, mirus ordo, mira inter illas concordia. Quo nomine eas multi laudant. Ut ex Philoſophis *Ariſtoteles* quidem breviùs *Hiſtoriæ* libri noni capite trigeſimo octavo, Ἀεὶ μίαν ἀτραπὸν πάντες βαδίζουσι· *Eâdem viâ ſemper omnes incedunt.* Sed pluribus *Plinius*, *Silices itinere earum attritos videmus, & in opere ſemitam factam, ne quis dubitet quâlibet in re quid poſſit quantulacunque ſedulitas.* Et *Plutarchus*, Τῶν δὲ πᾶσιν ἐμφανῶν ἡ τε περὶ τὰς ἀπαντήσεις ἐστὶν εὐγνωμοσύνη, τῶν μηδὲν φερόντων τοῖς φέρουσιν ἐξισταμένων ὁδοῦ, καὶ παρελθεῖν διδόντων· αἵ τε τῶν δυσφόρων, καὶ δυσπαρακομίστων, διαβρώσεις, καὶ διαιρέσεις, ὅπως εὐβάστακτα πλείοσι γένηται· *Ex iis, quæ omnibus nota ſunt, eſt in occurſu benevolentia, dum vacuæ onuſtis cedunt viâ, & tranſitum præbent, & quæ difficulter geſtantur, & afferuntur, eroſa dividuntur, ut in plures diſtributa ſint geſtatu faciliora.* Et *Ælianus*, Οἱ δὲ μύρμηκες προϊόντες ὥσπερ ἐπὶ νομὴν τοῖς μεγίστοις ἕπονται, οἳ δὲ ἄγουσι στρατηγῶν δίκην· *Cum formicæ proficiſcuntur tanquam ad pabulandum, ſequuntur natu maximas, quæ tanquam duces præeunt.* Item, Πάνυ αἰδεσίμως καὶ πεφεισμένως ἀλλήλοις ὑπεξίστανται τῆς ὁδοῦ, καὶ μᾶλλον τοῖς ἀχθοφόροις οἱ κοῦφοι· *Cùm multo honore, & modeſtiâ, aliæ aliis de via cedunt, & maximè vacuæ onuſtis.* Et ex oratoribus *Dio Chryſoſtomus* Orat. polit. in concione. Καὶ μέντοι καὶ μύρμηκας πάνυ ἡδέως ἰδεῖν ἐστιν, ὅπως συνοικοῦσι μετ᾽ ἀλλήλων εὐκόλως, ὅπως δὲ ἐξίασιν, ὅπως δὲ τὰ βάρη μεταλαμβάνουσι, ὅπως δὲ παραχωροῦσιν ἀλλήλοις τῆς ὁδοῦ· *Formicas etiam videre jucundum eſt, quomodo aliæ cum aliis facilè degant, quomodo exeant, quomodo onera partiantur, & ſibi in viis mutuò cedant.* Et è *Poëtis Ariſtophanes in Theſmophoriazouſis* de *Agathone* Poëta *Tragico*,

> Μύρμηξ ἀτραποὺς ἤ τι διαμινυρίζεται.

Formica vias aut aliud quid cantillat. Et *Virgilius* Spondæorum tarditate nobis ob oculos ponens formicarum in rependo laborem & tarditatem,

> *It nigrum campis agmen, prædamque per herbas*
> *Convectant calle anguſto, pars grandia trudunt*
> *Obnixæ frumenta humeris, pars agmina cogunt,*
> *Caſtigantque moras, opere omnis ſemita fervet.*

Ex *Patribus* denique *Hieronymus* in *Malchi* vita, *Aſpicio formicarum gregem anguſto calle fervere, ferre onera majora quàm corpora. Aliæ herbarum quædam ſemina forcipe oris trahebant. Aliæ egerebant humum*, &c. *Quòdque magis mirum in tanto agmine egrediens non obſtabat intranti. Quin potius ſi quam vidiſſet ſub faſce & onere concidiſſe, ſuppoſitis humeris adjuvabat.* Tamen cum jubetur piger *formicæ vias aſpicere*, *Hebræâ* Phraſi mores & vivendi rationem intelligo. Quam ſi totam perſequi eſſet animus, docendum haberemus, איך יחפרו תחת הארץ ויעשו להם בתים ויתקנו חדרים עליות ומחיצות ושבילות בעלי עקלתונות ואיך ימלאו אוצרות מגרגרים הצמחים מזון לסתו ואיך ישימו בתיהם שפלים כדמות כיב לצקת אליהם מי המטר ואם יארע שיטבול ממזונם דבר איך יוציאהו וישטחהו שטוח בשדה ואיך יחבאו גרגירי המזונות בחדרים עקלתונים למעלה לשמרם ממי המטר, *Quomodo ſub terra fodiant, & ædificent ſibi domos, & cellulas ſibi conſtruant, & cœnacula, & tabulata, & vias anfractuoſas, & horrea ſua granis impleant, cibum in hyemem recondentes, & loca depreſſiora ſibi adornent in alveorum modum, in quæ pluviales aquæ confluant: & ſi madefieri contingat aliquid ex ipſorum cibis, quomodo illud foras educant, & in agro exporrigant, & quomodo grana ad cibum ſuum deſtinata in cellis flexuoſis recondant in ſumma parte, ne ab aquis pluviis ſarta & tecta ſint.* Hæc, & alia longè plura, de formica reperire eſt in *Hebræo* ſcriptore, de quo ſupra, qui *Arabum* ſcrinia compilavit, quomodo illi *Græcorum*. Sed hæc miſſa facientes ad *Solomonis* verba nos conferimus.

Aſpice (inquit) *vias ejus, & ſape.* Neque enim nos jubet formicæ mores intueri, ut doctiores, ſed

ſed ut ſapientiores ſimus. Nobis igitur ob oculos proponit hoc exemplum, quomodo *Iſraëlitis* Eſaias *bovem & aſinum, qui poſſeſſorem ſuum nôrunt, & præſepe Domini ſui.* Et *Jeremias ciconiam, turturem & hirundinem, quæ obſervant tempus adventûs ſui.* Chriſtus etiam, *Eſtote prudentes ut ſerpentes, & ſimplices ut columbæ.* Itaque theoria ſimplex hic non ſufficit, ſed ad praxin vitæ referenda eſt hæc cognitio. Quod fecêre etiam *Ethnici.* Hinc *Horatius Satyra* primâ.

Parvula nam exemplo eſt magni formica laboris.
Ore trahit quodcunque poteſt, atque addit acervo
Quem ſtruit, haud ignara ac non incauta futuri.

Et *Juvenalis Satyrâ* ſextâ,

——frigusque famemque
Formicâ tandem quidam expavêre magiſtrâ.

Sequitur in *Solomone*, *Ducem non habet, neque præfectum, aut dominatorem.*] *Hebræum* קצין *katſin*, cum *Hieronymo ducem* reddimus, quia cum ſequentibus ſic optimè cohæret: neque aliter ſumitur in aliis Scripturæ locis. Exempla vide *Joſ.* 10. *v.* 24. *Jud.* 11. *v.* 6. 11. *Prov.* 25. *v.* 15. *Eſ.* 1. *v.* 10. & 3. *v.* 6. 7. & 22. *v.* 3. *Dan.* 11. *v.* 18. *Mich.* 1. *v.* 3. & 3. *v.* 9. Tamen pro *duce Græci* hic habent γεώργιον. *Arabs* فلاحة *arvum*, ſeu *arationem*: *Chaldæus*, & *Syrus*, חצרה *meſſem*. Hi nempe pro קצין *katſin*, videntur legiſſe קציר *katſir*, id eſt, *meſſem*; illi קטין *katin*, id eſt, *agrum*, aut *agellum*. *Talmudici* ſic ſæpe uſurpant. Et formicis convenit ſatis, quod de avibus dicit *Chriſtus*, Matth. 6. *v.* 26. *Non ſerunt, neque metunt*, nempe in agro ſibi proprio. Sed cur à recepta lectione diſcedamus, cauſa nulla eſt. Neque enim fruſtra *Solomon* tria ſynonyma congerit, cùm formicam negat habere ducem, præfectum, aut dominatorem. Cùm hoc in ea ſit vel maximè mirabile, quòd, cùm nullius imperio ſubſit, tamen vivat tam politicè, quaſi moderatorem haberet, qui ſingula præſcriberet. Neque *Philoſophum* id fugit, qui *Hiſtoriæ animalium* libri primi capite primo, poſtquam grues, apes, & formicas inter politica animalia recenſuit, horum alia obſervat vivere ὑφ᾽ ἡγεμόνα *ſub duce*, grues ſcilicet, & apes, alia verò eſſe ἀνάρχα *ſine duce*, nempe formicas.

In ſequentibus, *Parat æſtate cibum ſuum, colligit in meſſe eſcam ſuam*, *æſtas* & *meſſis* ſunt ſynonyma, ut paſſim. Sic *Prov.* 10. *v.* 5. *Qui congregat æſtate, filius eſt intelligens; ſed qui ſtertit in meſſe, filius eſt pudefaciens.* Prov. 26. *v.* 1. *Ut nix æſtati, & pluvia meſſi* (non convenit.) Eſ. 16. *v.* 9. *Concidit æſtatus tua, & meſſis tua celeuſma.* Jerem. 8. v. 20. *Tranſiit meſſis, finita eſt æſtas.* Ità *Græcè* θέρος *æſtatem*, & *meſſem*, θερίζειν *æſtivare* & *metere* ſonant. Sed *Hebræis* id dices minùs convenire, quàm *Græcis*; quia *Græcis* quidem æſtiva erat meſſis, ſed verna *Hebræis*, inter *Paſcha* & *Pentecoſten*, quæ feriæ in ver incidebant. *Hebræos* reſpondeo nullam habuiſſe vocem, quâ *ver* ſignificarent, & nomen קיץ apud illos commune fuiſſe *veri* & *æſtati*. Id ex Evangelio (*a*) conſtat, in quo, cùm arborum ramus tener eſt, & folia germinant, *æſtas inſtare* dicitur. *Æſtas*, id eſt, *ver*. In *Judæa* enim arbores ſub finem hyemis folia emittere jam incipiunt. Et in hoc ipſo loco, *Parat æſtate cibum ſuum*, id eſt, *vere*, quod *Hebræis* fuit meſſis tempus.

(*a*) *Matth.* 24. 32. *Marc.* 13. 28. *Luc.* 21. 30.

Porrò è multis hoc unum de formica refert *Solomon* hic, & *Prov.* 30. *v.* 26. quia huc refertur ferè quidquid in formicis miramur. Quorum primum illud eſt, quod de domo commoda, & amplis horreis, ſibi proſpiciunt, in quæ grana recondant. Domus ſunt cryptæ ſubterraneæ, quas ipſæ ſibi fodiunt, terram unguibus eruentes & circumquâque aggerantes, ut propugnaculi vicem præſtet, & ab aquarum alluvionibus eas defendat. *Ælianus* libri ſexti capite quadrageſimo tertio, Τὴν δὲ γῆν, ἣν ἐξορύττουσιν, ἀλλὰ καὶ ταύτην τοῦ ὑπὲρ τοῦ στομίου περιβαλόντες, ὡσεὶ τείχη τινὰ καὶ προβλήματα ἐργάζονται, ὡς μὴ τὸ ὕδωρ τὸ ἐξ οὐρανοῦ καταβαῖνον ῥᾳδίως εἶτα αὐτοὺς ἐπικλύσαι, ἢ ἀπολέσῃ πάντας, ἢ τοὺς γουπλείστους. *Alkazuinius*, ومن عجايب انخانه المغارة تحت الارض وفيها منازل ودهاليز وغرف وطغات منعطفات غلاوها حبوبا وذخاير للشتا وتجعل بعض بيوتها منخفضا لينضب اليها الما وبعضها مرتفعا للحب *Eſt id mirabile, quod latibula ſubterranea ſibi ſumunt, in quibus variæ ſunt manſiones, & veſtibula, & cænacula, & tabulata flexuoſa, quæ granis implent, & apotheca in hyemem; & è domibus ſuis nonnullas faciunt demiſſiores, in quas aqua influant, & celſiores alias ad grana recondenda.* *Plutarchus* in iis haberi ſcribit τρεῖς κοιλότητας, ὧν τὴν μὲν ὥσπερ ἐνδιαίτημα κοινὸν αὐτοῖς εἶναι, τὴν δὲ τῶν ἐφοδίων ταμεῖον, εἰς δὲ τὴν τρίτην ἀποτίθεσθαι τοὺς θνήσκοντας, *tres cavernas, quarum una ſit omnium commune ſtabulum, ſecunda ciborum penus, tertia, in qua mortua reponantur.* Ibi nimirum habent gentilitia illa ſepulchra, de quibus apud *Origenem Celſus*, Τοῖς ἀποθνήσκουσι μύρμηξί φησι τοὺς ζῶντας ἴδιόν τι ἀποκρίνειν χωρίον, κἀκεῖνο αὐτοῖς εἶναι πάτρια μνήματα, *Mortuis formicis ait vivas proprium locum ſecernere, hocque illis eſſe paterna monumenta.* Hinc de iiſdem *Plinius*: *Sepeliuntur, inter ſe viventium ſola præter hominem.* Et *Ælianus* libri quinti capite quadrageſimo nono, Καὶ ἐκεῖνο ἐκφορᾶς νεκρῶν μέλειν, καὶ καθαίρειν τοὺς σφετέρους χηραμοὺς ἡ σοφωτάτη φύσις ἔδωκεν. *Illis à ſapientiſſima Natura hoc inditum eſt, ut mortuorum elationis curam gerant, & latibula ſua ſic purgent.* Et lib. 6. cap. 43. Τοὺς τεθνεῶτας μύρμηκας οἱ προσήκοντες ἐν ταῖς τῶν πυρῶν κελύφεσι θάπτουσιν. *Mortuas formicas neceſſarii granorum folliculis condunt.* Tamen apud eundem in tribus τῆς μυρμηκιᾶς partibus non eſt cœmeterium: ſed primam vult eſſe οἷον ἀνδρῶνα, ἐν ᾧ διαιτῶνται οἱ ἄρρενες, καὶ ὅσον σὺν αὐτοῖς θῆλυ, *Tanquam andronem, in quo mares degant, & quæcunque cum illis eſt fœmina.* Secundam, ἔνθα ἀποτίκτουσαι κύουσαι μύρμηκες, οἱονεὶ γυναικῶνα, *tanquam gynæconam, in quo gravidæ formicæ pariant.* Tertiam θησαυρόν τε καὶ σιρὸν τοῖς ἠθροισμένοις σιτίσμασι, *penu, & ſirum, in quo congeſta grana reconduntur.* Quale eſt, quod libri ſecundi capite quadrageſimo quinto, formicas à pabulatione domum reverſas implere refert τοὺς ἐν τῷ μυχῷ σφίσι σιροὺς πυρῶν τε, καὶ κριθῶν, *frumento & hordeo ſiros, quos in receſſu habent.* *Siros* eleganter appellans ſubterraneas illas granorum apothecas. Id enim propriè eſt σιρός. *Varro Ruſticorum* libri ſecundi capite quinquageſimo ſeptimo, *Quidam granaria habent ſub terris, uti ſpeluncas, quas vocant* σιρούς, *ut in* Cappadocia, *ac* Thracia. De iiſdem vide *Columellam* libri primi capite ſexto, *Plinium* libri decimi octavi capite trigeſimo, *Vitruvium* libri ſexti capite octavo, qui *Varronem* videntur ſequi. *Curtius* quoque libro ſeptimo de *Bactrianis* agens, *Siros vocabant barbari, quos ità ſolerter abſcondunt, ut niſi qui defoderunt invenire non poſſint. In iis condita fruges erant.* Et *Stephanus*, Σύασσος, κώμη Φρυγίας ἐν ταύτῃ τῇ κώμῃ φασὶ Κιμμερίους εὑρεῖν ἐν σιροῖς τεθησαυρισμένας μυριάδας πυρῶν, ἀφ᾽ ὧν αὐτοὺς ἐπὶ πολὺν χρόνον διατραφῆναι. Syaſſus Phrygiæ *pagus*, *in quo* Cimmerios *reperiſſe ajunt tritici modiorum decem millia in ſiris recondita, quibus diu ſuſtentati fuerint.* Et *Heſychius*, Σιροῖς, ὀρύγμασιν, ἐν οἷς

διεκατετίθεντο τὰ σπέρματα. Ut paulò infrà, σιρὸς definit τὰ ἔργα ἐσκεπασμένας, lege ἐσκεπασμένους. Pro σιρὸς ſcribitur σειρὸς à *Simplicio* & *Suida*. An deflexa eſt vox ex *Hebræa* אצר *atſar*, *recondere*, unde אוצר *otſar*, *Chaldæi* pro *horreo* ſæpe uſurpant, ut *Gen.* 41. *v.* 56. *Prov.* 3. *v.* 10. *Joel.* 1. *v.* 17. Et LXX. reddunt τὴν οἰκίαν τὴν ὑπόγαιον, *domum ſubterraneam*, Jerem. 38. v. 11. *Hirtius* libro quinto *De bello Africano* hujuſmodi ſubterraneos ſpecus etiam in *Africa* deſcribit. *Eſt in* Africa (inquit) *conſuetudo incolarum, ut in agris, & in omnibus ferè villis, ſub terra ſpecus, condendi frumenti gratiâ, clam habeant: atque id propter bella maximè, hoſtiumque ſubitum adventum præparent.* Sed quo nomine *Libes* hos ſpecus appellaverint, non addit. Utùt ſit, cum his barbarorum ſpecubus aut ſiris ab *Æliano* conferuntur formicarum apothecæ. Harum porrò diverſæ manſiones ne confundantur, eodem teſte, αἱμασιάς τινας μέσας διειργούσας ἀπ' ἀλλήλων τοὺς χηραμοὺς διατειχίζουσι, καὶ μάλα εὐτέχνως, *ſepimenta quædam cavernas alias ab aliis ſecernentia ſummâ arte ædificant.* Et, ne infenſis animalibus facilis ad illas ſit acceſſus, conrectâ viâ non itur, ſed καμπαῖς, καὶ στρεβλότησι κεκλασμένας ὑπονομεύσεις καὶ ἀνατρήσεις ἐχούσαις, *flexibus, & ambagibus anfractuoſas vias & meatus habentibus.* Ità in *Plutarcho* habetur. Quomodo pari de cauſa in formicarum latibulis deſcribit *Ælianus* ποικίλας τινὰς ἀτραπούς, καὶ ἑλιγμούς, καὶ περιόδους, *multas vias, & flexiones, & anfractus.* Quod tamen alio ſic trahit *R. Levi*, *Hebræus* Doctor, אם היתה חורה בכותל הנה היא תעלה בו ארחות עקלקלות באופן שלא תקשה כל כך העליה עם כובד המשא שתשא בפיה, *Si in muro ſit latibulum ejus, eo aſcendit illa per flexuoſas vias, ne arduus illi ſit aſcenſus, cum gravitate oneris quod ore defert.*

Hæc de formicarum latibulis, ex quibus totâ hyeme non excedunt. *Horatius Satyrâ* primâ,

Quæ, ſimul inverſum contriſtat Aquarius *annum,*
Non uſquam prorepit, & illis utitur antè
Quæſitis ſapiens. ——

Euſtathius in *Hexaemeron*, Μένουσι τὸν χειμῶνα ἀπρόϊτοι, διὰ τὸ θέρους αὐτάρκη τὴν τροφὴν προεισάμενοι· *Hyeme non egrediuntur, quia æſtate ſufficientem ſibi cibum comparaverunt.* Sed circa meſſis tempora demum inde exeuntes divagantur, ut victum ſibi quæritent. *Phocylides*,

Μύρμηκες, γαίης μυχάτους προλελοιπότες οἴκους,
Ἔρχονται βιότοιο κεχρημένοι, ὁππότ' ἄρουραι,
Δηΐα κειράμεναι, καρπῶν πλήθουσιν ἀλωαῖς·

Formicæ intimis terræ penetralibus relictis, prodeunt cibis egentes, cum arva, ſegetibus detonſis, frugibus implent areas. Et ad trituram *Ælianus* (b) quandoque ire ſingulas ſcribit, quandoque binas, aut ternas, ut triticum & hordeum legant. Sed & ante meſſem, culmis adhuc ſtantibus, tanquam ad pabulandum proficiſci, & ſpicas à majoribus morſu abſciſſas minores excipere, & grana ex ſuis glumis excutere, quæ domum ferant, neque ad id triturâ aut ventilabro egere. Atque, ut ait *Alkazuinius*, اذا وجدت واحدة شيا لا يقدر على حمله اخذت منه قدر ما تقدر عليه منه واخبرت الباقين فيجتمع عليه جماعة يجرونه بجد وعنا *Cum una earum quid reperit, quod ſola non poteſt ferre, poſtquam abſtulit quodcunque potuit, aliis id nuntiat, quæ, ad eam turmatim convenientes, illud cum ſtudio & curâ trahunt.* Et jam dictum, quomodo onera inter ſe dividant, & vacuæ onuſtis via cedant, & ſub faſce concidentes ſublevent, & grana eâ parte arrodant, qua exit ſeges, ne ex granis congeſtis naſcantur fruges. Modica onera morſu gerere docet *Plinius*, ſed majora averſas, atque humeris obnixas, poſtremis pedibus moliri. Ut *Poeta Georgicorum* libro quarto,

——— *pars grandia trudunt*
Obnixæ frumenta humeris. ———

(b) Æl. lib. 2. cap. 25 & lib. 6. cap. 43.

Sed & ſemina ad latibuli introitum dividunt, ſi meatus ſit anguſtior, & madefacta imbre proferunt, atque ſiccant. Quod ultimum multi obſervant, ut mirabile, & inprimis obſervandum. Sic *Plutarchus* efferri dicit, cum ſentiunt εὐρῶτα *mucorem*, & eorum timent φθορὰν, καὶ σῆψιν, *corruptionem, & putredinem.* Et *Baſilius*, de frugibus, quas recondidit, Διαψύχει αὐτούς, ὅταν αἴσθηται αὐτοὺς διαβρόχους, καὶ οὐκ ἐν παντὶ προβάλλει καιρῷ, ἀλλ' ὅταν προαισθάνηται τὸν ἀέρα ἐν εὐδίᾳ καταστάσει φυλαττόμενον. ἀμέλει οὐκ ἂν ἴδοις ὄμβρον ἐκ νεφῶν ἀπορρυέντα παρ' ὅσον χρόνον ἐκ τῶν μυρμήκων ὁ σῖτος προβέβληται. Quod *Ambroſius* ſic imitatur, *Cum adverterit madidatos imbre fructus ſuos humeſcere, explorato diligentius aere, quando jugem ſervare poſſit temperiem, acervos reſerat ſuos, & de cavernis foras humeris ſuis exportat, ut jugi Sole propria frumenta ſiccentur. Denique haudquaquam illis diebus omnibus rumpi de nubibus imbres videris, niſi cum fruges ſuas horreis propriis formica revocaverit.* Et *Epiphanius* in *Phyſiologo*, Ἡ μύρμηξ θυμόσοφος τυγχάνουσα προορεῖ καῦμα μέγα, ἢ καταβροχὴν ἰσχυράν. Θεωρῶμεν δὲ ἐν τῷ μύρμηκι τὸν κόκκον τοῦ σίτου εἰς τὴν ὀπὴν εἰσκομίζουσαν, ἐρχόμενον τὸν χειμῶνα· ἐὰν δὲ ἐκφέρουσαν θεάσῃς, γαλήνην ἐσομένην γνῶθι. *Formica, cum ingenio polleat, magnum æſtum & futuram pluviam præſentit. Formicam igitur cum vides frumentum in cavernam ferre, tempeſtatem imminere intellige; ſed cùm efferre videris, ſerenitatem inſtare ſcito.* Et *Piſidas*,

Ὅταν δὲ πυκναὶ τῶν νεφῶν αἱ συγχύσεις
Τοῖς ἐργομόχθοις ἀντιπνεύσωσι πόνοις,
Πόθεν σε μάντιν τοῦ Ζαμόλξιδος πλέον
Ἕκαστος οἶδεν εὐσυνόπτως ἀγρότης,
Ὅτι προδεικνὺς αἰθρίαν πεπηγμένην,
Τὸν σῖτον ἁπλοῖς ἐξ ἐνύγρου πυθμένος,
Εἰς ἄξυλον πῦρ εἰς τὸν ἥλιον φέρων,
Ὅπως πυρωθεὶς ταῖς βολαῖς ταῖς ἐμφλόγοις,
Ὡς ἄρτος ὀπτὸς εὑρεθῇ πεφρυγμένος.

Cum vero crebræ nubium effuſiones (o formica) *laborioſis operibus tuis ſe opponunt, unde te quisque ruſticus meliorem Zamolxide vatem perſpicue novit? Cum ſudum & ſtabile cœlum prædicens frumentum ex humido cavo educis, ad ignem ſine ligno, ad Solem* inquam, *ferens, ut ignitis radiis incenſum, frictum inveniatur ut coctus panis.* Et *Tzetzes* in *Heſiodum*, Ὄμβρου παρηχηκότος, ἐξάγει τὸν νοτισθέντα σῖτον, καὶ τῷ ἡλίῳ ξηραίνει, μή πως σαπῇ τῇ ἰκμάδι· *Cum fuit imber, madefactum frumentum profert, & ad Solem exſiccat, ne humore putreſcat.* Idem tradunt *Hebræi*, & *Arabes*. *R. Levi*, אם יבואו מים בחורי הנמלים יוציאו תכף הזרע משם ליבשו ואחר כן ישיבו להצניעו לשמרה מהעיפוש, *Si ad formicarum latibula aqua deſluant, ſemina inde ſtatim educunt, ut exſiccata rurſum condant, & ſic incorrupta ſervent.* Damir, اذا خاف العفن على الحب اخرجه الي ظاهر الارض ونشره *cum timet, ne grana putreſcant, ea extra terram profert, Et ſpargit.* *Alkazuinius*, poſtquam formicam grana dividere docuit, ne regerminent; ثم ياتي بقطعها وتبسطها

ونبسطها في الشمس حتى تزول عنها
النداوة ولا يتعفن واذا احست بالغيم
فردتها الي مكان خوفا من المطر
واذا ابتل شي منها بالمطر تنشرها
يوما الصحو لتزول عنها النداوة

Deinde ad illas granorum partes ſe conferens, eas ad Solem expandit, ut amoveatur ab illis humiditas, neque putreſcant. Sed, cum nubes imminere ſenſit, in priori loco reponit, à pluvia illis metuens. Quod ſi nonnullas ex illis pluvia madefecerit, die ſereno eas iterum ſpargit, donec abſtergatur hac humiditas. Ælianus, *Variorum* libri undecimi capite duodecimo, formicas μαντικῆς τινα αἴσθησιν, *aliquem divinationis ſenſum* habere indè probat, quod, inſtante fame, in colligendis undiquaque frumentis, atque aliis ſeminibus, magis aſſiduas ſe præſtant. Ὅταν μέλλῃ λιμὸς ἔσεσθαι, inquit, δεινῶς εἰσι φιλόπονοι πρὸς τὸ θησαυρίσαι, καὶ ἑαυτοῖς ἀποταμιεύσασθαι τοὺς πυροὺς, καὶ τὰ λοιπὰ τῶν σπερμάτων, ὅσα μυρμήκων σιτευτόν ἐστι. Nec interdiu ſolum laborant, ſed & noctu in plenilunis, cùm in novilunio plane quieſcant. *Ariſtoteles* libri noni capite trigeſimo octavo, Ἐργάζονται καὶ ταῖς νύκταις ταῖς πανσελήνοις. *Hellanicus* apud *Antigonum Mirabilium* capite 140, Οἱ μύρμηκες ταῖς νουμηνίαις ἀναπαύονται. *Plinius* libri ſecundi capite quadrageſimo primo, *Exquiſivère diligentiores minimum animal formicam ſentire vires ſideris, interlunio ſemper ceſſantem.* Et libri undecimi capite trigeſimo, *Operantur & noctu plenâ Lunâ: eadem interlunio ceſſant.* *Ælianus Hiſtoriæ* libri quarti capite quadrageſimo tertio tam diligentes eſſe aſſerit, ὡς καὶ ταῖς πανσελήνοις μηδὲ νύκτωρ ἐλινύειν. Sed, eidem ſi credimus libri primi capite vigeſimo ſecundo, τῇ ἡμέρᾳ τοῦ μηνὸς τῇ πρώτῃ, εἴσω τῆς ἑαυτῶν στέγης, ἡσυχάζουσι, πλὴν ὅπλων οὐχ ὑπερβάλλοντες, ἀλλὰ ἀτρεμοῦντες. Quid, quod formicam quidam aſſerunt non ſolum ταῖς νουμηνίαις, ſed & Sabbatho, *Judæorum* inſtar, quieſcere? *Tzetzes* in *Heſiodum*, Ἐν σαββάτῳ καὶ λ' τοῦ μηνὸς τῆς σελήνης οὐκ ἐργάζονται. Tam verè quam dicit *Heſiodus* de menſis die duodecima,

——— ὅτ' ἴδρις σωρὸν ἀμᾶται,

cum formica acervum colligit. Quaſi illo ſolum die, aut illo die potiſſimum fruges in terra conderet. Hujusmodi nænias

——— *Credat Judæus Apella,*
Non ego, ———

cui pro compertiſſimo habetur, formicas neque ſeptima neque trigeſima Sabbatha feriari. Sed alio detortum eſt, quod vetuſtiores ſcripſerant, illas in plenilunis etiam noctu laborare, in interluniis ceſſare. Quod cùm illi nonniſi de nocturno labore ſcripſiſſent, tamen poſteri ſic acceperunt, quaſi formicas novâ Lunâ voluiſſent ab omni labore abſtinere. Cui commento ſuperadditum alterum de die ſeptimo. An quia, ut *Antigonus* ubi ſuprà, (c) fortaſſe etiam alii in eadem ſerie orationis ſcripſerant, *Euripum* die ſeptimâ, & trigeſimâ formicas quieſcere. Quorum cum ſolùm ultimum ad formicas pertineret, tamen vel per legentium incuriam, vel per mentiendi libidinem, contigit, ut ad illas utrumque referretur.

(c) Mirab. cap. 140.

Pars II.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

Explicatur *Solomonis* locus alter de Formica *Prov.* 30. *v.* 25. *Quatuor iſta ſunt minima terræ,* &c

Formica inter minima terræ. *Formicæ ſpecies* ذر *id eſt,* atomus, Arabicè *dicta. (Cujus centum non pendunt niſi unum hordei granum. Formicæ illæ majores in* India *fabuloſæ. Formica quam ſapiens. (Obiter voces ſynonymas* σύραγγας, *&* λαβυρίνθους *eſſe* Syræ *originis.) Formica cognitionis & ſolertiæ ſymbolum apud* Arabes & Ægyptios. *A ſcientia* Græcè *dicitur* ἴδρις. *Politici homines in formicas migrant. Formicæ cur ingenio maximè valeant.* Cleanthes *illis* rationem *tribuit,* *Celſus* colloquii ſpeciem, *Cicero* mentem, *&c.* *Plutarchus* omnium virtutum ſemina. *Formicarum populus, claſſis, concio, exercitus. Populus ille debilis, tamen ſuo modo potens. Nihil neque infirmius, neque fortius. Gens à formicis exciſa. In* India *quam timeantur. Formicarum navigia. Cæteris animalibus, quæ cibos recondunt, quam ſit præſtantior formica.* Solomon *formicæ myſteria intellexit. Fabuloſa ejus colloquia apud* Arabes *cum formicâ* Tachiâ *nomine.*

EXplicato *Solomonis* priore de formica loco, in altero huic parallelo, *Prov.* 30. v. 25. pauca ſuperſunt, quæ lectorem remorentur. *Quatuor iſta,* inquit, *ſunt minima terræ, ſed ſapientia tamen, & ſapientiam edocta: formicæ populus debilis, quæ æſtate parant cibum ſuum,* &c. Formicam in terræ minimis meritò poni neminem latet, cum vix ullum ſit animal minus. Unde eſt, quod *parvulam Horatius* & *Apulejus, minimum animal* appellat *Plinius,* Et μύρμηκας βαιοτάτους, *formicas minutiſſimas, Philippus* in *Epigrammate.* Quin, ſi *Arabibus* credimus ذر *dſar* eſt formicæ genus tam parvum, ut centum ex illis non pendant ſupra unum hordei granum. Ità tradit *Alcamus,*

الذر صغار النمل ومائة منها زنة
حبة شعير الواحد. Et verò hoc ipſum nomen ذر *dſar* pro *atomo* uſurpatur. Et Verbum ذر *dſarra* ſignificat *in minimas partes comminuere* & *conterere,* quomodo fit in mortario. Formicæ igitur hoc nomen *à tenuitate* eſt inditum. Fruſtrà majores illas in *India* formicas objeceris, quas vulpibus majores deſcribunt *Herodotus,* & *Megaſthenes* in *Arriano*; *Plinius* colore felium, & magnitudine *Ægypti* luporum. Et *Nearchus* iiſdem tribuit pardalis pellem, *Erythræus* cornua, *Solinus* leoninos pedes, & formam canis maximi. Nam, ut de noſtratibus, non de *Indicis* formicis *Solomonem* egiſſe taceam, *Strabonis* planè aſſentior, qui libro ſecundo & decimo quinto magnas illas formicas, à quibus aurum erui & aſſervari dictitant, reponit inter fabulas. Et ex eo ipſo *Daimachum* & *Megaſthenem* ſubleſtæ eſſe fidei probat, quod hujusmodi commenta narrent. Et *Arrianus* in *Indicis*, poſtquàm auctores fabulæ, *Nearchum* & *Megaſthenem*, obſervavit has non vidiſſe, Καὶ ἐγὼ, inquit, ὅτι οὐδὲν τούτου ἀτρεκέστερον ἀναγράψαι ἔχω, ἀφίημι ἑκὼν τὸν ὑπὲρ τῶν μυρμήκων λόγον. *Ego vero, quia quod de ea re ſcribam nihil habeo certius, libenter hunc de formicis ſermonem miſſum facio.* Narrat quidem *Busbequius* Epiſtolâ quartâ de legatione *Turcica Bajazetis* à *Perſarum* Re-

ge miſſam fuiſſe *formicam* Indicam *mediocris canis magnitudine, mordacem admodum, & ſævam.* Sed is neque vidit formicam illam, neque ab aliis viſam deſcribit. Nobis igitur fidem ſuſpendere liceat, donec hujusmodi formicarum deſcriptionem exhibeat idoneus teſtis. Ex *Agatharchide*, *Strabone*, & *Græcis* interpretibus *Job.* 4. *v.* 11. notum eſt in *Arabia Troglodytica* leonum fuiſſe genus, qui vel ſimpliciter, μύρμηκες, vel compoſita voce μυρμηκολέοντες dicebantur, quibus tamen cum formicis nihil fuit commune, quàm nudum nomen. Sic *formicæ* vocabulum *Indico* animali tribui potuit à formica valde diverſo.

Neque novum id videri debet, quod à *Solomone* formica dicitur *ſapiens & ſapientiam edocta*, cum eandem à ſapientia commendent fere illi omnes, qui ejus naturam accuratius perſpexerunt. Sic de formica *Horatius* ſuprà,

——— *utitur antè*

Quæſitis ſapiens. ——

Et *Epiphanius* in *Phyſiologo*, Ἡ γὰρ μύρμηξ θυμόσοφος τυγχάνουσα, *Formica autem animo ſapiens cum ſit*, *Ælianum* imitatus, qui ſermonem de formicis ità incipit libri decimi ſexti capite decimo quinto, Θυμόσοφα δὲ παρ' ἡμῖν ζῶά ἐστιν· *Sapienti animo ſunt apud nos animalia*, &c. & de iiſdem addit paulò pòſt, Περιόδους τινὰς, καὶ ὡς εἰπεῖν, σήραγγας Αἰγυπτίους, ἢ λαβυρίνθους Κρητικοὺς σοφίᾳ τινὶ ἀπορρήτῳ διατρήσαντες· *Ambitus quoſdam, &, ut ità dicam, Ægyptias ſeranges, & Creticos labyrinthos ineffabili quâdam ſapientia effodientes.* Ubi obiter nota pro ſynonymis poni σήραγγας & λαβυρίνθους, ac ſi in *Ægypto* ΣΗΡΑΓΞ id ipſum fuerit, quod in *Creta* ΛΑΒΥΡΙΝΘΟΣ. Nempe utraque vox *Phœnicibus loca* ſonabat *perplexa & intricata.* Illius enim Radix שרג *ſarag*, Hebræis *perplexum eſſe* ſignificat. Et *Chaldæis* ערבל *arbel*, id ipſum eſt, unde ערבלות *arbeluth*, videtur pro *labyrintho* uſurpatum, & inde factum *Græcum* λαβύρινθον, R & L tranſpoſitis, ut in *calaſiri* pro *toga talari* ex קרסל *carſol*, id eſt, *talo*: & κλήρῳ pro *ſorte* ex גורל *goral*: & *beryllo* ex בלור *belur*: & *Calari* pro *Carali Corſicæ* metropoli. Sed ad formicæ ſapientiam ut redeamus, ea fuit *Ægyptiis* in tanta admiratione, ut formicam haberent pro cognitionis Hieroglyphico. *Hori Apollinis* verba ſunt libri primi capite quadrageſimo nono, Γνῶσιν δὲ γράφοντες, μύρμηκα ζωγραφοῦσιν. *Arabes* quoque ſolent in pueri naſcentis manu formicam ponere, hâc prece additâ; *Exeat is ingenioſus & ſolers.* Et talem puerum vocant نمل quaſi μυρμήκιον dixeris. Ita habet *Alcamus*, النمل صبي يجعل في يده نملة اذا ولد يقولون يخرج كيسا ذكيا. Ut ab his palam ſit formicam pro ingenii & ſolertiæ ſymbolo adhiberi. Et apud *Græcos* vetuſtiſſimos formica dicebatur ἴδρις, id eſt, *docta*, & *perita*, ut ſuprà in *Heſiodo*, ὅτε τ' ἴδρις σωρὸν ἀμᾶται, *cum idris acervum colligit.* Ubi *Scholia*, Ἴδρις, ἔμπειρος. λέγει δὲ τὸν μύρμηκα, ὡς προγινώσκοντα καὶ ἀνέμους, καὶ ἀναισίους ἡμέρας. *Idris*, id eſt, *perita.* *Formicam ſic appellat, quia ventos & dies inauſpicatos prænovit.* Reliqua ibi vide. *Plato* in *Phædone* ſtatuit hominum πολιτικὸν καὶ ἥμερον γένος, *civile & mite genus*, poſt mortem in apes aut formicas migrare, & viciſſim ἄνδρας μετρίους, *homines modeſtos*, ex illis progenerari. *Ariſtoteles* libri ſecundi *De partibus animalium* capite quarto moveri dicit facilius eorum animalium ſenſus, quorum humor tenuior ac purior eſt. Atque inde eſſe, quod τῶν ἀναίμων ἔνια συνετωτέραν ἔχει τὴν ψυχὴν ἐνίων ἐναίμων, οἷον ἡ μέλιττα, καὶ τὸ τῶν μυρμήκων γένος, *nonnulla ex iis animalibus, quæ ſanguine carent, animum habent ſagaciorem nonnullis, quæ ſanguinem habent, ut apes, & formicarum genus.* Et *Phyſicorum* libri ſecundi capite octavo dubitari ait, πότερον νῷ, ἤ τινι ἄλλῳ ἐργάζονται οἵ τε ἀράχναι, καὶ οἱ μύρμηκες, *utrum intellectu, an alia aliqua ratione, operentur araneæ, & formicæ.* *Zenonis* ſucceſſorem *Cleanthem* narrant *Plutarchus* & *Ælianus* aliquando duos formicarum greges obſervaſſe, quarum aliæ ab aliis, poſt crebras itiones, tandem lumbrico dato cadaver redemerint, & hoc argumento perſuaſum, quod anteà negaverat, poſtmodum docere cœpiſſe mutis etiam animantibus ineſſe rationem. Quod ipſum de formicis *Celſus* apud *Origenem* multis contendit. Καὶ μὴν δὴ, inquit, καὶ ἀπαντῶντες ἀλλήλοις διαλέγονται. ὅθεν οὐδὲ τῶν ὁδῶν ἁμαρτάνουσι. οὐκοῦν καὶ λόγου συμπλήρωσίς ἐστι παρ' αὐτοῖς, καὶ κοιναὶ ἔννοιαι καθολικῶν τινων, καὶ φωνή. *Quin cum ſibi mutuo occurrunt, colloquuntur. Quare neque à via aberrant. Rationis itaque conſummatio eſt in ipſis, & communes rerum quarundam univerſalium notiones, & vox*, &c. Id eſt, quaſi vox, & quaſi collocutio; Ità enim *Plutarchus*, Cleanthes *alias formicas vidit*, οἷον ἐντυγχάνειν αὐτοῖς, καὶ πάλιν κατέρχεσθαι, *tanquam colloqui cum iſtis, & rurſus abire.* Et *Plinius*, ubi de formicarum nundinis, & commerciis: *Quæ tunc earum concurſatio? quam diligens cum obviis quædam collocutio, atque percontatio? Quædam collocutio*, id eſt, quiddam, quod collocutionis inſtar ſit; quia aliæ aliis mentem ſuam tam aperiunt, quam ſi verè loquerentur. Neque *Ciceronem* aliter ſenſiſſe de formicis docent hæc illius verba libro tertio *De natura Deorum*, *In formica non modo ſenſus, ſed etiam mens, ratio, memoria.* Itaque *Iſidorus Originum* libri noni capite ſecundo vult *Myrmidones propter aſtutiam* à formicis traxiſſe nomen. Sed nemo formicas laudat *Plutarcho* uberius, qui omnium in iis virtutum ſemina deprehendit, Οὐδὲν, inquit, οὕτω μικρὸν ἡ φύσις ἔχει μειζόνων καὶ καλλιόνων κάτοπτρον· ἀλλ' ὥσπερ ἐν σταγόνι καθαρᾷ πάσης ἔνεστιν ἀρετῆς ἔμφασις. *Nullum natura maximarum pulcherrimarumque rerum tam anguſtum habet ſpeculum: ſed ut in pura guttula omnium in iis virtutum eſt imago.* Quod ne videatur gratis dixiſſe, quatuor virtutes morales, id eſt, fortitudinem, temperantiam, prudentiam, & juſtitiam in iis eminere obſervat. Neque amicitiam tacet, qua ſibi mutuo ſunt adjumento. Itaque *Sidonius* formicas homini opponere induſtriæ ratione non dubitavit. *Dicant velim* (inquit libri ſeptimi Epiſtola decimâ quartâ) *in hominis forma quid ſatis præſtans, quid ſpectabile putent*, &c. *An induſtriam, cui pro ſuo modulo comparari nec formica formidat?* Et *Marcionem Tertullianus* ità provocat libri primi capite decimo quarto, *Imitare, ſi potes, apis ædificia, formicæ ſtabula*, &c. Nec defuerunt, qui formicam homini etiam præferrent, propter vim illam μαντικὴν, cujus exempla ſuprà adduximus. In quibus utùt quædam ſint Oratorio more in majus aucta, fatendum tamen multa eſſe vera, neque ulla re magis affici naturæ contemplatores, quam tot virtutum concurſu in tam tenui & tam debili corpuſculo.

Quod quia admirationem auget, non præteriît *Solomon*. *Formicæ*, inquit, *ſunt populus infirmus, qui tamen æſtate victum ſibi comparat.* *Populum* vocat, ut verſu ſequente *chœrogryllios*, & *locuſtas* Propheta *Joël* capitis primi verſu ſexto, quia gregaria ſunt animalia. Hinc *Plutarchus*, in libro, cui titulus *An ſeni gerenda ſit Reſpublica*, notat τὸ κοινωνικὸν, καὶ πολιτικὸν καὶ μύρμηξιν ἄχρι τέλους παραμένειν, *formicis etiam finem uſque manere ſocietatis & vitæ civilis amorem.* Et *populi* nomen illis adſcribunt multi ἐκ τῶν ἔξωθεν. Sic apud *Ælianum* libri ſexti capite quadrageſimo tertio majores formicæ, quæ in culmos aſcendunt, ſpicas morſu abſciſſas projiciunt τῷ δήμῳ τῷ κάτω, *populo, qui infrà eſt*, id eſt, formicis minoribus. Et de iiſdem *Phocylides*,

— φῦλον

—— φῦλον δ' ὀλίγον τελέθει πολύμοχθον,
popellus eſt multi laboris. Et *Apuleius* libro ſexto, *Formicula illa parvula,* &c. *diſcurrens gnaviter, convocat corrogatque cunctam formicarum accolarum claſſem,* &c. *Ruunt aliæ ſuperque aliæ ſepedum populorum unda,* id eſt, formicarum turmæ ſex pedes habentium. Nec diſſimili Metaphorâ *Lucianus* in *Icaro-Menippo,* Οἶμαί σε πολλάκις ἤδη μυρμήκων ἀγορὰν ἑωρακέναι· *Puto te ſæpenumero formicarum concionem vidiſſe.* Et *Philippus Anthologiæ* libri primi capite trigeſimo tertio, Βωλοτόμοι μύρμηκες, ὁ γῆς στρατός· *Glebicidæ formicæ, terræ exercitus.* Numeri ratione, non virium. Populus enim ille *Solomoni* eſt עז לא, *non potens,* id eſt, infirmus, imbecillus. Nam in tantulo corpore non poſſunt eſſe magnæ vires. Inde eſt, quod *Arabes* hominem fractum viribus, atque elumbem, per contemptum vocare ſolent اضعف من النمل *formicâ debiliorem.* Fatendum tamen contrario Epitheto eum, qui pollet viribus, appellari اقوي من النمل *formicâ robuſtiorem.* Utrumque eſt in *Arabum Proverbiis* ex animalium naturâ ſumptis, quæ magno ſtudio collegit *Damir.* Sed de eodem animalculo diverſo reſpectu hæc dicuntur. Collata enim formica cum homine animal eſt debiliſſimum. Itaque, cùm formicæ confertæ ſunt, harum quandoque centurias uno pede vel incauti obterimus. Tamen vix ullum eſt animal, quod pro modulo ſtaturæ plus robore valeat, & graviora ferat onera. Hinc *Ovidius* libro ſeptimo *Metamorphoſeos,*

Grande onus exiguo formicas ore gerentes.

Et *Plinius*, *Si quis comparet onera corporibus, earum fateatur nullis portione vires eſſe majores.* Et *Ambroſius, Exigua eſt formica, quæ majora ſuis audet viribus.* Et *Hieronymus* in *Malchi vita* eandem dicit ferre onera majora, quàm corpora, ut ex *Arabibus Alkazuinius*, يحمل ما يكون اثقل منه *Fert quod ſe ipſa gravius eſt.* Et *Damir*, ليس في الحيوان ما يحمل ضعف بدنه مرار غيره علي انه لا يرضي باضعاف الاضعاف حتي انه يتكلف حمل نوي التمر وهو لا ينتفع به *Nullum eſt animal, quod quandoque ferat duplum pondus corporis ſui præter formicam, cui nõ ſufficit ferre duplum dupli, atque adeò, ut nitatur in ferendo dactyli nucleo, quamvis ipſi inutili.* Item, حكي ان رجلا قال لبعض الملوك جعل الله قوتك قوت النمل فانكر عليه فقال ايها الملك انه ليس في الحيوان ما يحمل ما هو اكبر منه الا النملة وقد اهلك الله بالنمل امة من الامم وهم جرهم *Narratur non nemo cuidam Regi dixiſſe, Formicæ vires indidit tibi Deus. Quod cùm Regi diſplicuiſſet: at, inquit, O Rex, nullum eſt animal præter formicam, quod pondera ferre poſſit ſe graviora. Et gentium una eſt, nomine* Gerham, *quam per formicas perdidit Deus.*

Fortaſſe in *India* (a) ubi omnes cibos & veſtes conficerent, niſi promptuaria, & ciſtæ procul à parietibus quatuor columnis ſuſpenderentur, pelvibus aquâ plenis ad columnarum pedes appoſitis, ut formicis ſint inacceſſæ. Quamvis ne ſic quidem omnes arceantur. Glumas enim, & minutas paleas pro cymbis adhibentes, navigant quocunque volunt. Eò pertinet *Philippi* Epigramma de ruſtico, qui mellis urceum, ut à formicis defenderet, in mediis aquis poſuerat, *Anthologiæ* libri primi capite trigeſimo tertio:

Οἱ δ' νέας κάρφας ἀχυρτίδας αὐτοφορεῦντες
Αὐτερέτῃ ταχὺ πρὸς τάχος ἐτρέχασαν·

Illæ autem novas paleolas recentes per ſe ferentes, ſuo ipſarum remigio celeriter accurrebant. Quod ſupereſt in loco *Solomonis*, in quo verſamur, formicas, utut populum debilem, tamen æſtate cibum ſibi comparare, in priore jam explicatum. Itaque hoc ſolum addimus ex *Sophiano Abinæ* filio ليس شي من الحيوانات يخبا قوته الا الانسان النمل والفار *Non eſt ullum animal, quòd cibum ſuum recondat, præter hominem, formicam, & murem.* Sed mus recondit ad breve tempus, non ut formica in annum. Alii العقعق *picam* addunt, quæ præter cibum etiam alia quævis recondit, ſed fruſtra, quia loci obliviſcitur. Alii ſphinges, & ſatyros, qui cibum non alibi, quàm in maxillis recondunt, idque ſolùm ad diem. *Plinius* libri decimi capite ſeptuageſimo ſecundo, *Condit in theſauros maxillarum cibum ſphingiorum, & ſatyrorum genus: mox inde ſenſim ad mandendum manibus expromit. Et quod formicis in annum ſolenne eſt, his in dies, & horas.* Omnino igitur formicæ hoc eſt peculiare, quòd condit æſtate ciborum quantum ſit ſatis non ſolùm in hyemem, ſed & in plures annos. *Alkazuinius*, يجمع غدا سنين لو عاش ولا يكون عره اكثر من سنة *Victum colligit ad biennium, ſi tantùm viveret: ſed non vivit ſupra annum unum.* Itaque, ut plantarum & animalium omnium, ità etiam formicæ natura *Solomoni* (b) fuit perſpectiſſima. Nec immeritò *Mahumetani Theologi* apud *Euthymium* illum dicunt τῶν μυρμήκων καταvoῆσαι τὰ μυστήρια, *formicarum myſteria intellexiſſe.* Sed iidem de formicarum cum *Solomone* colloquiis multa nugantur, quæ in *Damire*, & *Alkazuinio*, videre eſt. Et in *Alcorani Surata* 27. (al. 37.) cui titulus النملة *Formica.* Et in *Lexico Alcamus*, ubi طاخية *tachia* vocatur *formica* illa, quæ *Solomonem* alloquuta creditur. Haud dubiè, quia ſermo illius non fuit ſatis perſpicuus. Nam طخا Verbum *obſcurum eſſe* ſonat, & طخياء *tachiao*, *ſermonem obſcurum, quemque non intelligas.* Sed in his nugis pudet immorari.

(a) *Vide Bened. Curtium lib. 14. cap. 5. De hortis.*

(b) 1. Reg. 4. 33.

CAPUT

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

De Aranea.

Aranea *ut* Hebræis עכביש acchabis, *ſic* Chaldæis עכוביתא acchubitha, *&* Arabibus عنكبوت anchabuths. *Fortaſſe, inverſis Radicalibus, à* שבך, *propter retia, & caſſes, quas texit.* Pſal. 140. v. 4. עכשוב achſub, *non eſt* aranea, *ut à* Chaldæo; *ſed* aſpis, *ut à* Paulo *redditur*, Rom. 3. v. 13. Et שממית ſemamith, *quæ manibus captat, & in Regum palatiis degit*, Prov. 30. v. 24. *eſt* ſtellio, *non* aranea, *ut volunt recentiores.* Arabica *tria nomina araneæ*, عكاش *&* شبث *&* مول *aut his ſimilia in Sacro textu à veteribus lecta. Primum* Job. 27. v. 18. *Secundum* Pſ. 38, 12. *Tertium* Pſ. 89, 10. *Chaldæum* עכוביתא acchubitha, *æquivocum eſt, nec ſolùm* araneam *ſonat, ſed &* herbæ ſpinoſæ *&* edulis *genus*, Jerem. 17. v. 6. *id eſt*, σίλυβον, ſilybum, *vel* ſillybum: *quod probatur ex* Arabibus. *Telæ aranearum*, Eſa. 59. v. 5. קורי *vocantur, non quia à trabibus pendent, ut* Hebræi *ſtatuunt, ſed quaſi* חורי, *id eſt*, retia. Cheth *&* Koph *eſſe literas permutabiles.* Oſe. 8. v. 6. שבבים *non ſunt* fila aranearum, *ut* Hebræus *quidam* Hieronymo *perſuaſit, ſed* fragmenta. *Quorſum eadem fila à* Talmudicis *vocentur* חוט שדי בוכיא. Ἀράχνη *ab* ארג arag, texere, *quod de aranea dictum* Eſ. 59. v. 5. *G & X permutabiles.* Aranea *an ab* ἀράχνη, *ut* lana *à* λάχνη? *Ut araneæ opera, ſic impiorum molimina fluxa, & evanida*, Eſ. 59. v. 5. 6. Patrum *quidam ad Hæreticos id referunt.* (*Obiter de telis aranearum, quæ deciderunt, cùm* Monothelitas *damnavit ſexta Synodus, & quomodo id acceptum.*) *Alii referunt ad Aſtrologos: ut ad Sophiſtas* Ariſto Chius; *alii meliùs ad peccatores in genere.* Job. 8. v. 14. Domus araneæ *eſt ipſa tela; quia ibi degit, & parit. Phraſis in Oriente frequens.* Pſ. 59. v. 3. *in* Thargum *fabula de aranea, quæ telam ſuam texuit in ore ſpeluncæ, in qua latebat* David. *Idem jactari de* Felice Nolano *Epiſcopo.*

ARanea Hebraicè עכביש *acchabis*, dicitur, *Job.* 8. v. 14. & *Eſa.* 9. v. 5. Unde *Chaldæis* עכוביתא *acchubitha*, & *Arabibus* عنكبوت *anchabuths*, addito N, quaſi lateat in *Dagheſ*, & finali *Sçin* in *Thſe* mutatâ, ut à *Chaldæis* in *Thau*: quod illis linguis tralatitium. Origo vocis prorſus ignota, niſi, inverſis Radicalibus, deducenda videatur à Verbo סבך, vel שבך *ſabach*, quod *implexum eſſe* ſonat. Proinde *Arabibus* شبكة *ſobbacha* eſt *reticulatum opus*, & شباكة *ſabecha rete*, ut Hiſpanis *xabega*. Ità nomen עכביש egregiè expreſſerit araneæ naturam, quæ retia, muſcis, & culicibus venandis, tantâ conficit arte, ut ejus opus *Plutarcho* ſit θήρας σαγηνεύμασι ἀρχέτυπον. Hinc araneæ ſtamen plerique veteres retia, caſſes, laqueos, & pedicas appellant. *Virgilius* libro quarto *Georgicorum.*

In foribus laxos ſuſpendit aranea caſſes.

Plinius libri undecimi capite vigeſimo quarto, *Quantâ arte celat pedicas ſcutulato rete graſſantes?*

Lucianus quoque muſcam ait fugere inſidiantem araneam, ὡς μὴ ἁλίσκοιτο σαγηνευθεῖσα, καὶ περιπεσοῦσα τῷ θηρίῳ πλεκτάνας, *ne capiatur irretita, & in beſtiæ hujus laqueos incidens.* Ælianus *Hiſtoriæ* libri primi capite vigeſimo primo, Τοῖς κούφοις τῶν πτηνῶν θήρατρα ἀποφαίνει, ὡς δίκτυα ἐκπετάσασα· *Levioribus volucribus caſſes profert, quos ut retia extendit.* Auguſtinus *Confeſſionum* libri decimi capite trigeſimo quinto, *Me domi ſedentem ſtellio muſcas captans, vel aranea retibus ſuis irruentes implicans, ſæpe intentum facit.* Theodoretus *De Providentia* Sermone quinto, Πλέκει τὰ θήρατρα, οὐκ ἀπὸ λόγου τὴν τέχνην διδαχθεῖσα, ἀλλὰ τὴν φύσιν ἔχουσα διδάσκαλον· *Caſſes contexit non ratione artem edocta, ſed Naturam habens magiſtram.* Phile capite ſexageſimo,

Μυίαις τε καὶ κώνωψι καὶ κρυψιπτέροις
Ἐντεταμένον θήρατρον ἀράχνης φέρων·

Muſcis, & culicibus, & vaginipennibus extenſum rete ferent aranea. Alkazuinius لما عرفت ضعف قوايمها وانها تعجز عن الصيد اعدت للصيد مصايد وحبايل من الخيوط *Quia pedum ſuorum debilitatem novit, & ad venationem quàm parùm valeat, venatoria retia, & funes ex filis concinnat*, &c.

In his *Pſ.* 140. v. 4. חמת עכשוב, *venenum* achſub *ſub labiis eorum*, Chaldæus pro *veneno achſub* habet ארסא דעכוביתא, *venenum araneæ*. Quod ſequitur *R. Selomo*, quaſi עכשוב per Metatheſim factum ſit ex עכביש. Sed alii meliùs vel *aſpidem*, vel *ſerpentis genus* exponunt. Sic enim hæc meliùs cohærebunt cum priore hemiſtichio, *Linguam ſuam acuerunt* כמו נחש, *ut ſerpens.* Præterea in eorum numero, quibus עכשוב eſt *aſpis*, unus habetur omni exceptione major, nempe *Paulus Apoſtolus*, qui *Rom.* 3. v. 13. ſic exponit verba *Pſaltis*, Ἰὸς ἀσπίδων ὑπὸ τὰ χείλη αὐτῶν, *Venenum aſpidum ſub labiis eorum.* Denique Nomen עכשוב *aſpidi* apprimè convenire ſuo loco (a) docuimus.

(a) *Lib.* 3. *cap.* 4. *pag.* 379 *ſupra.*

Sunt ex *Hebræis*, qui *araneam* putant aliter appellari שממית *ſemamith* Prov. 30. v. 24. ubi legitur *ſemamith captare manibus, & eſſe in Regum palatiis.* Quam illorum ſententiam recentiores Scripturæ interpretes tanto applauſu exceperunt, ut vix unum reperias, qui aliter exponat. Sed vetuſtiores *ſtellionem* reddiderant ſummo conſenſu. Et veriſſimam eſſe hanc verſionem tam multis rationibus probavimus (b) in libro *De lacertorum generibus*, ut non putemus id amplius in dubium poſſe revocari. Sed & *Solomonis* verba docuimus (c) araneæ non quadrare ſatis, cui digitos quidem tribuunt *Ariſtophanes, Ovidius, Piſidas*, atque alii. Sed qui manus illi tribuat, ne unus quidem reperietur. Araneæ enim pedes tenuitate, & inciſuris ſuis ad digitorum formam aliquo modo accedunt. Sed quorſum manus vocentur, dici non poteſt, cùm à forma manûs maximè diſtent. Itaque apud *Sympoſium Ænigmatiſtam* de ſe dicit aranea,

(b) *Parte priore lib.* 4. *cap.* 7. *pag.* 1083.

(c) *Ibid pag.* 1084. *lin.* 33.

Nulla mihi manus eſt, pedibus tamen omnia fiunt.

Nec araneam *Solomon manibus apprehendere* unde dixiſſet, ſed *nere*, & *texere*, quod multò eſt mirabiliùs. Neque in Regum palatiis illam degere ſcripſiſſet, cùm in pauperum caſis multo habitet tutiùs, & libentiùs. Quod abundè docet Apologus de podagra & aranea.

Quia pro שממית *ſemamith, Chaldæus* habet אקמתא *akmetha*, vel *akmatha*, ut Hebraicum שממית, ità Chaldaicum אקמתא, *araneam* eſſe volunt nonnulli in his literis ad miraculum uſque docti; ſed pari errore, quo prius, quod illorum pace dixero. Nam pro אקמתא legendum אמקתא, ut in *Syro* hic, & *Levit.* 11. v. 30. ubi habetur

habetur pro *Hebræo* אנקה *anaka*. Nempe אנקה & אמקתא, N & M permutatis, idem ſunt. Et אנקה eſt שממית *ſemamith*, *ſtellio*, ut à *Samaritano* rectè redditur. *Stellio* אנקה *anaka*, dicitur ab אנק *anak*, quod *clamare* & *ſtridere* eſt: quia eſt acerbi ſtridoris, ut docet *Plinius*, libri vigeſimi noni capite quarto. Sed hæc alibi (d) latiùs explicata hic pluribus edifferere neceſſe non eſt.

(d) Partis pri. ma lib. 4. cap. 2. pag. 1063. & ibid. cap. 7. pag 1083.

At aliud eſt, quod moneam, nempe *Arabes* præter vulgatum عنكبوت *anchabuths* plura alia habere *araneæ* nomina; in quibus notanda hæc tria, شبث *ſebths*, & عكاش *occhas*, & مول *mul*, quia ad rem noſtram faciunt. Primum شبث *ſebths* (barbaris *ſciebi*) alii *Arabum araneam* in genere eſſe aſſerunt, alii *araneæ ſpeciem*, alii *araneæ vicinum animal*. De eo ante alios videndus *Avicenna* lib. 4. *Canonis Fen.* 6. tract. 6. cap. 5. cujus titulus, اصناف العناكب والشبثان والرتيلاوات *De ſpeciebus aranearum, & ſebthſan, & rutelarum, ſeu phalangiorum.* Et capite octavo, *De ſebths & curatione ejus*, cujus initium tale eſt, هذا كالعنكبوت الكثير القوايم الطويلها *Is eſt inſtar araneæ multos habens pedes, & longos,* &c. Secundum عكاش *occhas* propriè ſignificat *araneum*, id eſt, *araneæ marem*. Radix عكش *acaſa*, *texere*, de aranea propriè. *Alcamus*, عكشت العنكبوت نسجت *Aranea texuit.* Et in quinta Conjugatione تعكشت العنكبوت قبضت قوايمها تنسج *Aranea contraxit pedes ſuos, ut texeret.* Tertium مول *mul*, vel مولة *mula*, eſt *aranea* in genere. Ità exponunt *Giauhari*, & *Alcamus*, & recentiores *Lexicographi*. Fallor, aut tres voces ſimiles habuêre *Hebræi*, aut *Syri*, quibus *araneam* ſignificarent, nempe סכת, & עכש, & מור. Quas veteres interpretes in quibuſdam ſacri textûs exemplaribus cùm aut verè legiſſent, aut ſe legiſſe credidiſſent, *araneam* interpretati ſunt. Primi exemplum eſto, quòd *Job.* 27. *v.* 18. *Hebræum* וכסכה, *& ut tabernaculum*, *Græci* reddunt, καὶ ὥσπερ ἀράχνη, id eſt, ut conjectamus, וכסכת. Sic enim legiſſe videntur literarum affinitate decepti. Et *Pſal.* 38. (*Hebræis* 39) *v.* 12. *Hebræum* כעש, *ſicut tineam*, iidem ὡς ἀράχνην, quia pro כעש legerunt עכש, *araneam*, & notam ſimilitudinis, ut ſæpe alias, de ſuo ſuppleverunt. Quale eſt, quod *Job.* 27. *v.* 18. in priore hemiſtichio illud ipſum כעש *Syrus* reddidit ܐܝܟ ܥܟܒܝܬܐ & *Arabs* مثل العنكبوت *ut aranea*: ſed *Græci* rectè ὥσπερ σῆτες, Hieronymus *ſicut tinea*, Chaldæus כרקבותא, omnes eodem ſenſu. *Pſalmi* denique 89. (*Hebræis* 90.) verſu decimo verba כמו הגה, *ut ſermo*, vel *ut cogitatio*, ſeu *meditatio*, cur LXX. tam alieno ſenſu exponant ὡς ἀράχνην ἐμελέτων, *ſicut araneam meditabantur*, non facilè dixeris, niſi illos ſupponas pro כמו, unâ literâ additâ, legiſſe כמור, *ut aranea*.

Hoc quoque obſervandum eſt *Chaldæum araneæ* nomen עכוביתא *acchubitha*, eſſe prorſus æquivocum. Eſt enim herbæ genus, quod illo ipſo nomine appellant, cujus Plurale *Hebræum* eſt עכביות *acchubijoth*. Occurrit hac notione עכוביתא *acchubitha*, in *Chaldæa* Paraphraſi *Jerem.* 17. *v.* 6. pro *Hebræo* ערער quod plerique *myricam* reddunt. Sed apud *Kimchium Rabbi Hai* definit herbæ genus קוץ מבחוץ ומבפנים פרי נאכל, *exteriùs ſpinoſæ, ſed fructum edulem intùs habentis.* Et in *Bereſith Rabba* ſectione vigeſima, עכביות aliis ſunt idem, quod דרדר, *cardui*, vel *tribuli*: aliis idem, quod קוץ, *ſenticeta*, Gen. 3. v. 18. in quem locum *R. Selomo* עכביות comedi dicit ע״י תיקון, *per manus præparationis*, id eſt, cùm præparatæ ſunt. Ex hac *Hebræorum* inconſtantia apparet illos neſcire quid ſint עכביות. Sed commodum ſuccurrunt *Arabes*, à quibus docemur עכוביתא eſſe *ſilybum*, vel *ſillybum*, de quo *Dioſcorides* libro quarto, Σίλυβον, ἄκανθά ἐστι πλατεῖα, φύλλα ἔχουσα χαμαιλέοντι ὅμοια τῷ λευκῷ· ἥτις ἄρτι φυεῖσα ἑφθὴ σὺν ἐλαίῳ καὶ ἁλσί. *Silybum lata eſt ſpina, folia habens chamæleonti albo ſimilia, quæ recens nata cum oleo & ſale elixa comeditur.* Et *Plinius* libri vigeſimi ſecundi capite vigeſimo ſecundo, *Sillybum, chamæleonti albo ſimilem, æquè ſpinoſam, ne in Cilicia quidem, aut Syria, aut* Phœnice, *ubi naſcitur, coquere tanti eſt: ita operoſa ejus culina traditur.* Id ipſum inquam eſſe עכוביתא *acchubitha*, ſic docet *Avicenna* libro ſecundo *Canonis* capite *De Silybo*, quod ab interprete omiſſum eſt.

سلوبون الماهية قال ديوسقوريدوس زعم بعض الناس سلوبون نبات يسميه اهل الشام العنكبوت ولها ورق شبيه الابيض من حمالاون ويوكل اذا كان رطبا مع ملح ودهن بعد ان يسلق *Silybum quid eſt?* *Dixit* Dioſcorides, (id eſt, *Dioſcoridis* interpres *Arabs*) *Nonnulli aſſerunt ſilybum eam eſſe plantam, quam* Syri *vocant araneam. Huic folium eſt, quale chamæleonti albo. Et recens comeditur cum ſale & oleo, poſtquam elixa fuit.* Nomine עכוביתא *acchubitha*, decurtato, vocatur عكوب *acchub* in *Abenbitare*, qui eò refert verba *Dioſcoridis* de ſilybo. *Themtheus* longam habet ejus deſcriptionem, quæ ſic incipit, العكوب ياكل الناس بالشام وغيرها وهو نوع من السوك الذي ترتعه الجمال وهذا الشوك لها قلب يطول من الارض نحو من ذراعين ولها ورق عريض واسع اخضر مجزع ببياض كانما قد نقش التجزيع ACCHUB Syri, & alii comedunt. *Eſt ſpinæ ſpecies, quâ paſcuntur cameli. Huic ſpinæ medulla eſt prope duos cubitos ſupra terram elata, & folium latum, & amplum, viride, albo variegatum, quaſi pictum aut ſculptum eſſet.* Sequitur, folium eſſe ſpinoſum, & in ſummo caule fructum haberi rotundum, oblongum, in cinaræ modum tanquam acubus circumvallatum, mollem, humidum, ſuavem, qui frictus comeditur. Ex illo fru-

ctu, cùm exaruit, naſci florem rubrum, & ex flore ſemen pulverei coloris, grano cnici ſimile, albâ lanugine, inſtar lanuginis (a) *bedoard.* Atque id quoque ſemen comedi: & *Chriſtianis* maximè vendi ſolennis jejunii tempore. Quamvis *Muſulmani* quoque eo utantur, idque ferè antequam bibant. Adduntur multa de coquendi modo, ex quibus patet à *Plinio* verè ſcribi operoſam eſſe ejus culinam. Neque radix eſt inutilis: ex ea enim gummi elicitur, quod vocant gummi الكنجرزد *alchangerzed*, utile ad bilem flavam & nigram vomitu eliciendam. Pauca hæc ex multis libuit de ignota herba excerpere, tam in herbariorum gratiam, quàm eorum, qui *Hebræas* literas amant. Herbariis enim *Dioſcoridis* σίλυβον, & *Plinii ſilybum* tam ignotum eſt, quàm *Hebræis* hodie ignota eſt herba עכבישא *acchabiſcha.* Neque mihi conſtat hactenus, quorſum hoc cardui genus *araneæ* nomine *Syri* indigetent, niſi ſpinæ illæ, quibus tanquam acubus fructus circumvallatus eſt, putentur araneæ pedes aliquo modo referre. Aut (ut ſuſpicatur doctiſſimus mihique amiciſſimus Medicus D. *Cornelius Vicman*) folia habere araneoſâ lanugine obducta, ut huic ſimile, cardui genus, acanthium, de quo *Oribaſius*, Ἐπ᾽ ἄκρων ἀκανθώδεις ἐξοχὰς ἔχει, καθ᾽ ἃς ἀραχνοειδὲς ἐπὶ χνοῦς, ὃ συλλεγόμενον καὶ ὑφ᾽ ἐν τιθέμενον βαμβακοειδὴς γίνεται. Et multò ante *Plinius*, *Foliis aculeatis per extremitates & araneoſâ lanugine obductis, quâ collectâ veſtes etiam quadam bombycina ſimiles fiunt in Oriente.* Sed herbariæ rei peritis id relinquo diſquirendum.

(a) *Beduard eſt ſpina alba bicubitalis, tribulo ſimilis, amomi foliis, flore purpureo.*

Telas aranearum Eſaias vocat קורי עכביש *kure acchabis*, capitis quinquageſimi noni verſu quinto. Quorſum non ſatis ſcitur. *R. Menachem* deducit à voce קורה *kora*, quæ *trabem* ſonat; על שם שהעכביש מסך ארגותיו בקורות, *quia aranea ſtamina ſua trabibus obſepit*, dum nempe ab una trabe ad aliam fila deducit. Unde *Poëta* libro quarto *Metamorphoſeos*,

> *—— non illud opus tenuiſſima vincunt*
> *Stamina, nec ſummo quæ pendet aranea tigno.*

Et libro primo *Amorum*,

> *Vel pede quod gracili deducit aranea filum,*
> *Cùm leve deſertâ ſub trabe nectit opus.*

Sed aliter *Kimchius*, שהארג לכסות כמו הקורות, *Quia texit, ut tegat, quomodo trabes* ſupple *tegunt.* Quæ videntur valde coacta. Nec iis aſſentior magis, qui à קרה *kara*, deducunt, id eſt, *ab occurrendo*, quòd inde aranea muſcis occurrat. Itaque cùm nihil aliud ſe offerat, puto קורי *kure*, dici pro חורי *chure*, *Cheth* & *Koph* permutatis. Ut ſignificentur araneæ retia, & caſſes, de quibus jam diximus. Nam *Eſa.* 19 *v.* 9. חורי ſunt *retia*, quæ ſic vocantur propter חורים *chorim*, ſeu foramina, quibus ſcatent. Non me latet à *Mercero* hoc rejici tanquam alienum, quaſi literæ *Cheth* & *Koph* cognatæ non ſint, nec invicem permutabiles. Nempe virum ſui temporis in *Hebraicis* literis facilè doctiſſimum fugerat in *Jonathane* Gen. 21. v. 15. legi אתקליש, pro אתחליש, *attenuatus eſt.* Et *Deut.* 6, 7. חיתון, pro vulgato קיתון, id eſt, κοιτῶν *conclave.* Et in *Syro Luc.* 22. *v.* 55. & *Actor.* 28. *v.* 2. אוחד, *accendere* pro *Hebræo* אוקד. Et *Æthiopicum* ቀተረ፡ in *claudendi* & *ſepiendi* ſignificatione paſſim occurrere pro *Chaldæo* חתר. Quæ exempla abundè probant *Koph* pro *Cheth* quandoque ſcribi, & viciſſim *Cheth* pro *Koph.* Proinde cùm 1. *Sam.* 8. *v.* 16. de *Saule* dicitur; *Accipiet* את בחוריכם, *juvenes veſtros*, LXX. reddiderunt τὰ βουκόλια ὑμῶν, id eſt, בקריכם. Et verba *Oſ.* 7. *v.* 6. קרבו, *Admoverunt inſtar clibani cor ſuum*, iidem exponunt, Ἀνεκαύθησαν ὡς κλίβανος αἱ καρδίαι αὐτῶν, ac ſi קרבו eo loco ſit pro חרבו. Et *Exod.* 35. *v.* 35. pro *omnia opera* חרש, *fabri*, iidem habent πάντα τὰ ἔργα τοῦ ἁγίου *omnia opera ſancti*, id eſt, קדש, id eſt, *Koph* pro *Cheth*, & *Daleth* pro *Res.*

Oſ. 8. *v.* 6. dicitur de vitulis illis, quos erexerat *Jeroboam*, per Numeri Enallagen, *Fragmenta fiet vitulus Samariæ*, id eſt, in fruſta comminuetur, quomodo *Aaronis* vitulus, qui in pulverem comminutus eſt, *Exod.* 33. *v.* 20. & *Deut.* 9. *v.* 21. *Fragmenta* Hebraicè שבבים dicuntur, voce, quam in Sacro textu alibi fruſtra quæras. Proinde interpretes in diverſiſſima abeunt. Et in his *Hieronymus* reddit, *In aranearum telas erit vitulus Samariæ*, ab *Hebræo* quodam ſic edoctus, ut in *Commentario* profitetur his verbis: *Nos ab Hebræo didicimus* שבבים *propriè nominari aranearum fila per aërem volantia, quæ dum videntur intereunt, & in atomos atque in nihilum diſſolvuntur.* Sed *Hebræus* ille, quiſquis fuerit, vereor, ne viro magno impoſuerit, cùm in *Hebræorum* ſcriptis nihil tale reperiatur. Quin *Talmudicis* שבב eſt *frangere*, & שיבא מכשורא, *fragmentum de trabe.* Inde igitur שבבים à *Propheta* pro *fragmentis* uſurpari valde veriſimile eſt. Itaque *Chaldæus* habet, לניסרי לוחין יהי, *in fragmenta tabularum erit.*

Hoc quoque in incerto eſt, cur *filum araneæ* vocetur חוט של בוכיא, in *Talmudico* illo ſcito Tractatûs *Succa* fol. 52. d. יצר הרע דומה לתחלה לחוט של בוכיא ולבסוף דומה כעבותות העגלה. *Mala concupiſcentia initio ſimilis eſt filo araneæ, ſed in fine eſt inſtar funium plauſtri.* Neque enim בוכיא *buchja*, pro *aranea* reperitur uſpiam. Et lectio vocis diverſa eſt. Nam pro בוכיא *buchja*, habetur כוביא *chubja*, in *Sanhedrin*, & in *Aruch* כוכיא *chuchja.* Sed, ſi quid in his video, præferendum בוכיא *buchja*, quomodo dici putaverim non *araneam*, ſed *araneæ telam* à perplexitate filorũ; quia בוך *buch*, *Hebræum* in *Niphal perplexum eſſe* ſonat. Ex qua conjectura חוט של בוכיא, erit propriè *filum* τοῦ ἀράχνιου, non τῆς ἀράχνης. Niſi quo ſenſu ἡ ἀράχνη non ſolùm pro animali, ſed & pro tela ſumitur. Ut in *Lucilii Epigrammate* de nano *Charemone*, *Anthologiæ* libri ſecundi capite trigeſimo ſecundo;

> Καὶ τάχ᾽ ἂν ἐρροίζησε δι᾽ αἰθέρος, εἰ μὴ ἀράχνῃ
> Τοὺς πόδας ἐμπλεχθεὶς ὕπτιος ἐκρέματο.

Et fortè per ætherem cum ſtridore delatus fuiſſet, niſi ex aranea (id eſt, ex araneæ tela) pedibus implicatus ſupinus pependiſſet.

Texere Hebraicè ארג *arag*, cùm de aranea dicatur *Eſa.* 59. *v.* 5. vero conſentaneum eſt inde factum eſſe nomen τῆς ἀράχνης non ex fabuloſa *Arachne*, quàm in araneam mutatam fuiſſe fingunt. Eodem facit, quòd in *Pomario aranea* definitur ab *Hebræorum Grammaticis* תולעת קטנה שארגת ארג לטרוף זבובים בחלונות, *vermiculus telam in feneſtris texens ad capiendas muſcas.* In quibus verbis ארג *arag*, *texere* eſt araneæ actio; & ארג *ereg*, *tela*, ejus opus, ut in *R. Menachem* ארוגה *aruga.* Sic in ἀράχνῃ, χ fiet ex *Hebræo* ג, ut ſæpe *Latinum* G ex χ. Sic χαλβάνη *galbanum*, λείχω *lingo*, ἄγχω *ango*, &c. Ex ἀράχνη fit *aranea*, ut *lana* ex λάχνη, extritâ mediâ, ut multi volunt, quibus tamen non aſſentior. Nam *lana Græcè* eſt λῆνος, *Doricè* λᾶνος. Vide *Scaligerum* in *Varronem* libro quarto *De lingua Latina.*

Si hic liberet rhetoricari, multa haberemus dicenda de araneæ induſtria, poſt (b) *Ariſtotelem* (c) *Plinium*, (d) *Plutarchum*, (e) *Ælianum*, & *Arabum* doctores (f) *Damirem* & (g) *Alkazuinium.* Sed quæ ad rem noſtram nihil facerent, cùm Scriptura hoc ſolum in aranea ſpectet, quòd ejus opera fluxa ſunt & evanida. Proinde cum his confert impiorum molimina, in quibus nihil eſt ſolidi. Sic *Eſ.* 59. *v.* 5. 6. *Texuerunt telas araneæ*, &c. Quæ quidem ad Hæreticorum argutias referunt multi veterum. *Hieronymus* Epiſto-

(b) *Hiſt. anim. lib.* 9. *cap.* 39.
(c) *Lib.* 11. *cap* 24.
(d) *De ſolert. anim.*
(e) *Hiſt. anim. lib.* 1. *cap.* 21.
(f) *Lib. De anim. cap. Aranea.*

lâ

Li139. ad *Cyprianum, Super perſona Hæreticorum ſcriptum eſt in* Eſaia, " Telam araneæ texunt, *quæ parva & levia poteſt capere animalia, ut muſcas, & culices, & cætera hujuſmodi; à fortioribus autem rumpitur*, &c. *Gregorius Nazianzenus* de iiſdem Oratione vigeſima tertia, Τὴν μικρόλογον σοφίαν διάπτυε πλέον, ἢ τὰ τῶν ἀραχνίων νήματα, μυίας μὲν κρατοῦντα, σφηξὶ δὲ ῥηγνύμενα, ἵνα μὴ λέγω δακτύλοις, οὐδὲ ἄλλῳ τινὶ τῶν βαρυτέρων σωμάτων· *Minutam & jejunam illam ſapientiam magis deſpice, quàm aranearum telas, quæ muſcas quidem retinent, à veſpis autem perrumpuntur, ne dicam à digitis, aut alio quopiam graviore corpore.* Et *Gregorius Nyſſenus* contra *Eunomium* Oratione prima. Τοιοῦτον τάχα ἐστὶν ὅ φησι περὶ τῶν ἀσεβῶν ὁ προφήτης, ὅτι ἱστὸν ἀράχνης ὑφαίνουσιν. ὡς γὰρ ἐπ' ἐκείνου σχῆμα μέν ἐστι τοῦ ὑφάσματος, ὑπόστασις δὲ οὐκ ἔστιν ἐν τῷ σχήματι. ὁ γὰρ ἁψάμενος οὐδενὸς ὑφεστῶτος ἥψατο, συμφθειρομένων τῇ τῶν δακτύλων ἀφῇ τῶν ἀραχνίων νημάτων. τοιαύτη ἐστὶ καὶ ἡ τῶν ματαίων λέξεων ἀνυπόστατος ἐνεργία. *Tale hoc forſaſſe, quod de impiis Propheta dicit,* " Telam araneæ texunt. *Ut enim in illa figura quidem eſt textura, ſed nulla eſt in figura ſoliditas : qui enim tangit nihil quod ſubſiſtat tangit, pereuntibus digitorum tactu aranearum filis. Talis eſt etiam hæc inanium dictorum textura, nihil firmum habens.* Proinde, cum quâ horâ *Monothelitarum* Hæreſim *Conſtantinopoli* damnaret ſexta *Synodus Oecumenica* Anno 681. telæ aranearum nigerrimæ magna copia in populum decidiſſent, id ità acceptum eſt, quaſi Deus tam inſolitâ pluviâ ſignificatum voluiſſet Hæreſeos ſordes ex Eccleſia fuiſſe ejectas. Vide *Anaſtaſium, Reginonem Abbatem*, & alios. Alii eadem *Prophetæ* verba ad *Aſtrologos* referunt, de quibus *Baſilius* Homiliâ ſextâ in *Hexaemeron*, Ταῦτα μὲν αὐτῶν τὰ σοφὰ ταῖς τῶν ἀραχνίων ὑφάσμασιν ἔοικεν, οἷς ὅταν μὲν κώνωψ, ἢ μυῖα, ἤ τι τῶν παραπλησίως τούτοις ἀσθενῶν ἐνσχεθῇ καταδεθέντα κρατεῖται, ἐπειδὰν δὲ τῶν ἰσχυροτέρων τι ζώων ἐγγίσῃ, αὐτό τε ῥᾳδίως διεκπίπτει, καὶ τὰ ἀδρανῆ ὑφάσματα διέῤῥηξε καὶ ἠφάνισε. Quæ ſic imitatur *Ambroſius* libri quarti in *Hexaemeron* capite quarto, *Vos, qui validiores eſtis, cum videritis Mathematicos, dicite,* " Telam araneæ texunt, *quæ nec uſum aliquem poteſt habere, nec vincula, ſi tu non quaſi culex, aut muſca, lapſu tuæ infirmitatis incurras, ſed quaſi paſſer aut columba caſſes invalidos præpetis volatûs celeritate diſſolvas.* Quibus conſentanea hæc ſunt *Ariſtonis Chii* apud *Laertium* libro ſeptimo, Ἐοικέναι τοὺς διαλεκτικοὺς λόγους τοῖς ἀραχνίοις ἃ καί τοι δοκοῦντα τεχνικόν τι ἐμφαίνειν, ἄχρηστά ἐστιν, *ſimiles eſſe Dialecticos ſermones aranearum telis, quæ etſi quid artificioſum proferre videantur, ſunt inutiles.* Interim Prophetam agere certum eſt de mundanis hominibus, qui magno molimine nihil agunt, nec de operibus ſuis ullum fructum colligunt. Quâ in parte araneæ non ſunt omnino ſimiles, quæ retia ſua non fruſtrà texit, cum iis muſcas captet, & culices, quibus veſcitur. Sed, ſi araneis proſunt hæc retia, nobis tamen ſunt inutiles. Proinde impios *Propheta* non confert araneis, ſed eorum opera telis aranearum, quæ hominibus nihil proſunt. *Texuerunt telas araneæ*, inquit *Propheta*, *telæ illorum non erunt pro panno, neque operient ſe factis ſuis.* Rectè igitur *Origenes*, & ad *Prophetæ* mentem, Homiliâ ſecundâ in *Pſalmum* trigeſimum octavum, *Omnia, quæ texit, & agit peccator, tam nihil eſſe ſcias, quam illa, quæ texit aranea, licet varia videantur, & compoſita, licet exquiſitâ quâdam arte digeſta. Quanta texuerunt illi divites, qui ante nos fuerunt, qui divitias variis artibus & callidis adinventionibus congregabant, qui magiſtratus, qui honores, qui Conſulatus, diverſa ambitione quærebant, iſti omnes telas araneæ texuerunt. Tam enim vana, tam frivola, quàm eſt araneæ textrina, fuerunt omnia, quæ gerebant.* Et in eundem *Pſalmum Hieronymus*, vel quiſquis eſt, *Ille, qui agit quæ mundanæ vanitati ſunt apta, telas texit araneæ juxta* Eſaiam *Prophetam, hoc eſt, diu noctuque in opere vano vacat, & non utilia, ſed diſſolubilia, & corruptibilia operatur.* Et in *Pſalmum* octogeſimum nonum, *Quomodo aranea, quæ mittit fila, & huc illucque diſcurrit, & texit totâ die, labor quidem grandis eſt, ſed effectus nullus eſt : ſic & vita hominum huc illucque diſcurrit. Poſſeſſiones quærimus, divitias apparamus, procreamus filios, laboramus, in regna ſuſtollimur, & omnia facimus, & non intelligimus, quia araneæ telas teximus.* Et *Gregorius* in *Jobum* libri decimi quinti capite nono, *Telas araneæ texere eſt pro hujuſmodi concupiſcentia temporalia qualibet operari. Quæ dum nullâ ſtabilitate ſolidata ſunt, ea proculdubio ventus vitæ mortalis rapit.* Plura hujus argumenti vide in *Hieronymi*, *Cyrilli*, *Theodoreti*, & *Procopii* Commentariis in *Eſaiam*.

Eſaiæ loco parallelus eſt alius de hypocrita *Job.* 8. v. 14. *Fiducia ejus eſt domus araneæ. Innitetur domui ſuæ, & illa non ſtabit : fulciet ſe ſuper eam, neque illa conſiſtet.* *Domus araneæ* eſt ipſa tela, in qua plerumque degit, & fœtus ſuos parit. *Ariſtoteles* libri quinti *Hiſtoriæ* capite vigeſimo ſeptimo, poſtquam araneas docuit parere vermiculos, qui mutentur in araneas, Τίκτει δὲ πάντα μὲν εἰς ἀράχνιον· ἀλλὰ τὰ μὲν εἰς λεπτὸν καὶ μικρὸν, τὰ δὲ εἰς παχὺ, καὶ τὰ μὲν ὅλως ἐν κύτει στρογγύλῳ, τὰ δὲ μέχρι τινὸς περιέχεται ὑπὸ τοῦ ἀραχνίου· *Eos omnes in tela pariunt : ſed alios in ſubtili & brevi, alios in denſiore, alios omnino in cavo rotundo, alios ità ut aliquandiu telâ illâ tanquam faſciis obvolvantur.* Et infrà, Αἱ δὲ λειμώνιαι ἀράχναι προαποτίκτουσιν εἰς ἀράχνιον, οὗ τὸ μὲν ἥμισυ πρὸς αὐταῖς ἐστι, τὸ δὲ ἥμισυ ἔξω· καὶ ἐν τούτῳ ἐπῳάζουσαι ζῷα ποιοῦσι. τὰ δὲ φαλάγγια τίκτει εἰς γύργαθον πλεξάμενα παχὺν, ἐν ᾧ ἐπῳάζουσι· *Pratenſes araneæ in tela pariunt, cujus dimidium eſt ad ipſas matres, reliquum foris. Et in eadem tela incubant, & fœtum vivificant. Phalangia autem pariunt, atque incubant in reti craſſo à ſe confecto.* Proinde *Gregorius Nazianzenus* Oratione trigeſimâ quartâ aranearum telas illis ſimul præbere ſcribit οἴκησίν τε τιμίαν, καὶ θήραν τῶν ἀσθενῶν εἰς τροφῆς ἀπόλαυσιν, *& domum eximiam, & infirmorum animalium venationem in uſum cibi.* Nec multo aliter *Piſidas* de aranea,

> Ὃς διπλὸν ἔργον ἐξ ἑνὸς ποιεῖ μίτου,
> Λίνα πρὸς ἄγραν, καὶ πρὸς οἴκησιν στέγην·

Quæ ex uno filo duplex opus conficit, rete ad venationem, & domum ad habitationem. Tamen apud noſtros ſcriptores domûs araneæ rara eſt mentio, ſed apud *Orientales* frequens. *Alcamus*, الجعدبة بيت العنكبوت Algiuduba, *domus araneæ.* Eundem conſule in الحتق & الوشع & الشع & العكاشة & العنطل & videbis totidem eſſe voces, quas *domum araneæ* reddit. *Alkazuinius* etiam de aranea, يهبي نسجه ويسعد بيتة فادا وتعت في مصيدتة دبابة نضطرب فيها ويمشي اليها ونمص رطوبتها *Concinnat telam ſuam, & in domum ſuam aſcendit : & ſi muſca in rete incidat, ſtatim commota ad illam fertur, ut humorem ejus exſugat.* Alibi non reperi, neque capio ſatis, quod habet *Damir* de domo araneæ, هذا

هذا النوع ينسج بيته دايما مثلث الشكل ويكون سعة بيته بحيث يغيب فيه شخصه *Hæc animalis ſpecies domum ſuam ſemper texit figura triangularis, ita ut ſit in ea ſpatium, in quo lateat corpus ejus.*

Paulus ad *Philippenſes* ſcribens capitis primi verſu ſexto confidit fore, ut qui in ipſis bonum opus incœperat, id perficiat uſque ad diem *Jeſu Chriſti*. Eâdem fiduciâ dicit *David* Pſalm. 57. v. 3. *Clamabo ad Deum excelſum* לאל גומר עלי, *ad Deum, qui perficit erga me*, nempe opus, quod incœperat. Id enim eſſe ſupplendum patet, tam ex loco *Pauli* nuper adducto, quam ex *Pſalm*. 138. *v.* 8. ubi poſt hæc verba, יהוה יגמר בעדי, *Dominus perficiet pro me*, ſequitur in eodem verſu, *Opera manuum tuarum ne deſeras*. Sed longe aliud ſupplevit *Chaldæus* interpres, qui *Davidis* verba, quæ diximus, ſic ... , אצלי קדם אלהא עילאה ותקיפא דזמין עכביתא למגמר בפום אספלידא עילא אמטולתי, *Rogabo coram Deo excelſo, & forti, qui deſtinavit araneam, ut perficeret propter me telam in ore ſpeluncæ.* Cujus fabulæ confingendæ duplex videtur fuiſſe occaſio. Una, quod in titulo legitur *David Pſalmum* iſtum ſcripſiſſe, cum in ſpeluncam fugit à facie *Saulis*, 1. *Sam*. 24. v. 4. Altera, quod *Felici Nolano* Presbytero *Chriſtiani* tale quid accidiſſe narrabant. Is enim, cum a Tyranno ad necem quæreretur, fugiens in anguſto duorum parietum intervallo ſe occultavit, cujus aditus cum repente aranearum telis prætextus viſus eſſet, nemini recentis latebræ ſuſpicionem reliquit; atque ità ereptus è periculo eſt. Vide *Paulinum*, *Adonem*, & *Bedam* in illius vita. Idem accidiſſe *Davidi* in ſpelunca latenti voluit *Chaldæus* interpres.

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

De Scarabæo in *Græca* verſione *Habakuk*. 2. v. 11.

Poetæ *vocem tribuunt iis ædibus, in quibus crimen perpetratum; ut* Hab. 2. v. 11. Lapis è pariete clamat, וכפיס, & *chaphis* è ligno reſpondet ei. *Ubi neſcitur quid ſit* כפיס chaphis. *Pleriſque eſt pars ædificii.* Aquilæ μάζα, Symmacho & Theodotioni σύνδεσμος, *Hieronymo* lignum quod inter juncturas ædificiorum eſt. Ἱμάντωσις *ſeu* loramentum, *Ecclef*. 22. *v*. 18. Heſychio στιγάνωμα, *Chaldæo* fruſtum, *Syro* clavus, *Arabi* paxillus. *At* Græcis κάνθαρος ſcarabæus, *aut* σκώληξ vermis. *Quod alii alio*, Ambroſius *ad* Chriſtum *refert, qui* è ligno *clamavit, id eſt*, è cruce. Cyrillo & Theophylacto κάνθαρος *ibi non eſt* ſcarabæus, *ſed* ligni compages. *Quod eſt ſine exemplo. At* κανθὸς ferreum ligni vinculum, *ſed* in rota. Aquila μάζαν *reddit, quaſi* כפים *ſit* κόπις. Græci κάνθαρον, *quaſi ſit* חפרפרת, *aut* σκώληκα, *id eſt*, ligni teredinem. *At* כפיס chaphis, Talmudicis *eſt later ſeſqui-palmi, ut a menſura quidam lateres* beſſales *vocantur*, & didori, tetradori, pentadori. *Quæ ſignificatio hic quadrat.*

NErei, crimine admiſſo, poſſe latere ſe putent, etiam ipſis ædibus, in quibus crimen eſt perpetratum, per Proſopopœiam ſermo tribuitur. Sic in *Euripidis Hippolyto* verſu 417.

(a) Οὐδὲ σκότον φρίσσουσι τὸν ξυνεργάτην,
Τέρεμνά τ' οἴκων, μήποτε φθογγὴν ἀφῇ·

Neque tenebras conſcias expaveſcunt, & tecta ædium, ne quando vocem edant. Et *Juvenalis* Satyrâ nonâ,

——— ſecretum divitis ullum
Eſſe putas? ſervi ut taceant, jumenta loquentur,
Et canis, & poſtes, & marmora. ———

(a) Hæc Euripidis citat Lucianus in Indocto.

Tale illud in *Babylonios*, & quosvis rapaces, & violentos dominos. *Hab*. 2. *v*. 11. 12. *Lapis è pariete clamat*, וכפיס, & CHAPHIS *è ligno reſpondet ei, Væ ædificanti civitatem ex cædibus, & condenti urbem ex iniquitate.* In quibus *Prophetæ* verbis quid ſit כפיס *chaphis*, non ſatis conſtat. Hoc quidem in genere apparet ex ipſa contextus ſerie כפיס aliquid eſſe in ædificio lapidi analogum. Sed quia verbum unum eſt ἐκ τῶν ἅπαξ λεγομένων, de vera ejus interpretatione valde ambigitur, & diverſiſſimæ ſunt ſententiæ, quod veteres verſiones conferenti patebit. *Aquila* enim hic habuit μάζα (an *maſſa*) *de ligno reſpondebit*, ſenſu minus perſpicuo, cum non ſatis intelligatur, quid *maſſa ſit in ligno*, *Symmachus*, Σύνδεσμος οἰκοδομῆς ξύλινος, ut *Theodotio*, & *Quinta editio*, Σύνδεσμος ξύλου. Et hos ſequutus Hieronymus, *Lignum quod inter juncturas ædificiorum eſt.* Nempe, ſi illi credimus in *Commentariis* in hunc locum, כפיס *lignum* ſignificat *quod ad continendos parietes in medio ſtructuræ ponitur*, & vulgo apud *Græcos* appellatur ἱμάντωσις. Propriè ἱμάντωσις eſt *corrigia calcei*. *Heſychius*, Ἱμάντωσις, σύνδεσμος τῆς κορυφῆς τοῦ ὑποδήματος· lege τῶν κορριγίων. Sed ad ædificiorum compagem indè transfertur. *Suidas*, Ἱμάντωσις, δέσις ξύλων ἐμβαλλομένων ἐν τοῖς οἰκοδομήμασι. Unde *Sirachides* Eccleſ. 12. v. 18. Ἱμάντωσις ξυλίνη ἐνδεδεμένη εἰς οἰκοδομὴν ἐν συσσεισμῷ οὐ διαλυθήσεται, *compages lignea in ædificatione connexa in terræ-motu non diſſolvetur.* Vulgatus *loramentum* optimè reddit. Ita enim eximiæ illæ *Gloſſæ*, *Loramentum*, Ἱμάντωσις, οἰκοδομῆς· lege Ἱμάντωσις οἰκοδομῆς. Aliter στιγάνωμα *Græce* dixeris. *Heſychius*, Στιγανώματα, τὰ ἐν τοῖς τείχεσιν, οἱ λεγόμενοι σύνδεσμοι. Jam ſi alii conſulantur, כפיס à *Chaldæo* redditur שפא מגו מרישא, *fruſtum è medio trabis*: à *Syro* ܣܟܐ ܡܢ ܩܝܣܐ, *clavus à ligno*: ab *Arabe* الوتد من الشجرة *paxillus ex arbore*. At *Selomoni* כפיס eſt קסם *feſtuca*. Aben Ezræ המקום הקשה בעצי הקורות והוא הקרי קשר בלשון לעז *Locus durus in lignis trabium, qui vulgo nodus vocatur.* Pomario *laquearium*. Kimchio denique מהלך קיר הבתים, *ambulacrum contignatum in ædibus.* Qui quidem interpretes ità inter ſe diverſi ſunt, ut in eo conveniant, aliquam ædificii partem, aut particulam ſaltem, verbo כפיס *chaphis*, ſignificari.

At jam alii ſequentur, quibus כפיס eſt animal, *ſcarabæus* nempe, vel *vermis*. In his *Græci Seniores*, λίθος ἐκ τοίχου βοήσεται, καὶ κάνθαρος ἐκ ξύλου φθέγξεται αὐτά· *Lapis ex pariete clamabit, & ſcarabæus è ligno loquetur ea.* Pro quibus in *Hieronymo* editio prior ἀνώνυμος, ὡς σκώληξ *quaſi vermis in ligno loquens.* Et poſterior, σκώληξ *vermis de ligno loquetur ea.* Itaque κάνθαρον *ſcarabæum*, aut σκώληκα *vermem* hic agnoſcunt multi veterum, & variè interpretantur. *Theodoretus* de lapide & ſcarabæo hæc dici ſtatuit ὑπερβολικῶς, quomodo *Chriſtus* ad *Judæos* de pueris dixit, *Si hi tacuerint, lapides clamabunt*, Luc. 19. v. 40. *Hieronymus ſcarabæi* nomine *magiſtros quosque perverſos* intelligit, *qui turpis lucri gratiâ aſſumentes prædicationem crucis, loquuntur ex utero.*

Deus

Deus enim eorum venter eſt, & omnia ciborum cauſâ faciunt, qui rediguntur in ſtercus, quia ſcarabæus vermis eſt ſtercoris. Apud eundem alius *hæreticos* ſignificari putat, *quia dogmata habent ſtercori comparanda. Unde & Apoſtolus doctrina veteris errorem dicit ſe reputâſſe σκύβαλα, id eſt, ſtercora*, Phil. 3. v. 8. Ibidem etiam alius, per *lapidem, qui de pariete clamavit, Dominum Salvatorem* intelligit, & per *ſcarabæum de ligno loquentem, latronem qui Dominum blaſphemavit.* Denique, ut ab eodem additur, *ſunt nonnulli, qui putent cantharum de ligno loquentem ad Salvatoris perſonam referri poſſe. Quod impium eſſe*, inquit, *ex ordine ipſo ſermonis apparet. Cantharus enim de ligno loquetur ea, non intelligitur in bonam, ſed in malam partem.* Tamen ità accepit vir piiſſimus, idemq; maximi nominis, *Ambroſius* nimirum, cujus hæc verba ſunt in oratione *De obitu* Theodoſii: *Adoravit* (Helena) *illum, qui pependit in ligno*, &c. *illum, inquam, qui ſicut ſcarabæus clamavit, ut perſecutoribus ſuis peccata condonaret.* Et in *Lucam* cap. 23. *Vermis in cruce* (erat Dominus *Jeſus*) *ſcarabæus in cruce. Et bonus vermis, qui hæſit in ligno. Bonus ſcarabæus, qui clamavit è ligno. Quid clamavit? Sequitur, Pater, dimitte illis. Clamavit quaſi ſcarabæus, Deus, Deus in me, reſpice in me, quare me dereliquiſti? Et bonus ſcarabæus, qui lutum corporis noſtri ante informe atque pigrum virtutum verſabat veſtigiis. Bonus ſcarabæus, qui de ſtercore erigit pauperem*, &c. Tale eſt, quod *Pierius* & *Aldrovandus*, tanquam ex *Auguſtino* citant, nondum tamen à me repertum: *Bonus ille ſcarabæus meus, non ea tantùm de cauſa, quod unigenitus, quod ipſemet ſui auctor, mortalium ſpeciem induerit, ſed quod in hac fæce noſtra ſe volutârit, & ex ipſa naſci voluerit.* Et quod in *Hieronymo* quidam *vermem in ligno loquentem illum eſſe ajunt, qui dicit in* Pſalmo "*Ego autem ſum vermis, &* "*non homo.* Sed *Cyrillus*, ne cogatur ad tam aliena delabi, ſuſpicatur ibi κάνθαρον *Senioribus Scarabæum* non eſſe, ſed id ipſum, quod reliquis interpretibus ἐνδέσμον ξύλου. Nempe, inquit, τάχα που τὰς τῶν οἰκιῶν μήτρας, καὶ τὴν ἐν αὐταῖς ἀναπλοκὴν τῶν ξύλων, ἤτοι σύνδεσμον κανθάρους ὠνόμαζον κατ' ἐκεῖνο καιροῦ, διὰ τὸ δεῖν πολλοῖς ἀντέχειν ποσὶ τὴν ἐπικειμένην αὐτοῖς ὀροφήν, *illi ætate fortaſſe adeum cinctus, & lignorum in iis connexionem, aut colligationem*, cantharos *appellabant, eo quod impoſitum ipſis tectum multis quaſi pedibus ſuſtinerent.* Cui ſententiæ ſubſcribit *Theophylactus.* Res tamen eſt ſine exemplo, ut κάνθαρος ità ſumatur. Itaque veriſſimilior fuiſſet hæc conjectura, ſi κανθὸς ſcribi voluiſſent pro recepto κάνθαρος, quia κανθὸς, *canthus*, eſt *ferreum ligni vinculum.* Quamvis neque hoc ſatisfaciat. Quia κανθὸς non dicitur ligni vinculum quodvis, ſed *ferreus ille circulus, quo rota vinciuntur.* Ἐπίσωτρον alii vocant. *Ovidius* in curru *Solis curvaturam rotæ.* Vide *Perſium Satyrâ* quintâ, *Suidam*, *Euſtathium*, *Etymologicum magnum*, *Hieronymum* in *Ezechielem* libro tertio, *Vulgatum* interpretem 3. Reg. 7. v. 33. &c.

Nunc docere conabimur quid reſpexerint ſinguli interpretes voces כפיס. *Aquila* μάζαν videtur explicâſſe, quaſi כפיס ſit idem, quod *Græcum* κόνις. Nam κόνις *Heſychio* eſt μάζα. Alii *lignorum* σύνδεσμον, aut *fruſtum trabis*, aut *clavum*, aut *ſubſcudem*, aut *paxillum*, aut *feſtucam*, aut *ligni nodum*, aut *ambulacrum contignatum*, aut *laqueare* reddiderunt; quia ex *Propheta* verbis כפיס, *chaphis è ligno*, &c. collegerunt voce כפיס aliquid ſignificari, quod ligneum, aut in ligno ſit. *Seniores* maluerunt κάνθαρον ſeu *ſcarabæum* interpretari; quia כפיס *chaphis*, alludit ad חפושית *chaphuſith*, vel *chippuſith.* Sic *Hebræi ſcarabæum* vocant, ut *Chaldæi* חפושתא *chippuſtha*; & *Arabes* cum Epentheſi خنفسا *chunphaſa.* Legitur in *Talmudico* Tractatu *Cholin*. cap. 3. fol. 67. b. כל ההולך לרבות את החפושית ואת הדומה להחפושית, *Omne animal multipes, ſcarabæum puta, & ſcarabæo ſimilia.* Et in Tractatu *De Idololatria* cap. 2. fol. 28. b. תרבא דחפושתא גלבניתא, *Adeps ſcarabæi magni.* Utroque loco *Gloſſator R. Selomo* explicat *Gallicâ* voce איסקרבוט *eſcarbot*, Baal Aruch *Hiſpanicâ* סקרווי *ſcarvajo*, Pomarius *Italica* סקארבוני *ſcarabone. Scarabæus* ità dicitur ab *Hebræo* Verbo חפש *chaphas*, quod *ſcrutari* eſt; quia ſcrutatur ſtercora. Proinde *Gallorum* vulgus σκατώρυχον, ſeu *ſtercoris ſcrutatorem* appellat. Pro *ſcarabæo* σκώληκα *vermem* habuerunt duæ verſiones ἀνώνυμοι, ut intelligatur teredo, vermis ſpecies in ligno naſcens. Quia non videbatur convenire, ut ſcarabæus, qui vix alibi quam in ſtercore degit, *è ligno clamare* diceretur.

Ex his conſtat veteres vocem כפיס *chaphis*, nonniſi ex conjectura interpretari. Quod nihil neceſſe fuit, cum ea notione a *Talmudicis* uſurpetur, quæ poteſt hic habere locum. Iis nimirum כפיס idem eſt, quod אריח, *later longus ſeſquipalmo*, ut לבנה, *later trium palmorum.* Ita definiunt Talmudici *in Bava Metſia* cap. 10. fol. 117. b. & in *Bava Bathra* cap. 1. fol. 3. a. Nempe lateres per palmos olim dimetiebantur. Et laterem didoron, tridoron, tetradoron, ac pentadoron, a duobus, tribus, quatuor, & quinque palmis nominant (b) *Plinius*, & (c) *Vitruvius.* Sed & *beſſalis later*, vel *beſſale* ſimpliciter, dictus eſt later δίδωρος, quia menſuram habet beſſis, id eſt, duos pedis trientes. Pes enim eſt trium palmorum. Ac proinde βήσαλον à *Græcis* recentioribus primo pro *beſſali latere*, deinde etiam pro quovis latere eſt uſurpatum. *Tzetzes* Chil. 9. Hiſt. 275.

(b) *Plin lib* 35. *cap.* 14.
(c) *Vitruv. lib.* 2. *cap.* 3.

> Ὀπτὴν δὲ πλίνθον γίνωσκε τὴν βήσαλον καλοῦμεν·
> Τοῦ Βαβυλῶνος κτίσμα γὰρ ὑπῆρχεν ἐκ βησάλου·

Coctum autem laterem ſcito, quem beſalon *vocamus: Babylonis enim extructio fuit è beſalo.* Ità כפיס propriè *later ſeſqui-palmi*, à *Propheta* ſumi videtur pro quovis latere. Et ejus verba ſic reddiderim, *Lapis ex pariete clamat, & later ex ligno reſpondet ei.* Agitur de pariete, in quo lapides & lateres inter ligneas trabes inſerti ſunt, quales hodie multos videmus. In tali pariete lateres ex ligno reſpondent, id eſt, ex medio tabulato, in quo inter trabes ſunt diſpoſiti. Nihil opus eſt divinare, neque novam voci כפיס ſignificationem affingere, cum hæc conveniat ſatis. Accedit, quod cum in priore hemiſtichio *lapis clamare* dicatur, *laterem huic reſpondere* rectius dixeris, quam lignorum compagem, aut fruſtum trabis, aut ſubſcudem, aut paxillum, *&c.* quia inter lapides & lateres major eſt analogia. Quid enim aliud eſt later, quam gleba terræ in lapidis duritiem excocta, quæque proinde in ædificio lapidis vice fungitur? Unde illud Sacri Scriptoris *Gen.* 11. *v.* 3. *Et fuerunt illis lateres pro lapidibus.*

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

De Tinea.

Tinea à φθίνειν. *Initiale φ ante Conſonam perire, & θ in τ ſæpe mutari.* Βρῶσις Matth. 6. v. 19. *non eſt* eroſio, *ſed* tinea. Σὴς tinea, *Hebrais* סס *ſas* Eſ. 51. v. 8. *Chaldeis* סוסא ſaſa, *Arabibus* سوس ſus, *unde dicta: item* עש as, *Hebrais* tinea, *Chaldais* עשא aſſa, *Arabibus* عثة otthſa, *unde.*

Blatta & tinea quid differant. Blatta purpura, & purpura qua pars. Tinea proprium, laneas & lineas veſtes conſumere. Ἱμάτια σητόβρωτα, Job. 13. & Jac. 5. *Quid ſit* conteri coram tinea *Job. 4. v. 19. An cum tinea conferatur Deus*, Pſ. 39. v. 12. & *Oſ. 5. v. 12. Quomodo tinea theſauros corrumpat*, Matth. 6. & Luc. 12. *Veſtes olim in theſauris. Tinea domus*, Job. 27, 18 *non* Arcturi, *ut vult vir doctus. De tineis loca quatuor in* Græca *verſione, quæ* Hebræi *non agnoſcunt. In primo & ultimo male lectum.* In ſecundo רקב, *id eſt*, caries (*oſſium*) *pro tinea ſumptum; ut &* Sirach. 19. v. 3. *Tertius* Prov. 23. v. 20. *in* Hebræo *prorſus deeſt, quamvis illum habeant* Romanus, Chaldæus, Syrus, & Arabs *interpres. In* Chaldæo *multa errata, quæ corriguntur.*

TIneam à *tenacitate* dici volunt *Iſidorus* & alii. Nos potius ἀπὸ τοῦ φθίνειν. Initiale φ periit, ut in θεῦθ pro φθεῦθ, & in θειροφάγοι pro φθειροφάγοι: & θ mutatum in τ, ut paſſim. Ità ex λάθω fit *lateo*, ex ποθῶ *opto*, ex θεῶ *tueor*, *intueor*, ex θυμοῦμαι *tumeo*, ex θύος *tus*, ex θάλλος *talla*, & *veſtis* ex ἐσθὴς, & tongue vel tonghe *Anglicum* & *Belgicum* ex *Græco* φθόγγος.

Matth 6 v. 19. σὴς καὶ βρῶσις ſunt ferè ſynonyma. Neque enim ibi βρῶσις eſt *eroſio*, ſed *tineæ* ſpecies: & falluntur, qui putant rem eſſe ſine exemplo, ut *tinea* dicatur βρῶσις. Nam *Eſ.* 50. *v.* 9. *Hebræum* עש *Senioribus*, & *Theodotioni* σὴς, & *Aquilæ* fuit ἡ βρῶσις. Ita teſtatur *Procopius* in *Eſaiam*. Et *Baruch.* 6 *v.* 11. de Gentium Diis dicitur, οὗτοι δὲ οὐ διασώζονται ἀπὸ ἰοῦ, καὶ βρωμάτων· *Hi autem non liberantur ab erugine, & tineis.* Itaque βρῶσις, ſeu βρῶμα eſt *tinea*.

Sed *tineæ* vulgatum nomen eſt σὴς, de cujus origine *Grammatici* fruſtrà diſputant, cum fiat ab *Hebræo* סס *ſas*. Extat id *Eſ.* 51. v. 8. וכצמר יאכלם סס *Et ut lanam comedet eos ſas*, ſeu *tinea*. A *Chaldæis*, & *Syris* ſcribitur ܣܣܐ *ſaſa*, & ab *Arabibus* سوس *ſus*. Et iiſdem ساس *ſaſa* Verbum *lanam tineis*, *cibum vermibus*, *frumentum curculionibus*, & *ovem pediculis ſcatere* ſignificat.

Hebræum aliud *tineæ* nomen עש *as*, in ſcriptis *Propheticis* ſæpe occurrit. Exempla vide *Job.* 4. *v.* 19. & 13. *v.* 28. & 27. *v.* 18. *Pſ.* 39. *v.* 12. & 50. *v.* 9. *Eſ.* 51. *v.* 8. *Oſ.* 5. *v.* 12. Idem *Chaldaicè* eſt עשא *aſſa*, & *Arabicè* عثة *otthſa*. Ut Verbum عث *atthſa* uſurpatur de tinea, quæ lanam rodit. Neque dubium, quin *Hebraicè* עשש idem ſignificaverit. Quamvis *Pſ.* 6. *v.* 8. & 31. *v.* 11. Metaphoricè uſurpatur de oculis, & oſſibus, qui præ dolore contabeſcunt, quaſi à tinea conſumerentur.

Multi blattas & tineas pro ſynonymis habent, quia in *Poetis* ſæpe junguntur. *Horatius* libri ſecundi *Satyrâ* tertiâ,

> ——— *Cui ſtragula veſtis,*
> *Blattarum ac tinearum epulæ, putreſcat in arca.*

Martialis libri ſexti *Epigrammate* ſexageſimo,

> *Quam multi tineas paſcunt, blattaſque diſerti.*

Et libri decimi quarti *Epigrammate* trigeſimo ſeptimo,

> *Conſtrictos niſi das mihi libellos,*
> *Admittam tineas, truceſque blattas.*

Sed *blattas* inter ſcarabæorum genera reponere videtur *Plinius* libri undecimi capite vigeſimo octavo: & eaſdem deſcribit libri vigeſimi noni capite quinto, quomodo τὰς σίλφας *Dioſcorides* libro ſecundo, quæ *Arabibus* ſunt بنات وردان *benath vvardan*. *Damir* porrò dicit الصرصور id eſt, *gryllum*, eſſe in ſpeciebus بنات وردان. Quæ ſunt prorſus ἀσύστατα. Itaq; amplius diſquirendum. Quid, quod apud ſequentis ævi ſcriptores *blatta* planè aliud eſt, *purpura* ſcilicet, aut *purpuræ* genus? Sic *Eutropius* in *Nerone* ſcribit eum *piſcatum eſſe retibus aureis, quæ funibus blatteis extrahebat*: pro eo, quod *Suetonius*; *Piſcatus eſt reti aureo, purpurâ coccoque funibus nexis*. Et *Lampridius* de *Heliogabalo*, *Paraverat funes blatta & ſerico & cocco intortos, quibus, ſi neceſſe eſſet, laqueo vitam finiret*. Et *Vopiſcus* de *Aureliano*, *conceſſit ut blatteas matronæ tunicas haberent*. *Sidonius* libri noni Epiſtolâ decima tertiâ *Tonantio*,

> *Rutilaſque ferre blattas,*
> *Recoquente quas aheno*
> Meliboea *fucat unda.*

Et Epiſtola decimâ ſextâ *Firmino*,

> *Blattifer vel quam tribuit Senatus:*

id eſt, *Senatorum* ordo purpuratus. Et *Carmine* quinto,

> Pontus *Caſtorea*, *blattam* Tyrus, *æra* Corinthus.

Et *Theodoricus* Rex *Theoni* apud *Caſſiodorum* libri primi Epiſtolâ undecimâ, *Cum blatta, quam noſtro cubiculo dare annis ſingulis conſueviſti, venire feſtina. Cum blatta*, id eſt, *cum purpura*, ut totam Epiſtolam legenti conſtabit. Proinde *blattela* (lege *blattea*) *Gloſſario* eſt θρέμμα αἵματος τῶν κογχυλίων, *gramus ſanguinis conchyliorum*. Et *Actuario* βλάττιον Βυζάντιον eſt ὀξὺ τῆς ῥινὸς τῆς πορφυρᾶς, *os naris purpuræ*. Et *tunicam blatteam* pro *purpurea Gregorius Turonenſis*, ut βλάττιον pro *purpura Nicetas*, *Cedrenus*, & *Codinus* non uno in loco uſurpant. Unde compoſitas voces ὀξυβλάττιον, *ſerico-blattum*, & *blatto-ſericum*, ex idoneis ſcriptoribus proferremus, ſi tanti eſſet.

Sed, ad tineam ut redeamus, nihil in ea tam proprium eſt, quàm quod præcipuè lanam, & laneas veſtes, conſumit. Hinc *Philoſophus Hiſtoriæ* libri quinti capite trigeſimo ſecundo quædam animalia gigni narrat ἐν ἐρίοις, καὶ ὅσα ἐξ ἐρίων, οἷον οἱ σῆτες, οἳ ἐμφύονται μᾶλλον, ὅταν κονιορτώδη ᾖ τὰ ἔρια, *in lanis, & iis, quæ ex lanis conſtant, ut tineæ, quæ tunc maximè oriuntur, cum lanæ ſunt pulverulentæ*. Et de iiſdem paulò pòſt, Γίνεται δὲ ἐν χιτῶνι ὁ σκώληξ οὗτος· *Naſcitur etiam in tunicis ille vermis*. Ut de polio *Theophraſtus Hiſtoriæ* libri primi capite decimo ſexto, Τοῦτο δὲ καὶ πρὸς τοὺς σῆτας τοὺς ἐν τοῖς ἱματίοις ἀγαθόν· *Hoc etiam contra tineas, quæ ſunt in veſtibus, utile eſt*. Quibus *Menander* ità concinit,

> Καὶ πάντα τὰ λυμαινόμεν' ἔνεστιν ἔνδοθεν,
> Οἷον ὁ μὲν ἰὸς τὸν σίδηρον, ἂν σκοπῇς,
> Τὸ δ' ἱμάτιον οἱ σῆτες, ὁ δὲ θρὶψ ξύλον.

Et quæcunque corrumpunt intus ſunt, ut rubigo ferrum, ſi advertas, & veſtem tineæ, & teredo lignum. Et *Plinius* libri undecimi capite trigeſimo quinto, *Pulvis in lanis & veſte tineas creat.* Et *Iſidorus*, *Tinea vermis veſtimentorum, dicta quòd* TENEAT. *Arabes* quoque, ut *Avicenna* Tomi ſecundi paginâ 136.

136. الافسنتين يمنع الثياب عن التسوس *Abſinthium veſtes prohibet à tineæ generatione. Damir* denique, & *Alcamus*; السوس دود يوقع في الصوف *Tinea, vermis, qui in lanam incidit.* Proinde in Sacris Scriptoribus nihil tam frequens, quàm ab ea lanam & veſtes abſumi. Sic Job. 13. v. 28. *Ut veſtem comedet illum tinea.* Eſ. 50. 9. *Omnes illi ut pannus veteraſcent. Tinea conſumet eos.* Eſ. 51. v. 8. *Quaſi veſtem conſumet eos* עש *as*, *& tanquam lanam erodet eos* סס *ſas*, id eſt, *tinea*, quam *Hebræi*, ut docuimus, utraque voce nominant. *Sirach.* 42. v. 13. *De veſtimentis procedit tinea.* Hinc compoſita vox σητόβρωτος, *à tinea conſumptus*, eſt in veſtium Epithetis. Ut in *Græca* verſione *Job.* 13. v. 28. Ὁ παλαιοῦται, &c. ὥσπερ ἱμάτιον σητόβρωτον. Et *Jacob.* 5. v. 2. Ἱμάτια ὑμῶν σητόβρωτα γέγονεν. Sunt & alia de tinea loca minùs expreſſa, quæ tamen eodem reſpiciunt. Sic *Job.* 4. v. 19. de hominibus dicitur, qui habitant domos luteas, quorum fundamentum eſt in pulvere; *Contereat eos coram tinea.* Senſus eſt, fore, ut conterantur, & abſumantur, quomodo à tinea veſtes conteri atque abſumi ſolent. Et *Pſal.* 39. v. 12. *Cùm increpationibus pro peccato virum corripis, diſſolvis tanquam tinea deſiderabilia ejus.* Vult occultâ Dei maledictione reprobos ipſos tabeſcere, & quidquid illis chariſſimum eſt ſenſim diſſolvi, & conſumi, quomodo tinea cæco morſu abſumit pretioſiſſima quæque veſtimenta. Quo ipſo ſenſu dicit *Oſ.* 5. v. 12. *Ero ut tinea Ephraimitis.* Neque timendum eſt, ne vileſcat Dei majeſtas, cùm à *Prophetis* confertur cum tam vili animalculo. Nam, ſi propriè loqui velimus, non confertur Deus cum tinea: ſed lenta Dei judicia cum vitio, quod à tinea veſti accidit. Senſim enim id inoleſcit, ità ut quod priùs ſolidum atque integrum videbatur, tandem tacito morſu conficiatur, atque exedatur.

Petes quorſum theſauros *Chriſtus* in terra congeri vetet, ubi tinea corrumpit, *Matth.* 6. v. 19. 20. & *Luc.* 12. v. 33. cùm in lapides, & pretioſa metalla, ex quibus potiſſimùm theſauri conſtant, tinea nihil poſſit? Reſpondeo non ſolùm gemmas, & aurum, vel argentum, ſed veſtes quoque à veteribus in theſauris fuiſſe repoſitas. Hinc *Eſdr.* 2. v. 69. *Dederunt, in theſaurum operis, auri drachmarum unum & ſexaginta millia, & argenti minarum quinque millia, & Sacerdotales tunicas centum.* Et *Nehem.* 7. v. 70. Atthirſata *dedit in theſaurum auri mille drachmas, crateras quinquaginta, tunicas Sacerdotales quingentas triginta.* Et *Job.* 27. v. 16. *Si* (in theſaurum) *congeſſeris argentum ut pulverem, & ut lutum comparaveris veſtem.* Proinde apud *Poetam Æneidos* libro nono deſcribitur *Meſſapus.*

—— *dives pictaï veſtis & auri.*

Et, *Suſis* captis, *Alexander* in Regiis theſauris reperit πορφύρας Ἑρμιονικῆς τάλαντα πεντακισχίλια, συγκειμένης ἐξ ἐτῶν δέκα διόντων διακοσίων, *purpuræ Hermionicæ, talenta quinque millia, quæ annos decem minùs ducentis ibi repoſita fuerat.* Ità habetur in *Plutarcho.*

Tineæ domus eſt foramen, quod in veſte aut panno confecit. Quæ domus eſt parùm firma, cùm atteratur in dies illâ ipsâ tineæ tabe, quâ primò conſtructa fuerat, donec pannus ipſe, in quo domus eſt, in nihilum abeat. Rectè igitur *Jobus* de impio, cujus labores ſunt vani, & irriti, capitis vigeſimi ſeptimi verſu decimo octavo, *Ædificat ut tinea domum ſuam, & ut tugurium, quod fecit* pomorum *cuſtos.* Quod opus eſt αὐτοκάβδαλον, quia, pomis collectis, diruitur, aut negligitur. Fatendum interim vocem עש *as*, quæ alibi *tineam* ſonat, pro *Arcturo* ſumi *Job.* 9. v. 9. Quod ſequutus vir doctiſſimus verba *Jobi*, quæ diximus, ità interpretatur; *Utut ædificaverit quaſi* Arcturi *domum ſuam, erit velut tugurium, quod fecit cuſtos.* Ac ſi *Job* velit impios ædes ſplendidas & magnificas ſibi extruere, quæque tanquam in cœlo ſint, inſtar *Arcturi* domus: ſed tamen parùm durent, & ſtatim deſtruantur, velut ὀπωροφυλάκιον. Verùm enimverò hæc verſio à mente Sacri Scriptoris prorſus eſt aliena. Sic enim opponuntur duo hemiſtichia, quæ *Job* conjunxit. Et ejuſdem rei duæ ſimilitudines ſic divelluntur, quaſi ad diverſa referantur.

Præter loca, quæ citavimus, quatuor alia de tineis in *Græca* verſione occurrunt, ſed *Hebræis* reclamantibus. Illa tamen hic obiter indicare non pigebit. Primus locus eſt in *Jobo*, in fine capitis trigeſimi ſecundi, ubi *Hebræus* textus, ישאני עשני, *Tollet me, qui fecit me*, *Græci* autem Ἐμὲ σῆτες ἔδονται, quaſi legerint ישאוני עשש. Secundus eſt *Prov* 14. v. 30. ubi *Hebræa* ורקב עצמות קנאה, *Et caries oſſium, invidia.* Sed *Græca*, Σὴς δ᾽ ὀστέων. καρδία αἰσθητική. *Tinea autem oſſium, cor ſenſitivum*: vix ullo ſenſu, niſi legatur καρδία ζηλωτική, *cor invidum.* Quod mutatum putaverim in καρδία αἰσθητική. quia ejuſdem capitis verſu decimo pro *Hebræis* לב יודע, legitur καρδία αἰσθητική. Utut ſit, cauſæ non defuerunt, cur רקב *racab*, quod propriè *cariem* & *putredinem* ſonat, *tineam* reddiderint. Videntur enim רקב & עש pro ſynonymis poni *Job.* 13. v. 28. & *Oſ.* 5. v. 12. Et in *Chaldæis* Paraphraſibus voces ejuſdem Originis רוקבא *rukba*, & רקבוביתא *rakbubitha*, pro *tinea* uſurpantur *Eſa.* 51. v. 8. & *Job.* 27. v. 18. Itaque, ſi oſſa tineæ morſibus eſſent obnoxia, non diſpliceret, quòd *Hebræa* רקב עצמות *Græcè* redduntur σὴς ὀστέων. Similis, ut conjectamus, locus *Sirachidis* de mœcho capitis decimi noni verſu tertio, Σῆτες καὶ σκώληκες κληρονομήσουσιν αὐτόν· *Tinea & vermes hæredes ejus erunt*: id eſt, cadaver ejus depaſcentur. *Tineas* enim *Græcus* interpres poſuiſſe videtur pro *Hebræo* רקב, quod propriè *cariem* & *putredinem* ſonat. Rectè igitur hic *Hieronymus*, *Putredo & vermes hæreditabunt illum.* Quia cadaver non eſt tineis obnoxium, ſed vermibus, & putredini. Tertii loci *Prov.* 25. v. 20. Ὥσπερ σὴς ἐν ἱματίῳ, καὶ σκώληξ ἐν ξύλῳ, οὕτως λύπη ἀνδρὸς βλάπτει καρδίαν, *Ut tinea in veſte, & vermis in ligno, ità triſtitia viri lædit cor*, in *Hebræo* textu neque vola, neque veſtigium eſt. Tamen olim fuiſſe lectum, ex eo fit veriſſimile, quòd præter *Origenem*, qui citat in *Matthæi* caput decimum tertium, eum penè totidem verbis exhibent veteres interpretes, quotquot ſunt, *Romanus*, *Chaldæus*, *Syrus*, & *Arabs.* Niſi quòd in *Chaldæam* Paraphraſin menda quædam irrepſerunt ex *Syra* corrigenda. In hac enim ita habetur, ܐܝܟ ܣܣܐ ܠܠܒܘܫܐ ܘܐܝܟ ܫܘܫܬܐ ܠܩܝܣܐ ܗܟܢܐ ܟܪܝܘܬܐ ܡܚܒܠܐ ܠܒܗ ܕܓܒܪܐ *Ut tinea veſtem, & ut caries ligna, ita mœror lædit cor viri.* Sed in *Chaldæa* legitur כסמא *ſama*, *argentum*, pro סםא *ſaſa*, *tinea* & מלטיתא *maltitha*, vox nihili pro בלטיתא *baltitha*, id eſt, *caries*; & מחרא *mechara* per *Cheth*, pro מהרא *mehara*, per *He*, *lædit*, à Radice הרר, quæ *lædere*, *nocere*, & *moleſtum eſſe* ſignificat. Penè me fugerant *Hieronymus* & *Auguſtinus*: quorum hic eundem locum citat *De civitate Dei* libri vigeſimi primi capite nono; ille in *Commentariis in Eſaiam* penè in fine, ſed tanquam obelo notatum. *In Proverbiis*, inquit, *Tinea oſſium, cor intelligens: & iterum ſub obelo*, “*Sicut* “*tinea veſtimentum, & vermis lignum, ſic mœror ex-* “*cruciat cor viri.* Obelis nempe, ſeu virgulis, notaverat *Origenes* quæ ex ſuperfluo videbantur addita, ut teſtatur idem *Hieronymus* Præfatione in *Pentateuchum* & *Paralipomena.* Itaque utut extet hic locus in vete-

rum

rum verſionibus, obelo tamen illum confodit *Origenes*, quia in *Hebræo* non reperit. Quartus locus eſt *Mich.* 7. *v.* 4. Τὰ ἀγαθὰ αὐτῶν ὡς σὴς ἐκτρώγων. *Bona eorum ut tinea exedens*, pro *Hebræis* טובם כחדק, *Optimus eorum ut ſpina eſt*. An pro כחדק legerunt כרקב, *ſicut caries*, vel, ut alibi reddunt, *ſicut tinea?*

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

Varia Vermis nomina, & de Vermibus in homine vivo & mortuo.

Vermis *nec à vertendo, nec à verrendo, nec à vere, ut volunt: ſed ex Græco* ἕλμινς *præfixo digamma Æolico. Et* ἕλμινς *quaſi* εἵλμινς ἀπὸ τοῦ εἱλεῖσθαι. Σκώληξ *ut* σκόλιος, ἀπὸ τοῦ σκέλλειν. *Hebræum* רמה rimma, *&* תולע thola: *quorum prius Arabibus eſt* tinea. *In poſteriore* ת *eſt Servile, & Radix eſt* לוע vorare. *Multæ voces, in quibus* Thau *Servile ſpeciem habet Radicalis. Vermes etiam in vivo homine*, Job. 7. v. 5. Herodes Agrippa σκωληκόβρωτος. *Idem de* Antiocho 2. Macchab. 9. v. 9 *Et in Hiſtoria de* Pheretima, Caſſandro, Herode Aſcalonita, Alexandro *impoſtore apud* Lucianum, Galerio Maximiano, Juliano Juliani *Apoſtatæ patruo*, Neſtorio, *&* Dodone. *Vermes mortuo ſubſternuntur*, Eſ. 14. *Gloria hominis* εἰς κοπρίας, καὶ σκώληκας, *potius* εἰς σαπρίαν, 1. Macchab. 2. *Cadaveris hereditas vermes, & contra, vermium hæreditas cadaver*, Eccleſ. 10. v. 13. *&* 19. v 9 *Vermis* Jobi *mater & ſoror*, Job. 17. *Sors omnibus communis*, Job. 21. מתקו רמה, exſugit eum vermis, *Job.* 24. *v.* 20. *Malè alit*, dulcis eſt ei vermis.

Lumbricus Græcè eſt ἕλμινς, apud *Ariſtotelem, Hippocratem, Dioſcoridem, Galenum, Alexandrum Aphrodiſæum*, atque alios optimæ notæ ſcriptores. Inde Romanum *vermis*, R & L permutatis, & præfixo *digamma Æolico*. Quomodo *Velia, vomo, Veſta, veſtis, veſperus*, facta ex Græcis Ἐλέα, ἐμῶ, Ἑστία, ἐσθὴς, ἑσπέρος. Valeant igitur *Grammaticuli*, qui *vermem à vertendo*, vel *à verrendo* dici volunt, vel *à verno tempore*, quo potiſſimùm è terra exeat. Sed ἕλμινς, quaſi εἵλμινς, ἀπὸ τοῦ εἱλεῖσθαι non incommodè deducatur, quia *variè torquetur & convolvitur*. Porrò ut ἕλμινς *lumbricum*, ità σκώληξ *vermem* in genere ſonat; quod Nomen, per multas ambages, tandem deflectit ἀπὸ τοῦ σκέλλειν *magnus Etymologus*. Neque fortaſſe id malè. Inde enim eſt σκελετὸν, quale tandem ſit *cadaver*, quod vermes depaſcuntur.

Vermis Hebraicè dicitur רמה *rimma*, & תולע *thola*, vel תולעה *tholea*, & תולעת *tholaath*. Prioris exempla habes *Exod.* 16. *v.* 24. *Eſa.* 14. *v.* 11. & multoties in *Jobo*. Poſterioris *Exod.* 16. *v.* 20. *Deut.* 28. *v.* 39. *Job.* 25 *v.* 6. *Pſal.* 22. *v.* 7. *Jon.* 4. *v.* 7. Et in aliquot *Eſaiæ* locis. רמה *rimma*, ut *Hebraicè vermem*, ſic *Arabicè* الارضة *tineam* ſonat, & بالية العظام *cariem oſſium*: ut رم *ramma* Verbum de oſſe *putreſcere* eſt & *carioſum fieri*. Ità habet *Alcamus*. At *Hebraicum* רמם *ramam*, eſt σκωληκιᾶν *verminare*: ut cum de Manna dicitur *Exod.* 16. *v.* 20. וירם תולעים *Et verminavit*, (ſeu *produxit*) *vermes*. In altero *vermis* nomine תולע *thola*, creditum eſt hactenus *Thau* eſſe Radicale: ego Servile eſſe putaverim, & fieri à Radice לוע, quomodo à Radice רוק, vel רק, Nomen תורק *Cant.* 1. *v.* 3. Nempe לוע *vorare* eſt, & *deglutire*: unde Nomen תולע, *vermi* vel maximè convenit, qui ferè totus venter eſt, & miſerorum hominum viſcera aſſiduis morſibus lacerat, & depaſcitur. *Serenus Samonicus* capite trigeſimo primo,

> *Quid non adverſum miſeris mortalibus addit*
> *Natura, interno cùm viſcere tænia ſerpens*
> *Et lumbricus edax vivant inimica creanti?*
> *Quod genus aſſiduo laniat præcordia morſu.*

Si objeceris in מתלעים *Nahum.* 2. *v.* 3. *Thau* palàm eſſe Radicale, quod evinci videtur ex ipſa Verbi forma: Reſpondebo idem eſſe judicium de *Chaldæis*, aut *Talmudicis* verbis תבל, *miſcere*, תחל vel התחיל, *incipere*, נתכן, *aptari*, תכס, *fricare*, תלעב, *irridere*, תרם, *ſeparare*, אתפח, *intumeſcere*, unde תפיחה, *tumor*: in quibus tamen omnibus *Thau* Servile eſt, non Radicale. Nam תבל, eſt à בלל, תחל à חלל unde תחלה, *initium*; נתכן à כון. unde תכונה, *diſpoſitio*; תכס à כסס, vel כסכס; תלעב à לעב; תרם à רום, unde תרומה, *oblatio* & *ſeparatio*; אתפח & תפיחה à נפח. Quæ exempla apertè docent quandoque Servile *Thau* ſpeciem habere Radicalis.

Scriptura vermes deſcribit in homine, plantis, & cibis, item in ligno, ſi *Græcos*, & *Hieronymum* ſequimur. Hominem porrò hic intellige tam vivum, quàm mortuum. Quippe etiam in vivis hominibus vermes ebullire notum eſt. Proinde *Job* de ſe dicit capitis ſeptimi verſu quinto, *Induta eſt caro mea vermibus*: id eſt, Vermes me undequaque obſident, & veſtis inſtar ambiunt. Nempe ex maligno illo ulcere, quo, permittente Deo, eum afflixerat Diabolus, *Job.* 2. *v.* 7. vermes per totum corpus ebulliebant. Quod multis fuit lethiferum. Sic de *Antiocho Epiphane* jamjam morituro legitur 2. *Macchab.* 9. *v.* 9. ὥστε ἐκ τοῦ σώματος τοῦ δυσσεβοῦς σκώληκας ἀναζεῖν, καὶ ζῶντος ἐν ὀδύναις καὶ ἀλγηδόσι τὰς σάρκας αὐτοῦ διαπίπτειν. *Ita ut ex impii corpore vermes ebullirent, ejusque viventis carnes cum doloribus & angoribus deciderent.* Et *Actor.* 13. *v.* 23. *Herodes Agrippa* γενόμενος σκωληκόβρωτος ἐξέψυξεν, aut, ut habet diſertiùs *Bezæ* codex vetuſtiſſimus, γενόμενος σκωληκόβρωτος ἔτι ζῶν, οὕτως ἐξέψυξεν, *cùm adhuc vivus à vermibus eſſet eroſus, ita exſpiravit.* Ut in *Herode Aſcalonita à Joſepho* deſcribitur τοῦ αἰδοίου σῆψις σκώληκας ἐμποιοῦσα, *pudendi putrefactio vermes generans*, *Antiquitatum* libri decimi ſeptimi capite octavo. Et in *Herodoti Melpomene Pheretima* ζῶσα εὐλέων ἐξέζεσε, *vivens vermibus ebulliit*. In *Pauſania Bœoticis Caſſander Antipatri* filius ἐπλήσθη ὕδατος, καὶ ἀπ' αὐτοῦ ζῶντι ἐγίνοντο εὐλαί, *aquis inter cutem plenus obiit, & ex viventis etiamnum corpore eruperunt undique vermes*. In *Luciani Pſeudo-mante* impoſtor *Alexander* ἀπέθανεν, ὡς Ποδαλειρίου υἱὸς, διασαπεὶς τὸν πόδα, μέχρι τοῦ βουβῶνος, καὶ σκωλήκων ζέσας, *obiit ut Podalirii filius*, *pede ad inguen uſque putrefacto*, *& vermibus ebulliens*. Ut de *Galerio Maximiano* Imperatore tradit *Euſebius Hiſtoria* libri octavi capite decimo ſexto, ἀφ' ὧν (σπλάγχνων) ἀλεκτόν τι πλῆθος σκωλήκων βρύειν, θανατώδη τε ὀσμὴν ἀποπνεῖν. *Ex ejus viſceribus ſcaturiviſſe vermium vim infinitam, quæ lethalem odorem exhalaverit.* Et de *Diocletiano Eutychius Alexandrinus* pag. 406. وكان الدود يخرج من بدنه ويتساقط من لحمه الى الارض وسقط لسانه مع حنكه ومات *Ità verminavit corpus ejus, ut vermes ex ipſius carne in terram caderent: & lingua quoque cum faucibus decidit, & mortuus eſt.* Quibus non

non abſimilia hæc *Cedreni* de eodem, Τῆς γλώσσης αὐτοῦ σαπείσης μετὰ τοῦ φάρυγγος, καὶ πλῆθος σκωλήκων ἀναβρασάσης τὸ πνεῦμα ἀπέῤῥηξεν· *Cùm lingua ejus, cum iſ faucibus putrefacta, vermium copiam ebulliſſet, vitam abrupit.* Et *Sozomenus* libri quinti capite octavo, de *Juliano*, *Juliani* apoſtatæ patruo, cujus pudendum computruerat; Καταβρωθεισῶν τε αὐτῷ τῶν σαρκῶν εἰς σκώληκας μετέβαλον, καὶ τὸ πάθος ἐκράτει τῆς τῶν ἰατρῶν τέχνης· *Et ibi putrefactæ carnes in vermes mutatæ ſunt, & Medicorum artem vis morbi ſuperabat. Neſtorius* quoque, ſi *Evagrio* credimus libri primi capite ſeptimo, τὴν γλῶσσαν, σκώληξι διαβρωθείς, ἐπὶ τὰ μείζω τε καὶ ἀθάνατα κατ' αὐτοῦ δικαιωτήρια μετεχώρησε, *linguam à vermibus eroſus ad graviora & ſempiterna ſupplicia ipſi meritò infligenda migravit.* Quale quid ex *Surio* refert *Baronius* ad Annum 698. de *Dodone*, qui *Lambertum Tungrenſem* Epiſcopum interfecerat: Dodonis *viſcera omnia ſtatim computruêre, eaque mirè fœtentia per os rejecit, ac tandem, propter nimiam fœtoris intolerantiam, corpus ejus in* Moſam *projectum eſt, vermibus & tabe corruptum.* Alibi (*a*) probavimus non ſine magno errore hæc ad phthiriaſin referri. Hi vermes à *Talmudicis* vocantur קוקיאנין *kokjanin*, in Tractatu *Cholin*, & *Beracoth*, & *De Sabbatho*.

Etiam de iis vermibus, à quibus cadavera ſtatim à morte abſumuntur, ſæpe meminêre Sacri Scriptores, ut ferocientis hominis faſtum deprimant, qui tandem cedit in prædam tam vili animalculo. Sic de Rege *Babylonis* legitur *Eſa.* 14. *v.* 11. *Subſternetur tibi lumbricus, & vermis teoperiet.* Et *Mattathias* de *Antiocho* dicit 1. *Macchab.* 2. *v.* 62. *Verba viri peccatoris ne timeatis, gloria enim ejus in ſtercus & vermes abitura eſt. Græcè*, εἰς κοπρίαν, καὶ εἰς σκώληκας. Malim, εἰς σαπρίαν, *in putredinem, & vermes*; quia in *Græca* verſio ne hæc duo ſæpe junguntur: ut *Job.* 7. *v.* 5. ἐν σαπρίᾳ σκωλήκων, *in putredine vermium.* Et *Job.* 25. *v.* 6. Ἄνθρωπος σαπρία, καὶ υἱὸς ἀνθρώπου σκώληξ. *Homo eſt putredo, & filius hominis vermis. Siracides* quoque hominem in genere eidem fato ſubjicit, cum ſcribit *Eccleſ.* 10. *v.* 13. *Cùm morietur homo, in hæreditatem habebit reptilia, & beſtias, & vermes.* Et, inversâ ſententiâ, *Eccleſ.* 19. *v.* 3. *Tinea & vermes eum in hæreditatem habebunt.* Quia utrumque verum, & cadaver habere vermes, & ab iis haberi. Sed & *Job*, tanquam brevi moriturus, & omni vitæ iſtius cogitatione abdicatâ, capitis decimi ſeptimi verſu decimo quarto, *Foveæ dixi, Pater meus; & vermi, Mater & ſoror mea es. Matrem* vocat & *ſororem*, potiùs quàm *patrem* & *fratrem*; quia ibi vermis eſt רמה vox Fœminini generis. Et capitis vigeſimi primi verſu vigeſimo ſexto, ut doceat piis & impiis communem eſſe hanc ſortem, *Pariter, inquit, in pulvere jacent, & vermis obteget eos.* Quale eſt, quòd de impio ſcribit *Job.* 24. *v.* 20. מתקו רמה, *exſugit eum vermis*, per Generis Enallagen in hac lingua frequentem; Fœmininum enim eſt Nomen, & Verbum Maſculinum. Alii *dulcis ei eſt vermis*, ſenſu valde obſcuro, nec cum verbis ſatis congruo. Dicendum enim fuiſſet, מתק לו רמה. Ut *Job.* 21. *v.* 33. מתקו לו רגבי נחל, *Dulces ei fuerunt glebæ torrentis.* Itaque nobis hoc loco מתק eſt *exſugere*, quomodo *Syri* uſurpant. Unde eſt quòd *Arabs* hic habet امتصهم *exſugit eos.* Et *Jo. Baptiſta Ferrarius* in *Lexico Syriaco*, ܡܨܨ *ſuxit*, ܡܨܠܐ *ſuctus.*

CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.

De Vermibus in plantis, in ligno, & in cibis.

Vermes vitium, Deut. 28. v. 39. *Græcis* ἶπες, *vel* ἶκες. *Unde* Hercules *ἰποκτόνος*. Ἀπὸ τοῦ ἴπτειν, à lædendo. *Hic vermis Latinis* involvulus, convolvulus, volvox. *Vermis percuſſit* kikajon, *Jon.* 4. *v.* 7. *Ergo* kikajon *non* κολόκυνθα cucurbita. *Eam enim vermes non tangunt. Inde Proverbium*, Ὑγιέστερος κολοκύνθης. *Sed* kikajon *eſt* κρότων ricinus. *Proverbium* Κρότωνος ὑγιέστερος *nec de planta, nec de animali dicitur, ſed de* Crotone *urbe. In Scriptura toties* תולעת שני, vermis dibaphi *cocci. Nam ut purpura dibapha, ita & coccus. Cocci deſcriptio ex* Dioſcoride. *Ejus grana cur* cuſculia *dicta. In illis vermiculi, ex quorum ſanie coccineus color. Inde* κόκκος *Latinis* vermiculus, Græcè *etiam* σκωλήκιον, & σκώληξ. Emblemate vermiculatus. Pelles vermiculatæ, *id eſt*, coccineæ. *Arabibus* قرمز kermez *tam* vermis, *quàm* color, *qui recentioribus* carmeſinus. *De* kermez *multa*. Chaldæis *color* זהורי zehori, *à luce & ſplendore. Pro* He *Syri* Cheth, & Samaritani Ajin *hic habent. Æthiopicum* ΛΡ; laja *pro* Ægyptio ΚΑΛΑΑΙΑ. *Tria loca de verme ligni in* Græca *aut* Vulgata *verſione* Hebræis *ignota. Primus* 2. Reg. 23. v. 8. *in Vulgata* quaſi tenerrimus ligni vermiculus. *Nunquid potiùs*, quaſi tenerrimi l. v. *Ibi enim naſcitur. Hæc verſio unde ſit nata. Secundus in* Græca *Prov.* 12. *v.* 4. Sicut in ligno vermis, *Hebræis* ut caries in oſſibus, *Cauſa erroris. Tertius Prov.* 25. *v.* 20. Ut tinea in veſte, & vermis in ligno, &c. *Quæ* Hebræi *non habent, ſed omnes verſiones, & multi* Patrum. *Vermis ligni quatuor genera. In his thrips, à quo ligna eroſa pro ſigillo apud* Lacones. Ῥίμεξ & ἴψ ligni vermes, *unde* Heſiodo ἀϊπόβρωτα. Teredo *in mari, & navibus*, coſſus *vel* cuſus, *unde* Gusano Hiſpanis *pro ligni verme.* Tarmes *idem. Ejuſdem vermis tria nomina* Arabica. *Mannam cur in craſtinum ſervari prohibuerit Deus.* Iſraëlitarum *incredulitas. Cur Manna contra mandatum ſervata vermes produxerit. Id fuiſſe miraculoſum. In hac hiſtoria* רמה & תולע *promiſcuè ſumi, ut in* Jobo, & Eſaia. *Num.* 11 *v.* 20. *coturnices* לזרא, *id eſt*, in vermem *nonnullis; ſed id incertum. Conferuntur hujus vocis verſiones.* Samaritana & Onkelos *emendantur. Vera verſio aſſerta, & ex* Arabiſmo *probata.*

JAm de plantarum vermibus, in quibus qui rodit vites, *Deut.* 28. *v.* 39. *Vineas plantabis, & coles: ſed vinum non bibes, neque colliges; quia comedet illas vermis. Vermes vitibus infeſtos Græci* peculiari nomine vocant ἶπας, vel ἶκας, à Singulari ἴψ, vel ἴξ. *Theophraſtus* libri tertii *De cauſis* capite vigeſimo ſeptimo poſtquàm egit de vermibus, qui malis innaſcuntur; Παραπλήσιον δὲ τὸ συμβαῖνόν ἐστι καὶ τῇ ἀμπέλῳ· καὶ γὰρ ἐν ταύτῃ τοῖς νοτίοις οἱ ἶπες γίνονται. *Huic proximum, quod & vitibus evenit: in his enim* Auſtro *potiſſimùm ipes gignuntur.* Et infra, Ἐνιαχοῦ δὲ οὐ γίνονται τὸ ὅλον ἶπες ὅταν ὑπήνεμοί τι, καὶ ἄνυγρος, μηδ' εὔγεως ὁ τόπος ὑπάρχῃ. *Ipes alicubi prorſus non generantur. Nempe ubi lenes ſpirant venti, neque humidus, & pinguis locus eſt.* Hinc *Strabo* docet libro decimo tertio, Ἡρακλέα ἰποκτόνον, *Herculem Ipoctonum* ab iis *Erythræis* coli, qui *Mimantem* accolunt, ὅτι φθαρτικός τῶν ἀμπελοφάγων ἰπῶν

ἰπῶν, *quia ipes vitibus infeſtos perdit. Jonicè* κῶς pro πῶς, & κοτὲ pro ποτὲ dicitur: ita ἶκες pro ἶπες. Quomodo ſcripſit *Alcman. Ammonius* in libello *De ſimilibus*, &c. Ἶκες (λέγονται) τὰ διαδιόντα τοὺς ὀφθαλμοὺς τῶν ἀμπέλων. Ἀλκμὰν, Ποικίλον ἶκα, τῶν ὀφθαλμῶν ἀμπέλων ὀλετῆρα. Ikes *dicuntur animalcula, quæ oculos vitium comedunt.* Alcman, "*Varium* ikem, *vitis oculo*"*rum perditorem.* Proinde *Heſychius*, ἶξ, θηρίδιον τὸ ἀμπέλους ἐσθίον. Sed ἶψ eſt antiquius. Fit enim ἀπὸ τοῦ ἴπτειν, quod *lædere* & *nocere* eſt. *Latinè* hic vermis *involvolus* vocatur, & *convolvolus*, & *volvox*. Plautus *Ciſtellariæ* Actûs quarti Scenâ ſecundâ,

LA. *Imitatur nequàm beſtiam, & damnificam.*
PH. *Sed quamnam amabo?*
LA. *Involvolum, quæ in pampini folio intorta implicat ſeſe.*

Plinius libri decimi ſeptimi capite vigeſimo octavo, *Ne convolvolus fiat in vinea*, &c. Et paulò poſt, *Alii* volvocem *appellant, animal prærodens pubeſcentes uvas.* Sed *Feſtus*, *Plautum* ſequutus; *Involvolus, vermiculi genus, qui ſe involvit pampino.*

Aliud memoratur vermiculi genus *Jon.*4.*v.*7. qui percuſſit *kikajon*, ita ut exaruerit. Unde conjectura non levis *Hebræâ* voce קיקיון *kikajon*, non ſignificari κολόκυνθαν, *cucurbitam*, quomodo *Græci* verterant. *Græcum* enim *Proverbium* vetus ex *Epicharmo* citat *Athenæus* libro ſecundo, Ὑγιέστερος κολοκύνθας, *Cucurbitâ ſanior*: cujus ratio hæc eſſe dicitur, quòd cucurbita vermiculis nullo modo ſit obnoxia. Et verò jam nemo eſt, paulò humanior, qui non habeat compertiſſimum *kikajon* eſſe κρότωνα, ſeu *ricinum*, quem *Herodotus* σιλλικύπριον, id eſt, σιλλὶ κύπριον *Ægyptiis*, apud *Strabonem*, *Dioſcoridem*, & *Plinium*, κίκι *Talmudici* קיק *kik*; *Arabes* & *Pœni*, apud *Hieronymum*, & alios, الخروع *elcheroa*; officinæ *palmam Chriſti* nominant. At, inquies, tam κρότωνος, ſeu *ricini*, quàm cucurbitæ ſanitatem prædicârunt *Græci* veteres, quorum hoc eſt *Proverbium*, Κρότωνος ὑγιέστερος, *Ricino ſanior.* Citant *Suidas*, *Zenodotus*, *Apoſtolius*. Et eò alludit *Palladas* in *Epigrammate* de *Dizythis* libri primi *Anthologiæ* capite trigeſimo nono. Inde igitur colligere eſt tam ricinum, quàm cucurbitam vermibus eſſe inacceſſa. Reſponderi queat hoc *Proverbio* non agi de planta ricino, ſed de ricino animali: quæ *Suidæ* ſententia eſt. Is enim ricinum animal ideo ſanum aut integrum dici ſtatuit, quia eſt πάντοθεν ὅμοιον, καὶ μηδεμίαν ἔχει διαίρεσιν, ἀλλ' ἔστι λεῖον ὁμαλόν, *undiquâque ſibi ſimile, cum nullam habeat inciſuram, ſed ſit omnino planum.* Sed aliud habeo, quod regeram, nempe illud Adagium neque ad ricinum plantam, neque ad ricinum animal, ſed ad *Crotonem* urbem pertinere; quam fuiſſe ſaluberrimam vel ex eo probatur, quòd tot numero athletas, atque in his *Milonem* illum πολυθρύλλητον protulerit. Cùm ſcilicet *Myſcellus* & *Archias Delphos* ſe contuliſſent, oraculum conſulturi de loco condendæ urbis, ab *Apolline* rogati, utrum mallent

Πλοῦτον ἔχειν κτεάνων, ἢ τερπνοτάτην ὑγίειαν,
Divitiis pollere, locosve habitare ſalubres.

Salubritatem *Myſcellus*, & *Archias* divitias elegit. Proinde *Myſcello Croton*, & *Archiæ Syracuſa* condendæ obtigerunt. Quarum urbium illa ſaluberrima, ſed pauper: hæc ditiſſima fuit, ſed inſalubris. Hiſtoriam referunt *Strabo* libro ſexto, *Stephanus* in Συρακοῦσαι, *Suidas* verbo Ἀρχίας, & rurſus in Μύσκελλος, & *Ariſtophanis Scholiaſtes* in *Equitibus* ad verbum πλουθυγιείαν, quo *Comicus Athenis* tribuit *Syracuſarum* opes, & *Crotonis* ſalubritatem. Itaque nullus dubito, quin eo referendum ſit veterum Adagium, Κρότωνος ὑγιέστερος, quod malè redditur *Ricino ſanior*, cùm reddendum fuerit, *Crotone ſalubrior*.

Eſt & in plantarum vermibus *vermis cocci*, de quo *Moſes* minimùm triginta locis. Sic *Exod.*25. *v.*4. *Et hyacinthinum, & purpuram*, ותולעת שני, *& vermem cocci.* Pro quo, inverſis vocibus, legas שני תולעת, *coccum vermis*, Levit.14.v.4. & ſæpe alibi. Nec ſemper junguntur hæ voces. Nam שני pro *cocco* quandoque ſolum occurrit, ut *Gen.* 38. *v.* 28. 30. *Joſ.*2.*v.*18.21.&c. Et viciſſim תולע, id eſt, *vermis*, in nonnullis Scripturæ locis, per ſe *coccum* ſignificat, ſine additione vocis שני. Sic *Eſ.*1. *v.*18. *Si rubra fuerint* (peccata veſtra) כתולע, *ut vermis*, id eſt, *ut coccus.* Et *Thren.*4. *v.*5. האמנים עלי תולע, *qui nutriebantur in verme*, id eſt, in *coccino*, ſeu *coccineis veſtibus.* Hinc *Nahum.*2.*v.*3. *Bellatores* מתלעים, *vermiculati*, id eſt, *coccinati. Græci* reddunt ἐμπαίζοντας, *illudentes*; quaſi legerint מתלעבים, ut conjectat vir doctiſſimus, & in his exercitatiſſimus. Sed vox התלעב non eſt in uſu. Itaque nullus dubito, quin legerint מתעללים. Nam התעלל eſt ἐμπαίζειν, & תעלולים ἐμπαιγμοί, vel ἐμπαίγματα, quomodo iidem reddunt octo Scripturæ locis. Jam operæ-pretium erit docere, quorſum *coccus* שני dicatur, aut תולע, ſive conjunctæ, aut ſeparatæ ſint voces. Et שני quidem *iterationem* ſonat. Fit enim à Verbo שנה, quod *iterare* & *duplicare* eſt. Itaque שני propriè eſt δίβαφον. Purpuræ apud veteres fuit id Epithetum, quia bis tingebatur. *Horatius* libri ſecundi *Odâ* decimâ ſextâ,

—— *Te bis* Afro
Murice tinctæ
Veſtiunt lanæ. ——

Ovidius *De Arte* libri tertii verſu 170.

Nec quæ bis Tyrio *murice lana rubet.*

Tibullus libro quarto in laude *Sulpiciæ*,

Sola puellarum digna eſt, cui mollia caris
Vellera det ſuccis bis madefacta Tyros.

Martialis libri quarti *Epigrammate* quarto,

Quod bis murice vellus inquinatum.

Cicero Epiſtolâ decimâ ſextâ libri ſecundi, *Curtius noſter dibaphum cogitat.* Et Epiſtolâ decimâ libri ſecundi ad *Atticum*, Vatinii *ſtrumam Sacerdotii* διβάφῳ *veſtiant.* *Plinius* libri noni capite trigeſimo nono, *Dibapha tunc dicebatur, quæ bis tincta eſſet, veluti magnifico impendio, qualiter nunc omnes pene commodiores purpuræ tinguntur.* Et ibidem *Cornelius Nepos*, poſtquam egit de violacea & rubra purpura; *Huic ſucceſſit dibapha Tyria, quæ in libras denariis mille non poterat emi.* Ut igitur *Græci* δίβαφον appellârunt quod purpurâ, ità *Hebræi* שני ſani, quod cocco bis tinctum fuit. Neque obſcurum, cur תולעת שני, *coccum vermis*, aut שני תולעת, *vermem cocci*, aut ſolùm תולע, *vermem* iidem appellaverint. Apud *Dioſcoridem* libro quarto κόκκος βαφικὴ *coccus tinctoria* eſt θάμνος μικρὸς φρυγανώδης, ᾧ πρόσκεινται οἱ κόκκοι ὡς φακοί, *frutex parvus ſurculoſus, cui grana ut lentes adhærent. Cuſculia* vocat *Plinius* libri decimi ſexti capite octavo, id eſt, κοσκύλια, quia è cortice eraduntur. *Græcè* enim κοσκυλλεύειν eſt *minutias excreſcentes præſecare.* Porrò, ut magnus auctor in *Solinum* aſſerit, ea grana *ſcatent intùs parvis vermiculis, quorum ſanies coccino tingendo præclara eſt, & eximium illum colorem, quem nos miramur, & adorârunt veteres, efficit. Hinc vermiculum pro ipſo cocco dixerunt.* Gloſſæ *noſtra*, Κόκκος, vermiculus. *Editæ*, Κόκκος, βάμμα, vermicula, hoc coccum. *Hinc emblemata vermiculatum* Lucilio, *coccineo colore tinctum. Nam teſſellæ illæ, quibus pavimenta variabant, diverſis coloribus erant tinctæ. Falluntur, qui aliter exponunt. Apud* Hieronymum *in Epiſtolis pelles vermiculatæ, quas alio loco coccineas dixerat.* Plinius *lib.* 24. *cap.* 4. *de cocco ilicis, Eſt autem genus ex eo in* Africa *ferè aut* Aſia *naſcens, celerrimè in vermiculum ſe mutans, quod ideò* ſcolecion *vocant.* Hæc ille paginâ 272. Et rurſus pag. 1214. *Apud recentiores* Græcos σκώληξ *paſſim pro cocco. Ut in* Democriti *ſuppoſititio opere De purpura tingenda ratione*, σκώληξ Γαλατικὰς *pro cocco*

Galatico

Galatico, & σκώληξ ὁ πορφύρεος. *Vermem etiam* Latini *appellavêre.* Gloſſæ *veteres*, *Fucus*, vermiculus. *Unde* vermi-tinctum. Hactenus vir eximius. Ex quibus cum conſtet ſatis, cur *coccus Hebraice* dicatur *vermis*, ſolum addimus *Arabes* id ipſum ſignificare per vocem قرمز *kirmiz*, vel *kermez*, ut vulgò efferunt. *Alcamus*, القرمز صبغ ارمني يكون من عصارة دود يكون في ارحامهم Alkermez, *color* Armenius, *qui exprimitur è vermibus, in quorum viſceribus latet.* Et *Sariph*, القرمز اسم حيوان واقع على شجرة الامارة وهو نوع من نبات البلوط سوا Alkermez, *nomen animalis incidentis ſuper ilicem, quæ eſt ſpecies quercûs mediocris*, &c. Alii in *Abenbitare*, القرمز هو حيوان يتكون على الشوك وعلى نبات يستعمل وقود النار يكون بين الشجر والعشب في التوسط وقضبانه كثيرة دقاق ويتكون هذا الحيوان عليه كانه العدس وهو في اول تكونه صغير ثم لا يزال يكبر حتى يكون في قدر الحمص Alkermez *eſt animal, quod in ſpinoſa planta generatur, & in arbuſto, ex quo ſulphurata fiunt ad ignem accendendum, mediæ magnitudinis inter herbam & arborem, ramis multis, ſed tenuibus. Hoc autem animal inſtar lentis eſt initio valde parvum, ſed augeri non deſinit, donec ciceris magnitudinem aſſequatur.* Ibidem multa plura ſunt, & citantur quæcunque de cocco habent *Dioſcorides* & *Galenus* tanquam dicta de *kermez*. Unde conſtat *Arabum kermez* eſſe *Græcorum* κόκκον βαφικὴν, & hâc voce tam *granum tinctorium* ſignificari quam *vermem*, ex cujus ſanie color elicitur. Ex *kermez* formatur قرمزي *kermezi*, nobis *cramoiſi*, voce palam ex *Arabibus* mutuatâ, ut *vermeil* ex *vermiculo*, quæ vox pro *cocco* eſt frequens in *Vulgata* verſione. Is ipſe color *Chaldæis* זהורי *zehori*, dicitur à *luce & ſplendore*. Illis enim זהור *zehor*, *lucem* ſonat. *Syri* per *Cheth* ܙܗܘܪܐ ſcribunt, & *Samaritani* per *Ajin* ·ࠆࠏࠄࠅࠓ· prout literæ *He*, *Cheth*, & *Ajin* facilè permutantur. *Æthiopibus* idem eſt ለይ: *laia*, voce, niſi fallor, decurtata ex *Ægyptia* ΚΑΛΛΑΙΑ, unde *Callainus* vel *Calainus color*. *Heſychius*, Καλλάϊοι, οἱ τῶν ἀλεκτρυόνων πώγωνες, καὶ πᾶν πορφυροειδὲς χρῶμα, &c. καὶ παρ' Αἰγυπτίοις χρῶμα καλάινον, &c. Κάλλαια τὰ βαπτὰ ἔρια. Sed de his alibi.

Nunc, ſi ſequimur interpretes, erit, quod dicamus de verme ligni. Nam in catalogo fortium *Davidis* ita habet *Vulgata* verſio 2. *Reg.* 23. v. 8. *Ipſe eſt quaſi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu uno.* Et *Græca* Prov. 12. v. 4. Ὥσπερ δὲ ἐν ξύλῳ σκώληξ, οὕτως ἄνδρα ἀπόλλυσι γυνὴ κακοποιός. *Sicut in ligno vermis, ſic virum perdit mulier maleſica.* Et. 25. v. 20. Ὥσπερ σὴς ἐν ἱματίῳ, καὶ σκώληξ ἐν ξύλῳ, &c. *Sicut tinea in veſte, & vermis in ligno, ità triſtitia viri lædit cor*: ſed tria iſta loca in *Hebræo* textu aut planè deſunt, aut multò aliter ſe habent. In primo non capio quid ſit *tenerrimus ligni vermiculus* Et clarior eſſet ſenſus, ſi ſcriberetur, *tenerrimi ligni vermiculus*, id eſt, in tenerrimo ligno naſci ſolitus. *Baſilius Seleucienſis* Conc. 12. Οἱ σκώληκες τοῖς ἁπαλωτέροις τῶν ξύλων ἐντίκτονται μάλιστα· *Vermes tenerrimis lignis maximè innaſcuntur.* Sed, quocumque modo ſcribas, vix, ac ne vix quidem *Latina* verba cum *Hebræis* conciliaveris, quæ habent הוא עדינו העצני, *Is eſt Adino Eſnita*, ut *Græca* Ἀδινὼ ὁ Ἀσωναῖος. Utùt enim poſtrema vox העצני, ad עץ, id eſt, *lignum alludere* videri poſſit, ut præcedens עדינו ad עדן, & עדין, quâ *deliciæ ſignificantur*, & *quod tenerum & delicatum eſt*: in his tamen de vermiculo nè γρῦ quidem habetur. Sed *Hebræi* nugatores, hunc locum ad *Davidem* referentes, neſcio quid de verme muginantur, quod veteri interpreti potuit imponere. Ità enim ad hæc verba *R. Selomo* ex *Hebræis* vetuſtioribus. כשעוסק בתורה כורך ומקשר עצמו כתולעת כמו מעדנות כימה וכשיוצא למלחמה קשה כעץ Et *Kimchius*, בשעה שהיה עוסק בתורה מעדן עצמו כתולעת ובשעה שהיה יוצא למלחמה מקשה עצמו כעץ Senſus eſt, *Davidem* dici עדינו *Adino*, à *deliciis* ſacto nomine, quia cum occupabatur in lege, deliciabatur in ea, vermis inſtar, qui convolvitur, & ſe contorquet. Sed eundem עצני vocari, tanquam à *ligno*, quia in bellum proditurus, ligni inſtar, durum ac rigidum ſe exhibebat. Secundus locus in *Hebræo* non habet, *ſicut in ligno vermis*, ſed ורקב בעצמותיו, *ut caries in oſſibus ejus*. Neque vox בעצמותיו reddi poteſt *in ligno* niſi è ſeptem literis quatuor poſtremæ inducantur. Tertii loci in *Hebræo* textu neque volam eſſe, neque veſtigium, monuimus in capite *De tinea*, quamvis illum admittant præter *Græcos* interpretes *Romanus*, *Chaldæus*, *Syrus*, & *Arabs*: & è veteribus citent *Origenes* in *Matthæum* capite decimo tertio, *Auguſtinus* libri vigeſimi primi *De civitate Dei* capite nono, & *Hieronymus* in ultimum *Eſaiæ*; ſed ſub obelo, ut diximus.

Interim vermium in ligno naſcentium plures traduntur ſpecies. *Theophraſtus* libri quinti *Hiſtoriæ* capite quinto, Ἐσθίεται δὲ τὰ μὲν ἐν τῇ θαλάττῃ συνόμενα ὑπὸ τερηδόνος· τὰ δ' ἐν τῇ γῇ ὑπὸ σκωλήκων, καὶ θριπῶν· οὐ γὰρ γίνεται τερηδὼν, ἀλλ' ἢ ἐν τῇ θαλάττῃ. ἔστι δὲ ἡ τερηδὼν τῷ μὲν μεγέθει μικρὸν κεφαλὴν δὲ ἔχει μεγάλην, καὶ ὀδόντας. οἱ δὲ θρῖπες ὅμοιοι τοῖς σκώληξιν, ὑφ' ὧν κατατιτραίνεται κατὰ μικρὸν τὰ ξύλα. Unde ſumpta hæc *Plinius*, licet nonnihil diverſa, libri decimi ſexti capite quadrageſimo primo, *Infeſtantium* (ligna) *quatuor genera. Teredines, capite ad portionem graviſſimo, rodunt dentibus. Hæ tantum in mari ſentiuntur, nec aliam putant teredinem propriè dici. Terreſtres tineas vocant. Culicibus verò ſimiles, thripas. Quartum eſt & è vermiculorum genere*, &c. Ad *Theophraſti* & *Plinii* teredinem pertinent hæc *Poetæ* libro primo *De Ponto*,

Eſtur, & occultà vitiata teredine navis.

Alii ſolum dicunt teredinem in ligno generari. *Plutarchus Sympoſiacῶn* libri ſecundi Quæſtione tertia, Τερηδόνες ἐμφύονται ξύλῳ κατὰ σῆψιν ὑγρότητος, ἢ πέψιν. *Heſychius* Τερηδὼν, σκώληξ οἰκῶν ἐν ξύλῳ. *Suidas* ξυλοτρώκτην vocat. De thripe notandum eſt priſcos *Lacones* pro ſigillis habuiſſe ligna ab eo eroſa: quod inventum *Herculi* tribuit *Philo-ſtephanus*. *Heſychius* in Θριπόβρωτος· Οἱ Λάκωνες ἐν σφραγῖσιν ἐχρῶντο ξύλοις ὑπὸ σητῶν βεβρωμένοις κατασημαινόμενοι ὅποτε βούλοιντο. Φιλοστέφανος δέ φησι πρῶτον Ἡρακλέα χρήσασθαι. Hinc θριπόβρωτος σφραγὶς *Lycophronis* verſu 508. Quo alludens in *Luciano Lexiphanes* olivas ſuas ſe ſervare dicit ὑπὸ σφραγῖσι θριπηδεστάταις, *ſub ſigillis à thripe maximè eroſis*. Id enim eſt, θριπηδεστὸς. *Heſychius*, Θριπηδεστὸν, ξύλον ὑπὸ θριπῶν βεβρωμένον. οἱ γὰρ ἐν τοῖς

ξύλοις οὕτως ἐκαλοῦντο. Eidem *Heſychio* τρόμοξ eſt σκώληξ ἐν ξύλοις. Et *Tzetzi* θρὶξ, εἶδος σκώληκος ἐγγινομένου ἔνδον ξύλου. Unde *Heſiodo* in *Operibus* ἀθρικοτάτη dicitur ſylva, quæ hujusmodi vermes non gignit. Romanis id ipſum fuit *coſſus*. *Plinius* libri undecimi capite trigeſimo tertio, *Quædam ex imbre generantur in terra, quædam & in ligno. Nec enim coſſi tantùm in eo, ſed etiam tabani ex eo naſcuntur.* Feſtus, COSSI *ab antiquis dicebantur naturâ rugoſi corporis homines, à ſimilitudine vermium ligno editorum, qui coſſi appellantur.* Sequior ætas *cuſos* pro *coſſis* dixit. *Gloſſa, Cuſus,* ξύλου σκώληξ. Unde Hiſpanum *Guſano*. *Tarmes* etiam locum hic habet, licet *Feſto* ſit *genus vermiculi carnem exedens*, & *Iſidoro vermis lardi*. In *Vitruvio* enim abies *alit tarmitem, ab eoque vitiatur.* Et in *Plauti Moſtellaria* Actûs tertii Scenâ penultimâ ligneos ædium poſtes *ambos ab infimo tarmes ſecat*. *Arabicè* idem vermis قتع *katha* vocatur. *Damir*, القتع دود يكون في الخشب ياكله ALKATHA, *vermis, qui eſt in ligno illud exedens.* Sed magis in uſu ſunt سرفة *ſerpha*, & ارضة *ardha*, unde vernaculum *artre*. *Damir*, الارضة دويبة صغيرة كنصف العدسة تاكل الخشب ويقال لها السرفة Alardha, *animalculum dimidiâ lente non majus, lignum rodens, quod aliter* ſerpha *vocatur.* Et infrà, من شانها ان تبني لنفسها بيتا حسنا من عيدان تجمعها مثل غزل العنكبوت منخرطا من اسفله الي اعلاه وفي احدي جهاته باب مربع *E natura ejus eſt, ut ſibi pulchram domum exſtruat è lignis, quæ diſponit, ut aranea netum ſuum, tornatili opere, ab imo uſque ad ſummum, & in una facie porta eſt quadrata*, &c. Cætera ibi vide.

De Manna, quæ, contra Dei mandatum in poſterum ſervata, putreſcebat, & producebat vermes, *Exod.* 16. *v.* 19. 20. multa obſervant *Theologi*. 1. Similem legi prohibitionem de agno *Paſchatis* Exod. 12. v. 10. *Nihil ex eo reliquum facietis in matutinum uſque.* Et de ſacrificio Euchariſtico *Levit.* 22. *v.* 30. *Eodem die comedatur, ne quidquam ex eo ſervetis uſque manè.* Quia in iis, quæ ad Dei cultum quocunque modo pertinent, ut in Sacramentorum & ſacrificiorum celebratione, comperendinare non licet, & de die in diem differre. Præterea noluit Deus *Iſraelitas*, de poſtero ſollicitos, quidquam de Manna per diffidentiam ſervare. Illos pendere voluit ex providentia ſua, quâ etiam corvis proſpicit, & paſſerculis. Quo verba *Chriſti* pertinent *Matth.* 7. v. 31. 34. *Ne eſtote ſolliciti dicentes, Quid edemus? aut Quid bibemus?* &c. *Ne eſtote ſolliciti de craſtino: craſtinus enim dies de ſe ipſo ſollicitus erit. Unicuique diei vexatio ſua ſufficit.* Et *Apoſtoli* Hebr. 13. v. 5. *Sint mores veſtri ſine avaritia. Eſtote contenti præſentibus. Dixit enim ipſe, Non te deſeram, neque te derelinquam.* 2. Ex eo, quod, inter tot miracula, de Dei verbo diffidunt, incredulitatem colligunt in animis hominum altiſſimas agere radices, nec niſi ab ipſo Deo poſſe revelli, ac proinde *Epheſ.* 2. v. 8. fidem vocari *donum Dei*. 3. Mannam computruiſſe, & vermes produxiſſe, juſto Dei judicio notant, eoque mitiſſimo. Immorigeros enim, quos Deus in ſe ipſis plectere potuiſſet, ſolum punivit in cibo, quod contra mandatum ſervaverant. Et hoc ipſa docuit, quàm verè dicatur ab Apoſtolo *Tit.* 1. *v.* 15. *Omnia munda mundis. Iis autem, qui polluti ſunt, & non credunt, nihil eſt mundum; quia polluta eſt eorum mens, & conſcientia.* 4. Tam ſubitam in Manna corruptionem extraordinariam & miraculoſam fuiſſe ex eo eliciunt, quod non ſolum à die ſexta in ſeptimam, ſed & in arca fœderis per aliquot ſæcula manſerit incorrupta. Ut de vulgari Manna taceamus, quæ in annum unum, aut alterum, ſæpe ſervatur. Sed hæc ſunt alterius loci. Obiter nota in hac Hiſtoria רמה & תולע idem eſſe. Legitur enim Manna produxiſſe תולעים, cum ſervata eſt contra mandatum: ſed, cum vigiliâ Sabbathi in poſterum ſervata eſt, prout præceperat Deus, *non computruit*, inquit, *Moſes neque fuit in ea* ורמה. Ergo תולע & רמה ſunt prorſus ſynonyma. Proinde *Job.* 25. *v.* 6. & *Eſ.* 14. 11. in eodem verſu ponuntur tanquam ἰσοδυνάμια.

Sunt, qui coturnices etiam in vermes verſas fuiſſe colligunt, ex eo, quod dicit Deus *Num.* 11. *v.* 20. *Uſque ad plenum menſem comedetis, donec exeat è naribus veſtris, & ſit vobis* לזרא, *in* ZARA. Ità enim *Rabbi Abitar* in *Midbar Rabba* ſectione ſeptimâ, מאי לזרא לדודיא או שאחיה אותן דודא במעיהון, *Quid eſt in* ZARA? *Id eſt*, in vermes. *Aut vivificabo eas* (carnes,) *ut fiant vermes in viſceribus ipſorum.* Sed hæc verſio valde incerta eſt. Alii enim קרדא, id eſt, *crotonem*, aut *ricinum* reddunt. *Baal Aruch* בוטנא, *tumorem*, quomodo legendum puto in *Samaritano* pro קשבך *Jonathan*, רחוק *abominationem*. *Onkelos*, תכלא, *ſcandalum*: pro quo legerim תפלא, *inſipidum*. *Syrus*, [illegible], *cruditatem*: ut & *Symmachus*, ἀπεψίαν. *Arabs Erpenianus*, غريب *averſionem*. Alter *Pariſiis* editus, هزال *maciem*. Manuſcripti duo, تمشون *nauſeabitis*; ut *Hieronymus, nauſeam*. *Seniores*, χολέραν, *bilem*. *Baal Hatturim*, חלי מעים, *tormina viſcerum*. Quia per *Gematriam* hæ duæ voces idem valent, quod זרא nempe CCVIII. Iis accedo, qui *nauſeam* & *faſtidium* vertunt, quomodo *Hieronymus, Jonathan*, quidam *Arabum*, & *Hebræi* recentiores. Quia ذار *dſaara Arabicè* de cibo eſt *faſtidire & abhorrere*. Id porrò factum ex זרא *Zara*, per Metatheſin, & mutationem ז *Zajin* in *Dſal*; quæ in illis linguis fere perpetua eſt. Et hæc optimè cohærent. Carnes, quas tam avidè appetitis, vobis largiri non deſinam, donec ſint vobis faſtidio. Itaque falluntur, qui זרא *zara, vermis genus* eſſe contendunt.

CAPUT

CAPUT VIGESIMUM OCTAVUM.

De Vermibus *Metaphoricis.*

Homo vermis, Job. 25. v. 6. Pſal. 22. v. 7. Eſ. 41. v. 14. πρὸς ἐξουθενισμὸν, *ut in* Homero Harpalion. *In verme duo contemnuntur: 1. origo: 2. ipſa natura. Animal cæcum, ſurdum, informe, inerme, ſine pedibus, omnibus injuriis expoſitum. Rudimentum animalis potiùs quam verum animal. Tria loca, quæ allata ſunt, quomodo inter ſe differant: 1. de homine in genere, 2. de* Chriſto, *3. de Eccleſia. Et pro ratione perſonarum variè intelliguntur. Homo in ſe verè est vermis.* Chriſtus *& Eccleſia vermes in hominum opinione. De* Chriſti *ſimilitudine cum verme multa præter rem afferri. Cur pœnæ* Inferorum *cum immortali verme conferantur. Vermis eſt peccati conſcientia, quæ reos perpetuo mordet. Vermem etiam ad corpus pertinere probat* Auguſtinus *ex* Eccleſ. 7. v. 17. *ſed falsâ verſione deceptus. Tityi vultur in fabulis idem ſignificavit, quod ille vermis.*

SUnt etiam in Scriptura vermes *Metaphorici*, de quibus ſupereſt agendum. Ità homo quandoque vocatur *vermis*: ut *Job. 25. v. 5. 6. En! uſque ad Lunam non lucebit, & ſtellæ non ſunt mundæ in oculis ejus. Quanto minus homo vermis, & filius hominis vermiculus?* Et *Pſal. 22. v. 7. Ego ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & contemptus à populo.* Et *Eſ. 41. v. 14. Noli timere, vermis* Jacob. Quæ pertinent πρὸς ἐξουθενισμόν. Sic *Iliad.* ν. *Harpalion*, homo non magnæ rei, à *Merione* cæſus,

——— ὥς τε σκώληξ ἐπὶ γαίῃ
Κεῖτο ταθείς· ———

Ut vermis ſuper terram jacebat extenſus. In quæ verba *Euſtathius*, Ὅρα τὸ ταπεινὸν τῆς παραβολῆς· δηλοῖ γὰρ οὐδὲν εὐγενὲς τοῦ πεσόντος. *Vide quam humilis ſit ſimilitudo: nihil enim generoſum in cadente ſignificat.* Et infrà, Δῆλον δὲ, ὡς ταπεινοτέρα ἡ τοιαύτη παραβολὴ πάνυ, καὶ τῆς ἀλλαχοῦ κατὰ τὴν μήκωνα. οὐ γὰρ οὕτως ἀγεννὴς ὁ πρὸς ἐκείνην παραβληθεὶς, ὡς ὁ εἰκασθεὶς πρὸς σκώληκα. *Manifeſtum autem eſt, hanc ſimilitudinem eâ multò humiliorem eſſe, quam alibi ſumit à papavere.* (Nempe *Iliad.* θ'. Ubi *Gorgythion*, ictu ſagittæ percuſſus, papaveris inſtar, caput inflexiſſe legitur.) *Neque enim tam ignobilis eſt, qui cum papavere, quam qui cum verme confertur.* In verme enim duo ſunt, quorum ratione maximè contemnitur. Primo origo prorſus ignobilis Quippe vermem *Ariſtoteles* plerumque naſci ſcribit ἐν τοῖς περιττώμασι, *in excrementis, Hiſtoriæ* libri quinti capite decimo nono. Unde *Lucretius* libri ſecundi verſu 870.

Quippe videre licet vivos exiſtere vermes
Stercore de tetro, putrorem cum ſibi nacta eſt
Intempeſtivis ex imbribus humida tellus.

Præterea in naturâ vermis vix quidquam eſt, quod non ſit prorſus καταφρόνητον. Animal cœcum & ſurdum eſt, informe & inerme, ſine pedibus, quantum quantum eſt humi proſtratum, & cæterorum injuriis patens. Denique non tam animal eſſe videtur, quam animalis rudimentum. Proinde inſecta, quoquot volant, prius ſunt vermes, deinde, pedibus & aliis paulatim accidentibus, perfectiora evadunt. Omnino igitur ad contemptum id pertinet, quod in Scriptura homo *vermi* comparatur. Tamen tria loca, quæ in hanc rem citavimus, ita ſimilia ſunt, ut non parum inter ſe differant. In primo enim, *Homo vermis, & filius hominis vermiculus*, agitur de homine in genere. In ſecundo ſub *Chriſti* perſona dicit *David*, *Ego ſum vermis, & non homo.* In tertio de Eccleſia dicitur, *Noli timere, vermis* Jacob. Et pro ratione perſonarum hæc variè intelliguntur. Nam homo in genere, & in ſe conſideratus, verè inſtar vermis eſt. Sordidos enim habet natales, & ut vermis è terra ſumptus eſt. *Phocylides,*

Σῶμα γὰρ ἐκ γαίης ἔχομεν, καὶ πάντες ἐπ' αὐτὴν
Λυόμενοι κόνις ἐσμέν. ———

Hinc *Palladas Anthologiæ* libri primi capite octogeſimo primo,

Ἐκ πηλοῦ γέγονας· τί φρονεῖς μέγα;

Item,

Εἰ τὸ λόγον ζητεῖς τὸν ἀληθινὸν, ἐξ ἀκολάστου
Λαγνείας γέγονας, καὶ μιαρᾶς ῥανίδος.

Homo in conſiliis cæcus eſt, & futurorum improvidus;

Proh ſuperi, quantum mortalia pectora cæcæ
Noctis habent!

De cætero tam infirmus eſt, & obnoxius tot malis, ut ideò jure exclamet *Poetarum* vetuſtiſſimus:

Οὐ μὲν γάρ τί πού ἐστιν ὀϊζυρώτερον ἀνδρὸς
Πάντων, ὅσσα τε γαῖαν ἔπι πνείει τε, καὶ ἕρπει·

Nihil uſpiam eſt homine miſerius omnium animalium, quæ ſupra terram ſpirant, & ſerpunt. Itaque, utut homo multum turgeat, & ſibi multum tribuat, tamen in corruptæ naturæ ſtatu ſupra vermium ſortem parùm aſſurgit. At de *Chriſto*, vel Eccleſia, abſit à nobis, ut idem ſentiamus. Quamvis enim in ſervi forma *Chriſtus* apparuerit, & carnem infirmam ſuſceperit, & acerbiſſimorum hoſtium ſannis, & ludibriis, atroci denique morti fuerit expoſitus: tamen erat Dei Filius, & ſe eſſe omnipotentem probavit tam è mortuis reſurrectione, quam aſcenſione in cœlos. Eccleſia quoque, licet debilis, & variis perſecutionibus obnoxia, perſtat tamen, & jugiter manet, neque portæ Inferorum adverſus eam prævalent. Itaque *Chriſtus* & Eccleſia *vermes* vocantur non in ſe, ſed in hominum opinione, à quibus contemnuntur, & eo loco habentur, quo vermiculi ſolent. Proinde de eodem *Chriſto* dicitur *Eſa. 53. v. 2. 3. Non eſt forma ei, neque decor: & cùm intuemur eum, non ineſt ſpecies, cur deſideremus eum, contemptus & abjectiſſimus hominum eſt.* Fuerunt è veteribus, quibus *Chriſtus* cum *verme* conferri viſus eſt; quia vermis, utut debilis, & ſpecie exiguus, materiam tamen corrodendo delet, ac perdit, quomodo *Chriſtus*, quamlibet exilis, & in ſpeciem infirmus, contrarias Dæmonum poteſtates ſubvertit, & deperdidit. Aut quia *Chriſtus* morti datus eſt in eſcam, quomodo piſcibus vermes. Aut quia ut vermis è pluvia cœlitus in terram ingruente abſque ullo coitu generatur: ita *Chriſtus* ſuperno Sancti Spiritûs in virginem illapſu formatus eſt abſque ulla viri copula. Sed hæc, utut ſpecioſa, tamen præter rem afferuntur: quod illorum pace dixero. *Chriſtus* enim quorſum *vermis* appelletur in *Pſalmo*, legenti ſtatim apparet. *Ego*, inquit, *ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & contemptus à populo.* Ideò igitur fuit *vermis*, quod illum contempſit populus, & pro nihilo habuit.

Neque aliud cauſæ ſuccurrit, cur תולע *Thola*, id eſt, *vermis*, nomen fuerit inditum *Iſraelitarum* nonnullis. Sic filiorum *Iſachar* natu maximus *Thola* dictus eſt *Gen. 46. v. 13.* Et alius ex eadem tribu *Jud. 10. v. 1.* Fortaſſe quia naſcentes à parentibus ſpreti ſunt, neque ullam de ſe ſpem excitârunt. Uterque tamen, Deo favente, evaſit in magnum virum. Et ex priore orti ſunt *Tholaitæ Num. 26. v. 23.* viri fortiſſimi, & fœcundiſſimi, quorum *Davidis* diebus numerati ſunt viginti duo millia ſexcenti, *1. Par. 7. v. 2.* Poſterior liberavit, & judicavit *Iſraelem* annis viginti tribus, *Jud. 10. v. 1. 2.*

Metaphora à priore diverſiſſimâ deſcribuntur pœnæ Inferorum per *vermem, qui non moritur, & ignem, qui non extinguitur.* Sic *Eſa. 66. v. 24. Vermis eorum* non

non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Marc. 9. v. 44. 46. 48. *Ubi vermis eorum non interit, & ignis eorum non extinguitur.* Cujus locutionis etiam alibi veſtigia: ut *Sirach.* 7. v. 17. (al. 19.) *Ultio impii, ignis, & vermis.* Et *Judith.* 16. v. 17. (al. 21.) *Indet ignem vermesque carnibus eorum, quorum ſenſu fleant in ſeculum.* Cadavera dimittit vermis, cum abſumpſit usque ad oſſa, ità ut, præter ſolum σκέλετον, nihil ſuperſit. At in Inferis alius eſt vermis, qui animas nunquam dimittit. Et *vermis* nomine plerique intelligunt peccati conſcientiam, quę reos perpetuo mordet. Sed *Victor Antiochenus* id diſertius & uberius explicat, quam ullus veterum, quod meminerim: *Omni*, inquit, *ſupplicio gravius eſt immortalem illum vermem perpetuo citra ullam prorſus intermiſſionem avidè vorantem direque corrodentem circumferre. Deſignatur autem hoc* vermis *nomine impurata ſceleratąque conſcientia. Siquidem una hac animam peccatricem, nulliusque boni ſibi conſciam, inutilis pœnitentia aculeis inſtar edacis vermis, continuo pungit, & rodit. Unusquisque ergo ſceleratorum ſui ipſius accuſator erit. Etenim dum ea ſecum perpendit, animoq; jugiter revolvit, quæ in mortali hac vita improbe geſſit, vel invitus ſe reum confiteri compelletur, propria nimirum conſcientiæ ſtimulis actus, ejusdemque contra ſe teſtimonio aperte convictus. Ad hunc itaque ſenſum peccatorum* vermis immortalis *dicitur. Neque enim quæ de vermi hic diſputantur ad ſenſilem aliquem vermem, qui impiorum corda ad Inferos rodat, transferenda ſunt.* Sic in *Theophylacto* vermis ille ἡ συνείδησις ἑκάστου, καὶ ἡ μνήμη τῶν πραχθέντων ἐν τῷ βίῳ τούτῳ αἰσχρῶν, ἥτις ὥσπερ σκώληξ κατεδαπανᾷ, *uniuscujusque eſt conſcientia, & memoria eorum, quæ in hac vita fœde ſunt acta, quæ quaſi vermis abſumit.* Quam ſententiam apud veteres fuiſſe maximè receptam docent hæc *Hieronymi in Eſaiam, Vermis, qui non morietur,* &c. *à plerisque conſcientia accipitur peccatorum, quæ torqueat in ſuppliciis conſtitutos, quare, vitio ſuo atque peccato, caruerint electorum bono.* Item hæc *Auguſtini De civitate Dei* libri vigeſimi primi capite nono, *Qui pœnas animæ & corporis in illo ſupplicio futuras eſſe non dubitant, igne uri corpus, animam autem rodi quodammodo verme mœroris affirmant.* Quod etſi fateatur eſſe *credibilius*, tamen ipſe aliter ſtatuit, nempe tam vermem, quam ignem ad utrumque, id eſt, ad corpus & ad animam pertinere. Sed vir tantus nititur valde fragili fundamento, quod malo ex ipſius verbis, quam ex meis lector ediſcat. *Legitur*, inquit, *in veteribus Scripturis*, « Vindicta « carnis impii ignis, & vermis: *potuit brevius dici*, « Vindicta impii. *Cur ergo dictum eſt*, carnis impii: *niſi quia utrumque, id eſt, & ignis, & vermis pœna erit carnis?* Ad quæ duo poſſunt regeri, 1. Locum, quem citat, in eo libro legi, quem in Canonem ſuum *Judæi* non admittunt. Nempe *Sirach.* 7. v. 17. ut jam ante indicavimus, 2. Locum illum *Græce* ſic legi in omnibus exemplaribus, Ἐκδίκησις ἀσεβοῦς, πῦρ καὶ σκώληξ· *Vindicta impii, ignis, & vermis.* Itaque in *Græco* textu nulla eſt *carnis* mentio, ut neque in *Syra* verſione, neque in *Arabica.* Et vox *carnis*, qua ſolâ nititur vir ſanctus, alibi non reperitur, quàm in *Vulgata* verſione; unde obiter colligere eſt, fontes non fruſtra conſuli, cum ſæpe verſiones in devia nos abſtrahant. Vetus illa fabula de vulturibus, qui in *Inferis* renaſcens *Tityi* jecur perpetuo lancinant, videtur idem ſignificaſſe, quod in noſtris ſcriptoribus *vermis* ille, *qui non moritur.*

CAPUT VIGESIMUM NONUM.

De Scorpione.

NEPA Plauto *non eſt* cancer, *ut quidam volunt, ſed* ſcorpio, *cujus inceſſus tam obliquus, quàm cancri. De eo* Nonnii *locus emendatus, & explicatus.* NEPA *in* Cicerone *&* Manilio *pro* ſcorpione cœleſti. NEPA Feſto *vox* Afrorum, *id eſt*, Punica. *Fortaſſe* נב neb, *vel* נבא nebba, *à caudæ internodiis.* Ambubaiæ *unde.* Σκορπίος Græcamne *habeat originem, aut* Hebraicam. *Scorpio*, Hebræis עקרב akrab, *pro* עקצרב akatsrab, *à magno aculeo.* עקץ akats, pungere, *de ſcorpione ſæpe uſurpatum.* Apoc. 9 v. 3. ſcorpii terræ *opponuntur* volucribus: *de quibus multa.* Lucianus *emendatus. Eſt & marinus ſcorpio. Qui preſſius loquuntur*, ſcorpionem terreſtrem *dicunt, non* ſcorpionem *ſimpliciter. Scorpionis deſcriptio.* Ὀκλώπας *pro* ſcorpione. Heſychius *emendatus. Scorpionem* Poëtæ *à cauda maximè deſcribunt, in qua venenum, & aculeus. Vide* Apoc. 9. v. 10. *Scorpionis cauda* πολυσφόνδυλος. Avicenna *ſex vertebras illi tribuit. Alii ſeptem, quæ* Arabibus خرزات *&* Talmudicis חומר, *de qua voce diſputatur.* Nicandro *ſcorpionis* σφόνδυλοι ἐννεάδεσμοι, *id eſt*, πολύδεσμοι, *non præciſè* novem. *Sic* ἐννεάχρους *veſtis, cornix* ἐννεάγηρα. Callirhoë *fons* ἐννεάκρουνος, Timavi *ora novem. Scorpiones ſæpè* δίκεντροι. *Aculeus tenui fiſtulâ perforatus, quæ* Nicandro δελλόν, *& quorſum, foramen non videtur.* Galenus *ullum eſſe negat. Tam tenui aculeo maximas belluas interimunt. Cauda ſemper erecta, ut in ictum intenta. Tamen* Arabibus جرارة gerrara, *parvi ſcorpionis ſpecies, qui caudam humi trahit. Ejus natales, & deſcriptio. Explicatur de eo locus* Avicennæ ἀκρωλύιωτος. *Dolor ex punctura qualis* Apoc. 9. v. 5. 6. Ἔγχριμψις *&* ἐγχρίμπτειν *de ſcorpione quid ſignificent fugit* Lexicographos. *Plura ex* Medicis, *&* Poëtis, *de gravi dolore eorum, qui puncti ſunt. Cur locuſtæ ſcorpionum caudis* Apoc. 9. *noceant ſolùm quinque menſes. Scorpio hyeme torpet, æſtivis menſibus caudam erigit. Scorpiones cum ſerpentibus Scriptura ſæpe jungit, & pro ſerpentibus nonnulli habent.* Scorpio *pro* ovo Luc. 11. v. 12. *quia ſcorpio magnus & albus, quales in* Judæa, *ovo ſimiles. Loca à ſcorpionibus dicta, aut iis infeſta. Aſcenſus* Acrabim, Acrabatene *duplex*, Acrabene *propè* Niſibim, Ptolemæo *malè* Acabene. *Et propè* Saharuz *in* Aderbigian, *quæ olim* Atropatia. *In Æthiopia* Acrabatan, *Æliano* Arrhatan. *In* Aria *regio* σκορπιοφόρος. Σκορπιανοὶ *qui* Stephano. *Ezech.* 2. *v.* 6. cum ſcorpionibus habitas, *id eſt, cum hominibus ſævis & truculentis. Quàm uſitata Phraſis.* Apoc. 9. v. 3. 10. ſcorpionum *nomine alii* Patrum *Dæmones, alii Hæreticos intelligunt.* Ignatii *de eo locus emendatus. Etiam ad Dæmones referunt poteſtatem datam* Apoſtolis *calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones*, Luc. 10. v. 19. *Sed ad literam id ſumi probatur ex* Marc. 16. v. 18. *&* Act. 28. v. 5. *Scorpiones flagri genus*, 1. Reg. 12. v. 11. ܥܩܪܒܐ Syro, *&* Chaldæo: Græcis μάραγνα, *vox vetus.* Heſychius *emendatus.* Marrugina *idem in* Gloſſario. *Scorpio, machina bellica genus*, 1. Macch. 6. v. 51. *An eâ lapides, vel ſpicula, conjiciantur.*

LAtinum NEPÆ nomen pro *ſcorpione*, jam propè obſoletum, fuit olim in multo uſu. *Plautus* in *Caſina* Actûs ſecundi Scenâ ultimâ,

Receſſim

Receſſim cedam ad parietem, imitabor nepam.
Cicero libro quinto *De Finibus*, *Cornibus uti videmus boves, nepas aculeis.* Ita cum *Nonio* legendum, non cum recentioribus *veſpas*. *Samonicus* capite decimo quarto inter ea remedia, quæ oculorum dolorem mitigant,

Viventiave nepæ *lumen geſtetur amicum.*

Gloſſæ optimæ, *Nepa*, Σκορπίος. *Gloſſa Philoxeni*, Γένος σκορπίος, *Nepa*. Feſtus, NEPA, *Afrorum linguâ ſidus, quod Cancer appellatur, vel, ut quidam volunt, ſcorpius.* Nonius. NEPAM *quidam cancrum putant ob illud* Plauti,

" *Retrovorsùm cedam, imitabor* nepam:
aut illud aliud, aut cùm nepa *eſſet dubium in utroque. Nam verè* NEPA *ſcorpius dicitur.* In quibus verba, *Aut illud aliud, aut cum* nepa *eſſet dubium in utroque*, cùm palàm ſint corrupta, ſic legerim donec quid melius occurrat, *Aut illud*,

A leva tu cum nepas.

Sed dubium in utroque. Senſus eſt hæc duo *Plauti* loca, unum ex *Caſina*, alterum ex Comœdia, quæ periit, proferri à nonnullis, ut probent *nepam* eſſe *cancrum*. Sed meritò dubitari, an ad *cancrum* pertineant, cùm certo ſit certius *nepam* eſſe *ſcorpium*. Neque verò in his locis de *nepa* quidquam habetur, quòd non poſſit tam ad *ſcorpium*, quam ad *cancrum* referri. Nam ut *cancer* ita & *ſcorpius* dicitur obliquè ferri, & lævorsùm incedere. *Nicander* de ſcorpio in *Theriacis* verſu 799.

——ὃς ῥαιβὰ φέρει φλογὶ εἴκελα γυῖα,

Ille obliqua fert membra flammæ ſimilia. Et ibi *Scholiaſtes*, Ῥαιβὰ μὲν οὖν, ἤγουν καμπύλα, καὶ στρεβλά. γυῖα δὲ νῦν τοὺς πόδας. βούλεται γὰρ δηλοῦν, ὅτι στρεβλῶς περιπατοῦσιν οἱ σκορπίοι. *Obliqua, id eſt, inflexa, & tortuoſa. Et membra, id eſt, pedes. Significat enim ſcorpios obliquè incedere.* Proinde ſunt è *Grammaticis*, qui *ſcorpionem* dici volunt παρὰ τὸ σκαιῶς ἕρπειν, *eò quòd obliquè (aut, eò quòd lævorsùm) repat.* Nempe ut cancris, ità & ſcorpionibus ſunt octo pedes, iique non diſſimiles, itaque nec diſpar inceſſus. Sed *nepam* eſſe *ſcorpionem* ex eo maximè conſtat, quòd pro *cœleſti ſcorpione Cicero* paſſim in *Arateis nepam* habet. Exemplo hæc ſint.

Atque oculos urget pedibus, pectusque Nepai.
Inde Nepæ *cernes propter fulgentis acumen.*
Hæc caput atque oculos torquens ad terga Nepaï.
Tergaque Centauri *atque* Nepai *portat acumen.*
Ipſaque conſequitur lucens vis magna Nepaï.
Dum Nepa *&* Arci-tenens *inviſunt lumina cæli.*
Non ſe cùm medium pandet Nepa.——
Cùm verò vis eſt vehemens exorta Nepai.
Quare cum magnis ſeſe Nepa *lucibus effert.*

Cujusmodi hæc *Manilii* libro ſecundo,

——*pietate ad ſidera ductam*
Erigonen, *ictuque* Nepam, *ſpolioque* Leonem.

Et libro quarto,

Herenteſque decem partes Nepa *vindicat ipſi.*

Et libro quinto,

Sed regione Nepæ *vix partes octo trahentes.*

NEPAM *Afrorum* eſſe vocabulum ſcribit *Feſtus*, id eſt, *Pœnorum*, ut interpretor, quorum linguâ נב *neb*, vel נבה *nebba*, dici potuit à *cauda internodiis*. Saltem *Arabicè* نب *nabba* Verbum in ſecundâ *internodiis diſtingui* ſignificat. Sed magis propriè de planta dicitur. Unde انبوب *anbub, internodium*, aut *calami pars inter duo internodia*, & in genere *calamus* κατὰ χρηστικῶς, ut *Chaldaicè* אבובא *abbuba*, N latente in *Dagbes*. Itaque pro חליל, id eſt, *fiſtulâ*, ſeu *tibiâ*, ſumitur in *Paraphraſtis*. Hinc *Ambubaia* dictæ αὐλητρίδες. *Horatius* libri primi *Satyrâ* ſecundâ,

Ambubaiarum collegia, pharmacopolæ.

Ex *neb*, vel *nebba*, factum *nepa*, B & P permutatis, ut in vocibus, *papa, paſco*, *canopus* ex *Græcis* βαβαί, βόσκω, Κάνωβος, *ſirupus* ex *Arabico* شراب *ſcrab*; ἄππα *Græcè* ex *Syro* ܐܒܐ *Abba*. Hæc de *Pœno ſcorpii* nomine.

Græcum nonnulli, ut jam diximus, ἀπὸ τοῦ σκαιῶς ἕρπειν, *ab obliquo inceſſu* ducunt: ſed alii veriſſimiliùs ἀπὸ τοῦ σκορπίζειν τὸν ἰὸν, *à veneno, quod diffundit.* Quò *Tertullianus* alludens in *Scorpiaco*, *Id ſpiculum*, inquit, *virus, qua figit, effundit.* Et *Hieronymus* Epiſtola octava ad *Demetriadem*, *Cumque hoc, quaſi ſcorpionis ictu ſimplices quoſque percuſſerint, venena diffundat.* Et de iiſdem in *Ezechielis* caput ſecundum, *Ut eadem plaga & cutem aperiat, & venena diffundat.* Tamen ex *Hebræo*, עקרב *akrab*, potuit fieri σκορπίος, cum προσθέσει τοῦ Σίγμα, qualem habent voces στιφ, σμῦς, σμικρὸς, σμυδρὸς, σμάραγδος, σμύρνα, &c. Et עקרב *akrab*, ſi quid video, propriè μακρόκεντρον ſonat, id eſt, *animal magno aculeo.* Quod nomen ſcorpioni ſit aptiſſimum. Nam, ut obſervat *Philoſophus Hiſtoriæ* libri quarti capite ſeptimo, Μόνον τῶν ἐντόμων τοῦτο μακρόκεντρόν ἐστι· *Hoc inſectorum ſolum magnum habet aculeum.* Nempe ut *murem agreſtem* עכבר *achbar*, dici notavimus (a) (a) Part. 1. lib.
pro עכלבר *achalbar*; quia *deperdit agros*: ita עקרב 3 cap. 34. pag.
akrab. ſcorpio dicitur pro עקערב *akatsrab*, à *magno* 1017. lin. 38.
aculeo, media vocis litera per compendium eliſa. Hoc &c.
etymon duo confirmant: primùm, quòd עקרב non habet in Plurali עקרבים *akrabim*, prout haberet, ſi vocabulum eſſet ſimplex; ſed עקרבים *akrabbim*. B geminato per *Dagbes*. Unde conſtat in עקרב ultimam vocis Syllabam deduci ex רב *rab* geminante ſecundam. Porro רב *rab, magnum* ſonat. Alterum, quòd עקץ *akats*, vel עקס *akas, pungere*, & עוקס *okes*, vel עוקץ *okets*, *aculeus* de ſcorpione ſæpe dicuntur. Sic *Deut.* 8. *v.* 15. in *Thargum Jonathanis*, ועקרבים עקצים, *Et ſcorpiones pungentes.* Et *Talmudici* in *Bechoroth* fol. 31. b. מאן דעקץ לי עקצוה עקרבא, *Qui pungit me, pungent eum ſcorpiones.* *Aruch* per *Samech* ſcribit דעקס. Et in *Beracboth* capite 8. אי לאו עוקצא דעקרבא דמנח בנהר דינור כל מאן דהגה טריקה ליה עקרבא לא חוו חי, *Niſi eſſet aculeus ſcorpionis, qui poſitus eſt in fluvio* Dinur, *nemo eorum, qui à ſcorpione puncti ſunt, vivus ſupereſſet.* Et *R. Selomo* in 1. *Reg.* 12. *v.* 11. de virgis ex cynosbato, עוקצים כעקרב, *pungunt ut ſcorpio.*

Et verſio *Syriaca Apoc.* 10. *v.* 10. ܘܐܝܬ ܠܗܘܢ ܕܘܢܒܐ ܕܡܝܢ ܠܥܩܪܒܐ ܘܥܘܩܣܐ

Et habebant caudas ſimiles (caudis) *ſcorpionum, & aculeos.* Ubi rurſus ܥܘܩܣܐ habet *Samech*, quomodo *Syri* conſtanter ſcribunt.

Cùm vulgus alios ſcorpiones nullos noverit præter terreſtres, non tamen fruſtra eſt, quod à *Johanne* dicuntur οἱ σκορπίοι τῆς γῆς, *ſcorpii terræ*. Apoc. 9. v. 3. *Lucianus* enim in *Dipſadibus*, inter venenatas *Libyæ* feras, deſcribit σκορπίων γένος διττόν· τὸ μὲν ἐπίγειον, καὶ πεζὸν, ὑπέρμεγα, καὶ πολυσφόνδυλον· θάτερον δὲ ἀέριον, καὶ πτηνὸν, ὑμενόπτερον δὲ, οἷα ταῖς ἰκτῖσι καὶ τέττιξι, καὶ νυκτερίσι τὰ πτερά. *Scorpionum genus duplex; unum quidem terreſtre, & pedeſtre, permagnum, & multas* (in cauda) *vertebras habens: alterum verò aërium, & volucre, membraneis alis, quales viverris, cicadis, & veſpertilionibus.* Nota obiter ἰκτίδας, ſeu *viverras*, abſurdè poni inter alata animalia. Itaque pro ταῖς ἰκτῖσι, καὶ τέττιξι, id eſt, *viverris, & cicadis*, omnino legendum, ταῖς ἀκρίσι, καὶ τέττιξι, *locuſtis, & cicadis*: quod miror vidiſſe neminem. Sed, ut ad rem redeam, etiam in *Mauritania*, auctore *Strabone* libro decimo ſexto, σκορπίων δὲ καὶ πτηνῶν, καὶ ἀπτέρων λέγεται πλῆθος, *dicitur eſſe ſcorpionum copia tam alatorum, quàm*

ſine

ſine alis. Et *Plinius* libri undecimi capite vigeſimo quinto, *Hoc malum* Africæ *volucre etiam* Auſtri *faciunt, pandentibus brachia, ut remigia ſublevantes.* Apollodorus *idem planè quibusdam ineſſe pennas tradit.* Sed & in *Ægypto Pammenes* ſe vidiſſe teſtatur σκορπίους πτερωτοὺς, καὶ δικέντρους. *ſcorpiones alatos, & duplici aculeo.* Ita habet *Ælianus* libri decimi ſexti capite ultimo. Ut in *India Praſiis Megaſthenes* haberi ait σκορπίους πτερωτοὺς, ὑπερβάλλοντας μεγέθει, *ſcorpios volucres, permagnos*, auctore *Strabone* libro decimo quinto. Et apud *Pauſaniam* in *Bœoticis* ἀνὴρ Φρὺξ ἤγαγεν εἰς Ἰωνίαν σκορπίον ταῖς ἀκρίσιν ὁμοιότατα πτερὰ ἔχοντα, *homo* Phryx *in* Ioniam *ſcorpium attulit alas habentem locuſtarum alis ſimillimas.* Proinde *Nicander* in *Theriacis* de ſcorpionibus melichloris,

Οἷς δ᾽ ἤτοι νώτοισι περὶ πτερὰ πυκνὰ χέονται
Μάστακι σιτοφάγῳ ἐναλίγκια· ——

Quibus etiam alæ denſæ circa tergum funduntur, frugivoræ locuſtæ ſimiles. Et *Epiphanius* in *Hieracitas* de auctore ſectæ *Hieraca*, Συνετρίψαμεν τοῦ σκορπίου τὰς πτέρυγας, *Scorpii alas contrivimus.* Item, Ὄφις γὰρ πτερωτός ἐστι, καὶ σκορπίος πτέρυγας ἔχων· *Is enim eſt volucer ſerpens, & alatus ſcorpio.* Et *Avicenna*, واما العقرب بالجناح فهو كبير وكثيرا ما يمنعه الريح اذا طار عن ان يقع فيسافر به من بلاد الي بلاد *Scorpio autem alatus magnus eſt; & ſæpe evenit, ut, cùm volat, prohibeat eum ventus, quo minùs in terram cadat: ac proinde ejus vi migret è regione in regionem.* Et *Damir*, ومن انواعها الطيارة وهذا النوع يقتل غالبا *Etiam in eorum ſpeciebus ſunt ſcorpii volantes, quæ ſpecies eſt maximè lethifera.*

Eſt & marinus ſcorpio, cujus meminêre *Ariſtoteles, Agatharchides, Dioſcorides, Plinius, Ælianus, Athenæus, Galenus*, alii. Is cum terreſtri nihil habet commune, præter venenatos aculeos, non in cauda, ſed in capite, & toto corpore ſparſos. Tamen *Dioſcorides* de utroque conjunctim egit, & capiti *De terreſtri ſcorpione* aliud *De marino* ſubjicit. Itaque quamvis *ſcorpionis* ſimpliciter dicti nomine ferè *terreſtris* intelligatur: tamen qui preſſiùs loquuntur, addito Epitheto *ſcorpionem terreſtrem* appellant, ut *Johannes ſcorpionem terræ*, vel ut à *volucri ſcorpione*, vel ut à *marino* diſtinguant. Ità *Cteſias*, ubi de mantichora; Τὴν δὲ κέρκον ἔχει, οἷόνπερ ὁ σκορπίος ὁ χερσαῖος· *Caudam habet, qualem ſcorpius terreſtris.* Ariſtoteles *Hiſtoriæ* libri quinti capite vigeſimo ſexto, Τίκτουσι δὲ καὶ οἱ σκορπίοι οἱ χερσαῖοι σκωληκώδη πολλά, καὶ ἐπῳάζουσιν. Quod *Plinius* ſic imitatur libri undecimi capite vigeſimo quinto, *Scorpiones terreſtres vermiculos ovorum ſpecie pariunt.* Et Antigonus *Hiſtoriâ* nonageſimâ quartâ docet τοὺς σκορπίους τοὺς χερσαίους ὑπὸ τῶν τέκνων ἀποθνήσκειν, *ſcorpiones terreſtres à prole ſuâ interimi.* Et *Dioſcorides* libro ſecundo, Σκορπίος χερσαῖος, ὠμὸς, λεῖος, ἐπιτεθεὶς, βοήθημα τῆς ἰδίας πληγῆς γίνεται· *Scorpius terreſtris, crudus, contritus, impoſitus, proprii vulneris remedio eſt.* Nec multò aliter *Paulus Ægineta* libro ſexto. *Heſychio* itidem βλίσας eſt ὁ χερσαῖος σκορπίος, ut *Philoxeno* γήϊνος σκορπίος, *nepa.*

Scorpionis terreſtris novem genera deſcribunt *Ælianus, Apollodorus* apud *Plinium*, & *Avicenna*. *Nicander* octo duntaxat, quæ non ſolùm coloribus, ſed & viribus differunt. Unde *Tertullianus* in *Scorpiaco*, *Tot venena, quot ingenia; tot pernicies, quot & ſpecies; tot dolores, quot colores* Nicander *ſcribit, & pingit.* Sed hæc conſultò prætermimus; quia nihil faciunt ad rem noſtram.

Ad ſcorpionis deſcriptionem pertinet corpus ovi figurâ, in quo caput ita conditum eſt, ut vix emineat: & χηλαὶ, ſeu *cancrina brachia*, quibus amplectitur quidquid obvium eſt, ut ſit firmior, & pungat fortius. Et octo pedes, à quibus dicitur ὀκτώπους, ut in *Proverbio* Ὀκτώποδα ἀνεγείρειν, *Octipedem excitare*, id eſt, *ſcorpionem.* Unde *Heſychius*, Ὀκτώπους, σκορπίος. Ita enim legendum, non ὀκτώπας. Sed caudâ inprimis eſt terribilis, in qua venenum, & aculeus. Itaque paſſim à *Poetis* non aliter quàm à cauda deſcribitur. Ut in *Juliani* Epigrammate *De ſignis cœleſtibus*,

Libra *ſubit, caudâque animal quod dirigit ictum.*

Et *Hilaſii*,

Libraque *lance pari, & violentus acumine cauda.*

Et *Euſthenii*,

Momentumque ſequens, caudâque timendus aduncâ.

Et *Maximiani*,

Quam ſequitur Libra, *& violentâ cuſpide ſævus.*

Et *Vitalis*,

Libra *ſimul, nigrumque gerens in acumine virus.*

Et *Aſmenii*,

Libra *ſubeſt, caudâque gerens lethale venenum.*

Et *Euphorbi*,

Hinc æquale jugum, caudâque venenifer uncâ.

Proinde vaſtatrices illæ locuſtæ *Apoc.9.v.10.* habuiſſe dicuntur *caudas ſcorpionibus ſimiles, & aculeos in caudis ſuis*, id eſt, *caudas aculeatas, quomodo ſcorpionum caudæ.* Quod ut intelligatur, neceſſe eſt ſcorpionis caudam accuratiùs deſcribere, de quo meritò dici queat quod de pavone dixit *Chryſippus*, τὸ ζῶον γεγονέναι ἕνεκα τῆς οὐρᾶς, *animal propter caudam fuiſſe creatum.* Scorpionem *Lucianus* vocat πολυσφόνδυλον, quia multas habet in cauda vertebras, nempe ſex aut ſeptem ad ſummum. Eum enim vertebrarum numerum in iis eſſe obſervant, qui mole corporis, veneno, & viribus maximè pollent. *Avicenna* quidem nonnulli ſex agnovit, quod hæc illius verba teſtantur, وقد تختلف خرزات ذنب العقارب فمنها ما له ست خرزات تشتد سطوتها في زمان طلوع الشعري ويقتل لديغها ومنها ما له اقل *Vertebræ caudæ ſcorpionum diverſo modo ſe habent. Eorum enim qui ſex habent vertebras validior eſt impetus, cùm* Sirius *oritur, & punctio eſt lethifera: ſed aliis minor eſt vertebrarum numerus.* Alii tamen aliter ſtatuunt, nempe ſcorpionem in cauda ſeptem habere vertebras. *Strabo* de *Mauritania* ubi ſupra, Σκορπίων δὲ καὶ πτερωτῶν, καὶ ἀπτέρων, λέγεται πλῆθος, μεγέθει δὲ ἑπτὰ σφονδύλων· *Scorpionum ibi alatorum, & ſine alis, copia memoratur, magnitudine autem ſeptem vertebrarum.* *Plinius* libri undecimi capite vigeſimo quinto, *Conſtat & ſeptena caudæ internodia ſæviora eſſe. Pluribus enim ſena ſunt.* Ælianus *Hiſtoriæ* libri ſexti capite vigeſimo, Καί τις ἑπτὰ ἔχων σφονδύλους ὤφθη τις. *Etiam aliquis viſus eſt ſeptem habens vertebras.* *Talmudici* in Tractatu *Gittin* cap.7.fol.69.2. לברוקתי ליתי עקרבא דשבע חומרי, *Contra ſuffuſionem oculorum ſumatur ſcorpio ſeptem juncturarum.* *Gloſſa* malè hic habet חנומר בשבע גוונים, *diſtinctus ſeptem coloribus*: cùm alibi חומרי ſint קשורים, *ligamina*, & *amuleta collo appenſa*, & *margaritæ filo conſertæ.* Proinde in ſcorpione ſeptem חומרי ſunt ſeptem illæ חוליות, *vertebræ, quas habet in cauda tanquam conſertas*, quomodo accepit *Aruch.* Hoc maximè

maximè confirmatur ex *Arabica* lingua, quâ non ſcorpionis ſolùm, ſed & in genere *ſpinæ vertebræ* خرزات *charazath* appellantur voce, quæ propriè *grana filo conſerta* ſonat, à Verbo خرز *charaza*, id eſt, *filo conſerere* aut *conſuere*. Et חרז *charaz*, idem *Hebræis*; unde חרוזים *charozim*, *monilia*, Cant. 1. v. 10. Præter has ſeptem vertebras, duas videtur addere *Nicander* in *Theriacis*, cum ſcribit de ſcorpionum quarto genere;

Σφόνδυλοι ἐννεάδεσμοι ὑπερτείνουσι κεραίης,

Vertebræ novem juncturis connexæ ſuo apice affigunt. Sed, ut ibi habet *Scholiaſtes*, ἐννεάδεσμοι idem eſt, quod πολύδεσμοι. Quaſi non præciſè novem, ſed multis juncturis connexas vertebras hâc voce *Poeta* deſignet. Proinde ſequitur in iisdem *Scholiis*, Οὔτι νῦν διὰ τὸ ἐννεάδεσμους ἔχειν, ὥς φησιν Ἀντίγονος, τὸ Ἐννεάδεσμοι εἶπεν, οὔτε διὰ τὸ ἐννεασπονδύλους, ὥς φησι Δημήτριος. Τοὺς γὰρ σπονδύλους ὁ σκορπίος οὐ πλείους ἔχων τῶν ἑπτὰ ὁρᾶται, ἀλλὰ καὶ τούτους σπανίως, καθά φησιν Ἀπολλόδωρος. *Vocem* ἐννεάδεσμοι *non ideo uſurpat, quòd novem ſint juncturæ, ut dicit* Antigonus, *neque quòd ſint novem vertebræ, ut* Demetrius *aſſerit. Neque enim videtur ſcorpio, qui plures quàm ſeptem vertebras habeat, quod ipſum eſt valde infrequens, ut ſcribit* Apollodorus. Tale in *Heſychio*, Ἐννεάκροσσον, πολλοὺς κροσσοὺς ἔχον, *Novem habens fimbrias, id eſt, multas.* Et in *Arato*

—— ἐννεάγηρα κορώνη.

id eſt, πολύγηρα, *novies-vetula cornix*, id eſt, *valde vetula*; ut ibi *Theon*. Et quòd *Timavo* ora novem *Poeta* his verbis tribuit libro primo *Æneidos*,

Unde per ora novem vaſto cum murmure montis
It mare proruptum, & pelago premit arva ſonanti.

Cùm *Martialis* nonniſi ſeptem tribuat libri quarti *Epigrammate* vigeſimo quinto,

Et tu Ledæo *felix* Aquileia Timavo;
Hic ubi ſeptenas Cyllarus *haurit aquas.*

Proinde ad *Virgilium* Servius, *Multi ſeptem eſſe dicunt: quòd ſi incerta fides eſt, finitus eſt numerus pro infinito.* Fortaſſe etiam eodem ſenſu *Callirhoë* (fontis *Attici* nomen id fuit) dicta eſt ἐννεάκρουνος. Neque enim ejus aquæ ex novem præciſè tubis, ſed ex duodecim erumpebant. Quod ex *Cratino* probant *Suidas* in Δωδεκάκρουνος, & *Tzetzes Chiliadis* octavæ Hiſtoriâ centeſimâ octogeſimâ quartâ, & *Chiliadis* undecimæ Hiſtoriâ trecenteſimâ ſeptuageſimâ quartâ.

In extrema ſcorpionis cauda eſt aculeus, quem quandoque geminum habet. Ita docent ex *Apollodoro Plinius*, & ex *Pammene Ælianus*, qui hujusmodi ſcorpiones διχέντρους vocat *Hiſtoriæ* libri ſexti capite vigeſimo, & libri decimi ſexti capite quadrageſimo ſecundo. Hinc *Avicenna*, وقد يتفق ان يكون لبعض العقارب ابرتان فيما زعم بعضهم تترك ثقبتين عند اللسعة *Et accidit, ut quibusdam ſcorpionibus ſint duo aculei: ita ut illos nonnulli poſt punctionem duo foramina relinquere aſſerant.* Porrò aculeum illum, ſive ſimplicem, ſive geminum, tenui fiſtulâ perforatum eſſe, quâ venenum infundat, tradit *Plinius* libri undecimi capite trigeſimo ſeptimo. Quod ſequutus *Tertullianus*, *Id ſpiculum*, inquit, *& fiſtula eſt patulâ tenuitate, in vulnus, & virus, qua figit, effundit.* *Hieronymus* quoque ſcorpiones ſcribit *fiſtulato vulnere venena diffundere.* Item, *aculeo fiſtulato percutere, ut eadem plaga & cutem aperiat, & venena diffundat.* Et *Baſilius* in *Hexaëmeron* Homilia nona magnitudinem elephantis negat ſe tantopere mirari, ἢ τὸ λεπτότατον τοῦ σκορπίου κέντρον, πῶς ἐκοίλανεν ὥσπερ αὐλὸν ὁ τεχνίτης, ὥστε, δι' αὐτοῦ τὸν ἰὸν τοῖς τρωθεῖσιν ἐνιέναι, *quàm tenuiſſimum ſcorpionis aculeum, quomodo in fiſtulæ modum excavavit artifex, ut venenum in ictos per ipſum infunderetur.* Hanc ſcorpionis fiſtulam, in qua venenum latere creditur, κολπώδη διπλόην, *ſinuoſam duplicitatem* appellat *Ælianus* libri noni capite quarto. Sed & *Nicandri Scholiaſtes* διπλόην vocat, quâ de cauſa non ſatis ſcitur. An quia duplex eſt quidquid concavum? Aut quia ut διπλόη ad animum translatum *ſimplicitati* opponitur, & *dolum intùs latentem* ſonat? ſic, cùm refertur ad res corporeas, *receſſum* ſignificat, & *quod ab oculis noſtris remotum eſt.* Certè non abſimili Metaphora *Nazianzeno* in Oratione *De amore pauperum*, Τὰ πολλὰ τοῦ νομικοῦ βάθους, καὶ τῆς διπλόης, ſunt *Legis profundi atque abditi ſenſus, & tanquam in receſſu latentes.* Utut ſit, hanc κολπώδη διπλόην aſſerit idem *Ælianus*, ὑπὸ τῆς ἄγαν λεπτότητος οὐ πάνυ τι συνοπτήν, *præ tenuitate nullo modo viſu percipi*: & in eadem ὀπὴν εἶναι, δι' ἧς ἔξεισιν (τὸ φάρμακον) οὐδὲ ταύτην ὄψει διαγνωστήν, *foramen eſſe, quo venenum exeat, quod ipſum oculos fugiat.* Nec multò aliter *Scholia* in *Nicandrum*, Παντὸς δὲ σκορπίου τὸ κέντρον τετρημένον ἐστὶν, ἔχον διπλόην τινὰ δυσόρατον διὰ λεπτότητα, δι' ἧς τὸν ἰοβόλον ἰχῶρα προΐησιν· *Omnis autem ſcorpionis aculeus perforatus eſt, habens fiſtulam quandam, quæ præ tenuitate videri nequit, unde venenoſa ſanies emittitur.* Sed *Galenus*, libri ſexti *De locis affectis* capite quinto, diſertè negat in ſcorpionis aculeo ullum eſſe hujusmodi foramen, quo venenum dejici poſſit. Et hujus animalculi vim noxiam referre mavult ad ſubſtantiam ſpiritualem, quæ, ut mole minima, ita facultate maxima ſit. Utut ſe res habeat, hujus ſubſtantiæ facultas non immeritò dicitur eſſe multò maxima, cùm proceriſſima animalia ſcorpio punctione necet. De homine res notiſſima eſt. Et de leone ſic *Ambroſius* in *Hexaëmeron* libri ſexti capite ſexto, *Leo quidem Rex ferarum, qui comantes cervice toros excutit, exiguo ſcorpionis aculeo exagitatur, & veneno ſerpentis occiditur. Sed quis non miretur tam brevi ſcorpionem aculeo, ut incorporeum putes, ingentium corporum excire mortem.* Et *Damir* de animalibus multò maximis, ومن غريب امرها انها مع صغرها تقتل الفيل والبعير بلسعتها *Eſt & è mirabilibus naturæ eorum* (ſcorpionum) *quòd, quamlibet parvi, elephantem, & camelum, punctione ſuâ interimunt.* Sed in ſcorpione graviſſimum, quòd, auctore *Plinio*, *ſemper cauda in ictu eſt, nulloque momento meditari ceſſat, ne quando deſit occaſioni.* *Caudam in ictu eſſe* dicit, quia ſemper erecta & intenſa eſt, ut ad ictum ſit paratior. Hinc *Lucilius* apud *Nonium* voce *Tenta*,

Hic ut muſcipulæ contentæ, ut ſcorpius caudâ
Sublatâ. ——

Et *Ovidius* libro quarto *Faſtorum*,

Scorpius elata metuendus acumine caudæ.

Et *Tertullianus* ubi ſupra, *Arcuato impetu inſurgens hamatile ſpiculum in ſummo, tormenti ratione, reſtringens.* Et *Macrobius*, *Tranſacta hâc* (hyeme) *aculeum rurſus erigit.*

Scorpionis tamen genus eſt, quod caudam non erigit, ſed humi jacentem trahit, atque ob id ipſum *Arabicè* جرارة *gerrara* dicitur. Nam ut *Chaldæis* גרר *gerar*, ſic *Arabibus* جر *giarra* eſt *trahere*. Hinc *Alcamus*, الجرارة عقيرب تجر دنبها *Algerrara*, σκορπίδιον ſeu *ſcorpio parvus, caudam ſuam trahens.* De hujus ſcorpionis natura nihil habent veteres quamvis ſcorpionum ſpecies tam accuratè deſcribant. Sed *Avicenna* multa

lib.

lib. 4. *Fen.* 6. Tract. 5. cap. 4. Cujus capitis prima verba reddere operæ-pretium eſt; quia in iis interpretes ne γρῦ quidem vident. Ea ſic habent هذا كالعقارب انجدانية الجثث جارة الاذناب وسومها حادة وتكثر بالخوز وبعسكر مكرم خاصة وفي معادن الانجذان *Hæc* (nempe *algerrara*, de qua in titulo capitis) *ſcorpionum inſtar eſt, laſerpiciariæ corpore* (id eſt, ſpecie, & colore laſerpicii) *trahens caudam, veneni acutiſſimi. Frequens eſt in Chuz* (ſeu *Suſiana*) *maximè circa* Aſcar-Mecram (inſignem *Suſianæ* urbem) *& in locis laſerpicio fœcundis.* Quibus concinunt hæc *Nubienſis Geographi* in deſcriptione *Chuſiſtan*, ſeu *Suſianæ*, Clim. 3. part. 6. ومدينة عسكر مكرم مدينة كبيرة حسنة على نهر المشرقان وبها صنف من العقارب على ورقة الانجذان وصغرتها تسمي الجرارة اذا لسبت احدا مات لحينه وقلما يسلم من لسبتة *Et urbs* Aſcar-Mecram *magna urbs eſt, & egregia, ad fluvium* Melercan *ſita, in qua ſcorpionum eſt ſpecies ſuper folium laſerpicii, & ejuſdem flavedinis. Vocatur* algerrara. *Ab ea qui punctus eſt ipſo momento moritur: rari enim ſunt, qui evadant.* Sic ille: ſed in *Avicenna* is, quem feriit *algerrara*, non tam ſubitò moritur; quin لم يشعر بها في الحال بل غدا او بعده *tum temporis ad eam non attendit, ſed manè, vel poſtridie demum.* Cætera ibi vide. Nos enim hæc ſolùm obiter. Tantùm addo, videndum eſſe, an *Aſcar-Mecram* ſit prope *Suſas Boream* versùs. Quo dato, crediderim de his ſcorpionibus *Ælianum* egiſſe libri decimi quinti capite vigeſimo ſexto, ubi narrat in itinere à *Perſicis Suſis* in *Mediam* ſecundâ ſtatione multos naſci ſcorpiones; ac proinde *Perſarum* Regem, illâc iter facturum, triduò ante mittere, qui eos venentur; quia locus alioqui eſſet ἄβατος.

Dolorem quod attinet, qui ex punctione ſcorpionis oritur, cùm eſſe graviſſimum docent hæc verba *Johannis* Apoc. 9. v. 5. 6. *Cruciatus eorum erit ut cruciatus ſcorpionis, cùm percuſſerit hominem. Itaque per eos dies homines quærent mortem, nec invenient eam, & mori deſiderabunt, ſed fugiet mors ab eis.* In quæ verba *Andreas Cæſarienſis*, Σκορπίῳ δὲ τύμματι παρέβαλε τὴν ὀδύνην, ἐπεὶ καὶ αὐτὴ, ὡς ἐπίσταν, θανάσιμος. *Scorpii percuſſioni dolorem comparavit, quia dolor ille lethalis omnino eſt.* Et aliquantò ante, Τὸ τῶν σκορπίων, ἐπιφέρει ὑπόδειγμα, ἀλγεινοτέραν τὴν αἴσθησιν τῷ κέντρῳ ἐγχρίμψει παρεχόντων. *Scorpionum ſubjungit exemplum, qui graviſſimum doloris ſenſum aculei infixione præbent.* Ubi notanda vox ἔγχριμψις, vel, ſi mavis, ἔγχρεψις, à Verbo ἐγχρίμπτω, vel ἐγχρίπτω deducta, quod in hoc ipſo negotio adhibuit *Megaſthenes*, apud *Ælianum* libri decimi ſexti capite quadrageſimo primo, cum *Indicos* ſcorpiones ſcribit τὸ κέντρον ἐγχρίπτειν τοῖς Εὐρωπαίοις παραπλησίως, *aculeum infigere ferè ad inſtar* Europæorum. *Pollux* etiam libri ſexti capite vigeſimo nono, Σκορπίος, inquit, ζητῶν ὅτῳ ἐγχρίμψει τὸ κέντρον, *Scorpius quærens cui aculeum infigat.* Itaque ἐγχρίπτειν idem ibi eſt, quod ἐγχρίειν, quod fugit hactenus *Lexicographos*. De cætero graves illos dolores, quos ſcorpio punctione excitat, *Medici* & *Philoſophi* multis deſcribunt. In his *Dioſcorides* libro ſexto, Τοῖς δὲ ὑπὸ σκορπίου δηχθεῖσιν ὁ μὲν τόπος εὐθέως ἄρχεται φλεγμαίνειν· σκληρὸς δὲ, καὶ ἐρυθρὸς, καὶ περιωδυνὸς γίνεται ὀδύνῃ γινόμενος. *Cùm quis à ſcorpione morſus eſt, locus quamprimùm inflammari incipit, duruſque eſſe, & ruber, & vehementi dolore affectus*, &c. Item, Ἐπαλγὴς δεῖ τὴν ἐπιφάνειαν τῆς αἰσθήσεως, καθάπερ ἀπὸ βελόνης κεντουμένων ὀδυνώμενος. *Totâ cute dolet eo dolore, qui ex acuum punctionibus oritur.* Multò plura habent *Avicenna*, & reliqui *Arabes*, quos longum eſſet hic exſcribere. Nec *Poetæ* tacuerunt quàm graviter ii doleant, quos pupugit tam dirum animal. Sic in libro *De lapidibus*, quem *Orpheo* tribuunt, capite *De ſcorpio lapide*, *Orion* à ſcorpione percuſſus deſcribitur

Πικρῇσιν τέτε γυῖα πεπαρμένος ἀμφ᾽ ὀδύνῃσι,

acerbis tum circa membra punctus doloribus. Et tractatum de ſcorpione *Nicander* ſic incipit,

Εἰ δ᾽ ἄγε καὶ κέντρῳ κεκορυθμένον ἀλγινόεντι
Σκορπίον αὐδήσω· ——

Age vero canam etiam aculeo dolorem inferente armatum ſcorpionem. Atque eodem pertinere quæ habet de ſcorpione melichloro *Scholiaſtes* his verbis docet, Τοῦ ἔστι ἐχθιστος ἐστὶ τοῖς ἀνδράσι, εἰ βλάψει τινὰ τούτων, ἐπὶ γὰρ πολυχρόνιον ἔχουσι τὰς ἀλγηδόνας. *Reverâ eſt hominibus infeſtiſſimus, ſi quem læſerit: doloribus enim diutiſſimè torquentur.* Item, Τὸ δὲ ἴκελα φλογὶ φησι (τὰ γυῖα) διὰ τὰς ἐπαγομένας ἀλγηδόνας ἐκ τούτων τοῖς δηχθεῖσιν· *Membra flammæ ſimilia eſſe ait propter dolores, quos punctu inferunt.* Nempe prout diverſa eſt ſpecies, ita diverſus dolor, unde *Tertullianus*, *Tot dolores, quot & colores.* Sed in pleriſque cum acuum punctura ſentitur ardor igneus. Hinc apud *Senecam Hercules*, ardens in fatali illa veſte *Lernæo* ſanguine tinctâ, exclamat,

(c) *Eheu quis intùs ſcorpius, quis fervidâ*
Plagâ revulſus cancer infixus meas
Urit medullas? ——

(c) *Herc. Oet. Act.* 4.

Nec fruſtra eſt, quòd myſticis locuſtis, quæ ſcorpionum caudas habent, non datur poteſtas nocendi hominibus, niſi per menſes quinque. Quippe ut locuſtæ, ita nec ſcorpiones diutiùs nocent. Nam per frigora torpent, nec quidquam ab iis eſt periculi. Tertullianus; *Familiare periculi tempus, æſtus:* Auſtro & Africo *ſævitia velificat.* Macrobius *Saturnalium* libri primi capite vigeſimo primo, *Scorpius hyeme torpeſcit, &, tranſactâ hac, aculeum rurſus erigit vi ſuâ, nullum naturâ damnum ex hyberno tempore perpeſſa. Avicenna* quoque nos docuit ſcorpiones majori impetu inſurgere في زمان طلوع الشعري *quâ tempeſtate exoritur* Sirius. Proinde in *Africæ* urbe *Peſcara*, ut *Leo Africanus* auctor eſt, cives ferè omnes metu ſcorpionum, quorum ibi eſt magna copia, æſtatis tempore relictâ urbe, rus commigrant, nec niſi *Novembri* menſe redeunt.

Sunt, qui ſcorpionem cenſent inter ſerpentum ſpecies. In his *Cornelius Celſus* libri quinti capite vigeſimo ſeptimo, *In quibuſdam etiam aliis ſerpentibus certa quædam auxilia nota ſunt. Nam ſcorpio ſibi ipſe pulcherrimum medicamentum eſt.* Nempe in eo veneni vis eadem, quæ in ſerpentibus. *Plinius*, ubi ſupra de ſcorpione; *Peſtis importuna veneni ſerpentium, niſi quòd graviore ſupplicio lentâ per triduum morte conficiunt.* Hinc Scriptores Sacri ſcorpiones cum ſerpentibus ferè jungunt. Sic *Moſes* Deut. 8. v. 15. *Qui duxit te per deſertum magnum & formidabile, in*

quo

quo angues, ſerpentes urentes, & ſcorpiones. Quod ſequutus *Chaldæus* ſic habet in editione *Veneta*, & *Buxtorfiana, Cant.* 2. *v.* 6. וקטיל כל חיון קלן ועקרבין די במדברא, *Et interfecit omnes ſerpentes urentes, & ſcorpiones, qui erant in deſerto.* Et *Sirachides* Eccleſ. 39. *v.* 30. (al. 35.) *Ferarum dentes, & ſcorpii, & viperæ, & gladius ulciſcens ad internecionem impios.* *Chriſtus* quoque *Luc.* 10. *v.* 19. *Do vobis poteſtatem calcandi ſerpentes, & ſcorpiones.* Et *Luc.* 11. *v.* 11. 12. *Si piſcem petierit, num pro piſce dabit ei ſerpentem? Aut, ſi petierit ovum, num dabit ei ſcorpium?* In quibus verbis *piſcem* cum *ſerpente* conferri nota, & *ovum* cum *ſcorpione* propter ſimilitudinem. Nam, ut de anguilla taceam, quæ eſt angui ſimillima, omnis piſcis repit in aquis, ut ità loquar, quomodo ſerpens in terra. Unde eſt, quod utrumque *Hebræi* vocant רמש & שרץ. Et ſcorpionis corpus eſt ovo προσεμφερὲς, maximè ſi ſit album; quale habet ſcorpionum prima ſpecies apud *Nicandrum*, *Ælianum*, *Avicennam*, & alios. Nec mole ab ovo ſcorpiones plurimum diſtant in *Judæa*, ſi verum eſt, quod aſſerunt Monachi in *Meſuam*, *circa* Hieroſolymam, *& per totam* Syriam, *magnos eſſe ſcorpiones, ut ſunt apud nos cancri fluviatiles, quos* gambaros *vulgò nominant*, id eſt, *cammaros*. Sic in intima *Nubia* circa *Nili* fontes reperias apud *Geographum Nubienſem* Climatis primi parte quartâ,

عقارب في قدر العصافير سود الالوان فتقتل في الحال *Scorpiones nigri coloris, ad magnitudinem paſſerum accedentes; qui ſtatim interficiunt.*

Deſertum inter *Judæam* & *Ægyptum* ut ſerpentibus, ità & ſcorpionibus fuiſſe infeſtum, nuper ex *Moſe* didicimus *Deut.* 8. *v.* 15. & ex *Chaldæo* Paraphraſte *Cant.* 2. *v.* 6. Sed & in partibus *Judææ* Meridianis, non procul ab extremo lacu *Aſphaltite*, mons fuit à ſcorpionum copia *Hebraicè* dictus מעלה עקרבים *aſcenſus acrabbim*, vel *ſcorpionum*, *Num.* 34. *v.* 4. *Joſ.* 15. *v.* 3. & *Jud.* 1. 36. A quo monte dicta videtur regio *Acrabatene Idumææ* vicina, 1. *Macchab.* 5. *v.* 3. Sed alia fuit *Acrabatena* multò notior; una ex *Judææ* Toparchiis in parte diverſiſſima, nempe trans *Samariam*, de qua ſæpe *Joſephus* libri ſecundi, *De bello Judaico* capite tertio & quinto, & *Plinius* libri quinti capite decimo quarto. *Agrabat* ſcribit *Iſidorus* libri decimi quarti *Originum* capite tertio. At in *Ptolemæo Acraba* eſt *Meſopotamiæ* oppidum non procul à *Carrhis*. Et *Acabene* regio prope *Tigrim*, & *Niſibim*; pro quo *Acrabene* legerim. Nam & ipſa videtur à ſcorpionibus dicta, qui frequentes circa *Niſibim*. *Geographus Nubienſis* Climatis quarti parte ſextâ, وبارض نصيبين عقارب قتالة *Etiam in terra* Niſibena *ſunt ſcorpiones mortiferi.* *Damir* in capite *De Scorpione*,

وبنصيبين عقارب قتالة يقال ان اصلها من شهروز وان بعض الملوك حاصر نصيبين فاتي بالعقارب منها وجعلها في الكيزان الفقاع ورمي بها في المناجنيق الي نصيبين

Lethiferi ſunt ſcorpiones circa Niſibin, *quorum origo dicitur eſſe ex* Saharuz, *& Regem quendam, cum obſideret* Niſibin, *ſcorpiones inde attuliſſe, & in hydriis Zythi poſitos per machinas bellicas in* Niſibin *projeciſſe.* Nempe etiam *Saharuz* cenſetur inter loca, quæ hâc peſte ſunt infamia, ut ſupra *Aſcar-Mecram*. Idem *Damir* paulò ante, والعقارب القتالة تكون في موضعين بشهروز وبعسكر مكرم وهي تلسع وتقتل وربما تناثر لحم الملسوع وتعفن واسترخي حتي انه لا يدنو منه الا وهو ماسك انفه مخافة اعدايه

In duobus locis lethiferi ſunt ſcorpiones, nempe circa Saharuz *&* Aſcar-mecram; *qui punctione interimunt. Quandoque caro puncta decidit, & putreſcit, & pendula eſt, ita ut nemo aliter, quàm naſo compreſſo, accedat, contagionis metu.* Pro شهروز *Saharuz* aliud *Damiri* exemplar habet شهزور *Sahazur*; & *Nubienſis* conſtanter شهرزور *Saharzur*, quoties hujus urbis meminit. Meminit autem multoties, *Climatis* quarti parte ſextâ, inter urbes terræ *Adarbigian*, quæ eadem eſſe videtur cum veterum *Atropatia*; quia conveniunt nomen & ſitus. Non poſſum non addere, *Æthiopiæ* lacum prope *Eſtamenam*, aut *Aſtaboram* fluvium, cujus accolas pepulit σκορπίων πλῆθος ἄμαχον; *ſcorpionum multitudo inexpugnabilis*, perperam, niſi fallor, Ἀῤῥαβάτων, pro Ἀκραβάτων, ab *Æliano* vocari *Hiſtoriæ* libri decimi ſeptimi capite quadrageſimo. Puto enim *Acrabatan* à *ſcorpionibus* dictum. Quia עקרב *acrab*, pro *ſcorpione* non ſolùm ab *Hebræis*, & *Syris*, ſed & à *Chaldæis*, *Arabibus*, & *Æthiopibus* uſurpatur. Et *Græci* quoque *Aſiæ* partem à *ſcorpionum copia* nominârunt Σκορπιοφόρον χώραν, ut ex *Ptolemæo* conſtat. Nec deerunt, qui *Scorpianos* populos indidem dici conjectent apud *Stephanum*, tanquam ex *Herodoto*. Verba ſunt, Σκορπιανός, ἔθνος. Ἡρόδοτος ἑβδόμῃ. Sed cùm *Herodotus* nec in libro ſeptimo, quem is citat, nec uſquam alibi *Scorpianorum* meminerit; videtur Σκορπιανός deflexum ex Παρικανός. *Paricani*, vel *Paricanii*, *Aſiæ* populi ſunt tam ex *Herodoto* libro tertio & ſeptimo, quàm ex *Mela* & *Plinio* noti, quorum *Paricane* Metropolis apud eundem *Stephanum* ex *Hecatæo*.

Is, qui merito ſuo aliis exoſus, atque inviſus eſt, *Arabico* Adagio dicitur eſſe أعدي من العقرب *Scorpione odioſior.* Et paſſim hujuſmodi homines cum ſcorpionibus conferuntur. Sic *Ezech.* 2. *v.* 6. ואל עקרבים אתה יושב, *Et cum ſcorpionibus tu habitas.* Ubi *Chaldæus* interpres, ובגו עמא דעובדיהון דמן לעקרבין את יתיב, *Et in medio populi, cujus opera ſimilia ſunt ſcorpionibus, tu habitas.* *Hebræi* doctores, *Selomo* & *Kimchius*, *ſpinas* hic intelligunt *ſcorpionum* nomine: ut 1. *Reg.* 12. *v.* 14. de quo loco infra dicetur. Nos cum *Hieronymo* ſcorpionem animal cum quo conferantur hi homines, qui *Prophetæ* moleſti erant. Quia nulla ſimilitudo eſt uſitatior. Sic *Sirach.* 26. *v.* 10. de muliere nequam, ὁ κρατῶν αὐτῆς, ὡς ὁ δρασσόμενος σκορπίου· *Qui tenet eam ſimilis eſt ei, qui prehendit ſcorpionem.* In *Caſſandra Lycophronis* verſu 476. σκορπίος dicitur *Hercules* διὰ τὸ φονικὸν *propter cædes patratas*, ut habet *Scholiaſtes*. *Anthologia* libri ſecundi capite quadrageſimo tertio *Ammianus* de malo homine dicit;

Θᾶττον ποιεῖ μέλι κάνθαρος, ἢ γάλα κώνωψ,
Ἢ σύ τι ποιήσεις, σκορπίος ὤν, ἀγαθόν.

Potius mel faciet ſcarabæus, aut lac culex, quàm tu quid boni facias, cum ſis ſcorpius. Et *Apulejus* libro nono, *Nôſti quendam barbarum noſtræ civitatis decurionem, quem* Scorpionem *præ morum amaritudine vulgus appellat.* Et *Procopius* apud *Suidam*, Ἦν δ' ἄρα ἡ Θεοδώρα σκορπιώδης· *Erat autem* Theodora *ſcorpioni ſimilis*: id eſt, inquit *Suidas*, πληκτικὴ, καὶ ὀργὴν σκοτεινὴ, *ad percutiendum prona, & iram occultans.* Hinc *Pollux* libri ſexti capite vigeſimo nono, ὁ δὲ ὀργίλος λέγοιτ' ἂν ἄγριος, θηριώδης, ἰοῦ γέμων, σκορπιώδης, σκορπίος· *Iracundus autem dicatur ferus, ferinus, veneni plenus, ſcorpioni ſimilis, ſcorpio.* Et σκορπιοῦν eſt *efferari, irritari, ſcorpii in morem exaſperari. Heſychius*, Σκορπιοῦται, ἀγριαίνεται, ἐρεθίζεται. Σκορπιοῦ, ὡς τὸ θηρίον τραχυνθεὶς ὀργίζου. Aliis idem σκορπιαίνεσθαι. *Suidas*, Σκορπιαίνεσθαι, ἀποθηριοῦσθαι, τραχύνεσθαι, αὐθαδίζεσθαι, *efferari, exaſperari, arroganter pertinacem eſſe.* Apud eundem ignotus auctor, Ἐς μέν τοι τὰς συνθεατρίας αἰεὶ δεινῶς ἐσκορπιαίνετο· βασκανίᾳ γὰρ πολλῇ εἴχετο. *In mulieres, quæ in eodem cum illa theatro partes ſuas agebant, ſemper ſolebat exaſperari. Erat enim maximè invida.*

Cum locuſtis myſticis poteſtas & aculei ſcorpionum tribuuntur *Apoc. 9. v. 3.10. ſcorpionum* nomine *Diabolos* intelligunt vetuſtiſſimi Doctores. *Andreas Cæſarienſis*, Σκορπίων οὐραῖς καὶ κέντροις αἱ τῶν δαιμόνων ἀπεικάσθησαν προσβολαὶ αἱ πρὸς ἀνθρώπους· ἐπειδὰν καὶ οἱ δαίμονες οὐχὶ ἅμα τῷ χρηματίσαι, τὸ βλαπτικὸν ἀπο... αἴρουσιν, ὅτι μηδὲ σκορπίος ταῖς καρκινώδεσι χηλαῖς, ἀλλὰ τῷ ἐξόπισθεν οὐραίῳ (lege οὐραίῳ) διὰ τοῦ κέντρου. *Scorpionum caudis & aculeis aſſimilati ſunt Dæmonum inſultus, quoniam Dæmones non ſtatim ac loquuntur, nocendi vim aperiunt: ſicut neque ſcorpius chelis cancrorum in morem denticulatis lædit, ſed caudâ quæ eſt à tergo, per aculeum.* Ambroſius, *Per ſorpiones vero poſſumus Dæmones accipere: quia ſicut ſcorpiones, dum non prævidentur, corpora hominum ſuo veneno inficiunt, & extingunt, ità & Dæmones incautis hominibus venena malarum perſuaſionum ingerunt, & dum ad perpetranda ſcelera pertrahunt, eorum animas veneno ſuæ malitiæ infectas occidunt.* Tamen idem aliquanto poſt caudis ſcorpionum aſſimilari vult Hæreticos, quorum doctrina eſt venenoſa, & eorum blaſphemias per aculeos deſignari. Sic *Ignatius*, aut quisquis eſt, in Epiſtola ad *Antiochenos* de falſis Doctoribus ſcribit, Βλέπετε τοὺς κύνας τοὺς ἐνεοὺς, τοὺς ὄφεις τοὺς συρομένους, τὰ αἰολόδορα δρακόντια (ſic lege pro φιλόδορα voce nihili) τὰς ἀσπίδας, τοὺς βασιλίσκους, τοὺς σκορπίους· *Videte canes mutos, ſerpentes irrepentes, variâ pelle dracones, aſpides, baſiliſcos, ſcorpios.* Et *Tertullianus* contra *Gnoſticos* ſcribens eos paſſim *ſcorpios* vocat. Ità capite quarto, *Ingeminat ſcorpius plagam.* Et capite ſeptimo, *Incutiat adhuc ſcorpius, homicidam Deum ventilans.* Et capite undecimo, *Quemcunque igitur conceperint ventum argumentationis ſcorpii iſti, quocunque ſe acumine impegerint.* Itaque *Scorpiacum*, libri titulus, nihil quidquam ſignificat, quam *potionem adverſus ſcorpios.* Alii in *Johanne* per *ſcorpionum caudas* aliud intelligunt. Nos in re obſcura ἐπέχομεν, nec audemus quidquam definire.

Ità in his *Chriſti* verbis ad Diſcipulos, *Luc. 10. v. 19. Ecce! do vobis poteſtatem calcandi ſerpentes & ſcorpiones, & ſupra omnem vim inimici, & nihil vos lædet, ſerpentum & ſcorpionum* nomine *Dæmones* intelligunt multi veterum. Sic *Clemens Alexandrinus* libro quarto *Stromatum* juſtos poteſtatem accepiſſe dicit ἐπάνω ὄφεων καὶ σκορπίων περιπατεῖν, κυριεύειν τε καὶ δαιμόνων, καὶ τῆς τῶν ἀντικειμένων στρατιᾶς, *ſuper ſerpentes & ſcorpios ambulandi, & in Dæmones & adverſarii copias dominandi.* Quod videtur addidiſſe ἐξηγητικῶς. Neque aliter explicant *Beda, Euthymius*, & *Theophylactus*. Atque hic quidem ſerpentes à Dæmonibus ità diſtinguit, ut, in Dæmonum genere qui palam percutiunt, habeantur pro ſerpentibus; qui occultius, pro ſcorpiis. Ὅσοι μὲν, inquit, ἐμφανέστερον πλήττουσιν, οὗτοι ὄφεις· ὅσοι δὲ ἀφανέστερον, οὗτοι σκορπίοι. Et exemplis allatis rem pluribus ediſſerit. Sed cauſam non video, cur eo loco *Chriſtus* de veris ſerpentibus, & de veris ſcorpiis, egiſſe non putetur. Maximè cum alius locus ſit iſti parallelus *Marc. 16. v. 18. Serpentes tollent, & ſi quid lethale biberint, non nocebit eis.* Quæ promiſſa fuiſſe ad literam impleta, patet ex *Paulo*. Is enim viperam, quæ manum ejus invaſerat, illæſus in ignem excuſſit, *Act. 28. v. 5.* Omnino igitur id ipſum à *Chriſto* in *Luca* promittitur, ſed verbis nonnihil diverſis, quæque palam alludunt ad verba *Davidis* Pſal. 91. v. 13. *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis*, &c. Proinde *Baſilius* in *Hexaemeron* Homiliâ nonâ agnoſcit utroque loco idem agi: Πίστεως, inquit, ἐστὶν ἀπόδειξις τὰ θηρία. Πέποιθας ἐπὶ Κύριον; ἐπὶ ἀσπίδα καὶ βασιλίσκον ἐπιβήσῃ, καὶ καταπατήσεις λέοντα καὶ δράκοντα· καὶ ἔχεις τὴν διὰ πίστεως ἐξουσίαν πατεῖν ἐπάνω ὄφεων καὶ σκορπίων. *Fidei demonſtratio ſunt feræ. Confidis in Dominum? Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem, & poteſtatem habes ex fide ambulandi ſuper ſerpentes & ſcorpios.* Et *Tertullianus* adverſus *Marcionem* libri quarti capite vigeſimo quarto, Dæmones in hoc loco concedit ita ſignificari, ut ſimplex ſenſus maneat, quo veræ beſtiæ intelliguntur. Verba ſunt, *Et utique ſcimus (ſalvâ ſimplicitate Scripturæ: nam nec ipſæ beſtiæ nocere poterunt, ubi fides fuerit) figurate ſcorpios & colubros portendi ſpiritalia malitia*, &c. Nec fruſtra eſt, quod ſerpentes, & ſcorpiones, & hujusmodi ſi quæ alia ſunt, *Chriſtus* vocat *vim inimici*, id eſt, *Diaboli.* Mortis enim imperium Diabolo cum tribuatur *Hebr. 12. v. 14.* videntur lethalia omnia ipſi aliquo modo ſubſervire, quomodo carnifici inſtrumenta, quibus reos torquere ſolet.

Quæritur, quid ſint ſcorpiones in his *Roboami* verbis 1. *Reg. 12. v. 11. Pater meus caſtigavit vos* בשוטים *ſcuticis: & ego caſtigabo vos* בעקרבים *ſcorpionibus.* Ità enim hanc vocem reddunt *Græci* interpretes, *Joſephus, Hieronymus*, & *Arabs.* Conſtat tamen animal haudquaquam ſignificari, ſed flagri genus ſcutica gravius. Hebræi *virgam ſpineam*, aut *flagellum ſpinis aculeatum* intelligunt. *R. Selomo Gallicâ* voce reddit אישגלנטיר *eſglantier*, id eſt, κυνόσβατον, cujus arboris virgæ, inquit, עוקצים כעקרב, *ſcorpionis inſtar pungunt.* Et *Kimchius*, poſtquam de ſcuticis egit, ועקרבים קשים מהם שהם עוקצים בקוצים שבהם, *Illis, ait, graviores ſunt ſcorpiones, quia pungunt ſpinis, quas habent.* Et *R. Levi* ſcorpiones definit שבטים אשר בהם קוצים שנוקבים ומכאיבים, *virgas ſpinis inſtructas, quæ cum dolore infiguntur*, nempe in cutem, & carnem. *Chaldæus* pro *ſcorpionibus* habet במרגנין, & *Syrus* ܒܡܪܓܢܐ quod *Elias* in *Methurgeman* exponit מין קוץ, *ſpinæ ſpeciem.* Sed מרגנין *maragnin*, à Singulari מרגנא *maragna*, (ità enim legendum) eſt ipſiſſima vox *Græca* μάραγνα, quam pro *equeſtri flagello* uſurpavit *Plato Comicus.* Quod *Pollux* libri decimi capite decimo tertio Περὶ ἱππικῶν σκευῶν ita teſtatur: Ὁ μέν τοι Πλάτων ὁ Κωμικὸς ἐν Κλεοφῶντι μάραγναν τὴν μάστιγα ὠνόμασεν. Et *Heſychius*, Μάραγνα, μάστιξ, ῥάβδος, γαυρία, Μαράγνᾳ, τῇ ταυρείᾳ. Lege, Μάραγνα, μάστιξ, ῥάβδος, ταυρεία. Μαράγνᾳ, τῇ ταυρείᾳ. Nam pro μάραγνα, voce nihili, reſcribendum eſſe μάραγνα tria docent, 1. Literarum ordo. 2. Μαράγνᾳ ſequens in alio caſu. 3. Quod alibi σμάραγνα cum προσθέσει τοῦ σίγμα in eodem *Heſychio* redditur μάστιξ, ῥάβδος, καὶ χωρὶς τοῦ σ, *flagellum, virga, etiam cum ſcribitur ſine σ.* Porrò quamvis ταυρείαν, id eſt, *lorum bubulum* exponat *Heſychius*, tamen *Hebræos* non rejecerim, qui ſpinæ genus eſſe ſtatuunt. Potuit enim id verbi primo *virgam ſpinis, ad inſtar ſcorpionis, aculeatam* ſignificare, prout idem *Heſychius* ῥάβδον vocat,

vocat, deinde καταχρηστικῶς pro *loro bubulo*, & quovis alio *flagello* ſumi. Huc facit, quod in *Gloſſis* optimæ notæ *marrugina* redditur εἶδος παλιούρου· ἔστι δὲ ἀκανθῶδες δένδρον *paliuri ſpecies; quæ eſt arbor ſpinoſa.* Nam *marrugina*, ſi quid video, eſt idem, quod μάραγνα. Utut ſit, ævo deteriore *Latini* etiam Scriptores *ſcorpionem* uſurpârunt pro *flagello aculeato.* Iſidorus *Originum* libri quinti capite vigeſimo ſeptimo, *Si lenis fuerit, virga eſt; ſi nodoſa, vel aculeata, ſcorpio rectiſſimo nomine vocatur, quia arcuato vulnere in corpus infigitur.* *Honorius* in Sermone *De S. Laurentio*, *Victima* Chriſti *in cataſta extenditur. Cum ſcorpionibus, id eſt, flagellis in modum ſcorpionum aculeatis, cæditur.* Tamen in *Lectionali ſcorpiones* a *flagellis* diſtinguuntur. *Scorpionibus*, inquit, *dehinc fuſtibus aggreſſus, exinde flagellis dire cæditur.*

Sumitur etiam *ſcorpio*, Græcè σκορπίος, vel σκορπίδιον, pro *machina bellica, quâ ſagittæ mittuntur.* Ut 1. *Machab.* 6. v. 51. de Rege *Eupatore Hieroſolymam* obſidente: Ἔστησεν ἐκεῖ βελοστάσεις, καὶ μηχανὰς, καὶ πυροβόλα, καὶ λιθοβόλα, καὶ σκορπίδια εἰς τὸ βάλλειν βέλη· *Statuit ibi balliſtas, & machinas, tormentaque ad ignem, & ad lapides ejaculandos, & ſcorpiones ad mittendas ſagittas.* Ut apud *Polybium Archimedes Syracuſis* τοξότας, καὶ σκορπίδια παρασκευάσας ἐντὸς τοῦ τείχους, διὰ τούτων ἀχρήστους ἐποίει τοὺς ἐπιβάτας, *ſagittariis, & ſcorpionibus intra mœnia conſtitutis, horum operâ claſſiarios milites inutiles reddebat.* Et apud *Plutarchum* in *Marcello*, cum ab eo clam poſiti fuiſſent οἱ σκορπίοι βραχύτονοι, *parvi ſcorpii*, quique hoſtium oculos fallebant, cùm ſe latere putantes, αὖθις ὑπὸ βέλεσι πολλοῖς ἐντυγχάνοντες, *rurſus in multas ſagittas inciderent*, recedere coacti ſunt. *Ammianus*, qui hanc machinam multis deſcribit libro vigeſimo tertio, *ſcorpionem* appellari dicit, *quoniam aculeum habet deſuper erectum.* Et *Tertullianus* in *Scorpiaco*, *Bellicam machinam retracta tela vegetantem de ſcorpio nominant.* Et *Vegetius*, *Scorpiones dicebant, quas nunc manu-baliſtas: ideo ſic vocati, quod parvis ſubtilibusque ſpiculis mortem inferant.* Nota *ſpiculis*, id eſt, βέλεσιν, ut ſuprà, quæ & ipſa *ſcorpiones* dicta, ut in *Cæſare*. *Quidam ante oppidi portam* Gallus, *ſcorpione ab latere dextro trajectus, exanimatusque, concidit.* Et in *Hirtio* libro quinto *Belli civilis*, *Scorpione accuratiùs miſſo Decurio percutitur, & ad portam decumanam defigitur.* Unde rurſus colligitur, ſpicula hæc fuiſſe, non lapides. Neque enim lapidibus, ſed ſpiculis trajiciuntur homines, & defiguntur. Et vero *Vitruvius* libri decimi capite decimo quinto & decimo ſexto catapultis & ſcorpionibus ſagittas mitti docet, & baliſtis lapides. Huic tamen διαμετρικῶς oppoſitus *Ammianus*, ubi ſuprà, ſcribit ſcorpione lapides, & balliſtâ ſagittas mitti. Quam litem componere noſtrum non eſt. Fortaſſe ejuſdem machinæ diverſus fuit uſus. Sic nos arcubaliſtis modo ſagittas, modo plumbeas glandes, emittimus.

CAPUT TRIGESIMUM.

De Cochlea, ſeu Limace.

Vox שבלול Pſ. 58. v. 9. *ubi ſolum extat, alii* ceram *explicant, alii* vermem, *alii* ſecundinas, *alii* limacem, *alii* fluentum aquæ. *Nos* limacem *præferimus cum auctore* Bereſcith Rabba, *cujus verba corrupta emendantur.* Limax σέσιλος, σέσελος, σελάπης, σεσελίτης, σίμυλος. Solitanæ *cochleæ magni nominis. Cochlea vermis genus.* Cochlea Heſiodo φερέοικος· *Ciceroni* domi-porta. Ἀπεστύτησος τῶν κοχλιῶν, *quorſum. Probatur ex* Talmude שבלול *eſſe* limaceam. *Hujus uſus ad tumores. Limax non totus contabeſcit, ut* Hebræi *volunt: ſed, ut habet* Chaldæus *interpres*, humectat viam ſuam; *unde* Græcis ὑγροκέλευθος. *Vir ſummus notatur, qui hoc alio refert perperam.* Μύξα κοχλιῶν. *Cochlea ſuo ſibi ſucco vivit. Cur impius dicatur eſſe* ut limax liqueſcens. *Cur* cochlea *vocetur* שבלול Sabbelul, *an quaſi* ſemitator, *quia* שביל ſebil, *id eſt*, ſemitam, *ſignat? Aut, voce compoſitâ ex* שב *&* לול, *quia habitat in teſta in modum* κοχλίου *inflexa? Aliæ interpretationes refelluntur. Cur Symmachus* ſecundinas *reddiderit, & Aquila* vermem? *Quis ſit ſenſus horum verborum*, Liqueſient ut aquæ. Limax *a* limo *dicitur. Quid à cochlea differat.*

Eſt perincertum quid ſit שבלול *ſabbelul*, Pſ. 58. v. 9. ubi de impio dicitur כמו שבלול תמס יהלך, *Ut* ſabbelul *liquefactionis* (vel *liqueſcens*) *abibit*. Nempe hoc vocabulum alibi nuſquam occurrit in Scriptura, neque in ejus interpretationem veteres conſentiunt. Illius enim quinque verſiones reperire eſt, eaſque ab invicem diverſiſſimas. Prima *Seniorum* eſt, qui hic habent; ὡσεὶ κηρὸς τακεὶς ἀνταναιρεθήσονται. Unde *Vulgatus*, *Sicut cera, quæ fluit, auferentur.* Nec multo aliter *Theodotion*, *Syrus*, uterque *Arabs*, & *Æthiops*. Secunda eſt *Aquila*, ὁμοίως γῆς ἐντέρῳ τακὲν πορεύσεται: à qua *Hieronymus* parum recedens *Hebræa* ſic expreſſit; *Quaſi vermis tabefactus pertranſient.* Tertia eſt *Symmachi*, ὡσπερεὶ χόριον διαλυθὲν διαφωρεῖ, *Ut ſecundinis fœtus diſſolutus perit.* Διαφωρεῖν hîc *perire* eſt, ut in *Græca* verſione *Ezech.* 37. v. 11. Ἀπόλωλεν ἡ ἐλπὶς ἡμῶν, διαπεφωνήκαμεν· *Periit ſpes noſtra, periimus*, male reddunt, *diſſonuimus*. In *Hebræo* enim eſt, נגזרנו לנו, *excisi fuimus*. Proinde *Heſychius*, haud dubie hunc ipſum locum reſpiciens, vocem διαπεφωνήκαμεν reddit ἀπωλόμεθα. Quarta eſt interpretatio *R. Selomonis*, *Aben Ezra*, *Kimchii*, & recentiorum fere omnium: *Ut limax* (vel *ut cochlea*) *liqueſcens abibit*. Quinta denique eorum, quibus שבלול *ſablul*, geminato *Lamed*, idem eſt, quod שבלת *ſibbo eth*, Pſ. 69. v. 3. 16. & *Eſ.* 27. v. 12. *aqua* ſcilicet *fluentum*, aut *alveus*. Quaſi *Pſaltes* impiorum vitam effluere velit inſtar alvei aquarum. Quod de hominibus in genere dicit *Thecoita* mulier 2. *Sam.* 14. v. 14. *Omnes morimur, & ſumus ut aqua, quæ in terram effluunt, neque amplius revocantur.* Quoſdam *Hebræos* ità reddere aſſerunt *R. Selomo* & *Pomarius*. Et illam verſionem *Aben-Ezra* tam convenire putat, quam priorem, quæ שבלול, *limacem* aut *cochleam* exponit. Vides igitur, Lector, eandem vocem שבלול, *ſablul*, aliis eſſe *ceram*, aliis *vermem*, aliis *ſecundinas*, aliis *limacem*, aliis denique *fluentum aquæ*. Nec facile eſt litem decidere, cum harum verſionum nulla ſit, quæ non habeat graves auctores. Tamen cauſas habere me puto non leves, cur iis, qui *limacem* exponunt, meum addam ſuffragium.

Vetus enim eſt hæc ſententia שבלול *ſabbelul*, eſſe *limacem*: & præter *Selomonem*, *Aben Ezram*, *Kimchium*, & *Pomarium*, quos jam antè citavimus, auctores habet *Hebræorum* antiquiſſimos. Sic in *Bereſith Rabba*, qui liber eſt pervetuſtus, capitis quinquageſimi primi ferè initio voces כמו שבלול, *ut ſabbelul*, ſic explicantur כהדין כיליי סליי לימצא כשלשול הזה שהוא נמחה בצואה, Id eſt, *ut iſtud* (animal, quod vocatur) *cochlea*, *ſeſilus*, *limax*, *ut iſte vermis, qui in ſordibus conſumitur.* Pro vocibus כיליי סליי palam corruptis, reſcribendum כוכליי ססליי, quomodo *Hebræus* ſcriptor videtur expreſſiſſe *Græca* duo *limacis* nomine κοχλίαν, & σέσιλον, vel σέσελον, vel σεσελίτην· Prius κοχλίας eſt notiſſimum. Poſterius profert *Athenæus* libro ſecundo ex *Epicharmo*, λέγονται δέ τινες τῶν κοχλιῶν καὶ σέσιλοι. Ἐπίχαρμος;

Κόγχον δὲ τὸν σέσιλον ἀπαγ' ἐς τὸν φθόρον.

Cochlearum quædam ſeſili vocantur. Epicharmus. " *Concham ſeſilum in malam rem deducito. Dioſcorides* etiam in capite *De cochlea terreſtri*, Ὁ κοχλίας ταῖς ἀκάνθαις καὶ τοῖς θαμνίσκοις προσκεκολλημένος ἄγριος, ὃν τινες σέσιλον, ἢ σεσίλιτα καλοῦσι· *Sylveſtris illa cochlea, quæ dumis & fruticibus adhæret, quam nonnulli* ſeſilum, *&* ſeſelitem *vocant.* Pro *ſeſelite* & *ſeſilo*, *ſelatem*, & *ſeſelum* alii ſcribunt. *Heſychius*, Σελάτης, κοχλίας. Idem, Σεσῆλοι, κοχλίαι, Λάκωνες. Itaque *ſeſilus*, vel *ſeſelus*, pro *limace*, *Laconicum* fuit verbum. Et inde corrigendus *Apellas*, qui σίμιλον ſcribit. *Athenæus* ubi ſuprà, Ἀπελλᾶς δὲ Λακεδαιμονίους φησὶ σίμιλον τὸν κοχλίαν λέγειν. Tamen ipſi *Heſychio* σίμιλος κοχλίας· ſed *Laconicam* eſſe vocem ab eo non obſervatur. Quid ſi in *Bereſith Rabba*, leviſſimâ mutatione, pro סילי, ſcribas סולי, id eſt, *Vau* pro *Jod*, ut intelligantur *Solitanæ* in *Africa* cochleæ, quæ tanti nominis fuerunt apud veteres. *Varro* libri tertii *De re ruſtica* capite decimo quarto, ubi de cochlearum generibus; *Mediocres, quæ ex* Africa *afferuntur: non quod in his regionibus quibusdam locis eæ magnitudinibus non ſint diſpariles. Nam & valde amplæ ſunt quædam ex* Africa, *quæ vocantur* Solitanæ, *ità ut in eas* LXXX *quadrantes conjici poſſint.* *Plinius* libri noni capite quinquageſimo ſexto, *Cochlearum vivaria inſtituit* Fulvius Hirpinus, *&c. diſtinctis quidem generibus earum. Separatim ut eſſent albæ, quæ in* Reatino *agro naſcuntur: ſeparatim* Illyricæ, *quibus magnitudo præcipua:* Africanæ, *quibus fœcunditas: ex his* Solitanæ, *quibus nobilitas.* Et libri triceſimi capite ſexto, *Laudatiſſima autem ſunt* Africanæ, *ex his* Solitanæ. Sequitur in *Bereſith Rabba*, כשלשול הזה *Sicut vermis iſte, qui in ſordibus conſumitur.* Quibus verbis cochleam *vermem* appellat generico nomine. Quomodo *Iſidorus* libri duodecimi capite quinto, *Limax vermis limi dictus, quod in limo, vel de limo naſcatur: unde & ſordidus ſemper & immundus habetur.* Nempe *vermis* nomen ſæpe complectitur inſecta, quæcunque repunt. Itaque *limacem*, ſeu *cochleam*, *Damir* etiam ſic deſcribit, ac ſi ſit vermis ſpecies. Verba ſunt, الحلزون دود في جوف انبوبة

حجرية توجد في شطوط الانهار

وسواحل البحار وهذه الدودة تخرج

بنصف بدنها من تلك الانبوبة

الصدفية وتمشي يمنة ويسرة تطلب

مادة تغذي بها فاذا احست

برطوبة او لين انبسطت واذا احست

بخشونة او صلابة انقبضت وغاصت

في جوف الانبوبة الصدفية حذارا

من المؤذي جسمها واذا انصابت

جرت بيتها معها Hallazon (id eſt, *limax*)

vermis eſt in medio teſta petroſa latens. In fluminum ripis & marium littoribus reperitur. Mediâ porrò parte ſui corporis ille vermis ex oſtreacea illa teſta exiens fertur in dextram & ſiniſtram, ut quærat unde alatur. Et, ſi quid humidum aut molle ſentiat, extenditur: ſed, ſi durum quid ſentiat, aut aſperum, contrahitur, & in oſtreaceam teſtam ſe condit, cavens ne lædatur corpus. Et quocunque repat, domum ſuam ſecum trahit. Itaque in *Heſiodi Operibus* verſu 569.

> Ἀλλ' ὁπότ' ἂν φερέοικος ἀπὸ χθονὸς ἂν φυτὰ βαίνῃ.

Φερέοικος, *Athenæo* teſte, eſt *cochlea*, non *teſtudo*, ut volunt, quæ à terra non evehitur. *Domi-portam* reddit *Cicero De Divinatione* libro ſecundo, *Si quis*, inquit, *Medicus ægroto imperet, ut ſumat*

> *Terri-genam, herbi-gradam, domi-portam, ſanguine caſſam,*

potiùs quam, hominum more, Cochleam. Et *comicus Anaxilas* quendam arguit tanquam cochleis diffidentiorem, quæ præ diffidentia perpetuo domum circumferunt. Verba ſunt,

> Ἀπιστότερος εἶ τῶν κοχλιῶν πολλῷ πάνυ,
> Οἳ περιφέρουσ' ὑπ' ἀπιστίας τὰς οἰκίας.

Sic ille ludit, cum conchæ ſint cochlearum nativæ domus. Unde *Sidonius*, *Reptileſque concha cum domibus nativis anteceſſura.* Citantur etiam ex *Talmude* duo loca, quibus mentio fit ‫ך‬ שבלול *ſabbelul.* Prior eſt in Tractatu *De Sabbatho* cap. 8. fol. 77. b. ubi Doctores, dum in eo ſunt, ut Deum probent viliſſima etiam animalia non creaſſe de nihilo, ità habent de τῷ *ſabbelul*, ברא שבלול לכתית, (*creavit ſabbelul ad tumores* ſupple *ſanandos.* Et *Scholiaſtes* in margine rectè obſervat ibi שבלול eſſe לימצא, *limacem.* Cochleas enim tumoribus illitas magni uſus eſſe ſcribunt Medicorum filii. *Dioſcorides* ubi ſuprà, Ὠμοὶ δὲ σὺν τοῖς κελύφοις καταπλασθέντες, ἐξικμάζουσι τὰ ὑδρωπικά, καὶ οἰδήματα, καὶ οὐκ ἀφίστανται πρὶν ἢ πᾶν ἀναλωθῆναι τὸ ὑγρόν. *Crudæ cum ſuis teſtis illitæ hydropicos tumores exſiccant, neque prius decidunt, quam humorem illum omnem exhauſerint.* Hæc nonniſi de hydropicis tumoribus. Sed multò generalius *Galenus* libri undecimi *Simplicium* capite trigeſimo tertio, Ἄκαυστοι δ' οἱ κοχλίαι λειωθέντες ἅμα τοῖς ὀστράκοις ἐπιτίθενται, κατά τε τῆς γαστρὸς ὅλης ἐπὶ τῶν ὑδερικῶν· κατά τε τῶν ἐν τοῖς ἄρθροις ὄγκων ἐπὶ τῶν ἀρθριτικῶν. Καὶ γίνεται μὲν ἡ ἀφαίρεσις αὐτῶν δυσαφαίρετος. ἱκανῶς δὲ ξηραίνει. &c. Τοῦτο δὲ ποιητέον κἀπὶ τῶν δυσλύτων ἐκ πληγῆς ὄγκων, καὶ ἐπὶ θλάσεως γινομένης ἐν ὠσί. Ξηραίνουσι γὰρ ἱκανῶς ἅπαντας αὐτούς, κἂν γλίσχρον, καὶ παχὺ κατὰ βάθους ὑγρὸν περιέχηται. *Cochleæ non exuſtæ una cum teſtis imponuntur, & toti ventri aquâ inter cutem laborantium, & in arthriticis articulorum tumoribus. Et ægrè quidem divelli poterunt. Impenſè autem deſiccant. Idem faciendum in tumoribus ex ictu natis difficulter ſolubilibus, & ex contuſione facta in auribus. Eos enim omnes* (tumores) *magnopere deſiccant, etiamſi viſcoſus craſſuſque humor in alto contineatur.* Hæc eadem reperire eſt in *Ætii Tetrabiblo* Serm. 1. cap. 183. qui eſt de cochlea terreſtri, & in *Aben Bitare*, qui ſic orditur caput *De cochlea terreſtri*, حلزون ج واما الحيوان المسمي

قوخلياس وهو جنس ما من اجناس

الحلزون Hallazon Galeni *eſt animal, quòd* Græcè *vocatur* κοχλίας, *quod unum genus eſt ex generibus* τοῦ *hallazon* ſeu *cochlea.* Fallitur: nam *Græcum* κοχλίας tam latè patet, quam *Arabicum hallazon.* Sed in eo loco, quem citat, *Galenus* ſolum agit de terreſtri cochlea, ſeu limace.

Alter de limace locus eſt in *Moëd Katon* cap. 1. fol. 6. b. ubi citantur in *Gemara* verba *Pſaltis* περὶ τοῦ שבלול *ſabbelul.* Et in *Scholiis* hæc leguntur, שבלול שקורין לימצא תמס יהלך כלומר שיוצאת חוץ מנרתיקו רירות נופלות ממנו עד שהוא נימוק ומת, Sabbelul, *quem* limacem *vocat*, *liqueſcendo it, quaſi dicatur ex ejus teſta ſaliva exire ex ipſo defluens, donec contabeſcat, & moriatur.* Quod qui-

quidem non eſt omni ex parte verum. Neque enim ſand unquam auditum eſt, limacem ex teſta ſua tantum ſalivæ emiſiſſe, ut totus contabuerit.

Ut lacrymis conſumpta ſuis Phœbeia Byblis
Vertitur in fontem. ——

Certum tamen eſt, quod hic habet *Chaldæus* Paraphraſtes, היך תבללא דמאים אורחה וחיל, *Ut thiblala repsile, quod humectat viam ſuam.* *Chaldais* היבללא *thiblala*, idem eſt, quod *Hebrais* שבלול *ſabbelul*, ש & ת de more permutatis. *Thiblala* igitur, id eſt *limax*, dicitur *humectare viam ſuam*. Unde eſt, quòd à *Græcis* vocabatur ὑγροκέλευθος, quaſi dicas, *humidæ viæ animal*. Extat illa vox in veteri de cochlea gripho apud *Athenæum* libri ſecundi capite vigeſimo ſecundo,

Ὑλογενὴς, ἀνάκανθος, ἀναίματος, ὑγροκέλευθος.

Neque id referendum eſt ad marinam cochleam, ut putavit vir ſummus. Nam in *Athenæi* capite, in quo affertur hic griphus, ſolùm de terreſtri agitur. Et marina cochlea non eſt ὑλογενὴς, id eſt, *in ſylvis genita*. Nec plerumque eſt ὑγροκέλευθος, neque ullam init viam, cùm ſit immobilis, & ſaxo ſuo tanquam glebæ addicta & adſtricta. Omnino igitur ibi res eſt de terreſtri cochlea, quæ meritò vocatur ὑγροκέλευθος, cùm ejus viæ nunquam non ſint humidæ. Quia quoddam virus illis aſpergit, quod *Hippocrates*, *Galenus*, & *Ætius* μύξαν κοχλιῶν *mucum cochlearum* appellitant. Plinius *ſpumam* & *ſuccum*. Ut *Plautus* in *Captivis* Scenâ primâ,

Quaſi cùm caletur cochleæ in occulto latent:
Suo ſibi ſucco vivunt, ros ſi non cadit.

Unde *Symmachus* libri primi Epiſtolâ trigeſimâ tertiâ, *Ajunt cochleas, cùm ſitiunt aeris,* (malim *roris*) *atque illis de cœlo nihil illiquitur, ſucco proprio victitare.* Itaque cùm inter eundum cochleæ vitalis illius ſucci ſemper aliquid emittant, & quò magis promoventur, eò plus ſubſtantiæ ſuæ deperdant, impius à *Pſalte* rectè dicitur ire כתבלול תמס, *ut limax liqueſcens*. Ita enim de malo in malum procedunt, *Jerem.* 9. *v.*3. & proficiunt in pejus, 2. *Tim.* 3. *v.*13. Et fortaſſe ob id ipſum *cochlea Hebræis* dicta eſt שבלול *ſabbelul*, quòd proprio ſucco tramitem ſeu ſemitam ſuam ſignet. *Semita* enim *Hebraicè* eſt שביל *ſebil*. Inde שבלול *ſabbelul*, quaſi *ſemitator*, vocari potuit hoc inſectum, ultimâ geminatâ, ut in נאפוף *Oſ.*2.*v.*2. & גבנון *Pſal.*68.*v.*17. & in חבקוק *Habbacuc Propheta* nomine. Quamvis aliud occurrat non minùs veriſſimile. Notum eſt κοχλίαν *cochleam* dici gradum in cochleæ modum inflexum. Sic *Strabonis* libro decimo ſeptimo deſcribitur *Alexandria* Πάνειον, ſeu *Panis* templum, δι᾽ ὃ κοχλίου τὴν ἀνάβασιν ἔχον, *per cochleam aſcenſum habens*. Et 1. *Reg.* 6. *v.* 8. *Vulgata* rectè habet, *Et per cochleam aſcendebant*, pro *Hebrais* ובלולים יעלו. *Hebraicè* enim לול *lul*, eſt ἑλικτὴν ἀνάβασιν, ut ibi habet *Græca* verſio. Quod graduum genus cùm *Græcè* & *Latinè* ab animali nomen habeat, *Hebræos* contra ſuſpicor ab hujusmodi gradu animali nomen feciſſe. Atque inde *cochleam* animal compoſitâ voce appellâſſe שבלול *ſabbelul*; quia ישב בלול *jaſab belul*, habitat in *lul*, id eſt, in *teſta*, quæ in modum hujusmodi gradus inflexa eſt. *Jod* excidiſſe non mirabitur, qui ſciet in hoc verborum ordine primam excidere in Imperativo, & Infinitivo, & paſſim in Derivatis. Itaque *habitatio* tam שיבה *ſiba*, dicitur, quàm ישיבה *jeſiba*.

Jam, ſi hanc interpretationem vocis שבלול *ſabbelul*, conferas cum aliis, quæ allatæ ſunt, in iis eſſe comperies, quod meritò deſideres. Nam, ut à prima ordiar, ſi de *cera* res eſſet, *Pſaltes* dixiſſet כדונג, ut *Pſalm.* 22. *v.* 15. & 68. *v.* 3. & 97. *v.* 5. non כמו שבלול, quâ voce pro *cera* nemo reperitur uſus. Idem judicium de reliquis. Nam *vermis* in Scriptura eſt רמה, vel תולעה, *ſecundina*, שליה, *fluentum aquæ* שבלת non שבלול. Neque *Hebræorum* ullus eſt, qui vocem שבלול pro *verme*, aut pro *ſecundinis* adhibeat, aut pro *fluento aquæ*. At שבלול eſſe *limacem* apud Magiſtros illorum vetuſtiſſimos abundè probant ſuperiora. Præterea quorſum dicatur impius *ire* vel *abire ut cera liquefacta*, cùm cera liquefacta nusquam eat, aut certè à loco, in quo fuſa eſt, parùm recedat? Itaque, qui *ceram* hic intelligunt, *eundi* vel *abeundi* verbum in aliud mutare coacti ſunt, ut ſenſui conſulerent. Multò minùs verba *Pſaltis* ad *ſecundinas* referre poſſis, quæ neque liqueſcunt, neque uspiam eunt. Sed puto me videre quid *Symmachum* moverit, ut vocem שבלול, χόριον, id eſt, *ſecundinas*, redderet. *Limacem* pro *ſeſilo Hebrai* corruptâ voce סילי vocabant, vel, ut legit *Boderianus*, סליא *ſilja*, quæ ipſa vox *ſecundinas* ſignificat. Itaque cum alicubi שבלול per סליא reddi reperiſſet *Symmachus*, putavit eſſe *ſecundinas*, æquivocâ voce deceptus. Sic *Aquila vermem* reddidit, quia quomodo *Arabes* ſupra حلزون *kallazon*, ita *Hebræi* שבלול, *vermem* eſſe dicebant, id eſt, vermis ſpeciem. Sed, ſi intelligatur *vermis* propriè dictus, nobis ediſſerat qui poteſt, cur vocetur *vermis liquefactionis*, ſeu *liqueſcens*. Idem ad *aquarum fluenta* referre multò ſit ineptius: neque enim aquæ liqueſcunt, cùm ſua natura ſint liquidæ. Proinde hæc verba verſûs proximè antecedentis, ימאסו כמו מים, *liqueſient ut aqua*, ſanè ſunt intelligenda, non quaſi *aquas liqueſcere* ſignificent. His enim ſolùm docetur fore, ut impii ita effluant, ac ſi eſſent tam liquidi quàm aqua. *Liqueſient ut aqua*, id eſt, *liquidi fient ut aquæ ſunt liquidæ*, non *ut aqua liqueſiunt*. Cùm igitur aqua non liqueſcat, שבלול תמס non poteſt eſſe *fluentum aquæ liqueſcens*. Inſuper cùm *Propheta* de impiis dixerit verſu octavo, *Liqueſient ut aqua*, quorſum idem inani repetitione adderet verſu nono, *Ut fluentum aquæ liqueſcens abibunt*. Hæc de loco, in quo verſamur.

Limacem à *limo* dici jam obſervavit *Iſidorus*. Præiverat *Varro* libro ſexto *De Lingua Latina*, *Limax à limo, quòd ibi vivit*. Et *Feſtus*, *Limaces, cochleæ à limo appellatæ*. *Limacem* à *cochlea* diſtinguit *Plinius*, aut *nudam cochleam* vocat, quomodo τὸν κοχλίαν τὸν γυμνὸν *Ælianus* libri ſecundi capite quadrageſimo quinto. Et alii voce compoſitâ γυμνοκοχλίαν. *Gloſſæ* veteres optimæ, *Limax*, γυμνοκοχλίας. Itaque à *Plinio limax* propriè is dicitur, qui conchâ caret. Tamen in *Horto* Columellæ *implicitus concha limax* eſt cochlea terreſtris propriè dicta.

DE SCRIPTVRÆ ANIMALIBVS, PARS SECUNDA,

Liber Quintus,

DE *Aquaticis Animalibus.*

CAPUT PRIMUM.

Varia Ranæ nomina.

Rana *cur* Græcè βάτραχος. *ὀνοματοποιητικὰ hujus pleraque nomina*, *ut* Romanum, Æthiopicum, Talmudicum, Arabicum, Ægyptium, Punicum. Hebræi צפרדע *origo ignota hactenus. Neque enim compoſita vox ex* צפר, & דע, *ut volunt: ſed ex* ضف & ردع *quia in ripis limoſis degit.* Nubienſis Geographus *emendatus.* Ranæ Chaldæum & Samaritanum *nomen*, *quomodo ex* Hebræo *deductum. Cur idem* Perſidis *fluvius* Oroates & Batrachites. *Rana* جران giran *in* Erpeniana Pentateuchi *Paraphraſi.* Γυρῖνοι, *vel* γέρινοι, *non ſunt* ranæ, *ſed* ranunculi. Tzetzes *notatus.* Γυρῖνοι *unde dicti.*

RANÆ pleraque nomina facilem habent originem. Ità *Græcè* βάτραχος dicitur, quaſi βοάτραχος, ἀπὸ τοῦ βοὴν τραχεῖαν ἔχειν, *quia vocem habet aſperam & inconditam. Latinum* nomen eſt ὀνοματοποιητικόν. Proinde *ranam* dicit *Varro* à ſua voce eſſe dictam. Idem eſto judicium de *Æthiopico* ቆርናናዕት: *kuornanaath*, & *Talmudico* אקרוקא *akruka*, & *Arabico* قر *kurron*, & *Ægyptio* ΧΡΟΟΥΡ *chrour*, & *Punico* קרור *kurur. Ranam* enim apud *Pœnos* id habuiſſe nominis ſuadet, quòd *Apuleius Herbarii* capite nono de *batrachio*, ſeu *ranunculo*, ſcribit, *Punici* ATZICURUR *appellant.* Legerim חציר־קרור *atſir-curur*, id eſt, *herbam ranæ.* Sed *Hebraici ranæ* nominis צפרדע *tſephardea*, ratio valde obſcura eſt, nequedum à quoquam cognita. Nam toto cœlo aberrant, qui *Ægyptium* eſſe ſuſpicantur, cùm *Copticum* ΧΡΟΟΥΡ ab *Hebræo* ſit omnino diverſum. Neque verius eſt, quod multi afferunt, *ranam Hebraicè* dici צפרדע *tſephardea*, à vocibus צפר *tſephar*, & דע *dea*: quarum hæc *ſcientiam*, illa *matutinum tempus* ſignificat, quod rana præſentiat & clamore ſuo indicet. Ranarum enim clamor matutinus non eſt, ſed veſpertinus. Hinc *Sidonius* libri ſecundi Epiſtola ſecunda, *Hic jam quam volupe auribus inſonare cicadas meridiè concrepantes, ranas, crepuſculo incumbente, blaterantes?* Cùm enim in aquis coire non poſſint, noctem expectant, quâ è paludibus ſuis in terram prodeuntes *Veneri* liberiùs indulgeant. Porrò clamor veſpertinus, quem *Græci* ὀλολυγόνα, *Latini* COAXATIONEM appellant, illis eſt pro incentivo & amatorio carmine; ut pluribus ſcribunt *Ælianus Hiſtoriæ* libri noni capito decimo tertio, & *Plutarchus* in libro *Utra anim.* &c. Nobis igitur neque *Ægyptia*, neque *Chaldaica*, ſed *Arabicæ* originis vocabulum eſt צפרדע *tſephardea*, quod hodieque *Arabes*, medio R eliſo ضفدع *diphda* ſcribunt pro ضفردع *diphardæ*, vel *diphrada.* Nempe in compoſitis vocibus exempla paſſim occurrunt hujusmodi eliſionum. Sic *Abraham* dicitur pro אב־רב־המון *ab-rab-hamon*, id eſt, *pater magnæ multitudinis*; *Samuel*, pro שאול־מאל, *Saül-meel*, id eſt, *petitus à Domino.* Et in עכבר *achbar*, pro

pro *mure*, & עקרב *akrab*, pro *ſcorpione*, ſimile compendium obſervavimus. Itaque, ut *Hebræis rana* eſt צפרדע *tſephardea*, ſic priſcis *Arabibus* videtur fuiſſe ضفردع *diphardea*, vel *diphrada*, deinde contractâ voce, ضفدع *diphda*. Idem enim eſt *Arabum*, quod *Hebræorum* vocabulum. Nec eſt, quod quenquam turbet, quòd *Hebraice* literam initialem per Ts, *Arabice* per D efferimus. Utrobique enim eſt *Tſade*, ſed quod *Arabes* efferunt ut D propter punctum appoſitum. *Rana* autem ضفردع *diphrada* dicta videtur voce compoſitâ ex ضف *diph*, & ردع *rada*: quarum vocum illa *ripam*, hæc *limum* ſonat. Prior ضف *diph* vel Fœmininâ terminatione ضفة *dippha* pro *ripa*, frequens eſt in *Geographis*. Sic in *Nubienſi* Climatis primi parte prima, de *Nigro flumine* dicitur, quem *Arabes Nilum* vocant, وينبت ببكلي ضفته القصب الشركي *Et ad ripam ejus creſcit calamus Sarachienſis* (credo legendum سكري *ſacchareus*, ſeu *ſacchari*) & parte quarta de vero *Nilo*, وكثر مدن مصر ببكلي ضفتيه معا *Ægypti quoque multa ſunt urbes ad utramque ejus ripam.* Et Verbum ضف *dappha* de animalibus eſt, *ad amnis*, aut *lacûs*, aut *paludis ripam turmatim degere* aut *convenire*. Poſterior ردعة *rada* pro *limo* ſæpius ſcribitur ردغة *radja* per *Gain*. Unde Verbum ارندغ *limoſum eſſe*, & ارندغ *in limum incidere*. Tamen etiam occurrit cum *Ain* ſimplici ردعة *rada*, & رداع *rida*, in *Giggeio* & *Golio*. Et in *Pſalterio* apud me MSS. & in *Savariana* ejuſdem editione *Pſ.* 68. *v.* 18. سلمني من ردعة الطين *Salva me à limo luti, ſeu lutoſo.* Itaque ex ضف *diph*, & ردعة *rada*, conflata vox ضفردع *Hebraicè* צפרדע, *animal ſignificat ad limoſas amnium aut paludum ripas degens.* Quòd graphicè nobis exprimit ranæ genium, de qua *Ovidius* libro ſexto *Metamorphoſeus*,

—— juvat eſſe ſub undis,
Et modo tota cavâ ſubmergere membra palude,
Nunc proferre caput, ſummo modo gurgite nare,
Sæpe ſuper ripam ſtagni conſiſtere, ſæpe
In gelidos reſilire lacus. ——

Proinde in *Batrachomyomachia*, quam *Homero* tribuit vulgus ſcriptorum, ſed nonnulli veriùs *Pigreti*, vel *Tigreti Cari*, τῶν βατράχων alius vocatur Λιμνόχαρις, alius Λιμνήσιος, alius Βορβοροκοίτης, alius Πηλεύς, aut Πηλίωνος, aut Πηλοβάτης. Quæ *ranæ* nomina, à *Poeta* ex argumento conficta, *Hebræo*, & *Arabico*, quæ explicamus, bellè reſpondent. *Chaldæi*, quibus ſolenne eſt *Hebræis* צ & פ permutare in ע & ו ex צפרדע fecerunt עורדעניא, unde contractum *Syrum* ܥܘܪܕܥܐ, & *Samaritanum* ࠏࠅࠓࠃࠏࠀ. Videndum an huc alludat, quod maximus *Suſianæ* vel *Perſidis* fluvius à *Barbaris Oroates* dicebatur, ut à *Græcis Vatrachites*, id eſt, Βατραχίτης, tanquam à ranis.

In *Arabica Pentateuchi* Paraphraſi, quam *Leidæ* edidit *Erpenius* ὁ μακαρίτης, *ranæ* conſtanter vocantur جران *giran*, voce alibi nunquam à me lecta, ſed orta, ut quidem puto, ex *Græcis* γέρινοι, vel γυρῖνοι, quibus *ranas aquaticas* ab *Arato* ſignificari his verbis teſtatur *Tzetzes* Chiliadis octavæ Hiſtoria 167.

Πᾶς μὲν χερσαῖος βάτραχος ἔστιν ἐκ τῶν ἀφώνων,
Οἱ δ' ἔνυδροι, οὓς Ἄρατος γερίνους ὀνομάζει,
Καὶ κανάχους, φωνητικοί, πλὴν Σεριφίων μόνων·

Muta eſt omnis rana terreſtris, aquatica autem, quas Aratus *nominat gerynos, & cavachos* (lege κανάχους, *canachos* per N) *vocales ſunt, præter* Seriphias *ſolas*. Sed locus, quem *Arato* tribuit, eſt in *Nicandri Theriacis* verſu 620.

Ἀλλ' ἤτοι γερίνων κανάχοὶ ἀτάλλα τοκῆες
Βάτραχοι. ——

Neque ibi *Nicander* ranas *gerynos*, aut *canachos*, vocat, & multò minùs *cavachos*. Sed κανάχους βατράχους, id eſt, *obſtreperas ranas*, vocat γερίνων τοκῆας, *gerynorum parentes*. Itaque γέρινοι propriè *ranæ* non ſunt, ſed *ranunculi*. Proinde idem *Alexipharmacon* verſu 563.

—— γερίνων λαιδρὰς δαμάσαιο τοκῆας,

gerynorum impudentes parentes contere, id eſt, *ranunculorum*. Hinc *Scholiaſtes*, Γερίνους (lege γερίνους) ἤγουν τὰ γεννήματα τῶν βατράχων, ἤτοι οἱ μικροί, καὶ ἀδιάπλαστοι βάτραχοι, id eſt, *ranunculi adhuc informes*. Et *Aratus Phænomenon* verſu 947.

Αὐτόθεν ἐξ ὕδατος πατέρες βοόωσι γυρίνων,

Indidem ex aqua coaxant patres gyrinorum, qui cum *gerynis* iidem ſunt. Et hanc lectionem plures ſequuntur. *Plinius* libri noni capite quinquageſimo primo, *Ranæ pariunt minimas carnes nigras, quas* gyrinos *vocant, oculis tantùm & caudâ inſignes: mox pedes figurantur, caudâ findente ſe in poſteriores. Heſychius*, Γύρινον, τὸ ἐκ τοῦ βατράχου παιδίον. *Suidas*, Γυρῖνοι, οἱ μικροὶ βάτραχοι. Et ratio nominis petenda ex *Euſtathio* in *Odyſſ.* τ'. ubi ἐκ τοῦ γυρὸς ὀξυτόνου, καὶ γυρῖνοι, βάτραχοι γυροὶ τὸ σχῆμα παρ' Ἀττικοῖς, μήπω πόδας ἔχοντες. Vult à *gyro* dici *gyrinos* ranunculos adhuc informes; quia rotundi ſunt antequam pedes habeant. Sed idem addit *Iones* pro *gyrinis* vocare γερίνους. Malim γερινοὺς, quia in *Nicandro* ſic lego, qui *Colophonius* fuit. *Colophon* autem *Ioniæ* erat oppidum.

CAPUT SECUNDUM.

Explicatio verborum *Moſis* de ranis *Ægyptiis Exod.* 8. &c.

Cur Deus minetur antequam feriat. נגף percutere *plerumque ad mortem pertinet: non tamen id perpetuum.* צפרדעים *non eſſe* crocodilos, *ut quidam volunt; ſed* ranas, *easque* aquaticas, *non terreſtres, id eſt, bufones, multis probatur. Tota* Ægyptus *ranis percuſſa. An controverſos* Ægyptiorum *&* Æthiopum *limites hæc plaga diſtinxerit.* Fluvii *nomine rivos etiam, & ſtagna, & paludes, & quasvis aquas ſignificari. Deus verus* Nili *Dominus, non* Pharao. *Ranæ etiam naturaliter ex limo generantur. Et* Nilus *his fœcundiſſimus. Tamen hæc ranarum productio cur miraculoſa. Ranæ animal amphibium, proinde è flumine aſcendunt.* Hebræi *quàm ineptè probent ranas proceriſſimas* Pharaonis *palatio fuiſſe deſtinatas. Ranæ quomodo in adium intima penetraverint. Eas* Judæi *nugantur in intima hominum corpora penetrâſſe, aut in iis fuiſſe productas. Et* Pharaonem *primum omnium ſic fuiſſe mulctatum.* Iſraëlitæ *ab hoc malo immunes.* Samaritani *in ipſo textu* Moſis *multa de ſuo addiderunt.* Moſes *quomodo* Aaroni *Deus. Cur aquas per ſe non percuſſerit, ſed per* Aaronem. *Quomodo* Aaron *omnes* Ægypti *aquas percuſſerit.* Aſcendit rana, *id eſt*, aſcenderunt ranæ. *Numeri Enallage* Hebræis *familiaris. Tamen* Hebræi *ſibi fingunt u-*

nam

nam præciſè ranam ad Aaronis *nutum ex aquis prodiiſſe, quæ reliquas aut pepererit, aut ſibilo ſuo evocaverit. Rana magna ut pagus* Hagaroniæ. *Hujus plagæ cum* Ægyptiorum *peccatis analogia. Hæc plaga quàm fuerit gravis. Nullum eſſe ſenſum corporis, cui non fuerit moleſta. Hujus elegans deſcriptio ex* Philone, *&* Joſepho. *Locorum incolæ à ranis quandoque pulſi. In* Pæonia *&* Dardania *idem accidit, quod in* Ægypto. Phænias *&* Ælianus *emendati. An Magi veras ranas produxerint. Eos malum, quod avertere debuerant, in majus auxiſſe. Cur* Pharao *confugit ad Deum. Quid ſignificent hæc* Moſis *obſcura verba,* Gloriare ſupra me, quando precabor pro te. *Cur temporis optionem* Pharaoni *dederit* Moſes. *Cur liberationem petat* Pharao, *non in præſens, ſed in craſtinum. Quomodo* Moſes *miraculum* Pharaoni *certò promiſerit, Deo non priùs conſulto. Clamavit* Moſes *ad Deum* ſuper verbum ranarum, *id eſt*, propter ranas: *ſed* Hebræi *intelligunt propter ranarum vocem, quæ in* Ægyptiorum *ventre coaxaverint. Ranæ* Poëtis loquaces, *&* locutuleæ. *Et in* Cicerone ῥητορεύουσι. *Arabibus* diſertæ. *An Deus ranas fulmine ſubegerit, ut vult* Alcimus. *Cur eas ſuper terram mortuas jacere voluerit.* In acervos acervos, *id eſt*, multos acervos. *Hæc repetitio ſæpe alibi. Quot fuerint ranarum acervi juxta* Hebræos. *In peccatorum pœnis menſura pro menſura.* Pharao *liberatus, promiſſorum immemor.*

SErmonem de ranis in *Ægyptios* immiſſis *Moſes* ita orditur *Exod.* 8. *v.* 1. *Dixit quoque Dominus ad* Moſem, *Ingredere ad* Pharaonem, *& dic ei, Hæc dicit Dominus, Dimitte populum meum, ut ſacrificet mihi. Sin autem nolueris dimittere, ecce! ego percutiam omnes terminos tuos ranis.* Jam antea Deus aquas mutaverat in ſanguinem, neque hæc plaga quidquam profecerat. Ad alteram igitur progreditur. Sed minatur antequam feriat, ut ſciat *Pharao* hæc caſu non accidere, ſed certo Dei conſilio: & niſi diſcat juſtitiam monitus, & Deum non temnere ampliùs, ſaltem fiat ἀναπολόγητος. Comminatio autem ſic habet, *Ecce! ego percutiam omnes terminos tuos ranis. Hebræum* נגף *percutere*, & Nomen inde deductum מגפה, *percuſſio*, ſeu *plaga*, plerumque ad mortem pertinent. Sic *Exod.* 12. *v.* 13. 23. 27. dicit Deus ſe percuſſurum terram *Ægypti* tollendo primogenitos. Et *Num.* 14. *v.* 37. de malis exploratoribus, *Mortui ſunt* במגפה, *percuſſione*, ſeu *plagâ*. Num. 16. v. 49. *Mortui ſunt* במגפה, *percuſſione illâ quaterdecies mille ſeptingenti.* Num. 25. v. 9. *Mortui ſunt percuſſione illâ vicies quater mille.* Et 1. Sam. 25. v. 38. ויגף *Et percuſſit Deus* Nabalem, *& mortuus eſt.* Et 2. Paral. 13. *v.* 20. idem de *Jeroboamo*. Ut *Ezech.* 24. *v.* 16. *Ecce! ego tollo à te percuſſione deſiderium oculorum tuorum.* Non tamen id eſſe perpetuum, ut percuſſio ſit lethalis, *R. Selomo* rectè docet ex *Exod.* 21. 22. *Si percuſſerint mulierem gravidam, ita ut ejiciatur fœtus ejus, nec tamen moriatur.* Ita ranis *Ægyptios* graviter percuſſit Deus, non tamen lethali plagâ. *Aben Ezra* cum his verbis *Percutiam ranis*, &c. confert quod dicitur *Pſal.* 78. *v.* 45. *Immiſit ranas, quæ perderent eos*, qui locus infra explicabitur. Idem addit vocem צפרדעים aliter atque aliter explicari, & multos eſſe, qui dicant, שהוא מין דג נמצא במצרים יקרא בלשון ערב אלתמסח ויצא מן הנהר וחוטף בני אדם, Ægyptii *piſcis ſpeciem eſſe* Arabicè THIMSACH *dicti, qui ex flumine egreſſus rapit homines.* Quæ palam ad crocodilum pertinent. Is enim *Arabicè* تمساح *thimſach* dicitur, ut olim *Ægyptiis* ΧΑΜΨΑ, auctore *Herodoto* libri ſecundi capite ſexageſimo nono. Sed hæc interpretatio palàm eſt falſa. Nam צפרדע verè eſſe *ranam* multa ſunt, quæ apertè doceant. 1. Conſenſus interpretum. 2. Quod *Arabicum ranæ* nomen ضفدع *Chaldæum* עורדענא, *Syrum* ܥܘܪܕܥܐ, *Samaritanum* ࠏࠓࠃࠏࠍࠉ ab *Hebræo* ita deſciſcunt, ut manifeſta ſervent priſcæ appellationis Veſtigia. 3. Quòd in ranas quadrat univerſa hæc hiſtoria, ut patebit ex ſequentibus. In crocodilos non item, qui non naſcuntur ex limo, & ſunt mole majores, quàm ut in lectos, furnos, & mactras potuerint ſubrepere. Præterea, ſi *Ægyptiorum* ædes, cubicula, penuaria, tam atroces feræ replevîſſent, omnes incolas diſcerpſiſſent, & devorâſſent, neque eorum ullus tantæ cladi ſuperfuiſſet. Neque petiiſſet *Pharao* in craſtinum liberari, ſed præſens remedium tam urgenti malo poſtulâſſet. Denique maluit Deus per animalcula parvi momenti, puta ranas, pediculos, muſcas, locuſtas, quam per majores feras *Ægyptiorum* faſtum retundere, & tenuibus uti mediis, ut virtutem ſuam magis proderet. Iis porrò non aſſentior, qui ranas omne genus hic intelligunt, id eſt, tam terreſtres, quàm aquaticas. Patet enim hic ſolùm agi de aquaticis: 1. ex nomine צפרדעים, quo *ranas amnicolas, & in limoſis ſtagnorum* aut *paludum ripis degentes* ſignificari docuimus. 2. Ex eo, quòd ortæ leguntur ex amne, rivis, & ſtagnis. 3. Quia, poſtquam ceſſavit plaga, ſolùm in aquis remanſerunt. 4. Cùm terreſtes ranæ pleræque ſint venenoſæ, ex hac peſte pauci evaſiſſent. Et ex earum acervis fœtor exhalans totam *Ægyptum* infeciſſet. Nullam enim *Ægypti* partem ab hac clade fuiſſe immunem, colligitur ex ipſa comminatione, *Ranis percutiam omnes terminos tuos.* Itaque in *Semoth Rabba* Sectione decimâ fabulatur è priſcis Doctoribus aliquis magnum ex hoc malo bonum *Ægyptiis* eveniſſe, diuturnam ſcilicet pacem cum vicinis *Æthiopibus*, cum quibus antea de finibus multa fuerat contentio. המצרים אומרים עד כאן תחומנו והכושים אומרים עד כאן תחומנו כיון שבאו הצפרדעים עשו שלום ביניהם הגבול שהיו נכנסות לתוכו הדבר ידוע שאין השדה שלו שנא׳ את כל גבולך גבולך ולא של אחרים, Ægyptii *nempe dicebant, Huc uſque ſunt fines noſtri. Et regerebant* Æthiopes, *Imò fines noſtri huc uſque ſunt. Sed, ranis venientibus, pacem inter ſe ſanciverunt. Quia quacunque loca ranæ invaſerant, palàm erat ea non eſſe* Æthiopum: *cùm dixiſſet Deus*, (Percutiam omnes) *terminos tuos, terminos*, inquam, *tuos, non alienos.* In quibus hoc ſaltem verum eſt, *Ægyptiorum* & *Æthiopum* tam incertos fuiſſe fines, quàm *Myſorum* & *Phrygum*. Nam in extrema *Ægypto* *Philæ* & vicina loca erant ambigui juris, ut alibi probavimus. Sed ranas hanc litem decidiſſe *Rabbinicum* commentum eſt: cùm eas immiſerit Deus in omnem *Pharaonis* ditionem, ſive legitima fuerit, ſive à vicinis per vim extorta. *Ranis percutiam omnes terminos tuos:* id eſt, quicquid nunc eſt ſub ditione tua, ſive jure, ſive injuria.

Sequitur verſu tertio & quarto, *Et producet fluvius ranas, quæ aſcendent, & ingredientur in domum tuam, & in conclave cubilis tui, & in lectum tuum, & in domos ſervorum tuorum, & in domos populi tui, & in furnos tuos, & in mactras tuas. Et ad te, & ad populum tuum, & ad omnes ſervos tuos aſcendent ranæ.* Quod in genere dictum fuerat, *Percutiam omnes terminos tuos ranis*, jam Deus proponit explicatiùs, ut *Pharaonis* animum magis feriat, *Et ebulliet fluvius ranas. Fluvii* nomine rivos etiam, & ſtagna, vel paludes ſignificari conſtabit ex verſu quinto. Sed & *Hebræi aquas* omnes hic intelligunt, ubicunque locorum fuerint. Quia cùm in *Ægypto* vix pluat, & quidquid aquarum eſt in rivis, aut ſtagnis, aut domeſticis vaſis, ex fluvio educatur, cùm Deus juſſit fluvium, ut aquas produceret,

duceret, hoc mandatum pertinuit etiam ad quasvis aquas quæ vel ex fluvio per meatus ſubterraneos in ſtagna & paludes penetraverant, vel ab eodem hauſtæ in vaſis erant reconditæ. Proinde in *Semoth Rabba* dicit *Rabbi Jochanan* כל מקום שהיה שם עפר היה טפה של מים בו היה נעשה צפרדע, *Ubicunque locorum erat pulvis, & aqua gutta, ibi fiebat rana.* Et alius ibidem, ובשעה שהיו מתגין על הכוס היה מתמלא מן הצפרדעים, *Cum in calice potum aqua temperarent, ſtatim implebatur ranis.* Alius item Deum obſervat hoc mandato docuiſſe non ad *Pharaonem*, ſed ad ſe pertinere fluvii dominium. Verba ſunt, אמר לו הקבה אתה אמרת לי יאורי אראה אותך אם הוא שלי או שלך שמכתו מבני תבא עליו ואני נחר עליו והוא יעלה צפרדעים כשם שגזרתי על המים שבתחלה אמרתי ישרצו המים ועשו צווי כן האור יעשה גזרתי, *Dixit ei Deus Sanctus Benedictus, Cum tu, o* Pharao, *dicas, Mihi eſt fluvius meus* Ezech. 29. v. 3. *docebo te, an ſit meus, vel tuus; quia plaga ejus in eum a me veniet, & ego de illo ſtatuam, ut producat ranas, quomodo initio decrevi, ut aquæ producerent,* Gen. 1. v. 20. *& impleverunt mandatum meum, ita fluvius decreto meo ſe præbebit obſequentem.* Fluvio porrò naturale erat, ut ranas produceret. Ranarum enim generatio eſt æquivoca. Neque omnes ex coitu generantur, ſed quædam ex limoſis aquis. *Ovidius* libri decimi quinti *Metamorphoſeos* verſu 375.

Semina limus habet virides generantia ranas,
Et generat truncas pedibus, mox apta natando
Crura dat, utque eadem ſint longis ſaltibus apta,
Poſterior ſuperat partes menſura priores.

Hinc *Ælianus Hiſtoriæ* libri ſecundi capite quinquageſimo ſexto, in itinere ex *Italica Neapoli Dicæarchiam* ſeu *Puteolos* ranas ſe vidiſſe ſcribit, quarum τὸ μὲν μέρος τὸ πρὸς τῇ κεφαλῇ εἷρπε, καὶ δύο πόδας ἦγεν αὐτὸ τὸ δὲ ἐπισύρετο ὅτι ἄπλαστον, καὶ ἐῴκει ἔκ τινος ὑγρᾶς ἰλύος συνεστάναι, *pars, quæ ad caput eſt, duobus pedibus acta repebat, trahebatur vero reliquum adhuc informe, & ex quodam humido cœno coaluiſſe videbatur.* Atque ex omnibus fluviis id *Nilo* maximè convenit, ut animalcula generet, cum aquas habeat valde fœcundas. *Ovidius* libri primi *Metamorphoſeos* verſu 422.

Sic ubi deſeruit madidos ſeptemfluus agros
Nilus, *& antiquo ſua flumina reddidit alveo,*
Æthereoque recens exarſit ſidere limus,
Plurima cultores verſis animalia glebis
Inveniunt, & in his quædam modo cœpta per ipſum
Naſcendi ſpatium, quædam imperfecta, ſuiſque
Trunca vident humeris, & eodem corpore ſæpe
Altera pars vivit, rudis eſt pars altera tellus.

Itaque non ſolum ranas, quo tempore exundat *Nilus*, ſed & πλῆθος μυῶν ἐκ γῆς ἀναρίθμητον φύεσθαι, *innumerabilem murium multitudinem è terra procreari* aſſerit *Diodorus* libro primo. Proinde *Nilum Ariſtoteles* dicit eſſe πολύγονον, *fœcundiſſimum.* Et *Strabo* lib. 15. γόνιμον μᾶλλον ἑτέρων, καὶ μεγαλοφυῆ θρέμματα, καὶ τἆλλα, καὶ τὰ ἀμφίβια, *eſſe aliis omnibus fœcundiorem, & majora producere cum alia, tum amphibia.* Cum igitur Deus *Nilum* jubet, ut ranas producat, nihil illum jubet, quod ſit ſupra naturam. Sed in eo fuit miraculum. 1. Quod ranas *Nilus* tantâ copiâ produxit. 2. Quod illas eo ipſo momento produxit, quo juſſus eſt. 3. Quod ranæ illæ, naturali elemento relicto, ad hominum urbes, & domos ſe contulerunt. 4. Quod omnes die dictâ funditus perierunt.

De ranis ſequitur verſu tertio, *Et aſcendent, & venient in domum tuam,* *Aſcendent*, nempe ex flumine, inquit *Selomo*. Nam, ut addit *Aben Ezra*, amnis ſemper eſt urbe demiſſior. Et ranam è flumine in terram quandoque aſcendere nihil mirum, cum ſit animal amphibium. Proinde rana de ſe dicit in *Batrachomyomachia*,

Ἀμφίβιον γάρ ἔδωκε νομὴν βατράχοισι Κρονίων,
Σκιρτῆσαι κατὰ γῆν, καὶ ἐφ' ὕδατι σῶμα καλύψαι·

Ancipitem enim ranis victum dedit Saturnius, *in terra ſalire, & in aqua corpus tegere.* Et *Varro De lingua Latina* libro quarto, *Græci ea, quæ in aqua & terra poſſunt vivere, vocant* ἀμφίβια, *è queis rana*, &c. Et *Kalonymus* ex *Abulſapha* in libro *De animalibus*, והוא מהבח אשר יחיה במים וביבשה, *Eſt è numero animalium, quæ vivunt in aquis, & in terra.* Et aliquanto antè, והוא הנכנס בבתי בני ארם, *Etiam hæc in hominum domos ingreditur.* Quæ cum plana ſint, & expedita, *R. Juda* filius *Salom*, ex eo quod ranas aſcendiſſe dicit *Moſes* in domum *Pharaonis* ineptè colligit, הבעולות שבהן, harum proceriſſimas Regio palatio fuiſſe deſtinatas, quaſi *aſcendere* dicantur ſtaturæ ratione, non ſitûs. Et, inquam, ineptè colligit. Neque enim in ſolius *Pharaonis*, ſed & in ſervorum ejus, adeoque totius populi domos aſcendiſſe leguntur. Quæ ſequuntur de cubiculis, lectis, furnis, & mactris, docent his ranis omnia fuiſſe pervia; quia vi quâdam θειλάτῳ impellebantur. At quomodo potuerunt in ædium intima, & maximè arcana, clauſis oſtiis, ac feneſtris, penetrare? Hanc objectionem ità proponit & diluit *R. Ezechias*, in *Semoth Rabba*. אם בשטה הזו לא לקו בתיהם של גדולים שהיו עשויים בשיש ובפיספס אלא מלמד שהיה הצפרדע עולה מהתהום ואומר לשיש עשה לי מקום שאעלה ואעשה רצון בוראי והיה נבקע השיש ועולה, *Si hâc ratione id factum, non percuſſa ſunt Magnatum domus, quæ ex marmore & lapidibus cæſis conſtabant. Quin diſce ranam ex abyſſo aſcendentem marmori dixiſſe, Da mihi locum, ut aſcendam, & creatoris mei voluntatem exequar: & illa, marmore diffiſſo, aſcendebat.* Quidni enim rana potuerit lapides & marmora diffindere, æque ac vermis שמיר, de quo ſuo loco agetur? Nihilo plus ſapiunt, qui ranas ſibi fingunt in domos irrepſiſſe per penetrationem dimenſionum; ut loquuntur, de quâ ante hæc poſtrema ſæcula ne fando quidem quidquam auditum eſt. Neque iis facilè aſſentiam, qui ædium fores & feneſtras ranis patuiſſe volunt, etiam invitis dominis, per angelorum miniſterium. In miraculis enim ſufficit, ut id credamus, quod Scriptura revelat, neque opus eſt quidquam ulterius ſibi fingere. Ranas igitur dixerim, vel per parietum rimas, quomodo mures, & colubros, in ædes penetraſſe vel etiam per oſtia, quæ ſemper clauſa eſſe non poſſunt, cum variis de cauſis neceſſe ſit è domo quandoque egredi, atque in eam rurſus ingredi. Ad exaggerationem pertinent hæc quarti verſûs, *Et ad te, & ad populum tuum: & ad omnes ſervos tuos aſcendent ranæ.* Quaſi dicatur fore, ut, non contentæ domos ingredi, ipſos homines impetant. Sed hic *Hebræi* rurſus ſuo more nugantur. Volunt enim ranas illas non ſolùm in ædes, ſed & in ipſa hominum corpora penetrâſſe. *R. Selomo*, בתוך מעיהם נכנסין ומקרקרין, *in media eorum viſcera ingrediebantur, & coaxabant.* *Jonathan* quoque in *Paraphraſi*, ובגופך ובגופי עמך ובכל עבדך ישלטון עורדעניא, *Et in corpus tuum, & in corpus populi tui, & in omnes ſervos tuos irruent* (aut *prævalebunt*) *ranæ.* Quamvis alii ranam in *Pharaone* procreatam fuiſſe malint. Ità enim *Rabbi Acha*, ראיה שהיה שותה מים וטפה אחת יורדת על לבו ונעשה צפרדע ונבקעת שם, *Probabile eſt, cum biberet aquam, guttam unam in cor ejus illapſam factam fuiſſe ranam, atque ibi fiſſam fuiſſe.* Imo *fixam fuiſſe*, id eſt, *hæſiſſe*. Legendum enim נקבעת pro נבקעת. Neque id eſt ſolidius, quod ex verborum ordine, בכה ובעמך, *in te, & in populum tuum*, *Pharaonem* colligunt immiſſis ranis primùm fuiſſe caſtigatum, quia primus peccaverat

ſaverat. Ità habetur in *Semoth Rabba*, פרעה התחיל בעבירה תחלה שנאמר ויאמר אל עמו ומו התחיל במכה תחלה שנא׳ ובכה ואחר כך ובעמך Pharao *in tranſgreſſione præiverat*, *prout de eo legitur* Exod. 1, 9. *Et dixit populo ſuo*, &c. *Proinde ab eo incœpit plaga*, *prout hic primo dicitur*, " *Et in te*, *deinde & in* " *populum tuum*. Sed, ut taceam, *Pharaonem* illum, qui dixit populo ſuo, *&c. Exod.* 1. *v.* 9. non eundem fuiſſe cum illo *Pharaone*, quem Deus tot mulctavit plagis; ſive à *Pharaone*, aut à populo pœna incœperit, aut, quod veroſimilius eſt, in utroſque ſimul à Deo ſit animadverſum: tamen à *Moſe* debuit *Pharao* prior nominari, quia dignior. Itaque verborum ordo non probat, quod illi volunt. Sed plus rationis in *Rabbi Japheth*, qui ex his ipſis verbis, *Adte*, *& ad populum tuum*, &c. concludit כי בו ובעמו עלו בלבד ולא בעם ישראל, *ranas ſolum in* Pharaonem, *& populum ejus aſcendiſſe*, *in* Iſraelitas *non item*. Et fruſtra eſt *Aben Ezra*, qui conatur eum refellere, ſed nulla ratione idonea. Itaque in verbis, quæ ſuprà explicata ſunt, *Percutiam ranis omnes terminos tuos*, ea ſolum loca intelligo, in quibus erant *Ægyptii*. Neque enim veriſimile eſſe, *Iſraelitas* iis ipſis pœnis fuiſſe obnoxios, quæ ipſorum gratiâ *Ægyptiis* infligebantur. Quin has plagas in reos Deus ità dirigebat, ut ab aliis eas arceret, quos volebat exemptos. Non ſolum ut parceret ſuis, ſed & ut *Ægyptii* cladem ſuam Dei juſtitiæ, non caſui, aut naturalibus cauſis, adſcribendam eſſe cognoſcerent.

Poſt verba, quæ explicavimus, *Samaritani* multa de ſuo infulciunt, non ſolum in Paraphraſin, ſed & in ipſum *Moſis* textum: Nempe *Moſem*, *& Aaronem*, *ad* Pharaonem *iviſſe*, *& ei hæc denuntiâſſe*, *Ità dicit Dominus*, *Dimitte populum meum*, *ut ſacrificet mihi*, & reliqua, quæ habentur verſibus ſecundo, tertio & quarto. Quaſi non ſit ſatis, quod *Moſes* jubetur hæc *Pharaoni* dicere, niſi dixiſſe referatur totidem verbis: quâ fide nuntii apud *Homerum* illa ipſa verba numerant, ad quæ dicenda miſſi ſunt. Quod quidem haud dubiè præſtitit *Moſes*, prout jubetur *Exod.* 4. *v.* 12. & 6. *v.* 29. Atrem, quæ per ſe ſatis ſuppletur, non ſolum ſuperfluè, ſed & auſu nefario ei libro addiderunt, cui nefas eſt quidquam addere, vel detrahere. *Deut.* 12. *v.* 32.

Pharaonem autem Dei minas ſusque deque habuiſſe, ac proinde Deum ad pœnas infligendas ſe accinxiſſe docent, quæ habentur verſibus quinto & ſexto, *Dixitque Dominus* Moſi; *Dic* Aaroni, *Extende manum tuam cum virga tua in flumina, in rivos & in ſtagna: & fac, ut aſcendant ranæ ſuper terram* Ægypti. *Et extendit* Aaron *manum ſuam ſuper aquas* Ægypti: *& aſcenderunt ranæ, & cooperuerunt terram* Ægypti. *Aaron*, juſſu *Moſis*, manum & virgam in *Ægypti* aquas extendit, tanquam illius legatus, & vicarius. *Moſes* enim illi erat tanquam pro Deo, *Exod.* 4. *v.* 16. Ut habet vetus Adagium apud *Suidam*, & alios; Ἄνθρωπος ἀνθρώπου δαιμόνιον, *Homo homini Deus*. *Hebræi* aliud comminiſcuntur, nempe *Moſem* non debuiſſe aquas per ſe percutere, quia in illis ſervatus fuerat. Hinc *Jonathan* in *Paraphraſi*, משה לא אלקי ית מיא לא בארמא ולא בעורדעניא מן גלל דהוה ליה בהון שיזובתא בזמן דשלקת יתיה אמיה בנהרא, Moſes *aquas non percuſſit*, *neque ſanguinis*, *neque ranarum plagâ*; *quia per eas ſalutem conſequutus fuerat*, *cum à matre in flumen projectus eſt*. Et *Rabbi Tanchuma* in *Semoth Rabba*, אמר לו הקב״ה למשה המים ששמרוך בשעה שהושלכת ליאור לא ילקו בידך, Moſi *dixit Deus Sanctus Benedictus*, *Aquæ*, *quæ te ſervârunt*, *cum in amnem projectus es*, *manu tuâ non percutientur*. Quaſi non idem ſit, quod eas *Moſes* per *Aaronem* percuſſit, quàm ſi per ſe percuſſiſſet. Cum autem verſu ſecundo ranas ſolum è flumine producendas dixiſſet Deus, hic *Aaron* jubetur virgam extendere ſuper flumina, rivos, & ſtagna, vel paludes. Sed res eodem recidit, cum ſeptem *Ægypti* flumina, de quibus *Eſ.* 11. *v.* 15. & rivi, ſive διώρυγες, adeoque ſtagna etiam, & paludes, quotquot in *Ægypto* ſunt, ex uno *Nilo* deducantur. Neq; hic diſquirendum, quomodo non ſolum flumina, & rivos, ſed & ſtagna, & paludes, & mille aquarum colliquias, & ſulcos, & elices, qui per totam *Ægyptum* ſparſi ſunt, *Aaron* virgâ percuſſerit. Non enim ſingulos adiit: ſed ſolum in genere notavit, & virgâ eminus in eos intentâ deſignavit: quod *Aben Ezra* verè aſſerit.

Aquæ autem locorum ubivis, Creatoris dicto ſtatim obſequentes, ranas ebullierunt, quæ ex iis aſcendentes cooperuerunt terram *Ægypti*. *Hebræa* habent, ותעל הצפרדע ותכס, *Et aſcendit rana*, *& operuit*, &c. pro *aſcenderunt ranæ*, *& cooperuerunt*, per Numeri Enallagen, quâ figurâ nihil frequentius. Sic *Gen.* 3. *v.* 2. *De fructu arboris hujus horti veſcimur*. *Arboris*, id eſt, *arborum*. Et verſu ſeptimo, *Conſuerunt folium ficus*: id eſt, *folia*. *Gen.* 4. *v.* 20. de *Jabale*; *Hic pater fuit habitantis in tentoriis*, id eſt, *habitantium*. Gen. 12. v. 5. *Sumpſit* Abraham *animam*, *quam acquiſiverat Charane*. *Animam*, id eſt, *animas*, ſeu *perſonas*. Ità *rana* hic, id eſt, *ranæ*. ut *Pſal.* 78. *v.* 45. *Et ranam* (ſupple *miſit*) *quæ perdidit eos*. Et paulò infrà in capite, in quo verſamur; *Percute terræ pulverem*, *ut fit* לכנם, *in pediculum*: id eſt, *in pediculos*. Neque *Jarchium* id latuit. Tamen in re tam obvia impingunt *Hebræi* veteres. Et unam præcisè ranam exiiſſe intelligunt ex omnibus illis aquis, in quas *Aaron* virgam extenderat. *Midras* in hunc locum, צפרדע אחת היתה והיו מכין אותה והיא מתזת נחילים נחילים, *Unica rana fuerat*, *quam percuſſerunt*; *& ea diviſa eſt in multa examina*. Et *R. Akiba* in *Semoth Rabba* צפרדע אחת היתה והיא השריצה ומלאה את ארץ מצרים *Unica fuerat rana*, *quæ tam fœcunda fuit*, *ut impleverit totam* Ægyptum. Nempe rana fuit illi ſimilis, de qua nugator *Talmudicus* in *Bava Bathra* cap. 5. fol. 73. b. חזיא לי ההיא אקרוקתא דהויא כי אקרא דהגרוניא ואקרא דהגרוניא כמה הויא שיתין בתי אתא תנינא ובלעה אתא פושקנצא ובלעא לתנינא וסליק יתיב באילנא חזי כמה נפיש חיליה דאילנא אמר רב פפא בר שמואל אי לא הואי התם לא הימני, *Mihi viſa eſt rana quædam*, *quæ erat magna ut pagus* Hagaroniæ. *Pagus autem* Hagaroniæ *quantus fuit? Sexaginta domorum*. *Venit draco*, *qui ranam illam deglutivit*. *Venit corvus*, *qui deglutivit draconem*, *& avolavit*, *ſeditque in arbore quadam*. *Vide quantum fuerit robur iſtius arboris*. *Dixit* Rabbi Papa Samuelis *filius*, *Niſi illic fuiſſem*, *non credidiſſem*. Mihi proinde parcent recutiti Doctores, ſi non ſum ego credulus illis, cum ibi terrarum nunquam fuerim. Verum enimverò

Non cuivis homini contingit adire Corinthum.

Quid, quòd in ipſis *Judæis* fuêre, qui dubitaverint, an re verâ ex unica rana reliquæ omnes propagatæ ſint. Et hâc in parte *Eliezer Azariæ* filius ab *Akiba* diſſentire auſus eſt, atq; aliud comminiſci longè ſcilicet veriſſimilius, צפרדע אחת היתה ושרקה להן ובאו, *Rana fuit unica*, *quæ ſibilo reliquas evocavit*, *adeoque illæ venerunt*. Ranis nimirum illa ætate pro coaxatione fuit ſibilus, isque tam gravis, ut una ſibilans per totam *Ægyptum* audita ſit.

Nunc, ut ſerio agatur, de hujus plagæ natura, & gravitate, paucis dicendum. Atque id primo obſervandum ex *Ægyptiorum* peccatis id fuiſſe graviſſimum, quod *Hebræorum* filios in *Nilum* projici juſſerant.

rant. Proinde amnis, tanquam illorum crimine contaminatus, videtur hujus criminis pœnas ab illis repoſcere, & primò pro aquis dat ſanguinem, εἰς ἔλεγχον νηπιοκτόνου διατάγματος, *ad redargutionem mandati infanticidæ*, ut habetur *Sap. 2. v. 7.* Secundò *pro piſcibus eructat illis idem fluvius ranarum multitudinem*, Sap. 19. v. 10. Nec deſunt, qui ranas per domos reptitantes, coaxantes, atque in ſtratis jacentes, infantum inceſſum, vagitum, atque in cunis quietem volunt aliquo modo adumbrâſſe, ut ipſa pœna crimen admiſſum illis in memoriam revocaret. De quo conſule inprimis *Theodoretum* in *Exodum* Quæſtione decimâ nonâ. Utut ſit, etſi rana non videatur animal uſque adeò maleficum, cùm neque morſu, neque veneno noceat, gravis tamen fuit hæc plaga, nec ſenſuum corporis ullus eſt, cui moleſta non fuerit ranarum tanta multitudo. Horrendum enim erat ſpectaculum, non ſolùm agros, ſed & urbium plateas, atque ipſas domos videre tam turpi agmine ſcatentes. Et aures fatigabat continua coaxatio. Nec palato ſapiebant cibi illarum contactu fœdati. Nocturnam quoque quietem interturbabant tam importunæ σύγκοιτοι. Teter denique mortuarum odor ſævam Mephitim exhalabat. Hæc incommoda graphicè deſcribunt *Judæi* duo ſermonis elegantia *Græcis* haud quâquam inferiores. Prior *Philo* ſic habet libro primo *De vita Moſis*, Βατράχων πλῆθος ἀνέρπει τοσοῦτον, ὡς μὴ μόνον ἀγορὰς, καὶ πάντα τὸν ὕπαιθρον, ἀλλὰ πρὸς τούτοις ἐπαύλεις, οἰκίας, ἱερὰ πάντα, ἰδιωτικὸν, καὶ δημόσιον τόπον περιλαβεῖν. *Ranarum tanta vis prorepſit, ut non tantum fora compleret, & ſub dio quidquid erat, ſed etiam villas, domoſque, ac ipſa templa, & tam privata, quàm publica omnia.* Et paulò poſt, Μήτ' οὖν ἔξω προελθεῖν ἕνεκα τοῦ προκατειληφθαι τοὺς στενωπούς, μήτε ἔνδον δυνάμενοι μένειν· καὶ γὰρ τὰ ἐν μυχοῖς ἤδη προκατειλήφεσαν, ἄχρι καὶ τῶν ὑψηλοτάτων ἀνισταμένων, ἐν ἐσχάταις ἦσαν συμφοραῖς, καὶ σωτηρίας ἀπεγνώκεσαν. *Itaque cùm neque foràs (Ægyptii) progredi poſſent, viis jam occupatis, neque intus manere, quia ranæ jam intimas ædes repleverant, uſque ad ſummas contignationes adrepentes, ad incitas redacti erant, & de ſalute deſperabant.* Alter *Joſephus Antiquitatum* libri ſecundi capite quinto, Βατράχων πλῆθος ἄπειρον τὴν γῆν αὐτῶν ἐπεβόσκετο. μεστὸς δὲ τούτων καὶ ὁ ποταμὸς ἦν, ὡς διερευνωμένους τὸ ποτὸν τῇ τῶν ζώων ἰχῶρι κεκακωμένον λαμβάνειν, ἐναποθνησκόντων, καὶ συνδιαφθειρομένων τῷ ὕδατι. ἥ τε χώρα μεστὴ κακῆς ἦν ἰλύος γεννωμένων τε καὶ ἀποθνησκόντων, τάς τε κατ' οἶκον αὐτῶν διαίτας ἠφάνιζον ἐν βρωτοῖς εὑρισκόμενοι καὶ ποτοῖς, καὶ τὰς εὐνὰς αὐτῶν ἐπιπολάζοντες, ὀσμή τε χαλεπὴ ἦν, καὶ δυσώδης, ἀποθνησκόντων τῶν βατράχων, καὶ ἐν αὐτῇ διαφθαρμένων. *Ranarum vis immenſa terram eorum populabatur. Refertus erat & fluvius, ita ut potus inde nonniſi harum ſanie vitiatus hauriri poſſit, immorientibus ranis, & in aqua putreſcentibus. Plena erat & regio turpi limo, ex quo enaſcebantur, rurſuſque in eundem reſolvebantur. Quin & domeſticum victum fœdabant, in eſculentis & poculentis reperta. Et in lectis quoque oberrantes. Ita ut omnia fœterent putore ex ranis mortuis & corruptis exhalante infecta.* Proinde ſi hæc plaga vel in paucas duràſſet hebdomades, *Ægyptios* neceſſe fuiſſet ſolum vertere, atque in alias ſedes migrare.

Neque res eſt ſine exemplo. *Gallis* enim alicubi idem accidit, ut docent hæc *Plinii* libri octavi capite vigeſimo nono, *Marcus Varro auctor eſt ab ranis civitatem in* Gallia *pulſam.* Et in *Thracia Abderitas*, ut ex *Trogo* ſcribit *Juſtinus* libro decimo quinto: Caſſander *ab* Apollonia *rediens*, *in* Abderitas, *qui propter ranarum muriumque multitudinem, relicto patrio ſolo, ſedes quærebant.* Lege *rediens incidit in Abderitas*, ex *Oroſio* libri tertii capite vigeſimo tertio. *Abderitæ* igitur veri fuerunt βατραχομυομάχοι. Sed inprimis memorabile eſt, & *Moſis* hiſtoriæ de ranis ἀντίστροφος, quæ de *Pæonia*, & *Dardania*, referuntur à ſcriptoribus pervetuſtis *Phænia*, & *Heraclide Lembo*, quorum ille *Ariſtotelis* fuit diſcipulus, & amicus *Theophraſti*, hic ſub *Ptolemæo Philometore* vixit circa *Olympiadem* CL. Et *Phænias* quidem ſcripſit ὕσαι τὸν Θεὸν βατράχους περὶ Παιονίαν, καὶ Δαρδανίαν, ὧν καὶ τοσοῦτον ἦν πλῆθος, ὡς τὰς ὁδοὺς πληρῶσαι. ὡς δὲ κτείνοντες, καὶ συγκλείοντες τὰς οἰκίας, οὐδὲν ἤνυον· ἀλλὰ καὶ τὰ σκεύη ἐπληροῦτο, καὶ μετὰ τῶν ἐδεσμάτων ἦσαν οἱ βάτραχοι συνεψόμενοι. καὶ οὐδὲ τοῖς ὕδασιν ἦν χρῆσθαι, οὐδὲ τοὺς πόδας ἐπὶ γῆν θεῖναι, διὰ συνεσωρευμένων αὐτῶν. ὀχλούμενοι δὲ καὶ ὑπὸ τῆς τῶν τετελευτηκότων ὀσμῆς, ἔφυγον φασὶ τὴν χώραν, *Deum ranarum pluviam immiſiſſe circa* Pæoniam, *&* Dardaniam, *quarum tanta fuerit copia, ut vias impleverint. Cumque adeò eas occidendo, & domos occludendo nihil proficerent, ſed & vaſa implerentur, & cum cibis ranæ ſequerentur. Neque aquis uti liceret, neque pedes uſpiam in terra figere, cum ubique coacervatæ eſſent. Et mortuarum fœtor illis eſſet gravis, dicuntur ex ea regione ſe ſubduxiſſe.* Ita citat *Euſtathius* in librum primum *Iliados* pag. 26. *Athenæus* quoque libri octavi capite ſecundo hoc idem refert ex *Heraclide Lembo*, quem *Phæniam* ſequi apparet, ita tamen ut in nonnullis differat. Ille enim *ranis ſolas vias*, hic τὰς οἰκίας, καὶ τὰς ὁδοὺς πλήρεις εἶναι, *tam domus, quam vias plenas fuiſſe* aſſerit. Et à *Phænia* οἱ βάτραχοι *ranæ* cum cibis deſcribuntur συνεψόμενοι *ſequentes*: ſed in *Heraclide* longè meliùs συνεψόμενοι, καὶ συνοπτώμενοι, *ſimul elixæ, & aſſæ.* Proinde etiam in *Phænia* legendum συνεψόμενοι. Porrò cùm *Autariatas* olim circa *Pæoniam & Dardaniam* habitâſſe ſit planum ex *Strabonis* libro ſeptimo, non dubium, quin huc pertineat, quod alii de *Aphtariatis*, *Autariatis*, vel *Autoriatis* referunt, ranas, vel ranarum pluvias eos aliò migrare coëgiſſe. Sic *Agatharchides* libri quinti capite vigeſimo octavo, poſtquam narravit propè *Acridophagos* regionem eſſe deſolatam, à ſcorpionibus & ſolpugis gente ſublatâ, addit; Καὶ μυῶν δὲ πλῆθος ἀρουραίων, ὡς τοῖς περὶ Ἰταλίαν, καὶ στρουθοὶ τὰ σπέρματα κατεσθίοντες, ὡς περὶ Μηδίαν, καὶ βάτραχοι, ὃ γέγονε περὶ τοὺς Ἀφθαριάτας. καὶ λεόντων ἐπιπολασάντων (πλῆθος) πόλεις μετανίστησαν, ὡς ἐπὶ Λιβύης. *Murium etiam agreſtium copia, ut in* Italia, *& aviculæ ſemina comedentes, ut circa* Mediam; *& ranæ, quod accidit circa* Aphthariatas, *& leonum increbeſcentium multitudo, ut in* Africa, *civitates aliò migrare coëgerunt.* Et *Diodorus* libro tertio, (a) Τοὺς δὲ καλουμένους Αὐταριάτας βάτραχοι τὴν ἀρχὴν γενόμενοι σύστασιν ἐν τοῖς νέφεσι λαμβάνοντες, καὶ πίπτοντες ἀντὶ τῆς συνήθους ψακάδος, ἐβιάσαντο τὰς πατρίδας καταλιπεῖν, καὶ καταφυγεῖν εἰς τοῦτον τὸν τόπον, ἐν ᾧ νῦν καθίδρυνται. Autariatas, *qui vocantur, ranæ primigeniam conſtitutionem in nubibus accipientes, & pro conſueto rore cadentes, coëgerunt patrias ſedes relinquere, & ad ea loca confugere, quæ nunc occupant.* Ælianus quoque libri decimi ſeptimi capite quadrageſimo primo, Βάτραχοι δὲ ἡμιτελεῖς πολλοὶ πεσόντες ἐξ ἀέρος Αὐτωριάτας Ἰνδῶν μετῴκισαν εἰς χῶρον ἕτερον. *Ranæ imperfectæ multæ ex aere delapſæ* Autoriatas *Indorum* (populos) *aliò migrare coëgerunt.* Sed ne mireris *Indis* hanc gentem adſcribi, qui à *Dardanis* & *Pæonibus* tantum diſtant,

(a) Edit. Steph pag. 114.

Quantum Hypanis Veneto *diſtat ab* Eridano,

pro Αὐτωριάτας Ἰνδῶν, me auctore, ſcribe Αὐτωριάτας Μαιδῶν. In iis enim locis *Mados* populos & *Medicam* regionem deſcribunt *Ariſtoteles* in *Mirabilibus*, *Livius*, *Strabo*, *Ptolemæus*, *Stephanus*, & *Geographorum* alii. Olim legebam ἔνθεν μετῴκισαν, *illinc migrârunt*, vel ἔνδον *intùs*, id eſt in interiorem regionem, & *Græciæ* viciniorem, nempe in *Epiri Theſprotiam*, quod ſuadebant hæc *Stephani*, Αὐταριᾶται, ἔθνος Θεσπρωτικόν. At prior conjectura mihi nunc magis arridet.

Hâc calamitate preſſi & propè oppreſſi *Pharao*, & *Ægyptii*, primò ad *Magos*, id eſt, ad Dæmones, deinde ad Deum recurrunt, contra quàm in *Poeta Juno*,

Flectere ſi nequeo Superos, Acheronta *movebo.*

Et *Magi* quidem in ſpeciem idem fecerunt, quod *Moſes*

Moſes, id eſt, ranas produxerunt incantationibus ſuis, שהיו סבורין שהם מעשה שדים, *ut putarent Ægyptii etiam eas ranas, quas produxerat* Moſes, *eſſe Dæmonum opus.* Ità in *Semoth Rabba.* At cum paucas produxiſſent, & ex paucis aquis, ut ait *Aben Ezra*, vidit *Pharao* quantum *Aaronis* opus ab eorum opere differret. Sed neque *Magos* certum eſt veras ranas produxiſſe. Eas enim aliunde allatas fortaſſe ſuppoſuerant, aut præſtigiis ſuis *Pharaoni* impoſuerant. Quanquam ex putri materia ranas producere non ſit magnæ molis opus, cum quandoque ex genitali aqua, cœleſti calore condenſatâ conformatâque, ranunculos etiam in nubibus excludi conſtet. Utut ſe res habeat, omnino *Magorum* hic fuit *κενὴ ἐπίνοια.* Cùm enim à *Pharaone* advocati fuiſſent, ut à ranarum plaga liberarent *Ægyptios*, quod malum avertere debuerant, augent in majus, ranis aliis de novo productis. Quo exemplo *Balaam*, vocatus, ut *Iſraelitas* malediceret, iis benedixit. Et *Balak* apud illum ſic conqueritur *Num.* 23. *v.* 11. & 24. v. 10. *Quid eſt hoc, quod agis? Ut maledíceres hoſtibus meis, te vocaveram. Ecce! autem ut benedicendo benedicis.* *Pharao* potuit itidem *Magis* ſimile quid objicere, "Vos vocaveram, ut hanc peſtem "à nobis amoliremini, & illam nova acceſſione cu"mulatis. Ità igitur ab iis deluſus ad *Moſem* confugere coactus eſt. Quod rectè obſervat *Aben Ezra*, קרא למשה כי ראה שהחרטומים הוסיפו על המכה ולא יכלו לחסרה, Moſem *vocavit, quia* Magos *plagæ addidiſſe vidit, ſed illam minuere non potuiſſe.* Paſtoribus Evangelii poteſtatem dedit Dominus *εἰς οἰκοδομὴν, καὶ οὐκ εἰς καθαίρεσιν, in ædificationem, & non in deſtructionem.* At poteſtas Dæmonis tota eſt in deſtructionem. Neque enim Medici, ſed carnificis vices gerit.

Vocavit igitur Pharao Moſem, *&* Aaronem, *& dixit eis; Orate Dominum, ut amoveat ranas iſtas à me, & à populo meo; & dimittam hunc populum, ut ſacrificet Domino.* Legitur in *Semoth Rabba Pharaonem* Dei auxilium ideò primùm imploràſſe; כיון שהתחילה הפורענות בגופו, *quia in corpore ejus primùm incœperat plaga*, in quod ſcilicet ranæ penetraverint. Quod nullo fundamento niti jam docuimus. Sed monſtra ſibi fingere nihil opus eſt, cum abunde ſuffecerit communis calamitas ad hanc vocem ab illo extorquendam. Redactus erat ad incitas, & in malis, quæ illum premebant, videbat nihil opis eſſe in *Magis*, quibus hactenus multum tribuerat. Confugit igitur ad Deum, quem ut malum inflixiſſe, ità amovere poſſe credidit. Et cum antea non ſolum Dei mandatum, ſed & Deum ipſum nihili faciens, *Moſi* dixiſſet *Exod.* 5. *v.* 2. *Quis eſt Dominus, ut audiam vocem ejus, & dimittam* Iſraelem? Nunc malis fractus ipſum implorat, & dat illi gloriam, non tamen ſincero animo, ut ex eventu patebit.

In reſponſione *Moſis* initium eſt valde obſcurum: ità enim habet ad verbum, *Gloriare ſupra me; quando deprecabor pro te*, &c. *Hebraice* התפאר עלי למתי אעתיר לך, quæ non videntur cohærere. Tamen, ſi verbis ſtemus, non poſſumus aliter reddere. Patet id ex collatione hujus loci cum aliis ſimilibus. Sic *Jud.* 7. *v.* 2. פן יתפאר עלי ישראל לאמר ידי הושיעה לי, *Ne glorietur ſupra me* Iſrael, *dicendo, Manus mea ſervavit me.* Et *Eſ.* 10. *v.* 15. היתפאר הגרזן על החוצב בו, *An gloriabitur ſecuris ſuprà eum, qui illà ſecat?* Proinde plerique veteres non tam verborum, quam ſenſûs habita ratione, planè aliter reddunt. *Græci*, Τάξαι πρός με πότε εὔξωμαι περὶ σοῦ. Hieronymus. *Conſtitue mihi, quando deprecor pro te.* Syrus, ܫܐܠ ܠܟ ܙܒܢܐ *Pete tibi tempus.* Onkelos, שאל לך גבורא והב לך זמן, *Pete tibi miraculum, & conſtitue tibi tempus*, Arabs Pariſ. اقترح بيك *Pete à me.* &c. Quæ quidem cum ſequentibus rectè cohærent, & commodum ſenſum gignunt. Sed ab *Hebræis* verbis videntur diſſidere *δὶς διὰ πασῶν.* Quid enim hæc interpretum, *Conſtitue mihi, Pete à me, Pete tibi tempus*, &c. quid, inquam, habent commune cum eo, quod dixit *Moſes, Gloriare ſupra me?* Sed, utut verbis differant, tamen à *Moſis* ſenſu non procul abſunt. Nam poſt verba, *Gloriare ſupra me*, ſupplendum eſt לאמר, *dicendo* ex *Jud.* 7. *v.* 2. ubi plenior eſt locutio, *Ne glorietur ſupra me* Iſrael, *dicendo*, &c. Itaque *Moſis* hæc eſt mens: etiamſi non ſit tuum mihi definire tempus liberationis tuæ, quæ tota pendet ex Dei ſolius nutu, & arbitrio; ego tamen, qui Propheta ſum, & voluntatis ejus interpres, do tibi Dei nomine temporis optionem, & ut hoc tibi juris in me arroges, tu mihi diem præſcribas, quâ vis, ut à Deo impetrem, ut hæ ranæ amoveantur. Itaque *Moſis* verba ſic reddiderim, *Gloriare ſupra me*, dicendo *quando pro te intercedam, & pro ſervis tuis, & pro populo tuo, ut ranas à te exſcindat* (Deus) *& à domibus tuis, ita ut in ſolo flumine remaneant.* Quia *Pharaonem* videbat Magis & Aſtrologis eſſe addictum, qui ex aſtrorum motibus ità pendent, ut eò referant quidquid in terris accidit, voluit *Moſes*, ut penes ipſum eſſet diem præfinire quemcunque vellet, ut, poſtquam votis ipſius eſſet ſatisfactum, liberationem ſuam ſoli Deo imputaret. Ità Deus, liberrimum agens, tamen miracula editurus, quandoque hominibus dat poteſtatem eligendi quodcunque velint, ut ſua virtus illis ſit notior, nec ulla ſit dubitandi materia. Proinde *Eſ.* 7. *v.* 11. *Achazo* Regi per *Eſaiam* dixit, ut hic *Pharaoni* per *Moſem*; *Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo; ex infimis pete, aut ex altiſſimis*: id eſt, *ex cœlo, aut ex terra.* Nam undecunque petas, Deus ſe præſtiturum pollicetur. Et *Ezechiæ* 2. Reg. 20. v. 9. *Progrediatur umbra decem gradibus, aut retrocedat decem gradibus.* Hic itidem *Pharaoni* permittitur, vel eâ ipsâ die, vel craſtinâ, vel perendie, quovis denique tempore liberationem petere à ranis: & quidem eâ lege, atque nomine, ut eâ die, quam ipſe definiverit, ranæ omnes ità pereant, ut ne una quidem ſuperſit, præterquam in flumine, qui ranarum eſt natalis, & naturalis locus. *Fluminis* enim nomine, etiam rivi, & paludes intelliguntur, ut ſupra verſu tertio.

Hâc optione datâ, liberationem petiit *Pharao* למחר, *in diem craſtinum.* At cur non in diem præſentem? Nam, ut *Rabbi Samuel, Chophni* filius, hic verè objicit, אין מנהג האדם לבקש רק שיסור המכה ממנו מיד. *Non ſolent homines quidquam aliud petere, quam ut plaga ſtatim ab ipſis amoveatur.* Quam objectionem idem ſic ſolvit, השיב פרעה מערכת כוכבי שמים הביאה הצפרדעים על מצרים ומשה היה יודע זה וחשב פרעה כי עתה תגיע עת סור הצפרדעים על כן נסהו והאריך ואמר למחר, *Sentiebat* Pharao *ſtellarum conſtitutionem ranas in Ægyptum induxiſſe, atque id* Moſi *fuiſſe perſpectum* (utpote inſigni Aſtrologo) *& idem credebat jam inſtare tempus, quo ranæ debebant amoveri. Itaque, ut tentaret ipſum, tempus illud protraxit, nec niſi in craſtinum petiit liberari.* *Hebræorum* alii ex *Exod.* 7, 25. ſingulas *Ægypti* plagas per ſeptem dies duràſſe colligunt. Et diem, quo *Pharao* petiit à ranis liberari, ultimum fuiſſe volunt ex illis ſeptem neceſſario implendis: ac proinde *Moſem Pharaoni* liberationem non obtuliſſe in præſens, ſed in futurum. Ità habetur in *Semoth Rabba.* Quod cum *Moſis* verbis apertè pugnat. Is enim *Pharaoni* neque præſens, neque futurum tempus determinavit, ſed quodcunque vellet obtulit. Id non facturus, ſi ſingulis plagis Deus certum aſſignàſſet tempus. Potuiſſet enim *Pharao* aliud petere.

tere, quàm quod Deus definiverat. Sed, ſi locus eſt conjecturis, fortaſſe *Pharao Moſem*, & *Aaronem*, vocaverat ſub veſperam, nec auſus eſt illa ipſa die liberationem petere; quia rem tantam non credidit poſſe impetrari, niſi multis precibus. Utut ſit, reſpondit *Moſes*, *Secundùm verbum tuum fiet, ut ſcias non eſſe alium ſicut Dominum Deum noſtrum*: ac proinde Magis tuis deinceps non fidas, aut idolis gentium, quæ nihil poſſunt; ſed à ſolo Deo pendeas, qui vulnus infligit, & obligat, occidit, & in vitam revocat, demittit in ſepulchrum & educit, 1. *Sam.* 2. *v.* 6. Si petas, quâ fiducia *Moſes* hoc *Pharaoni* tam certò promiſerit, Deo non ante conſulto? Reſpondeo, *Moſem* habuiſſe fidem miraculorum, & Dei ſpiritum intus agentem, cujus occultis ſtimulis ad id audendum impulſus eſt.

Promiſſis autem ut ſtaret, egreſſus a *Pharaone*, *clamavit ad Dominum* על דבר הצפרדעים אשר שם לפרעה, *Super verbum ranarum, quas* Pharaoni *poſuerat*. *Super verbum ranarum*, id eſt, ܡܛܠ ܐܘܪ̈ܕܥܐ *propter ranas*, ut *Syrus*; vel על עסק, *ſuper negotium*, ut *Chaldæi*, vel بسبب & سبب على *in cauſa*, & *ſuper cauſa ranarum*, ut *Arabes* interpretantur. Nempe דבר *Hebræis* non ſolùm *verbum*, ſed & *rem*, *negotium*, *cauſam* ſignificat, cum locus ita poſtulat. Et dici poteſt, Deus *ranas* vel *verbum ranarum* poſuiſſe *Pharaoni*. Quomodo *Jerem.* 32. *v.* 20. *Qui poſuiſti ſigna & prodigia in terra* Ægypti. Et *Pſal.* 105. *v.* 26. *Poſuit in eis verba ſignorum ſuorum, & prodigia in terra* Cham. In quibus locis *ponere* eſt *edere*, vel *immittere*. Itaque *ranas poſuit* Pharaoni: id eſt, *immiſit*. Sed *Græci* multò aliter, Περὶ τοῦ ὁρισμοῦ τῶν βατράχων, ὡς ἐτάξατο Φαραώ· *Pro finitione ranarum, ſicut conſtituerat* Pharao. Et *Hieronymus*, *Pro ſponſione ranarum, quam condixerat* Pharaoni. Quaſi *Moſes* à Deo petierit, ut ratum haberet verbum, quod propoſuerat *Pharao*, aut potius quo *Moſes*, data fide, *Pharaoni* ſe obſtrinxerat. Quod *Aben Ezram* ſequi ſuadent hæc illius verba, ויצעק כי בטח בשם שלא יבישהו כי אמר אל פרעה מעצמו כדברך יהיה בלא רשות השם, *Et clamavit, quia ſperabat in Deum, fore, ut non pudore confunderetur; quia* Pharaoni *per ſe dixerat, abſque Dei permiſſione, Fiet juxta verbum tuum*. Neque diſplicet hæc verſio. Quidni enim reddamus, *Clamavit ad Dominum ſuper verbum ranarum* (ſeu *de ranis*) *quod propoſuerat Pharaoni*, cum Verbum שם paſſim ita ſumatur? Sic *Exod.* 15. *v.* 25. שם לו חק, *Poſuit ei ſtatutum*: id eſt, *propoſuit*. Harum igitur verſionum cùm utraque placeat, & ſtare poſſit cum verbis Sacri textus, lectori libera ſit optio. Sed tertiam afferunt *Hebræi* nugatores, quæ abſurda & jocularis eſt. Volunt nimirum *Moſem* ad Deum clamaſſe *ſuper verbum ranarum, quas poſuerat in* Pharaone, & reliquis *Ægyptiis*: id eſt, Deum rogaſſe, ut importunos ranarum ὀλολυγόνας in eorum medio pectore coaxantium virtute ſua ſedaret. Hinc Magiſtri veteres in *Semoth Rabba*, לא די להם למצרים השחתת הצפרדעים אלא שהיה קולן של צפרדעים קשה להם ממכתן שהיו נכנסות בגופם ונועקים בתוכם שנאמר על דבר הצפרדעים אשר שם לפרעה על דבור הצפרדעים, *Non ſatis fuit, quod Ægyptios ranæ perdebant* (id eſt, *caſtrabant*, ut poſtea dicetur.) *Sed & vox illarum ipſa plagâ erat moleſtior. Nam in illorum corpora illapſa, in intimis viſceribus coaxabant. Ac proinde dicitur, "Super verbum ranarum, " quas poſuerat in* Pharaone: *id eſt, ſuper ranarum coaxationem*. Quam ſcilicet *verbum* aut *ſermonem* dicere volunt καταχρηστικῶς. Quomodo eas φιλοφωνεῖν dicit *Tullius* ad *Atticum* libri decimi quinti Epiſtola decima ſexta, *Pluvias*, inquit, *metuo, ſi prognoſtica noſtra vera ſunt. Ranæ enim ῥητορεύουσι*. Et *Poëtæ loquaces* & *locutuleas* appellant. *Virgilius* libro tertio *Georgicorum*,

—— hic piſcibus atram
Improbus ingluviem, raniſque loquacibus explet.

Alcimus Avitus de *Pharaone*, in libro *De tranſitu maris Rubri*,

—— locutuleis frendet ſuccumbere ranis.

Quibus concinit, quod in *Hebraico* libro, *De natura animalium*, rana pro aquaticis legatione fungitur; quia הוא צח הלשון בעל דברים משבח ומהלל השם, *eſt diſerta lingua, & dicendi perita, hymniſque & laudibus Deum celebrat.*

Et fecit Dominus juxta verbum Moſis] id eſt, opere complevit, quod *Moſes* ab ipſo precibus petierat, & *Pharaoni* promiſerat. *Et mortuæ ſunt ranæ de domibus, villis, & agris*: Deo nempe ſpiritum illarum ſubducente. Quod de brutis animalibus dicitur *Pſal.* 104. *v.* 29. *Auferes ſpiritum eorum, & deficient*. Mirari ſubdit, unde habeat *Alcimus*, ubi ſupra, ranas fulmine fuiſſe ſubactas. Verba ſunt,

—— locutuleis frendet ſuccumbere ranis,
Quarum mox cumulus flamma tonitruque ſubactus.

De quo Scriptura ne γρῦ quidem, neque *Hebræorum*, aut noſtrorum ullus, quod meminerim. Neque verò quiſquam poteſt in animo ſibi fingere quomodo per totam *Ægyptum* fulmen cœlitus delapſum, hominibus intactis, ſolas ferierit ranas, niſi pro uno miraculo penè infinita ſupponat. Ne dicam eſſe ridiculum, quod Deus tam potenti telo certaſſe inducitur cum tam vilibus animalculis. Quale eſt, quòd in *Batrachomyomachia Jupiter*, de ranarum & murium pugna valde ſollicitus, ut hoc certamen divelleret,

Πρῶτα μὲν οὖν ἐβρόντησε, μέγαν δ' ἐλέλιξεν Ὄλυμπον·
Αὐτὰρ ἔπειτα κεραυνὸν, δειμαλέον Διὸς ὅπλον,
Ἧκ' ἐπιδινήσας· ὁ δ' ἄρ' ἔπτατο χειρὸς ἄνακτος.
Πάντας μὲν ῥ' ἐφόβησε βαλὼν βατράχους τε μύας τε.

Primum quidem intonuit, magnum autem commovit cœlum. Sed poſtea fulmen, terribile Jovis *telum, miſit contorquens. Illud autem evolavit è manu Regis. Et omnes quidem jaculatus terruit, ranaſque muresque.* Tamen ne ſic quidem à pugna ceſſatum eſt. Ranas autem poterat Deus in nihilum redigere, aut in limum reſolvere, quod quotannis fieri nonnulli volunt. *Plinius* libri noni capite quinquageſimo primo, *Mirumque, ſemeſtri vita reſolvuntur in limum nullo cernente, & rurſus vernis aquis renaſcuntur, quæ fuêre natæ, perinde occultâ ratione, cum omnibus annis id eveniat.* Poterat etiam eas in fluvios, & rivos, & paludes abigere, unde eruperant. Sed mortuas jacere maluit, ut de rei veritate conſtaret, nec putaretur *Moſes* per præſtigias hominum oculis illuſiſſe. Neque ab hominibus occidi voluit, ſed per ſe mori, ne ſibi quidquam tribuerent *Ægyptii*, tanquam ſua virtute ab hoc malo liberati. Addunt *Hebræi* per ſe mortuas eſſe inutiles, cum occiſæ ſuum uſum habeant, ac proinde Deum occidi noluiſſe, ne uſui eſſent *Ægyptiis*. Ita eſt in *Semoth Rabba*, לפי שלא היה להם שום הנאה בנבלתן ובעורן לכן מתו, *Ne corpora, aut pelles earum, ulli eſſent uſui, ideo mortuæ ſunt.* De pellis uſu nihil legi. Sed carnes in cibum nonnulli adhibent. Ut taceam Medicos uſus, de quibus *Dioſcorides*, *Plinius*, *Galenus*, *Ætius*, & Medicorum alii. Et Magicos in *Democrito*, quo citato *Plinius* libri trigeſimi ſecundi capite quinto, *Addunt*, inquit, *alia Magi, quæ, ſi vera ſunt, multo utiliores vitæ exiſtimentur ranæ, quàm leges*. Ranas igitur per ſe mortuas *Ægyptii* collegerunt חמרים חמרים, *acervos, acervos*, id eſt, *in multos acervos*. Nam hæc repetitio *Hebræis* frequentiam denotat. Sic *Gen.* 14. 10. *Et vallis Siddim* בארות בארות, *putei, putei*: id eſt, *referta erat puteis*. Jerem. 2. v. 13. *Ad excidendum ſibi* בארות בארות, *ciſternas, ciſternas*: id eſt, *multas ciſternas*.

nas. Eſa.25.v.7. הלוט הלוט, *operimentum, operimentum ſuper omnes populos*, id eſt, *duplex*, vel *multiplex operimentum*. Pſal. 122. v. 4. *Quia illic aſcenderunt* שבטים שבטי יה, *tribus, tribus Domini*: id eſt, *omnes tribus*. Marc. 5. v. 40. *Et diſcubuerunt* πρασιαὶ, πρασιαὶ, *areola, areola*: id eſt, *areolatim*, vel *per multas areolas*. Jam *Hebraeorum* audi argutias. Ex eo quòd *Moſes* quatuor verbis dicit ויצברו אותן חמרם חמרים, *Collegeruntque eas acervos, acervos*, concludunt in *Semoth Rabba*, שכל אחד מהם היה עושה ארבע אשפות, *unumquemque ex iis* (id eſt, *ex Ægyptiis*) *collegiſſe quatuor acervos*. Itaque ſi tum *Ægyptus* tot habuit incolas, quot habebat ætate (a) *Joſephi Hiſtorici*, id eſt, quinquaginta ſupra ſeptingentas hominum myriadas, acervorum fuerint tria myriadum millia. Quod quàm abſurdum ſit, neminem eorum latet, qui ſciant quid ſit *chilias myriadum*. Utut ſit, quomodo *Joël*. 2. *v*. 20. de locuſtarum copia dicitur in mare à vento detruſâ, *Et aſcendet fœtor ejus*: ita hic de ranarum acervis, *Et terra fœtuit*. Ad quæ verba *Hebræi*, והיתה הארץ מבאשת לפי שהיו ישראל נבאשין במכות המצרים מדה כנגד מדה, *Et terra fuit fœtens, quia* Iſraëlitæ *fœtuerant propter* Ægyptiorum *plagas. Menſura pro menſura*. Alludunt ad locum *Exod*. 5. *v*. 21. in quo *Iſraëlitarum* odor fœtuiſſe dicitur ante oculos *Pharaonis*, & ſervorum ejus. Mens igitur eſt Deum *Ægyptiis* pari menſurâ remetiri, ut *Matth*. 7. *v*. 2. & *Jac*. 2. *v*. 13.

(a) *Vide De bel. Iud. lib*. 2. *cap*. 16.

Pharaonem quod attinet, cùm vidit ſibi datam eſſe הרוחה, *requiem*, aut *reſpirationem*; *ingravavit cor ſuum, & non audivit eis, ſicut prædixerat Dominus*. Dum ipſum, & *Ægyptios*, ranæ vexabant multa promiſerat, quorum immemor, quamprimùm fuit ab hoc malo liberatus, ad ingenium ſuum rediit, neque *Moſem*, aut *Aaronem* ampliùs audire voluit. Quòd *Moſi* prædixerat Deus *Exod*. 3. *v*. 19. *Scio Regem* Ægypti *non permiſſurum, ut abeatis, niſi per manum validam*. Proinde hic *Hebræi*, כך דרך הרשעים כשהם בצרה הם צועקים ובעת הרוחה חוזרין לקלקולן. *Ita ſolent impii; cùm ſunt in anguſtia, clamant: ſed tempore reſpirationis, redeunt ad corruptionem ſuam*. Sed *David* præiverat *Pſal*. 78. *v*. 34. *Cùm occideret eos, requirebant eum*, &c. *Sed conabantur eum ore ſuo decipere, & linguâ ſuâ mentiebantur ei. Eorum enim animus non erat rectus erga eum, neque conſtantes fuerunt in fœdere ejus*. Quomodo qui affecti ſunt, neceſſe habent rurſus à Deo caſtigari. Proinde novas plagas ſtatim infligit in *Pharaonem*, & *Ægyptios*: & in eos immittit pediculos, & cynomyias, de quibus ſupra jam actum.

CAPUT TERTIUM.

Explicantur *Davidis* duo loca de ranis *Ægyptiis*.

Rana vaſtavit eos, *Pſal*. 78. *v*. 45. *id eſt, corrupit quidquid eorum erat. At* Hebræis vaſtavit, *id eſt*, caſtravit; *quod probare ſe putant ex* Levit. 22. v. 25. *ſed refelluntur*. Produxit terra eorum ranas, *Pſal*. 105. *v*. 30. *At* Exod. 8. v. 2. *ranas non producit terra, ſed fluvius*. Reſp. *vel terram intelligi limoſam, & uliginoſam, in fluvio latentem, vel terra, id eſt, regio, cujus pars fluvius, quod probant multa Scripturæ loca*. In Regum conclavia penetraverunt. *At unus erat Rex* Pharao. *Volunt intelligi Principes, ut* Eſa. 19. v. 2. *ubi de* Ægypto *dicitur*, Regnum in regnum pugnabit, *id eſt, inquiunt, principatus. Quin varia Ægypti regna tum erant. At unum ætate* Moſis. *Ergo Regum conclavia dicuntur per Enallagen Numeri* Hebræis *familiarem*.

DE ranis *Ægyptiacis* præter *Moſem* loquitur *David* duobus locis. Prior eſt *Pſal*. 78. *v*. 45. *Miſit in eos cynomyiam, & conſumpſit eos; & ranam, & vaſtavit eos. Cynomyiam, & ranam*: id eſt, cynomyias, & ranas magna copia; ut ſupra *Exod*. 8. *v*. 6. *Et aſcendit rana*. *Ranæ* autem dicuntur *vaſtâſſe Ægyptios*, id eſt, *Ægypti* urbes, villas, domos, & agros, denique quidquid *Ægyptiorum* erat. De agris intelligit *Apollinaris* in *Paraphraſi*, ubi *Pſalmi* verba ſic reddit,

Βάτραχος ἔνθεν ἔπειτα μολὼν ἀλάπαξεν ἀρούρας,

Rana inde poſtea veniens vaſtavit agros. Et *Joſephus* ejuſdem miraculi deſcriptionem ita orditur, Βατράχων πλῆθος ἄπειρον τὴν γῆν αὐτῶν ἐπενέμετο ἐκ τοῦ *Ranarum immenſa vis terram eorum populabatur*. *Vaſtare Hebræis* eſt שחת. Proinde ut de ranis hic dicitur ותשחיתם, *Et vaſtavit eos*: ita de muſcis *Exod*. 8. *v*. 24. תשחת, *vaſtata eſt terra à cynomyia*. Et de muribus 2. *Sam*. 6. *v*. 5. *Facietis imagines veſtrorum murium*, המשחיתים, *qui devaſtant terram*. Quæ cum ſint plana, & expedita, libuit tamen *Judæis* nugatoribus longè aliud intelligere, cùm ranæ à *Pſalte* dicuntur *Ægyptios* devaſtâſſe. *Vaſtare* enim iſto loco iis idem eſt, quod *caſtrare*. Proinde ad vocem ותשחיתם habet *Schelomo Jarchi*, שמסרסין את ביציהם, *Teſticulos eorum excidebant*. Et multò ante *Rabbi Ezechias* in *Semoth Rabba*, ועולה ונוטלת בית הסתרים שלהם ומסרסן שנאמר וישלח בהם ערב ויאכלם וצפרדע ותשחיתם כמה דאתאמר כי משחתם בהם *Et aſcendebat rana, & partes eorum pudendas eximebat. Prout dicitur* Pſal. 78. v. 45. "*Miſit ranam, quæ vaſtavit eos. Quo ſenſu uſurpatur in his* Levit. 22. v. 25. *Quia vaſtatio eorum eſt in iis*. Nempe in eo *Levitici* loco Deus vetat ſibi offerri bovem, aut ullum pecudis genus, quod, vel compreſſis, vel contuſis, vel avulſis, aut quocunque modo ablatis ſit teſticulis. Et defenſioni pro ratione hoc additur, quòd משחתם בהם, *corruptio eorum eſt in iis*. Vox autem משחתם eſt à Verbo שחת; quod *vaſtare, perdere, corrumpere* ſignificat. Ac proinde ad hoc ipſum corruptionis genus referunt, quòd ranas ſcribit *Pſaltes Ægyptios* vaſtâſſe, & corrupiſſe. Sed duo petierim libens. 1. Quâ novaculâ ranæ homines caſtraverint, cùm ne dentes quidem habeant. 2. Quomodo propagati ſint *Ægyptii* à ranis ita caſtrati. Fuit enim hæc plaga communis omnibus, neque ab ea immunis quiſquam fuit.

Poſterior locus eſt *Pſal*. 105. *v*. 30. *Et produxit terra eorum ranas, quæ in Regum ipſorum conclavia penetraverunt*. Qui non videtur ſatis convenire cum his *Moſis* Exod. 8. v. 3. *Et producet fluvius ranas*. *David* enim terræ tribuit, quod amni *Moſes*. Sed duo habeo, quæ reſpondeam. Primò hic poſſe intelligi non terram quamvis, ſed limoſam, & uliginoſam, qualis & in *Nili* ripa, aut in ipſius alvei fundo. Omnino enim ex flumine ranæ ſic productæ ſunt, ut tamen terra hujuſmodi fuerit illis pro materia proxima. Secundò, quod puto verius, terra eorum hic idem eſt, quod regio eorum, id eſt, *Ægyptus*, cujus portio eſt *Nilus*. Itaque rectè dicitur *Ægyptiorum* terra producere quidquid in *Nilo* producitur. Si probatione eſt opus in re tam clara, nonne ſequitur, flumina eſſe terræ partem ex *Deut*. 10, 7. ubi *Jotbatha* (Joſepho *Jotopata*, legitur eſſe *terra fluminum*? Et ex *Hab*. 3. *v*. 9. ubi Deus dicitur *in flumina ſcidiſſe terram*? Quin ipſa maria quodammodo pertinent ad vicinas terras. Proinde claſſem inſtruxiſſe ſcribitur *Solomon* in terra *Edom* 1. *Reg*. 9. *v*. 26. id eſt, in mari vicino terræ *Edom*. Et inter proventus terræ *Havila* cenſentur margaritæ.

garitæ, quæ ex vicino mari educuntur. Id enim ſibi volunt hæc verba *Moſis* Gen. 2. v. 12. *Aurum illius terra bonum eſt: ibidem eſt* בדלח *bedolach*, ſeu *margarita*. Quid, quod *Exod.* 15. *v.* 12. de *Ægyptiis* legimus, quos mare abſorpſerat, *Deglutivit eos terra*. Et *Jon.* 2. *v.* 7. dicit *Jonas* in ventre ceti, *Terra vectes ſuper me in æternum erant*. Quia mare ipſum, quod *Ægyptios* & *Jonam* abſorpſerat, eſt in abyſſis terræ.

In eodem *Davidis* loco rogant interpretes, cur ranæ penetrâſſe dicantur *in Regum conclavia*, cùm unus fuerit in *Ægypto* Rex. Et reſpondent *Regum* nomine Principes poſſe intelligi, quomodo ſingulos *Ægypti* nomos *regna* vocat *Propheta*, cum de *Ægypto* dicit *Eſa.* 19. *v.* 2. *Committam* Ægyptios *cum* Ægyptiis, *ut quisque pugnet in fratrem ſuum, & quisque in amicum ſuum, civitas in civitatem,* ממלכה בממלכה, *regnum in regnum*. Sed hæc fruſtra dicuntur, cum eo loco *Eſaias* de *Ægypto* non agat, qualis fuit ætate *Moſis*, ſed qualis futura erat poſt paucos annos. Notum enim eſt ex *Herodoti* libri ſecundi capite centeſimo quadrageſimo primo, & centeſimo quadrageſimo ſeptimo, Regem *Aſſyriorum Sanacharibum Ægyptum* invaſiſſe ſub *Sethone* Rege. Atque, eo mortuo, *Ægyptios* ſibi conſtituiſſe *δυώδεκα βασιλέας, ἐς δυώδεκα μοίρας δασάμενοι Αἴγυπτον πᾶσαν, duodecim Reges, qui totam* Ægyptum *in duodecim partes* (ſeu *regna*) *diviſerint*. *Eſaias*, igitur *Sethoni* & *Sanacheribo* æqualis, ut conſtat ex capitibus trigeſimo ſexto & trigeſimo ſeptimo prædicit fore, ut *Ægyptus*, quæ hactenus ſub uno Rege vixerat, mox plures Reges agnoſcat, & in plura regna dividatur. Vides igitur, Lector, quisquis es, hinc non effici, quod volucrant, *Ægypti* Principes ætate *Moſis* potuiſſe *Reges* vocari. Et verò *Davidem* conſtat hic agere de *Pharaone* illo, qui tum ſolus regnum obtinebat. Alludit enim ad id, quod *Moſes Pharaoni* dixerat *Exod.* 8. *v.* 3. *Ranas producet fluvius, quæ aſcendent, & ingredientur domum tuam, & conclave cubiculi tui*. Dicendum igitur hic *Regum* nomine ſolum *Pharaonem* intelligi, per Numeri Enallagen, qua in Scriptura nihil frequentius. Sic *Gen.* 19. *v.* 29. *Cùm Deus ſubverteret civitates illas, in quibus* (id eſt, in quarum una) *habitaverat Lot*. Gen. 21. v. 7. *Quis dixiſſet* Abrahamo, Sara *lactabit filios?* id eſt, unum *Iſaacum*. Gen. 28. v. 11. *Accepit de lapidibus illius loci* (id eſt, lapidum unum) *& fecit ſibi cervical*. Gen. 46. v. 7. *Jacob* in *Ægyptum* deduxit *filias ſuas*, id eſt, *Dinam*, quæ erat unica. Num. 26. v. 42. *Filii* Dan *Sucham*, qui ſolus fuit. *Joſ* 7. *v.* 1. Iſraëlitæ *prævaricati ſunt in anathemate*: id eſt, ſolus *Achan*. Jud. 12. v. 7. *Sepultus eſt in urbibus* Galaad: id eſt, in una urbium *Galaad*. 1. Samuel. 9. v. 21. שבטי בנימין, *tribus Benjamin* Plurali, cùm fuerit unica. 2. *Par.* 16. *v.* 4. de *Aſa*, *Sepelierunt eum in ſepulchris ſuis*: id eſt, in ſepulchro ſuo. 2. *Par.* 24. *v.* 25. *Propter cædes filiorum* Jojadæ *Sacerdotis*: id eſt, *Zacharia*, qui ſolus cæſus eſt. Pſalm. 132. v. 7. *Accedemus ad tabernacula ejus*, cùm tabernaculum nonniſi unum fuerit. *Pſalm.* 137. *v.* 1. *Ad flumina* Babylonis *ſedimus*: id eſt, ad *Euphraten*. Dan. 3. v. 12. *Deos tuos non colunt*: id eſt, auream illam ſtatuam, quam *Nebuchadnetſar* erexerat. *Zachar.* 9. *v.* 9. *Inſidens aſino, & pullo nato ex aſinabus*: id eſt, ex aſinarum una. Matth. 2. v. 20. *Mortui ſunt, qui petebant animam pueri*: id eſt, *Herodes*. Et paſſim (a) *Scriptum eſt in Prophetis*, id eſt in uno *Prophetarum*. Matth. 27. v. 44. *Id ipſum autem & latrones exprobrabant ei*: id eſt, latronum unus Hebr. 11. v. 37. *Diſſecti ſunt*, de uno *Eſaia*. Ita in *Pſalmo ranæ penetraſſe* dicuntur *in Regum conclavia*, id eſt, unius *Pharaonis*. Quod hic obſervat *David* ut maximè notandum, Regem potentiſſimum, inter medios ſatellites, in intimis palatii ſui penetralibus, non potuiſſe defendi à tam vili animalculo. Itaque de locuſtis *Moſes* id ipſum *Pharaoni* repetit *Exod.* 10. *v.* 6. *Implebunt domos tuas, domosque omnium ſervorum tuorum*, &c.

(a) *Matth.* 2, 23. *Ioh.* 6, 45. & 7, 42. & 13, 40.

CAPUT QUARTUM.

De Ranis Myſticis.

Tres impuri ſpiritus ranis ſimiles, Apoc. 16. v. 13. *In rana multa odioſa.* 1. *Vox rudis & inconditu. Itaque ranis conferuntur clamoſi, obſtreperi*, &c. 2. *Ranæ convitiari videntur, quia radunt aures mordaci quâdam vocis acrimoniâ.* Convitia ranæ. Ulubrenſes *ranunculi*. Lycii *cur in ranas à* Latona *mutati*. Plutarchum *hanc Fabulam ignorâſſe.* 3. Poëtæ à Patribus *cum ranis collati propter inanem loquacitatem.* 4. *Iisdem* Hæretici *&* Sophiſtæ *ſimiles.* 5. *Item impii, qui in peccatorum ſordibus, tanquam in luto, permanent.* 6. *Monachi boni, & mali, apud* Epiphanium. 7. *Qui perpetuo potu ſe ingurgitant.* 8. *Rana propter oculos ſanguineos, impudentiæ Symbolum.* 9. *Et ſuperbiæ, propter inflatas buccas. Rana cur* ῥαγφωνίδης. *Fabula de rana & bove. Ranæ ultra ſolitum vocales tempeſtatem præſagiunt; numeroſæ peſtem afferunt. Rana tamen in pretio* Mahumetanis. *Unum è quinque animalibus quæ occidere nefas: 1. quia Deum laudant; 2. quia* Abrahami *rogum aquis inſperſerunt. Ranarum cultores in* Philaſtrio. *Ranæ elogium in* Hebræo *libro* De animalibus.

JAm pauca de ranis Myſticis in illud *Apoc.* 16. *v.* 13. *Et vidi ex ore draconis, & ex ore beſtiæ, & ex ore Prophetæ illius, tres impuros ſpiritus, ſimiles ranis* prodeuntes. Hi tres immundi ſpiritus, ſive ſint veri Dæmones, aut, quod vero ſimilius, falſi Doctores, cum ranis conferuntur, quia in ranarum natura multa ſunt, quorum nomine illas averſamur. 1. Rudis & incondita vox, quâ nobis obſtrepunt, atque obtundunt. Hinc *Iſidorus*, *Circa genitales ſtrepunt paludes, & ſonos vocis importunis clamoribus reddunt.* *Horatius* libri primi *Satyrâ* quintâ,

—— mali culices, ranæque paluſtres
Avertunt ſomnos. ——

In *Sympoſio* rana ipſa de ſe,

Cumque canam ſemper, nullus mea carmina laudat.

Proinde in *Ariſtotelis Phyſiognomonicis*, ὅσοι δὲ τῶν πλευρῶν περιόγκοι εἰσιν, οἷον πεφυσημένοι λάλοι, καὶ μωρολόγοι, ἀναφέρεται ἐπὶ τοὺς βατράχους· *Quicunque latera habent turgida, & tanquam inflata, ſunt loquaces, & ſtultiloqui, & ad ranas referuntur.* *Martialis* de *Veruſtina* libri tertii *Epigrammate* nonageſimo ſecundo;

Meliusque ranæ garriant Ravennates.

Quæ ſcilicet ineptiſſimè garriunt. Quocirca, ſi *Tzetzæ* credimus *Chiliadis* octavæ Hiſtoriâ ducenteſimâ primâ *Ariſtophanes* ἐν Βατράχοις per ranas ſignificat

—— κράκτας, ἀκαιροβόας,
Ἐκείνους μεγαλαυχοῦντας οὐ λογισμῷ, καὶ κρίσει,
Ἀλλ᾽ ἀλογίστοις ταῖς φωναῖς τρόπῳ βατράχων λίμνης·

Clamoſos, intempeſtivè obſtrepentes, illos, qui gloriantur non ratione, & judicio, ſed inconſideratis vocibus, more ranarum paluſtrium. Et in *Theocriti Thalyſiis* malus *Poëta* cum bonis certamen iniens,

— βάτραχος δέ ποτ᾽ ἀκρίδας ὥς τις ἐρίσδω,

ut rana quædam contra locuſtas contendit. 2. Quin convitiari ranæ videntur, quia radunt aures mordaci quâdam vocis acrimoniâ. Hinc in *Horto Columellæ*, ubi de natura ſoli eligendi;

Nam neque ſicca placet, nec quæ ſtagnata palude
Perpetitur querula ſemper convitia rana.

Et

Et ſibi obloquentes *Ulubrenſes* Ciceró *ranunculos* per jocum vocat libri ſeptimi Epiſtola decima octava *ad Trebatium.* Unde eſt, quòd in fabulis mutantur in ranas *Lycii* ruſtici, quia *Latonam, Apollinem & Dianam* nuper natos ulnis geſtantem, non ſolùm à potu prohibuerant, ſed & ad *Melen* vel *Meliten* fontem accedentem ut biberet convitiis proſciderant. *Ovidius Metamorphoſeωs* libro ſexto,

Hi tamen orantem perſtant prohibere, minasque,
Ni procul abſcedat, convitiaque inſuper addunt.

Et paulò poſt Deæ numine in ranas mutati,

— — nunc quoque turpes
Litibus exercent linguas, pulſoque pudore,
Quamvis ſint ſub aqua, ſub aqua maledicere tentant.
Vox quoque jam rauca eſt, inflataque colla tumeſcunt,
Ipſaque dilatant patulos convitia rictus.

Obiter nota hujus fabulæ præter *Ovidium* meminiſſe vetuſtiſſimos ſcriptores *Menecratem Xanthium* in *Lyciacis*, & *Nicandrum* in libris Ἑτεροιουμένων, & ex iis *Antonium Liberalem Fabulâ* trigeſima quinta, & *Probum* in librum primum *Georgicorum.* *Plutarchum* tamen id prorſus latuiſſe colligas ex eo, quòd in *Sympoſio* ferè extremo miratur, cur *Corinthiorum* Rex *Cypſelus* in Templo *Apollinis Delphis*, prope palmam, ad quam *Apollo* natus fingitur, ranas ſculpi curaverit, & anxiè rogat, Τίνα πρὸς τὸν θεὸν, ἢ τὸν ἀναθέντα λόγον ἔχωσι; *Quâ ratione ranæ illæ Deum Apollinem.* (aut *Cypſelum*) *qui dedicaverat, attingant?* Et, in libro *De Pythiæ oraculis*, hanc quæſtionem rurſus attingens, poſtquam pluribus aſſeruit, neque palmæ, neque *Corinthiis*, neque ipſi Deo cum ranis quidquam eſſe commune, tandem concludit illis ranis ſignificari Solem (qui ſit idem cum *Apolline*) & ranas ali ex humidis, aut acceſſu ſuo ver reducere, cujus ranæ illæ ſint Symbolum, quia incipiunt vere canere. Quâ μυθολογία planum facit, ſe nihil legiſſe de fabula, quam citavimus. Sed nec illam apud veteres fuiſſe valde notam docet *Poëta*, qui ſic orditur:

Res obſcura quidem eſt ignobilitate virorum,
Mira tamen, &c.

3. Sunt è *Patrum* choro, qui veteres *Poëtas ranis* accenſent propter inanem loquacitatem. *Origenes* in *Exodum* Homilia quarta, *Per ſecundam verò plagam, in qua ranæ producuntur, indicari figuraliter arbitror carmina* Poëtarum, *qui inani quâdam & inflatâ modulatione, velut ranarum ſonis, & cantibus, mundo huic fabulas intulerunt. Ad nihil enim illud animal utile eſt, niſi quòd ſonum vocis improbis & importunis clamoribus reddit.* Quibus ſimillima habent Auctor *Sermonis* octogeſimi ſeptimi *De tempore*, & *Hieronymus*, vel quisquis eſt, in *Pſalmos* ſeptuageſimum ſeptimum, & centeſimum quartum. 4. *Auguſtinus* aut qui illius abutitur nomine, in libro *De convenientia decem præceptorum cum decem plagis*, per *ranas* vult *Hæreticos* & *Philoſophos* intelligi: *qui*, inquit, *per ſuperbiam, & inanem contentionem, ſtrepitum vocis habere poſſunt, doctrinam veræ ſapientiæ inſinuare non poſſunt. Qui enim* Chriſtianæ *veritati contradicunt, & in ſua vanitate decepti decipiunt, ranæ ſunt tædium afferentes auribus, non cibum mentibus.* 5. Quia rana è luto nata, ibidem degit, & volutatur, etiam pro *ranis* ii habentur, qui, in peccatis nati, in iisdem ſordibus permanent, & conſeneſcunt. *Andreas Cæſarienſis* in *Apocalypſin*, Ἔθος ἀεὶ τῶν δαιμονίων, καὶ τῶν ἁμαρτωλῶν τῷ βορβορώδει βίῳ ἐμφιλοχωροῦντων (lege ἐμφιλοχωρεῖν· *Semper ſolent Dæmones, & peccatores* (ut ranæ) *cœnosâ vitâ delectari.* Et qui in *Apocalypſin* ſcripſit ſub *Auguſtini* nomine Homilia decima tertia; *Ranis ſunt ſimiles homines, qui in peccatis, & criminibus, quæ alii per pœnitentiam, vel baptiſmum, deponunt, volutari non erubeſcunt.* Quin ipſas peccatorum ſordes pro *ranis* habuit *Gregorius Nyſſenus*, cujus hæc ſunt; Ἀληθῶς γὰρ ἀντικρυς βατράχοι γένη εἰσὶ τὰ ῥυπαρὰ τῆς κακίας γεννήματα, ἐκ τῆς ῥυπαρᾶς καρδίας τῶν ἀνθρώπων, οἷον ἔκ τινος βορβόρου, ζωογονούμενα· *Omnino enim ranarum genera ſunt exitiales malitiæ fœtus ex ſpurco hominum corde tanquam ex quodam limo geniti.*

6. In *Epiphanii Phyſiologo* capite vigeſimo ſecundo, ὁ ξηροβάτραχος, *rana terreſtris*, quæ calorem Solis excipit, geluque, & imbres, & ventos, & hybernas tempeſtates tolerat, Symbolum eſt Monachi ἐγκρατευομένου, *qui libenter jejunat, & quidvis patienter ſuſtinet.* Sed ὁ ὑγροβάτραχος, *rana aquatica*, quæ in frigore & æſtu latet in aquis, nec niſi moderata cœli temperie emergit, refert Monachos μὴ ἀσκουμένους, *qui famem, ſitim, continentiam, & χαμαικοιτείαν ferre non poſſunt.*

7. Quamvis rana ſit abſtemia, nec quidquam bibat præter ſolas aquas; tamen, quia frequenter bibit, & in ſuo potu immerſa eſt, ranis ii conferuntur, qui perpetuo potu ſe ingurgitant, ut in *Archiſtrato Syracuſii*,

Οἳ πίνουσι μόνον βατράχων τρόπον, οὐδὲν ἔδοντες,
Qui ranarum in morem ſolum bibunt, nihil edentes.

8. Rana etiam impudentiæ Symbolum fuit apud *Ægyptios*, qui ἄνθρωπον ἀναιδῆ θέλοντες δηλῶσαι, βάτραχον γράφουσιν· οὗτος γὰρ αἷμα οὐκ ἔχει, εἰ μὴ ἐν μόνοις τοῖς ὀφθαλμοῖς. τοὺς δὲ ἐκεῖ αἷμα ἔχοντας ἀναιδεῖς καλοῦσιν. *Hominem impudentem deſignantes ranam pingunt. Hæc enim alibi ſanguinem non habet, quam in oculis. Porrò qui illos ſanguineos habent, impudentes vocant.* Hæc *Horus* libri ſecundi *Hieroglyphicῶn* capite nonageſimo ſexto. Sed & *Nicander* in *Alexipharmacis* λαιδρὰς *impudentes* appellat γερύνων τοκῆας, *gerynorum* (ſeu *ranunculorum*) *parentes*, id eſt, *ranas.* Et de iiſdem *Ovidius* ſupra.

Litibus exercent linguas, pulſoque pudore, &c.

9. Superbiam quoque ranæ imputant, quia buccam diſtendit, & latera habet tanquam faſtu turgida. Hinc in *Heſychio* Παρφυσίδες, βάτραχοι. Nempe παρὰ τὸ φυσᾶν τὰς παρειάς, *eò quòd genas inflent.* Et in ludicra illa ranarum pugna cum muribus Rex ranarum φυσίγναθος ab *inflatis buccis* appellatur. Ideoque tenues, qui potentiorum cultum & magnificentiam æmulantur, comparantur ranæ, quæ ſeſe inflando totis viribus ad bovis magnitudinem aſpirabat. Quod ità bellè expreſſit *Satyricus Sermonum* libri ſecundi *Satyrâ* tertiâ,

An quodcunque facit Mecœnas, *te quoque verum eſt,*
Tantò diſſimilem, & tantò certare minorem?
Abſentis ranæ pullis vituli pede preſſis,
Unus ubi effugit, matri denarrat ut ingens
Bellua cognatos eliſerit: illa rogare,
Quantane? Num tandem, ſe inflans, ſic magna fuiſſet.
Major dimidio. Num tanto? Cum magis atque
Se magis inflaret. Non, ſi te ruperis, inquit,
Par eris. Hæc à te non multùm abludit imago.

Ex his jam conſtare credo, quibus virtutibus polleant ſpiritus immundi ranis ſimiles; & homines garrulos, moleſtos, importunos, in fœdiſſimis vitiis tanquam in cœno ſe volutantes, nihil minùs quàm quod profitentur re atque opere præſtantes, gurgites, ventres, impudentes, ſuperbos hoc typo adumbrari. Iidem clamoribus ſuis Reges ad bellum concitare leguntur *Apoc.* 16. *v.* 14. Non ſine ad id alluſione, quòd *ranæ ultra ſolitum vocales tempeſtatis ſigna ſunt.* Ita habetur in *Plinio.* Et idem ex *Arato, Cicerone, Marone, Plutarcho*, & *Æliano* confirmare ſit facillimum. Sed & harum frequentia peſtem præſagit, aut etiam infert. *Damir*, قال ابن سينا اذا اكثرت الضفادع في سنة وزادت على العادة فان الوبا يقع عقبها *Dixit* Avicenna, *Quo anno ranæ multæ ſunt, & abundant præter ſolitum, peſtis in ejus finem incidet.* Hæc in genere de ranis myſticis: nam

nam ad ſpecialia deſcendere inſtituti noſtri non eſt.

At rana, qualis qualis eſt, *Mahumetanis* eſt in pretio: & quinque animalium unum eſt, quæ occidere non licet. Ea nempe ſunt النملة والنحلة والضفدع والهدهد والصرد *formica, & apis, & rana, & upupa, & ſurad*, id eſt, *lanius minor, qui paſſeres venatur*. Ranas autem cur tanti faciant, cauſa eſt duplex. Una, quod, *Abdalla* teſte نقيقهن تسبيح illarum coaxatio eſt Dei laudatio. Altera, quod الضفدع فانها مرت بابراهيم عليه السلام فحملت في افواها الما وكانت ترشه على النار *Rana ad* Abrahamum, *cui bene ſit, ſe contulerunt* (cum ſcilicet in ignem à *Chaldæis* conjectus eſt) *& ore ſuo aquas attulerunt, quibus illum in igne aſpergerent*. Nec miraculi veritas cuiquam poteſt eſſe ſuſpecta, cum id aſſerat teſtis omni exceptione major *Propheta Mahumetes*, & ex eo *Anas ben Malich*, ex quo rurſus *Alkazuinius*. Pari ſtultitiâ jam ante *Chriſtum*, ſi Philaſtrio credimus, nonnulli ranas coluerunt, *quas ſub* Pharaone *per iram Dei tunc temporis* Ægyptiorum *terra emanavit, ut putore* Ægyptios *defatigarent, inque eo ſcelere* (inquit) *adhuc perſeverant, putantes Dei iram ex hac vana obſervantia poſſe placari*. Sed & in libro *Hebraico De natura animalium*, quem in *Suecia* legi MSS, rana his ipſis de cauſis mire laudatur; Verba ſunt, הוא חכם ויקר ונכלן רב התשבחות ומרבה שיר לאלהיו לילה ויום ורבה התהלה בצהרים והתהלה בערבים והוא נכנס בבתי בני האדם ויש קבלת כבוד על בני ישראל משני חסדים שעמלם אחד מהם כשהשליך נמרוד בן כוש לאברהם ידיד הרחמן באור כשדים הוא הביא מים בפיו וירקם על האש לכבותו ופעם אחר בימי משה בן עמרם נביא האמת שעזרו להחריב פרעה ועמו *ſapiens eſt rana, & venerabilis, & prudens, in Dei ſui laudes effuſa, & multa cantica nocte dieque illi canens, meridianosque & veſpertinos Hymnos ſubinde inculcans. Etiam in domos hominum ingreditur, & apud* Iſraelitas *in ſummo honore eſt, propter duo beneficia, quæ in eos contulit. Unum, quod cum* Nimrod, Chuſi *filius, Deo dilectum & charum* Abrahamum *in* Chaldæorum *ignem conjecit, illa ore ſuo aquas attulit, quas in ignem effudit, ut illum extingueret. Alterum diebus* Moſis *filii* Amram *Prophetæ veritatis, cui auxiliata eſt ad debellandum* Pharaonem *& populum ſuum*. Ita impurum animal multis laudibus evehunt recutiti Doctores ipſi æquè impuri.

CAPUT QUINTUM,

Probatur ברלח *bedolach, Gen.* 2. *v.* 12. & *Num.* 11. *v.* 7. non eſſe *Bdellium*, nec *Cryſtallum*, ut volunt; ſed *Margaritam*.

Novi Teſtamenti *loca de margaritis. In* Veteri Teſtamento *tres voces, quæ* margaritas *ſonant, ſed aliter reddita à veteribus. Prima* ברלח bedolach, *cur* cryſtallum *&* bdellium *reddita. Terra* Havila, *ubi* bedolach *eſt* Arabiæ *pars margaritifera circa* Catipham, *&* Baharain. *Unde* margarita *Æthiopicè* ባሕርይ: bahrio. Baharain, *&* Katar, *& olim* Θαρώ. Tharo *unde dicta. Manna cum margaritis confertur, quia album & rotundum.* Talmudicis *id non ignotum.* Hebraica *fabula, margaritas ſimul cum Manna pluiſſe.* Hebræorum, Arabum *& recentiorum nonſanguis* ברלח bedolach, *eſſe* margaritam. *De nomine conjectura. In fine* Cheth *pro* He, *aut paragogicum.* בדל badal, *&* פרד parad, *ſynonyma in* ſeparandi *&* ſegregandi *notione. Hinc egregia & eximia margarita.* ברלח bedolach, *dicta, ut* Arabibus فريد pharid. *&* Latinis unio. Unicum *pro* eximio. Rubri maris *inſula margaritifera.* Biblos *forte* בירלח Bidlach *Barbaris.* ברלח bedolach *neque* bdellium *eſſe, nec* cryſtallum, *neque gemmarum ullam.*

DE margaritis *Apoſtoli* meminêre non infrequenter. Sic *Matth.* 7, 6. *Nec projicite margaritas veſtras coram porcis.* Et *Matth.* 13 *v.* 45. 46. *Simile eſt regnum cœlorum negotiatori quærenti pulchras margaritas: qui, nactus quandam magni pretii margaritam, abiit & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam.* Et 1. *Tim.* 2. *v.* 9. *Similiter & mulieres amictu honeſto, cum verecundia, & modeſtia, ornare ſe* (volo) *non cincinnis, aut auro, & margaritis.* Et *Apoc.* 17. *v.* 4. *Erat autem mulier illa amicta purpurâ, & cocco, & inaurata auro, & lapidibus pretioſis, & margaritis.* Et *Apoc.* 18. *v.* 12. *Merces auri, & argenti, & lapidis pretioſi, & margaritæ.* Et verſu 16. *Deaurata erat auro, & lapide pretioſo, & margarita.* Et *Apoc.* 21. *v.* 21. *Duodecim portæ duodecim margaritæ ſunt, & ſingulæ portæ ſunt ex ſingulis margaritis.* Sed in *Prophetarum* ſcriptis altum eſſe de margaritis ſilentium ſuadent veterum verſiones. *Græca* enim *margaritam* nuſquam nominat, & *Vulgata* uno ſolum loco, eoque alieno, ut infrà docebimus. Tamen parum veriſimile eſt, aut margaritas *Judæis* fuiſſe prorſus ignotas, cum ex *Arabia, Judææ* vicina deferantur: aut, ſi notæ fuerunt, earum non meminiſſe *Prophetas*, qui auri ſeptem genera, & gemmas quasque pretioſiſſimas, etiam cum pompa deſcribunt multis in locis. Itaque, ut è mari urinatores, ità nos ex *Propheticis* ſcriptis latentes margaritas eruere conabimur. Quibus pro concha, in profundo demerſâ, ſunt obſcuræ voces, neque dum ſatis explicatæ. Hujusmodi tres iſtæ occurrunt ברלח *bedolach*; פנינים *peninim*, & דר *dar*: quarum ſingulis *margaritas* intelligimus.

Primam ברלח *bedolach*, ex *Moſe* habemus; cujus verba ſunt in *Paradiſi* deſcriptione *Gen.* 2. *v.* 12. *Ibidem eſt* bedolach, *& lapis* ſoham. Et in deſcriptione Mannæ *Num.* 11. *v.* 7. *Manna autem erat ut ſemen coriandri, & ſpecies ejus ut ſpecies* bedolach. *Græcis* in priore loco *bedolach eſt* ὁ ἄνθραξ *carbunculus*, quomodo ab iiſdem redditur פך *puc*. Eſ. 54. *v.* 11. תרשיש *tharſis*, *Ezech.* 10. *v.* 9. & 28. *v.* 13. At in poſteriore loco *ſpecies bedolach* illis eſt εἶδος κρυστάλλου, *ſpecies cryſtalli*: quod ſequuntur ex *Hebræis R. Selomo*, *Elias*, & *Pomarius*. Nempe ut *Syra* verſio pro ברולחא *bedolcha*, conſtanter habet ܒܪܘܠܚܐ *berolcha*, *Res* & *Daleth* permutatis; quia ſunt literæ figura maximè vicinæ: ità *Græci* interpretes, pro *Hebræo* ברלח *bedolach*, videntur legiſſe ברולח *berolach*, & *beryllum* intellexiſſe, lapidis genus ad cryſtallum valde accedens. Proinde *Abenbitar*, ubi de ſpeciebus مهى ſeu cryſtalli والصنف الاول هو البلور *Hujus prima ſpecies eſt belur*, ſeu *beryllus*. Alii ברלח *bedolach*, pro *cryſtallo*, *bdellium* reddiderunt; quia *bedolach* & *bdellium* ſunt voces ſono proximæ. Itaque *Num.* 11. *v.* 7. ad voces ὡσεὶ σπέρμα κορίου, *ut ſemen coriandri*, male habetur id *Scholium* οἱ λοιποὶ βδελλίου, *reliqui* reddunt *bdellii*. Quid enim eſſet *ſemen bdellii?* Omnino igitur hoc *Scholium* pertinet ad id, quod ſequitur in eodem verſu, εἶδος κρυστάλλου. Et innuit *Hebræum* ברלח *bedolach*, quod ibi *cryſtallum* exponunt *Seniores*, alios, *Græcorum* interpretes, nempe *Aquilam*, *Symmachum*, & *Theodotionem*, reddidiſſe *bdellium*. *Joſephus* enim præiverat, à quo Manna deſcribitur ὅμοιον τῷ τῶν ἀρωμάτων βδελλίῳ, *aromatico bdellio ſimile*. Proinde etiam *Hieronymus* utroque *Moſis* loco pro *bedolach* habet *bdellium*. Eosq; adeò novi, quotquot ſunt, interpretes magno conſenſu ſequuntur.

Tamen cauſæ non deſunt, cur credamus voce בדלח *bedolach, margaritam* ſignificari. Primo terra *Havila*, in qua *bedolach*, eſt ea pars *Arabiæ* ad *Catipham*, & *Baharen*, ex qua margaritæ eruuntur. Quod in accurata *Paradiſi terreſtris deſcriptione* tot aſſerimus argumentis, ut vix quidquam deeſſe putemus ad perfectam probationem. Itaque hic monuiſſe ſufficiet à nobis nomine *Phiſon*, à quo alluitur terra *Havila*, cum *Euphratis* ramum intelligi, quem locorum αὐτόπτης *Petrus Teixeira*, *Itinere ab India in Italiam* paginâ 3. in ſinum Perſicum ferri ait *en Katifa junto a Barhen*, id eſt, *ad Catipham prope Barhen*, vel *Baharain* verius. In quibus locis celebris illa eſt margaritarum piſcatio, quam idem ſic deſcribit *Chronici Armuziæ* paginâ 26. 27. 28. *Inſula* Barhen *ſita eſt in meditullio ſinûs* Perſici *centum leucis ab* Armuzia, *& totidem à* Baſora, *exiguo intervallo à continente* Arabiæ *è regione portus* Catiphæ, *&c. Famoſa eſt inſula ob unionum copiam, quæ in ambitu, & vicino mari, capi ſolet*, &c. *Piſcationem autem in* Barhen *ordiuntur interdum menſe* Junio; *ſed maximè* Julio, *producuntque ad finem* Auguſti. *Solent autem ut plurimum tum convenire circiter ducenta cymbæ, centum ex hac inſula, quinquaginta è* Julfar, *& totidem de* N.hhelu. *Capiuntur autem conchæ plerumque in portu* Arabiæ, *quem vocant* Katar *decem leucis ab hac inſula versùs Meridiem. Oſtreum cum avellitur, ſtatim ſe aperit, & margarita eximitur. Uniones hujus ſinus longe præſtant reliquis totius orbis tam pulchritudine, quam pondere. Nam ſi duæ margaritæ ejuſdem magnitudinis, & figuræ quarum una ex hoc loco, altera aliunde ſumpta ſit, inter ſe conferantur; ſemper quæ ex* Bahren *ſumpta eſt reperietur eſſe gravior. Solent autem hinc quotannis educi ad valorem quingentorum millium ducatorum, præter magnum numerum, qui celatur.* Et *Alkazuinius* in capite *De Inſulis maris Perſici*,

ذكر البحريون ان صدف الدر لا يوجد الا في بحر ينصب فيه الانهار المتدية فاذا اتي وقت الربيع يكثر هبوب الرياح وارتفاع الامواج حملت الريح رشاشة من بحر اوقيانوس وفيه ما شبيه الدبق لزج مثل الغرا فيتولد منه الدر بان تقع تلك الرشاشة في محل الصدف فيلتقمه الصدف كما يلتقم الرحم المني فربما وقعت فيها قطرة كبيرة ينعقد درا كبيرا وربما يقع رشاشات ينعقد منها اجزا صغار كما ترا في اكثر الاصداف ثم ان الصدف اذا التقمت المطر خرجت من قعر الما الي ظاهر هذه عند هبوب الشمال وطلوع الشمس وغروبها ولا يخرج في وسط النهار فان شدة حرارة الشمس ووهج الشمس يفسد الدر واذا خرجت فتحت فاها ليقع الشمال في الدر فينعقد من اثر الشمال وحرارة الشمس وتكون في الصدف كما تكون الجنين في الرحم ثم ان جوف الصدف ان كان خالي من الما المر تكون الدر كدرا او اصفر غير مهندم واذا تم الدر في الصدف ينتقل الصدف الي موضع صلب وينبت عروقها فيه ويكون عند الناس خبر من وصول ثقل الصدف فاذا انتقل في الارض بالبحرين يتهنا الناس بعضهم بعضا بوصول ثقل الصدف والغواص اذا نزل لاخراجه يقلعه من الارض بالقوة فما خرج في وقته يبقا طربا مقبلا وما اخرج قبل وقته او بعده لا يبقي كذلك بل يتغير لونه

Ajunt Babarienſes (id eſt, *incolæ* inſulæ *Baharain*) *concham margaritiferam non reperiri, niſi in mari, ad quod amnes rapidi defluunt. Porrò verno tempore, quo ventus ſpirat gravius, & fluctus intumeſcunt, ventus ex Oceano guttas defert, in quibus aqua viſcoſa eſt & lenta, inſtar glutinis, unde generatur margarita. Cum ſcilicet hujuſmodi gutta incidit in locum conchis refertum, eam concha deglutit, quomodo vulva ſemen. Atque illa gutta, ſi magna ſit, ex ea margarita magna, ſive unio, coagulatur. Sed, ſi ſolum guttulæ incidant, ex iis concreſcunt partes tenues, ut videre eſt in pleriſque conchis. Cum autem deglutiit pluviam, exit ex fundo aquæ in apertum, idque* Aquilone *flante, & circa Solis ortum, vel occaſum. Neque enim exit circa Meridiem,* *quia*

quia vis & intenſio caloris margaritam corrumperet. Et, cum exit, os ſuum aperit, ut incidente aquilone *ſuper margaritam, ea coaguletur tam ex* Aquilonis *impreſſione, quam ex calore Solis. Eſtque in concha margarita ut embryo in vulva. Tum, ſi venter cochleæ careat aquâ amarâ, margarita erit turbida, aut flava, & inconcinna. Quamprimum autem margarita in concha perfecta eſt, transfertur concha ad locum durum, in quo creſcunt radices ejus,* (quibus nimirum in eo loco defigatur.) *Tum verò increbeſcit rumor veniſſe concharum turmam: cumque migrat ad terram, quæ eſt prope* Baharen, *locorum incolæ ſibi mutuo gratulantur, eo quod cochlearum turma venerit. Et urinator ad concham educendam ſe immergens, eam ex terra vi extrahit. Margarita autem, quæ ſuo tempore educta eſt, manet recens, & alba* (ut album oculi) *At ſi vel maturius vel ſerius educatur, non manet in eo ſtatu, ſed alteratur color ejus.* Neque aliud voluit *Benjamin*, cum de *Caipha* ſcripſit, cujus littori *Baharain* inſula eſt oppoſita. ושם ימצא הבדלח ובארבע ועשרים בניסן יורד שם מטר על פני המים ומקבלים המטר ההוא ונסגרים ונופלים לתוך קרקע הים ובחצי תשרי באין שם שני בני אדם לקרקע הים בחבלים ומלקטים את השרצים ההם ומוציאין אותם ובבקעים אותם ומוציאים מתוכם אבנים הללו *Ibi invenitur* BEDOLACH (id eſt, *margarita*, vel etiam *concha margaritifera*, de qua per Enallagen Numeri ſtatim addit) *Die* Niſan *vigeſimo quarto, delapſam in ſuperficiem aquarum pluviam excipiunt, quâ concluſa, in maris fundum ſe demittunt. Deinde medio menſe* Tiſri *eò per funes ſe demittunt duo homines, qui reptilia illa collecta diffindunt, & ex iis educunt lapides margaritarum. Hebræa* אבנים הללו ſignificant *lapides iſtos*: ſed legendum אבני הלולו *lapides lulu*, id eſt, *margaritas. Arabes* enim *margaritam* appellant حجر اللولو *lapidem lulu*. Et *Kalonymus* in libro *De natura animalium*, תולעת הבדלח הנה הוא מהיותר קטנים מרבה שבים והיותר חלוש הכח והיותר דק היצירה והיותר רב התבונה והחכמה וזה שהוא תחיה בקרקע הים אך תחתיתו מתעסקת בבקשת מזונה עד בא עת מהזמן תעלה מתחתית המים ביום המטר יתפתח נרתק אשר מונחת בו והוא עשוי כצורת שני אזנים מעצמות מגני הדגים וזו עושה מימי המטר וכאשר תקבלם תסגור אתם האזנים סגירה מחודקת שלא יכנסו שם מי הים המלוחים ותרד בנחת אל קרקע הים כמו שהיתה עושה מקדם ותעמוד שם עד שיקפאו המים בדולח והם פירליש בלעז *Vermis* ☧ *bedolach* (id eſt, *margaritam ferens*, ut patet ex ſequentibus) *cum ſit è minimis animalibus, qui in mari ſunt, & viribus infirmiſſimus, & naturâ tenuiſſimus, prudentiâ tamen & ſapientiâ plurimum pollet. Nempe vivit in fundo maris in imo gurgite, ibique in quærendo victu occupatur, donec veniat tempus commodum, quo inde excedat die pluvia, & thecam aperiat, in qua latet, facta ad inſtar duplicis armaturæ oſſeæ, quæ piſcibus ſit pro clypeo. In illam autem defluunt aquæ pluviæ, quas cum excepit, armaturam illam arctiſſimè claudit, ne ſalſæ maris aquæ eò penetrent. Et deſcendit, ut quieſcat in fundo maris, ut anteà fecerat, ibique degit, donec aquæ in* bedolach *concreverint, id eſt, in perlas, ut vulgo vocant.* Et paulò pòſt, ויתפארו בעדי הבדלחים אשר יצאו מגוף זה התולעת, *Et gloriantur* (homines) *ornatu* bedolechim, *ſeu margaritarum, quæ ex hujus vermiculi corpore exierunt.* Inſula, quam diximus, بحرين *Baharain*, id eſt, διθάλασσος, ſeu *bimaris*, appellatur.

Sic *Act.* 27. *v.* 41. ubi *Pauli* navis incidiſſe legitur εἰς τόπον διθάλασσον, *in locum bimarem*, *Arabica* verſio *Pariſiis* edita habet *in locum* ذي بحرين *dsi baharain*, id eſt, *in quo ſunt duo maria*. Proinde ad inſulam *Baharain* pertinere certum eſt hæc *Andreæ Bellunenſis*, ALIEMEN *eſt regio, quæ incipit ab exitu ſinus* Rubri maris *uſque ad principium ſinus* Perſici, *in quo eſt dictus locus* DUO MARIA *non multum diſtans ab inſula Ormus* (imo centum circiter leucis) *Et in loco* DUO MARIA *dicto expiſcantur margaritas cæteris præſtantiores.* Sed illa inſula cur ſic vocetur non ſatis conſtat. Nam locorum incolæ varia comminiſcuntur. Sed nihil tam veriſimile, quam quod nonnulli aſſerunt, portionem ejus olim in longam *Cherſoneſum* fuiſſe exporrectam, quam mare demerſerit. Cujus rei indicio ſint duo fontes hodieque in medio mari ebullientes. Itaque διθάλασσος dici potuit hæc cherſoneſus, & ex illa tota inſula, eo quod idem mare tanquam in duo divideret. Utut ſit, ab hac eadem inſula margaritam *Æthiopes* ባሕርይ: *bahario* vocant, quaſi *Baharienſem* dixeris. Exempla vide in *Æthiopica Novi Teſtamenti* Paraphraſi *Matth.* 7. *v.* 46. &c. *Arabiæ* portum *katar* huic inſulæ *Teixeira* ſcribit ad Meridiem opponi, & diſtare decem leucis. An *katar* eſt *Ptolemæo* Κάδαρα πόλις Αἰταίων, *Kadara Ætæorum urbs*? malè *caradia* interpretibus. Cui oppoſita inſula Θαρὼ poſſet eſſe بحرين *Baharain*; quæ olim *Arabice* dicta ſit inſula در *dar*, id eſt, *margaritarum*, Unde *Græcorum* Θαρώ. Ut in *Suida* Θευσάρης *Bacchi* nomen pro *Arabico Duſares*. Et *Dorice* τὐδὸς in *Euſtathio* pro ψεῦδος. Contra quam *Deus*, *perdo*, *gaudeo*, pro *Græcis* Θεὸς, πέρθω, γαθέω.

Jam cum *Num.* 11. *v.* 7. Manna legitur ſpeciem habuiſſe ☧ בדלח *bedolach*, id apprime conveniet, ſi nomine *bedolach margaritam* intelligamus, cum Manna & album fuerit, & rotundum, quæ duo ſunt in margarita maximè inſignia. Album fuiſſe ſcribunt *Græci* interpretes *Exod.* 16, 14. Καὶ ἰδοὺ ἐπὶ προσώπου τῆς ἐρήμου λεπτὸν ὡσεὶ κόριον, λευκόν. Nempe is eſt Mannæ color nativus, ut omnes ſcribunt, & patet ex αὐτοψίᾳ, ac proinde ibidem cum pruina confertur. Et מחספס, id eſt, *rotundum*, fuiſſe ſcimus ex ipſo *Moſe* ubi ſuprà. Neque eſt quod hæc expoſitio tanquam nova rejiciatur. Nam, quod neminem obſervâſſe miror, *Talmudici* Doctores hunc ipſum locum explicantes in *Joma* capite octavo fol. 75. a. Manna fuiſſe dicunt עגול כגדא ולבן כמרגלית, *rotundum ut coriandrum, & album ut margalith*, id eſt, *ut margaritam*. Et *Baal Haturim* in *Geneſeos* caput ſecundum in hunc *Numerorum* locum excurrens, conjectat Mannæ tribui ſpeciem ☧ *bedolach*, שאבנים טובות ומרגליות ירדו עם המן, *quia precioſi lapides, & margaritæ cum manna deſcendebant. Arabum* quoque verſiones, una *Leidæ*, altera *Pariſiis* editæ, in reliquis diverſiſſimæ, tamen hic συμφωνοῦσαι, in utroque *Moſis* loco pro בדלח habent اللولو *allulu*, id eſt, *margaritam*. Ità etiam duæ manu-ſcriptæ quas in *Suecia* percurri *Num.* 11. *v.* 7. Quamvis in loco *Geneſews* una الحمر *carbunculum*, altera المها *cryſtallum* habeat. *Saadiæ* quoque *bedolach* fuiſſe *margaritam* docent hæc *Aben Ezræ* in *Geneſim*, אמר הגאון כי הבדולח הם האבנים הקטנים עגולים היוצאים מהמים שהם דקים נמשל המן אליהם, *Dixit* (Saadias) Gaon *voce* BEDOLACH *Lapillos rotundos deſignari ex aquis educi ſolitos, quibus, quia tenues ſunt, Mannæ grana conferuntur.* Neque aliud ſibi volunt hæc *Kimchii* in *Lexico*, ויש אומרים

שהיא אבן לבנה עגולה שנוקבים אותה ומחברים עמה אבנים ועושים מהם ענק *Sunt, qui dicunt lapidem eſſe album, & rotundum, ex quo perforato, & cum aliis ſimilibus conſociato torquem conficiunt.* Quibus verbis margaritas deſcribi nemo non videt. Et ne temere hæc præterirentur, נימוק *nimok*, ſcriptum eſt ad marginem, quaſi dicas, rem eſſe obſervandam. A *Benjamine* quoque & *Kalonymo* בדלח pro *margaritis* ſumi jam ſuprà didicimus. His ſufficiet addere autorem *Hiſtoriæ Templi Secundi* à *Munſtero* editum, qui paſſim ità uſurpat. Ut cum dicit paginâ 40. *Antiochum Pium* bovem miſiſſe Deo *Iſraelis* offerendum,

צפה קרניו בזהב שחוט והגר אותו בחוטי בדלח. *cujus cornua operuerat auro ductili, quemque cinxerat filis bedolach*, id eſt, *margaritis filo conſertis.* Et paginâ 146. *Herodis* vitem auream habuiſſe אשכלות של בדלח, *botros ex bedolach*, id eſt, *ex margaritis.* Vide item paginas 87, & 187. & 248. ubi inter gemmas & lapides pretioſiſſimos nominatur בדלח *bedolach.* Itaque fallitur *Munſterus*, qui *cryſtallum* ubique reddit. Denique è recentioribus in eandem ſententiam palam propendent *Pagninus* in *Lexico*, *Oleaſter*, *Auguſtinus Steuchus*, *Mercerus*, & alii, qui in his literis primas tenent.

Jam ſi quæratur ratio nominis, reſpondebo vel vocem eſſe peregrinam, ut pleraſque quadratas, vel *Cheth* haberi loco *He*, cum ob figuræ tum ob ſoni affinitatem, ut in multis vocibus, quas obſervavit *Cappellus* ὁ μακαρίτης *Critica Sacra* paginis 23, & 254. Et in *Thargum Hieroſolymitano* נביח per *Cheth* idem eſt, quod נביה per *He*, *Levit.* 21. v. 20. Et קשח in *Jobo* & in *Eſaia* idem, quod alibi קשה. Ac proinde בדלה per *He* ſcribitur in *Samaritana* verſione, *Num.* 11. *v.* 7. Hoc ſi dederis, aut finale *Cheth* eſſe Paragogicum, deducetur בדלח *bedolach*, à Verbo בדל *badal*, quod *ſeparare* & *ſegregare* ſignificat. Ita dicetur בדלח non *margarita* quævis, ſed egregia, & eximia, quæque præſtantiæ nomine à reliquis eſt ſegregata. Id *Arabicè* eſſet فريد *pharid.* *Golius* noſter ex *Giauhari*, & *Camuſo*, & *Marnphide*: فريد PHARID, *ſingularis margarita, quæ in linea, ſeu monili inter alias connexas eminet.* Nempe *Hebræa* בדל *badal*, & פרד *parad* (*Arabicè pharada*) ſunt prorſus ſynonyma. Proinde utrumque reddunt *Seniores* χωρίζειν, διαχωρίζειν, ἀφορίζειν, διαςτέλλειν, διαςτᾶναι, Hieronymus *dividere*; & *ſeparare.* Et *Græcè* quoque ſeparari dicuntur, quæ electa & eximia ſunt. *Heſychius*, Ἀφωρισμένος, ἐκλελεγμένος, διακεκριμένος. Niſi ſit ſumptum ex *Rom.* 1. v. 1. Sic *Romanâ linguâ egregius*, propriè, qui è grege lectus eſt & ſegregatus, unde ad alia transfertur. Neque remotum, quod *uniones* vocant margaritas illas eximias. *Unicum* enim illud eſt, quod à cæteris eſt ſeparatum. *Unionum* porrò nomine id proprio ſignificari docent veteres. *Plinius* libri noni capite trigeſimo quinto, *Cum Ælius Stilo Jugurthino bello unionum nomen impoſitum maximè grandibus margaritis prodat.* *Gloſſæ* optimæ, *Uniones*, Μαργαρῖται μεγάλοι, μονόκοκκοι. Nempe *Latinè unicum* dicitur quidquid eſt eximium. *Afranius* apud *Feſtum* voce *Sagaces.*

Qui tam ſagaci corde atque ingenio unico.

Propertius libro primo ad *Cynthiam*,

Unica nec deerit jucundis gratia verbis.

Catullus Cæſari, *Imperator unice*: id eſt, *ſumme.* *Plinius* de *Cleopatræ* unionibus, *Gerebat auribus tum maximè ſingulare illud ac vere unicum naturæ opus.* Feſtus, *Pimpleides Muſæ à fonte* Macedoniæ *dictæ, propter liquoris ejus unicam ſubtilitatem.* Item, *Sardanapalus Rex* Aſſyriorum *fuit unica luxuria.* Pro בדלח *bedolach*, *Jonathan* mutatis vocalibus, ſcribit בידלח *bidelach*, & בידלחא *bidlecha.* Nempe ità *Syri* efferebant. Quomodo dictam putaverim inſulam margaritiferam in *Rubro mari*, quam *Græci* Βίβλον vocabant; prout barbara vocabula ſolebant emollire, atque ad ſuæ linguæ genium accommodare. De ea inſula vide *Philoſtratum*, & *Photium* in *Excerptis.*

Cum hac interpretatione vocis בדלח *bedolach*, quam aſſerimus, reliquas ſi conferas, videbis in iis omnibus eſſe, quod deſideres. Bdellium enim, utùt demus etiam in *Havila*, aut circa *Havilam*, provenire, tamen cur Manna dicatur habere bdellii ſpeciem non apparet, cum bdellium neque colore neque figurâ mannam referat. Bdellium enim fere nigrum eſſe, atque inde dici שחלת alibi probavimus. Neque id in grana rotundatur, ſed concreſcit in grumos, & quaſi glebas. Unde eſt, quod ἀσφάλτινος appellatur ejus ſpecies. Carbunculum autem cum Manna nihil habere commune nemo eſt, qui neſciat. Neque multo ſimilior *cryſtallus*, aut יהלום, *adamas*, quomodo redditur בדלח à nonnullis apud *Kimchium.* Lacteum enim candorem habet Manna, non cryſtalli, vel adamantis. Præterea ex his *Moſis* שם הבדלח ואבן השהם, *ibi eſt bedolach & lapis ſoham*, id eſt, *beryllus*, vel *onyx*, planè colligitur *bedolach* non eſſe lapidem propriè dictum, qualis eſt beryllus, vel onyx. Alioqui dixiſſet *Moſes*, *Ibi eſt lapis bedolach, & lapis ſoham*, vel ibi ſunt *lapides bedolach, & ſoham.* Itaque *bedolach* neque eſt *carbunculus*, nec *cryſtallus*, neque *adamas*, qui tam ſunt lapides, quam onyx, & beryllus, & revocantur ad idem genus.

CAPUT SEXTUM.

Probatur פנינים *peninim* eſſe *Margaritas.*

Scripturæ loca de peninim. *Quam variè reddatur hæc vox.* Margaritas *optimè reddi.* 1. *Quia ad* פנינים peninim, *alludunt* πίννα (*id eſt*, margaritifera concha) πίννινος, πινικὸν vel πίννινον, πίννινος λίθος. *Pinna ſp.* perna, *unde vernaculum* perla. 2. *Gemmarum nomina in Scriptura Singulari numero fere, quia ſingula in annulis, &c. At* פנינים peninim, *ſemper Plurali, quia in torquibus & armillis margaritæ plures conſertæ.* חוטי בדלח filum *aut* linum margaritarum, linea dives. 3. *Job.* 28. *v.* 18. Extractio peninim, *id eſt*, piſcatio margaritarum. *Cur dicatur* extractio. *De voce, & ipſa re multa.* 4. Peninim, *Scriptura cenſet inter res pretioſiſſimas. Margaritis præter adamantem nihil pretioſius.* Serviliæ Bruti *matris &* Cleopatræ *margaritarum pretium quam immane.* 5. *Tamen Prov.* 20. *v* 15. רב פנינים, *magna eſt* margaritarum copia. *Præcipuè circa* Baharain *& in* America. *Alia piſcationum loca.* Chares *emendatus.* 6. *Remota à* Judæa *loca margaritifera*, Proverb. 31. v. 10. *nempe intima* Arabia. *Ut calamus aromaticus, qui* è longinqua terra venire *dicitur* Jerem. 6. v. 20. *Non alibi fuiſſe, quam in* India *falſum.* Arabici *multa mentio. Fuit etiam prope* Judæam *ex* Aulone, *ſed poſt* Prophetarum *tempora. Obj. De* Nazaræis *dicitur* Thren. 4. v. 7. אדמו, Rubuerunt corpore ut peninim. *At margarita non rubent niſi per vitium. Reſp. rubere ibi ſplendere eſt: ut Latinum* rutilare, rutilus, purpureus. Candidus *&* λευκὸς *unde dicantur.* Chaldæis סמכן, *primo* minium *deinde quemvis colorem ſonat.* אדם, rubere Hebræis *&* candere *Arabibus.* Levit. 13. v. 19. *Lepra alba dicitur* אדמדמת, *quod neque ſubrubram,*

rubram, *neque* impenſè rubram *ſonat, neque* rubrum albo fuiſſe miſtum; *ſed lepram fuiſſe* lucidam. *Itaque ibidem* בהרת *vocatur à* בהר *quod* lucere *eſt.* *Ita* Cant. 5. v. 10. *ſponſus eſt candidus* צח & lucidus. *Ita hic* Nazaræi, *qui in eodem verſu* lacti *&* nivi *comparantur propter ſummum candorem.* Nazaræi *non voto, ſed dignitate,* i. e. *principes.* Margaritæ *à ſplendore dictæ* Græcè *&* Arabicè. *Concha margaritifera cur vocetur* berberi. *Color exaluminatus.* Dioſcorides *ex* Plinio *&* Arabe *emendatus.* *Quo ſenſu margarita lapis διαφανὴς vocetur à* Theophraſto. *Refellitur vir magnus, qui, additâ negatione, legi vult ὐ διαφανής.*

SEcundum *margaritarum* nomen פנינים *peninim,* extat in aliquot Scripturæ locis: ut cùm de ſapientia dicitur *Job.* 28. *v.* 18. ומשך החכמה מפנינים ad verbum, *Et extractio ſapientiæ præ* peninim ſupple *quærenda.* Et de eadem *Prov.* 3. *v.* 15. *Eſt pretioſior* τοῖς peninim. Et *Prov.* 8. *v.* 11. *Melior eſt ſapientia* τοῖς peninim. Et *Prov.* 20. *v.* 15. *Aurum &* peninim *abunde ſunt, ſed labra erudita ſunt rara ſupellex.* Et *Prov.* 31. *v.* 10. *Mulierem ſtrenuam quis inveniet? Remotior enim eſt* τοῖς peninim *comparatio ejus.* Et, *Thren.* 4. *v.* 7. Nazaræi *ejus erant nive puriores, lacte candidiores, corpore rutili ut* peninim. Et varii variè reddunt. *Aquila* τὰ περίβλεπτα, conſpicua, illuſtria, quaſi fiat à פנה, id eſt, *aſpicere*, mediâ geminatâ: ut in הגיג ab הגה, & חזיז à חזה, & צלילי à צלה, & זנונים à זנה. *Seniores* in *Jobo*, & *Symmachus* in *Proverbiis*, τὰ ἐσώτατα, *intima.* Ac ſi פנינים *peninim*, per N idem ſit, quod per M פנימים *penimim.* Hieronymus valde inconſtanter: quandoque *occulta*, ut *Job.* 28. *v.* 18. *Trahitur ſapientia de occultis.* Nonnunquam *cunctas opes*, & *cuncta pretioſiſſima*; ut *Prov.* 3. *v.* 15. *Precioſior eſt cunctis opibus ſapientia*; & *Prov.* 8. *v.* 11. *Melior enim ſapientia cunctis pretioſiſſimis.* At *Prov.* 20. *v.* 15. eidem רב פנינים, eſt *multitudo gemmarum.* Et *Prov.* 31. *v.* 10. מפנינים, *de ultimis finibus.* Et *Thren.* 4. *v.* 7. אדמו עצם מפנינים, *rubicundiores ebore antiquo.* Quæ verſionum inconſtantia docet incomparabili viro calculum hic hæſiſſe. Sunt, qui putent eſſe pretioſi lapidis genus. Et *Syrus* in *Jobo* ſmaragdum & carchedonium, in *Jeremia* ſardium exponit. Plerique tamen in genere *lapides pretioſos* vertunt. Quod in *Solomonis Proverbiis* ſemper ſequuntur *Græci Seniores, Chaldæi, Syri*, & *Arabes*, & multi *Hebræorum.* Nec deſunt, qui *margaritas* interpretentur. Ita in *Jobo* Chaldæus, *Tractio ſapientiæ melior eſt* מן מרגלין, *margaritis.* Et *Arabs* بالزمرد والدر لا تباع *ſmaragdo & unionibus non venditur.* Et *R. Selomo* in *Prov.* 8, 11. מפנינים *præ peninim* reddit מן מרגליות, *præ margaritis.* *Pomarius* quoque in *Lexico* ad vocem פנין *penin*, אבן יקרה או הוא כדמות אבן לבן היוצא מבטן דג אחר הנקרא אוסטריק ונמצא בים אוקיאנוס, *Lapis pretioſus, vel lapillo albo ſimilis, qui educitur è ventre piſcis oſtrei nomine in Oceano reperiri ſolito.*

Hanc interpretationem multa adſtruunt. Primò, quod ad פנין *penin*, alludit πίννα, *pinna, concha margaritiferæ* nomen in uſu apud *Græcos*, & *Romanos.* *Iſidorus Characenus* in *Parthiæ* periegetico apud *Athenæum* libro tertio, Φασὶ δὲ, ὅταν βρονταὶ συνεχεῖς ὦσι, καὶ ὄμβρων ἐκχύσεις, τότε μᾶλλον τὴν πίνναν κύειν, καὶ πλείστην γίγνεσθαι μαργαρίτην, καὶ εὐμεγέθη. *Ajunt autem cum tonitrua continua ſunt, & imbrium effuſiones, tum maximè pinnam concipere, & plurimam generari margaritam & ampliorem.* *Plinius* libri noni capite trigeſimo tertio, *In* Acarnania, *quæ vocatur pinna margaritas gignit.* Hinc πίννινος λίθος, *pinninus lapis* pro *margarita* occurrit in *Græca* verſione *Eſth.* 1. *v.* 6. ut πίννινον ἔριον, *pinnina lana* paſſim pro *lana*, ſeu *byſſo*, *quæ ex pinna educitur.* Et *Græci* alicujus interpretis verbum πίννινος *ab Hieronymo margaritum* redditur Prov. 25. v. 12. ut pluribus dicetur infra. Indidem veteres πινικὸν vel pro ipſa *pinna* ſumunt, vel potiùs pro *margarita.* *Ptolemæus* libri ſexti cap. 7. Σύαγρος ἄκρα Σαχαλιτῶν ἐν τῷ Σαχαλίτῃ κόλπῳ, ἐν ᾧ κολύμβησις πινικοῦ. *Syagrus, arx* Sachalitarum *in* Sachalite *ſinu, in quo piſcatio pinici.* Et libri ſeptimi capite primo, Κομαρία ἄκρα, καὶ πόλις Καρείων ἐν κόλπῳ Κολχικῷ, ἐν ᾧ κολύμβησις πινικοῦ. Comaria, *arx*, *& urbs* Careorum *in ſinu* Colchico (*hodie Cochin*) *in quo piſcatio pinici.* *Arrianus* in *Periplo maris Erythræi* de *Apologo* & *Ommana Perſico* maris *Emporiis*, Ἐκφέρεται δὲ ἀπὸ ἑκατέρων τῶν ἐμπορίων εἰς τε Βαρύγαζαν, καὶ εἰς Ἀραβίαν, πινικὸν πολύ. *Affertur ab utroque emporio in* Barygazam *&* Arabiam *multum pinicum.* Et de maritima regione prope *Colchos*, Ἐν ᾗ κολύμβησίς ἐστιν ὑπὸ τὸν βασιλέα Πανδίονα πινικοῦ; *In qua pinici piſcatio eſt ſub* Pandione *Rege.* Et paulò poſt de regione à *Comare* ad *Colchos*, ἐν ᾗ κολυμβηταὶ τοῦ πινικοῦ εἰσιν. Item, Ἐν ἑνὶ τόπῳ τιτρωνεῖται (lege περονεῖται) παρ' αὐτὴν τὴν Ἠπιοδώρου συλλεγόμενον πινικόν· φέρονται γὰρ ἐξ αὐτῆς σινδόνες ἐκμαργαριτίδες (lege μαργαρίτιδες) λεγόμεναι. *In uno loco perforatur pinicum, quod colligitur juxta ipſam* Epiodori *inſulam. Inde enim afferuntur ſindones margaritides dictæ*; quia ex pinico, ſeu margaritis conſertæ. Et de *Taprobana*, Γίνεται δὲ ἐν αὐτῇ πινικόν. *In ea autem naſcitur pinicum.* Et ubi de *Gange* fluvio, *Ad quem eſt emporium* Ganges, *ejuſdem cum amne nominis, per quem affertur malabathrum, &* Gangetica *nardus*, καὶ πινικὸν, *& pinicum.* In locis, quæ citavimus, πινικὸν non eſſe *concham*, ſed ipſam *margaritam*, ex eo patet, quòd περονεῖσθαι, & inter pretioſas merces φέρεσθαι, vel ἐκφέρεσθαι legitur. Proinde in *Arriano concha* non dicitur πινικὸν, ſed πινικιον κόγχον cum de ſinu Perſico ſcribit, Πλεῖσται κολυμβήσεις εἰσὶν τοῦ πινικίου κόγχου. *Multa* (ibi) *ſunt piſcationes piniciæ conchæ.* Itaque ex πίννα, vel πίνα, quod animalis nomen eſt, primò fit πινικὸν, id eſt, *margarita*, deinde Adjectivum πινίκιος, unde πινίκιον κόγχον, *concha pinicia*, ſeu *margaritifera.* Et in *Philoxeni Gloſſis*, pro Πίννον, *Marinum*, utrâque voce mendoſa, reſcribendum Πιννὸν, *Margaritum.* Ut in optimis illis, quas citat *Salmaſius* in *Solinum* pag. 1125. Πινικά, *Margarita.* His, quæ de pinna diximus, adverſari videbitur *Theophraſtus*, qui non in pinna, ſed ἐν ὀστρέῳ τινὶ παραπλησίῳ ταῖς πίνναις πλὴν ἐλάττονι, *in oſtreo quodam pinnis proximo, niſi quod minus eſt*, margaritas concipi ſcribit. At alii jam obſervârunt oſtreum hoc pinnæ ſimile, ſed minùs eſſe pernam pinnæ ſpeciem, quam hiantem ait *Plinius* (a) in arenâ ſtare defixam, velut ſuillo crure, unde illi *perna* nomen. (a) *Lib.* 32. *cap.* 11. A quo *perla* vulgare vocabulum, non à *perula*, ut volunt viri magni duo *Caſaubonus* & *Salmaſius.* Ut *pinna* eſt *Hebræum* פנין *penin*, in quo verſamur pro *margarita* à *Prophetis* uſurpatum. Utrumque enim *perna*, & *pinna*, tam pro *margarita*, quàm pro *oſtreo* tandem uſurpari cœptum. *Pandectarius*: *Perna quid eſt? Eſt lapis margarita.* Item: *Hager allulu* (Arabicè حجر اللولو *ſive alba margarita, vel perna eſt quæ in oſtreis reperitur.* Et rurſus, *Pina*, Græcè *piſcis, in quo margarita generatur, interdum pro ipſa margarita dicitur.* Obiter nota *pinam* ſcribi pro *pinna.* Nam verè *Pandectarium* ita ſcripſiſſe docet literarum ordo. Sic in *Arriano*, & *Ptolemæo*, conſtanter legi vidimus πινικὸν pro πιννικὸν. Quin etiam in ſacro textu פנים *penijim*, unico N ſcribitur *Prov.* 3. *v.* 15. Sed in margine *Maſorethæ* legendum monent פנינים *peninim.*

II. Ecce aliud argumentum quo probetur hac voce *margaritas* potius ſignificari quàm quosvis lapides pretioſos, quomodo reddunt plerique veteres. Lege *Job.* 28. *v.* 15. 16. 17. 18. 19. Ibi videbis ab argento & auro undecunque allato & gemmarum multis ſpeciebus, nempe שהם, & ספיר, & זכוכית, & ראמות, & גביש, & פטדת כוש, diſtingui פנינים,

peninim

peninim, tanquam ab iis quid diverſum. Itaque falluntur, qui volunt nomine *peninim* omnes *gemmas* ſignificari. Sed neque eſt gemmæ certa ſpecies. Gemmarum enim nomina Scriptura ſolet Singulari numero efferre, ut paſſim videre eſt. Sed פנינים *peninim*, nonniſi Plurali numero uſurpant. Nempe in annulis, & in ornatu quotidiano, ferè ſingulæ gemmæ adhibentur. At margaritæ in torquibus, & monilibus, plures conſeri ſolent. Quod jam olim in uſu fuiſſe apud *Orientis* populos teſtantur ſcriptores vetuſtiſſimi. *Theophraſtus* de *Indis*, & *Rubri maris* accolis; Ποιοῦσι δ' ἐξ αὐτῶν τοὺς πολυτελεῖς ὅρμους· *Ex ea* (margarita) *faciunt pretioſa monilia.* Rerum *Alexandri* ſcriptor *Chares Mitylenæus* libro ſeptimo de *Medis*, & *Perſis*: Κατασκευάζουσι δ' ἐξ αὐτῶν ὁρμίσκους τε, καὶ ψέλλια, περὶ τὰς χεῖρας, καὶ τοὺς πόδας· *Ex iis monilia & armillas adornant circa manus, & pedes.* Et de iisdem *Ammianus* propè in fine libri vigeſimi tertii, *Armillis uti, monilibusque aureis, & gemmis, præcipuè margaritis, quibus abundant, adſuefacti poſt Lydiam victam, & Crœſum.* Proinde in margaritæ deſcriptione inter cætera habet *Kimchius* שנוקבין אותה ומחברין מבנה אבנים תושים מהם ענק, *illam perforari, & plures ejus generis lapillos ſimul conſeri, ut ex iis fiat torquis.* *Margaritas* ita *conſertas* ſupra vocavit auctor *Chronici ſecundi Templi* חוטי ברולח, *fila bedolach*, id eſt, *margaritarum*. Romani *filum* aut *linum* aut *lineam* appellabant. *Hieronymus* in vita *Pauli Eremitæ*. *Qui uno filo villarum inſuunt prædia.* Pro eo, quod *Tertullianus* libro penè extremo *De habitu muliebri*, *Uno lino decies ſeſtertium inſeritur.* Unde *dilinum, trilinum, tetralinum*, pro *duplici, triplici*, & *quadruplici filo margaritarum*. Et apud *Juris-conſultos*; *Si linea margaritarum ſurrepta ſit*, &c. Item, *Si maritus uxori margaritas extricatas dediſſet in uſu, eaſque uxor inſcio viro perforâſſet, ut pertuſis in linea uteretur.* Neque aliud *linea dives* inter ludorum miſſilia. *Martialis* libri octavi *Epigrammate* ſeptuageſimo octavo,

Omnis habet ſua dona dies, nec linea dives
Ceſſat, & in populum multa rapina cadit.

De quo loco vide *Turnebi Adverſaria* libri vigeſimi noni capite nono, & *Salmaſium* in *Solinum* pagina 921.

III. Nec leve momentum habent *Jobi* verba, quæ citavimus, modò rectè intelligantur, ומשך חכמה מפנינים, *Et extractio ſapientiæ præ* peninim, id eſt, *margaritarum extractioni eſt præferenda.* Sic enim alluditur ad modum, quo vel conchæ, vel margaritæ è fundo maris extrahuntur. Et conchas quidem veteres duplici ratione extrahebant. Primò urinando, & per κολύμβησιν, de qua ſupra toties *Ptolemæus*, & *Arrianus*. Sed nemo diſertiùs *Iſidoro Characeno*, qui circa inſulam *Perſici* maris margaritis fertilem, caſas extrui dicit, ἐξ ὧν καθαλλομένους εἰς τὴν θάλασσαν ἐπ' ὀργυιὰς εἴκοσιν ἀναφέρειν διπλᾶς κόγχους, *ex quibus ad ulnas viginti ad mare proſilientes, nonniſi duas referre conchas*, nempe quâque manu ſingulas. Addit in magno periculo verſari, qui margaritas ita venantur, quia ſi in hiantem concham rectà manum indiderint, illa clauditur protinùs, & urinatorum digiti ſæpe ſic abſcinduntur, quo cruciatu ſtatim intereunt. At qui à latere conchæ manum ſubjiciunt, ῥᾳδίως τὰς κόγχους ἀπὸ τοῦ λίθου ἀποσπῶσιν, *facilè conchas ex ſaxo extrahunt.* Qui conchas ſic ἀποσπῶσιν, *Hebraicè* dicerentur מושכי פנינים. Atque ipſa tractio משך, ſeu ἀπόσπασις. Itaque *Job* vocabulum τεχνικὸν hic adhibuit. Ut *Manilius* agens de margaritarum urinatore dicit libro quinto *Aſtronomicôn*,

Cumque ſuis domibus conchas, valloque latentes
PROTRAHIT immerſas.—

Et *Alkazuinius* ſupra, والغواص اذا نزل لاخراجه يقلعه من الارض بالقوة *Et urinator cùm deſcendit, ut eam educat, illam è terra vi EXTRAHIT.* Ut *Hector Bœthius* quo loco agit de margaritarum expiſcatione in *Scotia*, *Piſcantes id maximè obſervant, ut primo ATTRACTU teſtas conjunctas arctiſſimè detineant, protinus illis alioquin unionem evomituris.* Hoc idem uberiùs ediſſerit *Ludovicus Vartomanus* libri tertii *Navigationum* capite ſecundo, ubi de inſula *Perſidis* ad quam margaritæ leguntur. *Sunt ibi* (inquit) *nonnulli, qui* (margaritarum) *piſcatu victum quæritant. Hi vecti cymbis in mare jactum faciunt prægrandis ſaxi dependente fune, idque fit ab gemina cymbæ parte, ut, utrimque jactis in profundum lapidibus, conſtabiliri navis, non aliter quam ſi in anchoris foret, poſſit. Firmatâ ſuo pondere cymbâ, alius, cui id munus obtigit, in æquor jacit funem ſaxo dependente. In navi mediâ alius, manticâ in pectus tergumque dependente, alligato pedibus lapide, ſe vibrat in pelagus, ſubitque aquas urinantium more natat, actuſque in profundum ad paſſus quindenos, tantiſper urinat, donec legerit conchas, in quibus deliteſcunt uniones, ac margaritæ: collectas mantica indit, lapidemque protinùs, quo pedes gravabantur, abjicit, funique innixus in ſuperiora evadit.* Quod de funibus dicit, lucem addit his *Benjamini*, quæ ſupra citata ſunt; *Eò per funes deſcendunt duo homines, qui reptilia colligant*, &c. Alter conchas expiſcandi modus fuit per retia, olim apud *Indos* in multo uſu circa *Perimudam* inſulam de quo multa *Ælianus* libri decimi quinti capite octavo. Summa eſt, quo tempore *Bactris* imperabat *Eucratides*, *Soran*, Regii generis virum, *Perimudam Indiæ* urbem, & inſulam tenuiſſe, cujus inſulæ *Ichthyophagi* conchas margaritiferas retibus in orbem circa littus extenſis capiunt. Has eſſe σμηνοειδεῖς, gregatim natare, & æquè ac apum examina Regem habere, cùm colore tum magnitudine præſtantiorem, quo capto cæteras duce orbatas facile capi: ac proinde piſcatores plus operæ in eo capiendo impendere. Quibus conſonant hæc *Plinii* libri noni capite trigeſimo quinto, *Quidam tradunt, ſicut apibus, ita concharum examinibus ſingulas magnitudine & vetuſtate præcipuas eſſe veluti duces, miræ ad cavendum ſolertiæ: has urinantium curâ peti, illis captis, facilè cæteras palantes retibus includi.* Et *Solini* in capite de *Taprobane*, *Gregatim natant: certa examinis dux eſt; Illa ſi capta ſit, etiam quæ evaſerint, in plagas revertuntur.* Cujus hiſtoriæ auctorem eſſe *Megaſthenem* colligimus ex his *Arriani* in *Indicis*, Λέγει Μεγασθένης θηρεύεσθαι τὴν κόγχην αὐτοῦ δικτύοισι, νέμεσθαι δ' ἐν τῇ θαλάσσῃ κατ' αὐτὸ πολλὰς κόγχους, καθάπερ τὰς μελίσσας, καὶ εἶναι γὰρ καὶ τοῖσι μαργαρίτῃσι βασιλέα, ἢ βασίλισσαν, ὡς τῇσι μελίσσῃσι. καὶ ὅστις μὲν ἐκεῖνον κατ' ἐπιτυχίην συλλάβοι, τοῦτον δὲ εὐπετέως περιβάλλειν καὶ τὸ ἄλλο σμῆνος τῶν μαργαριτέων, εἰ δὲ διαφύγοι σφέας ὁ βασιλεύς, τούτῳ δὲ οὐκέτι θηρατοὺς εἶναι τοὺς ἄλλους. Neque in rebus *Indiæ* contemnenda eſt *Megaſthenis* auctoritas, qui cum Regibus *Indicis* ideò moratus eſt, ut fidem quam oculis dederat, memoriæ daret. Quod teſtantur *Plinius* libri ſexti capite decimo ſeptimo, & *Solinus* capite *De India*. Quid, quòd *Patrum* noſtrorum ævo à *Petro Martyre* traditum eſt *Decadis* tertiæ capite ſecundo *Novi orbis* Regulos retia & piſcaria concharum margaritas gignentium littora pro prædiis habuiſſe? Quo ipſo nomine harum piſcatio *Hebræis* meritò dicatur משך, *tractio*. Cùm piſcatorum id ſit verbum, qui tam hamos & retia trahunt, quàm in iis quidquid capitur, atque involvitur. Hinc *Job.* 40. v. 20. תמשך לויתן בחכה, *An trahes* Leviathan *hamo?* Et *Pſal.* 10. v. 9. במשכו ברשתו, *cum trahit eum in rete ſuum.* Et *Joh.* 21. v. 6. *Rete trahere non poterant præ multitudine piſcium.* Et verſu octavo, *Trahentes rete piſcium.* Et verſu undecimo, *Et traxit rete*

rete in terram plenum piſcibus magnis. Unde natum *Proverbium* in eos, qui operam fruſtra inſumpſerunt, apud *Ariſtophanem* in *Theſmophor.*

Αὕτη μὲν ἡ μήρινθος οὐδὲν ἔσπασεν.

Iſte quidem funis nihil attraxit. Nec concham è mari traxiſſe ſufficit, niſi margarita quoque ex concha extrahatur. Itaque hic etiam *extrahendi* verbum adhibetur. *Monachi* in *Meſuen*, *Cùm è conchis extrahuntur margarita, integra ſunt: arte autem perforantur, ut filo inſerta meliùs ad monilia aptentur.* *Sylvius* apud *Geſnerum* pag. 625. *Uniones minimos ex mytulorum conchis extraxi.* Quod quandoque non fit ſine vi. Plinius, *Craſſeſcunt etiam in ſenecta, conchisque adhæreſcunt, nec iis avelli queunt, niſi limâ, quibus una tantùm eſt facies, & ab ea rotunditas, averſis planities, ob id tympana nominantur.* Proinde huc etiam pertinet משך הפנינים, *attractio margaritarum.* Et opera, quæ in ſapientiæ comparatione inſumitur, à *Jobo* appellatur *attractio ſapientiæ*, manifeſtâ alluſione ad hanc, quam deſcripſimus, vel concharum, vel margaritarum extractionem; quia res eſt operoſi plena laboris; ſed quæ, cum ſemel ex animi voto ſucceſſit, inſumptæ operæ non pœnitet.

IV. Neque id temerè prætereundum, quod, tam in *Jobo* quàm in multis *Proverbiorum* locis, recenſentur פנינים *peninim*, una cum auro, & gemmis, & rebus pretioſiſſimis. Id enim margaritis bellè convenit, de quibus *Plinius* libri noni capite trigeſimo quinto, *Principium ergo columenque* (malim *culmenque*) *omnium rerum pretii margaritæ tenent.* Non tamen citra Hyperbolen, cum idem alibi margaritis adamantes præferat, ſed ſolos ex gemmis omnibus. Verba ſic habent libro trigeſimo ſeptimo initio capitis quarti, *Maximum in rebus humanis, non ſolùm inter gemmas, pretium habet adamas.* Et in fine, *Proximum apud nos* Indicis *Arabicisque margaritis pretium eſt.* Cautè dixit *apud nos*: quia non idem apud omnes, quod apud *Romanos* fuit margaritarum pretium. Apud *Athenæum Androſthenes* margaritas vendi aſſerit περὶ Περσίδα τε, καὶ τοὺς ἄνω τόπους, πρὸς χρυσίον, *apud Perſas, & ſuperiores locos, auro contra.* Ac ſi pro auri certo pondere margaritæ pari pondere repenſæ fuerint. Quod tamen vix crediderim, cùm alii *Perſas*, & *Indos* teſtentur margaritas longè pluris auro æſtimaſſe. *Chares Mitylenæus*, Κατασκευάζουσι δ' ἐξ αὐτῶν ὁρμίσκους τε, καὶ ψέλλια, περὶ τὰς χεῖρας, καὶ τοὺς πόδας, περὶ ἃ σπουδάζουσιν οἱ Πέρσαι, καὶ Μῆδοι, καὶ πάντες Ἀσιανοὶ, πολὺ μᾶλλον τῶν ἐκ χρυσίου γεγενημένων. *Monilia ex illis atque armillas conficiunt circa manus, & pedes, quas* Perſæ, & Medi, & Aſiani *omnes longè pluris faciunt iis, qua ex auro fiunt.* Tradit quoque *Megaſthenes* apud *Arrianum* in *Indicis* ἔτι καὶ παρ' Ἰνδοῖσι τὴν μαργαρίτην τριςάσιον κατὰ τιμὴν πρὸς χρυσίον, *etiam apud* Indos *margaritam contra triplum auri venire.* Sed hæc certò definiri non poſſunt, cùm non ſit margaritis omnibus idem pretium, in illis enim candor, & magnitudo, & orbis, & lævor, & pondus pretium auget in immenſum. Itaque apud *Suetonium Cæſar Marci Bruti* matri *Serviliæ* ſexagies ſeſtertium margaritam mercatus eſſe legitur, id eſt, ex *Budæi* ſupputatione, aureorum noſtratium centum quinquaginta millium. Et centies ſeſtertium ſe cœnaturam profeſſa *Cleopatra*, quæ eidem ſunt aureorum millia CCL. unam è duabus margaritis, quas auribus gerebat, aceto diluit, atque abſorpſit. Ut non ſit, quòd miremur rem à *Chriſto* traditam, mercatoris etiam opulenti cenſum univerſum abſumi in unius margaritæ coemptione. Unde *Manilius* libro quinto ex Cl. *Salmaſii* emendatione;

Cenſibus æquantur concha, lapidumque nitori
Vix unquam eſt locuples, oneratur terra profundo.

Id eſt, tanti pretii habentur margaritæ, ut terra vix ſit ſatis dives ad eas comparandas. Et *Tertullianus* in fine libri *De habitu muliebri*, ut habet *Agobardi* codex: *De breviſſimis loculis patrimonium grande profertur. Uno lino decies ſeſtertium inſeritur. Saltus & inſulas tenera cervix circumfert. Graciles aurium cutes Calendarium expendunt, & ſiniſtra per ſingulos digitos de ſaccis ſingulis ludit. Hæ ſunt vires ambitionis, tantarum ſubſtantiarum uſuram uno & muliebri corpuſculo bajulare.*

V. Sed quamvis margaritarum pretium in tantum auxerit mulierum libido, & veſania, margarita tamen res rara non eſt. Nec immeritò *Solomon* Prov. 20. v. 15. *Aurum eſt*, ורב פנינים, *& copia peninim*, ſeu *margaritarum.* Hoc ſaltem certum eſt gemmas aliquantivis pretii multò minori copia ſuppetere. Circa ſolam inſulam *Baharain*, quam ſupra deſcripſimus, locorum incolæ, toto *Julio* atque *Auguſto* menſibus, margaritas ducentis cymbis. quandoque etiam trecentis, expiſcantur. Prior cymbarum numerus ex *Teixeira*, poſterior ex *Vartomanno* adſtruitur. Et margaritarum pretium, quæ quotannis inde educuntur quingenta ducatorum millia ſuperare jam docuimus. Sunt & alia maris *Perſici* loca, ut *Catipha*, *Julphar*, *Camaron* margaritis celeberrima. Sic in *Arabia* & *India* littorum pluribus locis πινικῆς κολυμβήσεις deſcribunt *Arrianus* & *Ptolemæus.* Sed quæ alii ſparſim habent, *Chares* in unum colligens, margaritas capi dicit κατὰ τὴν Ἰνδικὴν θάλασσαν, ὡσαύτως δὲ κατὰ τὴν Ἀρμενίαν, καὶ Περσικὴν, καὶ Σουσιανὴν, καὶ Βαβυλωνίαν, *in mari* Indico, *& juxta* Armeniam, *& Perſidem, & Suſianam, & Babyloniam.* In quibus verbis mirabere quorſum *Armeniam*, quæ mediterranea eſt regio, locis margaritiferis adſcripſerit. Quod cum ſit abſurdum prorſus, τὴν Ἀρμενίαν meo periculo muta in τὴν Καρμανίαν, *Armeniam* in *Carmaniam.* Quæ cum littorea ſit regio inter *Indiam* & *Perſidem* media, vero ordine ab Ortu in Occaſum procedens dixerit auctor margaritas in *India*, *Carmania*, *Perſide*. *Suſiana*, & *Babylonia* gigni. Præter quæ loca, jam olim à veteribus deprehenſa, & obſervata, multò plura unionibus fœcunda detexerunt recentiorum navigationes. Quas quia percurrere non vacat, neque verò neceſſe eſt, pauca hæc obſervâſſe ſufficiet. *Americus*, circa finem ſecundæ navigationis. gentis ignotæ meminit in *America* à qua centum decem & novem unionum marchas, ſeu ſelibras quadraginta circiter ducatis comparaverit. Conchas etiam nonnullas memorat, in quarum una centum & triginta margaritas repererint. Cùm *Ælianus Hiſtoria* libri decimi capite decimo tertio, ſolùm à nonnullis aſſeri dicat καὶ εἴκοσι ποτὲ φῦναι ἐν μιᾷ κόγχῳ *etiam in una concha viginti eſſe procreatos.* Et *Petrus Martyr Decadis* tertiæ capite primo. *Tumaccum* Regulum narrat, cùm *Hiſpanos* tanti facere uniones animadverteret, ſuis, ut ad piſcationem ſe accingerent, imperâſſe. qui quarto die regreſſi ſint, *libras octunciales unionum afferentes duodecim.* Gemmas tanta copia nuſquam terrarum reperire eſt.

VI. Remota eſſe à *Judæa* margaritarum loca inſinuat *Solomon*, cum de ſtrenua muliere ſcribit *Prov.* 31. *v.* 10. *Remotior eſt* τοῖς peninim *comparatio ejus.* Nempe nuſquam propiùs occurrit τῆς πινικῆς κολυμβήσεως, quàm in *Perſico & Sachalite ſinu.* Quibus *Chaldæi*, & *Babylonii*, multò *Judææ* viciniores, tamen ubique deſcribuntur ut gens remota valde. Sic 2. *Reg.* 20. *v.* 14. *Ex terra longinqua venerunt, ex* Babylonia. Eſ. 5. v. 26. *Attollet ſignum ad gentes è longinquo*: id eſt, ad *Chaldæos*, & *Aſſyrios.* Jerem. 5. v. 15. de iiſdem, *Adducam contra vos gentem è longinquo.* Habac. 1. v. 8. *Equites ejus* (Aſſyrii) *è longinquo venient.* Cum igitur *Propheta* pro remota habuerint terram *Babyloniæ*, *Chaldæosque*, & *Aſſyrios*, qui ex ea eruperant, *è longinquo veniſſe* dicant: quidni *remota eſſe* dicatur margaritarum comparatio, quas ex remotioribus locis comparare neceſſe fuit?

Tale eſt, quod habetur *Jerem.* 6. *v.* 20. קנה הטוב, *calamum bonum*, ſeu *aromaticum*, è longinqua terra venire

venire. In quibus tamen verbis eſt, quod lectorem remoretur, qui non capiet, cur calamus in *Judæam* dicatur ex longinquo advehi, cum in *Theophraſto* libri noni *Hiſtoria plantarum* capite ſeptimo naſci legatur in loco, quem *Aulonem* appellant, inter *Libanum* & alium montem ſtadiis à mari circiter CL. quibus ſubſcribit *Plinius* libri duodecimi capite vigeſimo ſecundo. Itaque, ſi his credimus, calamus aromaticus vel in *Judæa* naſcebatur, vel in locis *Judææ* proximis. Accedit, quòd ex *Abſyrto* meminit *Vegetius* in pulveris quadrigarii confectione *calami Syriaci & aromatici.* Tamen Cl. *Salmaſius* in *Solinum* pag. 1052. negat ullum fuiſſe calamum aromaticum præter *Indicum*, qui *Arabicus* & *Syriacus* ſit appellatus, quia ex *India* in *Arabiam* & *Syriam* advehebatur. Ego *Prophetarum* ævo nullum in *Syria* fuiſſe calamum aromaticum cùm ex *Jeremia* colligo, tum ex his *Eſ.* 43. *v.* 24. *Non emiſti mihi argento calamum*, quibus inſinuat *Propheta* aroma fuiſſe peregrinum magni pretii. Tamen ſolùm in *India* creviſſe non conceſſerim, cùm *Moſis* ævo *Judæis* jam fuerit notus, ejusque adeò mentio fiat *Exod.* 30. *v.* 23. *Indiam* enim *Judæis*, aut vicinis gentibus, jam tum fuiſſe apertam, mihi non fit veriſimile. Puto igitur calamum illum etiam in *Arabia* parte aromatifera provenire, quam *Dionyſius Periegetes* verſu 937. odorem exhalare ſcribit,

Ἠ̓ θύε, ἠ̓ σμύρνης, ἠ̓ εὐώδεος καλάμοιο,

aut thuris, aut myrrha, aut odorati calami. Unde *Feſtus Avienus*,

—— hic ladani vim
Vellera defundunt, calami coma pullulat almi.

Et *Priſcianus*;

Namque thyo, myrrhâque viget, cum thuris odore,
Et caſia, necnon & canna dulcis odore.

Malim,

—— & cannâ dulcis odoris,

id eſt, — εὐώδεος καλάμοιο. Ac proinde calamum odoratum *Arabicum* vocat *Plutarchus* in libro *Quòd bruta ratione utantur.* Quomodo etiam *Theophraſtus*, & *Plinius*, non ſatis ſibi conſtantes. Et de *Sabæis* dicit *Agatharchides*, Δένδρα γὰρ ὑψηλὰ τῆς σμύρνης τε, &c. καὶ καλάμου, καὶ τῶν ἄλλων ἀνεῖται τῶν τοιούτων· *Celſa exſurgunt arbuſta myrrhæ, &c. & calami, & aliorum id genus.* Et *Diodorus* de iisdem libri tertii pag. 125. Καθ' οὓς ἐστι δένδρα μεγάλα λιβανωτοῦ καὶ σμύρνης· πρὸς δὲ τούτοις φοίνικος, καὶ καλάμου, καὶ κινναμώμου. Et *Strabo* libro decimo ſexto, Εἰσὶ δὲ καὶ φοίνικες εὐώδεις, καὶ κάλαμος. Quin *Propheta Jeremias* id ipſum non obſcurè docet. Ibi enim ſic loquitur Deus, *Quorſum mihi thus de Saba veniet, & calamus bonus de terra longinqua?* Ita ut *terra longinqua* in poſteriore hemiſtichio idem ſit, quod in priore *Saba.* Quo eodem exemplo *Sabæi gens longinqua* vocantur *Joel.* 3. *v.* 8. Et *Sabæorum* Reginam ad *Solomonem* veniſſe dicit *Chriſtus è terræ finibus*, Matth. 12. v. 42. quia *Sabæi* extimas ad meridianum *Oceanum* terras occupant. Sed & alibi probavimus ex *Ezech* 27. *v.* 19. ad *Tyriorum* nundinas, caſiam, & calamum ex *Uzal* fuiſſe advectum, qui locus fuit circa *Sabæos.* Vide noſtrum *Phaleg* libri ſecundi capite vigeſimo primo.

Docuimus hactenus *Hebræa* voce פנינים *peninim*, *margaritas* ſignificari. Sed unum poteſt objici, quod *rubere* dicuntur *Thren.* 4. *v.* 7. Ibi ſcilicet *Jeremias* de *Nazaræis* dicit, quorum vegetus erat color ante captivitatem *Babylonicam*, אדמו עצם מפנינים, *corpore rubri fuerunt præ* peninim (aut *plùs quàm*) peninim. Id autem non videbitur margaritæ convenire, quæ *candore notabilis ipſa eſt.* Regeret fortaſſe aliquis non omnes margaritas candere. In aliis enim rufus, in aliis aureus ſeu fulvus eminet color, quorum ille idem cum rubro, hic eſt illi vicinus. Plinius, *In noſtro mari* (uniones) *reperiri ſolebant crebrius circa* Boſphorum Thracium *rufi, ac parvi, in conchis, quas myas appellant.* *Androſthenes* apud *Athenæum*, Καὶ ἔστιν ἡ μὲν χρυσοειδὴς σφόδρα, ὥστε μὴ ῥᾳδίως διαγνῶναι, ὅταν παρατεθῇ παρὰ τὸ χρυσίον. *Eſt & margarita quandoque aurei coloris, ita ut auro admota non facilè dignoſcatur.* Quod idem habet *Euſtathius* in *Iliad.* λ'. Neque à fulvo gilvus color plurimùm diſtat, quem ſcriptores tribuunt nonnullis margaritarum. *Tzetzes Chiliadis* undecimæ Hiſtoriæ 375.

Πῆ μὲν ὠχροί, πῆ δὲ κιῤῥοί, καὶ πῆ τῶν μὴ καλοστρόγγυλοι,

Alibi quidem pallida, alibi autem gilva, alibi non bene rotunda. Sed fruſtra hæc afferuntur, cum margaritarum candere ſit maximè proprium, atque in iis alii colores præter candidum non ſolùm infrequentes, ſed & vitioſi ſint. Itaque, etſi margaritarum quædam ruſæ, fulvæ, & gilvæ ſint, nemo tamen aliquid *rufum*, aut *fulvum*, aut *gilvum ut margaritam eſſe* dixerit. Ut neque *nigrum eſſe ut hominem*, quamvis hominum quidam nigri ſint, *Mauri* puta, atque *Æthiopes.* Scio in inſula *Zipangri* ad extremum Orientem *Paulum Venetum* libri tertii capite ſecundo margaritas rubras deſcribere, quæ albas pretio longè ſuperent. Sed id fruſtra adducatur, cum hæ margaritæ veteribus tam ignotæ fuerint, quàm inſula, in qua naſcuntur. At objectioni ut occurramus, aſſerimus *Hebræum* אדם *adam*, etſi propriè *rubere* ſignificet, poſſe tamen aliter ſumi, æquè ac *Latinum* RUTILARE, quod ſæpe nihil quidquam quàm *ſplendere* eſt. Ut *Æneidos* libro octavo,

Arma inter nubem cœli regione ſerenâ
E cœlo rutilare vident. ——

Hinc *Philoxeni* Gloſſæ: Λάμπω, *niteo, ſplendeo, rutilo.* Et paſſim in *Poëtis rutilare* dicuntur *Luna*, & *ſtella*, ſplendoris ratione, non rubedinis, quæ in iis vix ulla apparet. Eodem exemplo à *Poetis purpurea* vocantur, quæ ſunt eximii candoris, ut nix, & cygni. *Albinovanus* in *Mecœnatis* obitum,

Brachia purpureâ candidiora nive.

Horatius ad *Venerem* libri quarti Oda prima,

Tempeſtivius in domo
Pauli, *purpureis ales oloribus*
Comeſſabere Maximi.

Quia utrique colori, candido, inquam, & purpureo, hoc commune eſt, ut admixti luminis multum habeant. Itaque ut à Verbo זהר *zehar*, quod *lucere* eſt, *Chaldaicum* זהורי *zehori*, pro *purpureo* & *coccineo* ſumitur. Viciſſim candori nomen eſt à luce ignea. Nam candere proprium eſt ignis. Quin λευκὸν *album* ſit ἀπὸ τοῦ λεύσσειν, quod *videre* eſt, quia color eſt maximè conſpicuus. Inde in *Heſychio*, Λευκά, φαιδρά, λαμπρά. Item, Λευκανθίζοντα, λάμποντα. Rurſus, Λευκὸν, τὸ λαμπρόν. Ita ut λευκὰ *alba* dici poſſint quæcunque inſigniter ſplendent, quomodo rutila, & purpurea. Sed, quòd maximè ad rem facit, illud ipſum verbum אדם, quod Hebraicè *rubere* eſt, Arabicè *candere* ſignificat. Hinc illis أدم *adamo* de camelo, & jumento quovis, eſt *maximè candidus*: & ناقة أدما *naka adma, camela, ſummè candida.* Et أدمة *candor eximius.* Ita exponunt *Lexicographi*, in his *Alcamus*, *Giggeius*, *Golius* &c. Ne mirum videatur, & inſolens, quòd eodem ſenſu de *Judæorum Nazaræis* à *Jeremia* dicitur אדמו עצם מפנינים, *candebant*, vel *lucebant*, & *nitebant corpore præ margaritis.* Conſtabit hæc à me verè dici perpendenti quo ſenſu בהרת, id eſt *lucida*, lepræ macula à *Moſe* vocetur לבנה אדמדמת, *Lev.* 13. *v.* 19. quòd eſſet *alba impensè rubra*, ſi אדם nihil quidquam quàm *rubere* ſignificaret. Id verò eſſet abſurdiſſimum, ut plaga alba diceretur *impensè rubra.* Neque enim fieri poteſt, ut quod album eſt, ſit idem ſummè rubrum: cùm rubedo in intenſo gradu albedinem prorſus excludat. Huic incommodo tribus modis occurrunt interpretes. 1. Alii enim hæc duo divellunt, quaſi *Moſes* dixiſſet plagam, vel albam eſſe, vel rubram. Sic *Græci* τηλαυγὴς λευκαίνουσα ἢ πυῤῥίζουσα *lucida plaga albeſcens, vel rufeſcens.* Et Hieronymus

cicatrix

cicatrix alba, ſive ſubrufa. Et *Syrus*, ܒܗܩܐ ܕܚܘܪ ܐܘ ܣܘܡܩܐ *vitiligo, quæ alba, aut rubra eſt.* At cum Deus hæc duo junxerit non ſolum hoc verſu, ſed & ejuſdem capitis verſibus vigeſimo quarto, & quadrageſimo ſecundo, quidni hic habeat locum illud *Chriſti*, (a) *Quod Deus conjunxit, homo ne ſeparet?* 2. *Jonathan* in *Paraphraſi*, *Talmudici* & *Maimonides*, in tractatu *De lepra*, *R. Selomo*, & *Aben-Ezra* in hunc locum, *Kimchius* denique in *Lexico* colorem intelligunt ex albo & rubro mixtum, ut ſi lacti miſceatur ſanguis. Sed color ſanguinis lacte admixto non eſt אדמדם, id eſt, *impenſe ruber*, aut *ſumme ruber*. 3. Ideoque recentiores, cum probe animadverterent hæc duo ſimul ſtare non poſſe, ut album dicatur, quod ſummè rubrum eſt, vocem אדמדם emolliverunt, quaſi non ſignificaret *ſummè rubrum*, ſed *ſubrubrum*, *ſubrubidum*, *ſubrufum*, *rubicans*, *ad ruborem inclinans*. Proinde in *Pagnino* hic legis, *Macula alba ſubrufa* in *Munſtero*, *Macula candida atque ſubrufa* in *Caſtalionis*, *Albo rubicans macula*: in Junio, *Papula alba ſubrubida.* Quod ſequuntur vernaculi interpretes, credo, quotquot ſunt. Tamen geminatas Radicales in אדמדם certum eſt ſignificationem non minuere, ſed intendere. Itaque ſi אדם *rubrum* ſonat, geminatum אדמדם ſignificabit *impenſe rubrum*. Ea enim eſt hujus formæ vis. Sic quia ירוק *flavum* eſt, ירקרק ſignificat *ſummè flavum*. *Kimchius* in *Lexico*, בן אמרו רז״ל ירקרק ירוק שבירוקים אדמדם אדום שבאדומים *Dixerunt Patres noſtri beatæ memoriæ*, ירקרק jerakrak, *id eſſe, quod flavum eſt in flavis*; & אדמדם adamdam, *id, quod rubrum eſt in rubris*, id eſt, maximè rubrum. Hinc *Pſ.* 68. *v.* 14. בירקרק חרוץ, id eſt, *in auro flaviſſimo.* Is enim eſt auri color, qui proinde *fulvus* vocatur. Et *Cant.* 1. *v.* 16. שחרחורת non eſt *ſubfuſca*, ut volunt, ſed *valde fuſca*. Qualem ſe fatetur eſſe ſponſa, quia Sol illam exuſſerat, dum cuſtodiret vineas. Sic per exaggerationem impiorum generatio dicitur eſſe פתלתל, *valde contorta*, Deut. 32. v. 5. Et via illorum הפכפך, *perverſiſſima*, Prov. 21. v. 8. Et חלקלקות, tanquam loca *valde lubrica*, Jerem. 23. v. 12. Quia declinant ad עקלקלותם *obliquitates ſuas obliquiſſimas*, Pſ. 125. v. 6. Ita etiam אספסף eſt *populi colluvies undecunque collecta*, Num. 11. v. 4. Et קלקל *viliſſimus*, *leviſſimus*, Num. 21. v. 5. Et עגלה יפהפיה, *vitula formoſiſſima*, Jerem. 46. v. 20. Et *talpæ* dicunt חפרפרות, *quia multum* fodiunt, *Eſ.* 2. *v.* 20. Et קטקטן, eſt *valde parvus* in *Vaikra Rabba* Sectione decimâ quintâ. Ex quibus exemplis abunde patet, quo pertineat hæc literarum geminatio, nempe ad vim vocis geminandam, atque intendendam, ut apud nos Superlativus gradus. Itaque veriſſimum eſt, quod diximus. Et, ſi ſimplex אדום, nihil quidquam quàm *rubrum* ſonat, geminatum אדמדם, *maxime rubrum* ſonabit. Ac proinde בהרת לבנה אדמדמת, erit *macula alba maximè rubra.* Quæ cum ſint ἀσύςατα, hæc verba neceſſe eſt aliter interpretari, nempe *maculam albam maximè lucidam*. Quo pertinet, quod בהרת. *baheret*, à *Moſe* appellatur. Nam *Arabicè* بهر *bahara lucere* eſt, & *Chaldaicè* בהיר, *bahir*, eſt *lucidus*: *Hebraicè* etiam, unde *Job.* 37. *v.* 21. בהיר אור, *lumen lucidum*. Itaque vox בהרת *bahereth*, inde deducta proprie ſonat *maculam lucidam*, vel *inſtar nivis candidam*, atque ideò *lucentem*. Qui verus lepræ color eſt. Proinde lepræ albedo confertur cum nivis albedine, *Exod* 4. *v.* 6. *Num.* 12. *v.* 10. & 2. *Reg.* 5. *v.* 27. Et ob id ipſum lepra alba, ut ſummè rubra, ità nec ſubrubra dici poteſt. Cum albedo nivea omnem rubedinem excludat. Rurſus verba ſponſæ *Cant.* 5. *v.* 10. דודי צח ואדום, nolim reddere, *ſponſus meus candidus eſt, & ruber eſt*, ſed *Sponſus meus eſt candidus, & lucidus*: id eſt, ſummo candore nitens, ὡς διὰ

(a) *Matth.* 19. *v.* 6.

Pars II.

διαυγῆ. Quod *Jeremias* ſic imitatur in loco in quo verſamur, ut patebit totum legenti. זכו נזיריה משלג צחו מחלב אדמו עצם מפנינים id eſt: *Ejus Nazaræi fuerunt nive puriores, lacte candidiores, corpore margaritis lucidiores.* Voto *Nazaræos* hic intelligit *R. Selomo*, quaſi propter intonſam cæſariem reliquis comptiores & venuſtiores fuerint. Sed cum *Hebraicè* נזיר, *Nazaræus*, dicatur, qui à cæteris, vel voto, vel dignitate ſeparatur, malo hic intelligere dignitate *Nazaræum*, quomodo *Nazaræi* iidem ſunt, qui populi principes, atque magnates. Quo ſenſu *Joſephus* dicitur נזיר אחיו, *Nazaræus fratrum ſuorum*, Gen. 41. v. 26: quia dignitate ſuprà eos plurimum eminebat. Hos igitur olim, id eſt, ante captivitatem *Babylonicam*, in boni habitus argumentum, candoris quaſi lumine nivem, & lac, & margaritas ſuperâſſe dicit *Propheta*. Quomodo ſi acceperis, omnia bellè cohærebunt, quia nix, lac, & margaritæ ſunt concolores. At ſi cum vulgo interpretum eoſdem eſſe dixeris nive & lacte candidiores, & gemmis vel lapidibus rubicundiores, primum hoc erit incommodum, quod iidem *candere* & *rubere* dicentur, quod non convenit. Ne dicam intenſum in facie ruborem ægri, aut ebrioſi, potius ſignum eſſe, quam bene ſe habentis. Præterea nemo aliquem eſſe dixerit gemmis rubicundiorem, cum pleræque gemmæ non rubeant, ſed ſoli carbunculi, aut his congeneres charchedonii, ſandaſtri, lychnitæ, ſardæ, &c. Itaque *Propheta* hic verbo אדמו *Judæorum Nazaræos* rubuiſſe non ſignificat, ſed canduiſſe, & luxiſſe ut margaritas, quas a candoris luce, & ſplendore nomen habere multi putant, quia μαίρειν & μαρμαίρειν *ſplendere* eſt, & μαρμαρυγὴ *ſplendor*. Unde ut, μάρμαρον, & μάργαρος, vel cum προσθέσει σμάραγδος, ita etiam μαργαρείτης, ut volunt. Proinde *Nonnus* libro trigeſimo quarto margaritam appellat λίθον ἁλμυρὴν μαρμαρόεσσαν *lucidum maris lapidem.* Et *Arabicè* لألأ *lala* & درّ *darra lucere* eſt, unde لؤلؤ *lulu* & درّة *dorra*: quorum illud *margaritam* in genere, hoc propriè *unionem* ſonat. Conchæ quoque margaritiferæ priſcum nomen βερβερί, quod ad *Indorum* linguam pertinere vult *Androſthenes*, ego *Phœnicum* potius vocabulum eſſe crediderim, prope ejuſdem originis. *Phœnices* enim in *Indiam* navigare cœperunt ante tempora *Salomonis*. Et *Phœniciâ* linguâ, ברר barar, *clarum, purum, nitidum* eſſe ſignificat. Hinc *Eſ.* 49. *v.* 2. חץ ברור, *ſagitta expolita & nitens*, Cant. 6 v. 10. ברה כחמה, *clara ut Sol.* Et *Talmudicis* יום צח וברור, *dies clarus & ſerenus*. Itaque ut à ברר primâ geminatâ ברברים *barburim* dicuntur 1. *Reg.* 4. *v.* 13. ità & ברברי *berberi*, dici potuit. Et nomen maximè convenit *conchæ margaritiferæ*, quæ reliquas nitore, claritate, & puritate longè ſuperat, maxime in interna parte.

Margaritæ candorem alii apud *Androſthenem* cum argento conferunt, alii cum piſcium oculis. *Et in candore ipſo*, inquit *Plinius*, *magna differentia. Clarior in Rubro mari repertus. Indicus ſpecularium lapidum ſquamas aſſimulat, &c. Summa laus coloris eſt exaluminatos vocari.* Nempe à liquidi aluminis colore: cujus probatio in *Plinio* eſt. *Ut ſit limpidum, lacteum, ſine offenſis fricantium, cum quodam igniculo caloris.* Quæ ſumpta ſunt ex his *Dioſcoridis* libro quinto, Τῆς δ' ὑγρᾶς τὴν μάλιςα διαφανῆ προκριτέον, ἢ γαλακτώδη· ὁμαλήν τε, καὶ δι' ὅλου χυλώδη, ἔτι δ' ἄλιθον, καὶ πυρῶδές τι ἀποπνέουσαν. Ultima verba ſic reddit *Arabs* وتنفوح فيه رايحة النارية *Et exhalat ex eo odor igneus*, unde conſtat eum cum *Plinio* legiſſe πυρῶδές; non πυρρῶδες, quod hodiè perperam habent noſtra exemplaria.

In *Theophraſto* margarita legitur eſſe lapis διαφανὴς μὲν τῇ φύσει, *naturâ quidem pellucidus.* Quod verum

eſſe negat Cl. *Salmaſius* in *Solinum* paginâ 1113. Itaque legendum contendit additâ negatione, οὐ διαφανής. Cui viri magni conjecturæ quo minus aſſentiar, multa prohibent. 1. Primo enim videtur audacius propoſitionem Affirmativam mutare in Negativam. Itaque eo confugiendum non eſt, niſi cum cogit

Ferro trabali vincta neceſſitas.

2. Neque ſcripſiſſet *Theophraſtus* οὐ διαφανὴς μὲν, ſed οὐ μὲν διαφανής. Negativâ igitur additâ, etiam particula μὲν ſuo loco eſſet movenda. Cumque de margaritæ natura hoc ſolum dicat *Theophraſtus*, parum veriſſimile eſt, illum margaritam deſcripſiſſe non ab eo quod eſt, ſed ab eo quod non eſt: adeoque de lapide tam eximio nihil quidquam tradidiſſe, quam quod illi cum topho, & cote, & ſilice, & viliſſimo quoque lapide ſit commune. 4. Præterea hæc optimè cohærent, Τῶν σπουδαζομένων δὲ λίθων, aut, ut legit *Athenæus* Τῶν θαυμαζομένων δὲ λίθων ἐστὶ καὶ ὁ μαργαρίτης καλούμενος, διαφανὴς μὲν τῇ φύσει, ποιοῦσι δὲ ἐξ αὐτοῦ τοὺς πολυτελεῖς ὅρμους. *Ex pretioſis lapidibus* (aut *qui admirationi ſunt*) *eſt margarita naturâ pellucida, è qua fiunt magni pretii monilia.* Hæc, inquam, optimè cohærent, quia omnia pertinent ad margaritæ commendationem. Sed ſi dicas *admirationi eſſe margaritam, naturâ non pellucidam, ex qua pretioſa monilia fiunt*, totam ſeriem orationis abrumpes. Neque ulla occurret ratio, cur tam alieno loco *Theophraſtus* inſulſerit margaritam non eſſe pellucidam. 5. Non ſolum libri omnes hanc lectionem exhibent: ſed & *Athenæus*, qui ſub *Marco Aurelio* ſcripſit ante annos prope mille quingentos, eadem verba planè ſic citat libri tertii capite decimo tertio. Et ei penè æqualem *Clementem Alexandrinum* conſtat eodem modo legiſſe ex *Pædagogi* libri ſecundi capite duodecimo, ubi *Theophraſti* locum de margaritis poſtquam ex parte protulit, eum ad *Chriſtum* refert, quem dicit eſſe μαργαρίτην τὸν διαυγῆ καὶ καθαρὸν, & τὸν λόγον τὸν διαφανῆ, *margaritam perſpicuam, & puram, & verbum pellucidum*: palam ad id alludens, quod margaritam *Theophraſtus lapidem* eſſe pellucidum dixerat. 6. Et vero præter *Theophraſtum*, multi alii margaritam perſpicuam aut pellucidam eſſe ſcribunt. Sic *Iſidorus Characenus* margaritam in concha creſcere tradit, quamdiu carni adhæret. Sed à carne divulſam à concha non amplius ali, λειοτέραν δ' αὐτὴν, inquit, καὶ διαυγεστέραν ποιεῖ, *ſed leviorem eam pellucidioremque efficit*, Et ſtatim, Ἡ μὲν οὖν ἐμβύθιος πίννα διαυγεστάτην ποιεῖ· *Pinna, quæ in alto degit, margaritam pellucidiſſimam gignit.* *Clemens* quoque *Alexandrinus* margaritas recenſet inter τὰ διαυγῆ τῶν λιθιδίων, id eſt, *lapides pellucidos.* Et *Piſidas* verſu 128. de æthere, vel cœlo dicit;

Προέρχεται δὲ νυμφικῶς ἐστεμμένος,
Λαβὼν διαυγεῖς μαργαρίτας ἀστέρας·

Procedit verò in ſponſi modum exornatus, aſtra geſtans, ut pellucidas margaritas. *Euſtathius* in *Iliad.* λ΄. Διαφέρει δέ φασιν εἰς διαύγειαν, καὶ καθαρότητα, καὶ μέγεθος ὁ ἐκ τοῦ ἐμβυθίου πίννης μάργαρος· *Pelluciditate autem, & puritate, & magnitudine præſtare ajunt margaritam in alto degentem.* *Tzetzes Chiliadis* undecimæ Hiſtoriâ 375.

Ὅσαι δὲ λάγγες ἐντὸς πίπτουσι τῶν ὀστρέων
Γίνονται διαυγέστεραι τῷ λούῳ τῶν ὀστράκων,
Καὶ στίλψιν δὲ λαμβάνουσι, καὶ μάργαροι καλοῦνται·

Quotquot autem lapilli intra conchas ceciderint, per earum lavorem fiunt pellucidiores, & ſplendorem accipiunt & margaritæ vocantur. Ità etiam loquuntur recentis ævi ſcriptores. Ut *Maſſarius* in *Plinium* libri noni capite trigeſimo quinto, *Exaluminati uniones illi appellantur, qui colore maxime præſtant, & perlucidiſſimi ſunt.* *Rondeletius* de *Teſtaceis* libri primi capite quinquageſimo primo humorem in conchis ſcribit *craſſiorem effectum pellucidumque eſſe generandorum unionum materiam.* Geſnerus *De piſcibus* pagina 633. *Quo maturiores margaritæ fuerint, & albiores, & magis ſplendidæ ſunt, & tranſlucidæ.* Sed & ipſe *Salmaſius* ſui immemor, illâ ipſâ paginâ, quâ margaritam dixerat in *Theophraſto* falſo dici pellucidam, & locum eſſe corrigendum additâ negatione, illâ, inquam, ipſâ pagina de margarita ſic habet: *Lapis eſt potiùs quam os, profectò ejuſdem ferme materiæ cum ipſa concha, ſed purioris, & PELLUCIDIORIS.* Margaritas tamen fateor non eſſe perfectè perſpicuas, & pellucidas. Illa enim ſolum corpora ſunt perfectè pellucida, quæ omnes colores tranſmittunt, Ut cœlum, & præter terram reliqua elementa, & vitrum, & cryſtallus, & metallum gypſinum, & obſidianus vel opſianus lapis, & ſpecularis, & ſelenites, qui hodie *talchus* vocatur, mutuato nomine à *Perſis* & *Arabibus*. Sed imperfectè pellucida ſunt, quæ ſolâ luce tranſmiſsâ reliquos colores retinent. Quomodo apud *Suidam* cornu eſt διαφανής. Hinc tauro, qui *Europam* rapuit, *Poeta* tribuit,

Cornua parva quidem, ſed quæ contendere poſſes
Facta manu, puraque magis pellucida gemmâ.

Itaque ex cornu jam olim laternæ factæ. *Plautus* in *Amphitruone.*

Quo ambulas tu, qui Vulcanum *in cornu concluſum geris.*

Luce tamen excepta, nullum colorem cornu tranſmittit. Ità etiam pellucidus fuit lapis Phengites, de quo *Plinius* libri trigeſimi ſexti capite vigeſimo ſecundo, Nerone *Principe in* Cappadocia *repertus eſt lapis duritiâ marmoris, candidus, atque tranſlucens, etiam quâ parte fulva inciderant vena, ex argumento phengites appellatus. Hoc conſtruxerat ædem* Fortunæ, *quam* Seiam *appellant*, &c. *Quare etiam foribus opertis interdiu claritas ibi diurna erat, haud alio quam ſpeculariorum modo, tanquam incluſa luce non tranſmiſſa.* Quandoque etiam alabaſtrites, quem ejuſdem libri capite octavo probari dicit, *quam maximè mellei coloris, in vertice maculoſi, atque non tranſlucidi.* Quale eſt, quod de murrhinis, quas *porcellanas* vocamus, tradit libri trigeſimi ſeptimi capite ſecundo, *His maculæ pingues placent, tranſlucere quidquam, aut pallere vitium eſt.* Et capite decimo, *Morion* Indica *nigerrimo colore tranſlucet.* Contrà quam *Philoſophus*, qui ſcribit τὸ μέλαν μὴ εἶναι διαφανές, *nigrum non eſſe pellucidum*, libri quinti *De generatione animalium* capite primo. Tamen etiam in *Theophraſto* lapis in *Ægypto* deſcribitur μέλας διαφανὴς, ὅμοιος τῷ Χίῳ, *niger, pellucidus, ut qui in* Chio *eſt.* Nempe διαφανεῖς & tranſlucidos hujuſmodi lapides vocant *Plinius* & *Theophraſtus*, quia lucem tranſmittebant. Sed eoſdem pellucere negavit *Philoſophus*, quia non erant reliquis coloribus pervii. De margaritis idem dixerim.

CAPUT SEPTIMUM.

Refellitur *Bootius*, qui פנינים, *peninim*, eſſe *Corallium* magno molimine contendit.

Hebræum אדם *ad* rubrum *pertinere, cum* albo *opponitur, non item cum componitur, ut in tribus ſcriptura locis.* Bootius *ut certa tria ſupponit, quæ vel falſa, vel incerta. Labra quidem corallina ſunt, non reliquum corpus, ne genæ quidem. Rubor in facie non eſt color bene ſe habentis, ſed ægri potius, aut ebrioſi. Formoſi à candore, non à rubore commendantur.* Sardius *lapis ruber:* Apoc. 4. *v.* 3. Sardio *veteres intelligunt ignem ultimi judicii.* Sardius *neque à* Sardibus, *neque à* Sardinia *dictus, ſed ab* Hebræo שרד ſered, *id eſt,* fabrorum rubrica. *Sardii ruborem* Bootius *negat quidquam habere commune cum rubore carnis. Cum tamen inde* carneolum *vocent, & corrupte* corneolum, Gall. *cornaline. Sarda* Solino *gemmarum viliſſima, cum* Plinius *utiliſſimam dixerit. Multa de pretio ſardæ, & ſardonychis qui nonnullis ſardæ ſpecies. Sardius lapidum duodecim primus,* Exod. 28. v. 17. *&* Ezech. 28. v. 13. *In* Aaronis *humerali duo ſardonyches. Sardonyx in corona Regis* Ammonitarum. *Deus* Ammon Moloch, & *Sardonyx dicta* Molochas. Hebræorum *commentum de eadem corona. Gemma* Polycratis *Sardonyx* Plinio, *ſed* Herodoto *ſmaragdus. Sardonyches in pretio* Romæ *& in* Syria. *Unde dicatur* Drimylus *mons prope* Euphratem, *ubi Sardonyches.* Indiæ *mons Sardonyx*, Job. 28. *v.* 16. *Sardonyx, lapis pretioſiſſimus. Sardonyches* Chaldæis סנדלכין ſandalchin. *Sardonyches in* Arabia. *Corallium non eſt gemma, ſed* λιθόδενδρον, ἀπὸ τῆς κουρᾶς à tonſione *dictum. Corallium quo ſenſu* Baſilius *vocet* πολυτίμητον. Arianos *coralium è terrâ effodiſſe fabula, & unde orta.*

Margianes Ariæ *vicina nomen alludit ad* مرجان margian. Arabes *corallium ſic vocant, ut* Romani margellam. Τὰ κουράλια *in* Luciano *vox corrupta, & à* Bootio *in alienum ſenſum detorta In eam conjectura. Regulum fuiſſe* Niſum *illum, cujus regia coralio dives fuit. Coralium in* India *fuit magni pretii, non tamen in* Judæa. *Cur* Jacc *in* Perſico *mari dictum. Aurum olim apud* Caſandres *metallorum viliſſimum. Veterum nugæ de virtute corallii in* Orphei *libro* De lapidibus. *Ejus interpres quam ineptus.* Plinii *locum de* Gorgonia *à* Salmaſio *fruſtra ſollicitari. Corallii præ margaritis quanta vilitas. Medico* Bootio *alius* Bootius *opponitur item Medicus.*

HOc caput jam abſolveram, cum in Cl. *Bootii Diatribam* incidi, *Animadverſionum ſacrarum* libri quarti capite tertio, in qua omnem lapidem movet, ut probet voce פנינים *peninim*, neque *ebur*, neque *gemmas* in genere, neque *margaritas*, neque *carbunculos* ſignificari, neque *ſardam*, aut *ſardium*, prout alii reddiderant, ſed *corallium*. In qua *Diatriba* hoc ſolum perpendendum eſt, quibus fretus rationibus *peninim* pro *margaritis* velit eſſe *corallia*. *Ex Thren.* 4. *v.* 7. inquit, *ſatis apparet* peninim *certam aliquam, ſive gemmarum, ſive alterius rei pretioſæ, ſpeciem, eamque coloris rubicundi ſignificare. Margaritæ autem non rubore, ſed candore cenſentur. Niſi igitur doceri poſſit (quod doceri non poſſe certus ſum) rubrum colorem de quovis colore ſplendido uſurpari ab* Hebræis, *quomodo* purpureum *uſurpant* Poetæ Latini, peninim *nequit ſignificare margaritas.* Hæc ille confidenter admodum, prout ſolet. Certum ſe eſſe dicit doceri non poſſe voce אדם, quæ *rubrum* propriè ſonat, quemvis colorem ſplendidum ſignificari. Nos tamen ſupra docuimus *Arabicâ* linguâ, quæ *Hebraicæ* dialectus eſt, illa ipſa voce *candidum* ſignificari. Et lucidam vitiliginis maculam (quæ ab inſigni albedine *Græcè* dicitur ἀλφὸς, & λεύκη, & in Scriptura *nivi* confertur) à *Moſe* non ſolum אדומה dici, ſed & Superlativo gradu אדמדמת, id eſt, maximè rubram, ſiquidem אדום, prout vult *Bootius* nihil aliud quam *rubrum* ſonat. Quod eſſet prorſus abſurdum, cum hæc eadem macula ibidem לבנה, id eſt, *alba*, appelletur. Omnino igitur אדמדמת eo loco non pro *ruboris*, ſed pro *albedinis* luce, atque intentione ſumendum. Quomodo *Latinè rutila* & *purpurea* dicuntur, quæ ſunt maximè candida. Pari exemplo *Cant.* 5. *v.* 10. Sponſus legitur eſſe צח ואדום, *candidus & rutilus*, id eſt, *ſummè candidus*. Et de *Nazaræis* dicitur *Thren.* 4. *v.* 7. *Fuerunt nive puriores, lacte candidiores, corpore rutili plus, quam peninim. Rutili*, id eſt, *ſummo candore lucentes.* Nam ſi *rubros* reddideris, hæc cum præcedentibus non cohærebunt. Tria loca, quæ citavimus, ſunt ut *Solomonis* funiculus triplicatus, qui non facilè frangitur, *Eccleſ.* 4. *v.* 12. Atque ex iis hæc regula videtur tuto poſſe confici, אדם vocem eſſe æquivocam, quæ ad *ruborem* vulgo pertinet, maximè cum *albo* opponitur, ut *Eſ.* 1. *v.* 18. At cum eadem *albo* componitur, ut in tribus locis, quæ diximus, non intelligitur color ab albo diverſus, ſed idem in intenſo gradu. Nihil videtur remotius, quàm ut *purpureus* color credatur idem eſſe cum *ſummè candido*. Tamen *purpureum* à *Latinis* ſic uſurpari *Bootius* ultro concedit, quia purpureos olores *Horatius*, & *pupuream nivem* dixit *Albinovanus*. Ita cum albas & niveas lepræ maculas, *Moſes* in *Levitico* deſcribit ut ruberrimas, cum Sponſus idem à *Solomone candidus* & *ruber* dicitur, cum *Jeremias* corpore rubere ſcribit illos ipſos, quos lacte & nive candidiores eſſe dixerat, quidni rubrum agnoſcas in illis locis idem eſſe, quod in *Romanis* Poetis *purpureum*, nempe *ſummè candidum*? Maximè cum *Arabes* hanc ipſam vocem ità uſurpent. Et *rutilare* (id eſt, *rubere*) elegantiſsimè dicantur etiam quæ ſunt ſummè candida? Quo ſemel conceſſo ſequetur פנינים *peninim*, eſſe *margaritas*. Nihil enim aptius, quam margaritis eos conferre, vel præferre, quos volumus à candore commendare. Proinde apud *Poetas* nihil eſt uſitatius. *Silius* libro duodecimo,

> *Dilectus* Pœno Cinyps *quo gratior ore*
> *Non fuit, ac nullâ ut ut plus fronte decoris,*
> *Quale micat ſemperque novum eſt, quod* Tyburis *aura*
> *Paſcit ebur, vel qui miro candoris honore*
> *Lucet in aure lapis rubris advectus ab* Indis.

Et *Martialis* de *Erotio* puella libri quinti *Epigrammate* trigeſimo octavo,

> *Cui nec lapillos præferas* Erythræos.

Ut de *Partheniana* toga, quæ candore erat inſignis libri octavi *Epigrammate* vigeſimo octavo,

> *Spartanus tibi cedet olor*, Paphiæque *columbæ*,
> *Cedet* Erythræis *eruta gemma vadis.*

Præterea πίννα, *pinna* & פנינים *peninim*, ſunt vicinæ voces. Et quidquid τὸ τοῖς *peninim* alibi habent Sacri Scriptores, margaritis apprimè convenit, quæ & pretioſiſsimæ ſunt, & cum labore extrahuntur, & è remotis petuntur locis; & Plurali numero ſemper vocantur *peninim*, quia margaritæ plures ſolent in uno filo conſeri. Cum *Chaldæo* denique, & *Arabe Jobi* Paraphraſtis in hanc interpretationem conſentiunt ex *Hebræis R. Selomo* & *R. Levi* in *Proverbia*, & *Pomarius* in *Lexico*. Et ex recentioribus, ipſo *Bootio* teſte, *Pagni-*

Pagninus, Mercerus, Lutherus, Cajetanus, Marinus, Borrhaus, Montanus, Mariana.

Audiamus tamen cur פנינים *peninim*, *Bootius* malit eſſe *corallia*. Putavit id certo concludi ex *Thren.* 4. *v.* 7. *Sanè*, inquit, *coralliorum mentionem* Thren. 4 *eſſe aptisſimam, & colorem coralliorum rubrorum, quam proximè ad ſanguinem accedere, ac propterea eam rubedinem, quæ in ætatis ac formæ flore elucet convenientisſimè cum iis comparari, res eſt certa, ac manifeſta.* Hæc ille tanquam ex tripode, quibus tanquam certa tria vel aſſerit, vel ſupponit, quæ vel incerta, vel falſa ſunt. Primo verbum אדמו, quo *Jeremias* utitur, ad *ruborem* neceſſario pertinere, cum ad *candorem* eo in loco pertineat, ut probavimus. Secundo, ruborem, qui in ætatis ac formę flore elucet, convenientisſime, cum coralliis comparari non facile conceſſerim. Nam in toto hominis corpore corallinum nihil eſt præter labra. Itaque hæc ſola cum corallio conferuntur. *Cornelius Gallus*, aut quisquis eſt,

Porrige labra, labra corallina.

Et hunc imitatus *Petrus Crinitus.*

——— *labra corallina*
Quæ me ſollicitum tenent.

Nempe inter genera corallii, ut auctor eſt *Dioſcorides*, Ἄριστον δὲ τὸ πυῤῥὸν τῇ χρόᾳ, καὶ ἐμφερὲς ἀνθηρῷ χρώματι, ἢ σανδύκι κατακορεῖ· *Optimum eſt, quod rubet, ſandarachæque aut ſandici ſatura colore ſimile.* Ἀνθηρὸς, id eſt, *floridus*, *Græcè* dicitur color, qui maximè rubet. Unde eſt, quod ἀνθηρὸν vocant τὴν σανδαράχην, ut eſt in *Heſychio*: & ἀνθηρὸν χρῶμα eſt *color ſandarachinus*. Neque aliud σάνδυξ κατακορὴς *ſandix ſatur*, id eſt, cujus color eſt plenus, meracus, preſſus, aſtrictus. Quo ſenſu *Poeta* dixit

——— *hyali ſaturo fucata colore.*

Arabs interpres pro ἀνθηρῷ videtur legiſſe συρικῷ. Is enim ità hic habet اجود ما يكون منه الاحمر الشبيه بالجوهر الذي يقال له سريقون وهو فيما زعم بعض الناس الاسرنج *Optimum eſt rubrum ſimile ſubſtantiæ, quæ vocatur ſyricon, quam quidam aſſerunt idem eſſe, quod aſrengi.* Eidem *ſandix* eſt زنجفر *zingiaphir.* Neque verò *ſandaracha, ſandix, ſyricon, aſrengi,* & *zingiaphir*, multum inter ſe differunt. Sed de his accuratius diſſerendi non eſt hic locus. Et ad præſens inſtitutum ſufficit, ut obſervemus, ſandarachæ, ſeu ſandicis colorem inter rubri coloris genera maxime ardere, atque excitatum eſſe, ac proinde corallio tribui, in quo rubrum eſt maximè intenſum. Is autem color in iis, qui bene ſe habent alibi nuſquam eſt, quam in labris. Nam genæ rubent mollius, & *roſea* dicuntur vel *purpurea*, non *corallina*. *Poeta* ſummus de *Laviniâ Æneidos* libro duodecimo.

Et roſeas laniata genas.

Ovidius libri primi *Amorum Elegiâ* quartâ,

Purpureas tenero pollice tange genas.

De cætero *rubere* dicuntur, qui vel ægri, vel ebrioſi ſunt. In *Avicenna* (a) حمرة الوجه *rubor faciei* ſignificat اورام الرية *pulmonis apoſtemata.* Et de bibace muliere dicit *Juvenalis Satyrâ* ſextâ,

——— *tandem illa venit rubicundula; totum*
Oenophorum ſitiens. ———

(a) *Avic. Can. lib.* 3. *Fen.* 10. *tract.* 1. *cap.* 2.

Et *Martialis* libri quinti *Epigrammate* quarto,

Hanc tu rubentem prominentibus labris
Quoties venire, Paule *videris contrà.*

Ideoque ſic pingitur *Bacchus*, de quo non nemo;

Spumat & plenis rubicundus uvis.

Et qui ad veterum *Poetarum* majeſtatem proximè accedit vir amplisſimus D. *Jacobus Moſantius de Brieux*, in ſuprema *Mediomatricum* Curia ex-ſenator, ut roſis lilia præferat, roſas æquè ac coralium, & oſtrum, in puellarum corpore docet anguſtis finibus coerceri, cum lilia ubique pateant. Verba ſunt in eximio illo *De liliis* Poematio,

Vivida certe aliquid, roſa confert ad decus oris.
Illa ſed anguſtis arctatur finibus, & quos
Coralium aſſeruit pridem, & ſibi vindicat oſtrum,
Candida ſed nullis clauduntur lilia metis,
Candidulasque genas, & ſemper candida colla,
Candidulosque ſinus, & candida brachia fundunt,
Nympharumque omnes latè dominantur in artus.

Sed inprimis id notandum eſt in *Jeremia* non dici *Nazaræos* facie rutilâſſe, multò minus genis, aut labris ſed corpore. Ità enim habet *Propheta*, אדמו עצם מפנינים, *Rutili fuerunt corpore plus quàm peninim.* Itaque non poteſt intelligi *rubor* propriè dictus, à quo labra fortaſſe, aut genæ commendantur, non totum corpus. Et cum in juvenili corpore ſola labra corallii colorem æmulentur, totum corpus eâdem cauſâ cum corallio conferre tam ſit abſurdum, quam totum *Æthiopem* ebori comparare, quia eſt albus dentes.

Concedamus tamen hæc duo, quæ falſa eſſe jam apparet; 1. *Jeremiam* agere de juvenili faciei rubore; 2. Hunc cum corallii rubore rectè conferri: non ſequetur tamen corallium deſignari voce פנינים *peninim*; niſi hoc inſuper ſupponas, nihil aliud hâc voce poſſe ſignificari, quod faciei ruborem æquè bene exprimat. Hoc porrò eſſet falſisſimum. Nam, ut de *carbunculis* taceamus, quos *Junius* hic intellexit, cur non acceſſit *Bootius Syro* interpreti, qui *peninim* reddidit ܣܪܕܘܢ *ſardon*, id eſt, *ſardam*, vel *ſardium*. Quippe ut corallium, ità & ſardium rubere in confeſſo eſt. Hinc *Orpheus* in *Achate*

——— σάρδιά θ' αἱματόεντα

Sardiaque ſanguinea dixit. Et *Theophraſtus* in libro *De lapidibus*, Τὸ γὰρ σάρδιον τὸ μὲν διαφανὲς, ἐρυθρότερον δὲ, &c. *Plinius* quoque libri trigeſimi ſeptimi capite ſeptimo ſardium inter lapides rubros recenſet. Et in *India* deſcribit trium generum, rubrum, &c. *Epiphanius* item in libro *De duodecim gemmis*, Πρῶτος λίθος σάρδιος ὁ Βαβυλώνιος οὕτω καλούμενος. Ἔστι δὲ πύῤῥωπος τῷ εἴδει, καὶ αἱματοειδής. *Primus lapis Sardius, quem Babylonium vocant, colore igneus, & ſanguineus.* Et *Iſidorus Originum* libri decimi ſexti capite octavo, *Sardius dicta eſt, quod primùm reperta ſit à* Sardis. *Hæc rubrum habet colorem.* Itaque cum *Apoc.* 4. *v.* 3. *Johanni* Deus apparet in ſolio ſedens, ὅμοιος ὁράσει λίθῳ ἰάσπιδι, καὶ σαρδίνῳ, *aſpectu ſimilis lapidi jaſpidi, & ſardio*, veteres ut *jaſpidis* colore aqueo diluvium, quo prior mundus periit, ità rubro *ſardii* colore ignem ultimi judicii, quo poſterior abſumetur, ſignificari volunt. In ea ſententia ſunt *Victorinus Pictavienſis* (ſi verè opus eſt illius) & *Primaſius* in *Apocalypſim*. *Andreas* quoque, & *Aretas*, *Cæſarienſes* Epiſcopi, Dei faciem volunt cum ſardio conferri, διὰ τὸ φοβερὸν τοῦ Θεοῦ, πυρώδες γὰρ τὸ σάρδιον, *propter terrorem Dei, igneum enim eſt ſardium.* Quocirca cum *Grammatici* (b) acriter inter ſe diſputent, an à *Sardibus*, aut *Sardinia*, dicatur ſarda lapis, & in neutro loco reperiatur, videndum annon potius à colore dicatur, quo rubricam imitatur. *Rubrica* ſcilicet *Hebræis* eſt שרד *ſered.* Sic *Eſ.* 44. v. 13. *Faber lignarius lineam extendens, delineat illam* בשרד, *rubricâ.* A *Kimchio*, & *Aquinate*, שרד *ſered*, definitur חוט הצבוע שמסמן בו הנגר מה שרוצה לכרות מן העץ, *filum coloratum, quo faber ſignat ligna incidenda.* Ab *Aben Ezra*, מין ממיני הצבעים, *ſpecies aliqua coloris.* A *Mardochæo*, כלי מה מן כלי הציירים, *Inſtrumentum aliquod pictorum.* At à *Pagnino*, *filum phœnicium.* Et à *Mercero*, *minium vel rubrica quo ſignant fabri*, &c. Optimè. Fabri enim apud veteres funiculo rubricâ tincto ligna

(b) *Heſych. in* Νεκρῶν.

ligna ſecanda dirigebant, quod hodieque eſt in uſu. Proinde in *Philippi Epigrammate Anthologia* libri ſexti capite vigeſimo ſeptimo *Leontichus* faber propter ſenium ad fabrilia tractanda jam impar *Minervæ* conſecrat

— Πέλεκυν σχιζοτόμον, ἰθύδρομόν τε
Πρίονα μιλτείῳ στάγματι πειθόμενον.
Τρύπανά τ' ἐλκεσίχειρα, τέρετρά τε, μιλτοφυρῆ τε
Σχοῖνον ὑπ' ἀρχεγόνῳ ψαλλομένην κανόνι,

ſecurim truncos cædentem, & recta currentem ſerram rubricato liquori obſequentem, terebrumque manu tractum, & terebella, & rubricatum funem à regula, quæ eſt in ſummis digitis impulſum. Et in alio nondum edito etiam à fabro dedicantur

Στάθμαι καὶ μιλτεῖα, καὶ αἱ σχεδὸν ἀμφιπλῆγες
Σφῦραι, καὶ μίλτῳ φυρόμενοι κανόνες.

Libella, & rubrica, & utrimque percutientes mallei & rubricâ inquinatæ regulæ. Hinc *Plinius* libri trigeſimi quinti capite quinto. *Ex reliquis rubricæ generibus fabris utiliſſima* Ægyptia *&* Africana. Itaque ut *rubrica Hebræis* eſt שרד *ſered*; ita gemma rubricæ concolor à *Phœnicibus* שרדא *ſarda*, dici potuit. Unde *Græcè* σαρδὼ, & σάρδιον, & *Latinè Sardium*, aut *ſarda*. Et ipſe *Bootius* gemmam hanc inter rubras à *Theophraſto* & *Plinio* collocari agnoſcit. Sed *Sardii*, inquit, *rubedo nimis diverſa eſt ab ea, de qua hic agitur.* Itane verò? At ego hactenus planè aliter ſenſeram, nempe juvenilem illum vultûs ruborem, qui in vegeto corpore emicat, ſardio lapide longè meliùs, quàm corallio exprimi. Cùm enim corallii rubor ſit prorſus ſanguineus, imò, ut ſupra probatum eſt, ſandiceus, & ſandarachinus, idem in ſardio color languidior, atque dilutior eſt, & illi colori ſimilior, quem à carne *incarnatum*, linguæ vernaculæ appellant. Unde eſt, quòd huic ipſi lapidi *carneoli*, vel corruptè *corneoli* nomen hodie indiderunt *Europæi* ferè quotquot ſunt. *Agricola* libro ſexto *De natura foſſilium*, *Rubra eſt ſarda, quæ & ſarda, & ſardius, & ſardo vocatur. Nunc gemmarii* carneolum *appellant, quod colore ſimilis ſit carni.* *Adrianus Toll.* in *Gemmarum hiſtoria* libri ſecundi capite octogeſimo, *Sardius a carne ſanguinolenta, cui ſimilis eſt colore, nomen* carneoli *vel corruptè* corneoli *habet.* Itaque auctore *Plinio* libri trigeſimi ſeptimi capite ſexto, *Sardonyches olim, ut ex nomine ipſo apparet, intelligebantur candore in ſarda, hoc eſt, velut carnibus ungue hominis impoſito, & utroque translucido.* Senſus eſt, ut ſardam carni, ita onychem ungui humano eſſe concolorem, ac proinde tanquam ungue perſpicuo carni item perſpicuæ ſuperinducto fieri ſardonychem. *Bootium* igitur conſtat graviter hallucinari, cum ſardii ruborem ab humanæ carnis rubore tanto intervallo diſtare ſcribit, ut hujus cum illo collatio inſtitui non potuerit.

Sed idem aliud affert, quod videri poterit aliquantò veriſimilius: nempe *ſardium vix venire poſſe in cenſum rerum pretioſiſſimarum, inter quas peninim numerari clarum eſt. Cùm ſit gemma vulgaris, ut eam vocat* Plinius. *Imò lapis, qui marmore quidem præſtat, inter gemmas verò viliſſimus ducitur, quæ ſunt ipſa* Solini *verba.* Potuit addere etiam *Iſidori*. Solet nimirum *Iſidorus* ex *Solino* multa exſcribere, ut *Solinus* ex *Plinio*, ſed plerumque perperam intellecto: quod illi ſuſpicor hic eveniſſe. *Plinius* cùm carbunculum, ſandaſtrum, lychnitem, & carchedonium ſcalpturæ contumaciter reſiſtere, partemque ceræ in ſigno tenere dixiſſet, addit continuò poſt, *E diverſo ad hæc ſarda utiliſſima.* Nempe ad ſcalpturam, & ſignum, ut quæ nec ſit δύσγλυπτος, nec ceram in ſigno teneat. Sed *Solinus*, quem in *Plinio* accepiſſe non pauca multò aliter quàm oportuit docuit magnus auctor, videtur pro *utiliſſima* legiſſe *viliſſima*, atque ad orationis ſeriem parùm attentus, ex eo confeciſſe, quòd ſardam ſcribit eſſe inter gemmas viliſſimam. Saltem hoc certum eſt, vetuſtiores de ſarda nihil tale prodidiſſe. Et *Plinium* libri trigeſimi ſeptimi capite decimo plus centum gemmas hac viliores per Alphabeti ordinem recenſuiſſe conſtat. Idem vulgarem ſardam eſſe dicit, non tamen vilem. Quin *Babyloniam* maximè laudat. Et alibi quaſdam deſcribit argenteis, quaſdam aureis venis ſublitas. Et mares aſſerit excitatiùs fulgere, quod habet ex *Theophraſto*, neque ullam translucentium tardius ſuffuſo humore hebetari. Hac denique gemma ſubjungit quaſdam apud *Menandrum* & *Philemonem* fabulas ſuperbire. *Menandri* nempe de *Sarda* locus fuit in Παιδίῳ,

Εἶναι σμαράγδους ταῦτ' ἔδει καὶ σαρδίους.

Ita enim legendum apud *Athenæum* capite decimo quarto. Eaſdem in mundo muliebri cenſet *Ariſtophanes* in alteris Θεσμοφοριαζούσαις quæ hodie non extant. Sed ex iis *Clemens Alexandrinus Pædagogi* libri ſecundi capite duodecimo, & *Pollux* libri ſeptimi capite vigeſimo ſecundo, multos verſus proferunt huc attinentes, quorum unus hic eſt

Πομφόλυγας, ἀποδέσμους, ὀλίσβους, σάρδια.

Et *Lucianus* in oratione *De Domo*, mulieri formoſæ adſcititios ornatus abeſſe ex eo probat, quòd unusquisque ὑπὸ τοῦ χρυσοῦ καὶ τῶν λίθων τῶν πολυτελῶν ἐκπλαγεὶς, *auri & magni pretii gemmarum fulgore obſtupefactus, pro eo, quod colorem, vel vultum, vel cervicem, vel cubitum, vel digitum, laudare debuerat, his relictis,* ἐς τὴν σαρδὼ, ἢ τὸν σμάραγδον, ἢ τὸν ὅρμον, ἢ τὸ ψέλλιον ἀποβλέπει, *ad ſardam, aut ſmaragdum, aut monile, aut armillas reſpicit.* In *Theophraſto* lapis idem cenſetur in rariſſimis. Ἔνιοι δὲ, inquit, καὶ σπάνιοι πάμπαν εἰσὶ, καὶ σμικροὶ, καθάπερ ἥ τε σμάραγδος, καὶ τὸ σάρδιον, καὶ ὁ ἄνθραξ, καὶ ὁ σάπφειρος. *Quidam ſunt & rari prorſus, & parvi, ut ſmaragdus, ſarda, carbunculus, & ſapphirus.* *Plato* in *Phædone* aliam ſibi terram fingit cœlo proximam, cujus montes, & lapides, gemmarum inſtar, pelluceant, ὧν καὶ τὰ ἐνθάδε λιθίδια εἶναι ταῦτα τὰ ἀγαπώμενα μόρια, σάρδιά τε, καὶ ἰάσπιδας, καὶ σμαράγδους, καὶ πάντα τὰ τοιαῦτα, *horumque adeò quaſdam eſſe particulas lapillos, qui apud nos in pretio habentur, ſardas ſcilicet, jaſpides, ſmaragdos, atque alios hujuſmodi.* In *Græca* verſione *Prov.* 11. *v.* 12. ſermo ſapiens in aure docili eſt *ut malum aureum* ἐν ὁρμίσκῳ σαρδίου, *in monili ex ſardio:* aut ut cum inauribus aureis σάρδιον πολυτελὲς δέδεται, *ſarda magni pretii adalligatur*, id eſt, inſeritur. *Græcè* enim χρυσόδετα vocantur, quæ auro inſerta ſunt. *Exod.* 28. *v.* 17. è duodecim gemmis in *Aaronis* pectorali prima eſt τὸ σάρδιον. Ut cùm *Tyrio* principi dicitur *Ezech.* 28. *v.* 13. Πάντα λίθον χρηστὸν ἐνδέδεσαι, σάρδιον, καὶ τοπάζιον &c. rurſus ſardius lapis primus eſt è duodecim gemmis, quibus ille ornatur. *Johanni* denique Deus ipſe ſe exhibuit aſpectu ſimilem jaſpidi, & ſardio, *Apocal.* 4. *v.* 3. Et quamvis ſardam *Theophraſtus* in iis lapidibus cenſeat, quæ placent τῇ ὄψει μόνον, *ſolo viſu.* Tamen apud *Epiphanium* δυνάμεως ἐστὶ θεραπευτικῆς, ᾧ κέχρηνται ἰατροὶ πρὸς οἰδήματα καὶ ἄλλας πληγὰς ὑπὸ σιδήρου γιγνομένας, *medendi vim habet, & eo Medici utuntur ad tumores & alias plagas ferro inflictas.* Unde *Andreas Cæſarienſis*, λέγει ὁ μέγας Ἐπιφάνιος ἰατρεύειν αὐτὴν οἰδήματά τε καὶ ἀπὸ σιδήρου πληγὰς ἐπιχριομένην. *Magnus* Epiphanius *eam gemmam inunctam curare dicit tumores, ac plagas à ferro illatas.* Rectè, niſi quod Medicos hunc lapidem inungere non dixit *Epiphanius*, ſed eo uti. At *Epiphanii* verbum κέχρηνται videtur *Andreas* à χρίω deduxiſſe, cùm ſit à χράω. Hæc de ſardio hactenus, ex quibus hunc lapidem non tam vilem eſſe colligas, quàm credi voluit *Bootius*.

Res patebit clariùs, ſi, quod è doctis multi volunt, in ſardæ ſpeciebus cenſeatur ſardonyx: qui fuit lapis magni nominis apud veteres. Proinde primus è duodecim lapidibus, qui *Aaronis* τὴν ἐπωμίδα diſtinguebant, ut *Senioribus* ſardius, ita *Joſepho* ſardonyx fuit. Eidem ſardonyches fuêre duo lapides *ſoham* in humerali

rali *Aaronis Exod.*28. *v.* 9. Πορπῶσι, inquit, τὴν ἐπωμίδα σαρδόνυχες δύο κατὰ τῶν ὤμων ἑκάτερον τέλος. Ita etiam *Aquila. Hieronymus* in Epiſtola *De veſte*
(a) *Antiq. lib.* 3. *cap.* 8. *Sacerdotali*, Joſephus (a) *ſardonychas vocat, cum* Hebræo Aquilâque *conſentiens, ut vel colorem lapidum, vel patriam demonſtraret.* Ex *Ammonitarum* metropoli *Rabbath*, quæ *Græcis Philadelphia*, auream Regis coronam talento gravem, & inſigni lapide ornatam, abſtuliſſe legitur *David* 2.*Sam.*12.*v.*30. Multi per Numeri Enallagen plures intelligunt gemmas, quibus corona hæc fuerit interſtincta. Sed *Joſephus* ſardonychem. Αὐτὸς δὲ, inquit, τὸ τοῦ βασιλέως τῶν Ἀμμανιτῶν λαμβάνει στέφανον, ἕλκοντα χρυσοῦ τάλαντον, καὶ πολυτελῆ λίθον ἔχοντα ἐν μέσῳ σαρδόνυχα· *Ille autem Regis* Ammonitarum *coronam accepit, auri talento gravem, quæ pretioſum lapidem, ſardonychem ſcilicet, in medio habebat.* Quod unde habeat mirari ſubit, cum de ſardonyche ne γρῦ quidem aut Sacer textus, aut ullus interpretum hic habeat. Sed fabulæ originem puto me deprehendere. *Rex Hebræis* eſt מלך *melech*, & Deus *Ammonitarum* iiſdem literis, ſed diverſis vocalibus *Molech*, vel *Moloch*. Proinde ubi legitur *David* accepiſſe *coronam* מלכם, *Regis eorum*, *Hebræi* vetuſtiores in vocis ambiguitate ludentes, legebant *coronam Molech* (ſeu, idoli) *eorum*, vel ſimpliciter *coronam Milchom*, quomodo vocatur hoc idolum 1.*Reg.*11. *v.* 5. Ita habetur in *Kimchio*. Itaque ex eorum mente corona, quam cœpit *David*, fuit corona τοῦ *Moloch*, & lapis in ea eximius gemma τοῦ *Moloch*. Rurſus in *Oriente* Sardonix *moloch*, vel *molochas* dicebatur. Quod his verbis tradit *Epiphanius* in capite *De Sardio*, Ἔστι δὲ καὶ ἄλλος σαρδόνυξ ὃς καλεῖται μολοχάς. Senſus eſt præter ſardium, alium eſſe lapidem ſardio non abſimilem, qui *Græcè* vocatur σαρδόνυξ, & *Syriacè*, niſi fallor, ܡܠܟܐ *molocha*. Proinde ex lapide *Moloch*, id eſt, gemma, *Ammonitarum* Deo ablatâ, prout ab *Hebræis* creditum, *Joſephus* fecit lapidem *molochan*, ſeu *ſardonychen*. Sed aliud de hoc lapide fuit *Hebræorum* commentum, quod ita refert *Kimchius* ובדברי רז״ל כי אבן יקרה שהיתה בה שוה ככר ועוד אמרו אבן שואבת היתה והיתה מעמידה אותה באויר, *In verbis Patrum noſtrorum beatæ memoriæ, dicitur eximius ille lapis, qui in ea corona fuit, auri talento valuiſſe. Item magnetem fuiſſe, quo in aëre detinebatur.* Quale eſt, quod de vitulo *Jeroboami* legitur in *Sanhedrin* cap. 11. fol. 107.b. אבן שואבת תלה לחטאת ירבעם והעמידה בין שמים ולארץ, *Lapis attrahens* (id eſt, *magnes*) *ſuſpenſum tenebat peccatum Jeroboami* (id eſt, Vitulum) *inter cœlum & terram.* Eodem lapide *Dinocrates* architectus *Alexandriæ Arſinoes* templum concamerare inchoaverat, ut in eo ſimulachrum ejus è ferro pendere in aëre videretur. Sic teſtatur *Plinius* libri trigeſimi quarti capite decimo quarto. Quod idem de ſepulchro *Mahumetis* diu creditum. Sed hanc fabulam hodie multi refellunt: *Vartomannus* imprimis *Navigationum* libri primi capite undecimo. Alia de ſardonyche vetus eſt hiſtoria. Nemo eſt, qui *Samium Polycratem* neſciat gemmam, quâ delectabatur, in mare abjeciſſe, & in piſcis præcordiis poſtmodum reperiſſe. Hanc hiſtoriam ita referunt *Cicero* libro tertio *De Finibus*, *Strabo* libro decimo quarto, Et *Valerius* libri ſexti capite nono: ut gemmæ quod fuerit genus divinandum nobis relinquant. Sed diſertè *Plinius* libri trigeſimi ſeptimi capite primo, *Sardonychen eam gemmam fuiſſe conſtat: oſtenduntque* Romæ, *ſi credimus, in* Concordiæ *delubro, cornu aureo* Auguſtæ *dono incluſam, & noviſſimum prope locum tot prælatis obtinentem.* Et *Solinus* in capite *De Arabia*, *Ex iſtius littoris ſinu*, Polycrati *Regi advecta ſardonyx gemma, prima in orbe noſtro luxuria excitavit facem.* Neuter verè, ut quidem puto; quia *Herodotus*, qui librum ea de re ab ipſo *Polycrate* ſcriptum conſuluerat, ſmaragdum fuiſſe refert. Ἦν οἱ σφρηγὶς, inquit, ἣν ἐφόρει χρυσόδετος, σμαράγδου μὲν λίθου ἐοῦσα· *Erat ei pro ſigillo ſmaragdus, quam geſtabat auro incluſam.* Sed hæc *Plinii* certiora ſunt ejusdem libri capite ſexto, *Claudius Cæſar ſmaragdos induebat & ſardonychas. Primus autem* Romanorum *ſardonyche uſus eſt prior* Africanus, *ut tradit* Demoſtratus, *& inde* Romanis *hanc gemmam fuiſſe celeberrimam.* Quod *Poetarum* ſuffragiis confirmare ſit obvium. *Perſius* Satyrâ primâ,

Et natalitiâ tandem cum ſardonyche albus.

Martialis libri ſecundi *Epigrammate* vigeſimo nono,

Rufe, *vides illum ſubſellia prima tenentem,*
Cujus & hinc lucet ſardonychata manus.

Et libri quinti *Epigrammate* undecimo,

Sardonychas, ſmaragdos, adamantas, jaſpidas, uno
Portat in articulo Stella, Severe, *meus.*

Juvenalis Satyrâ ſextâ.

——*denſi radiant teſtudine totâ*
Sardonyches.——

Et Satyra ſeptima,

——*conductâ* Paulus *agebat*
Sardonyche, atque ideò pluris quam Gallus *agebat.*

Et Satyra decima tertia,

——*gemmaque princeps*
Sardonyches, loculis quæ cuſtoditur eburnis.

Hæc de *Romanis*. In *Syria* non minus in pretio fuiſſe ſardonyches ex *Luciano* colligas, in quo *Syriæ* Deæ χρυσός τε ἄλλος ἐπικέαται, καὶ λίθοι κάρτα πολυτελέες, *& aliud aurum circumpoſitum eſt, & lapides valde pretioſi*, in quibus cenſentur ὄνυχες οἱ Σαρδῷοι πολλοὶ, καὶ ὑάκινθοι, καὶ σμάραγδοι, *ſardonyches multi, & hyacinthi, & ſmaragdi.* Neque hic prætereundum, quod refert *Plutarchus* libro *De fluviis* in *Euphrate*; Παράκειται δ' αὐτῷ ὄρος Δριμύλλον καλούμενον, ἐν ᾧ γεννᾶται λίθος σαρδόνυχι παρόμοιος, ᾧ οἱ βασιλεῖς ἐν ταῖς βασιλείαις χρῶνται· *Ibi adjacet mons* Drimyllus *dictus, ubi naſcitur lapis ſardonychæ ſimilis, quo utuntur Reges in regiis ſuis.* Malim ἐν τοῖς βασιλείοις, *in diadematibus.* Nam βασίλειον quandoque eſt *inſigne regium* ſeu *diadema.* Et hoc quoque potuit reſpicere *Joſephus*, cùm Regis *Ammonitarum* coronam ſardonyche inſignem ſupra deſcripſit. Idem fere, quod in *Plutarcho* etiam in *Stobæo* legas *Sermone* nonageſimo octavo, Ἐν ὄρει Δρίμυλλον καλουμένῳ τῆς Παρθίας, γεννᾶται λίθος σαρδόνυχι παρόμοιος, &c. *Parthiæ* adſcribit montem *Euphrati* vicinum, quia tum *Parthorum* imperium ad *Euphratem* usque extendebatur. Hinc paulò ante *Stobæus* idem ex *Chryſermo*, Ἐν Εὐφράτῃ ποταμῷ τῆς Παρθίας γεννᾶται λίθος ἀετίτης καλούμενος. Hic autem *Niciam* citat, nempe *Niciam Malloten* in opere *De lapidibus*, ex quo etiam *Plutarchus*. *Drimylus* mons, in quo naſcebatur hic lapis, *Chaldæis* erat דרומילוס *Dumilos Bereſith Rabba* Sectione 48. אמר ר׳ אבהו אה״ל פלן ש״ל אבינו אברהם מפולש היה ר׳ יודן אמר כהדין דרומילוס *Dixit* Rabbi Abhu, *Tentorium, ſeu Papilio* (פלן contractum ex פפילין) *patris noſtri* Abrahami, *erat valde patens.* R. Jodan *dixit, ut iſte drumilus.* In Gloſſa *drumilus* explicatur רחבה גדולה *platea magna*, ſed in *Ialchut* meliùs סנה, *dumus*, ut Cl. *Buxtorfius* obſervat. Deflexum enim eſt ex *Græco* δρυμός. Itaque *nemus* ſignificat. Atque hinc monti factum nomen, qui nemoroſus erat. Eſt & in *India* mons *Sardonyx* ab argumento dictus. In eo enim multi ſardonyches. *Ptolemæus* libri ſeptimi capite primo, Σαρδόνυξ ὄρος, ἐν ᾧ ὁμώνυμος λίθος. Ad hunc montem refero, quòd *Photius Cteſiam* in *Indicis* agere prodidit περὶ τῶν ὀρέων τῶν μεγάλων, ἐξ ὧν ὅτι σαρδὼ ὀρύσσεται, καὶ οἱ

ὄνυχες

ὄνυχες, καὶ αἱ ἄλλαι σφραγῖδες. Nempe ſardonyches *Græcè* dicuntur Σαρδῷοι ὄνυχες. Et *Cteſias* ſic vocavevat, ut *Lucianus* ſupra. Sed aliter diviſis vocibus pro Σαρδῷοι ὄνυχες lectum Σαρδῷ οἱ ὄνυχες. Tamen ab *Indis* ſardonyches olim fuiſſe neglectas *Plinius ex Zenothemi* refert. *Has* (inquit) Indis *non habitas in honore* Zenothemis *ſcribit: tantæ alias magnitudinis ut inde capulos factitarent. Etenim conſtat ibi torrentibus detegi. Et placuiſſe in noſtro orbe initio, quoniam ſolæ prope gemmarum ſcalptæ ceram non auferrent. Perſuaſimus deinde &* Indis, *ut ipſi quoque iis gauderent.* Jam ſi conſulas Sacros Scriptores *Johannem* ut ſardii, ita etiam ſardonychis meminiſſe reperies *Apoc.* 21. *v.* 20. ubi è fundamentis duodecim cœleſtis illius *Jeruſalem* ὁ πέμπτος σαρδόνυξ, ὁ ἕκτος σάρδιος, *quintum ſardonyx, ſextum ſardius.* Et *Græca* nomina retinent *Syrus* & *Æthiops.* Rurſus *Job.* 28. *v.* 16. ubi de ſapientia dicit *Græca* verſio, Καὶ οὐ συμβασταχθήσεται χρυσίῳ Σωφείρ, ἐν ὄνυχι τιμίῳ καὶ σαπφείρῳ. Pro ἐν ὄνυχι τιμίῳ quod *Hebraicè* eſt בשהם, *in ſoham*, *Scholiaſtes* ex aliorum interpretatione habet ἐν σαρδονυχίῳ. Et *Hieronymus*, lapidi ſardonychæ pretioſiſſimo. Quaſi vel pretioſi, vel pretioſiſſimi Epithetum ſardonychi melius conveniat, quàm ſimplici onychi. Et verſu decimo octavo pro *Hebrais* ראמות תגביש, *ramoth & gabis*, quæ ſunt ignotæ gemmarum ſpecies, *Chaldæus* habet, סנדלכין ובירולין, *ſandalchin & birulin*, id eſt, ſardonyches, & beryllos. Et de *Aſſuero* legitur in *Chaldæo Eſth.* 1. *v.* 4.

חפר בספר פורת ואשכח תמן שית מאה ותמנן אחמיתין דנחשא מליין דהב טב יהרין ובורלין וסנדלכין

Fodit in Euphratis *ripa, & ibi reperit ſexcentas & octoginta arcas æreas, plenas margaritarum, beryllorum, & ſandalchin*, id eſt, ſardonychum. Et in *Talmudico* Tractatu *Sanhedrin* capite ſeptimo, ואחר משגרו לדרום להביא לו סנדלכין טובים, *Et aliquem miſit in meridiem, ut bonos* ſandalchin *afferret.* Id eſt, in *Arabiam*, ubi ſardonyches optimæ. *Plinius* ut ſupra, *Nullo ſardarum veſtigio* Arabicæ *ſunt, cœperuntque pluribus ha gemmæ coloribus intelligi, radice nigra, aut cœruleum imitante, aut unguem; creditum enim candido pingi, nec ſine quâdam ſpe purpuræ, candore in minium tranſeunte.* Item Arabicæ *excellunt candore circuli prælucido, atque non gracili, neque in receſſu gemmæ, aut in dejectu renidente, ſed in ipſis umbonibus nitente, præterea ſubſtrato nigerrimo colore.* Hæc omnia *Plinius* de *Arabica* ſardonyche. Et *Solinus* in capite *De Arabia*, *Ex iſtius littoris ſinu* Polycrati *Regi advecta ſardonyx.* Et *Iſidorus* libri decimi ſexti capite octavo, *Sardonyx reperitur apud* Indos *&* Arabes *detecta torrentibus.* Quæ ideò nos attulimus ad *Chaldæam* vocem סנדלכין *ſandalchin*; quia nondum in mentem cuiquam venerat hâc ſardonyches ſignificari. Quod tamen iis debuit eſſe valde obvium qui harum linguarum genium nôrunt. Cùm in voce σαρδόνυχος ſardonyches, & *ſandalchin*, eaſdem habeat conſonantes, niſi quod L eſt pro R, & locum cum N permutavit. Nam verus ordo eſſet סלדנכין, *ſaldanchin.* Sed ſardonychum nomen facilè degeneravit in סנדלכין *ſandalchin*, apud *Chaldæos*; quia voci סנדל *ſandal*, jam aſſueverant: quæ apud illos & σανδάλιον ſeu *calceum* ſonat. Et planum piſcem, qui nobis *ſolea*, & in *Matrone* σάνδαλον. Et *abortivum fœtum*, ſeu *molam* verius à plana forma.

Porrò quæ tam in ſardarum, quàm in ſardonychum commendationem hactenus attulimus, nolumus ita accipi, ac ſi eas haberemus inter res pretioſiſſimas. Quamvis enim tam ſardam, quàm ſardonychem ne genus gemmarum eſſe viliſſimas, tamen hic *Bootio* ex parte accedimus, & libenter illi concedimus ſardam eſſe minùs pretioſam, quàm ut ad illam pertinere poſſint tot *Jobi & Solomonis* loca, quibus patet *peninim* in eorum cenſu poni, quæ ſunt longè pretioſiſſima. Sed hâc ratione ex cenſu τῶν *peninim* tam *corallium*, quam *ſardam* excludi contendimus. Si enim ſardæ ideo non ſunt *peninim*, quia in gemmis prima loca non obtinent, quæ adamantibus debentur, & ſmaragdis, & carbunculis, aut, ut hoc *Bootio* demus, quia ſunt gemmarum viliſſimæ. Quidni de corallio id ipſum concludatur, quod ne gemma quidem eſt, ſed λιθόδενδρον, ut eſt in *Dioſcoride*, id eſt, arbuſtum, ſeu frutex ad lapidis naturam accedens? Proinde *Theophraſtus* non dicit eſſe lapidem, ſed tanquam lapidem; Τὸ γὰρ κουράλιον, καὶ γὰρ τοῦθ' ὥσπερ λίθος. Evellique retibus dicit *Plinius*, aut acri ferramento præcidi, atque hac de cauſa *curalium* vocitari, nempe ἀπὸ τῆς κουρᾶς, quod præcidatur, ac veluti tondeatur in mari. Et *Alkazuinius*, ينبت في البحر كما ينبت شجر في البر *Creſcit in mari, ut arbores creſcunt in terra.* Et *Pomarius* in *Lexico*, אלגום קורלו בלעז נמצא בתחתית הים וגדל כמו עצים, *Algum* Italicè *corallo*, *in maris fundo reperitur, & creſcit ut arbores.* Quod in ſententiam ſuam poſſe objici cum prævideret *Bootius*, corallio contendit olim fuiſſe locum inter pretioſiſſima quæque: atque ut probet hoc παράδοξον, quinque profert veterum teſtimonia, ex quibus rem confici putat. Primum *Baſilii*, à quo corallium vocatur πολύτιμος λίθος, *lapis magni pretii*, Oratione ſeptima in *Hexaëmeron*, non ſexta ut ille aſſerit. Secundum *Dionyſii Periegetis*, qui ſcribit *Arianis*, quanquam ſterilis, & arenoſæ regionis incolis, abundè tamen de victu, atque opibus proſpectum, quia corallium, & ſapphirum ex arenis ſuis effodiunt. Tertium *Luciani*, qui τῶν τρυφώντων πλουσίων τὰ σφιγγία, καὶ τὰ κουράλια, *delicatorum divitum ſphinges, & corallia* memorat, non in tractatu, quem citat *Bootius* Περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων, ſed in Apologia pro illo Tractatu. Quartum ex *Ciri Virgilii*, ubi *Niſi* regia dives eſſe dicitur *coralio fragili.* Quintum denique ex *Plinio* libri trigeſimi ſecundi capite ſecundo. *Quantum apud nos* Indicis *margaritis pretium eſt, tantum apud* Indos *in curalio.* Sed hæc omnia fruſtra, ut ſequentia docebunt.

Baſilii locum, πῶς ὁ πολυτίμητος λίθος τὸ κουράλιον χλόη μέν ἐστιν ἐν τῇ θαλάσσῃ, ἐπειδὰν δὲ εἰς τὸν ἀέρα ἐξενεχθῇ, πρὸς λίθου στερρότητα μεταπήγνυται, ita expreſſit *Ambroſius* in *Hexaëmeron* libri quinti capite undecimo, *Quomodo etiam non indecorus lapis corallium in mari herba ſit, ſi in aerem transferatur, in lapidis firmitatem ſolidetur.* Ex quibus, pro verbis, ὁ πολυτίμητος λίθος, illum legiſſe colligas οὐκ ἄτιμος λίθος, id eſt, *non indecorus lapis.* Quamvis corallium magni pretii lapis meritò appellari poſſit, non ſi cum gemma, aut margarita, ſed ſi cum vulgari lapide conferatur. Cùm è vulgarium quoque numero pro pretioſis ii habeantur, qui præferuntur cæteris, ut majores, firmiores, & magis expoliti, ad magni monumenti ædificium. Sic 1. *Reg.* 5. *v.* 17. *Præcepitque Rex, ut adveherent lapides magnos, lapides pretioſos ad fundamentum Templi.* Ubi *Hebræi* אבנים יקרות & *Græci* λίθους τιμίους. Vide 1. *Reg.* 7. *v.* 9. 10. 11. & 2. *Par.* 3. *v.* 6. &c.

Nihilo plus eſt virium in *Dionyſii* loco, quo *Arianos* in agro arenoſo degentes, atque omnium rerum ſterilium, corallium, & ſapphirum è terra ſua effodere ſcribit, unde victum ſuſtineant. Neque enim ſequitur ferrum eſſe rem magni pretii, ex eo, quod de *Chalybibus* ſcribit *Xenophon Cyri Minoris* libro quinto. Οἱ δὲ πλεῖστοι αὐτῶν ἀπὸ σιδηρείας, *Pleriſque eorum victus erat ex ferraria.* Aut plumbum in cimeliis eſſe habendum, quia *Georgius Agricola* libro primo *De metallis* Barones quoſdam in *Germania* memorat, qui non tenues opes adepti ſint ex plumbi candidi puteis &

& patrum noſtrorum memoria hoc idem metallum effudiſſe *Moncero Fribergenſi* ducenta millia nummûm argenteorum. Poſſunt etiam è re vili multæ opes comparari, cum magnâ copiâ ſuppetunt, multò magis è corallio, quod utut inter pretioſiſſima non computem, non tamen pro vili habeo. Taceo fabuloſum eſſe, quod de *Arianis* hic habet *Dionyſius*. Nam *Ariani*, quorum ſitum deſcribit *Dionyſius* ad occaſum *Indi* fluvii, prope *Oritas*, & *Aribas* (ſeu *Arbias*) & *Arachotas*, & ad clivum *Paropamiſi*, ſunt *Ariæ* regionis incolæ. Quam cum vicina *Margiana* eſſe optimo vino ad miraculum usque fertilem his verbis docet *Strabo* libro ſecundo, Ἐν δὲ τῇ Μαργιανῇ τὸν πυθμένα φασὶν εὑρίσκεσθαι τῆς ἀμπέλου πολλάκις δυοῖν ἀνδρῶν ὀργυιαῖς περιληπτὸν, τὸν δὲ βότρυν δίπηχυν. Παραπλησίαν δὲ λέγουσι καὶ τὴν Ἀρείαν, εὐοινίᾳ δὲ καὶ ὑπερβάλλειν, ἐν ᾗ γε καὶ εἰς τριγενείαν παραμένειν ἐν ἀπιττώτοις ἀγγείοις τὸν οἶνον. *In* Margiana *ſæpe vitis truncum inveniri aſſerunt tanta craſſitudinis, ut duorum hominum ulnis vix ambiatur, uvam autem bicubitalem. Et* Ariam *huic eſſe parem, adeoque vini proventu ſuperiorem, quod in vaſis non picatis ad tres usque ætates duret.* Quæ ipſa libro undecimo ferè iisdem repetit verbis. Itaque in ſolo tam fertili nihil opus fuit, ut incolæ in corallio intra terræ viſcera quærendo ſe fatigarent. Et labor fuiſſet irritus, cum corallium non niſi in mari gignatur. Hinc de iisdem populis *Priſcianus* in *Dionyſii* Paraphraſi,

Curalii lapidem qui rubrum littore carpunt.

Quaſi corallium non effoderint è terra, ſed è mari eruerint. Sed repugnat locorum ſitus, cum *Aria* illa ſit prope *Paropaniſum*, & è mari remotiſſima. Neque verò eos corallium è mari petiiſſe tradit *Dionyſius*, ſed è terra, quæ illius ubique locorum fuerit fera. Verba ſunt,

Ἄλλον γάρ σφιν ἀνήρατον αἶα κομίζει,
Πάντῃ γὰρ λίθος ἐστὶν ἐρυθροῦ κουραλίοιο.

Alium ipſis cenſum perpetuum terra profert: ubique enim lapis eſt rubri coralli. Quod putidiſſimum eſt mendacium, quodque naturæ rerum ignaros viatores non tam de *Aria*, quàm de vicina *Margiana* confinxiſſe putaverim, occaſione ſumpta ex nomine, quia ad *Margianam* alludit مرجان *margian*, Arabicum coralli nomen. Hinc *Alkazuinius* بسد هو اصل المرجان Boſſad *eſt radix τοῦ margian, ſeu coralli*. Et *Benjamin* in *Itinerario*, בטראפנה ימצא אבן ההוריל הנקרא אלמרגאן, *Prope* Drepanum *reperitur coralli lapis* (Arabicè) *dictus margian*. In *Latino Serapione* capite centeſimo *mergen* ſcribitur. Neque remotum *margella* in *Gloſſis Philoxeni*, Κοράλλιον, *margella*. *Phœnices* igitur putaverim jam olim idem vocabulum pro corallio uſurpâſſe, & *Margianæ* nomen inde deduxiſſe. Quàm cum ad vicinam *Ariam* tanquam ejus partem referrent, inde factum eſſe, ut corallium in *Aria* fingerent ex ipſa terra erui. Neque mirum eſt fabulam in *Oriente* natam *Dionyſio* innotuiſſe. Quem in *Suſiana* genitum eſſe tradit *Plinius* libri ſexti capite vigeſimo ſeptimo, & ad commentanda omnia in *Orientem* ab *Auguſto* præmiſſum, ituro in *Armeniam* ad *Parthicas Arabicasque* res, majore filio.

Sequitur *Luciani* locus, quem quisquis attentè legerit, mendoſum eſſe fatebitur in voce κυράλια, cùm ea vox ad rem non faciat. In Oratione Περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων, aulicæ vitæ moleſtias graphicè depinxerat, & quàm ſit indignum docto homine, & liberaliter inſtituto, tenuis lucelli ſpe illectum, magnatibus operam ſuam addicere. Tamen idem jam ſenior in *Cæſaris* aulam ſe contulerat. Quod illi objiciens *Sabinus* quidam petit quot *Midæ*, quot *Crœſi*, quot *Pactoli* illi perſuaſerint, ut charâ illâ libertate, cui à pueris aſſueverat, abdicata ſe huc illuc trahendum ac raptandum præberet, καθάπερ ὑπὸ κλοιῷ τινι χρυσῷ τὸν αὐχένα δεθέντα, οἷα δὴ τῶν πλουσίων τὰ σφίγγια καὶ τὰ κυράλια, *ac ſi collum revinctum haberet aureo quodam collari, qualia ſunt delicatorum divitum monilia & corallia* (*id eſt monilia è corallio facta*.) Ita reddit Cl. *Bootius*, ſed, quod illius pace dixero, ineptiſſime. 1. Primò enim τὰ σφίγγια ſunt *ſphinges*, non *monilia*. 2. Et vel ſi monilia reddas, tamen τὰ σφίγγια, καὶ τὰ κυράλια non erunt *monilia ex corallio*, ſed *monilia & corallia*. 3. Præterea τοὺς πλουσίους *divites* inter *Romanos*, de quibus hic agitur, olim habuiſſe monilia corallina, merum ſomnium eſt, cùm ne monilia quidem habuerint. Monile enim muliebre fuit ornamentum, ut notat *Servius* in librum ſeptimum *Æneidos*. 4. Denique *Lucianus* ineptè diceretur aureo collari eſſe revinctus qualia ſunt divitum monilia corallina. Nam utut ponas divites habere monilia, tamen iis monilibus non dicentur eſſe *revincti*, quaſi captivi detinerentur. Nec monile coralli-num cum aureo collari tanquam ſimile conferri poteſt. Nihil enim eſt auro commune cum corallio. Itaq; *Bootius*, hunc *Luciani* locum intactum præterire debuiſſet potius quàm illi tam ridiculum ſenſum affingere, & verbis auctoris tam parùm conſonum. Sed fortaſſe pro τὰ κυράλια legendum τὰ παρδάλια, vel πορδάλια. Ut ſignificetur *Lucianus* aureâ catenâ eſſe revinctus, quomodo è ſimiarum genere ſphingia, & pardalia, ſeu pantheræ vinciri ſolent in opulentiorum ædibus. Sphingia dicimus cum *Plinio* libri ſexti capite vigeſimo nono, & τὰ παρδάλια vel πορδάλια cum *Philoſopho* libri ſecundi *Hiſtoriæ animalium* capite undecimo, & *Photio* in *Excerptis* ex *Philoſtrato*. Nobiliſſimus, atque idem doctiſſimus, mihique amiciſſimus *Dominus de Grentemeſnil* τὰ κυράλια mutat in τὰ κλωβάρια. Cui conjecturæ ſuffragium adderem libens, ſi caveis vincti detinerentur, de quo hic videtur agi. Pro τὰ σφίγγια καὶ τὰ κυράλια legebam olim τὰ ὀφίδια καὶ τὰ κολλάρια, *armillas & collaria, ſeu monilia*. Quaſi verborum hic eſſet ſenſus, *Lucianum* aureis vinculis detineri, qualia ſunt opulentiorum armillæ, & torques. Ὀφίδια propriè ſunt *anguiculi*, ſed & *armillæ anguium figuram habentes, quæque brachium in anguium modum circumplicant*. Ἐπικαρπίους ὄφεις vocat *Philoſtratus* in *Epiſtolis*. Et pluribus deſcribit *Nonnus* libro quinto, *Dionyſiac*. *Collarium* autem pro torque eſt *Romana* vox, quâ *Plautus*, *Lucilius*, & *Varro* uſi ſunt. Unde קולרין *kolarin*, vel קולריא *kolaraja*, *Chaldæis* & *Talmudicis*. Et *Græcis* κολλάριον. *Heſychius*, Κλοιὸς, τραχήλιος δεσμὸς, κολλάριον, ἤτοι μανιάκης. *Philoxenus* in *Gloſſis* Κολλάριον, *collarium*. *Ariſtophanis Scholiaſtes* ad *Veſpas* Κλοιὸς τὸ κολλάριον παρ' ἡμῖν λεγόμενον. Et in *Plutum*, Κύφων δὲ δεσμός ἐστι ξύλινος, ὃν οἱ πολλοὶ ὀνομάζουσιν, οἱ δὲ καλιὸν, lege κολλάριον. Itaque videbantur *Luciani* σφίγγια in ὀφίδια, & κυράλια in κολλάρια ſine crimine poſſe mutari, quia hæ voces ab invicem non multum abludunt. Sed jam diſplicet hæc conjectatio. 1. Quia divites torquatos & armillatos non reperio, niſi inter barbaros, de quibus hic agi nemo dixerit. Torquatus quidem fuit *Manlius* ſed peculiari de cauſa, quam nemo neſcit. Ita etiam nonnulli alii, non tamen opum, ſed virtutis cauſa torque donati. 2. Κολλάρια ad pœnam potiùs quàm ad ornatum pertinent. 3. Et vox erat ignota *Græcis* ævo *Luciani*, qui puriſſimè ſcripſit, neque ſolet *Latina* vocabula uſurpare. 4. Denique aurea vincula, quibus *Lucianus* detineri credebatur, conferri vix poſſunt cum armillis, & monilibus, à quibus non detinentur, qui illis utuntur ad ornatum. Hæc igitur conferri jam malo cum catenis aureis, quibus *Romani* Magnates ſphinges, & pardos devinciebant. Nam ad hæc quoque aurum adhibitum. Hinc de cervis *Martialis* libri primi *Epigrammate* 105.

Mordent aurea quod lupata cervi

Et *Ovidius* de cervo quem occidit *Cypariſſus Metamorphoſeus* libro decimo,

Pendebant tereti gemmata monilia collo.

Et

Et *Plinius* lib. 8. cap. 32. *Viſa cervis in confeſſo longa, poſt centum annos aliquibus captis cum torquibus aureis.* Proinde ſphinges quoque, & pardos catenis aureis devinctos fuiſſe credibile eſt. Quo facit, quod ex *Philoſtrato* refert *Photius*, act. 241. ἁλῶναί ποτε ἐν Παμφυλίᾳ πορδάλιον στρεπτῷ ἅμα, ὃν περὶ τῇ δέρῃ ἔφερε χρυσοῦν δῆλον, καὶ ἐπιγέγραπτο Ἀρμενίοις γράμμασιν, βασιλεὺς Ἀρσάκης θεῷ Νυσίῳ. *Aliquando in* Pamphylia *captum fuiſſe pordalium*, (id eſt, *pantherum*, ſeu *pardum*) *aureum torquem circa collum habentem*, Armeniis *literis ita inſcriptum*, *Rex Arſaces Deo Nyſæo.* Tamen ſi quis aliud vero ſimilius proferat, illud libenter amplectar. Modò id concedatur, quod ut rem certam aſſero, vocem κυράλια in *Luciano* eſſe corruptam, ac proinde nihil ex ea de corallio poſſe elici.

Nec multo plus virium in eo, quod apud *Virgilium* adhuc pueriliter balbutientem in *Ciri* ſic loquitur *Niſi* filia,

Non me deliciis commovit regia dives
Corallio fragili, & lacrymoſo movit electro.

Unde perperam colligit *Bootius* regales opes tum corallio & electro potiſſimum conſtitiſſe. Neque enim de magno Rege ibi agitur, ſed de *Niſo Megarorum*, id eſt, oppidi Regulo in aſpero loco ſiti. Nempe cum quatuor *Pandionis* filiorum minimus fuerit *Niſus*, illi quatuor *Atticæ* partium ceſſit peſſima. Hinc de *Pandione Sophocles* apud *Strabonem* libro nono.

Νῖσος δὲ τὴν ἀνέμαλον ἐξαιρεῖ χθόνα
Σκείρωνος ἀκτῆς. ———

Ἀνέμαλον, id eſt, τραχεῖαν. Ità eſt in *Heſychio.* Itaque vult *Pandionem*, *Niſo* aſperrimam regionis partem aſſignâſſe, *Scironis* ſcilicet littoreas petras. Proinde *Virgilius* decorum ſervat, cum hujuſmodi regulo pro auro, gemmis, & margaritis, non aliud quidquam in cimeliis tribuit, quam corallium, & electrum. *Electrum*, inquam, *Lacrymoſum*, id eſt, ſuccinum, quod è lacrymis ſororum *Phaëtontis* ortum eſſe fabulantur. Ne quis hic aliud electrum ſibi fingat auro ſimile, eoque adeo pretioſius. Quidni igitur *Bootii* argumentum [illegible] ſic invertere liceat, atque in ipſum retorquere? *Niſum Megaræ* Regulum multo corallio, atque electro divitem facit *Poeta.* Ergo ex *Poeta* mente corallium, & electrum, magni non erant pretii tum temporis. Alioqui *Niſi* regiam non ſcripſiſſet his abundâſſe.

Senſit ipſe *Bootius* parum eſſe ponderis in iis argumentis. Quibus hactenus uſus eſt. Proinde ultimum ut palmarium cum hac præfatione proponit. *Utut ſit de* Occidente, *& ſi quis contendat his teſtimoniis doceri quidem corallium in pretio fuiſſe, non tamen inter pretioſiſſima habitum.* *De* Oriente *tamen res eſt plana ex* Plinio, *qui ſcribit ità.* *Quantum apud nos* Indicis *margaritis pretium eſt, tantum apud* Indos *in corallio.* Unde paulò pòſt colligit: *Nihil autem impedit, quod de una* Orientis *gente* Plinius *narrat, id de aliis quoque ejuſdem plagæ populis ſuſpicari.* Itaque tota hæc argumentationum moles tandem in ſuſpicionem deſinit, eamque prorſus abſurdam. In *Jobo*, & *Solomone*, quorum hic *Judæus*, ille *Idumæus* fuit, *peninim* ſæpe cenſentur inter res pretioſiſſimas. Proinde *Bootio*, cui *peninim* ſunt corallia, hoc probandum incumbebat, corallium in *Judæa*, & *Idumæa* fuiſſe pretioſiſſimum. Sed is de cepis interrogatus, reſpondet de alliis. Pro *Judæa*, & *Idumæa*, *Indiam* profert inde diſſitam ſenis circiter milliarium millibus. At *Judæa*, & *India*, inquit, ſunt ejuſdem plagæ, quia ſcilicet noſtro reſpectu utraque eſt ad *Orientem.* Ac proinde quod de *India* ſcripſit *Plinius*, id de *Judæa* quoque ſuſpicari poſſumus. Sic nobis qui *Cadomi* ſumus, *Belgæ*, & *Seres*, erunt ejuſdem plagæ populi. Utriſque enim noſtri reſpectu ad *Orientem* eſt ſedes. Et de *Seribus* ſi quid dicatur, id ſuſpicari poterimus *Belgis* etiam convenire. Hæc homini alioqui docto potuiſſe excidere quis credat, qui non legerit? Sed ut preſſius agamus, ſi non in *India* ſolum, ſed in toto *Oriente*, id eſt, in *Aſia* univerſa, quomodo *Orientis* nomen hic uſurpare videtur *Bootius*, idem corallio pretium fuit, quod apud nos margaritis, cur hoc obſervavit *Plinius* de ſolis *Indis*?

Dic aliquem, ſodes, dic, Quintiliane *colorem.*

An *Plinium* id latuiſſe dices, qui libro primo auctores plus quinquaginta recenſet, ex quibus *Aſiæ* deſcriptionem ſe petiiſſe profitetur, qualis habetur libris quinto & ſexto? Sed *Judæam* imprimis certum eſt ei fuiſſe notiſſimam, cum trium *Veſpaſianorum* Hiſtoriam ſcripſerit, nempe patris, & filiorum, *Titi*, & *Domitiani*, quorum ille ab excidio *Judææ* tantum nominis conſecutus eſt. Itaque ſi vel in tota *Aſia*, vel in *Judæa* ſaltem multò carius veniſſet corallium quam apud *Europæos*, & margaritarum precium exæquaſſet, neque id neſciviſſet *Plinius*, neque intactum præteriiſſet, quo loco narravit, quanti fieret in *India.* Præterea cum corallium in mari *Mediterraneo* paſſim reperiatur, in *Gallico* ſinu circa *Stœchadas* inſulas, in *Etruſco* apud *Graviſcas*, in *Campano* ante *Neapolim*, in *Siculo* circa *Heliam* & *Drepanum*, & *Pachynum* promontorium in *Africano* circa *Erythra.* Quam cauſam ſibi finget *Bootius*, cur in *Judæa*, quæ mari *Mediterraneo* vicina eſt, corallium longe pluris venerit quam apud alios ejuſdem maris accolas? Maximè cum corallii proventus nullibi terrarum ſit tantus, quam circa *Siciliam* inſulam. Eam autem jam indè ab heroicis temporibus, id eſt, diu antè *Solomonem*, vicinos *Judææ Tyrios* tenuiſſe alibi probavimus. At in *India* corallium eſt rara merx, atque ob id ipſum cara. *Gignitur quidem & in Rubro mari*, inquit *Plinius*, *item in* Perſico *vocatur jace*, aut *jacem* potiùs, ut quidem puto, nempe ob id ipſum quod eſt nigrius. Nam אכם *acam*, *Chaldæis nigrum* eſſe ſonat, unde *jacem*, præfixo *jod* formativo nominis. Sed M periit, ut in *Maria* pro *Mariam*, & *Gehenna* pro *Gehinnom.* Et quia corallium illud nigrius, ita etiam vilius eſt. Proinde in *Rubri* maris *Muſam*, & in *Arabiæ Fœlicis* metropolim, Sabbatha, corallium ex *Ægypto* deferebatur, nempe ut *Arabici* littoris corallio pretioſius. Ità teſtatur *Arrianus* in *Periplo.* Idem corallii meminit ad *Barbaricum* emporium allati in *Sinthi* ſeu *Indi* amnis faucibus ſitum. Ex *Ægypto* ſcilicet, ut videtur, æquè ac in *Arabiam.* Itaque corallium ex tam diſſitis oris cum periculo exportatum non potuit non eſſe carum. Præcipuè, cum nauticâ pyxide nondum repertâ, neque tam faciles fuerint, neque etiam ità frequentes longinquæ illæ navigationes. Unde eſt quod corallium apud *Indos* in ſummâ caritate fuit uſque ad ætatm *Pauli* Veneti, qui de *India* provincia *Tebeth* (*Arabicè* التبت) hæc ſcribit navigationis libri ſecundi capite trigeſimo. (a) *Utuntur ibi corallio pro moneta. Nam eſt is lapis apud eos in magno precio. Et omnes fœminæ eum collo deferunt; Appendunique quaſi rem pretioſam ad colla idolorum.* At poſtquam reperta pyxis, maria illa nobis aperuit; corallium etiam in *India* paulatim cœpit vileſcere. Saltem de immani illo coralli apud *Indos* pretio nihil ſcribunt, quod meminerim, recentes navigatores. Nempe augetur, aut minuitur mercium pretium, non ſolum pro locorum, unde afferuntur diſtantiâ vel vicinia, ſed etiam prout in exportatione plus vel minus eſt laboris & periculi. Quæ cum ſatis clara ſint, conabor tamen illuſtrare exemplo non abſimili. Quamdiu apud *Caſandres* (populos *Sabæis* vicinos in *Arabia* Fœlici) rara fuit navigatio, aurum ibi tam vile fuit, & reliqua metalla tam pretioſa, ut ferro duplum, æri triplum, argento decuplum auri rependerent. Ità teſtantur *Agatharchides* libri quinti capite quadrageſimo quarto. Et *Artemidorus*

(a) *Vide Geogr. Nub. Clim. 3. Part. 9.*

apud *Strabonem* libro decimo ſexto, ut à nobis reſtitutus eſt in noſtro *Phaleg* libri ſecundi capite vigeſimo ſeptimo. Jam finget ibi aliquem eſſe tam ineptum, ut ex his locis contendat aurum in tota *Aſia* fuiſſe metallorum omnium viliſſimum, tali argumento uſus. *In Oriente aurum fuit vilius ferro & ære. Ita enim res ſe habuit apud* Caſandres, *ut auctores ſunt* Agatharchides & Strabo. *Nihil autem impedit, quominus quod illi narrant de una Orientis gente, id de aliis quoque ejusdem plagæ populis, id eſt, de* Aſiaticis *omnibus ſuſpicemur.* Quis ſic argumentantem aut argutantem potius ferat? Tamen hoc argumentum *Bootii* argumento geminum eſt, neque ovum ovo ſimilius.

Quædam apud eundem ſequuntur de corallii viribus, quibus multo plura addidiſſet, ſi in ſuppoſititio Orphei libro de lapidibus legiſſet veterum nugas de corallio. Harum initium tale eſt:

Ἴσθι δ' ἀμαλδύνειν σκορπιήϊα κέντρα δυνάσθαι,
Καὶ Περσηΐδαο μένος μέγα κουραλίοιο.
Ἠδὲ παλαμναίην ἀνεμώλιον ἀσπίδα θεῖναι.

Scito etiam Perſeidæ (id eſt, à *Perſeo* orti juxta fabulam) *magnam virtutem corallii mederi poſſe ſcorpionis aculeis, & perniciosam aſpidem irritam reddere.* Pro quo Latinus interpres *Helleniſmi* prorſus ignarus: *Scias verò molliri ſcorpionis aculeos poſſe. Etenim cnidas magnum robur corallii, &* Palamneam *ventoſum clypeum ponere.* Ex quo ſpecimine judica de reliquis verſibus plus centum in corallii laudes, quos barbarus interpres ità detorſit ut ne micam quidem in iis reliquerit boni ſenſus. Obiter nota hæc ibi legi:

Καὶ πολιὴν νηρῆα κυκώμενον ἐξυπαλύξαι
Ἐσθλὴ κουραλίοιο βίη θνητοῖσιν ἔασι

Etiam canum mare concitatum effugere dat mortalibus bona corallii vis. Unde *Plinius* libri trigeſimi ſeptimi capite decimo, *Gorgonia nihil aliud eſt quam corallium: Nominis cauſa quod in duritiem lapidis mutatur, emollit maria,* &c. Itaque hæc verba, *emollit maria,* fruſtra ſollicitat vir magnus in Solinum paginâ 90. & ſcribi vult *è molli marina*, ſenſu obſcuro aut nullo verius. Quaſi ſit ridiculum hanc vim tribui corallio ut maria emolliat, quia nunquam non mollia & pacata eſſent in locis in quibus provenit. At Orpheum ſi legeris multa huic tribui reperies longe abſurdiora. Amuletum enim eſſe dicitur contra bellicam haſtam, & piratas, & venena, & execrationes, & odia, & incantationes, & peſtem, & ſiccitatem, & grandinem, & fulmen, & vermes, & erucas, & rubiginem, & mures, & locuſtas, & quid non? Quale illud *Pomarii* ubi ſupra ואומרים שכל מי שישא בצוארו האדום השדים אינם יכולים להזיק אליו, *Quisquis rubrum corallium in collo geſtat, ei dæmones poſſe nocere negant.* Sed corallii vires ſive veras ſive fictas hic non quærimus. Solum agitur de pretio, quod infra margaritas tantum ſubſidit, ut duorum Cleopatræ unionum pretium facilè potuerit ſufficere ad comparandum corallii quantum ſatis ſit onerandis aliquot navibus. Rem ita definit alius *Bootius Rudolphi* Imperatoris medicus, qui gemmarum & lapidum hiſtoriam accuratè ſcripſit: *Fragmenta corallii ad medicum uſum ſi rubeant, ac quisquiliis careant, ſi libram pendent, thalero venduntur.* Hæc ille libri ſecundi capite centeſimo quinquageſimo quinto. An lapidi tam vili locus inter pretioſiſſima dari queat, judicabit cordatus lector.

CAPUT OCTAVUM.

Eſther. I *v.* 6. דר *dar*, margaritam eſſe probatur & pleroſque veteres ita interpretari.

Ibi דר dar, *non eſſe habitationem, ſed lapidis genus.* דרא dara, *lapis* Talmudicis *qui lucem infert cœnaculo, non eſt carbunculus, ſed lychnis vel lychnites. Lychnis in templo* Syriæ *Deæ. In cœlo lychnitæ duo. Lychnites in nido ciconiæ.* Pſellus *emendatus. Idem lapis pro face* Tyri *Regi. Et in corona Imperatorum Orientis. Orphanum vocant recentiores. In libro* Eſther *non eſt lychnis, ſed margarita. In* Midras *ità ſumi. In* Chaldæa *Paraphraſi* דורא dura, *id ipſum eſſe.* دور Arabicè *circumire. Multa ex eo verbo voces derivatæ, etiam* Hebraicæ. *In his* Eſ. 22. v. 18. & 29. v. 3. כדור, *id eſt,* ſicut pila, *vel* ſicut orbis. *Dic homines ut pilas habent.* Jeruſalem *à* Romanis *corona cincta & indagine.* Caph *in* כדור *ſervile eſſe, non radicale, ut volunt. Margarita* Hebræis דר dar, *&* Chaldæis דורא dura, *quia rotunda.* Hebræum דר dar, *a* Græcis *non reddi* πάριον λίθον, *ut putat, ſed* πίννινον*. id eſt margaritam. Juriſconſultis margaritam è cenſu lapidum eximi. Tamen alii aliter. In animalibus multi lapides. Margarita concha nucleus, callus, verruca, officinis non vocatur niſi impropriè. Margarita lapis eſt* Hebræis, Arabibus *&* Græcis. *Recentioribus* λιθομάργαρον. Romanis *etiam Poetis, Hiſtoricis & Philoſophis. Margaritas in pavimento ſterni res videbitur ſine exemplo. Fabula* Mileſiæ *de palatio* Pſyches. *Quo ſenſu* Romanæ *mulieres dicantur margaritas calcaſſe.* Perſarum *luxus & opes. Regia* Suſis *&* Ecbatanis *quales.* Atoſſæ χρυσεόστιλβοι δόμοι. *Alibi ſimilis luxus. Templum Solis in* India *margaritis ſtratum.* Babylone Beli *Regia auro tecta & ſtrata.* Feſtus *emendatus. In privatorum ædibus in* Arabia, *gemma parietibus agglutinata. In his* cholam *ſmaragdi genus. Ebimopis palatium in Colchide.* Romæ *Muſea & cubicula ex margaritis.* Pompeji, Neronis, Domitiani, Heliogabali *luxus. Terra, ſcobe auri & auroſa arenâ ſtrata.* Baſilii Macedonis *templa argento, auro, gemmis & margaritis diſtincta.* Prov. 25. v. 12. חלי *non eſt margaritum, ſed quidquid ad muliebrem mundum pertinet, etiam* Arabicè. *Quandoque latius ſumitur pro quovis ornatu in veſtibus. Quam hic fluctuent interpretes. Sapientia margaritis in Scriptura ſæpe confertur aut præfertur. Regnum cœlorum, id eſt, Evangelium, quomodo margaritæ ſimile. Margaritæ ex remotis locis, & eas commendant candor, lævor, ſoliditas, vires abditæ, ſplendor, ornatus, pretium, quæ omnia in Evangelio. Margaritarum pretium barbaris ignotum, nec eæ porcis abjiciendæ.*

SUpereſt ut dicamus de nomine דר *dar*, quo margaritam ſignificari contendimus *Eſth.* I. *v.* 6. ubi in *Aſſueri* convivio lectos aureos & argenteos fuiſſe narratur על רצפת בהט ושש ודר וסחרת, *ſuper pavimentum bahat & ſes & dar & ſochereth.* Nempe ſeries ipſa docet lapidum hæc eſſe nomina, quibus ſtratum fuerit atrium palatii

latii. Atque eos toto cœlo errare (*Fullerum* dico in *Miſcellaneis* libri quinti capite ſexto, poſt *Junium* & *Tremellium*) qui סוחרת *ſochereth*, hic ambitum, & דר *dar*, habitationem reddunt, aut ſolum, aut atrium. Certè quatuor hæc nomina בהט ושש ודר וסוחרת, *bahat & ſes & dar & ſochereth*, in eadem ſerie orationis ità cohærent, ut ſine piaculo non poſſint à ſe mutuo divelli, ut pars eorum in alium ſenſum trahatur. Itaque ut בהט *bahat*, שש *ſes*, lapidum eſſe nomina quibus ſtratum fuit *Aſſueri* atrium, convenit inter omnes; idem de דר *dar*, & סוחרת *ſochereth* fateri neceſſe eſt. Sed harum vocum ignoratio viros alioqui doctiſſimos in errorem egit transverſos. Cum enim nuſquam legiſſent דר *dar*, & סוחרת *ſochereth*, pro lapidibus haberi, diverſa interpretamenta, & ab hoc loco aliena coacti ſunt operosè conquirere. Quo exemplo quidam veterum ex iis ipſis vocibus fecerant *κύκλῳ ῥόδα πεπασμένα*, id eſt, *roſas in circuitu ſparſas* Ac ſi legiſſent ורד בסוחרת *roſam in circuitu* pro ודר וסוחרת ut à *Fullero* rectè notatum eſt. Ex cujus obſervatione ſi profeciſſet *Nobilius*, hæc verba ex editione τῶν ἑβδομήκοντα à Complutenſibus rectè eraſa non iterum inſulciſſet in textum. Maneat ergo hoc ratum, בהט *bahat*, & שש *ſes*, ità דר *dar*, & סוחרת *ſochereth*, eſſe genera lapidum. Sed qualium definire, hoc opus, hic labor eſt. Nos conabimur docere quid nomine דר *dar* hoc loco ſignificetur.

Dar lapidem *Darium* Munſterus interpretatur, quod nomen ut ab eo confictum alii interpretes meritò rejecerunt. Multi recentiorum pro *Dario Parium* ſcribunt, qui ſe putant LXX interpretum auctoritate niti. In ea ſententia ſunt *Pagninus*, & *Mercerus*, & uterque *Buxtorfius*, viri quanti & quales, quos tamen graviter falli poſtmodum docebitur. Duplicato errore multi (a) *Alabaſtritem* reddunt, quaſi *Alabaſtrites* ſit idem cum *Pario*, cum hæc ſint genera marmoris longè diverſiſſima. *Parium* ex *Paro* inſula, *Cycladum* una, effoditur. *Alabaſtrites* ex *Alabaſtro* urbe non procul à *Thebis Ægyptiis*. *Parium* eſt candidiſſimum, *Alabaſtrites*, vel mellei coloris, vel candidi, ſed maculoſi, & variis coloribus interſtincti, quamvis in eo candidus color pro vitio habeatur. *Strabo* libro duodecimo, *Alabaſtritem* confert cum *Synnadico*, ſeu *Phrygio* marmore κατὰ τὴν ποικιλίαν. Neque alia ratio eſt cur à *Dioſcoride* libro quinto vocetur *onyx*, quam quia colorum eadem eſt in utroque varietas.

(a) Theophr. lib. de lapidibus. Plin. lib. 36. cap. 1. & lib. 37. cap. 10. Iſid. Orig. lib. 16. cap. 5.

In tractatu *Megilla* cap. 1. fol. 12. 2. *Talmudici* de lapide דר *dar*, ſuo more nugantur, potius quam explicant qualis fuerit. Verba ſunt רב אמר דרי דרי ושמואל אמר אבן טובה יש בכרכי הים ודרא שמה הושיבה באמצע סעודה ומאירה להם רבי ישמעאל תנא שקרא דרור לכל בעלי סחורה Rab *dixit vocari* dar *quaſi* דרי דרי *dare, dare* (id eſt, ordines, ordines; quia per certas lineas digeritur) Samuel *dixit lapidem eſſe pretioſum* dara *nomine in maritimis arcibus, qui ſi in medio cœnaculo conſtituatur, lucem præbet accumbentibus* (Addit *Gloſſa* כצהרים *tanquam in pleno meridie*) R. Iſmaël dar *vocari, quaſi proclamet* דרור *deror*, id eſt, *libertatem omnibus mercatoribus*. Nempe להעביר מהן מכס של סוחרין, *ut à mercatorum vectigalibus liberi ſint*, ut habetur in *Gloſſa*.

Cum in *Kimchii Lexico* hæc ex parte legiſſet *Cl. Fullerus*, ex eo quod lapis ille in medio cœnaculo poſitus convivis omnibus lucem præbere dicitur, collegit eſſe carbunculum à ſimilitudine ignium ſic appellatum. Quod mihi non fit veriſimile, quia proclive fuiſſet *Talmudicis*, ſi carbunculum innuere voluiſſent, eum proprio nomine deſignare, ſive illud ſit אדם à rubedine, aut אקדח ab ardore. Neque ferenda ſit hyperbole de carbunculo lapide notiſſimo, ut lumine ſuo dicatur totum implere cubiculum. Itaque ſi quid veri lateat in hoc commento, malim ad *lychnitem* vel *lychnin* referre, de quo his gemina ſcribunt veteres. *Lucianus* in *Syria Dea*: λίθον ἐπὶ τῇ κεφαλῇ φορέει, λυχνὶς καλέεται. οὔνομα δὲ οἱ τοῦ ἔργου ἡ συντυχίη. ἀπὸ τούτου ἐν νυκτὶ σέλας πολλὸν ἀπολάμπεται. ὑπὸ δέ οἱ καὶ ὁ νηὸς ἅπας οἷον ὑπὸ λύχνοισι φαείνεται. ἐν ἡμέρῃ δὲ τὸ μὲν φέγγος ἀσθενέει. ἰδέην δὲ ἔχει κάρτα πυρώδεα, *Gemmam in capite gerit quæ lychnis vocatur. Nomen autem ex effectu ſortita eſt. Ab ea enim noctu multus fulgor coruſcat, unde tota ædes tanquam lucernis collucet. Splendor autem interdiu hebetatur. Speciem habet valde igneam.* *Dionyſius Periegetes* verſu 329.

—— λυχνίς τε πυρὸς φλογὶ παμφανόωσα.

Quod *Priſcianus* ita reddidit

Et flammæ ſimilis ſplendenti lumine lychnis.

Plinius libri trigeſimi ſeptimi capite ſeptimo. *Ex eodem genere ardentium lichnites appellata à lucernarum accenſarum præcipua gratia.* *Piſidas* de mundi opificio, poſtquam aerem vel cœlum potius ſtellis tanquam margaritis ornatum eſſe dixit, addit

Ἔχει δὲ πρὸς τὰ στέρνα λυχνίτην ἕνα,
Ὡς πῦρ ἀστράπτοντα πρὸς τὴν ἡμέραν.
Ἄλλον δὲ λευκόπυρσον, ὡς πρὸς τοὺς πόδας,
Δεικνῦντα λευκὴν πανταχοῦ τὴν ἑσπέραν.

Habet ad pectus lychnitem unum, qui ut ignis fulget ad diem, & lychnitem alium albâ face tanquam ad pedes, qui albam veſperam ubique oſtendit, id eſt, illuſtrat. Solem & Lunam intelligi patet, quaſi ſint in cœlo tanquam lychnitæ in cœnaculo, ille ut lumen diurnum, hic ut nocturnum inferat. *Philoſtratus* in *Apollonio* libri ſecundi capite ſeptimo ciconiam ſcribit, lychnitem in nidum ſuum tanquam facem inferre. Proinde nullum dubium eſt quin de hoc eodem lapide ſit accipiendum quod ab *Æliano* narratur *Hiſtoriæ* libri octavi capite vigeſimo ſecundo, ciconiam cujus crus fractum *Tarentina* mulier obligaverat & ſanaverat, accepti beneficii memorem, anno ſequente in ejus ſinum lapidem conjeciſſe, cujus fulgore noctu ſplendebat domus, ὡς εἰσκομισθείσης δᾳδὸς, *tanquam illata face*. In *Pſelli* libro de lapidibus, neſcitur quid ſibi velint hæc de eodem lapide: Ὁ λυχνίτης, ἔστι δὲ νυκτάλωπος, *Lychnites, eſt autem luſcitioſi*. Et *Cl. Mauſſacus* legi vult, ἔστι δὲ νυκτάλωψ, *Eſt autem luſcitioſus*. Utrumque nullo ſenſu. Sed meo periculo reſcribe νυκταλωτὸς. Ut ſenſus ſit hunc lapidem noctu capi ſeu colligi, quia cum noctu multum luceat, ad diei lumen hebeſcit, ut ex *Luciano* didicimus, ac proinde non reperitur. Videtur de hoc ipſo lapide cogitâſſe *Kimchius*, cum ſcripſit ad *Ezek.* 28. *v.* 14. *Tyri* Regem noctu ambulâſſe בתוך אבנים יקרות אבני אקדח מאירות כאש שהיו מוליכים לפניו במקום נרות להאיר בלילה. *in medio gemmarum & lapidum ardentium, ac ignis inſtar fulgentium, quos ante eum deferebant, ut loco facium eſſent, & noctu lumen præſtarent.* Nec alio referenda quæ de corona Imperatoris in palatio *Blachernis*, & gemmis in ea fulgentibus tradit *Benjamin Itinerar.* pag. vigeſima ſexta, בלילה אין צרכם שם נרות כי הכל רואים מאור המרגליות אשר מאירים להם עד מאד, *Ibi nocte lucernis nihil opus eſt, quia omnibus eſt conſpicuus gemmarum fulgor quæ multum lucis iis præbent.* *Barbari* ſcriptores hunc eundem lapidem orphanum vocant. *Pandectarius* ex *Alberto*, qui ex *Evace*: *Lapis orphanus eſt ille qui in corona* Romani *Imperatoris, non unquam alibi, viſus eſt, propter quod orphanus vocatur*, &c. *Eſt autem lapis perlucidus; Et traditur quod aliquando in nocte fulſit: Sed nunc non micat in tenebris.* *Cardanus* in libro de gemmis: Orphanus *colore purpureo adeo eximio ut referant parem non inventum: Lucet autem in tenebris. Hodie haberi à regibus* Camanæ, *emporii* Indiæ *extra* Gangem, *quam urbem nunc* Calechutam *vocant, dicitur à pluribus.*

ribus. *Honores regios eo ſervari putant. Sunt qui pyropum eſſe velint. Alii album radios igneos emittentem*, &c. Alii opali ſpeciem eſſe volunt. *Talmudicus*, ut jam docuimus, דרא *dara*, dicitur. Sed hunc lapidem nomine דר *dar*, in libro *Eſther* ſignificari non eſt vero conſentaneum, quia lapis hâc vi præditus pedibus non ſupponitur in pavimento, ſed laquearibus ſurſum inſeritur, ut inde lumen undiquaque diffundat. Proinde ad *lychnum* poteſt accommodari, quod λύχνον dicit *Chriſtus* non poni ſub modio, ſed in candelabrum, ut luceat omnibus qui ſunt in domo, *Matth.* 5. *v.* 15. Et quod de lychnis dixit *Poeta*,

——— *dependunt lychni laquearibus aureis.*

Itaque nos aliter ſentimus, nempe, דר *dar*, eſſe margaritam vel unionem. Quam interpretationem noſtro ſæculo miror nemini in mentem veniſſe, cum in ea confirmanda cum hodierno uſu *Arabum* conſpiret veterum interpretum fides. Quæ ſingula ut probemus, à *Chaldæo* libet ordiri, in quo pro דר *dar*, hic habetur דורא דכרכי ימא רבא, *Dura, quæ defertur ex arcibus maris magni. Dura*, id eſt, margarita, quod ne gratis dici putetur, in *Midras Eſther* ad verbum דר *dar*, hæc habentur אמר רב הונא אתר דצווחין למרגלית דורה, *Dixit* Rab Huna *locum eſſe in quo margarita vocatur* Dura. Et aliquanto ante אמר רב נחמן בא וראה שלוה של אותו רשע מה היא שהיה ביתו רצוף באבני טובות ומרגליות, *Dixit* R. Nachman, *veni & vide quam proſpere res ceſſerint huic impio, cujus domus ſtrata fuit lapidibus pretioſis & margaritis.* Item, רבי ניסא דקיסרי אמר למרגלית שהיא אהובה על בעלה Rabbi Niſa *Cæſarienſis dixit margaritam hâc voce ſignificari, quia chara eſt Domino ſuo.* Nempe *R. Niſa* דד *dad*, pro דר *dar*, legerat in Sacro Textu, vel in *Thargum* דודא *duda*, pro דורא *dura*, quaſi ad דוד *dod*, alluderet, quod amorem ſignificat. Sequitur רבי יוחנן אמר למרגלית שמוצאה את בעלה לחירות הדא הוא דאמר וקראתם דרור, Rabbi Jochanan *dixit ſignificari margaritam, quia Dominum ſuum in libertatem vindicat. Nempe dicitur* Lev. 25. v. 10. *Et proclamabitis* דרור *deror*, id eſt, *libertatem*. Quaſi דר *dar*, ad דרור *deror*, alludat. Ita Magiſtri in libro *Midras* pervetuſto. Et vero voce דורא *dura*, *Chaldæum* interpretem margaritam ſignificaſſe ipſius verba palam docent, quibus margaritarum emporiis ut proprium locum aſſignat כרכי ימא רבא, *arces*, vel *urbes, munitas maris magni*. Id enim margaritis peculiare eſt in omni genere lapidum, ut in mari naſcantur, ac proinde deferantur ex maritimis locis. Cum alii lapides, ſi ex τοῖς αἰγιαλοῖς deferantur, ut ſæpe fit, tamen hoc in eorum deſcriptione ponere ſit valde ridiculum, cum ex mari deferri res ſit illis merè accidentaria. Itaque etiam *Serapion Arabs* cap. 397. margaritas definit *lapides qui deferuntur ex maritimis.* Neque fruſtra *Chaldæus* arcium meminit, aut munitarum urbium ad mare magnum. Nam ubicunque frequens erat margaritarum piſcatio in *Arabico* littore aut Indico ad Oceanum, ibi arces & munimenta extruere moris erat, ut piſcatio tutior eſſet, neve in merces tam pretioſas ſubinde involarent homines mortalium omnium rapaciſſimi. Hinc in *Ptolemæo*. Σύαγρος, ἄκρα Σαχαλιτῶν ἐν τῷ Σαχαλίτῃ κόλπῳ, ἐν ᾧ κολύμβησις πινικοῦ. Item: Κομάρεια ἄκρα καὶ πόλις Καρίων ἐν κόλπῳ Κολχικῷ ἐν ᾧ κολύμβησις πινικοῦ. Ergo *Syagrus* & *Comaria* erant כרכי ימא רבא, arces vel urbes munitæ maris magni, id eſt, Oceani, unde margaritæ deferebantur. Talium ſæpe meminit *Arrianus* in *Periplo*. In his fuere *Omana* & *Barygaza*, & in inſulis *Salina* & *Hepiodorus*.

Sed ut conſtet planius vocibus דר *dar*, & דורא *dura*, margaritam ſignificari, earum origo eſt aperienda, quæ *Hebræorum* doctiſſimos fugit hactenus, abſit invidia dicto. *Arabicè*, دور velut ſcribitur, دار *dara*, in prima conjugat. eſt *circumire*: In ſecunda *vertere, in orbem agere*; In tertia *cum alio obire & circumire*: In quarta & octava *ambire*: In quinta *verti*: In decimâ *rotundare*. In Sacris Paraphraſibus ferè reſpondet hoc verbum *Hebræo* סבב, & גלגל, & הקיף; Et *Græco*, κυκλοῦν, στρέφειν, περιάγειν. Hinc دور *daur*, orbis, & circuitus, & quicquid rotundum eſt. Sic in *Exodo* paſſim بدور in circuitu, *Hebraicè* סביב. In *Geographo Nubienſi* دور الجزيرة *ambitus inſulæ*. In *Alcamus* دور السكة *tornus monetæ*, Gallus *moulinet* (unde *Græcum* Τόρνος videtur poſſe deduci.) دايرة *daira* circulus, دوار *davvar* vertigo, تدوير *thadvvir*, revolutio, دوران *davvaran*, circumductio, استدار *iſthidar*, ambitus, مستدير *muſthadir*, rotundus. Quæ voces in *Euclide, Arabe & Mathematicorum* libris frequentiſſime occurrunt. Indidem *Hebræis*, & *Chaldæis* vocibus multis origo eſt. Ità דור *dur*, habitare eſt, quia rotundæ fuerunt primæ habitationes. Proinde urbs ab orbe dicta, & πόλις ἀπὸ τοῦ πολεῖν. Item דור *dur*, & מדורה *medura*, rogus, lignorum ſtrues rotunda. *Dan.* 3, *v.* 1. דורא *dura*, loci nomen, *Seniores Hieronymo* teſte περίβολον reddiderant, דור *dor*, eſt generatio ſeu periodus annorum intra quos circumſcribitur humanæ vitæ terminus. Sic *Arabicè* in Epiſtola *Ignatii* ad *Scaligerum* دولاب كمل الدور Cyclus *implevit periodum*. Et *Exod.* 34. *v.* 22. in *Erpeniana* Paraphraſi, تدوير السنة *anni revolutio*, Hebræis, תקופת השנה. Geminatis radicalibus דרדר *dardar*, tribulus vocatur propter ſemen rotundum in rotunda ſiliqua latens, de quo *Theophraſtus Hiſt.* lib. 6. cap. 5. in Talmudico tractatu *kelim*, cap. 15. דרדור עגלה, *dardur*, ſeu cupa vini *rotunda*. Sed & דור *dur*, pro pila & circulo extat in *Eſaia* duobus locis præfixo *caph* ſimilitudinis, primus eſt, *Eſ.* 22, 18. *Volvendo volutabit volutatione* Dominus, כדור, *ſicut dur*, id eſt, *ſicut pilam ad terram latam ſpatiis*, ibi ſcilicet כדור, idem eſt ac כגלגל, in locis parallelis. Sic *Pſal.* 83. *v.* 14. *Deus mi pone eos* כגלגל, *ſicut pilam, ſicut ſtipulam coram vento.* Et *Eſ.* 17. *v.* 13. *Agitabitur ut gluma montium coram vento*, וכגלגל, *& ſicut pila coram turbine.* Huc pertinet ſcitum vetus, (*b*) quo Dii dicuntur homines habere quaſi pilas, quia, (*b*) *Plaut. Prolog. capt.*

Res Deus noſtras celeri citatas
Turbine verſat.

In altero *Eſaiæ* loco capitis vigeſimi noni verſu tertio, Deus Hieroſolymam vel à *Babyloniis*, vel à *Romanis*, nutu & impulſu ſuo obſidendam ità prædicit וחניתי כדור עליך, *Et caſtra metabor velut orbis* (id eſt in orbem) *contra te*. Quia cinguntur obſeſſæ urbes, velut coronâ & indagine. Quo malo tum potiſſimum laboravit urbs maledicta, (*c*) cum *Romani* primo aggeres circa urbem, mox murum ædificarunt ſtadiorum undequadraginta, ne civibus qui fame preſſi ex urbe dilabebantur, ullus pateret exitus. Murus ille à *Chaldæo* interprete alicubi appellatur שור סקף, *murus ambiens*, à *Joſepho* περίβολος. In illo caſtella erant tredecim, quorum ambitus decem ſtadiorum fuit. Penè ſuperat fidem quod in *Joſepho* legimus fido & oculato teſte, tantæ molis opus à *Romano* exercitu triduo fuiſſe perfectum. Sed, ut idem obſervat, ig-

(*c*) *Joſeph. de bel. lib.* 6. *cap.* 11. & 12.

num

μή τις δαιμόνιος, *divinus quidam impetus* militibus incidit ad opus ſe accingentibus. Itaque quòd hoſtibus tribuit *Chriſtus*, *Luc.*19.*v.*43. Περιβαλοῦσιν οἱ ἐχθροί σου χάρακά σοι, καὶ περικυκλώσουσί σε καὶ συνέξουσί σε πάντοθεν. Hoc à ſe faciendum Deus docet hoc loco; *Caſtra metabor veluti in orbem contra te, & obſidebo ſtativis, & ſtatuam contra te munitiones.* Hæc ideò pluribus docui, quia *Hebræos* latent. Itaque de voce כדור, quæ bis eſt in *Eſaia*, rem planè abſurdam commenti ſunt, nempe *caph* præfixum ad radicem pertinere, ut in כידור, *Job.*15.*v.*24. Et *Eſaia* utroque loco *caph* aliud ſupplendum eſſe in notam ſimilitudinis. Itaque כדור, *caddur*, ibi eſſe volunt pro ככדור *caccaddur*. Neve putes hunc errorem hodie & heri natum, præter *Nathanem*, & *Kimchium*, & *Mardochæum*, & *Abarbanelem*, & *Pomarium*, & *Aquinatem*, à quibus id expreſsè traditur; *Miſnæ* & *Gemaræ* ſcriptores, & *R. Moſem Maimonidem* in eodem fuiſſe errore ex eo conſtat, quòd ſphæram כדור, appellant & הכדור, tanquam ab *Eſaia* ſumpto nomine. Poſt quos ſi *Santes*, *Munſterus*, *Mercerus*, *Arias*, *Junius*, *Tremellius*, *Schindlerus*, *Buxtorfius*; atque alii è noſtris ſimiliter lapſi ſunt, eos ego veniâ digniſſimos judico. Quamvis etiam ex *Hebræorum* numero *Aben Ezra*, jam monuiſſet ante nos, *caph*, in כדור, ſervile eſſe, & pertinere לדמות, *ad ſimilitudinem*. Quod ipſum *Selomo Jarchi* ſatis apertè inſinuat, cum ſcribit in librum *Jobi* ſe non alibi legiſſe כדור. Neque ullum tale verbum. Itaque ex illius mente כדור, & כידור, nihil inter ſe commune habent. Nunc ut è diverticulo redeamus in viam, ut in *Eſaia* דור *dur*, eſt pila, globus, corpus ſphæricum, ab *Arabico* verbo, دور ex quo plura hujusmodi, quòd hactenus probatum eſt. Ita de lapide dictum דר *dar*, in ſacro textu libri *Eſther*, & דורא *dura*, in Paraphraſi lapis eſt globoſus & rotundus, qualis à naturâ nullus eſt præter ſolam margaritam.

Quæ de hac voce dicta ſunt, non parum confirmat uſus *Arabum*, apud quos در *dur* vel *dor* eſt unio, cujus plurale eſt *dar*. Et درة *durra* nomen vicis eſt una margarita, eaque magna. Et جناح الدر *latus margaritarum*, id eſt, filum ſeu linea. Et فرايد الدر *uniones eximii*. Itaque in *Alcamus* الدر definitur اللؤلؤة العظيمة *margarita magna*. Ita *Matth.* 13. *v.*46. in *Arabica* Paraphraſi, *Et reperit* درة *durra magni pretii*, id eſt, unionem. Sic in *Alkazuinus* loco quem ſupra citavimus صدف الدر *concha margaritifera.* يتولد منه الدر *Ex ea generatur margarita.* ينعقد درا كبيرا *magnum unionem coagulat.* وهج الشمس يفسد الدر *calor Solis margaritam corrumpit.* Item لمقع الشمال على الدر *Ut cadat Aquilo ſuper margaritam.* يكون الدر كدرا *margarita erit turbida.* Item اذا تم الدر *cum margarita perfecta eſt. Damir* in capite de الجواب qui unus fuit equorum Mahometis, folium *Solomonis* deſcribit مرصعا الدر والياقوت والزبرجد *diſtinctum margaritis, carbunculis & ſmaragdis. Eutychius* Hiſtoriæ part.1.pag.306. de Cleopatra: *Omni mundo ſuo ſe ornavit, auro & argento* والدر والياقوت والزبرجد *& dar* (ſeu unionibus) *& carbunculis & ſmaragdis.* Et part.2.pag.85. *Præcepit* من الدر *de unionibus, carbunculis, reliquisque gemmis quæ erant in corona* Chakani, &c. Et in Poëtis دري *durri* vel *dirri*, unionis inſtar candens, enſis eſt & ſyderis epithetum. Neque eſt quod quis putet در *dur Arabum* & דורא *dura Chaldæorum* diverſa eſſe vocabula, eo quod in illo ſecunda geminetur. Nemo enim eſt qui neſciat in illis linguis permiſceri verborum ordines, & deficientia in ſecunda confundi paſſim cum geminantibus ſecundam. Et ad utrumvis referas *Hebræum* דר *dar* parum refert, quamvis ad prius magis. Verum enim eſt quod diximus, margaritam à rotunditate ſic dici. Tamen *Arabes* ſuum درة *durra* referunt ad verbum در *darra*, quod inter cætera lucere ſignificat. Sed verbum puto ex nomine, non nomen ex verbo factum.

Jam ad *Græcam* verſionem me confero, in qua omnes credidere hactenus, etiam ipſe Fullerus, quantumvis in his rebus oculatus, πάρινον λίθον parium lapidem eſſe pro *Hebræo* דר *dar*, quia in lapidum cenſu quibus ſtratum fuit Aſſueri cœnaculum, ut iique eſt tertius locus. *Hebræis* enim verbis על רצפת בהט ושש ודר, *ſuper pavimentum Bahat & ſes & dar*, *Græca* è regione ſic reſpondent, ἐπὶ λιθοστρώτου σμαραγδίτου λίθου, καὶ πιννίνου, καὶ παρίνου. Sed viros tam perſpicaces manifeſtam in his vocibus metatheſim non animadvertiſſe miror, alias tamen in *Græca* verſione frequentiſſimam. Ibi enim πάρινος λίθος non eſt pro דר *dar*, ut putatur, ſed pro antecedente שש *ſes*. Nam 1. *Par.* 29. *v.*2. אבני שש, *lapides ſes*, Septuaginta reddunt πάριον πολύ *parium multum*, aut ut habent Complutenſes λίθους παρίνους, *lapides parios*. Et *Cant.* 5. *v.*15. עמודי שש *Columnæ ſes*, Aquilæ & *Theodotioni* ſunt στύλοι πάρινοι. Sed ne longius exempla petantur, in hoc ipſo loco in quo verſamur, aulæa byſſina & carpaſina memorat *Græca* verſio appenſa ἐπὶ στύλοις παρίνοις, *ſuper columnas parias* quæ in *Hebræo* ſunt עמודי שש, *columnæ ſes*. Itaque nullum dubium quin πάρινος λίθος ſit pro שש. Supereſt igitur, ut antecedens πίννινος λίθος habeatur loco τοῦ דר *dar*. Porrò πίννινος λίθος eſt margarita. Margaritæ ſcilicet λίθος eſt genus ut πίννινος differentia, quia è pinna educitur. Juriſconſultum quidem ſcio (d) margaritam eximere ex gemmarum & lapillorum cenſu. Et vero non eſt lapis in terra editus, quomodo gemmæ propriè dictæ. Itaque in his *Gen.* 2. *v.* 12. שם הבדלח ואבן השהם, *ibi bedolach & lapis ſoham*, *Bedolach*, id eſt, margarita, non vocatur lapis ut ſequens *ſoham*, quod jam ſupra obſervatum. Tamen nihil obſtat quominus margarita vocetur lapis in concha editus, quomodo multos alios certum eſt in animalibus naſci. Sic in galli jecore naſcitur lapis alectorius: In ventriculis hirundinis & lacerti *Chelidonius* & ſaurites: In oculis hyænæ & teſtudinis hyænius & chelonius: In felle porci & hyſtricis porcinus & Malacenſis: In cerebro draconis dracontias: Et cynædius & lynodontites in cerebris piſcium cognominum: lyncurius quoque ut multi volunt ex urina lyncis. Si qui igitur margaritam nucleum aut callum aut verrucam, aut oſſiculum appellant, ita appellant ἀναλογικῶς propter duritiem ſimilem. Alioqui enim nucleus pomorum aut nucum eſt proprius; callus & verruca in cute naſcuntur; margarita in media conchæ carne. Ita tamen ut oſſis vices ſupplere non poſſit, cum non eodem modo ſe habeat in omnibus. In pleriſque ſcilicet concharum omnino nulla, in aliis plures numero procreantur. *Ælianus* in una concha memorat viginti fuiſſe editas, *Americus* centum & triginta. Proinde ex conſenſu gentium ſub genere lapidum, non nucleorum aut oſſium continentur uniones. Ex *Hebræis* ſaltem *Saadias* & *Aben Ezra* definiunt *lapillos rotundos qui ex aquis educuntur.* Kimchius *lapidem candidum, rotundum,* quem

(d) *Cum ante rem* 19. §. *Margaritas.* & 18. §. *de aur. & arg. leg.*

quem perforant, ut ex pluribus lapidibus conſertis fiat torquis. Et *Benjamin*, ubi de conchis margaritiferis: *Ex medio illarum* educunt אבנים הללו, *lapides, illos* aut אבני הלולו, *lapides lulu*, id eſt, margaritas. Et *Pomarius: Lapis eſt albus qui educitur ex ventre piſcis*, &c. quid quod *Chaldæi* margaritas כיפי, id eſt, *lapides* ſimpliciter nominant, ut ſcribit idem *Pomarius* poſt auctorem *Baal Aruch.* Hinc in *Thargum* Prov. 3.v.15. & paſſim כיפי טבתא, *lapides bonos* legas, pro *peninim* ſeu margaritis. Sic in *Arabe Serapione*

حجر اللولو in Pandectis *hager allulo* ad verbum eſt *lapis margarita.* Quomodo etiam loqui amant *Græcorum* antiquiſſimi. *Theophraſtus* in libro de lapidibus Τῶν σπουδαζομένων δὲ λίθων ἐστὶ καὶ ὁ μαργαρίτης καλούμενος. Et apud *Athenæum Androſthenes:* Ἐν δὲ ἴδιον ὁ καλοῦσι ἐκεῖνοι βερβερί, ἐξ οὗ ἡ μαργαρίτης λίθος. Et *Strabo* de *India* lib. 15. Φέρει δὲ καὶ λιθίαν ἡ χώρα πολυτελῆς κρυστάλλων, καὶ ἀνθράκων παντοίων, καθάπερ καὶ μαργαριτῶν. Hinc voce compoſita λιθομάργαρον margarita dicitur à *Græcis* recentioribus. *Anonymus* de amoribus *Callimachi* & *Chryſorrhoes:* Ὁ τροῦλλος ἦν ἀπὸ χρυσοῦ μετὰ λιθομαργάρου, *Fornix erat ex auro cum margarita lapide.* Addo jam *Romanos* Poëtas qui ab hoc loquendi genere non abhorrent. *Horatius* enim *niveos viridesque lapillos* appellat uniones & ſmaragdos libri primi *Satyra* ſecunda. *Ovidius* de *Arte* Amandi libro tertio.

Vos quoque non caris aures onerate lapillis,
Quos legit in viridi decolor Indus aqua.

Silius Italicus libro duodecimo.

Lucet in aure lapis rubris advectus ab Indis.

Martialis libri quinti *Epigrammate* trigeſimo octavo,

Cui nec lapillos præferas Erythræos.

Seneca in *Hippolyto* verſu 388.

—— nec niveus lapis
Deducat aures, Indici donum maris.

Et in *Hercule Oetæo* verſu 661.

Nec gemmiferas detrahit aures.
Lapis Eoa lectus in unda.

Ex Hiſtoricis etiam ita *Curtius* libro nono de filio *Sophitis: Pendebant ex auribus inſignes candore & magnitudine lapilli*, id eſt, margaritæ. Et è naturæ ſcriptoribus *Solinus* & *Iſidorus* in conchis *hoc genus lapidum* reperiri ſcribunt. Quocirca velit nolit Juriſconſultus,

Quem penes arbitrium non eſt, nec norma loquendi,

margarita eſt lapis. Et cur vocetur λίθος πίννινος clarum eſt ex iis quæ de pinna diximus. Quod me fugerat in *Alexandrino* exemplari *Græcæ* editionis à magno illo Uſſerio publici juris facto, ſic habetur *Eſth.* 1. v.6. Ἐπὶ λιθοστρώτου σμαράγδου, καὶ πιννίνου λίθου, *ſuper pavimenta ſmaragdina, & Paris & pinnini lapidis:* vocibus in eo ordine diſpoſitis quem contendo verum eſſe & *Hebræo* conſonum.

Unicus ergo ſupereſt ſcrupulus eximendus, qui ex eo naſcitur quod margaritam numeramus inter lapides pavimento deſtinatos in Aſſueri Regia. Res enim putabitur eſſe ſine exemplo, ut tam pretioſa merx in ſolo ſubſternatur pedibus conculcanda. Niſi *Mileſiis* fabulis credimus in *Apuleio*, qui Pſychen *gemmas & monilia calcaſſe* narrat, in palatio cujus *pavimenta ipſa lapide pretioſo caſim diminuto in varia picturæ genera diſcriminabantur.* Nam *Romanas* mulieres *calcare margaritas ac per uniones ambulare Plinius* alio ſenſu dicit, quia ſocculos habebant margaritis interſtinctos. At nihilo eſt abſurdius margaritas ad pavimenti ornatum adhiberi quam ſmaragdos & carbunculos. Quorum illud in *Græca* & Vulgata expreſſum, hoc à *Fullero* affertur, ut à vero non abſimile. Si cui minus hæc probentur, cogitet quantus fuerit Perſarum luxus, quam profuſæ divitiæ. Neque uſſibi profuſiores legi quam in hoc epulo. Cogitet etiam *Suſarum* Regiam hic deſcribi, quam admirabilem fuiſſe tradunt *Ariſtoteles* & *Apuleius*, ejuſdem adeo tectum & ſeptum exterius auro, argento, electro atque ebore fulſiſſe. Sed ipſos audire melius. Ita igitur *Ariſtoteles* in libro de Mundo, de Perſarum Imperatore: Ἵδρυτο ἐν Σούσοις ἢ Ἐκβατάνοις παντὶ ἀόρατος, θαυμαστὸν ἐπέχων βασίλειον οἶκον, καὶ περίβολον χρυσῷ καὶ ἠλέκτρῳ καὶ ἐλέφαντι ἀστράπτοντα. Quæ verba ſic *Apuleius* παραφραστικῶς ſuo more diducit: *Cum apud* Suſam *&* Ecbatanas *ut in fano quodam ſacratus, nulli temerè notitiam moris* (malim *oris*) *ſuſpenderet, ſed circumſeptus admirabili regia, cujus tecta fulgerent eboris nive, argenti luce, flammis ex auro, vel electri claritate.* Sic apud *Polybium* libro quinto in *Ecbatanorum* Regia trabes, lacunaria & columnæ in porticibus & periſtyliis, laminis partim argenteis, partim aureis erant circumamictæ. Omnes item tegulæ fuere argenteæ. Quò pertinet quod in *Æſchyli Perſis* Atoſſa (Reginam *Eſther* nonnulli intelligunt, quæ prius *Adaſſa* dicta *Eſth.* 2. v.7.) Atoſſa, inquam, jactitat χρυσοστόλους δόμους (id eſt) πολυχρύσους (ut in *Dione* explicatur Orat. 2. de Regno) atque extrinſecus etiam multo auro fulgentes. Quantò igitur credibilius eſt atrium interius gemmis & margaritis fuiſſe conſpicuum? Maximè ſi verum eſt quod ſcribit *Androſthenes* margaritarum annonam apud *Perſas* non fuiſſe cariorem quam auri? Neque deſunt in Hiſtoriis ſimilis luxus exempla. Ut ab Indis incipiamus in *Romanos* deſituri; in *Apollonio Philoſtrati* libri ſecundi capite undecimo deſcribitur templum Solis in *India*, in quo τὸ δ' ἔδαφος αὐτὸ μαργαρίτιδος ξύγκειται ξυμβολικὸν τρόπον ᾧ βάρβαροι πάντες ἐς τὰ ἱερὰ χρῶνται, *ipſum pavimentum margaritis eſt ſtratum Symbolicâ ratione, quâ* (ibi) *in templis utuntur omnes barbari. Beli* Regia *Babylone* auro tecta & ſtrata fuit. *Feſtus Avienus* in deſcriptione orbis, ubi de *Babylone.*

——ſtat maxima belli (lege *Beli*)
Aula quoque argento, domus Indo *dente niteſcit,*
Aurum tecta operit, ſola late contegit aurum.

Apud *Sabæos* & *Gerrhæos*, etiam in privatis ædibus θυρώματα, τοίχους, καὶ ὀροφαὶ διὰ λιθοκολλήτων ἐλέφαντι, καὶ χρυσῷ, καὶ ἀργύρῳ, καὶ λιθοκολλήτῳ τυγχάνει διαπεποικιλμένα. *fores, & parietes, & tecta ex ebore, auro, argento, gemmiſque intextis, & agglutinatis erant diſtincta.* Ita *Artemidorus* apud *Strabonem* libro decimo ſexto. Neque diſſimilia legas in *Agatharchide* & *Diodoro.* Et *Plinius* libri trigeſimi ſeptimi capite quinto, *Juba eſt auctor*, ſmaragdum, *quem cholam vocant, in* Arabia *ædificiorum ornamentis includi.* Apud *Eutychium* pag. ſexageſima

قارون *Karon* (diebus *Ragu Arabum*, ut volunt) longe opulentiſſimus سبك الذهب وعمل منه لبنا وبنا مدينة اوقنين بلبن الذهب *lateribus ex auro fuſis, ex iis extruxit urbem* Ukinin. In *Colchide Ebuſopis Colchorum* Regis *aurea camera & argentea trabes narrantur, & columnæ, atque paraſtatæ.* Plinius libri trigeſimi tertii capite tertio, *Romæ Pompeius* habuit *muſeum ex margaritis.* Et *Nero, cubicula viatoria unionibus conſtruebat*, ut tradit idem libri trigeſimi ſeptimi capite ſecundo. *Seneca Romanorum* in balneis luxum ſuggillans *Epiſtolâ* octogeſimâ ſextâ, *Eo deliciarum*, inquit, *pervenimus, ut niſi gemmas calcare nolimus.* *Martialis* ſic de area domus in qua natus eſt *Domitianus*, libri noni *Epigrammate* vigeſimo primo,

Hæc quæ tota patet, tegiturque & marmore & auro
Infantis Domini conſcia terra fuit.

In *Lampridio Heliogabalus* à ſacerdotibus *Syris* monitus biothanatum ſe futurum, *fecerat altiſſimam turrim, ſubſtratis aureis gemmatiſque ante tabulis, ex qua ſe præcipitaret, dicens etiam mortem ſuam pretioſam eſſe debere.* Sed & idem *ſcobe auri porticum*

ſtravit

ſtravit & argenti, dolens quod non poſſet & electri, idque frequenter, quacunque fecit iter pedibus uſque ad equum vel carpentum, ut fit hodie de auroſa arena. Sic *Herodianus* libro quinto cum *Heliogabali* Dei ſui tenſam duceret retrò ambulans, *ne impingeret laberetur que ignarus quo tenderet,* γῆτε ἡ χρυσίζουσα παμπόλλη ὑπεςρώννυτο, *auroſa terra multa ſubſtrata eſt.* Ad quem morem alludens *Syneſius* ad *Arcadium* in oratione de Regno ferè mediâ: ὑμῖν ἢ, ait, ὐδὲ τὸ ἔδαφος ἰςὶν ἀνεκτὸν, ὐδ᾽ ἂν ἐμβατεύοιτε κατὰ φύσιν ἰχνεύοντες τῇ γῇ ἀλλὰ δεῖ τὴν χρυσῖτιν ὑποφορεῖν, ἣν ἐκ τῆς περαιτέρω ἠπείρου ὑμῖν ἁμάξαι τε καὶ ὁλκάδες διακομίζουσι, *Vobis neque pavimentum eſt tolerabile, neque in nudo ſolo ambulatis: ſed auroſa arena inferenda eſt, quam ex ulterioribus terris vehicula vobis & actuariæ naves advehunt.* Auroſa terra, vel arena dicitur, quæ ex auri fodinis ſumpta eſt, & admixta habet multi auri ramenta. Hiſpaniæ amnes hujuſmodi arenam volvere, auctor eſt *Strabo* libro tertio. Jam ad inferiora ſæcula ſi libet deſcendere, occurrent in ſacris ædibus à *Baſilio Macedone Conſtantinopoli* extructis, columnæ, parietes, gradus, ipſaque etiam pavimenta auro, argento, gemmis, & margaritis diſtincta & exornata. Quod in hujus *Baſilii* vita ab *Allatio* editâ non ſemel tradit ſucceſſorum unus, *Conſtantinus Porphyrogenneta*. Sic pag. 143. & 144. templum ornatum deſcribit, καὶ χρυσῷ καὶ ἀργύρῳ καὶ λίθοις τιμίοις καὶ μαργαρίταις καταπεποίκιλται καὶ καταπεπλούτισται, *Adyta templi, auro & argento & lapidibus precioſis & margaritis variata & ditata ſunt.* Item, cancelli qui altaria ſecludunt ab iis quæ extra ſunt, & quæ ſurſum ſunt ſuperliminaria &c. & interiora ſedilia, & gradus qui ante illa ſunt, & ſacræ menſæ ἐξ ἀργύρου πάντα περικεχυμένον ἔχουσι τὸν χρυσὸν, καὶ λίθους τιμίους καὶ μαργαρίτας ἐμπεπηγμένους πολυτελῶν τὴν σύμπηξιν καὶ σύςασιν ἔχουσι, *omnia ex argento cui ſuperfuſum aurum, & gemmæ margaritis pretioſiſſimis diſtincta, compactionem, & conſtructionem habent.* Et pag. 149. Τό τε γὰρ ἔδαφος ἅπαν ἐξ ἀργύρου σφυρηλάτου, &c. κατεσκευάςαι, οἱ δὲ ἐκ δεξιῶν καὶ ἐξ εὐωνύμων τοῖχοι ἄργυρον ἄφθονον καὶ αὐτοὶ ἐπικείμενον ἔχουσι διηνθισμένον χρυσῷ, καὶ τιμίοις πεποικιλμένον λίθοις, καὶ μαργάρων λαμπρότησι, *Nam pavimentum omne ex argento malleo ducto, &c. confectum eſt. Dextraque & lava parietes multo argento obducti ſunt, auro, lapidibus pretioſis, & margaritarum ſplendore diſtincto.* Tamen ille *Baſilius* præ *Aſſuero* regulus fuit. Itaque in *Plauti Bacchidibus, Chryſalus* ſervus à domino interrogatus, an dives ſit *Diana Epheſiæ* ſacerdos *Theotimus*, ita reſpondet:

—— *Etiam rogas*
Qui ſoccis habeat auro ſuppactum ſolum?

Vulgatæ locum *Prov. 25. v. 12.* *inauris aurea & margaritum fulgens* &c. Conſultò prætèrivimus, quia *Hebræa* חלי כתם, quibus *Latina* reſpondent *margaritum fulgens*, plane aliud ſonant nempe ornamentum auri. *Rabbi Selomo* in *Cant. 7. v. 1.* & *Oſ. 2. v. 13.* rectè monet vocem eſſe *Arabum* apud quos حلي *chali* propriè eſt mundus muliebris. Sic apud *Eutychium*, ubi de vitulo aureo, pag. 106. اخذوا حلي نساهم فسبكوه فخرج لهم راس عجل *cœperunt mundum mulierum ſuarum, ex quo fuſo prodiit iis caput vituli.* Et in *Arabica* Paraphraſi 1. *Petr. 3. v. 3.* eò pertinet حلي الذهب *ornatus auri.* Ut de muliere dicitur *Oſ. 2. v. 13.* *Exornavit ſe inauribus ſuis* וחליתה, *&* reliquo *mundo ſuo.* Tamen ſæpe latiùs ſumitur, & in viros etiam quadrat. Ut cùm de Nigritis dicitur Geographi *Nub.* Clim. pag. 1. part. 1. وحليهم النحاس والخرز والنظم من الزجاج *Ornatus eorum aurichalcum, & grana, & murenulæ vitreæ.* Et capite ſequenti de Rege *Abutalebo*, وله حلية حسنة *ornamenta habet pulcherrima.* Quale eſt, quod *Eutychius* pag. 205. Rex *Achab*, *Joſaphato* Regi dixit غير حليتك *muta ornatum tuum.* A Singulari חלי Plurale fit חלאים *Cant. 7. v. 1.* *Jod* & *Aleph* permutatis, ut in צבאים ex צבי & פתאים ex פתי. Et חלאים ibi dicuntur eſſe *opus manuum artificis*, non cujuſvis ſed aurifabri, cujus eſt monilia, torques, annulos, & minuta hujuſmodi, quæ ad muliebrem mundum pertinent, fabricare & concinnare. Quin apud *Arabes* حلي verbum eſt mulierem his nugis exornare, & in quinta تحلي ſic exornari. Interim ut *Hieronymus* חלי, *margaritum* hic reddit, ita *Oſ. 2. v. 13.* חליתה, *Chaldæus* & *Syrus* margaritas interpretantur. Et vox eadem aliis eſt πίννινος, quod ut πιννικὸν videtur a pinna, vel pina factum: Aliis σάρδιον, aliis *ſmaragdus*, aliis ὅρμισκος, καθόρμιον, περιτραχήλιον, *monile, torques, collare*, aliis *gemma* in genere. Itaque ne fluctuarent amplius interpretes, illius ex *Arabiſmo* veram ſignificationem aperire viſum eſt.

Addam pro corollario paſſim in Scripturis Sapientiam margaritis aut conferri, aut præferri, ut *Job. 28. v. 18.* *Prov. 3. v. 15.* & *8. v. 11.* & *20. v. 15.* Sed inprimis Evangelii doctrinam his *Chriſti* verbis *Matth 13. v. 45. 46.* *Simile eſt regnum cœlorum negotiatori quærenti pulchras margaritas*, &c. Regnum cœlorum, id eſt, Evangelii doctrina ab Apoſtolis mox ubique diſſeminanda. Paſſim enim hæc doctrina vocatur regnum Dei, ut *Matth. 3. v. 2.* *In propinquo eſt regnum cœlorum*, id eſt, tempus quo gentibus prædicabitur Evangelium. Et *Matth. 11. v. 11.* de *Johanne Baptiſta*. *Qui eſt minimus in regno cœlorum, major eſt eo.* In regno cœlorum, id eſt, inter eos quibus Evangelium prædicandi munus incumbet. Et *Matth. 21. v. 43.* *Auferetur à vobis regnum Dei, ut detur populo qui ferat ejus fructus.* Quod impletum *Actor. 13. v. 46.* cum *Judæis* dicunt *Paulus*, & *Barnabas*, *Vobis neceſſe fuit primum exponi ſermonem Dei: poſtquam autem illum repellitis, &c. nos convertimus ad Gentes.* Hoc ergo Dei regnum, id eſt, Evangelii doctrina, cum margarita confertur non immeritò. 1. Nam ſi margaritæ nobis è remotis locis, & ex ultimo oriente afferuntur, hanc doctrinam è cœlis attulit qui vocatur Oriens ex alto *Luc. 1. v. 78.* ἀνατολὴ ἐξ ὕψους. 2. Si candor in margaritis magni fit, hic nobis offertur calculus candidus *Apoc. 2. v. 17.* per quem etſi fuerint peccata noſtra ut coccinum, tanquam nix dealbabuntur, *Eſa. 1. v. 18.* 3. Aut ſi lævor in iis placet, quodque ad amuſſim rotundæ ſunt, nec quidquam habent inæquale, Evangelii gratiâ nihil eſt æqualius, cum omnes ex æquo admittat. *Non enim eſt* Judæus, *neque* Græcus, &c. *Omnes enim vos unum eſtis in* Chriſto Jeſu, *Gal. 3. v. 28.* 4. Aut ſi in margaritis requiritur firmitas & ſoliditas, quid firmius & ſolidius eſt Dei promiſſis, *quæ in* Chriſto *ſunt etiam &* Amen, 2. *Cor. 1. v. 20.* Cœlum & terra tranſibunt, ſed non tranſibunt verba ejus, *Marc. 13. v. 31.* 5. Aut ſi ſint in precio propter vires ſubditas, *Evangelium eſt Dei virtus ad ſalutem omni credenti* Rom. 1. 16. Et ab antiqui ſerpentis morſu nos ſanat; nec ſolum ægros ſublevat, ſed & mortuos ſuſcitat. *Venit enim hora & nunc eſt, quando mortui audient vocem filii Dei, & qui audierint, vivent,* Joh. 5. v. 25. 6. Splendoris quoque & ornatus ratione quæruntur uniones, ac proinde appenduntur auribus, collo & brachio ligantur. Sed & mandata ſua Deus collo jubet alligari Prov. 3. v. 3. Nec quidquam auribus tam decorum eſt, quam ejus verbum audite, aut manibus

nibus quam illud exequi. *Lollia Paulina*, ſmaragdis, margaritiſque operta fuiſſe legitur alterno textu ful gentibus, toto capite, crinibus, ſpiris, auribus, collo, manibus, digitiſq; , ſummâ quadringenties ſeſtertiûm, id eſt, aurei millionis æſtimatis. Iis tamen conferenda non fuit, qui bonorum operum luce reliquis hominibus prælucent *Matth.* 5. *v.* 15. & in medio nationis pravæ & perverſæ ſplendent, ut luminaria in mundo *Phil.* 2. *v.* 15. Proinde *Paulus* 1. Tim. 2. *v.* 9. vult, ut mulieres modeſtiâ, & verecundiâ ſe ornent, non cincinnis, aut auro, & margaritis. Et *Petrus* 1. Petr. 3. *v.* 3. pro ornatu externo in nodis capillorum, & circumpoſito auro, & veſtimentorum amictu ſit occultus cordis homo, ſitus in incorruptione lenis ac quieti ſpiritus, qui coram Deo pretioſus eſt. 7. Pretium quod attinet, etſi auctore *Plinio*, principium, culmenque omnium rerum precii margaritæ teneant, tamen Dei Sapientiam meritò dicit *Solomon* pretioſiorem eſſe margaritis, & omnia deſiderabilia ei non poſſe æquari, *Prov.* 3. *v.* 15. His enim fratrem non redimet quiſquam *Pſal.* 49. *v.* 8. Neque caducis rebus, ut argento & auro redempti eſtis, ſed pretioſo Chriſti ſanguine 1. *Petr.* 1. *v.* 18. Tamen, ut margaritarum pretium latet barbaros, qui rem tantillam mirantur à nobis tanti fieri: Ita Evangelium noſtrum iis qui pereunt, tectum eſt, quorum mentes excæcavit Deus hujus ſæculi, ne fulgeat illis lumen Evangelii gloriæ Chriſti 2. *Cor.* 4. *v.* 4. Ac proinde cavendum ne margaritas noſtras coram porcis projiciamus, qui non ſolum eas conculcant pedibus, ſed & converſi nos dilacerant *Matth.* 7. *v.* 6. Sed in capite de porcis locus iſte jam eſt explicatus.

CAPUT NONUM.

Multa ex *Hebræorum* monumentis de חלזון *chilzon*, id eſt, cochlea purpuraria. Alia quædam obiter.

In Jonathane *Deut.* 33. *v.* 19. טריתא taritha, *non eſt thunnus, nec piſciculus ſalitus, ſed quivis piſcis, dum eſt recens.* Et חלזונא chilzona, *cochlea purpuraria. Utraque vox* Arabica. *At* חלזון, *oculi morbus*, Levit. 21. v. 20. *eſt* Græcè χάλαζα, *vel* χαλάζιον. Arabs *Cebetus interpres notatus.* חלזון *etiam quævis cochlea. Purpuraria cochlea terreſtri ſimillima.* שפן *non eſſe conchylium, ut volunt. Purpura in petris, & in arena. Tria ex littore beneficia* Zabulonitis. 1. *purpura.* 2. *piſces edules.* 3. *vitrum ex arena* Beli fl. *conflatum.* Plinius, *&* Iſidorus emendati. Ὕαλις, *&* ὕαλος, *ex* Hebræis חול, *vel ex* חולסית. 2. Reg. 25. v. 12. כורמים *vinitores dici, qui balſamum colligunt, &* יוגבים *qui piſcantur purpuram, & quorſum. Vineæ Engadi* Cant. 2. 14. *id eſt, balſameta. Balſami arbor, viti ſimilis. Cur purpurarii vocentur* יתבים, *vel* יוקבים. *Purpurarium* Judææ *littus à* Tyri *ſcalis usque ad* Chaipham. *Utriusque ſitus.* Benjamin *emendatus. Precipua purpuræ ubertas circa* Chaipham *ad* Carmeli *radices. Inde* Chaipha *olim* Porphyria, *&* כרמל carmel, Hebraicè *purpura. Laus terræ* Chanaan, *Gen.* 43. *v.* 11. *in quibus ſita: purpurâ, vino, balſamo, myrrhâ, olivâ. Vinum* Sorek, Tralliano Aſcalonite. *Olivæ* אגורי, *dictæ. Locus* Bereſith Rabba *emendatus. Veſtes* Iſraëlitarum *in deſerto cum ipſis creviſſe, ut concham* חלזון chilzon, *quod ex* Ariſtotele *explicatur. Purpuram contundi quamprimùm capta eſt, ne florem evomat. De locis* Ariſtotelis *&* Plinii *conjectura.* Πορφύρεος θάνατος *quid in* Homero. *Purpura tres partes. Superior* τράχηλος, *media* μήκων, *ima* πύθμην. *Flos purpuræ inter primam & mediam. Color qui ex illo fit* Hebræis תכלת thecheleth. Chaldæis תכלא thichla, *vel* thachla. *Color ille qua arte fiat ex* Maimonide, *in quo notatur craſſum* σφάλμα.

DEut. 33. *v.* 19. in Paraphraſi *Jonathanis*, de *Zabulonitis* dicitur ארום על ספר ימא רבא שרן ויתפרנקין מן טריתא וחלזונא יאחדין יצבעון מארמיה תיכלא לחוטי גוליתהון *Quia habitant ad littus maris Magni* (ſeu Mediterranei) *& in deliciis habebunt* taritha: *&* chilzona *capient, cujus ſanguine hyacinthum tingent ad fila veſtium ſuarum.* In his verbis Magiſtri quærunt, quid ſint *taritha* & *chilzona.* Et de utroque multa nugantur. Sunt quibus טריתא *taritha*, eſt quilibet piſcis magnus. Alii *thunnum* definiunt, aut *thunni fruſtum.* Ita *David* de *Pomis* in *Lexico*, & *R. Selomo* in tractatum *Berachoth* cap. 6. fol. 44. a. ubi agitur de quadam urbe *Jannai* Regis, ex qua ſingulis hebdomadibus afferebantur ששים רבוא ספלי טרית לקוצצי תאנים, *ſexaginta myriades ſimpulorum* tarith *iis qui ficus putabant.* Sed in *Avoda zara* cap. 2. fol. 35. b. ubi vetatur eſus טרית טרופא *tarith terupha*, id eſt, *tarith*, quæ ab homine *Ethnico* diſcerpta eſt, in *Gloſſa tarith* definitur מין דגים קטנים מלוחים, *ſpecies piſciculorum qui ſale conditi ſunt.* Sic in *Aruch*, voce ספל piſcis *tarith*, eſt המלוח, *ſalſus.* At mihi piſcis recens cujuſcunque generis. Quia طري *taria*, verbum *Arabicè* recentem eſſe ſonat. Et *Avicenna* paſſim *butyrum recens eſt* طري سمن *ovum recens* طري بيض *bdellium recens* طري مقل & ita de reliquis. Nulla vox eſt frequentior. Quidni igitur pari ratione طري سمك dicatur piſcis recens ex mari allatus, Gallis *maree fraiſche?* Proinde *Jonathan* ויתפרנקין מן טריתא, *Illis in deliciis erit* taritha. Rectè ſi piſces recens captos intelligas: Ii enim palato maximè placent, non item ſale conditi. Indidem apparet *thunnum* non ſignificari, neque certam piſcis ſpeciem, quia in piſcoſo littore, quale *Zabulonitarum* fuit, non *thunnus* ſolus, aut quivis alius piſcis, ſed piſces in genere illis fuerunt in deliciis. Nempe habitabant circa *Carmelum* & *Ptolemaidem*, nec procul à *Tyro* & *Sidone*, quam *à piſcium ubertate* dici *Juſtinus* verè obſervat (*a*). Proinde *Tyrii* piſces venales *Jeroſolymam* deferebant, *Nehem.* 13. *v.* 16. & vendebant ad portam piſcium, de qua *Nehem.* 3. *v.* 3. & 12. *v.* 39. & *Soph.* 1. *v.* 10. (*a*) Lib. 18.

At, ſi quid eſſet טרית *tarith*, ſine piaculo potuit ignorari, quis non miretur eoſdem neſciviſſe quid ſit חלזונא *chilzona?* cùm tam diſertè ſcribat *Jonathan* ex ejus ſanguine tingi תיכלא *thichla*, id eſt, hyacinthum, purpuræ genus. Unde planè ſequitur *chilzona* concham eſſe ex qua purpura elicitur (quæ & ipſa dicitur purpura) aut conchylium ſaltem aut muricem concharum genera purpuræ non abſimilia. Tamen alii magnum piſcem, alii bombycem, alii vermem intelligunt. Et חלזון *chilzon*, in *Aruch* ſic deſcribitur גופו דומה לים ובריתא דומה לדג ועולה אחד לשבעים שנה ובדמו צובעים תכלת לפיכך דמיו יקרים, *Corpus ejus* (malim גונו *color ejus*) *mari ſimile* (id eſt, cœruleum) *Et ſtructura corporis piſci ſimilis eſt, & unus ſolum in terram aſcendit ſingulis ſeptuaginta annis, ex cujus ſanguine tingunt hyacinthum. Proinde id eſt magni pretii. Rabbi Selomo*

mo ſcribit in *Exod.* 25, 4. coloris eſſe ירוק, *viridis*. Et in *Levit.* 21, 20. eodem nomine à *Talmudicis* vocari albuginem, quæ pupillæ obducitur propter ſimilitudinem. Nugæ nugaciſſimæ. Nam morbus in oculo qui *Levit.* 21, 20. à *Moſe* vocatur תבלל, & à *Paraphraſtis* & *Talmudicis* חילז *chiliz*, & חלזון *chalazon*, eſt *Græcorum* χάλαζα, vel χαλάζιον, quod *Æginetæ* definit ἀργὴν ὑγρῷ σύστασιν κατὰ τὸ βλέφαρον, *concretionem lenti* aut *albi humoris in palpebra*. Et *Galenus* in definitionibus φησὶ τινα ἔνδοθεν τοῦ βλεφάρου ἐπάρματα γεγονόμενα, ὅμοια τῷ χαλάζῃ, *rotunda quadam tubercula in interiori parte palpebræ impreſſa, grandini ſimilia*. Et *Celſus* libro ſeptimo, *vitium in palpebris, quod digito mobile huc vel illuc impellitur, non diſſimile illi quem κριθὴν vocant*. Et *Ætius* tetrab. 2. Serm. 3. cap. 81. grandine affici dicit palpebras, *cum everſis ipſis rotundæ quædam eminentiæ pellucidæ grandini ſimiles apparent, ex quibus diſſectis humor educitur ovorum albugini ſimilis*. At חלזון *chilzon*, vel *challazon* potiùs pro conchæ ſpecie, vox eſt merè *Arabica*, quâ cochlea ſignificatur, vel terreſtris, vel aquatica. Vox extat in *Avicenna* lib. 2. cap. صدف ſeu de oſtrea: In *Damire* capite حلزون *chalazon*, quomodo limacem vocat. In *Arabico Dioſcoride* ubi الحلزون البري eſt cochlea terreſtris *Græcè* κοχλίας χερσαῖος. In *Albenbitare*, qui ſic explicat, quid ſit in *Galeno* cochlea, *ſimplicium* libri undecimi capite trigeſimo tertio, الحيوان المسمي قوحلياس وهو جنس ما من اجناس الحلزون *Animal quod vocatur* (Græcè) κοχλίας, *& eſt genus quoddam* τ *chalazon*. In *Paraphraſi* tabulæ *Cebetis*, ubi *Græca*, πανταχῆ γὰρ ἐστιν ἀσφάλεια, ὥσπερ τὸ Κωρύκιον ἄντρον ἔχοντι, *undiquaque eſt in tuto, ut qui coryceum antrum tenet*, *Arabicè* ſic redduntur وهو محروس من جميع جوانبه بمنزل الحلزون الذي يطيف به الصدف الذي يجنه *Munitus eſt ab omni parte, ad inſtar chalazon* (ſeu cochleæ) *quam circumdat concha qua protegit eam*. *Arabi* ſcilicet interpreti ignotum erat *Coryceum* antrum. Putavit igitur aliud ſignificari, nempe τοὺς κωρύκους, vel τὰ κωρύκια, quæ in conchis ſuis tanquam in antro lateant. Κωρύκες, à *Macedonibus* vocari τὰς τραχείας κόγχας, *aſperas conchas* ex *Hegeſandro* docet *Athenæus* libro tertio. Et *Plinius* libri trigeſimi ſecundi capite ſeptimo. *Muricum generis ſunt qua vocant* Græci *colycia, alii corycia*. Ex his patet, *Arabibus* حلزون *chalazon*, id eſſe, quod diximus nempe cochleam in genere. Neque aliud חלזון *chilzon* priſcis *Hebræis* & חלזונא *chilzona Chaldæis*. Quandoque enim pro terreſtri cochlea ſeu limace ſumi videas. Ut *Deut.* 18, 42. כל אילניכון ופירי ארעיכון ישיצי חלזונא. *Omnes arbores veſtras & fructus terræ veſtræ perdet chilzona*, id eſt, limax. Quod ſequutus *Pomarius* חלזון *chilzon*, terreſtrem ſcilicet, definit תולעת שחור שאוכל העשבים והאילנות, *vermem nigrum qui herbas, & arbores depaſcitur*. Et in tractatu *Sanhedrin*. fol. 91. a. עלה להר וראה שהיום אין בו אלא חלזון אחת למחר ירדו גשמים ונתמלא כלו חלזונות, *Aſcende in montem, & videbis in eo hodiè non eſſe, niſi unum chilzon* (ſeu limacem.) *At cras ſi pluviæ ingruant, limacibus complebitur mons univerſus*. Rurſus quandoque uſurpatur pro cochlea marina, & ſpeciatim pro purpura ſeu conchylio, Ut in loco, quem citavimus ex *Jonathanis Paraphraſi*, Deut. 33, 19. Quomodo etiam ab *Arabibus* uſurpari docet, quod *Eutychius*, *Patriarcha Alexandrinus* (à præſtantiſſimo viro *Edvardo Pocockio* anno præterito editus) primam purpuræ inventionem cani tribuens, non quidem *Herculis*, juxta receptam fabulam, ſed paſtoris cujusdam, dum *Tyri* regnaret *Hiram*, hæc verba habet, فاصاب الكلب حلزونه تمشي في الشط لونها كلون البرفير فاكلها فامتلا فيه من دم الحلزونه *Et reperit canis chalazonam purpurei coloris, in littore reptantem, & eam edit, & os ejus impletum ſanguine chalazonæ*. Et infra de *Hirami* infectoribus. فخرج الصباغون الي شط البحر فطلبوا الحلزونه فاصابوها فصبغوا له البرفير *Et* (*Hirami* Regis) *infectores ad littus maris exiêrunt & quæſiêrunt halazonam* (id eſt, cochleam purpurariam) *& repererunt eam, & tinxerunt ei purpuram*. Hæc ille pagina 174. Nec mirum utramque cochleam, terreſtrem, inquam, & marinam, ſub communi nomine contineri, cùm una alteri ſit ſimillima. Quod his verbis teſtatur *Bellonius*, qui purpurarias cochleas adhuc vivas ſæpe viderat: *Ejus concha cochleam terreſtrem penitùs referret, niſi clavata eſſet, & canalem ad latus quâ linguam exerit, haberet. Cornua limacum more attollit, atque eodem pacto ſerpit, iisdemque cornibus iter ſibi prætendit*. Partim ex *Jonathane* expreſſa ſunt hæc *Talmudicorum* in *Megillath Eſther* cap. 1. fol. 6. a. אמר זבולון לפני הקב״ה רבונו של עולם לאחי נתת להם שדות וכרמים ולי נתת הרים וגבעות לאחי נתת ארצות ולי נתת ימים ונהרות אמר לו כולן צריכין לך ע״י חלזון שנאמר ושפוני טמוני חול תני רב יוסף ספוני זה חלזון טמוני זו טרית חול זו זכוכית לבנה. *Dixit Zabulon Deo ſancto, & benedicto: Domine mundi, fratribus meis dediſti agros & vineas; At mihi dediſti montes, & colles. Fratribus meis dediſti terras: At mihi maria & amnes. Cui reſpondit Deus: Omnes fratres tui te egebunt propter chilzon* (ſeu cochleam purpurariam) *Dicitur enim* (de Zabulonitis) Deut. 33, 19. *Theſauri abſconditi arenæ* (ſupple *eorum erunt*.) *Docuit autem* Rabbi Joſeph *voce* שפוני, id eſt, theſauri, *intelligi* חלזון *chilzon*, (ſeu purpuram) *voce* טמוני, id eſt, abſconditi, טרית *tarith*, (ſeu piſces recentes) *& voce* חול *chol*, ſeu arenæ, זכוכית לבנה, *vitrum album*. Proinde in *Lexicis*, *Talmudicis*, aut *Chaldaicis* ferè quotquot ſunt, ספון, vel שפון, habetur pro piſce, ex cujus ſanguine fit purpura vel hyacinthus. Abſurdè cum שפון purpuram, aut conchilium non magis ſignificet quam טמון piſces recentes, aut חול vitrum. Tantùm quia ex littorali arena, quæ alioqui ſolet eſſe ſterilis & infœcunda, magnas opes *Zabulonitis* acceſſuras promittit *Moſes*, idque his tribus vocibus חול שפוני טמוני *theſauri abſconditi arenæ*, *Talmudici* totidem beneficia enumerant quæ illis inde provenerint. Primò חלזון purpuram, ſeu conchylium, ex cujus ſucco lanas in veſtium uſum imbuerint. Purpuræ enim, quamvis in petris frequentius, tamen etiam in arena proveniunt. *Oppianus Halieuticῶn* libri primi verſu 314.

Πολλὰ μὲν ἐν πέτρῃσι, τὰ δ' ἐν ψαμάθοισι νέμονται,
Νηρεῖται, στρόμβοι τε, καὶ ἧ, καὶ πορφύραι αἰπαί,

Multa

nibus quam illud exequi. *Lollia Paulina*, ſmaragdis, margaritisque operta fuiſſe legitur alterno textu fulgentibus, toto capite, crinibus, ſpiris, auribus, collo, manibus, digitisq;, ſummâ quadringenties ſeſtertiûm, id eſt, aurei millionis æſtimatis. Iis tamen conferenda non fuit, qui bonorum operum luce reliquis hominibus prælucent *Matth.* 5. *v.* 15. & in medio nationis pravæ & perverſæ ſplendent, ut luminaria in mundo *Phil.*2.*v.*15. Proinde *Paulus* 1. Tim. 2. v. 9. vult, ut mulieres modeſtiâ, & verecundiâ ſe ornent, non cincinnis, aut auro, & margaritis. Et *Petrus* 1.Petr.3.v.3. pro ornatu externo in nodis capillorum, & circumpoſito auro, & veſtimentorum amictu ſit occultus cordis homo, ſitus in incorruptione lenis ac quieti ſpiritus, qui coram Deo pretioſus eſt. 7. Pretium quod attinet, etſi auctore *Plinio*, principium, culmenque omnium rerum precii margaritæ teneant, tamen Dei Sapientiam meritò dicit *Solomon* pretioſiorem eſſe margaritis, & omnia deſiderabilia ei non poſſe æquari, *Prov.* 3. *v.* 15. His enim fratrem non redimet quisquam *Pſal.*49.*v.*8. Neque caducis rebus, ut argento & auro redempti eſtis, ſed pretioſo Chriſti ſanguine 1. *Petr.* 1. *v.*18. Tamen, ut margaritarum pretium latet barbaros, qui rem tantillam mirantur à nobis tanti fieri: Ita Evangelium noſtrum iis qui pereunt, tectum eſt, quorum mentes excæcavit Deus hujus ſæculi, ne fulgeat illis lumen Evangelii gloriæ Chriſti 2.*Cor.*4. *v.*4. Ac proinde cavendum ne margaritas noſtras coram porcis projiciamus, qui non ſolum eas conculcant pedibus, ſed & converſi nos dilacerant *Matth.*7. *v.* 6. Sed in capite de porcis locus iſte jam eſt explicatus.

CAPUT NONUM.

Multa ex *Hebræorum* monumentis de חלזון *chilzon*, id eſt, cochlea purpuraria. Alia quædam obiter.

In Jonathane *Deut.* 33. *v.* 19. טריתא taritha, *non eſt thunnus, nec piſciculus ſalitus, ſed quivis piſcis, dum eſt recens.* Et חלזונא chilzona, *cochlea purpuraria. Utraque vox* Arabica. *At* חלזון, *oculi morbus,* Levit. 21. v. 20. *eſt* Græcè *χάλαζα, vel χαλάζιον.* Arabs *Cebetis interpres notatus.* חלזון *etiam quævis cochlea. Purpuraria cochlea terreſtri ſimillima.* שפון *non eſſe conchylium, ut volunt. Purpura in petris, & in arena. Tria ex littore beneficia* Zabulonitis. 1. *purpura.* 2. *piſces edules.* 3. *vitrum ex arena* Beli fl. *conflatum.* Plinius, *&* Iſidorus emendati. *Ὑαλὶς, & ὕαλος, ex* Hebræis חול, *vel ex* חולסית. 2. Reg. 25. v. 12. כורמים *vinitores dici, qui balſamum colligunt, &* יוגבים *qui piſcantur purpuram, & quorſum. Vinea Engadi* Cant. 2. 14. *id eſt, balſameta. Balſami arbor, viti ſimilis. Cur purpurarii vocentur* יוגבים, *vel* יוקבים. *Purpurarium* Judææ *littus à* Tyri *ſcalis uſque ad* Chaipham. *Utriusque ſitus.* Benjamin *emendatus. Præcipua purpuræ ubertas circa* Chaipham *ad* Carmeli *radices. Inde* Chaipha *olim* Porphyria, *&* כרמל carmel, Hebraicè *purpura. Laus terræ* Chanaan, *Gen.* 43. *v.* 11. *in quibus ſita: purpurâ, vino, balſamo, myrrha, olivâ. Vinum* Sorek, Tralliano Aſcalonite. *Olivæ* אגורי, *dictæ. Locus* Bereſith Rabba *emendatus. Veſtes* Iſraëlitarum *in deſerto cum ipſis creviſſe, ut concham* חלזון chilzon, *quod ex* Ariſtotele *explicatur. Purpuram contundi quamprimùm capta eſt, ne florem evomat. De locis* Ariſtotelis *&* Plinii *conjectura.* Πορφύρεος θάνατος *quid in* Homero. *Purpuræ tres partes. Superior τράχηλος, media μήκων, ima πύθμην. Flos purpuræ inter primam & mediam. Color qui ex illo fit* Hebræis תכלת thecheleth. Chaldæis תכלא thichla, *vel* thachla. *Color ille qua arte fiat ex* Maimonide, *in quo notatur craſſum σφάλμα.*

D*Eut.*33. *v.* 19. in Paraphraſi *Jonathanis*, de *Zabulonitis* dicitur ארום על ספר ימא רבא שרן ויתפרנקון מן טריתא וחלזונא יאחדון יצבען מאדמיה תיכלא לחוטי גוליתהון *Quia habitant ad littus maris Magni* (ſeu Mediterranei) *& in deliciis habebunt* taritha: *&* chilzona *capient, cujus ſanguine hyacinthum tingent ad fila veſtium ſuarum.* In his verbis Magiſtri quærunt, quid ſint *taritha* & *chilzona.* Et de utroque multa nugantur. Sunt quibus טריתא *taritha*, eſt quilibet piſcis magnus. Alii *thunnum* definiunt, aut *thunni fruſtum.* Ita *David* de *Pomis* in *Lexico*, & *R. Selomo* in tractatum *Berachoth* cap. 6. fol. 44. a. ubi agitur de quadam urbe *Jannai* Regis, ex qua ſingulis hebdomadibus afferebantur ששים רבוא ספלי טרית לקוצצי תאנים, *ſexaginta myriades ſimpulorum* tarith *iis qui ficus putabant.* Sed in *Avoda zara* cap. 2. fol. 35. b. ubi vetatur eſus טרית טרופא *tarith terupha*, id eſt, *tarith*, quæ ab homine *Ethnico* diſcerpta eſt, in *Gloſſa tarith* definitur מין דגים קטנים מלוחים, *ſpecies piſciculorum qui ſale conditi ſunt.* Sic in *Aruch*, voce ספל piſcis *tarith*, eſt המלוח, *ſalſus.* At mihi piſcis recens cujuscunque generis. Quia طري *taria*, verbum *Arabicè* recentem eſſe ſonat. Et *Avicenna* paſſim *butyrum recens eſt* طري سمن *ovum recens* طري بيض *bdellium recens* طري مقل & ita de reliquis. Nulla vox eſt frequentior. Quidni igitur pari ratione طري سمك dicatur piſcis recens ex mari allatus, Gallis *maree fraiſche?* Proinde *Jonathan* ויתפרנקון מן טריתא, *Illis in deliciis erit* taritha. Rectè ſi piſces recens captos intelligas: Ii enim palato maximè placent, non item ſale conditi. Indidem apparet *thunnum* non ſignificari, neque certam piſcis ſpeciem, quia in piſcoſo littore, quale *Zabulonitarum* fuit, non *thunnus* ſolus, aut quivis alius piſcis, ſed piſces in genere illis fuerunt in deliciis. Nempe habitabant circa *Carmelum* & *Ptolemaidem*, nec procul à *Tyro* & *Sidone*, quam *à piſcium ubertate* dici *Juſtinus* verè obſervat (*a*). Proinde *Tyrii* piſces venales *Jeroſolymam* deferebant, *Nehem.*13.*v.*16. & vendebant ad portam piſcium, de qua *Nehem.*3.*v.*3. & 12.*v.*39. & *Soph.*1.*v.*10.

(*a*) Lib. 18.

At, ſi quid eſſet טרית *tarith*, ſine piaculo potuit ignorari, quis non miretur eosdem neſciviſſe quid ſit חלזונא *chilzona?* cùm tam disertè ſcribat *Jonathan* ex ejus ſanguine tingi תיכלא *thichla*, id eſt, hyacinthum, purpuræ genus. Unde planè ſequitur *chilzona* concham eſſe ex qua purpura elicitur (quæ & ipſa dicitur purpura) aut conchylium ſaltem aut muricem concharum genera purpuræ non abſimilia. Tamen alii magnum piſcem, alii bombycem, alii vermem intelligunt. Et חלזון *chilzon*, in *Aruch* ſic deſcribitur גופו דומה לים ובריתא דומה לדג ועולה אחד לשבעים שנה ובדמה צובעים תכלת לפיכך דמיו יקרים, *Corpus ejus* (malim גונו *color ejus*) *mari ſimile* (id eſt, cœruleum) *Et ſtructura corporis piſci ſimilis eſt, & unus ſolum in terram aſcendit ſingulis ſeptuaginta annis, ex cujus ſanguine tingunt hyacinthum. Proinde id eſt magni pretii. Rabbi Selo-*

mo

mo ſcribit in *Exod.* 25, 4. coloris eſſe ירוק, *viridis.* Et in *Levit.* 21, 20. eodem nomine à *Talmudicis* vocari albuginem, quæ pupillæ obducitur propter ſimilitudinem. Nugæ nugaciſſimæ. Nam morbus in oculo qui *Levit.* 21, 20. à *Moſe* vocatur תבלל, & à *Paraphraſtis* & *Talmudicis* חילז *chilliz*, & חלזון *chalazon*, eſt *Græcorum* χάλαζα, vel χαλάζιον, quod *Ægineta* definit ἀργὸν ὑγροῦ σύςασιν κατὰ τὸ βλέφαρον, *concretionem lenti* aut *albi humoris in palpebra.* Et *Galenus* in definitionibus περιφερῆ τινα ἔνδοθεν τοῦ βλεφάρου ἐπεσχηματισμένα, ἐοικότα τῷ χαλάζῃ, *rotunda quædam tubercula in interiori parte palpebræ impreſſa, grandini ſimilia.* Et *Celſus* libro ſeptimo, *vitium in palpebris, quod digito mobile huc vel illuc impellitur, non diſſimile illi quem κριθὴν vocant.* Et *Ætius* tetrab. 2. Serm. 3. cap. 81. grandine affici dicit palpebras, *cum everſis ipſis rotundæ quædam eminentiæ pellucidæ grandini ſimiles apparent, ex quibus diſſectis humor educitur ovorum albugini ſimilis.* At חלזון *chilzon*, vel *challazon* potiùs pro conchæ ſpecie, vox eſt merè *Arabica*, quâ cochlea ſignificatur, vel terreſtris, vel aquatica. Vox extat in *Avicenna* lib. 2. cap. صدف ſeu de oſtrea: In *Damire* capite حلزون *chalazon*, quomodo limacem vocat. In *Arabico Dioſcoride* ubi الحلزون البري eſt cochlea terreſtris *Græcè* κοχλίας χερσαῖος. In *Abenbitare*, qui ſic explicat, quid ſit in *Galeno* cochlea, *ſimplicium* libri undecimi capite trigeſimo tertio, الحيوان المسمى قوحلياس وهو جنس ما من اجناس الحلزون *Animal quod vocatur* (Græcè) κοχλίας, *& eſt genus quoddam* τῶν *chalazon.* In *Paraphraſi* tabulæ *Cebetis*, ubi *Græca*, πανταχοῦ γὰρ ἐστιν αὐτῷ ἀσφάλεια, ὥσπερ τὸ Κωρύκιον ἄντρον ἔχοντι, *undiquaque eſt in tuto, ut qui corycium antrum tenet*, *Arabicè* ſic redduntur وهو محروس من جميع جوانبه بمنزل الحلزون الذي يطيف به الصدف الذي يجنه *Munitus eſt ab omni parte, ad inſtar chalazon* (ſeu cochleæ) *quàm circumdat concha qua protegit eam.* *Arabs* ſcilicet interpreti ignotum erat *Corycium* antrum. Putavit igitur aliud ſignificari, nempe τοὺς κωρύκους, vel τὰ κωρύκια, quæ in conchis ſuis tanquam in antro lateant. Κωρύκους, à *Macedonibus* vocari τὰς τραχείας κόγχας, *aſperas conchas* ex *Hegeſandro* docet *Athenæus* libro tertio. Et *Plinius* libri trigeſimi ſecundi capite ſeptimo. *Muricum generis ſunt quæ vocant* Græci *colycia, alii corycia.* Ex his patet, *Arabibus* حلزون *chalazon*, id eſſe, quod diximus nempe cochleam in genere. Neque aliud חלזון *chilzon* priſcis *Hebræis* & חלזונא *chilzona Chaldæis.* Quandoque enim pro terreſtri cochlea ſeu limace ſumi videas. Ut *Deut.* 28, 42. כל אילניכון ופירי ארעיכון ישיצי חלזונא *Omnes arbores veſtras & fructus terræ veſtræ perdet chilzona*, id eſt, limax. Quod ſecutus *Pomarius* חלזון *chilzon*, terreſtrem ſcilicet, definit תולעת שחור שאוכל העשבים והאילנות, *vermem nigrum qui herbas, & arbores depaſcitur.* Et in tractatu *Sanhedrin*, fol. 91. a. עלה להר וראה שהיום אין בו אלא חלזון אחת למחר ירדו גשמים ונתמלא כלו חלזונות, *Aſcende in montem, & videbis in eo hodiè non eſſe, niſi unum chilzon* (ſeu limacem.) *At cras ſi pluvia ingruant, limacibus complebitur mons univerſus.* Rurſus quandoque uſurpatur pro cochlea marina, & ſpeciatim pro purpura ſeu conchylio, Ut in loco, quem citavimus ex *Jonathanis Paraphraſi*, Deut. 33, 19. Quomodo etiam ab *Arabibus* uſurpari docet, quod *Eutychius*, *Patriarcha Alexandrinus* (à præſtantiſſimo viro *Edvardo Pocockio* anno præterito editus) primam purpuræ inventionem cani tribuens, non quidem *Herculis*, juxta receptam fabulam, ſed paſtoris cujusdam, dum *Tyri* regnaret *Hiram*, hæc verba habet, فاصاب الكلب حلزونة تمشي في الشط لونها كلون البرفير فاكلها فامتلا فيه من دم الحلزونة *Et reperit canis chalazonam purpurei coloris, in littore reptantem, & eam edit, & os ejus impletum ſanguine chalazonæ.* Et infra de *Hirami* infectoribus. فخرج الصباغون الي شط البحر فطلبوا الحلزونة فاصابوها فصبغوا له البرفير *Et* (*Hirami* Regis) *infectores ad littus maris exiêrunt & quæſiêrunt halazonam* (id eſt, cochleam purpurariam) *& repererunt eam, & tinxerunt ei purpuram.* Hæc ille pagina 174. Nec mirum utramque cochleam, terreſtrem, inquam, & marinam, ſub communi nomine contineri, cùm una alteri ſit ſimillima. Quod his verbis teſtatur *Bellonius*, qui purpurarias cochleas adhuc vivas ſæpe viderat: *Ejus concha cochleam terreſtrem penitùs referret, niſi clavata eſſet, & canalem ad latus quâ linguam exerit, haberet. Cornua limacum more attollit, atque eodem pacto ſerpit, iiſdemque cornibus iter ſibi prætendit.* Partim ex *Jonathane* expreſſa ſunt hæc *Talmudicorum* in *Megillath Eſther* cap. 1. fol. 6. a. אמר זבולון לפני הקב״ה רבונו של עולם לאחי נתת להם שדות וכרמים ולי נתת הרים וגבעות לאחי נתת ארצות ולי נתת ימים ונהרות אמר לו כולן צריכין לך על ידי חלזון שנאמר ושפוני טמוני חול תני רב יוסף ספוני זה חלזון טמוני זו טרית חול זו זכוכית לבנה. *Dixit Zabulon Deo ſancto, & benedicto: Domine mundi, fratribus meis dediſti agros & vineas; At mihi dediſti montes, & colles. Fratribus meis dediſti terras: At mihi maria & amnes. Cui reſpondit Deus: Omnes fratres tui te egebunt propter chilzon* (ſeu cochleam purpurariam) *Dicitur enim* (de Zabulonitis) Deut. 33, 19. *Theſauri abſconditi arenæ* (ſupple *eorum erunt.*) *Docuit autem* Rabbi Joſeph *voce* שפוני, id eſt, theſauri, *intelligi* חלזון *chilzon*, (ſeu purpuram) *voce* טמוני, id eſt, abſconditi, טרית *ſarith*, (ſeu piſces recentes) *& voce* חול *chol*, ſeu arenæ, זכוכית לבנה, *vitrum album.* Proinde in *Lexicis*, *Talmudicis*, aut *Chaldaicis* ferè quotquot ſunt, ספן, vel שפן, habetur pro piſce, ex cujus ſanguine fit purpura vel hyacinthus. Abſurdè cum שפון purpuram, aut conchilium non magis ſignificet quam טמן piſces recentes, aut חול vitrum. Tantùm quia ex littorali arena, quæ alioqui ſolet eſſe ſterilis & infœcunda, magnas opes *Zabulonitis* acceſſuras promittit *Moſes*, idque his tribus vocibus שפוני טמוני חול *theſauri abſconditi arenæ*, *Talmudici* totidem beneficia enumerant quæ illis inde provenerint. Primò חלזון purpuram, ſeu conchylium, ex cujus ſucco lanas in veſtium uſum imbuerint. Purpuræ enim, quamvis in petris frequentius, tamen etiam in arena proveniunt. *Oppianus Halieuticωn* libri primi verſu 314.

Πολλὰ μὲν ἐν πέτρῃσι, τὰ δ᾽ ἐν ψαμάθοισι νέμονται,
Νηρεῖται, στρόμβοι τε καὶ ἰχθύς, ἠδὲ πορφύραι αὐταί,

Multa quidem cochlearum genera in petris, alia autem in arenis paſcuntur, nerita, ſtromborumque genus, & ipſa purpura. Secundò טריח *tarith*, piſces quos quotidiè recentes in arenario ſuo littore piſcati ſint in gulæ & ciborum delicias. 3. Denique זכוכית לבנה *vitrum album*, id eſt, clarum & perſpicuum, ex quo ſpecula conflaverint, & vaſa omnis generis, quæ ne aureis quidem cederent, niſi materia eſſet fragilis. Neque id à *Jonathane* omiſſum in loco jam citato; Ibi enim poſt piſcium, & purpurariæ conchæ mentionem, ſequitur ומן חלא מפיקין אספקלרין ומני זגוגיתא *Et ex arena ſpecula educunt, & vaſa vitrea.* Nempe in *Zabulonitarum* finibus ad ſecundum à *Ptolemaide* ſtadium erat *Belus* fluvius, ex cujus arenis vitrum conflatur. *Tacitus Hiſtoriæ* libro quinto, Belus *amnis* Judaico *mari illabitur, circa cujus os conlecta arenæ admixto nitro in vitrum excoquuntur. Modicum id littus, ſed egerentibus inexhauſtum.* *Plinius* libri quinti capite decimo nono, Rivus Pagida, *ſive* Belus, *vitri fertiles arenas parvo littori miſcens. Ipſe è palude* Cendeviâ *à radicibus* Carmeli *profluit.* Et libri trigeſimi ſexti capite 26. *Quingentorum eſt paſſuum non amplius littoris ſpatium. Idque tantum per multa ſecula gignendo fuit vitro. Fama eſt appulſa nave mercatorum nitri, cum ſparſi per littus epulas pararent, nec eſſet cortinis attollendis lapidum occaſio, glebas nitri è nave ſubdidiſſe. Quibus accenſis permixtâ arenâ littoris, translucentes nobilis liquoris fluxiſſe rivos, & hanc fuiſſe originem vitri.* *Joſephus* de bello *Judaico* libri ſecundi capite nono, Ἀναδίδωσι δὲ τὴν ὑαλίνην ψάμμον, ἣν ὅταν ἐκκενώσῃ πολλὰ πλοῖα προσχόντα, πάλιν ἀναπληροῦται τὸ χωρίον κατασυρόντων μὲν ὥσπερ ἐπίτηδες τότε τῶν ἀνέμων εἰς αὐτὸ, τὴν ἔξωθεν ἀργὴν ψάμμον, τοῦ δὲ μετάλλου πᾶσαν εὐθέως μεταβάλλοντος εἰς ὕαλον. Obiter moneo pro *quingentorum paſſuum*, *Iſidorum* ex *Plinio* habere *quinque millium paſſuum*, (a) quorum utrumque mendoſum. Scribendum enim *quinquaginta paſſuum.* Ut illis cum *Joſepho* conveniat, qui locum definit ἑκατοντάπηχυν centum cubitorum, id eſt, *paſſuum quinquaginta*, ſi ſingulis paſſibus duos cubitos aſſignes, quæ minima eſt menſura paſſus. Hæc arena *Græcè* ὑαλὶς dicta eſt, ut *Hebraicè* חול *hol*, unde vitrum ὕαλος. *Theophraſtus* in libro de lapidibus, Εἰ δὲ καὶ ὁ ὕαλος ἐκ τῆς ὑαλίδος, ὥς τινές φασι, καὶ αὕτη πυκνώσει γίνεται, *Si etiam vitrum ex hyelide conſtat, ut quidam aſſerunt, etiam ipſa ex denſatione fit.* Vel ὑαλὶς eſt חולסית *hulſith*, quomodo *Hebræi* vocant ſolum hujuſmodi arenæ ferax. *Aruch* חולסית קרקע שעפרו חול שמוציאין ממנו זכוכית מצולה, Hulſith, *ſolum cujus pulvis arena eſt, ex cujus fundo vitrum educitur.* Hæc de loco *Deuteronomii.*

a) Iſid. Orig. lib. 16. cap. 15.

Ecce alium ex 2. *Reg.* 25, 12. quem ad purpuram referunt *Talmudici* pari acumine, quo priorem. Ibi *Nabuchodonozori* præfectus *Nabuzardan*, reliquis *Iſraelitarum* in captivitatem deportatis, ſolùm tenuiſſimos in *Judæa* reliquiſſe legitur לכורמים וליוגבים, *in vinitores & agricolas.* Quibus proinde dedit כרמים ויגבים, *vineas & agros* quos excolerent, ut habetur *Jerem.* 39, 10. Quæ cum clara, & obvia ſint, tamen libuit magiſtris per כורמים ſeu *vinitores* eos intelligere qui balſamum legebant, & per יוגבים ſeu *agricolas* purpuræ piſcatores. Ità docent *Talmudici* in tractatu *de Sabbatho* cap. 2. fol. 26. 2. כורמים תני רב יוסף אלו מלקטין אפרסמון מעין גדי ועד רמתא יוגבים אלו צײדים חלזון מסולמות של צור ועד חיפה *Vinitores*, *dixit* Rabbi Joſeph *illos eſſe qui balſamum colligunt ab* Engadi *uſque* Ramatha. *Et agricolas eos qui piſcantur* chilzon (ſeu purpuram) *à* Tyri *ſcalis uſque* Chaipham. Neque obſcurum eſt, cur vinitorum nomine balſami cultores intelligant circa *Engadi.* Cum prope *Engadi* (*Joſepho Engadde*) balſameta fuiſſe conſtet. *Joſephus Antiquitatum* libri noni capite primo, Καταστρατεύονται πρὸς Ἐγγαδδὶ πόλιν κειμένην πρὸς τῇ Ἀσφαλτίτιδι λίμνῃ, τριακοσίους ἀπέχουσαν σταδίους τῶν Ἱεροσολύμων· γίνεται δ' ἐν αὐτῇ φοίνιξ ὁ κάλλιστος καὶ ὀποβάλσαμον. Et per *vineas* Engadi, *Cant.* 1, 14. balſameta illa ſignificari volunt plerique interpretes. *Hieronymus* in locis: *Vocatur uſque hodie vicus prægrandis* Judæorum Engaddi *juxta mare mortuum, unde & opobalſamum venit, quas vineas* Engaddi Salomon *nuncupat.* *Aponius* in *Cantica* libro tertio, *Vinea* Engaddi *non vinum ſed balſama gignunt.* Et in eundem librum *Robertus Foliot Londinenſis Epiſcopus* ante annos propè quingentos: Engaddi *planicies eſt juxta* Jericho, *in qua conſiſtunt arbores in modum vineæ conſita, ex quibus dum vulnerantur, fluit balſamum.* Rectè *in modum vineæ conſita.* Ità enim veteres tradunt. *Trogus* libro trigeſimo ſexto. *Arbores opobalſami in vinearum morem excoluntur.* *Plinius* libri duodecimi capite vigeſimo quinto. *Balſami arbuſcula eſt viti ſimilior*, &c. Malleolis *ſeri dicitur, nuper vinctam vitis: Et implet colles vinearum modo, quæ ſine adminiculis ſe ipſa ſuſtinent. Tondetur ſimiliter fruticans, & raſtris niteſcit*, &c. Cum igitur ad inſtar vineæ fuerint hæc balſameta, non eſt prorſus abſurdum quod vinitorum nomine magiſtri eos intelligunt quibus balſami excolendi cura commiſſa fuit. Sed cur iiſdem agricolæ ſint purpurarii, non eſt æque obvium. Et nos fortaſsè lateret hoc myſterium, niſi *Talmudis Gloſſa* monuiſſet יוגבים *jogebim*, hic illis eſſe idem quod יקבים *jokebim*, tanquam a יקב *jekeb*, quod torcular ſignificat. Quaſi ſic dicantur purpurarii שעוצרים ומוציאים את החלזון להוציא דמו *quia premunt & contundunt* chilzon (ſeu concham purpurariam) *ut ſanguinem ejus exprimant*, ex qua fiat purpura. Addit ibi fuiſſe relictos ללבוש המלך, *ad veſtes Regis*, id eſt, ut purpuram in regios uſus conficerent. In quibus utut ficititiis, tamen verum id eſſe puto, quod purpurarium *Judææ* littus extendunt *Talmudici* מסולמות צור ועד חיפה *à* Tyri *ſcalis uſque ad* Chaipham. *Tyri* ſcalarum etiam alibi mentio, ut in *Vaikra Rabba* Sect. 22. כיון שהגיע לסולמי צור חמא חד ארי קטיל ומקלק באורחא, *cum pervenit ad Tyri ſcalas, leonem unum vidit occiſum, & in viam projectum.* Et ſitum docet *Joſephus* belli *Judaici* libri ſecundi capite nono, ubi *Ptolemaidem Septentrionem* verſus ſcribit montem habere altiſſimum, ſtadiis centum diſſitum, ὃ καλοῦσι κλίμακα Τυρίων οἱ ἐπιχώριοι, *quem ſcalam* Tyriorum *vocant incolæ.* Ibidem *Carmelum* legas à *Ptolemaide* ad meridiem abeſſe cxx. ſtadiis. Porro ad *Carmeli* radices fuit *Chaipha.* *Geographus Nubienſis Cl.* 3. part. 5.

وحيفا تحت طرف الكرمل وهو طرف خارج في البحر وبه مرسى حسن لارسا الاساطيل وغيرها *Et* Chaipha *eſt ſub promontorio* Carmeli *montis: Quod promontorium in mare procurrit, portumque habet ad magnarum navium, aliarumque adeò ſtationem commodum.* Et *Benjamin* poſtquam egit de *Accho* ſeu *Ptolemaide* paginâ trigeſimâ ſexta ומשם ג פרסאות לכיפש היא גד החיפה על שפת הים ומצד אחר הר הכרמל עליה *Inde tribus paraſangis diſtat* Naiphas (imo כיפש *Chaiphas*) *quæ eſt* Gad-Chaipha *ad littus maris: Et huic ab altera parte mons* Carmelus *imminet.* Et *Brocardus* in deſcriptione itineris ab urbe *Acone*, ſeu *Ptolemaide* verſus *Auſtrum*: *Quatuor ſunt leucæ ad oppidum* Caiphæ *in pede montis* Carmeli *ad* Aquilonem *ſitum.* *Caipham* ſcribit pro חיפה. *Chaipha*, quomodo noſtri omnes, quaſi à *Caipha* ſacerdote hujus conditore nomen traxerit, quod videtur commentitium. Utut

utut ſit, ex his apparet purpurariæ piſcationis locum à *Scalis Tyriorum* uſque ad *Chaipham*, & *Carmelum* patuiſſe ſtadiis circiter ccxxx. Tamen, ſi quid video, purpurarum ubique non fuit par copia, ſed harum præcipua ubertas circa *Carmelum* & *Chaipham*. Eò ſcilicet videtur referendum quod in *Gulielmo Tyrio Caipha* vetus nomen fuit *Porphyria*. Ut eadem fuerit quæ *Phœnicia* Πορφυρεὼν apud *Stephanum* ex libro quinto *Polybii*, tanquam à purpuræ piſcatione facto nomine. Præterea 2. *Paral.* 2,7. 14. & 3. 14. כרמיל *carmil*, ponitur inter purpuræ ſpecies. *Coccum* reddunt interpretes, ego purpuræ genus ad *Carmelum* capi ſolitæ. Huc facit quod כרמל *carmel*, & ארגמן *argaman*, id eſt, *purpura*, palam ſunt ſynonyma in his *Cantici* verbis capitis ſeptimi verſu quinto, *Caput tuum* ככרמל, *ſicut carmel*, *& cincinnus capitis tui* כארגמן, *ſicut argaman*, ſeu *purpura*.

Gen. 43, 11. *Jacob* filios ſuos ad *Joſephum* ferre jubet מזמרת ארץ, *de laude terræ*, id eſt, ea ferre quæ in *Judæa* maximè ſunt decantata. Ad quem locum hæc habet *Rabbi Joſue Sochnita* nomine *R. Levi* in *Bereſith Rabba* Sect. 91. דברים שהן מזמרין בעולם חלזון חמר קטף ומור אגורי, *Ifa ſunt res terræ* Chanaan *quæ in orbe ſunt maximè decantatæ*, Chilzon, ſeu purpura, *vinum*, *balſamum*, *myrrha*, *oliva*. De purpura, & balſamo jam patuit. Vinum quoque ſæpe commendatur, ut in *Alexandro Tralliano* vinum *Sareptanum*, *Aſcalonite*, *Gazenſe*, &c. Et *Sidonius* Carm. 17.

Vina mihi non ſunt Gazetica, Chia, Falerna,
Quæque Serapteno *palmite miſſa bibas.*

Et *Corippus* libro tertio

- - - - - - - *& dulcia* Bacchi
Munera quæ Serapta *ferax*, *quæ* Gaza *creârat.*

Serapta, id eſt, *Sarepta*. *Aſcalonite* in Scriptura eſt vinum *Sorek*. Nam torrens *Sorek* eſt prope *Aſcalonem*. De oliva hæc *Plinius* libri decimi quinti capite tertio, *Decapoli verò* Syriæ *perquam parva*, *nec cappari majores*, *carne tamen commendantur*. An hæ ſunt אגורי *egure*, quas *Hebræi* in *Bereſith Rabba* deprædicant, tanquam olivæ genus in *Judæa* præſtantiſſimum? Non puto, quia *Decapolitana* deſcribuntur *perquam parva*, *nec cappari majores*. At אגורי *egure*, mediocres. *Talmudici* in *Berachoth* cap. 6. fol. 39. a. זית שאמרו לא קטן ולא גדול אלא בינוני וזהו אגורי, *Oliva quam ajunt neque magnam eſſe neque parvam, ſed mediocrem, ea eſt egori.* Ita etiam in *Kelim* cap. 17. §. 8. Et *Abbhu* ſic vocari dicit, ששמנו אגור בתוכו, *quia habet oleum ſuum in medio collectum*. Nam אגר *agar*, eſt *colligere*, Græcè ἀγείρειν. At cum *Judæa* purpurâ, vino, balſamo & olivis, myrrham etiam celebrari meritò mirabere, cum in *Judæa* non proveniat myrrha, ſed in *Arabia* intima circa *Saba* & *Atramita*. Itaque in *Bereſcith Rabba* vox ומור, *& myrrha* mihi ſuſpecta. Fortaſsè legendum תומר, *dactylus*, vel תמר, *palma*.

In hæc verba *Cant.* 4, 11. *Odor veſtium tuarum ſicut odor* Libani, *Midras* agit pluribus de *Iſraelitarum* veſtibus in deſerto, quibus id fuit peculiare quod perdurârunt, neque detritæ ſunt per annos quadraginta *Deut.* 8. *v.* 4. & 29. *v.* 5. *Nehem.* 9. *v.* 21. Et ad quæſtionem, an pueris adoleſcentibus veſtes quoque ſimul creverint, auctor ità reſpondet. צא ולמד מן החלזון שכל זמן שהוא גדל נרתיקו גדל עמו *Egredere & à chilzon* ſeu cochlea *diſce*, *quod quamdiu creſcit*, *etiam cum ea creſcit theca ejus*, id eſt concha. Quod ad marinam non minùs pertinet quam ad terreſtrem cochleam, & purpuram maximè, quæ cum ſex aut ſeptem annis vivat in concha tot orbes habet quot annos agit. *Ariſtoteles Hiſtoria* libri quinti capite decimo quinto. Ζῇ γὰρ ἡ πορφύρα περὶ ἔτη ἕξ, καὶ καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν φανερά ἐστιν ἡ αὔξησις, τοῖς διαστήμασι τοῖς ἐν τῷ ὀστράκῳ τῆς ἕλικος. Quorum verborum mentem ità expreſſit *Gaza*: *Annos enim circiter ſex purpuræ vivunt: Et ſingulis annis eorum incrementum patet per orbes, quibus totidem quot annos habent, teſta intorta cuniculatim in crepidinem deſinit.* Et *Plinius* libri noni capite trigeſimo ſexto, purpuram cum buccino conferens: *Clavatum eſt* (purpuræ roſtrum) *ad turbinem uſque aculeis in orbem ſeptenis ferè, qui non ſunt buccino: Sed utriſque orbes totidem quot habeant annos.*

De purpuræ piſcatione *Talmudici* obiter agunt in Tractatu *De Sabbatho*, cap. 7. fol. 75. a. ibi enim diſputant an הצד חלזון ופוצעו, *qui piſcatus chilzon*, ſeu purpuram, *illam premit atque contundit*, violati *Sabbathi* ſit bis reus aut ſemel tantum. Et plerique ſtatuunt non niſi ſemel eſſe reum. Quia cum vivæ purpuræ ſanguis, mortuæ ſanguine præſtet, qui purpuram piſcatus eſt, ſi non ſtatim ſanguinem exprimeret, de ea in vivis ſervanda ſemper eſſet ſollicitus, quæ cura illum torqueret & magis diſtraheret à *Sabbathi* obſervatione, quam ſi perimat eo ipſo momento quo capta eſt. Quæ illuſtrant hæc *Philoſophi* ubi ſuprà: Σπουδάζουσι δὲ ζώσας κόπτειν. ἐὰν γὰρ πρὶν κόπτειν πρότερον ἀποθάνῃ, συνεξεμεῖ τὸ ἄνθος, *Dant operam ut vivas contundant. Nam ſi priuſquam tuderis moriantur, florem ſimul evomunt.* Quod his verbis *Plinius* ità ſequitur ut non planè aſſequatur: *Vivas capere contendunt, quia cum vita ſuccum eum evomunt.* Neque enim vivas capi, ſed & vivas contundi dixerat *Philoſophus*, quomodo & *Talmudici*. Fortaſsè *Plinius* ſcripſerat, *vivas captas contundunt*. Vel pro ζώσας κόπτειν, legerat in *Philoſopho* ζώσας κρατεῖν. *Euſtathius* in lib. quint. *Iliad.* mortem ab *Homero* vocari vult purpuream, πορφύρεον θάνατον, non ſolùm propter ſanguinem qui coloris eſt nigri ſeu purpurei, ſed & τὸν ἐκ μιᾶς πληγῆς· ὡς καὶ ὁ Αἰλιανός φησιν, ἱστορῶν τοὺς πορφυρέας μιᾷ καταφορᾷ χειρὸς τὰς ζώσας πορφύρας συντρίβειν, ἵνα καλὸν οὕτω τὸ βάμμα τῆς πορφύρας γένηται, *mortem uno ictu inflictam: Quod Ælianus quoque docet, purpurarios referens uno manus ictu viventem purpuram conterere, ut tinctura purpuræ pulchra ſic fiat.* Nempe ſi repetitis ictibus percutiatur, ſucci florem amittit, ſive is prorſus effluat, aut εἰς τὸν τῆς σαρκὸς ὄγκον in maſſam corporis ſpargatur, atque ea ratione ad lanarum infecturas ſit inutilis, ut pluribus docet *Ælianus* Hiſtoriæ libri decimi ſexti capite primo; *Homerum* tamen eò reſpexiſſe, cum mortem purpuream appellavit, mihi non ſit veriſſimile. Prima ratio quæ petitur ex purpureo colore ſanguinis, cum vera ſit, & ſolida, aliam exquirere nihil neceſſe eſt.

Sed ut intelligatur, quod dicit *Ælianus*, purpuræ repetitis ictibus læſæ tinctorium fucum in totam corporis maſſam ſpargi, ſciendum eſt in purpuræ corpore tres eſſe potiſſimum partes, ſuperiorem quæ τράχηλος cervix, mediam quæ μήκων papaver, imam quæ πύθμην fundus vocatur à Philoſopho. De his multa inſignia habet *Cl. Salmaſius* in *Solinum* pag. 1126. quæ non ſunt hujus loci. Tantum ex *Ariſtotele* obſervamus florem illum non eſſe in toto purpuræ corpore ſparſum, ſed ἀνὰ μέσον τοῦ μήκωνος καὶ τοῦ τραχήλου inter cirrum & ſpondilum (ſic enim alii vocant.) Quod interpretatur *Plinius*, *in mediis faucibus*.

Color qui ex illo ſucco fit, *Hebraicè* vocatur תכלת *thecheleth*, & *Chaldaicè* תיכלא *thichla*, vel תכלא *thachla*. Quod magiſtri conſtanter docent, quorum antiquiſſimus *Jonathan* in Paraphraſi *Deut.* 33, 19. (ſi quidem is verè eſt *Jonathan*) וחלזונא יאחדון ויצבען מאדמיה תיכלא, *Et chilzonam* ſeu purpurariam cochleam *capient, & ex ſanguine ejus tingent thichla* ſeu purpuram, Quomodo etiam *Gloſſa Talmudis* in *Megillath Eſther* de *Chilzon* cap. 1. fol. 6. a. צובעים בדמו תכלת ונמכר בדמים יקרים *Ejus ſanguine tingitur thecheleth* ſeu purpura *quæ magni conſtat.* Et *Baal Aruch* in *Chilzon*, בדמיה צובעים תכלת לפיכך דמיו יקרים, *Illius ſanguine*

guine tingunt thecheleth, ſeu purpuram, *quæ proinde eſt magni pretii.* *Kimchius* quoque in *Lexico* de תכלת *thecheleth*, והוא צבוע בדם חלזון עם סמנים ידועים, *color ille tingitur ſanguine* ✝ chilzon *cum notis pigmentis.* *Aquinas* etiam & *Pomarius*, תכלת צבע שנעשה מדם חלזון. *thecheleth, color qui fit è ſanguine* ✝ *chilzon.* *R. Selomo* in *Exod.* v. 4. תכלת צמר צבוע בדם חלזון. *thecheleth eſt lana, quæ tingitur ſanguine* ✝ chilzon. *Rabbi Moſes* filius *Maimon* in tractatu ציצית ſeu de *Judæorum* fimbriis quibus vittam תכלת *thecheleth*, jubebantur aſſuere *Num.* 15, 38. docet diſertius, quomodo in illius cochleæ ſanguine lana tingatur. Verba ſunt capitis ſecundi ſectione ſecundâ, כיצד צובעים תכלת של ציצית לוקחין הצמר ושורין אותו בסיד ואחר כך מכבסין אותו עד שיהיה נקי ומרתיחים אותו באהלא וכיוצא בו כדרך שהצבעין עושין כדי שילקוט את העין ואחר כך מביאין דם החלזון והוא דג שדומה עינו לעין התכלת ודמו שחור כדיו ובים המלח הוא מצוי ונותנים את הדם ליורה ונותנים עמו סממנין כמו הקמוניה וכיוצא בהן כדרך הצבעין עושין ומרתיחין אותו ונותנים בו הצמר עד שיעשה כעין רקיע וזו היא תכלת של ציצית. *Cum fimbriarum thecheleth* (ſeu purpuram) *infecturi ſunt, lanam ſumunt, quam in calce maceratam, & ſubinde lotam, donec ſit nitida, in ſapone elixant, atque aliis hujuſmodi, quomodo infectores ſolent, ut lana colorem imbibat.* *Quo facto ſanguinem* ✝ *chilzon afferunt, qui piſcis eſt coloris thecheleth, atri ſanguinis, inſtar atramenti, qui in mari ſalſo reperitur.* *Et ſanguinem in cortina ponunt cum pigmentis variis, cimolia, puta, atque aliis hujus generis pro more infectorum.* *Et poſtquam elixus eſt, lanam in eum immergunt, donec fiat cœlo concolor.* *Et hic eſt color* thecheleth *fimbriarum.* Hæc ex *Maimonide*. In quo id abſurdiſſimum, quod חלזון *chilzon*, ſeu purpurariam cochleam reperiri ſcribit in mari ſalſo, id eſt, in lacu *Aſphaltite*, qui vocatur mare ſalſum, *Gen.* 14, 3. *Num.* 34, 3. & paſſim. Nam purpuræ piſcationem fieri notum eſt in mari Mediterraneo, quod *Hebræis* eſt mare magnum, non in *Judæa* lacubus; Multò minùs in *Aſphaltite*, in quo nullum animal vivit. Et ſi quis è *Jordane* piſcis in illum influat, ſtatim moritur. Sed *Hebræorum* doctiſſimis, qualis fuit *Maimonides*, ſolenne eſt vix quidquam ſcire præter ſermonem, & ritus ſuos. Alibi tam peregrini ſunt, ut etiam in notiſſimis impingant & fœde labantur.

CAPUT DECIMUM.

Hebræum תכלת *thecheleth*, à veteribus *hyacinthum*, vel *hyacinthinum* reddi, de quo colore dubitatur, ſitne purpureus, an cœruleus.

Vocem תכלת thecheleth, Græci *ſemel* purpuram *alibi ſemper* hyacinthum, *vel* hyacinthinum *reddunt.* *Ità etiam omnes veteres.* Hyacinthinus *color olim magni pretii.* Hyacinthi *flos purpureus.* *In* Gallia *ſuis cocci vice.* *Vaccinium eſt hyacinthus.* *Lapidi hyacintho, violaceus, vel purpureus color, ſed dilutior.* Rubinus *Arabibus* ياقوت jakuth, *id eſt*, hyacinthinus. Heſychio & Suidæ Hyacinthinum πορφυρίζον. *Tamen hyacinthus flos* Columellæ & Græcis Poetis *cœruleus.* *Lapis quoque cœruleus*, Solino, Martiano, *& multis Patrum:* *Ab iisdem hyacinthinum colorem cum cœlo conferri ſexcentis locis.* *In velo tabernaculi quatuor colores figura quatuor elementorum* Hebræis *quoque* תכלת thecheleth, *color cœlo & mari ſimilis.* *Sed &* Arabes *idem ſentiunt.* *At purpura non à cœruleo ſed a rubro colore commendatur.* *Itaque purpuræ colorem,* Poetæ *ſanguinis tribuunt, Item Solis, Auroræ, vino, uvis, moris, narciſſo, roſæ, papaveri, violæ, puellarum labiis & genis, maximè in pudore, amethyſto,* &c. Et *purpureus, coccineus, & puniceus color promiſcuè ſumuntur tam a ſacris, quam a profanis ſcriptoribus.* *Contra hyacinthinum à purpureo iidem ſæpe diſtinguunt, & diverſa eſt materia.*

IAM penitius diſquirendum eſt, quis ſit color תכלת *thecheleth*, *Chaldaicè* תיכלא *thichla*, vel תכלא *thachla*, quæ quæſtio eſt valde intricata. Vox תכלת *thecheleth*, extat circiter trigeſies in ſolo *Exodo*. Occurrit etiam aliquoties in aliis Scripturæ libris. *Græci Num.* 4, 7. ὁλοπόρφυρον reddunt vel ſimpliciter πορφυροῦν, ut habet *Complutenſis* editio: ſed alibi ſemper ὑάκινθον & ὑακίνθινον, quod ſequuntur *Philo*, *Joſephus*, *Aquila*, *Symmachus*, *Theodotion*, *Hieronymus* & veteres omnes, nullo excepto. Eum colorem eſſe eximium non ſolum ſacri ſcriptores, ſed & profani docent. *Xenophontis Cyrop.* libro ſexto, *Suſianæ* Regi *Abradatæ* offert uxor *Panthea*, cum aurea caſſide & armillis, χιτῶνα πορφυροῦν ποδήρη στολιδωτὸν κάτω, καὶ λόφον ὑακινθινοβαφῆ, *tunicam purpuream talarem, in extrema ora rugatam, & conum hyacinthini coloris.* *Athenæi* libro duodecimo, *Democritus Epheſius*, poſtquam populares ſuos habere dixit *Corinthii* operis calaſires: Εἰσὶ δὲ, inquit, αἱ μὲν πορφυραῖ τούτων, αἱ δὲ ἰοβαφεῖς, αἱ δὲ ὑακίνθιναι, *harum quædam purpureæ ſunt, quædam violaceæ, quædam hyacinthinæ.* *Arriani* libro ſexto ferè extremo apud *Paſargades* circa *Cyri* ſepulchrum, ἀναξυρίδες Μηδικαὶ καὶ στολαὶ ὑακινθοβαφεῖς ἔκειντο, αἱ δὲ πορφύραι, αἱ δὲ ἄλλης καὶ ἄλλης χρόας, *braccæ Medicæ & ſtolæ hyacinthinæ jacebant, quædam etiam purpureæ, & aliæ diverſi coloris.* Perſius *Satyrâ* primâ,

Hic aliquis, cui circum humeros hyacinthina lana eſt.

id eſt, tricliniaris veſtis mollior, & coloris exquiſitiſſimi. Quod ad ætatis ſuæ mulieres ſolitò comptiores transferens *Hieronymus* Epiſtolâ decimâ ad *Furium*: *Hic aliqua*, inquit, *cui circum humeros hyacinthina lana eſt.* Hyacinthinum colorem cum rubro purpureo plerique eundem eſſe putant, aut illi ſimillimum, ſive ab hyacintho flore, aut ab hyacintho lapide nomen habeat. Florem enim deſcribit *Dioſcorides* πλήρη πορφυροειδοῦς, *purpureo colore plenum.* Et in Auctario hyacinthus à nonnullis vocatur πορφυρανθής. Hinc à *Luciano* in Amoribus, muliebris capitis cincinni deſcribuntur ὑακίνθοις τὸ καλὸν ἀνθοῦσιν ὅμοια πορφύροντες, *perinde ac pulchrè florentes hyacinthi purpuraſcentes.* *Poetæ* quoque hyacinthum πορφύρεον appellant. Ut *Euphorion*,

Πορφυρέη ὑάκινθε σὲ τοὔνομα φασὶν ἀοιδοὶ &c.

Purpuree hyacinthe te nomen Poetæ *dicunt*, &c. Et *Pancrates* apud *Athenæum* libro decimo quinto,

Οὔλην ἑρπυλλον, λευκὸν κρίνον, ἠδ᾽ ὑάκινθον
Πορφυρέην, - - - - - -

Criſpum ſerpillum, album lilium, atque hyacinthum purpureum. Hinc *Poeta* Eclogâ tertiâ:

Munera ſunt lauri, & ſuave rubens hyacinthus.

Ut *Ecloga* ſtatim ſequenti dixit, *ſuave rubenti murice.* Rurſus libro quarto *Georgicorum.*

Et pinguem tiliam, & ferrugineos hyacinthos.

id eſt, purpureos aut ſubpurpureos. Nam, ut docet *Servius ad* librum nonum *Æneidum*, *ferrugo coloris* genus

genus eſt vicinus purpura ſubnigra. Et de hoc eodem flore *Ovidius* lib. 10. *Metamorphoſeus.*

- - - - - Tyrioq́; *nitentior oſtro*
Flos oritur, formamq́; capit quam lilia, ſi non
Purpureus color his, argenteus eſſet in illis.

Proinde *Plinius* lib. 21. cap. 26. hyacinthus in *Gallia* legitur in tinctura lanarum, cocci vices præſtitiſſe. *Hyacinthus,* inquit, *in* Gallia *optimè provenit: hoc ibi pro cocco hyſginum tingitur.* Et lib. 26. cap. 18. *Vaccinia* (id eſt hyacinthi) Italiæ *mancipiis ſata;* Galliæ *verò etiam purpura tingendæ ad ſervitiorum veſtes.* Ut *Vitruvius* lib. 7. *Eadem ratione vaccinium temperantes, & lac miſcentes, purpuram faciunt elegantem.* Et in *Gloſſario Vaccinium* redditur ἄγχουσα, ὑάκινθος. Non quod idem ſint anchuſa & hyacinthus, ſed quia uterque flos ex æquo purpuraſcit. Lapis quoque hyacinthus, vel violaceus deſcribitur, vel purpureus, ſed dilutior. *Plinius* lib. 37. cap. 9. *Ille emicans in amethyſto color violaceus, dilutus eſt in hyacintho. Solinus* de eodem in capite de *Æthiopia: Optimus in illo tenor, ſi nec denſiore fuco ſit obtuſior, nec propenſa perſpicuitate detectior, ſed ex utroq; temperamento lucis, & purpura fucatum ſuaviter florem trahat.* Quin rubinus noſter ab *Arabibus* & *Perſis* ياقوت id eſt, hyacinthus nominatur, quaſi hyacinthini ſit coloris. Et ὑακίνθινον, *Heſychius* & *Suidas* exponunt ὑπομελανίζον, πορφυρίζον.

Tamen hyacinthinum colorem eſſe cœruleum jam iis rationibus probabimus quas nemo facile refellet. Ratio prima ab hyacintho flore ducitur, cui cœruleum colorem tribuunt idonei ſcriptores. Sic *Columella* in horto ſcribit.

Nec non & niveos & cœruleos hyacinthos.

Quomodo *Græci* quoque *Poetæ* κυανέους ὑακίνθους, ut obſervatum à *Salmaſio* in *Solinum* pag. 997. Secundò lapis hyacinthus cœruleus, & cœlo concolor à multis deſcribitur. *Solinus* ubi ſupra: *Inter ea quæ diximus nitore cœrulo, hyacinthus invenitur lapis pretioſus, ſiquidem inculpabilis invenitur. Martianus Capella* lib. 1. *neque* Scythidis *vireta, nec ceranniorum vibrans fulguransque lumen, nec fluctícolor hyacinthi credebatur abeſſe profunditas. Ambroſius* in *Apoc.* 21. *v.* 20. *Hyacinthus, cujus ſpecies hyacinthino colori nomen impoſuit, pretioſiſſimus eſt, cœli ſerens colorem habens, ſicut ſapphirus.* Et de eodem *Andreas Cæſarienſis* in illum ipſum locum: Τούτῳ κυανίζοντι τὴν χροιὰν, ἤγουν ἀερίζοντι, &c. Hinc *Hieronymus* ad *Demetriadem, Epiſt.* 7. *Ut taceam de inaurium pretio, candore margaritarum, ſmaragdorum virore, ceranniorum flammis, hyacinthorum pelago,* id eſt, de hyacinthis cœruleis, qui pelagi color eſt. Et *Iſidorus Originum* lib. 16. capite 9. *Hyacinthus ex nominis ſui flore vocatur: In* Æthiopia *invenitur: cœli colorem habet.* Eodem pertinet quod in *Epiphanii* libro de duodecim gemmis, hyacinthi prima ſpecies vocatur θαλασσίτης, tanquam mari concolor. Et lapis תרשיש, *tharſis,* ſeu marinus *Symmacho* eſt *hyacinthus.* Aquilæ etiam *Ezek.* 1. *v.* 16. ubi ad verba ὡς εἶδος θαρσεῖς *quaſi ſpecies* tharſis *Theodoretus,* Κατὰ δὲ τὸν Σύμμαχον, ὡς ὅρασις ὑακίνθου. Et *Hieronymus, Viſio* tharſis *quam nos in mare vertimus, Aquila hyacinthum poſuit, qui lapis, cœli habet ſimilitudinem.* Denique hyacinthum, & hyacinthinum cum cœlo, & aëre veteres ſexcentis locis conferre videas, ac ſi ſint ejuſdem coloris. Sic, quia tabernaculi velum ex byſſo, purpurâ, hyacintho, & cocco fuit, *Exod.* 26. *v.* 31 in iis quatuor, quærunt veteres imaginem quatuor elementorum, terræ in byſſo quæ ex terra, aquæ in purpura quæ ex mari provenit, aëris in hyacintho, & ignis in cocco, propter colorum ſimilitudinem. Quò referenda hæc *Philonis* in libro de congreſſu quærendæ eruditionis cauſa: Σύμβολον δὲ γῆς μὲν ἡ βύσσος, φύεται γὰρ ἐκ ταύτης, ἀέρος δὲ ὑάκινθος, &c. Et *Joſephi Antiquitatum* lib. 3. cap. 8. Τὸν δὲ ἀέρα βούλεται δηλοῦν ὁ ὑάκινθος. Et *Origenes* in *Exodum Homilia* 13. *Hyacinthus ergo ad aerem refertur, hoc enim ipſe indicat color,* &c. Et *Theodoretus* in *Exodum Quæſt.* 6. Ὁ μὲν γὰρ ὑάκινθος ἀέρι προσέοικε. Quod ipſum toties repetunt, quoties de hoc colore res eſt. *Joſephus* ubi ſupra: Ἀποσημαίνει δὲ καὶ ὁ τοῦ ἀρχιερέως χιτὼν τὴν γῆν, λίνεος ὤν. ὁ δὲ ὑάκινθος τὸν πόλον. Et infra: Καὶ ὁ πῖλος δέ μοι δοκεῖ τὸν οὐρανὸν τεκμαίρεσθαι, ὑακίνθινος πεποιημένος. *Gregorius Nyſſenus* in libro de vita *Moſis:* Ὑακινθίνη ἐστὶν ἡ τοῦ ποδήρους βαφὴ, φασὶ δέ τινες τῶν πρὸ ἡμῶν τεθεωρηκότων τὸν λόγον, τὸν ἀέρα σημαίνεσθαι τῇ βαφῇ. *Hieronymus* in *Jer.* 10. *v.* 9. *Hyacintho operiuntur & purpura, ut ſuperficie ſui oculos decipiant, dum cœlorum ſibi colorem & regna cœleſtia pollicentur.* Et in *Ezech.* 16. *v.* 10. ad verba, *calceavi te hyacintho;* vel ut alii *janthino: cum loti fuerint pedes & omni ſorde purgati, calceantur hyacinthinis,* vel ut alii *janthinis, quod utrumq; aeris & κυανοῦ coloris eſt, ut rapiantur in occurſum Domini in aerem, & ad cœleſtia regna feſtinent.* Et in *Ezech.* 27. *v.* 24. *Involucra hyacinthina, propter coloris ſimilitudinem, referamus ad aereas poteſtates. Ambroſius* in *Apocalypſim* cap. 9. ubi de loricis hyacinthinis, *per hyacinthum, qui cœli figuram habet,* &c. Pauca hæc ex multo pluribus. Itaque niſi velimus veteres omnes ignoraſſe, quis color eſſet hyacinthinus; illum fateri neceſſe eſt eundem eſſe cum cœruleo, aut ſaltem illi vicinum.

Non poſſum non addere ὑακίνθινα *Epiphanio* in *Alogis* Sect. 34. idem eſſe quod καλλάϊνα. Verba ſunt: Τὰ δὲ πύρινα ἵνα εἴπῃ τὰ κόκκινα ἐνδύματα, καὶ ὑακίνθινα, ἵνα δείξῃ τὴν καλλαΐνην ἐρέαν, *Veſtes igneas* (dixit *Johannes Apocal.* 9. *verſ.* 17.) *ut coccineas ſignificaret; & hyacinthinas ut lanam callainam indicaret.* Ea porro vox pari videtur homonymia laborare. Nam ad purpureum colorem κάλλη nonnunquam pertinent. *Heſychius:* Καλλιάνθη, πορφυρᾶ. Lege Κάλλη, ἄνθη, πορφυρᾶ. Ut in *Etymologico:* Κάλλη, τὰ ἄνθη, ἢ τὰ πορφυρᾶ ἱμάτια. Et in *Suida:* Κάλλη, τὰ πορφυρᾶ ἱμάτια. Quâ notione uſurparunt *Æſchylus* & *Eupolis.* Eſt & flos ejuſdem nominis, ex quo fit color. *Heſychius:* Καλλαΐδος, ἀνθέσμιον πρὸς βαφὴν ἁρμόζον, Lege, Κάλλη, εἶδος ἄνθους ποιὸν πρὸς, &c. *Calle, floris genus ad tingendum aptum.* Inde κάλλαια purpurea quævis, & gallorum paleæ ſeu barbæ à purpureo colore. *Heſychius,* Κάλλαιοι (imò Κάλλαια) οἱ τῶν ἀλεκτρυόνων πώγωνες, καὶ πᾶν πορφυροειδὲς χρῶμα. *Etymologicum:* Κάλλαια καλοῦνται τὰ κάτωθεν τῶν ἀλεκτρυόνων ὥσπερ γένεια, διὰ τὸ εἶναι ἀνθηρὰ καὶ πορφυροειδῆ, τὰ πορφυρᾶ γὰρ κάλλη ἐκάλουν. Ita etiam *Ammonius,* & *Euſtathius* in *Iliad.* χ'. Nempe κάλλαια vox pro gallorum barbis occurrit in *Ariſtophanis Equitibus, Ariſtotelis Hiſtoriæ* libri noni capite quadrageſimo nono, *Athenæi* libro nono in *Pauſaniæ Bœoticis,* & *Epiſtolis Philoſtrati.* Et indidem χρῶμα καλλάϊνον, vel καλλάνεν deducunt *Etymologus,* & *Heſychius,* quorum hic παρ' Αἰγυπτίοις, apud *Ægyptios* hoc vocabulum in uſu eſſe teſtatur. Potuit igitur per aphæreſim κάλλαια mutari in *Æthiopicum* ላለ : *laia,* quo pro coccino utitur *Æthiops* interpres *Apocal.* 17. *v.* 4. & *cap.* 18. *v.* 12. 16. Itaque hactenus, κάλλη, κάλλαια, καλλάϊνα, dicuntur quæ purpurea ſunt. At alibi καλλάϊνον dici videas colorem Venetum ſeu cœruleum. *Gloſſæ* veteres *Latino-Græcæ,* Καλλάϊνον, *Venetum.* Καλλάϊνος, *Venetianus.* Incertus autor de circo apud *Salmaſium* in *Solinum:* Βένετον δὲ οἱ Ῥωμαῖοι τὸ παρ' ἡμῖν καλλάϊνον χρῶμα προσαγορεύουσιν. *Martialis* in *Apophoretis:*

Induerat albas, exue callainas,

id eſt, eodem interprete *Venetas,* ſeu *cœruleas. Arethas* in *Apocalypſin* capite ſexageſimo ſeptimo de *Sapphiro:* Οὗτος τοῦ καλλαΐνου χρώματος καλυμμένου,

ὅτι ὡς

ὅτινες Βένετον φασί, τῷ ὑγρῷ ἀπεικάζεται χρώματι, ἤτοι τῷ τ' ἀέρος βάθει. *Is* callaini *cum ſit coloris, quem nonnulli Venetum vocant, cœruleo colori ſimilis eſt aut profundo aeri.* Eſt & lapis callaïs ſapphiro ſimilis. *Plinius* lib. 37. cap. 10. *Callais ſapphirum imitatur, candidior & littoroſo mari ſimilis.* Et cap. 8. ubi de topazio gemma. *Comitatur eam ſimilitudine proprior quam auctoritate callaïs viride pallens.* Aliis *callaina* ſcribitur, vel *callaica.* Unde *Solinus*: *Germania continentibus callaica reperitur, &c. vires pallidum.* Sic apud *Dioſcoridem* lib. 5. inter jaſpidum ſpecies eſt ὁ τερεβινθίζων καλλαΐνῳ χρώματι προσόμοιος. Recentiores γαλαΐζω dicunt. *Achmes oniroerit.* cap. 220. ὑπόν γαλαΐζον ἢ βένετον, *ocrea cœrulea aut Veneta.* *Græcis* idem hodie γαλάζιο. Itaque jam conſtat quorſum *Epiphanio* idem ſint ὑακίνθινα & καλλάϊνα, utrumque ſcilicet non ſolum pro colore purpureo ſed & pro cœruleo colore uſurpatur, quomodo ſumit *Epiphanius.*

Huc *Hebræorum* accedunt ſuffragia. Nam pleriſque eorum תכלת *thecheleth* eſt color mari aut cœlo ſimilis, ut hyacinthus *Græcis.* *Talmudici* in Tractatu *Menachoth* capite quarto, ubi de hoc colore multa. מה נשתנה תכלת מכל מיני הצבעונים מפני שהתכלת דומה לים וים דומה לרקיע ורקיע לכסא הכבוד שנאמר ותחת רגליו כמעשה לבנת הספיר וכעצם השמים לטהר *Quid differt thecheleth ab omnibus aliis colorum ſpeciebus?* (id eſt, qua in re illis eſt præſtantior, quomodo *Græce* ſumitur διαφέρειν) *Reſp. in eo quod thecheleth eſt mari ſimilis; Et mare ſimile firmamento cœli: Et firmamentum throno gloriæ. Prout dicitur* Exod. 24. v. 10. *Ejus pedibus ſuberat ſimilitudo ſapphirini lateris, qualis eſt cœli ſereni ſpecies.* *Maimonides* in *tſitſith* cap. 2. והיא דמות הרקיע, *Eſt firmamento ſimilis.* *Kimchius* in Lexico הוא העין שקורין לו בלעז אזורו אולטרימרין, *color ille eſt quem lingua vernacula vocamus azurum ultramarinum.* *Pomarius* והיא כעין צבע ים, *is eſt mari concolor.* In *Aben Ezra R. Japheth* תכלת *thecheleth* dici vult quaſi תכלית *thachlith*, quod perfectionem ſonat. Unde colligit nigrum ſignificari, in quem colorem omnes redeunt, nec ipſe in ullum alium quacunque arte humana. Sed hunc refellit idem *Aben Ezra* magiſtrorum auctoritate, quibus *thecheleth* eſt color ירוק, *viridis.* Quod idem aſſerit R. *Selomo* in *Exod.* 25. *v.* 4. Cæſium intelligo ſeu cumatilem, quem *Galli* vocant *viridem marinum.* Quod prope omiſeram, *Arabes* quoque *Pentateuchi* interpretes, tam qui *Pariſiis,* quam qui *Leidæ* eſt editus, pro תכלת *thecheleth* اسمانجون cœleſtem ſeu cœruleum colorem habent. *Hebræis* igitur & *Arabibus* cum *Græcis* & *Hieronymo* convenit in hujus vocis interpretatione.

Sed quam inter ſe conveniunt, tam à rei natura diſſentire videbuntur, cum cœruleus color à purpureo non ſit parum diverſus; neque à cœruleo ſed à rubro colore purpura commendetur, Tyria, inquam, purpura, de qua hic potiſſimum agitur. *Virgilius* lib. 3. *Georgicorum.*

- - - - - *quamvis* Mileſia *magno*
Vellera mutentur Tyrios *incocta rubores.*

Ovidius de *Arte* lib. 3. v. 170.

Nec quæ bis Tyrio *murice lana rubet,*

Seneca in *Hercule Oetæo Actu* 2.

Nec Sidonio *mollis aheno*
Repetita bibit lana rubores.

Statius lib. 1. *Sylvarum* in Epithalamio *Stellæ* & *Violantillæ:*

Vellera Sidonio *jam pauca rubeſcere tabo.*

Et lib. 3. in *Propemptico* Metii Celeris:

Qua pretioſa Tyros *rubeat, qua purpura ſucco*
Sidoniis *iterata vadis.*

Veterum catalecta:

Pande puella genas roſeas,
Perfuſas rubro purpuræ Tyriæ.

Vitruvius lib. 7. cap. 13. ubi de diverſis purpuræ coloribus: *Puniceum quidem profert* Africa, Tyros *autem rubeum.* Pro rubro purpureum dixit *Tibullus* lib. 2. *Elegia* 6.

Illi ſelectos certent præbere colores
Africa *puniceum, purpureumq́;* Tyros.

Plinius eum ſanguine confert lib. 9. cap. 38. *Tyrius,* inquit, *pelagio primùm ſatiatur, immatura viridique cortina, mox permutatur in buccino. Laus ei ſumma, color ſanguinis concreti, nigricans aſpectu, idemq́; ſuſpectu refulgens. Unde &* Homero *purpureus dicitur ſanguis.* Nempe *Iliad.* ρ'. 360.

- - - - - - - - αἵματι δὲ χθὼν
Δεύετο πορφυρέῳ - - - - - - -

Sanguine purpureo terra madebat. Quo pertinere notavimus quod apud eundem eos qui in prælio morte violentâ cadunt,

Ἔλλαβε πορφύρεος θάνατος, καὶ μοῖρα κραταιή,

Cœpis purpurea mors & validum fatum, Iliad. ε', & paſſim. Inde purpureum Poetæ vocant quicquid inſigniter rubet, ut Solem & Auroram. *Virgilius* in *Ciri:*

Purpureos inter Soles & candida Lunæ
Sydera. - - - - - - - -

Et in *Ætna:*

Purpureoq́; rubens ſurgat jubar aureus oſtro.

Ovidius Metamorphoſeos lib. 3.

Qui color infectis adverſi Solis ab ictu
Nubibus eſſe ſolet, aut purpureæ Auroræ.

Et lib. 6.

- - - - - - - - - *ut ſolet aer*
Purpureus fieri, cum primùm Aurora movetur.

Et in Epiſtola *Phædræ, Hippolyto:*

Purpureo tepidum qui moves axe diem.

Et *Cydippes Acontio:*

Demere purpureis Sol juga vellet equis.

Et vinum lib. 2. de *Arte:*

Plenaq́; purpureo ſubrubet uva mero,

Et uvas. *Horatius* Epod. 2.

Certantem & uvam purpuræ.

Et mora lib. 4. *Metamorphoſeos,*

Purpureo tinxit pendentia mora colore.

Et Narciſſum: *Virgilius* Ecloga 5.

Pro molli viola, pro purpureo narciſſo.

Et roſam. Idem in roſis:

Hanc tenui folio purpura rubra notat.

Et papavera. *Propertius* lib. 2.

Candida purpureis mixta papaveribus.

Et violas. *Venantius* de *Paſcha:*

Mollia purpureum pingunt violaria campum.

Et puellarum labra & genas. *Ovidius* lib. 1. Amorum

Purpureas tenero pollice tange genas.

Et lib. 3.

Illic purpureis condetur lingua labellis.

Et *Statius* Epicedio in *Glauciam* lib. 2. *Sylv.*

O! ubi purpureo ſuffuſus ſanguine candor.

Præcipuè in pudore. Idem lib. 2. *Theb.* verſu 231.

Candida purpureum fuſa ſuper ora ruborem.

Seneca in *Hippolyto* Actu 2.

Non ora tingens nitida purpureus rubor.

Et amethyſtos. *Ovidius* lib. 3. de *Arte,*

Hic Paphias *myrtos, hic purpureos amethyſtos.*

Plinius quoque lib. 37. cap. 9. *Alius ex hoc ordo purpureis* (gemmis) *dabitur, & ab illis diſcedentibus Principatum amethyſti* Indicæ *tenent.* Et paulò infra, *Indicæ* (amethyſti) *abſolutum purpuræ colorem habent: ad hancq́;*

hancq́; tingentium officina dirigunt vota. Proinde in *Martialis apophoretis*, ita de ſe lana *amethyſtina*,

Ebria Sidoniæ *cum ſim de ſanguine conchæ.*

Eodem facit quod apud *Stephanum Byzantium Uranius*, mare Rubrum dici aſſerit, ἀπὸ τῶν παρακειμένων ὀρῶν, ἃ ἐρυθρὰ δεινῶς εἰσι καὶ πορφυρᾶ, *à vicinis montibus, qui inſigniter rubri ſunt & purpurei.* Sed purpureum rubri coloris eſſe genus ii maximè docent, qui pro purpureo coccineum & puniceum uſurpant καταχρηστικῶς. Cujus καταχρήσεως exempla paſſim occurrunt. Ita (a) *Matthæus* χλαμύδα κοκκίνην vocat, quam πορφύραν, (b) *Marcus*, & (c) *Johannes* ἱμάτιον πορφυροῦν appellant. In *Juſtini* dialogo cum *Tryphone Judæo* τὸ κόκκινον βάμμα eſt vitta hyacinthina vel purpurea, de qua *Num.* 15. *v.* 38. *Arabs* interpres *Erpenianus* pro coccino habet ارجوان *argevvan*, id eſt, purpuram, *Apoc.* 17. *v.* 4. & *c.* 18. *v.* 12. 16. Contra כרמיל *carmil*, coccinum reddunt interpretes ferè quotquot ſunt, 2. *Paral.* 2. *v.* 7. 14. & 3. *v.* 14. cum purpuram debuiſſent, ut ſupra probavimus. Pari catachreſi *Horatius* libr. 2. *Satyra* 6. de qua veſte dixerat,

- - - - - - - - *rubro ubi cocco*
Tincta ſuper lectos candebat veſtis eburnos.

Addit tertio poſt verſu,

Ergo ubi purpureâ porrectum in veſte locavit.

Et de ave porphyrione *Euſtathius* in *Odyſſ.* γ'. Καλεῖται δὲ πορφυρίων διὰ τὸ τῆς ῥύγχους φοινικοῦν. *Porphyrio autem vocatur à puniceo roſtri colore.* Quaſi puniceus color idem ſit cum purpureo à quo nomen porphyrioni. Sic *Martianus Capella*, purpuræ puniceum fulgorem tribuit, cum de Sole dicit lib. 1. *Mox ut cœpit ingreſſus propinquare, purpura rutilantis puniceus quidam fulgor antevenit.* Et in ara 1. *Doſiada*, quam Cl. *Salmaſius* primus edidit,

Μεδάζωσιν οἷα κάχλῃ
Ὑπὸ φοινίσσῃ τέγξῃ.

Ut puniceis liquoribus purpuram (ſeu purpuream veſtem) *imbuit.* Et *Nonnus* de cane *Herculis*, qui purpuram momorderat,

Χείλεα φοινίξας δολερῷ πυρὶ, τῷ ποτε μούνῳ
Φαιδρὸν ἀλιγλαίνων ἐρυθαίνετο φᾶρος ἀνάκτων.

Labra humidi ignis puniceo colore inficiens, quo olim ſolo amœna purpuratorum rubefiebat veſtis Regum. Et de eodem *Julius Pollux*, ὁ δὲ λύθρος ἄρα τὰ χείλη τοῦ κυνὸς αἱμάξας ἐφοίνιξεν, *Sanguis autem labia canis cruentans puniceo colore infecit.* Et paulo poſt de *Hercule*, πρῶτος γενόμενος εὑρετὴς τῷ Τυρίῳ λόγῳ τῆς φοινίσσης βαφῆς, *Juxta* Tyrium *ſermonem primus fuit inventor punicei coloris*, id eſt, purpurei.

Ex his cum rubram eſſe purpuram ſatis conſtet, videtur omnino ſequi hyacinthinum colorem, ſi verè ſit cœruleus, diverſum eſſe à purpureo. Et verò palam diſtinguitur à *Xenophonte* qui *Abradatæ* tribuit χιτῶνα πορφυροῦν, καὶ λόφον ὑακινθοβαφῆ, *tunicam purpuream. & conum hyacinthini coloris.* Et à *Democrito Epheſio*, apud quem *Epheſii Calaſires* habent, quarum αἱ μὲν πορφυραῖ, αἱ δὲ ἰοβαφεῖς, αἱ δὲ ὑακίνθιναι. Quid, quòd à ſacris Scriptoribus, locis niſi fallor triginta תכלת *thecheleth*, & ארגמן *argaman*, memorantur tanquam diverſi colores? Ut *Exod.* 25. *v.* 3. 4. *Hæc eſt oblatio quam ab eis accipietis, aurum & argentum & æs* ותכלת וארגמן. *& thecheleth, & argaman*, & paſſim toto illo libro. Porro ארגמן *argaman* eſſe purpuram tam certum eſſe videtur quam quod eſt certiſſimum. *Græci* enim & *Hieronymus* ita conſtanter reddunt. *Chaldæi* quoque, *Syri*, & *Arabes* ארגונא *argevana*, vel ارجوان vel *argevvan*, voce ejuſdem ferè ſoni, qua purpuram hodieque ab illis ſignificari nemo eſt qui neſciat. Cujus interpretationis primus auctor eſt *Eſdras* 2. *Par.* 2. *v.* 7. aut verò *Daniel*, qui purpuram pro ארגמן *argaman*, ſemper vocat ארגון, *argavan*.

(a) Vide Matth. 17. v. 28.
(b) Marc. 15. v. 17. 20.
(c) Joh. 19, 2, 5.

Proinde hyacinthum à purpura palam diſtinguunt *Philo*, *Joſephus*, *Græcique*, & *Latini* patres, quibus hyacinthum, purpuram, coccum, & byſſum, *Exod.* 25. *v.* 4. quatuor elementa eſſe diximus. Denique cum purpura ex purpurariæ conchæ ſanie fiat, colorem hyacinthinum, ex hyacintho flore, ſeu quod idem eſt vaccinio, fieri ex *Plinio* colligere eſt.

CAPUT UNDECIMUM

Probatur תכלת *thecheleth*, & ארגמן *argaman*, eſſe marinæ purpuræ duo genera, quorum illud cœruleum ex conchylii, hoc propriè purpureum fuerit, ex purpuræ propriè dictæ ſanie factum.

Purpura ex tribus concharum generibus, purpurâ propriè dictâ, conchylio & murice ſeu buccino. Conchylium & purpuram ſæpe promiſcuè ſumi, ſæpe etiam diſtingui. Purpuræ propriè dictæ color ruber, Conchylii glaucus & mari ſimilis. Conchylii color medius inter purpureum, & cœruleum, ut purpuriſſo Indico *& pantherarum oculis.* Κάλχη, *vel* χάλκη *purpura.* Χάλκανθον *ſeu* vitriolum *inde dictum cœrulei coloris. Veteribus color* תכלת thecheleth; *hyacinthinus dictus, non à materia, ſed à colore. Purpura hyacinthina,* ארגמן argaman, *vel* ארגון argavan, *rubra purpura ex ejus conchæ ſanie facta, quæ propriè purpura dicitur.* Græci *&* Hieronymus *ſemper* purpuram *reddunt.* Hebræi *rubram eſſe dicunt, &* carmeſinam, *id eſt, coccineam, & laccæ concolorem. Quatuor laccæ ſpecies omnes rubræ.* 1. Arabica, 2. Talmudica, 3. Græciæ *recentioris*, 4. Luſitanorum. *Tertia olim* Anchuſa *cur* πορφυρίς, *&* ἀλκιβιάδιον, *&* ἄγχουσα, *&* κάλυξ *dicta. Præter purpuram marinam purpura factitia fuerunt variæ ſpecies, puta ex vacciniis, & algâ* Creticâ, *& amorge herbâ, & herba purpureâ in A*baſenis, *&* Iberâ *ferrugine, & flore purpureo ad fontes* Hyparchi *Fl. &* Indicâ *ſandice, quæ fuit divini fulgoris. Proinde* purpura marina θαλασσία *ſæpe dicitur.* Ἁλιπόρφυρος *&* πορφυροῦς *quid differant. Item* πορφυροῖ *&* ἀλουργεῖς. *Harum vocum interpretes notati. Marina purpura diverſa ſpecies* תכלת thecheleth, *&* ארגמן argaman, *utraque in inſulis* Eliſæ, *ſeu* Græciæ, Ezech. 27. v. 7. *Ex* תכלא thachla, *vel* tachla κάχλη *&* κάλχη. T *&* K *cognatæ literæ & permutabiles. Literæ ſæpe permutatæ ut conjunctis ſyllabis ab eadem, aut ſimili litera fiat initium.* Κόχλος *concha purpuraria. Cur* Herculis *cani purpuræ inventionem* Phœnices *tribuerint. Voces* ארגמן argaman, *&* ארגון argavan *facta ex* ארם גון aram gavan, *quaſi dicas,* Syriæ *colorem. Multi colores à locis denominati. Purpura ex* Aram *Ezech.* 27. *v.* 16. *Ad voces* ארגמן argaman, *&* ארגון argavan, *variæ alluſiones. Arboris* Perſicæ ارجوان argiavvan *deſcriptio. An purpura ab ea dicta ſit* argiavvan, *ut volunt.*

AB his ambagibus ut nos extricemus, notandum eſt plura eſſe concharum vel oſtrearum genera, ex quibus purpura elicitur, purpuram propriè dictam, conchylium, & muricem, ſeu buccinum. Quæ nomina licet à *Poetis* aliiſque adeò ſcriptoribus promiſcue

miſcuè paſſim uſurpentur, tamen inter ſe differunt, & varia concharum genera ſonant, ex quibus fiebat purpura, colore nonnihil diverſa. In his conchylium pro purpura ſumi, aut cum purpura confundi pauca hæc è multis doceant. *Lucretius* lib. 6. verſu 1072.

Purpureusq́; color conchyli mergitur una
Corpore cum Lana. - - - - -

Serenus Samonicus cap. 44.

Purpura torretur conchyli perlita fuco.

Et cap. 60.

Purpureo triti cineres de vellere proſunt.
Quod fuerit vero conchyli ſanguine tinctum.

Ita *Marcellus Empyricus lanæ purpureæ* meminit *optimè in conchylio tinctæ.* Et *Vitruvius* lib. 7. cap. 13. *Incipiam nunc de oſtro dicere, quod & cariſſimam & excellentiſſimam habet præter hos colores, aſpectus ſuavitatem. Id autem excipitur ex conchylio marino ex quo purpura inficitur.* *Sidonius* etiam lib. 2. Epiſtola 2. *Per ſcopulos* Æthiopicos *& abrupta purpurea genuino fucata conchylio.* *Heſychius*, Κογχύλια, τὰ ὄςρια, καὶ πορφύραι. *Suidas*, Κογχύλη, ὅθεν ἡ πορφύρα. Tamen conchylium propriè dictum à purpura *Plinius* ſæpe diſtinguit. Ut, cum de *Tyro* dicit lib. 5. cap. 19. *Nunc omnis ejus nobilitas conchylio atque purpura conſtat.* Et lib. 9. cad. 35. ubi de luxuria concharum in cibo: *Sed quota hæc portio, reputantibus purpuras, conchylia, margaritas?* Item, *Conchylia & purpuras, omnis ora atterit, quibus eadem mater luxuria, paria pene etiam margaritis precia fecit.* Et cap. 36. *Concharum ad purpuras & conchylia eadem quidem eſt materia, ſed diſtat temperamento.* Et cap. 37. *Calculoſa appellantur à calculo maris, mirè apto conchyliis: Et longe optimum purpuris dialutenſe, id eſt, vario genere ſoli paſtum.* Et cap. 39. poſtquam egit de mixtura buccini cum purpura in colore purpureo, *In conchyliata veſte*, inquit, *cætera eadem ſine buccino*, id eſt, præter buccinum. Et lib. 21. cap. 8. ubi de veſtium æmulatione cum floribus: *Colores*, ait, *animadverto tres eſſe principales, unum in cocco qui in roſis micat, gratius nihil traditur aſpectu, & in purpuras* Tyrias, *dibaphasq́;* ac Laconicas, *Alium in amethyſto, qui in viola, & ipſe in purpureum quemq́; janthinum, appellavimus*, &c. *Tertius eſt, qui propriè conchylii intelligitur*, &c. Et lib. 22. cap. 2. *Tranſalpina Gallia herbis* Tyrium (id eſt, purpuram) *atque conchylium tingit.* *Dioſcorides* quoque lib. 2. cap. de onyche, Ὄνυξ ἐςὶ πῶμα κογχυλίου ὅμοιον τῷ τῆς πορφύρας. *Onyx eſt conchylii operculum, purpuræ operculo ſimile.* Et infra, Αὐτὸ δὲ τὸ κογχύλιον καὶν ποιεῖ ὅσα καὶ ἡ πόρφυρα, *Ipſum conchylium aduſtum, eadem operatur quæ purpura.* Itaque utut purpura & conchylium pro eodem ſæpe uſurpentur, quia ſunt vicinæ naturæ, & in eoſdem uſus adhibentur, tamen diverſas eſſe concharum ſpecies, credo, jam patet. Proinde cum rubere purpuram abunde probaverimus, conchyliis glaucum colorem & mari ſimilem his verbis tribuit *Plinius* libri 9. cap. 36. *Unde conchyliis pretia, queis virus grave in fuco, color auſterus in glauco, & iraſcenti ſimilis mari.* Et lib. 21. cap. 8. ubi veſtium & florum colores inter ſe conferuntur, poſtquam trium colorum quos principales vocat, purpureum cum cocco & roſis, & janthinum cum viola comparavit, *Tertius*, inquit, *eſt qui propriè conchylii intelligitur*, multis modis: *Unus in heliotropio, & in aliquo ex his plerumque ſaturatior; Alius in malva ad purpuram inclinans: Alius in viola ſerotina conchyliorum vegetiſſimus.* Quibus verbis in conchylio tres enumerat ſpecies, & quaſi colorum gradus, qui paulatim ad purpureum, aut ſaltem ad janthinum videantur aſſurgere. Primum cum heliotropio confert, cui idem lib. 12. cap. 21. *cæruleum florem* tribuit. Secundum cum malva, quæ quidem purpurea non eſt, ſed ὑπόπορφυρος ad purpureum inclinans: Tertium cum viola, ſed ſerotinâ, in quo ab janthino differt qui tempeſtivæ violæ ſimilis eſt; Atque hic ſubſtitit conchylium. Nam in purpura laus fuit ſumma, ut nigricans eſſet aſpectu, & rubens color nigrante deterior erat. At in conchylio laudabatur pallor ſaturitate fraudatus, tantoque dilucidior, quanto magis vellera eſuriebant, quæ in *Plinio* reperies lib. 9. cap. 38. & 39. Ex his conchylium colligere eſt, medii fuiſſe coloris inter purpureum & cæruleum, atque ex utroque mixti. Ita ut conchylio id convenerit quod de Indico purpuriſſo ſcribit *Plinius* libri 35. cap. 6. *Mixturam purpuræ cæruleique mirabilem reddit.* Et de pantherarum oculis *Oppianus* libro 3. *Cyneget.*

Γλαυκιόωσιν ὄμματι καὶ ἔνδοθι φοινίσσονται,

Glauci ſunt ſimul, atque intus punicei. Itaque cum de purpuriſſo ſcribit *Plinius*, ubi ſupra: *Pingentes ſandice ſublitâ, mox ovo inducentes purpuriſſum, fulgorem minii faciunt: Si purpuram facere malunt, cæruleum ſublinunt, mox purpuriſſum ex ovo inducunt.* Videtur purpuræ nomine conchylium intelligere, quod cum fuerit ex parte cæruleum, non potuit aliter pingi quàm cæruleo tabulæ ſublito. Eodem facit quod aliud agens obſervat *Salmaſius* in *Solinum*, chalcantum ab ære non dici ut volunt, ſed à purpura: Non à χαλκὸς, ſed à χάλχη. Purpura enim *Græcè* dicitur κάλχη & χάλκη. Et κάλχη quidem eſt frequentius. Ut in *Nicandri Alexipharmacis* inter remedia contra dorycnion,

- ςρόμβων δὲ πολὺ πλέον, ἠ ἔτι κάλχης·

buccinorum autem multò magis, aut etiam purpuræ (dapes medebuntur.) Et in *Lycophrone* verſu 864. legas πέπλους κάλχῃ φορύξας, *vestes purpurâ infectas.* Proinde *Nicandri Scholiaſti* κάλχη eſt τὸ ἄνθος ἢ ζῶον ᾧ βάπτεται ἡ πορφύρα, *purpura flos, aut animal quo tingitur.* Unde *Pollux* καλχαίνων *tingens.* Sed & *Heſychio* χ & κ tranſpoſitis χάλκη eſt πορφύρα. Hinc igitur χάλκανθον à purpuræ flore dictum, cæruleæ nimirum. Is enim eſt calcanthi color. *Plinius* libri trigeſimi quarti capite duodecimo, *Color eſt cæruleus perquam ſpectabili nitore, vitrumque eſſe creditur*, unde *Vitriolum* dixere recentiores. Cærulea autem purpura, à cujus flore chalcanthum dictum, quid aliud ſit quàm conchylium? Neque aliud *Hebræorum* תכלת *thecheleth*, & *Chaldæorum*, תיכלא *thichla*, vel תכלא *thachla*, quem colorem eſſe cæruleum ab ipſis didicimus. Itaque *Græci* veteres *hyacinthinum* reddiderunt, non à materia, ſed à colore. Neque enim ex hyacintho fiebat, ſed illi erat concolor. At materia fuit ſanguis τοῦ *chilzon*, ut *Hebræi* tanto conſenſu docent, id eſt, conchylii. Proinde inter purpuræ ſpecies cenſetur *hyacinthina* in Lege *Gratian. Valer.* & *Theod.* quæ ſic habet: *Fucandæ atque diſtrahendæ purpuræ vel in ſerico, vel in lana, quæ blatta vel oxyblattea atque hyacinthina dicitur, facultatem nullus poſſit habere privatus. Sin autem aliquis ſupradicti muricis vellus vendiderit, fortunarum ſuarum & capitis ſciat ſe ſubiturum eſſe diſcrimen.*

At ארגמן *argaman*, vel quod idem eſt ארגון *argavan* eſt rubra purpura, non ex conchylio facta, ſed ex illius cochleæ ſanie quæ propriè purpura dicitur. Itaque *Græci* & *Hieronymus* purpuram exponunt. Et *Hebræi*, qui purpuram nullam norunt præter תכלת *thecheleth*, tamen ארגמן *argaman*, conſtanter docent ſpeciem eſſe rubri coloris. Itaque à *Kimchio* & *Pomario* קִרְמֶז *carmeſinus* ſeu coccineus vocatur: A *Salomone* & *Aben Ezra* אדום, ruber: A *R. Jona* הצבע שקורין לקא. *color qui lacca dicitur.* Laccam *Arabum* intelligi veriſſimile eſt, de qua *Serapio*: *Lacca eſt gummi arboris, quæ naſcitur in* Arabia, *quæ eſt ſimilis myrrhæ, habens odorem bonum, & adminiſtratur in ſuffu-*

ſuffumigiis & tinguntur ex ea panni rubei coloris, & dicitur tinctura illa kartas, & defertur ſimiliter de Armenia. Nam aliud eſt לכא *lacca*, *Talmudicorum* in *Cholin* fol. 28. a. & in *Peſachim* fol. 24. b. res factitia ex ſanguine, furfure, &c. quâ coria rubefaciunt alutarii. *R. Selomo* definit צבע עור אדם, *colorem corii rubrum*. Et in uno loco *Gallicè* vocat פרקא, in altero סרקא, quorum neutrum intelligo. Aliud item recentis *Græciæ* λάκχα, quæ veterum fuit ἄγχουσα. *Nicomedes Jatroſophiſta*; Λαχᾶς, ἄγχουσα. *Pandectarius*: *Anchuſa*, *la. lacca*. Legendum eſt, *Anchuſa*, Lat. *lacca*. Anchuſæ autem radicem adhibebant mulieres ad genas purpuriſſandas, ſeplaſiarii ad unguenta coloranda, infectores ad lanam præparandam, ut purpuram facilius admitteret, & ſervaret tenaciùs. *Anchuſa* enim eſt purpuræ concolor. Unde eſt πορφυρὶς vocata, & ἀλκιβιάδιον in *Auctario Dioſcoridis*, quia in *Alcibiade* accuſabant θηλύτητας ἐσθήτων ἀλουργῶν, *muliebrem purpurearum veſtium mollitiem*, ut in *Plutarcho* habetur. Sed & in *Dioſcoride* nonnulli κάλυκα vocant, quia κάλυξ inter cætera τὴν θαλασσίαν πορφύραν, *marinam purpuram* ſignificat, ut *Heſychius* auctor eſt. Quod ipſum ſonabat *anchuſa* nomen. Quippe ut ὄρτυξις pro ὄρνιθος, ità ἄγχουσα pro ἄνθουσα dicta eſt, à purpuræ lumine & flore, qui *Græcè* vocatur ἄνθος. Aliud denique eſt lacca *Luſitanorum* rubra, tranſlucida, ad lanarum infecturas potiſſimum expetita, quam alatæ formicæ in India in vaſtæ arboris ramis eo ferè modo conficiunt, quo apes, ceram & mel. Interim his omnibus laccis id commune eſt quod rubræ ſunt vel purpureæ, & vel in fucis, vel in corii, vel in veſtium tincturis adhibitæ. Itaque cum ארגמן *argaman*, *R. Jonas* לכא, laccam interpretatur, conſtat laccæ nomine rubrum aut purpureum colorem ab eo deſignari. Concludimus igitur ארגמן *argaman*, purpuram rectè reddi; Adeoque *Hebræa* ארגמן *argaman*, ſeu ארגון *argavan*, & תכלת *thecheleth*, non aliter differre quam πορφύραν καὶ κογχύλιον, *purpuram & conchylium*.

Aliud olim ſuſpicabar, תכלת *thecheleth*, marinam eſſe purpuram, & ארגמן *argaman*, factitiam. Fallitur enim, ſi quis putat nullam aliam eſſe purpuram, quam quæ ex marinæ cochleæ ſanguine elicitur. Fit enim etiam ex iis, quæ in terra naſcuntur. Unde *Petronius*,

Quæſitus tellure nitor, certaverat oſtro.

Sic de *Gallia* dicit *Plinius* libri decimi ſexti capite decimo octavo, *Vaccinia* Italiæ *in aucupiis ſata*, Galliæ *verò etiam purpurea, tingendi cauſâ, ad ſervitiorum veſtes*. Et libri vigeſimi ſecundi capite ſecundo, Tranſalpina Gallia, *herbis* Tyrium *atque conchylium tingit, omneſque alios colores, nec quærit in profundis murices*, &c. Et de Creta *Theophraſtus* Hiſtoriæ libri quarti capite ſeptimo, Καὶ ἐν Κρήτῃ δὲ φύεται (τὸ φῦκος) πρὸς τῇ γῇ ἐπὶ τῶν πετρῶν πλεῖστον καὶ κάλλιστον, ᾧ βάπτουσιν οὐ μόνον τὰς ταινίας, ἀλλὰ καὶ ἔρια, καὶ ἱμάτια, καὶ ἕως ἂν πρόσφατος ᾖ ἡ βαφὴ, πολὺ καλλίων ἡ χρόα τῆς πορφύρας, *Etiam in* Creta *juxta terram ſuper ſaxa naſcitur alga plurima & pulcherrima, quâ non ſolum vittas, ſed & lanas veſteſque inficiunt. Et quamdiu recens eſt tinctura; color purpurâ longè præſtat*. Unde *Plinius* libri 13. capite 25. *Circa Cretam inſulam nato* (phyco) *in petris purpuras quoque inficiunt*. Hujuſmodi algâ paſci purpuras, atque indè florem ſeu colorem ſuum trahere quidam aſſerunt, auctore *Philoſopho* Hiſtoriæ libri ſexti capite decimo tertio. De *Amorgo* quoque vel *Amorgunte*, unâ *Cycladum*, *Suidas*, Ἀμοργίνα, χρώματος εἶδος ἀπὸ νήσου Ἀμοργοῦντος, Amorgia, *coloris ſpecies ex* Amorgunte *inſula*; nempe purpurei ex *Amorge* herba, in illa inſula natâ. *Etymologus* enim in Ἀπομόρξατο, ἀμόργινα ἱμάτια, reddit τὰ πορφυρᾶ. Et eidem ἀμόργη eſt εἶδος βοτάνης πορφυρᾶς. Et *Euſtathio* in *Odyſſ.* Θ', ἀμόργη non ſolum eſt *amurca*, ἀλλὰ καὶ πορφύραν σημαίνουσα κατὰ τοὺς παλαιούς. Ut de *Arabia Vranius* apud *Stephanum* in Ἀσαβηνοί. Τιμῶσι δὲ καὶ πορφυρᾶν ποίαν εἰκέλην αἵματι Τυρίου κόχλου, *Colunt etiam herbam purpuream cochleæ* Tyriæ *ſanguini ſimilem*. Et de *Iberia Servius* ad Poetæ verba libro nono *Æn. ferrugine clarus* Iberâ; Ferrugo *coloris genus, qui vicinus eſt purpuræ ſubnigræ*. Ibera *autem non* Hiſpana, *ſed* Pontica, &c. Et de *India Cteſias* in *Indicis* apud *Photium*, ubi de *Hyparcho* flumine: Παρὰ δὲ τὰς πηγὰς τούτου τοῦ ποταμοῦ ἐστὶ πεφυκὸς ἄνθος πορφυροῦν, ἐξ οὗ πορφύρα βάπτεται, οὐδὲν ἧττον τῆς Ἑλληνικῆς, ἀλλὰ καὶ πολὺ ἐναργεστέρα. Et *Vopiſcus* in *Aureliano*: *Meminiſtis fuiſſe in templo* Jovis Opt. Max. Capitolini *pallium breve, purpureum, laneſtre, ad quod cum matronæ atque ipſe* Aurelianus *jungerent purpuras ſuas, cineris ſpecie decolorari videbantur cætera, divini comparatione fulgoris. Hoc munus Rex* Perſarum *ab* Indis *interioribus ſumptum* Aureliano *dediſſe perhibetur*, &c. *Dicitur enim ſandix* Indica, *talem purpuram facere ſi curetur*.

Itaque qui preſſius loquuntur purpuram, quæ fit ex conchæ ſanguine, *marinam* vocant διαφερτικῶς, ut ab aliis diſtinguant. Sic de *Juda Macchabæo* legas. 1. *Macchab.* 4, 23. *Accepit aurum multum, & argentum, & hyacinthum*, καὶ πορφύραν θαλάσσιαν *& purpuram marinam*. Et *Diodori* libro 17. inter ſpolia *Perſepolitanis* ablata cenſentur, πολλαὶ καὶ πολυτελεῖς ἐσθῆτες, αἱ μὲν θαλασσίαις πορφύραις, αἱ δὲ χρυσοῖς ἐνυφάσμασι πεποικιλμέναι, *multæ & pretioſæ veſtes, aliæ quidem marinis purpuris, aliæ autem aureis texturis diſtinctæ*. Et apud *Athenæum* libro 12. *Sybaritæ, Phylarcho* referente; τοὺς τὴν πορφύραν, τὴν θαλαττίαν βάπτοντας, καὶ τοὺς εἰσάγοντας ἀτελεῖς ἐποίησαν, *purpura marina infectores & eam afferentes à tributis exemerant*. Sic in *Dioſcoridis* capite de lanis, libro ſecundo. Τὸν δ' αὐτὸν τρόπον καὶ κροκύδες καίονται θαλασσίας πορφύρας, *Eodem etiam modo cremantur marinæ purpuræ flocci*. Et *Paulus Æginetа* libro tertio, docet pleriſque oris & colli affectionibus prodeſſe, λίνον ἀπὸ πορφύρας θαλαττίας περιτεθὲν ἐχίδνης τραχήλῳ, καὶ πνῖξαν αὐτήν, *filum è purpura marina quo vipera collo circumdata, ſuffocata fuerit*.

Quod *Avicenna* reddit (a) خيوط وخصوصا مصبوغة بالارجوان البحري فتخنق بها افعي *Fila maximè quæ tincta ſint in argiavan* (ſeu purpura) *marina, quâ ſuffocata fuerit vipera*. *Galenus* de compoſit. medicam. libri ſexti capite ſecundo, Χάλκανθον κρόκῳ (lege μηρύματι) θαλασσίας πορφύρας εἰλήσας σύγκαυσον, *Chalcanthum marinæ purpuræ flocco involutum urito*. *Ariſtophanis* Scholiaſtes in *Acharnan.* ad verbum ἐξαλουργής: Μεταβλῆται δὲ ἡ λέξις ἀπὸ τῆς βαφῆς τῆς πορφυρᾶς τῆς θαλάσσης, *Tranſlata autem eſt vox à tinctura purpuræ marinæ*. *Heſychius* in Κάλυξ, Σημαίνει δὲ καὶ τὴν θαλαττίαν πορφύραν, *Marinam etiam purpuram ſignificat*. Et in Παραλουργεῖς: Ἀλουργὲς dicit eſſe τὸ ἐκ τῆς θαλάσσης πορφυρᾶς ὕφος, *contextum ex marina purpura*. Ut alibi Ἀλουργά, τὰ ἐκ τῆς θαλάσσης, πόρφυρα. Et *Suidas* una voce Ἀλουργά, θαλασσοπόρφυρα. Sed nihil opus erat vocem fingere, cum antiqua ſuppetat ἁλιπόρφυρα apud *Homerum* Odyſſ. ζ. ubi *Alcinoi* uxor deſcribitur, ἠλάκατα στρωφῶσ' ἁλιπόρφυρα, *lanas colo circumvolutas marinâ purpurâ tinctas verſans*. Et ἁλιπόρφυρα *Heſychius* & *Euſtathius* exponunt, τὰ ἐκ θαλασσίας πορφύρας. Nota imprimis de Rege *Perſarum Pollucis* verba lib. 7. cap. 13. Ὁ μὲν βασιλεὺς κάνδυς ἁλιπόρφυρος, ὁ δὲ τῶν ἄλλων πορφυροῦς. Quæ perperam reddit interpres, *Candys Regis totus purpureus, aliorum verò purpurâ ornatus erat*. *Totus purpureus* eſſet ὁλοπόρφυρος, & *purpurâ ornatus* eſſet διαπόρφυρος, quorum neutrum habet *Pollux*, ſed ἁλιπόρφυρος & πορφυροῦς. Itaque ſenſus eſt Regis *candyn* ſeu tunicam ex marina purpura fuiſſe, quæ majoris erat pretii: Sed reliquorum nobilium ex vulgari purpura, quæ diverſæ fuit materiæ. Sic Deme-

a) Arab. p. 382 Lond. 3. Fen 9. cap. 10.

Demetrius Epheſius de *Jonum* luxu, ubi ſupra: Καὶ Σαράπεις μήλινοι, καὶ πορφυροῖ, καὶ λευκοῖ, οἱ δὲ ἁλουργεῖς. *Et Sarapes ipſis fuerunt lutei, purpurei, & albi, quidam etiam ex marina purpura.* Quo etiam in loco, doctiſſimo interpreti calculus hæſit. Neſcivit enim quid differrent πορφυροῖ, & ἁλουργεῖς, ut apparet tam ex verſione, quam ex notis appoſitis. Neque magnus *Cauſabonus* cæcutienti præluxit.

Ego vero cum ex talibus locis collegiſſem purpuræ nomine, quoties marinæ purpuræ opponitur, aut ab illa diſtinguitur, aliud ſignificari, nempe purpuram ex alga, aut vacciniis, aut ſandice, aut amorge, aut ferrugine, denique ex diverſa materia confectam: Conjeceram hujusmodi purpuram *Hebraicè* dici ארגמן, vel ארגון, ut marinam, תכלת. Atque inde eſſe quod marina purpura à *Syro* interprete cum *Epitheto* dicitur ܐܪܓܘܢܐ ܕܝܡܐ 1. *Macchab.* 4.23. & ab *Avicenna*, ubi ſupra الارجوان البحري.

Sed re jam accuratius perpenſa, ſentio *argaman*, vel *argavan*, & *thecheleth*, eſſe diverſas marinæ purpuræ ſpecies, quarum illa rubra fuerit, hæc cœrulea potiùs. Proinde *Ezech.* 27, 7. affertur utrumque purpuræ genus *ex inſulis* Eliſæ, id eſt, *Græcia* in mari *Ægeo*. Et utrumque in ſummo pretio fuit. Quin ארגון, *argavan* fuiſſe colligas aliquanto pretioſius, ex eo quod *Dan.* 5, 7. 16. 29. is quem *Aſſyriorum* Rex ad ſummos honores vult evehere, non veſtitur תיכלא, *thichlâ*, ſed ארגונא, *argavana*. Itaque ארגונא, *argavana*, non fuit vulgaris purpura ex herbis facta, ſed maximè pretioſa. Neque puto tam fuiſſe vetus, adulterinum hoc purpuræ genus, ut à Prophetis potuerit memorari: à *Moſe* præſertim, in quo voces תכלת, & ארגמן ſunt toties repetitæ.

Ex *Hebræo* תכלת *thecheleth*, factum *Chaldæum* תיכלא *thichla*, vel תכלא *thachla*, ἀρχαϊκῶς *tachla*, unde *Græca* κάχλη, & κάλχη pro purpura. Nam, ut buphthalmum veteres vocaverunt κάχλαν, & κάλχαν, ità purpuram κάχλην, & κάλχην. Sic in ara *Doſiadæ* jam citatâ,

Λιβάδεσσιν εἷα κάχλην
Ὑπὸ φοινίῳ τέγγει.

Porrò ex תכלא *tachla*, deflexum κάχλη, τ & κ permutatis, quæ ſunt cognatæ literæ. Sic κίβωτος arca eſt ex *Chaldæo* תיבות *tibut*, & *quis* ex τίς. Et *Dores* dicunt ὅκα, πόκα, τόκα, ἄλλοκα pro ὅτε, πότε, τότε, ἄλλοτε. Sed hic aliquid peculiare. Nam κάχλη dictum pro τάχλη, κ & τ permutatis, propter χ ſequens, quia vox facilius effertur, cum conjunctis ſyllabis, ab eadem, aut ſimili litera eſt initium. Proinde *Græci* Βιβλίους pro *Giblius* dixerunt, *Ezech.* 27, 9. & *Poetæ* πίσυρες pro τέσσαρες, & *Æoles* πέμπε pro πέντε. Et λείριον, *Latinè* eſt *lilium* πορφύρα, *purpura*, *Æolicum* φύτης pro θύτης, *popa*. Ut recentiores pro fibro dixerunt *bebrum*. Et *Galli gingembre* pro *zingibere*. Potuit etiam ex תכלא *tachla*, deduci κόχλος, & κογχύλιον. Nam ut κογχύλιον, ità & κόχλος ſpeciatim purpurariam concham ſonat. *Perictyone Pythagorica* in libro de concinnitate mulieris: Διαφανέα εἵματα ἰοειδέα λίθων καὶ ποικίλα ἀπὸ θαλασσίης βάφιος κόχλου, μωρίη πολλή, *Veſtes quærere valde ſplendidas, & varias ex marino tinctu cochleæ* (id eſt, purpuræ, ſeu conchylii) *inſignis eſt ſtultitia.* Naumachius,

Εἵματα δ' εἰναλίης ἐρυθαίνεται αἵματι κόχλου,

Veſtes marinæ cochleæ cruore inficiuntur. *Nonnus Dionyſ.* libro quadrageſimo.

Καὶ Τυρίης σκοπίαζε δεδευμένα φάρεα κόχλῳ.

Et Tyriæ (regionis) *cochleâ tinctas veſtes conſpexit.* Et paulò poſt de cane *Herculis*,

Χιονέας πορφύρε παρειάδας αἵματι κόχλου.

Niveas *purpuravit malas ſanguine cochleæ.* Cui cani purpuræ inventionem cur *Phœnices* tribuant, obiter aperire libet. Verbum כלב *chelab*, *Syris* primo ܟܠܒ ſpargere, inſpergere, deinde etiam ܨܒܥ tingere ſonat. Et nomen כילב *chilab*, צובע tinctorem, ſeu infectorem. Ità *Boderianus*, tanquam ex *Aruch*, ubi tamen non reperi, ſed in *Pomario*, & *Aquinate*. Canis porrò nomen כלב *cheleb*, iisdem ſcribi literis neminem latet. *Tyrios* igitur luſiſſe apparet in ambigua voce כלב, quæ, & infectorem, & canem ſignificat, & *Herculis* cani tribuiſſe nobilem artem, quam lanarum infector *Herculis* ævo *Tyri* reperit, *Herculis* inquam illius antiquiſſimi, qui *Moſe* fuit vetuſtior. Proinde in *Moſis* ſcriptis de purpura multa eſt mentio. Et gravi errore *Eutychius Alexandrinus Patriarcha* hæc refert ad *Hirami* illius tempora, qui *Solomoni* fuit æqualis.

Aliud purpuræ nomen eſt ארגמן *argaman*, vel ארגון *argavan*, quæ duæ voces ſolâ dialecto differunt. Prior enim *Hebraica eſt*: Poſterior *Syra*, *Chaldæa*. *Arabica*, *Perſica*. Quamvis etiam in *Hebræo* textu ארגון *Argavan*, pro purpura legatur 2. *Par.* 2, 7. ſed alibi nuſquam quod meminerim. At *Daniel*, qui *Chaldaicè* ſcripſit, & *Chaldæus Paraphraſtes*, & *Syrus*, pro ארגמן *argaman*, ſemper habent ܐܪܓܘܢܐ *argevana*, & *Arabes* ارجوان *argiavvan*, *Kimchius* ארגון *argavan*, putat factum eſſe ex ארגמן *argaman*, permutatis *Mem*, & *Vau*, quæ literæ non ſunt permutabiles. Ego utrumque puto deflexum ex ארמגון *aramgun*, vel *aramgavan*, quaſi *Syrum* colorem dixeris. Quomodo *Syris* ܣܣܓܘܢ *ſaſgon*, eſt color hyſginus, Et *Arabibus* اسمانجون *oſmanagiun*, cœleſtis, vel cœruleus color, quia גון *gavan*, vel *gun*, eſt color. Ex ארמגון *aramgavan*, extrito *vau*, ut fit in quieſcentibus *ajin*, factum *aramgan*, & literis trajectis ארגמן *argaman*. Rurſus ex eodē ארמגון *aramgavan* factū ארגון *argavan* eliſo, *Mem* ex media voce. Quę eliſo eſt frequens in cōpoſitis. Similes enim obſervavimus in vocibus אברהם, *Abraham*, שמואל *Samuel*, עקרב *ſcorpio*, עכבר, *mus* ضفدع *rana*, &c. Itaque ארגמן, vel ארגון eſt *Syrus* color, quomodo appellatur non immeritò, cum in *Syria* primò cœperit uſurpari, cujus *Tyrus*, vel eſt portio, vel appendix. Ut de *Babylonica* purpura taceam, cujus præter *Arrianum* etiam *Hebræi* paſſim meminerunt in *Joſ.* 7, 21. ut alibi docuimus. Nec aliud intelligo in *Philoſtrati Epiſtola* quâ roſas extollit ὑπὲρ τὸν Βαβυλώνιον κόκκον, καὶ τὴν Τυρίαν πορφύραν, *ſupra* Babylonium *coccum*, *&* Tyriam *purpuram*. Coccum enim, & purpuram paſſim promiſcue ſumi abundè probavimus. Proindè, *Ezech.* 27, 16. mentio fit ארגמן, *argaman*, ſeu purpuræ ex *Aram* allatæ; Id eſt, ex *Babylonia* quæ pars eſt ארם נהרים, *Syriæ Meſopotamena*. Et apud *Diodorum*, qui *Cteſiam* ſequitur, *Aſſyriæ* Rex *Sardanapalus* muliebriter vixiſſe legitur, διαιτώμενος μετὰ τῶν παλλακίδων, πορφύραν δὲ καὶ τὰ μαλακώτατα τῶν ἐρίων ταλασιουργῶν. In quo ipſo habitu, auctore *Trogo*, illum invenit *Arbaces*, *inter ſcortorum greges purpuram colo nentem*. Itaque color ille à loco dictus eſt, ut *Puniceus*, *Tyrius*, *Sarranus*, *Armenius*, *Venetus*, *Spanus*, *Melinus*, *Syriacus*, *Minium*, *Sinopis*, *Creta*, *Syricum*, &c.

Ad ארגמן *argaman* alludere nonnulli putant Ἀμοργὸν *Amorgon*, *Græcæ* inſulæ nomen, unde Ἀμόργινα ἱμάτια, *Amorgina veſtes*, id eſt, purpureæ. Et *Arabicum* مرجان *margian*, vel *margan* pro corallio. Et *magran* pro rubrica ſinopide, quæ *Arabicè* مغرة *magra*, vel مكرة dicitur. Ut ad ארגון, *argavan*, alludit *Græcum* ῥῆγος, quod explicat *Etymologus* τὸ πορφυροῦν περιβόλαιον, *amyctum purpureum.*

Unde

Unde plurale *ῥήγεα καλὰ πορφύρεα, ſtragula pulchra purpurea. Odyſſ. κ. 352.* & paſſim. Et *Anacreonti ἁλιπόρφυρον ῥῆγος*, veſtis eſt *ex marina purpura*. Indidem ῥηγεὺς, ῥογεὺς, & ῥεγεὺς pro lanarum infectore. Quæ Scripturæ inconſtantia docet vocem utut vetuſtiſſimam, cum in *Homero* ſit frequens, tamen eſſe peregrinam.

Eſt & apud *Perſas* arbor vel arbuſtum ارغوان dictum à flore purpureo. *Arabes* more ſuo ارجوان *argiavvan*, ſcribunt. Quia rara eſt planta & eximia, ipſamque adeò purpuram ab ea denominari aſſerunt; ejus deſcriptionem non pigebit hic apponere ex *Tophaſis* libro de diſcrimine lignorum هو شجر

ببلاد الفرس له زهر احمر شديد
الحمرة فسمت باسمه كل لون شبيهة
في الحمرة وشجره كثير باصبهان ويورد
وردا شديد الحمرة الثانية كما قلنا
حسن المنظر لا رايحة له يوكل زهره
وفيه طعمه حلاوة وينتقل به على
الشراب وخشبه رخو سخيف ويحرقه
الناس فيكون منه رماد اسود
يتخذونه خطاطا للحواجب يسودها
ويحسن شعرها ولها اصله
ادوية القي يطبخ ويشرب ماوه
وينقيها به مجرب في ذلك واخبرني
من اتو به ان من هذا الشجر
شي كثير بميافارقين ايضا
واخبرني اخر خبره ان منها ايضا
شي كثير بكروم جبل قرطب
من الاندلس

Arbor eſt in Perſide, *cujus flos inſigniter rubet, à qua denominant* Arabes *quicquid rubore ipſi ſimile eſt. Frequens eſt arbor illa circa* Eſpahan. *Roſam producit inſignis rubedinis, ut jam diximus, pulchram viſu, ſed ſine odore. Flos eſt edulis & dulcis ſaporis. Aliquantum ex eo ſumitur poſt potum. Lignum habet molle & tenue, ex quo combuſto cinerem nigrum faciunt, quo lineas ſuperciliis inurunt, ut nigriora ſint, & venuſtiore pilo. Cortex radicis eſt inter pharmaca quæ vomitum provocant, cum ejus cocti ſuccus bibitur, quod experimento probatum eſt. Narravit mihi qui hanc attulit, abundare eandem arborem circa* Maia-farikin (urbem *Armeniæ* non procul ab *Amida*) *Et alius, multam eſſe in vitibus montis Cordubenſis (vel in monte Churum nomine prope Cordubam) In* Hiſpania. Hæc

Pars II.

ille, quaſi *Perſica* hæc arbor purpuræ nomen dederit. Quod falſiſſimum, cum vox ארגון *argavan*, pro purpura *Hebræa* & *Chaldæa* ſit, quâ *Daniel* & *Eſdras* uſi ſunt ante annorum plus duo millia. Itaque purpura ab arbore nomen non habet, ſed arbor à flore cujus color eſt purpureus. Quæ ſit arbor illa mihi aliundè compertum non eſt. Neque enim aſſentior viro doctiſſimo mihique amiciſſimo qui *Syringam* exponit, id eſt, *lilac* vernaculè.

Si liberet excurrere, multa haberemus addenda de purpuræ inventione, piſcatione, & tingendi ratione: De pretio olim immani & margaritis penè pari; de uſuque abuſu: De tempore quo cœpit paulatim vileſcere, & tandem prorſus negligi: Ita ut hodie deſierit eſſe in uſu, neque quiſquam ſit mortalium, qui illius parandæ modum ſciat. Sed ad inſtitutum noſtrum pleraque hæc minus pertinent. Et in re non magni momenti modum jam exceſſiſſe videbimur.

CAPUT DUODECIMUM.

De ceto *Jonæ*.

Is non fuit cetus propriè dictus. Cete enim & quotquot animalia pulmone ſpirant, gulæ meatus habent anguſtiores quàm ut poſſint ſolidum hominem deglutire. Sed fuit piſcis magnus, ut à Jona *vocatur. Nempe canis carcharias, qui & lamia dicitur à gulæ vaſtitate. His non ſolùm Oceanus & mare Rubrum abundant, ſed & Mediterraneum. In horum ventre reperti loricati homines.* Hercules, *cur* Lycophroni *τριέσπερος λέων. De eo fabula ex Hiſtoria* Jonæ *palàm ſumpta.* Cyrillus *emendatus. Cetum non revomuiſſe* Jonam *in* Euxino *mari, ut vult* Joſephus. *Tantum iter triduo confici non potuit. Mare illud cetis inacceſſum: nec ibi fuiſſet* Jonas Ninivæ *propior.* Ariſtoteles *emendatus.* Sulpicius Geographiæ *quam imperitus.* Arabes, Jonam *per dies XL in ventre ceti hæſiſſe fingunt. At Seniores, quadraginta dies* Ninivitis *aſſignatos in triduum mutant. Dubitat* Auguſtinus, *uter ſit verior numerus. Huic dubio ſatisfit.*

CUm *Matthæi* capite duodecimo verſu 40. *Jonam* fuiſſe legis ἐν τῇ κοιλίᾳ τοῦ κήτους, *in ventre ceti*: Cave ne cetum intelligas propriè dictum, quales balæna vel priſtis aut phyſeter. Quæ utut vaſtæ belluæ, tamen gulæ meatus habent itá anguſtos, ut ſolidum hominem deglutire haudquaquam poſſint. Naves quidem integras ab iis monſtris abſorberi refert *Dionyſius Periegetes.* Verba ſunt verſu 603.

Πολλάκι δ' ἂν καὶ νῆα σὺν αὐτοῖς ἀνδράσι νηὸς
Κεῖνα καταβρύξειε πελώρια.

Unde *Priſcianus*,

Quippe ſolent pariter navem ſorbere, viroſque.

Et *Feſtus Avienus*,

Protinus hæc ipſas abſorbent fauce carinas,
Involvuntque ſimul mox monſtra natantia, nantes.

Sed mendaciorum pater *Homerus* non auſus eſt tale quicquam de *Scylla* ſua confingere, quæ licet.

- - - - - - πέλωρ κακὸν, οὐδέ κέ τίς μιν
Γηθήσειεν ἰδὼν, οὐδ' εἰ θεὸς ἀντιάσειεν,

monſtrum malum, quo viſo nemo lætabitur, neque ſi Deus occurreret: Tamen ſolis nautis abſcorptis naves relinquebat intactas. Itaq; ipſas naves à cetis abſorberi, fa-

bulæ monſtrum eſt quovis ceto portentoſius. Quin apud *Vincentium Doctrinalis* libri decimi ſexti capite centeſimo vigeſimo octavo, *cetus habet oris meatus ſtrictos, unde nonniſi parvos piſciculos deglutit.* Et *Scaliger* de balena profeſſus ſe non vulgaria dicturum, ſed comperta, inter cætera hæc habet: *Neque molem grandiorem vorare licet eis, propter gulæ anguſtias: aditus enim vix ſemipedem patet.* Nempe quotquot animalia pulmone ſpirant, iis gulæ meatus coarctari neceſſe eſt, quomodo collum in follibus, ut ex his anguſtiis ſpiritus per fauces majore niſu erumpat. Abſit igitur ut putemus per tam arctos meatus ſolidum hominem unà cum veſte potuiſſe transglutiri. Proinde ceti nomine piſcem aliquem è cetaceis intelligi ſatis eſt (quomodo ceti vocabulum non raro uſurpari ſuo loco probavimus.) *Maximè* cum qui in *Matthæo* cetus, in *Hiſtoria Jonæ* dicatur דג גדול, *piſcis magnus*, & piſcis ſimpliciter in *Syra*, *Arabica*, & *Æthiopica Matthæi* verſionibus.

E cetaceis porrò piſcibus nullum novi in quem hæc Hiſtoria quadret aptiùs quàm in eam marini canis ſpeciem, de qua ſic *Ælianus Hiſtoriæ* libri primi capite octavo Κυνῶν θαλαττίων τρία γένη, καὶ οἱ μὲν αὐτῶν εἰσι μεγέθει μέγιστοι, καὶ κητῶν ἐν τοῖς ἀλκιμωτάτοις ἀριθμοῖντο ἄν, *Canum marinorum tria ſunt genera: Atque ex iis quidam ſunt tanta magnitudinis ut cetis robuſtiſſimis meritò accenſeantur.* *Carcharias* alii vocant ab aſperitate dentium & acumine. Alii lamias & lamnas, διὰ τὸ ἔχειν μέγαν λαιμὸν, *a gulæ vaſtitate.* Unde *Oppianus* libro primo *Halieuticω̃n* verſu 370.

- - - - - δυσάντια χάσματα λαίμης,
Infauſti rictus lamiæ.

Mare Rubrum his belluis tam eſt refertum, ut è navi proſpicere tutum non ſit, remos plerumque ipſis invadentibus. Sic *Plinius* ex *Theophraſto*. Sed & in *Oceano*, & *Mari Mediterraneo* non infrequenter occurrunt. Mediocrem unam ſe vidiſſe ſcribit *Rondeletius* in *Santonico* littore, quæ mille librarum pondus non exceſſerit, gulæ tamen tam patentis, ut hominem etiam obeſum capere potuerit. Quod *Petro Gillio* fidem adſtruit, referenti *Niceæ*, & *Maſſiliæ* captas fuiſſe lamias quater mille librarum, in quarum ventriculo loricati homines, integri reperti ſint. Itaque etiam ab *Archeſtrato* canis marinus vocatur θύελλαν ἀνθρωποφάγον. Et *Caſſandra* in *Lycophrone Trojam* jam olim vaſtatam, incenſam fuiſſe dicit à navibus

Τριεσπέρου λέοντος, ὅν ποτε γνάθοις
Τρίτωνος ἠμάλαψε κάρχαρος κύων,
Trinoctis leonis, aſper quem canis
Tritonis avidis faucibus deglutiit.

Id eſt, *Herculis* quem abſorpſit canis carcharias à *Neptuno* immiſſus. Cum enim *Heſionem Laomedontis* filiam jam eſſet devoraturus. *Hercules* Χωστὸν τεῖχος ποιήσας, καὶ στὰς ὡπλισμένος παρὰ τὸ στόμιον, ὡς κεχηνὸς ἐπῆλθε τὸ κῆτος, ἀθρόως τῷ τούτου ἐμπηδήσας στόματι τρισὶ δὲ ἡμέραις ἔνδοθεν κατακόπτων αὐτὸς (lege κατακόπτων αὐτὸ) ἐξῆλθεν, ἀποβεβληκὼς τὴν τῆς ἑαυτοῦ κεφαλῆς τρίχωσιν, *aggere facto, cum ad oſtium ſtaret armatus, ut ore biante cetus acceſſit, ſtatim in os illius inſiliit: & cum toto triduo eum intus diſcerpſiſſet, capitis ſui cæſarie amiſſâ exiit.* Ità *Scholiaſtes*, qui & ob id ipſum *Herculem* à *Lycophrone* dici vult τριέσπερον (quomodo vel in *Simmia*, vel in *Doſiada* arâ ſecundâ) διὰ τὸ ἐν τῷ κήτει τρεῖς ἡμέρας ποιῆσαι, ἃς ἑσπέρας καλεῖ, διὰ τὸ ἀφώτιστον καὶ σκοτεινὸν εἶναι τὴν γαστέρα τοῦ θηρίου, *eò quod tribus diebus in ceto hæſit, quos veſperas vocat, quia obſcurus, & tenebroſus erat venter belluæ.* Quod ipſum habet *Phavorinus* in voce τριέσπερος. Neque id *Cyrillum* fugit, qui Græcos obſervat de ſuo *Hercule* fabulam habere ſacræ de *Jona Hiſtoriæ* non abſimilem, illum ſcilicet καταποθῆναι μὲν ὑπὸ κήτους. ἐκδυθῆναι δὲ πάλιν ἐκ τοῦ ἐκείνου (malim ἐμβρύου) θερμοτέρου ἐψιλωμένης αὐτῷ τῆς κεφαλῆς. καὶ μόνης τρίχας πεπονθότι τὴν ἀπόφασιν (lege πεπονθότα τὴν ἀποψίλωσιν, aut φαλάκρωσιν) unde *Theophylactus* in *Jonam* ex verſione *Leoniceri*, nam *Græca* non ſunt ad manum. *Apud* Græcos *nonnihil tale de* Hercule *narratur. Nempe quod & ipſe à balæna devoratus, incolumis remanſerit: niſi quod tantummodo depilatus redierit, idque ob ingenitam & internam belluæ caliditatem.* Nempe cum per *Phœnices* ad *Græcos* veniſſet fama tenuis de vate *Hebræo*, quem canis carcharias deglutitum, & in ventre ſervatum toto triduo, tandem ſanum, & incolumem evomuerit in littore, id *Herculi* ſuo tribuere non dubitarunt, quod videbatur eſſe ſummi roboris argumentum.

a) Comment. in Ionam. c. 2.

In eadem ſententia fuiſſe veteres *Judæos* ex *Joſepho* colligas. Is enim *Jonam* in *Syriaco*, vel *Cilicio* mari voratum inter *Phœnicia Joppen*, & *Ciliciæ Tarſum* in *Euxino* poſt triduum revomitum fuiſſe narrat. Quæ maria tam ſunt diſſita, ut tantillo temporis ſpacio non potuerit cetus tantum itineris emetiri, niſi ſtatuatur fuiſſe unus è velociſſimis. At majora cete tarda ſunt omnia præter canem. *Oppianus*.

Πᾶσι δ' ὑπερφιάλοισι πέλει θήρεσσι θαλάσσης
Νόσφι κυνῶν βαρύγυια, καὶ οὐ σύμφορα κέλευθα.
Tardigrada, excepto cane, ſunt, lenteque feruntur
Quotquot mai moreo fert monſtra ſub æquore pontus.

Sed ne charchariam quidem triduo veriſſimile eſt è mari, quod medium eſt inter *Joppen*, & *Tarſum*, ad *Euxinum* uſque natâſſe: Præſertim *Euxini* maris eam partem ſi intelligas, quæ *Nino* urbi propior erat, quod inſinuat *Joſephus*. Illa enim à *Tarſo* diſtat itinere maritimo milliaribus minimum mille ſexcentis. Taceo quod in *Euxinum* mare propter *Propontidis* anguſtias, majora cete nulla penetrant. *Oppianus* de *Ponto Euxino Halieuticω̃n* libri primi verſu 606.

Ἔνθ' οὔ τί τι κῆτος ἀνάρσιον, οὔτε τι πῆμα
Ἕρπει θηροφόνον νεπόδεσσι πελώριον ἄλλο.
Non infeſta inibi cete, nec piſcibus ulla
Perniciosa vagis animalia.

Et paulò poſt,

Παῦροι μὲν δελφῖνες, ἀκιδνότεροι δὲ καὶ αὐτοὶ,
Κήτεος γενεῆς, καὶ ἀκηδέες ἐννεμέθονται.
Delphines *ibi pauci habitant innoxia cete,*
Quæque adeò tam mole aliis, quam robore cedunt.

Ammianus de eodem mari libro vigeſimo ſecundo. *Ibi ſecuri piſces voracium belluarum. Nihil enim in* Ponto *hujuſmodi aliquando eſt viſum, præter innoxios delphinas & parvos.* Et multò antè *Philoſophus Hiſtoriæ* libri octavi capite decimo tertio. Πάντες δ' εἰσπλέουσιν εἰς τὸν Πόντον διά τε τὴν τροφὴν, καὶ διὰ τὰ θηρία τὰ μεγάλα, ὅτι ἐλάττω εἰσὶν ἐκεῖσε. Ἔξω γὰρ φαλαίνης (lege φωκαίνης) καὶ δελφῖνος, οὐδὲν ἔστιν ἐν τῷ Πόντῳ, καὶ ὁ δελφὶς μικρός. *Omnes in* Pontum *navigant, & propter alimentum, & quia magnæ belluæ ibi ſunt pauciores. Nam præter phocænam* (id eſt, turſionem) *& delphinum, nulla in* Ponto *eſt bellua. Quin delphinus ibi parvus eſt.* Pro φαλαίνης cum *Gaza*, lego φωκαίνης ex capite duodecimo libri ſexti, ubi φώκαιναν, ſeu turſionem dicit eſſe ὅμοιον δελφῖνι μικρῷ, γίνεται δ' ἐν τῷ Πόντῳ, *parvo delphini ſimilem, naſci autem in* Ponto. Sed φώκης, pro φωκαίνης alios legiſſe docent hæc *Plinii* libri noni capite decimo quinto. *In* Pontum *nulla intrat beſtia malefica, præter vitulos* (id eſt, phocas) *& parvos delphinas.* Et hæc *Æliani Hiſtoriæ* libri noni capite quinquageſimo nono. Πολλοῖς ἰχθύσιν εὐθηνεῖται ὁ Εὔξεινος Πόντος. Θηρία γὰρ τρέφειν οὐκ ἔμαθε. φώκην δέ εἴ που τρέφει καὶ δελφῖνας βραχεῖς, τῶν δὲ ἄλλων ἁπάντων οἱ τῇδε ἰχθῦς ἐν σκέπῃ εἰσί, *Multis piſcibus abundat* Euxinus Pontus. *Neque enim ſoles belluas procreare. Sicubi autem phocas alit & parvos delphinas, à ceteris omnibus piſces ibi tuti ſunt.* Quod ſequutus *Petrus Gillius* de *Boſphoro Thraciæ* libro tertio, *Canes*, inquit, *carchariæ, qui lamiæ & Scyllæ nominantur, illuc non ſubeunt, propterea quod* Pontus Euxinus *feris piſcibus frequentari non ſoleat, niſi delphinis & phocis.* Itaque vel ſi

nihil aliud eſſet, tamen in eo mari *Jonam* à ceto evomitum parum eſſet veriſimile, quod majoribus cetis eſt plane inacceſſum. Adeoque non fuit neceſſe Prophetam in *Ponto* evomi, ut *Ninivitis* eſſet propior, cum in mari *Syriaco Alexandria*, hodie *Alexandretta*, *Nino* urbi tam vicina ſit quam quælibet pars *Euxini* maris. Proinde *Joſepho Jonam* referenti *εἰς τὸν Εὔξεινον ἐκβρασθέντα Πόντον*, non magis credo quam *Sulpicio*, qui poſt triduum *Ninivitarum* littoribus ejectum fuiſſe ſcribit, *Geographiæ* ſic ſe prodens maximè imperitum, cum nulla ſint *Ninivitarum* littora, nec ripæ *Tigridis*, ad quas *Ninive* ſita erat, è mari *Syriaco* aliter adiri poſſint, quàm totâ *Africâ* quanta quanta eſt, & parte *Aſiæ* circumactâ. Quale penſum triduò ne *Talos* quidem abſolverit, quem Poetæ *Cretam* univerſam ter ſingulis diebus circumiviſſe ſcribunt. Itaque prudentius *Aſſabili Arabs* huic excurſioni quadraginta dies aſſignat. Is enim ita de *Jona* اقام في بطن الحوت اربعين يوما يترود به في ما الدجلة *Cum ſteriſſet in ventre piſcis per quadraginta dies, ab eo ejectus eſt in aquis* Tigridis. Sed & *Achmed* Sacerdos in libro الزهد id eſt, de contemptu mundi, id ipſum aſſerit, *Jonam* in ventre ceti moratum eſſe dies quadraginta. Nempe in eadem Hiſtoria quadraginta dies aſſignantur *Ninivitarum* pœnitentiæ. Itaque *Mahumetani* numeros permutarunt. Et quot dies *Ninivitis* indulſit Deus, tot dies *Jonam* hæſiſſe voluerunt in ventre ceti.

Contrario errore Seniores quadragenario dierum numero mutato in triduanum, *Jonæ* prædicationem ita efferunt, *ἔτι τρεῖς ἡμέραι, καὶ Νινευὴ καταστραφήσεται*, *Arabs* etiam الي ثلاثة ايام ونينوي تخسف *Adhuc tres dies & Ninive ſubvertetur.* Et *Sulpicius*, *Juſſa prædicat, urbem ſcilicet ob peccata populi triduò perituram.* Ita etiam *Græci* Patres, *Theodoretus*, *Cyrillus*, *Theophylactus*. Sed pridem obſervavit *Theodoretus* legi quadraginta dies in *Aquila*, *Symmacho*, *Theodotione*, *Syroque*, & *Ebræo* textu. His adde *Chaldæum* interpretem, & Vulgatum, & *Hieronymum*, qui miratur, cur Seniores, quadraginta in tres mutaverint, *cum in* Hebræo *nec literarum, nec ſyllabarum, nec accentuum, nec verbi ſit ulla communitas. Tres enim dicuntur* שלוש, *& quadraginta* ארבעים. *Theodoretus* & *Theophylactus*, ſcribarum ſuſpicantur errorem eſſe, non interpretum. Et in hac *μεταπλάσει* bonus *Auguſtinus* de Civit. Dei lib. 18. cap. 44. myſteria multo labore quærit. Sed verum eſt id quod diximus, diverſos ejusdem Hiſtoriæ numeros eſſe permutatos. Cujus mutationis exempla paſſim occurrunt. Sic 1. *Macchab.* 6. quia verſu 30. legitur *Antiochus* habuiſſe triginta duos elephantos, etiam verſu 37. leguntur viri triginta duo ſingulis elephantis inſediſſe, qui numerus juſto auctior, ut alibi probavimus, perperam ibi translatus eſt. Nec difficile eſt ſatisfacere quæſtioni quam movet *Auguſtinus*, *Quomodo ſciam quid* Jonas *Propheta dixerit* Ninivitis? *Utrum triduum*, & Ninive *evertetur*, *an quadraginta dies*: Nam ut taceam verſionis quamlibet vetuſtæ auctoritatem cum *Hebraico* textu nullo modo eſſe conferendam, & quòd *Hieronymus* & *Eucherius* inſinuant, pœnitentiæ convenire quadragenarium numerum, quia ſolemnem illum fecerunt *Moſis*, *Eliæ* & Chriſti jejunia: Si *Jonas* urbem ingrediens, quæ nonniſi tribus diebus poterat peragrari, prædicare juſſus eſt, fore ut tertia die exſcinderetur, triduanum id tempus quod illis indulſerat Deus, cum *Jonæ* prædicatione fuiſſet prorſus impletum, nec ullus ſuperfuiſſet locus pœnitentiæ, & jejuniorum indictioni.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Probatur נחש בריח, ſerpentem vectis *Eſa. 27. v. 1. eſſe Zygænam.*

Zygæna *non eſt cetus, ut multi volunt, ſed cetaceus piſcis. Nomen habet à jugo vel boum vel bilanceum. Utrumq; enim capite refert.* Italis baliſta *&* martello. *Maſſilienſibus* barretella. Hebræis נחש בריח Eſa. 27. v. 1. *Serpens pro magno piſce* Amos 9. v. 3. *Loca veterum & recentiorum de* Zygæna. *In* Braſilia Panapana *piſcis* Zygænæ *ſimilis.* Sydus *ejusdem nominis* Job. 26. v. 13.

De *Zygæna* piſce *Romani* Scriptores altum ſilent. Sed eam *Oppianus*, *Ælianus*, *Galenus*, *Æginetæ*, *Baſilius*, *Phile*, *Suidas* inter maxima cete numerant. Quamvis re vera non ſit cetus, ſed cetaceus piſcis. Non tamen longus, ut putavit *Philoſophus* Hiſtoriæ lib. 2. cap. 15. ſed *γαλεώδης*. *Zygæna* dicitur *ἀπὸ τοῦ ζυγοῦ*, ſive jugum intelligas, quod transverſum boum collis imponitur, aut transverſum librile, ex quo lances dependent. Utrumque enim monſtroſi capitis formâ refert *Zygæna*, quod neque rotundum, neque roſtratum, neque faſtigiatum, neque in latera compreſſum, quale in piſcibus reliquis eſſe ſolet, ſed (quod ei peculiare eſt) in latera extenſum atque transverſum habet hoc ferè modo:



Proinde *Gaza* non malè *ζύγαιναν* libellam explicat quæ ligno transverſo conſtat, in cujus medio aliud erectum eſt. Eadem de cauſa ab *Italorum* aliis, *baliſta*, ab aliis vocatur *piſce martello*, ut quæ *baliſta* ſit, & malleo non abſimilis. Neque aliò referendum quòd *Zygænam* indigetant *Maſſilienſes barretellam*, & *peis jouzioù*

jenzion piſcem *Judæum*, à birreto ſeu quadrato petaſo quo utebantur olim *Judæi Avenionenſes*. Eodem pertinere ſuſpicor *Hebræum*, ceti, vel cetacei piſcis nomen נחש בריח. Ad verbum enim נחש בריח, eſt *ſerpens vectis*, vel in quo aliquid transverſum vectis inſtar, quâ in transverſum obductâ firmantur fores. Serpens נחש eo loco, idem planè eſt, quod תנין, *cetus*. Sic Amos 9. v. 3. *Si occulent ſe à conſpectu meo in fundo maris, inde jubebo* את: הנחש, *ſerpentem, ut mordeat eos.* Serpentem, id eſt, תנין, *cetum*, לויתן *Leviathan*, ut rectè monent *Kimchius*, & *Aben Ezra*. Eodem exemplo *ſerpens vectis* eſt *cetus transverſarius*, ſeu cujus caput, vectis inſtar eſt transverſum, qualem præter *Zygænam* nullum novimus. Cetum hic accipio pro cetaceo piſce, quomodo *Græci* uſurpant, quoties *Zygænam* cetis accenſent. Itaque cum ſcribit *Eſaias* capite 27. v. 1. *Dominum animadverſurum gladio ſuo duriſſimo, maximo, validiſſimo, in* Leviathanem *ſerpentem vectis*, idem eſt, ac ſi dixiſſet *in cetum*, vel cetaceum piſcem *Zygænam*. Sive eo loco *Zygæna* ſit diaboli typus, ut volunt, aut Eccleſiæ hoſtium in genere. Quorum naturam cum forma exprimit, quam portentoſam eſſe diximus, tum immanitate & robore. quo inter cetaceos piſces *Zygæna* plurimùm valet Hæc ut apertiora ſint, en tibi de *Zygæna* veterum aliquot loca. *Oppianus Halieuticῶν* lib. 1.

Κήτεα δ᾽ ὀβριμόγυια, πελώρια θαύματα πόντου,
Ἀλκῇ ἀμαιμακέτῳ βεβριθότα, δεῖμα μὲν ὄσσοις,
Εἰσιδέειν. αἰεὶ δ᾽ ὀλοῇ κεκορυθμένα λύσσῃ,
Τῶν ἤτοι κρυόεις τε λέων, βλοσυρή τε ζύγαινα.

Vaſta etiam cete, pontique immania monſtra,
Viribus indomitis pollentia, lumine torvo
Horrida, continuam rabiem ſpirantia & iras,
In quibus eſt dirusque leo, & truculenta Zygæna.

Idem lib. 5. *Halieuticῶν* docens quantò marinæ belluæ terreſtribus antecellant:

– τίς δὲ λέοντος ἐοὶ φρεσὶν ἄψεται ἀλκὴν,
Ὅσση μεγασθενέων ἀνισώσατο ζυγαίναις;
– *quisve leo eſt tanto qui ferveat intus*
Robore, ut horribiles queat exæquare Zygænas?

Ælianus Hiſtoria lib. 9. cap. 49. Τῶν κητῶν ἐστι μέγιστα ὅ τι λέων, καὶ ἡ ζύγαινα, καὶ ἡ πάρδαλις, *cetorum maxima ſunt leo, &* Zygæna, *& pardalis.* Item, Ἡ ζύγαινα, οὐκ αἴσιον ὁρᾷ, οὐδὲ ἐργάζεται τοῖς ναυτιλλομένοις αὐτήν. Zygæna *neque fauſto eſt aſpectu, neque opere, navigantibus. Baſilius* in *Hexaemeron Homeliâ* 7. Φάλαιναι καὶ ζύγαιναι φοβεραί, *balænæ, &* Zygænæ *terribiles.* Neque aliter recentiores. *Wottonus*, Zygæna *inter cete numeratur ferociſſima.* Bellonius, *Cetaceus piſcis eſt horridus ac plane monſtroſus. Dentes in quinque ordines digeſtos numeroſiſſimos, planos ut carcharias gerit. Oculos deorſum potius quam ſurſum leonina quadam voracitate convertit.* Rondeletius, *Aſpectu eſt horribili, trucique, occurſuque inauſpicato.* Salvianus, Zygæna *terribilis eſt, & robuſtiſſima. Non ſolum enim piſces reliquos etiam magnos atque natantes homines, ſi qui obvii occurrunt, ſua frontis acie vulnerare ac ſub vertere, ſed amplo etiam ore, & valde denticulato dilaniare ſolet.* Sed & ex *Hebræis Gerſom Solomonis* filius in *Porta* cœli fol. b. ובזמננו זה נראה דג אחד גדול ארכו שעור אמה וראשו הוא רחב כשתי זרתות ועיניו הם בזה הענין העין האחד בקצה ראשו והעין האחר בסוף החצה האחר ונפלאו עליו כל הרואים אותו כי לא נראה כמוהו, *Etiam hoc noſtro tempore viſus eſt piſcis magnus, longus cubito, capite lato duobus palmis, & oculis hoc modo. Unus oculus erat in extremo capite, & alter in altero extremo: & omnes qui videbant, mirabantur, quia talem piſcem nemo viderat. Zygæna* quam vidit hic *Judæus*, fuit haud dubiè una è minimis, neque dum perfectam corporis ſtaturam attigerat. Piſcis enim tantulæ molis inter cete non haberetur. *Zygæna* formâ planè ſimilis eſt *panapana*, piſcis in *Braſilia* fluviatilis, ſed mole minor. Vide *Bellonium*, *Rondeletium*, *Aldrovandum*, *Joannem* de *Leri* itineris ſui cap. 12. *Joannem* de *Laet Americæ* ſuæ lib. 15. capite 14. *&c.*

Cæterum inſigne aliquot ſydus hujus nominis apud *Syros* fuiſſe ex his *Jobi* colligo cap. 26. verſ. 13. *Spiritu ſuo cœlos ornavit, formavit manus ejus ſerpentem vectis.* Nam qui cetum hic intelligunt, copulare videntur ἀσωίδιω. Ex *Hebræis* in eadem meeum ſententia ſunt *R. Levi*, & *Aben Ezra*, quorum hic draconis ſydus, ille viam lacteam putat à *Jobo* deſignari. Nos in re ignota non audemus temerè quicquam definire, donec aliunde nova lux in tenebris palpantibus oboriatur.

CAPUT DECIMUM QVARTUM.

De piſce *Tobiæ*.

Piſcis Tobiæ *non eſt callionymus, ut volunt* Valleſius *& alii. Ille fluviatilis, & magnus, & anthropophagus. Hic marinus, & parvus, nec niſi piſciculis infeſtus.* Hebræi MSS. Tobiæ *diverſa lectio, ſed falſa. Piſcis ille emerſit, non tamen in terram ſe contulit, ut ſupponit* Valleſius. Callionymus *non ſuffecerit in viaticum duobus viris, neque edulis eſt.* Tobiæ *piſcis ſilurus fuit, qui maximæ molis eſt, robore & audacia inſignis: in quodcunque animal graſſatur, etiam in homines*, Glanidi *ſimilis. In* Euphrate *eſt, adeoque in* Tigri. Branchia *potuit attrahi, & in viaticum ſale condiri.* Judæis *quidem immundus, æquè ac callionymus: ſed aliorum cibi penuriâ licitus. Fel ad oculorum albugines extergendas utile.* Silluarium Vegetio. Glanidum *ſuffitu dæmones pelli crediti. Idem tribuunt* Arabes *piſci* الجري algiri, *quem Silurum eſſe volunt, cum ſit anguilla.* שבוטא ſibbota, *piſcis nonnullis* borbota, *id eſt*, Silurus, *qui barbaris ſcriptoribus Solaris tanquam à Sole. Sed* σίλουρος *eſt* ψίλουρος, σ *&* ψ *permutantur*, שבוטא ſibbota, Judæis *mundus, & aliis colias, aliis thynnus, aliis ſcorpio, mihi* λάβραξ, *ſeu lupus. Quomodo* Pandectario, *quia mugili eſt ſimilis, retia lacerat, cerebrum habet eximii ſaporis, à varietate colorum*, Hebræis *dictus eſt, ut nobis* bar, *&* Ital. varolo.

DUm in cetaceis ſumus, hoc quoque disquirendum eſt in quem piſcem maximè quadret immanis piſcis deſcriptio apud *Tobiam* cap. 6. quem è fluvio *Tigri* in ſe irruentem, *Tobias* Angeli juſſu in ſiccum traxiſſe legitur, atque ex aſſatæ carnis τοῖς μελανοζύοις tantum ſaliiſſe, quantum utrique ſufficeret quousque *Ragas* pervenirent civitatem *Medorum* decem dierum itinere inde diſtantem, ſervato corde cujus fumo dæmonium pelleret, & felle quo albugines ex oculis abſtergeret. *Franciſcus Valleſius*, magni acuminis olim Sac. Philoſ. 41. philoſophus in *Hiſpania*, callionymum intellexit, cujus felle medici utuntur ad extergendas albugines, quique interdiu in terram exire legitur ad ſomnos capiendos. Unde eſt, quod ab *Oppiano* vocatur ἡμεροκοίτης *Halieuticῶν* lib. 2. Vult igitur *Valleſius* callionymum, cum ſuo more in terram egrederetur, *Tobiæ* terrorem incuſſiſſe, ac ſi voraturus accederet. Ita enim habet *Vulgatus*: *Piſcis immanis exivit ad devorandum eum: quem expaveſcens* Tobias *clamavit voce magna, dicens, Domine invadit me.* Adde ſi lubet callionymum ex *Geſneri* ſententia eſſe *Arabum ſabot*, piſcis genus

nus quem *Damir* ſcribit frequentem eſſe in *Tigri* flumine, & *Abenbitar* in *Euphrate*, & ex ejus felle fieri collyrium. Quæ tamen talia non ſunt, ut me trahant in aſſenſum. Quin hoc *Valleſii* commento non puto quicquam eſſe abſurdius, quod & illius pace dixerim, & virorum doctiſſimorum (*b*) quos ille in aſſenſum traxit. Nempe marinus eſt piſcis callionymus, hic fluviatilis fuit, utpote in *Tigri* repertus prope *Ninum* quingentis minimum à mari milliaribus. Vix pedalis eſt magnitudinis callionymus, piſciculis veſci ſolitus, quos apophyſi quadam ex ore demiſſa venatur in ranæ modum. Hic fuit piſcis anthropophagus, magnæ molis, neque minoris audaciæ, ut qui *Tobiam* aggredi non timuerit, atque ita perculerit, ut is expaveſcens ad Angelum voce magna clamaverit, *Domine, invadit me*. Fateor quidem habuiſſe me à nobiliſſimo & doctiſſimo juvene *D. Petro Daniele Huet* Hebræum *Tobiæ* exemplar manuſcriptum, in quo piſcis, qui è *Tigri* emerſit, ipſum *Tobiam* invaſiſſe non legitur, ſed ſolum ejus panem ediſſe. Ita enim habent *Hebræa* וירד טוביה אל הנחל לרחוץ רגליו ויצא פתאום דג אחד מן הנחל ויאכל את לחם הנער *Et deſcendit* Tobias *ad flumen, ut lavaret pedes ſuos: Et ſtatim exivit piſcis aliquis ex flumine, & comedit panem pueri.* Sed *Munſteri* editio διαφέρουσα habet לאכול את הנער *ad devorandum puerum*, planè ut Vulgatus interpres. *Græcus* quoque, καὶ ἐβουλήθη καταπιεῖν τὸ παιδάριον. Et *Syrus* ܘܒܥܐ ܠܡܒܠܥܗ ܠܛܠܝܐ, *Et quæſiit* (id eſt, conatus eſt,) *vorare puerum*. Et *Hebræus* à *Fagio* editus: ולקח את הנער ורצה לבלעו. *Et invadens puerum voluit eum vorare*. Unde eſt quod in Vulgato ſequitur, *invadit me*. Sed & oppido falſum eſt quod ſupponit *Valleſius*, piſcem illum in terra fuiſſe. Emerſiſſe quidem legitur ex mediis aquis, ut in *Tobiam* irrueret, dum in flumine lavabat pedes. *Græca* editio, Καὶ ἀναπηδήσας ἰχθὺς ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ. Vulgata, *Et ecce piſcis immanis exivit: Hebræa Munſteri* ויצא פתאום דג אחד מן הנחל *Et Fagii:* ויבא דג גדול מן הנהר*: Et venit è fluvio magnus piſcis.* Et *Syrus* ܘܫܘܪ ܢܘܢܐ ܡܢ ܢܗܪܐ, *Et piſcis ex amne exiliit*. Non tamen è fluvio legitur ita emerſiſſe, ut in terram ſe conferret. Etiam in medio mari piſces ex aquis emergunt, quoties è fundo maris in ſuperficiem feruntur; Quo modo emerſit hic piſcis, ita nimirum ut fluvio adhuc innataret. Quod ſequentia palam docent in *Græca* editione; Καὶ ἐκράτησε τὸν ἰχθὺν τὸ παιδάριον, καὶ ἀνέβαλεν αὐτὸν ἐπὶ τὴν γῆν. Et in Vulgata: *Quod cum feciſſet, attraxit eum in ſiccum*. Et *Syrus* ܘܠܒܟܗ ܛܠܝܐ ܠܢܘܢܐ ܗܘ ܘܐܣܩܗ ܠܝܒܫܐ *Et puer piſcem illum arreptum in terram tulit.* Et editio *Fagii* ותפש את הדג והוציא מן הנהר, *Et piſcem correptum eduxit ex fluvio.* Quomodo traxit aut tulit aut jecit piſcem in terram, & è fluvio eduxit, ſi jam ante fuit in terra, ut ſupponit *Valleſius*? Præterea ut demus edulem eſſe callionymum, quod nonnulli aſſerunt, οἱ δὲ πλεῖους ἀντιλέγουσιν αὐτοῖς, *ſed illis pleriq; contradicunt*, auctore *Æliano* lib. 13. cap. 4. non tamen pro viatico duobus viris ſuffecerit caro tantuli piſcis à *Tigri* fluvio Ragas uſque, quæ diſtabant itinere minimum decem dierum.

b) Vide Delrio diſq. magic. lib. 1. cap. 3. Nic. Serar. in Tob. 6. Voſſ. de Idol. l. 4. c. 39.

Itaque aliter ſtatuo, de ſiluro ſcilicet agi, qui inter piſces amnicos ratione molis, roboris & audaciæ facilè primas obtinet. De mole ſic *Plinius* Hiſtoriæ lib. 9. cap. 15. *Præcipua magnitudine thynni: Invenimus talenta quindecim pependiſſe*, &c. *Sunt & in quibuſdam amnibus haud minores, ſilurus in* Nilo, *&c.* Et *Auſonius* in *Moſella*,

Nunc pecus æquoreum celebrabere, magne ſilure,
Quem velut Actæo *perductum pectora olivo,*
Amnicolam delphina reor, ſic per freta magnum
Laberis, & longi vix corporis agmina ſolvis.

Item,

Talis Atlantiaco *quondam balæna profundo.*

Et verò Silurum, *Poloni Sum, Suevi* Waller, & Walle quaſi balænam appellant propter immenſitatem. In *Viadro Sileſiæ* amne tantæ eſt magnitudinis, ut currui impoſitus plerumque extra emineat. In *Albi Germaniæ* longitudo eſt trium ulnarum, pondus librarum CXX. In *Tibiſco Daciæ* flumine, & *Hungariæ* lacu *Peiſo*, ſiluros reperire eſt longos octo cubitos, graves libras CL. In Viſtula *Poloniæ* captus eſt unus, qui æquabat ſedecim pedes. Protelis boum è *Danubio* extrahi dicit *Plinius*, (c) id eſt, boum tractibus. Quod *Ælianus* multis explicat Hiſtoriæ libri 14. capite 25. Hæc de mole. Jam de robore & audacia non minus conſtat. Silurum graſſari dicit *Plinius* ubicunque eſt, omne animal appetere, equos natantes ſæpe demergere. Inde vulgare Proverbium apud *Bohemos*, referente *Gelenio*: *Piſcis piſcem invadit, ſilurus omnes*. Ut rectè *Ambroſius* in *Hexaemeron* lib. 5. cap. 5. divitem improbæ cupiditatis ingluvie abſorbentem infirmorum patrimonia cum ſiluro conferat, de minorum piſcium viſceribus alvum replente. Immenſa ſcilicet eſt voracitas, rictus oris maximè patens, labia aſpera in limæ modum, *ea aſpectus atrocitas ut terrorem etiam mortuus ſpectantibus videatur afferre*. Cætera etiam alii tradunt, ultimum hoc ſolus *Manardus*. In quo inſuper id notandum, quod ſilurum etiam in homines inſurgere affirmat: *In animalia*, inquit, *quantumvis magna audaciſſimè inſurgit, adeò ut nec hominibus parcat*. Sic *Johannes Vitus Hungarus* apud *Geſnerum* ſiluri meminit capti prope *Nadlac* oppidum, in cujus ventre viderit caput hominis cum dextra manu. Et puerum *Salvianus* in *Danubio* natantem ab eodem piſce narrat fuiſſe deglutitum. Neque id latuit veteres. Habemus enim ea de re locum inſignem in *Pauſaniæ Meſſeniacis*, Θηρία δὲ εἰς ὄλεθρον ἀνθρώπων οὐ πεφύκασιν οἱ Ἑλλήνων ποταμοὶ φέρειν, καθάπερ γε Ἰνδὸς καὶ Νεῖλος ὁ Αἰγύπτιος, ἔτι δὲ Ῥῆνος καὶ Ἴστρος, Εὐφράτης τε καὶ Φᾶσις· οὗτοι γὰρ δὴ θηρία ὅμοια τοῖς μάλιστα ἀνδροφάγα ἀναφύουσι, ταῖς ἐν Ἕρμῳ καὶ Μαιάνδρῳ γλάνισιν ἐοικότα ἰδέας, πλὴν χρόας τὸ μελάντερος καὶ ἀλκῆς. Ταῦτα δὲ αἱ γλάνεις ἀπολείπονται· *Belluas in perniciem hominum* Græciæ *amnes non alunt, ſicut* Indus *&* Nilus Ægyptius, Rhenus *item &* Danubius, Euphrates *etiam &* Phaſis. *Hi enim belluas educant, quæ quantum quævis alia hominibus vorandis inhiant: Specie verò accedunt ad eas quæ in* Hermo *&* Mæandro *degunt, glanides; ſed colore ſunt nigriore & robore majore. His enim duabus rebus glanides illis belluis ſunt inferiores.* Siluros deſcribi certum eſt, qui figurâ corporis glanides planè referunt. *Ælianus* Hiſt. lib. duodecimi capite decimo quarto, Ὁ δὲ γλάνις ἐστὶ μὲν περὶ τὸν Μαίανδρον, καὶ σιλούρῳ μὲν τὸ εἶδος ὅμοιός ἐστι, *Glanis quidem eſt circa* Mæandrum, *ſpecie ſiluro ſimilis*. Hinc factum ut plerique glanidem cum ſiluro confunderent. In his *Plinius*, *Gaza*, & *Bellonius*, *Græci* quoque recentiores qui tam ſilurum quam glanidem communi nomine γλάνιον vocant. Omnino igitur in *Pauſania* piſcis ille ἀνδροφάγος, glanidis ſpecie, ſilurus eſt. Quem & *Euphratis* facit incolam; unde in *Tigrim* facilis excurſus, cum alter in alterum influat, neque *Tigris Euphrate* ſit multò minor. Proinde etiam in *Tigri* marinas belluas, id eſt, cetaceos piſces aſcendere certo anni tempore, nempe circa canis exortum, teſtatur *Diodorus* libro decimo nono, verba ſunt, Ἔχει δὲ καὶ θαλάττιον ἰχθὺν πολύν, καὶ θηρία τῶν πελαγίων, ἃ φαίνεται μάλιστα περὶ κυνὸς ἐπιτολάς. Hactenus igitur id probavimus, immanem piſcem eſſe ſilurum, & humanæ carnis avidum, & in *Euphrate* amne, adeoq; & *Tigri* notum, quæ in *Tobiæ* piſcem

c) Plin. lib. 9. cap. 15. vide Turneb. Adverſ. lib. 24. cap. 42.

piſcem omnia ad amuſſim quadrant. Jam cætera expendamus.

Et Tobiæ *dixit Angelus, apprehende branchiam ejus, & trahe eum ad te: quod cum feciſſet, attraxit eum in ſiccum.* Qui pote, ſi de ſiluro res eſt, quem protelis boum ex *Danubio* extrahi diximus? Reſpondeo ſilurum hunc fuiſſe de mediocribus, quales etiam hamo piſcatores attrahunt, quantò magis apprehenſa manu branchia? Tale eſt, quod ex *Schnebergero* refert *Geſnerus* hamo captam anguillam, eum ſilurus vorare vellet, eam lubricitate corporis per ſiluri branchias tranſiiſſe, ſimulque ſilurum cum anguilla, utrumque mediocris magnitudinis, captum eſſe.

Quod de piſcis eſu additur, & illius carnibus in viaticum ſalitis, etiam ſiluris convenit, quos recentes ſalſosve in cibum ſumi teſtantur *Dioſcorides, Plinius, Athenæus*, alii. In quem finem venditi *Romæ*

d) Juv. Sat. 14. - - - - - *(d) Pharia de merce ſiluri.*

Non hic diffitebor tamen quod à *Bellonio* obſervatur, *Conſtantinopoli Judæos* à ſiluri eſu tanquam immundi abſtinere, quod glaber ſit, & ſquamis careat; quâ ratione fuerit etiam *Tobiæ* interdictus. Sed violationem legis ceremonialis excuſare potuit alius cibi penuria. Sic *David* eſuriens τοὺς ἄρτους τῆς προθέσεως ἔφαγεν, οὓς οὐκ ἐξὸν ἦν αὐτῷ φαγεῖν, *Matth.* 12. *verſ.* 4. Utut ſe res habeat, eodem incommodo urgetur eorum ſententia, qui callionymum hic intelligunt. Callionymus enim, præterquam quòd ſquamis caret, gravis eſt, & viroſi ſaporis, quia in luto verſatur, & cœnoſa aqua veſcitur. Hinc *Athenæi* lib. 8. καλλιώνυμος βαρύς. Et *Æliani* lib. 13. cap. 4. Εἰσὶ μὲν οὖν οἳ καί φασιν αὐτὸν ἐδώδιμον, οἱ δὲ πλείους ἀντιλέγουσιν αὐτοῖς. οὐ ῥᾳδίως δὲ αὐτοῦ μεμνημονεύουσιν ἐν ταῖς ἀπὸ τῶν ἰχθύων πανδαισίαις. *Quidam edulem eum eſſe dicunt: ſed pleriſque aliter ſentiunt: nec facilè ejus meminerunt in conviviis ex piſcibus.*

Sed neque ad oculorum albugines extergendas ſiluri fel eſt inutile, *Hermolaus* in *Dioſcoridem*: Vegetius, *ſilluarion, ut puto, ſilurum vocavit, cujus felle ſuffuſos oculos inungi cum* Attico *melle, præcipit bobus.* Sic apud *Galenum*, (e) & *Aetium* (f) fel hyænæ piſcis adhibetur ad oculorum cicatrices, ſuffuſiones, & alias hebetudines. Porro hyænam alii cum ſiluro, alii cum glanide, qui à ſiluro parum differt, piſcem eundem eſſe volunt, quia terreſtris etiam hyæna *glanos* vocatur.

e) Gal. Simplic. lib. 10. cap. 12.
f) Aet. lib. 7. cap. 111.

Denique quod in *Tobia* eſt maximè παράδοξον, hunc piſcem ſuffitu ſuo dæmones pepuliſſe, glanidi piſci tribuunt ſuperſtitioſi ſcriptores. Auctor libri de paratu facilibus, *Galeno adſcripti*, cap. 241. *Ad pharmacias Caridis*, &c. *decoctum bibat, & geſtet etiam glanidum* (γλανίων) *oſſa: Hæc enim ſuffitu ſuo dæmones pellunt.* Idem citat *Geſnerus* ex *Kiranide*. Et in *Damire, piſcis* الجري *algiri*, vel الجريث *algerith* ſimili virtute pollet, ſi credimus *Algiahidh*, (ſcriptor *Arabs* nugaciſſimus) cujus verba ſunt ان مرارته يسعط بها الفرس المجنون يذهب جنونه *Si felle ejus provocetur ad ſternutationem equus dæmoniacus, diſcedet ab eo diabolus.* Porro juxta pleroſque *Arabum*, *algiri* eſt ſilurus. *Azzamachſari*. الجري قيل انه السلور *Algiri dicitur eſſe ſilurus. Suleiman Ben Haſan* de eodem سماه دسقوريدوس بسلوروس *Dioſcorides vocat eum ſilurum.* Abenbitar, سلورس هو الجري *Silurus eſt algiri.* Et ſtatim refert ad *algiri*, quicquid de ſiluro habent *Dioſcorides*, & *Galenus*. Tamen ut dicam quod res eſt, ab iiſdem ſcriptoribus الجري ſic deſcribitur, ut appareat eſſe anguillam, quæ *Hebrais* eſt צלבח Unde eſt quod alio nomine ibidem vocatur انكليس ἔγχελυς, & *Perſicè* مارماهي *marmahi*, quaſi ὀφιέγχελυν dixeris, quia piſcis eſt ſerpentis ſpeciem habens. Proinde quotquot *Arabes* ſilurum interpretantur, ſilurum cum anguilla, piſcem eundem eſſe putant, ut re vera eſt illi ſimilis. Eſt & الجري *algiri*, piſciculus circa *Baſoram* in *Euphratis* oſtio, qui pedes habet poſteriores ranarum inſtar, ſed nullos anteriores. Ita teſtatur *Ibnoſaida*.

Jam *ſabot* piſcem quod attinet (*Arabes* ſcribunt السبوط & الشبوط & *Talmudici* שבוטא *ſibbota*) in *Arabici Dioſcoridis* capite de felle, verum eſt pro callionymo ſumi. At in *Aruch* manu-ſcripto, quem citat Cl. *Buxtorfius* שבוטא *ſibbota*, piſcis eſt, qui vernacula lingua vocatur בורבוטא *borbota*, id eſt, ſilurus. Ita enim appellant ſcriptores infimæ antiquitatis. *Vincentius Doctrinalis* lib. 16. cap. 126. Borbotæ *piſces ſunt fluviatiles, aliquatenus anguillis ſimiles; lubrica namque ſunt, excoriantur ſicut anguillæ: corium habent nigrum*, (carnem) *eſu dulcem, & hepar præ omnibus piſcibus melius, & delicatius. Caput magnum reſpectu corporis; os amplum, & latum valde. Cum autem ætate duodecim annos exceſſerit, in corpus magnum creſcit. Et tunc nomen ejus mutatur, & Solaris vocatur.* Et cap. 134. *Solaris dictus eſt, quod in Sole libenter in ripis jacet.* Ita etiam *Albertus*. Sed uterque fallitur. Solaris, id eſt, ſilurus, ut ex deſcriptione patuit. Vocem corruperunt recentiores, ut à Sole deducerent. *Græcè* σίλουρος dicitur, quaſi σείουρος, ἀπὸ τοῦ σείειν τὴν οὐρὰν à quatienda cauſa, ſi *Athenæo* credimus. Mihi σίλουρος, idem eſt, quod ψίλουρος, caudâ glaber, vel caudâ tenuis, quia cum caput amplum habeat, deſinit in caudam tenuem, anguillæ more. Benedictus *Martinus* apud *Geſnerum* de piſce *Saluth*, ſiluri ſpecie, in *Helvetia*: *Caput habet amplum, & bene latum: Reliqua corporis pars eſt contractior, ut in acumen prope deſinat.* Σίλουρος, & ψίλουρος idem ſunt, quomodo σίτταχος, & ψίτταχος, Σιττακίνη, & ψιττακίνη, σαυρίποδες, & ψαυρίποδες, σάγδα, & ψάγδα, unguenti genus in *Heſychio*. Sed ne *ſabot*, idem eſſe cum borbota, ſeu ſiluro credatur, duo potiſſimum obſtant. Unum, quod *Arabes* الشبوط *ſabot* deſcribunt صغير الراس parvi capitis. Alterum, quod ſilurus *Judæis* eſt immundus. *Ibnoabas* de ſiluro هو شي نكرهه اليهود ونحن لا نرحمه *Res eſt Judæis interdicta, ſed nos illam non interdicimus.* Et *Bellonius*: *Hujus piſcis eſu ex ſua Legis interdicto* Judæi *abſtinent, quod glaber ſit, & careat ſquamis.* At שבוטא *ſibbota*, vel *ſabot*, piſcis mundus eſt, ut *Talmudici* diſertè docent in *Talmude Jeroſolymitano*, tractatu de jejunio cap. 4. Proinde iidem in tractatu *de Sabbatho*, רבא מלח שבוטא. *Rabba ſalivit ſibbotam* in honorem Sabbathi. Quid quòd τῷ *Aruch* in voce אספני׳, planè aliud eſt שבוטא, nempe קולי״ס אוספנין׳ *Colias Hiſpanorum*, piſcis à ſiluro diverſiſſimus, & ſcombro non abſimilis. Et *Gloſſa Talmudis* טונינא, *toninam*, id eſt, thynnum, explicat. Ex qua verſionum inconſtantia, *Hebræos* apparet hic cæcutire. Itaque videndum, annon rectius *Arabs Pandectarius*, Sabot *eſt nomen cujuſdam piſcis. & eſt ſpinola.* Scorpionem intelligit *Geſnerus*, piſcem multis aculeis horrentem. Sed quæ ſequuntur in eodem *Pandectario*.

Laurathi,

Laurachi labrax, ideſt, variolus, ſimilis cephaleo, aliter lauratus, docent agi de lupo, qui Græcè dicitur λάβραξ, hodiè λαυράκι, ἀπὸ τῆς λαβρότητος, ab immenſa voracitate, nobis *bar*, Italis *varolo*, quaſi varius, vel variolus à varietate colorum: item *ſpicola*, vel *ſpigola*, quomodo pro *ſpinola* legendum in *Pandectario*. Neque fruſtra dicitur *cephaleo*, ſeu *cephalo*, id eſt, mugili eſſe ſimilis. Idem enim de lupo tradunt *Paulus Ægineta*, & *Kiranides* apud *Geſnerum*. Omnino igitur ex *Pandectarii* ſententia *ſabot* eſt lupus. Quod ut expendatur, ſciendum quomodo piſcem *ſabot* deſcribant *Arabes*. *Alcamus* ait eſſe caudâ tenuem, latum in medio, parvum capite. *Damir* addit in ea ſpecie pleroſque eſſe mares, paucas fœminas. Captos laceratis retibus magno impetu proſilire, quandoque ad decem cubitos. In amne *Tigri* eſſe plurimos *Abenbitar*, in *Euphrate* etiam, & in maris *Perſici* littoribus, maximè circa *Siraph*, quæ maritima eſt urbs *Perſidis* notiſſima. Idem, & *Raſi*, ex eorum felle præſcribunt collyria ad oculorum ſuffuſiones (g). In his vix quicquam eſt quod lupo non conveniat. Lupus enim, is inprimis qui paulò eſt pinguior, ventre prominet, capite eſt oblongo, caudâ tenui. Et ſi ſe retibus ſenſerit implicitum, quanto poteſt impetu, in ea graſſatur, ut diſcerpat, & ſibi paret exitum. *Hæc in variolo* (id eſt, in lupo) *ſe animadvertiſſe noſtri piſcatores magno conſenſu teſtantur*, inquit, *Cœlius Calcagninus* in *Epiſtola* ad *Johannem Baptiſtam Angiarium*. Idem in mari reperitur, & in fluviis, præcipuè circa oſtia, & in *Kiranide* fel ejus cum melle illitum, viſum acuit, & oculorum hebetudines, ſuffuſiones, nebulas, albugines, mydriaſim, nyctalopem curat, alioſque hujus generis morbos. Eodem facit quod מוחא דשבוטא, *cerebrum ſibbota* commendant *Talmudici* tractatu *cholin*, tanquam gratiſſimi ſaporis. Quomodo λάβρακος κρανίον, *Græci* Scriptores (h). In his *Ariſtophanes* in *Lemniis*, *Eubulus* in *Nutricibus*, *Eriphus* in *Melibœa*, ubi inter eas dapes recenſet, ἃς, inquit, οὐδὲ μάκαρας ὑπερφρονεῖν οἶμαι θεούς, *quas ne beatos quidem Deos aſpernari puto*. De cætero nomen שבוטא *ſibbota*, non malè exprimit noſtrum *bar*, & Italicum *varolo*, quæ nomina deduci à varietate colorum obſervavimus. Nam שבץ, *Hebræis* eſt, aurum, vel varios colores panno intexere. Indè שבוטא, dictus videtur *Chaldæa* dialecto, (quâ *tſade Hebræum* mutatur in *teth*) piſcis diverſicolor. Hos lupos *Xenocrates* appellat ἐπεστιγμένους, quaſi maculis interpunctos διαστικτούς. Quia lupi piſces ſunt duorum generum, alii varii, & maculoſi, alii ſine maculis. *Columella* libri noni capite decimo ſeptimo. *Tum etiam ſine macula, nam ſunt & varii, lupos includamus.*

g) *Raſi de morb. cur lib. 9. cap. 27.*

h) *Vid. Athen. lib 7. cap. 14. & 17.*

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

Job. 40, 10. בהמות *behemoth*, non eſſe elephantem, ut volunt, ſed hippopotamum.

Behemoth, & Leviathan, *ideſt, hippopotamus, & crocodilus, conjunctim à* Jobo *deſcribuntur, ut paſſim à veteribus, quia multa habent communia. Hippopotamus quàm vaſtum ſit animal.* Græcè θηρίον, *&* Latinè bellua, *ut* Hebraicè behemoth. *Nomen* בהמה behema, *commune aquaticis cum terreſtribus. Hippopotamus maximè accedit formam terreſtrium.* Behemoth *non eſt* Plurale, *ſed* Singulare Ægyptium. *Pluralia ejuſdem forma,* Behemoth quem feci tecum. *Imò* juxta te *in vicinia* Arabiæ. עם *pro* juxta *ſæpe ſumitur. Fœno paſci, rarum aquaticis. Hippopotamus bovi ſimilis. Vis animalium in lumbis. Elumbis. Delumbare. Alvus elephanti mollior, hippopotami non item. Haſtæ, & miſſilia ex ejus corio, quo non aliud firmius.* Leſtis *in* India *pellis, ut hippopotami.* חפץ, *retorquere. Hippopotamus caudam retorquet ſuis inſtar. Cur cauda ejus dicatur eſſe, ut cedrus.* פחדים, *ſunt femora, non teſticuli, niſi ſecundario, ut* ירך, *& femur. Nervi perplexi, quia copioſi.* Πλοχμοὶ, πλεκτάναι, πλέγμα, *quid* Græcè מטיל metil, *vectis ferrea unde dicta. Equi, & tauri, cur* Poetis, χαλκόποδες, *&* χαλκόκροτοι. Aereus, *ideſt, fortis. Hippopotami oſſa duriora quam elephanti.* Proconneſi *ſtatua* Cybeles *ex ejus dentibus. Hippopotamus cur principium viarum Dei. Multa in eo miranda. Repertor detrahendi ſanguinis.* חרבא harba, *ſeu* harpe Phœnicum *inventum. Harpe* Saturni, Jovis, Nemeſis, *&* Perſei, *quæ in cœlum tranſlata.* Mycenæ *ſic dicta, quia ibi ejus* μύκης, *ſeu capulus. Harpe propriè falcatus enſis.* Romanis *idem ſica (unde ſicarii,* Act. 21, 38.) *&* κόπις, Perſis σάγαρις, *&* Laced. ξυήλη. Joſ. 13, 22. ἅρπη *in* Græca *verſione. Hippopotamo Deus* harpen applicavit, *ideſt, falcatos dentes, quos etiam* Poetæ ἅρπην *vocant. Hâc illum ſegetes demetere, & perdere. Lapis hippopotami dentibus ſimilis cur dicatur nympharena. Alii lapides ebori ſimiles. Montes fœno fœcundi. Aquatilia in montibus paſci quam* παρὰ δόξαν. *Montes etiam in* Ægypto *inferiore. In Samogithia* Mors *hippopotami ſpecies mari relicto montes petit. In latibulo arundinis cubat hippopotamus, non elephas. Quid ſit* fera arundinis, *Pſal.* 68, 31. Nilus δρακοειδής. Salices *torrentis, id eſt,* Nili. Nilus *cur dicatur* torrens, *&* διιπετής. Nilum *non aliunde augeri quàm ex æſtivis imbribus. In* Ægypto *viticis & papyri copia, maximè circa* Sain *ubi hippopotami. Nova explicatio loci,* Job. 40, 18. *Recepta verſio,* Jobo *affingit portentoſam hyperbolen, quod dicit, elephantem fluvium integrum ſorbere, quod de* Pythio *dracone,* Poetæ *fabulantur, &* Græcia *mendax de* Xerxis *copiis. Hanc verſionem cum* Hebræis *verbis non convenire.* Hebraicè גיח, *non eſt educere, ſed erumpere,* אל *pro* על. *Elephantes in aquis ſtatim ſuffocari, niſi promuſcis emineat. At hippopotamus quamvis ſit natatus expers, tamen integros dies degit in fundo* Nili. Nonnus *notatus.* Nicandri Scoliaſtes *emendatus. Hippopotamum nonniſi dolo capi, & quâ arte. Hippopotami quando* Romæ *primùm viſi. Quando in* Ægypto *defecerint. Horum* Æthiopica *duo nomina explicantur.*

Jobi capite quadrageſimo, & quadrageſimo primo, ità deſcribuntur *Behemoth*, & *Leviathan*, ut appareat eſſe beſtias vaſtæ molis. Unde factum, ut recentiorum plerique putaverint *behemoth*, eſſe elephantem, & *Leviathan* balænam, hanc aquatilium, illum terreſtrium animalium ſine controverſia maximum. Quorum ego ſententiæ libenter accederem, niſi re accuratius perpenſâ multa de illis dici viderem, vel in receptis verſionibus, quæ ab elephantis, & balænæ natura quam maximè abhorrent. Ut taceam interpretes, hoc præjudicio abreptos, alio detorſiſſe quædam, quæ ſi rectè explicentur, & ut *Hebræa* verba ſonant, luce clarius apparebit nominibus *behemoth*, & *Leviathan*, duo animalia deſcribi ab elephante, & balænâ longè diverſiſſima. Quænam autem illa ſint, definire non eſt obvium. Mihi tamen placet inprimis quod doctrinæ non vulgaris atque acerrimi judicii viri, *Beza* & *Deodatus*, *Leviathanem* ſtatuunt Niloticum eſſe crocodi-

lum. Unde ſuſpicio non levis ẞ *Behemoth* eſſe crocodilo ſocium animal, atque ejusdem *Nili* incolam hippopotamum. Cujus ſententiæ novitate nolim quenquam abſterreri, priuſquam rationes meas apud ſe perpenderit. Quarum prima hæc eſto, quod ut in præcedenti ſcena capite trigeſimo octavo de ſolis terreſtribus actum, ita in hac vero conſentaneum eſt ſolum agi de aquaticis, ne inſtituti ordinis ratio perturbetur. Itaque cum *Leviathan* ex omnium conſenſu aquaticum ſit animal, idem videtur de *behemoth*, quia in eadem ſerie orationis utrumque deſcribitur. In qua ſententia fuiſſe veteres *Hebraos* vel ex ſpurio *Eſdra* colligas libri quarti capite ſexto verſu 47. 48. 49. ubi manifeſtè *behemoth* (aut *Enoch*, ut pleraque exemplaria corruptè habent) inter aquatilia ponitur quæ quinto die creata ſunt. In aquatilibus porro hippopotamus & crocodilus rectè junguntur, quia magna eſt inter hæc duo naturæ ſimilitudo. Vaſtum enim utrumque eſt, & ferum, & quadrupes, & ex genere τῶν ἀμφιβίων, & χαυλιόδους, & ἀνθρωποβόρων ζώων. Et quod jam obſervavimus, utrique communis eſt in *Nilo* habitatio. Quo faciunt verba *Plinii* libri vigeſimi octavi capite octavo, *Eſt crocodilo cognatio quadam amnis ejusdem, geminique victus cum hippopotamo.* Proinde rari ſunt Scriptores qui non de utroque conjunctim agant. Videndi ante alios, *Herodotus*, *Diodorus*, *Mela*, *Plinius*, *Solinus*, *Philo*, *Pauſanias*, *Marcellinus*, *Iſidorus*, *Euſtathius Antiochenus.* Neque nomen *behemoth* malè convenit hippopotamo. Cum *Hebraicè* בהמה *behema*, ſit beſtia quævis quadrupes, maximè ſi ſit majoris molis, qualis eſt hippopotamus, de cujus mole veteres diverſa tradunt, quia in eadem animalis ſpecie ſtatura ſæpe variat. Nemo minorem facit *Ariſtotele*, qui tribuit illi μέγεθος ἡλίκον ὄνου, *aſini magnitudinem*. At in *Herodoto* hippopotami ſtatura eſt, ὅσον τε βοῦς ὁ μέγιστος, *quanta maximi bovis.* In *Diodoro*, οὐκ ἐλάττων πηχῶν πέντε, *cubitis quinque non minor.* In *Achille Tatio*, κατὰ μὲν τὴν ἰδέαν καὶ τὴν θέσιν ὡς ἵππος, τὸ δὲ μέγεθος ὡς τριπλάσιον, *ſpecie quidem & ſitu* partium *ut equus*, *ſed magnitudine tripla.* Quin hippopotamum idem appellat *Ægyptium* elephantem, quia proximi ab eo roboris eſſe judicatur. Unde eſt quod barbari Scriptores hippopotamum robore & ſtatura cum elephanto conferunt, aut etiam illi præferunt. Ità *Vincentius*, *Doctrinalis* libri decimi ſexti capite centeſimo quadrageſimo quarto, *Hippopotamus eſt bellua in terra naſcens, aqualiter potens elephantibus, plerumque major.* Et quisquis *Alexandri* Magni epiſtolam ad *Ariſtotelem* ſuppoſuit: *Majores elephantorum corpore, hippopotami inter profundos aquarum gurgites emerſi apparuerunt.* Quæ licet in majus aucta ſint, conſtat tamen hippopotamum paucis animalibus cedere mole & ſtatura corporis. Proindè *Graci* θηρίον, Latini *belluam* vocant, & *Hebrai* בהמות *behemoth.* *Diodorus*, Θηρία δ' ὁ Νεῖλος τρέφει τόν τε κροκόδειλον, καὶ τὸν καλούμενον ἵππον. Plinius, *Major altitudine in eodem* Nilo *bellua, hippopotamus editur.* Ammianus, *inter arundines hac bellua cubilibus poſitis.* Scio *Mercerum* & alios definire בהמה *behema*, beſtiam terreſtrem quadrupedem, ac ſi *behema* dicatur de ſolis terreſtribus. Sed aliter docent *Arabes*, ſuo nimirum idiomate بهيمة *bahima*, quod idem eſt, tam ſignificare quadrupedes quæ in aquis quam quæ in terra degunt. *Alcamus* البهيمة كل ذات اربع قوايم ولو في الما *Albahima, omne animal quadrupes, etiamſi in aquis degat.* Ità etiam *Giauhari* apud doctiſſimum *Golium.* Quamvis vel ſi verum id eſſet בהמה ſolum dici de terreſtribus, tamen hippopotamus cenſeri poſſet inter בהמות, *behemoth*, 1. Quia eſt animal ἀμφίβιον, tam χερσαῖον quam ποτάμιον, ut in *Diodoro* habetur. 2. Et ratione ſimilitudinis quam habet cum mere terreſtribus. Aquatilium certè nullum eſt quod ad terreſtrium formam tam propè accedat. Unde factum putaverim, ut omnium aquatilium ſolùm dicatur בהמה *behema*, κατ' ἐξοχὴν, vel בהמות *behemoth* etiam ex *Ægyptiâ* dialecto. Neque enim *behemoth* plurale eſt, ut volunt, ſed ſingulare *Ægyptium.* Talia θώθ, φαώφ, φαμενώθ, menſium *Ægyptiorum* nomina, *Anthol.* lib. 1. cap. ultimo. *Racoth* in Lexico *Coptico Alexandria*, quæ *Straboni*, *Pauſania*, & *Stephano* Ῥακῶτις. *Soth* vel *ſothi* canis, qui Σῶθις *Horo*, *Plutarcho*, *Porphyrio* & *Damaſcio.* *Omoth* tertius capricorni decanus in *Julio Firmico.* *Anoth* telephium, & *mothoth* chelidonium majus in *Auctario Dioſcoridis.* Iisdem fuere *cathot* polium, & *titoth* cyclamen, quæ Apuleio *cathotis* & *titothos.* Et planta *Ægyptia* fabæ ſimilis *lot* vel *melilot*, quæ *Gracis* λωτὸς vel μελίλωτος. Itaque in voce *behemoth* terminatio eſt *Ægyptia*, ut *Ægyptium* eſt ipſum animal.

Illius porrò deſcriptionem Deus ſic aggreditur *Job.* 40, 10. *Behemoth quem feci* עמך, *tecum*, vel potius *juxta te*, id eſt, in vicinia tua, ac ſi diceret Deus; Argumenta potentiæ, nihil opus eſt, ut ex longinquo petam, cum propinqua ſuppetant. Inter belluas quas in *Nilo* creavi *Arabia* tuæ vicino, quam mirabilis eſt hippopotamus? Hoc loco עם, *juxta reddimus*, quomodo ſæpe ſumitur. Sic *Joſ.* 7, 2. *Hai* legitur eſſe עם ביתאון, *juxta* Bethaven. Jud. 9, 6. *Conſtituerunt* Abimelechum *Regem* עם אלון, *prope quercetum.* Jud. 18, 3. *cum eſſent* עם בית מיכה, *prope domum* Michæ. Jud. 19. 11. *Ipſi erant* עם יבוס, *prope* Jebus. 2. Sam. 6, 7. de Uza, *Et mortuus eſt ibi* עם ארון האלהים, *prope arcam Dei.* 2. Sam. 20, 8. *Cumque illi eſſent* עם האבן הגדולה *prope lapidem magnum.* Et in ipſo *Jobi* libro capite 17. verſu 3. עמך, *Hieronymus* reddit *juxta te*, quomodo nos hoc loco.

Fœnum ut bos comedit) Bos & elephas ex æquo jumenta ſunt: Ideoque nihil mirum eſt ſi eodem cibo veſcantur. At ut hippopotamus, aquaticum animal & in fundo *Nili* plerumque degens, bovis inſtar fœno paſcatur, hoc verò mirum eſt & inauditum, ideoque nec ab aliis prætermiſſum. *Diodorus*, Κατανέμεται τόν τε σῖτον καὶ τὸν χόρτον, *Depaſcitur frumentum & fœnum.* Et cum ad pabulum è fluvio prodire dicit *Nicander Theriac.* verſu 569.

χίλοι ὅτε χλοάουσι νέον δ' ἀπεχεύατο ποίην.
Pabula cum incipiunt herbâ florere recenti.

Neque de nihilo eſt quod bovi comparatur, quem non ſolùm paſtu & cibo, ſed & mole refert corporis, & formâ capitis & pedum. Unde *Itali bomarin*, id eſt, bovem marinum appellant. Quâ de re legendi ſunt ex veteribus, *Herodotus* & *Diodorus*, ex recentioribus *Geſnerus*, *Bellonius*, *Alciſius Cadamuſtus*, *Leo Africanus*, & alii.

11. *Ecce nunc potentia ejus in lumbis, etiam robur ei eſt in umbilico ventris*) Prius hemiſtichium nihil habet quod lectorem remoretur. In lumbis enim ſedem eſſe virium, nemo neſcit. Hinc *Nahum.* 2, 1. *Robora lumbos*, *Pſal.* 69, 24. *Lumbos eorum nutare fac.* Et Roboam Judæis: *Minimus digitus meus craſſior eſt lumbis patris mei.* Itaque *elumbis* pro debili ſumitur & *delumbare* eſt debilitare. Sed ſi de elephante res eſt, quomodo in illum quadrabit poſterius hemiſtichium, *etiam robur ei eſt in umbilico ventris.* Cum *Plinius* & *Solinus* elephantem doceant *duriſſimum dorſo tergus habere, ſed ventri molle.* Unde eſt quod *Rhinoceros* in elephantum dimicaturus, *ejus alvum maximè petit quam ſcit eſſe molliorem.* Ità *Plinius* lib. 8. cap. 20. Quibus hæc *Æliani* conſonant Hiſt. lib. 17. cap. 44. Ὑπεισιὼν οὖν αὐτοῦ τὰ σκέλη καὶ τὴν νηδὺν, ὑποτέμνει τε καὶ ὑπορύττει τῷ κέρατι, *Subit igitur* (Rhinoceros) *ipſius crura & alvum, quam cornu ſuo diſcerpit & dilacerat.* Sed & ex animalculis יתוש *jatthus*, *Gr.* ἐμπίς, culicis aquatici genus, eâ ipſa ratione elephantem territat & diſcruciat. Itaque

que ad hæc *Talmudica* in de *Sabbatho* fol. 77. b. אימת יתוש על הפיל, *terror jactus*, ſeu culicis *ſuper elephantem*. *Baal Aruch* ſic habet רחש הוא שנדל במים ונכנס לו בטורו ומפחדו, *Reptile eſt in aquis creſcens, quod umbilicum ejus ſubiens, eum terret.* Et magnum illum elephantem *Eleazarus* hâc eâdem parte confodit. Sic habetur, 1. *Macchab.* 6, 46. Εἰσέδυ ὑπὸ τὸν ἐλέφαντα, καὶ ὑπέθηκεν αὐτῷ, καὶ ἀνεῖλεν αὐτόν. Et *Joſephi Antiquitatum* libri duodecimi capite decimo quarto. Ὑποδὺς δὲ ὑπὸ τὴν γαστέρα, καὶ πλήξας ἀπέκτεινε τὸν ἐλέφαντα, Et *Chronicon* templi ſecundi pagina vigeſima ſeptima, ויתקע את חרבו בכרס הפיל, *Et gladium ſuum infixit in ventrem elephantis.* Sed diſertiſſimè omnium *Gorjonides* libri tertii capie ſecundo, ויבא בין רגלי הפיל וידקור אותו בחרבו על טבורו ויפל הפיל עליו, *cum veniſſet inter elephantis pedes, confodit eum gladio ſuo in umbilicum impacto, & ſuper eum cecidit elephas.* Apparet igitur *Behemoth*, non eſſe elephantem, quia elephantis robur eſſe in umbilico ventris non dixiſſet ſacer ſcriptor, cum à vero nihil ſit alienius. At hippopotamus ventre & umbilico, non minus quam reliquo corpore, tectus eſt, & quaſi cataphractus impenetrabili corio tantæ ſoliditatis, & ſpiſſitudinis, ut tornetur in haſtas, & miſſilia. Δόρατα vocat *Philoſophus Hiſtoriæ* libri ſecundi capite ſeptimo. Et ξυστὰ ἀκόντια, *raſilia tela*, id eſt, torno, aut radulâ, ſeu dolabrâ expolita, *Herodotus* in *Euterpe.* Quo ſenſu dixit *Poeta*,

- - - - - - *& raſa haſtilia virga.*

Hinc *Cyrus* ad milites, *Cyrop.* libro quinto. Ὅστις δὲ πεπαίδευται καὶ παλτὸν ξύσασθαι, ἀγαθὸν καὶ ξυλῶν μὴ ἐπιλαθέσθαι, *Quiſquis telum dolare didicit, bonum eſt, ut ne dolabra obliviſcatur.* Itaque cum hippopotamus in *Diodoro* corium habere legitur, πάντων τῶν θηρίων χερσὸν ἰσχυρότερον, vox χερσὸν eſt otioſa, ut in *Platone* paſſim. Nec ſine hyperbole *Ptolemæus* (a) in *India* ex-

a) Lib. 7. cap. 2. tra *Gangem*, *Leſtas*, ſeu latrones deſcribit, τὸ δέρμα ἔχοντας παραπλήσιον ἵππων ποταμίων, ὡς μὴ διακόπτεσθαι βέλεσιν, *pellem hippopotami ſimilem habentes, ità ut ſagittis trajici nequeat.* Quod ſumptum videtur ex *Indicis Cteſiæ*: Nam in *Bavarico* codice hæc leguntur ab aliis prætermiſſa, *Viſos in Gaitæ fluminis quadam parte ferinos homines, hippopotami ferè cute, quam ne tela quidem ipſa perfoderent.*

12. *Retorquet caudam ſuam, quæ eſt, ut cedrus*] Verbum יחפץ alii aliter reddunt. Nos cum *Chaldæo* interprete כפף, *curvare*, vel *retorquere*. Sic *Arabicè* حفض العود curvavit, inflexit, contorſit lignum. Caudam retorquere ſuum proprium. *Plinius* libri undecimi capite quinquageſimo, *Caudam ſuet retorquent, canum degeneres ſub alvum reflectunt.* Hippopotamis autem caudam eſſe ſuum, vel aprorum in modum, tortilem ſcribunt auctores graviſſimi. *Ariſtoteles*, Ἔχει δὲ χαυλιόδοντας ὑποφαινομένους, κέρκον δὲ ὑός. *Plinius*, *in eodem* Nilo *hippopotamus editur caudâ, & dentibus aprorum.* Quidam legunt, *caudâ tortâ, & dentibus aprorum.* Quam lectionem hæc *Solini* confirmant: *Hippopotamus in eodem flumine ac ſolo naſcitur, apruginеis dentibus, caudâ tortuoſâ.* *Bellonius* quoque, teſtis αὐτόπτης, caudam habere dicit, *ut porci & teſtudines*, rotundam. Ut falli neceſſe ſit *Herodotum*, & *Diodorum*, qui pro porcina caudam equinam hippopotamo aſſignant.

Ut cedrus] Elephanti cauda eſt brevis. *Nonnus* in ejus deſcriptione *Dionyſiacôn* libro vigeſimo ſexto verſu 315.

Λισσόφυής, ὀλίγεια τινάσσεται ἀστατος οὐρή.

Tenuis parva agitatur inſtabilis cauda. Sed & hippopotamus brevem habet caudam, ratione corporis. Itaque de utrovis intelligas cedro non comparabitur ratione longitudinis. Sed hippopotami cauda potuit cum cedro conferri, ratione glabritiei, rotunditatis, ſolitudinis, & firmitatis, quam ſummam eſſe oportet in ea, quâ diximus, tergoris ſoliditate. *Euſtathius Antiochenus* in *Hexaemeron*, Ὁ δὲ λεγόμενος ἱπποπόταμος οὐρὰν παχεῖαν ἔχει καὶ ψιλὴν τριχῶν, *caudam habet denſam & depilem.* Pro παχεῖαν *Leo Allatius* legit βραχεῖαν, *brevem.* Quomodo eſt in *Achille Tatio*, Οὐρὰ βραχεῖα καὶ ψιλὴ τριχῶν. Et in *Ammiano*, Biſidas *habentes ungulas, caudaſque breves.* In *Bellonii* deſcriptione neutrum omiſſum: *Caudam habet*, inquit, *brevem, craſſam, rotundam*, &c. Caudam brevem, & craſſam, id eſt, βραχεῖαν καὶ παχεῖαν. Ergò cum hippopotami cauda brevis, craſſaque ſit, & valdè firma, tamen is ad libitum eam flectit, & retorquet, quod ut maximi roboris argumentum hic obſervatur.

Nervi femorum ejus perplexi ſunt] vel *intricati.* *Hebræum* פחדים alii *teſticulos*, alii *territationes*, nos *femora* explicamus ex *Arabica* lingua, qua فخذ eſt *femur.* *Avicenna* in oſſium anatomia capite vigeſimo ſeptimo الفخذ *eſt os femoris maximum*, inquit, *in humano corpore, & quicquid eſt ſupra ſe deferens, quicquid infra transferens.* At *Arabum* aliis الفخذ eſt totum femur. Sic *Pſal* 44, 4. *Accinge gladio tuo* على فخذك *ſuper femur tuum*, Apocalypſios 19. verſu 16. *Nomen ſcriptum eſt in veſte ejus* وفخذه *& femore ejus*, Sirach. 19, 12. *Qualis eſt ſagitta fixa* في فخذ المر *in femore hominis.* Unde verbum فخذ eſt femur lædere. Et mulier الفخذ dicitur, cum divaricatis cruribus, & femoribus, virum admittit. Sed & in hoc ipſo loco *Arabs* habet عروق افخاذه & *Syrus* ܫܪ̈ܝܢܐ ܕܚܨܘܗܝ Et utrumque redditur à *Gabriele Sionita*, *nervi coxarum ejus.* Si *Chaldæos* opponas quibus פחדין ſunt teſticuli: ut *Levit* 21, 20. in *Onkelo* מרים פחדין, *attritus* teſticulis. Reſpondebo hanc eſſe vocis ſecundariam notionem. Quomodo *Hebræum* ירך, quod propriè femur ſonat, etiam pro ea parte ſumitur, quæ generandi vim habet, *Gen.* 46, 26. *Exod.* 1, 5. *Num.* 5, 22. & paſſim. Ità etiam femur ſumitur *Hiſtoria* tripartitæ libri decimi capite trigeſimo tertio, cum dicitur de *Benjamine* martyre: *Alium rurſum calamum acutum in ejus* FEMUR, *unde humana origo deſcendit, juſſit immitti.* Pro eo quod *Theodoretus Eccleſiaſtica Hiſtoria* libri quinti capite trigeſimo octavo. Ἕτερον αὖ πάλιν κάλαμον ὀξύνας, ἐνέβαλε τῷ παιδοποιῷ μορίῳ. Itaque quamvis פחד alibi pro teſticulo poſſit ſumi, tamen propriè eſt femur. Neque aliud intelligo in his *Jobi* de *Behemoth* גידי פחדיו ישרגו. quæ proinde ſic interpretor, *Nervi femorum ejus perplexi ſunt.* Quia robur belluæ, in quo jam verſatur Deus, non aliunde melius colligitur quàm ex nervorum copia: Quos valdè frequentes eſſe oportet, cum ſe mutuò implicant, ut rami arborum ſolent in ſylvarum opacitate. *Græci* videntur hanc phraſin æmulari, cum πλοχμοὺς, & πλεκτάνας vocant, polyporum brachia, & cirros, quia ἐκ τῶν ἰνῶν πεπλεγμένοι εἰσὶν, *ex fibris implicati ſunt.* Et πλόκαμα τὰ ἀμφὶ ὀστέα νεῦρα, *nervos quæ oſſa ambiunt*, quorum rami tenuiſſimi decuſſantur atque implicantur. Similis eſt decuſſatio, & perplexitas in nervis femorum hippopotami, quæ proinde robuſtiſſima ſunt. Adeò ut hoc animal nonnulli tradant navem uno pede facilè diffringere, vel inclinatam mergere, quod de cymba malim accipi, quia de nave ſuperat fidem.

13. *Oſſa ejus ut æs fuſum, oſſa*, inquam, *ejus ſunt ſicut vectis ferrea*] Ad verbum *oſſa ejus* אפיקי נחושה, *deſluxus* ſeu *fuſiones æris.* *Chaldæus* פציד נחשא quæ eodem recidunt. Vectis ferrea eſt מטיל *metil.* Alibi non reperitur. Radix *Arabicè* مطل *matala*, eſt ferrum cudere, & extendere. Unde مطال *matal*, qui cuden-

dendo, caſſides ferreas conficit, atque alia hujuſmodi, & مطول *mamtul* de ferro, *cuſum & in longum extenſum.* Rectè igitur veteres מטיל *metil*, ad ferrum referunt. Et à Senioribus redditur σίδηρος χυτὸς, *ferrum fuſile*, à *Symmacho* συμβλήματα σιδήρου, *commiſſuræ ferri*, ab *Hieronymo*, *lamina ferrea.* Senſus eſt, hippopotami oſſa non eſſe, ut in plerisque piſcibus, meras cartilagines, ſed æris & ferri inſtar duriſſima, firmiſſima, validiſſima. Ut *Mich.* 4, 13. *Surge & tritura, filia* Sion, *quia cornu tuum ponam ferreum, & ungulas tuas ponam æreas, & comminues populos multos.* Quo ſenſu equi & tauri à Poetis χαλκόποδες appellantur & χαλκοκρότοι, *æripedes & æriſoni*, qui maximè pedibus valent, duriſſimamque habent ungulam. Alii aliter accipiunt, ſed habeo quos ſequar. *Heſychius*, Χαλκόποδας, ἰσχυρόποδας. *Homeri* vetus Scholiaſtes in *Iliad.* θ', Χαλκόποδας, στερεόποδας. *Suidas*, Χαλκοκρότων, χαλκοπόδων, τουτέστι τὰς ὁπλὰς ἰσχυρὰς ἐχόντων. Item, Χαλκόπους, ἰσχυρὸς, ἤγουν στεῤῥά: Lege στεῤῥὰ vel στερεὰ, ut in Scholiaſte *Sophoclis* in *Electra.* Et in *Oedipo Coloneo* verſu 1039. Τὸν χαλκοβόαν Ἄρη, idem explicat στεῤῥοβόαν μεγαλόφωνον. Lege στερεοβόαν, *Virgilius* libro tertio, *Georg.*

- - - *temo trahat æreus orbes*

& ibi *Servius*, *Æreus*, *fortis.* Et *Æn.* 5.

- - - *vaſtis tremit ictibus ærea puppis:*

Ubi rurſus *Servius Ærea, fortis: nam ærea non eſt puppis, ſed prora.* Ut infrà eodem libro: *Ærea, quem obliquum rota tranſiit.* Et *Horatius* libro tertio, *Od.* 16.

Incluſam Danaen *turris ahenea*
Robuſtaque fores, &c.

Nunc ut ad rem redeamus, in hippopotamo ſumma eſt oſſium firmitas, adeoque major eſſe creditur quam in elephanto: qui, cum nihil habeat dente durius ex quo fit ebur, tamen hippopotami dens duritie præcellit. Quod his verbis aſſerit *Odoardus Barboſa* in *Cephalæ* deſcriptione: *Hanno* (gli ippopotami) *i denti, come gli elefanti piccoli, & è migliore avorio di quello de gli elefanti, è piu bianco, è piu forte, è di maniera, che non perde il colore.* Quod ſequutus *Scaliger* in *Cardanum* Exercit. 187. *ſect.* 2. *Hippopotamo*, inquit, *dentes, utrimque ſingula ex inferiore mandibula ſurrecto flexu, ſeſquipede majores, candore ſplendoreque ebori pares: Eo præſtantiores quod ut ebur nunquam palleſcant, amiſſo candore: Materiam quoque firmiorem tradunt.* Sed & *Diepenſes* artifices in ea arte peritiſſimi, hippopotami dentem aſſerunt ebore difficilius ſcalpi. In uſu fuiſſe etiam apud veteres ex *Pauſania* didici, qui in Matris Magnæ ſtatua *Proconneſi*, cætera ſcribit ex auro conſtitiſſe, ſed faciem ex hoc dente, quo pro ebore uſi ſint: Καὶ αὐτῷ τὸ πρόσωπον ἀντὶ ἐλέφαντος ἵππων τῶν ποταμίων ὀδόντες εἰσὶν εἰργασμένοι. Hæc ille in *Arcadicis.*

14. *Ille eſt principium viarum Dei*] id eſt, operum in hoc genere. Nam ceteræ בהמות *behemoth*, ſeu quadrupedes beſtiæ, die ſexto creatæ ſunt, hippopotamus quinto, quo die dixit Deus, *Aqua producant*, &c. ut notatur in quarto *Eſdræ.* Aut principium operum Dei, *Gr.* τὸ ἐξαίρετον, *Gall. un chef d'œuvre de Dieu*, unum ex operibus Dei præſtantiſſimis. quomodo vocatur *Amalec* ראשית גוים, *principium gentium Num.* 24, 20. id eſt, gens una è nobiliſſimis. Dei timor ראשית חכמה *principium ſapientiæ.* Mel ἀρχὴ γλυκασμάτων in *Siracide.* Ità vocatur hippopotamus *principium viarum Dei*, id eſt, Dei opus eximium. Utut enim ſit pernicioſum animal, tamen in eo multa ſunt quæ admirationem excitant, vaſta moles corporis; robur immane; tergus impenetrabile; ſtupendus oris hiatus, & portentoſa voracitas; candor dentium & firmitas; mari, terræ & amni vita communis: & in tanta corii duritie ingenium ultra animalia cuncta ratione carentia ſagaciſſimum, ut eſt in *Ammiano* libro vigeſimo ſecundo. Ubi ſagacitatis hujus duo documenta profert, à *Plinio* etiam & *Solino* non prætermiſſa. Unum, quod poſtam ſegetes abundè depaſtus eſt, *cumque jam cœperit redire diſtentus, averſis veſtigiis diſtinguit tramites multos, ne unius plani itineris lineas inſidiatores ſequuti, repertum ſine difficultate confodiant.* Alterum, quod cum *aviditate nimia extuberato ventre pigreſcit, ſuper calamos recens excultos femora convolvit & crura, ut pedibus vulneratis cruor egeſtus, ſagina diſtentum, faciat levem, & carnes ſaucias cœno oblinit, quamdiu in cicatrices conveniant plagæ.* Hinc vocat *repertorem detrahendi ſanguinis Plinius* libri vigeſimi octavi capite octavo, & *medendi magiſtrum*, libri octavi capite vigeſimo ſexto. Apud *Papremitanos* ſacrum fuiſſe animal ſcribunt *Herodotus* & *Plutarchus*, quamvis in reliqua *Ægypto* fuerit execrationi, tanquam *Typhonis* ſymbolum.

Qui fecit eum, applicavit ei חרבו, *harpen ejus*) id eſt, *applicavit ei harpen. Hebræum* חרב *hereb*, & *Chaldaicum* חרבא *harba*, alii *gladium*, nos hic *harpen* interpretamur. Neque enim ἅρπη *Græca* vox aliunde deducitur quam ex *Phœnicia harba.* *Euſebius* ex *Sanchoniathone*, Scriptore *Phœnicio*, libro primo præpar. Τῆς δὲ Ἀθηνᾶς γνώμῃ καὶ Ἑρμοῦ κατεσκεύασε Κρόνος ἐκ σιδήρου ἅρπην καὶ δόρυ, *Ex Minervæ autem & Mercurii ſententia paravit* Saturnus *ex ferro harpen & haſtam.* Harpen, id eſt, חרבא *harba. Phœnices*, ſic efferebant, & ſic ſcripſerat *Sanchoniathon. Heſiodus* etiam in *Theogonia*, *Saturnum* illâ inſtruit,

- - - - δεξιτερῇ δὲ πελώριον ἔλλαβεν ἅρπην
Μακρὴν, καρχαρόδοντα, - - -

Dextra immanem cœpit harpen, longam, aſperos dentes habentem. Hâc ibi dicitur caſtraſſe patrem cœlum. Alii eâdem harpe, *Jovem*, *Saturni* patris pudenda exſecuiſſe fingunt, idq; in inſula *Corcyra*, quæ ideò alio nomine *Harpe* dicta fuerit, ut alibi probavimus ex *Lycophrone*, *Nemeſi* quoque harpe tribuitur reis infeſta. Unde eſt quod *Nonnus* lib. quadrageſimo octavo, *Diana Auræ* irata, *Nemeſin* in illam ſic invocat,

Ἢ μὶν ὀιστρήσειε τεὴ χαλκήλατος ἅρπη.

Aut eam extimulet ærea tua harpe. Eſt & *Mercurii* geſtamen, qui *Argi* caput amputaturus, *Valer. Argonaut.* libro quarto.

- - - - *mediis in cantibus exigit harpen.*

Sed *Mercurius* harpen *Perſeo* conceſſit, quâ *Medeæ* caput abſcidit. *Orpheus* in corallio,

Ἀμφιβαλὼν ἅρπην Κυλληνίδα λυκαρέην

Cum Perſeus, *Mercurii harpen in* Meduſæ *gulam immiſiſſet.* Itaque hoc aggreſſurus libro quarto *Lucani*,

- - - - *Cyllenida ſuſtulit harpen;*
Harpen alterius monſtri jam cæde madentem,

id eſt, *Argi* à *Mercurio* cæſi. Et *Metamorphoſeus* libro quinto, idem in *Lycabam* irruens,

Vertit in hunc, harpen madefactam cæde Meduſæ

Et paulò poſt,

- - - - - *Ethemona fruſtrà*
Brachia tendentem Cyllenide *confixit harpe*

Eam harpen unà cum *Perſeo* in cœlum intulerunt *Aſtronomi.* Itaque apud *Proclum* in *Perſei* aſteriſmo quædam ſtellæ dicuntur κατεστερίσθαι εἰς ἅρπην, id eſt, ità diſponi, ut harpes formam imitentur. Non tamen harpe tota in cœlum eſt tranſlata. *Argivis* enim *Mycenis* ex eo nomen inditum (ut in *Alexipharmacis* tradit *Nicander*)

- - - - - - μύκης ἵνα κάππεσεν ἅρπης
Ἄκρον ὑπαὶ σφυρὰ Μελανθίδος,

quod cecidit harpes myces (id eſt, capulus) *ſuper ſummum* Melanthidis *verticem* prope *Mycenas.* Proinde *Etymologus*: Ἀπὸ τοῦ μύκητος τοῦ Περσέως ἐκεῖ πεσόντος ἐκλήθη ἡ πόλις Μυκήνη, Mycene *urbs dicta eſt à* Perſei *capulo ibi extante* Ex his colligere eſt quorſum in *Luciani Pſeudomante*, impoſtor quidam habuit ἅρπην κατὰ τὸν Περσέα ἀφ' οὗ ἑαυτὸν ἐγενεαλόγει μητρόθεν, *harpen* Perſei *exemplo, à quo maternum genus deducebat* Harpe autem propriè eſt falcatus enſis. *Heſychius*, ξιφοδρέπανον, ἡ λεγομένη ἅρπη ὅπλον. *Ovidius Metamor-*

morphoſeωs libro primo, ubi de *Argo* à *Mercurio* confoſſo,

Nec mora, falcato nutantem vulnerat enſe.

Falcato enſe, id eſt, harpe. In *Suida* id ipſum eſt λογχοδρέπανον. Neque aliud *hamatum ferrum* in his *Lucani* lib. 9.

Quos habuit vultus hamati vulnere ferri
Cæſa caput Gorgon.

Albricus in *Mercurio gladium curvum*, & in *Perſeo telum falcatum* appellat. Ejus inventum *Thracibus* tribuit *Clemens* lib. 1. *Stromatῶn.* Ναὶ μὴν, inquit, Θρᾷκες πρῶτοι, τὴν καλουμένην ἅρπην εὗρον, ἔστι δὲ μάχαιρα καμπύλη, *Certè Thraces harpen quam vocant, primi invenerunt; eſt autem gladius curvus.* Ego *Græcos* à *Thracibus*, ſed *Thraces* à *Phœnicibus* puto hoc gladii genus accepiſſe. *Romani ſicam* dicebant. *Gloſſæ* optimæ: *Sica*, Θρᾳκικὸν ξίφος ἐπικαμπές. Unde dicti *Sicarii*, *Actor.* 21. *v.* 38. Quod his verbis docet *Joſephus Antiquitatum* lib. 20. cap. 7. Οἱ σικάριοι δὲ καλούμενοι, λῃσταί δὲ εἰσιν οὗτοι, τότε μάλιστα ἐπλήθυνον, χρώμενοι ξιφιδίοις παραπλησίοις μὲν τὸ μέγεθος τοῖς τῶν Περσῶν ἀκινάκαις, ἐπικαμπέσι δὲ, καὶ παραπλησίοις, ταῖς ὑπὸ Ῥωμαίων σίκαις καλουμέναις, ἀφ᾽ ὧν καὶ τὴν προσηγορίαν οἱ λῃστεύοντες ἔλαβον, *Qui ſicarii vocantur, hi autem latrones ſunt, tum maximè excreverunt, gladiolis utentes ad* Perſicæ *acinacis menſuram accedentibus, ſed curvis, ferè quomodo ſica* Romanis *dicta, unde latronibus illis ſicariorum nomen inditum.* Ita etiam *Oecumenius*, & *Suidas* in Σικάριοι. Fortaſſe etiam κόπις, & σάγαρις, id ipſum fuit. Idem enim eſſe colligit *Suidas* ex hoc *Xenophontis* loco lib. 2. *Cyrop.* ubi de armatura *Perſarum*: Κόπις δὲ ἢ σάγαρις εἰς τὴν δεξιάν. Et copides definit *Curtius* lib. 8. *gladios leviter curvatos falcibus ſimiles.* Neque diverſa *Laconum* ξυήλη, quæ *Heſychio* eſt, ξιφίδιον ὃ τινὲς δρέπανον λέγουσιν, *gladiolus à nonnullis falx appellatus.* Pollux ſcribit ξυήλην. Nempe hæc gladii forma olim in uſu fuit apud pleroſque populos. Proinde in vetuſtiſſimis *Poetarum* fabulis *Saturno*, *Jovi*, *Mercurio*, *Perſeo*, *Nemeſi harpen* tribui docuimus. Dubito interim, an *Helleniſtæ harpen* pro gladio dixerint, quia nuſquam comparet hæc vox in *Philone*, nec in *Joſepho*, nec in verſione Seniorum quod meminerim. Niſi fortaſſe, *Joſ.* 13. *v.* 22. ubi *Balaam* occiſus fuiſſe legitur ἐν τῇ ῥοπῇ, vel ἐν τῇ τροπῇ. Sed legendum ſuſpicor ἐν τῇ ἅρπῃ, ut in *Hebræo* textu בחרב, *in hereb*, & in *Chaldæa*, & *Syra Paraphraſi* בחרבא, *in harba*, id eſt, in gladio.

Nunc ut è diverticulo redeamus in viam, *harpe* hic fingitur inſtructus hippopotamus, quia χαυλιόδοντας, id eſt, dentes exertos habet molliter flexos, acutos, prælongos, quibus tanquam *harpe*, vel enſe curvato in modum falcis fruges demetit, & corrumpit. Proinde etiam *Græci Poetæ*, *harpen* tribuunt hippopotamo. *Nicander Theriacῶn* verſu 566.

Ἤ ἵππου τὸν Νεῖλος ὑπὲρ Σάϊν αἰθαλόεσσαν
Βόσκει, ἀρούρῃσιν δὲ κακὴν ἐπιβάλλεται ἍΡΠΗΝ.
Aut fluvialis equi, Nilus *quem paſcit aduſtam*
Trans Sain, atq; HARPEN *damnoſam immittit in agros.*

Ad quæ verba *Scholiaſtes*: Ἅρπη δὲ σημαίνει μὲν δρεπάνην. νῦν δὲ τοὺς ὀδόντας λέγει· δεικνὺς ὅτι ὅλως τοὺς στάχυας τρώγει. Harpe *quidem falcem ſignificat, Nunc autem* (hippopotami) *dentes ſic vocat, docens* hoc animal *ſegetes penitus abſumere.* Et de eodem *Nonnus Dionyſiacῶn* lib. 26.

Αἰχμῇ καρχαρόδοντι διασχίζων ῥάχιν ὕλης,
Καὶ δολιχὴν ἀχάρακτον ἔχων γένυν ἅρπαγα καρπῶν,
Μιμηλὴν δρεπάνῃ σταχυηφόρα λήϊα τέμνει,
Ἀμητὴρ ἀσίδηρος ἀμαλλοφόρου τοκῆος.
Dentis acuta acies, ſylvæ aſpera dorſa recidit,
Quamque habet informem, & frugum maxilla voracem,
Divitibus ſegetes ſecat æmula falcis in arvis.
Spicarumq; metit, ferro non indiga, culmos.

Vides, lector, hippopotamo *harpen* à *Poetis* tribui, & dentes falcis æmulos quibus omnia demetit, aut perdit, & corrumpit. Quæ quam vera ſint, docebunt hæc *Achillis Tatii* lib. 4. Ἔστι μὲν ἀδηφαγώτατον, καὶ ποιεῖ (malim ποιεῖται) τροφὴν ὅλον λήϊον. *Animal eſt voraciſſimum, ita ut ſegete plenum campum in alimentum abſumat.* Et hæc *Diodori* lib. 1. Καταβόσκεται τόν τε σῖτον, καὶ τὸν χόρτον, ὥστε εἰ πολύτεκνον ἦν τοῦτο τὸ ζῶον, καὶ κατ᾽ ἐνιαυτὸν ἔτικτεν, ἐλυμαίνετο ἂν ὁλοσχερῶς τὰς γεωργίας τὰς κατ᾽ Αἴγυπτον, *Depaſcitur frumentum & fœnum, ita ut ſi fœcundum eſſet hoc animal, & quotannis pareret, deperderet funditus agros, qui in* Ægypto *ſunt.* Quæ aliò detorſit *Latinus* interpres. Dens exertus, qualis in elephante eſt, & apro, & hippopotamo, *Arabice* ناب *nab*, dicitur, & *Chaldaicè* ניב *nib*, vel *niph*. Ita enim ſonat B finale. Quod nomen huic denti peculiare non eſt, ſed commune caninis omnibus. Tamen exertos dentes ſic appellari conſtat. Itaque in his *Plinii* lib. 37. cap. 10. Nympharena (lapis) *urbis, & gentis* Perſicæ *nomen habet, ſimilis hippopotami dentibus.* Vox *nympharena* ſimplex non eſt, ſed compoſita, ut quidem puto, & deflexa ex *Niph-Arienes.* Et *Ariene*, ſeu *Ariana* eſt *Perſica* illa gens, unde affertur lapis exorto hippopotami denti candore, vel forma ſimilis ac proinde ניב *niph*, vocatus. Alioqui enim *Perſica* gens *Nympharena*, nulla legitur. Videndum, an hic lapis idem ſit qui *Chernites* ebori ſimillimus, in quo *Darium* conditum fuiſſe referunt *Theophraſtus* (a), & *Plinius* (b). Aut idem cum *Arabica* gemma ebori ſimillimâ in eodem *Plinio* (c), aut cum lapide العاجي *alagi*, ſeu eburneo, lib. 2. *Avicennæ.*

a) *Lib. de lap.*
b) *Lib.* 36. *c.* 27
c) *Lib.* 37. *c.* 10

Jam ſi ad elephantem referas hæc *Jobi* verba: quid in illo erit harpe, aut gladius? An dentes qui innoxii ſunt? Aut promuſcis, quæ cum gladio nihil habet ſimilitudinis? Itaque gladium, aut telum veteres nuſquam vocant, ſed manum. Quod cum animadvertiſſet vir in his impenſe doctus, *Jobi* verba ſic accepit, ac ſi elephantem ſignificent unius Dei gladio poſſe confici, hoc modo: *Qui fecit eum, applicavit ei gladium ſuum*, id eſt, ſolus eſt, qui cum poſſit vi ſua tanquam admoto gladio conficere. Sed ut de homine taceam, quis elephantem neſcit à tigride etiam, & dracone, & rhinocerote vinci. Præterea quis ferat, ut *applicare alicui gladium, & eum gladio conficere*, pro eodem ſumantur? Adde parum hæc cohærere cum tota ſerie contextus. At ex noſtra interpretatione, ita hic verſus cum ſequente connectitur: *Qui fecit eum, applicavit ei* harpen, ſive meſſorios dentes, exertos, & recurvos, in modum falcati enſis.

15. כי בול הרים ישאו לו. *Quia proventum ei montes proferunt, etiam* (ii montes) *ubi ludit omnis agri beſtia.* Hæc enim eſt vera ratio, cur falcatis dentibus aquaticum animal inſtrui oportuerit, quia non tam in aquis, quam in terra paſcitur, in qua tam fœnum, quàm ſegetes falce metuntur. Montium ideò meminit, adeoque montium in quibus ludunt, id eſt, luxuriantur, & laſciviunt omnes agri beſtiæ. 1. Quia montes quoque fœno, & pabulo fœcundi eſſe ſolent. Sic *Pſal.* 147. *v.* 8. *Producit in montibus fœnum.* Prov. 27. *v.* 25. *Colliguntur herbæ montium.* Hinc *Pſal.* 50. *v.* 10. *Mea eſt omnis beſtia ſylvæ, jumenta in montibus mille*, ut *Poeta*,

Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ.

2. Quia magis eſt παράδοξον, & θαυματῶδες aquaticum animal non ſolum in terra paſci, ſed & in vertice montium cum pecore, & jumentis. Huc pertinet, quod *Ovidius*, ut in diluvio doceat multa accidiſſe præter naturæ ordinem, etiam hoc exemplo utitur,

- - *hic ſummâ piſcem deprendit in ulmo,*
Et modo quâ graciles gramen carpſere capellæ,

Nunc

Nunc ibi deformes ponunt ſua corpora phocæ.

Montium porro nomine colles & aggeres intelligo *Nilo* vicinos, de quibus *Strabo* lib. 17. Ἐν δὲ τῇ ἀναβάσει τοῦ Νείλου, καλύπτεται πᾶσα (Αἰγύπτου χώρα) καὶ πελαγίζει, πλὴν τῶν οἰκήσεων· αὗται δ᾽ ἐπὶ λόφων αὐτοφυῶν ἢ ἰδρύωνται, Nili *alluvionibus obtegitur atque inundatur tota* Ægypti *Regio, præter habitationes, quæ vel nativis collibus vel aggeribus impoſitæ ſunt.* Quanquam etiam in multis inferioris *Ægypti* locis, ubi hippopotami, ſint etiam veri montes, ut prope *Peluſium*, *Caſius*. Et prope *Memphim* alius. de quo *Herodotus* lib. 2. cap. 12. *Sinopion* vocat *Euſtathius* in *Dionyſium Periegeten.* Et prope *Scetim Nitria* mons nitrariis egregiis & quinquaginta circiter monaſteriis apud veteres notiſſimus. Alius item prope oſtium *Heracleoticum*, cujus meminit *Heliodorus* præclari operis ſtatim initio. Quid quod *Matthias à Michou*, lib. 1. *Sarmatiæ Aſiaticæ* capite 14. quorundam piſcium meminit in Septentrionali Oceano, qui mari relicto ſcandunt in ſummitatem montium, *Morſs Moſcovitæ* nominant. Hos autem hippopotamis eſſe quàm ſimillimos, ex *Sigismundo* colligere eſt, qui ſic deſcribit: *Circa oſtia* Petzoræ *fluvii, varia magnaq́, in Oceano dicuntur eſſe animalia. Inter alia autem animal quoddam magnitudine bovis, quod accolæ* Morſs *appellant. Breves huic inſtar caſtorum ſunt pedes, pectore pro reliqui corporis ſui proportione, aliquanto altiore, latioreq́, dentibus ſuperioribus duobus in longum prominentibus. Hoc animal*, &c. *Oceano relicto gregatim* MONTES PETIT. Nec multo aliter *Leonardus Nogarola* apud *Scaligerum* in *Cardanum* Exercit. 218. *Eſt* Morſs *piſcis ad littora populorum, qui* Samogithii *appellantur. Beſtia, bovis magnitudo, crura brevia, qualia & fibris. Pectus cæteris membris latius & elatius: Dentes geminos, exertos, grandes habet, affines ebori, candore, è quibus tum gladiorum capulos, tum alia opera faciunt. Pretium appenſa materia, ut ebori. Somnum capturus* Morſs *in terram exit, excelſa loca eligit, nec unquam niſi gregatim.* Vitam ambiguam vides, magnitudinem bovis, pedes quaternos & breves, duos dentes exertos, eboris inſtar candidos, ſedem in oſtio magni fluminis, totidem Characteriſticas hippopotami notas, quibus hoc accedit inſuper, quod in montibus libenter degit.

16. *Sub umbroſis cubat, in latibulo arundinis & cœni.*] Egregium verò elephantum latibulum, quos ſcribit *Ælianus*, Hiſtoriæ libri ſeptimi capite ſexto, διὰ τῶν μεγίστων ἴεσθαι δένδρων, οἷον διὰ λαΐου, &c. τὰ δὲ αὐτὰς τῶν δένδρων εἶ ὑψηλοτέρους, *ire per maximas arbores ut per ſegetes*, &c. *& aliquando arboribus eſſe proceriores.* Quid quod elephas ne cubat quidem niſi rarius, ſed rectus dormit. *Ælianus* Hiſtoriæ libri quarti capite trigeſimo primo, Καθεύδει γε μὴν ὀρθοστάδην, κατακλῖναι γὰρ καὶ ἐξαναστῆναι ἐργῶδες αὐτῷ. Porta cœli fol. 26. c. וישן עומד, *etiam ſtans dormit.* At de hippopotamo, en locum *Jobi* loco geminum, *Marcellini* libro vigeſimo ſecundo, *Inter arundines celſas & ſqualentes nimiâ denſitate hac bellua cubilibus poſitis*, &c. Neque verò cubile ſolùm, ſed & victum in iis quærit. *Bellonius*, *Vivit arundinibus, & cannis ſacchari, & foliis papyri herba:* Taceo, quod in nimia ſatietate medicina illi ſunt recens cæſæ arundines, ut ſupra eſt obſervatum. Unde eſt, quod venatores decipulam in illius perniciem adornatam, ἐπικαλύπτουσιν ἄνωθεν καλάμῳ, *deſuper arundine obtegunt*, ut hoc quaſi lenocinio incautum alliciant. Ita *Achilles Tatius*, & *Euſtathius* in *Hexaemeron*. Videndum igitur, an verba Pſaltis *Pſal.* 68. *v.* 31. גְּעַר חַיַּת קָנֶה, *increpa feram arundinis*, ad hippopotamum pertineant, tanquam figuram populi *Ægyptii*, de quo ſub hoc typo voluit agi *Chaldæus* interpres, quia ſtatim mentio fit taurorum & vitulorum quos colebant *Ægyptii*. *Nili* porro & vicinorum lacuum ripas arundinetis ſcatere ſi quis neſciat, legat *Heliodorum*, qui non ſolum crocodilos & hippopotamos, ſed & latrones ibi deſcribit, τῷ πολλῷ καλάμῳ ἀντὶ χαρακώματος προβεβλημένους, *magna vi arundinum tanquam vallo munitos.* Proinde alicubi *Bacchylides*, δονακώδεα τὸν Νεῖλον εἶπε, *arundinoſum* Nilum *appellavit*. Ita obſervat *Euſtathius* in *Iliad.* λ'. Et locum citat *Athenæus* lib. 1. τὴν ἀχείμαντόν τε Μέμφιν, καὶ δονακώδεα Νεῖλον. *Kimchium* & alios, qui elephanti viderunt hæc non poſſe convenire, eò adegit deſperatio, ut interrogatione additâ legerint, *An ſub umbroſis cubat, in latibulo arundinis & cœni.* Id eſt, ſub umbra & latibulo arundinis non cubat, affirmativâ ſic mutatâ in negativam. Quod ſi admittatur, nihil eſt in Scriptura tam diſertum quod non poſſit eludi. Alii de Indicarum arundinum proceritate multa proferunt, quæ ſunt extra rem. Quia ævo *Jobi*, India ibi locorum non erat nota.

17. *Tegunt eum umbroſæ arbores, unâquæque umbrâ ſuâ: Circumdant eum ſalices* Nili.] En aliud hippopotami latibulum, ſalicta & fruticeta, quæ vel in fluminum ripis, vel ſunt in maris littore! Auctor *Hamburgenſis* navigationis An. 1549. de iisdem apud *Geſnerum*: *Verſantur ut plurimum circa littora fruticoſa aut ſylvoſa, & hominibus inſidiantur, quos comprehenſos vorant. Quamobrem accolæ fruteta reſecant, ne in iis latitare poſſint.* Salices Nili *Hebraicè* ערבי נחל, *ſalices nahal*, id eſt, torrentis. Sed ibi נחל *nahal*, torrens pro *Nilo* accipitur, ut in Scriptura paſſim. Exempla vide, *Num.* 34. *v.* 5. *Joſ.* 15. *v.* 4. 47. 1. *Reg.* 8. *v.* 65. 2. *Reg.* 24. *v.* 7. 2. *Par.* 7. *v.* 8. *Eſa.* 27. *v.* 12. Proinde *Num.* 34. *v.* 5. pro *Hebræo* נחל *nahal*, legitur נילוס, *Nilus*, in *Jonathane* & *Jeroſolymitano* interprete. Atque hinc *Nili* nominis origo certiſſima eſt. Neque enim veteres נחל, ut nos hodie, *nachal*, vel *nahal*, ſed νιλ *neel* efferebant. Ita ſcribit *Epiphanius* in hæreſi *Manichæorum*. Jam ex *Neel Græcè* fit Νεῖλος, quomodo *Ægyptium* νεεὶ vel μεεὶ ſerpens ex נחש *nees*, quod olim dictum pro *nahas*. Neque verò *Judæis* & *Ægyptiis* peculiare id fuit ut torrentis nomine *Nilum* intelligerent, cum etiam *Romani* Poetæ ſic loquantur: *Lucanus* lib. 9.

Atque alii Reges Nilo *torrente natabunt.*

Valerius Argonauticωn lib. 4.

Contra Nilus *adeſt, & toto gurgite torrens.*

Nempe *torrens* dicitur *Nilus*, quia excreſcit & decreſcit, non aliter quàm torrentes qui ex aquis pluviis conſtant. Quam cauſam eſſe conjectat *Strabo*, (d) cur illum *Homerus* appellet διϊπετῆ, id eſt, à *Jove* delapſum. Ὁ μὲν γὰρ χειμάῤῥους ὑπερβέβληνται τοὺς ἄλλους ποταμοὺς τῷ διϊπετεῖς εἶναι· ὁ δὲ Νεῖλος καὶ τοὺς χειμάῤῥους, ἐπὶ τοσοῦτον πληρούμενος, καὶ πλῆθος καὶ χρόνου. Vult epithetum διϊπετὴς tanto magis *Nilo* convenire quam cæteris torrentibus, quantò ipſius incrementum copioſius & diuturnius eſt. Et ad hunc locum *Euſtathius*: Φασὶν οἱ παλαιοὶ τὸ διϊπετὲς προσαρμόττειν τῷ Νείλῳ εἴπερ τῷ ἄλλῳ, χειμάῤῥων γάρ φασιν ἐπίθετον τὸ διϊπετὲς, τοιοῦτος δὲ πως καὶ ὁ Νεῖλος ἐξ ὀμβρων δοκῶν θερινῶν πληροῦσθαι, *Dicunt veteres hoc* Nilo *maximè convenire, ut à* Jove *delapſus dicatur. Torrentium enim hoc eſſe epithetum, qualis eſt* Nilus, *cum ex æſtivis imbribus impleri videatur.* Addit *Homerum* ab *Ægyptiis* Sacerdotibus edoctum, *Græcorum* primum, veram cauſam indicaſſe τῆς Νείλου ἀναβάσεως, æſtivas nimirum in *Æthiopia* pluvias, quibus amnis auctus exundat, *Ariſtotelemq́*, & Eudoxum idem ſenſiſſe. Quod cum ſit veriſſimum & certiſſimum, non poſſum mirari ſatis recentiorum μετεωρολογίας, qui hac ſententia rejecta, alias in medium adducunt ab omni veriſimilitudine tam remotas, ut videantur in hoc argumento ludere potius quam ſerio ſcribere. Sed cum hæc ſint alterius loci, mihi ſufficit docuiſſe, cur *ſalices torrentis* exponam *ſalices* Nili. Ad ſalicum genus pertinent ἄγνος *vitex*, & ἐλαίαγνος *oleagnus*. Utriusque eſt in *Ægypto* fertilitas. Sic τὸν ἐλαίαγνον

d) Strabo lib. 1. Hom. Odyſſ. δ. verſ. 477. & 581.

ἀλάγγιον, *Theophraſtus* provenire dicit ἐν Αἰγύπτῳ περὶ τὰ ἕλη, *in Ægypto circa paludes*, Hiſtoriæ lib. 4. cap. 11. Et à viticis copia vocatur Ἄγνου κέρας, *Agnu keras*, ſeu viticis cornu, promontorium in *Ægypto* inter *Bolbiticum*, & *Sebenniticum* oſtium, cujus meminit *Heſychius* poſt *Strabonem* lib. 17. Per hæc *Nili* oſtia in *Saiticam* præfecturam navigabatur, ubi hippopotamos loco jam citato deſcribit *Nonnus*. An hoc reſpexerunt *Græci* interpretes, qui pro torrentis ſalicibus, habent κλῶνες ἄγνου, *ramos viticis?* Non κλῶνες ἀγροῦ, *ramos agri*, ut perperam habent quædam exemplaria. Iidem præcedente verſu בסתר קנה, reddunt πάπυρον καὶ κάλαμον, quaſi de *Nilo* cogitaverint, in cujus paluſtribus *papyrum* naſci conſtat, adeoque circa *Sain*, ubi hippopotami. Proinde *Saitica* chartæ meminit *Plinius* lib. 13. cap. 12. *Syrus* & *Arabs* reddunt: *Circumdant eum corvi torrentis*. Quia pro עַרְבֵי נָחַל *arbe nahal*, mutatis vocalibus legerunt עֹרְבֵי נַחַל, *orebe nahal*, quomodo *Proverb.* 30. *v.* 17. Sed *Chaldæus*, *Aquila*, & *Hieronymus* reddunt *ſalices torrentis*. Et *Maſorethæ* ſic legerunt. Neque ſolum orationis ſeries hanc lectionem firmat, ſed & loca parallela, *Levit.* 23. *v.* 40. *Pſal.* 137. *v.* 2. *Eſa.* 15. *v.* 7. & 44. *v.* 4. in quibus agitur de ſalicibus ad torrentes, amnes, & aquas, conſitis.

18. *Ecce premat eum fluvius non trepidabit, ſecurus erit, quamvis erumpat* Jordanes *ſuper os ejus.*] Hæc verſio à vulgari multum diſcrepat. *Pagninus* enim, & *Arias*, & *Mercerus*, & *Junius*, & recentiores quotquot legi, *Judæos* ſequuti commentatores, ea verba ſic ferè reddunt: *Premet fluvium*, ita ut *non feſtinet*, *confidet quod* Jordanem *educet in os ſuum*. Ac ſi dicatur elephas, de quo volunt hic agi, objectu corporis ſui premere, & ſiſtere flumen integrum, & unico hauſtu ſorbere. Sed auctori ſacro ſic affingitur portentoſa hyperbole, qualis *Poetarum* eſt, cum *Pythium* draconem fingunt totum *Cephiſum* ebibiſſe. *Statius* lib. 7. *Theb.* verſu 349.

Cephiſi *glaciale caput, quo ſuetus anhelam*
Ferre ſitim Phyton, *amnemq; avertere ponto.*

Neſtor Anthologiæ lib. 1. cap. 33.

Αὐτὰρ ὁ διψάδας ποταμῷ ὑπέθηκε γένειον,
Πᾶς δ' ἄρα Κηφισσὸς εἴσω ῥέεν.
Cumq; adeò ſitiens mentum ſupponeret alveo,
Totus iit Cephiſſus *in os.*

Et *Claudianus* præfatione in *Rufinum*:

Qui ſpiris tegeret montes, hauriret hiatu.
Flumina, ſanguineis tangeret aſtra jubis.

Neque diſſimile habetur *Pſeudo-prophetæ* commentum in *Euthymii Moamethicis*: Ἐμυθολόγησε κάμηλόν τινα γενέσθαι δυναμένην πίνειν ὅλον τὸν παραῤῥέοντα ποταμὸν, *Quendam camelum eſſe fabulatus eſt, qui præterfluentem fluvium poſſet totum ebibere.* Quibus uni animali tribuitur, quod de univerſo *Xerxis* agmine vix credimus. Proinde quod ejus copiæ in *Aſia Scamandrum*, aut *Mæandrum* etiam, in *Theſſalia Peneum*, in *Attico* ſolo *Iliſſum* ebibiſſe referuntur, multi (e) rejiciunt inter fabulas. Neque id affirmat *Herodotus* (f) niſi de ſolo *Chidoro* obſcuri nominis fluviolo. Χείδωρος, inquit, μοῦνος οὐκ ἀντέχρησε τῇ στρατιῇ πινόμενος, ἀλλ' ἐπέλιπε, Chidorus *ſolus copiis abundè potum non ſuppetiit, ſed defecit.* Et hæc quoque, ut multa alia de *Xerxe* à *Græcis* conficta ita deridet *Juvenalis Satyra* 10.

e) Vide Tzet. Chil. 1. Hiſt. 32. & Iſac. in Lycophr. fol. 207 b.
f) Herodot. lib. 7. cap. 127.

\- - - - - - - - *creditur olim*
Velificatus Athos, *& quicquid* Græcia *mendax*
Audet in Hiſtoria: *conſtratum claſſibus iiſdem*
Suppoſitumque rotis ſolidum mare: credimus altos
Defeciſſe amnes, epotaque flumina Medo
Prandente, & madidis cantat quæ Soſtratus *alis.*

Nec veriora ſunt, quæ *Trebellius Pollio* ſcribit in *D. Claudio* de *Scytharum* copiis ab ipſo fuſis: *Trecenta viginti millia armatorum fuerunt. Adde ſervos, adde familias, adde carraginem, & epota flumina, conſumptaſque ſylvas.* Nec quæ *Claudianus* in primo *Stilichonis Panegyrico*.

Denique fœlices aquilas quocunq; moveres,
Arebant tantis epoti millibus amnes.

Et in de bello *Getico*,

\- - - - - - - - *ſubſidere noſtris*
Sub pedibus montes, areſcere vidimus amnes.

Hæc, inquam, veriora non ſunt. Nam in *Pollione*, vita *D. Claudii* non tam eſt Hiſtoria, quàm perpetua panegyris in nepotis gratiam ſcripta, *Conſtantii* nempe *Cæſaris*, qui tum vivebat. *Claudianus* itidem, ut *Stilichoni* faveret, *Poetica* fide ſcripſit, atque omnia auxit in majus. Et in iis quæ citavimus ex carmine de bello *Getico*, non loquitur *Poeta*, ſed *Getarum* Dux *Alarichus* Thraſonicè ſe efferens. Quomodo *Sennacherib*, cum dicit 2. *Reg.* 19. *v.* 24. *Exſiccabo planta pedum meorum* כל יארי מצרים, *omnes fluvios Ægypti.* Id eſt, *Ægyptus*, cui confiditis, mihi erit tam pervia, quam ſi me veniente omnes fluvii, quibus munitur, exareſcerent. Hæc ideò à nobis allata ſunt, ut appareat receptam interpretationem loci in quo verſamur, intolerandam hyperbolem ſacro ſcriptori tribuere, quaſi elephantem dixerit epotare totum amnem. Quod de totis exercitibus, quanti quanti ſint, ab iis nunquam creditum, qui æqua lance res perpendunt.

Per me tamen non ſtabit, quominus hanc hyperbolem, utut portentoſam admittamus, modo cum *Hebraicis* verbis ſtare poſſit. Sed ab iis non videtur quicquam eſſe alienius. Nam qui ſic interpretantur: *Premit fluvium* ita ut *non feſtinet*, *confidit quod* Jordanem *educet in os ſuum*, 1. Supponunt נהר & ירדן eſſe accuſativi caſus, cum præfixam non habeant accuſativi notam. 2. Et in his verbis, *premet fluvium*, ita ut *non feſtinet*, illud *ita ut*, de ſuo addunt. 3. Hoc præcipuum quod חפז, non eſt feſtinare ſimpliciter, ut illi volunt, ſed vel trepidare, vel feſtinare præ metu, fugientis in morem, quod hic non habet locum. 4. Addo hæc verba præciſè ſumpta, *confidit quod* Jordanem *educes in os ſuum*, nullum habere ſenſum commodum. Neque enim in os educimus, ſed inducimus. Inde res educi dicitur unde prodit, eò induci quo recipitur. 5. Quid quod verbum הגיח, quo *Job* utitur, neque eſt *educere*, neque *inducere*, ſed *erumpere*, ut patet ex collatione trium locorum præter iſtum, quibus in Scriptura occurrit. Primus *Job.* 38. *verſ.* 8. de mari בגיחו, *cum illud erumperet.* Secundus *Judic.* 20. *v.* 33. de cohorte in inſidiis מגיח ממקומו, *erumpens è loco ſuo.* Tertius *Dan.* 7. *v.* 2. de quatuor ventis cœli מגיחן לימא רבא. *erumpentes in mare magnum.* Ita omnino hic יגיח ירדן. *erumpet* Jordanes, non *educet* Jordanem אל פיהו, *ad os ejus*, id eſt, על פיהו. *ſuper os ejus.* Paſſim enim permutantur hæ particulæ. Sic 1. *Reg.* 13. *v.* 29. *Poſuit eum* אל החמור, *ad aſinum*, id eſt, על החמור, *ſuper aſinum*, ut ibi notat *Kimchius*. Jer. 4. v. 3. *Ne ſeratis* אל קוצים *ad ſpinas*, id eſt, *ſuper ſpinas.* Ezech. 18. verſ. 6. 11. *comedere* אל ההרים, *ad montes*, id eſt, על ההרים, *ſuper montes*, ut habetur verſ. 15. Porro fluvius hic dicitur *erumpere ſuper os*, quo ſenſu dicuntur aquæ *intrare uſq; ad animam*, Pſal. 69. v. 2. & torrens *tranſire ſuper animam*, Pſ. 124. v. 4. id eſt, ſupra os, & nares eò usque attolli, ut ſpirandi meatus intercludat. Jam ſi conferatur noſtra verſio cum verbis ſacri textus, nemo erit qui non ſtatim animadvertat nos ea ſequi mordicus, & κατὰ πόδα. Illa nimirum ſic habent הן יעשק נהר. *Ecce premat fluvius*, LXX in eundem ſenſum, ἐὰν γένηται πλημμύρα, *ſi fuerit inundatio.* Et *Syrus* [illegible], & *Arabs* ان طغر النهر *ſi irruperit fluvius*, לא יחפז *non trepidabit*, Symmachus οὐ καταπλαγήσεται *non conſternabitur*, Syrus, [illegible], Arabs

Arabs لا يخاف *non timebit.* Sequitur aliud hemiſtichium de more huic ἀντίστροφον, יבטיח כי יגיח ירדן אל פיהו, *Securus erit, etiamſi erumpat* Jordanes *ſuper os ejus*, id eſt, fluvius quilibet. *Jordanus* enim nomen, ut notius pro quovis fluvio uſurpat, ut *Græcos* Idam pro quovis monte, & *Acheloum* pro quavis aqua ſumere notat *Euſtathius* in lib. 2. *Iliados.* Hæc tam clara & aperta ſunt, ut jam per ſe cuivis pateant, *Hebraicis* literis vel modicè tincto. Et haud dubiè ſic vertiſſent ſacri textus interpretes, quia verba id poſtulabant, niſi obſtitiſſet præjudicium quod diximus, nempe de elephante hic agi, de quo haudquaquam ſit verum, cum premente fluvio non trepidare, & ſecurum degere, etiamſi totus *Jordanes* erumpat ſuper os ejus. Quippe eatenus duntaxat in aquam progreditur, ἕως ἂν ὁ μυκτὴρ ὑπερέχῃ αὐτῷ, ἀναφυσᾷ γὰρ διὰ τούτου καὶ τὴν ἀναπνοὴν ποιεῖται, *quatenus ſuperemines promuſcis per quam reſpirat & ſpiritum ducit.* Hæc *Philoſophus* Hiſtoriæ lib. 9. cap. 46. Et idem libri 2. capite 1. Διὰ τοῦ ὕδατος βαδίζων, τούτῳ (μυκτῆρι) ἀναφυσᾷ, *Per aquam incedens hac* (promuſcide) *reſpirat.* Et *Ælianus* Hiſtoriæ lib. 7. cap. 15. Εἰ καλύπτοιντο ὑπὸ τοῦ ῥεύματος, ἀνέχουσι μέντοι τὰς προβοσκίδας ὑπὲρ τὸ ὕδωρ, *Si à flumine obtegantur, promuſcides ſupra aquas attollunt.* Ita etiam ex *Hebræis R. Gerſom* in *Porta* cœli fol. 20. b. כי הוא טבעו לעמוד בעומק המים זמן מרובה ובאותו החוטם מתנשם ומוציאו חוץ למים ומקבל רב אויר למען יוכל לעמוד זמן רב בתוך המים. *Quia naturale eſt illi diu ſtare in fundo aquarum, & illa proboſcide reſpirat, & eam extra aquas educit, & multum aerem accipit, ut in mediis aquis diu ſtare poſſit.* Et fol. 26. c. rurſus de eadem promuſcide שותה בו ומתנשם ולריב עמידתו במים נצרך לכלי זה שיחזיק רב אויר, *Ea bibit, & reſpirat: Et quia diu manet in aquis, eo vaſe illi opus eſt, quo contineat multum aeris.* Ita cum *Rhodanum* trajecit *Hannibal*, periere quidem Indi quibus commiſſi fuerant elephanti: At elephanti ſervati ſunt, Διὰ γὰρ τὴν δύναμιν καὶ τὸ μέγεθος τῶν προβοσκίδων, ἐξαίροντες ταύτας ὑπὲρ τὸ ὑγρὸν καὶ διαπνέοντες, ἅμα δ' ἐκφυσῶντες πᾶν τὸ παρεμπῖπτον. *Nam quia prævalidas magnasq; habent proboſcides, his ſupra aquam ſublatis, ſimul reſpirabant, & quicquid inciderat, efflabant.* Ita *Polybius* lib. 3. Item, Ἀντίχοντο πολὺ καθ' ὕδατος ὀρθὴν ποιούμενοι τὴν πορείαν, *Aquis diu obſiſtebant, rectò itinere in ulteriora progredientes.* Diu, id eſt, quantum neceſſe fuit ad amnem trajiciendum. Interim ex his colligere eſt elephantem aquis ſtatim obrui & ſuffocari, niſi emineat promuſcis per quam aſpiret & expiret. Proinde elephas non eſt illud animal, de quo *Jobus*, quod utut prematur à fluvio, non trepidat, & ſecurus eſt, etſi *Jordanes* vel amnis alius quilibet ſupra os ejus erumpat, & ſpirandi meatus illi intercludat. At verò hippopotamum ſub aqua conſtat intrepidum degere, neque ſuperfuſi fluminis eruptione quicquam moveri. Quamvis enim ut phocas, & crocodilos, & marinas teſtudines, ita etiam hippopotamum tandem ſuffocari tradat *Ariſtoteles* Hiſtoriæ lib. 8. cap. 2. niſi per certa temporis intervalla reſpiret: Eum tamen certum eſt diu continere ſpiritum. Cum nempe ſit natatus expers, tamen integros dies degit in fundo *Nili*, per limum reptans aut jacens, donec appetente nocte pabulatum exeat. *Diodorus*, *Dies quidem in aquis degit*, γυμναζόμενον κατὰ βάθος, *in profundo ſeſe exercens, noctu verò per regionem paſcitur.* Nota hæc verba, *in profundo ſeſe exercens*, quia emergere non poteſt propter natandi imperitiam. Fateor quidem à Nonno ut natantem deſcribi, *Dionyſiacûn* lib. 26.

Κεῖθι μελαμψήφιδι διαξύων ῥόον ὁπλῇ
Νήχεται ὑδατόεις ποταμήϊος ἵππος ἀλήτης,
Illic ater ineſt cui calculus ungue fluentum
Abradens fluvialis equus natat humidus erro,

Sed docti pridem obſervarunt parum accuratum ſcriptorem eſſe *Nonnum*: Et alii peritiores ſtatuunt multò aliter. *Nicander* in *Theriacis* verſu 570.

Τόσσον ἐπιστείβων λείπει βυθόν, ὅσσατιόν περ
Ἐκνέμεται. - - - - - - - -
Tantum digreditur calcans ex gurgite, quantum
Paſcitur. - - - - - - - -

In quæ verba *Scholiaſtes*, Τὸ στείβων πρὸς ἀντὶ διαστέλλει τοῦ κολυμβᾶν εἶπε, νηκτὸν γὰρ ἐστι τὸ ζῶον. Sed locus in mendo cubat: Et addita negatione ſine dubio legendum, νηκτὸν γὰρ οὐκ ἔστι τὸ ζῶον. Vult enim *Scholiaſtes* calcandi, non urinandi verbum à *Nicandro* hic adhiberi, quia hippopotamus non eſt animal natatile. Itaque in flumine non urinatur, ſed limum reptando calcat. *Scaliger*, *Pedes ad ingreſſum, non ad natatum habet.* Et eundem *Bellonius non natare* aſſerit, *ſed fundum fluminis inhabitare, ac paſſim in* Nili *profundo divagari.*

19. *In oculis ejus quis capiet eum, & hamis perforabit naſum?*] In oculis ejus. id eſt, aperta vi & manifeſta, ſine machinis & dolo. Vix enim eſt ut capiatur aliter quam per dolum. *Achilles Tatius* lib. 4. Ἀπάτῃ γὰρ ταύτῃ πάσχει τὴν ἄγραν. Et *Euſtathius* in *Hexaemeron*, Ἀπάτῃ δὲ θηρεύεται τοιαύτῃ, *Hoc autem dolo capitur.* Eorum quæ verboſè proſequuntur, ſumma eſt, circa hippopotami cubile foſſam excavatam cannis obtegi & arenâ aggeſtâ, atque in ea latere arcam, in quam ex improviſo bellua decidens includatur. Et hac arte capi addit *Tatius*, ἐπεὶ πρόσεστι τὸ καρτερόν, οὐδεὶς ἂν αὐτοῦ κρατήσειεν βίᾳ· τά τε γὰρ ἄλλα ἐστὶν ἀλκιμώτατος, καὶ τὸ δέρμα φέρει τραχύ, καὶ οὐκ ἐθέλει πείθεσθαι σιδήρου τραύματι, ἀλλ' ἔστιν, ὡς εἰπεῖν, ἐλέφας Αἰγύπτιος, καὶ γὰρ ἐπὶ δευτέρα φέρεται εἰς ἀλκὴν ἐλέφαντος Ἰνδοῦ, *quia tanti eſt roboris, ut vi à quoquam capi non poſſit. Nam & cætera eſt robuſtiſſimus, & cutis tam aſperæ, ut neque ferro cedat, neque ab eo vulneretur, meritoque dici poſſit elephas* Ægyptius. *Nam roboris nomine ab elephante* Indo *fert ſecundas.* *Albertus* & *Vincentius* negant ullis inſtrumentis poſſe capi, *niſi reti ferreo apud* Damaſcenos *in hoc opus fabricato. Captum quoque non occidi, niſi ferreis malleis propter pellis craſſitudinem.* Tamen aſſerit *Diodorus* pellem etiam perforari ὥσπερ τισὶ κονδύλοις ἐπὶ σιδηροῖς ἀγκίστροις, *tanquam quibusdam calis in hamis ferreis: Tum uni eorum quæ infixa ſunt alligari* ἀρχὰς (fortè ἀρτάνας vel σπάρτας) στυππίνας, *laqueos* vel *funes ſtupeos, atque ita dimitti belluam, donec exanguis deficiat.* Interim ne quis putet facilem eſſe hanc capturam, idem addit eodem loco non aliter capi hippopotamum, quàm πολυχειρίᾳ τῶν τυπτόντων τοῖς σιδηροῖς ἐμβολίοις, *multâ manu & molimine cadentium retibus ferreis*, congregatis in eam rem undiquaque navigiis, ubicunque apparuerit.

Scaurus ædilis, pater illius quem defendit *Tullius*, in temporario euripo hippopotamum *Romæ* primus oſtendit. Exinde in amphitheatris ſæpe viſi ſunt. Sic ab *Antonio Pio* edita munera, in quibus elephantes & crocutas, & ſtrepſicerotas, & crocodilos etiam atque hippopotamos exhibuit. Et *Heliogabalus* habuit hippopotamos, & crocodilum, & omnia *Ægyptia* quæ per naturam ſui exhiberi poterant. Proinde *Calphurnius* Ecloga 7. *Corydon Romæ* in ſpectaculis inter cætera ſe vidiſſe narrat

- - - - - - *equorum nomine dignum*
Sed deforme pecus, quod in illo naſcitur amne,
Qui ſata riparum venientibus irrigat undis.

Id eſt, hippopotamos in *Nilo* natos. Sed ætate *Juliani Apoſtatæ* in *Ægypto* jam defecerant. Teſtis *Themiſtius* Orat. 10. Δυσχεραίνομεν ἐξηρημένων ἐκ Λιβύης μὲν ἐλεφάντων, ἐκ Θετταλίας δὲ λεόντων, ἐκ δὲ τῶν ἑλῶν τῶν περὶ τὸν Νεῖλον τῶν ἵππων τῶν ποταμίων, *Ægre ferimus quod* in

in Libya *elephantes*, *in* Theſſalia *leones*, *& in paludibus* Nilo *vicinis hippopotamos defecerint.* Et de iiſdem *Marcellinus* libro vigeſimo ſecundo. *Nunc inveniri nuſquam poſſunt, ut conjectantes regionum incolæ dicunt, infeſtantis multitudinis tædio ad* Blemmyas *migraſſe compulſi.* Ubi hodieque reperitur hippopotamus, & בחית *bicht*, vocatur, & גומר *gomar*. Videtur utrumque nomen ex argumento inditum. Nam *Arabicè* بحث *bachathſa*, eſt ſcrutari, & غمر *gamara*, in profundo demergi. Indè igitur vocatum animal, quod in abyſſis demerſum eos ſcrutatur quaſi.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

Job. 40, 20. *&c.* Leviathanis nomine non ſignificari balænam, ſed Crocodilum.

תנין thannin, & לויתן, Leviathan, *ſunt ſynonyma. Utrumque pro dracone ſumitur, qui dicitur* Leviathan *à multiplici flexu, quod probatur ex* Arabiſmo. *Utraque vox etiam cete ſignificat, & crocodilos. Crocodilus non eſt prorſus elinguis. Juncus in naribus ejus*, id eſt, *funis junceus*, χοινίον. חברי הבגב, *Spina* חוח, *pro hamo. Voces aliæ ſimiles. Mancipium unde. Aves pueris, & puellis, queis cum luſitent. Pueri crocodilis in prædam ſæpè cadunt. Crocodilitis quæſtio.* Syrus *interpres bis emendatus.* Chananæi, Phœnices, *mercatores idem.* שׁכות. & צלצל, *pro telis piſcatoriis unde dicta. Fabula monſtrum in* Græca *verſione verſu* 26. *Balæna facilè ad ictus penetrabilis, crocodilus non item. Crocodili aſpectus quàm terribilis. Eo viſo quid acciderit* Artemidoro Grammatico *ex* Aureliani Chroniis Obj. *Leviathan hic deſcribitur, ut bellua quæ nec capi, nec domari poteſt, nec cicurari. Ergo non eſt crocodilus qui ſæpè captus, & domitus eſt.* Reſp. *idem de cetis poſſe objici, & de quovis animali, cum nullum ſit animal quod non ſubeat jugum hominis. Tamen crocodilus non facilè vincitur, quia & mole vaſtus eſt, & viribus tremendus. Ejus moles quanta ſit, & venatio quàm ardua. In* Auguſti *nummo crocodilus ad palmam revinctus.* Δωδέκας ὁ κροκόδειλος, Heſychio. *De* Tentyritis *quod ajunt, vix credibile. Omnia animalia feritate ſuperat crocodilus.*

LEviathan, vel ut *Hebræi* ſcribunt לויתן *liujathan*, propriè eſt idem quod תנין *thannin*, draco. Hinc תנין, & לויתן, promiſcuè ſumuntur, *Pſal*. 74, 13. 14. & *Eſ*. 27, 1. Et *Aquila* pro תנין *thannin*, habet *Leviathan*, Ezech. 32, 2. Contra quam *Arabs Pſalmorum* interpres *Savarianus*, qui bis utitur voce تنين *thanin*, pro *Hebræa Leviathan*, *Kimchius* in *Pſal*. 74. *Leviathan*, & *thanim* ſola magnitudine diſtinguit, *leviathan* definiens, התנין הגדול, *magnum thanin*, ſeu draconem. Inde colligit vir doctus vocem eſſe compoſitam ex לוית תנים *levijath thannim*, id eſt, ex conjunctione draconum, quaſi in uno *leviathan* multi dracones conjuncti ſint. Tam appoſitè, quam qui apud *Gellium Teſtamentum* dici voluit à conteſtatione mentis. Planum eſt *leviathan* ſimplicem eſſe vocem, cujus ultima ſyllaba תן *than*, pertinet ad formam nominis, ut in נחושתן, & סכלתן, & עגותן, & עקלתן. Radix porrò nec *Hebræa* eſt, nec Syra, ſed Arabica. *Arabicè* ſcilicet verbum لوى paſſim occurrit in ſignificatione flectendi, & contorquendi. Sic in ſacris *Paraphraſibus* (a) ملتوي idem eſt, quod σκολιὸς, obliquus, & διεστραμμένος, diſtortus, *Avicenna Tomo* primo pagina octava, التواء الرجلين eſt *contorſio pedum in lucta*. In *Naſrio* ليّة الطولبند eſt *tulbandis*, ſive pilei *Turcici* in ſpiras convoluti multiplex flexus. Et quod ad rem facit inprimis, لوا الحية in *Alcamus* eſt ſerpentis flexus, quo in ſpiras ſe contrahit, Ut *Georgicorum* libro primo,

Maximus *hic flexu ſinuoſo elabitur anguis.*

Et *Æneidos* libro undecimo,

Saucius *at ſerpens ſinuoſa volumina verſat.*

Itaque *leviathan* propriè ſinuoſum eſt animal, & in plures ſpiras volubile, qualis eſt maximè draco. *Euſtathius* in *Hexaëmeron*, Ποικίλων σχημάτων τύπους ἀποτελεῖ ὁ δράκων ἑλισσόμενος, *multorum ſchematum formas volubilis draco exprimit.* Neque aliter elephantes à draconibus oppugnantur. Plinius, *Ipſos circumflexu facili ambiunt, nexuque nodi præſtringunt.* Solinus, *Primum pedes nodis illigant, ut laqueatis cruribus impediant gradiendi facultatem.* *Tzetzes Chiliade* octava *Hiſtoria* centeſima decima tertia,

Τὰς πόδας δεσμεύουσιν ἐκείνων τῷ δηρίῳ,
Εἰς γλῶττα καταβάλουσιν ἰσχίων φαδίως.

Itaque *leviathan* ab *Eſaia* definitur נחש עקלתן, *ſerpens obliquus*, vel *tortuoſus*. Hæc de propria, & primaria ſignificatione vocis *leviathan*, quam nemo attigit hactenus, quod quidem ſciam. Verum ut vox ſynonyma *thannin* ità draconem ſignificat, ut ſæpe transferatur ad cetos, & marinas belluas; quia draconum formam, & flexum aliquo modo referunt: Ità nomine *leviathan* paſſim cetos, & balenas appellari videas, ut *Pſal*. 74, 14. & 104, 26. & *Eſ*. 27, 1. Quæ ipſa de cauſa factum ut utroque nomine *thannin*, inquam, & *leviathan*, crocodili ſignificentur, quia crocodili ſunt *ad ſimilitudinem draconis*, ut aſſerit *Haitho Armenus* in libro de *Tartaris* capite quinquageſimo quarto. Sed de *thannin*, agetur infrà. Nunc Deum audiamus de *leviathane*, id eſt, de crocodilo diſſerentem, *Job*. 40, 20. Uſque ad finem, & *Job*. 41. capite ferè toto.

a) Vide Deut. 32, 5. Pſal. 17, 29. Luc 9, 41. Act. 2, 40. & 20, 30. Phil. 2, 15.

Gen. 1, 21. Pſalm. 74, 13. & 147, 7. &c.

JOB. XL.

20. *An extrahes* Leviathanem *hamo, & in fune demerges linguam ejus?*] id eſt, *& in lingua ejus demerges funem? Hypallage.* Porrò demergere funem in linguâ, eſt hamum fune appenſum in lingua defigere. Id vero crocodilo convenire non videbitur, quem elinguem eſſe fere omnes ſcribunt. Sic è *Græcis Herodotus* libro ſecundo. Γλῶσσαν δὲ μοῦνον θηρίων οὐκ ἔφυσε. *Ariſtoteles Hiſtoria* libri ſecundi capite decimo, de quadrupedibus oviparis: Γλῶτταν πάντα (ἴσχουσι) πλὴν ὁ ἐν Αἰγύπτῳ κροκόδειλος. *Diodorus* libro primo. Γλῶτταν δὲ οὐκ ἔχει, *Plutarchus* in *Iſide*: Μόνος δὲ ἄγλωσσος ὤν. E *Romanis Plinius* libri octavi capite vigeſimo quinto. *Unum hoc animal terreſtre linguæ uſu caret.* *Solinus*, capite de *Ægypto*: *Linguam non habet.* *Apuleius Apologiâ* primâ, *Eſt ore amplo, ſed elingui.* *Ammianus* libro vigeſimo ſecundo. *Inter aquatiles beſtias crocodilus*, &c. *lingua carens.* Sed huic objectioni duo ſunt quæ reſpondeam. Unum quod *leviathan* linguam habere præcisè non aſſeritur, ſed linguam habere negatur in qua defigatur hamus, quod piſcibus paſſim accidit. Alterum, quod quicquid aſſerant, qui ſuprà citati ſunt, crocodilum tamen certum eſt non eſſe prorſus elinguem. Linguam enim habet, ſed immobilem, & inferiori maxillæ adhærentem. Proinde *Philoſophus* de partibus *Animalium* libri

libri ſecundi capite decimo ſeptimo. Ἔχει δὲ τὰ μὲν ἔναιμα τῶν ζώων τὸ αἰσθητικὸν τῶν χυμῶν μόριον, καὶ τὰ ἔναιμα πάντα, *Omnia* (ovipara) *tam ſanguinea, quam exſanguia habens eam partem, qua ſapores ſentire poteſt*; id eſt, linguam. Et ne quis objiciat linguam crocodilis deeſſe, & nonnullis piſcium, addit continuo poſt. Καὶ γὰρ ὅσα μὴ δοκεῖ τοῖς πολλοῖς ἔχειν, οἷον ἔνιοι τῶν ἰχθύων, καὶ οὗτοι τρόπον τινὰ γλίσχρον ἔχουσι, καὶ σχεδὸν ἐμφερῆ τοῖς ποταμίοις κροκοδείλοις, *Quippe quacunque eâ parte carere pleriſque videntur, ut nonnulli piſcium, etiam illa aliquo modo reſtrictam habent, quo ferè modo aquatici crocodili*. Item, ὥστε ἐὰν μή τις τὸ στόμα ἐπικλίνῃ, μὴ φαίνεσθαι διηρθρωμένον τοῦτο τὸ μόριον, *ità ut niſi quis os inclinaverit, hæc pars diſtincta non appareat*. Et rurſus, poſtquam de piſcibus actum: Τοῖς δὲ κροκοδείλοις συμβάλλεταί τι πρὸς τὴν τοῦ μορίου τούτου ἀναπηρίαν, καὶ τὸ τὴν σιαγόνα τὴν κάτω ἀκίνητον ἔχειν. Τῇ γὰρ ἡ γλῶττα τῇ κάτω συμφυής, *crocodilis autem aliquid inſuper accedit ad hujus partis vitiationem, quod nempe maxilla inferior eſt immobilis. Lingua enim maxillæ inferiori adhæret.* Cum igitur alibi negat crocodilum habere linguam, ex rei veritate non loquitur, ſed ex vulgi ſententia: aut linguam intelligit à maxilla ſeparatam, quæque liberè moveatur. Denique crocodilo negat id eſſe quod primâ fronte non apparet. Patet id manifeſtiſſimè libri quarti de partibus capite undecimo, ubi cum dixiſſet de quadrupedibus oviparis: Ἔχει δὲ τὰ ζῶα ταῦτα καὶ γλῶτταν ἐν τῷ στόματι, πλὴν τοῦ ποταμίου κροκοδείλου, *Etiam illa animalia linguam in ore habent, præter fluviatilem crocodilum.* Ne quis putaret hoc ſimpliciter dictum, addit: Οὗτος δ᾽ ἐοίκεν ἂν δόξειεν ἔχειν, ἀλλὰ τὴν χώραν μόνην, *Is enim linguam habere non videatur, ſed ſolum locum.* Ut crocodilum ab illo eximi ſcias ex numero animalium qui linguam habent, non quod nullam habeat prorſus, ſed quod videatur non habere. Ità etiam *Plinius* libri undecimi capite trigeſimo ſeptimo. *Lingua non omnibus eodem modo*, &c. *Piſcibus paulo minus quam tota adhærens, crocodilis tota.* Proinde idem alibi cautè dixerat: *Unum hoc animal terreſtre linguæ uſu caret.* Non dixit *linguâ*, ſed linguæ uſu, quia linguam habet, ſed immobilem. Nec ſimpliciter *unum hoc animal*, ſed *unum hoc animal terreſtre*, quia in aquaticis multa ſunt hujuſmodi, nempe plerique piſces. Itaque non debuit hic locus exagitari à viro magno in *Solinum* (c), quaſi *Plinius Herodoti* mentem non perceperit. Neque enim ibi *Herodoti*, ſed naturæ interpretem ſe exhibuit *Plinius*. Concinunt *Hebræi*, & *Arabes*. Ex illis ſcilicet *Gerſom Solomonis* filius in *Porta* cœli fol. 33. c. de crocodilo dicit, לשונו דבוקה במלתעה, *lingua ejus maxillæ adhæret.* Ex his *Alkazuinius*, & *Damir* eidem tribuunt لسان طويل *linguam prolixam*, qualem eſſe neceſſe eſt, ſi maxillam inferiorem ad dentes uſque totam obtegat. E recentioribus tamen *Bellonius*: *Linguâ pro corporis magnitudine adeò exigua, atque inferiori maxillæ ità inhærente, ut, ſolum ejus veſtigium eſſe credas.* Et *Cardanus* de *Varietate* libri ſeptimi capite trigeſimo ſeptimo, *linguam habet brevem, latam, hærentem, & intus ſuperiori mandibulæ.* (imo inferiori). *Scaliger* in *Cardanum Exercitatione* centeſima octogeſima ſecunda. *Accuratiùs inſpicienti in crocodilo quoque lingua conſpecta eſt, quæ multos latuerat ob exiguitatem.* *Samuel Purchas Anglus* in *Africa* deſcriptione, ex theſauro temporum: Ariſtoteles *crocodilos negat habere linguam. At ego* (*inquit meus auctor*) *vidi magnos, & parvos, mortuos atque exſiccatos, in quibus omnibus linguam reperi, ſed brevem, tenuem, & latam.*

c) Pag. 442.

21. *Nunquid aptabis juncum naribus ejus?*) Juncum *Græcè* σχοῖνον, id eſt, funem junceum, vel capiſtrum è fune junceo. *Plinius* libri decimi noni capite ſecundo: *Junco Græcos ad funes uſos nomini credamus, quo herbam eam appellant.* Nomen illud eſt σχοῖνος, quod & juncum ſignificat, & funem è junco plexum. Sic *Hebraicè* funis junceus peculiari nomine vocabatur חבל המגג, quia מגג, in *Aruch* eſt, מין גומא שעושין ממנו חבל. *junci ſpecies, ex quo fit funis.* Hinc *Talmudici* in *Eruvim* fol. 58. a. שלשה חבלים הם של מגג ושל נצר ושל פשתן. *Triplices funes ſunt, ex junco, ex vimine, & ex lino.*

Et ſpina perforabis maxillam ejus?] Spina *Hebraicè* חח, id eſt, hamo ſpinæ inſtar acuto. Nam *Hebraicæ* voces חח, & סיר, & *Chaldaica* סלוא, quæ propriè ſpinam ſignificant, etiam pro hamo ſumuntur. Summa eſt, tam vaſtum animal hamo non facile capi, quomodo piſciculi ſolent.

22. *An multiplicabit ad te preces? An te alloquetur verbis mollibus?*) *Proſopopæia* elegans, quâ ſignificatur hæc bellua homini non ultro ſubjici. רכות, ſupp. מלות, *verba mollia*, ut קשות, *dura*, Gen. 42, 30.

23. *An feriet fœdus tecum, & eum accipies in ſervum perpetuum?*] Quomodo victi à victoribus vitam redimere ſolent libertatis pretio. Unde *mancipii* nomen, & ſervi, quod manu capti ſerventur. *In ſervum perpetuum*, Hebraicè *in ſervum ſæculi*, ſeu æternum, ut æternum id dicitur, quod durat in totam vitam. Quale illud,

Serviet æternum qui parvo neſciet uti.

24. *An ludes eo tanquam ave, & ligabis eum pro puellis tuis?*] Nempe ut illo ſe oblectent: *Catullus*,

Paſſer deliciæ meæ puellæ,
Quicum ludere, &c.

Plautus in *Captivis*, *Act.* 5.

- - - *quaſi patritiis pueris, aut monedula*
Aut anates, aut coturnices dantur, quicum luſitent.

Pauſanias in *Corinthiacis* de *Junone*, Κόκκυγα δὲ ἐπὶ τῷ σκήπτρῳ καθῆσθαι φασι, λέγοντες τὸν Δία, ὅτι ἤρα παρθένου τῆς Ἥρας, ἐς τοῦτον τὸν ὄρνιθα ἀλλαγῆναι, τὴν δὲ ἅτε παίγνιον θηρᾶσαι, *Cuculum verò ideò ſceptro impoſitum ajunt, quod virginis ejus amore captus Jupiter, in eam ſe avem vertit, quam puella tanquam ludicrum captaverit.* Plura vide in paſſere. At cum crocodilo quis ludat, animali truculento, pueris præſertim infenſo, & puellulis, quæ nonnunquam ad *Nilum* incautiùs accedentes, in prædam illi cedunt? Ex *Æliano* diſcimus id *Ombitarum* liberis accidiſſe non infrequenter; Et Ψαμμούθου, *Pſammuthi*, (Malim Ψαμμιτίχου, aut Ψάμμιος) Regis filiam à crocodilo fuiſſe raptam. Apud *Maximum Tyrium Sermone* trigeſimo octavo, narratur de *Ægyptia* muliere, cui cum crocodili catulo puer fuit æqualis, συναθύρων αὐτῷ, καὶ συντρεφόμενος, *qui cum ipſo ludebat, & educabatur*: Et mitem quidem fuiſſe crocodilum illum, dum vires erant infirmæ: προελθὼν δὲ εἰς μέγεθος ἤλεγξε τὴν φύσιν, καὶ διέφθειρε τὸν παῖδα, *ſed cum staturâ auctus eſt, ingenium dete xit, puerumque occidit.* In *Elmacino Arabe* libri primi capite duodecimo vidua quædam in *Ægypto* cum filio iter faciebat وهو علي البحر يشرب ماء فاخذه التمساح *qui cum è mari* (id eſt, è *Nilo*) *aquam biberet, abripuit eum crocodilus.* Crocodili *Saitici* meminit *Petrus Martyr*, qui tres infantes in quodam rure *Niliaco* è cunis raptos deglutiit. Ut *Vincent le Blanc Navigationum* parte ſecunda capite vigeſimo, alterius à quo raptus eſt puer, quem pater manu ducebat. Hinc crocodilitis quæſtio apud *Stoicos* tam celebris, de muliere cujus filium accepit crocodilus, ſe redditurum profeſſus, modo illa verum diceret. De qua vide *Quintilianum* libri primi capite ſeptimo. *Lucianum* in *Hermotimo*, & in vitarum *Auctione*, *Doxapatrem* in *Aphthonium*, *Politianum* in *Miſcellaneis*, capite quinquageſimo quinto, &c.

25. *An*

25. *An epulabuntur ſocii ſuper eo?*] An futurum eſt, ut piſcatores qui ſocietate initâ ad belluarum piſcationem ſe conferunt, eo capto,

- - - - - *agent convivia læti?*

An diſtribuent illum inter Chananæos?] Syrus בית סגנאא, *inter multos*, per exſcriptorum errorem. Fallor enim, aut auctor ſcripſerat, בית סוריאא, *inter* Syros. Septuaginta pro *Chananæis* habent *Phœnices*, *Aquila* μεταβόλους, *mercatores*; Neutrum malè. Nam quia *Chananæi* mercaturæ erant dediti, ideò *Chananæus* in ſcriptura paſſim pro mercatore ſumitur. Porrò *Chananæus* idem qui *Phœnix*. Nempe ſi *Philoni Byblio* credimus, qui *Sanchoniathonem*, veterem ſcriptorem *Phœnicium*, *Græcè* tranſtulit, primus χνᾶ, id eſt, *Chanaan*, *Phœnicis* cognomen habuit. Unde, & *Phœnice* regio χνᾶ, dicitur apud *Stephanum*. Sed hæc obiter.

26. *An implebis pellem ejus miſſilibus, & caput ejus telis piſcatoriis?*) Quidni, ſi de balæna res eſt cujus capturam qui ſcripſere, teſtantur eam obrui telorum nimbo à nautis circumſtantibus? At de crocodilo ſecus, cujus corticoſam cutem telis eſſe impenetrabilem docebimus in caput ſequens. שכות, *miſſilia* explicamus ex *Arabica* linguâ, quâ شوكة vel شكة *miſſile*, & teli acumen eſt. Vide *Giggeium* *Tom.* ſecundo pag. milleſimâ centeſimâ quinquageſimâ octavâ, & milleſimâ ducenteſimâ vigeſimâ ſeptimâ. Sed, & צלצל, pro telo, geminatis radicalibus alludit ad *Arabicum* ضالة quod ſagittas explicant *Giggeus*, & *Golius*, ille in ضول hic in ضيل. *Syrus* habet nullo ſenſu: *implebisne pellem ejus carne, & caput ejus in umbrâ ignis?* Nempe pro בשכות, miſſilibus legit בשרות, quod putavit idem eſſe ac בשרים, carnes. De cætero בצלצל דגים, reddiderat בטללא דנונא, *in umbra piſcium*, ſed ex דנונא, factum דנורא, id eſt, ignis ex piſcibus. Neque aliis interpretibus *Jobi* mens hic fuit ſatis perſpecta. Omnes tamen ferendi præ *Græcis*, qui prioris hemiſtichii *Hebræa* tria verba portentoſo errore ſic reddunt: Πᾶν δὲ πλωτὸν συνελθὸν οὐ μὴ ἐνέγκῃ (al. ἐνέγκωσι) μίαν βύρσαν οὐρᾶς αὐτοῦ. Ad quæ verba *Olympiodorus*: Περὶ τοῦ κήτους δῆλος ὤν, ὅτι πάντα τὰ πλωτὰ ὁμοῦ συνελθόντα, ἐὰν ἐνέγκωσι μίαν λεπίδα τῆς οὐρᾶς αὐτοῦ, *De ceto verborum ſenſus planus eſt, quod navigia omnia, ſi in unum coeant, ſquamam unam caudæ ejus ferre non poſſint.* Quæ quidem ſeniorum verbis ſignificari planum eſt, ut dicit *Olympiodorus*. At hic duo valdè obſcura ſunt: Unum, quorſum ſibi perſuaſerint, id ex *Hebræis* verbis poſſe elici, quæ nihil quicquam habent ſimile; Alterum, quomodo id ſtare poſſit cum ipſa natura rerum, ut navium multæ myriades ceti ſqamam unam ferre non poſſint. Dicat qui poteſt unde irrepſerint in ſacram verſionem tam apertæ fabulæ.

27. *Impone manum tuam ſuper illum, non perges meminiſſe prælii.*] Tantus te invadet horror, ut de fuga cogites potius quàm de pugna, cum ipſo tactu compereris cutem eſſe illi contra omnem ictum invictam.

28. *Ecce ſpes illius*, qui manum in illum injecerit, *fruſtrata eſt! Nonne etiam ad aſpectum ejus proſternetur?*] Sic apud *Heliodorum Cnemon*, crocodilo viſo, σφόδρα ἐκπλαγεὶς πρὸς τὴν ὄψιν, οὐδὲ ἀκριβῶς αὐτοῦ τοῦ ζώου φανέντος, ἀλλὰ σκιᾶς αὐτὸν πλέον χθαμαλῆς ὑποδραμούσης, *hoc ſpectaculo valdè territus eſt, quamvis ipſum animal non vidiſſet accuratè, ſed tenuis umbra potius curſim ipſum ſubiiſſet.* Et *Cœlius Aurelianus* in Chroniis capite de furore, & inſania. *Artemidorum Grammaticum* memorat nitente greſſu crocodilum in arena jacentem expaviſſe, atque ejus motu percuſſa mente, crediddiſſe ſibi ſiniſtrum crus atque manum à ſerpente comeſtam, & literarum memoria caruiſſe, oblivione poſſeſſum. Hæc ille tanquam ex *Apollonio*, cujus mirabiles *Hiſtorias* hodieque habemus. Sed in iis nihil tale reperio. Illas igitur *Cælius Aurelianus* auctiores viderat.

Properabamus ad caput ſequens. Sed antequam ulteriùs progrediamur, ſcrupulus eximendus eſt. Si *Leviathan* ſit crocodilus, quorſum hæ provocationes? *An hamo extrahes leviathan? An aptabis juncum naribus ejus? An feriet fœdus tecum? An epulabuntur ſocii ſuper eum* (captum?) *An diſtribuent illum inter negotiatores?* Ac ſi agatur de bellua quàm capere nemo poſſit, nec domare, nec cicurare? Nonne hamo capitur crocodilus atque aliis artibus? Nonne *Tentyritæ* leguntur crocodilos ultrò inſequi, fugientesque injecto trahere laqueo, dorſoque equitantium modo impoſiti, hiantibus reſupino capite ad morſum, additâ in os clavâ, dextrâ levâque ejus extrema utrimque tenentes, ut frænis, in terram agere captivos? Nonne cicurari etiam nonnulli ſcriptores tradunt, ità ut ſe vocantes intelligant, & offam patiantur in os ingeri, & aperto rictu purgandos manibus dentes, & linteolo detergendos præbeant! Taceo de anicula in eodem lecto cum crocodilo decumbere ſolita. De iis item à quibus in papyraceis ſcaphis navigantibus, abſtinuiſſe crocodili leguntur *Iſidis* reverentia, cui ſacra erat papyrus. Et de ſeptem diebus quos habebat natales *Apis*, quibus, quaſi pacto caſtrenſi fœdere, ab omni ſævitia ſcilicet ſic deſciſcebant, ut per eos neminem attingerent. De his, inquam, taceo, ne ad fabulas deveniſſe videar. Et verò in veterum ſcriptis vaniſſima multa ſunt otioſorum hominum commenta, ex quibus quisquis rerum naturam æſtimaverit, ſæpe in errorem incidet. Tamen non diffitendum crocodilos tam poſſe capi, quam cæteras in mari, & terra belluas. At ſi quis indè colligat hic non agi de crocodilis, quia hæc provocatio, *An hamo extrahes*, &c. ità eſſet ſuperflua: Is eádem opera negaverit etiam de cetis agi, quæ utut crocodilos corporis mole multum ſuperent,

ἀλλ' ἔμπης καὶ τοῖσιν ἐπεφράσαντο βαρεῖαν
ἄτην, ἡμερίων ἄμαχον γένος, ἐκ δ' ἁλιήων
ὄλλυνται, κάτεισιν ὅτ' εἰς μόθον ὁρμάζονται.

Attamen his hominum genus inſuperabile nôrunt
Damnum inferre grave, & fato piſcator amaro
Afficit, ad cetea ſemel cum prælia ventum eſt.

- - - - οὐ γάρ τι πέλει καθυπέρτερον ἀνδρῶν
Νόσφι θεῶν, μούνοισι δ' ὑπείκομεν ἀθανάτοισι.

- - - - *nam deme Deos, nihil orbis habebit*
Supra homines: præter ſuperos, non cedimus ulli.

Ità *Oppianus* libro quinto *Halieuticῶν*. Et *Simonides*, Τραχὺ μὲν (lego Βραχὺ μὲν) σθένος ἀνδρός, ἀλλὰ ποικιλίᾳ πραπίδων, δεινὰ μὲν πόντου, χθονίων τ', οὐρείων τε δάμναται παιδεύματα, *Parvum eſt hominis robur, ſed mentis verſutia, maris, terræ, & aeris animalium ſolertiſſimas artes ſuperat.* *Plutarchus* quoque de Fortuna, equos velociſſimos hominibus ait currere, canes pugnaciſſimos hominem ſervare, eidem pingueſcere porcos, & piſces ſuaviſſimos eſſe pro obſonio: Elephantem quoque qui tantus, & tam terribilis eſt, illi eſſe pro ludicro. Neque *Ethnicorum* hic opus emendicare ſuffragia: cum in hanc rem expreſſa ſint verba conditoris ipſius, *Geneſ.* 1, 28. & 9, 2. & *Davidis Pſalm.* 8, 7. 8. 9. Et *Jac.* 3, 7. Igitur quoquò te vertas, tamen id agnoſcendum, etiam Leviathanem, quodcunque tandem ſit animal, poſſe hominis ſubire jugum, & in illius venire manus. Adeoque hæ ad *Jobum* provocationes tantum eò pertinent, ut ſcias non eſſe, quod ſibi quis facilem de eo animali ſpondeat victoriam, cum & mole ſit vaſtum, & robore tremendum. Quod in crocodilum apprimè quadrat, qui licet balænæ plurimum cedat magnitudine, ſtaturam tamen hominis longè ſuperat. Cum enim hominis ſtatura, ut plurimum ſit trium cubitorum cum ſemiſſe, ra-

rò quartum attingat. Crocodilo octo cubitos aſſignat *Alkazuinius*, *Ammianus* decem, *Damir*, *Leo Africanus*, & *Marmolius* totidem, *Ariſtoteles* quindecim, *Diodorus* ſexdecim, *Herodotus* decem & ſeptem, *Plinius* duodeviginti, *Iſidorus* viginti, *Solinus* totidem ulnas, *Ælianus* ſub *Pſammeticho Ægypti* Rege unum XXV cubitorum viſum fuiſſe memorat, alterum ſub *Amaſide* palmorum quatuor ſupra ſex, & viginti cubitos. Noſtro ævo *Petrus Martyr Decad.* quintæ capite nono, unum in *America* aliqua parte repertum XLII pedum. Et ſuperioribus annis, ut ad *Melam* ſcribit *Cl. Voſſius*, *Luſitani* ad amnem *Cuama*, qui ex iiſdem ac *Zaire* oritur fontibus, quamvis in contraria fluat, invenere crocodili cadaver ad ſexaginta pedes porrectum. Quod, utut portentoſum, leve tamen eſt præ *Panamenſibus* crocodilis, quos ad centum pedes creſcere ſcribunt *Johannes* de *Lopez Hiſtoria Indica* libri ſexti capite primo. Et *Johannes* de *Leri Americæ* ſuæ capite decimo. Hæc de mole, ſed de robore atque immanitate dicetur in ſequentibus, ac quam facilè maxima ac robuſtiſſima quæque animalia, nedum homines, uno caudæ ictu proſternat. Itaque crocodili venatio ſemper habita eſt inter difficillimas. *Diodorus* ævo ſuo *Nilum*, & lacus adjacentes his ſcatuiſſe ſcribit, tamen raros admodum fuiſſe qui caperent, eoſque non hamis, ut olim *Herodoto* referente, ſed retibus ferreis uſos, quomodo factum diximus in venatione hippopotami. Huc facit quod *Auguſtus* (d), *Ægypto* perdomitâ crocodilum ad palmam arborem catena religatum in nummis cudi voluit cum hac inſcriptione: *nemo antea religavit.* Ut doceret *Romano Imperatori* tam fuiſſe difficile *Ægyptios* ſub jugum mittere quam piſcatori arduum eſt opus crocodilum vinculis conſtringere. Inde fortaſſe *Heſychio*, Δενδρίτης ὁ κροκόδειλος. *Arboreus crocodilus*, id eſt, in illo nummo ad arborem religatus. Quin hodiè cum poſteriorum ſagacitas, deceſſorum inventis multa addidit, piſcatori tamen crocodilum à ſe captum *Cairam* deferenti, aurei nummi de fiſco ſolvuntur decem. Ex quo fit ut vix credam quæ de *Tentyritis* veteres tanto conſenſu ſcribunt, niſi *Plinio* aſſentiaris, qui eos arcanam à natura vim contra has belluas habuiſſe ſubinnuit, cum olfactu ejus generis hominum crocodilos, ut *Pſyllorum* ſerpentes, fugari tradit. Sed quæretur iterum, cur ea naturæ vis ævo noſtro ſic defecerit in ejuſdem loci incolis, ut illius hodiè ne minima quidem ſuperſint veſtigia. Jam utut hoc animal longo uſu cicurari concedamus, quod his verbis teſtatur *Philoſophus Hiſtoriæ* libri noni capite primo. Τὰ ἀγριώτατα διὰ τὰς ὠφιλείας ἡμεροῦται, οἷον ἐνταχοῦ τὸ τῶν κροκοδείλων γένος πρὸς τὸν ἱερέα, διὰ τὴν ἐπιμέλειαν τῆς τροφῆς: Deus tamen communem belluæ naturam reſpiciens potuerit his verbis uti: *An multiplicabit ad te preces? An feriet fœdus tecum? An ludes cum eo*, &c. Quia quamvis cultu miteſcat tandem, & manſueſiat, tamen naturâ ſuâ crocodilus omnia animalia feritate ſuperat. Hinc *Plutarchus* in *Iſide* crocodilum eſſe aſſerit, τῶν ἀγρίων ζώων τὸ θηριωδέστατον, *ferorum animalium efferatiſſimum.* Et in libro utra animalia, *&c.* τὸ πάντων ἀμικτότατον, καὶ τὸ θηριωδέστατον, ὧν περὶ φύσει ποταμοὶ, καὶ λίμναι, καὶ θάλασσαι, ζῷον, *à ſocietate maximè alienum animal, & atrociſſimum omnium, quæ flumina, aut lacus, aut maria educant.* Quod ipſum innuit Philoſophus eo loco quem nuper citavimus. Jam pergimus ad reliqua.

(d) Cauſin. Parab. Hiſt. lib. 3. cap. 32. Ant. Auguſt. de numiſmat. Dial. 6. Sect. 9.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

Ad Crocodilum referri reliqua de Leviathane, *Job.* 41.

Nemo crocodilum audeat excitare, nempe cum ſatur in littore dormit. Crocodilus cutem non exuit, ut ſerpens. Frænum pro labiis, ut Græcè χαλινοὶ, *pars labiorum. Rictus oris in crocodilo valvarum inſtar. Magno hiatu aperitur.* Buculam *integram vorat. Fauces ſeptem pedum. Gyrus dentium terribilis. Dentes ei ſexaginta, vel exerti, vel ſerrati. Morſus tenax, & pernicioſus. Numerus ſexagenarius in crocodilo ſolemnis. Squamis ut ſcutorum laminis cohærentibus totum tergum eſt obductum. In balæna nihil tale.* Bootii *evaſio, & natura crocodili quam ſe prodat imperium. Cetum ſquamatum deſcribit* Nearchus, *ſed ſolus, & ex aliorum fide, & mendaciſſimus ſcriptor. Cur pro ſigillo arcto* Græci *habeant* σμιρίτην λίθον. *Crocodilos veriſimile eſt ſternutare frequentiùs, quia ad ſolem apricantur. Auroræ* Hieroglyphicon, *crocodilorum oculi, at balæna propè cæca.* Horus *emendatus, & explicatus. Ex ore, & naribus crocodili cur exire dicantur lampades, ſcintillæ, fumus*, &c. *Idem de hippopotamo cognato animali ſcribi. At balæna nimbos efflat. In collo ejus robur, quod balæna nullum habet; at crocodilus habet. Id à nonnullis falſo negari. Nam caput reſupinat ad morſum, & colli motu trochilum excutit. Ante eum mœror inſultat, ut pavor ante* Martem, *&* Palladem. *Inſultare quid propriè. A* Chaldaico דוץ duts, *ſalire*, דיצא ditſa, *caprea, & δίζα, capra. Tori carnis*, מפלי, *id eſt, procidua, prominentia, non* melandrya, *ut reddit* Junius. *Cor, viſcus firmiſſimum. Cor* Sabibi, *durum, & compactum inſtar lapidis. Cor* Mahumetis *quam grave. Cor* Nabalis *in lapidem. Cor lapideum. Cor coagulatum.* Λιθοκάρδιοι. *Crocodilus quàm immiſericors. Elatio belluæ, id eſt, emerſio. Fractio pro metu, quia animus metu frangitur. Tria armorum genera ex* Arabiſmo *novè explicata. Sagitta filia arcus, filia pharetræ, filia mortis. Crocodili cutis contra omnem ictum invicta, & impenetrabilis. At balænæ corium omnibus telis pervium. Inter tormenta veterum fragmenta teſtarum impoſita jacentibus ſubſterni. Verſus* 21. *nova explicatio, ut in* Æliano *crocodili cutis cum teſtis confertur, & cum tribula lapide, & ferro exaſperata. Crocodili odor ut muſci. Mare profundum abyſſus de* Nilo, *& lacubus vicinis in quibus crocodili.* Nilus *mare vocatur*, Eſ. 11, 15. *Ejus aqua mari ſimilis. Lacus* Hebraicè *maria. Hinc ſeptem maria in terra* Chanaan, *quorum cenſus inſtituitur. Hippopotamus* Arabicè equus maris. Κροκόδειλος χερσαῖος καὶ θαλάσσιος. Nili *litus in* Plinio. *Profunda* Nili, Zachar. 10, 11. *Abyſſi de rivis & fontibus*, Deut. 8, 7. &c. *Non ſolum mare, ſed & lacus caneſcere. Verſu* 24. *Leviathan deſcribitur tanquam in pulvere reptitans, ſed qui, ut cætera reptilia, non atteratur. Non eſt metus expers, ut nec balæna. In proceriſſima animalia dominatur majorum virium fiducia. Ea videt, id eſt, deſpicit, ut* Cant. 1, 6.

LEviathanem non eſſe balænam, ſed crocodilum multò apertiùs patebit ex ſequentibus, capite quadrageſimo primo ferè toto, quod jam explicabimus.

1. *Non*

1. *Non eſt ita ferox ullus ut excitet eum*] ut de leone legitur, *Gen.* 49. *v.* 9. & *Num.* 24. *v.* 9. *Quis illum ſuſcitabit?* Ita hic de crocodilo: *Non eſt ita ferox*, aut *ita audax ullus ut* excitet eum, cum ſatur in littore dormit. Plinius, *Hunc ſaturum cibo piſcium, & ſemper eſculento ore in littore ſomno datum*, &c. *Solinus*, *Per diem humi acquieſcit.* Albertus, *Satiati piſcibus, quaſi ſomnolenti caput ingerunt ripis.* Cætera prætereo usque ad verſum tertium, quia nihil faciunt ad hanc rem quam agimus.

2. *Illius membra non ſilebo, nec ſtatum virium ejus, nec ſtructuræ gratiam.*] Qualia membra, quæ vires crocodilo ſuppetant, vel ex his *Ammiani* collige. *Ut armatus eſt unguibus ſi haberet etiam pollices, ad evertendas quoque naves, ſufficeret viribus magnis.* De ſtructuræ gratia dicetur in ſequentibus.

3. *Quis retexit ſuperficiem veſtimenti ejus?*] Id eſt, corticoſam cutem, quam crocodilus nunquam exuit, longè aliter atque ſerpentes, qui deponunt ferè quotannis. *Suidas* in Φολιδωτὸν, Φολιδωτὸς κροκόδειλος, καὶ τὸ τῶν ὄφεων πᾶν γένος, ταῦτα δὲ λέγεται κατά τινας καιροὺς τὸ γῆρας ἐκδύεσθαι· ὁ δὲ κροκόδειλος τὸ γῆρας οὐκ ἐκδύεται, Vult ſerpentem & crocodilum, cum uterque cutem habeat ex æquo corticoſam, in eo tamen differre, quod exuvias ſerpens exuit, crocodilus non exuit.

4. *In duplex frenum ejus quis ingredietur?*]Id eſt, in labia ſeu rictus ejus, qui fræni duplicati ſpeciem habent. Ita *Rabbi Selomo.* Huc facit, quod etiam *Græcè* χαλινοὶ, *frena*, ſunt labiorum pars quædam. Proinde *Pollux*, (a) cum προςόμιον vocari dixiſſet τὴν εἰς ἄλληλα τῶν χειλῶν συμβολὴν. *mutuam labiorum commiſſuram*, addit, Τὰ δὲ ἑκατέρωθεν αὐτῶν ἐπὶ τὰς γνάθους καταλήγοντα χάλινοι, *Frena verò nominantur ea partes, quæ utrimque ad maxillas deſinunt.* Phraſis utrobique eadem.

(a) Lib. 1. cap. 4 ſect. 20.

5. *Valvas faciei ejus quis aperiet?*] Id eſt, rictum oris immenſum, quem diducit cum libet, atque aperit valvarum inſtar, magno & horrendo hiatu. Hinc *Achilles Tatius* ex *Cl. Salmaſii* emendatione, Κεφαλὴ δὲ αὐτῷ τοῖς νώτοις συμφύεται, καὶ εἰς μίαν στάθμην ἰθύνεται· ἔλειψε γὰρ αὐτοῦ τὴν δειρὴν ἡ φύσις· δεινὰ δὲ τοῦ λοιποῦ βλοσυρώτερα τὰ χάσματα, καὶ ἐπὶ πλεῖον ἐπὶ τὰς γένυς ἐκτείνεται καὶ ἀνοίγεται πᾶσα· τὸν μὲν γὰρ ἄλλον χρόνον, παρ' ὅσον ἔχει τὸ θηρίον, ἐστὶ κεφαλή· ὅταν δὲ χάνῃ πρὸς τὰς ἄγρας, ὅλος στόμα γίνεται, *Caput ipſi cum dorſo continuatur & ad unam amuſſim dirigitur. Nam cervicem natura ſubtraxit, & hiatus imprimis horrendi ſunt: Nam plurima ex parte in maxillas patet atque aperitur totum, & reliquo quidem tempore caput eſt, quamdiu bellua non hiat. Ubi verò hiare ad prædam incipit, fit totum os.* Eodem pertinet, quod in crocodilo hic ipſe ſcriptor τῶν γενύων πεδίον, καὶ τοῦ στόματος αὐλὴν deſcribit, id eſt, *maxillarum campum, atque oris aream.* Et illum in pleriſque ſequitur *Euſtathius Antiochenus.* Nec multò aliter recentiores. *Vincentius*, *Os patulum & apertum habet, & hiatum usque ad aures.* Sed *Albertus* cautius, *Rictus oris ejus usque ad aures pateret, ſi aures haberet.* *Sic Arabes* crocodilo ante omnia adſcribunt فم واسع *os valde patens.* Et in Porta cœli hæc bellua אוכלת בפעם אחת שמספיק לה זמן מרובה, *una vice*, id eſt, uno bolo *comedit quantum ipſi ſufficiat in multum tempus.* *Leo Africanus*, *Marmolius* & *Scaliger*, hiatu tanto eſſe ſcribunt ut integram buculam poſſit excipere. *Petrus Martyr* ubi ſuprà, crocodili meminit, cujus fauces patuerint latitudine ſeptem pedum. Proinde *Martialis* lib. 3. *Epigram.* 90. vaſti oris vetulam ita ſuggillat,

Cum comparata rictibus tuis ora
Niliacus *habeas crocodilus anguſta.*

In gyro dentium ejus terror] Id eſt, omnia ſunt in iis ad terrorem comparata. Crocodilus ſcilicet ſexaginta numero dentes, eosque majores habet quam pro ratione corporis; & in illis quosdam exertos, alios ſerratos & pectinatim coeuntes, morſum tenaciſſimum, atque ita perniciosum, ut non curetur aliter quàm morſus rabidi canis. Dentium numerum ſcimus ex *Æliano*, *Damire*, & *Geſnero*, qui numeraſſe ſe dicit, magnitudinem ex *Herodoto*, formam ex *Diodoro* & aliis. De morſu hæc ſcribunt veteres. *Diodorus*, Καὶ τὰ μὲν δήγματα ποιεῖ ἄγρια καὶ χαλεπά, καὶ τὸ διαιρεθὲν τῆς σαρκὸς παντελῶς ἀπεργάζεται δυσίατον. *Plinius*, *Superiore mobili maxilla imprimis morſum, aliàs horribilem, pectinatim ſtipante ſe dentium ſerie.* Solinus, *Morſus ejus horribili tenacitate conveniunt.* Marcellinus, *Ordine dentium pectinato, perniciofis morſibus, quicquid contigerit pertinaciter tenens.* De cura vide *Plinium*, *Galenum*, *Aëtium*, *Paulum*, *Avicennam*, &c. Non poſſum non addere crocodilo à nonnullis multò plures dentes adſcribi quam diximus. Ab *Achille Tatio*, tot quot in anno dies. Φασὶ δὲ, inquit, ὅτι τὸν ἀριθμὸν τυγχάνουσιν ὅσας ὁ θεὸς εἰς ὅλον ἔτος ἀναλάμπει τὰς ἡμέρας. Ab *Alkazuinio*, ducentos. Verba ſunt له فم واسع وستون نابا في فكه الاعلي واربعون في الاسفل وبين كل نابين سن صغير مربع يدخل بعضها في بعض عند الاطباق *Os ipſi eſt latè patens, & canini dentes ſexaginta in ſuperiore maxilla, quadraginta in inferiore, & in ſingulis interſtitiis dens parvus unus quadratus. Illi autem dentes mutuò ſe penetrant æquali proportione.* *Græci* uno verbo καρχάρους, id eſt, ſerratos dixerint, vel pectinatim inter ſe coeuntes, quod *Plinius* & *Ammianus* ſupra dos docent. Sed aliter *Abuhamed Hiſpanus* له ثمانون نابا اربعون في الفكى الاعلي واربعون في الفكى الاسفل *Habet octoginta caninos, quadraginta in ſuperiore maxilla, & totidem in inferiore.* Et *Tzetzes* Chil. tertia Hiſt. 115.

Ὡς καὶ τὸν Ἡρακλέα δὲ ὁ Χῖος Ἴων λέγει
Ἔχειν ὀδόντων τρίστοιχον θέσιν ἀρραγεστάτην,
Ὡς καὶ τὴν Σκύλλαν Ὅμηρος φησὶν ἐν Ὀδυσσεία,
Πολλοὶ καὶ τὸν κροκόδειλον, τινὲς δὲ καὶ τὰ κήτη.

Ut etiam Herculem, Jon Chius *aſſerit habuiſſe dentium triplicem ordinem infractum; ut ſcyllam quoque* Homerus *ait in* Odyſſea, *multi etiam crocodilum, quidam & cete.* Sed hæc fabulis propiora ſunt. Et *Geſnero* potior fides, qui in crocodilo ſexaginta dentes aſſerit ſe numeraſſe. Et numerus ille in crocodilis ſolennis eſſe perhibetur. *Plutarchus* in *Iſide*, Ἑξήκοντα δὲ ὠὰ τίκτουσι, καὶ τοσαύταις ἡμέραις ἐκλέπουσι, καὶ τοσούτους ζῶσιν ἐνιαυτοὺς οἱ μακρότατον ζῶντες, *Ova ſexaginta pariunt, & diebus totidem fovent, & totidem annos vivunt qui ſunt maximè vivaces.* *Ælianus* lib. 10. cap. 21. Κύει δὲ ἄρα τὸ ζῶον τοῦτο ἑξήκοντα ἡμέραις, καὶ τίκτει ὠὰ ἑξήκοντα, καὶ τοσαύταις ἡμέραις θάλπει αὐτά· σφονδύλους δὲ ἔχει ἐπὶ τῆς ῥάχεως τοσούτους, νεύροις τε αὐτὸν τοσούτοις φασὶ διεζῶσθαι· λοχεία τε αὐτῷ ἐς τοσοῦτον πρόεισιν ἀριθμὸν, καὶ ἔτη βιοῖ ἑξήκοντα, πάρεστι δὲ καὶ ὀδόντας ἑξήκοντα τῷδε τῷ ζώῳ ἀριθμεῖν. Φωλεύει δὲ ἄρα καθ' ἕκαστον ἔτος ἑξήκοντα ἡμερῶν ἀτρεμεῖ τε καὶ ἀτροφεῖ, *Fert uterum hoc animal dies ſexaginta, & ova ſexaginta parit, & ea totidem diebus fovet, vertebrasque habet in dorſi ſpina totidem, totidemque nervis cingitur. Partus etiam curatio eundem implet dierum numerum: Et annos ſexaginta vivit, & dentes habet ſexaginta, & ſexaginta diebus quotannis latet quiete & ſine cibo.* Hæc ille ex Æg-

Ægyptiis. Et *Damir* وزعم بعض الباغثين عن طبايع الحيوان انه يعيش ستين سنة وله ستين سنا وستين عرقا ويسفد ستين مرة *Aſſerunt nonnulli ſcrutatores naturæ animalium* (חכמי המחקר. *Hebræis*, & *Paulo* συζητηταὶ, 1. *Cor.* 1. *v.* 20.) *illum ſexaginta annos vivere, & habere ſexaginta dentes, & ſexaginta nervos, & coire ſexageſies.*

6. *Tergum eſt, ut laminæ ſcutorum*, quarum unaquæque eſt *clauſa arcto ſigillo.*

7. *Una alteri tam vicina eſt ut ventus non ingrediatur.*

8. *Unaquæq; proximæ ſuæ cohæret, ita continentes ſe ut non ſeparentur.*

Hac periphraſi deſcribitur ſquamarum commiſſura, quibus ut ſcutorum laminis cohærentibus totum dorſum eſt obductum. *Bootius*, cui leviathan eſt balæna, in his explicandis non parum ſudat, ingenuè agnoſcens ſe in difficili loco verſari. *Difficultas*, inquit, *oritur, quomodo hæc in balænas quadrent, cum pellis earum glabra deſcribatur ab* Oppiano, *aliiſq; , qualis & eſt reverà.* Et poſt alia quædam hinc inde agitata, tandem concludit *allegoricè accipienda quæ de ſquamis hic dicuntur, q. d. Æquè tutus eſt ab omni hominis aſſultu* Leviathan, *ac ſi ſquamis latiſſimis & fortiſſimis ac arctiſſimis, & arctiſſimè inter ſe cohærentibus corpus munitum haberet.* Quæ mira eſt evadendi ratio, & quâ liceat ex quovis quidvis facere. Hic leviathanis tergum ab ipſo Deo deſcribitur ſquamis tanquam ſcutis munitum, iiſque tam frequentibus, & ita ſibi mutuò cohærentibus, ut ne aerem quidem admittant, quaſi contiguitas continuitatem mentiatur. Tamen, ſi *Bootio* credimus, agitur de animali, in cujus tergo nulla eſt ſquama. Et Deo id aſſerenti *Job* potuerit regerere ſe in *Leviathanis* tergo nihil tale animadvertiſſe. At, inquit; tam in tuto eſt, quàm ſi ſquamas haberet. Quid tum? Finge tibi *Achillem* reverâ fuiſſe invulnerabilem, prout Poetæ illum deſcribunt. An ideò dici potuit habuiſſe totum corpus continuâ ſquamarum ſerie obſitum atque obtectum? Præterea ne hoc quidem verum eſt, balænam tam eſſe tutam ab omni hominis aſſultu, quàm ſi tergum haberet denſiſſimis ſquamis obſitum. Nam ſi in tanta mole corporis cutem haberet ſquamis latiſſimis, fortiſſimis ac arctiſſimis munitam, quæ ſunt ipſa *Bootii* verba, ejus piſcatio quàm eſt facilis, tam eſſet operoſa & ardua, ne dicam impoſſibilis, & ſupra vires humanas. Patet igitur *Bootio* calculum hic hærere. Sed habet unde ſe ſoletur, nempe quod *& Bochartus*, inquit, *qui ex* Leviathane *facit crocodilum, nihilo commodius hic ſe expedire poteſt, cum crocodilis quoque nulla prorſus ſint ſquamæ.* Quæ *Bootii* verba, cum primum legerem, vix credidi oculis meis. Quia vero nihil eſt tam abſimile, quam hominem non plane rudem, quique medicinam in *Belgio*, in *Anglia*, in *Hibernia*, & in *Gallia* diu cum laude exercuit, id ignoraſſe quod lippis notum eſt & tonſoribus. Quorum in magnis urbibus paulo humanior vix quiſquam eſt, qui non habeat crocodili cutem in officina penſilem. *Bootium* igitur valdè mirum eſt in crocodili cutem nunquam incidiſſe, aut non vidiſſe pictum, aut ejus deſcriptionem nunquam legiſſe vel in veterum, vel in recentiorum ſcriptis, qui crocodilo ſquamas, vel quod idem eſt, cortices videntur quaſi certatim tribuere. In illis *Herodotus*, Ἔχει δὲ καὶ δέρμα λεπιδωτὸν ἄῤῥηκτον ἐπὶ τοῦ νώτου, *Pellem verò ſquamatam habet, & infractam in dorſo.* *Ariſtoteles* Hiſtoriæ lib. 2. cap. 10. Οἱ δὲ κροκόδειλοι οἱ ποτάμιοι ἔχουσι, &c. δέρμα ἄῤῥηκτον, φολιδωτὸν, *Crocodili fluviatiles cutem habent infractam, ſquamatam.* Diodorus, Τὸ μὲν γὰρ δέρμα αὐτοῦ πᾶν φολιδωτόν ἐστι, καὶ τῇ σκληρότητι διαφέρον, *Ejus enim pellis tota ſquamata eſt & duritie eximia*: *Ælianus* Hiſtoriæ lib. 10. capite 24. Νῶτα πέφυκε καὶ τὴν οὐρὰν ἄῤῥηκτος· λεπίσι μὲν γάρ τε καὶ φολίσι πέφρακται, καὶ ὡς ἄν εἴποι τις, ὥπλισται, *Impenetrabile tergum & caudam à natura ſortitus eſt: ſquamis enim & corticibus obſepitur, & ut ita dicam, armatur.* Achilles Tatius, Δορὰ δὲ φολίσι ῥυσσὴ, *Cutis autem ſquamis aſpera eſt.* Unde hæc mendoſa in *Euſtathii Hexaemero* corrigere eſt, Ἡ δὲ δορὰ αὐτοῦ λεπὺς τυγχάνει ῥυτὴ, & legendum, λεπίσι τυγχάνει ῥυσσὴ: *Squamis aſpera eſt*, *Suidas* in φολιδωτὸν, Φολιδωτοὶ ἰχθύες, καὶ σαῦρα, καὶ σαλαμάνδρα, καὶ χελώνη, καὶ κροκόδειλος, *Squamati ſunt piſces, lacerta, ſalamandra, teſtudo & crocodilus.* Jam è recentioribus *Volaterranus*, *Squamis prælur is oſtrearum modo totus obducitur.* Petrus Martyr, *Dorſum ſquamis duriſſimis, conchylii ferè duritia*, &c. *armatur.* Item. *Urſinas diceres crocodili manus pedeſque, niſi huic eſſent ſquammei, illi autem villoſi.* Geſnerus, *Tergum & cauda, imo tota pars prona, ut ipſe obſervavi, multis corticibus ſubrotundis ſquamatim compingitur, & eminentibus iis ſecundum longitudinem exaſperatur.* Bellonius, *Cutis eſt rugoſa, multis in tergo tuberculis armata, ſubtus levis, ſurſum verò ſeſſilibus ſquamis aſpera. Georgius Marcgravius* Hiſt. Nat. lib. 6. cap. 15. *Totum corpus veſtitur cute ſquamata, ac in capite & tota ſuperiori parte corporis ac caudâ loricatâ. In toto autem inferiori corpore ſquamæ quadratæ ferè ſunt*, &c. *In lateribus varias rotundas figuras habent ſquamæ, ac tuberculis ſcatent.* Et paulò poſt de dorſo, *Suntq; illæ ſquamæ duræ*, &c. Et de caudæ pinna, *Eſt autem illa pinna multis ſquamis quaſi compoſita*, &c. Itaque, ſi, quod aſſero, leviathan eſt crocodilus, verè dixit *Bootius Bochartum* ex hoc *Jobi* loco expedire ſe non poſſe. Cur enim ex eo loco expedire me coner, in quo nihil eſt impeditum? Cum crocodilum eſſe talem qualem illum deſcribit ſacer ſcriptor ſub Leviathanis nomine, doceat αὐτοψία, & ejus picturæ quotquot ſunt, & doctorum ſuffragia tam prioris ævi quàm noſtri, uno excepto *Bootio*, qui omnium hominum primus & ſolus negavit ullas crocodilo eſſe ſquamas.

Sed ne quid diſſimulem, priori reſponſo diffiſus *Bootius*, hoc addit, *Si quis urgeat iſta ſic quomodo ſonant accipienda*, (nempe *Jobi* verba in quibus verſamur) *ſciat in ipſis cetis inveniri poſſe, in quos iſta cadant. Quanquam enim pleraq; omnia illorum genera ſquamis prorſus careant, eſſe tamen cetos, qui iis prædıti ſunt, diſcere poſſumus ex* Arriani *Indicis, prodentis,* Nearcho *auctore*, Macedonibus *dum è* Meſambria Taocem *navigant, viſum cetum in littus ejectum cubitorum quinquaginta, corio ſquamoſo tam craſſo ut cubitum æquaret.* Et verò in *Arriano* hæc *Nearchi* verba ſunt, Κατὰ τοῦτον τὸν παράπλουν ὀφθῆναι κῆτος ἐμβεβλημένον εἰς τὴν ἠϊόνα, καὶ τοῦτο προσπλεύσαντάς τινας τῶν ναυτῶν ἐκμετρῆσαι, καὶ φάναι εἶναι πήχεων πεντήκοντα· δέρμα δὲ αὐτοῦ εἶναι φολιδωτόν· οὕτω τι ἐς βάθος ἥκον, ὡς καὶ ἐπὶ πῆχυν ἐπέχειν, Sed ad hunc locum tria notanda ſunt. 1. Primò nullum alium citari qui ceti meminerit ſquamis obducti. 2. Hunc cetum ab ipſo *Nearcho* non eſſe viſum, ſed à nautarum nonnullis, ut quidem ait, cui hominum generi non ſatis tuto creditum, cum ſæpenumero tam ſit infidum quam ipſum mare. 3. Quin ſi *Nearchus* ipſe ſquamatum hunc cetum ſe vidiſſe profiteretur, res tamen eſſet valde incerta, cum illum pleraque mentiri his verbis teſtetur *Strabo* lib. 2. Ἅπαντες οἱ περὶ τῆς Ἰνδικῆς γράψαντες, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ψευδολόγοι γεγόνασι, καθ' ὑπερβολὴν δὲ Δηΐμαχος: τὰ δὲ δεύτερα λέγει Μεγασθένης. Ὀνησίκριτός τε, καὶ Νέαρχος, καὶ ἄλλοι τοιοῦτοι παραψελλίζοντες ἤδη. καὶ ἡμῖν δὲ ὑπῆρξεν ἐπὶ πλεῖον κατιδεῖν ταῦτα, ὑπομνηματιζομένοις τὰς Ἀλεξάνδρου πράξεις, *Quicunq; de* India *ſcripſerunt, pleraque*

raque mentiti ſunt: Præ reliquis Deimachus, *proximè* Megaſthenes, Oneſicritusque *&* Nearchus, *aliiq; hujus farinæ, nonnihil etiam balbutientes. Nobisq; iſta plenius perſpicere contigit, cum de rebus* Alexandri *faceremus commentarium.* Nos igitur ſquamatos cetos cum *Chimæris* & *Gorgonibus* in *Utopiam* amandabimus, donec alius adducatur teſtis ἀξιοπιςότερος, qui rei aliunde ignotæ & inauditæ fidem faciat.

Verſu ſexto גאוה, recentiores elationem vertunt. Aquila & *Hieronymus*, σῶμα, *corpus*, melius. Ibi enim גאוה, *aleph*, inſerto ut paſſim, idem planè eſt quod גו, vel גוה, id eſt, *corpus* vel *tergum* etiam, ut *Eſa*.38.v.17. qua notione hic ſumimus, quia crocodili ſquamæ potiſſimum in tergo ſunt. In eodem verſu חותם צר, σφραγὶς ςὶπ, *ſigillum arctum*, ut rectè habent *Græca* Scholia. Quorſum igitur LXX. reddunt σμιρίτην λίθον, *lapidem ſmiritem?* An quia pro *chotham tſar*, ſigillo arcto, mutatis vocalibus ab illis lectum *chothem tſur*, obſignans lapis, vel obſignans lapidem, ſeu ſigillum in lapide imprimens. Quo nomine putaverint appellari *ſmirin* lapidem, cujus in lapillorum ſculptura præcipuus uſus eſt. Ut cum non aliter deſcribat *Herodotus*, quàm λίθον ὀξὺν πεποιημένον, τῷ καὶ τὰς σφραγῖδας γλύφουσι. Ita etiam *Stephanus*, cùm in *Armenia* haberi dicit λίθον τὴν γλύφουσαν καὶ τετρῶσαν τὰς σφραγῖδας. Et diſertè *Dioſcorides*, Σμίρις λίθος ἐστὶν ᾗ τὰς ψήφους οἱ δακτυλιογλύφοι σμήχουσι. Neque diſſentit *Heſychius*, cum σμίριν definit ἄμμου εἶδος, ᾗ σμήχονται οἱ σκληροὶ τῶν λίθων. Nam in pulverem contuſus ad hoc opus adhibetur. Unde eſt quod ἄμμον ſeu arenam appellat. Sed hunc lapidem *Hebraicè* שמיר vocari in *Jeremia*, *Ezechiele*, & *Zacharia* libro ſequente docebimus. Hos eodem verſus *Chaldæi* perperam ad dentes referunt, de quibus verſu 5.

9. *Sternutationibus ejus ſplendet lux.*] Cùm ſternutat crocodilus, per nares confertim actus ſpiritus tanto prorumpit impetu, ut ſcintillare videatur, & flammas emittere. Quod ideò huic animali frequentius accidere mihi fit veriſſimile, quia οἱ πρὸς τὸν ἥλιον βλέψαντες πταρνύνται μᾶλλον, *qui ad Solem oculos obvertunt, magis ſternutant*, ut obſervat *Philoſophus* Problem.ſect.32.paragr.4. Crocodilo porro id ſolenne eſt ut oculis ad Solem obverſis apricetur. *Strabo* lib.17. Ἡλιάζονται κεχηνότες, *Rictu diducto inſolantur*, aut Solem captant. *Ælianus* Hiſtoriæ lib.3.cap.11. Ἐπὶ τὴν ὄχθην προελθὼν, κατὰ τῆς ἀκτῖνος κέχηνεν, *ad littus progreſſus, ad Solis radios hiavit.* Albertus, *Crocodilus immobilis ad Solem jacet.* Leo Africanus, *Ulterius navigantes quamplurimos crocodilos ad inſularum ripas in medio* Nili *ad Solem aperto rictu apricantes conſpeximus.* Sic *Petrus Martyr*. Dec.3.cap.4. de Colono, *Pleriſq; in locis (ſe reperiſſe ſcribit) crocodilorum multitudinem in arena vaſto hiatu Solem captantium.*

Et oculi ejus ut palpebræ Auroræ] Hac in parte mirus fuit ἱερογραμματέων *Ægyptiorum* cum ſacro vate conſenſus. Illi enim apud Horum *Hieroglyph*. lib.1. cap.65. Ἀνατολὴν λέγοντες, δύο ὀφθαλμοὺς κροκοδείλου ζωγραφοῦσιν, ἐπειδήπερ (lege ἐπειδὴ πρὸ) παντὸς σώματος ζώου οἱ ὀφθαλμοὶ ἐκ τοῦ βυθοῦ ἀναφαίνονται, *Auroram ſignificantes, oculos crocodili pingunt, propterea quod ante totum corpus animalis, oculi ex fundo apparent.* Quomodo ſcilicet Solis corpore nondum exorto, Auroræ radii emicant. Ita *Hori* locus inſignis, ſed ab interpretibus malè acceptus. Sed & aliud myſterium videtur hic ſubeſſe. *Herodotus, Ariſtoteles, Plinius, Solinus, Ammianus*, crocodili oculos docent in aquis hebeſcere, extra eſſe viſus acerrimi. Ac ſi lumen amiſſum tum demum recuperent cum ex aquis emergunt. Idem de Sole creditum, cum novo lumine ex aquis emergere. Denique ſi nihil aliud eſſet, nemini novum videbitur cum *Auroræ* palpebris conferri animalis oculos, quòd veteres deprædicarunt, tanquam ἐν τῷ αἰθέρι ὀξυδερκέςατον, *ſub dio perſpicaciſſimum.* At qui balænam hic intelligunt,

b) Herod. in Euterpe, &c.

Monſtrum, horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum,

Velim, dicant, quid *Auroræ* radiis ſimile habeant balænæ oculi, quos magni auctores (c) ſcribunt prægravi ſuperciliorum pondere, aut arvinâ ſtatim obrui, cum ſcilicet bubulorum magnitudinem parum excedant. Unde eſt quod amiſſo duce fertur talpâ cæcior in vada & ſcopulos impingere,

Οὐ γὰρ ἔτ' οὐδ' ἄλμης ἰσοδίζεται οὐδὲ κέλευθα,
Ἀτρεκέως, ἢ πῆμα παραίχετον, ἐξαλέασθαι.

Ita *Oppianus Halieuticῶν* lib.5.

c) Ælian. lib. 2. cap. 13. Plut. utra anim.

10. *Ex ore ejus velut lampades exeunt, ſcintillæ ignis excluduntur:*

11. *Ex naribus ejus egreditur fumus ut olla ferventis & aheni.*

12. *Halitus ejus carbones incendit, & ex ore illius flamma prodit.*

Eadem de hippopotamo in *Achille Tatio* legas, Μυκτῆρα ἐπὶ μέγα κεχηνὼς, καὶ πνέων πυρώδη καπνὸν, ὡς ἀπὸ πηγῆς πυρὸς, *Nares perquam patulæ, ac ignitum fumum tanquam ab ignis ſcaturigine ſpirantes.* Et in *Euſtathio Antiocheno*, Ἔχει κεχηνότα τὸν μυκτῆρα πυρώδη καπνὸν, ὡς ἐκ καμίνου πνέοντα, *Patulum habet naſum, ignitum fumum tanquam ex fornace ſpirantem.* Nempe duo hæc animalia, inter quæ cognationem quandam intercedere ex *Plinio* (d) jam didicimus, quæque in reſpirandi modo inter ſe confert *Philoſophus* Hiſtoriæ lib.8 cap.2. quo diutius ſpiritum continuere, dum aquis erant immerſi, eò ſpirant actius, cum incipiunt emergere, ut torrentes obice rupto, majore impetu feruntur. Tum igitur ſpiritus diu preſſus ſic efferveſcit, & erumpit tam violenter, ut flammas ore & naribus videatur evomere. *Balæna*, fateor, ut mole crocodilo major eſt, ita ſpirat vehementius. Ea tamen non vomit ignes, ſed in ſublime nimbos efflat, ut in *Plinio* habetur lib.9.cap.6.

d) Lib. 28. c. 8.

13. *In collo ejus moratur robur.*] An in collo balænæ quod nullum habet? Imo in crocodilo collo, quem cùm balæna ſic confert *Scaliger* Hiſtoriæ animalium lib.2. ſect.128. *Collum habent* Triton *& crocodilus: balæna & delphin, nullum.* Objicies de crocodilo in *Achille Tatio* legi, Κεφαλὴ δὲ αὐτῷ τοῖς νώτοις συμφυεῖται, καὶ εἰς μίαν ςάθμην ἰθύνεται· ἔκλεψε γὰρ αὐτοῦ τὴν δειρὴν ἡ φύσις. *Caput ipſi cum dorſo continuatur, & ad unam amuſſim dirigitur. Collum enim ei natura ſubtraxit.* Unde eſt quod *Euſtathius* in *Hexamero*, eundem habere ſcribit κεφαλὴν τοῖς νώτοις συνυφασμένην, *caput dorſo contextum*, & hiare μέχρι τῶν ὤμων, *usque ad humeros*, ita ut collo nullum ſuperſit ſpatium. Collum enim definitur τὸ μεταξὺ κεφαλῆς καὶ ὤμων *quod inter caput & humeros interjacet.* Reſpondeo tutius *Ariſtoteli* credi, qui ſic habet de crocodilis, de part. anim. lib.4. cap.11. Ἔχουσι δὲ καὶ αὐχένα διὰ τὴν τοῦ πνεύμονος θέσιν, δέχονται γὰρ τὸ πνεῦμα διὰ τὸ μῆκος τὸ τῆς ἀρτηρίας, *Habent etiam collum propter pulmonis conſtitutionem: Recipiunt enim ſpiritum propter arteriæ longitudinem.* Itaq; cum idem teſtetur Problematum ſect.10. iis animalibus quibus collum omnino deeſt, caput eſſe immobile, crocodilum dicit *Plinius* lib.8. cap.25. *caput reſupinare ad morſum.* *Antigonus* quoque *Mirab*. Hiſtor.39 poſtquam trochilum purgare dixit crocodili dentes & ſentire crocodilum quam hoc ſit commodum, addit, ὅταν ἐξελθεῖν βούληται ὁ τρόχιλος, τὸν αὐχένα κινεῖν, ἵνα μὴ συνδηχθῇ, *cum vult exire trochilus, crocodilum movere collum, ne is mordeatur.* Quod clarius in *Philoſopho* Hiſtoriæ libri noni capite ſexto, Καὶ ὅταν ἐξελθεῖν βούληται (τοὺς τροχίλους) κινεῖ τὸν αὐχένα, ἵνα μὴ συνδάκνῃ, *Et cum crocodilus vult ut trochili exeant, collum movet, ne mordeat*, id eſt, colli motu eos excutit, ut diſcedant antequam os comprimat, ne morſu ſuo illos conterat. Itaque fallitur quisquis putat crocodilo deeſſe collum. Neque id concedere debuit

buit Cl. *Deodatius* in notis ad hunc locum, cum nobiſcum ſentiat leviathanem eſſe crocodilum.

Ante eum mœror inſultat] id eſt, præcedit tanquam metator, & comes. *tumidiq́ anteambulo Regis.* Ut eos ſtatim invadat quibus crocodilus ſit obviam. Utut enim evaderent, tamen mali ominis eſſe putabant, quòd huic belluæ occurriſſent. Hinc in *Heliodoro Calaſiris Ægyptius* ſacerdos, cum reptantem vidiſſet in via crocodilum, κώλυμά τι τῆς καθ' ὁδὸν ἐπιτευματικῆς προὔλεγεν, *impedimentum aliquod in itinere ſignificari prædicebat.* Ex hujuſmodi locutionibus apud *Poetas* natum, quod ira, furor & pavor, *Martis* pro comitibus & armigeris aſſignantur, quaſi illum ubique comitentur, aut præcedant. *Statius* de *Marte*, *Thebaidos* lib. 3 verſu 424.

- - - *comunt furor, iraq́ criſtas,*
Frœna miniſtrat equis pavor armiger. - -

Et multo ante *Heſiodus* in *Clypeo*, poſtquam *Martis* deſcripſit currum,

- - - - - - παρὰ δὲ Δεῖμός τε Φόβος τε
Ἕστασαν, ἱέμενοι πόλεμον καταδύμεναι ἀνδρῶν.

Juxta autem terror, & pavor ſtabant, bellum virorum inire geſtientes. Aliis hi ſunt equi *Martis* qui currum trahunt. *Valerius Flaccus* lib. 3. *Argonaut.*

- - *nec dextra* Jovis, *terrorq́, pavorq́,*
Martis *equi.* - - - - - - -

Smyrneus lib. 8.

- - - Φέρον δέ μιν ἐς μόθον ἵπποι,
Αἴθων, καὶ Φλόγιος, Κόναβός τε, Φόβος τε.

Illum autem ad prælium ferebant equi, Æthon, *&* Phlogius, Conabusque *cum his,* Pavorque. *Palladi* quoque, bellorum iidem adſunt comites. Hinc in pompa quam deſcribit *Apulejus* lib. 10. *illam quam cultus armorum* Minervam *fecerat*, *duo pueri muniebant, præliaris Deæ comites armigeri*, *Terror*, *&* *Metus*, *nudis inſultantes gladiis.* Quæ eo libentius profero, quia inſultandi verbo utitur etiam ſacer ſcriptor. *Ante eum*, inquit, *mœror inſultat.* Quod eſt aliquanto plus quam ſi ſolum dixiſſet, *ante eum mœror incedit.* Nam inſultare eſt, alacriter, & cum aliqua pompa ferri, ut cum equum dicit *Poeta* lib. 3. *Georgicorum.*

Inſultare ſolo, & greſſus glomerare ſuperbos.

Et *Æneid.* lib. 11.

- - - - - - - - *fremit æquore toto*
Inſultans ſonipes.

Hebraicum inſultandi verbum רוץ *duts*, vel דוץ *dits*, alibi non occurrit in ſacro textu. Sed *Arabibus* ignotum non eſt, quamvis apud *Chaldæos*, & *Syros* uſitatius. Ter occurrit pro σκιρτᾷν, in *Luca Syro* (e). Hinc capreа דיצא *ditſa*, *Chaldæis*, ut multi volunt, & capra δίζα *Laconibus*, quia ζῶον ἁλτικώτατον. *Virgilius* lib. 4. *Georgicorum*,

- - - - - *neque oves hœdiq́, petulci*
Floribus inſultent.

14. *Tori carnis ejus cohærent*, Unusquisque *compactus eſt, in eo non dimovetur.*] *Tori* carnis ejus, id eſt, partes prominentiores, *Hebraicè* מפלי בשר, ad verbum *procidua carnis ejus.* Sic *Græcè* προπετὴς, prociduus is dicitur, cui pars aliqua corporis prominet. Ut cum apud *Lacedæmonios* inſigne probrum fuiſſe tradit *Agatharchides*, ſi quis τὸν ὄγκον τοῦ σώματος προπετῆ ἐφαίνετο. Ut *Gnathonem* tradit *Lynceus* habuiſſe κοιλίαν προπετεστέραν. Cum מפלי בשר, Cl. Junius *melandrya carnis* reddidit, aut de vivi animalis carne hic agi non cogitabat, aut non ſatis intellexit quid eſſent *melandrya*, ſalſamenta nimirum quæ ex *thynni*, vel *orcyni* interiore pulpâ fiebant, quernis aſſulis ſimilia. De quibus vide *Plinium* (f), *Martialem* (g), *Feſtum* in *Elacatena*, & è *Græcis Athenæum* (h), *Oribaſium* (i), &c.

15. *Cor ejus firmum eſt ut lapis, firmum*, inquam, *ut fragmen molæ.*] Plerique de animo hoc intelligunt: Ego de viſcere cordis, quod in omnibus animalibus maximè firmum eſſe oportuit, ut fons nativi caloris ibi eſſet in tuto. *Ariſtoteles* de partibus *Animalium* lib. 3. capite 4. Μικρόν τι τῆς καρδίας ἐστὶ σῶμα πυκνὸν καὶ κοῖλον πεφυκὸς, πρὸς τὸ φυλάττειν τὴν ἀρχὴν τῆς θερμότητος. Sed in belluis præſertim, quæ minus ſenſu valent, magna eſt cordis firmitas. Quippe, ut idem habet capite 6. Τὰ μὲν ἀναίσθητα σκληρὰν ἔχει τὴν καρδίαν καὶ πυκνήν. Motus etiam multo tardior; Ἐν αἰσθήσει γὰρ, inquit, συμβαίνει μόνον, ὡς εἰπεῖν, τὸ τῆς πηδήσεως (τῆς καρδίας) διὰ τὸ μόνον ἐν ἐλπίδι γίνεσθαι καὶ προσδοκίᾳ τοῦ μέλλοντος. Proinde belluæ cor, ratione firmitatis, & tarditatis meritò cum meta confertur, id eſt, cum inferiore mola, quæ ſtat immota, dum catillus ſupra vertitur. Apud *Arabes* cor habere lapidis inſtar, durum & compactum, ſignum eſt fortitudinis. Sic in *Hiſtoria Saracenica Elmacini* cap. 12. poſtquam obiit *Sabib* vir fortiſſimus, quique in *Chaliſam Abdolmelichum* bellum aliquandiu cum miro ſucceſſu geſſerat شقوا قلبه فوجدوا صلبا مجتمعا كانه صخرة *cor ejus ſiderunt, & compererunt durum, & compactum eſſe inſtar lapidis.* Mirum, ni tale fuerit cor ipſius *Pſeudo-prophetæ*, quod *ponderaverunt* (Angeli) *cum decem cordibus gentis ſuæ; poſt cum mille, & majoris ponderis eſt inventum. Et unus Angelus dixit alteri: Si cum omnibus* Arabibus *in trutina poneretur, omnibus prævaleret.* Hæc mentitur *Mahumetes* ſe in viſione à *Gabriele* Angelo audiviſſe, ut auctor eſt *Rodericus Toletanus Hiſtoriæ Arabicæ* cap. 1. Diverſa de cauſa cor *Nabalis*, lapidis inſtar induruit, 1. *Sam.* 25. v. 37. Nempe præ metu *Davidis*, & præ horrore periculi in quo verſatus fuerat. Ita *R. Eſaias*, melius quàm *Selomo*, & *Kimchius*, qui cor illius volunt ita obriguiſſe, quia malè illum habebat munus *Davidis* ab uxore oblatum. Utrumque jungit *R. Levi.* Aliud rurſus *cor lapideum*, Ezech. 36. verſ. 26. quod *Chaldæus* explicat, לבא דרשיעא דהוא תקיף כאבנא, *cor impium quod lapidis inſtar, durum eſt.* Hinc *Pſal.* 118. (*Hebr.* 119. verſu 70.) ubi *Græci* ἐτυρώθη ὡς γάλα ἡ καρδία αὐτῶν, *ut lac coagulatum eſt cor eorum.* *Scholia* habent, ἐσκληρύνθη, ἀπελιθώθη, *induratum eſt, in lapidis morem obriguit.* Quo corde qui præditi ſunt, à *Baſilio* uno verbo vocantur λιθοκάρδιοι. Sed *Græcè* vocatur λιθοκάρδιος, qui eſt immiſericors. Vide *Scholia* in *Oreſtem Euripidis* verſu 121. Eo ſenſu ſi quis velit cor lapideum crocodilis tribui, non vehementer repugnabo. Cum ab *Æliano* deſcribantur animalia παμβορώτατα (?) ἐσθίειν, καὶ ἀφειδέστατα, *in abſumendis carnibus maximè omnium voracia, & immiſericordia.*

16. *Ab elatione ejus timent fortes, præ metu aberrant.*] Tanquam conſilii inopes, & neſcii quo ſe vertant, vaſtam videntes belluam, atque immanem, & humanæ carnis avidam, & caudâ, ſquamis, unguibus, dentibusque horribilem. Hic elatio belluæ eſt ſuper aquas emerſio. Quo ſenſu, *Gen.* 7. v. 17. ſublata fuiſſe legitur arca *Noë*, nempe ſuper aquas diluvii, quibus cætera ſubmerſa. *Præ metu*, *Hebræus* משברים ad verbum *præ fractionibus*, aut *præ contritionibus.* Sed in oriente frangendi, & atterendi verba, etiam timendi ſignificationem habent, quia animus metu frangitur. Sic *Hebræis* חתת, & *Chaldæis* תבר, (quod fit ab *Hebræo* שבר,) ad utrumque ſunt ambigna. *Aberrarunt*] יתחטאו, nam חטא, non tam peccare, quàm errare eſt. Alii *à peccatis ſe purgant.* Alii frigidius *alvum ſolvunt*, quaſi præ metu. Druſius *nauſeant*, *vomunt.*

17. *Appetentis eum gladius non conſiſtet, neq́ lancea, telum, aut ſpiculum.*

18. *Reputat ferrum ut paleam, æs ut lignum putridum.*

19. *Non*

e) Luc. 1. v. 41. 44. & c. 6, 23

f) Lib. 9. c. 15.
g) Lib. 3. Epigram. 76.
h) Lib. 7.
i) Lib. 2.

19. Non fugat eum ſagitta: In ſtipulam ei vertuntur lapides fundæ.

20. Sicut ſtipula, reputatur fuſtis, & ridet ad vibrationem haſtæ.

Tria hic armorum nomina quæ alibi fruſtra quæras, מסע, *telum*, שריה, *ſpiculum*, תותח *fuſtem*, ex *Arabica* lingua novè explicamus. Primum מסע, alibi eſt iter, ſeu profectio, quia נסע, Sed hic telum, quia *Arabicè* نشغ eſt confodere. Sic in *Alcamus* نشغ بالرمح *confodit haſtâ.* Secundum שריה *ſirja*, volunt idem eſſe quod שרין *ſirjon*, loricam, ſenſu palam repugnante, quia hic agitur de armis quæ oppugnant, non quæ propugnant. Itaque ſpiculum reddimus, quia *Arabicum* سرية *ſirja*, id ipſum eſt in *Camus*, & in *Giauhari*, qui *parvam ſagittam* exponunt. Tertium, תותח, *Græci* reddunt σφύρας, & *Hieronymus malleos*, *Chaldæus* נרגא, *ſecuris*, *Syrus* ܢܡܫܐ & *Arabs* النيزك *baſtile.* Nos fuſtem, tanquam ab *Arabico* verbo وتخ quod fuſte percutere ſonat; indè ميتخة *fuſtis.* Aut *Hebraicè* יתח, idem fuit quod *Arabicè* وتخ unde תותח, formæ תשב. Sagitta verſu 19. *Hebræâ* phraſi nominatur בן קשת, *filius arcus*: Ut *Lament*, 3, 13. בן אשפה *filius pharetræ*. Et ſagittæ vocantur *Arabicè* بنات المنايا *filiæ mortis.* Hæc de verbis. Rem quod attinet, hanc deſcriptionem crocodilo convenire nemo non videt, cui *Herodotus* lib. 2. tribuit δέρμα ἄρρηκτον, id eſt, interprete *Plinio*, *cutem contra omnem ictum invictam.* Itâ etiam *Philoſophus Hiſtoriæ* libri ſecundi capite decimo. Unde eſt quod de *Part.* libri quarti capite undecimo, docens quid differant φολὶς, & λεπὶς, quarum illa pro teſtudinis, draconis, & crocodili, hæc pro piſcis ſquama ſæpius uſurpatur (quamvis has voces non rarò promiſcuè ſumi videas) ἔστι δὲ, inquit, ἡ φολὶς ὅμοιον χώρᾳ λεπίδος, φύσει δὲ σκληρότερον. Δηλοῖ δ' ἐπὶ τῶν χελωνῶν τοῦτο, καὶ ἐπὶ τῶν μεγάλων ὄφεων, καὶ ἐπὶ τῶν ποταμίων κροκοδείλων. ἰσχυρότεραι γὰρ γίνονται τῶν ὀστῶν. *Eſt φολὶς loco λεπίδος, & illi ſimilis, ſed durior, ut apparet in teſtudinibus, & magnis ſerpentibus, & fluviatilibus crocodilis. Sunt enim oſſibus firmiores.* Et *Seneca Natural. Quæſt.* lib. 4. cap. 2. *Superiorem partem corporis duram, & impenetrabilem* eſſe dicit, *etiam majorum animalium dentibus.* Et *Solinus*, *circumdari maximâ cutis firmitate, in tantùm ut ictus quovis tormento adactos repercutiat.* Et *Ammianus*, *cutem itâ validam gerere, ut ejus terga cataphracta vix tormentorum ictibus perforentur.* Et *Euſtathius Antiochenus* tam duris ſquamis ejus tergum obduci, ὡς καὶ τὸ ὀξύτατον σίδηρον ἐπανηχθέντα ἀμβλύνεσθαι. *Ut etiam acutiſſimum ferrum repercuſſum obtundat.* Et *Iſidorus tantâ cutis duritiâ eſſe armatum, ut quamvis fortium ictus lapidum, tergo repercuſſos non ſentiat.* (Alii *tergore percuſſus.*) Et *Alkazuinius* ظهر كظهر السلحفاة لا يعمل الحديد فيه *Tergum, ut tergum teſtudinis, quod non penetrat ferrum.* Itâ etiam *Damir.* Et *Petrus Martyr*, *corium eſſe adeò durum, ut neque ſagittis transfigi poſſit.* Et *Marmolius*: *Tienen el cuero tan duro, que no le puede paſſar una valleſta*, corio tam duro ſunt, ut illud trajicere balliſta nequeat. Et *Scaliger* in *Cardanum*, *recentiores etiam pilulis ſcolopettorum, & falconettorum ictibus imperviam prædicare.* Et *Vincentius* le *Blanc Navigat*, part. 2. cap. 3. *tam dura pelle eſſe obductum, ut alibi quàm ſub ventre nullo modo poſſit penetrari.* At Balænæ corium omnibus telis eſſe pervium docent, quotquot de illarum piſcatione ſcripſerunt. Quod verè ab illis tradi ſum expertus non ita pridem, cultello multoties in balænæ recens captæ corii partes duriſſimas nullo negotio impacto.

21. Pro eo ſunt *acumina teſtæ*, *ſternit* ſe ut *tribulam in luto.*] Hic verſus eſt ſubobſcurus. Alii תחתיו, *ſub eo*, & חרוץ, *rem acutam* hoc modo explicant: *Subeo ſunt acuta teſta; ſternit ſibi rem acutam in luto.* Ac ſi agatur hoc loco de cubili belluæ, cui ob cutis duritiem ſuper lapides, & rupes, teſtarum inſtar acutiſſimas, jacere perinde ſit. Quod alioqui moleſtiſſimum. Proinde è tormentis veterum unum hoc fuit, acutas teſtas homini jacenti ſubſternere, ut docet *Prudentius* in hymno de *Vincentio Martyre:*

Fragmenta teſtarum jubet
Hirta, impolitis angulis,
Acuminata, informia,
Tergo jacentis ſternerent.

Itaque quod cubilis genus invito martyri ſubſtratum eſt, ut ne poſſet quieſcere, hoc idem Leviathanem volunt ſibimet ſternere, nec in eo dormire minùs quam nos in molli lecto. Quod quidem ferri poteſt. Sed credo non defuturos quibus tam arrideat noſtra verſio, quâ non belluæ cubile, ſed ipſum tergus, teſtarum eminentiis, & tribulæ comparatur. Ut hic ſit ſenſus à prioribus repetitus, fruſtra gladium, & haſtam, & quodvis aliud telum in hoc animal intentaveris. Nam pro eo nihil feries quam teſtarum eminentias, id eſt, ſquamas tam formâ, quam duritie, teſtis ſimiles. Ut non jam animalis corpus, ſed tribulam potiùs in luto jacere putes, cujus tergum lapidibus, & ferro exaſperatum quosvis ictus repercutiat. Latet igitur in his verbis ſimilitudo duplex, quarum priore à teſtis ductâ etiam *Ælianus* in eodem argumento utitur *Hiſt.* lib. 10. cap. 24. Νῶτα δὲ πέφυκε καὶ τὴν ὑγρὰν ἄρρηκτος, λεπίσι μὲν γάρ τε καὶ φολίσι πέφρακται, καὶ ὡς ἂν εἴποι τις ὥπλισται, καὶ ἐοίκασιν ὀστράκοις καρτεροῖς, *Tergum autem impenetrabile, ut & eandem à natura ſortitus eſt: Squamis enim, & corticibus obſepitur, & ut ita dicam, armatur, quæ teſtis validis ſunt ſimiles.* Nota *teſtis validis ſimiles*, planè ut *Job*, *ſunt ut acumina teſtæ.* Eodem redit poſterior ſimilitudo à חרוץ, ſeu tribula ducta, quam *Varro* (k) definit *tabulam lapidibus ferrove aſperatam.* Et *Kimchius* k) *Var. de re ruſt. l. 1. c. 52.* in *Lexico* לוח עץ ואבנים דקות תחובות תחתיו, *tabulam ligneam ſub qua lapilli tenues infixi ſunt.* Et *R. Selomo* in *Eſ.* 41, 15. כלי הוא של עץ וכבד ועושי חריצים חריצים כעין כלי נפחים של ברזל שקורין ליׄמא בלע״ז, *Inſtrumentum ligneum grave, in quo crebra eminent inciſurarum acumina, ut in inſtrumento fabrorum ferri, quod limam vernaculè vocant.* In crocodili ſquamis eadem eſt ſcabricies, durities eadem, eadem tuberculorum extantium inæqualitas, ut non potuerit aptior ſimilitudo deligi, quæque rem de qua agitur, magis ad vivum effingeret, & ob oculos poneret. In luto porrò ſternere ſe crocodilus dicitur, ut libro quarto *Georg.*

Sternunt ſe ſomno diverſo in littore phocæ.

22. Fervere facit tanquam ollam, profundum mare reddit ut mortarium unguenti.] Cum in maris fundo ſe jactat, agitatione ſuâ bullas in aquis excitat, atque eas uligine, & cœno commotis itâ inficit, ut unguenti ſpeciem præ ſe ferant. Eſt & aliud hoc loco non temerè prætereundum. Crocodili fragrantiam commendant multi ſcriptores. *Damir* ورائحته كرائحة المسك الا ان فيه زهوكة وتقول القبط انه المسك *Odor ejus eſt ut muſci odor, niſi quod in eo eſt* Zahucha; *Et Coptitæ muſcum eſſe dicunt.* Mentem ejus non capio ſatis, niſi velit crocodili fragrantiam peculiari nomine dici *Zahucha* (voce mihi aliunde ignotâ) quamvis *Coptitæ* muſcum appellent.

Alkazuinius تشم من بيضه رايحة المسك *Ex ovis ejus exhalat odor muſci.* *Petrus Martyr* de cad. tertiæ capite quarto, ubi de Coloni, ſeu Columbi navigationibus in novum orbem: *Crocodilis alicubi occurrebant, qui cum aufugerent, aut mergerentur, odorem à tergo, muſco, vel caſtoreo ſuaviorem relinquebant.* Nili *accolæ de crocodilo fœmina idem mihi retulerunt, de abdomine præſertim, quod* Arabicos *æquet odores quosque.* *Samuel Purchas* in *Florida* deſcriptione ex *Nicolao Challuſio Diepenſi: Crocodilorum caro vitulinæ eſt ſimilis, & palato maximè ſaperet, ſi minùs redoleret muſcum.* *Vincentius* le *Blanc. Navigat.* partis primæ capite ſecundo. Ubi de crocodilis inſulæ *Madagaſcar: Caro alba eſt, & ejusdem cum capone ſaporis, & odoris optimi; Unde eſt quod ambarum ex eo animali deſumi nonnulli putant.* Et capite vigeſimo ſeptimo, de crocodilo in lacu quodam *Indiæ* Regni *Pegu* ſe præſente interfecto, *carnis odor tam ſuavis erat, ut cum muſco certare potuerit.* Quod ipſum teſtatur *Johannes* de *Laet Americæ* ſuæ pag. centeſima vigeſima ſexta, cẽteſima quadrageſima tertia, *&c.* Rem de crocodilo tam inſignẽ omiſiſſe veteres non poſſum mirari ſatis. Quæ tamen non poteſt non eſſe vera, cum eam unâ voce aſſerant omniũ gentiũ populi, *Indi, Arabes, Ægyptii, Africani, Americani*, ut conſtat ex ſuprâ allatis. Itaque huc videtur poſſe referri quod a *Jobo* leviathan dicitur mare reddere ut mortarium unguenti, ſuâ nimirum fragrantia. Hunc enim crocodili odorem etiam ex mediis aquis diffundi docent verba *Martyris* quæ ſuprà citavimus, *cum aufugerent, aut mergerentur, odorem à tergo muſco vel caſtoreo ſuaviorem relinquebant.*

At quorſum *Job* maris meminit, & profundi, & verſu ſequenti, abyſſi, ſeu voraginis, quæ maris ſunt ſynonyma, cum crocodilus non ſit marinum animal, ſed fluviatile? Facilis eſt reſponſio. Primò enim maris nomine *Nilum* intelligimus, ut *Eſ.* 11,5. ubi lingua maris *Ægypti*, *Kimchio* eſt *Nilus* amnis. Et in *Elmacini Hiſtoria Sarac.* libri primi capite duodecimo de cujusdam viduæ filio وهو على البحر يشرب ما فاخذه التمساح *Dum è mari* (id eſt, è *Nilo*) *aquam biberet, rapuit eum crocodilus.* Ità de *Nilo* ſæpe *Arabes* propter amnis amplitudinem, & quia certis temporibus per totum de *Ægypti Delta* maris inſtar diffunditur. Sic apud *Eutychium Alexandrinum* partis primæ pagina octogeſima ſexta dicit *Pharao* رايت سبعة بقرات سمان خرجن من البحر *Vidi ſeptem vaccas pingues è mari prodeuntes*, id eſt, è *Nilo* flumine, *Gen.* 41, 18. Rurſus partis ſecundæ paginâ trecenteſima ſeptuageſima ſeptima. *Chalipha Soliman* juſſit *Ægypti* præfectum, ut menſurandæ *Nili* aquæ columnam extrueret في الجزيرة التي بين بحر الفسطاط وبحر الجيزة *in inſula, quæ eſt inter mare* Fuſtat, *& mare* Gizæ, quibus verbis *Nili* alveos, maria vocari palam eſt. Ut pag. quadringenteſima nonageſima quarta, فعطفت مراكب المكتفي في البحر من ناحية تنيس فدخلت الي عمل مصر وضياعها *Naves* Almoctaſi *flexo in mare curſu ex parte* Tenniſi (quæ olim *Tanis*) *in ditiones* Ægypti, *ejusque agros ingreſſæ ſunt.* In mare, id eſt, in *Nili* alveos, qui in *Ægypto* pro mari habentur. Nam *Plinio* teſte lib. 35. cap. 11. Nili *aqua eſt mari ſimilis.* Secundò lacus, vel in *Ægypto*, vel etiam extra *Ægyptum* ſunt crocodilis fertiles. Nam utut à mari abhorreat, lacuſtre tamen eſt animal crocodilus. Adeò ut ineffabilem eorum copiam fuiſſe teſtetur *Diodorus* κατὰ τὸν ποταμὸν καὶ τὰς παρακειμένας λίμνας, *in flumine* Nilo *& in lacubus qui fluminis adjacent.* Et ex *Strabonis* libro decimo ſeptimo, nota eſt *Hiſtoria* de crocodilo *Sucho* ab *Arſinoitis* in lacu ſeorſim nutrito. Sic in *Mœride* lacu ſacros fuiſſe crocodilos ſcimus ex *Herodoto* in *Euterpe*. Et ex *Æliano* libri decimi capite vigeſimo primo. *Ombitas* crocodilos aluiſſe ἐν ταῖς λίμναις ταῖς ὑπ' αὐτῶν πεποιημέναις, *in lacubus à ſe factis.* Ut de urbe *Libya* taceam (*l*), in qua narrat *Amometus* ſacerdotes ex lacu quodam cantionum illecebris præſtrictos crocodilos XVII cubitorum eduxiſſe. Et de lacu *Troglodytico* propè *Pytholas* promontorium, in quo ali hippopotamos, & crocodilos, auctor eſt *Strabo* libro decimo ſexto, Hi porrò lacus *Hebræis* erant totidem maria. Sic enim dicunt mare *Salis*, mare *Sodoma*, mare *Cinnereth*, ſeu *Genezareth*, cum hæc maria ſint meri lacus. Rem nemini non notam hic probare nihil eſt opus. Sed quod hactenus nemo tentavit quod quidem ſciam, obiter explicare conabor, quorſum *Hebræi* in terra *Chanaan* maria ſeptem numerent, in verba, *Pſal.* 24, 2. *Super maria fundavit eam*, quæ ad terram ſuam referunt. Septem hæc maria ità recenſent *Talmudici* in *Bava Bathra* cap. 5. fol. 74. b. 1 ימה של טבריה 2 וימה של סדום 3 וימה של חילת 4 וימה של חילתא 5 וימא של סובכי 6 וים אפמיא 7 וים הגדול 1. *Mare* Tiberiadis, 2. *Mare* Sodomæ, 3. *Mare* Helath, 4. *Mare* Helatha, 5. *Mare* Sobchi, 6. *Mare* Apamiæ, 7. *Mare* Magnum. Sed *Kimchius* multò aliter tanquam ex *Midras* ſeu *Commentario* in *Pſalmos* vetuſtiſſimo, qui jam non eſt ad manum 1 ימא רבא 2 ימא דסוכני 3 ימא דטבריא 4 ימא דמלחא 5 ימא דחולתא 6 ימא דחוליתא 7 ימא דשריתי 8 ימא דאספמיא, id eſt. 1. *Mare* Magnum, 2. *Mare* Sochni, 3. *Mare* Tiberiadis, 4. *Mare* Salis, 5. *Mare* Hultha, 6. *Mare* Haljetha, 7. *Mare* Sarjethi, 8. *Mare* Apamiæ. Quæ jam eſſent octo maria, non ſeptem ſimpliciter: Unde apparet locum eſſe corruptum. Sed neque *Talmudica* ſatis ſana ſunt. Itaque nec ex ſingulis, nec ex utrisque collatis facilè eſt verum eruere. Dicam tamen quid ſentiam. Videtur hic terra *Chanaa* latè ſumi, prout *Solomonis* ævo ab *Ægypto*, & mari *Rubro* uſque in *Syriam Antiochenam* extendebatur. In terra *Chanaan* ſic accepta cenſebantur ſeptem maria. Primum, mare *Magnum*, id eſt, *Mediterraneum*. Secundum, mare *Rubrum*, ad ſinum *Elaniticum*, quem pro mari אילת, vel אילתא, *Talmudici* perperam vocant mare חילת *Helath*, & חילתא *Helatha*, & *Kimchius* corruptius חולתא *Hultha*, & חוליתא, *Huljetha.* Quin ejusdem ſinus duo nomina parum diverſa utrique ſic diſtinguunt, quaſi eſſent diverſa maria. Mare tertium, quartum & quintum ſunt tres in *Jordane* lacus, quorum primum prope fontes in *Talmude* vocatur סובכי *ſobchi*, in *Kimchio* סוכני *ſochni*. Sed verum nomen fuit סבכוני *ſabchoni*, vel סמכני *ſamchoni*, in *Joſepho ſamachonitis*, vel *ſemechonitis Antiq.* lib. 5. c. 6. & de bello libri tertii cap. decimo octavo. Sextum eſt *mare* Apamiæ, ut rectè habet *Talmud*, ſed *Kimchius* perperam *Aſpamia*. Fuit hic lacus prope *Orontem*, & *Apamiam*. Ab *Æliano* vocatur λίμνη ἡ Ἀπαμεῖτις, ubi ſiluri multi, *Hiſtoria* libri duodecimi capite vigeſimo nono. Pulchrè deſcribitur in *Oppiano* libro ſecundo *Cyneget.* verſu 114. *&c.* ubi *Pella* eſt *Apamia*. Eam enim *Macedones* ſic appellâſſe ſcimus ex *Stephano*, & *Euſtathio* in *Dionyſium*. Septimum, in *Kimchio* eſt mare שריתא *ſarjetha*, ſic ſcribendum non שריתי, *ſarjethi*. Mare *ſarjetha*, id eſt, *Auſtrale*. *Talmudicis* enim שריא

l) Ælian lib. 17. cap. 6.

שריא *ſarja*, eſt רוח דרומית, *ventus* Auſtralis, ut obſervat *Aruch* in אסתנא. Et mare *Auſtrale* mihi eſt *Sirbonis* lacus, quoad *Auſtrum* terminatur terra *Chanaan*. Id à *Talmudicis* omiſſum, quia completa jam erat ἡ ἑπτάς, mari *Helath*, vel *Helatha*, bis numerato. Hæc igitur fuerunt *Hebræorum* ſeptem maria, quorum quinque maria non ſunt, ſed ſolùm lacus. Neque *Hebræis* peculiare id fuit quod lacubus marium nomen indiderunt. *Æthiopicum* enim lacum circa *Pytholai* promontorium, θάλατταν, mare vocari aſſerit *Strabo* libro decimo ſexto. Et in *Ariſtotelis Meteorologicorum* libri primi capite decimo tertio, memoratur ἡ ὑπὸ τὸ Καύκασον λίμνη, ἣν καλοῦσιν οἱ ἐκεῖ θάλασσαν, *lacus ſub* Caucaſo, *quem incolæ mare appellant*. Idem niſi fallor quod *Agathias* libro tertio, *mare parvum* appellat. Ut lacus *Arabicè* dicitur بحيرة *buheira*, quaſi *parvum mare*. Nam mare eſt بحر *bahr*, cujus بحيرة *buheira*, diminutivum. Quid quod quivis magnus amnis vocatur البحر *albahro*, mare, ut aſſerunt *Giauhari*, & *Alcamus*. Unde eſt quod *Nilus* ſuprà ſic dictus eſt ab *Elmacino*, & *Eutychio*. Et in *Damire* hippopotamus vocatur فرس البحر *equus maris*, id eſt, *Nili*. Sed & magni *Etymologici* auctor crocodilum diſtinguit in χερσαῖον *terreſtrem*, & θαλάσσιον *marinum*, id eſt, *Nilicolam*. *Plinius* quoque *Nili* ripam littus vocat, cum de *Nealce* pictore ſcribit libri trigeſimi quinti capite decimo. *Aſellum in littore bibentem pinxit, & crocodilum inſidiantem ei.* Conſtat igitur quam futile ſit, quod nonnulli colligunt leviathanis nomine crocodilum non poſſe ſignificari, ex eo quod marina ſedes illi à *Jobo* aſſignatur. Sed neque agi de vero mari probant voces מצולה, *profundum*, & תהום, *vorago*, ſeu *abyſſus*, quæ ab eodem adhibentur tanquam maris ſynonyma. Nam מצולה *profundum*, etiam de luto dicitur, *Pſal.* 69, 3. Et quod maximè notandum מצולות יאר, *profunda fluvii* legere eſt, *Zachar.* 10, 11. ubi de *Nilo* res eſt. Abyſſum quoque de fontibus, & rivis, aquarum alveis paſſim uſurpari reperias. Sic *Deut.* 8, 7. *Dominus Deus tuus introducit te in terram bonam, in terram irriguam fluminibus aquarum, fontibus* תהומת, *& abyſſis quæ per valles, & montes erumpunt.* Pſal. 78, 15. *Fidit petras in deſerto, ut potum præberet eis* כתהומות, *tanquam in abyſſis plurimum.* Ezech. 31, 4. de cedro *Libani*: *Aquæ nutrierant eam*, תהום, *abyſſus extulerat illam.* Et verſu 15. *Obtexi ſuper eum abyſſum, & prohibui flumina ejus.* Itaque ex his vocibus non poteſt confici quod illi volunt. Sed agi de mari propriè dicto ſuadebit fortaſſe verſus ſequens.

23. *Pone ſe lucidam reddidit ſemitam: habuerit quiſpiam abyſſum pro canicie.*] Quia ſulcum à tergo ducens ſpumam albicantem excitat. Quod videri poſſit proprium eſſe maris. Cum *Homerus* dicat toties πολιὴν ἅλα, & πολιὴν θάλασσαν, *canum ſalum, canum mare*, id eſt, λευκὴν διὰ τὸν ἀφρὸν, *album propter ſpumam*, ut ibi *Scholiaſtes*: qualem in mari ſpumam remi excitant. Hinc *Odyſſ.* μ. verſu 172.

- - - - λεύκαινον ὕδωρ ξεστῇς ἐλάτῃσιν,

aquam dealbabant politis remis. Et *Apollonius*, ubi de *Argonautis* remigantibus libro primo verſu 545.

- - - - μακραὶ δ' αἰὲν ἐλευκαίνοντο κέλευθοι,

Longe ſemper albeſcebant viæ. Et *Catullus* in *Epithalamio Pelei*

Tortaque remigio ſpumis incanuit unda.

Et *Ovidius* in *Epiſtola Oenones*:

- - - - - *remis eruta canet aqua.*

Caneſcit etiam mare, cum à navibus ſulcatur. *Manilius* libro primo,

Ut freta caneſcunt, ſulcum ducente carinâ.

Et cetorum agitatione. Unde *Statius* de *Delphinis* libro primo *Achill.*

- - - - - *quâ cana parumper*
Spumant ſigna fugæ, & liquido peris orbita ponto.

Ità hic crocodilus motu ſuo *lucidam reddit ſemitam*, ita ut *habeatur abyſſus pro canicie*. Nihil tamen eſt quod nos cogat hæc ad mare referre. Cum lacus etiam, & amnes ſpumâ excitatâ caneſcant. Unde *Sidonius* in graphica illa lacus *Abitacini* propè *Claromontem* deſcriptione libri ſecundi *Epiſtolâ* ſecundâ. *Fluvio intratur, qui ſalebratim ſaxorum obicibus affractus ſpumoſo caneſcit impulſu.*

24. *Non eſt ei ſimile ſuper pulverem, ita factum ut non atteratur.*] *Super pulverem* על עפר; Alii *in terra* minùs expreſſe. Nam *ſuper pulverem* ideò dicit, ut reptilia ſignificet, quorum proprium eſt in pulvere ſerpere, *Deut.* 32, 24. Horum itaque verborum ea videtur eſſe mens. Ut reptilibus crocodilus meritò acenſeatur, facit brevitas pedum, quibus reptitat potiùs quàm graditur. Unde, & in *Græcorum* libris ὑφέρπυζειν, id eſt, repere dicitur. Sic *Heliodori* libro ſexto. Κροκόδειλον ὁρῶσιν ὑφερπύζοντα. A reptilibus tamen hoc differt, quod cum illa pedibus conculcare, & obterere ſit obvium, & ſerpenti dictum fuerit, *conteres tibi caput*; Crocodilus העשוי לבלתי חת, *ità factus eſt ut non atteratur*, id eſt, ut atteri non poſſit, propter robur inſitum, & ſqamarum duritiem. Alii לבלתי חת, *ut non timeret*, vel *ut eſſet ſine timore*. Sed malui retinere propriam, & primariam ſignificationem verbi חתת, quia de crocodilo non uſquequaque verum eſt eum eſſe metûs expertem. Cum non deſint qui ſcribant (m) fugax eſſe animal audaci, & audaciſſimum timido. Sed & de balænis id ipſum poſſet objici, quas ſtrepitu (n), vel fragore fugari notum.

(m) Vid. Plin. Solin. Ammian. &c.
(n) Strab. lib. 15. Arrian. Ind. Philoſtr. l. 3.

25. *Etiam quicquid altum eſt, deſpicit: Rex eſt ſupra omnes filios elationis.*] Præterquam quod multa habet quorum ratione cæteris reptilibus præferendus eſt, etiam quicquid altum eſt, & filios elationis deſpicit, id eſt, ea animalia quibus corpus procerius eſt, & longiora crura, quorum adminiculo eriguntur in ſublime, adeoque in illis regnat majorum virium fiduciâ. Utut enim ſeſe efferant, eorum maxima quæque uno ictu caudæ proſtrata nullo negotio jugulat & dilacerat. *Diodorus*: Σαρκοφαγεῖ δ' οὐ μόνον ἀνθρώπους, ἀλλὰ καὶ τῶν ἄλλων τῶν ἐπὶ τῆς γῆς ζώων τὰ προσπελάζοντα τῷ ποταμῷ, *Non ſolùm homines vorat, ſed & terreſtria reliqua animalia quæ ad fluvium accedunt.* *Horus Hieroglyphicorum* libri primi capite ſexageſimo ſeptimo. Οὐκ ἄλλως εἰς ἀπώλειαν φέρει ὁ κροκόδειλος ὃ ἐὰν λάβῃ ζῶον, εἰ μὴ τῇ οὐρᾷ τῇ ἑαυτοῦ διαπληκτίσας ἄτονον παρασκευάσει. ἐν τούτῳ γὰρ τῷ μέρει ἡ τοῦ κροκοδείλου ἰσχὺς καὶ ἀνδρεία ὑπάρχει, *Non aliter ad exitium perducit crocodilus, quodcunque apprehenderit animal, niſi caudâ priùs cæſum invalidum reddiderit. In hac enim parte præcipua eſt crocodili vis, & robur.* *Petrus Martyr Legat. Babylonic.* libro tertio. *Camelum, equum, juvencum, & quodcunque genus quadrupedis ei occurrit, cum in terram famelicus exit crocodilus grandior, ictu caudæ adeò acriter ferit, ut illud cruribus fractis proſternat, & interimat. Tanta eſt enim illius caudæ vis, ut fregiſſe quatuor uno ictu grandioris animalis crura repertus ſit aliquando.* *Dalechampius Hiſtoriæ Plantarum* libri decimi octavi capite nonageſimo nono. *Si in flumine, aut in littore hominem, bovem, bubalum, aprum, porcum, aut quodcunque tandem animal comprehendere poſſint, illicò devorant.* In inſula *Manilla Philippicarum* unâ narratur de crocodilo, qui bibentem elephantem ad rivum *Parannacam* unâ manu arreptum diu detinuit, nec niſi poſt longum certamen ab eo victus, & diſcerptus eſt. Et de altero in amne *Cuama*, qui cum tigridem auſus eſſet aggredi, pugna utrique fuit lethalis. *Texeira* de *Perſiæ* Regibus libri primi capite vigeſimo nono utrumque à locorum

incolis ſe didiciſſe profitetur. *Procera* igitur illa animalia hic dicuntur בני שחץ. *filii elationis*, ut Job. 28. v. 8. ut ſic iis opponantur qui ſunt על עפר, *ſuper pulverem*, id eſt, reptilibus, de quibus verſu præcedenti actum. Sed in capite de leonum nominibus jam docuimus, quid propriè ſit שחץ. Hæc porro videre dicitur crocodilus, id eſt, deſpicere, ut *Cant.* 1. *v.* 6. *Ne videte me, eò quòd nigra ſim*, id eſt, ne deſpicite.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

Etiam à *Talmudicis* לויתן *Leviathan*, pro crocodilo ſumi. Alia crocodili nomina.

In Talmude *animalium quinque paria, in quibus terror debilioris ſuper fortius.* 1. מפגיע maphgiæ ſuper leonem, פגע, *occurrere, ut in bonam ita in malam partem ſumitur*, פגעין, *dæmones, &* ערעיתא. *veſpa, ab occurſu dicta, ut volunt. Ita &* מפגיע maphgia, *culex leonibus occurrens. Ut in* Rhizophagis. Diodorus *emendatus. Leones etiam voce abſterret, non ſolo morſu. Eſt & in* Syria. *In oculos irruit.* Græcè λεοντοφόνον. Fabula Judaica *de* onſa. 2. יתוש jatthus, *id eſt*, τ͂ ἐμπίδος, *aquatici culicis* in elephantem, *ut circa* Niſibim. 3. סממית ſemamith, *ſeu ſtellionis* in ſcorpionem, *qui utut mole minor, creditur eſſe virtute major.* 4. סנונית ſenunith, *id eſt, hirundinis* ſuper aquilam. *Quod falſum. An ſenunithæ ſuæ tribuunt quod* Græci τῇ σίτῃ, *quæ* Latinis, ſubis, *pici ſpecies, quæ frangit ova aquilæ?* 5. כלבית calbith, ſuper leviathan. Calbith *eſt canicula. Malè in* Aruch, calcith. *Piſcis parvus immundus, qui ingreditur in os leviathanis, id eſt, ichneumon in crocodili fauces irrumpens. Ichneumon formam habet parvi canis. Inde* Hebraicè calbith, *canickla*, כלבא טינא, canis luti. *Arabicè* canis aquæ, Græcè ἰχνεύμων, *&* ἰχνευτὴς, ἀπὸ τ͂ ἰχνεύειν, *quod canum proprium. Lutra*, κύων ποτάμιος. Caſtor *canis* Ponticus. תנין thannin, *pro crocodilo*, Ezech. 29. v. 3. 4. & cap. 32. v. 2. 3. Pharao فرعون Arabicè *crocodilus.* Chamſa, *id Ægyptiis olim, ut* Arabibus تمساح thamſach. Χ *&* Θ *permutabiles.* Σοῦχος, *crocodilus olim ab* Arſenoitis *cultus, hodie* ſuchi Copticis *ab urinando dictus.* Nephoth, *&* Menephoth *crocodili, an à* Memphi, *quæ* منف Menph, Copticis.

POſtquam probavi Leviathanem in *Jobo* eſſe crocodilum, *Talmudicos* quoque docebo id ipſum vocabulum eadem notione uſurpaſſe, quod colligo ex tractatu de *Sabbatho* cap. 8. fol. 77. b. ubi quinque animalium paria recenſentur, in quibus אימת חלש על גבור, *terror debilioris eſt in fortem*; nempe terror.

1. מפגיע על הארי, *maphgia*, ſeu culicis λεοντοφόνου, *in leonem.*

2. יתוש על הפיל, *jatthus*, ſeu τ͂ ἐμπίδος, id eſt, aquatici culicis, *in elephantem.*

3. סממית על העקרב, *ſemamith*, ſeu ſtellionis, *in ſcorpionem.*

4. סנונית על הנשר, *ſennuth*, ſeu hirundinis *in aquilam.*

5. כלבית על לויתן, *calbith*, ſeu caniculæ, *in leviathanem.*

Jam de ſingulis aliquid, ut in ultimo deſinamus. Propriè מפגיע *maphgia*, eſt occurrens. Verbum medium eſt, quod vel in bonam, vel in malam partem ſumitur pro ratione ſubjecti. In bonam, ut *Eſ.* 59, 16. אין מפגיע, *non eſt, qui occurrat*, id eſt, qui pro *Iſraele* erga Deum intercedat. In malum, ut *Job.* 36, 32. de fulmine ויצו עליה במפגיע, *Præcepit ei Deus in quid occurrat*, i. e. quid feriendum ſit. Nempe ut eſt occurſus bonus, ita etiam eſt פגע רע, *occurſus malus*, 1. Reg 5, 4. Itaq; פגע, paſſim eſt in aliquem infenſo animo irruere, ut *Exod.* 5, 3. *Jud.* 8, 21. & 15, 12. & 18, 25. *&c.* Et פגעין, ſunt dæmones in ſecundo *Thargum*, *Eſth.* 1, 2. Et מפגיע *maphgia*, *Hebræis* culicis genus leonibus occurrens, id eſt, eos acriter impetens. Quomodo veſpam quoque *Chaldaicè* ערעיתא, ab occurſu magiſtri dici notant, ſed minus vere ut ſuo loco dictum. Porrò culex quem diximus, frequens eſt in *Æthiopiæ* parte, quam *Rhizophagi* tenent circa *Aſtapum.* & *Aſtaboram.* Proinde *Strabo* libro decimo ſexto. *Hæc loca leones alunt, qui ſub ortum caniculæ*, ὑπὸ κωνώπων μεγάλων, *à magnis culicibus inde expelluntur.* Et quà ratione id fiat, ex *Diodoro* (a) diſcimus, cum dicit libro tertio, τὰς λέοντας πάντας φεύγειν ἐκ τῶν τόπων, ἅμα μὲν ὑπὸ λιμοῦ κακουχυμένους, ἅμα δὲ τὸ ἀπὸ τ͂ φωνῆς ἦχον καταπεπληγμένους, *leones omnes ex iis locis fugere, partim fame malè affectos, partim ſono vocis* (culicum illorum) *abſterritos.* Sed cur *fame malè affectos?* An veriſſimile eſt culices poſſe leonibus famem indicere? Nihil dici potuit abſurdius. Sed in λιμοῦ, inſigne mendum eſt, & pro eo legendum δηγμοῦ, ut ſignificetur leones non quidem fame, ſed morſu culicum malè affici. Ita enim *Agatharchides*: ὑφ' ὧν καὶ οἱ λέοντες ἐκδιώκονται, οὐχ οὕτως ὑπὸ τ͂ δηγμῶ θλιβόμενοι, καίπερ ἰσχυρῶς ἐπαχθεῖς, ὡς τ͂ ἀπὸ τ͂ φωνῆς ἦχον ἀλλόφυλον ἀδυνατοῦντας φέρειν, *Ab his leones quoque pelluntur, non tam à morſu vexati, quamvis moleſto ſatis, quam quia inuſitatum vocis ſonum ferre nequeunt.* Videtur *Diodorus*, qui hic *Agatharchidem* fere ſequitur pro θλιβόμενοι, legiſſe δειλιώμενοι, timentes, unde illud καταπεπληγμένους. Rectum tamen θλιβόμενοι, non à θλίβω, ſed à θλίω. Interim ut ſcias מפגיע *maphgia*, eſſe id ipſum animal, quod leones ſono vocis abſterret, audi *Talmudis Gloſſam* in locum de quo ſupra. מפגיע היה קטנה וקולה גדול ושומע וירא שהוא בריה גדולה ובורח, Maphgia *parvum eſt animal, ſed magna vocis, quam leo audiens, timet ne ſit magnum animal, & fugit.* Nec quærendum unde *Judæis* innotuerit animalculum in intima *Æthiopia* latens, cum etiam in *Syria Meſopotamena* deſcribatur à *Marcellino* lib. 18. ubi notat leonum oculos ab his præcipuè impeti. *Quoniam*, inquit, *oculos, quaſi humida, & lucentia membra eadem appetunt volucres*, &c. Et *Achilles Tatius*, ἐμπίπτει τῷ λέοντι (ὁ κώνωψ) καὶ εἰς τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐμπηδᾷ. Proinde auctor *Hiſtoriæ Tamerlanis* paginâ decima ſexta البعوضة تدمي مقل الاسد *culex vulnerat oculum leonis.* A leonum cæde *Syrum* hoc animalculum λεοντοφόνον vocavi, fretus *Heſychii* loco qui huc omnino pertinet, λεοντοφόνον, θηρίδιόν τι πλαγώμενον ἐν Συρίᾳ. Sed rejicio ut fabuloſum quod de leone legitur in *Portâ* cœli fol. 27. d. ירא מאד מחיה אחת קטנה ונקראת אונשא שנכנסת בתוך גופו ויוצאת מן הגוף בצד האחר, *Et ſibi maximè timet ab animalculo quodam onſa nomine, quod in medium ejus corpus ingreſſum, ab alia parte exit.* Nobis onſa, vel *onca*, potius non eſt animalculum, ſed lynx veterum, ut ſuo loco docuimus.

a) Edit. Steph. pag. 111.

De leonibus quæ dicta ſunt, profitetur *Agatharchides*

des ſe referre τῆς παραδόξου χάριν, *paradoxi gratiâ*, quaſi nihil ſit ἰδιώτερον ἢ λέοντας ἐκχωρεῖν κώνωψιν *ſingularius quam leones culicibus cedere.* Tamen quò leone major eſt, & robuſtior elephas, eò mirabilius eſt quod habent *Talmudici* ſecundo loco אימת יתוש על הפיל *terror jattbus*, ſeu paluſtris culicis *ſuper elephantem* cadit. Quid enim culex ad elephantem? Proinde *Libanius* in *Epiſtola* ad *Caſilum* hæc duo opponens, ut maximè diſſimilia, *Ego verò ſum*, inquit, εἰμὶ κώνωψ ἐλέφαντι παραβαλλόμενος, *ut culex elephanti collatus.* Et *Perſarum* Rex *Zancaſſanes Turca* ſcribit: Indus *elephas culicem non timet.* Et *Turca*, *Naricius*: *Non pudet vos culices in elephantem confligere?* Culices tamen, tam audax facinus, nec ſine ſucceſſu quandoque aggredi, patet ex *Theodoreto*, qui in *Perſarum* copias *Niſibin* obſidentes ad *Jacobi Epiſcopi* preces τῶν σκνιπῶν καὶ τῶν κωνώπων τὰ νέφη, *cinipbum & culicum nubes* veniſſe narrat, quæ τῶν μὲν ἐλεφάντων τὰς προνομαίας αὐλοειδεῖς πεφυκυίας ἐπλήρουν, *cavas elephantorum promuſcides impleverunt*, &c. *Qui cum animalculorum impreſſionem ferre non poſſent, ruptis loris, & excuſſis ſeſſoribus ordines turbarunt, caſtraque adeo relictis, in fugam totis viribus ſe dederunt.* Hæc ille *Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ* lib. 2. cap. 26. Et rurſus in vita *Jacobi Niſibeni*. Οἱ δὲ ἐλέφαντες τὰ δεσμὰ διαῤῥήξαντες, ἐδραπέτευον, τῇδε κἀκεῖσε σκεδαννύμενοι, καὶ φέρειν ἐκείνας οὐ δυνάμενοι τὰς ἀκίδας, *Elephanti ruptis vinculis huc illuc diſperſi fugiebant, cum aculeos illos ferre non poſſent.* Unde *Achilles Tatius* lib. 2. Ὁρᾷς ὅσον ἰσχύος ὁ κώνωψ ἔχει, ὡς καὶ ἐλέφαντα φοβεῖν, *Videsne quantum culici inſit roboris, cum elephantum etiam terreat?* Ibidem elephas ob id ipſum aures habere dicitur in perpetuo motu, quia moritur illicò, ſi culex vel minimus in eas ingreditur. Sed & promuſcidi timet quam impleri culicibus ex *Euſebio* didicimus. Hinc *Gloſſa Talmudica* יתוש נכנס בפיל בחוטמו, *jattbus*, ſeu culex paluſtris, *in elephantis promuſcidem ingreditur.*

Tertio dicitur eſſe אימת סממית על העקרב, *terror ſemamith*, ſeu *ſtellionis ſuper ſcorpionem.* Nam ſtellio ſcorpioni *viſu pavorem affert, & torporem frigidi ſudoris.* Ita *Plinius* lib. 29. cap. 4. Et apud *Ælianum Hiſtoriæ* lib. 6. cap. 22. *admoto ſtellione*, νάρκη τὸν σκορπίον καταλαμβάνει, *torpor ſcorpionem invadit.* Et in *Galeni* libro de theriaca cap. 9. *ſtellio ſcorpiones* ναρκοῖ καὶ οὕτως ἀναιρεῖ, *obſtupefacit atque* ita interimit. Plura de hoc argumento vide in capite de *ſemamith*, ſeu ſtellione inter lacertorum ſpecies. Quibus ſolum hoc addimus, tertium hoc exemplum poſſe videri valde diſpar duobus quæ præceſſerunt. Nam leo, & elephantes mole culicem ſuperant immenſum quantum. At ſcorpio ſtellionem magnitudine non æquat. Tamen pro magno id habetur quod ſcorpionem ſtellio ſuperat, quia alioqui ſcorpionis venenum multò creditur potentius. *Æliani* de ſcorpionibus *Ægyptiis* libri decimi capite vigeſimo tertio. Παίσαντες, ἀναιροῦσι παραχρῆμα, *quos percuſſerunt, ſtatim interficiunt.* Et *Damir* de ſcorpione in genere ومن غريب امرها انها مع صغرها تقتل الفيل والبعير بلسعتها *Et è mirabilibus natura ejus eſt, quod quamlibet parvus, punctione ſuâ elephantem, & camelum interimit.* De ſtellione nihil tale legas, qui tamen ſcorpioni eſt terribilis.

Quartum, nempe avem סנונית *ſenunith*, aquilæ eſſe terrori, quorſum *Talmudici* ſcripſerint, valdè obſcurum eſt. Conſtat enim illis *ſenunith* hirundinis eſſe ſpeciem, ut *Arabibus* سنونو *ſenunu.* Hirundinem autem ab aquila timeri naturæ ſcrutatorum nullus obſervat. Nec cauſam cur timeat, vel per ſomnium quiſquam poteſt ſibi fingere. Sed *ſitta* eſt avicula hirundine non major, quam cur aquila timeat, cauſæ non deſunt, cum illius ova frangat. *Ariſtoteles Hiſtor.* lib. 9. cap. 1. Σίττη καὶ τρόχιλος ἀετῷ πολέμια ἐστιν. ἡ γὰρ σίττη καταγνύει τὰ ᾠὰ τοῦ ἀετοῦ, *Romani* veteres *ſubin* vocabant. *Plinius* lib. 10. cap. 14. *Apud* Nigidium *ſubis appellatur avis quæ aquilarum ova frangit.* Pici ſpeciem eſſe putant. Itaque quia *ſitta*, & *ſenunitba* nomina utcunque ſimilia ſunt, *Hebræos* putaverim aves alioqui naturâ diſſimillimas promiſcuè ſumpſiſſe, & *ſenunitbæ* ſuæ tribuiſſe, quod de *ſitta Græci* ſcripſerant. *Gloſſator Talmudicus* aliud comminiſcitur, nempe *ſenunitham*, ſeu hirundinem ſub alis aquilæ latitantem volatum ejus remorari, & pennas ſpargere, & diſſipare. Verba ſunt סנונית ארונדילא נכנסת תחת כנפי הנשר ומעכבתו מפריסות כנפיו. Sed hoc ex eburnea porta ſomnium apud me nullam habet fidem.

Supereſt ut doceamus, quid ſibi velint hæc *Hebræorum* אימת כלבית על לויתן, *Terror* calbith *ſuper leviathan.* Pro כלבית *calbith*, id eſt, caniculâ, quomodo in *Talmude* legitur, & in *Kimchii Lexico*, voce שמם, *Aruch* legit כלכית *calcith*, deceptus ſimilitudine literarum *Beth*, & *Caph.* Neque id librarii mendum eſt, ſed auctoris. Nam in alphabethi ſerie כלכית, eſt poſt כלך, & כלכה. Idem tamen obſcuro loco non parum attulit lucis, cum ex veterum *Hebræorum* mente, כלכית *calcith*, (id eſt, כלבית *calbith*,) ſcribit eſſe דג קטן טמא נכנס בפיו של לויתן, *piſcem parvum immundum, qui ingreditur in os leviathanis.* Omninò enim hæc deſcriptio pertinet ad ichneumonem. qui cum ſit amphibius, atque, ut eſt in *Vitruvio* (b), *beſtiarum piſciumque natura*, tam poteſt dici piſcis quam crocodilus, de quo *Aben Ezra* in *Exod.* 7. הוא מין דג, *ille eſt ſpecies piſcis.* Et *Ovidius* de *Arte* lib. 3.

- - - *ad* Pharii *confuge piſcis opem.*

Itaque *piſcis* eſt ichneumon, id eſt, aquaticus, vel amphibius, & *parvus* præ crocodilo, & *immundus* ex Lege, quia cum ſit quadrupes, neque eſt bifidus, neque ruminat. Denique *ingredi* dicitur *in os leviathanis*, quia in hiantis crocodili fauces irrumpit, populatisque vitalibus, eroſa excedit alvo; quod citatis ſcriptorum locis probare ſit ſuperfluum, cum res etiam vulgò nota ſit. Vide *Strabonem*, *Plutarchum*, *Plinium*, *Solinum*, *Ammianum*, *Oppianum*, *Iſidorum*, *Euſtathium Antiochenum*, &c. Neque verò obſcurum eſt, cur ichneumon ab *Hebræis* vocetur כלבית *calbith*, ſeu canicula, cum canis, vel caniculæ eum habere ſpeciem idonei auctores ſcribant. Sic *Diodorus Siculus* lib. 1. Ὁ γὰρ καλούμενος ἰχνεύμων, παραπλήσιος ὢν μικρῷ κυνὶ, *Nam qui vocatur ichneumon ad parvi canis formam accedens.* Parvi canis, id eſt, כלבית *calbith*, quod diminutivum eſt à כלב *celeb.* *Euſtathius Antiochenus*, cui palam *hydris* eſt ichneumon. Ὕδρις δὲ ἐστὶν ἐν τῷ ποταμῷ μορφὴν ἔχουσα κυνός, Hydris *autem eſt in flumine, formam habens canis.* Proinde idem animal in *Bava Bathra* cap. 5. vocatur כלבא טינא *calba tina*, pro כלבא דטינא *calba detina*, canis luti. Et *Arabicè* in *Avicenna* (c) كلب الما *canis aquæ.* Neque alia ratio *Græci* nominis. Dicuntur enim ἰχνευταὶ ab *Herodoto* (d), & *Nicandro* (e), & ab aliis ἰχνεύμονες, quia indagant more canum, quorum proprium eſt τὸ ἰχνεύειν. Unde *Arrians Epictetus* lib. 1. cap. 2. κύνες ἰχνευτικοὶ πάντες. Sed & lutram, vel enhydrin (in quo genere eſt ichneumon juxta *Solinum*, & *Ammianum*) κύνα ποτάμιον, *Græci* ſcriptores paſſim nuncupant. *Aetius* (f): *Canis fluviatilis* (id eſt, lutræ) *teſtes ad eadem valent, ad quæ caſtorii.* Cauſam nominis *Ælianus* ita docet *Hiſtoriæ* libri decimi quarti

capite

b) Lib. 8. cap. 2.

c) Lib. 4. Can. Fen. 6 tract. 2. cap. 12.

d) Lib. 2. c. 67.

e) Ther. v. 191

f) Tetrab. lib. 1 Serm. 1. c. 178

cap. 21. Κυνὸς δὲ οἱ ποτάμιοι ἰδεῖν μὲν εἰσι κατὰ τὰς κυνὰς τὰς χερσαίας τὰς μικρὰς, *Canes fluviatiles* (lutræ) *ſpecie referunt canes terreſtres parvos.* Quod ipſum de ichneumone ſcribunt *Diodorus*, & *Euſtathius.* Ita caſtorem, animal his duobus homogeneum, *Servius* alicubi *canem Ponticum* appellat. Ut jam abunde pateat nomen כלבית *calbith*, ſeu caniculæ, rectè quadrare in ichneumonem, adeoque hæc *Hebræorum*, *terror* calbith *ſuper* leviathan, nihil aliud ſonare quàm ichneumonem crocodilo eſſe terrori.

Huc quoque notandum venit è duobus ſynonymis תנין *thannin*, & לויתן *leviathan*, quorum utrumque draconem, & cetum ſignificat, ut omnes ſciunt, etiam תנין *thannin*, pro crocodilo ſumi. Quod hæc planum faciunt, *Ezech.29.v.3.4. Sic dicit Dominus Deus; Ecce ego inſurgam contra te*, Pharao *Rex* Ægypti, *magne* thannin, *qui cubas in medio rivorum tuorum*, &c. *Et indam hamos maxillis tuis, & agglutinabo piſces rivorum tuorum ſquamis tuis, & aſcendere te faciam è medio rivorum tuorum*, &c. Et *Ezech.32.v.2.3. Tu eras ſicut* thannin *in maribus* (id eſt, in *Nilo*, & lacubus vicinis, ut ſupra explicavimus) *& prodibas per flumina tua, & turbabas aquas pedibus tuis*, &c. *At expandam ſuper te rete meum in cœtu multorum populorum, qui te trahent in ſagenam meam.* Iis, inquam, verbis *Pharaonem* clarum eſt cum crocodilo, non cum balæna, conferri, quæ nec pedes habet, nec ſquamas, nec verſatur in *Ægypti* rivis, & fluminibus, nec inde aſcendit in terram, nec retium indagine cingitur. Sed neque cam hamo capi quisquam dixit præter unum *Oppianum.* Horum igitur pleraque in ſolum crocodilum quadrant, qui per תנין *thannin*, ſignificatur.

Neque de nihilo eſt quod *Pharaonis* cum crocodilo comparationem Propheta tam multis perſequitur. Nam ut alia taceam, ad ipſum *Pharaonis* nomen ſic alluditur, quo crocodilum ſignificari ex *Arabibus* diſcimus. *Alcamus* الفرعون التمساح *Pharao, crocodilus.* Itaque cum dicit *Ezechiel*, Pharao, *magne* thannin, *qui cubas in medio riverum tuorum*, idem eſt, ac ſi diceret: O qui *Pharaonis*, ſeu crocodili nomine gloriaris, idem te manet caſus qui crocodilum, qui ferreo hamo capitur, aut verò ferreis retibus involvitur, atque ita volens nolens è flumine ad necem trahitur.

Ægyptia crocodili nomina ſcriptores multa memorant. Vetuſtiſſimum *Herodoti* lib.2. Καλέονται δὲ οὐ κροκόδειλοι, ἀλλὰ χάμψαι, *crocodili autem* (*ab Ægyptiis*) *non vocantur, ſed champſa.* Alludit *Arabicum* تمساح *thamſach*, vel *thimſach.* Nam χ, & ح ſunt permutabiles, ut in ὄρνιχις pro ὄρνιθος. Secundum eſt σοῦχος. *Strabo* lib.17. de urbe *Arſinoe:* Κροκοδείλων δὲ πόλις ἐκαλεῖτο πρότερον. σφόδρα γὰρ ἐν τῷ νομῷ τούτῳ τιμῶσι τὸν κροκόδειλον. καὶ ἔστιν ἱερὸς παρ' αὐτοῖς, ἐν λίμνῃ καθ' αὑτὸν τρεφόμενος, χειροήθης τοῖς ἱερεῦσι, Καλεῖται δὲ Σοῦχος, *Crocodilorum urbs primò vocabatur. In illo enim* Nomo *crocodilum plurimum colunt, & eſt ſacer apud eos, in lacu quodam ſeorſim nutritus, ſacerdotibus manſuetus, &* Suchus *appellatur. Damaſcius* apud *Photium:* Ὁ ἱπποπόταμος ἄδικον ζῶον, &c. ὁ Σοῦχος δίκαιος. ὄνομα δὲ κροκοδείλου καὶ εἶδος ὁ Σοῦχος, *Hippopotamus injuſtum animal*, &c. *Sed* Suchus *juſtus eſt. Eſt autem* Suchus *crocodili nomen & ſpecies.* Durat hodieque nomen. Nam crocodilus *Coptice* σουχι *ſuchi* vocatur, quaſi κολυμβητὴν dixeris, id eſt, *natatorem*, ſeu *urinatorem. Hebræis* enim שחה, *Talmudicis* סחו, *Arabibus* سوح vel صوخ eſt *natare*, vel *urinari.* Nomen ab argumento inditum. Quippe in *Arſinoite Nomo Crocodilopolitani* crocodilum quendam ſic appellabant à ſe certis ritibus conſecratum, & cultum, in crocodili illius memoriam qui, *Menam* Regem inſequentium canum metu in *Mœridem* lacum ruentem, dorſo exceptum trajecit in ulteriorem ripam. Meritò igitur *Suchus*, ſeu κολυμβητὴς, dictus eſt, qui in Rege ſervando tam egregium natatorem ſe præſtitit. *Hiſtoria* de crocodilo, & *Menâ* Rege, partim eſt in *Herodoto*, & *Strabone*, partim in *Diodoro*, & *Stephano* in Κροκοδείλων πόλις. Tertio crocodilos *nephoth* ab *Ægyptiis* vocitari nonnulli tradunt. *Epiphanius* de vitis Prophetarum in *Jeremia:* Τῶν ὑδάτων θῆρες ὡς καλοῦσιν οἱ Αἰγύπτιοι Νεφώθ. Ἕλληνες τοὺς κροκοδείλους. Alii ſcribunt *menephoth. Pſeudo-Dorotheus* in *Synopſi: Cum à beſtiis aquaticis turbarentur, quas* Ægypti menephoth, Græci *verò crocodilos vocant.* Atque id puto rectius: Sic enim à *Memphi* dici videntur, quæ *Arabibus* eſt منف *Menph*, vel *Meneph.* Itaque *Menephoth*, id eſt, *Memphita.* Et *Memphita*, id eſt, *Ægypti*, quia *Ægypto* metropolis erat *Memphis.*

CAPUT DECIMUM NONUM.

De Sanguiſuga.

Sanguiſuga olim hirudo, *an quaſi* hiludo, *ut ligudie pro* ἰλύδιον, *à paludoſis locis?* Græcè Βδέλλα ἀπὸ τοῦ βδάλλειν, *id eſt, exſugere.* Arabicè علقة *alaka*, ab علق *quod pendere eſt. Multa inde deducta. Ratio originis. Cur* Pſal.12.v.9. *in* Thargum *impii dicantur* ambulare in circuitum ut ſanguiſuga. *Sanguiſuga greſſus, ſpecies volutationis*, Græcè ἰλύσπασις, *quod vermi etiam & ſerpenti tribuitur. Longè alia mens* Davidis *qui de ſanguiſuga ne* γρῦ *quidem. Quid* Chaldæum *fefellerit.* Infinitivus pro Participio, *Prov.* 30.v.15. ſanguiſugæ duæ filiæ, *&c. Sanguiſuga nullæ filia, quia non generat. Merceri* σφάλμα, *de bifurcata ſanguiſuga lingua, cum linguam non habeat. Sanguiſuga quàm ſanguinis avida. Verba* Solomonis, *nec cum antecedentibus, nec cum ſequentibus jungi.* Græcus, Syrus *&* Arabs, *cur ſanguiſugæ pro duabus tres filias aſſignent. Sanguiſuga* עלוקה alaka, *dicitur. At* עלוקה aluka, Arabicè علوق aluk, *planè aliud eſt, nempe fatum, & quod Dei decreto unicuique appenſum eſt, ut* Sap.11.v.21. *& in* Daniele, Mene thekel, *&c. Sic lances in manu* Jovis *apud* Poetas. *Hoc Dei decretum paris*, Soph.2.v.2. *Hujus filia dua foſſa, &* שאול, *quarum una corpus, altera animam appetit. Aut Paradiſus, & Inferi. Hujus ſententia veſtigia in* Midras. Mercerus *notatus.*

QUÆ à ſuctu ſanguinis *ſanguiſuga Plinii* ævo dici cœpit, prius hirudo vocabatur. Hinc *Plinius* libri octavi capite decimo, ubi de elephantis: *Cruciatum in potu maximum ſentiunt, hauſta hirudine, quam ſanguiſugam vulgò cœpiſſe appellari adverto.* Et libri trigeſimi ſecundi capite decimo. *Diverſus hirudinum, quas ſanguiſugas vocant, ad extrahendum ſanguinem uſus eſt.* Proinde qui ſcriptores ante *Plinium* vixerunt, hirudinem conſtanter vocant. *Plautus* in Epidico, Act.2.

- - jam ego me vertam in hirudinem,
Atque eorum exſugebo ſanguinem.

Cicero ad *Atticum* lib.1. *Epiſtola* 13. *Illa concionalis hirudo ærarii, miſera, & jejuna plebecula. Horatius* de *Arte* in fine:

Non

Non miſſura cutem, niſi plena cruoris hirudo.

Origo vocis nondum eſt nota: Iis enim hærere calculum patet, qui ab hærendo deducunt, ac ſi *hirudo* diceretur quaſi *heredo*, repugnante primâ ſyllabâ, quæ in *hirudo* brevis eſt. Sed cum *R* & *L* ſint maximè permutabiles, & ardea *Græcè* dicatur ἐλωδιὸς, pro ἐρωδιὸς, quidni ſanguiſuga, *hirudo* vocata ſit quaſi *hiludo*, quia naſcitur ἐν τόποις ἰλώδεσι, aut ſi mavis, ἰλυώδεσι, in locis paludoſis, & limoſis? Unde *Gloſſæ* veteres: *Hirudo*, λιμναία βδέλλα, id eſt, paludoſa ſanguiſuga. Et *Theocritus* in *Pharmaceutria*

- - ὡς λιμνᾶτις ἅπαν ἐκ βδέλλα πέπωκας.

Ut paluſtris hirudo, omnem (ſanguinem) *ebibiſti*. Et *Oppianus* lib. 2. *Halieut.* ſanguiſugas vocat κυανόχροα λίμνης ἑρπετὰ, *nigra paludis reptilia*. Raro enim in aliis aquis, quàm in paluſtribus, lacuſtribus, & ſtagnantibus inveniuntur. *Græcum* βδέλλα fit παρὰ τὸ βδέλλω τὸ ἀμέλγω, à verbo βδέλλω, quod exſugere ſignificat. Ita eſt in *Etymologo*. [Tamen alibi exſugere non eſt βδέλλειν, ſed βδάλλειν, quod & ipſe agnoſcit, & α mutatum eſſe in ε, ut in *Attico* λεὼς, pro λαός. *Arabicè* علقة *alaka*, dicitur à pendendo, & adhærendo. Nam علق *àlaka*, verbum pendere, & adhærere eſt. Et indidem ſunt علق *alak*, trochlea ex qua quid pendet علاقة *ilaka*, lorum ex quo pendet arcus, vel enſis, عليق *ollaik*, rubus qui veſti adhæret عالق *alik*, caper, aut camelus, qui ſummas arborum partes tanquam ab iis ſuſpenſus depaſcitur, عولق *aulak*, appendix, تعليق *thalik*, vel معلاق *milak*, ſcripturæ genus, in quo characteres alii aliis adhærent, tanquam ſuſpenſi ab invicem. Quod *Arabes* à *Perſis*, & *Hebræi* ab *Arabibus* mutuati ſunt. Vide plura apud *Eliam* in *Thiibi* voce משקיט. Proinde العلقة *alaka*, id eſt, *hirudo*, à *Damire* definitur دود اسود او احمر يكون في الما يعلق بالبدن ويمص الدم *vermis niger, aut ruber in aqua degens, qui pendet à corpore, ut exſugat ſanguinem*. Notâ *pendet*, *Arabicè* يعلق unde *hirudo* علقة. Et medicos *Arabes* eodem verbo ſemper uti, cum ſanguiſugas pendere dicunt ex parte corporis cui adhærent. Sic *Avicenna* lib. 1. *Fen*. 4. cap. 22. *Arab*. 23. وما ينشطها للتعلق مسح الموضع بطين الراس او بدم *Et in iis quibus ad pendendum invitantur, eſt, ut locus luto capitis* (a), *aut ſanguine illinatur*. Et poſtquam ad hoc ipſum plura alia præſcripſit; *Hæc omnia*, inquit, *parata, & repoſita eſſe oportet* عند معلق العلق *apud eum, qui ſanguiſugas appenſurus eſt*. Et lib. 3. *Fen*. 9. capite 5. *Et ſanguiſuga quandoque* علقت *pendet in parte conſpicua gutturis, quandoque* علقت *pendet intra œſophagum, quandoque* علقت *pendet in ſtomacho, quandoque tam parva eſt, ut illum etiam lateat qui accuratè perſpicit* علوقها *ſuſpenſionem ejus*. Et cap. 7. حتى تترك العلقة الموضع الذي علقت به *donec relinquat*

a) *Lutum eſt bene oderis, cujus illitu capilli fiunt longiores: Et nuncupatur in balneis Arabica mulurres.*

hirudo locum à quo pendet. Neque aliter loquuntur medicorum alii, quod probare ſit facillimum. Omnino igitur à pendendo factum eſt ſanguiſugæ nomen *Arabicum*, adeoque *Chaldæum*, & *Hebræum*, quod cum *Arabico* idem eſt. Niſi quod quæ *Arabibus* علقة *alaka*, his eſt עלוקה *aluka*, ut quidem volunt *Hebræi* recentiores. Quod hic obſervandum duxi, quia vocis originem *Syri*, & *Chaldæi* neſciunt.

Duo ſunt Scripturæ loca quæ interpretes ad ſanguiſugam referunt. Prior *Pſal*. 12. *v*. 9. ubi *Chaldæus* חזור חזור רשיעיא מהלכין כעלוקא דמצוצא דמהון רבני ארם, *Impii circumcirca* (vel *in circuitum*) *ambulant, ut ſanguiſuga, quæ ſugit ſanguinem filiorum hominum*. Quod quo referam, non ſatis ſcio, niſi impios, quorum viæ ſunt obliquæ, & flexuoſæ, ideo cum ſanguiſuga conferri poſſe putaverit ille interpres, quia *hirundinum* greſſus ſpecies eſt volutationis, quam voce maximè propriâ *Græci* ἰλύσπασιν, & ἰλύσπασμα, vocant, à verbo ἰλυσπᾶσθαι, quia poſtquam priore parte proceſſerunt, poſteriorem ad illam ſe convolvendo trahunt, ita ut videantur arcuatim, & annulatim progredi. Quod *Geſnerus* ita deſcribit. *Movetur* hirudo *extenſione, & contractione corporis ſui ceu annulis conſtituti, ſicut lumbrici. Non tamen cuivis corporis parti, ut illi, innititur, ſed caudæ tantum, & ori. Nam caudæ innitens corpus reliquum quantum poteſt, aut vult, extendit, ſive rectà ante ſe, ſive retro, aut reflexum: Tum ore fixo caudam, & reliquum corpus arcuatim attrahit, vel ad os uſq; contiguè vel quouſque libuerit, os verſus.* Et multo ante *Philoſophus* in libro de *Animalium* inceſſu cap. 9. ubi τῶν ἀπόδων greſſum deſcribit: Τὰ μὲν ἐπὶ τῆς γῆς, καθάπερ οἱ ὄφεις, τὰς καμπὰς ποιεῖται, τὰ δὲ εἰς τὸ ἄνω, ὥσπερ αἱ κάμπαι. τὰ δὲ ἰλυσπάσει χρῆται, καθάπερ τὰ καλούμενα γῆς ἔντερα καὶ βδέλλαι. ταῦτα γὰρ τῷ μὲν ἡγεμόνι προέρχεται, τὸ δὲ λοιπὸν σῶμα πᾶν πρὸς τοῦτο συνάγουσι. *Alia quidem ſuper terram ut ſerpentes, inflectuntur: Alia ſuperne ut* Erucæ: *Alia volubili tractu utuntur ut lumbrici, quos inteſtina terræ appellant, & ſanguiſugæ. Illa enim, cum anteriore parte proceſſerunt, reliquum corpus totum ei conjungunt.* Itaque ex *Philoſophi* mente ἰλύσπασις, vermi, & *hirundini* propria eſt. Alii tamen etiam ſerpenti tribuunt. *Heſychius*, ἰλυσπᾶσθαι. τὸ παραπλησίως τοῖς ὄφεσιν ἢ σκώληξιν εἵλεσθαι, κυλίεσθαι, εἰλεῖσθαι, *volutim trahi, ſerpentum, aut vermium inſtar progredi, circumagi, convolvi. Euſtathius* itidem in lib. 1. *Odyſſeæ*: Τὸ ἰλυσπᾶσθαι, ἤγουν ἑλίσσεσθαι καὶ σκώληκι εἰλεῖσθαι ἢ σπᾶσθαι ἤγουν κινεῖσθαι, ὅθεν καὶ ἰλύσπασμα ἡ τοιαύτη κίνησις. Quod variis in locis ſummus vates ſumma expreſſit arte, *Georg*. lib. 2.

Nec rapit immenſos orbes per humum, neque tanto
Squammeus in ſpiram tractu ſe colligit anguis.

Ubi *Servius*: *In ſpiram dicit, in collectione volubilitatis*. Et lib. 2. *Æn*.

- - *ſinuatq; immenſa volumine terga.*

Et lib. 5. *Æn*.

- - - *longos fugiens dat corpore tortus.*

Nec multo poſt ibidem.

Nexantem nodos, ſeque in ſua membra plicantem.

Quod inceſſûs genus cum non poſſit non eſſe ſinuoſum, utcunque exprimit impiorum artes, qui non rectà ſe oblique, & per ambages feruntur. Itaque hæc potuit eſſe mens *Chaldæi Paraphraſtæ*. Sed quicquid ille intellexerit, certum eſt à Prophetæ mente eum receſſiſſe immenſum quantum. *Hebræa* enim ſic habent סביב רשעים יתהלכון כרם זלות לבני אדם, quæ ad verbum ſic ſonant, *circumquaque impii obambulant, cum exaltatur vilitas filiorum hominum*. Senſus eſt florere impios, & libere ſe diffundere, cùm exaltantur homines nihili, quibus graſſanti malo ſe opponere, & unumquemq; intra officii ſui fines coërcere nulla cura eſt. Quale illud *Salomonis*, Prov. 29 v. 2.

Cum

Cum dominatur improbus, ſuſpirat populus. Et verſ.16. *Cum creſcunt improbi, creſcit defectio.* Itaque ambulare סביב, eſt circumquaque ferri, non obliquè, & in circulum, ut non ſolus hic interpres, ſed & plures alii ſumunt. Sed leve videbitur prius hoc παρόραμα, præ eo quod ſequitur, *ut* hirudo *quæ ſugit ſanguinem filiorum hominum*, de qua *Propheta* ὁ δὶ χεῦ, dicam tamen quid illum ſefellerit: זלל, unde זלות, vilitas, non ſolum vilem hominem, ſed & epulonem ac comeſſatorem ſonat. Hinc זלות, vorare, & epulari reddidit, tanquam infinitivum verbi זלל. Quomodo fit חנות, miſereri à verbo חנן, *Pſal.* 77. *v*.10. Idem pro כרם, per *res*, id eſt, cum exaltatur, legit כדם, per *daleth*. Sic כדם זלות ſonaret, *ſicut ſanguinem vorare*, id eſt, *ſicut ſanguinem vorans*, vel, *ſicut quæ ſanguinem vorat filiorum hominum.* Prout infinitivus ſæpe pro participio ſumitur, ut *Joſ.* 3. *v*.17. *Stabant Sacerdotes*, &c. *in medio* Jordane הכן, *firmari*, id eſt, מוכנים, firmati *Habac.* 2. *v*.15. *Væ potum danti ſocio ſuo, & etiam* שכר, *inebriare*, id eſt, משכר, *inebrianti.* Hæc porro verba כדם זלות, *ut ſanguinem vorare*, vel, *ut quæ ſanguinem vorat filiorum hominum*, ſic accepta ſunt ab illo interprete, quaſi pertinerent ad ſanguiſugæ deſcriptionem. Unde nata eſt verſio quam diximus, quæ quidem eſt planè aliena. Sed ſunt alii interpretes, qui in ejusdem verſus expoſitione non minus à vero aberrarunt, quod docere eſſet obvium, ſi faceret ad rem noſtram.

Alter de ſanguiſuga locus eſt *Proverb.* 30. *v*.15. לעלוקה שתי בנות הב הב, *Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ*, quæ dicunt, *affer, affer.* Ita ferè recentiores ex *Symmacho*, & *Hieronymo.* Alii veterum, *Seniores* ſcilicet, *Chaldæus*, *Syrus*, & *Arabs*, ſic in diverſa abeunt, ut עלוקה *aluka*, ſanguiſugam unanimi conſenſu reddant. Unde nata eſt multa quæſtio, quid hic per ſanguiſugam ſignificaverit *Solomon*, aut per duas ejus filias, vel tres etiam, ut habent *Græca*, *Syra*, & *Arabica* lectio. Nam ne propriè, & ad literam hæc ſumantur, duo potiſſimum obſtant: Unum quòd aliena hic eſſet mentio ſanguiſugæ propriè dictæ: Alterum quod ſanguiſuga nullas habet filias. Neque enim ſanguiſugæ generant, aut generantur, ſed naſcuntur ex putredine. Et prorſus abſurdum eſt quod in *Mercero* habetur, duas ſanguiſugæ filias nonnullos referre ad biſulcam, & *biſurcatam ejus linguam*, *ut* Plinius *tradit.* Cum animalis linguæ cum fœtu nihil ſit commune. Ne dicam in *Plinio* nihil legi de lingua ſanguiſugæ, neque in ullo veterum. Et verò lingua carent *hirudines*, neque aliter ſanguinem ſugunt quam ore rotundo in ſphincteris modum compreſſo, & coarctato. Proinde coguntur plerique interpretes ad allegoriam confugere, tanquam ad ſacram anchoram. Atque alii quidem hunc verſum cum antecedenti jungunt. *Eſt generatio cujus dentes ſunt ut gladii, & ut cultri, molares ejus, ut devorent pauperes è terra, & egenos ex hominibus.* Quaſi hujusmodi homines cum *hirudine* conferantur, quæ ſanguinis tam eſt avida, ut ad ſanguinem exſugendum carni admota, nunquam deſiſtat, donec decidat plena cruoris. Unde *Theocritus* in *Pharmaceutria*:

Αἰ αἰ ἔρως ἀνιηρὲ, τί μευ μέλαν ἐκ χροὸς αἷμα
Ἐμφὺς, ὡς λιμνᾶτις ἅπαν ἐκ βδέλλα πέπωκας;

Eheu, eheu, triſtis amor, cur mihi atrum è corpore ſanguinem, inhærens ut paluſtris hirudo, *omnem exſuxiſti?* Et *Horatius*:

Non miſſura cutem niſi plena cruoris hirudo.

Et *Oppianus* multò uberius de Medico qui ſanguiſugas apponit:

- - διψάς δὲ γονὰς κυανόχροα λίμνης
Ἑρπετὰ τειρομένοιο κατὰ χροὸς ἐστήριξε,
Δαίνυσθαι μέλαν αἷμα. τὰ δ' αὐτίκα γυρωθέντα
Κυρτοῦται, καὶ λύθρον ἐφέλκεται, οὐδ' ἀνίησιν.
Εἰσόκεν αἱμοβαφῆ ζωρὸν ποτὸν αὖ ἐρύσαντα
Ἐκ χροὸς αὐτοκύλιστα πέσῃ μεθύουσιν ὅμοια.

Humidam ſobolem, nigra ſtatim reptilia, afflictam ad cutem figit, ut depaſcantur atrum cruorem. Illa verò ſtatim rotundata inflectuntur, & ſaniem attrahunt, neque remittunt, donec ſanguine gravata, poſtquam meracum potum eduxerunt, de cute ſponte voluta cadant, ebriis ſimilia. Quæ ſatis benè hactenus. Sed cum ventum eſt ad duas *hirudinis* filias, nihil afferunt quod vel minimam habeat veri ſpeciem. Itaque alii malunt hæc conjungere cum ſequentibus in eodem, & ſequenti verſu: *Tria ſunt inſatiabilia, imò quatuor quæ non dicunt, ſatis eſt: Sepulchrum, & occluſa vulva, terra, quæ non ſatiatur aquis, & ignis qui non dicit, ſatis eſt.* Quaſi dixerit Sacer ſcriptor, duo eſſe, quæ ſemper clament, affer, affer, quæque ideò vocentur ſanguiſugæ filiæ: Imò tria quæ ſatientur, imo quatuor quæ nunquam dicant, ſufficit: nempe ſepulchrum, vulva ſterilis, &c. Ex qua interpretatione ſepulchrum, & vulva ſterilis eſſent ſanguiſugæ filiæ, quod videtur valde coactum. Præterea in ſimilibus numerorum gradationibus, poſt primum numerum expreſſum ſcriptura nonniſi unum addit pro auctario, & ἐπιμέτρῳ. Sic in hoc ipſo capite verſu 18. *Tria iſta occulta a me, imò quatuor hæc non novi.* Et verſ. 21. *Sub tribus commovetur terra, imò ſub quatuor quæ non poteſt ferre.* Et verſ. 29. *Tria iſta bene procedunt, imò quatuor bene ambulant.* Et *Amos* 1. *v*.3. *Propter tres defectiones* Damaſci, *imò propter quatuor.* Et in Lege, *Exod.* 20. *v*.5. *Viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem.* Et *Prov.* 6. *v*.16. *Sex ſunt quæ odit Dominus, imò ſeptem ſunt abominatio animæ ejus.* Et *Job.* 5. *v*.19. *In ſex tribulationibus liberabit te, & in ſeptima non tanget te malum.* At hic à binario ad ternarium, & à ternario ad quaternarium procedi volunt, quæ phraſis eſſet ſine exemplo. Quod incommodum ut vitarent *Græci* interpretes, & hos ſequuti *Syrus*, & *Arabs*, ſanguiſugæ pro duabus tres filias aſſignarunt. Sed *Hebræi*. *Chaldæi*, *Symmachus*, & *Hieronymus*, nonniſi duas habent.

Itaque cum hæc verba, neque cum præcedentibus, neque cum ſequentibus videantur commodè poſſe jungi, malo illa ſeparatim ſumere. Ita tamen ut voce עלוקה *aluka*, aliud intelligam quam quod vulgò creditur. Videntur enim tot illi interpretes, qui ſanguiſugam reddiderunt, duas voces ſono ſimiles, ſed ſignificatione diverſiſſimas, promiſcuè ſumpſiſſe, nempe עלקה *alaka*, & עלוקה *aluka*, quarum illa ſanguiſugam, hæc planè aliud ſonat, quæ duo jam probanda ſunt. Et prius illud quidem, nimirum ſanguiſugam עלקה *alaka* dici, non עלוקה *aluka*, *Arabes* omnes palam profitentur, à quibus accepta vox toto Oriente diſſeminata eſt. His addo *Syros*, qui ſcribunt ܥܠܩܐ, ſine *Vau* in *Syro Ferrarii Lexico* pag. 460. & in *Theſauro Thomæ* à *Novaria* pag. 244. Quibus accedunt *Talmudici*: Hos enim עלקא, vel עלקה, ſcribere ſine inſerto *Vau* probat Cl. *Buxtorfius* in *Lexico Talmudico* exemplis allatis ex *Avoda zara*, & *Bechoroth*. Pro עלקה, legitur ערקה, R & L permutatis in *Lexico Baal Aruch*, ſed non inſeritur *Vau*. Quod reperio tamen in *Chaldæa Paraphraſi*, *Pſal.* 12. & *Proverb.* 30. & in ultima *Talmudis* editione *Amſterodami* procurata *Anno* 1645. ſed à nuperis doctoribus perperam intruſum, & contra fidem veterum exemplarium. Itaque hoc ratum maneat, verum ſanguiſugæ nomen eſſe עלקה *alaka*.

At עלוקה *aluka*, ut quidem puto, *Hebraicè* id ipſum eſt quod *Arabicè* غلوق *aluk*; Nempe, ut explicant *Arabes* in *Alcamus*

الغول

الغول والداهية والمنية وما يعلق للانسان *Parca, & gravis caſus, & fatum, & quod homini impendet*, vel *appenſum eſt*. In quibus primaria vocis ſignificatio, illa videtur eſſe, quam ultimo loco ponunt. Nam ut علق *alaka*, dependere, & appendi ſignificat, ita علوق *aluk*, eſt vitæ terminus, & fatum, quod unicuique homini Dei decreto appenſum eſt. Prout id ipſum alio nomine منية *menija* dicitur à verbo مني *mana*, numerare, vel aliquid certâ quantitate & numero definire. Quia Deus omnia in menſura, numero, & pondere diſponit, *Sap.* 1. *v.* 21. Inprimis cum de vita hominum agitur, quos ſpeciali curâ dignatur. Quod Regi *Babylonio* ſignificavit Scriptura illa, Dei manu exarata. *Mene, mene, thekel upharſin*; id eſt, *Numeravit, numeravit, ponderavit, & diviſerunt*. Itaque *Daniel* his verbis alioqui obſcuris lucem inferens, Regem ſic alloquitur: *Numeravit Deus Regnum tuum* (tanquam ſubductis calculis) *& complevit illud*; *Et appenſus fuiſti lancibus, atque inventus es levior*; Ac proinde illâ ipsâ nocte Rex occiſus eſt. Similes lances *Poeta* ponunt in manu *Jovis*, quibus appendit fata hominum. Hâc tamen differentiâ, quod cum hic morti adjudicetur *Babylonius* Rex quia levior, ut nuninus reprobus qui rejicitur, quia non eſt juſti ponderis; contra *Poetæ* cladem iis imminere volunt quorum lances deprimuntur, quaſi ad inferos vergerent. Sic *Iliad.* libro octavo verſu 69.

> Καὶ τότε δὴ χρύσεια πατὴρ ἐτίταινε τάλαντα,
> Ἐν δ' ἐτίθει δύο κῆρε τανηλεγέος θανάτοιο,
> Τρώων τ' ἱπποδάμων, καὶ Ἀχαιῶν χαλκοχιτώνων.
> Ἕλκε δὲ μέσσα λαβὼν, ῥέπε δ' αἴσιμον ἦμαρ Ἀχαιῶν.
> Αἱ μὲν Ἀχαιῶν κῆρες ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ
> Ἑζέσθην, Τρώων δὲ πρὸς οὐρανὸν εὐρὺν ἄερθεν.

Tum vero aureas pater extendit lances, quibus impoſuit duo fata longum ſomnum excitantis mortis, Trojanorum *equitum, &* Græcorum *ære armatorum. Traxit autem medias capiens, & inclinatus eſt* Græcorum *fatalis dies. Et* Græcorum *quidem fata in terra multi-paſcua conſederunt; Troum vero fata ad latum cœlum ſublata ſunt.* Et *Iliad.* libro vigeſimo ſecundo verſu 209. cum iiſdem lancibus *Hectoris*, & *Achillis* fata, *Jupiter* appendiſſet,

> ——— ῥέπε δ' Ἕκτορος αἴσιμον ἦμαρ
> Ὤχετο δ' εἰς ἀΐδαο.

Inclinatus eſt Hectoris *fatalis dies, & iit in inferos deſcendit*. Quale eſt quod *Æn.* libro duodecimo, *Æneâ*, & *Turno* pugnaturis:

> *Juppiter ipſe duas æquato examine lances*
> *Suſtinet, & fata imponit diverſa duorum,*
> *Quem damnet labor, & quo vergat pondere letum.*

Hactenus probare conati ſumus *Hebræo* verbo עלוקה *aluka*, ſignificari fatum unicuique impendens, non Stoicâ neceſſitate, ſed ineluctabili Dei decreto de hominum vita, & morte. Nec mirum, huic decreto, & fatali termino prolem tribui, cum *Sophon.* 2. *v.* 2. parere legatur Dei decretum. Ut *Prov.* 27. *v.* 1. dies craſtina parere dicitur. Ad quæ verba *Mercerus* obſervat, *Hebræos* eventus appellare *filios temporis*. Ità hic parit fatalis dies, & decretum de morte hominum, & duas habet filias quæ clamant affer, affer. Hæ filiæ fortaſſe ſunt שאול ואבדה, de quibus *Prov.* 27. *v.* 20. שאול ואבדה לא תשבענה Vulg. *Infernus, & perditio nunquam implentur.* Vel ſi hæc duo putentur eſſe ἰσοδυνάμα, hæ filiæ erunt שחת ושאול, *foſſa*, & *ſeol*, quarum una corpus, altera animam appetit. Nempe שחת, ſepulcrum ſonat in quo corpus conditur; Et שאול, *ſeol*, plerumque locum, ſeu ſtatum animæ à corpore ſeparatæ. Falluntur enim qui nomine שאול, nonniſi inferos intelligunt, ſeu damnatorum locum. Filias *Hebræi* vocant, quia utraque vox, vel fœminina, vel ſaltem communis eſt. Et fatalis diei filias, quia utramque generat fatalis ille terminus nobis à Deo conſtitutus. Nam inde eſt quod uno eodemque momento corpus foſſæ deſtinatur, & anima לשאול לְשׁ *ſeol*. Cogor *Hebraicè* loqui, quia *Latina* vox nulla ſuppetit quæ *Hebraicam* ſatis exprimat. Et duæ illæ fati filiæ ſemper clamare dicuntur *affer, affer*, quia ſunt inexplebiles, & totum genus humanum communi ruinâ involvunt. Itaque verſu ſtatim ſequente שאול *ſeol*, in quatuor illis primò nominatur quæ nunquam dicunt, ſatis eſt. Nec eſt quod hæc interpretatio vobis עלוקה *aluka*, novitatis nomine ſuſpecta ſit. Hujus enim veſtigia in *R. Selomone* reperias expreſſa ex *Menachem*, & *Midras* in *Pſalmos* qui liber eſt pervetuſtus. Verba *Selomonis* ſic habent

מנחם פתר כמשמעו למדנו שהוא ערבי והפותרים אומרים שהוא לשון שאול ומורד ומדרש תלים למדנו כן שפותר שתי בנות גן עדן וגיהנם זו אומרת תנו לי צדיקים וזו אומרת תנו לי רשעים.

Menachem *juxta ſenſum literalem ſic interpretatur: Didicimus vocem eſſe* Arabicam *quam interpretes* שאול, ſeol, *& illuc deſcenſum ſignificare aſſerunt. Quod confirmavit* Midras (*ſeu* Commentarius *in* Pſalmos) *qui duas filias interpretatur hortum* Edenis (Paradiſum) *&* Geennam; *Quorum ille dicit, date mihi juſtos, hæc verò clamat, date mihi impios.* Ipſamet *Selomonis* verba profero, quia illa ſic citat doctiſſimus *Mercerus*, ut doceat ſe non ſatis attentè legiſſe. Ità enim habet *Mercerus*: Rabbi Selomo, *inquit, in* Midras Tillim (id eſt, *Pſalmorum*) עלוקה, *hirudinem exponi geennam*; *ſed id eſt allegoricum.* Nihil tale dicit *Selomo*, neque is quem citat *Menachem*. Sed עלוקה *aluka*, quæ aliis ſanguiſuga, illis כמשמעו, ſecundum literalem ſenſum eſt, animarum tranſlatio in שאול *ſeol*, quo nomine tam *Paradiſum*, quam *Geennam* intelligunt. Quod tam ex *Arabica* lingua probant; quam ex *Midras* in *Pſalmos*. Itaque hæc non proferunt tanquam allegorica, ſed tanquam ad literalem ſenſum pertinentia. Et verò *R. Menachem*, quem paſſim citat *R. Selomo*, non ſcripſit allegorias, ſed *Lexicon* in quo nudas voces explicaverat. Reliqua quæ in hunc locum ſcribunt doctores, conſulto prætereo, quia ſunt omnia præter rem. Multa movent, ſed nihil promovent. His igitur neglectis jam pergimus ad caput ſequens.

CAPUT VIGESIMUM.

Docetur שחלת *ſecheleth*, Exod. 30. v. 34. eſſe onychen aroma, & quid propriè ſit onyx.

שחלת Secheleth, *unum ex quatuor aromatibus ex quibus factum fuit ſacrum thymiama*, Chaldæorum *unus abſurdè reddit* ſpicam myrrhæ (*potius* nardi,) *alter* כשת, *quod coſtum eſſe putant, cum ſit* κίσθος, *ex quo ladanum. Itaque* Arabes لادن ladan *reddunt, quæ vox eſt* Arabica *vetus in* Herodoto. *An inde* שחלת, *quia* שחל *eſt trahere, & ladanum ex ciſtho funibus trahebatur.* Sed שחלת *plerique onychen reddunt ſeu unguem aromaticum. In his* Sirachides Eccleſ. 24. *v.* 21. *Onyx* Dioſcoridi *eſt conchylii operculum in nardiferis* Indiæ *paludibus reperti. De eo multa ex* Arabibus. *Conchylium etiam in paludibus, & nardum in aquoſis locis gigni, contra* Rondeletium. Hebræis *aliud* onyx, *nempe aliquid in planta quod lavore & ſplendore ſuo unguem refert. Id eſt, bdellium, quod* Græcis βδέλλα ὄνυξ. Dioſcoridi lachryma arboris *Saracenica. An* Saraceni *tum noti.* שחל, Oleaſtro *perperam* Zibethi *felis, &* שחלת, *ejus ſudor.* שחלת, *aroma nigrum, ut* שחל, *leo niger. Tale bdellium.*

EXod. 30. v. 34. Deus ſibi ſoli ſervari jubet thymiama confectum *ex ſtacte* נשחלת, & *ſecheleth, & galbano, & thure mundo* Nec conſtat ſatis quid ibi ſit שחלת *ſecheleth*, quia vox eſt ἐκ τῶν ἅπαξ λεγομένων. *Jeroſolymitana* Paraphraſis reddit שובלא מורא, *ſpicam myrrhæ*, ut volunt, quod eſt ineptiſſimum. Neque enim ulla eſt ſpica myrrhæ. Itaque vox מורא mihi eſt ſuſpecta de mendo. Et fortaſſe Paraphraſtes ſcripſerat שובלא דנרדא, *ſpicam nardi*, quæ eſt *Hebræis* שבולת נרד.

Eadem vox שחלת à *Jonathane* redditur כשת *ceſeth*, obſcurum per obſcurius. Itaque hic dicit *Gloſſator*, לא מצאתי חבירו, *non inveni ſocium ejus*, id eſt, locum alium in quo hæc vox uſurpetur. Tamen idem, *coſtum* explicat tanquam ex *Aruch*. Sed coſtus eſſet קשט non כשת. Mihi igitur כשת *ceſeth*, in ſtatu abſoluto כשתא, *ciſtha*, eſt κίσθος, *ciſthus*. Alii κιστὸν, *ciſtum* malunt, ut in *Dioſcoride* legitur. Sed κίσθον vel κίσθαρον per *theta* ſcribunt *Plinius*, *Galenus*, *Paulus Ægineta*, *Aetius* & *Heſychius*. Hic illam ciſthi ſpeciem intelligo ex qua colligitur ladanum. Id enim ex ciſto vel ciſtho colligi multi ſcribunt. *Dioſcorides*, Ἔστι δὲ καὶ ἕτερος ὁ κίσθος, καλούμενος ὑπ' ἐνίων λῆδον. Et paulò poſt, Γίνεται δὲ ἐξ αὐτοῦ τὸ λεγόμενον λάδανον. *Paulus Ægineta* libro ſexto, Λάδανον ἀπὸ κίσθου τοῦ λάδου χεγομένου γίνεται, ἔστι δὲ ἐν Κύπρῳ. *Aetius* tetrab. Serm. 1. Κισθὸς ἢ λάδον ἐξ οὗ τὸ λάδανον. Sed in hederam mutavit *Plinius*, id eſt, κιστὸν in κισσὸν, cum ladanum ſcripſit eſſe œſypum hircorum barbis genibusque villoſis inhærens, ederæ flore deroſo libri duodecimi capite decimo ſeptimo. *Jonathanis* vocem כשת à nobis ſic rectè reddi multa confirmant. 1. Quod *Arabs* uterque editus pro *Hebræo* שחלת *ſecheleth*, habet لادن *ladan*, id eſt, ladanum. *Arabicam* enim eſſe hanc vocem pridem nos monuit *Herodotus* libro tertio, Τὸ δὲ δὴ λήδανον, inquit, οἱ Ἀράβιοι καλέουσι λάδανον. 2. *Ladanum* eſſe inter præcipua aromata idem his verbis aſſerit, Χρήσιμον δ' εἰς πολλὰ τῶν μύρων ἐστὶ θυμιῶσί τε μάλιστα τοῦτο Ἀράβιοι. Proinde *Plinius*, *Arabia etiamnum & ladano gloriatur*, & de ejus jucundo odore multa ſubjungit. 3. Eſt cur *Jonathan* & *Arabes Hebræa* voce שחלת *ſecheleth*, putaverint ladanum ſignificari. *Chaldæis* שחל *ſechal*, trahere eſt & attrahere. Sic *Exod.* 2. *v.* 10. de *Moſe* dicitur in *Onkelo*, *Ex aquis fluminis* שחלתיה, *extraxi eum.* Et in *Berachoth* fol. 8. *a.* כמשחל בניתא מחלבא, *ut quis pilum ex lacte extrahit.* Et in *Joma* fol. 78. 8. משחל שחיל, *attrahendo attrahit*, ſupple humorem ut aquas. Inde igitur ladanum שחלת, dici viſum eſt, quia funibus ex ciſtho trahitur. *Plinius*, *Sunt qui herbam in Cypro, ex qua id fiat, ledam appellant: Etenim illi ledanum vocant hujus pingue, et inſidere, atque attractis funiculis herbam in eam convolvi, atque offas fieri.* Dioſcorides, Ἔνιοι καὶ σχοινία ἐπισύρουσι τοῖς θάμνοις, καὶ τὸ προσπλασθὲν αὐτοῖς λίπος ἀποξύσαντες ἀναπλάσσουσι, *Nonnulli tractis per hos frutices funibus inhærentem illis pinguitudinem eradunt, & (in paſtillos) fingunt.* Abenbitar

ومنه من ياخذ جبالا فيمرها على هذه الشجر فما لزق بها من رطوبة هذه جمعوه وعملوه اقراصا *Sunt qui ſumptos funes ſuper hoc arbuſtum torquent, & quicquid humoris hujus iis adhæret, colligunt & in trochiſcos conformant.*

Tamen vocem שחלת *ſecheleth*, plerique interpretes unguem reddunt, aromaticum ſcilicet. Ità *Græci* ὄνυχα hic habent, *Hieronymus*, *onycha*, *Onkelos* טופרא *taphra*, *Syrus* ܛܦܪܐ *taphra*, *Arabes* duo MSS. اظفار *adphar*, quæ eodem recidunt. Nam ut unguis *Græcis* ὄνυξ, ità *Chaldæis* טופרא *tuphra*, *Syris* ܛܦܪܐ *taphra*. *Arabibus* dicitur ظفر *dophor*, cujus plurale اظفار *adphar*. Sed & *Talmudici* id ipſum aroma צפורן *tſipporen*, id eſt, unguem appellant. Ut in Tractatu *Cerithuth* capite primo fol. 78. a. פיטום הקטרת הצרי והצפורן והחלבנה ולבונה, *Confectio ſuffitus eſt ex ſtacte & tſipporen* (ſeu ungue) *& galbano & thure.* Ubi *Gloſſa* צפורן שחלת, *tſipporen eſt ſecheleth.* Et *Maimonides* in Tractatu de vaſis *Sanctuarii* cap. 2. ſect. 4 השחלת היא הצפורן שנותנין אותה בני האדם במתמרות, *Secheleth eſt unguis quem filii hominum in ſuffitibus adhibent.* Neque aliter *R. Selomo*, *Kimchius*, *Elias*, *Pomarius*, *Aquinas*, & *Hebræorum* plures alii. Teſtem omiſeram his omnibus, ſi *Græcos* ſeniores excipias, longè antiquiorem *Sirachidem*, qui ſic habet *Eccleſ.* 24. v. 21. Ὡς χαλβάνη, καὶ ὄνυξ, καὶ στακτὴ καὶ ὡς λιβάνου ἀτμὶς ἐν σκηνῇ, *Ut galbanum, & onyx, & ſtacte, & ut thuris vapor in tabernaculo.* In quibus verbis mirum eſt non obſervaſſe interpretes alludi ad locum quem citavimus ex *Exod* 30. *v.* 34. In quo agitur de thymiamate ad cultum tabernaculi ex quatuor his aromatibus confecto. Itaque ὄνυξ etiam illi idem fuit quod שחלת. Proinde ſi numero ſtamus, atque interpretum auctoritati, illos omnino ſequemur quibus שחלת eſt onyx. Nondum tamen res eſt confecta. Dubitatur enim quid hic ſit onyx. Et recentiores quidem interpretes conchylii teſtam intelligunt, de qua pauca hæc *Plinius* libri trigeſimi ſecundi capite decimo, *Invenio apud quoſdam oſtracium vocari, quod alii onychen vocant, hoc ſuffitum vulvæ pœnis mire reſiſtere: Odorem eſſe caſtorei, melius que cum eo uſtum proficere.* Sed plura *Dioſcorides* libro ſecundo, Ὄνυξ ἐστὶ πῶμα κογχυλίου ὅμοιον τῷ τῆς πορφύρας, εὑρισκόμενον ἐν τῇ Ἰνδίᾳ ἐν ταῖς

ἐν ταῖς ναρδοφόροις λίμναις, διὸ καὶ ἀρωματίζει, νεμομένων τῶν κογχυλίων τὴν νάρδον· συλλέγεται δὲ ἐπειδὰν ὑπὸ τῶν αὐχμῶν ἀναξηρανθῶσιν αἱ λίμναι. διαφέρει δὲ ὁ ἀπὸ τῆς ἐρυθρᾶς κομιζόμενος, ὑπόλευκος ὢν, καὶ λιπαρός, μέλας δὲ ὁ Βαβυλώνιος, καὶ μικρότερος, ἀμφότεροι εὐώδεις, θυμιώμενοι, καστορίζοντες πως τῇ ὀσμῇ, *Onyx eſt conchylii operculum, purpure operculo ſimile: In* India *reperitur, in nardiferis paludibus. Proinde odoratus eſt, quia conchylia nardo paſcuntur. Colligitur poſtquam æſtus paludes deſiccavit. Præſtat ſubalbus, & pinguis qui è mari* Rubro *affertur.* Babylonius *niger eſt, & minor. Ambo ſunt boni odoris, cum ſuffiuntur, caſtores odorem aliquem referentes.* Sequitur hyſtericis, & comitialibus ſuffitos, alvo potos prodeſſe & crematorum cinerem iiſdem pollere viribus cum purpurarum, & buccinarum cinere. Quæ eadem reperias in *Paulo Æzineta.* De cætero de hoc onyche *Græci*, & *Romani* altum ſilent. Neque enim ad rem eſt, quod profertur ex libro tertio *Propertii*:

Et crocino nares murreus ungat onyx.

Cum murreus onyx non ſit unguentum, ſed vas ex murra, ſeu *porcellanâ* ut vocant, onyx ideo dictus, quod ex onyche lapide hujusmodi vaſcula ſæpe fierent. Sed in *Arabum* ſcriptis onychis teſtæ multa mentio eſt. *Avicenna* vocat اظفار الطيب *ungues odoratos.* Et poſtquam citavit verba *Dioſcoridis*, nonnulla de ſuo addit, in quibus hæc obſervare libuit

القلزمي هي التي يسمي
القرشية منها ويقال انها يكون
ملتزقة باللحم والجلد وربما وقع شي
الي عبادان وكثير منه مكي
ويجلب من الجد وهذه تعالج
فتنقي وتطيب

Kelzemia (ſeu maris *Rubri Conchylia*) *ſunt quæ* Coraſia *appellant. Illa dicuntur carni, & cuti maximè adhærere. Quandoque etiam nonnulla reperire eſt prope* Abadan (arcem ad occaſum *Tigridis* XXXVI μ. infra *Baſoram*, de qua *Nubienſis Clim.* 3. *Part*, 6.) *Sed pleraque ſunt* Mecchenſes, *& afferuntur ex* (*Mecchenſi* portu) *Giodda, Quæ ad remedia maximè proſunt, pinguesque ſunt, & boni odoris.* Et in titulo de electione

اجوده الضاري الي البياض
الواقع الي القلزم والي اليمن والبحرين
واما البابلي فاسود صغير جدا قال
العطارون خيره البحري ثم المكي
الجدي

Optima ſunt quæ ad albedinem vergunt, quales reperiuntur in ſinu Arabico, *& in* Jeman, (id eſt *Oceano* ad Arabiam *Fælicem*) *&* Baharain (in mari *Perſico*) *ſed* Babylonicæ *nigriores ſunt, & parvæ admodum.* Seplaſiarii *præferunt* Baharienſes, *deinde* Mecchanas *ex portu* Giodda. Multa hic interpretes ridiculè, & nullo ſenſu. Jam ſequentur alii *Arabes* nondum editi de hac eadem teſta. *Alchalil* filius *Achmet.*

الاظفار شي من العطر اسود
شبيه بالظفر

Adphar, (ungues) *aliquid aromaticum nigrum ungui ſimile.* Ibno Raduan

وجدت في كتاب الطيب ان انواع
الظفر كثيرة منها ما يكون في
البحر اليمن ومنها ما يكون في
البحر البصرة ومنها ما يكون
بالبحرين وهو اجودها ومنها ما
يكون ببحر القلزم ويجلب من
جده

Reperi in libris aromatariis, plures eſſe unguis (aromatici) *ſpecies. Alius enim eſt in mari* Jeman: *Alius in mari* Baſoræ: *Alius in* Baharain, *qui optimus eſt: Alius in mari* Kelzem, ſeu *Rubro*, *qui affertur ex* Giodda, Iſaac Ben Omran

اجود الاظفار القرشية والبحرية وهي
حمراة مقعرة وبعدها الاظفار
الفارسية وهي كبار الي السواد
وبعدها الاظفار الدكران وهي
التي يقال لها البغلية والاظفار
القرشية تدخل في الندود والاعواد
والبرمكية والمثلثة والاظفار الفارسية
والدكران تدخل في بخور الغشط
البحوي ونحوه

Optimi ſunt ungues Koraſii, *& ex* Baharain, *qui ſunt profunde rubri. Et poſt eos, ungues* Perſici *qui magni ſunt ad nigredinem declinantes: Poſt quos, ungues ex* Docran, *qui vocantur* Baghlii (id eſt, ἡμιόνειοι.) *Porro* Coraſii *ungues miſcentur unguentis ex ambaro, & xylaloe, & pharmacis, & electuariis*, &c. *Sed ungues* Perſici, *&* Docran *miſcentur ſuffitibus coſti* Bachavienſis *& ſimilibus.* Poſſent longè plura proferri de ungue aromatico, tam ex hoc ipſo ſcriptore, quam ex *Raſi*, & *Maſich*, & *Serapione*, & aliis, quæ libens prætereo, quia ad rem medicam pertinent. Sed in *Alkazuinii* tractatu de animalibus aquaticis, capite عطار *itar* (quo nomine hanc teſtam vocat, quaſi aromaticam dixeris) quædam habentur quæ non poſſum omittere, quia locus *Dioſcoridis* his maximè illuſtratur

صنف من الدواب
الصدفية يوجد ببلاد الهند في المياه القايمة
المنبتة الناردين ويوجد بارض بابل
ايضا وهو من اعجب الحيوانات له بيت
صدفي يخرج منه وجلد ارق شي وله
راس

rò quartum attingat. Crocodilo octo cubitos aſſignat *Alkazuinius*, *Ammianus* decem, *Damir*, *Leo Africanus*, & *Marmolius* totidem, *Ariſtoteles* quindecim, *Diodorus* ſexdecim, *Herodotus* decem & ſeptem, *Plinius* duodeviginti, *Iſidorus* viginti, *Solinus* totidem ulnas, *Ælianus* ſub *Pſammeticho Ægypti* Rege unum XXV cubitorum viſum fuiſſe memorat, alterum ſub *Amaſide* palmorum quatuor ſupra ſex, & viginti cubitos. Noſtro ævo *Petrus Martyr Decad.* quintæ capite nono, unum in *America* aliqua parte repertum XLII pedum. Et ſuperioribus annis, ut ad *Melam* ſcribit *Cl. Voſſius*, *Luſitani* ad amnem *Cuama*, qui ex iiſdem ac *Zaire* oritur fontibus, quamvis in contraria fluat, invenere crocodili cadaver ad ſexaginta pedes porrectum. Quod, utut portentoſum, leve tamen eſt præ *Panamenſibus* crocodilis, quos ad centum pedes creſcere ſcribunt *Johannes* de *Lopez Hiſtoria Indica* libri ſexti capite primo. Et *Johannes* de *Leri Americæ* ſuæ capite decimo. Hæc de mole, ſed de robore atque immanitate dicetur in ſequentibus, ac quam facilè maxima ac robuſtiſſima quæque animalia, nedum homines, uno caudæ ictu proſternat. Itaque crocodili venatio ſemper habita eſt inter difficillimas. *Diodorus* ævo ſuo *Nilum*, & lacus adjacentes his ſcatuiſſe ſcribit, tamen raros admodum fuiſſe qui caperent, eoſque non hamis, ut olim *Herodoto* referente, ſed retibus ferreis uſos, quomodo factum diximus in venatione hippopotami. Huc facit quod *Auguſtus* (d), *Ægypto* perdomitâ crocodilum ad palmam arborem catena religatum in nummis cudi voluit cum hac inſcriptione: *nemo antea religavit.* Ut doceret *Romano Imperatori* tam fuiſſe difficile *Ægyptios* ſub jugum mittere quam piſcatori arduum eſt opus crocodilum vinculis conſtringere. Inde fortaſſe *Heſychio*, Δενδρίτης ὁ κροκόδειλος. *Arboreus crocodilus*, id eſt, in illo nummo ad arborem religatus. Quin hodiè cum poſteriorum ſagacitas, deceſſorum inventis multa addidit, piſcatori tamen crocodilum à ſe captum *Cairam* deferenti, aurei nummi de fiſco ſolvuntur decem. Ex quo fit ut vix credam quæ de *Tentyritis* veteres tanto conſenſu ſcribunt, niſi *Plinio* aſſentiaris, qui eos arcanam à natura vim contra has belluas habuiſſe ſubinnuit, cum olfactu ejus generis hominum crocodilos, ut *Pſyllorum* ſerpentes, fugari tradit. Sed quæretur iterum, cur ea naturæ vis ævo noſtro ſic deſierit in ejuſdem loci incolis, ut illius hodiè ne minima quidem ſuperſint veſtigia. Jam utut hoc animal longo uſu cicurari concedamus, quod his verbis teſtatur *Philoſophus Hiſtoriæ* libri noni capite primo. Τὰ ἀγριώτατα διὰ τὰς ὠφελείας ἡμεροῦται, οἷον ἐνιαχοῦ τὸ τῶν κροκοδείλων γένος πρὸς τὸν ἱερέα, διὰ τὴν ἐπιμέλειαν τῆς τροφῆς: Deus tamen communem belluæ naturam reſpiciens potuerit his verbis uti: *An multiplicabit ad te preces? An feriet fœdus tecum? An ludes cum eo*, &c. Quia quamvis cultu miteſcat tandem, & manſuefiat, tamen naturâ ſuâ crocodilus omnia animalia feritate ſuperat. Hinc *Plutarchus* in *Iſide* crocodilum eſſe aſſerit, τῶν ἀγρίων ζώων τὸ θηριωδέστατον, *ferorum animalium efferatiſſimum.* Et in libro utra animalia, *&c.* τὸ πάντων ἀμικτότατον, καὶ τὸ θηριωδέστατον, ὧν τρέφουσι ποταμοὶ, καὶ λίμναι, καὶ θάλασσαι, ζῷον, *à ſocietate maximè alienum animal, & atrociſſimum omnium, quæ flumina, aut lacus, aut maria educant.* Quod ipſum innuit Philoſophus eo loco quem nuper citavimus. Jam pergimus ad reliqua.

(d) Cauſin. Parab. Hiſt. lib. 3. cap. 32. Ant. Auguſt. de numiſmat. Dial. 6. Sect. 9.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

Ad Crocodilum referri reliqua de Leviathane, *Job.* 41.

Nemo crocodilum audeat excitare, nempe cum ſatur in littore dormit. Crocodilus cutem non exuit, ut ſerpens. Frænum pro labiis, ut Græcè χαλινοί, *pars labiorum. Rictus oris in crocodilo valvarum inſtar. Magno hiatu aperitur.* Buculam *integram vorat. Fauces ſeptem pedum. Gyrus dentium terribilis. Dentes ei ſexaginta, vel exerti, vel ſerrati. Morſus tenax, & pernicioſus. Numerus ſexagenarius in crocodilo ſolemnis. Squamis ut ſcutorum laminis cohærentibus totum tergum eſt obductum. In balæna nihil tale.* Bootii *evaſio, & natura crocodili quam ſe prodat imperium. Cetum ſquamatum deſcribit* Nearchus*, ſed ſolus, & ex aliorum fide, & mendaciſſimus ſcriptor. Cur pro ſigillo arcto* Græci *habeant* σμιρίτην λίθον*. Crocodilos veriſimile eſt ſternutare frequentiùs, quia ad ſolem apricantur. Auroræ* Hieroglyphicon*, crocodilorum oculi, at balæna propè cæca.* Horus *emendatus, & explicatus. Ex ore, & naribus crocodili cur exire dicantur lampades, ſcintillæ, fumus,* &c. *Idem de hippopotamo cognato animali ſcribi. At balæna nimbos efflat. In collo ejus robur, quod balæna nullum habet; at crocodilus habet. Id à nonnullis falſo negari. Nam caput reſupinat ad morſum, & colli motu trochilum excutit. Ante eum mœror inſultat, ut pavor ante* Martem*, &* Palladem*. Inſultare quid propriè. A* Chaldaico דוץ duts*, ſalire*, דיצא ditſa, *caprea, & δίζα, capra. Tori carnis*, מפלי*, id eſt, procidua, prominentia, non* melandrya*, ut reddit* Junius*. Cor, viſcus firmiſſimum. Cor* Sabibi*, durum, & compactum inſtar lapidis. Cor* Mahumetis *quam grave. Cor* Nabalis *in lapidem, Cor lapideum. Cor coagulatum.* Λιθοκάρδιοι*. Crocodilus quàm immiſericors. Elatio belluæ, id eſt, emerſio. Fractio pro metu, quia animus metu frangitur. Tria armorum genera ex* Arabiſmo *novè explicata. Sagitta filia arcus, filia pharetræ, filia mortis. Crocodili cutis contra omnem ictum invicta, & impenetrabilis. At balæna corium omnibus telis pervium. Inter tormenta veterum fragmenta teſtarum impoſita jacentibus ſubſterni. Verſus 21. nova explicatio, ut in* Æliano *crocodili cutis cum teſtis confertur, & cum tribula lapide, & ferro exaſperata. Crocodili odor ut muſci. Mare profundum abyſſus de* Nilo*, & lacubus vicinis in quibus crocodili.* Nilus *mare vocatur*, Eſ. 11, 15. *Ejus aqua mari ſimilis. Lacus* Hebraicè *maria. Hinc ſeptem maria in terra* Chanaan*, quorum cenſus inſtituitur. Hippopotamus* Arabicè equus maris. Κροκόδειλος χερσαῖος καὶ θαλάσσιος. Nili *littus in* Plinio. *Profunda* Nili, Zachar. 10, 11. *Abyſſi de rivis & fontibus*, Deut. 8, 7. &c. *Non ſolum mare, ſed & lacus caneſcere. Verſu* 24. *Leviathan deſcribitur tanquam in pulvere reptitans, ſed qui, ut cætera reptilia, non atteratur. Non eſt metus expers, ut nec balæna. In proceriſſima animalia dominatur majorum virium fiducia. Ea videt, id eſt, deſpicit, ut* Cant. 1, 6.

LEviathanem non eſſe balænam, ſed crocodilum multò apertiùs patebit ex ſequentibus, capite quadrageſimo primo ferè toto, quod jam explicabimus.

1. Non

1. *Non eſt ita ferox ullus ut excitet eum*] ut de leone legitur, *Gen.* 49. *v.* 9. & *Num.* 24. *v.* 9. *Quis illum ſuſcitabit?* Ita hic de crocodilo: *Non eſt ita ferox*, aut *ita audax ullus ut* excitet eum, cum ſatur in littore dormit. Plinius, *Hunc ſaturum cibo piſcium, & ſemper eſculento ore in littore ſomno datum*, &c. *Solinus*, *Per diem humi acquieſcit.* Albertus, *Satiati piſcibus, quaſi ſomnolenti caput ingerunt ripis.* Cætera prætereo usque ad verſum tertium, quia nihil faciunt ad hanc rem quam agimus.

2. *Illius membra non ſilebo, nec ſtatum virium ejus, nec ſtructuræ gratiam.*] Qualia membra, quæ vires crocodilo ſuppetant, vel ex his *Ammiani* collige. *Ut armatus eſt unguibus ſi haberet etiam pollices, ad evertendas quoque naves, ſufficeret viribus magnis:* De ſtructuræ gratia dicetur in ſequentibus.

3. *Quis retexit ſuperficiem veſtimenti ejus?*] Id eſt, corticoſam cutem, quam crocodilus nunquam exuit, longè aliter atque ſerpentes, qui deponunt ferè quotannis. *Suidas* in Φολιδωτὸν, Φολιδωτὸς κροκόδειλος. καὶ τὸ τῶν ὄφεων πᾶν γένος, ταῦτα δὲ λέγεται κατά τινας καιροὺς τὸ γῆρας ἐκδύεσθαι· ὁ δὲ κροκόδειλος τὸ γῆρας οὐκ ἐκδύεται, Vult ſerpentem & crocodilum, cum uterque cutem habeat ex æquo corticoſam, in eo tamen differre, quod exuvias ſerpens exuit, crocodilus non exuit.

4. *In duplex frænum ejus quis ingredietur?*] Id eſt, in labia ſeu rictus ejus, qui fræni duplicati ſpeciem habent. Ita *Rabbi Selomo.* Huc facit, quod etiam *Græcè* χαλινοὶ, *fræna*, ſunt labiorum pars quædam. Proinde *Pollux*, (a) cum προςόμιον vocari dixiſſet τὴν εἰς ἄλληλα τῶν χειλῶν συμβολὴν, *mutuam labiorum commiſſuram*, addit, Τὰ δὲ ἑκατέρωθεν αὐτῶν ἐπὶ τὰς γνάθους καταλήγοντα χαλινοὶ, *Fræna verò nominantur ea partes, quæ utrimque ad maxillas deſinunt.* Phraſis utrobique eadem.

(a) Lib. 2. cap. 4. ſect. 10.

5. *Valvas faciei ejus quis aperiet?*] Id eſt, rictum oris immenſum, quem diducit cum libet, atque aperit valvarum inſtar, magno & horrendo hiatu. Hinc *Achilles Tatius* ex *Cl. Salmaſii* emendatione, Κεφαλὴ δὲ αὐτῷ τοῖς νώτοις συμφύεται, καὶ εἰς μίαν στάθμην ἰθύνεται· ἐκλέλοιπε γὰρ αὐτὸν τὴν δειρὴν ἡ φύσις· ἔστιν δὲ τοῦ λοιποῦ βλοσυρώτερα τὰ χάσματα, καὶ ἐπὶ πλεῖον ἐπὶ τὰς γένυς ἐκπίπτεται καὶ ἀνοίγεται πᾶσα· τὸν μὲν γὰρ ἄλλον χρόνον, παρ' ὅσον οὐκ ἔχανε τὸ θηρίον, ἔστι κεφαλή· ὅταν δὲ χάνῃ πρὸς τὰς ἄγρας, ὅλος στόμα γίνεται, *Caput ipſi cum dorſo continuatur & ad unam amuſſim dirigitur. Nam cervicem natura ſubtraxit, & hiatus imprimis horrendi ſunt: Nam plurima ex parte in maxillas patet atque aperitur totum, & reliquo quidem tempore caput eſt, quamdiu bellua non hiat. Ubi verò hiare ad prædam incipit, fit totum os.* Eodem pertinet, quod in crocodilo hic ipſe ſcriptor τῶν γενύων πεδίον, καὶ τοῦ στόματος αὐλὴν deſcribit, id eſt, *maxillarum campum, atque oris aream.* Et illum in pleriſque ſequitur *Euſtathius Antiochenus.* Nec multò aliter recentiores. *Vincentius, Os patulum & apertum habet, & hiatum uſque ad aures.* Sed *Albertus* cautius, *Rictus oris ejus uſque ad aures pateret, ſi aures haberet.* Sic *Arabes* crocodilo ante omnia adſcribunt فم واسع *os valde patens.* Et in Porta cœli hæc bellua אוכלת בפעם אחת שמספיק לה זמן מרובה, *una vice*, id eſt, uno bolo *comedit quantùm ipſi ſufficiat in multum tempus.* *Leo Africanus*, *Marmolius* & *Scaliger*, hiatu tanto eſſe ſcribunt ut integram buculam poſſit excipere. *Petrus Martyr* ubi ſuprà, crocodili meminit, cujus fauces patuerint latitudine ſeptem pedum. Proinde *Martialis* lib. 3. *Epigram.* 90. vaſti oris vetulam ita ſuggillat,

Cum comparata rictibus tuis ora
Niliacus *habeas crocodilus anguſta.*

In gyro dentium ejus terror] Id eſt, omnia ſunt in iis ad terrorem comparata. Crocodilus ſcilicet ſexaginta numero dentes, eoſque majores habet quam pro ratione corporis; & in illis quoſdam exertos, alios ſerratos & pectinatim coeuntes, morſum tenaciſſimum, atque ita pernicioſum, ut non curetur aliter quàm morſus rabidi canis. Dentium numerum ſcimus ex *Æliano*, *Damire*, & *Geſnero*, qui numeraſſe ſe dicit, magnitudinem ex *Herodoto*, formam ex *Diodoro* & aliis. De morſu hæc ſcribunt veteres. *Diodorus*, Καὶ τὰ μὲν δήγματα ποιεῖ ἄγρια καὶ χαλεπὰ, καὶ τὸ διαιρεθὲν τῆς σαρκὸς παντελῶς ἀπεργάζεται δυσίατον. *Plinius*, *Superiore mobili maxillâ imprimit morſum, aliàs horribilem, pectinatim ſtipante ſe dentium ſerie.* Solinus, *Morſus ejus horribili tenacitate conveniunt.* Marcellinus, *Ordine dentium pectinato, pernicioſis morſibus, quicquid contigerit pertinaciter tenens.* De cura vide *Plinium*, *Galenum*, *Aetium*, *Paulum*, *Avicennam*, &c. Non poſſum non addere crocodilo à nonnullis multò plures dentes adſcribi quam diximus. Ab *Achille Tatio*, tot quot in anno dies. Φασὶ δὲ, inquit, ὅτι τὸν ἀριθμὸν τυγχάνουσιν ὅσας ὁ θεὸς εἰς ὅλον ἔτος ἀναλάμπει τὰς ἡμέρας. Ab *Alkazuinio*, ducentos. Verba ſunt له فم واسع وستون نابا في فكه الاعلي واربعون في الاسفل وبين كل نابين سن صغير مربع يدخل بعضها في بعض عند الاطباق *Os ipſi eſt latè patens, & canini dentes ſexaginta in ſuperiore maxilla, quadraginta in inferiore, & in ſingulis interſtitiis dens parvus unus quadratus. Illi autem dentes mutuò ſe penetrant æquali proportione.* *Græci* uno verbo καρχάρους, id eſt, ſerratos dixerint, vel pectinatim inter ſe coeuntes, quod *Plinius* & *Ammianus* ſupra dos docent. Sed aliter *Abuhamed Hiſpanus* له ثمانون نابا اربعون في الفك الاعلي واربعون في الفك الاسفل *Habet octoginta caninos, quadraginta in ſuperiore maxilla, & totidem in inferiore.* Et *Tzetzes* Chil. tertia Hiſt. 115.

Ὡς καὶ τὸν Ἡρακλέα δὲ ὁ Χῖος Ἴων λέγει
Ἔχειν ὀδόντων τρίστοιχον θέσιν ἀρραγεστάτην,
Ὡς καὶ τὴν Σκύλλαν Ὅμηρος φησὶν ἐν Ὀδυσσείᾳ,
Πολλοὶ καὶ τὸν κροκόδειλον, τινὲς δὲ καὶ τὰ κήτη.

Ut etiam Herculem, Jon Chius *aſſerit habuiſſe dentium triplicem ordinem infractum; ut Scyllam quoque* Homerus *ait in* Odyſſea, *multi etiam crocodilum, quidam & cete.* Sed hæc fabulis propiora ſunt. Et *Geſnero* potior fides, qui in crocodilo ſexaginta dentes aſſerit ſe numeraſſe. Et numerus ille in crocodilis ſolennis eſſe perhibetur. *Plutarchus* in *Iſide*, Ἑξήκοντα δὲ ὠὰ τίκτουσι, καὶ τοσαύταις ἡμέραις ἐκλέπουσι, καὶ τοσούτους ζῶσιν ἐνιαυτοὺς οἱ μακρότατον ζῶντες, *Ova ſexaginta pariunt, & diebus totidem fovent, & totidem annos vivunt qui ſunt maximè vivaces.* *Ælianus* lib. 10. cap. 21. Κύει δὲ ἄρα τὸ ζῷον τοῦτο ἑξήκοντα ἡμέραις, καὶ τίκτει ὠὰ ἑξήκοντα, καὶ τοσαύταις ἡμέραις θάλπει αὐτά· σφονδύλους δὲ ἔχει ἐπὶ τῆς ῥάχεως τοσούτους νεύροις τε αὐτὸν τοσούτοις φασὶ διεζῶσθαι· λοχεία τε αὐτῶν ἐς τοσοῦτον πρόεισιν ἀριθμὸν, καὶ ἔτη βιοῖ ἑξήκοντα, πάρεστι δὲ καὶ ὀδόντας ἑξήκοντα τοῦδε τοῦ ζῴου ἀριθμεῖν. Φωλεύει δὲ ἄρα καθ' ἕκαστον ἔτος ἑξήκοντα ἡμερῶν ἀτρεμεῖ τε καὶ ἀτροφεῖ, *Fert uterum hoc animal dies ſexaginta, & ova ſexaginta parit, & ea totidem diebus fovet, vertebraſque habet in dorſi ſpina totidem, totidemque nervis cingitur. Partus etiam curatio eundem implet dierum numerum: Et annos ſexaginta vivit, & dentes habet ſexaginta, & ſexaginta diebus quotannis latet quiete & ſine cibo.* Hæc ille ex

Æg-

Ægyptiis. Et *Damir* وزعم بعض الباغثين عن طبايع الحيوان انه يعيش ستين سنة وله ستين سنا وستين عرقا ويسفد ستين مرة *Aſſerunt nonnulli ſcrutatores naturæ animalium* (חכמי המחקר *Hebræis*, & *Paulo* συζητηταί, 1. *Cor.* 1. *v.* 20.) *illum ſexaginta annos vivere, & habere ſexaginta dentes, & ſexaginta nervos, & coire ſexageſies.*

6. *Tergum eſt, ut lamina ſcutorum*, quarum unaquæque eſt *clauſa arcto ſigillo.*

7. *Una alteri tam vicina eſt ut ventus non ingrediatur.*

8. *Unaquæq; proxima ſuæ cohæret, ita continentes ſe ut non ſeparentur.*

Hac periphraſi deſcribitur ſquamarum commiſſura, quibus ut ſcutorum laminis cohærentibus totum dorſum eſt obductum. *Bootius*, cui leviathan eſt balæna, in his explicandis non parum ſudat, ingenuè agnoſcens ſe in difficili loco verſari. *Difficultas*, inquit, *oritur, quomodo hæc in balænas quadrent, cum pellis earum glabra deſcribatur ab* Oppiano, *aliiſq;, qualis & eſt reverà.* Et poſt alia quædam hinc inde agitata, tandem concludit *allegoricè accipienda quæ de ſquamis hic dicuntur, q. d. Æquè tutus eſt ab omni hominis aſſultu* Leviathan, *ac ſi ſquamis latiſſimis & fortiſſimis ac arctiſſimis, & arctiſſimè inter ſe cohærentibus corpus munitum haberet.* Quæ mira eſt evadendi ratio, & quâ liceat ex quovis quidvis facere. Hic leviathanis tergum ab ipſo Deo deſcribitur ſquamis tanquam ſcutis munitum, iiſque tam frequentibus, & ita ſibi mutuò cohærentibus, ut ne aerem quidem admittant, quaſi contiguitas continuitatem mentiatur. Tamen, ſi *Bootio* credimus, agitur de animali, in cujus tergo nulla eſt ſquama. Et Deo id aſſerenti *Job* potuerit regerere ſe in *Leviathanis* tergo nihil tale animadvertiſſe. At, inquit; tam in tuto eſt, quàm ſi ſquamas haberet. Quid tum? Finge tibi *Achillem* reverâ fuiſſe invulnerabilem, prout Poetæ illum deſcribunt. An ideò dici potuit habuiſſe totum corpus continuâ ſquamarum ſerie obſitum atque obtectum? Præterea ne hoc quidem verum eſt, balænam tam eſſe tutam ab omni hominis aſſultu, quàm ſi tergum haberet denſiſſimis ſquamis obſitum. Nam ſi in tanta mole corporis cutem haberet ſquamis latiſſimis, fortiſſimis ac arctiſſimis munitam, quæ ſunt ipſa *Bootii* verba, ejus piſcatio quàm eſt facilis, tam eſſet operoſa & ardua, ne dicam impoſſibilis, & ſupra vires humanas. Patet igitur *Bootio* calculum hic hærere. Sed habet unde ſe ſoletur, nempe quod *& Bochartus*, inquit, *qui ex Leviathane facit crocodilum, nihilo commodius hic ſe expedire poteſt, cum crocodilis quoque nulla prorſus ſint ſquamæ.* Quæ *Bootii* verba, cum primum legerem, vix credidi oculis meis. Quia vero nihil eſt tam abſimile, quam hominem non plane rudem, quique medicinam in *Belgio*, in *Anglia*, in *Hibernia*, & in *Gallia* diu cum laude exercuit, id ignoraſſe quod lippis notum eſt & tonſoribus. Quorum in magnis urbibus paulo humanior vix quiſquam eſt, qui non habeat crocodili cutem in officina penſilem. *Bootium* igitur valdè mirum eſt in crocodili cutem nunquam incidiſſe, aut non vidiſſe pictum, aut ejus deſcriptionem nunquam legiſſe vel in veterum, vel in recentiorum ſcriptis, qui crocodilo ſquamas, vel quod idem eſt, cortices videntur quaſi certatim tribuere. In illis *Herodotus*, Ἔχει δὲ καὶ δέρμα λεπιδωτὸν ἄῤῥηκτον ἐπὶ τοῦ νώτου, *Pellem vero ſquamatam habet, & infractam in dorſo.* *Ariſtoteles* Hiſtoriæ lib. 2. cap. 10. Οἱ δὲ κροκόδειλοι οἱ ποτάμιοι ἔχουσι, &c. δέρμα ἄῤῥηκτον, φολιδωτὸν, *Crocodili fluviatiles cutem habent infractam, ſquamatam.* Diodorus, Τὸ μὲν γὰρ δέρμα αὐτοῦ πᾶν φολιδωτόν ἐστι, καὶ τῇ σκληρότητι διαφέρον, *Ejus enim pellis tota ſquamata eſt & duritie eximia*: *Ælianus* Hiſtoriæ lib. 10. capite 24. Νῶτα πέφυκε καὶ τὴν οὐρὰν ἄῤῥηκτος· λεπίσι μὲν γάρ τι καὶ φολίσι πέφρακται, καὶ ὡς ἂν εἴποι τις, ὥπλισται, *Impenetrabile tergum & caudam à natura ſortitus eſt: ſquamis enim & corticibus obſepitur, & ut ita dicam, armatur.* Achilles Tatius, Δορὰ δὲ φολίσι ῥυσσή, *Cutis autem ſquamis aſpera eſt.* Unde hæc mendoſa in *Euſtathii Hexaemero* corrigere eſt, Ἡ δὲ δορὰ αὐτοῦ λεπτὺς τυγχάνει ῥυτὴ, & legendum, λεπίσι τυγχάνει ῥυσσή: *Squamis aſpera eſt*, *Suidas* in Φολιδωτὸν, Φολιδωτοί ἰχθύες, καὶ σαῦρα, καὶ σαλαμάνδρα, καὶ χελώνη, καὶ κροκόδειλος, *Squamati ſunt piſces, lacerta, ſalamandra, teſtudo & crocodilus.* Jam è recentioribus *Volaterranus*, *Squamis prædurus oſtrearum modo totus obducitur.* Petrus Martyr, *Dorſum ſquamis duriſſimis, conchylii ferè duritia*, &c. *armatur.* Item, *Urſinas diceres crocodili manus pedeſque, niſi huic eſſent ſquammei, illi autem villoſi.* Geſnerus, *Tergum & cauda, imo tota pars prona, ut ipſe obſervavi, multis corticibus ſubrotundis ſquamatim compingitur, & eminentibus iis ſecundum longitudinem exaſperatur.* Bellonius, *Cutis eſt rugoſa, multis in tergo tuberculis armata, ſubtus levis, ſurſum verò ſeſſilibus ſquamis aſpera. Georgius Marcgravius* Hiſt. Nat. lib. 6. cap. 15. *Totum corpus veſtitur cute ſquamata, ac in capite & tota ſuperiori parte corporis ac caudâ loricatâ. In toto autem inferiori corpore ſquamæ quadratæ ferè ſunt*, &c. *In lateribus varias rotundas figuras habent ſquamæ, ac tuberculis ſcatent.* Et paulò poſt de dorſo, *Suntq; illæ ſquamæ duræ*, &c. Et de caudæ pinna, *Eſt autem illa pinna multis ſquamis quaſi compoſita*, &c. Itaque, ſi, quod aſſero, leviathan eſt crocodilus, verè dixit *Bootius Bochartum* ex hoc *Jobi* loco expedire ſe non poſſe. Cur enim ex eo loco expedire me coner, in quo nihil eſt impeditum? Cum crocodilum eſſe talem qualem illum deſcribit ſacer ſcriptor ſub Leviathanis nomine, doceat αὐτοψία, & ejus picturæ quotquot ſunt, & doctorum ſuffragia tam prioris ævi quàm noſtri, uno excepto *Bootio*, qui omnium hominum primus & ſolus negavit ullas crocodilo eſſe ſquamas.

Sed ne quid diſſimulem, priori reſponſo diffiſus *Bootius*, hoc addit, *Si quis urgeat iſta ſic quomodo ſonant accipienda*, (nempe *Jobi* verba in quibus verſamur) *ſciat in ipſis cetis inveniri poſſe, in quos iſta cadant. Quanquam enim pleraq; omnia illorum genera ſquamis prorſus careant, eſſe tamen cetos, qui iis præditi ſunt, diſcere poſſumus ex* Arriani *Indicis, prodentis,* Nearcho *auctore*, Macedonibus *dum è* Meſambria Taocem *navigant, viſum cetum in littus ejectum cubitorum quinquaginta, corio ſquamoſo tam craſſo ut cubitum æquaret.* Et verò in *Arriano* hæc *Nearchi* verba ſunt, Κατὰ τοῦτον τὸν παράπλουν ὀφθῆναι κῆτος ἐμβεβλημένον εἰς τὴν ἠϊόνα, καὶ τούτῳ προσπλώσαντάς τινας τῶν ναυτῶν ἐκμετρῆσαι, καὶ φάναι εἶναι πήχεων πεντήκοντα· δέρμα δὲ αὐτοῦ εἶναι φολιδωτόν· οὕτω τι ἐς βάθος ἥκον, ὡς καὶ ἐπὶ πῆχυν ἐπέχειν, Sed ad hunc locum tria notanda ſunt. 1. Primò nullum alium citari qui ceti meminerit ſquamis obducti. 2. Hunc cetum ab ipſo *Nearcho* non eſſe viſum, ſed à nautarum nonnullis, ut quidem ait, cui hominum generi non ſatis tuto creditum, cum ſæpenumero tam ſit infidum quam ipſum mare. 3. Quin ſi *Nearchus* ipſe ſquamatum hunc cetum ſe vidiſſe profiteretur, res tamen eſſet valde incerta, cum illum pleraque mentiri his verbis teſtetur *Strabo* lib. 2. Ἅπαντες οἱ περὶ τῆς Ἰνδικῆς γράψαντες, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ψευδολόγοι γεγόνασι, καθ᾽ ὑπερβολὴν δὲ Δηΐμαχος: τὰ δὲ δεύτερα λέγει Μεγασθένης. Ὀνησίκριτός τε, καὶ Νέαρχος, καὶ ἄλλοι τοιοῦτοι παραψελλίζοντες ἤδη. καὶ ἡμῖν δὲ ὑπῆρξεν ἐπὶ πλεῖον κατιδεῖν ταῦτα, ὑπομνηματιζομένοις τὰς Ἀλεξάνδρου πράξεις, *Quicunq; de* India *ſcripſerunt, pleraque*

raque mentiti ſunt: Præ reliquis Deimachus, *proximè* Megaſthenes, Oneſicritusque & Nearchus, *aliiq́; hujus farinæ, nonnihil etiam balbutientes. Nobisq́; iſta plenius perſpicere contigit, cum de rebus* Alexandri *faceremus commentarium.* Nos igitur ſquamatos cetos cum *Chimæris* & *Gorgonibus* in *Utopiam* amandabimus, donec alius adducatur teſtis ἀξιόπιστος, qui rei aliunde ignotæ & inauditæ fidem faciat.

Verſu ſexto גאוה, recentiores elationem vertunt. Aquila & *Hieronymus*, σῶμα, *corpus*, melius. Ibi enim גאוה, *aleph*, inſerto ut paſſim, idem planè eſt quod גו, vel גוה, id eſt, *corpus* vel *tergum* etiam, ut *Eſa.* 38. v. 17. qua notione hic ſumimus, quia crocodili ſquamæ potiſſimum in tergo ſunt. In eodem verſu חותם צר, σφραγὶς στενή, *ſigillum arctum*, ut rectè habent *Græca* Scholia. Quorſum igitur LXX. reddunt σμιρίτην λίθον, *lapidem ſmiritem?* An quia pro *chotham tſar*, ſigillo arcto, mutatis vocalibus ab illis lectum *chothem tſur*, obſignans lapis, vel obſignans lapidem, ſeu ſigillum in lapide imprimens. Quo nomine putaverint appellari *ſmirin* lapidem, cujus in lapillorum ſculptura præcipuus uſus eſt. Ut eum non aliter deſcribat *Herodotus*, quàm λίθον ὀξὺν πεποιημένον, τῷ καὶ τὰς σφραγῖδας γλύφουσι. Ita etiam *Stephanus*, cùm in *Armenia* haberi dicit λίθον τὴν γλύφουσαν καὶ τρυπῶσαν τὰς σφραγῖδας. Et diſertè *Dioſcorides*, Σμίρις λίθος ἐστὶν ᾗ τὰς ψήφους οἱ δακτυλιογλύφοι σμήχουσι. Neque diſſentit *Heſychius*, cum σμίριν definit ἄμμου εἶδος, ᾗ σμήχονται οἱ σκληροὶ τῶν λίθων. Nam in pulverem contuſus ad hoc opus adhibetur. Unde eſt quod ἄμμον ſeu arenam appellat. Sed hunc lapidem *Hebraicè* שמיר vocari in *Jeremia*, *Ezechiele*, & *Zacharia* libro ſequente docebimus. Hos eodem verſus *Chaldæi* perperam ad dentes retulerunt, de quibus verſu 5.

9. *Sternutationibus ejus ſplendet lux.*] Cùm ſternutat crocodilus, per nares confertim actus ſpiritus tanto prorumpit impetu, ut ſcintillare videatur, & flammas emittere. Quod ideò huic animali frequentius accidere mihi fit veriſſimile, quia οἱ πρὸς τὸν ἥλιον βλέψαντες πταρνύνται μᾶλλον, *qui ad Solem oculos obvertunt, magis ſternutant*, ut obſervat *Philoſophus* Problem. ſect. 32. paragr. 4. Crocodilo porro id ſolenne eſt ut oculis ad Solem obverſis apricetur. *Strabo* lib. 17. Ἡλιάζονται κεχηνότες, *Rictu diducto inſolantur*, aut Solem captant. *Ælianus* Hiſtoriæ lib. 3. cap. 11. Ἐπὶ τὴν ὄχθην προελθὼν, κατὰ τὴν ἀκτῖνα κέχηνεν, *ad littus progreſſus, ad Solis radios hiavit.* Albertus, *Crocodilus immobilis ad Solem jacet.* Leo Africanus, *Ulterius navigantes quamplurimos crocodilos ad inſularum ripas in medio* Nili *ad Solem aperto rictu apricantes conſpeximus.* Sic *Petrus Martyr.* Dec. 3. cap. 4. de Colono, *Pleriſq; in locis* (ſe reperiſſe ſcribit) *crocodilorum multitudinem in arena vaſto hiatu Solem captantium.*

Et oculi ejus ut palpebræ Auroræ] Hac in parte mirus fuit ἱερογραμματέων *Ægyptiorum* cum ſacro vate conſenſus. Illi enim apud Horum *Hieroglyph.* lib. 1. cap. 65. Ἀνατολὴν λέγοντες, δύο ὀφθαλμοὺς κροκοδείλου ζωγραφοῦσιν, ἐπειδήπερ (lege ἐπειδὴ πρὸ) παντὸς σώματος ζώου οἱ ὀφθαλμοὶ ἐκ τοῦ βυθοῦ ἀναφαίνονται, *Auroram ſignificantes, oculos crocodili pingunt, propterea quod ante totum corpus animalis, oculi ex fundo apparent.* Quomodo ſcilicet Solis corpore nondum exorto, Auroræ radii emicant. Ita *Hori* locus inſignis, ſed ab interpretibus malè acceptus. Sed & aliud myſterium videtur hic ſubeſſe. *Herodotus*, *Ariſtoteles*, *Plinius*, *Solinus*, *Ammianus*, crocodili oculos docent in aquis hebeſcere, extra eſſe viſus acerrimi. Ac ſi lumen amiſſum tum demum recuperent cum ex aquis emergunt. Idem de Sole creditum, cum novo lumine ex aquis emergere. Denique ſi nihil aliud eſſet, nemini novum videbitur cum *Auroræ* palpebris conferri animalis oculos, quòd veteres deprædicarunt, tanquam ἐν τῷ αἰθρίῳ ὀξυδορκέστατον, *ſub dio perſpicaciſſimum.* b) Herod. in Euterpe, &c.

At qui balænam hic intelligunt,

Monſtrum, horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum,

Velim, dicant, quid *Auroræ* radiis ſimile habeant balænæ oculi, quos magni auctores (c) ſcribunt prægravi ſuperciliorum pondere, aut arvinâ ſtatim obrui, cum ſcilicet bubulorum magnitudinem parum excedant. Unde eſt quod amiſſo duce fertur talpâ cæcior in vada & ſcopulos impingere,

c) Ælian. lib 2 cap. 13. Plin. ultra anim.

Οὐ γὰρ ἔτ' οὐδ' ἅλμης ἰσασιν ἐὸν αἶσα κέλευθα,
Ἀτρεκέως, οὐ πῆμα παρασχέδον, ἐξαλέασθαι.

Ita *Oppianus Halieuticῶν* lib. 5.

10. *Ex ore ejus velut lampades exeunt, ſcintillæ ignis excluduntur:*

11. *Ex naribus ejus egreditur fumus ut ollæ ferventis & aheni.*

12. *Halitus ejus carbones incendit, & ex ore illius flamma prodit.*

Eadem de hippopotamo in *Achille Tatio* legas, Μυκτὴρ ἐπὶ μέγα κεχηνὼς, καὶ πνέων πυρώδη καπνὸν, ὡς ἀπὸ πηγῆς πυρὸς, *Nares perquam patulæ, ac ignitum fumum tanquam ab ignis ſcaturigine ſpirantes.* Et in *Euſtathio Antiocheno*, Ἔχει κεχηνότα τὸν μυκτῆρα πυρώδη καπνὸν, ὡς ἐκ καμίνου πνέοντα, *Patulum habet naſum, ignitum fumum tanquam ex fornace ſpirantem.* Nempe duo hæc animalia, inter quæ cognationem quandam intercedere ex *Plinio* (d) jam didicimus, quæque in reſpirandi modo inter ſe confert *Philoſophus* Hiſtoriæ lib. 8 cap. 2. quo diutius ſpiritum continuere, dum aquis erant immerſi, eò ſpirant acrius, cum incipiunt emergere, ut torrentes obice rupto, majore impetu feruntur. Tum igitur ſpiritus diu preſſus ſic effervescit, & erumpit tam violenter, ut flammas ore & naribus videatur evomere. *Balæna*, fateor, ut mole crocodilo major eſt, ita ſpirat vehementius. Ea tamen non vomit ignes, ſed in ſublime nimbos efflat, ut in *Plinio* habetur lib. 9. cap. 6.

d) Lib. 28. c. 8.

13. *In collo ejus moratur robur.*] An in collo balænæ quod nullum habet? Imo in crocodilo collo, quem cùm balæna ſic confert *Scaliger* Hiſtoriæ animalium lib. 2. ſect. 128. *Collum habent* Triton *& crocodilus: balæna & delphin, nullum.* Objicies de crocodilo in *Achille Tatio* legi, Κεφαλὴ δὲ αὐτοῦ τοῖς νώτοις συμπέφυκε, καὶ εἰς μίαν στάθμην ἰθύνεται· ἔλειψε γὰρ αὐτοῦ τὴν δειρὴν ἡ φύσις. *Caput ipſi cum dorſo continuatur, & ad unam amuſſim dirigitur. Collum enim ei natura ſubtraxit.* Unde eſt quod *Euſtathius* in *Hexamero*, eundem habere ſcribit κεφαλὴν τοῖς νώτοις συνυφασμένην, *caput dorſo contextum*, & hiare μέχρι τῶν ὤμων, *usque ad humeros*, ita ut collo nullum ſuperſit ſpatium. Collum enim definitur τὸ μεταξὺ κεφαλῆς καὶ ὤμων *quod inter caput & humeros interjacet.* Reſpondeo tutius *Ariſtoteli* credi, qui ſic habet de crocodilis, de part. anim. lib. 4. cap. 11. Ἔχουσι δὲ καὶ αὐχένα διὰ τὴν τοῦ πνεύμονος θέσιν, δέχονται γὰρ τὸ πνεῦμα διὰ τὸ μῆκος τὸ τῆς ἀρτηρίας, *Habent etiam collum propter pulmonis conſtitutionem: Recipiunt enim ſpiritum propter arteriæ longitudinem.* Itaq; cum idem teſtetur Problematum ſect. 10. iis animalibus quibus collum omnino deeſt, caput eſſe immobile, crocodilum dicit *Plinius* lib. 8. cap. 25. *caput reſupinare ad morſum.* *Antigonus* quoque *Mirab.* Hiſtor. 39 poſtquam trochilum purgare dixit crocodili dentes & ſentire crocodilum quam hoc ſit commodum, addit, ὅταν ἐξελθεῖν βούληται ὁ τροχίλος, τὸν αὐχένα κινεῖν, ἵνα μὴ συνδηχθῇ, *cum vult exire trochilus*, crocodilum *movere collum, ne is mordeatur.* Quod clarius in *Philoſopho* Hiſtoriæ libri noni capite ſexto, Καὶ ὅταν ἐξελθεῖν βούληται (τοὺς τροχίλους) κινεῖ τὸν αὐχένα, ἵνα μὴ συνδάκῃ, *Et cum crocodilus vult ut trochili exeant, collum movet, ne mordeat*, id eſt, colli motu eos excutit, ut diſcedant antequam os comprimat, ne morſu ſuo illos conterat. Itaque fallitur quiſquis putat crocodilo deeſſe collum. Neque id concedere debuit

buit Cl. *Deodatius* in notis ad hunc locum, cum nobiſcum ſentiat leviathanem eſſe crocodilum.

Ante eum mœror inſultat] id eſt, præcedit tanquam metator, & comes, *tumidiq; anteambulo Regis.* Ut eos ſtatim invadat quibus crocodilus ſit obviam. Utut enim evaderent, tamen mali ominis eſſe putabant, quòd huic belluæ occurriſſent. Hinc in *Heliodoro Calaſiris Ægyptius* ſacerdos, cum reptantem vidiſſet in via crocodilum, κώλυμά τι τῆς καθ' ὁδὸν ἐπισημαίνεσθαι προύλεγεν, *impedimentum aliquod in itinere ſignificari prædicebat.* Ex hujusmodi locutionibus apud *Poetas* natum, quod ira, furor & pavor, *Martis* pro comitibus & armigeris aſſignantur, quaſi illum ubique comitentur, aut præcedant. *Statius* de *Marte*, *Thebaidos* lib. 3 verſu 424.

- - - *comunt furor, iraq; criſtas,*
Fræna miniſtrat equis pavor armiger. - -

Et multo ante *Heſiodus* in *Clypeo*, poſtquam *Martis* deſcripſit currum,

- - - - - - πὰρ δὲ Δεῖμός τε Φόβος τε
Ἕστασαν, ἱέμενοι πόλεμον καταδύμεναι ἀνδρῶν.

Juxta autem terror, & pavor ſtabant, bellum virorum inire geſtientes. Aliis hi ſunt equi *Martis* qui currum trahunt. *Valerius Flaccus* lib. 3. *Argonaut.*

- - *nec dextra* Jovis, *terrorq; pavorq;*
Martis *equi.* - - - - - - -

Smyrneus lib. 8.

- - - φέρον δέ μιν ἐς μόθον ἵπποι,
Αἴθων, καὶ Φλόγιος, Κόναβός δ' ἐπὶ τοῖσι, Φόβος τε.

Illum autem ad prælium ferebant equi, Æthon, *&* Phlogius, Conabus*que cum his,* Pavor*que.* *Palladi* quoque, bellorum iidem adſunt comites. Hinc in pompa quam deſcribit *Apulejus* lib. 10. *illam quam cultus armorum* Minervam *fecerat, duo pueri muniebant, præliaris Deæ comites armigeri, Terror, & Metus, nudis inſultantes gladiis.* Quæ eo libentius profero, quia inſultandi verbo utitur etiam ſacer ſcriptor. *Ante eum,* inquit, *mœror inſultat.* Quod eſt aliquanto plus quam ſi ſolum dixiſſet, *ante eum mœror incedit.* Nam inſultare eſt, alacriter, & cum aliqua pompa ferri, ut cum equum dicit *Poeta* lib. 3. *Georgicorum.*

Inſultare ſolo, & greſſus glomerare ſuperbos.

Et *Æneid.* lib. 11.

- - - - - - - *fremit æquore toto*
Inſultans ſonipes.

Hebraicum inſultandi verbum דוץ *duts*, vel דיץ *dits*, alibi non occurrit in ſacro textu. Sed *Arabibus* ignotum non eſt, quamvis apud *Chaldæos*, & *Syros* uſitatius. Ter occurrit pro σκιρτᾷν, in *Luca Syro* (e). Hinc caprea דיצא *ditſa*, *Chaldæis*, ut multi volunt, & capra δίζα *Laconibus*, quia ζῶον ἁλτικώτατον. *Virgilius* lib. 4. *Georgicorum*,

- - - - - *neque oves hœdiq; petulci*
Floribus inſultent.

e) Luc. 1. v. 41. 44. & c. 6. 23

14. *Tori carnis ejus cohærent, Unusquisque compactus eſt, in eo non dimovetur.*] *Tori* carnis ejus, id eſt, partes prominentiores, *Hebraicè* מפלי בשר, ad verbum *procidua carnis ejus.* Sic *Græcè* προπετὴς, procidūus is dicitur, cui pars aliqua corporis prominet. Ut cum apud *Lacedæmonios* inſigne probrum fuiſſe tradit *Agatharchides*, ſi quis τὸν ὄγκον τοῦ σώματος προπετῆ ἐφαίνετο. Ut *Gnathonem* tradit *Lynceus* habuiſſe κοιλίαν προπετεστέραν. Cum מפלי בשר, Cl. Junius *melandrya carnis* reddidit, aut de vivi animalis carne hic agi non cogitabat, aut non ſatis intellexit quid eſſent *melandrya*, ſalſamenta nimirum quæ ex *thynni*, vel *orcyni* interiore pulpâ fiebant, quernis aſſulis ſimilia. De quibus vide *Plinium* (f), *Martialem* (g), *Feſtum* in *Elacatena*, & è *Græcis Athenæum* (h), *Oribaſium* (i), *&c.*

f) Lib. 9. c. 15.
g) Lib. 3. Epigram. 76.
h) Lib. 7.
i) Lib. 2.

15. *Cor ejus firmum eſt ut lapis, firmum,* inquam, *ut fragmen metæ.*] Plerique de animo hoc intelligunt: Ego de viſcere cordis, quod in omnibus animalibus maximè firmum eſſe oportuit, ut fons nativi caloris ibi eſſet in tuto. *Ariſtoteles* de partibus *Animalium* lib. 3. capite 4. Μάλιστα τὸ τῆς καρδίας ἐστὶ σῶμα πυκνὸν καὶ κοῖλον πεφυκὸς, πρὸς τὸ φυλάσσειν τὴν ἀρχὴν τῆς θερμότητος. Sed in belluis præſertim, quæ minus ſenſu valent, magna eſt cordis firmitas. Quippe, ut idem habet capite 6. Τὰ μὲν ἀναίσθητα σκληρὰν ἔχει τὴν καρδίαν καὶ πυκνήν. Motus etiam multo tardior; Ἐν ἀνθρώποις γὰρ, inquit, συμβαίνει μόνον, ὡς εἰπεῖν, τὸ τῆς πηδήσεως (τῆς καρδίας) διὰ τὸ μόνον ἐν ἐλπίδι γίνεσθαι καὶ προσδοκίᾳ τοῦ μέλλοντος. Proinde belluæ cor, ratione firmitatis, & tarditatis meritò cum meta confertur, id eſt, cum inferiore mola, quæ ſtat immota, dum catillus ſupra vertitur. Apud *Arabes* cor habere lapidis inſtar, durum & compactum, ſignum eſt fortitudinis. Sic in *Hiſtoria Saracenica Elmacinus* cap. 12. poſtquam obiit *Sabib* vir fortiſſimus, quique in *Chalifam Abdolmelichum* bellum aliquandiu cum miro ſucceſſu geſſerat شقوا

قلبه فوجدوا صلبا مجتمعا كانه صخرة

cor ejus ſciderunt, & compererunt durum, & compactum eſſe inſtar lapidis. Mirum, ni tale fuerit cor ipſius *Pſeudo-prophetæ*, quod *ponderaverunt* (Angeli) *cum decem cordibus gentis ſuæ; poſt cum mille, & majoris ponderis eſt inventum. Et unus Angelus dixit alteri: Si cum omnibus* Arabibus *in trutina poneretur, omnibus prævaleret.* Hæc mentitur *Mahumetes* ſe in viſione à *Gabriele* Angelo audiviſſe, ut auctor eſt *Rodericus Toletanus Hiſtoriæ Arabicæ* cap. 1. Diverſa de cauſa cor *Nabalis*, lapidis inſtar induruit, 1. *Sam.* 25. *v.* 37. Nempe præ metu *Davidis*, & præ horrore periculi in quo verſatus fuerat. Ita *R. Eſaias*, melius quàm *Selomo*, & *Kimchius*, qui cor illius volunt ita obriguiſſe, quia malè illum habebat munus *Davidi* ab uxore oblatum. Utrumque jungit *R. Levi.* Aliud rurſus *cor lapideum*, Ezech. 36. verſ. 26. quod *Chaldæus* explicat לבא דרשיעא דהוא תקיף כאבנא, *cor impium quod lapidis inſtar, durum eſt.* Hinc *Pſal.* 118. (*Hebr.* 119. verſu 70.) ubi *Græci* ἐτυρώθη ὡς γάλα ἡ καρδία αὐτῶν, *ut lac coagulatum eſt cor eorum. Scholia* habent, ἐσκληρύνθη. ἀπελιθώθη, *induratum eſt, in lapidis morem obriguit.* Quo corde qui præditi ſunt, à *Baſilio* uno verbo vocantur λιθοκάρδιοι. Sed *Græcè* vocatur λιθοκάρδιος, qui eſt immiſericors. Vide *Scholia* in *Oreſtem Euripidis* verſu 121. Eo ſenſu ſi quis velit cor lapideum crocodilis tribui, non vehementer repugnabo. Cum ab *Æliano* deſcribantur animalia παμβορώτατα σαρκῶν ἐδωδίμων, καὶ ἀφειδέστατα, *in abſumendis carnibus maximè omnium voracia, & immiſericordia.*

16. *Ab elatione ejus timent fortes. præ metu aberrant.*] Tanquam conſilii inopes, & neſcii quo ſe vertant, vaſtam videntes belluam, atque immanem, & humanæ carnis avidam, & caudâ, ſquamis, unguibus, dentibusque horribilem. Hic elatio belluæ eſt ſuper aquas emerſio. Quo ſenſu, *Gen.* 7. *v.* 17. ſublata fuiſſe legitur arca *Noë*, nempe ſuper aquas diluvii, quibus cætera ſubmerſa. *Præmetu*, *Hebræus* משברים ad verbum *præ fractionibus*, aut *præ contritionibus.* Sed in oriente frangendi, & atterendi verba, etiam timendi ſignificationem habent, quia animus metu frangitur. Sic *Hebræis* חתת, & *Chaldæis* תבר, (quod fit ab *Hebræo* שבר,) ad utrumque ſunt ambigua. *Aberrarunt*] יתחטאו, nam חטא, non tam peccare, quàm errare eſt. Alii *à peccatis ſe purgant.* Alii frigidius *alvum ſolvunt*, quaſi præ metu. Druſius *nauſeant, vomunt.*

17. *Appetentis eum gladius non conſiſtet, neq; lancea, telum, aut ſpiculum.*

18. *Reputat ferrum ut paleam, ut lignum putredum.*

19. *Non*

19. *Non fugat eum ſagitta: In ſtipulam ei vertuntur lapides funda.*

20. *Sicut ſtipula, reputatur fuſtis, & ridet ad vibrationem haſta.*

Tria hic armorum nomina quæ alibi fruſtra quæras, מסע, *telum*, שריה, *ſpiculum*, תותח *fuſtem*, ex *Arabica* lingua novè explicamus. Primum מסע, alibi eſt iter, ſeu profectio, quia נסע, Sed hic telum, quia *Arabicè* نشغ eſt confodere. Sic in *Alcamus* نشغ بالرمح *confodit haſtâ*. Secundum שריה *ſirja*, volunt idem eſſe quod שרין *ſirjon*, loricam, ſenſu palam repugnante, quia hic agitur de armis quæ oppugnant, non quæ propugnant. Itaque ſpiculum reddimus, quia *Arabicum* سرية *ſirja*, id ipſum eſt in *Camus*, & in *Giauhari*, qui *parvam ſagittam* exponunt. Tertium, תותח, *Græci* reddunt σφύραν, & *Hieronymus malleos*, *Chaldæus* נרגיא, *ſecurus*, *Syrus* ܢܪܓܐ & *Arabs* النيزك *baſtile*. Nos fuſtem, tanquam ab *Arabico* verbo وتخ quod fuſte percutere ſonat; indè ميتخة *fuſtis*. Aut *Hebraicè* יתח, idem fuit quod *Arabicè* وتخ unde תותח, formæ תושב. Sagitta verſu 19. *Hebræâ* phraſi nominatur בן קשת, *filius arcus*: Ut *Lament*, 3, 13. בני אשפה. *filius pharetra*. Et ſagittæ vocantur *Arabicè* بنات المنايا *filia mortis*. Hæc de verbis. Rem quod attinet, hanc deſcriptionem crocodilo convenire nemo non videt, cui *Herodotus* lib. 2. tribuit δέρμα ἄῤῥηκτον, id eſt, interprete *Plinio*, *cutem contra omnem ictum invictam*. Ità etiam *Philoſophus Hiſtoria* libri ſecundi capite decimo. Unde eſt quod de *Part.* libri quarti capite undecimo, docens quid differant φολὶς, & λεπὶς, quarum illa pro teſtudinis, draconis, & crocodili, hæc pro piſcis ſquama ſæpius uſurpatur (quamvis has voces non rarò promiſcuè ſumi videas) ἔστι δ', inquit, ἡ φολὶς ὅμοιον χώρᾳ λεπίδος, φύσει δὲ σκληρότερον. Δηλοῖ δ' ἐπὶ τῶν χελώνων ἐστὶ, καὶ ἐπὶ τῶν μεγάλων ὄφεων, καὶ ἐπὶ τῶν ποταμίων κροκοδείλων. ἰσχυρότεραι γὰρ γίνονται τῶν ὀστῶν. *Eſt φολὶς loco λεπίδος, & illi ſimilis, ſed durior, ut apparet in teſtudinibus, & magnis ſerpentibus, & fluviatilibus crocodilis. Sunt enim oſſibus firmiores.* Et *Seneca Natural. Quæſt.* lib. 4. cap. 2. *Superiorem partem corporis duram, & impenetrabilem* eſſe dicit, *etiam majorum animalium dentibus*. Et *Solinus*, *circumdari maximâ cutis firmitate, in tantùm ut ictus quovis tormento adactos repercutiat*. Et *Ammianus*, *cutem ità validam gerere, ut ejus terga cataphracta vix tormentorum ictibus perforentur*. Et *Euſtathius Antiochenus* tam duris ſquamis ejus tergum obduci, ὥστε καὶ τὸ ὀξύτατον σίδηρον ἐπανιχθέντα ἀμβλύνεσθαι. *Ut etiam acutiſſimum ferrum repercuſſum obtundat.* Et *Iſidorus tantâ cutis duritiâ eſſe armatum, ut quamvis fortium ictus lapidum, tergo repercuſſos non ſentiat.* (Alii *tergore percuſſus*.) Et *Alkazuinius* ظهر كظهر السلحفاة لا يغمل الحديد فيه *Tergum, ut tergum teſtudinis, quod non penetrat ferrum*. Ità etiam *Damir*. Et *Petrus Martyr*, *corium eſſe adeò durum, ut neque ſagittis transfigi poſſit*. Et *Marmolius*: *Tienen el cuero tan duro, que no le puede paſſar una valleſta*, corio tam duro ſunt, ut illud trajicere balliſta nequeat. Et *Scaliger* in *Cardanum*, *recentiores etiam pilulis ſcolopettorum, & falconettorum ictibus imperviuin prædicare*. Et *Vincentius* le *Blanc Navigat*. part. 2. cap. 3. *tam dura pelle eſſe obductum, ut alibi quàm ſub ventre nullo modo poſſit penetrari*. At Balænæ corium omnibus telis eſſe pervium docent, quotquot de illarum piſcatione ſcripſerunt. Quod verè ab illis tradi ſum expertus non ita pridem, cultello multoties in balænæ recens captæ corii partes duriſſimas nullo negotio impacto.

21. *Pro eo* ſunt *acumina teſta*, *ſternit* ſe ut *tribulam in luto*.] Hic verſus eſt ſubobſcurus. Alii תחתיו, *ſub eo*, & חרוץ, *rem acutam* hoc modo explicant: *Sub eo ſunt acuta teſta; ſternit* ſibi *rem acutam in luto*. Ac ſi agatur hoc loco de cubili belluæ, cui ob cutis duritiem ſuper lapides, & rupes, teſtarum inſtar acutiſſimas, jacere perinde ſit. Quod alioqui moleſtiſſimum. Proinde è tormentis veterum unum hoc fuit, acutas teſtas homini jacenti ſubſternere, ut docet *Prudentius* in hymno de *Vincentio Martyre*:

Fragmenta teſtarum jubet
Hirta, impolitis angulis,
Acuminata, informia,
Tergo jacentis ſternerent.

Itaque quod cubilis genus invito martyri ſubſtratum eſt, ut ne poſſet quieſcere, hoc idem Leviathanem volunt ſibimet ſternere, nec in eo dormire minùs quam nos in molli lecto. Quod quidem ferri poteſt. Sed credo non defuturos quibus tam arrideat noſtra verſio, quâ non belluæ cubile, ſed ipſum tergus, teſtarum eminentiis, & tribulæ comparatur. Ut hic ſit ſenſus à prioribus repetitus, fruſtra gladium, & haſtam, & quodvis aliud telum in hoc animal intentaveris. Nam pro eo nihil feries quam teſtarum eminentias, id eſt, ſquamas tam formâ, quam duritie, teſtis ſimiles. Ut non jam animalis corpus, ſed tribulam potiùs in luto jacere putes, cujus tergum lapidibus, & ferro exaſperatum quosvis ictus repercutiat. Latet igitur in his verbis ſimilitudo duplex, quarum priore à teſtis ductâ etiam *Ælianus* in eodem argumento utitur *Hiſt.* lib. 10. cap. 24. Νῶτα δὲ πέφυκε καὶ τὴν ὀχρὰν ἄῤῥηκτος, λεπίσι γὰρ τε καὶ φολίσι πέφρακται, καὶ ὡς ἂν εἴποι τις ὥπλισται, καὶ ἐοίκασιν ὀστράκοις καρτεροῖς, *Tergum autem impenetrabile, ut & eandam à natura ſortitus eſt: Squamis enim, & corticibus obſepitur, & ut ita dicam, armatur, qua teſtis validis ſunt ſimiles.* Nota *teſtis validis ſimiles*, plane ut *Job*, *ſunt ut acumina teſta*. Eodem redit poſterior ſimilitudo à חרוץ, ſeu tribula ducta, quam *Varro* (k) definit *tabulam lapidibus ferrove aſperatam*. Et *Kimchius* in *Lexico* לוח עץ ואבנים דקית תחובות תחתיו, *tabulam ligneam ſub qua lapilli tenues infixi ſunt*. Et *R. Selomo* in *Eſ.* 41, 15. כלי הוא של עץ וכבד ועשוי חריצים חריצים כעין כלי נפחים של ברזל שקורין ליס״א בלע״ז, *Inſtrumentum ligneum grave, in quo crebra eminent inciſurarum acumina, ut in inſtrumento fabrorum ferri, quod limam vernaculè vocant.* In crocodili ſquamis eadem eſt ſcabricies, durities eadem, eadem tuberculorum extantium inæqualitas, ut non potuerit aptior ſimilitudo deligi, quæque rem de qua agitur, magis ad vivum effingeret, & ob oculos poneret. In luto porrò ſternere ſe crocodilus dicitur, ut libro quarto *Georg.*

Sternunt ſe ſomno diverſo in littore phoca.

(k) *Var. de re ruſt. l.* 1. *c.* 52.

22. *Fervere facit tanquam ollam, profundum mare reddit ut mortarium unguenti.*] Cum in maris fundo ſe jactat, agitatione ſuâ bullas in aquis excitat, atque eas uligine, & cœno commotis ità inficit, ut unguenti ſpeciem præ ſe ferant. Eſt & aliud hoc loco non temerè prætereundum. Crocodili fragrantiam commendant multi ſcriptores. *Damir* ورايحته كرايحة المسك الا ان فيه زهوكة وتقول القبط انه المسك *Odor ejus eſt ut muſci odor, niſi quod in eo eſt* Zahucha; *Et* Coptitæ *muſcum eſſe dicunt.* Mentem ejus non capio ſatis, niſi velit crocodili fragrantiam peculiari nomine dici *Zahucha* (voce mihi aliunde ignotâ) quamvis *Coptita* muſcum appellent.

Alkazuinius تنشم من بيضه رايحة المسك *Ex ovis ejus exhalat odor muſci.* *Petrus Martyr* de cad. tertiæ capite quarto, ubi de Coloni, ſeu Columbi navigationibus in novum orbem: *Crocodilis alicubi occurrebant, qui cum aufugerent, aut mergerentur, odorem à tergo, muſco, vel caſtoreo ſuaviorem relinquebant.* Nili *accolæ de crocodilo fœmina idem mihi retulerunt, de abdomine præſertim, quod* Arabicos *aquei odores quosque.* *Samuel Purchas* in *Floridæ* deſcriptione ex *Nicolao Challuſio Diepenſi*: *Crocodilorum caro vitulina eſt ſimilis, & palato maximè ſaperet, ſi minùs redoleret muſcum.* *Vincentius* le *Blanc. Navigat.* partis primæ capite ſecundo. Ubi de crocodilis inſulæ *Madagaſcar*: *Caro alba eſt, & ejusdem cum capone ſaporis, & odoris optimi; Unde eſt quod ambarum ex eo animali deſumi nonnulli putant.* Et capite vigeſimo ſeptimo, de crocodilo in lacu quodam *Indiæ* Regni *Pegu* ſe præſente interfecto, *carnis odor tam ſuavis erat, ut cum muſco certare potuerit.* Quod ipſum teſtatur *Johannes* de *Laet America* ſuæ pag. centeſima vigeſima ſexta, cẽteſima quadrageſima tertia, *&c.* Rem de crocodilo tam inſignẽ omiſiſſe veteres non poſſum mirari ſatis. Quæ tamen non poteſt non eſſe vera, cum eam unâ voce aſſerant omniũ gentiũ populi, *Indi, Arabes, Ægyptii, Africani, Americani*, ut conſtat ex ſuprà allatis. Itaque huc videtur poſſe referri quod a *Jobo* leviathan dicitur mare reddere ut mortarium unguenti, ſuâ nimirum fragrantia. Hunc enim crocodili odorem etiam ex mediis aquis diffundi docent verba *Martyris* quæ ſuprà citavimus, *cum aufugerent, aut mergerentur, odorem à tergo muſco vel caſtoreo ſuaviorem relinquebant.*

At quorſum *Job* maris meminit, & profundi, & verſu ſequenti, abyſſi, ſeu voraginis, quæ maris ſunt ſynonyma, cum crocodilus non ſit marinum animal, ſed fluviatile? Facilis eſt reſponſio. Primò enim maris nomine *Nilum* intelligimus, ut *Eſ.* 11, 5. ubi lingua maris *Ægypti*, *Kimchio* eſt *Nilus* amnis. Et in *Elmacini Hiſtoria Sarac.* libri primi capite duodecimo de cujusdam viduæ filio وهو على البحر يشرب ماء فاخذه التمساح *Dum è mari* (id eſt, è *Nilo*) *aquam biberet, rapuit eum crocodilus.* Ità de *Nilo* ſæpe *Arabes* propter amnis amplitudinem, & quia certis temporibus per totum de *Ægypti Delta* maris inſtar diffunditur. Sic apud *Eutychium Alexandrinum* partis primæ pagina octogeſima ſexta dicit *Pharao* رايت سبعة بقرات سمان خرجن من البحر *Vidi ſeptem vaccas pingues è mari prodeuntes*, id eſt, è *Nilo* flumine, *Gen.* 41, 18. Rurſus partis ſecundæ paginâ trecenteſima ſeptuageſima ſeptima. *Chalipha Soliman* juſſit *Ægypti* præfectum, ut menſurandæ *Nili* aquæ columnam extrueret في الجزيرة التي بين بحر الفسطاط وبحر الجيزة *in inſula, quæ eſt inter mare* Fuſtat, *& mare* Gizæ, quibus verbis *Nili* alveos, maria vocari palam eſt. Ut pag. quadringenteſima nonageſima quarta, فعطفت مراكب المكتفي في البحر من ناحية تنيس فدخلت الي عمل مصر وضياعها *Naves* Almoctafi *flexo in mare curſu ex parte* Tenniſi (quæ olim *Tanis*) *in ditiones* Ægypti, *ejusque agros ingreſſæ ſunt.* In mare, id eſt, in *Nili* alveos, qui in *Ægypto* pro mari habentur. Nam *Plinio* teſte lib. 35. cap. 11. Nili *aqua eſt mari ſimilis.* Secundò lacus, vel in *Ægypto*, vel etiam extra *Ægyptum* ſunt crocodilis fertiles. Nam utut à mari abhorreat, lacuſtre tamen eſt animal crocodilus. Adeò ut ineffabilem eorum copiam fuiſſe teſtetur *Diodorus* κἀ τῷ ποταμῷ κ τὰς περικειμένας λίμνας, *in flumine* Nilo *& in lacubus qui fluminis adjacent.* Et ex *Strabonis* libro decimo ſeptimo, nota eſt *Hiſtoria* de crocodilo *Sucho* ab *Arſinoëtis* in lacu ſeorſim nutrito. Sic in *Mœride* lacu ſacros fuiſſe crocodilos ſcimus ex *Herodoto* in *Euterpe*. Et ex *Æliano* libri decimi capite vigeſimo primo. *Ombitas* crocodilos aluiſſe ἐν ταῖς λίμναις ταῖς ὑπ' αὐτῶν πεποιημέναις, *in lacubus à ſe factis.* Ut de urbe *Libyæ* taceam (*l*), in qua narrat *Amometus* ſacerdotes ex lacu quodam cantionum illecebris præſtrictos crocodilos XVII cubitorum eduxiſſe. Et de lacu *Troglodytico* propè *Ptholas* promontorium, in quo ali hippopotamos, & crocodilos, auctor eſt *Strabo* libro decimo ſexto. Hi porrò lacus *Hebræis* erant totidem maria. Sic enim dicunt mare *Salis*, mare *Sodomæ*, mare *Cinnereth*, ſeu *Genezareth*, cum hæc maria ſint meri lacus. Rem nemini non notam hic probare nihil eſt opus. Sed quod hactenus nemo tentavit quod quidem ſciam, obiter explicare conabor, quorſum *Hebræi* in terra *Chanaan* maria ſeptem numerent, in verba, *Pſal.* 24, 2. *Super maria fundavit eam*, quæ ad terram ſuam referunt. Septem hæc maria ità recenſent *Talmudici* in *Bava Bathra* cap. 5. fol. 74. b. ¹ ימה של טבריה ² וימה של סדום ³ וימה של הילת ⁴ וימה של הילתא ⁵ וימא של סובכי ⁶ וים אפמיא ⁷ וים הגדול 1. *Mare* Tiberiadis, 2. *Mare* Sodomæ, 3. *Mare* Helath, 4. *Mare* Helatha, 5. *Mare* Sobchi, 6. *Mare* Apamiæ, 7. *Mare* Magnum. Sed *Kimchius* multò alier tanquam ex *Midras* ſeu *Commentario* in *Pſalmos* vetuſtiſſimo, qui jam non eſt ad manum ¹ ימא רבא ² ימא דסוכני ³ ימא דטבריא ⁴ ימא דמלחא ⁵ ימא דחולתא ⁶ ימא דחוליתא ⁷ ימא דשריית ⁸ ימא דאפפמיא, id eſt. 1. *Mare* Magnum, 2. *Mare* Sochni, 3. *Mare* Tiberiadis, 4. *Mare* Salis, 5. *Mare* Hultha, 6. *Mare* Haljetha, 7. *Mare* Sarjethi, 8. *Mare* Apamiæ. Quæ jam eſſent octo maria, non ſeptem ſimpliciter: Unde apparet locum eſſe corruptum. Sed neque *Talmudica* ſatis ſana ſunt. Itaque nec ex ſingulis, nec ex utrisque collatis facilè eſt verum eruere. Dicam tamen quid ſentiam. Videtur hic terra *Chanaa* latè ſumi, prout *Solomonis* ævo ab *Ægypto*, & mari *Rubro* uſque in *Syriam Antiochenam* extendebatur. In terra *Chanaan* ſic accepta cenſebantur ſeptem maria. Primum, mare *Magnum*, id eſt, *Mediterraneum*. Secundum, mare *Rubrum*, ad ſinum *Elaniticum*, quem pro mari אילת, vel אילתא, *Talmudici* perperam vocant mare הילת *Helath*, & הילתא *Helatha*, & *Kimchius* corruptius חולתא *Hultha*, & חוליתא, *Haljetha*. Quin ejusdem ſinus duo nomina parum diverſa utrique ſic diſtinguunt, quaſi eſſent diverſa maria. Mare tertium, quartum & quintum ſunt tres in *Jordane* lacus, quorum primum prope fontes in *Talmude* vocatur סובכי *ſobchi*, in *Kimchio* סוכני *ſochni*. Sed verum nomen fuit סבכוני *ſabchoni*, vel סמכוני *ſamchoni*, in *Joſepho ſamachonitis*, vel *ſemechonitis Antiq.* lib. 5. c. 6. & de bello libri tertii cap. decimo octavo. Sextum eſt *mare* Apamiæ, ut rectè habet *Talmud*, ſed *Kimchius* perperam *Aſpamia*. Fuit hic lacus prope *Orontem*, & *Apamiam*. Ab *Æliano* vocatur λίμνη ἡ Ἀπαμῆτις, ubi ſiluri multi, *Hiſtoria* libri duodecimi capite vigeſimo nono. Pulchrè deſcribitur in *Oppiano* libro ſecundo *Cyneget.* verſu 114. *&c.* ubi *Pella* eſt *Apamia*. Eam enim *Macedones* ſic appellâſſe ſcimus ex *Stephano*, & *Euſtathio* in *Dionyſium*. Septimum, in *Kimchio* eſt mare שריתא *ſarjetha*, ſic ſcribendum non שריית, *ſarjethi*. Mare *ſarjetha*, id eſt, *Auſtrale*. *Talmudicis* enim

(*l*) *Ælian* lib. 17. cap. 6.

שריא *ſarja*, eſt רוח דרומית, *ventus* Auſtralis, ut obſervat *Aruch* in אסתנא. Et mare *Auſtrale* mihi eſt *Sirbonis* lacus, quoad *Auſtrum* terminatur terra *Chanaan.* Id à *Talmudicis* omiſſum, quia completa jam erat ἡ ἑπτάς, mari *Helath*, vel *Helatha*, bis numerato. Hæc igitur fuerunt *Hebræorum* ſeptem maria, quorum quinque maria non ſunt, ſed ſolùm lacus. Neque *Hebræis* peculiare id fuit quod lacubus marium nomen indiderunt. *Æthiopicum* enim lacum circa *Pytholai* promontorium, θάλατταν, mare vocari aſſerit *Strabo* libro decimo ſexto. Et in *Ariſtotelis Meteorologicorum* libri primi capite decimo tertio, memoratur ἡ ὑπὸ τὸν Καύκασον λίμνη, ἣν καλοῦσιν οἱ ἐκεῖ θάλασσαν, *lacus ſub* Caucaſo, *quem incolæ mare appellant.* Idem niſi fallor quod *Agathias* libro tertio, *mare parvum* appellat. Ut lacus *Arabicè* dicitur بحيرة *buheira*, quaſi *parvum mare.* Nam mare eſt بحر *bahr*, cujus بحيرة *buheira*, diminutivum. Quid quod quivis magnus amnis vocatur البحر *albahro*, mare, ut aſſerunt *Giauhari*, & *Alcamus*. Unde eſt quod *Nilus* ſuprà ſic dictus eſt ab *Elmacino*, & *Eutychio*. Et in *Damire* hippopotamus vocatur فرس البحر *equus maris*, id eſt, *Nili*. Sed & magni *Etymologici* auctor crocodilum diſtinguit in χερσαῖον *terreſtrem*, & θαλάσσιον *marinum*, id eſt, *Nilicolam*. *Plinius* quoque *Nili* ripam littus vocat, cum de *Nealce* pictore ſcribit libri trigeſimi quinti capite decimo. *Aſellum in littore bibentem pinxit, & crocodilum inſidiantem ei.* Conſtat igitur quam futile ſit, quod nonnulli colligunt leviathanis nomine crocodilum non poſſe ſignificari, ex eo quod marina ſedes illi à *Jobo* aſſignatur. Sed neque agi de vero mari probant voces מצולה, *profundum*, & תהום, *vorago*, ſeu *abyſſus*, quæ ab eodem adhibentur tanquam maris ſynonyma. Nam מצולה *profundum*, etiam de luto dicitur, *Pſal.* 69, 3. Et quod maximè notandum מצלות יאר, *profunda fluvii* legere eſt, *Zachar.* 10, 11. ubi de *Nilo* res eſt. Abyſſum quoque de fontibus, & rivis, aquarum alveis paſſim uſurpari reperias. Sic *Deut.* 8, 7. *Dominus Deus tuus introducit te in terram bonam, in terram irriguam fluminibus aquarum, fontibus* תהומת, *& abyſſis quæ per valles, & montes erumpunt.* Pſal. 78, 15. *Fidit petras in deſerto, ut potum præberet eis* כתהומות, *tanquam in abyſſis plurimum.* Ezech. 31, 4. de cedro *Libani: Aquæ nutrierant eam,* תהום, *abyſſus extulerat illam.* Et verſu 15. *Obtexi ſuper eum abyſſum, & prohibui flumina ejus.* Itaque ex his vocibus non poteſt confici quod illi volunt. Sed agi de mari propriè dicto ſuadebit fortaſſe verſus ſequens.

23. *Pone ſe lucidam reddidit ſemitam: habuerit quiſpiam abyſſum pro canicie.*] Quia ſulcum à tergo ducens ſpumam albicantem excitat. Quod videri poſſit proprium eſſe maris. Cum *Homerus* dicat toties πολιὴν ἅλα, & πολιὴν θάλασσαν, *canum ſalum, canum mare*, id eſt, λευκὴν διὰ τὸν ἀφρὸν, *album propter ſpumam*, ut ibi *Scholiaſtes*: qualem in mari ſpumam remi excitant. Hinc *Odyſſ.* μ. verſu 172.

- - - - λεύκαινον ὕδωρ ξεστῇς ἐλάτῃσιν,

aquam dealbabant politis remis. Et *Apollonius*, ubi de *Argonautis* remigantibus libro primo verſu 545.

- - - - μακραὶ δ' αἰὲν ἐλευκαίνοντο κέλευθοι,

Longe ſemper albeſcebant viæ. Et *Catullus* in *Epithalamio Pelei*

Tortaque remigio ſpumis incanuit unda.

Et *Ovidius* in *Epiſtola Oenones*:

- - - - - *remis eruta canet aqua.*

Caneſcit etiam mare, cum à navibus ſulcatur. *Manilius* libro primo,

Ut freta caneſcunt, ſulcum ducente carinâ.

Et cetorum agitatione. Unde *Statius* de *Delphinis* libro primo *Achill.*

- - - - - *quâ cana parumper*
Spumant ſigna fugæ, & liquido perit orbita ponto.

Ità hic crocodilus motu ſuo *lucidam reddit ſemitam*, ita ut *habeatur abyſſus pro canicie.* Nihil tamen eſt quod nos cogat hæc ad mare referre. Cum lacus etiam, & amnes ſpumâ excitatâ caneſcant. Unde *Sidonius* in graphica illa lacus *Abitacini* propè *Claromontem* deſcriptione libri ſecundi *Epiſtolâ* ſecundâ. *Fluvio intratur, qui ſalebratim ſaxorum obicibus affractus ſpumoſo caneſcit impulſu.*

24. *Non eſt ei ſimile ſuper pulverem, ita factum ut non atteratur.*] *Super pulverem* על עפר; Alii *in terra* minùs expreſſe. Nam *ſuper pulverem* ideò dicit, ut reptilia ſignificet, quorum proprium eſt in pulvere ſerpere, *Deut.* 32, 24. Horum itaque verborum ea videtur eſſe mens. Ut reptilibus crocodilus meritò acenſeatur, facit brevitas pedum, quibus reptitat potiùs quàm graditur. Unde, & in *Græcorum* libris διερπύζειν, id eſt, repere dicitur. Sic *Heliodori* libro ſexto. Κροκόδειλον ἐρῶσιν διερπύζοντα. A reptilibus tamen hoc differt, quod cum illa pedibus conculcare, & obterere ſit obvium, & ſerpenti dictum fuerit, *conteret tibi caput*; Crocodilus העשוי לבלתי חת, *ità factus eſt ut non atteratur*, id eſt, ut atteri non poſſit, propter robur inſitum, & ſquamarum duritiem. Alii לבלתי חת, *ut non timeret*, vel *ut eſſet ſine timore.* Sed malui retinere propriam, & primariam ſignificationem verbi חתת, quia de crocodilo non uſquequaque verum eſt eum eſſe metûs expertem. Cum non deſint qui ſcribant (m) fugax eſſe animal audaci, & audaciſſimum timido. Sed & de balænis id ipſum poſſet objici, quas ſtrepitu (n), vel fragore fugari notum.

(m) Vid. Plin. Solin. Ammian. &c.
(n) Strab. lib. 15 Arrian. Ind. Philoſtr. l. 3.

25. *Etiam quicquid altum eſt, deſpicit: Rex eſt ſupra omnes filios elationis.*] Præterquam quod multa habet quorum ratione cæteris reptilibus præferendus eſt, etiam quicquid altum eſt, & filios elationis deſpicit, id eſt, ea animalia quibus corpus procerius eſt, & longiora crura, quorum adminiculo eriguntur in ſublime, adeoque in illis regnat majorum virium fiduciâ. Utut enim ſeſe efferant, eorum maxima quæque uno ictu caudæ proſtrata nullo negotio jugulat & dilacerat. *Diodorus*: Σαρκοφαγεῖ δ' οὐ μόνον ἀνθρώπους, ἀλλὰ καὶ τῶν ἄλλων τῶν ἐπὶ τῆς γῆς ζώων τὰ προσπελάζοντα τῷ ποταμῷ, *Non ſolùm homines vorat, ſed & terreſtria reliqua animalia quæ ad fluvium accedunt.* *Horus Hieroglyphicorum* libri primi capite ſexageſimo ſeptimo. Οὐκ ἄλλως εἰς ἀπώλειαν φέρει ὁ κροκόδειλος ὃ ἐὰν λάβῃ ζῶον, εἰ μὴ τῇ οὐρᾷ τοῦ ἑαυτοῦ ἐκπληκτικὰς ἀτονον παρασκευάσει. ἐν τούτῳ γὰρ τῷ μέρει ἡ τοῦ κροκοδείλου ἰσχὺς καὶ ἀνδρεία ὑπάρχει, *Non aliter ad exitium perducit crocodilus, quodcunque apprehenderit animal, niſi caudâ priùs cæſum invalidum reddiderit. In hac enim parte præcipua eſt crocodili vis, & robur.* *Petrus Martyr Legat. Babylonic.* libro tertio. *Camelum, equum, juvencum, & quodcunque genus quadrupedis ei occurrit, cum in terram famelicus exit crocodilus grandior, ictu caudæ adeò acriter ferit, ut illud cruribus fractis proſternat, & interimat. Tanta eſt enim illius caudæ vis, ut fregiſſe quatuor uno ictu grandioris animalis crura repertus ſit aliquando.* *Dalechampius Hiſtoria Plantarum* libri decimi octavi capite nonageſimo nono. *Si in flumine, aut in littore hominem, bovem, bubalum, aprum, porcum, aut quodcunque tandem animal comprehendere poſſint, illicò devorant.* In inſula *Manilla Philippicarum* unâ narratur de crocodilo, qui bibentem elephantem ad rivum *Parannacam* unâ manu arreptum diu detinuit, nec niſi poſt longum certamen ab eo victus, & diſcerptus eſt. Et de altero in amne *Cuama*, qui cum tigridem auſus eſſet aggredi, pugna utrique fuit lethalis. *Texeira de Perſiæ Regibus* libri primi capite vigeſimo nono utrumque à locorum

incolis ſe didiciſſe profitetur. *Procera* igitur illa animalia hic dicuntur בני שחץ, *filii elationis*, ut Job. 28. v. 8. ut ſic iis opponantur qui ſunt על עפר, *ſuper pulverem*, id eſt, reptilibus, de quibus verſu præcedenti actum. Sed in capite de leonum nominibus jam docuimus, quid propriè ſit שחץ. Hæc porro videre dicitur crocodilus, id eſt, deſpicere, ut *Cant. 1. v. 6. Ne videte me, eo quòd nigra ſim*, id eſt, ne deſpicite.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

Etiam à *Talmudicis* לויתן *Leviathan*, pro crocodilo ſumi. Alia crocodili nomina.

In Talmude *animalium quinque paria, in quibus terror debilioris ſuper fortius.* 1. מפגיע maphgia ſuper leonem, פגע, *occurrere, ut in bonam ita in malam partem ſumitur*, פגעין, *dæmones*, & ערעיתא. *veſpa, ab occurſu dicta, ut volunt Ita &* מפגיע maphgia, *culex leonibus occurrens. Ut in* Rhizophagis. Diodorus *emendatus. Leones etiam voce abſterret, non ſolo morſu. Eſt & in* Syria. *In oculos irruit.* Græcè λεοντοφόνον. Fabula Judaica *de* onſa. 2. יתוש jatthus, *id eſt*, τ᾽ ἐμπίδ☉, *aquatici culicis* in elephantem, *ut circa* Niſibim. 3. סממית ſemamith, *ſeu ſtellionis* in ſcorpionem, *qui utut mole minor, creditur eſſe virtute major.* 4. סנונית ſenunith, *id eſt, hirundinis* ſuper aquilam. *Quod falſum. An ſenunithæ ſua tribuunt quod* Græci τῇ σίττῃ, *quæ* Latinis, ſubis, *pici ſpecies, quæ frangit ova aquilæ.* 5. כלבית calbith, ſuper leviathan. Calbith *eſt canicula. Malè in* Aruch, calcith. *Piſcis parvus immundus, qui ingreditur in os leviathanis, id eſt, ichneumon in crocodili fauces irrumpens. Ichneumon formam habet parvi canis. Inde* Hebraicè calbith, *canicula*, כלבא טינא, canis luti. *Arabicè* canis aquæ, Græcè ἰχνεύμων, *&* ἰχνευτής, ἀπὸ τ᾽ ἰχνεύειν, *quod canum proprium. Lutra*, κύων ποτάμι☉. Caſtor *canis* Ponticus. תנין thannin, *pro crocodilo*, Ezech. 29. v. 3. 4. & cap. 32. v. 2. 3. Pharao فرعون Arabicè *crocodilus*. Chamſa, *id Ægyptiis olim, ut* Arabibus تمساح thamſach. X *&* Θ *permutabiles.* Σοῦχ☉, *crocodilus olim ab* Arſenoitis *cultus, hodie* ſuchi Copticis *ab urinando dictus.* Nephoth, *&* Menephoth *crocodili, an à* Memphi, *quæ* منف Menph, Copticis.

POſtquam probavi Leviathanem in *Jobo* eſſe crocodilum, *Talmudicos* quoque docebo id ipſum vocabulum eadem notione uſurpaſſe, quod colligo ex tractatu de *Sabbatho* cap. 8. fol. 77. b. ubi quinque animalium paria recenſentur, in quibus אימת חלש על גבור, *terror debilioris eſt in fortius*; nempe terror.

1. מפגיע על הארי, *maphgia*, ſeu culicis λεοντοφόνου, *in leonem.*

2. יתוש על הפיל, *jatthus*, ſeu τ᾽ ἐμπίδ☉, id eſt, aquatici culicis, *in elephantem.*

3. סממית על העקרב, *ſemamith*, ſeu ſtellionis, *in ſcorpionem.*

4. סנונית על הנשר, *ſenunith*, ſeu hirundinis *in aquilam.*

5. כלבית על לויתן, *calbith*, ſeu caniculæ, *in leviathanem.*

Jam de ſingulis aliquid, ut in ultimo deſinamus. Propriè מפגיע *maphgia*, eſt occurrens. Verbum medium eſt, quod vel in bonam, vel in malam partem ſumitur pro ratione ſubjecti. In bonam, ut *Eſ. 59, 16.* אין מפגיע, *non eſt, qui occurrat*, id eſt, qui pro *Iſraele* erga Deum intercedat. In malum, ut *Job. 36, 32*, de fulmine ויצו עליה במפגיע, *Præcepit ei Deus in quid occurrat*, i. e. quid feriendum ſit. Nempe ut eſt occurſus bonus, ita etiam eſt פגע רע, *occurſus malus*, 1. Reg. 5, 4. Itaq; פגע, paſſim eſt in aliquem infenſo animo irruere, ut *Exod. 5, 3. Jud. 8, 21. & 15, 12. & 18, 25. &c.* Et פגעין, ſunt dæmones in ſecundo *Thargum*, *Eſth. 1, 2.* Et מפגיע *maphgia*, *Hebræis* culicis genus leonibus occurrens, id eſt, eos acriter impetens. Quomodo veſpam quoque *Chaldaicè* ערעיתא, ab occurſu magiſtri dici notant, ſed minus verè ut ſuo loco dictum. Porrò culex quem diximus, frequens eſt in *Æthiopiæ* parte, quam *Rhizophagi* tenent circa *Aſtapum*, & *Aſtaboram*. Proinde *Strabo* libro decimo ſexto. *Hæc loca leones alunt, qui ſub ortum caniculæ,* ὑπὸ κωνώπων μεγάλων, *à magnis culicibus inde expelluntur.* Et quà ratione id fiat, ex *Diodoro* (*a*) diſcimus, cum dicit libro tertio, τοὺς λέοντας πάντας φεύγειν ἐκ τῶν τόπων, ἅμα μὲν ὑπὸ λιμοῦ κακουχουμένους, ἅμα δὲ τ᾽ ἀπὸ τ᾽ φωνῆς ἤχῳ καταπεπληγμένους, *leones omnes ex iis locis fugere, partim fame malè affectos, partim ſono vocis (culicum illorum) abſterritos.* Sed cur *fame malè affectos?* An veriſſimile eſt culices poſſe leonibus famem indicere? Nihil dici potuit abſurdius. Sed in λιμοῦ, inſigne mendum eſt, & pro eo legendum δηγμοῦ, ut ſignificetur leones non quidem fame, ſed morſu culicum malè affici. Ita enim *Agatharchides*: ὑφ᾽ ὧν καὶ οἱ λέοντες ἐκδιώκονται, οὐχ᾽ οὕτως ὑπὸ τ᾽ δηγμοῦ δηλιώμενοι, καίπερ ὄντ☉ ἐπαχθοῦς, ὡς τ᾽ ἀπὸ τ᾽ φωνῆς ἦχον ἀλλόφυλον ἀδυνατοῦντας φέρειν, *Ab his leones quoque pelluntur, non tam à morſu vexati, quamvis moleſto ſatis, quam quia inuſitatum vocis ſonum ferre nequeunt.* Videtur *Diodorus*, qui hic *Agatharchidem* fere ſequitur pro δηλιώμενοι, legiſſe δειλιώμενοι, timentes, unde illud καταπεπληγμένους. Rectum tamen δηλιώμενοι, non à δειλιάω, ſed à δηλέω. Interim ut ſcias מפגיע *maphgia*. eſſe id ipſum animal, quod leones ſono vocis abſterret, audi *Talmudis Gloſſam* in locum de quo ſupra. מפגיע היה קטנה וקולה גדול ושומע וירא שהוא בריה גדולה ובורח, Maphgia *parvum eſt animal, ſed magnæ vocis, quam leo audiens, timet ne ſit magnum animal, & fugit.* Nec quærendum unde *Judæis* innotuerit animalculum in intima *Æthiopia* latens, cum etiam in *Syria Meſopotamena* deſcribatur à *Marcellino* lib. 18. ubi notat leonum oculos ab his præcipuè impeti. *Quoniam*, inquit, *oculos, quaſi humida, & lucentia membra eadem appetunt volucres, &c.* Et *Achilles Tatius*, ἐμπίπτει τῷ λέοντι (ὁ κώνωψ) καὶ εἰς τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐμπηδᾷ. Proinde auctor *Hiſtoriæ Tamerlanis* pagina decima ſexta البعوضة تدمي مقل الاسد *culex vulnerat oculum leonis.* A leonum cæde *Syrum* hoc animalculum λεοντοφόνον vocavi, fretus *Heſychii* loco qui huc omnino pertinet, Λεοντοφόνον, θηρίδιόν τι πλαττόμενον ἐν Συρίᾳ. Sed rejicio ut fabuloſum quod de leone legitur in *Portâ* cœli fol. 27. d. וירא מאד מחיה אחת קטנה ונקראת אונשא שנכנסת בתוך גופו ויוצאת מן הצד האחר, *Et ſibi maximè timet ab animalculo quodam onſa nomine, quod in medium ejus corpus ingreſſus, ab alia parte exit.* Nobis *onſa*, vel *onca*, potius non eſt animalculum, ſed lynx veterum, ut ſuo loco docuimus.

a) Edit. Steph. pag. 111.

De leonibus quæ dicta ſunt, profitetur *Agatharchides*

des ſe referre τῶν παραδόξων χάριν, *paradoxi gratiâ*, quaſi nihil ſit ἰδιαίτερον ἢ λέοντας ἐγχειρεῖν κώνωψιν *ſingularius quam leones culicibus cedere.* Tamen quò leone major eſt, & robuſtior elephas, eò mirabilius eſt quod habent *Talmudici* ſecundo loco אימת יתוש על הפיל *terror jatthus*, ſeu paluſtris culicis *ſuper elephantem* cadit. Quid enim culex ad elephantem? Proinde *Libanius* in *Epiſtola* ad *Caſilum* hæc duo opponens, ut maximè diſſimilia, *Ego vero ſum*, inquit, οἷον κώνωψ ἐλέφαντι παραβαλλόμενος, *ut culex elephanti collatus.* Et *Perſarum* Rex *Zancaſſanes Turca* ſcribit: Indus *elephas culicem non timet.* Et *Turca, Naricius: Non pudet vos culices in elephantem confligere?* Culices tamen, tam audax facinus, nec ſine ſucceſſu quandoque aggredi, patet ex *Theodoreto*, qui in *Perſarum* copias *Niſibin* obſidentes ad *Jacobi Epiſcopi* preces τῶν σκνιπῶν καὶ τῶν κωνώπων τὰ νέφη, *cinisphum & culicum nubes* veniſſe narrat, quæ τῶν μὲν ἐλεφάντων τὰς προνομαίας αὐλοειδεῖς πεφυκυίας ἔπλησαν, *cavas elephantorum promuſcides impleverunt*, &c. *Qui cum animalculorum impreſſionem ferre non poſſent, ruptis loris, & excuſſis ſeſſoribus ordines turbarunt, caſtrisque adeò relictis, in fugam totis viribus ſe dederunt.* Hæc ille *Eccleſiaſtica Hiſtoria* lib. 2. cap. 26. Et rurſus in vita *Jacobi Niſibeni*: Οἱ δὲ ἐλέφαντες τὰ δεσμὰ διαῤῥήξαντες, ἐσκεδάννυντο, τῇδε κἀκεῖσε σκεδαννύμενοι, καὶ φέρειν ἐκείνας οὐ δυνάμενοι τὰς ἀκίδας, *Elephanti ruptis vinculis huc illuc diſperſi fugiebant, cum aculeos illos ferre non poſſent.* Unde *Achilles Tatius* lib. 2. Ὁρᾷς οἵαν ἰσχὺν ὁ κώνωψ ἔχει, ὡς καὶ ἐλέφαντα φοβεῖν, *Videsne quantum culici inſit roboris, cum elephantum etiam terreat?* Ibidem elephas ob id ipſum aures habere dicitur in perpetuo motu, quia moritur illicò, ſi culex vel minimus in eas ingreditur. Sed & promuſcidi timet quam impleri culicibus ex *Euſebio* didicimus. Hinc *Gloſſa Talmudica* יתוש נכנס בפיל בחוטמו, *jatthus*, ſeu culex paluſtris, *in elephantis promuſcidem ingreditur.*

Tertio dicitur eſſe אימת סממית על העקרב, *terror ſemamith*, ſeu *ſtellionis ſuper ſcorpionem.* Nam ſtellio ſcorpioni *viſu pavorem affert, & torporem frigidi ſudoris.* Ita *Plinius* lib. 29. cap. 4. Et apud *Ælianum Hiſtoria* lib. 6. cap. 22. *admoto ſtellione*, νάρκη τὸν σκορπίον καταλαμβάνει, *torpor ſcorpionem invadit.* Et in *Galeni* libro de theriaca cap. 9. *ſtellio ſcorpiones* ναρκοῖ καὶ οὕτως ἀναιρεῖ, *obſtupefacit atque* ita interimit. Plura de hoc argumento vide in capite de *ſemamith*, ſeu ſtellione inter lacertorum ſpecies. Quibus ſolum hoc addimus, tertium hoc exemplum poſſe videri valde diſpar duobus quæ præceſſerunt. Nam leo, & elephantes mole culicem ſuperant immenſum quantum. At ſcorpio ſtellionem magnitudine non æquat. Tamen pro magno id habetur quod ſcorpionem ſtellio ſuperat, quia alioqui ſcorpionis venenum multò creditur potentius. *Ælianus* de ſcorpionibus *Ægyptiis* libri decimi capite vigeſimo tertio. Παίσαντες, ἀναιροῦσι παραχρῆμα, *quos percuſſerunt, ſtatim interficiunt.* Et *Damir* de ſcorpione in genere ومن غريب امرها انها مع صغرها تقتل الفيل والبعير بلسعتها *Et è mirabilibus naturæ ejus eſt, quod quamlibet parvus, punctione ſuâ elephantem, & camelum interimit.* De ſtellione nihil tale legas, qui tamen ſcorpioni eſt terribilis.

Quartum, nempe avem סנונית *ſenunith*, aquilæ eſſe terrori, quorſum *Talmudici* ſcripſerint, valdè obſcurum eſt. Conſtat enim illis *ſenunith* hirundinis eſſe ſpeciem, ut *Arabibus* سنونو *ſennunu.* Hirundinem autem ab aquila timeri naturæ ſcrutatorum nullus obſervat. Nec cauſam cur timeat, vel per ſomnium quisquam poteſt ſibi fingere. Sed *ſitta* eſt avicula hirundine non major, quam cur aquila timeat, cauſæ non deſunt, cum illius ova frangat. *Ariſtoteles Hiſtor.* lib. 9. cap. 1. Σίττη καὶ τρόχιλος ἀετῷ πολέμια ἐστίν. ἡ γὰρ σίττη καταγνύει τὰ ᾠὰ τοῦ ἀετοῦ, *Romani* veteres *ſubin* vocabant. *Plinius* lib. 10. cap. 14. *Apud* Nigidium *ſubis appellatur avis quæ aquilarum ova frangit.* Pici ſpeciem eſſe putant. Itaque quia *ſitta*, & *ſenunitha* nomina utcunque ſimilia ſunt, *Hebræos* putaverim aves alioqui naturâ diſſimillimas promiſcuè ſumpſiſſe, & *ſenunitha* ſuæ tribuiſſe, quod de *ſitta Græci* ſcripſerant. *Gloſſator Talmudicus* aliud comminiſcitur, nempe *ſenunitham*, ſeu hirundinem ſub alis aquilæ latitantem volatum ejus remorari, & pennas ſpargere, & diſſipare. Verba ſunt סנונית ארנחילא נכנסת תחת כנפי הנשר ומעכבתו מפריסת כנפיו. Sed hoc ex eburnea porta ſomnium apud me nullam habet fidem.

Supereſt ut doceamus, quid ſibi velint hæc *Hebræorum* אימת כלבית על לויתן, *Terror* calbith *ſuper leviathan.* Pro כלבית *calbith*, id eſt, caniculâ, quomodo in *Talmude* legitur, & in *Kimchis Lexico*, voce שמם, *Aruch* legit כלכית *calcith*, deceptus ſimilitudine literarum *Beth*, & *Caph.* Neque id librarii mendum eſt, ſed auctoris. Nam in alphabethi ſerie כלכית, eſt poſt כלך, & כלכה. Idem tamen obſcuro loco non parum attulit lucis, cum ex veterum *Hebræorum* mente, כלכית *calcith*, (id eſt, כלבית *calbith*,) ſcribit eſſe דג קטן טמא נכנס בפיו של לויתן, *piſcem parvum immundum, qui ingreditur in os leviathanis.* Omninò enim hæc deſcriptio pertinet ad ichneumonem. qui cum ſit amphibius, atque, ut eſt in *Vitruvio* (b), *beſtiarum piſciumque natura*, tam poteſt dici piſcis quam crocodilus, de quo *Aben Ezra* in *Exod.* 7. הוא מין דג, *ille eſt ſpecies piſcis.* Et *Ovidius* de *Arte* lib. 3.

> - - - *ad* Pharii *confuge piſcis opem.*

Itaque *piſcis* eſt ichneumon, id eſt, aquaticus, vel amphibius, & *parvus* præ crocodilo, & *immundus* ex Lege, quia cum ſit quadrupes, neque eſt biſidus, neque ruminat. Denique *ingredi* dicitur *in os leviathanis*, quia in hiantis crocodili fauces irrumpit, populatisque vitalibus, eroſa excedit alvo; quod citatis ſcriptorum locis probare ſit ſuperfluum, cum res etiam vulgò nota ſit. Vide *Strabonem, Plutarchum, Plinium, Solinum, Ammianum, Oppianum, Iſidorum, Euſtathium Antiochenum*, &c. Neque verò obſcurum eſt, cur ichneumon ab *Hebræis* vocetur כלבית *calbith*, ſeu canicula, cum canis, vel caniculæ eum habere ſpeciem idonei auctores ſcribant. Sic *Diodorus Siculus* lib. 1. Ὁ γὰρ καλούμενος ἰχνεύμων, παραπλήσιος ὢν μικρῷ κυνί, *Nam qui vocatur ichneumon ad parvi canis formam accedens.* Parvi canis, id eſt, כלבית *calbith*, quod diminutivum eſt à כלב *celeb.* *Euſtathius Antiochenus*, cui palam *hydris* eſt ichneumon. Ὕδρις δέ ἐστιν ἐν τῷ ποταμῷ μορφὴν ἔχουσα κυνός, Hydris *autem eſt in flumine, formam habens canis.* Proinde idem animal in *Bava Bathra* cap. 5. vocatur כלבא טינא *calba tina*, pro כלבא דטינא *calba detina*, canis luti. Et *Arabicè* in *Avicenna* (c) كلب الما *canis aquæ.* Neque alia ratio *Græci* nominis. Dicuntur enim ἰχνευταὶ ab *Herodoto* (d), & *Nicandro* (e), & ab aliis ἰχνεύμονες, quia indagant more canum, quorum proprium eſt τὸ ἰχνεύειν. Unde *Arrianus Epictetus* lib. 1. cap. 2. κύνες ἰχνευτικοὶ πάντες. Sed & lutram, vel enhydrin (in quo genere eſt ichneumon juxta *Solinum*, & *Ammianum*) κύνα ποτάμιον, *Græci* ſcriptores paſſim nuncupant. *Aëtius* (f): *Canis fluviatilis* (id eſt, lutræ) *teſtes ad eadem valent, ad quæ caſtoris.* Cauſam nominis *Ælianus* ita docet *Hiſtoria* libri decimi quarti

b) Lib. 8. cap. 2.

c) Lib. 4. Can. Fen. 6 tract. 2. cap. 12.

d Lib 2. c. 67.

e) Ther. v. 195

f Tetrab. lib. 1 Serm. 1. c. 178

capite

cap. 21. Κυνὲς δὲ οἱ ποτάμιοι ἰδέαν μὲν εἰσι κατὰ τοὺς κυνὰς τοὺς χερσαίους τοὺς μικροὺς, *Canes fluviatiles* (lutræ) *ſpecie referunt canes terreſtres parvos.* Quod ipſum de ichneumone ſcribunt *Diodorus*, & *Euſtathius.* Ita caſtorem, animal his duobus homogeneum, *Servius* alicubi *canem Ponticum* appellat. Ut jam abunde pateat nomen כלבית *calbith*, ſeu caniculæ, rectè quadrare in ichneumonem, adeoque hæc *Hebræorum*, *terror* calbith *ſuper* leviathan, nihil aliud ſonare quàm ichneumonem crocodilo eſſe terrori.

Huc quoque notandum venit è duobus ſynonymis תנין *thannin*, & לויתן *leviathan*, quorum utrumque draconem, & cetum ſignificat, ut omnes ſciunt, etiam תנין *thannin*, pro crocodilo ſumi. Quod hæc planum faciunt, *Ezech.29.v.3.4. Sic dicit Dominus Deus; Ecce ego inſurgam contra te*, Pharao *Rex* Ægypti, *magne* thannin, *qui cubas in medio rivorum tuorum*, &c. *Et indam hamos maxillis tuis, & agglutinabo piſces rivorum tuorum ſquamis tuis, & aſcendere te faciam è medio rivorum tuorum*, &c. Et *Ezech.32.v.2.3. Tu eras ſicut* thannin *in maribus* (id eſt, in *Nilo*, & lacubus vicinis, ut ſupra explicavimus) *& prodibas per flumina tua, & turbabas aquas pedibus tuis*, &c. *At expandam ſuper te rete meum in cœtu multorum populorum, qui te trahent in ſagenam meam.* Iis, inquam, verbis *Pharaonem* clarum eſt cum crocodilo, non cum balæna, conferri, quæ nec pedes habet, nec ſquamas, nec verſatur in *Ægypti* rivis, & fluminibus, nec inde aſcendit in terram, nec retium indagine cingitur. Sed neque eam hamo capi quiſquam dixit præter unum *Oppianum.* Horum igitur pleraque in ſolum crocodilum quadrant, qui per תנין *thannin*, ſignificatur.

Neque de nihilo eſt quod *Pharaonis* cum crocodilo comparationem Propheta tam multis perſequitur. Nam ut alia taceam, ad ipſum *Pharaonis* nomen ſic alluditur, quo crocodilum ſignificari ex *Arabibus* diſcimus. *Alcamus* الفرعون التمساح *Pharao, crocodilus.* Itaque cum dicit *Ezechiel*, Pharao, *magne* thannin, *qui cubas in medio rivorum tuorum*, idem eſt ac ſi diceret: O qui *Pharaonis*, ſeu crocodili nomine gloriaris, idem te manet caſus qui crocodilum, qui ferreo hamo capitur, aut verò ferreis retibus involvitur, atque ita volens nolens è flumine ad necem trahitur.

Ægyptia crocodili nomina ſcriptores multa memorant. Vetuſtiſſimum *Herodoti* lib. 2. Καλέονται δὲ οὐ κροκόδειλοι, ἀλλὰ χάμψαι, *crocodili autem* (ab *Ægyptiis*) *non vocantur, ſed champſæ.* Alludit *Arabicum* تمساح *thamſach*, vel *thimſach.* Nam χ, & ح ſunt permutabiles, ut in ὄρνιχες pro ὄρνιθες. Secundum eſt σοῦχος. *Strabo* lib. 17. de urbe *Arſinoe*: Κροκοδείλων δὲ πόλις ἐκαλεῖτο πρότερον. σφόδρα γὰρ ἐν τῷ νομῷ τούτῳ τιμῶσι τὸν κροκόδειλον. καὶ ἔστιν ἱερὸς παρ' αὐτοῖς, ἐν λίμνῃ καθ' αὑτὸν τρεφόμενος, χειροήθης τοῖς ἱερεῦσι, Καλεῖται δὲ Σοῦχος, *Crocodilorum urbs primò vocabatur. In illo enim* Nomo *crocodilum plurimum colunt, & eſt ſacer apud eos, in lacu quodam ſeorſim nutritus, ſacerdotibus manſuetus, &* Suchus *appellatur. Damaſcius* apud *Photium*: Ὁ ἱπποπόταμος ἄδικον ζῶον, &c. ὁ Σοῦχος δίκαιος. ὄνομα δὲ κροκοδείλου καὶ εἶδος ὁ Σοῦχος, *Hippopotamus injuſtum animal*, &c. *Sed* Suchus *juſtus eſt. Eſt autem* Suchus *crocodili nomen & ſpecies.* Durat hodieque nomen. Nam crocodilus *Coptice* σοῦχι *ſuchi* vocatur, quaſi κολυμβητὴν dixeris, id eſt, *natatorem*, ſeu *urinatorem. Hebræis* enim שחה, *Talmudicis* סחו, *Arabibus* سوخ vel صوخ eſt *natare*, vel *urinari.* Nomen ab argumento inditum. Quippe in *Arſinoite Nomo Crocodilopolitano* crocodilum quendam ſic appellabant à ſe certis ritibus conſecratum, & cultum, in crocodili illius memoriam qui, *Menam* Regem inſequentium canum metu in *Mœridem* lacum ruentem, dorſo exceptum trajecit in ulteriorem ripam. Meritò igitur *Suchus*, ſeu κολυμβητὴς, dictus eſt, qui in Rege ſervando tam egregium natatorem ſe præſtitit. *Hiſtoria* de crocodilo, & *Menâ* Rege, partim eſt in *Herodoto*, & *Strabone*, partim in *Diodoro*, & *Stephano* in Κροκοδείλων πόλις. Tertio crocodilos *nephoth* ab *Ægyptiis* vocitari nonnulli tradunt. *Epiphanius* de vitis Prophetarum in *Jeremia*: Τῶν ὑδάτων θῆρες οὓς καλοῦσιν οἱ Αἰγύπτιοι Νεφώθ. Ἕλληνες τοὺς κροκοδείλους. Alii ſcribunt *menephoth. Pſeudo-Dorotheus* in *Synopſi*: *Cum à beſtiis aquaticis turbarentur, quas* Ægypti menephoth, Græci *verò crocodilos vocant.* Atque id puto rectius: Sic enim à *Memphi* dici videntur, quæ *Arabibus* eſt منف *Menph*, vel *Meneph.* Itaque *Menephoth*, id eſt, *Memphita.* Et *Memphita*, id eſt, *Ægypti*, quia *Ægypto* metropolis erat *Memphis.*

CAPUT DECIMUM NONUM.

De Sanguiſuga.

Sanguiſuga olim hirudo, *an quaſi* hiludo, *ut* λειριόεις *pro* ἰλυόεις, *à paludoſis locis?* Græcè Βδέλλα ἀπὸ τοῦ βδάλλειν, *id eſt, exſugere.* Arabicè علقة *alaka*, ab علق *quod pendere eſt. Multa inde deducta. Ratio originis. Cur* Pſal.12.v.9. *in* Thargum *impii dicantur* ambulare in circuitum ut ſanguiſuga. *Sanguiſuga greſſus, ſpecies volutationis*, Græcè ἰλυσπασις, *quod vermi etiam & ſerpenti tribuitur. Longè alia mens* Davidis *qui de ſanguiſuga ne* γρῦ *quidem. Quid* Chaldæum *fefellerit.* Infinitivus *pro* Participio, *Prov.* 30.*v.*15. ſanguiſugæ duæ filiæ, *&c. Sanguiſuga nulla filia, quia non generat. Merceri* σφάλμα, *de biſurcata ſanguiſugæ lingua, cum linguam non habeat. Sanguiſuga quam ſanguinis avida. Verba* Solomonis, *nec cum antecedentibus, nec cum ſequentibus jungi.* Græcus, Syrus *&* Arabs, *cur ſanguiſugæ pro duabus tres filias aſſignent. Sanguiſuga* עלקה alaka, *dicitur. At* עלוקה aluka, Arabicè علوق aluk, *planè aliud eſt, nempe fatum, & quod Dei decreto unicuique appenſum eſt, ut* Sap. 11. v. 21. *& in* Daniele, Mene thekel, *&c. Sic lances in manu* Jovis *apud* Poetas. *Hoc Dei decretum parit*, Soph. 2. v. 2. *Hujus filia duæ foſſa, &* שאול, *quarum una corpus, altera animam appetit. Aut Paradiſus, & Inferi. Hujus ſententiæ veſtigia in* Midras. Mercerus *notatus.*

QUÆ à ſuctu ſanguinis *ſanguiſuga Plinii* ævo dici cœpit, prius hirudo vocabatur. Hinc *Plinius* libri octavi capite decimo, ubi de elephantis: *Cruciatum in potu maximum ſentiunt, hauſta hirudine, quam ſanguiſugam vulgò cœpiſſe appellari adverto.* Et libri trigeſimi ſecundi capite decimo. *Diverſus hirudinum, quas ſanguiſugas vocant, ad extrahendum ſanguinem uſus eſt.* Proinde qui ſcriptores ante *Plinium* vixerunt, hirudinem conſtanter vocant. *Plautus* in *Epidico*, Act. 2.

- - jam ego me vertam in hirudinem,
Atque eorum exſugebo ſanguinem.

Cicero ad *Atticum* lib. 1. *Epiſtola* 13. *Illa concionalis hirudo ærarii, miſera, & jejuna plebecula. Horatius* de *Arte* in fine:

Non

Non miſſura cutem, niſi plena cruoris hirudo.

Origo vocis nondum eſt nota: Iis enim hærere calculum patet, qui ab hærendo deducunt, ac ſi *hirudo* diceretur quaſi *hæredo*, repugnante primâ ſyllabâ, quæ in *hirudo* brevis eſt. Sed cum *R* & *L* ſint maximè permutabiles, & ardea *Græcè* dicatur ἰλωδιὸς, pro ἐρωδιός, quidni ſanguiſuga, *hirudo* vocata ſit quaſi *hiludo*, quia naſcitur ἐν τόποις ἰλώδεσι, aut ſi mavis, ἰλυώδεσι, in locis paludoſis, & limoſis? Unde *Gloſſæ* veteres: *Hirudo*, λιμναία βδέλλα, id eſt, paludoſa ſanguiſuga. Et *Theocritus* in *Pharmaceutria*

- - ὡς λιμνᾶτις ἅπαν ἐκ βδέλλα πέπωκας.

Ut paluſtris hirudo, omnem (ſanguinem) *ebibiſti*. Et *Oppianus* lib. 2. *Halieut.* ſanguiſugas vocat κυανόχροα λίμνης ἑρπετὰ, *nigra paludis reptilia*. Raro enim in aliis aquis, quàm in paluſtribus, lacuſtribus, & ſtagnantibus inveniuntur. *Græcum* βδέλλα fit παρὰ τὸ βδέλλω τὸ ἀμέλγω, à verbo βδέλλω, quod exſugere ſignificat. Ita eſt in *Etymologo*. Tamen alibi exſugere non eſt βδέλλειν, ſed βδάλλειν, quod & ipſe agnoſcit, & α mutatum eſſe in ε, ut in *Attico* λεώς, pro λαός. *Arabicè* علقة *alaka*, dicitur à pendendo, & adhærendo. Nam علق *alaka*, verbum pendere, & adhærere eſt. Et indidem ſunt علق *alak*, trochlea ex qua quid pendet علاقة *ilaka*, lorum ex quo pendet arcus, vel enſis, عليق *ollaik*, rubus qui veſti adhæret عالق *alik*, caper, aut camelus, qui ſummas arborum partes tanquam ab iis ſuſpenſus depaſcitur, عولق *aulak*, appendix, تعليق *thalik*, vel معلاق *milak*, ſcripturæ genus, in quo characteres alii aliis adhærent, tanquam ſuſpenſi ab invicem. Quod *Arabes* à *Perſis*, & *Hebræi* ab *Arabibus* mutuati ſunt. Vide plura apud *Eliam* in *Thisbi* voce משקיט. Proinde العلقة *alaka*, id eſt, *hirudo*, à *Damire* definitur دود اسود او احمر يكون في الما يعلق بالبدن ويمص الدم *vermis niger, aut ruber in aqua degens, qui pendet à corpore, ut exſugat ſanguinem*. Notâ *pendet*, *Arabicè* يعلق unde *hirudo* علقة. Et medicos *Arabes* eodem verbo ſemper uti, cum ſanguiſugas pendere dicunt ex parte corporis cui adhærent. Sic *Avicenna* lib. 1. *Fen.* 4. cap. 22. *Arab.* 23. وما ينشطها للتعلق مسح الوضع بطين الراس او بدم *Et in iis quibus ad pendendum invitantur, eſt, ut locus luto capitis* (a), *aut ſanguine illinatur*. Et poſtquam ad hoc ipſum plura alia præſcripſit; *Hæc omnia*, inquit, *parata, & repoſita eſſe oportet* عند معلق العلق *apud eum, qui ſanguiſugas appenſurus eſt*. Et lib. 3. *Fen.* 9. capite 5. *Et ſanguiſuga quandoque* علقت *pendet in parte conſpicua gutturis, quandoque* علقت *pendet intra œſophagum, quandoque* علقت *pendet in ſtomacho, quandoque tam parva eſt, ut illum etiam lateat qui accuratè perſpicit* علوقها *ſuſpenſionem ejus*. Et cap. 7. حتى تترك العلقة الموضع الذي علقت به *donec relinquat hirudo locum à quo pendet*. Neque aliter loquuntur medicorum alii, quod probare ſit facillimum. Omnino igitur à pendendo factum eſt ſanguiſugæ nomen *Arabicum*, adeoque *Chaldæum*, & *Hebræum*, quod cum *Arabico* idem eſt. Niſi quod quæ *Arabibus* علقة *alaka*, his eſt עלוקה *aluka*, ut quidem volunt *Hebræi* recentiores. Quod hic obſervandum duxi, quia vocis originem *Syri*, & *Chaldæi* neſciunt.

a) Lutum eſt homi ſordes, cutem illitum capillis ſiunt longiores: Eo utuntur in balneis Arabicæ mulieres.

Duo ſunt Scripturæ loca quæ interpretes ad ſanguiſugam referunt. Prior *Pſal.* 12. *v.* 9. ubi *Chaldæus* חזור חזור רשיעיא מהלכין כעלוקא דמצצא דמהון דבני אדם, *Impii circumcirca (vel in circuitum) ambulant, ut ſanguiſuga, quæ ſugit ſanguinem filiorum hominum*. Quod quo referam, non ſatis ſcio, niſi impios, quorum viæ ſunt obliquæ, & flexuoſæ, ideo cum ſanguiſuga conferri poſſe putaverit ille interpres, quia *hirundinum* greſſus ſpecies eſt volutationis, quam voce maximè propriâ *Græci* ἰλύσπασιν, & ἰλύσπασμα, vocant, à verbo ἰλυσπᾶσθαι, quia poſtquam priore parte proceſſerunt, poſteriorem ad illam ſe convolvendo trahunt, ita ut videantur arcuatim, & annulatim progredi. Quod *Geſnerus* ita deſcribit. *Movetur* hirudo *extenſione, & contractione corporis ſui ceu annulis conſtituti, ſicut lumbrici. Non tamen cuivis corporis parti, ut illi, innititur, ſed caudæ tantum, & ori. Nam caudæ innitens corpus reliquum quantum poteſt, aut vult, extendit, ſive rectà ante ſe, ſive retro, aut reflexum: Tum ore fixo caudam, & reliquum corpus arcuatim attrahit, vel ad os uſq; contiguè vel quouſque libuerit, et verſus.* Et multo ante *Philoſophus* in libro de *Animalium* inceſſu cap. 9. ubi τῶν ἀπόδων greſſum deſcribit: Τὰ μὲν ἐπὶ τῆς γῆς, καθάπερ οἱ ὄφεις, τὰς καμπὰς ποιεῖται, τὰ δὲ εἰς τὸ ἄνω, ὥσπερ αἱ κάμπαι. τὰ δὲ ἰλυσπᾶται [illegible], καθάπερ τὰ καλούμενα γῆς ἔντερα καὶ βδέλλαι. ταῦτα γὰρ τῷ μὲν ἡγουμένῳ προέρχεται, τὸ δὲ λοιπὸν σῶμα πᾶν πρὸς τοῦτο συνάγει. *Alia quidem ſuper terram ut ſerpentes, inflectuntur: Alia ſuperne ut* Erucæ: *Alia volubili tractu utuntur ut lumbrici, quos inteſtina terræ appellant, & ſanguiſugæ. Illa enim, cum anteriore parte proceſſerunt, reliquum corpus totum ei conjungunt.* Itaque ex *Philoſophi* mente ἰλύσπασις, vermi, & *hirudini* propria eſt. Alii tamen etiam ſerpenti tribuunt. *Heſychius*, ἰλυσπᾶσθαι. τὸ παραπλησίως τοῖς ὄφεσιν ἢ σκώληξιν εἶναι, κυλίεσθαι, εἱλεῖσθαι, *volutim trahi, ſerpentum, aut vermium inſtar progredi, circumagi, convolvi*. *Euſtathius* itidem in lib. 1. *Odyſſeæ*: Τὸ ἰλυσπᾶσθαι, ὁμοίως ὄφει καὶ σκώληκι εἱλεῖσθαι καὶ σπᾶσθαι ἤγουν κινεῖσθαι, ὅθεν καὶ ἰλύσπασμα ἡ τοιαύτη κίνησις. Quod variis in locis ſummus vates ſummâ expreſſit arte, *Georg.* lib. 2.

Nec rapit immenſos orbes per humum, neque tanto
Squameus in ſpiram tractu ſe colligit anguis.

Ubi *Servius*: *In ſpiram dicit, in collectione volubilitatis.* Et lib. 2. *Æn.*

- - *ſinuatq; immenſa volumine terga.*

Et lib. 5. *Æn.*

- - - *longos fugiens dat corpore tortus.*

Nec multo poſt ibidem.

Nexantem nodos, ſeque in ſua membra plicantem.

Quod inceſſus genus cum non poſſit non eſſe ſinuoſum, utcunque exprimit impiorum artes, qui non rectà ſe oblique, & per ambages feruntur. Itaque hæc potuit eſſe mens *Chaldæi Paraphraſtæ*. Sed quicquid ille intellexerit, certum eſt à Prophetæ mente eum receſſiſſe immenſum quantum. *Hebræa* enim ſic habent סביב רשעים יתהלכון כרם זלות לבני אדם, quæ ad verbum ſic ſonant, *circumquaque impii obambulant, cum exaltatur vilitas filiorum hominum*. Senſus eſt florere impios, & libere ſe diffundere, cùm exaltantur homines nihili, quibus graſſanti malo ſe opponere, & unumquemq; intra officii ſui fines coërcere nulla cura eſt. Quale illud *Salomonis*, Prov. 29 v. 2.

Cum

Cum dominatur improbus, ſuſpirat populus. Et verſ.16. *Cum creſcunt improbi, creſcit defectio.* Itaque ambulare סבב, eſt circumquaque ferri, non obliquè, & in circulum, ut non ſolus hic interpres, ſed & plures alii ſumunt. Sed leve videbitur prius hoc παρόραμα, præ eo quod ſequitur, *ut hirudo quæ ſugit ſanguinem filiorum hominum*, de qua *Propheta* νῦν χύ, dicam tamen quid illum fefellerit: זלל, unde זלות, vilitas, non ſolum vilem hominem, ſed & epulonem ac comeſſatorem ſonat. Hinc זלות, vorare, & epulari reddidit, tanquam infinitivum verbi זלל. Quomodo fit חנות, miſereri à verbo חנן, *Pſal.* 77. *v.* 10. Idem pro כרם, per *res*, id eſt, cum exaltatur, legit כדם, per *daleth.* Sic כדם זלות ſonaret, *ſicut ſanguinem vorare*, id eſt, *ſicut ſanguinem vorans*, vel, *ſicut quæ ſanguinem vorat filiorum hominum.* Prout infinitivus ſæpe pro participio ſumitur, ut *Joſ.* 3. *v.* 17. *Stabant Sacerdotes*, &c. *in medio* Jordane הכן, *firmari*, id eſt, מוכנים, firmati *Habac.* 2. *v.* 15. *Væ potum danti ſocio ſuo, & etiam* שכר, *inebriare*, id eſt, משכר, *inebrianti.* Hæc porro verba כדם זלות, *ut ſanguinem vorare*, vel, *ut quæ ſanguinem vorat filiorum hominum*, ſic accepta ſunt ab illo interprete, quaſi pertinerent ad ſanguiſugæ deſcriptionem. Unde nata eſt verſio quam diximus, quæ quidem eſt planè aliena. Sed ſunt alii interpretes, qui in ejuſdem verſus expoſitione non minus à vero aberrarunt, quod docere eſſet obvium, ſi faceret ad rem noſtram.

Alter de ſanguiſuga locus eſt *Proverb.* 30. *v.* 15. לעלוקה שתי בנות הב הב, *Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ*, quæ dicunt, *affer, affer.* Ita ferè recentiores ex *Symmacho*, & *Hieronymo.* Alii veterum, *Seniores* ſcilicet, *Chaldæus*, *Syrus*, & *Arabs*, ſic in diverſa abeunt, ut עלוקה *aluka*, ſanguiſugam unanimi conſenſu reddant. Unde nata eſt multa quæſtio, quid hic per ſanguiſugam ſignificaverit *Solomon*, aut per duas ejus filias, vel tres etiam, ut habent *Græca*, *Syra*, & *Arabica* lectio. Nam ne propriè, & ad literam hæc ſumantur, duo potiſſimum obſtant: Unum quòd aliena hic eſſet mentio ſanguiſugæ propriè dictæ: Alterum quod ſanguiſuga nullas habet filias. Neque enim ſanguiſugæ generant, aut generantur, ſed naſcuntur ex putredine. Et prorſus abſurdum eſt quod in *Mercero* habetur, duas ſanguiſugæ filias nonnullos referre ad biſulcam, & *biſurcatam ejus linguam, ut* Plinius *tradit.* Cum animalis linguæ cum fœtu nihil ſit commune. Ne dicam in *Plinio* nihil legi de lingua ſanguiſugæ, neque in ullo veterum. Et verò lingua carent *hirudines*, neque aliter ſanguinem ſugunt quam ore rotundo in ſphincteris modum compreſſo, & coarctato. Proinde coguntur plerique interpretes ad allegoriam confugere, tanquam ad ſacram anchoram. Atque alii quidem hunc verſum cum antecedenti jungunt. *Eſt generatio cujus dentes ſunt ut gladii, & ut cultri, molares ejus, ut devorent pauperes è terra, & egenos ex hominibus.* Quaſi hujuſmodi homines cum *hirudine* conferantur, quæ ſanguinis tam eſt avida, ut ad ſanguinem exſugendum carni admota, nunquam deſiſtat, donec decidat plena cruoris. Unde *Theocritus* in *Pharmaceutria*:

> Αἰ αἰ ἔρως ἀνιαρὲ, τί μευ μέλαν ἐκ χροὸς αἷμα
> Ἐμφὺς, ὡς λιμνᾶτις ἅπαν ἐκ βδέλλα πέπωκας;

Eheu, eheu, triſtis amor, cur mihi atrum è corpore ſanguinem, inhærens ut paluſtris hirudo, *omnem exſuxiſti?* Et *Horatius*:

> *Non miſſura cutem niſi plena cruoris* hirudo.

Et *Oppianus* multò uberius de Medico qui ſanguiſugas apponit:

> - - δικρὰς δὲ γονὰς κυανόχροας λίμνης
> Ἑρπετὰ τειρομένοιο κατὰ χροὸς ἐς ἡέλξει,
> Δαίνυσθαι μέλαν αἷμα. τὰ δ' αὐτίκα γυρωθέντα
> Κυλίνδεται, ἢ λύθρον ἐφέλκεται, οὐδ' ἀπίασιν.
> Εἰσόκεν αἱμοβαφῆ ζοφερὸν ποτὸν ἀμ ἐρύγοντα
> Ἐκ χροὸς αὐτοκύλιστα πέσῃ μεθύουσιν ὅμοια.

Humidam ſobolem, nigra ſtatim reptilia, afflictam ad cutem figit, ut depaſcantur atrum cruorem. Illa verò ſtatim rotundata inflectuntur, & ſaniem attrahunt, neque remittunt, donec ſanguine gravata, poſtquam meracum potum eduxerunt, de cute ſponte voluta cadant, ebriis ſimilia. Quæ ſatis benè hactenus. Sed cum ventum eſt ad duas *hirudinis* filias, nihil afferunt quod vel minimam habeat veri ſpeciem. Itaque alii malunt hæc conjungere cum ſequentibus in eodem, & ſequenti verſu: *Tria ſunt inſatiabilia, imò quatuor quæ non dicunt, ſatis eſt: Sepulchrum, & occluſa vulva, terra, quæ non ſatiatur aqua, & ignis qui non dicit, ſatis eſt.* Quaſi dixerit Sacer ſcriptor, duo eſſe, quæ ſemper clament, affer, affer, quæque ideò vocentur ſanguiſugæ filiæ: Imò tria quæ ſatientur, imo quatuor quæ nunquam dicant, ſufficit: nempe ſepulchrum, vulva ſterilis, &c. Ex qua interpretatione ſepulchrum, & vulva ſterilis eſſent ſanguiſugæ filiæ, quod videtur valde coactum. Præterea in ſimilibus numerorum gradationibus, poſt primum numerum expreſſum ſcriptura nonniſi unum addit pro auctario, & ἐπιμέτρῳ. Sic in hoc ipſo capite verſu 18. *Tria iſta occulta à me, imò quatuor hæc non novi.* Et verſ. 21. *Sub tribus commovetur terra, imò ſub quatuor quæ non poteſt ferre.* Et verſ. 29. *Tria iſta bene procedunt, imò quatuor bene ambulant.* Et *Amos* 1. *v.* 3. *Propter tres defectiones* Damaſci, *imò propter quatuor.* Et in Lege, *Exod.* 20. *v.* 5. *Viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem.* Et *Prov.* 6. *v.* 16. *Sex ſunt quæ odit Dominus, imò ſeptem ſunt abominatio animæ ejus.* Et *Job.* 5. *v.* 19. *In ſex tribulationibus liberabit te, & in ſeptima non tanget te malum.* At hic à binario ad ternarium, & à ternario ad quaternarium procedi volunt, quæ phraſis eſſet ſine exemplo. Quod incommodum ut vitarent *Græci* interpretes, & hos ſequuti *Syrus*, & *Arabs*, ſanguiſugæ pro duabus tres filias aſſignarunt. Sed *Hebræi*, *Chaldæi*, *Symmachus*, & *Hieronymus*, nonniſi duas habent.

Itaque cum hæc verba, neque cum præcedentibus, neque cum ſequentibus videantur commodè poſſe jungi, malo illa ſeparatim ſumere. Ita tamen ut voce עלוקה *aluka*, aliud intelligam quam quod vulgò creditur. Videntur enim tot illi interpretes, qui ſanguiſugam reddiderunt, duas voces ſono ſimiles, ſed ſignificatione diverſiſſimas, promiſcuè ſumpſiſſe, nempe עלקה *alaka*, & עלוקה *aluka*, quarum illa ſanguiſugam, hæc planè aliud ſonat, quæ duo jam probanda ſunt. Et prius illud quidem, nimirum ſanguiſugam עלקה *alaka* dici, non עלוקה *aluka*, *Arabes* omnes palam profitentur, à quibus accepta vox toto Oriente diſſeminata eſt. His addo *Syros*, qui ſcribunt ܥܠܩܐ, ſine *Vau* in *Syro Ferrarii Lexico* pag. 460. & in *Theſauro Thomæ* à *Novaria* pag. 244. Quibus accedunt *Talmudici*: Hos enim עלקא, vel עלקה, ſcribere ſine inſerto *Vau* probat Cl. *Buxtorfius* in *Lexico Talmudico* exemplis allatis ex *Avoda zara*, & *Bechoroth.* Pro עלקה, legitur עקה, R & L permutatis in *Lexico Baal Aruch*, ſed non inſeritur *Vau.* Quod reperio tamen in *Chaldæa Paraphraſi*, *Pſal.* 12. & *Proverb.* 30. & in ultima *Talmudis* editione *Amſterodami* procurata *Anno* 1645. ſed à nuperis doctoribus perperam intruſum, & contra fidem veterum exemplarium. Itaque hoc ratum maneat, verum ſanguiſugæ nomen eſſe עלקה *alaka.*

At עלוקה *aluka*, ut quidem puto, *Hebraicè* id ipſum eſt quod *Arabicè* غلوق *aluk*; Nempe, ut explicant *Arabes* in *Alcamus*

الغول والداهية والمنية وما يعلق للانسان *Parca, & gravis caſus, & fatum, & quod homini impendet*, vel *appenſum eſt*. In quibus primaria vocis ſignificatio, illa videtur eſſe, quam ultimo loco ponunt. Nam ut علق *alaka*, dependere, & appendi ſignificat, ita علوق *aluk*, eſt vitæ terminus, & fatum, quod unicuique homini Dei decreto appenſum eſt. Prout id ipſum alio nomine منية *menija* dicitur à verbo مني *mana*, numerare, vel aliquid certâ quantitate & numero definire. Quia Deus omnia in menſura, numero, & pondere diſponit, *Sap.* 1. *v.* 21. Inprimis cum de vita hominum agitur, quos ſpeciali curâ dignatur. Quod Regi *Babylonio* ſignificavit Scriptura illa, Dei manu exarata. *Mene, mene, thekel uphar ſin*; id eſt, *Numeravit, numeravit, ponderavit, & dividunt*. Itaque *Daniel* his verbis alioqui obſcuris lucem inferens, Regem ſic alloquitur: *Numeravit Deus Regnum tuum* (tanquam ſubductis calculis) *& complevit illud*; *Et appenſus fuiſti lancibus, atque inventus es levior*; Ac proinde illâ ipsâ nocte Rex occiſus eſt. Similes lances *Poetæ* ponunt in manu *Jovis*, quibus appendit fata hominum. Hâc tamen differentiâ, quod cum hic morti adjudicetur *Babylonius* Rex quia levior, ut nummus reprobus qui rejicitur, quia non eſt juſti ponderis; contra *Poetæ* cladem iis imminere volunt quorum lances deprimuntur, quaſi ad inferos vergerent. Sic *Iliad.* libro octavo verſu 69.

Καὶ τότε δὴ χρύσεια πατὴρ ἐτίταινε τάλαντα,
Ἐν δ' ἐτίθει δύο κῆρε τανηλεγέος θανάτοιο,
Τρώων θ' ἱπποδάμων, καὶ Ἀχαιῶν χαλκοχιτώνων.
Ἕλκε δὲ μέσσα λαβών, ῥέπε δ' αἴσιμον ἦμαρ Ἀχαιῶν.
Αἱ μὲν Ἀχαιῶν κῆρες ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ
Ἑζέσθην, Τρώων δὲ πρὸς οὐρανὸν εὐρὺν ἄερθεν.

Tum vero aureas pater extendit lances, quibus impoſuit duo fata longum ſomnum excitantis mortis, Trojanorum *equitum, &* Græcorum *ære armatorum. Traxit autem medias capiens, & inclinatus eſt* Græcorum *fatalis dies. Et* Græcorum *quidem fata in terra multi-paſcua conſederunt; Troûm vero fata ad latum cœlum ſublata ſunt.* Et *Iliad.* libro vigeſimo ſecundo verſu 209. cum iiſdem lancibus *Hectoris*, & *Achillis* fata, *Jupiter* appendiſſet,

——— *ῥέπε δ' Ἕκτορος αἴσιμον ἦμαρ*
ᾤχετο δ' εἰς Ἀΐδαο.

Inclinatus eſt Hectoris *fatalis dies, & iit in inferos deſcendit.* Quale eſt quod *Æn.* libro duodecimo, *Æneâ*, & *Turno* pugnaturis:

Juppiter ipſe duas æquato examine lances
Suſtinet, & fata imponit diverſa duorum,
Quem damnet labor, & quo vergat pondere letum.

Hactenus probare conati ſumus *Hebræo* verbo עלוקה *aluka*, ſignificari fatum unicuique impendens, non Stoicâ neceſſitate, ſed ineluctabili Dei decreto de hominum vita, & morte. Nec mirum, huic decreto, & fatali termino prolem tribui, cum *Sophon.* 2. *v.* 2. parere legatur Dei decretum. Ut *Prov.* 27. *v.* 1. dies craſtina parere dicitur. Ad quæ verba *Mercerus* obſervat, *Hebræos* eventus appellare *filios temporis*. Ita hic parit fatalis dies, & decretum de morte hominum, & duas habet filias quæ clamant affer, affer. Hæ filiæ fortaſſe ſunt שאול ואבדה, de quibus *Prov.* 27. *v.* 20. שאול ואבדה לא תשבענה Vulg. *Infernus, & perditio nunquam implentur.* Vel ſi hæc duo putentur eſſe *ἰσοδυνάμα*, hæ filiæ erunt שחת ושאול, *foſſa*, & *ſeol*, quarum una corpus, altera animam appetit. Nempe שחת, ſepulcrum ſonat in quo corpus conditur; Et שאול, *ſeol*, plerumque locum, ſeu ſtatum animæ à corpore ſeparatæ. Falluntur enim qui nomine שאול, nonniſi inferos intelligunt, ſeu damnatorum locum. Filias *Hebræi* vocant, quia utraque vox, vel fœminina, vel ſaltem communis eſt. Et fatalis dici filias, quia utramque generat fatalis ille terminus nobis à Deo conſtitutus. Nam inde eſt quod uno eodemque momento corpus foſſæ deſtinatur, & anima לשאול לך *ſeol*. Cogor *Hebraice* loqui, quia *Latina* vox nulla ſuppetit quæ *Hebraicam* ſatis exprimat. Et duæ illæ fati filiæ ſemper clamare dicuntur *affer, affer*, quia ſunt inexplebiles, & totum genus humanum communi ruinâ involvunt. Itaque verſu ſtatim ſequente שאול *ſeol*, in quatuor illis primò nominatur quæ nunquam dicunt, ſatis eſt. Nec eſt quod hæc interpretatio vobis עלוקה *aluka*, novitatis nomine ſuſpecta ſit. Hujus enim veſtigia in *R. Selomone* reperias expreſſa ex *Menachem*, & *Midras* in *Pſalmos* qui liber eſt pervetuſtus. Verba *Selomonis* ſic habent

מנחם פתר כמשמעו למדנו שהוא ערבי והפותרים
אומרים שהוא לשון שאול ומורד ומדרש תלים
למדנו כן שפותר שתי בנות גן עדן וגיהנם זו
אומרת תנו לי צדיקים וזו אומרת תנו לי רשעים.

Menachem *juxta ſenſum literalem ſic interpretatur: Didicimus vocem eſſe* Arabicam *quam interpretes* שאול, ſeol, *& illuc deſcenſum ſignificare aſſerunt. Quod confirmavit* Midras (*ſeu* Commentarius *in* Pſalmos) *qui duas filias interpretatur hortum* Edenis (Paradiſum) *&* Geennam; *Quorum ille dicit, date mihi juſtos, hæc verò clamat, date mihi impios.* Ipſamet *Selomonis* verba profero, quia illa ſic citat doctiſſimus *Mercerus*, ut doceat ſe non ſatis attentè legiſſe. Ità enim habet *Mercerus*: Rabbi Selomo, *inquit, in* Midras Tillim (id eſt, *Pſalmorum*) עלוקה, *hirudinem expons geennam; ſed id eſt allegoricum.* Nihil tale dicit *Selomo*, neque is quem citat *Menachem*. Sed עלוקה *aluka*, quæ aliis ſanguiſuga, illis כמשמעו, ſecundum literalem ſenſum eſt, animarum translatio in שאול *ſeol*, quo nomine tam *Paradiſum*, quam *Geennam* intelligunt. Quod tam ex *Arabica* linguâ probant; quam ex *Midras* in *Pſalmos*. Itaque hæc non proferunt tanquam allegorica, ſed tanquam ad literalem ſenſum pertinentia. Et verò *R. Menachem*, quem paſſim citat *R. Selomo*, non ſcripſit allegorias, ſed *Lexicon* in quo nudas voces explicaverat. Reliqua quæ in hunc locum ſcribunt doctores, conſulto prætereo, quia ſunt omnia præter rem. Multa movent, ſed nihil promovent. His igitur neglectis jam pergimus ad caput ſequens.

ἐν ταῖς ναρδοφόροις λίμναις, διὸ καὶ ἀρωματίζει, νεμομένων τῶν κογχυλίων τὴν νάρδον· συλλέγεται δὲ ἐπειδὰν ὑπὸ τῶν αὐχμῶν ἀναξηρανθῶσιν αἱ λίμναι. διαφέρει δὲ ὁ ἀπὸ τῆς ἐρυθρᾶς κομιζόμενος, ὑπόλευκος ὤν, καὶ λιπαρός. μέλας δὲ ὁ Βαβυλώνιος, καὶ μικρότερος, ἀμφότεροι εὐώδεις, θυμιώμενοι, καστορίζοντες πως τῇ ὀσμῇ, *Onyx eſt conchylii operculum, purpuræ operculo ſimile: In* India *reperitur, in nardiferis paludibus. Proinde odoratus eſt, quia conchylia nardo paſcuntur. Colligitur poſtquam æſtus paludes deſiccavit. Præſtat ſubalbus, & pinguis qui è mari* Rubro *affertur.* Babylonius *niger eſt, & minor. Ambo ſunt boni odoris, cum ſuffiuntur, caſtorei odorem aliquem referentes.* Sequitur hyſtericis, & comitialibus ſuffitos, alvo potos prodeſſe & crematorum cinerem iiſdem pollere viribus cum purpurarum, & buccinarum cinere. Quæ eadem reperias in *Paulo Ægineta.* De cætero de hoc onyche *Græci*, & *Romani* altum ſilent. Neque enim ad rem eſt, quod profertur ex libro tertio *Propertii*:

Et crocino nares murreus ungat onyx.

Cum murreus onyx non ſit unguentum, ſed vas ex murra, ſeu *porcellana* ut vocant, onyx ideo dictus, quod ex onyche lapide hujuſmodi vaſcula ſæpe fierent. Sed in *Arabum* ſcriptis onychis teſtæ multa mentio eſt. *Avicenna* vocat اظفار الطيب *ungues odoratos.* Et poſtquam citavit verba *Dioſcoridis*, nonnulla de ſuo addit, in quibus hæc obſervare libuit القلزمي هي التي يسمي القرشية منها ويقال انها يكون ملتزقة باللحم والجلد وربما وقع شي الي عبادان وكثير منه مكي ويجلب من الجد وهذه تعالج فتنقي وتطيب *Kelzemia* (ſeu maris *Rubri Conchylia*) *ſunt quæ* Coraſia *appellant. Illa dicuntur carni, & cuti maximè adhærere. Quandoque etiam nonnulla reperire eſt prope* Abadan (arcem ad occaſum *Tigridis* XXXVI μ. infra *Baſoram*, de qua *Nubienſis Clim.* 3. *Part.* 6.) *Sed pleraque ſunt* Mecchenſes, *& afferuntur ex* (*Mecchenſi* portu) *Giodda, Quæ ad remedia maximè proſunt, pinguesque ſunt, & boni odoris.* Et in titulo de electione اجوده الضاري الي البياض الواقع الي القلزم والي اليمن والبحرين واما البابلي فاسود صغير جدا قال العطارون خيره البحري ثم المكي الجدي *Optima ſunt quæ ad albedinem vergunt, quales reperiuntur in ſinu* Arabico, *& in* Jeman, (id eſt *Oceano* ad Arabiam *Fœlicem*) *&* Baharain (in mari *Perſico*) *ſed* Babylonicæ *nigriores ſunt, & parvæ admodum.* Seplaſiarii *præferunt* Baharienſes, *deinde* Mecchanas *ex portu* Giodda. Multa hic interpretes ridiculè, & nullo ſenſu. Jam ſequentur alii *Arabes* nondum editi de hac eadem teſta. *Alchalil* filius *Achmet.* الاظفار شي من العطر اسود شبيه بالظفر *Adphar*, (ungues) *aliquid aromaticum nigrum ungui ſimile.* Ibno Raduan وجدت في كتاب الطيب ان انواع الظفر كثيرة منها ما يكون في البحر اليمن ومنها ما يكون في البحر البصره ومنها ما يكون بالبحرين وهو اجودها ومنها ما يكون ببحر القلزم ويجلب من جده *Reperi in libris aromatariis, plures eſſe unguis* (aromatici) *ſpecies. Alius enim eſt in mari* Jeman: *Alius in mari* Baſoræ: *Alius in* Baharain, *qui optimus eſt: Alius in mari* Kelzem, ſeu *Rubro*, *qui affertur ex* Giodda, Iſaac Ben Omran اجود الاظفار القرشية والبحرية وهي حمراة مقعرة وبعدها الاظفار الفارسية وهي كبار الي السواد وبعدها الاظفار الدكران وهي التي يقال لها البغلية والاظفار القرشية تدخل في الندود والاعواد والبرمكية والمثلثة والاظفار الفارسية والدكران تدخل في بخور القسط البحوي ونحوه *Optimi ſunt ungues* Koraſii, *& ex* Baharain, *qui ſunt profunde rubri. Et poſt eos, ungues* Perſici *qui magni ſunt ad nigredinem declinantes: Poſt quos, ungues ex* Docran, *qui vocantur* Baglii (id eſt, ἡμιόνειοι.) *Porro* Coraſii *ungues miſcentur unguentis ex ambaro, & xylaloe, & pharmaciis, & electuariis, &c. Sed ungues* Perſici, *&* Docran *miſcentur ſuffitibus coſti* Bachavienſis *& ſimilibus.* Poſſent longè plura proferri de ungue aromatico, tam ex hoc ipſo ſcriptore, quam ex *Raſi*, & *Maſich*, & *Serapione*, & aliis, quæ libens prætereo, quia ad rem medicam pertinent. Sed in *Alkazuinis* tractatu de animalibus aquaticis, capite عطار *itar* (quo nomine hanc teſtam vocat, quaſi aromaticam dixeris) quædam habentur quæ non poſſum omittere, quia locus *Dioſcoridis* his maximè illuſtratur صنف من الدواب الصدفية يوجد ببلاد الهند في المياه الغايضة المنبتة الناردين ويوجد بارض بابل ايضا وهو من اعجب الحيوانات له بيت صدفي يخرج منه وجلد ارق شي وله راس

راس واذنان وعينان وفم فاذا دخل بيته يحسبه الانسان صدفة واذا خرج منه ينساب على الارض ويجري بيته معه فاذا جفت المياه في الصيف يجمع ورايحته عطرة لان هذا الحيوان يرتعي الناردين *Species eſt animalis* ὀστρακόδερμον, *quod in* India *reperitur in aquis ſtagnantibus nardo fœcundis, nec non in* Babylonia. *Eſtque animal mirabile. Domum habet teſtaceam, ex qua cum foras ſe profere, pelle apparet tenuiſſimâ, caputque & aures, & oculos, & os exerit. Sed cum in domum ſe recondit, nemo eſt qui non illud putet meram eſſe teſtam. Eo porro ſupra terram repitante, domus cum eo progreditur. Æſtate colligitur cum aqua exaruerunt. Odore eſt aromatico, quia nardo paſcitur.* Hæc ille à *Dioſcoride* non longè abiens, niſi quod conchylio aures & oculos craſſo errore tribuit اظغار *adphar*, pro onyche blattam *Byzantiam* explicant, ut *Avicennæ* interpres, *Pandectarius* & multi recentiorum. Blatta enim *Byzantia* ſumitur ex purpura propriè dicta, onyx ex conchylio quod purpuræ quidem ſimile, non tamen idem eſt. Nec ungue aromatico panni tinguntur, quomodo blattâ *Byzantiâ*. Hoc potiſſimum quod blattæ nihil tribuitur aromaticum. Aliud igitur onyx, aliud blatta *Byzantia*. Sed hi ſunt interpretum errores, quos præſtare noſtrum non eſt. At in ipſo *Dioſcoride* docti non probant, quod *Indica* conchylia nardo paſci voluerit in paludibus ναρδοφόροις. Et *Marcellus* hic exclamat, *Quomodo in paluſtribus nardus vivat, cui in arida vita eſt? Aut ſi juxta paludes illas nardus naſcitur, quomodo oſtreum cui natura eſt ſcopulis in mari hærere, extra aquam veſci in arida poſſit? Rondeletius* itidem, *Si conchylia marina ſunt animalia, quomodo in lacubus inveniuntur, colliguntúrq; aquis æſtu exſiccatis? An mare deſerunt turbinata, ut fluvios lacusque ſubeant.* Uterque fruſtrà. Nam conchylia non ſolum in mari, ſed etiam in paludibus vivere abunde docent hæc *Ptolemæi* in deſcriptione *Cyrenes* libri quarti capite quarto, Καὶ τὴν ὑπὸ Παλίουρον λίμνην, ἐν ᾗ ἐστὶν κογχύλιον, *& paludem quæ ſub* Paliuro *eſt, in qua eſt conchylium.* Et nardum etiam in aquoſis locis provenire docet alibi *Dioſcorides*, cum nardum *Gangeticam* ideò ſcribit minus habere virium, διὰ τὸ ἐφ' ὑδατωδῶν τόπων εἶναι, *quia eſt in aquoſis locis.* Tamen ſi quis nardi nomine malit malobathrum intelligere, cujus folia lacuſtribus aquis innatant, & pro nardi foliis multi habent, odoris ſimilitudine decepti, de eo nolim cum quoquam magnoperè contendere.

Verum enimvero iis quæ dicta ſunt de ungue aromatico, gravius aliud poteſt objici, nempe *Hebræos* qui שחלת *ſecheleth*, unguem explicant, teſtam non intelligere, aut conchæ operculum, ſed aliquid in planta, quod lævore & ſplendore ſuo unguem referat. In quam rem *Hebræorum* verba ſunt diſertiſſima. *Rabbi Selomo* in Exodum שחלת שורש בשם חלק ומצהיר כצפורן ובלשון המשנה קרי צפורן, *Secheleth, radix aromatica levis & lucida ut unguis, unde eſt, quod linguâ* Miſnæ *unguis vocatur. Pomarius* etiam הוא שורש בשמי הנקרא צפורן, *radix eſt aromatica quæ vocatur unguis. Kimchius* quoque & *Elias*, & *Aquinas*, & *Gloſſa Talmudis* in *Cerithuth* idem ſequuntur, niſi quod pro radice סם, aut בשם appellant, id eſt, aroma, vel plantam aromaticam. Illos igitur putaverim bdellium intellexiſſe quod à *Damocrate* & *Galeno* vocatur βδέλλα ὄνυξ, ut ſic ſcilicet diſtinguatur à ſanguiſuga, quæ eſt βδέλλα λιμναία. Videſis *Galenum* in libro de compoſit. medicament. κατὰ τόπους, & in *Damocratis* malagmate libro octavo, & libro ſecundo de *Antidotis*. Nempe βδέλλιον eſt ὅμοιος ὄνυχι, *ungui ſimile*, lævore ſcilicet & ſplendore. Id de *Saracenico* ſeu *Arabico* bdellio cum dixiſſet *Dioſcorides*, huic alterum oppoſuit ῥυπαρὸν καὶ μέλαν καὶ ἁδρόβωλον, *ſordidum & nigrum & craſſioris glebæ*, quod ex *India* defertur. Sed & *Bactriano nidor ſiccus, multique candidi ungues.* Ità *Plinius* libri duodecimi capite nono. Videndum igitur, an unguis nomine *Hebræi* bdellium ſignificaverint, aroma onyche longè odoratius, & myrrhæ naturâ proximum, quodque δάκρυον δένδρου Σαρακηνικοῦ, Saracenicæ *arboris lachrymam* vocat *Dioſcorides*, quia in *Arabia Saracenis* ſeu ſcenitis, non procul à *Judæa*, magnus fuit ejus proventus. *Marcellus* negat arborem quæ fert bdellium, à *Dioſcoride* potuiſſe dici *Saracenicam*, cum *Dioſcoridis* ævo nullum fuerit *Saracenorum* nomen, nec niſi multò pòſt ſit invectum. Tamen *Dioſcoridi Plinius* propè æqualis, horum diſerte meminit libri ſexti capite vigeſimo octavo, *Nabatæis*, inquit, *Thimanæos junxerunt veteres: Nunc ſunt* Taveni, Suellini, Saraceni. Et qui putatur utroque antiquior, *Jeroſolymitanus* interpres *Gen.* 37. *v.* 25. pro turma *Iſmaelitarum* habet סיעא דסרקין, *catervam* Saracenorum.

Quia שחל *ſachal*, animalis, & שחלת, *ſecheleth*, aromatis nomen in ſpeciem ſunt conjugata, ſtatuit *Oleaſter* שחל eſſe *Zibethi* felem, & שחלת odoratum ſudorem quem emittit illud animal. Nobis non licet eſſe tam acutis, ut qui ſciamus שחל eſſe inter leonum ſpecies *Job.* 4. *v.* 10. & 28. *v.* 8. *Oſ.* 5. *v.* 14. & alibi. Neque *Zibethi*, ſive animalis, ſive odoramenti, quemquam meminiſſe ante *Arabes*, qui cum in *Africa* intima primi penetraverint, nobis ignotum anteà hoc animal aperuerunt. Concedimus tamen שחל, & שחלת, eſſe voces conjugatas. Utraque enim eſt à verbo שחר nigrum eſſe vel nigreſcere, *res* & *lamed* permutatis, ut ſæpe fit. Itaque שחל *ſachal*, eſt leo niger, quales in *Syria* reperiri ſuo loco probavimus. Et שחלת *ſecheleth*, aroma nigrum, quod in onychen & bdellium æquè quadrat. *Babylonium* enim onychen nigrum eſſe poſt *Dioſcoridem* ſcribunt *Arabes* magno conſenſu. Si alibi ſubalbeſcunt, tamen nigredo dominatur. Proinde *Alchalil* onychen in genere ſuprà definivit شيء من العطر اسود *aliquid aromaticum nigrum.* Bdellium quod attinet, in *India* abſolutè nigrum eſt, & in *Arabia Petræa* ὑποπέλιον *ſublividum*, quod *Arabs* interpres reddidit من لون الباذنجان *coloris melangenæ.* Eſt enim melangenæ nigræ vel ſubnigræ genus, de quo *Dalechampius* in appendice paginâ 23. quod prope omiſeram, nigra eſt arbor ipſa bdellii. *Plinius* libri duodecimi capite nono. *Vicina eſt* Bactriana, *in qua bdellium nominatiſſimum. Arbor nigra eſt magnitudine oleæ*, &c. Itaque veriſſimile eſt tam שחל, quam שחלת, à nigredine dici.

DE

DE SCRIPTVRÆ ANIMALIBVS, PARS SECUNDA,

Liber Sextus,

DE *Dubiis, vel Fabuloſis.*

CAPUT PRIMUM.

De Tragelapho.

Animalia quædam dubia, aut fabuloſa apud Scripturæ interpretes. *In his* Tragelaphus, *quem pro mero figmento multi habent. Fruſtra opponitur* Photii *locus de animali ex cervo, & hirco. Nam pro* τράγου, *legendum* ταύρου. *Sed de* Tragelapho, *ut vero animali, agunt* Ariſtoteles, Diodorus, Plinius, Solinus, Iſidorus, Lucianus. Tragelaphus *in* Germania *frequens, &* Lutetiæ *viſus.*

AUT ſacri textus interpretes multa nobis imponunt, quod temerè ſuſpicari nefas, aut in Scriptura pro veris, ut videtur, non pauca recenſentur animalia quæ vel dubia ſunt, vel fabuloſa. Ut in lege *tragelaphus, gryphes, & ixos*: In *Jobo myrmecoleon, & phœnix*: In *Eſaia, & Jeremia Sirenes, Lamiæ, Striges, Fauni ficarii, piloſi, Onocentauri.* In *Ezechiele, ſi Judæis* credimus, vermis שמיר *ſamir*, qui duriſſimos lapides nullo labore ſiderit, & dedolaverit. In variis ſcripturæ libris *monoceros* ceu unicornis, qui hodie nusquam comparet. Ne igitur quisquam inde ſcandali anſam arripiat, de ſingulis pauca dicere non erit planè extra rem.

Multis ita perſuaſum fuit, in rerum natura *tragelaphum* nuſpiam reperiri, ut vulgari *Proverbio* hoc animal dixerint κατ᾽ ἀδυνός, pro re quæ planè nulla eſt. Ita teſtantur *Stephanus*, & *Etymologus* in γαληψός. Hinc *Origenes* libro quarto de principiis. Τραγέλαφος μὲν τῶν ἀδυνάτων ὑποστῆναι ζώων τυγχάνει. ὃν ὡς καθαρὸν κελεύει Μωσῆς ἡμᾶς προσφέρειν. Tragelaphus *quidem eſt ex iis animalibus quæ conſiſtere non poſſunt, quem ut purum* Moſes *offerre nos jubet.* Nempe, *Deut.* 14. v. 5. ubi *Hebræum* אקו *akko*, in *Græca*, & *Vulgata* redditur τραγέλαφος, *tragelaphus.* *Nazianzenus* etiam *Orat.* 23. Ταύτης καρπὸς τῆς φιλοσοφίας, αἱ λόγῳ πλαττόμεναι πόλεις. σκινδαψοί τινες, ὡς αὐτοί φασι, καὶ τραγέλαφοι, ἃ γλῶσσα μόνη συντίθησιν. *Hujus* Philoſophiæ *fructus, non ſermone fictæ civitates, ſcindapſi quidam, ut ipſi ajunt, & tragelaphi, quæ ſola lingua conſtruit.* Et *Orat.* 37. *Medium inter Deum & creaturas, aut ex utroque compoſitum*, οὐδ᾽ ἂν οἱ τοὺς τραγελάφους πλάττοντες ἐννοήσαιεν, *non ii quidem qui tragelaphos confinxerunt, concipere queant.* Et *Zacharias Mitylenæus* in libro de mundi opificio: *Si materiam primam ſolâ ratione comprehendimus, quemadmodum* tragelaphum ἀναπλαττόμεθα, *fingemus, erit utique etiam* ἀνύπαρκτος καὶ ἀνυπόστατος, *talis ut neque exiſtat neque ſubſiſtat.* Proinde his multò antiquior *Ariſtophanes*, inter figmenta quæ Medicis aulæis appingi ſolebant, recenſet ἱππαλεκτρυόνας καὶ τραγελάφους (a), *equigallos & tragelaphos.* Ex *Photio* fruſtra opponas animalia quædam in *Æthiopia* reperiri ex hirco, & cervo compoſita. Id enim hæc præ ſe ferre: Οἱ βόαγροί τε καὶ οἱ βούτραγοι, σύγκειται δὲ τὰ θηρία ταῦτα, τὸ μὲν ἐλάφου τε καὶ τράγου, τὸ δὲ ἀφ᾽ ὧνπερ ἐπωνυμίαν εἴρηνται. *Boagri etiam, & butragi*, ſeu hircoboves: *Componuntur autem hæ feræ, illa quidem ex cervo, & hirco, hæ autem ab iis animalibus à quibus denominata ſunt*, id eſt, ab hirco, & bove. Hæc, inquam, fruſtra opponas, quia locum in mendo cubare planum eſt. Quorſum enim βόαγροι, id eſt, boves ſylveſtres, dicerentur *tragelaphi*, ſeu animalia quæ ex hirco, & cervo conſtant?

(a) In Ran. Act. 4. Sc. 1.

conſtant? Itaque in *Philoſtrato* (b) ex quo hæc excerpſit *Photius*, pro ἐλάφων τε καὶ τράγων rectè habetur ἐλάφων τε καὶ ταύρων. Tamen non ſolùm in Lege *Moſis* tragelaphi fit mentio, ſed & *Job.39.v.1.* ubi *Græci* hæc habent: Εἰ ἔγνως καιρὸν τοκετοῦ τραγελάφων πέτρας, *An noſti tempus partus tragelaphorum petræ?* Ad quem locum *Olympiodorus*, Τραγέλαφος, αἰγόσπορος, & in marg. αἶξ ἄγριος. Et *Auguſtinus*, *Tragelaphus, compoſitum ex hirco & cervo animal.* Et in *Arabia Petræa Diodorus* (c), juxta *Phaſim Plinius* (d) *Solinus* (e) & *Iſidorus* (f), apud *Arachotas* denique *Philoſophus* (g) tragelaphum nobis deſcribunt. Sed ut ab hircina barba tragelaphum alii vocant, ita *Philoſophus* hippelaphum propter equinam jubam, *Lucianus* etiam in *Tragopodagra*, ponit in cenſu animalium quæ podagræ pro remedio adhibentur,

(b) *In vita Apollon. lib. 6. cap. 12.*
(c) *Lib. 2. pag. 94.*
(d) *Lib. 8. cap. 33.*
(e) *Cap. 23.*
(f) *Orig. lib. 12. cap. 1.*
(g) *Hiſt. lib. 2. cap. 1.*

Βατράχους, ὑαίνας, τραγελάφους, ἀλώπεκας,

ranas, hyenas, tragelaphos, vulpes, &c. Quin hodieque in *Germania* nihil eſt tragelapho frequentius, in *Miſena* præſertim & *Bohemiæ* ſaltibus. Et *Salmaſius* in *Solinum*, ſe verum tragelaphum *Lutetiæ* vidiſſe aſſerit: *Is*, inquit, *cornua planè cervina gerebat, mentum promiſſa hirtum barbâ, & villoſos armos, velociſſimi in primo curſu impetûs, ſed citò deficiebat. Hircum* Barbariæ *eum nominabant, qui circumferebant.* Itaque tragelaphus verum eſt animal, quamvis pro ente rationis plerique ſumant.

CAPUT SECUNDUM.

De Gryphe.

Fabulæ de gryphibus auctor Ariſtæus Proconneſius. *Eam cunctanter proponit* Herodotus, *rejiciunt* Plinius, Arrianus, & Pauſanias. Origeni *allegoricum, quod de gryphe habet* Moſes. *Gryphus in Lege eſt* γρυπαίετος, *cui roſtrum & ungues magis adunci, ideò creditur eſſe* פרס. *In* Arabicis *verſionibus pro* עזניה oznija, *eſt* عنقا anka, *tam fabuloſa quam gryphus. Itaque hæc verſio diſplicet* Aben Ezræ. *Tamen* Arabibus *quandoque* anka *eſt aquilæ ſpecies.*

GRypes vel gryphes, aves auritas, quadrupedes, roſtro & alis aquilæ, lupi vel pardi corpore, leonis unguibus, apud *Indos* vel *Arimaſpos* auri cuſtodes, dudum ea ipſa quæ finxit, etiam exploſit antiquitas. *Herodotum*, alias ſplendidè mentientem, tamen in *Thalia* puduit hujus commenti: Adeò ut de gryphibus non auſus ſit quicquam hiſcere ſine hac præfatione, οὐκ ἔχω οὐδὲ τοῦτο ἀτρεκέως εἰπεῖν, *ne hoc quidem pro comperto dicere queo.* Idem in *Melpomene* fabulæ auctorem nominat *Ariſtæum Proconneſium* Poëtam, qui *Scythiam* ſic deſcripſerit, ut illi cum *Scythis* haudquaquam conveniat. Quocirca *Pauſanias* in *Arcadicis*, inter τὰ μυθολογήματα etiam id refert quod ajunt, τοῖς γρυψὶ στίγματα ὁποῖα καὶ τοῖς παρδάλεσιν εἶναι, *gryphibus, quales pardis, ineſſe maculas.* Et *Arrianus* rerum *Alexandri* libro quinto talia ſcribi agnoſcit, ἐφ' ἡδονῇ μᾶλλον ἢ ἐς ἀφήγησιν τῶν ὄντων, *delectandi causâ potius quàm ut referantur quæ re verâ ſunt.* Et rotundè *Plinius* libri decimi capite quadrageſimo octavo, *Gryphas aurità aduncitate roſtri fabuloſos reor.* Quorſum igitur in Lege *Græci* interpretes (a) βδελύξεσθε τὸν γρῦπα, οὐ φαγεῖσθε τὸν γρῦπα, & Vulgatus *ne comedatis gryphem?* An credibile eſt Deum populo ſuo interdixiſſe uſum animalis quod nuſquam eſt? Hoc *Origenem* ita perculit, ut non jam interpretibus, ſed ipſi *Moſi* propè dicam ſcriberet his verbis, Γρῦπα δὲ οὐχ ἱστορεῖται ποτὲ ὑποχείριον ἀνθρώπων γεγονέναι, ὃν ἀπαγορεύει ἐσθίειν ὁ νομοθέτης, *In Hiſtoria nuſpiam in manus hominum deveniſſe legitur gryphes, quem legiſlator edi prohibet.* Neque verò quicquam habet quod reſpondeat quàm quod illi ſolemne eſt, hæc allegoricè intelligenda, ut & prius illud de tragelapho. Quod quàm abſurdum ſit, nemo non videt. Omnino igitur agnoſcendum eſt, ibi γρυπὰ gryphem aliud ſonare quàm vulgò, nimirum γρυπαίετον *gryphaquilam.* Eo vocabulo poſt *Æſchylum* utitur *Ariſtophanes* in *Ranis* pro majore aquila, niſi fallor, quæ roſtrum habet maximè aduncum. Propriè enim γρυπότης eſt vel naſi vel roſtri inſignis quædam aduncitas, unde ad reliqua transfertur. Ita ut γρύπον dicatur quicquid curvum & inflexum eſt. Sic *Scholiaſtes Lycophronis*, ſphingem habuiſſe dicit γρυποὺς ὄνυχας, *gryphis ungues*, quod idem eſt ac ſi γρύπους dixiſſet. Itaque aquilæ γρυπότης poteſt etiam extendi πρὸς τὸ γαμψώνυχον. Et verò hæc duo ſolent ſe mutuò conſequi, roſtri, inquam, & unguium flexus. Ita ut ſi qua aquilæ ſpecies roſtri aduncitate ſit inſignis, eandem unguiũ curvaturâ eminere ſit neceſſe. Quò reſpexiſſe putaverim *Seniores* interpretes, cum פרס γρυπὰ verterunt. Quippe *Hebræis* פרס *peres*, unde *Macedonibus* πέρκος, aquilæ genus eſſe putaverunt ab unguibus ſciſſis ſic appellatæ, quaſi σχιδώνυχον dicas, quod omnibus avibus ita convenit, ut illarum ſit magis proprium quæ maximè ſunt γαμψώνυχες. Quamvis utut interpretes concederemus fabuloſos illos gryphes hic ſomniaſſe, tamen interpretum culpa non poſſet in auctorem transferri, quod facit *Origenes*, ac ſi *Moſes* vel ipſe Deus tuliſſet leges de rebus quæ nuſquam ſunt.

(a) *Levit. 11. v. 13. & Deut. 14. v. 12.*

Par materia eſt offenſionis ex *Arabicis* verſionibus, in quibus hoc ipſo verſu עזניה *oznija*, aquilæ ſpecies عنقا *anka*, redditur. Quippe *Arabum anca* non minùs eſt fabuloſa quàm γρὺψ *Græcorum*, ut pluribus dicetur in appendice ad hunc librum. *Aben Ezra* igitur, *Saadiæ Arabi* Paraphraſtæ, primo auctori hujus verſionis, videbitur ſuccenſere non immeritò, *Cùm linguâ* Iſmaelis, id eſt, *Arabicâ*, ut ait, *anka ſit nomen rei quæ in mundo non reperitur, nec fuit unquam creata, ſed tantùm uſurpatur in parabolis, ut fatentur periti ſermonis eorum. At nullo modo convenit, ut Deus prohibeat uſum rei quæ nunquam fuit.* Hæc ille, cui calculum adderem, ſi عنقا *anka*, nihil aliud ſignificaret quàm quod vulgò. Sed putaverim عنقا *anka*, dici quamlibet aquilæ ſpeciem inuſitatæ magnitudinis, quomodo in hominibus ענקים *anakim*, ſunt *Gigantes.* In *Damire* العقاب *Okab*, aquilæ ſpecies, alio nomine dicitur عنقا المغرب *anka occidentis.*

CAPUT

CAPUT TERTIUM.

De Ixo.

Ἰξὸς, *viſcus*, Deut.14.v.13. pro ave ראה raa, *vel* דאה daa. *Alii legunt* ixion, *&* xyon. *Malim* oxyn, *ut* ὀξύπτερος. *Accipiter hodie* ξυπτ ερ@. *Ejus deſcriptio ex* Orneoſophio.

GRæcè ἰξὸς, non eſt avis, ſed viſcum quo capiuntur aviculæ. Tamen. *Deut.*14.*v.*13. in immundarum avium cenſu vulgatus ponit *ixon*, cujus nominis nullam avem reperio, nec in *Græcis*, nec in *Romanis* ſcriptoribus. *Lucas Brugenſis* ſcribit *ixion*, & *Albertus xyon*, voces æquè ignotas. Nos mutato nonnihil literarum ordine legendum putamus *oxyn*. Avis ὀξὺς *Græcè* dicitur, & quæ viſu pollet, & quæ volatu. Sic ab *Homeri Scholiaſte* in *Iliad.* ρ. aquila dicitur ὀξὺς ἐν τῷ ὁρᾷν καὶ ἱπτᾶσθαι. Itaque non poterat aptiùs Hebræum nomen efferri, quod hic ראה *raa*, ſcribitur, tanquam à viſûs præſtantia, & in *Levitico* דאה *daa*, à pernicitate volatûs. Proinde illud ipſum ראה, vel דאה, reddidit ὀξύπτερον, veterum interpretum aliquis, quem in hæc verba citat *Clemens Alexandrinus* libro quinto *Stromatum*, Οὐ φάγῃ τὸν ὀξύπτερον, καὶ τὸν ἰκτῖνον, καὶ τὸν κόρακα. Et accipitrem hodieque *Græci* vocant ξυπτέριον, & ἰξυπτέριον, pro ὀξυπτέριον. Puto igitur accipitris potiùs quàm vulturis ſpeciem intelligi, ut hic habent commentatores *Emanuel Sa*, *Cornelius à Lapide*, &c. In *Orneoſophio* juſſu *Michaëlis Imperatoris* conſcripto pag. ducenteſimâ quadrageſimâ ſextâ, inter accipitrum ſpecies τὰ ἰξυπτέρια, ſic deſcribuntur: Τὰ ἰξυπτέρια ὀφείλουσιν εἶναι κοντοπόδαρα. αἱ δυτωμίαι αὐτῶν πλατεῖαι. Οἱ ἐλάται αὐτῶν στενοὶ, πλὴν ἀποσκελωτοὶ, καὶ ἵνα καθεζόντα ὀλόρθα. μαύρη ἡ γλῶσσα αὐτῶν. Τὸ ῥάμφον λεπτόν. κρείττονα δὲ ἰξυπτέρια τὰ ἀπὸ τῆς διδυμοτόκου, καὶ τὰ Μοραχριδηνά. Exypteria *debent eſſe brevibus pedibus*: *Duobus humeris latis*: *Pennis alarum majoribus anguſtis*, *ſed à cruribus remotis*, *& cum ſedent, planè rectis*. *Linguâ nigrâ*: *Roſtro tenui*: *Optima autem ſunt exypteria ex gemellipara edita*, *&* Morachridena, quam vocem non intelligo.

CAPUT QUARTUM.

De Myrmecoleonte.

Μυρμηκολέων, myrmecoleon, *vel* formicoleon, *Job.* 4 *v.*11. *al. animalculum formicis infeſtum*, *al. animal ex formica*, *& leone compoſitum*, *al. diabolus*. *al. ſcarabæi ſpecies. Imo leonis genus*, Hebraicè ליש. *Hujus disertè meminit* Agatharchides. Μύρμηκα *vocant* Strabo, *&* Ælianus. *Hunc cum formicis* Indicis *confundunt* Solinus, *&* Heliodorus. *Leo-formica* μύρμηξ *dicitur*, *quia ut urſus formicis veſcitur*, *aut ab* Arabico هرماس hirmas, *aut à* Marmacibus Æthiopiæ. *Formica majores in* India.

ANxiè multi quærunt, quod ſit animal *myrmecoleon* in his, *Job.*4.*v.*11. juxta *Seniores* interpretes: Μυρμηκολέων ὤλετο παρὰ τὸ μὴ ἔχειν βορὰν, Myrmecoleon *periit eo quòd non haberet eſcam*. *Vulgata Lexica* tradunt animalculum eſſe formicis inſidioſum, atque inde eſſe quòd vocatur *myrmecoleon*, quaſi leo formicarius. Hæc deſcriptio petita eſt ex *Gregorio* in *Jobum* (a), cujus verba ſunt. Myrmecoleon *parvum valde eſt animal formicis adverſum*, *quod* (a) Lib.5.cap. 16.
ſe ſub pulvere abſcondit, *& formicas frumenta geſtantes interficit*, *interfectaſque conſumit*. Myrmecoleon *autem* Latinè *dicitur*, *vel formicarum leo*, *vel certè expreſſius formica pariter*, *& leo*. *Rectè autem formica*, *& leo nominatur*, *quia ſive volatilibus*, *ſive quibuslibet aliis minutis animantibus formica eſt*, *ipſis autem formicis leo*: *Has enim quaſi leo devorat*, *ſed ab illis quaſi formica devoratur*. Quibus ſimilia hæc: *Iſidori* (b), Formicoleon *ob hoc vocatus*, *quia eſt vel formicarum leo*, *vel certè formica pariter*, *& leo*. *Eſt enim* (b) Orig. lib. 12. cap. 3.
animal parvum formicis ſatis infeſtum, *quod ſe in pulvere abſcondit*, *& formicas frumenta geſtantes interficit*. *Proinde autem leo*, *& formica vocatur*, *quia aliis animalibus ut formica eſt*, *formicis autem ut leo*. Eodem pertinent hæc *Vincentii* (c), *Formicarum leo*, *qui* (c) Doctrin. lib. 26. cap. 117.
Myrmecoleon *dicitur*, *vermis eſt de genere formicarum*, *ſed multò major*, *qui dum adhuc parvus eſt*, *& invalidus robore*, *pacem ac modeſtiam ſimulat*: *Sed cùm vires accepit*, *priſtina conſortia deſpicit*, *& jam majorem turbam comitatur*. *Itaque invaleſcens audaciâ*, *formicis ad uſus communes laborantibus*, *inhians deliteſcit*, *& qui ſibi nihil in æſtate paraverat*, *in hyeme labores earum diripit ac deſtruit*. Unde *Poeta* barbarus in *Petaviana Bibliotheca* num. 1344.

> *Eſt* formicoleon *formicarum leo*, *qui ſe*
> *Pulvere conſepelit*, *hicque latendo manet*.
> *Formica dum prætereunt*, *pia farra trahentes*,
> *Prodit ab inſidiis*, *has ſpoliando necat*.

Alii ex formica, & leone, id eſt, animalculo cui leonina ſit ſpecies, tertium animal naſci aſſerunt, quod priora leonis habeat, poſteriora formicæ, animalium ſcilicet naturâ valdè ἀσυμφυτικῶν, inde dici *myrmecoleontem*. *Euſtathius* in *Hexaëmeron*: Ὁ δὲ μυρμηκολέων πατέρα ἔχει πρόσωπον λέοντος ἔχοντα, τὴν δὲ μητέρα μύρμηκα. Et paulò poſt: Καὶ γεννῶσι δηλονότι τὸν μυρμηκολέοντα τὸ μὲν πρόσωπον ἔχοντα λέοντος, τὸ δὲ μέρος τὸ ὄπισθεν μύρμηκος. Neque aliter *Pſeudo-Hieronymus* in *Epiſtola* ad *Præſidium* de cereo *Paſchali*: Myrmecoleon *ab ante leo*, *retrò formica*, *de duabus feris naſcitur*.

Et *Damir* ubi de formicarum ſpeciebus. ومنه ما يسمى نمل الاسد وسمى بذلك لان مقدمه يشبه مقدم الاسد ومؤخره يشبه النمل *Eſt & in iis qua vocatur formica leonis*, *quia anteriora ejus ſimilia ſunt anterioribus leonis*, *& poſteriora formicæ*.

Sunt qui animal hujus nominis ullum extare negent. *Olympiodorus* in *Jobum*. Τὸν μέντοι μυρμηκολέοντα οἱ μὲν οὐδὲ ὅλως εἶναί φασι ζῶον καθ᾽ ἱστορίαν, ἀλλὰ κατὰ συνθέσιν οὕτως εἰρῆσθαι. Myrmecoleontem *quidam aſſerunt haudquaquam eſſe animal juxta* Hiſtoriam, *ſed compoſitione vocum duntaxat ſic nominari*. Proinde ad allegorias confugiunt, & *myrmecoleontis* nomine diabolum intelligunt, ut qui cum leone quædam, & cum formica quædam habeat communia, quod rurſus variè exponunt. *Eulogius Alexandrinus* in *Novatianos* libro quarto. Τὸν διάβολον αἰνιγματίζεται ὡς λέων μὲν προέρχεται ὠρυόμενος, καὶ τίνα καταπίῃ ζητῶν. Ἡττηθεὶς δὲ, οὐκέτι ὡς λέων ἀλλ᾽ εἰς μύρμηκα συσταλεὶς, κατῃσχυμμένος ἀφίσταται, καὶ ἀπόλλυται. βορὰν ἐν ἀνθρώποις μὴ εὑρίσκων, (Job) *formicoleonis nomine diabolum ænigmaticè innuit*, *qui primò venit rugiens ut leo*, *& quærens quem devoret*. *Victus verò non ampliùs eſt ut leo*, *ſed in formicam contractus diſcedit pudore ſuffuſus*, *& perit*, *in hominibus eſcam non inveniens*. *Auguſtinus* in Jobum, Myrmecoleon *de diabolo accipiendus*

endus eſt, quia utrumque in eo eſt, cùm & rapit, & occultè proſequitur frumenta, quæ ſublato oculo facit non germinare. *Beda* in *Jobum*, *Quando prædam agit de ſanctis, tanquam de majoribus rebus, ut leo habendus eſt: Quando verò minima quærit auferre, formica dicendus eſt.* Contra *Olympiodorus* diabolum vult eſſe μύρμηκα μὲν τοῖς εὐσεβέσι, λέοντα δὲ τοῖς ἀσεβέσι, *piis quidem formicam, impiis verò leonem.* Sunt qui myrmecoleontem dici volunt, quia à tenuibus initiis ad majora provehitur. *Theophylactus* in *Lucam* capite vigeſimo, ὁ διάβολος ἀπὸ τῶν μικρῶν ἀρχόμενος, περιπίπτειν ὑμᾶς τοῖς μείζοσι ποιεῖ, διὸ καὶ μυρμηκολέων ὀνομάζεται παρὰ τῷ Ἰώβ, *Diabolus à parvis incipiens, in graviora nos impellit, Quamobrem & myrmecoleon à* Jobo *appellatur.* *Nilus* etiam in *Catena*, veteres ait diabolum intellexiſſe, ἐπειδὰν μικρά τινα προπαρασκευάζων ἁμαρτάνειν, καὶ λαθραίως ὑπεισιὼν, εἰς μεγάλα τελευτᾷ, ἐθίζων καταφρονεῖν, *quia parva quædam peccata præſtruens, & latenter ſubrepens, in magnis deſinit, ea nihili facere aſſuefaciens.*

Buſtamantinus Complutenſis Philoſophus, edidit volumen ingens de S. Scripturæ animantibus, in quo, nomine myrmecoleontis, ſcarabæi quoddam genus ſignificari ſtatuit, quod à *Plinio* ſic deſcribitur: *Tauri vocantur Scarabæi terreſtres ricino ſimiles: Nomen cornicula dedere: Alii pediculos terræ vocant.* Sed ille hoc de ſuo aſſerit, nullo teſte idoneo, nullâ ratione fretus.

Nos miramur in hunc lapidem impegiſſe tot viros doctos, nec primâ ſtatim fronte vidiſſe inter leonum ſpecies cenſeri myrmecoleontem. Sic enim habet in
(d) Iob. 4. v. 10. 11. Vulgata (*d*) verſus proximè præcedens: *Rugitus leonis, & vox leænæ, & dentes catulorum leonum contriti ſunt.* Et in hoc ipſo *Græci* Μυρμηκολέων ὤλετο παρὰ τὸ μὴ ἔχειν βορὰν, σκύμνοι δὲ λεόντων ἔλιπον ἀλλήλους, *Myrmecoleon periit, quia non habebat eſcam, & catuli leonum defecerunt ad invicem.* Et vero pro myrmecoleonte *Hebraicè* legitur ליש, unum è leonis nominibus, quod ab Aquila redditur λὶς, iiſdem propè literis. Quæ rationes *Mercero* hanc confeſſionem extorſerunt: *Ego myrmecoleontem potiùs, genus quoddam leonis eſſe putaverim.* Quamvis ibidem addat ſe hoc nomen nuſquam legiſſe apud profanos auctores. Nempè viro docto non occurrerat locus *Agatharchidis* (e)
(e) Agatharch. cap. 34. περὶ μυρμηκολεόντων, qui annexus eſt capiti de leonibus *Arabicis*. In eo loco ſic habetur, Τῶν δὲ καλουμένων μυρμηκολεόντων, οἱ μὲν πλεῖστοι κατὰ τὴν ἰδέαν τῶν λοιπῶν οὐδὲν παραλλάττουσι, τὴν δὲ τῶν αἰδοίων φύσιν ἀπεστραμμένην ἔχουσιν ἐναντίαν τοῖς ἄλλοις, *Eorum autem leonum qui vocantur myrmecoleontes, plerique à reliquis ſpecie nihil differunt, Genitalia tantùm habent averſa, contra quam alii.* Μύρμηκας, id eſt, *formicas* ſimpliciter vocat *Strabo* libro decimo ſexto, quo loco *Arabiam Troglodyticam* abundare dicit λέουσι τοῖς καλουμένοις μύρμηξιν, ἀπεστραμμένα δὲ ἔχουσι τὰ αἰδοῖα, καὶ χρυσοειδεῖς τὴν χρόαν, ψιλότεροι δὲ τῶν κατὰ τὴν Ἀραβίαν, *Leonibus qui formicæ vocantur, qui averſa habent genitalia, & colorem aureum, & minùs villoſi ſunt quàm* Arabici. De his formicis intellige hæc *Æliani* libri decimi ſeptimi capite quadrageſimo ſecundo, Ἐν τῇ Βαβυλωνίᾳ γῇ γίνονται μύρμηκες, καὶ ἔχουσι τὸ παιδοποιὸν σῶμα ἐς τοὐπίσω μεταστραμμένον, ἀντίως τοῖς ἄλλοις, καὶ ἔμπαλιν, *In* Babylonia *terra formicæ naſcuntur, quarum genitale membrum retrò averſum eſt, contrario quàm in aliis modo.* Et libri ſeptimi capite quadrageſimo ſeptimo, Θώων δὲ μόνοι (lege ἔκγονα) σκύμνοι φιλοῦσι καλεῖσθαι, καὶ τιγρίων ὁμοίως, καὶ μυρμήκων δὲ, καὶ πανθήρων, Thoum *fœtus & tigridum catuli vocari ſolent, formicarum item & pantherarum.* Nec erat, cur doctiſſimo interpreti vox μυρμήκων ibi eſſet ſuſpecta.

Cum *Arabicis*, & *Babylonicis* hiſce formicis, quæ leonum ſunt ſpecies, commune nihil habent formicæ illæ majores quæ aurum in *India* eruunt & cuſtodiunt, ſi *Herodoto* (f) credimus, & *Nearcho*, & *Daimacho*, & (f) Herod. l. 3.
Megaſthenis, quibus vel hoc nomine fidem derogandam cenſet *Strabo* (g). Tamen hic *Solinus* (h), κλώθων τὰ ἀσύγκλωστα, ex utroque animali novum procudit monſtrum, in *Æthiopia* formicas eſſe dicens *ad formam canis maximi, arenas aureas pedibus eruentes quos leoninos habent.* Atqui τοὺς μύρμηκας χρυσωρύχους neque in *Æthiopia* fuiſſe, neque leonum pedes habuiſſe quiſquam ſcripſerat, ſed formicarum potiùs ad effodiendam terram. Proinde nullus dubito quin utrumque hoc ſumpſerit ſcriptor parùm accuratus ex Hiſtoria myrmecoleontis, ac ſi myrmecoleon idem eſſet animal cum formica *Indica* χρυσωρύχῳ. Eodem errore *Heliodorus* Hiſtoriæ *Æthiopicæ* libro decimo, *Troglodytas* Regi *Æthiopum* offerre fingit, χρυσὸν τὸν μυρμηκίαν, *aurum formicinum*, quaſi myrmeces *Troglodytici* inter leonum ſpecies, iidem eſſent cum *Indicis* formicis à quibus aurum effoditur.

(g) Strabo lib. 2. & 15. Arrian. Indic. Plin. lib. 11. c. 31. Ælian. Hiſtor. lib. 3. cap. 4.
(h) Solin. c. 30.

De cætero in myrmecoleonte ratio nominis valde obſcura eſt. Mihi certè nihil occurrit ſatis certum. Olim conjectabamus *Æthiopicos* hos leones, *myrmecas* pro *Marmacas* appellari, ab *Æthiopiæ* populis *Marmacibus*. *Stephanus*, Μάρμακες, ἔθνος Αἰθιοπικὸν, quod habet ex *Hecatæo*. Aut myrmecoleontem vocari à formicarum eſu quibus delectetur. Quomodo *Indi Occidentales* formicarium vocant urſum, qui exertâ linguâ formicas excipit & depaſcitur. Quamvis noſtrates etiam urſos eo ipſo cibo veſci *Scaliger* in *Cardanum* aſſerat *Exercit.* 216. Quin apud *Ælianum* Hiſtoriæ libri ſexti capite tertio, urſus nimio cibo diſtentus, μυρμήκων ἐσθίει, καὶ κινεῖται ῥᾷστα, *formicas edit, & facilè evacuatur.* Eſt & tertia conjectura. Inter leonum ſpecies apud *Arabes* eſt هرماس *hirmas* vel هرمس *hirmis*, vel هرامس *haramis*, quem definit *Alcamus* بيعلى الاسد الشديد العادي على الناس *validum leonem in homines inſilientem.* An hinc factum *Græcum* μύρμηξ, S finali in Ξ mutato, ut in alphabetho Cadmi: Et medio M initio addito. Ut in μάμμη ex *Syro* ܐܡܐ *imma* vel *amma*, id eſt, mater, *Heſychius*, Μάμμη, ἡ μήτηρ τῶν γονέων. Tale πάππας pro ἄππα ex *Syro* ܐܒܐ *abba*, pater.

At animal *Indicum* canis magnitudine cur μύρμηξ formica diceretur, cauſa non fuit vocis ſimilitudo, ſed rei, ſi credimus. Nam in *India* verè dicitur eſſe animal ſtaturâ canis, & formicæ ſpecie. *Thuanus* libro vigeſimo quarto, ad A. 1559. *Nuncius etiam à* Thamo (*Perſarum* Rege) *quidam, oratoris titulo, ad* Solimanum *venit cum muneribus, inter quæ erat formica* Indica *canis mediocris magnitudine, animal mordax & ſævum.* Et *Busbequius* Epiſtolâ quartâ, de eadem legatione, *Ex eo plures ultro citroque nuncii commearunt. Etiam oratoris titulo quidam à* Perſa *ad* Turcam *cum muneribus*, &c. *In his aliquando inuſitati generis animantes: Qualem memini dictum fuiſſe allatam formicam* Indicam, *mediocris canis magnitudine, mordacem admodum & ſævam.* Hæc illi, ſed ex fama ſolùm. Itaque ſuſpendam fidem, donec aliquis hoc animal ἐξ αὐτοψίας deſcribat accuratiùs.

CAPUT

CAPUT QUINTUM.

De Phœnice.

De phœnice agi multi putant, Pſal. 91. v. 13. *&* Job. 29. v. 18. *Phœnicis annos vivere* Prov. *Phœnicis vitâ fieri magni anni converſionem, qui eſt annorum* 1461. *Cur vocatur* חול Hebraicè. *Non legi* חול chol, *ſed* חול chul, *&* הול hul. *Hebræi phœnicem ſolum animalium ajunt non comediſſe de fructu vetito, ac proinde mille annos vivere, & combuſtum mox de cinere ſuo renaſci. Eidem mille annos aſſignant plerique Poetæ. In* Talmude *vocatur* אורשינא orſina, *pro* ornisa, *ut* Græcis ὄρνις. *Multi Patres videntur huic fabulæ aſſenſum præbere, ut ævo noſtro* Patritius. *Contra* Pſal. 91. v. 13. *Juſtus florebit*, ὡς φοῖνιξ, ut palma, *non* ut phœnix, *quod docent ſequentia, &* Hebræum ·תמר· Job. 29. v. 18. וכחול, & ut arenam, multiplicabo dies, *non* ut phœnix. *Palma vivax, & gaudet riguis.* Eccleſ. 24. v. 15. *Palma* ἐν αἰγιαλοῖς, Al. ἐν ἐγγαδί, *qui locus aquis frequens, unde* Engadi *dictus &* Haſaſon thamar. Στέλεχος φοίνικος, truncus palmæ, *non phœnicis.* *LXX palmæ in* Elim, *non phœnix avis, ut vult* Ezechiel Tragœdus. Ἐγκέφαλον φοίνικος, cerebrum palmæ, *non phœnicis.* *Ægyptiis phœnix aſtrologiæ ſymbolum, non palma. Palma in* Syagris *ex ſe renaſcens occaſionem dedit fabulæ de phœnice.* Chora *in* Syagris *hodie* chor. *Phœnices ſub* Tiberio *&* Claudio in Ægypto *viſi. Sed uterque ſuſpectus, unus* Tacito, *alter* Plinio. Heliogabalus *convivis phœnicem promiſit.* Æthiopiæ *Rex phœnicem in Regno ſuo naſci jactat, quod jam olim creditum. Clemens Papa plumam phœnicis ad* Hibernos *miſit: Avis* Semenda *in* India *pro phœnice habita, etiam à* Cardano *&* Scaligero. *Eadem* Arabibus, ſemend, ſendal, ſemendal, ſemendar, *quæ in igne non comburitur, & ex ea fit tela aſbeſtos. Non intelligi phœnicem ſed ſalamandram, de qua multi hoc idem tradunt.* Phile *alas illi tribuit. Variæ* Arabum *&* Hebræorum *de ea ſententiæ.* Ezechias *ſalamandrâ unctus ignem evaſit. Paucos Patres fabulæ de phœnice aſſenſos, eoſque ambiguâ Scripturæ verſione deceptos. Pleroſque hanc tradere tanquam incertam, & nonnullos refellere.*

PRo phœnice duo citantur Scripturæ loca; unus ex *Pſal.* 91. v. 13. Δίκαιος ὡς φοῖνιξ ἀνθήσει, *juſtus florebit velut phœnix.* Alter ex *Job.* 29. *v.* 18. *In nido meo expirabo, & ut phœnix multiplicabo dies.* Illum in hanc mentem citant *Tertullianus* de reſurrect. capite decimo tertio, & *Epiphanius* in *Phyſiologo*; hunc *Hebræorum* plerique & *Beda*: Ac ſi *Job* id ſignificet quod Proverbio jactatur apud *Græcos*, ſe phœnicis annos victurum (a), cujus vitâ magni anni fieri converſionem rata fides eſt inter auctores, ut poſt *Manilium* & *Plinium* tradit *Solinus*. Magnus annus eſt quædam ſyderum ἀποκατάστασις, quâ *Planetæ* ad idem ſignum referuntur, unde profecti fuerant, & ſtellæ etiam revolvuntur ad idem principium. Ex *Manethone, Dione, Firmico,* & *Cenſorino* id fieri probat Cl. *Salmaſius* in *Solinum* intrà ſpatium annorum MCCCCLXI Quo eodem annorum numero vita phœnicis *in Tacito* definitur. Hæ ſunt annorum periodi quas *Ægyptios Syneſius* (b) vitâ phœnicis metiri dicit. Unde videtur poſſe colligi in *Jobi* loco, quem diximus, חול vocari phœnicem, quia حول *Arabicè* eſt *vertere, convertere,* الحول *annus vertens, &* حوال الدهر *temporum viciſſitudines.* Ut taceam hæc *Jobi* verba, *in nido meo moriar,* phœnici apprime convenire, quem ſeneſcentem *Plinius* & alii tradunt caſiâ thuriſque ſurculis conſtructum nidum replere odoribus, & ſuperemori. Itaque in *Maſora* notatur in *Jobo*, nomine חול aliud ſignificari quam vulgo. Et *Naardenſis Academiæ* doctores ad *Euphratem*, *Kimchius* obſervat hic legiſſe חול, cum puncto *ſcurek*, ut nempe diſtinguerent à voce חול *chol*, arenam ſignificante, quæ ſcribitur cum puncto *cholem*. Quid quod in *Zohare*, libro ut volunt pervetuſto, phœnix & חול dici legitur per *cheth*, tanquam à חיל robore, & הול per *he*, tanquam ab הלול, id eſt, à laude, eo quod & naturæ vis & Dei laus ſeu gloria in hac ave ſe prodat. Et in Tractatu *Talmudico Sanhedrin*, *Jobi* locus tanquam de phœnice affertur. Sed de phœnice *Judæi* quid ſentiant, nemo docet explicatius *R. Oſaiâ*. Scripſit is librum *Bereſith Rabba*, id eſt, commentarium in *Geneſin* circa annum Chriſti CCX. Cujus libri capite decimo nono, *Geneſeos* locum explicans, quo mulier dicitur de fructu vetito cœpiſſe, & comediſſe, & viro ſuo dediſſe, inter cætera hæc habet, הכל שמעו לה חוץ מעוף אחד ושמו חול הה״ד וכחול ארבה ימים, *Omnia* (animalia) *obedierunt ei* (mulieri, & comederunt ex fructu vetito) *præter avem unicam nomine chul, de qua dicitur* (in *Jobo*) *& ſicut chul* (phœnix) *multiplicabo dies meos.* Et *R. Jannai* ibidem addit אלף שנה הוא חי ובסוף אלף שנה אש יוצאת מקנו ושורפתו ומשתייר בו כביצה וחוזר ומגדל אברים וחי, *Ea avis mille annis vivit, & in fine mille annorum ignis exit è nido ejus, & comburit eam, ſed manet in illa velut ovum, ex quo rurſus membra creſcunt, & reviviſcit.* Nec multo aliter *Rabbi Judan Simeonis* filius לסוף אלף שנים גופו כלה וכנפיו מתמרטים ומשתייר בו כביצה וחוזר ומגדל איברים *Poſtquam vixit mille annis, deficit corpus ejus, & alæ ejus deplumes fiunt, & reliquum eſt velut ovum, unde nova membra rurſus creſcunt.* Eadem ferè in *Jalkut* legas, qui liber eſt commentarius in totum V. T. & in *Midras Samuel* ſect. 12. Hinc *R. Selomo Jarchi* in *Jobum*, *Avis cujus nomen eſt chul* (id eſt, phœnix) *morte multata non fuit, quia non guſtavit de arbore ſcientiæ, ſed poſt mille annos completos renovatur, & redit ad juventutem ſuam.* Et *Pomarius* in libro *tſemach.* חול *chul, avis nomen eſt quæ* Italicè *vocatur* פֵּינִיצֵי, *fenice.* Hæc *Hebræi* hactenus, quibus id peculiare eſt, quod phœnicem ideò mortis expertem eſſe volunt, quia ſolus abſtinuit ab eſu vetiti fructus. Sed de cætero ſunt & alii, qui vitæ phœnicis mille annos cum *Hebræis* aſſignant. *Nonnus* in *Dionyſ.* lib. 40.

Χιλιετὴς σοφὸς ὄρνις ἐπ᾽ εὐόδμῳ σέο βωμῷ
Φοῖνιξ τέρμα βίοιο φέρων.

Joannes Gazæus in ecphraſi tabulæ mundi verſu 566.

Ἔστι δέ τις σοφὸς ὄρνις ἀπειρεσίων ἀπὸ κύκλων
Φοῖνιξ χιλιέτηρος, ἀεὶ πελιμήτορος ὠδίνων.

Martialis,

Qualiter Aſſyrios *renovant incendia nidos,*
Una decem quoties ſæcula vixit avis.

Incertus in phœnice ſub *Lactantii* nomine,

Quæ poſtquam vitæ jam mille peregerit annos.

Claudianus in Phœnice,

Namque ubi mille vias longinqua retorſerit ætas.

Auſonius in Epiſtola ad *Paulinum*,

Nec qui millle annos vivit Gangeticus ales.

In *Talmudico* Tractatu *Sanhedrin* in *Gemara* cap. 11, ſect. 67. אורשינה *orſina*, vocatur eadem avis, quo loco fingitur *Noe*, ſic illi bene precatus, יהא רעוא דלא תמות, *ſit Dei beneplacitum ut non moriaris.* Et illa, *Jobi* verbis reſpondiſſe עם קני אגוע, *In nido meo*

(a) Lucian. in Sect. ἢν μὴ φοῖνιξ ἔτη βιῷν.

(b) Syn. in Dione.

meo moriar, &c. Sed fallor, aut pro אורשינה *orſina*, legendum אורנישא *ornisa*, voce deflexâ ex *Græca* ὄρνις, quâ paſſim vocari à *Græcis* docent *Nonni*, & *Job. Gazæ* loca nuper adducta. Quibus adde ex *Ariſtide* in *Platonica* prima: Ὥσπερ ὁ Ἰνδικὸς ὄρνις ἐν Αἰγυπτίοις ἡλίου ἀφικόμενος φύεται. Et ex *Philoſtrati Epiſtolis*: Ξένα καὶ ἡ ψυχὴ τοῦ σώματος, καὶ ἡ ἀηδὼν τοῦ ἀέρος, καὶ ἡ χελιδὼν τῆς οἰκίας, καὶ ὁ Γανυμήδης τοῦ οὐρανοῦ, καὶ ἡ ἀλκυὼν τῆς πέτρας, καὶ ὁ ἐλέφας Ῥωμαίων, καὶ ὄρνις ὁ φοῖνιξ τῶν Ἰνδῶν. Et *Achilles Tatius* De ſacerdote *Heliopolitano* qui *Phœnicem* ex pictura explorat: Δοκιμάζει τὸν ὄρνιν ἐκ τῆς γραφῆς. Et paulò ante vocaverat τὸν ὄρνιν τὸν ἱερὸν, *ſacram avem*.

E Patribus *Beda* ſolus quod meminerim, *Jobi* locum explicat ex *Hebræorum* mente, idque cunctanter admodum. Verba ſunt: *Palma autem arbor, ſecundum* Græcos φοῖνιξ *dicitur. Avis quoque illa, quam multi facilè quidem vivere autumant*, φοῖνιξ, *eodem nihilominus vocabulo nuncupatur. Potuit fortaſſis de eadem hoc loco dixiſſe, ut ſicut illa nidum ſibi faciens, in ipſo poſt multa tempora à ſemetipſa concremari, & rurſus de ejuſdem nidi cineribus fertur intra breve tempus reſurgere, quæ deinceps multis vivat temporibus. Fieri ergo poteſt, ut* B. Job *in ſimilitudinem avis illius dicat, ſe poſt mortem in carnis cinere, velut in nido pro tempore futurum, & inde reſurrecturum in gloriam; atque hos æternos eſſe dies, quos multiplicandos ſibi fidelis Dei cultor expectet. Ità enim, & ſuperius locutus eſt, dicens: Et rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum.* Fatendum tamen veterum doctorum partem haudquaquam contemnendam, totam de *Phœnice* fabulam non multo aliter adornare quam *Plinium* & *Philoſtratum*, ut hoc exemplo adſtruant reſurrectionem corporum. Quod in aſſenſum traxit *Turrianum*, *Pamelium*, & alios noſtro ſæculo. Et non ità pridem apud Virum Clariſſimum *Junium Patritium Oxonienſem Bibliothecarium* (e) tantum potuit, ut etſi agnoſcat incerta quædam de *Phœnice* tradi, profiteatur tamen *ſe non ambigere quin ſit ejuſmodi volucris, quæ è rediviva ſua carnis humore reparetur, & de ſuo ſurgat rogo, corporiſque ſui hæres, & cineris ſui fœtus ſit*, &c. *Malo enim*, inquit, *cum* Clemente, Tertulliano, Origene, &c. *errare, quam* Maximum, *& ejus ſequacium opinionem ſequi*, &c.

(e) In not. ad Epiſt. Clem. ad Corinth.

At ego ſic comparatus ſum ut malim rectè ſentire cum vulgo quàm errare cum doctiſſimis, præcipuè cum fontes erroris ſemel patent, quos his intento digito monſtrare facillimum eſt. Nemo enim eſt qui non videat impoſuiſſe Patribus φοίνικα, vocem ambiguam, quæ & *palmam* arborem, & *Phœnicem* avem ſignificat. In priore ſignificatu Seniores interpretes uſurpaverant in *Pſalmi* loco quem citavimus, quod vel ſequentia docent: Δίκαιος ὡς φοῖνιξ ἀνθήσει, ὡσεὶ κέδρος ἡ ἐν τῷ Λιβάνῳ πληθυνθήσεται, Πεφυτευμένοι ἐν τῷ οἴκῳ κυρίου, ἐν ταῖς αὐλαῖς τοῦ Θεοῦ ἡμῶν ἐξανθήσουσιν, id eſt, *Juſtus ut palma florebit, ut cedrus quæ eſt in* Libano *multiplicabitur. Plantati in domo Domini, in atriis Dei noſtri florebunt.* Sic omnino vertendum: quia in tota ſerie orationis juſti cum arboribus, non cum avibus conferuntur. Et verò *Græca* vox φοῖνιξ, ibi eſt pro *Hebræa* תמר *thamar*, quæ nihil aliud quàm palmam ſonat. Tamen de *Phœnice* accepit quiſquis fuit auctor verſionis *Italicæ* veteris. Atque id nonnulli Patres avidè arripuerunt, quia videbatur facere ad reſurrectionis fidem. In his *Tertullianus* ubi ſuprà. Quin hunc locum *Epiphanius* in *Phyſiologo* ad ipſum Chriſtum vult pertinere, quaſi de illo *David* ſcripſerit, *Juſtus ut* Phœnix *florebit*, quia futurum erat, ut *Phœnicis* inſtar tertiâ die ſe ſuſcitaret.

Tale quid accidit in loco *Jobi*, cujus verba וכחול ארבה ימים, commodè reddi poterant, & vero reddi debent, *& tanquam arenam multiplicabo dies.* Quâ hyperbole *Sibylla Cumæa* in *Ovidio* dicit *Metamorphoſeos* libro decimo quarto *Fab.* 4.

——— Ego pulveris hauſti
Oſtendens cumulum, quod haberet corpora pulvis,
Tot mihi natales contingere vana rogavi.

Tamen, quâ de cauſa incertum, Seniores reddiderant, ὡς στέλεχος φοίνικος, *ut truncus palmæ*, &c. Unde Vulgatus, *ſicut palma multiplicabo dies.* Quod poteſt fieri, cum palmam teſtetur *Theophraſtus* (d) diutiſſimè vivere: Et *Plinii* ævo (e) una *Deli* extiterit ab *Apollinis* ætate, qui *Plinium* anteceſſerat annis plus mille quingentis. Palmæ etiam quadrat inprimis quod à *Jobo* ſtatim additur, *radix mea aperta eſt juxta aquas*, id eſt, aquis expoſita, *& ros pernoctat in ramum meum.* Neque enim verum eſt quod ſcribit *Plutarchus* in libro de *Pythiâ*, palmam non eſſe φιλυδρὸν φυτὸν, *plantam quæ gaudeat aquis.* Quin palma, teſte *Plinio* (f), *gaudet riguis, totoque anno bibere amat.* Itaque palmæ juxta fontes deſcribuntur, *Exod.* 15. *v.* 27. & ἐν αἰγιαλοῖς, *Eccleſ.* 24. *v.* 15. (al. 18.) ubi dicit ſapientia, Ὡς φοῖνιξ ἀνυψώθην ἐν αἰγιαλοῖς, καὶ ὡς φυτὰ ῥόδου ἐν Ἱεριχώ, *ut palma exaltata ſum in ripis, & ut roſæ plantatio in* Jericho. Verum quidem eſt pro ἐν αἰγιαλοῖς, quomodo legunt editiones *Aldina*, *Baſileenſis*, *Romana*, & *Pariſina Anno* 1628. alias legiſſe ἐν Γαδδοῖς, id eſt, ἐν Γαδὶ, vel ἐν Ἐγγαδὶ, qui locus fuit propè *Jericho* palmis fertiliſſimus; Atque id ſequi *Syrum*, & *Arabem*, *Vulgatum* etiam, qui habet *in Cades* pro *in Gadis*. Sed mihi perinde eſt, quia palmas *Jerichuntis*, & *Engadi* conſtat in locis riguis proveniſſe. Proinde *Joſephus Belli* libri quinti capite quarto, ibi deſcribit τῶν φοινίκων ἐπαρδευομένων γένη πολλὰ τῇ γεύσει καὶ τῇ προσηγορίᾳ διάφορα, *palmarum irriguarum multa genera tam ſapore, quam nominibus diverſa.* Et ipſum nomen *Enguedi*, vel *Engadi* à fontibus ductum eſt. Quin eodem refero, quod is ipſe locus alio nomine dicebatur *Aſaſon Thamar* 2. *Par.* 20. *v.* 2. Nam *Aſaſon*, *Hebraicè* חצצן, idem eſt quod *Arabicè* خضيض vel خضخض *locus multis aquis affluens*, quomodo exponunt *Arabes*. Itaque *Aſaſon Thamar* locum ſignificat irriguum palmis frequentem. Quocirca ſi חול, alibi occurreret pro palma, hæc verſio poſſet admitti, cum in tota textus ſerie nihil ſit, quod ei repugnet. Interim, ne quis putet *Græcos* voce φοίνικος, avem intellexiſſe non arborem, ambiguitatem in hac voce ſummo ſtudio vitârunt. Neque enim ſcripſerunt ſimpliciter ὥσπερ φοῖνιξ, ſed ὥσπερ στέλεχος φοίνικος πολὺν χρόνον βιώσω, quod neceſſario reddendum *ut truncus palmæ diu vivam.* Nemo enim dixerit ſe diu victurum, *ut truncum* Phœnicis *avis.* Maximè cum *Græcè* στέλεχος, tantum de arbore dicatur, de animali non item. *Heſychius*, στέλεχος, ὁ κορμὸς τοῦ δένδρου. Igitur στέλεχος φοίνικος, nihil quicquam eſt quam palmæ truncus, quomodo στελέχη φοινίκων ſunt *trunci palmarum*, *Exod.* 15. *v.* 27. & *Num.* 33. *v.* 9. & *Sirach.* 50. *v.* 14. Tamen ne ſic quidem errori itum eſt obvium. Neque id obſtitit quominus deterior ætas in fabulas proclivis, ex *Phœnice* arbore, id eſt, palmâ, fecerit *Phœnicem* avem.

(d) De Cauſ. lib. 2. cap. 16.
(e) Lib. 16. cap. 44.
(f) Lib. 13. cap. 4.

En aliud hujus erroris exemplum huic planè geminum. In *Pentateucho* (g) bis narratur *Iſraelitas* reperiſſe in *Elim* duodecim fontes, & *ſeptuaginta palmas*. Utrobique *Græca* verſio habet ἑβδομήκοντα στελέχη φοινίκων. In his verbis nihil eſt ambiguum, nihil quod ad avem *Phœnicem* poſſit trahi, quam ſui generis unicam eſſe omnes uno conſenſu ſcribunt. Tamen hinc occaſione ſumptâ *Judæorum Tragœdus Ezechiel* in *Tragœdiâ Exagoge*, ſeu de exitu *Iſraelitarum* ex *Ægypto*, nuntium introducit *Moſi* narrantem, in eo ipſo loco ſe vidiſſe *Phœnicem* avem. Apparet enim *Phœnicem* his verſibus deſcribi:

Ἕτερον δὲ πρὸς τοῖς εἴδομεν ζῶον ξένον,
Θαυμαστὸν, οἷον οὐδεὶς πώποτ᾽ εἶδέ τις.

(g) Exod. 15. v. 27. Num. 33. v. 9.

Διπλοῦν

Ἁπλοῦν γὰρ ἦν τὸ μῆκος αὐτοῦ χιλῶν,
Πτεροῖσι ποικίλοισιν, ὡσὶ χρώμασι.

Cæterà in *Clemente* vide libro primo *Stromat.* in *Euſebio* libro nono præparat. & in *Euſtathii Hexaemero.*

Tale eſt quod vir valde doctus apud *Plutarchum* in libro de tuenda valetudine, ἐγκέφαλον τοῦ φοίνικος vertit *phœnicis cerebrum*, cum debuiſſet vertere *cerebrum* (h) Plin. lib. 13. cap. 4. (i) Athen. lib. 2. in fine Vide Muret. Var. lect. lib. 13. cap. 12. *palmæ arboris.* Ita enim *Plinius* (h) & alii (i) palmæ medullam appellant in ſummo trunco. Hinc *Xenophon* libro ſecundo *anabaſ.* Ἐνταῦθα καὶ τὸν ἐγκέφαλον τοῦ φοίνικος πρῶτον ἔφαγον οἱ στρατιῶται, *Ibi primum palmæ cerebrum milites comederunt.* Et paulò poſt, ὁ δὲ φοῖνιξ, ὅταν ἐξαιρεθείη ὁ ἐγκέφαλος, ὅλος ἐξηραίνετο, *Palma autem ablato cerebro tota exareſcebat. Theophraſtus* Hiſt. plant. libri ſecundi capite octavo, ὅταν ἀφέλωσι τὸ ἄνω ἐν ᾧπερ ὁ ἐγκέφαλος, *Cum cacumen eximunt in quo eſt cerebrum. Nicander* in *Georgicis.*

Σὺν καὶ φοίνικος νεοθηλέα δενδρυάδας ἐκκόψαντες,
Ἐγκέφαλον φορέουσι νέοις ἀσπαστὸν ἔδεσμα,
Et poſtquam ramos exſcidit multa ſecuris,
Palmarum pueris dant fercula grata cerebrum.

Diphilus Siphnius de alimentis, Οἱ τῶν φοινίκων ἐγκέφαλοι πλησμίοι καὶ πολύτροφοι, *Palmarum cerebrum replet, & largius nutrit. Philoſtratus* in *Apollonio* libri ſecundi capite undecimo, Τὰ δὲ ἱερὰ σιτία, λάχανα, καὶ φοινίκων ἐγκέφαλοι, καὶ ὁ καρπὸς τῶν φοινίκων, *Cibi autem mei ſunt, olera, & palmarum cerebrum, & fructus.* Palmæ cerebrum *Hebræi* קורא *kora*, vel קולא *kola*, nuncupant, & definiunt ראש הדקל כשהוא רך. *palmæ cacumen, cum tenerum, adeoque edule eſt.*

Contrario errore ad palmam referunt interpretes quæ de phœnice dixerat *Clemens* libro ſexto *Stromatum*, Ὁ ὡροσκόπος ὡρολόγιόν τε μετὰ χεῖρα καὶ φοίνικα ἀστρολογίας ἔχων σύμβολα, Quæ omnino ſic reddenda fuerant, *Horoſcopus in manu habens aſtrologiæ ſymbola, horologium & phœnicem*, non *palmam* ut illi volunt. Neque enim palma, ſed phœnix aſtrologiæ ſymbolum eſt, quia ejus vita, ut diximus, fieri credebatur magni anni converſio. Proinde in *Hori* Hieroglyphicis ἡλίου δὲ ὁ φοῖνιξ σύμβολον, *phœnix eſt Solis ſymbolum.* Et *Joannes Gazæus* in ecphraſi, poſtquam phœnicem docuit renaſci è ſuo cinere, & tanquam orbe decurſo perpetuo redire, *Hoc*, inquit, *Solis circulare ſignum eſt*, Ἡλίου τὸ δὲ σῆμα περίδρομον.

Probavimus hactenus hujus vocis homonymiam multis erroribus feciſſe locum. Jam quod rei caput eſt, addo fabulam de phœnice ex eo natam eſſe, quod palmæ quandam ſpeciem ferunt mortuam ex ſe renaſci. *In meridiano orbe* (inquit *Plinius* libri decimi tertii capite quarto) *præcipuam in palmo obtinent nobilitatem* Syagri, *proximamque margarides. Una earum arbor in* Chora *eſſe traditur, una &* Syagrorum. *Mirumque de ea accepimus, cum phœnice ave quæ putatur ex hujus palmæ argumento nomen accepiſſe, mori ac renaſci ex ſe ipſa, eratque cum hæc proderem, fertilis.* *Chora* niſi fallor eſt caſtrum حور *Chor* in *Armuſii* Regni finibus ad promontorium *Sfacalath*, quod à *Syagris* dactylis veteres *Syagrum* dixere Vide *Plinium*, & *Ptolemæum*, & *Arrianum*, & ex recentioribus *Rhamuſium* in *Itinerario.* Ibi probatur *Sfacalath* ubi حور *Hor*, vel *Chor* eſſe veterum *Syagrum.* Quod ab incolis creditum ibi palmam ex ſe renaſci, in cauſa eſt loci fertilitas, ex qua factum aliquando ut ex cadente ſurculo vel palmula, altera palma in prope deficientis locum pullulaverit. Inde ad eognominem avem translata tandem eſt fabula, ut ſæpe ex leviſſima occaſione naſcuntur portenta narrationum.

Ex Hiſtoriis conſtare dicés phœnicem unum in *Ægypto* viſum, *Paulo Fabio*, *L. Vitellio* Conſulibus; Alterum *Romam* allatum A. U. C. DCCC. *Claudii* principis cenſurâ. Illius præter *Plinium* libri decimi capite ſecundo, *Tacitus* meminit his verbis *Annal.* lib. 6. *Paulo Fabio, L. Vitellio* Coſſ. *poſt longum ſæculorum ambitum phœnix in Ægyptum venit, præbuitque materiem doctiſſimis indigenarum &* Græcorum, *multa ſuper eo miraculo diſſerendi.* Et *Dion* circa finem lib. 57. inter varia mortis *Tiberii* præſagia, Εἰ δέ τι καὶ τὰ Αἰγύπτια πρὸς τοὺς Ῥωμαίους προσήκει, ὁ φοῖνιξ ἐκείνῳ τῷ ἔτει ὤφθη, καὶ ἔδοξε πάντα ταῦτα τὸν θάνατον τοῦ Τιβερίου προσημῆναι. *Et ſi quid res Ægyptiæ ad* Romanos *pertinent, eo anno viſus eſt phœnix, & credita ſunt ea omnia* Tiberii *mortem portendere.* Ita etiam ejus abbreviator *Xiphilinus* in *Tiberio.* Tamen Conſules à *Plinio* & *Tacito* deſignati, phœnicem illum docent biennio minimum ante *Tiberii* obitum apparuiſſe. De altero hæc habet *Aurelius* Victor in epitome ubi de *Claudio*, *Hujus temporibus viſus eſt apud Ægyptum phœnix quam ferunt volucrem anno D. in* Arabia *memoratos locos advolare.* Et alius ejuſdem nominis, ſed antiquior in *Cæſaribus*, *Hujus* (Claudii) *anno ſexto, cùm quatuordecim regnarit, octingenteſimus urbis mire celebratus: Viſuſque apud Ægyptum phœnix.* Suidas etiam, Ἐπὶ Κλαυδίου Καίσαρος ἐλθεῖν φασι τοῦτο (τὸ ὄρνεον) τοῖς Αἰγυπτίοις διὰ τετρακοσίων καὶ νʹ χʹ ἐτῶν, *Sub* Claudio Cæſare *veniſſe ajunt hanc avem* Ægyptiis *poſt annos* DCLIV. Atà priore illo quem diximus ad *Claudii* mortem viginti ſolum anni fluxerunt. Itaque ut *Plinius* auctor eſt, hunc phœnicem *falſum eſſe nemo dubitavit.* Sed & priorem, teſte *Tacito*, *nonnulli falſum Phœnicem, neque Arabum è terris credidere, nihilque uſurpaviſſe ex his quæ vetus memoria firmavit.* Itaque tota de phœnice fabula *Plinio* fuit jure merito ſuſpecta. *Ferunt*, inquit, *ante omnes nobilem in* Arabia *phœnicem, haud ſcio, an fabuloſe.* Et haud dubie convivis ridendum ſe propinavit *Heliogabalus*, cum iis promiſit phœnicem, *vel pro eo libras auri mille, ut in prætorio eam dimitteret*, id eſt, in urbana villâ, ut rectè interpretatur magnus vir in *Lampridium.* Nec eo fuit ſapientior *Æthiopiæ* Rex qui in literis ad *Romanum* Pontificem, phœnicem in ſuo Regno naſci jactavit. Quamvis multò antè idem ſcripſerint *Philoſtorgius* libro tertio, & qui eum ſequitur, *Nicephorus* Hiſtoriæ libri noni capite decimo nono, ubi de *Æthiopia*, Ἀλλὰ γὰρ δὴ καὶ ὁ φοῖνιξ τὸ πολυθρύλλητον ὄρνεον παρ' αὐτοῖς τυγχάνει γινόμενος. Sed de *Clemente* VII. malo, ut alii judicium ferant, quem ſæculo tam oculato, *Hibernus* in *Elizabetham* Reginam rebellibus, A. 1599. pro magno ſcilicet munere miſiſſe phœnicis plumam ſcribit *Camdenus* (k). Quomodo *Urbanus* III *Joanni* Regis *Henrici* ſecundi filio, *Hiberniæ* domino deſignato, coronulam ex pavonis plumis contextam olim miſerat. (k) In Hibern. pag. 783.

At *Scaliger* intercedit *Exercitatione* ducenteſimâ trigeſimâ tertiâ. *Phœnicem*, inquit, *haud eſſe penitus fabuloſum legimus in* Commentariis *navigationum: In* Mediterraneis Indiæ *reperiri*, ſemenda *vocatur ab incolis.* Et verò id legere eſt in *Nicolai Contii* navigatione à *Poggio* deſcriptâ. Ex quo eodem fonte puto hæc hauſiſſe *Cardanum* (l) licet in majus aucta. *Referunt tamen quidam in interiore* India *avem eſſe nomine* (l) De Subtil. lib. 30. ſemendam, *quæ roſtrum habeat triplici ordine, atque ut in ellychniis, undique perforatum: Quæ moritura dulce canat cygnorum exemplo: Inde collectis ſarmentis motu alarum accendat illa, uraturque: Ex cujus cinere vermis, tum ex verme avis denuo renaſcatur.* Huc accedunt *Arabes*, quibus سمندل ſemendal, *eſt avis quædam* Indicâ *quæ in igne non comburitur.* Ità habetur in *Giggeio. Giauhari* ſcribit سندل *ſendal*, ſine *M.* Et *Ibno Cholcan* سمند *ſemend*, ſine *L.* & *Ibno Saida* سمندر *Semendar*, cum *R* in fine. Ità etiam *Giggeius.* De eadem *Damir*

mir hæc habet من عجيب امر السمندل السنلذاذه بالنار ومسكنه فيها *E mirabilibus natura* ſemendal *eſt, quod in igne delectatur, & in eo habitat.* Et paulò poſt وقال اخرون ان السمندل طاير ببلاد الهند يبيض ويفرخ في النار ولا تؤثر فيه النار لخاصيته جعلها الله فيه *Et alii dicunt* ſemendal, *avem eſſe in* Indiæ *regione, qua ova ponit, & pullos excludit in igne: Nec ignis ei quicquam nocet propter proprietatem, quam Deus illi indidit.* Sequuntur mantilia fieri ex ejus plumis, quæ in ignem conjicere moris eſt, ut expurgentur, quod probatur multis exemplis. De cætero de *ſemendal* ab *Arabibus* nihil ſcribi video quod ad *Phœnicis Hiſtoriam* ullo modo pertineat. Et bene eſt quod ipſum nomen retegit hanc fabulam, & perſonatæ avi larvam detrahit. Quis enim eſt qui non videat *ſemendal*, vel *ſemendar* eſſe ſalamandram, quam in igne vivere conſtans fama fuit apud veteres. Quin *Zoroaſter* in *Geoponicis* libro decimo quinto, eam in igne ſcribit generari. Ἡ σαλαμάνδρα, inquit, τὸ ἐλάχιστον ζῶον, ἐκ τοῦ πυρὸς ἔχει τὴν γέννησιν, καὶ ἐν τῷ πυρὶ ζῇ, οὐ καιόμενον ὑπὸ τῆς φλογὸς, Salamandra, *minimum animal, ex igne ortum ſuum habet, & in igne vivit, neque à flamma exuritur.* Et telas ex amianto lapide, quæ in ignem conjectæ non comburuntur, abhinc aliquot ſæculis multi ſcripſerunt ex *ſalamandra* fieri. *Vincentius* in *Doctrinali* libri decimi ſexti capite centeſimo undecimo. Salamandra *profert lanam quandam pallidam, de qua contexta zona comburi non poſſunt.* Item: Alexander Papa, *ut fertur, ex hujus animalis lana veſtimentum habuit, quod cum ad munditiam aliquando lavari deberet, non aquis abluebatur, ſed per ignem candeſcebat.* *Albertus* de *Animalibus*; Salamandræ *aliqui dicunt ineſſe lanam quandam, qua in igne non aduratur.* *Paulus Venetus* libri primi capite quadrageſimo ſeptimo. *In provincia* Chinchintalas Tartarorum *Regi ſubjecta, mons eſt in quo inveniuntur* ſalamandræ, *de quibus fit pannus, qui in ignem projectus, comburi non poteſt.* Item: *Ajunt* Romæ *mappam quandam haberi ex* ſalamandra *contextum, in qua ſudarium Domini involutum retinetur, quam Rex quidam* Tartarorum Romano *miſit* Pontifici. In libro cui titulus *Cor Philoſophiæ*, juſſu *Philippi Pulchri Galliæ* Regis è *Latina* lingua in *Gallicam* translato ante annos circiter CCCL., narrantur *ſalamandræ* ex igne elementari in quo generantur, & vivunt, in *Indiam*, & *Æthiopiam* quandoque decidere, & ex earum pellibus Regi veſtes confici, quæ illum in bello ab hoſtili igne ſartum, & tectum præſtent. Itaque *ſalamandræ* tribuitur quicquid de *ſemendal* tradunt *Arabes*; Niſi quod lacerti ſpeciem in avibus abſurde cenſent. Sed & è *Græcis Phile*, *ſalamandræ* alas adſcribit quibus in ignem involet, Verba ſunt:

Καὶ δέρμα λεπτὸν, καὶ πτερῶν ἔχει σκέπην.
Tenuemque pellem, & tegmen alarum hæc habet.

Et paulò infrà:

Τὸ πῦρ γὰρ αὐτὴ οὐ φοβεῖ τὸ παμφάγον.
Ἐφίπταται δὲ, καὶ διώκει τὴν ζέσιν.
Flammas vorantes omnia, ipſa non timet.
Quáque ardet ignis, maximè involat, & ruit.

De cætero planum eſt *Arabes* neſcire quid ſit *ſemendal*, quia in illius deſcriptione nullo modo ſibi conſtant. Aliis enim *ſemendal* eſt avis, ut jam diximus; Aliis نوع من الفار يدخل النار *muris genus qui in ignem ingreditur.* Aliis rurſus دابة دون الثعلب خلنجية اللون حمرا العينين ذات ذنب طويل ينسج من وبرها مناديل فاذا اتسخت القيت في النار فتنقي ولا تحترق وكثير اما توجد ببلاد الهند *eſt animal quadrupes aliquanto vulpe minor, coloris galangæ* (id eſt, ſubrufi,) *rubris oculis, caudâ longa, ex cujus pilis texuntur mantilia, quæ cum ſordent, in ignem conjiciuntur, & mundantur, nec comburuntur; Et in* India *multa hujuſmodi reperire eſt.* Hæc, & alia in *Damire*, unde *Arabes* in meris tenebris hic verſari patet, & fruſtrà eſſe viros doctos, qui ex talibus nugis credunt fabulam de *Phœnice* poſſe ſtatuminari. Atque ut *Hebræos* hac in parte ſcias tam ſolennia inſanire: *Chamæleontem*, *Kimchius*, forte etiam *ſalamandram* avibus accenſet his verbis in *Lexico*, voce *hlith* ריש אומרים שהוא עוף גדל מן הרוח כמו סלמנדרא מן האש וקורין לו קמליאון, *Sunt qui avem eſſe dicant* chamæleontem *nomine, quæ ex aere veſcatur, ut ſalamandram ex igne.* Cæteri *ſalamandram* muris ſpeciem eſſe volunt. Unde eſt quod, *Levit.* 11. *v.* 29. pro עכבר, ſeu mure *Chaldæorum* unus habet סלמנדרא, *ſalamandram.* Et ibi *Gloſſator Hebræus* perridiculè: *Cum accenditur ignis in uno loco per ſeptem annos creatur ex medio ejus ſimilitudo muris quam vocant* ſalamandram. Addit alius ignem debere eſſe מעצי הדס על ידי כשפים, *è lignis myrteis per hariolorum manus accenſum.* Quæ petita ſunt ex *Gloſſa Gemara* in *Cholin.* Hinc Porta cœli fol. 22. c. מן האש נולדת חיה אחת שנקרא סלמנדרא שאינה ניזונה כי אם מן האש והוא החמר שלה והיא מתהוה בתנורים הזכוכית שהובערו באש שבע שנים *Ex igne generatur animal* ſalamandra *nomine, quod ſolo igne alitur: Quin ignis eſt materia ejus, & fit in fornacibus vitri, quæ arſerunt per ſeptem annos.* Similis farinæ eſt, quod legitur in Tractatu *Sanhedrin* capite de quatuor ſuppliciis criminalibus, *Ezechiæ* Regis *Judæ* patrem *Achazum* voluiſſe, ut in ignem conjiceretur, ſed cum mater filii corpus unxiſſet *ſalamandrâ*, eum è mediis ignibus evaſiſſe incolumem. En quo nos deduxit incautos *Phœnix* ille fictitius, quem *Hebræorum* nugacitas è *Poetarum* Fabulis in Scripturam penè introduxit.

Interim cum Patribus clementius agendum eſt, qui ſi quid hac in parte peccârunt, ut in iis quæ de aquila, & vulture, & perdice, & pelicano referunt, non factum id fallendi animo, ſed nimiâ credulitate. Quamvis non ita multi ſint qui huic fabulæ præbent aſſenſum. *Clemens*, *Tertullianus*, *Cyrillus*, *Epiphanius*, *Ruffinus* rem confidentius referunt. Sed *Ruffinus* tanti non eſt. *Tertulliano*, & *Epiphanio* impoſuit ſcripturæ locus perperam acceptus. *Cyrillo Clemens*, cui hoc nomine *Photius* dicam ſcribit. *Legi*, inquit, *duas* Clementis Epiſtolas *ad* Corinthios, *in quibus hoc merito quis reprehendat*, ὅτι ὡς παναληθεστάτῳ τῷ κατὰ τὸν φοίνικα τὸν ὄρνεον ὑποδείγματι κέχρηται, *quod* Phœnicem *avem adhibet, ut veriſſimum exemplum.* Cæteri ferè de *Phœnice* ſcribunt, ut de re parum comperta, & ex fama tantum nota, quæ tam ficti eſt, pravique tenax quam conſcia veri. Hinc in *Nazianzeno* (m) φάτις, *fama eſt*, & εἰ δή τις πιστὸς ὁ λόγος, *ſi quidem fidus eſt ſermo.* In *Origene* (n), ἐάν γε ᾖ ἀληθὲς, *ſi tamen*

(m) Carm. 5. c. in Præcipt. ad Virg. Orat. 47.
(n) Cont. Celſ. lib. 4.

(o) De Orig. animæ lib. 8. cap. 20. (p) Lib. 4. c. 20. (q) Confeſſ. lib. cap. 8. (r) Vita Conſtant. lib. 4. (ſ) In Hexaem. (t) In Theoph. (u) Hexaem. lib. 5. cap. 23. (x) Lib. de opific. mundi verſu 1095. (y) Lib. 1. & ſeq.

... In *Alcimo Avito* (o), *mentitur fa*... ...*ino* (p), *ſi tamen ut creditur, de ſua mor*... In *Clemente Romano* (q), *Euſebio* (r), ...o *Antiocheno* (ſ), φασὶ *ajunt*. In *Ænea* ... (t), λογίζεται *dicitur*. In *Ambroſio* (u) *perhibetur*. Et *Piſidas* (y), ut doceat ſe hoc argumento non uti niſi ad hominem, ut ajunt, poſt recitatam fabulam de *Phœnice*, quomodo illam *Græci* tradunt, hæc addit:

Ἑλλωνικοῖς ἐπλώς εἴξαντες λόγοις,
Πείσθητι, λοιπὸν τὴν ἀνάστασιν σέβειν.
Grati, ergo Graiis *fabulis ſi ceditis*,
Ne jam negetis ſuſcitari mortuos.

Sed & *Maximus Martyr* libro ad *Petrum* Illuſtrem contra *Severi* dogmata, refellit hoc commentum, cum ex ratione quæ docet impoſſibile eſſe τὸ τῷ ὑπὸ γένεσιν καὶ φθορὰν ἐμψύχων καὶ αἰσθητικῶν σωμάτων μοναδικῶς ὑπάρχειν καθ' ὑπόστασιν φύσεως, *ut ullum animatorum ac ſenſibilium corporum quæ generationi, & corruptioni obnoxia ſunt, exiſtere tamquod atrinet, ſit natu a ſingularis.* Tum etiam ex ſcriptura, in qua cum *Noe* jubeatur aves in arcam non niſi per paria admittere; quid tum de *Phœnice* factum, quem ſingularem eſſe volunt? His *Maximi* argumentis, adde, ſi lubet nihil tam eſſe paradoxum, quàm quod fingunt auctores hujus fabulæ, avem eſſe quæ tædio vitæ ſponte ſe addicat flammis, & *Calanus* inſtar vivi-comburium æquo animo patiatur. Cum fuga doloris, inprimis ſi ſit gravis, & vitæ conſervandæ ſtudium, naturale ſit omnibus animantibus. Præterea perfectum animal vi naturæ non poſſe ex proprio cinere renaſci, cum *Philoſophorum* axioma ſit veriſſimum, à privatione ad habitum non dari regreſſum. Vir egregius *Chriſtianus Schottanus* anno præterito edidit *Heptaemeron*, in quo diatribe decimâ tertiâ, hanc quæſtionem ex profeſſo agitans, ſit ne aut fuerit *Phœnix* in rerum natura, quatuor inſuper rationes de ſuo profert quibus hanc fabulam confutet haudquaquam contemnendas. 1. Tam parum eos ſibi conſtare qui illam tradunt, ut nihil habeant in quo poſſis tutò pedem figere, tanquam in re ab omnibus aſſerta, & credita. 2. Neminem eſſe qui profiteatur verum *Phœnicem* à ſe eſſe viſum. 3. Deum in illis *Jobi* capitibus in quibus majeſtatem, & potentiam ſuam commendat ex naturæ operibus, hoc non fuiſſe omiſſurum, quod præ cæteris eſſet inſigne. 4. Neque *Paulus*, inquit, de reſurrectione mortuorum fusè diſputans, 1. *Cor.* 15. rationem tam obviam prætermiſſet intactam, præſertim apud *Corinthios*, quibus notiſſimum erat quicquid de *Phœnice* jactatur. Quamvis enim argumentum à ſilentio non ſemper valeat, firmum tamen eſt, cum à perito diſputatore id omittitur, quod maximè ad rem faceret.

CAPUT SEXTUM,

De Faunis Ficariis,

Fauni *etiam* Fatui, & Fatuelli *dicti*; *Et* Fauni *uxor*, fauna, & fatua. *Fallitur qui* ficarios *mutat in* ſicarios. אִיִּים, *à terrore dici putavit* Hieronymus Jerem. 50. v. 39. *Proinde* Faunos ficarios *reddidit, quia* Fauno *terrores* Panici *tribuuntur*; Faunus *enim idem qui* Pan. Fauni *non dicuntur* ficarii *à ficu, quæ* Baccho *ſacra eſt, ſed* Fauno *pinus. Sed fortaſſe à ficu, id eſt, tuberculis maximè in facie, quibus non abſimiles* σατυρίασμοι, *qui* Satyris *tribuuntur.* Avicennæ *interpres emendatus.* Ficarii *non dicuntur à* ficatis, *vel* picatis *pedibus, id eſt, in modum ſphingum.* Faunis *enim caprini pedes erant, at ſphingis leonini.*

ELiminato *Phœnice* jam majora monſtra ſuperſunt debellanda, *Fauni ficarii, Satyri, Lamiæ, Striges, Sirenes, Onocentauri.* Quorum omnium nomina legere eſt in *Eſaia*, & *Jeremiæ* interpretibus, ſed minore cum periculo, quia ibi non proponuntur ut animalia quæ verè exiſtant, ſed tanquam ſpectra dæmonum in ſolitariis locis apparere ſolita. Juvabit tamen perpendere, quo jure, quave injuriâ in ſacrum textum irrepſerint tot voces ex Fabulis *Poetarum* petitæ.

Hebraam vocem אִיִּים, nos ſuo loco *thoas*, *Hieronymus*, *Faunos ficarios* explicat *Jer.* 50. *v.* 39. *Emanuel Sa* legi vult *Fatuos ficarios*, quomodo dici putat dæmonum genus ficariorum ſpecie apparentium. Atque id quidem ferri poteſt, quamvis nihil ſit neceſſe, quod pro *faunis fatuos* legit. *Fatuos* enim, & *fatuellos* pro *faunis* dici non ſemel teſtatur *Servius* (a). Et de *Fauna*, vel *Fatua*, *Fauni* uxore mentio eſt apud *Varronem* (b), & *Macrobium* (c). Sed ut *ficarii* mutentur in *ſicarios*, non facilè conceſſerim: Quia *Faunos ficarios* lego in *Hieronymo* in *Eſaiam* capite decimo tertio, & *Iſidori* *Originum* libro octavo, in fine, & rursùs libri un...decimi capite tertio. Unde *Gloſſa* veteres *ficarios*, *Faunus*. Et apud *Paulum Diaconum*, *Filmer Gothorum* Rex, ſagas quaſdam *Alrunnas* vernaculo ſermone dictas ex caſtris ſuis proſcriptas relegavit in *Scytharum* ſolitudines, ubi ex earum concubitu homines ſylveſtres, quos nonnulli *Faunos ficarios* vocant, *Hunnos* gentem ferociſſimam procreârunt. Quod ut verum non protero, ſed ut probem ab omnibus *ficarios* ſcribi, non *ſicarios*, quibus cum *Faunus* commune nihil eſt, quod quidem ſciam.

(a) In Æn. lib. 6. & 8.
(b) De Ling. Lat. l...
(c) Saturn. lib. 1.

Porrò cur אִיִּים, *Hieronymus Faunos ficarios* reddiderit, non cuivis patet. Ego rem, ut potero, ediſſeram. אִים, *Hebræis* terribilem, & אֵימָה, terrorem ſonat. Inde fieri putavit אִיִּים, ac ſi *Mem* ſervile in fine vocis pertineret ad radicem: adeoque voluit אִיִּים, eſſe ſpectra quævis terribilia. Quales *Fauni* vel maximè, cum *Fauno* terrores *Panicos*, & quæcunque φάσματα, videntibus terrorem incutiunt, veteres *Romani* tribuerint. *Dionyſius Halicarnaſſeus* libri quinti capite tertio de *fauno*: τούτῳ γὰρ ἀνατιθέασι τῷ δαίμονι Ῥωμαῖοι τὰ πανικὰ καὶ ὅσα φάσματα ἄλλοτε ἀλλοίας ἔχοντα μορφὰς, εἰς ὄψιν ἀνθρώπων ἔρχονται, δείματα φέροντα. *Huic enim* Romani *panicos terrores adſcribunt, & quæcunque alia ſpectra, quæ varias induentia formas in hominum conſpectum veniunt, & metum ipſis incutiunt.* *Ovidius* in *Phædra*:

——Faunique *bicornes*
Numine contactas attonuit ſuo.

Romanorum Faunus ſcilicet Deus, idem qui *Pan Arcadum*, à quo *Panici* dicti repentini terrores. *Euripides* in *Rhæſo*:

Κρονίου Πανὸς τρομερᾷ μάστιγι φοβῇ,
Saturnii Panis *tremendo flagello ictus trepidas.* *Pauſanias* in *Phocicis*, Ἐν δὲ τῇ νυκτὶ φόβος σφίσιν ἐμπίπτει Πανικός. Τὰ γὰρ ἀπὸ αἰτίας οὐδεμιᾶς δείματα ἐκ τούτου φασὶ γίνεσθαι, *Ea nocte* Panicus *illos inceſſit terror.* *Terrores enim nullâ ex cauſa ortos ab eo* (Pane) *immitti ajunt.* *Polyænus* libro primo *Stratag.* Τὰς κινὰς τε νυκτερινὰς τῶν στρατευμάτων φόβους Πανικοὺς καλοῦμεν, *Varios, nocturnosque terrores exercituum*, Pani *nuncupamus.* Proinde ut *Pani* & *Fauno* eadem ſpecies, & eadem ſacra, ut alibi docuimus (d), ſic eadem origo nominis. Nempe פּוּן, verbum *Hebræum*, à quo participia פָּן *pan*, & פּוּן *pun*, vel *fun*, cum propriè ſignificent qui hæret attonitus. Erant פָּן, unde *Faunus*, & אִים quo nomen אִיִּים percensere creditum, vicinæ ſint ſignificationis. Unde eſt quòd divinus Pſaltes utrumque junxit his verbis *Pſal.* 88. *v.* 16. נָשָׂאתִי אֵמֶיךָ אָפוּנָה, *Portavi terrores tuos, ideò attonitus hæreo.*

(d) In Phaleg. p. 645.

Unum ſupereſt diſquirendum, quorſum *ficarii* Fauni dicantur. An ut *Lucæ Brugenſi* placet, quia ficus illis ſacra eſt? Minimè. Neque enim *Fauno* ficus, ſed *Baccho* fuit ſacra, quem proptereà *Spartani*

Συκίτην

Συκίτην appellârunt, & *Naxii* Μειλίχιον, ut auctor *Athenæus* libro tertio. At *Fauno*, ſeu *Pani* conſecrata fuit pinus. *Ovidius* in *Oenone:*

Cornigerumque caput pinu præcinctus acutâ
Faunus.

Et *Metamorphoſeωs* libro decimo quarto *Fab.*16.

——pinu præcincti tempora Panes.

Lucretius de *Pane* libro quarto verſu 587.

Pinea ſemiferi capitis velamina quaſſans.

Silius libro decimo tertio, de eodem:

Cingit acuta comas, & opacat tempora pinus.

Proinde ficarii nomen à ficis deduci malim quam à ficubus. Ficos hic intelligimus de quibus paſſim *Martialis*, ut libro primo *Epigr.* 66.

Dicemus ficus quas ſcimus in arbore naſci,
Dicemus ficos Cæciliane *tuos.*

Et libro quarto *Epigr.*52.

Geſtari junctis niſi deſinis Ædile *capris,*
Qui modo ficus eras, jam caprificus eris.

Ficus, id eſt, ficoſus. Et libro ſeptimo *Epigr.*70.

Ficoſa eſt uxor, ficoſus & ipſe maritus,
Filia ficoſa eſt, & gener atque ſocer.

Et libro duodecimo *Epigr.*33.

Ut pueros emeret Labienus *vendidit hortos,*
Nil niſi ficetum nunc Labienus *habet.*

Id eſt, pueros ex nequitia ficoſos. Et libro decimo quarto *Epigr.*86.

Nam ſolet à nudo ſurgere ficus equo.

Ficus *Græcis* eſt σῦκον, & σύκωσις. Tumor eſt à fici ſimilitudine ſic dictus. Ficos definit *Galenus* ex *Hippocrate* ἐπαναστάσεις σαρκώδεις ἐν τοῖς τῶν βλεφάρων τόποις γινομένας, *carnoſas eminentias in palpebrarum locis obortas.* Alii reliquis etiam corporis partibus adnaſci ſcribunt, ſed iis maximè quæ piloſæ ſunt. *Celſus* (c) duo facit genera, quorum alterum dicit eſſe ulcus durum, calloſum, & rotundum, ex quo exiguum quiddam, & glutinoſum exit in barba maximè exoriens, alterum verò humidum, & inæquale, ex quo quod exit pus, eſt mali odoris, præcipuè in capillo proveniens. Ut ab hoc morbo quo facies maximè deformatur, *Faunos Satyrorum* genus denominari putem, facit, quòd *Græcos* video morbis non abſimilibus à *Satyris* deſumpta nomina indidiſſe, utpotè quibus perſuaſum *Satyros* habere vultum quibuſdam tuberculis, & tumoribus inæquale. Ita *Galenus* eſt auctor glanduloſas eminentias circa tempora, & aures ideò ab *Hippocrate* σατυριασμούς, & φήρια vocari, vel φηρεῖα, quia φῆρες, *Ionibus* iidem erant, qui *Satyri*. Sed & elephantiaſis, cum incipit efflorеſcere, appellatur σατυριασμὸς, eò quòd τοῖς Σατύροις ὅμοιοι γίνονται τὸ πρόσωπον, Satyris *de facie ſimiles fiunt*, qui hoc morbo divexantur, ut teſtatur idem *Galenus* in libro de tumoribus præter naturam. Unde *Avicenna* in capite de ſignis lepræ, *Can.*4. 3.3.2. *Et apparent ſuper corpus* زوايد غددية *tubercula glanduloſa, qualia in animali quod vocatur* Græcè ساطورس σάτυρος, interpres perperam habet *ſacos*. Concinit *Philoſophus*, quo loco σατυρίαν nominari dicit morbum quo præ humoris, vel flatus copiâ in partes faciei decumbentis, ἄλλου ζώου καὶ Σατύρου φαίνεται τὸ πρόσωπον, *alius animalis*, Satyri *nimirum, facies eſſe videtur.* Hæc ille de generatione *Animalium* libri quarti capite tertio.

(c) Lib.6. cap. 3.

His duabus tertiam addo de *ficariis* conjecturam, quam mihi ſuggeſſit vir doctiſſimus. Illa ſic habet: *Ficarios faunos* dici pro *ficatis*, ſive *picatis*, quia pedes habuere in *ficarum*, ſeu ſphingum formam. In *Feſto* ſcilicet legas *picatos appellari quoſdam, quorum pedes formati ſunt in ſpeciem ſphingum, quod eas* Dorii *phicas vocant.* Sic pro ſphinge *Heſiodus* φῖκα dixit, & *Lycophron* φίκειον τέρας, *phiceum monſtrum.* In quos locos *Scholiaſta*, φίκιον nominari monent montem quem *Sphinx* incolebat. Quod ipſum tradunt *Apollodorus* libro tertio *Bibliothecæ*, & *Plutarchus* in libello *quòd bruta ratione utuntur.* Et nos in *Phaleg* noſtro pagina quadringenteſima ſeptuageſima, probavimus vocem eſſe merè *Phœniciam.* Φικὰ, in *ficam Romani* mutare potuerunt ſervatâ analogiâ, quomodo φορδὰ, in *fordam*, ὄρυγα, in *orcam*, σπυρίδα, in *ſportam*, & σπήλυγγα, in *ſpeluncam.* Itaque darem manus, ſi probaretur *Faunos* pedes habuiſſe *ficatos*, ſive *picatos*, id eſt, in formam ſphingum. Sed multo aliter ſtatuunt fabularum architecti, qui *Faunis* caprinos pedes, ſphingi leoninos aſſignant. De *Faunis* res notiſſima. De ſphinge ſic *Euripides* apud *Ælianum* libri duodecimi capite ſeptimo.

Οὐρὰν δ' ὑπείλασ' ὑπὸ λεοντόπουν βάσιν,
Caudam remulcens ad leoninos pedes.

Et *Apollodorus* libro tertio. *Sphinx muliebri facie, pectore, pedibusque, ac caudâ leonis.* Et *Auſonius* in gripho ternarii,

Terruit Aoniam, *volucris, leo, virgo triformis.*
Sphinx, volucris pennis, pedibus fera, fronte puella.

Et *Scholiaſtes Ariſtophanis* in *Ranis:* Οἱ τῆς σφιγγὸς πόδες λεοντώδεις ἦσαν, *Sphingis pedes leonini erant.* Quale eſt quod illi tribuit *Euripidis Scholiaſtes* in *Phœniſſis* πρόσωπον παρθένου, στῆθος δὲ καὶ πόδας λέοντος, *faciem virginis, leoninque pectus, & pedes.*

CAPUT SEPTIMUM.

De Piloſis, & Satyris.

Hircus Hebræis שעיר *&* Græcis τράγος, *à pilorum aſperitate dictus.* Hircipili *qui dicantur. Dæmones, & idola* שעירים, *id eſt, hirci,* Levit.17.v.7.&c. *propter* Ægyptios *qui hircum* ἀπεθέωσαν, *cui Deo ſacerdotes primum initiati. Multi Dii hac ſpecie culti. Eâdem ſpecie ſæpe diabolus ſe videndum exhibuit. Gallorum* Duſii, Eſa.13.v.21. *&* 34.v.14. שעירים, *ſpectra piloſa, aut hircinâ ſpecie.* Græcè τριχιῶντες, *&* ὀρθοτριχῶντες. *Judicium de* Satyro *qui* Antonio *apparuit.*

A שער, pilo, *Hebræis* שעיר, eſt hircus, animal hirſutiſſimum. Sic *Græcè* τράγοι dici volunt ἀπὸ τῆς τραχύτητος, à pilorum aſperitate. Et in *Feſto hircipili* ſunt denſorum pilorum homines. Rem ita ponit ob oculos *Theocritus* in *Thalyſia:*

Ἀμφὶ γ' λασίοιο δασύτριχος εἶχε τράγοιο
Κνακὸν δέρμ' ὤμοισι.
Hirſutum, & villoſum humeros circumdabat hirci
Exuvium.

Sed & nomine שעירים, idola, vel dæmones appellari videas, *Levit.*17.v.7. & 2.*Chron.*11.v.5. ut puto propter *Ægyptios*, qui non modo τὸν τράγον ἀπεθέωσαν, *inter Deos hircum retulerant, ſed & in ejus cultum tanto furore ferebantur, ut oporteret* τοὺς ἱερεῖς τοὺς παραλαβόντας πατρικὰς ἱερωσύνας κατ' Αἴγυπτον, τούτῳ τῷ θεῷ πρῶτον μυεῖσθαι, *ſacerdotes qui paterna ſacerdotia per* Ægyptum *ſuſcipiebant, huic Deo primum initiari.* Ita *Diodorus* libro primo *Bibliothecæ.* Accedit quòd complures Dii gentium, ut *Pan Mendeſius, Faunorumque*, & *Satyrorum* omne genus, aut hircinâ ſpecie, aut hirco proximâ culti ſunt. Et in *Maimonide* (a) צבים, *Tſabii*, id eſt, *Ethnici* apud *Arabes*, & *Chaldæos*, dæmones exiſtimabant hircorum habere formam. Nempe diabolus hirci ſpecie ſe præbet conſpiciendum. Sic in *Jamblichi Babylonicis*, τράγου τι φάσμα ἐφ' Σινωνίδος, *hirci ſpectrum aliquod deperit* Sinonidem, id eſt, diabolus hirci ſpecie. Et apud *Philoſtratum* (b).

(a) More Nebochim lib.3.cap.46.

(b) Vita Apollon. lib.6. cap.13.

ἐπεφοίτα δ' ἀρὰ τῇ κώμῃ δέκατον ἤδη μῆνα σατύρου φάσμα, λυττῶν ἐπὶ τὰ γύναια, καὶ δύ' ἀπεκτονέναι σφῶν ἐλέγετο, ὧν μάλιστα ἐδόκει ἐρᾶν, Venerat in vicum (*Æthiopiæ* propè *Nili* catarrhactas) *decimo jam ante menſe* Satyri *ſpectrum*, id eſt, diabolus *Satyri* ſpecie, *furens erga mulieres, jamque duas illarum interfeciſſe ferebatur, quas videbatur maximè amare.* Idem judicium de *Silvanis*, & *Faunis*, & *Gallorum Duſiis*, de quibus *Auguſtinus* de civit. Dei libri decimi quinti capite vigeſimo tertio. *Quoniam creberrima fama eſt, multique, ſe expertos, vel ab eis qui experti eſſent, de quorum fide dubitandum non eſt, audiſſe confirmant,* Sylvanos *&* Faunos, *quos vulgò* Incubos *vocant, improbos ſæpe extitiſſe mulieribus, & earum appetiſſe ac peregiſſe concubitum, & quoſdam dæmones quos* Duſios Galli *nuncupant, hanc aſſiduè immunditiam & tentare & efficere, plures taleſque aſſeverant, ut hoc negare impudentiæ videatur.* Atque ex his confirmatur id quod diximus, diabolum in hirci forma, aut quæ ad hanc proximè accedit, in *Satyri*, *Sylvani* & *Fauni* ſpecie potiſſimùm ſibi placere. Neque id *Hebræos* latuit. *Kimchius* enim non ſemel ſcribit שעירים vocari dæmones לפי שהם נראים כדמות השעירים למאמינים בם, *quia credentibus in ſe hircorum ſpecie conſpiciendos ſe offerunt.* Quod ipſum legere eſt in *Aben Ezra* Levit. 17. v. 7. Itaque cum *Eſa.* 13. *v.* 21. & 34. *v.* 14. prædicitur fore, ut in deſolatis urbibus שעירים, *hirci*, ſaltent, & clament alter ad alterum, ſpectra potiùs intelligo, & ut habetur in *Jamblicho* τράγων φάσματα quàm veros hircos. Eadem mens fuit veterum interpretum, qui pro hircis vel dæmonia, vel piloſos explicant, *Græcis* τριχιῶντας & ὀρθοτριχοῦντας, effictis nominibus ad inſtar *Hebræi* שער, quod à pilis eſſe diximus. *Piloſi Hieronymo* ſunt *Satyri* vel *Incubones*. Inde ſumpta *Satyrorum* vox in nuperis verſionibus, atque eo libentiùs uſurpata eſt, quòd ſpecies, qualem Poëtæ deſcribunt, ab hircina non abludit, neque ipſa *Satyri* vox ab *Hebræa* שעיר *ſahir*.

Abſit interim, ut ex his locis quiſquam colligat ullos aut jam extare, aut unquam extitiſſe in rerum natura *Satyros*. Nam vel ſi שעיר *Hebræis* eſſet *Satyrus*, quod non liquet, tamen in *Eſaia* vox שעירים non ſignificaret veros *Satyros*, ſed dæmones *Satyrorum* ſpecie, hominum oculis illudentes. Proinde non aſſentior narrationi magni ſcriptoris, in qua *Satyrus* introducitur *Antonium* in eremo rogans, ut pro ſe communem Deum deprecetur, tanquam ſalutis in Chriſto particeps futurus. Non alios ſervat Chriſtus quàm quos aſſumpſit. At non aſſumpſit Angelos, multò minùs dæmones, aut *Satyros* qui nuſquam ſunt, ſed ſemen *Abrahæ*.

CAPUT OCTAVUM.

De Sirenibus.

Hebræis שיר *ſir, cantio, unde ſirenes. Eas in maris littore Poëtæ ponunt. Sed* Græci *interpretes in ſolitudine procul à mari. Nempè uſurpant ſirenum vocem pro* Hebræis *draconum & ſtruthionum nominibus. An quia dracones & ſtruthiones deſcribuntur, ut θρηνητικὰ ζῶα* Job. 38. v. 29. *&* Mich. 1. v. 8? *At Sirenum cantus funeſti quidem & ferales, non tamen lugubres erant.* Syrus *quoque eadem voce abutitur, ſed pro* איים.

PHœnicum lingua שיר *ſir*, eſt cantio. Inde factum *Sirenum* nomen, quæ navigantes ſcilicet λιγυρῇ θέλγουσιν ἀοιδῇ, *blando cantu demulcent.* Superiora ſunt virginum, inferiora τῶν στρουθῶν, *paſſerum* vel *ſtruthionum*, non piſcium ut vulgus putat. Sedes in prato vel in ſcopulis ad maris littus. Unde mirari ſubit, cur toties *Græci* interpretes (*a*), atque ex iis Vulgatus (*b*) ſemel, *Sirenas* accenſeant iis animalibus quæ in intimis deſertis procul à mari degunt. Maximè cum in fonte *Hebræo* nuſquam compareant *Sirenes*, ſed pro iis vel תנים *dracones*, vel בנות יענה, *ſtruthiones*, quæ duo animalia neque inter ſe, neque cum poëtarum *Sirenibus* quicquam habent commune. In ſacro certè argumento conſultiſſimum eſt abſtinere prorſus his μυθωδῶν. Proximum ut iis ſaltem ſobriè utaris, nec niſi cum res maximè poſtulat. A quo temperamento planè videtur aliena *Sirenum* iis locis mentio tam intempeſtiva. Dicam tamen quid in eorum excuſationem afferri poſſit. Struthiones apud *Hebræos* בנות יענה, dici videntur à cantu luctuoſo, quod alibi multis expono. Sed & voci תנים quâ dracones & cete ſignificantur, origo תנות, id eſt, θρηνεῖν lugere, lamentari *Jud.* 11. *v.* 40. Quia tam ſtruthiones quàm תנים, *cete* vel *dracones* (ſed cete potiùs cùm de luctu agitur, ut jam docui) ſunt θρηνητικὰ ζῶα. Hinc *Micheas* capitis primi verſu octavo, *Edam planctum* כתנים, *ſicut cetorum, & luctum ſicut ſtruthionum.* Et *Job.* 33. *v.* 29. *Surgens in cœtu vociferor. Frater fui* תנים, *cetorum, & ſocius ſtruthionum.* Priore loco pro *ſtruthionibus*, poſteriore pro *cetis* Græci *Sirenas* habent. Ab iis nempe creditum lugubres fuiſſe *Sirenum* cantus? quod tamen Poëtæ non tradunt. Niſi lugubres ideò dicas quia funeſti & ferales erant, & in audientium perniciem comparati. Alioqui *Sirenes* ceciniſſe finguntur quæ cuique erant maximè grata, puta, *Ulyſſi* laudes ſuas.

> Δεῦρ' ἄγ' ἰὼν πολύαιν' Ὀδυσεῦ, μέγα κῦδος Ἀχαιῶν,
> *Dux celebrate veni, decus ingens gentis* Achivæ, *&c.*

Semel tantum (*c*)

> Δεινὰ γ' ἀνεστονάχησαν, ἐπεὶ πότμος ἦν λυγρός·
> *His gemitum extorſit vicinia mortis acerba.*

Cùm ſcilicet dulcedine cantus *Orpheus* illas deviciſſet.

(a) Job. 30. 29. Eſ. 13, 22. & 34. 13. & 43. 20. Ier. 50, 39. Mich. 1, 8. (b) Eſ. 13, 2.

(c) Orph. Argonaut. verſu 1284.

Hæc cum ſcripſiſſem, animadverti *Syrum* etiam interpretem *Sirenum* vocem ſemel atque iterum adhibuiſſe. Primus locus eſt *Eſa.* 13. *v.* 22. ubi *Hebræa* habent וענה איים, id eſt, ut ſuo loco interpretor, *& thoes alternis reſpondebunt.* Et *Syrus* ܘܢܥܢܘܢ ܣܝܪܣ, *Et reſpondebunt* Sires. Sed legendum eſſe ܣܝܪܝܢܘܣ, *Sirenes*, res ipſa docet, & *Ferrarii* Lexicon, qui ita legit hoc verbum in exemplari *Romano*. Alter locus eſt *Jerem.* 50. *v.* 39. ubi *Hebræa* ישבו ציים את איים, *habitabant feles* ſylveſtres *cum thoïbus*, *Syrus* alterâ voce omiſsâ reddidit ܢܥܡܪܘܢ ܒܗ ܣܝܪܝܢܘܣ, *Habitabunt in ea* Sirenes. Sed ſive thoes ſive feles intellexeris, quid illorum diri clamores & inconditi, cum dulci *Sirenum* modulamine commune habeant, nihil video. Itaque *Syrum*, *Hebræas* voces puto non intellexiſſe.

CAPUT NONUM.

De *Lilith*, Lamiis, & Strigibus.

Eſa. 34, 14. לילית Lilith, *nonnullis avis nocturna, Aliis lemures*, Lamia, الغول Algol, *ἔμπουσα*, Furia, שירה, dæmoniſſa. Kimchio *ineptè* Chamæleon *avis*. לילית Lilith, *pro fœtu monſtroſo in* Talmude. *Monſtrum capillatum. Quatuor matres dæmonum. Harum una* Lilith, *olim* Adami *uxor, ſed deſertrix. De hac fabula in* Ben Sira. Judæorum *carmen ἀποτρόπαιον, in puerperæ cubiculo ſcribi ſolitum.* Lilith *monſtrum muliebre noctu apparens.* Lilith, *Regina* Zmargad *in* Sabæis. Lilith, *ut* Strix *veterum, & Lamiæ.* Lam. 4, 3. תנין, *non ſunt* Lamiæ *ſed cete.* Lamiarum *fabuloſa deſcriptio in* Dione, *qui fabulas hortationibus ſuis ſæpe intexuit.*

DUbitatur quid ſit לילית *Lilith*, Eſa. 34. v. 14. *Ibi reſedit* Lilith, *& invenit ſibi requiem.* Aben Ezra *nocturnam avem* explicat. *Aquinas* animal ita dictum, *quia natura ejus eſt, ut noctu clamet. Hebraicè* enim ליל *lajil*, eſt nox. Sed ſpectri genus eſſe veteres ſummo conſenſu docent, etſi de ſpecie non conſtet. Lxx reddunt ὀνοκενταύρους. *Chaldæus* לילין *lilin*, id eſt, lemures. Et *Syrus* ܠܠܝܬܐ *lelitho*, uterque fictis vocibus ad *Hebræa* ſimilitudinem. *Vulgatus* ex *Symmacho* Lamiam. *Arabs* الغيلان quod eſt *Plurale* τ͂ الغول *algol*. Sic illi *Furiam* vocant. Sic *Hebræi* quidam in *Hieronymo* Σειρὴν, & *Furiam* reddunt. Et *Jarchius* שירה, τὴν δαίμονα. *Kimchius* in *Lexico* ridiculè *chamæleontem avem*, & in *Commentariis*, *animal quod noctu clamat, aut avem quæ noctu volat.* Sed ibidem profert locum ex *Talmudico* tractatu *Nidda* in quo *Lilith* aliter ſumi conſtat. Verba ſunt המפלה דמות לילית טמאה לידה, *Si abortivo partu mulier ſimilitudinem Lilith peperit, partus ille eſt immundus.* Et ibi *Gloſſa* habet לילית ולד הוא אלא שיש לו כנפים, *Lilith eſt inſtar pueri, niſi quod habet alas.* Iidem in tractatu *Erubin.* המגדלת שער כלילית, *Quæ alit*, vel *quæ torquet* capillos *ut* Lilith, ut ſcias monſtrum eſſe capillatum. *Hebræorum* alii doctores apud *Eliam* in *Thisbi* nugantur quatuor eſſe matres dæmonum לילית נעמה אגרת ומחלת, *Lilith, Naama, Ogereth*, & *Machalath*, ex quibus dæmones, quotquot ſunt, genuit *Adam* annis centum triginta, quibus abſtinuit ab *Eva*. *Maimonides* etiam id obiter attingit in *More Nebochim* libri primi capite ſeptimo. Et profert locum ex *Midras*, ſeu *Commentario* myſtico in *Geneſin*, in quo habetur hæc fabella. Et in libro *Ben Sira*, quem *Babylonicæ* captivitatis tempore vixiſſe ſibi fingunt, *Commentum* aliud legere eſt de eadem *Lilith* longè putidiſſimum. Summa eſt *Ben Siram* à *Nabuchodonozore* interrogatum, cur ante octavum diem morerentur multi infantes, & quid ſibi vellent tria nomina סנוי, *ſenoi*, סנסנוי, *ſanſenoi*, & סמנגלוף, *ſammangeloph*, quæ pergamento inſcripta viderat: Reſpondiſſe, *Adamo* primam uxorem datam fuiſſe *Lilith*, quæ originis ratione ſuperbiens, quia ex eadem cum illo terrâ fuerat creata, noluerit ei ſe ſubjicere, & recitato nomine *Jehova*, virtute illius avolaverit, & è viri conſpectu ſublata ſit. Quæ uxoris pervicacia, cum *Adamo* eſſet permoleſta, & is apud Deum graviter conquereretur: Deum illius oratione permotum, miſiſſe tres Angelos, *Senoi, Sanſenoi*, & *Sammangeloph*, qui eam inſequuti ſint, & ad mare *Rubrum* aſſequuti, & minati ſe demerſuros, & centum ex ejus liberis in dies interfecturos, niſi rediret quamprimum, viro morem geſtura. Sed illam reditum abnuentem, & de liberis acceptâ conditione, de cætero dixiſſe, dimittite me, cum ideo creata fuerim, ut pueris eſſem infeſta, maribus ſcilicet intra octavum, & fœminis intra viceſimum ab ortu diem. Promitto tamen, & ſanctè juro in nomine Dei viventis me illis parſurum, quoties videbo vos, aut nomen, aut figuram veſtram amuleto impreſſam. Atque inde eſſe, quòd indies pereunt centum diaboli. Et pueris ſtatim ab ortu appenduntur nomina trium Angelorum pro amuleto, ut *Lilith* juramenti memor, ſit illis propitia. Hæc quæſtione ſexageſima pluribus refert *Ben Sira*, ſpurius auctor, & ψευδεπίγραφος, qui tamen apud *Judæos* meretur tantum fidei, ut plerique rata habeant hæc nugamenta. Adeoque ut cubiculi parietibus, in quo decumbit puerpera, quatuor hæc verba hodieque inſcribant pro carmine ἀποτροπαίῳ אדם חוה חוץ לילית, Adam, Eva, *foras* Lilith, additis in oſtio interiore trium Angelorum nominibus, quos huic monſtro mortem intentaſſe diximus. Quæ utut vana, & ridicula ſint, & ineptè conficta, tamen confirmant id quod diximus, *Lilith* ex ſententia veterum fuiſſe larvæ genus. Neque id malè convenit *Eſaiæ* loco, qui ſic habet: *Hircus ad ſocium ſuum clamabit, ibique adeò reſidebit* Lilith, *& inveniet requiem ſuam.* Hirci nomine, diabolum hirci ſpecie conſpicuum ſignificari docuimus. Inde valde veriſſimili ratione colligas, *Lilith* etiam ſpeciem eſſe ſpectri, ſed muliebris potius, quia terminatio fœminina eſt.

Nomen à nocte ductum, quâ potiſſimum talibus ſpectris eſt locus. Quo multi referunt illud, *Pſal.* 91. *v.* 5. 6. *Non timebis à pavore nocturno, à peſte in caligine ambulante.* Proinde *Lemures*, *Chaldæi* לילין, quaſi nocturnos appellant. Et *Furias Poëtæ* fingunt eſſe noctis filias. Et in *Feſto* ſtrix vocatur νυκτινόμα, & νυκτιβόα, ut in *Heſychio* Στρίγλος.

Sed & *Lilith* larvis potuit & *Furiis* accenſeri, in impiæ cujuſdam *Lilith* odium Reginæ זמרגד, *Zmargad*, loci in *Sabæis* ita dicti, ut videtur, à ſmaragdorum copia, quam cum valido exercitu in *Jobi* greges, & ſervos irruiſſe tradit *Chaldæus* interpres, *Job.* 1. *v.* 15. Sic *Gorgonas* & *Proſerpinam* de ſolio deturbatas *Poëtæ* ad inferos detruſerunt.

Hoc qualecunque ſpectrum quo nomine appelles, non multum refert, niſi quòd eos maxime probo qui *Strigem* reddunt. Nam, & *Striges Poëtis* ſunt alatæ mulieres, aut nocturnæ aves, quæ

Nocte volant, puerosque petunt nutricis egentes,
Et vitiant cunis corpora rapta ſuis.
Carpere dicuntur lactantia viſcera roſtris,
Et plenum poto ſanguine guttur habent.

Hinc *Serenus Samonicus*:

Præterea ſi fortè premat Strix atra puellas,
Viroſa immulgens exertis ubera labris.

Et *Plinius* libri undecimi capite trigeſimo nono. *Fabuloſum puto de ſtrigibus, ubera infantium eas labris immulgere.* Et *Feſtus. Strigum nomen maleficis mulieribus inditum eſt, quas volatrices etiam vocant. Itaque ſolent his verbis eas veluti avertere* Græci: Στρίγγα πομπεύσειν νυκτίνομα, &c.

Sed & *Lamiam* ajunt muliebri ſpecie τὰ παιδία ἀναρπάζουσαν διαφθείρειν. Unde *Horatius* in de *Arte*:

Neu pranſæ Lamiæ *vivum puerum extrahat alvo.*

Ut non immeritò *Symmachus*, & eum ſequutus *Vulgatus* interpres, *Lamiæ* vocem hic uſurpaverint.

At aliter *judico* de loco, *Lam.* 4. *v.* 3. Lamiæ *nudaverunt mammam, lactaverunt catulos ſuos.* Quippe in ſacro textu תנין, non ſunt *Lamiæ*, ſed cete. Videſis caput de cetis libro primo partis primæ, ſi de *Lamiis*

Lamiis agi pertendas, rogabo rurſus utrum *lamias* piſces, an empuſas intelligas. Si piſces, quorſum his mammæ; ſi empuſæ, cur catuli à Prophetis tribuuntur? Regeres *Lamiarum* inſuper tertium eſſe genus, nempè *Libycas* feras, mulicbri facie, & mammis, cætera draconum inſtar ſquamis obſitas, quas in *Libyca* Fabula pluribus deſcribit *Dion*. Has poſſe dici תנים dracones, propter ſimilitudinem quam habent cum draconibus. *Corporis reliqua*, inquit *Dion*, *ſquamis prædura, ut frangere non ſit: Alis carent ſicut voce, ſed ſibilum edunt draconum imagine quâdam.* Neque vero dubium quin interpres id reſpexerit. Sed cum præter *Dionem* tale portentum nemo deſcribat, abſit à nobis ut huic ſcriptori fidem temere adhibeamus, qui, ut *Photius* vere obſervat, *χαίρει μάλιστα καὶ μυθολογήμασι τὰς παραινέσεις συνδιαπλέκειν*, *fabuloſas etiam narrationes ſuis hortationibus intexit libentiſſime.*

CAPUT DECIMUM.

De Onocentauris

Onocentaurus, & Hippocentaurus, Centauri *ſpecies. Magna quæſtio inter Scriptores, an* Centauri *verè extiterint.* Centauri *olim in* Theſſalia, & *in* Cypro. *Et in* Italia *inter* Auſones *Mares* Centaurus. Onocentauræ *deſcriptio ex* Pythagora. Phile *deſcribit tanquam αὐτόπτης.* Centaurus Periandro *exhibitus in convivio ſeptem ſapientum.* Centauri *duo ſub* Claudio *viſi, unus in* Theſſalia, *alter in* Ægypto. *In* Arabiæ *urbe* Sauna *repertus* Hippocentaurus *ad* Cæſarem *miſſus à Rege* Arabum. Phlegon *emendatus. Quando hoc monſtrum* Romam *allatum.* Sauna *urbs*, Stephano Saunis. Hippocentaurus Antonio Eremitæ *oblatus.* Hieronymus Onocentauros *verè naſci ex Scriptura probat. Tamen* Centauros *pro fabuloſis habent*, *è* Græcis Ariſtoteles, Xenophon, Diodorus, Plutarchus, Heraclitus, Agatharchides, Palæphatus, Artemidorus, Lucianus, Galenus, &c. *E* Romanis Lucretius, Cicero, Ovidius, Lucanus, Seneca, Celſus, *Juris-conſultus. E Patribus* Baſilius, Auguſtinus, *ipſe etiam* Hieronymus. *Hæc ut concilientur*, ſtat. 1. *In* Theſſalia Centauros *fuiſſe κέντορας ἵππων, qui* Græcorum *primi equos domuerunt. Mares quoque in Italia* Centaurus *equorum domitor. Nomen unde, & cur fingatur ter mortuus ter revixiſſe.* 2. Centauros *in* Cypro *cornutos natos è* Jovis *ſemine in terram ſparſo, eſſe naves quibus* Centauri *appicti, cornua ſunt antennæ.* Semen Jovis *glandes, & quercus* Jovi *ſacræ ex quibus fabricata.* 3. Pythagoræ *non Magni ſed alterius recentioris* Onocentauram *eſſe fabuloſam. Quorſum* Phile *ſe vidiſſe dicat.* 4. *Si equi fœtus, quid humanum, aut muliebris, quid equinum habeat monſtrum eſſe, & ex qua cauſa.* 5. Antonii Hippocentaurum *fuiſſe ſpectrum. Eodem ſenſu* Onocentauros *ſumi à Senioribus, &* Hieronymo. Onocentauri, *dæmonum genus, & quale. Cur* Græci, *lapides vertant in* Onocentauros, Eſ. 34. v. 12. Onocentauri Cyrillo *onagri, &* Gregorio ὀνόταυροι.

Centauri nomen commune eſt *Hippocentauro* quod ex equo, & *Onocentauro* quod ex aſino, & homine mixtum eſt animal. Hoc animal an verè extet, quæſtio eſt celebris, quæ inter priſcos Scriptores ultro citroque agitatur. Nec deſunt rationes quibus aut extare probetur, aut aliquando extitiſſe. Nam præter *Theſſalos* illos *Centauros* in *Pelio* monte πολυδενδρήεντας, etiam alii in *Cypro* fuere, de quibus *Nonnus Dionyſiacωn* libro decimo quarto verſu 193.

> Κενταύρων δ' ἑτέρη διφυὴς κεκόρυστο γενέθλη
> Κυπριάς.
> *Armanturque alii* Cypriâ *de ſtirpe biformes*
> Centauri.

Et in *Italia* jactatur inter *Auſones* πρεσβύτατον γενέσθαι Μάρην τινὰ καλούμενον, οὗ τὰ μὲν ἔμπροσθεν λέγουσιν ἀνθρώπου ὅμοια, τὰ κατόπισθεν δὲ ἵππου, καὶ αὐτὸ δὲ τοὔνομα εἰς τὴν Ἑλλάδα φωνὴν ἱππομιγὴς δύναται, *vetuſtiſſimum fuiſſe* Maren *quendam nomine, quem antica dicunt hominis, poſtica verò equi habuiſſe; Et nomen ipſum id pollere, quod apud* Græcos ἱππομιγὴς, *id eſt, equomixtus.* Ità *Ælianus* in *Var.* libri noni capite decimo quinto. Quin apud eundem de *Animalibus* libri decimi ſeptimi capite nono. *Crates Pergamenus* ex *Pythagora*, *Onocentaurum*, ut verum animal, accuratè deſcribit. Summa eſt *Onocentauræ* humanum eſſe os, collum item & pectus, humeros, brachia, manus. Muliebres mammas & comas: Dorſum, latera, ventrem, & poſteriores pedes aſini; colorem cineritium, circa ilia ſubalbidum; Currenti pedum vicem manus præſtare: Animum habere indocilem, adeo ut capta præ inedia perire malit. Et *Phile* in *Jambis* ad *Michaelem* Imperatorem, hoc animal videtur ità deſcribere, quaſi ipſa viderit. Sic enim habet capite quadrageſimo.

> Ἀνθρωπόμορφον εἶδον, Ἰνδέ, θηρίον,
> *Vidi*, Inde, *formâ præditam humanâ feram*, &c.

Et paulò pòſt

> Πρόσωπον ἀνδρὸς εἶδον, Ἰνδέ, καὶ κόμην,
> Καὶ στέρνα, καὶ τράχηλον ἀχρὶς ἰξύος,
> Καὶ χεῖρας αὐτὰς ἀνδρικὰς, καὶ δακτύλους,
> Ἔπειτα μαζοὺς ὡς γυναικὸς ἠρμένους.
> Ῥάχις δὲ, καὶ πλευρὰ, λαπάραι, γαστὴρ, πόδες,
> Καθαρὸν ὄνον τιν' ὀργανοῦσι τὴν θέαν.
> *Mihi virilis*, Inde, *vultus, & coma*,
> *Pectuſque viſum eſt, atque collum ad ilia:*
> *Vidi, & viriles huic manus, digitos quoque*,
> *Mammaſque ad inſtar fœminarum pendulas.*
> *Merum ſed aſinum reliqua ſpectandum exhibent,*
> *Dorſum, latuſque, venter, abdomen, pedes.*

Sed & in convivio ſeptem ſapientum apud *Periandrum* exhibitus eſt *Centaurus* recens editus. *Diocles* apud *Plutarchum* in *Sympoſio*: Ἔδειξεν ἡμῖν βρέφος, ὡς ἔφη, γεγονὸς ἐξ ἵππου, τὰ μὲν ἄνω μέχρι τοῦ τραχήλου καὶ τῶν χειρῶν ἀνθρωπόμορφον, τὰ λοιπὰ δ' ἔχον ἵππου, τῇ δὲ φωνῇ καθάπερ τὰ νεογνὰ παιδάρια κλαυθμυριζόμενον. *Oſtendit nobis infantem ex equa natum, ut ajebat, ſuperiores quidem partes uſque ad collum, & manus humanâ formâ habentem reliquas verò equinâ, & vagientem, ut ſolent pueri modo nati.* Sic auctore *Plinio* lib. 7. cap. 3. Claudius Cæſar *ſcribit* Hippocentaurum *in* Theſſalia *natum* (quæ *Centaurorum* vetus fuit patria) *eodem die interiiſſe. Et nos* (ut ibidem addit *Plinius*) *principatum ejus allatum illi ex* Ægypto *in melle vidimus.* Quod *Phlegon Trallianus* iis verbis refert, quæ, quia lectione non indigna ſunt, non grave erit hic inſerere: Εὑρέθη, inquit, ἐν Σαύνῃ τῆς Ἀραβίας πόλει ἱπποκένταυρος ἐπ' ὄρους μάλα ὑψηλοῦ, ὃ ἐστι γέμον φαρμάκου θανασίμου. Καλεῖται δὲ τὸ φάρμακον ὁμώνυμον τῇ πόλει. Ὀξύτατον δὲ καὶ ἀνυτικώτατον τῶν ὀλεθρίων καθέστηκεν. Τὸν δὲ ἱπποκένταυρον συλλαβὼν ὁ βασιλεὺς ζῶον ἀπέπεμψε σὺν ἑτέροις δώροις πρὸς Καίσαρα εἰς τὴν Αἴγυπτον. Τροφὴ δ' ἦν αὐτῷ κρέα. Οὐ φέρον δὲ τὴν μεταβολὴν τοῦ ἀέρος, τελευτᾷ. Καὶ οὕτως ὁ Ἔπαρχος τῆς Αἰγύπτου ταριχεύσας ἀπέστειλεν εἰς Ῥώμην. Καὶ πρῶτον ἐν τοῖς βασιλείοις ἀπεδείχθη, τὸ μὲν πρόσωπον ἀγριώτερον τοῦ ἀνθρωπίνου ἔχον. χεῖρας δὲ καὶ τοὺς τούτων δακτύλους τετριχωμένους. πλευρὰ δὲ συναφῆ τοῖς πρώτοις σκέλεσι καὶ τῇ γαστρί. ὁπλαὶ δὲ ἦσαν αὐτῷ ἵππου στερεαί, καὶ ἐπίξανθοι χαῖται, καίτοι ὑπὸ τῆς ταριχείας συμμελανούμεναι τῷ δέρματι. μέγεθος δὲ ἦν οὐχ' ὡς οἱ ζωγραφόμενοι, οὐδ' αὖ πάλιν μικρός. Ἐν δὲ τῇ προειρημένῃ πόλει Σαύνῃ ἐλέγοντο καὶ ἕτεροι εἶναι ἱπποκένταυροι.

Τὸν δὲ συμφθέντα εἰς Ῥώμην εἴ τις ἀπιστεῖ, δύναται ἱστορῆσαι· ἀπόκειται γὰρ ἐν τοῖς ὁρίοις τοῦ αὐτοκράτορος τεταριχευμένος, ὡς προεῖπον, *In Arabiæ urbe* Sauna *repertus eſt hippocentaurus, in monte admodum excelſo, qui lethali abundat veneno, ejuſdem cum urbe nominis, omnium lethiferorum acerrimo & efficaciſſimo. Hippocentaurum autem,* Arabiæ *Rex cum vivum cœpiſſet, cum aliis donis miſit in* Ægyptum *ad* Cæſarem. *Veſcebatur carnibus. Sed aeris mutationem non ferens, mortuus eſt. Eum conditum* Ægypti *præfectus* Romam *miſit. Et primum in palatio monſtratus eſt. Faciem habebat humana ferociorem. Manus & digitos villoſos: Latera anterioribus cruribus & ventri contigua. Ungulæ erant equinæ ſolidæ. Juba ſubfulva, quamvis illam conditura pellis inſtar denigrâſſet. Magnitudo non quanta pingitur, non tamen exigua. Porrò in urbe* Sauna *quam diximus, etiam alii feruntur eſſe hippocentauri. Et eum qui* Romam *miſſus eſt, ſiquis non credat, videre poteſt. Conditus enim, repoſitus eſt, ut jam retuli, inter Imperatoris cimelia.* *Græca* habent ἐν τοῖς ὁρίοις τοῦ αὐτοκράτορος, *in Imperatoris finibus*, nullo ſenſu. *Xylander* corrigit ἐν τοῖς ὄρτοις, *in hortis*, quod non probo, quia ὄρτος pro horto à *Græcis* nunquam eſt uſurpatum. Neque cimelia id genus in hortis aſſervare moris eſt. Sed pro ἐν τοῖς ὁρίοις omnino legendum eſt ἐν θησαυροῖς. Θησαυροὶ quandoque ſunt loca in quibus ſervantur cimelia. *Heſychius*, Θησαυρὸς, εἰς ἀγαλμάτων καὶ χρημάτων καὶ ἱερῶν ἀπόθεσιν οἶκος. *Romam* videtur hoc monſtrum eſſe allatum paulò ante mortem *Claudii*, atque inde eſſe quod *Tacitus Annal.* libro duodecimo, *biformes hominum partus* inter prodigia recenſet quæ portenderunt ejus obitum. *Sauna*, urbs *Arabiæ* in qua repertum eſt, in *Stephano* dicitur Σαῦνη. Quomodo *Arbela* & *Arbelis*, *Sephora* & *Sephoris*, *Cedaſa*, vel *Cedeſa* & *Cedeſis* ſolâ terminatione differunt; unum à ſingulari, alterum à Plurali ortum. Nam ut à Plurali נציבין fit *Niſibis*, ità *Arbelis*, *Sephoris*, *Cedeſis* à Pluralibus קדשין, צפורין, ערבלין. Exemplis jam allatis unum addo ex *Hieronymo* in vita *Pauli* heremitæ, ubi de *Antonio Thebaidis* monacho hæc habentur. *Nec plura his, conſpicit hominem equo mixtum, cui opinio Poetarum hippocentauro vocabulum indidit. Quo viſo ſalutaris impreſſione ſigni armat frontem: Et heus tu, inquit, quânam in parte hic ſervus Dei habitat? At ille barbarum neſcio quid infrendens, & frangens potius verba quam proloquens, inter horrentia ora ſenis blandum quæſivit alloquium, & dextra protenſione manus cupitum indicat iter: & ſic patentes campos volucri tranſmittens fugâ ex oculis mirantis evanuit.* Quid quod idem *Hieronymus* ſtatim initio libri contra *Vigilantium*, *Centauros* verè naſci, videtur ex Scriptura probare. *Multa*, inquit, *in orbe monſtra generata ſunt.* Centauros & Sirenas, *ululas & onocrotalos in* Eſaia *legimus*. Nempe capitis decimi tertii verſu vigeſimo ſecundo, Ὀνοκένταυροι ἐκεῖ κατοικήσουσι. Et rurſus *Eſ.* 34. *v.* 11. Ὀνοκένταυροι οἰκήσουσιν ἐν αὐτῇ. Et verſu decimo quarto, συναντήσουσι δαιμόνια ὀνοκενταύροις. Et *Vulgatus*, *Occurrent dæmonia onocentauris.* Et paulò poſt eodem verſu, Ἐκεῖ ἀναπαύσονται ὀνοκένταυροι.

Tamen prudentiores inter fabulas rejiciunt de *Centauris* quicquid affertur. Et ſi *Græcos* conſulas, reperies *Ariſtotelem* in libros quos de animalium Hiſtoria tam accuratè ſcripſit, hos nè nominaſſe quidem: Et alios magno numero pro fabuloſis habere. Sed horum duplex eſt ordo. Alii enim ſolum negant ullos eſſe *Centauros*. Alii inſuper rationibus allatis hoc commentum refellunt. Ità ex primo ordine *Xenophon Cyrop.* libro quarto, *Chryſantem* inducit dicentem, hippocentauros, ſi qui eſſent, ſe maximè æmulaturum, Ἐγὼ δὲ δὴ μάλιστα δοκῶ, ἔφη, ζηλῶσαι ἂν ἱπποκενταύρους, εἰ ἐγένοντο. *Agatharchides* de mari Rubro capite quarto dum in eo eſt, ut probet Poetas multa mentiri, à *Centauris* ſtatim incipit. *Talium*, inquit, *ſumma capita breviter percurramus*, Κένταυρον γεγονέναι, Γηρυόνην, Κύκλωπα, Centaurum *fuiſſe*, Geryonem, Cyclopem, &c. *Diodorus*, libro quarto, Καὶ γὰρ ἐν τοῖς θεάτροις πεπεισμένοι μήτε κενταύρους διφυεῖς ἐξ ἑτερογενῶν σωμάτων ὑπάρξαι, μήτε Γηρυόνην τρισώματον, ὅμως προσδεχόμεθα τὰς τοιαύτας μυθολογίας, καὶ ταῖς ἐπισημασίαις συναύξομεν τὴν τοῦ θεοῦ τιμήν, *Quamvis enim in theatris plenè perſuaſi neque* Centauros *eſſe biformes, qui ex diverſis corporibus coaluerint, neque tricorporem* Geryonem, *tamen has fabulas admittimus, & earum ſignificatione Dei* (Herculis) *honorem augemus.* *Plutarchus* initio libri quo probat virtutem doceri poſſe, *Boni viri nominantur, & dicuntur ſolum*, id eſt, ſolo nomine extant, ὡς ἱπποκένταυροι, καὶ γίγαντες, καὶ κύκλωπες, *ut* Hippocentauri, & Gigantes, & Cyclopes. *Lucianus* in *Hermotimo*, Οὐδὲ νῦν ἐπράττες, ἐπινόεις, οὐδὲν τῶν ἱπποκενταύρων καὶ χιμαιρῶν καὶ γοργόνων διαφέρει, καὶ ὅσα ἄλλα ὄνειροι, καὶ ποιηταί, καὶ γραφεῖς ἐλεύθεροι ὄντες, ἀναπλάττουσιν, οὔτε γενόμενα πώποτε, οὔτε γενέσθαι δυνάμενα, *Quod modo faciebas & cogitabas, nihil ab* Hippocentauris & Chimæris & Gorgonibus *differt, & quæcunque alia & ſomnia, & Poetæ, & pictores pro libertate ſua confingunt, quæ nec fuerunt unquam, nec eſſe poſſunt.* *Artemidorus Oneirocrit.* libri quarti capite quadrageſimo nono, *Somniavit aliquis prolis cupidus, & uxorem prægnantem habens, hippocentaurum ſibi natum eſſe:* Gemini *ipſi nati ſunt infantes: Duo enim ſunt corpora hippocentauri. Sed neuter puerorum educatus eſt.* Οὐδαμῶς γὰρ ἐνδέχεται ἱπποκένταυρον γενέσθαι, εἰ δὲ καὶ γένοιτο, τοῦτον ἀδύνατον γε τραφῆναι, *Nequaquam enim poſſibile eſt, ut naſcatur* Hippocentaurus: *nec ſi naſceretur poſſet educari.* Hæc illi. Jam qui ſequentur, argumenta etiam proferent a diverſa hominis & equi natura petita, quibus eos doceant in unum compoſitum non poſſe coaleſcere. *Heraclitus*, περὶ ἀπίστων. Λέγεται περὶ τὸ Πήλιον καὶ τὴν Φολόην γεγονέναι διφυεῖς, τὰ μὲν ἵππων τῶν λαγόνων ἀνδρῶν ἔχοντας, τὸ δ' ἄλλο τοῦ μέρους πᾶν ἵππων· ἀπίθανον δὲ τοῦτο· δύο γὰρ διαλλαγμένας φύσεις εἰς ἓν συνελθούσας ἀδύνατον ζωογονηθῆναι καὶ τραφῆναι, *Ajunt circa* Pelium & Pholen *biformes fuiſſe, qui hominum habuerint quicquid eſt ſupra ilia, reliqua autem omnia equorum. Sed minimè verum hoc fuit. Naturæ enim duæ diverſæ, ſi in unam coaleſcant, fieri nequit ut vitales ſint, nec ut alantur.* *Palæphatus* in libro ejuſdem argumenti, & ex eo *Apoſtolius Adagio* 1033. Κένταυροι, ὡς θηρία ἐγένοντο, καὶ ἵππου μὲν εἶχον ὅλην τὴν ἰδέαν, πλὴν τῆς κεφαλῆς· ὅστις ἂν πείθεται τοιοῦτον θηρίον γενέσθαι, ἀδύνατα πιστεύει· οὔτε γὰρ ἡ φύσις σύμφωνος ἵππου καὶ ἀνδρός, οὔτε ἡ μορφὴ ὁμοία· οὔτε διὰ στόματος καὶ φάρυγγος ἀνθρωπείου δυνατὸν ἵππου τροφὴν διελθεῖν· εἰ δὲ τοιαύτη ἰδέα ποτὲ ἦν, καὶ νῦν ἂν ὑπῆρχε, *Ajunt* Centauros *feras fuiſſe quæ equorum totam ſpeciem excepto capite habuerint. At talem feram quiſquis fuiſſe credit, ea credit quæ ſunt impoſſibilia. Neque enim conſonant natura equi & hominis, neque forma eſt ſimilis, neque per os & guttur humanum permeare poteſt equi alimentum. Quod ſi olim fuit talis ſpecies, ea hodieque extaret.* De eodem argumento *Galenus* multis diſputat de uſu partium libri tertii capite primo. Et docet hominem non potuiſſe *Centauri* inſtar eſſe quadrupedem, ὅτι πρῶτον μὲν ἀδύνατος τῇ φύσει τῶν τοσοῦτον διαφερόντων σωμάτων ἡ μίξις, *quia primo corporum naturâ tam diverſorum mixtio, eſt impoſſibilis.* Addit ne quidem ex coitu ſpecierum tam diſſitarum animal poſſe procreari, & falli *Pindarum* qui *Centauros* natos eſſe aſſerit ex equabus *Magneſiis*, neque ſi natum fuiſſet, poſſe educari τὸ ζῶον τοῦτο ἄτοπόν τε καὶ ἀλλόκοτον, *animal ità abſurdum & alienum*; niſi gramine & hordeo velis inferiora nutriri, & ſuperiora elixis carnibus. Præterea ex hac forma homini nihil acceſſurum præter velo-

velocitatem in locis planis. At ſi opus fuerit πρὸς ὄρθιον δραμεῖν, ἢ κάταντες, ἢ λοξὸν, ἢ ἀνώμαλον, *per acclive currere, aut per declive, aut per obliquum, aut per inæquale*, crura qualia habemus fore multo commodiora. Rurſus, *Centaurum*, inquit, videre vellem οἰκοδομούμενον ἢ ναυπηγούμενον, ἢ διὰ τῶν ἱστῶν ἐπὶ τὰς κεραίας τῶν πλοίων ἀναῤῥιχώμενον, *domos ædificantem, vel naves fabricantem, aut per malum ad antennas navium manibus reptantem, & ſcandentem.* Ibidem: Quomodo ædificando per graciles, & longas ſcalas ad altiſſimos parietes aſcenderet? Item, quomodo remigaret, cum ne quidem ſedere poſſet? Quomodo conſcenderet arbores, ut fructus decerperet? Item, finge animo, aut fabrum, aut ſutorem, aut textorem, aut ſcribam, quomodo ſedebit ad opus? Homini enim ſoli hoc ineſt, commodè ſedere in iſchiis. Item: *Centaurus* nec ſedere poterit inſtar hominis, nec jacere ſuper terram inſtar feræ. Hæc ille, & multò plura; quibus probet ne quidem animo poſſe concipi quicquam abſurdius, quàm ſi natura fingatur ex humana, & equina conflata. Proinde vetus aliquis *Scholiaſtes* apud *Phavorinum* in ἴξιον, cum *tragelapho* jungens *hippocentaurum* tanquam ex æquo conficta, οὐδὲν ὤν, inquit, ὁ ἱπποκένταυρος, ὥσπερ οὐδὲ ὁ τραγέλαφος, Hippocentaurus *nihil eſt, ut neque* tragelaphus.

Romani quoque ſcriptores idem ſentiunt. *Cicero* libro ſecundo de *Natura* Deorum. *Quis enim* Hippocentaurum *fuiſſe, aut* Chimæram *putas*? Et libro primo *Tuſculanarum Quæſtionum. Qui enim ſatis viderit facto interitu univerſo, illud animal quod fuerit factum eſſe nihil, is planè perſpiciet inter* Hippocentaurum *qui nunquam fuerit, & Regem* Agamemnonem *nihil intereſſe.* *Seneca Epiſtolâ* quinquageſimâ octavâ. *In rerum natura quædam ſunt, quædam non ſunt. Et hæc autem quæ non ſunt, rerum natura complectitur, quæ animo ſuccurrunt, tanquam* Centauri, Gigantes, *& quicquid aliud falſa cogitatione formatum, habere antiquam imaginem cœpit, quamvis non habeat ſubſtantiam.* Vult *Centauros* eſſe entia rationis, non realia. Hinc *Celſus* juris-conſultus vanam haberi vult de exhibendo *Hippocentauro* ſponſionem. *Quia quod non eſt*, inquit, *fruſtra promittitur.*

Sed & commenti vanitatem derident ipſi auctores, *Poeta* ſcilicet. *Lucretius* libro quarto.

Nam certè ex vivo Centauri *non fit imago,*
Nulla fuit quoniam talis natura animantis.

Et libro quinto.

Sed neque Centauri *fuerunt, nec tempore in ullo*
Eſſe queat duplici naturâ, & corpore bino
Ex alienigenis membris compacta poteſtas.

Nempe, ut addit, cum equus anno tertio jam ſit maturus, & plenis viribus, eâ ætate infans vix dum excuſſit mammam. Verba ſunt.

Id licet hinc quamvis hebeti cognoſcere corde,
Principio circum tribus actis impiger annis
Floret equus, puer haudquaquam: quin ſæpe etiam tunc
Ubera mammarum in ſomnis lactantia quærit.

Et quâ ætate pueri vigent, & excedunt ex ephebis, equus præ ſenio languet.

Poſt ubi equum validæ vires ætate ſenectâ,
Membraque deficiunt fugienti languida vitâ,
Tum demum pueris ævo florente juventus
Occipit, & molli veſtit lanugine malas.
Ne forte ex homine, & veterino ſemine equorum
Confieri credas Centauros *poſſe neque eſſe.*

Sic quidquid de *Centauris* jactatur, eſſe ex maximè ἀπίστου, *Ovidius* his verbis docet *Triſtium* libro quarto *Eleg.* 6. al. 7.

——— *credam prius ora* Meduſæ
Gorgonis *anguineis cincta fuiſſe comis.*
Eſſe canes utero ſub virginis, eſſe Chimæram,
A truce quæ flammis ſeparat angue leam.
Quadrupedesq; homines cum pectore pectora junctos.

Id eſt, *Centauros*, qui partem pectoris humanam, partem equinam habuerint. Et ex *Lucani* ſententia libro tertio, *eſt populum* Pholoe *mentita biformem*, id eſt, *Pholoenſes* falsò prædicant *Centauros* apud ſe eſſe natos.

Jam ſi *Centauros* extare credidit *Hieronymus*, è Patrum choro *Clementem*, & *Baſilium* illi opponimus, quibus *Centauri* ſunt Θετταλικὸν, (a), & Ἑλληνικὸν (b), πλάσμα, Theſſalicum, & Græcum *figmentum*. Et *Auguſtinum* qui *Græcos* ait *finxiſſe* (c) *de* Centauris *quod equorum hominumque fuerit natura conjuncta.* Quin ab *Hieronymo* ad *Hieronymum* ipſum provocamus, qui hæc habet in *Eſ.* 14. *Pro* Onocentauris *quoque, quos ſoli* Septuaginta *interpretati ſunt, imitantes* Gentilium *fabulas, qui dicunt fuiſſe* Hippocentauros, *tres reliqui interpretes ipſum poſuere verbum* Hebraicum איים *ijim.* Et in caput trigeſimum quartum. Onocentauri, *& piloſi, &* Lamia, *quæ* Gentilium *fabula, &* Poetarum *figmenta deſcribunt.* Et in *Dan.* 4. Scyllam *quoque*, Chimæram, Hydram, *atque* Centauros, *aves & feras, flores & arbores, ſtellas & lapides factos ex hominibus cum narrent fabulæ.*

(a) Lib. 4. Strom.
(b) De vera virgin.
(c) De civit. Dei, lib. 18. cap. 13.

Hæc ut concilientur, primo hoc ſtatuendum eſt (*Centauros* in *Theſſalia* non aliâ de cauſa fingi, quam quia *Græcorum* primi *Theſſali* equos domuerunt, & in his *Chiron* equitandi peritiâ ità excelluit, ut cum equo videretur in unum coaluiſſe corpus. Unde factum, ut eum *Achilles*, & *Græcorum* alii *Heroës*, pro magiſtro habuerint. *Diodorus* libro quarto. Τινὲς δὲ λέγουσι τοὺς κενταύρους πρώτους ἱππεύειν ἐπιχειρήσαντας, ἱπποκενταύρους ὀνομασθῆναι, καὶ εἰς πλάσμα μύθου καταχθῆναι ὡς διφυεῖς ὄντας, Centauros *nonnulli dicunt, cum equitare primi eſſent aggreſſi*, Hippocentauros *fuiſſe dictos, & id fabulæ confingendæ occaſionem dediſſe, ac ſi biformes fuiſſent.* *Plinius* libri ſeptimi capite quinquageſimo ſexto. *Frenos, & ſtrata equorum* Pelethronius *invenit*, &c. *Pugnare ex equo* Theſſali, *qui* Centauri *appellati ſunt, habitantes ſecundum* Pelium *montem.* *Poeta* libro tertio *Georgic.*

Frena Pelethronii Lapithæ, *gyrosque dedere*
Impoſiti dorſo, atque equitem docuere ſub armis
Subſultare ſolo, & greſſus glomerare ſuperbos.

Lucanus libro ſexto.

Primus ab æquorea percuſſis cuſpide ſaxis
Theſſalicus *ſonipes bellis feralibus omen*
Exiluit, primus Chalybem, *frenosque momordit,*
Spumavitque novis Lapithæ *domitoris habenis,*

Oroſius libri primi capite decimo tertio. Theſſalos Palæphatus *prodit à* Lapithis *creditos, dictosque fuiſſe* Centauros, *eo quod diſcurrentes in bello equites veluti unum corpus equorum, & hominum viderentur.* Etiam ex *Hebræis Abarbanel* in *Joëlem* capite ſecundo. *Centaurorum* fabulam non multo aliter interpretatur. Verba ſic habent כתבו הקדמונים מהיונים מספרי דברי הימים מענין האנשים אשר קראו צינטאורוס שהיו אומרים שהם היו במראה מתניהם ולמעלה אנשים ובמראה מתניהם ולמטה היו סוסים והמאמתים מהם כתבו שהיה אמתת הענין הזה שבימים הקדמונים ההם התחילו אנשים לרכב בסוסים בגבעה אחת והיו רבים בהם לשלול שלל ולבוז בז ושאר בני אדם שהיו בעמק היו בורחים מהם והיו חושבים שהם היו בריות משונות ושהאדם והסוס היה כלו גוף אחד אלא שחציו של מעלה היה איש ושחציו של מטה היה סוס ובא ארקוליס הגבור ולחם עמהם והרגם ותפש מהם חיים ואז נודע האמת

שהיו אנשים רוכבי על הסוסי, *Scripſerunt* Græci *veteres ex Hiſtoriis temporum de Centauris quos vocant, eos dici ſupra lumbos, hominum habuiſſe ſpeciem, & infra lumbos equorum. Sed qui ſunt veraciores, rem ſic referunt. Priſcis temporibus cum primi hominum equitare cœpiſſent in monte quodam, & multi eorum ſpoliis auferendis & deprædationibus vacarent, & hos fugerent vicinæ vallis incolæ, tanquam portenta ex homine & equo conflata, & quorum pars ſuperior hominem, inferior equum referret: Magnus ille* Hercules *prælio cum illis inito, alios interemit, atque alios cœpit vivos. Tum vero patuit quid res id eſſet, nempe homines fuiſſe equis vectos.* Hæc omnia ex *Palæphato*, quem conſule. Vide inſuper *Servium* in librum tertium *Georgicωn*, *Pindari* Scholiaſtem in *Pythia* oda ſecundâ. Etymologicum voce Κένταυρος, *Tzetzem* Chil. 7. Hiſt. 99. & Chil. 9. Hiſt. 273. & de Centauri nomine reperies illos multa nugari. Mihi Centaurus vel *Hippocentaurus* idem eſt qui κέντωρ vel ἱπποκέντωρ, id eſt, qui pungit equum. Unde apud Poëtam *Iliad.* δ',

——— Καδμείων κέντορες ἵππων,

& *Iliad.* ε,

Τρῶες μεγάθυμοι κέντορες ἵππων.

Ex κέντωρ factum κένταυρος ut ταῦρος ex *Phœnicio* תור *tor*, γαῦλος ex גול *gol*, & Τάαυτος ex *Ægyptio* Θωὺθ *Thoth*. Quod de *Theſſalicis* centauris hactenus probavimus, conjectat etiam *Ælianus* de *Italico* illo *Mare* quem biformem fuiſſe volunt, Δοκεῖ δέ μοι, inquit, πρῶτος ἵππον ἀναβῆναι, καὶ ἐμβαλεῖν αὐτῷ χαλινὸν, εἶτα ἐκ τούτου διφυὴς πιστευθῆναι, *Mihi videtur primus equum conſcendiſſe, & frænum ei injeciſſe, atque ea propter creditus fuiſſe biformis.* Nomen Μάρης quod ibidem exponitur ἱππομιγὴς, forte fuit deflexum ex *Germanico man-ros*, quaſi ἱππάνθρωπον dixeris. Is enim aliunde videtur in *Italiam* ſe contuliſſe, putà, ex vicina *Germania*, atque ob id ipſum fingi ὅτι τρὶς ἀπέθανεν, ἐβίω τρὶς, *ter mortuum ter revixiſſe*, quia cum in patriam ſubinde ſecederet, ab *Auſonibus* pro mortuo reputabatur.

Secundo per *Centauros Cyprios*, in *Bacchi* copiis, quos cornutos paſſim deſcribit *Nonnus* (d), & natos eſſe fingit è *Jovis* ſemine in terram ſparſo, tum cum *Paphiæ Veneris* amore arderet, plane aliud ſignificari puto, nempe naves è *Cypro* inſula, quàm πρὸς τὴν ναυπηγίαν τῶν στόλων, ad navium & claſſium fabricationem eſſe valde commodam *Strabo* & alii teſtantur. Unde eſt quod *trabem Cypriam Horatius* pro quavis nave uſurpat. Naves *Centauri* ſæpe vocantur propter *Centauros* pro ἐπισήμῳ, proræ appictos. Sic apud Poëtam *Æneid.* libro quinto, *Sergeſtus*, Centauro *invehitur magnâ*. Et *Æneid.* libro decimo, *Cupavo Cycni* filius *Ingentem remis* Centaurum *promovet*. Ut thalamegon ſuam *Veneti* hodieque *Bucentaurum* nominant. His *Centauris* affinguntur cornua, quia in nave ſic vocantur antennarum extremæ partes. Idem *Æneid.* libro tertio.

Cornua velatarum obvertimus antennarum.

Et *Ovidius Metamorphoſeωs* lib. 11. fab. decimâ,

Ardua jamdudum, demittite cornua, rector
*Clamat, & antennis totum * ſubnectite velum.*

Jovis ſemen in terra ſparſum circa templum *Veneris Paphiæ*, unde nati illi *Centauri*, ſunt glandes, quæ æque ac quercus, *Jovi* ſacræ ſunt: Nempe ex glandibus natæ ſunt circa *Paphum* & *Papho* proximum *Acamantem* plurimæ quercus, unde materies claſſibus. Proinde *Geographus* libro decimo quarto ibi deſcribit ὕλην πολλὴν, *plurimam ſylvam*. Inde *Sphagnos Cyprius Plinii* libri duodecimi capite vigeſimo tertio, Ita vocantur in quercu cani villi odore præſtantes.

(d) Dionyſ. lib. 5. v. 614. & lib. 14. v. 193. & lib. 32. v. 71.

* Al. ſubducite.

Tertiò *Indica* illa *Onocentaura* quam *Phile* ex *Æliano*, & *Ælianus* ex *Cratete Myſio*, & *Crates* ex *Pythagora* deſcribunt, plane videtur fabuloſa, cum tale animal in *India* nemo alius obſervaverit, & unius *Pythagoræ* fide nitatur: Non Magni illius, ut quidem puto, (Nam ejus ævo India *Græcis* erat prorſus ignota. Et *Joſephus* (e), *Plutarchus* (f), *Lucianus* (g), & alii apud *Laertium* (h) negant illum quicquam ſcripſiſſe.) ſed alterius *Pythagoræ* recentioris qui de *Mari Rubro* ſcripſit, ut ex *Athenæo* (i) conſtat. Neque ex ſe loquitur *Phile* cum dicit, Ἀνθρωπόμορφον εἶδον, Ἰνδὲ, θηρίον. Neque illa verba ſic accipienda ſunt ac ſi ipſa profiteretur ſe vidiſſe onocentauram. Tantum per proſopopœiam alium inducit hanc feram *Indo* homini deſcribentem, ut ab ipſo doceatur, quodnam ſit feræ genus.

(e) Lib. 1. cont. Apion. (f) De fort. Alex. (g) De lapſ. in ſalut. (h) Lib. 8. (i) Lib. 5. cap. ult. & lib. 14. cap. 5.

Quartò, ſive quid humanum habeat equinus fœtus aut muliebris quid equinum, ut videre eſt in exemplis à *Plutarcho*, *Plinio* & *Phlegonte* allatis; ex eo non probatur in rerum natura eſſe *Centauros*, cum hi ſint monſtroſi partus, & naturæ à ſcopo ſuo aberrantis prodigioſæ παρεκβάσεις (k). Ut cum *Sineſſæ* puer cum elephantino, & porcus cum humano & *Fruſinone* agnus cum ſuillo capite natus eſt. Quomodo id fiat, jam non quærimus; & an ſub ipſo conceptu à matribus hauſtæ imagines fœtum ità effingant, ut monſtroſos concubitus ſequantur monſtroſi partus. Quod ſuſpicatus *Thales* allato monſtro *Centauri* formâ, *Periandro* fuit auctor τὸ μὴ χρῆσθαι νομεῦσιν ἵππων, ἢ διδόναι γυναῖκας αὐτοῖς. Vide etiam *Plutarchi* parallela capite vigeſimo nono, ubi de *Epona* & *Onoſceli*.

(k) Valer. lib. 1. cap. 6. Liv. Dec. 3. lib. 7. Dec. 4. lib. 1.

Quinto ſpectrum diabolicum fuiſſe certò credimus hippocentaurum illum quem *Antonio* apparuiſſe tradit *Hieronymus* in vita *Pauli*. Quamvis pro incerto is habeat, ſpectrumne fuerit an verum animal. *Hæc*, inquit, *utrum diabolus ad terrendum eum ſimulaverit, an ut ſolet eremus monſtroſorum animalium ferax, iſtam quoque gignat beſtiam, incertum habemus.* Quod mirum, cum huic monſtro verba tribuat, & humani ſermonis intellectum, quæ non quadrare in brutum animal, nemo eſt qui non agnoſcat. Certum item eſt onocentauros in verſionibus *Græcâ* & *Vulgatâ* pro animali non uſurpari, ſed pro dæmonum ſpectris & larvis *Eſ.* 13 & 34. Rectè igitur *Theodoretus*, Καλεῖ ὀνοκενταύρους, ἃς οἱ παλαιοὶ μὲν ἐμπούσας, οἱ δὲ νῦν ὀνοσκελίδας προσαγορεύουσι, *Vocat onocentauros quas veteres empuſas, & qui nunc vivunt, onoſcelidas appellant.* Bis occurrunt pro אים, ſemel pro לילית, nocturno illo dæmone de quo jam actum. Ideo perſuaſum veteribus onocentauros eſſe dæmonis genus κάθυλον καὶ σκοτεινὸν, *ſylveſtre & tenebroſum*. Vide *Heſychium* & *Phavorinum*. Interim nullus capio, quorſum אבני בהו, *lapides inanitatis*, mirâ & inauditâ metamorphoſi LXX. interpretes in onocentauros mutaverint *Eſ.* 34. *v.* 11. Fallor, an *Aleph* omiſſo legerunt בני בהו, *filios inanitatis* ſeu eremi, quo nomine onocentauros & ſpectra quævis in deſertis locis apparentia nominari putaverint? Eſt & id valde novum quod per onocentauros *Cyrillus* in *Eſaiam* intelligit τοὺς ἀγρίους τῶν ὄνων, *ſylveſtres aſinos* ſive onagros. Et *Gregorius* in *Jobum* libri ſeptimi capite duodecimo, lubricos & elatos. *Græco quippe eloquio*, inquit, ὄνος *aſinus dicitur: Et appellatione aſini luxuria deſignatur, propheta atteſtante* (l) *qui ait, ut carnes aſinorum carnes eorum.* Tauri *autem vocabulo cervix ſuperbiæ demonſtratur. Sicut voce dominicâ de* Judæis *ſuperbientibus per Pſalmiſtam* (m) *dicitur, tauri pingues obſederunt me*, *Gregorio* ſcilicet, ὀνοκένταυρος idem eſt quod ὀνόταυρος.

(l) Ezech. 23. v. 20. (m) Pſal. 22. v. 13.

CAPUT

CAPUT UNDECIMUM.

De Verme שמיר *ſamir.*

Vermis שמיר ſamir, *cujus tactu lapides findi, & diſſilire creduti, quando creatus. Ejus operâ* Moſes Ephodi *gemmas, & tabulas Legis*, Solomon *templi lapides aptavit. Ad quem, vel ab* Almodæo *Rege dæmonum, vel ab aquila ex horto* Edenis, *vel ab upupa allatus, in arca plumbea ſervatus eſt usque ad templi deſolationem.* Barbari *ſcriptores* thamur *vocant, & à ſtruthione allatum ſcribunt. Probantur hæc ex* 1. Reg. 6. v. 7. *Item ex* Ezech. 3. v. 9. ubi שמיר ſamir, *non eſt vermis, ut volunt, ſed duriſſimus lapis, nempe* σμιρίτης, *quo veteres etiam uſi ſunt ad gemmas expoliendas, quod probatur contra* Cardanum. *In ſagittis* Æthiopum *idem lapis pro ferro fuit, usque veneno tinctus. Qualo ſit illud venenum. Cur fingatur* ſamir *ab upupa fuiſſe allatus.*

Libet hic nonnihil inſerere de verme שמיר *ſamir*, cujus operâ *Hebræi* fabulantur *Moſem Ephodi* gemmas, ac utrasque Legis tabulas, & *Solomonem* templi lapides aptaſſe ac expoliviſſe. Quamvis enim hordei granum mole corporis non exceſſerit, viribus tamen ita polluit ut ſolo tactu montes diſſilire coëgerit, & duriſſimos lapides levi conatu diffiderit atque dedolaverit. In *Pirke Aboth* Deus creaſſe legitur res decem veſperâ *Sabbathi*, in quibus fuit hic vermis. Quomodo is *Moſi* innotuerit, *Hebræi* non multùm quærunt. Sed eundem ut *Solomoni* ſiſtant in templi lapidibus poliendis ac dedolandis operam ſuam illi præſtiturum, nullum lapidem non movent. Sunt qui allatum fuiſſe aſſerant ab *Aſmodæo* Rege dæmonum. In ea ſententia ſunt *Talmudici* in tractatu *Gittin* fol. 68. a. Quamvis alii *Solomonem* malint ad upupæ nidum miſiſſe, in quo pullos repertos cum vitro includi juſſiſſet, mater ab eorum acceſſu ſe prohiberi non ferens, attulit vermem שמיר *ſamir*, cujus ſolo attactu diſſiliit illud vitrum, & confractum eſt. Unde eſt quòd de upupa dicitur in tractatu *Cholin* fol. 63. a. והוא שהביא שמיר לבית המקדש, *Hac eſt quæ attulit vermem* ſamir *ad domum ſanctuarii.* Tamen cum hoc quoque aliis minùs placuiſſet, *Kimchius* in 1. *Reg.* 6. v. 7. Et auctor τῦ *Jalkut* ex *Midras* שוחר טוב, *Solomonem* qui linguas avium apprimè callebat, ab iis quæſiviſſe dictitant ubi eſſet שמיר *ſamir.* Quo audito confeſtim aquilam in hortum *Eden* volaſſe, unde vermem illum attulerit. Quem usque ad primi templi deſolationem *Judæi* in arca plumbea ſummo ſtudio ſervaverint, rebus mollibus illi ſubſtratis, & copiâ furfurum ei abundè ſubminiſtratâ. Sed magno ſcilicet rei-publicæ damno משחרב בית המקדש בטל השמיר, *Ex quo vaſtata fuit domus Sanctuarii*, *defuit* ſamir. Ita habetur in *Miſna* tractatûs *Sota* capite nono. Ad quem locum *Gemara* de uſu τῦ *ſamir* multa habet inſignia. Ipſa magiſtrorum loca ex quibus hæc petita ſunt, in *Talmudico Buxtorfii Lexico* videre eſt ad vocem שמיר *ſamir.* Pro שמיר *ſamir*, *Barbari* ſcriptores *thamur* ſcribunt. Et in his *Vincentius Bellovacenſis* upupæ ſtruthionem ſubſtituens, totam fabulam ita adornat *Doctrinalis* ſui libri decimi ſexti capite centeſimo vigeſimo tertio. Thamur *dicitur vermis* Salomonis. *Nam* Salomon *cum marmor Parium ad ædificationem templi de remotis partibus convehi præcepiſſet, conſcius prohibitionis Legis, quæ vetuit altaris ædificandi lapides ferro incidi, quæſivit experimentum in vermibus, quod ars humana neſcivit. Nam pullum ſtruthionis in vitreo vaſe recluſit, quem cum videret ſtruthio, & habere nequiret, naturaliter agnitam artem attentans, ad deſertum cucurrit, rediensque vermiculum tulit, cujus ſanguine vitrum linivit, & confractum eſt, ſicque fœtum eripuit. Quod videns* Salomon *hoc experimento, eodem genere vermis in inciſione duriſſimi marmoris uſus eſt, & effectum conſecutus eſt.* Otio noſtro abuteremur, & lectoris patientiâ, ſi in his nugis refellendis operam impenderemus. Itaque fontes erroris indicâſſe ſufficiet. Quod habetur, 1. *Reg.* 6. v. 7. *Solomonis* templum ex lapidibus integris, prout advecti fuerant, ſic fuiſſe ædificatum, ut in eo conſtruendo nulli mallei, aut ſecures, aut inſtrumenta ferrea adhibita fuerint, *Gemariſtæ* in *Sota* ſic accipiunt, ac ſi ſimpliciter negetur templi lapides ullo ferro fuiſſe fiſſos, aut dedolatos. Itaque aliud fuit confingendum. Et commodum occurrit שמיר *ſamir*, quem lapide fortiorem fuiſſe poſt vetuſtiores *Hebræos* colligit *R. Selomo* ex his, *Ezech.* 3. v. 9. כשמיר חזק מצור, *ut* ſamir *rupe fortior eſt.* Ita enim ille accipit, cum planè aliud ſonent. Neque enim *ſamir* rupi, ſed utrique confertur, imò præfertur Prophetæ frons, tanquam utroque fortior. *Similem* τῷ ſamir (inquit Dominus Prophetæ) *firmiorem rupe conſtitui frontem tuam.* Præterea ibi שמיר *ſamir*, non eſt vermis, ut nugatores volunt, ſed lapidis genus duriſſimum, ut *Jerem.* 17. v. 1. & *Zachar.* 7. v. 12. Plerique adamantem putant. Sed mihi שמיר *ſamir* eſt *ſmiris*, lapis tam durus, ut eo gemmarii ad gemmas expoliendas utantur. In quem uſum etiam à veteribus eſt adhibitus contra quàm ſenſit *Cardanus. Dioſcorides* libro quinto. Σμίρις λίθός ἐστιν ᾗ τὰς ψήφους οἱ δακτυλιογλύφοι σμήχουσι. In noſtris exemplaribus ſcribitur σμύρις. Et in *Græca* verſionis pleriſque editionibus, *Job.* 41. v. 7. σμυρίτης λίθος. Sed in *Complut.* & *Pariſ.* majore σμιρίτης. Et in *Heſichio*, cujus ordo eſt alphabethicus, σμίρις eſt ἀμμῶδες ᾧ σμήχονται οἱ σκληροὶ τῶν λίθων. Neque aliud eſt intelligendum. Ἄμμον enim, id eſt, arenam, ideò vocat, quia in tenuiſſimum pulverem contuſus ad opus adhibetur. Eodem refer hæc *Stephani* in Ἀρμενία: Παρέχονται Ἀρμένιοι λίθον τὴν γλύφειν καὶ τορνεύειν τὰς σφραγῖδας, *Habent* Armenii *lapidem quo ſigilla ſculpunt, & terebrant*, id eſt, *ſmirin.* Et id ipſum *Herodotus* libro ſeptimo, videtur ſignificâſſe, cum *Æthiopes* qui in exercitu *Xerxis* erant, habuiſſe dicit καλαμίνους ὀϊστοὺς μακρούς, ἀντὶ δὲ σιδήρου ἐπῆν λίθος ὀξὺς πεποιημένος, τῷ καὶ τὰς σφρηγῖδας γλύφουσι, *prælongas ex arundine ſagittas, pro ferro præfixas eo lapide quo ſigilla ſculpunt.* Et *Agatharchides* his verbis propè in fine libri primi, ubi de *Æthiopum* ſagittis: Τὰς ἄκρας τοῦ καλάμου κεκρίδος ἀντὶ τοῦ σιδήρου περιημμένας τῷ τύπῳ λίθος ἀπεστρογγυλωμένος, ὀξὺς δὲ ὑπερβολῇ, φαρμάκοις δὲ θανασίμοις βεβαμμένος. *In ſummo arundinis faſtigio, pro ferro longus lapis infixus eſt, funibus conſtrictus, ſupra modum acutus, venenis verò mortiferis tinctus.* Sed lapidem illum neque *Herodotus*, neque *Agatharchides* nominant, quia illos adhuc latebat quomodo vocaretur. *Æthiopum* porrò ſagittas veneno intingi, præter *Agatharchidem*, ſcribunt *Theophraſtus Hiſtoria* libri noni capite decimo quinto. *Heliodorus* libro nono. *Claudianus* in *Stilichonem Panegyrico* primo, & *Cyrillus* in *Eſaiam* libro ſecundo. Sed quod ſit illud veneni genus, neſciremus absque *Arabibus*, à quibus arbuſtum in *Arabiæ* provinciis *Hegiaz*, & *Thehamia* deſcribitur غلقة *ghalka* nomine, valdè amarum, quo coria concinnant *Arabes*.

والحبشة تسم بها السلاح فيقتل من

اصابه *Et eodē* Abyſſini, *ſeu* Æthiopes, *tela ſic inficiunt ut*

ut moriatur quiſquis iis læditur : Ita *Alcamus* & *Gianhari*.

De cætero cur fingatur upupa hunc vermem *Solomoni* attuliſſe, docuimus in capite de upupa; & in *Græcis* quoque ſcriptoribus upupam legi, non quidem vermis virtute, ſed vi cujusdam herbæ obſtantia perfringere, & pullos ſuos in pariete incluſos in libertatem aſſeruiſſe.

CAPUT DUODECIMUM.

De Monocerote.

Græci *monoceroti vel aſino* Indico *eadem fere tribuunt, quæ Scriptura* τῷ reem. 1. *Inſignem proceritatem.* 2. *Cornu elatum.* 3. *Naturam feram & prorſus indomitam.* 4. *Robur magnum, Unde collegerunt* ראם *eſſe monocerotem.*

QUisquis vel *monocerotis* vel *aſini Indici*, qui idem eſſe meritò putatur, deſcriptiones apud *Cteſiam*, *Ælianum*, *Plinium* & alios legerit, facilè conjiciet, cur Lxx. Seniores ראם *reem*, putaverint eſſe monocerotem. Nempe *Græci* veteres monoceroti eadem ferè tribuunt quæ Scriptura τῷ *reem*. Primò enim ut in τῷ *reem*, ſic in aſino *Indico*, vel monocerote ſi mavis, inſignis eſt proceritas. *Cteſias* in excerptis apud *Photium*, Εἰσὶν ὄνοι ἄγριοι ἐν τοῖς Ἰνδοῖς ἴσοι ἵπποις, καὶ μείζους, *Sunt in* India *aſini ſylveſtres equis pares, aut etiam majores.* *Ælianus* libri quarti capite quinquageſimo ſecundo, Ὄνους ἀγρίους οὐκ ἐλάττονας ἵππων τὸ μέγεθος ἐν Ἰνδοῖς γίνεσθαι πέπυσμαι, *Feros aſinos equis magnitudine non inferiores apud* Indos *naſci accepi.* Et de monocerote idem libri decimi ſexti capite vigeſimo, Λέγεται δὲ καὶ ζῷον ἐν τούτοις εἶναι μονόκερων, καὶ αὐτὸ αὐτοὶ ὀνομάζουσι καρτάζωνον, καὶ μέγεθος μὲν ἔχειν ἵππου τοῦ τελείου, *Dicitur & in iis* (Indiæ animalibus) *eſſe monocerotem quem carcazonum vocant, eumque habere equi adulti magnitudinem.*

Secundò, cum *reem*, cornu unicum, idque celſum & elatum habere collegiſſent ex his *Davidis* Pſ. 92. v. 11. *Et attolles ut* cornu *reem, cornu meum*: Huc pertinere putaverunt quæ de aſini *Indici* aut monocerotis unico in fronte cornu tradunt veteres. *Cteſias*, Κέρας δὲ ἔχουσιν ἐν τῷ μετώπῳ ἑνὸς πήχεος τὸ μέγεθος, *Cornu habent in fronte cubitale.* Cui menſuræ poſteriores auctarium addiderunt. *Ælianus*, Κέρας δὲ ἐπὶ τοῦ μετώπου (πέπυσμαι) ὅσον πήχεως τὸ μέγεθος καὶ ἡμίσεως φορεῖ τι. *Cornu in fronte habere* (audio) *ferè ſeſquicubitale.* Plinius, *Aſperrimam autem feram monocerotem, &c. uno cornu nigro media fronte cubitorum duorum eminente.* Solinus, *Cornu è media ejus fronte protenditur, ſplendore mirifico, ad longitudinem pedum quatuor.* Quod ſequitur *Iſidorus.*

Tertiò, ut רים *rem*, à *Jobo* ferus & indomitus deſcribitur, ita aſinus *Indicus*. *Cteſias*, Ζῷον γὰρ οὐκ ἂν ληφθείη. *Ælianus*, Ζῷον μὲν οὖν τέλειον οὐκ ἂν λάβοις. Et de monocerote idem, Τοῦτον δὲ τέλειον ἁλῶναί ποτι οὐδεὶς μέμνηται. *Plinius* de aſino, *Hanc feram vivam negant capi.* Solinus, *Vivus non venit in hominum poteſtatem, & interimi quidem poteſt, capi non poteſt.* Iſidorus, *Tantæ autem eſt fortitudinis, ut nulla venantium virtute capiatur.*

Quartò, ut de *rem* in *Jobo* dicitur, *magnum eſt robur ejus*, & in *Moſe*, *cornua reem ſunt cornua ejus, quibus populos feriet*, & in Pſalmo, *à cornibus remim exaudies me.* Sic aſinus *Indicus* vel monoceros deſcribitur ut animal pugnaciſſimum, & tam calce quam dente & cornu venatoribus terribile. *Cteſias* de aſinis apud *Photium*, Μάχονται δὲ καὶ κέρασι, καὶ λακτίσμασι, καὶ δήγμασι, καὶ πολλοὺς καὶ ἵππους καὶ ἄνδρας ἀπολλύουσι, *Pugnant & cornibus & calcibus & morſibus, ita ut multos cum equos tum viros interimant.* Sed apud *Ælianum* multò uberiùs, *Quum* Indi *ipſos venatu invadunt, &c. adverſos equites impetunt, cornibusque feriunt. Illis autem eſt tantum virium, ut quicquid percuſſerint, nihil obſiſtat; ſed omnia eis cedant & diſſecentur, & ſi fors tulerit, diffringantur & perdantur. Equorum etiam latera incurſu ſuo ſic dilacerant ut viſcera effundantur. Proinde timent equites ad eos accedere. Cum pœna ſit illis quòd acceſſerint, morte miſerrimâ multari, tamque ipſi quàm equi pereant. Sed & calcibus graviter pugnant. Et morſus eorum ita penetrant ut quicquid dente appetunt, avellant. Græca* ideò prætermiſi, quia nemini non ſunt ad manum. Ex eodem fonte *Phile*

Ὁ μονόκερως δὲ θὴρ παρ' Ἰνδοῖς εὑρέθη,
Δεινὸς μὲν ἰδεῖν, εἰ δὲ λὰξ ἐπιστείβοι,
Βαρὺς μαχητής, εἰ δὲ κύψας ἐνδάκοι,
Μόλις εὐφυὴς ἰατρικῆς χειρουργία,
Πείσει παρελθεῖν τὴν φθορὰν τοῦ κινδύνου,

Monoceros apud Indos *reperitur, viſu horrendus, & ſi calce irruerit, gravis pugnator, ſi autem inclinatus momorderit, vix induſtria medicinæ chirurgia liberabit à periculoſa labe.* Et paulò poſt idem deſcribitur

Τὸ μακρὸν καὶ φθορᾶς πλῆρες κέρας,
Μᾶλλον δὲ τραχὺ καὶ σιδηρείας ῥίνης,
Ὀξύτερον αὐτὸ καὶ τεθηγμένου βέλους,

Longum & exitioſum cornu, limâ ferreâ aſperius, & acuminato telo acutius. Et verò utut monoceros ſit cætera terribilis, tamen cornu maximè timetur. *Ælianus*, Ἔστι μὲν οὖν καὶ διὰ παντὸς τοῦ σώματος ῥωμαλέον, ἀλκὴ δὲ οἱ τοῦ κέρατος ἄμαχός ἐστι, *Toto quidem corpore validus eſt, ſed in cornu imprimis robur eſt inexpugnabile.* Solinus, *Cornu, &c. ita acutum ut quicquid impetat, facile ictu ejus perforetur.* Et Iſidorus, *ita acutum & validum ut quicquid impetierit, aut ventilet aut perforet.* Hæc afferenda putavimus in eorum gratiam qui *reem* volunt eſſe monocerotem, ut eos lector ſciat habuiſſe ſaltem in ſpeciem, rationes non contemnendas quibus freti hanc ſententiam amplecterentur. In quibus tamen nihil eſſe ſolidi ſuo loco docuimus.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Animalia terreſtria fabuloſa apud *Arabes*.

1. *In* Arabiæ *parte thuriferâ homines* μονοσκελεῖς, μονόφθαλμοι, μονόχειρες, *denique homines dimidiati, ſermonis tamen & rationis uſum habentes* Arab. *dicti* نسناس niſnas, Plinio μονοσκελεῖς. Hebræis ארני השדה *Horum quinque una venatione capti quorum unus, verſus canebat non inconditos.* 2. Senagia *in Regione* Thebeth *animal viſu necans, ſed ipſum moriens, ſi priùs videatur. Aliud* Sengia *ibidem piſcis venenoſus.* 3. *In Regione* Diſt *fera quadraginta cubitorum* فلنط phalmant *nomine, urinæ aſperſione homines exurens, quam non aliter evadunt quàm conſcenſa arbore* ساج ſag. 4. Senad *animal linguâ ſpinoſâ ad elephantum accedens: Cujus catuli paſcuntur capite è vulva exerto.* 5. Sarais *in Regione* kabul, *vorans animalia quæ cantu ſuo allicit.* 6. *Animal, cornu diviſum habens in ramos LXXII. unde mirabilis concentus. Verum nomen,* Sadhazag. *Quid ſit* שדה ſidda, *Eccleſ.* 2. v. 8.

Sido

Sido *mulier hymnorum inventrix.* 7. Mirag *animal unicorne leporis inſtar, ſed terribile* 8. Geſſaſa, *jumentum* Anti-Chriſti *in mari* Rubro. 9. Acſar, *quæ pios ab impiis diſtinguet in fine mundi.* 10. Alborak, Mahumetis *jumentum, ejus forma, & velocitas, & quos habuerit ſeſſores ante Prophetam.*

DUM in fabulis ſumus, libet ex *Arabum* monumentis fabuloſa quædam animalia hic exhibere, quæ vel illi de ſuo commenti ſunt, ut ſunt in fabulas valdè proclives, aut ab aliis deſumpſerunt, nugis *Græcorum* & *Hebræorum* interpolatis, & auctis.

I. Agmen ducat النسناس *niſnas*, ſeu ſemihomo. Ita enim uno verbo definiri queat hoc monſtrum, cui dimidiati hominis forma tribuitur. Caput ſcilicet, & collum, & pectus dimidia, venter quoque dimidius, oculus unus, auris una, manus una, pes unus, quo licet ἀσκωλιάζων, tamen celerrime fertur, atque arbores etiam ſcandit. Verſari adduntque hos ſemihomines circa paludes, & maris littus in terra *Seger*, quæ eſt *Arabiæ Fœlicis* pars thurifera circa ſinum *Sachalitanum*, ut alibi multis probavimus. Illis pro cibo eſſe ſemen السماق *ſumak*, ſeu rhois arbuſti, & الصر *ſar*, ſeu granum terebinthi: ita enim vocant *Jemanenſes*. Sermonis *Arabici* uſum habere, & audiri nonnunquam inter ſe colloquentes, verſus quoque cantitantes, eosque non inconditos, cujusmodi ſcriptores *Arabum*, multos, proferunt. Itaque diſputatur utrum feræ ſint, quarum eſus ſit licitus, aut verò homines è gente *Gog*, & *Magog*, ut quidam volunt; vel ex ſtirpe *Arami* filii *Sem*, quæ aliorum eſt ſententia. Fabulæ porrò tam putidæ auctores, non unum atque alterum, ſed plurimos citat *Damir* in farragine de *Animalibus*, & in his teſtem αὐτόπτην, ſi credimus, *Mahometem* الدلواري *Aldeluvarium*, *Chronologum* urbis صنعا *Sanaa*. Refert is ſibi cœnanti in quodam oppido terræ الشجر *ſeger*, oblatam eſſe in juris paropſide manum hominis ut videbatur. A cujus eſu cum abhorreret, dictum illi eſt hanc non eſſe hominis manum, ſed feræ النسناس *niſnas*, μονόποδος, μονόχειρος, & προσωπογόνος, quæ & *Arabica* lingua loquatur eleganter, & quandoque يرتجز الاشعار *lyricos verſus pangat*; Cujusque adeò venatione poſſet, ſi vellet, illâ ipsâ nocte recreari. Quod ſe impensè cupere profeſſus, & cum locorum incolis ad venationem profectus paulò ante *Auroram*, ſtatim in quinque hujusmodi ſemihomines inciderunt, quorum unus carmen canens octaſtichum non inelegans.

Verſibu' quos olim Fauni *vatesque canebant*,

& quatuor alii, ſermones de rebus variis inter ſe conferentes, à canibus deprehenſi, & capti ſunt. Octaſtichum ipſum proferrem, ſi tanti eſſet.

In *Talmudico* tractatu כלאים, capite octavo feræ nomine ארני השדה *adane agri*, putantur id ipſum eſſe. Quo pertinent hæc *Maimonidis* ארני השדה הם חיות הדוסות לבני אדם ואומרים המספרים חדושי העולם שהיא מדבר דברים רבים שאינם מובנים ודבורו דומה לדבור אדם שמו אלנאנס בלשון ערב *Adane agri, feræ, ſunt hominibus ſimiles: Quin iis auctoribus qui res novas in orbe referunt, profert hoc animal verba plurima quæ non intelliguntur, quamvis ſermo illius ad humanum accedat. Nomen* Arabicum *eſt alnanas*. Imò النسناس *alniſnas*. Ita enim legendum. Atque ut *Arabicum niſnas* geminatis radicalibus factum ab انس *anas*, id eſt, homine propter ſimilitudinem, Ita *Hebræum* ארן *adan*, ab ארם *adam*, pari de cauſa. *M* & *N* permutata ſunt, ut in נף *Noph*, pro מף *Moph*, id eſt, *Memphis*. Itaque ארני השדה, ſunt homines agreſtes ſeu feri. In *Jarchii* notis *Adan agri* aliis eſt מין אדם, *ſpecies hominis*; Aliis ברנש דטור, *homo montanus*. Item היא חיי מטבורא ופסק עי׳ טבורא לא חי, *Fera eſt ab umbilico, ſed parte quæ ſupra umbilicum eſt, non eſt fera*. Cætera ibi vide. *Plinius* quoque libri ſeptimi capite ſecundo, hominum genus deſcribit *qui μονοσκελεῖς vocantur, ſingulis cruribus, miræ pernicitatis ad ſaltum*. *Arabes* huic *Plinianæ* fabulæ reliqua ſuperſtruunt.

II. In *Alkazuinii Mirabilibus* صناجه *ſenagia*, in terra *Thebeth* (quæ pars eſt *Indiæ Sinis* proxima) eſt animal immenſæ molis, cujus luſtrum paraſangam patet. Huic *Gorgonum* ferè natura eſt: ut quo viſo cætera animalia ſtatim intereant. At ſi quod animal *ſenagiam* prior viderit, ipſa moritur. Proinde clauſis oculis huic feræ occurrunt, atque ita occiſam vorant. Benè eſt quòd *ſenagia*, id eſt cymbalum, appellatur monſtrum, cujus deſcriptio nihil quicquam eſt, quam κύμβαλον ἀλαλάζον. Eſt quidem in *Kaimachiis*, qui terræ *Thebeth* contermini ſunt, verum animal صنجة *ſangia* nomine, ex cujus felle fit venenum præſentiſſimum. Sed piſcem eſſe, non feram docet *Nubienſis Geographus Clim.* 4. part. 10.

III. Eſt & in regione الدشت *Diſt* (quæ portio eſt *Tartariæ*) monſtrum horrendum, informe, ingens, longum quadraginta cubitos, ungue, & dente minax, corio impenetrabili فلمنط *phalmant* vocatur ab incolis, qui hujus inſidias vix aliter effugiunt, quàm conſcenſa arbore الساج *ſag*, valdè procerâ. Quamvis hâc arte non ſemper evadant. Accedens enim monſtrum ad arborem, urinam in altum quantum poteſt ejaculatur, & hominem ſi aſſequitur, exurit tanquam admotâ face. Aut ſi res non ſucceſſerit, inclinato capite ad arboris radices, contentâ voce rugire nunquam ceſſat, donec grumis ſanguinis ex ore erumpentibus medium crepet. Hæc *Damir* refert pluribus. Arborem ساج *ſag* (*Talmudicis* שאגא, & *Chaldæis* שאגי, & שגי, alii abietem, alii arceuthum, alii buxum interpretantur. Ego potiùs ebenum, quia *Sariph* ita deſcribit ساج

هو شجر هندي وليس في الشجر ما

هو اكبر منه خشبه اسود صلب

ويسموا في الهوا كثيرا وفروخه تسموا

وتمتدوا وله ورق فيما يحي الشجره

منه تظل خلق كثيرا وخشبه لا

يتسوس مع القدم Sag *eſt arbor* Indica, *quâ procerior nulla eſt, ligno nigro, & duro. Plerumque in aërem ſurſum attollitur, & rami ejus eminent, & extenduntur. Folia habet quamdiu vivit, ita ut ejus umbram homines ſæpe captent, neque ætate corrumpitur lignum ejus*. Multa ſequuntur de medicis viribus hujus arboris, quarum plerasque ebeno tribui video. Hæc obiter de arbore, cujus apud Scripturæ Paraphraſtas frequens

quens mentio. Ita *Chaldæus* uſurpat pro ברותים *Cant.* 1.v.17. *Arabs* pro lignis *algumim* 2. *Par.* 9,2. Et תדהר *Eſa.* 41.v.19. à *Talmudicis* redditur שאגא. Et lignum *Gopher* ex quo facta eſt arca *Noa*, *Damir* in capite de ſcorpione aſſerit, eſſe lignum الساج *ſag*. Sic etiam *Eutychius* pag. 34. ubi doctiſſimus interpres reddit platanum *Indicam*, & folio ſequenti, fit ex eodem ligno crepitaculum quo *Noe* convocat operas ad arcam fabricandam. In *Lexico Coptico* pag. 379. *Copticum* ϣⲉⲛϣⲓⲧⲧⲉⲛ, id eſt, lignum *Settim*, *Arabicè* explicatur خشب الساج *lignum ſag*. Sed de his alias pleniùs cum bono Deo.

IV. Ecce aliud commentum *Alkazuinis* سناد *ſenad*, inquit, animal eſt elephante minus, bove majus, cujus catuli caput è vulva matris exerunt, atque ita paſcuntur donec invaleſcant. Sed quamprimùm invaluerunt fugam capeſſunt, ne lingat eos mater, quia linguam habet ſpinarum inſtar, quâ lingendo catulorum carnem divellit ab oſſibus. Addit hoc animal eſſe in *India* frequens, ſed in *India Cteſiæ* credo, quæ tota portentis ſcatet.

V. Idem, Regionis كابل *cabul* (propè *Indiam*) ſylveſtre animal deſcribit سرايس *ſarais* nomine, in naſo habens duodecim foramina, unde ſpiritus erumpens fiſtulæ ſonum imitatur, cujus modulatione reliqua animalia ad ſe allecta ſubinde capit & vorat, aut ſi non poteſt capere, horrendo clamore fugat.

VI. In eodem *Alkazuinio* ejuſdem farinæ aliud animal reperitur in extremis finibus regionis الروم *Græcorum*, cornu diviſum habens in ſeptuaginta duos ramos concavos, unde quoties ducit ſpiritum, canoræ voces audiuntur, ad quarum concentum conveniunt omnia animalia. Sed & Reges ajunt hoc cornu ſibi comparare, & cùm venti flatibus illud rectà opponunt, ex eo vocem emitti mirè jucundam, ita ut audientes propè ſtupeant. At ſi contrario ſenſu invertant, lugubres ſonos inde erumpere, quibus adſtantes ad fletum provocantur. Hujus animalis nomen in uno exemplari ſcribitur شادهوار *ſadhavvar*, in altero شادهزار *ſadhazar*, ſed utrobique mendosè. Legendum enim شادهزاج *ſad hazag*, id eſt, modulatè canens. Nempè هزج vel هزاج eſt modulata cantio. Et شاد *ſad*, vel *ſadin* eſt participium verbi شدي *ſada*, quod canere eſt. Eâ notione uſurpant *Arabes* conjugatione prima, quarta & octava. Unde nomen شدي cantus, cantio. Atque id ipſum eſt שדה *Eccleſ.* 2.v.8. de qua voce interpretes tantoperè laborârunt. Dicit nempè *Solomon* ſe ſibi comparaſſe *Cantores & cantatrices, & delicias filiorum hominis*, id eſt, qui recrearent homines שדה ושדות, *cantu & cantionibus*. Nam שדה eſt pro בשדה. Eâ voce veriſſimile eſt, non quasvis cantiones ſed propriè ὑμνῳδίας ſignificari ab inventrice ſic dictas. Id eſt, *Sido* muliere apud Phœnices magni nominis, de qua vetuſtiſſimus ille ſcriptor *Sanchoniathon*, ἀπὸ δὲ τοῦ Πόντου γίνεται Σιδὼν ἣ καθ᾽ ὑπερβολὴν εὐφωνίας πρώτη ὕμνων ᾠδὴν εὗρε, *Ex* Ponto *autem* Sido *nata eſt, quæ propter canoræ vocis præſtantiam hymnorum cantum prima reperit.* Nempe ut à *Sappho Sapphicum* carmen *Græci* dixere, ſic à *Sido* ὑμνῳδίας Phœnices שדות *ſidoth* vel *ſiddoth* appellâſſe veriſſimile eſt.

VII. Eſt & in *Alkazuinio* معراج *mirag*, animal mirabile, leporis inſtar, flavi coloris, cornu nigrum in capite unicum habens, tam terribile ut illud ferarum nulla videat, quæ non illico fugiat. Hoc monſtrum reperiri addit in inſulis maris.

VIII. Fortaſſe in eadem illa inſula in qua latet الجساسة *algeſſaſa*, portentoſa bellua quam equitabit الدجال *Antichriſtus*, ut res novas inveſtiget. Id enim propriè جس *giaſſa*. Hanc *Ibnoſaida* & alii ſolùm latere dixerant in maris inſulis. Sed *Abu David Segeſtanus* probat in mari *kelzem*, id eſt, *Rubro* degere ex triginta illorum Hiſtoria, qui ex *Meccha* portu جدام *Gioddam* ſolventes, appulerunt ad inſulam in qua illis occurrens hæc bellua, mira narravit.

IX. Huic gemina eſt altera اقصر *akſar* nomine, longa ſexaginta cubitos, capite bovis, oculis porci, auribus elephanti, cornibus cervi, collo ſtruthionis, pectore leonis, colore pardi, iliis felis, caudâ arietis, pedibus cameli, die judicii ex antro quodam emerſura cum virga *Moſis*, qua piorum facies dealbabit, & ſingulis inſcribet مومن *maumin*, id eſt, fidelis, & ſigillo *Solomonis*, quo denigrabit vultum impiorum, & ſingulis inſcribet كافر *caphir*, id eſt, infidelis. Eam belluam ex antro ſuo ſemel eduxit Deus ad preces *Moſis*, qui illâ viſâ totus cohorruit, & rogavit ut reduceretur. Cùm apparebit ultimâ die, Sol conſuetum curſum intermittet, nec niſi ab occaſu orietur. Sunt qui hujusmodi belluas volunt eſſe plures numero, & ſingulis regionibus ſuam aſſignant. Hic authores non profero, quia quotquot ſunt *Arabes*, ſibi placent in hoc commento, cujus *Mahometes* fertur eſſe auctor. Proinde non eſt quod à quoquam in dubium revocetur.

V. Non omittendum eſt in hoc cenſu Prophetæ jumentum. البراق *Alborak*, id eſt, ἀστραπαῖος dictum, quia fulgure velocius. Hoc jumento *Mahomet* noctis unius parte decimâ, vectus eſt *Mecchâ Hieroſolymam*, & inde in cœlum usque, atque è cœlo *Maccham* reductus, poſt multa cum Deo & prioribus prophetis habita colloquia. Nempè يضع خطوة عند اقصي نظره *ponebat paſſum ad fines proſpectus ſui.* Unde probant ſuperâſſe ſeptem cœlos ſeptem paſſibus, quamvis quingentorum annorum itinere ſingulos ab invicem diſtare dicant. Hoc jumentum alii equo, alii aſino, alii mulo ſimilius fuiſſe putant. Plerique coloris albi, qui colorum eſt nobiliſſimus. Nonnulli رشاس, id eſt, ſternax & contumax ideò fuiſſe putant, cùm illud conſcendit *Mahometes*, quia nullum hominem ſeſſorem antea habuerat. Tamen etiam *Abrahamo* & *Iſmaeli* & Prophetarum aliis ſerviiſſe plurium eſt ſententia, eaque habetur ſanior. Sed cùm inter *Jeſum* & *Mahumetem* diu quieviſſet, nempe per annos ferè ſexcentos, non facilè ſe ſubmiſiſſet, niſi à *Gabriele* monitum, quem ſimul رديفة id eſt, à tergo vectum fuiſſe quidam aſſerunt. Quod tamen alii negant, quia *Mahumetes* مخصوص بالشرف propriam habuit dignitatem, quæ non patiebatur, ut Angelus una cum illo etiam à tergo veheretur. Proinde die reſurrectionis hæc eadem vectura erit Prophetæ peculiaris. His multa ſubjungerem de *Solomonis* equo volante, & de felibus qui alas habent veſpertilionis ab auribus ad caudam usque protenſas, & de vulpe *Noa* filii *Manſor*, qui alas aliquo accedente expandebat, & recedente premebat, niſi nugarum *Alkazuini* jam tæderet.

CAPUT

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Aves fabuloſæ apud *Arabes*.

1. Kaukis Arabum Phœnix, *non tamen unicus; nam ut pyram ſuam accendat, roſtrum affricat fœminæ ſuæ roſtro.* 2. *Aves* ababil *quæ* Abyſſinos Meccham *obſeſſuros obruerunt lapidibus* ſigil *in igne gehennæ excoctis.* 3. Hama *vel* Sada *avis, in quam mutatur ſpiritus ejus, cujus cædes eſt inulta, quæ ſepulchro ſemper aſſidens clamat*, askuni, askuni. 4. Bukir *avis in* Thebaide *ſterilitatem aut fertilitatem quomodo præſagiat.* 5. Sudaniæ *aves* Romam *quotannis olivas roſtro afferunt quantum ſatis eſt in annum.* 6. Muſſahir *avis quæ ſemper inſomnis eſt, mira virtus.* 7. *Avis* Indica *palumbi ſpecie, veneno admoto fundit lachrymas ad ſananda vulnera utiles.* 8. Karkaphenna *proditorum oculis alas ſuas illinens, eos reddit uxorum aquariolos.* 9. Anka *avis elephantes rapiens, quomodo milvos murem: Ab* Handala *Propheta cur in remotam inſulam relegata. Quomodo capiatur ungulis in boves defixis.* 10. Ruch *avis ultra* Sinas, *cujus ala ſingula patent decem cubitorum millibus. De eadem quid* Paulus Venetus. 11. *Dei gallus, cujus caput eſt in throno gloriæ, & pedes in Inferis, qui orandi tempus indicat. De eodem multa* Hebræi. *Serpens thronum Dei ambiens, cui ſunt alarum ſeptuaginta millia.* Nahar *animal in quarto cœlo, ex cujus plumis excutiuntur indies ſeptuaginta guttarum millia, quæ in Angelos mutata ſtant circum domum* Mamur. *Huic ſubeſt templum* Mecchanum. *De bove & piſce terra bajulis.*

SEquuntur aves aliquot fabuloſæ. In his *ſemenda* Arabicè *ſemendab* vel *ſemendal* à *Contio*, *Cardano* & *Scaligero* pro phœnice habetur, qui traditur in igne vivere. Nos ſuprà Salamandram eſſe docuimus, nec in avibus cenſeri, niſi per ſummum errorem, cum ſit lacerti ſpecies.

I. Sed de phœnice fabulam *Alkazuinius* ità adornat, planè aliter quàm *Græci* ſcriptores

قوقيس هو طاير بارض الهند من
شانه انه عند التزاوج يجمع
حطبا كثيرا في عشه ولا يزال
الذكر منه يحكي منقاره بمنقار
الانثي حتي تتاجج النار من
حكهما في ذلك الحطب ويشتعل
فيحترقان فيها ويصيرا رمادا فاذا
سقط المطر علي ذلك الرماد
تولد عنه دود ثم تنبت له اجنحة
ثم يصير طيرا ثم يفعل كفعل
الاول من الحكي والاحتراق

Kaukis *eſt avis in terra* Indiæ, *cujus natura eſt, ut ad coeundum multum lignum colligat in nido ſuo, nec mas roſtrum ſuum ceſſet affricare roſtro fœminæ, donec ex mutua fricatione accendatur ignis in illo ligno, & flammas concipiat, & uterque comburatur, & in cinerem redigatur. Super quem pluvia cum decidit, ex eo generatur vermis cui creſcunt alæ, & fit avis, quæ eodem modo quo prior, fœmina affricatur & comburitur.* In uno exemplari hæc avis قوقس *kaukas* vocatur, & in altero قوقيس *kaukis*. Sed utrumque nomen corruptum eſt ex *Græco* فونيقس *phœnix*, quamvis à fabula phœnicis hæc fabula multum differat.

II. In *Alcorani Surata* cui titulus eſt الفيل elephas, Deus in Abyſſinos, qui quo anno natus eſt *Mahomet*, *Meccham* obſeſſuri venerant, immiſiſſe dicitur

طير ابابيل ترميهم بحجارة من سجيل

aves ababil, à quibus impetiti ſunt lapidibus ex ſigil, id eſt, ex luto præduro in gehennæ igne cocto, eorum nominibus inſcriptis quos ii lapides feriebant. Porrò quæ ſint aves *ababil*, quas *Mahometes* hos lapides conjeciſſe vult, nondum conſtat inter doctores, neque vero conſtabit unquam. Aſſerit *Said Ben Gtabir* avem eſſe quæ degit & pullos edit inter cœlum & terram, roſtro avis, & caninis pedibus. At *Achrama* vult avem eſſe viridem è mari ortam, cui caput ſit leoninum. Et *Ibnoabas* كالبلشون *ut balſun*, quæ eſt ardeæ ſpecies. Et *Ibada Ben Muſa* conjicit fuiſſe ſturnos. Et *Aiſa* ſpecies fuiſſe hirundinum, quales in *Mecchano* templo degunt. Quid ſi upupas voluerit, quas *Hiſpani à Mauris*, ut videtur edocti, *abubillas* appellant?

III. Credunt *Arabes* (inquit *Damir* capite de الهامة *hama* ave) ſpiritum hominis occiſi, cum non capitur ثارة *ipſius interfector*, mutari in *hamam* avem, quæ ad ſepulchrum ejus perpetuo تزقو *occinat* اسقوني اسقوني *askuni, askuni*, id eſt, *potate me, potate me*, illius ſcilicet ſanguine qui me interfecit, & avolet quamprimum captus eſt interfector. Quod ipſum alibi tribuit avi صدي *tſada*, quam ex capite hominis occiſi prodire volunt, & id ſemper occentare, quamdiu umbrâ errat inultâ, *askuni, askuni*, adeoque à ſiti vocari صدي *tſada*, quia صادي *tſadi* eſt qui ſitit. Quin صدي *tſada*, eſt mas البومة *t bumæ* bubonis, ut Chaldaicè צדיא *tſadja* Deut. 14. v. 16. in *Jonathane*. Nomen à verbo צדה *tſada*, vaſtare, deſolare, quia in deſolatis locis degit. *Plinius* libri decimi capite duodecimo, *Bubo deſerta incolit, nec tantum deſolata, ſed dira etiam & inacceſſa.* Ob id ipſum هامة *hama* vocatur. Nempe هومة *huma*, eſt ſolitudo. Sed à ſono vocis بومة *buma* dicitur, ut *bubo*, & βύας, Gallis *hibou*.

IV. البوقير *Albukir*, ſi *Alkazuinio* credimus, ſunt aves albæ quæ quotannis certo tempore conveniunt ad montem جبل الطير *gebal attair* nomine, quaſi *montem avium* dicas, بصعيد مصر In *Ægypti Said* ſeu *Thebaide*, prope انصنا *Anſenam* (id eſt, *Antinoum*, ut ex *Coptico* Lexico diſcere eſt) urbem *Mariæ Ægyptiæ*, matris *Abrahami*, filii Prophetæ: Et ſuper

eum montem بحلق *volant*. Atque in illo monte eſt كوة *foramen*, Aliud exemplar habet كفة *pedicam*, forte meliùs) in quod omnes, & ſingulæ caput immittunt, & eximunt, dein in *Nilum* deſcendunt, & ſubinde redeunt, unde venerant; neque id facere deſinunt, donec unà caput ſuum in foramen ſic immiſerit ut illam retineat. Tum verò agitatur, & manet ſuſpenſa, donec بتلو *ſe diſterqueat*, (Al. يتلف involvatur) & cadat poſt aliquod tempus. Unâ autem ſic ſuſpenſa, reliquæ ſtatim avolant, nec in eo monte ulla apparet uſq; ad idem tempus anni ſequentis. Addunt, avem quæ ſuſpenſa eſt, poſtquam multa agitatione ſe liberavit, avolare, & avibus ſui generis jungi, quæ in illam irruentes roſtris ſuis diverberant, donec ad foramen redire cogant, à quo iterum ſuſpendatur, quo facto abeunt, illâ relictâ. Addit Sacerdos *Abubecrus* الموصلي *Mauſalienſis*, (Aliis الضولي *Daulienſis*) Audivi من اعيان *ex oculis*, id eſt, ex oculatis teſtibus, illius urbis aves duas hærere in foramine cum annus eſt fertilis, unam cum eſt medius, nullam cum eſt ſterilis. Hæc ferè ad verbum *Alkazuinius*; ſed de more ſuo fabuloſè, cum neque alii *Arabes*, neque *Coptici* in *Lexicis*, & *Nomenclatoribus* ſuis hujus avis uſpiam meminerint.

V. *Sudania* السودانية vel *Sudana* السودانة, avis eſt, de qua ſic *Damir:* Ajunt in urbe *Roma* arborem eſſe æream, ſuper quam eſt ærea *ſudania*. Ea ſibilat quotannis cum olivæ maturuerunt. Atque eo ſtatim conveniunt *ſudaniæ*, quotquot ſunt in illis regionibus, & tres olivas ſingulæ afferunt, unam roſtro, duas pedibus, quas imponunt capiti æreæ *ſudaniæ*. Ex his *Romani* exprimunt olei quantum ſatis eſt in totum annum. *Aſſaphius* in *Mirabilibus* idem referens, dicit *Romæ* eſſe طلسم في صورة الزرزور من نحاس *τιλεσμα æreum ſturni ſpecie*, quod certo die anni, ſibilo ſuo omnes ſturnos *Romam* evocat, ſingulos cum olivâ in roſtro, unde oleum exprimitur quantum in annum ſufficiat. Itaque *ſudania* eſt ſturni ſpecies. *Ibnoſaida* definit avem σταφυλοφάγον.

VI. *Muſſahir* المسهر id eſt, excitans, ut auctor eſt *Hermes*, avis eſt, quæ poſtquam totâ die in quærendo victu occupata fuit, totam noctem ducit inſomnem, & perpetua modulatione audientes ità afficit ut eorum nemo ſit qui de ſomno cogitet. Exſiccetur in umbra cerebrum ejus, & ſumatur ex eo drachma cum lacte, & oleo amygdali, provocabitur ſternutatio, neque dormiet qui ſic ſumpſerit, & videbitur ex vino ebrius. Caput manu prehenſum, aut appenſum, dæmonium abigit, & gaudium conciliat quod vocationis terminos non tranſgreditur. Hactenus *Hermes* in *Damire*.

VII. *Ibnolathir* in *Hiſtoriis*, & ejus interpres *Ibnochulchan* ad *A. Hegiræ* CCCCXXI. quoſdam *Indiæ* Reges referunt inter cætera dona obtuliſſe Imperatori *Machmudi Sebachtbachini* filio avem في هيئة القمري *palumbis ſpecie*, cujus hoc proprium eſt, ut cum illi admoveretur cibus venenatus, oculi fleant, & lachrymæ in lapidem obdureſcant, qui cum contritus ponitur ſuper latiora vulnera, ea claudit ipſo momento.

VIII. Joculare eſt quod *Addinarius*, *Azzamchaſarius*, *Ibnolatſir*, & alii referunt de ave القرقفنة *karkaphennâ*, mihi aliunde ignotâ. *Cum quis*, inquiunt, لا ينكر عمل السوء في اهله *non ignorat malum opus contra populum ſuum* (conſcius, & particeps eſt conſilii alicujus in rempublicam ſuſcepti) *advolat avis* karkaphenna *nomine*, *& incidit ſuper* مشريق *rimam portæ illius*, *& ibi* يمكث *manet* (Al. يكتب *ſcribit*) *per quadraginta dies. Et ſi is ignorat* (ſi verè non eſt mali conſcius) *avolat avis*, *& abit* innoxia. *At ſi non ignorat, illius oculos alis ſuis illinit, atque is fit* قندعا ديوثا. *Arabes* eum ſic vocant, qui uxoris ſuæ eſt aquariolus, atque illam ſe præſente aliis proſtitui videt abſque ullo ſenſu pudoris, ac ſi in eo nihil eſſet fœdum.

IX. *Anca Megareb* عنقا المغرب avis anca, ſeu gryphus ex occidente, eſt من الالفاظ الدالة على غير معني *è vocibus quæ id deſignant, quod eſt ſine ſignificatione*, id eſt, quæ rem deſignant non exiſtentem. Ità ferè *Arabes*, unde *Poeta* الجود والغول والعنقا ثلاثة اسما اشيا لم توجد ولم تكن *Probitas, &* Algol, (ſeu Empuſa) *&* Anca (ſeu gryphus) *tria ſunt nomina rerum quæ non reperiuntur, nec uſquam extant.* De ea tamen *Arabes* mira narrant. *Damir* avem eſſe peregrinam ad extremum Occaſum, quæ ponit ova ſicut montes, & loca longinqua petit volatu ſuo, & ex eo nomen habet quod *in collo ejus* في عنقها eſt albedo tanquam torquis. *Alkazuinius* tantæ eſſe molis ut rapiat elephantes quomodo milvus murem: Cum volat ex alis ejus fragorem audiri كالسيل *tanquam torrentis*, (Aliud exemplar كدوي الرعد القاصف *ut fragorem tonitru vehementis*) Vivere annos mille. & cum fœmina ſua copulari circa annum vitæ quingenteſimum. Et cum ponit ovum ſuum, multum torqueri. Fuiſſe aliquando inter homines, atque iis valdè infeſtam. Sed cum aliquando ſponſam cum monilibus ſuis rapuiſſet, ei imprecatum eſſe *Handalam Saphuani* filium, Prophetam illorum temporum, & Deum illam relegaſſe in inſulam hominibus inacceſſam, in quâ ſunt elephantes, monocerotes, bubali, tigres & reliquæ feræ, & aves rapaces. Addit unum exemplar, hanc inſulam eſſe in *Mari* ambiente, id eſt, in *Oceano* ſub linea *Æquinoctiali*. *Ilama* Sacerdos *Abulbaca Ocbaritanus* in libro *Geographico*, cui titulus eſt شرح المقامات *deſcriptio locorum*, ait, in الروس *Ruſſia*, (vel in *Armenia* circa *Araxem*) montem eſſe المنخ *Almuch* nomine, elatum ad cœlos ferè per milliare, ad quem quotannis volabat avis *Anca*, magnâ mole corporis, facie humanâ, & omnibus animalibus, maximè avium pulcherrimis aliquâ ex parte ſimilis, ut montis illius volucres depaſceretur. Quæ cum aliquando deeſſent, & pro avibus infantes, & puellam etiam invaſiſſet, quæſtos eſſe locorum incolas apud Prophetam ſuum *Handalam*. A quo cum fuiſſet diris devota, ſtatim fulmine tactam

tactam cœlitus conflagrâſſe. Vixiſſe porrò illum *Handalam* inter Chriſti & *Mahometis* ævum, in tempore الفترة ceſſationis, id eſt, quo deſiêrunt ad homines mitti Prophetæ. De eadem ave ſic *Ibnoabas* in fine libri, cui titulus eſt ربيع الابرار *ver juſtorum*, capite de *Avibus*: *Deus ætate* Moſis *creavit ancam avem, faciem humanam habentem, & ex unaquaque parte quatuor alas. Cui Deus ex omni re dedit* قسطا *portionem. Et creavit ei marem ad inſtar illius. Et* Moſi *dixit, creavi duas aves mirabiles, quibus pro viatico dedi feras quæ ſunt circa domum ſanctitatis* (id eſt, circa Templum *Ieroſolymitanum*, quod nondum erat conditum.) *Et poſt tempora* Moſis *ſuper quem pax, eæ tranſlatæ ſunt in (Arabiæ* Fœlicis loca) *Negidi & Hegiaz, nec deſiêrunt comedere feras, adeoque & pueros rapere, uſque ad filios* Chalid *filii* Senan Abaſæi, *qui cum illi maledixiſſet, ita exciſum & conſumptum eſt ſemen ejus ut hodie in mundo non reperiatur.* Hæc ille. Sed & *Ariſtotelem* volunt huic cauſæ patrocinari. Eum enim ità *Damir* hic in partes advocat قال ارسطاطاليس في النعوت العنقا *Dixit* Ariſtoteles *in epithetis* (id eſt, in deſcriptione) *avis anka: Illa capitur venatione; & ex unguibus ejus fiunt* اقداح عظام للشراب *magna vaſa potoria. Et illas venandi modus talis eſt. Inter duos boves ſimul junctos currus ponitur magnis lapidibus gravatus. Et in tugurio currui vicino latet aliquis ignem & aquam in promptu habens. Anca verò in boves irruens ut rapiat eos, poſtquam ungues in illis aut in illorum uno defixit, nec poteſt eos avellere, nec boves ſurſum tollere propter lapidum gravitatem*, &c. *Venator cum igne prodit, & comburit alas ipſius*, &c. Interim verum animal eſſe *ankam*, neque molis multo amplioris quam vulgus magnarum avium *Ibnochalcan* his verbis docet: *Vidi in Hiſtoriis* Achmed Ben Abdallæ Alpharganæi نزيل مصر *principis* Ægypti, Azizum *filium* Arami, Ægypti *dominum aves peregrinas apud ſe collegiſſe, quales nemo alius.*

فمن ذلك العنقا وهو طاير جاه من صعيد مصر في طول البلشون واعظم جسم منه وعلي راسه وناية وفيه عدة الوان ومشابهة من طيور كثيرة

Et in iis ancam, quæ avis ipſi venerat ex Ægypti Thebaide, *longa ut avis balſun* (id eſt. ardea) *& eâ major corpore, ſuper caput* * *tutelam habens, & multicolores pennas, quaque plures aves referunt.* Quin *Damir* auctor eſt العقاب *alokab*, id eſt, aquilæ genus, *vocari ancam megareb, quia ex remotis locis venit.* Proinde *Hebræum* עזניה, *oznija*, quo aquilæ ſpeciem ſignificari certum eſt *Levit.* 11. *v.* 13. & *Deut.* 14. *v.* 12 R. *Saadias, Gaon* عنقا *ancam* interpretatur, atque eo nomine immerito carpitur ab *Aben Ezra* his verbis

טעה הגאון שתרגם אותה אלענקא כי זה השם בלשון ישמעאל על דבר שלא נמצא בעולם ולא היה ולא נברא אלא למשל ומן יודו החכמי לשונם אם כן לא יתכן שיאסור השם הדבר שלא היה, *Errat* Gaon *cum hanc vocem ancam interpretatur; quia anca* Arabicâ *lingua res nomen eſt quæ in mundo non reperitur, nec extat, nec creata eſt, ſed tantum in parabolis uſurpatur, quod agnoſcunt illius linguæ periti. Proinde non convenit, ut prohibeat Deus uſum rei quæ non extat.* Quin licet ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ *anca* ſit avis fictitiæ nomen, tamen etiam pro vera ave ſumi jam probatum eſt.

* *Vox Arabica mihi ſuſpecta.*

X. Ancæ jungenda الرخ *ruch*, avis in extremas Sinarum Inſulas, id eſt, in primum orientem ablegata, ut *anca megareb* in extremum occaſum, quod ab illis prudenter factum, ne inter aves tantæ molis ulla ſit de præda contentio. Neque enim *ruch ancâ* minor eſt. Ejus alæ ſingulæ patent juxta *Algiahid* عشرة الف ذراع *decem cubitorum millia*, aut juxta *Abuhamedem Hiſpanum* عشرة الاف باع *Ulnarum millia* totidem. Neve dubites, in terram *Megareb*, id eſt, in *Africam* occidentalem venit mercator quidam qui inter Sinas diu degerat. Habuit is radicem pennæ ex alis pulli ejus, novem aquæ utres continentem. Referebat idem ſe aliquando profectum ad mare Sinenſe ventum ad magnam inſulam impuliſſe, ad quam cum appuliſſent, ut lignum & aquam ex ea ſumerent, viderunt قبة tentorium magnum, altum ſupra centum cubitos, in quo لمعان وبريق *fulgor erat & coruſcatio.* Quod mirati cum acceſſiſſent, deprehenderunt eſſe ovum avis *ruch*. Quod lignis & ſecuribus, & batillis, & lapidibus percutere non deſiêrunt, donec à pullo diviſum eſt, qui erat inſtar montis. Et ex alarum plumis ſe ſuſpenderunt, illum attracturi. Sed alas ſuas ab iis excuſſit pullus. Ità ut nihil ſecum attulerint præter hanc plumam, quæ ex alis radicitus evulſa eſt, cum nondum eſſet perfecta. Tum pullum interfecerunt, & è carne ejus abſtulerunt quantum potuerunt. Quam cum in illa ipſa inſula coxiſſent, lignum quo eam in olla movebant, nigrum evaſit (Addit aliud exemplar, lignum illud fuiſſe ex arbore النشاب ex qua ſagittas & arcus fieri docent *Arabum* alii. (Sed & eorum ſenum qui comederant, canities in nigritiam verſa eſt, neque rediit unquam poſt eſum hujus cibi. Interim cum ſub veſperam ex inſulâ diſceſſiſſent, poſtridiè ad Solis ortum avis *ruch* in aëre conſpecta eſt, ut nubes ingens, habens inter pedes petræ fragmentum ad inſtar magnæ domûs, atque ipsâ nave majus, quod ſuper eos conjecit لما حادي السفينة *Cum fuit è Regione navis.* Sed cum navis præceſſiſſet, illud in mare decidit. Et ſic illos potentiâ & miſericordiâ ſuâ eripuit Deus Optimus Maximus. Hæc *Damir* pene ad verbum. Ut jam modeſtus videri poſſit *Paulus Venetus*, qui de eadem ave hæc habet lib. 3. cap. 40. *Sunt & aliæ inſulæ ultra* Madagaſcar *verſus meridiem, ſed quæ difficillimè adiri poſſunt propter velociſſimum maris curſum. Et in illis certo anni tempore apparet mirabilis ſpecies avis, quæ* Ruc *appellatur, aquilæ quidem habens effigiem: Sed immenſæ eſt magnitudinis. Ajunt qui illas viderant aves, pleraſque alarum pennas in longitudine continere duodecim paſſus, ſpiſſitudinem verò ejus proportionem tenere longitudinis, & totum avis corpus proportione reſpondere. Avis vero ipſa tanta fortitudinis eſt, ut ſola ſine ullo adminiculo elephantem capiat, & in ſublime ſuſtollat, atque rurſum ad terram cadere ſinat, quo carnibus ejus veſci poſſit.* *Paulo* nimirum id affirmaverat nuncius quidam magni *Cham Cublai*, qui in illis inſulis diu fuerat detentus. Potuit *Græculus* aliquis hujus fabulæ eſſe architectus, qui avem ità vocaverit διὰ τὸ ῥύγχος à roſtri magnitudine, quomodo piſcis *Ægyptius* ὀξύρυγχος ab acuto roſtro nomen habet. Et trochili ſpecies κλαδαρόρυγχος à mobilitate roſtri. Proprie quidem, *Athenæo* teſte, λέγεται ῥύγχος ἐπὶ τῶν συῶν. Sed & apud eundem meleagris avis ῥύγχος ὀξύτερον ἔχει μείζω ἴχ.

VI. Hæc avis utut magna, nihil eſt ad Dei gallum, de quo Pſeudopropheta, ut referunt multis *Arabes*, *Deus*

Deus habet gallum album, cujus alæ ſunt ſmaragdis, carbunculis, & margaritis موشيان *diſtinctæ. Harum una in Ortum, altera in Occaſum eſt expanſa. Caput eſt ſub throno gloriæ, & pedes* في الهوي *in inferis. Quotidie ſummo mane* يودن *orandi tempus præconio ſuo ſignificat. Et illum audiunt omnes incolæ cœli, & terræ præter* التقلين *graves* (ſupple peccatis, *Arabes* ità vocant dæmones, & homines.) *Proinde illi reſpondent omnes galli terrarum. At cum inſtabit dies reſurrectionis, dicet ipſi Deus Optimus Maximus, alas tuas contrahe, & vocem tuam reprime, ut judicii horam inſtare ſciant omnes cœli, & terræ incolæ præter* التقلين *dæmones, & homines.* Alibi hunc gallum dicunt pedes habere في التخوم *in extremis mundi finibus:* Et caput aut collum منطوية *plicatum,* & مثنية *flexum* ſub throno. Et circa هناة من الليل *concoctionem noctis*, id eſt, horâ quâ ſolet fieri ciborum concoctio, Deum canere hymnos ſanctos, & gallum ei accinere. Et tres eſſe voces quas Deus ſemper audiat, vocem galli, vocem القاري aſſidue legentis (nempe in *Alcorano*, ut addit aliud exemplar) & vocem eorum qui ſummo mane peccatorum veniam petunt. Ex *Hebræis* pleraque ſunt ſumpta, qui de hoc gallo multa garriunt. Sic *Pſal.* 50. *v.* 11. pro his Prophetæ זיז, *& fera agri mecum eſt, Chaldæus* habet, *& gallus ſylveſtris, cujus pedes in terra ſtant, & caput cœlum uſque pertingit, cantat coram me.* Quæ ferè ad verbum legere eſt in *Talmudico* tractatu *Bava bathra* capite quinto. Et *Job.* 3. *v.* 7. ubi *Job* maledicens nocti qua natus eſt, *non veniat*, inquit, *cantus in ea, Chaldæus* habet, *non veniat cantus, galli ſylveſtris ad laudandum in ea.* Et *Job.* 38. *v.* 36. etiam *in Thargum, Gallo ſylveſtri (Hebraicè* לשכוי*) quis dedit intelligentiam, ut laudet Dominum ſuum?* De eodem gallo vide *Chaldæum*, Job. 39. v. 16. & *Pſal.* 80. v. 14. & *Thargum* ſecundum, *Eſther.* 1. *v.* 3. ubi de illo longa eſt fabula. Et *Eſther.* 3. *v.* 8. ubi legitur *Iſraelitis* cum *Leviathane* apponendus in diebus *Meſſiæ*, ut obſervavit doctiſſimus *Buxtorfius* in *Lexico Talmudico.* Cui commento *Arabes* aſſentiri non puto, cum velint eſſe ملكا في صورة ديك *Angelum galli formâ.* Ità זיז *ziz*, Pſalm. 50. v. 11. avis eſt ingens quæ בשעה שהוא פורש כנפיו מכה גלגל חמה *cum expandit alas ſuas, obſcurat orbem Solis.* Sic habet *Vajekra Rabba Sect.* 22. Et בר יוכני, *bar juchne*, quam alio nomine רנן, *renan* vocari vult *R. Selomo*, Job. 39. v. 16. avis quanta ſit, ex his collige quæ de illa legere eſt in *Bechoroth* פעם אחת נפלה ביצה בר יוכני וטבעה ס׳ כרכים ושברה ס׳ ארזים. *Aliquando cecidit ovum* bar juchne, *& ſubmerſit ſexaginta pagos, & fregit ſexaginta cedros.*

His avibus, credo congener eſt ſerpens qui ambit thronum Dei, de quo القرطبي *Cordubenſis Alcorani* commentator, in expoſitione *Suratæ* غافر *Thronus Dei cùm creatus eſt, dixit; Nullam creaturam creavit Deus me majorem. Et* اهتز *exultavit propter magnitudinem ſuam. Sed circumplicavit illum Deus ſerpente, cui ſunt alarum ſeptuaginta millia, & ſingulis alis plumarum ſeptuaginta millia, & ſingulis plumis facies totidem, & in unaquaque facie totidem ora, & in uno quoque ore ſeptuaginta linguarum millia, unde quotidiè laudes prodeunt tot numero quot ſunt guttæ pluviæ, & folia arborum, & lapides, & quantum eſt pulveris, & quot ſunt dies ſæculi, & Angeli in univerſum.*

Ejuſdem notæ eſt & animal نهر *nohar* in quarto cœlo, de quo *Ibnoſaida: Animal eſt* nohar *in quarto cœlo, quod quotidiè introducit Angelus,* (Aliud exemplar addit *Gabriel*) فيه فينغمس *ut nubes in eo colligantur, deinde educit* فينتفض انتفاضة *Et excutiuntur excuſſiones ejus. Inde exeunt ſeptuaginta guttarum millia. Ex his totidem Angelos creat Deus, quibus imperat ut circumſtent domum* المعمور Mamur. *Quod illi faciunt, nec revertuntur ad Deum amplius, Sed inter cœlum, & terram jugiter manent Deum laudaturi uſque ad diem reſurrectionis.* Domus *Mamur* eſt domus in cœlis, cui ſubeſſe *Mechanum* templum, & ad ejus exemplar factum eſſe fabulantur *Arabes.* Hoc citat *Damir* capite حيوان ut probet etiam in cœlis eſſe animalia. *Ibnoabas* capite سوس eandem fabulam repetens, ait ex ejus plumis excuti guttas, unde creantur Angeli. *Arabicè* نهر *nohar*, vel نهار *nahâr*, eſt pullus otidis, quem in cœlo creandis Angelis guttas ex plumis ſuis excutere, cur velint *Arabes*, ſi quis quærat, is meritò dicetur cum ratione velle inſanire.

Etiam huc pertinent bos, & piſcis, terræ bajuli, de quibus *Waheb Ben Menubba* quem citat *Damir*, capite الثور *Terra eſt, ut navis quæ trahitur, & venit. Et creavit Deus Angelum maximum, & validiſſimum, quem terram ſubire juſſit, & humeris eam bajulare: quod ille fecit. Eduxit ſcilicet manum unam ab Ortu, & alteram ab Occaſu, & complexus eſt extrema terræ, & tenuit ea Sed pedibus ejus non erat quietis locus. Creavit igitur Deus lapidem ex carbunculo, in cujus medio ſunt ſepties mille foramina. Ex his omnibus exit mare, cujus magnitudinem nemo novit præter Deum. Hunc lapidem juſſit Deus ut ſubeſſet Angeli pedibus. At lapidi prorſus non erat quietis locus. Proinde magnum bovem creavit Deus, cui ſunt quatuor mille oculi, & aures, nares, ora, dentes, & pedes eâdem proportione, omnes ab invicem diſtantes itinere quingentorum annorum. Et huic bovi præcepit Deus ut lapidi ſubeſſet, & eum ferret ſuper dorſum, & cornua ſua. Illi porrò bovi nomen eſt* كيوثا (Ità unum exemplar, ſed aliud melius ليوثا eſt enim nomen deflexum ex *Leviathan*) *At cum neque tauro quietis eſſet locus, creavit Deus piſcem ingentem quem nemo poteſt intueri propter magnitudinem ejus, & fulgur oculorum, & eorum amplitudinem. Nempe, ut ajunt, ſi poneret maria omnia in una narium ſuarum, illa eſſent ut granum unum ſinapi in* فلاة *deſerto. Hunc porro piſcem pedibus bovis ſubeſſe Deus juſſit. Nomen illi piſci* بهموت *Behemoth.* Sequitur aquas piſci ſubeſſe, aquis terem, aëri aquas inferiores, illis tenebras, in quibus rectè deſinunt homines [illegible]. Ibidem alia quædam habent ex *Rabinorum*, lacunis hauſta, de certamine inter has bellues futuro, ut recreentur fideles, quibus occiſæ tandem apponentur, & piſcis jecur maximè erit in deliciis. Qui plura de hoc piſce volet, legat *Damirem* capite النون ubi quidam *Chaboligiari* narrat hunc piſcem à diabolo fuiſſe ſollicitatum ad excutiendam è dorſo ſuo terræ machinam, & montes, & populos, & feras impoſitas, ut tanto onere levatus liberius reſpiraret. Quod cum jamjam eſſet facturus,

rus, Deum دابة reptile quoddam per nares illi in cerebrum immiſiſſe. Quo graviter cruciatus, cum Dei opem multis precibus imploràſſet, Deum ab hoc malo piſcem ea lege liberàſſe, ut ne ampliùs tam malo conſultori, id eſt, diabolo obſequeretur.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

Animalia aquatica fabuloſa apud *Arabes*, in quibus etiam aves marinæ. In fine multa de *ambaro* ſeu ſuccino.

1. *Homines marini, ut* Abumuzaina *in Ægypti littore quandoque viſus ambulans, qui ejulatu ſuo venatores ad miſericordiam inflectit. Et* Senex Judæus *è mari emergens noctè Sabbathi. Et* ſenex marinus *in mari* Damaſceno. *Et* filiæ Græcorum *paſſis crinibus in mari* Græco. *Aliæ Hiſtoriæ ſimiles. Pro veris hominibus habuit* Vives. 2. Dulhak, *formâ hominis ſtruthionem inequitantis, veſcens carne hominum quos mare ad littus ejicit.* 3. Alkavvand, *id eſt*, Alcyon, *ubi quædam petita ex Hiſtoria ciconiæ. Item* alkavvand *ulei genus.* Simonides *emendatus.* 4. Mazur *avis, ova ponens in mari tranquillo, & nautas periculi monens.* 5. *Piſciculus* zamur, *balenis cantu ſuo quàm moleſtus.* 6. *Piſcis cui Dei &* Mahumetis *nomina inſcripta.* 7. *Piſcis* thalb, *quo diſſecto in minimas partes ea ſingula vivunt.* 8. *Piſcis,* Moſis, & Joſue, *cujus dimidium cum comederint, hodieque is non videtur niſi dimidiatus.* 9. *Phocarum genus quæ naves ſpiculis ſuis incendunt, niſi ipſarum pelle obtegantur.* 10. *Serra piſcis ſerram habens à capite ad caudam porrectam, & in capite duo oſſa quibus remigat.* 11. *Bos aquaticus qui è mari in terram aſcendit ut fruges depaſcatur. Ambarum ejus ſtercus. Rasa g. & ſalpam veteres bovem vocârunt. Sed hic phoca ſignificatur, quæ barbaris ſcriptoribus* azel *pro* agel, *id eſt, vitulus.* Gim Arabum *efferri per* z. *Alii ambarum ejici volunt à piſce, cognomine,* عنبر anbar, *balena* Mauritanis & Æthiopibus. *Aliis ambarum ex piſciculo.* Avicennæ *locus ab interprete omiſſus de ambaro ex mari* Germanico *ſeu* Balthico. *De eodem loca veterum. Tres amnes ab invicem remotiſſimos* Eridanum, Rhodanum, & Radaunum *propè* Dantiſcum, *ubi ambarum, veteres promiſcuè ſumpſiſſe. Cur* Avicenna Padi *populum in nucem mutaverit. Idem emendatus.* Karabe *vox* Perſica *quid ſignificet. Electri* Syrum *nomen non fuit* ܫܗܦ, *ut vult* Nicias, *ſed* ܫܗܦ. *Succinum à ſucco.* Sacal Ægyptiis *hodie* ſachol. Ἤλεκτρον *ab* Arabibus علك elec, *id eſt resina.* עלוקא *aluca*, idem *Syris* ܥܠܘܩܬ ܐܪܢܐ alukat orna, *reſina pini, hinc* ἤλεκτρον *quod veteres ex pino fluere crediderunt.*

1. **Q**Uia quicquid habent veteres de maris monſtris humanâ formâ viſis, noſtro ſæculo curioſi magno ſtudio colligunt; ſimiles *Arabum* Hiſtorias ipſis ſcriptorum verbis libuit hic apponere, quamvis pleraſque habeam pro dubiis aut apertè fabuloſis.

ابو مزينة * سمك في البحر على
صور الرجل يقال انهم يظهرون
بالاسكندرية وبرشيد وبالبرلس على
صورة بني ادم بجلود لزجة
واجسام متشاكلة لهم بكا وعويل اذا
وقعوا في ايدي الناس وذلك انهم
ربما برزوا من البحر الي البر
يتمشون فيقع بهم الصيادون
فيصيدونهم فاذا بكوا رحموهم
واطلقوهم كذا قاله القزويني

Abu-muzaina, id eſt, pater decoræ, *piſcis eſt maris humanâ formâ. Hi apparere dicuntur circa* Alexandriam, & Roſetam & Borles (*Ægypti* urbes) *juxtà formam filiorum hominis, pellibus viſcoſis, & corporibus benè conformatis. Flent & ejulant, cùm in manus hominum inciderint. Cùm ſcilicet è mari emergunt, ut in terra ambulent, in eos incidunt venatores & capiunt; ſed eorum flentium miſerentur, & intactos dimittunt. Ita tradit* Alkazuinius.

الشيخ اليهودي * قال ابو حامد
الاندلسي والقزويني في عجايب
المخلوقات انه حيوان في البحر
وجهه كوجه الانسان وله لحية
بيضا وبدنه كبدن ضفدع وشعره
كشعر البقر وهو في حجم العجل
يخرج من البحر ليلة السبت
ويستمر حتي تغيب الشمس ليلة
الاحد فعند ذلك يثب كما يثب
الضفدع ويدخل الما فلا تلحقه
السفن

Senex Judæus, *Dixit* Abu-hamed Hiſpanus, & Alkazuinius *in libro de miraculis rerum creatarum, eſſe marinum animal, cujus facies inſtar humana eſt, barba cana, corpus ut corpus ranæ, pili ut pili bovis, ſtatura vituli: Atque illud è mari emergere noctè Sabbathi, & uſque ad Solis occaſum & primam noctem divagare, tum verò in mare inſilire ranæ modo, & aquas ſubire, neque naves illud aſſequi.*

انسان الما * هو حيوان بحري يشبه
الانسان

الانسان الا ان له ذنبا قال القزويني في عجايب المخلوقات وقد جاء شخص بواحد منها في زماننا مقددا كما ذكرنا وقيل انه يظهر ببحر الشام في بعض الاحيان من شكله انه شكل انسان له لحية بيضا يسمونه شيخ البحر فاذا راه الناس استبشروا بالخصيب وحكي ان بعض الملوك حمل اليه انسانا ما فاراد الملك ان يعرف حاله فزوجه امراة فجاه منها ولد يفهم كلامه وكلام امه فقيل له ما يقول ابوك فقال انه يقول اذنب الحيوانات كلها في اسفلها فما بال هولا ادنابهم في وجوههم ☼ *Homo aquaticus. Eſt animal marinum inſtar hominis, niſi quòd eſt caudatum. Dixit* Alkazuinius *in* Mirabilibus *creaturarum. Allatum eſt corpus unius horum ævo noſtro, quod conditum ſervatur, quomodo ſupra diximus. Porrò quandoque conſpici dicitur in mari* Damaſceno *animal hujus ſpeciei, cui ſcilicet eſt hominis ſpecies, & barba cana, unde vocant ſenem marinum, & eo viſo magnam annonæ vilitatem præſagiunt. Sed & hominem aquaticum ferunt Regi cuidam eſſe allatum, qui ſtatûs ejus pernoſcendi cupidus, uxorem illi dedit, à qua ſuſceptus filius ſermonem utriuſque parentis intelligebat. Et rogatus aliquando quidnam diceret pater ipſius, reſpondit illum mirari, cur cum reliqua animalia caudas haberent in infima parte, ipſi haberent* τὰς κέρκους εἰς τὸ ἔμπροσθεν.

بنات الروم ☼ قال ابن الابي الاشعث هي سمكة ببحر الروم شبيهة بالنسا ذوات شعور سبط والوانهن الي السمرة ذوات فروج عظام وثدي وعيون حسان في غاية الملاحة والظرافة ولهن كلام لا يكاد يفهم يضحكون ويقهقهون وربما وقعن في ايدي بعض اهل المراكب فيصيدوهن فينكحوهن ثم يعيدوهن الي البحر ☼ *Filiæ Arrumi*, id eſt, *Græcorum*; aut, ut habet aliud exemplar بنات الما *Filiæ aquæ*, ſeu aquaticæ. *Dixit* Ibnolabialſaths *piſces eſſe in mari* Græco *mulieribus ſimiles, paſſis crinibus, colore ſubfuſco, magnis pudendis, & mammis, oculis, pulchris maximeque venuſtis, & acribus, & ſermonem iis eſſe qui vix intelligitur, inque riſum, & cachinnos paſſim effundi: Et in nautarum manus quandoque incidere, qui captas ineunt, & mare rejiciunt.*

In his *Arabum Hiſtoriis* poteſt aliquid veri ſubeſſe. Nam inter marina monſtra, quædam humanâ formâ reperiri, aut quæ ad humanam proximè accedit, pro comperto habetur. Quorum alia legas per anchorarum funes ad navium fores, & tabulata niti: Alia è mari in terram emerſa per littus ambulare, & ſilicum colliſione ignem noctu accendere: Alia rursùs mulierum amore ardere, iisque niſi maturè ſubveniatur, vim inferre. Sed & fuere quæ capta, cum hominibus diu vixerunt. Inter quæ *Pomeranenſes* unum muliebris formæ memorant in urbe quadam *Edam* nomine aliquamdiu ſervatum, ad muliebria munera exequenda promptiſſimum, at de cætero ſalaciſſimum. Et *Gaſſendus* in vita *Pireskii* libro quinto, unum deſcribit viſum non ita pridem in *Armoricano* littore. Tam enim in externo, quàm in interno mari hæc monſtra occurrere palam teſtantur tam veteres, quàm recentiores *Hiſtoriæ*. Quo *Tritonum*, & *Nereidum* origo referenda eſt. Sed planè fabuloſum cenſeo, quod ab horum uno *Sabbatha* coli tradunt *Arabes*, atque alii tribuunt humani ſermonis uſum. Quamvis *Ludovicus Vives* ſuperioris ſæculi ſcriptor minimè vanus, idem confidenter aſſerat, adeoque veros homines velit in mari propagari. *Sunt*, inquit, *etiam homines in mari ſicut in terra. Quòd pro indubitato eſt habendum, vivere homines integros in mari, ſicut* Plinius *tradit. Quorum unus captus ante annos duodecim in* Batavia, *quem viderunt plurimi. Etenim detentus eſt ſupra duos annos mutus, & incipiebat jam fari, quoad ictus bis peſtilentiâ in mare eſt remiſſus gaudens, & exiliens. Sed iſti quoque ex terreſtribus ſunt hominibus progeniti.* Hæc ille libro ſecundo de veritate fidei *Chriſtianæ* circa initium.

II. Aliud maris monſtrum eſt الدهلاق *dahlak*, nomine vel الدلهاق *dulhak*, (aliud exemplar الدلخاف *dulchaph*) de quo *Alkazuinius* هو حيوان يوجد في جزاير البحر على هية انسان راكب على نعامة ياكل لحم الانسان الذي يقذفه البحر *Animal eſt quod reperitur in inſulis maris formâ hominis ſtruthionem inequitantis, veſcens carne hominum, quos mare ad littus ejicit.* Addit ex quorundam ſententia monſtrum idem naves aggredi, & σκάφας invadere, & oppugnare, atque inclamare etiam صيحة فخر *voce gloriationis*. (Al. صيحة خر *voce ronchi*.) Puto legendum صيحة فرح *voce lætitiæ*, id eſt, lætâ, & gratâ auribus. Agitur enim de *Sirenum* cantu, quæ in inſulis habitabant, & ſuperiora virginum habuerunt, inferiora τῶν στρουθῶν, *paſſerum*, vel *ſtruthionum*, & pro victu carnes hominum. Proinde apud *Poetam* πολὺς ἀμφ' ὀστεόφιν θὶς ἀνδρῶν πυθομένων, *ingens illas circumſtabat acervus ex virorum putrefactorum oſſibus.*

III. *Græca*

III. *Græca* etiam eſt fabula de القاوند *alka-vvand*, de qua Damir ذكره طاير يتخذ وكره في ساحل البحر ويحضن بيضه في الرمل سبعة ايام ويخرج افراخه في اليوم السابع ثم يرقها سبعة ايام والمسافرون تتيمنون هذه الايام ويوقنون بطيب الوقت وحلول اوان السفر *Avis quæ nido ſuo metatur locum in mari litore, & ova ſua in arena fovet ſeptem diebus; & die ſeptimo pullos excludit, dein per ſeptiduum cibat. Et illos dies, qui navigant, pro auſpicatis habent, & placidum cœlum expectant, & navigationi tempus commodum.* Agi de alcyone tam certum quàm quod eſt certiſſimum. Quamvis enim alcyonii dies aliter atque aliter definiantur, iis tamen à pleriſque idem numerus qui ab *Arabe* aſſignatur. *Plinius* libri ſecundi capite quadrageſimo ſeptimo, *Ante brumam ſeptem diebus, totidemque poſtea ſternitur mare alcyonum fœtura, & inde nomen ei dies traxere.* Et libri decimi capite trigeſimo ſecundo, *Faciunt ſeptem ante brumam diebus nidos, & totidem ſequentibus pariunt.* Et libri decimi octavi capite vigeſimo ſexto, *Circa brumam pleriſque, bis ſeptem alcyonum fœtura ventorum quiete mollius cœlum.* Ita etiam *Baſilius* (a), *Euſtathius* (b) & *Ambroſius* (c) in *Hexaëmeron*, *Ariſtophanis* (d) item & *Theocriti* (e) Scholiaſtæ. Nempè præiverat *Philoſophus*, cujus verba ſunt (f), Ἡ δὲ ἀλκυὼν τίκτει περὶ τροπὰς χειμερινάς· διὸ καὶ καλοῦνται, ὅταν εὐδιειναὶ γένωνται αἱ τροπαί, ἀλκυόνειαι ἡμέραι, ἑπτὰ μὲν πρὸ τροπῶν, ἑπτὰ δὲ μετὰ τροπάς, *Alcyon circa ſolſtitium hyemale parit. Ideò ſeptem dies qui ſolſtitium precedunt, & totidem qui ſequuntur, ſi ſereni ſunt, alcyonii vocantur.* Quin & Philoſophus habuit, quem ſequeretur, Simonidem, cujus tetraſtichum ea de re citat, ſed mancum & mutilum, & vocibus ita inverſis ut ſoluta videatur oratio, quæ rhythmica eſt, & ſuis numeris adſtricta. Ego illud ſic reſtituo,

(a) Homil. 8.
(b) Pag. 28.
(c) Lib. 5. cap. 13.
(d) In Ranis & in Avibus.
(e) In Thalyſ.
(f) Hiſt. lib. 5. cap. 8.

Ὡς ὁπόταν Ζεὺς χειμέριον κατὰ μῆνα πινύσκῃ
Ἤματα δυοκαίδεκα τεσσαρακαιδεκ᾽ ἴτυς,
Λαθάνεμόν τε μιν ὥραν ἐπιχθόνιοι καλέουσιν,
Ἱερὰν παιδοτρόφον * ποικίλας ἀλκυόνος.

* Suſpecta vox ratione metri.

Sic ubi Dictæo *brumali tempore miſſa*
Ab Jove *bis ſeptem temperat aura dies,*
Ventiprema hæc anni tempeſtas nomine vero
Nutrix ſacra vagæ dicitur alcyonis.

Quibus verbis cum *Simonides* eumque ſequutus Philoſophus, alcyonios dies quatuordecim numerent, quorſum *Suidas* undecim, *Euſtathius* & *Phavorinus* quinque ſolùm ab iis numerari ſcribunt? Ita enim *Suidas*. Ἀλκυονίδες ἡμέραι, αἱ εὐδιειναί, περὶ τῶν ἀριθμῶν διαφέρονται. Σιμωνίδης γὰρ ἐν πεντάθλοις τὰ φησὶν αὐτὰς καὶ Ἀριστοτέλης ἐν τοῖς περὶ ζώων. Et *Phavorinus* poſt *Euſtathium*, Σιμωνίδης μὲν γὰρ πέντε φησὶν αὐτὰς καὶ Ἀριστοτέλης. Itaque aut corruptos eſſe oportet, aut corruptis *Ariſtotelis* exemplaribus uſos *Suidam*, *Euſtathium* & *Phavorinum*. Nempè in numeris id ſæpe accidit, quod vel tirones ſciunt. Sed in *Simonide* numerus non potuit mutari, propter verſus quos reſtitui. Tamen quia citantur ex illius πεντάθλοις, ex poëmatis titulo ſumpta vox πέντε alcyoniorum numerum definire credita eſt. Illis porrò diebus dicit Arabs, *Deum mare continere, quominùs hyberno tempore ſuper iſtius avis ova & pullos commoveatur* لبره بابويه عند كبرهما وذلك انهما اذا كبرا حمل لهما قوتهما وعالهما حبابهما الي ان يموتا *propter ejus pietatem erga parentes jam ſenes. Nempe fert illis victum cùm ſenuerunt, & per totam vitam ſuſtentat eos donec moriantur.* Quæ petita videntur ex Hiſtoria ciconiæ, & perperam huc tranſlata. Quamvis etiam alcyonis pietas celebretur, ſed in conjugem. *Oppianus* in *Ixeuticis* apud *Geſnerum* pag. 89. *Fertur beneficium hoc (ut mare iis parientibus tranquilletur) Nereides in eas contuliſſe, propter inſignem in maritum pietatem.* Quin κηρύλος, *cerylos*, (qui ſunt alcyonum mares, ut *Antigonus*, *Suidas*, *Ariſtophanis* Scholiaſtes, alii ſcribunt) γηράσκοντας αἱ θήλειαι βαστάζουσι τοῖς πτεροῖς, *cùm conſenuerunt fœminæ, alis ſuis ſubvehunt*. Unde eſt quod *Alcman* æger & ſenex, nec propriis pedibus amplius inſiſtere valens, cerylus fieri cupit, ut geſtetur ſenioribus.

Οὔ μ᾽ ἔτι παρθενικαὶ μελιγάρυες ἱερόφωνοι
Γυῖα φέρειν δύναται· βάλε δὴ βάλε κηρύλος εἴην,
Ὅς τ᾽ ἐπὶ κύματος ἄνθος ἅμ᾽ ἀλκυόνεσσι ποτῆται
Νηλεὲς ἦτορ ἔχων ἁλιπόρφυρος εἴαρος ὄρνις.

Addit *Arabs etiam, ex hac ave ſumi* شحم القاوند *adipem alkavvand notum, quo excitatur anus, & ſolvuntur phlegmata diuturna.* Sed de alcyone nil tale lego. Tantùm hic ipſe & *Abenbitar* meminere *olei alkavvand* ex *Arabia Fœlici*, *Æthiopia* & *India* afferri ſoliti, cujus in morbis frigidis & nervorum doloribus plurimus uſus. At oleum illud animalis adeps non eſt, ſed ſuccus torculari expreſſus à fructu juglandi ſimili, illis locis peculiari. Itaque quòd hujus fructus nomen erat *alkavvand*, ad avem tranſtulere *Arabes*, quia alludit ad *Græcum* ἀλκυών. Quod ne quis ab *Arabico* deducendum putet, *Grammatici* factum docent παρὰ τὸ ἐν ἁλὶ κύειν. Proinde denſam aſpirationem multi præfigunt, in quibus *Theocritus* in *Thalyſiis*.

IV. Sunt etiam ex alcyonis Hiſtoria detorta hæc, quæ de ave المازور *mazur* ſcribunt *Arabes*, *eſſe avem benedictam in* Oceano *occidentali* يتبامن به اصحاب السفن *quam qui navigant, pro auſpicata habent, quia ova ponit ad littus mari tranquillo: Proinde cùm ova illius vident, mare placidum eſſe colligunt.* Sed quæ de eadem ſequuntur, unde petita ſint, fateor me ignorare, *Venit hæc ipſa avis, cùm ad locum periculoſum aut belluam noxiam navis accedit, & coram vectoribus modo ſurſum, modo deorſum volitat, quaſi periculi eos moneret, donec re deprehensâ nauta recedant.* Hæc *Damir* ex aliquo mirabilium conſarcinatore quem non nominat.

V. Fallor, an المازور avis nata eſt ex piſce الزامور *zamur*? Eædem utrobique literæ, nec quicquam diverſum præter ordinem. Et *zamur* piſcis quidem eſt ex definitione *Arabum*, ſed à cantu ſic nominatus, quia canorus eſt inſtar avium: Et de cætero tam φιλάνθρωπος quàm avis *mazur*, & nautis æquè acceptus, moribuſque tam illi ſimilis, ut vel utrumque appareat ſub eadem incude cuſum, vel unum ex altero eſſe factum. Nempè *Zamur* à *Thangidæo* deſcribitur حوت صغير الجسم السوف الاصوات للناس يستانس باستماعها ولذلك

ولذلك يصحب السفن متلذذا باصوات اهلها *piſcis parvi corporis, mille vocum, quarum auditu ſit familiaris hominibus; unde eſt quòd naves comitatur, vectores cantu recreans.* Sequitur ſi cetus accedat, τ *zamur* in ejus aurem ſtatim inſilire, & perpetuo cantu illi obtundere, donec ad vada, & rupes eum impellat, ad quas tam importunum cantorem excuſſurus, toties caput allidit, & tanto impetu, ut tandem ipſi ſibi mortem conſciſcat. Inde piſciculum illum charum eſſe vectoribus, qui nihil non agunt ut apud ſe diu detineant, tanquam malorum averruncum. Et ſi in retia fortè inciderit, beneficiorum memores dimittunt, ut ſacrum piſcem, quemque attingere ſit nefas. Ejuſdem piſciculi *Alkazuinius* obiter ita meminit, ubi de البالة ſive balænâ فاذا بغت على حيوانات البحر بعث الله سمكة نحو الذراع فتلتصق باذنه ولا خلاص للبال منها فتطلب قعر البحر وتضرب الارض براسها حتى تموت *Et cùm irruit in maris belluas, piſciculum vix cubitalem immittit Deus, qui auri ejus adhæreat: A quo liberari balæna, cum nequeat, petit fundum maris, nec ad mortem uſque caput terræ allidere ceſſat.* Hæc *Arabes*: At cum cetis *Græci* agunt multò clementiùs, cùm illis piſciculum adjungunt, qui ſit viæ dux, & imminentia vada præmonſtret, ne in illa temerè impingat.

VI. Jam quæ ſequuntur, ſunt multo θαυματωδέστερα. In *Alkazuinii Mirabilibus* narrat quidam *Arrachman, Aronis* filius, ſe, cum per mare Occidentis veheretur, veniſſe ad locum nomine البرطون *Albartun*, & in eadem nave fuiſſe juvenem صقلي *Sachalienſem*, qui hamo in mare projecto piſciculum ferè palmarem piſcatus eſt, in cujus aure dextrâ ſcriptum erat لا اله الا الله *non eſt Deus niſi Deus*, in cervice محمد *Mahomet*, & in aure ſiniſtra رسول الله *Apoſtolus Dei*.

Dic quibus in terris inſcripti nomina Divûm
Naſcantur piſces, & eris mihi magnus Apollo.

VII. In libro magni nominis cui titulus تحفة الالباب *beneficium animorum*, cujus auctor *Abuhamed Hiſpanus*, legitur in mare الروم *Græco* piſcem eſſe cubitalem الثلب *thalb* nomine, qui in minimas partes diſſectus moveri non deſinit. Et ſi torreatur ſupra carbones, ex igne in coqui faciem inſilit. Et caput ejus conjectum in ollam, lapide aut ferro obſtructam ne exeat, non coquitur, neque moritur.

VIII. Eſt & alius quem vocant حوت موسى ويوشع *piſcem* Moſis, & Joſue, de quo hæc idem *Abuhamed* auctor ἀξιοπιστότατος: *Vidi piſcem propè urbem* سبتة Septam *è ſtirpe piſcis illius è quo comederunt* Moſes, & *puer ejus* (Joſue) *cujusque dimidium cum vivificaſſet Deus, iter ſuum ad mare perſequutus eſt. Et ſtirps ejus hodieque in eodem loco perſeverat. Piſcis autem eſt cubito longior, latus palmâ, in cujus una parte nihil eſt præter ſpinas, & oſſa, & cutem tenuem quâ obducuntur viſcera. Sed & eſt unoculus, nec niſi medium habet caput. Proinde ab una parte qui videt, ab eo abhorret, ut qui ſpeciem habeat exeſi piſcis, & mortui. At altera prorſus ſana eſt. Et ei benedicunt homines, & ad loca remota mittunt. Dixit* Ibno Atia: *Ego etiam piſcem illum vidi qualis deſcribitur.* Ne quis ſit dubitandi locus, cum duo teſtes ſuppetant. Piget cætera addere de fonte vitæ ex quo piſcis ille biberat, & de maris aquis quas ſulcavit, quæ cum in lapidem obduxiſſent, per eas delatus eſt *Moſes* in inſulam remotiſſimam, unde attulit virgam illam θαυματουργικὴν, quâ in *Ægyptios* uſus eſt. Multa hujuſmodi nugantur in *Alcorani Surata* الكهف id eſt, ſpeluncæ, in qua de piſce illo agitur.

IX. Qui de minimis piſcium in tam craſſos errores impegerunt, eos ne mirere, ſi de magnis majora mentiantur. Ut cùm caput القوقي id eſt, phocæ, ſpinis & ſpiculis armatum deſcribit *Alkazuinius*, quibus non ſolùm configat obvios, ſed & naves ita incendat, ut inter medias aquas tanquam fulmine percuſſæ ardeant, & conſumantur. Ita ut contra hanc peſtem non aliud ſit ἀμυντήριον, quàm ipſius phocæ pellis, quâ latera navium obtegi neceſſe ſit. Certè apud *Plutarchum* (g), οὐ δοκοῦσιν ἐπιθιγγάνειν οἱ κεραυνοὶ τῆς φώκης τοῦ δέρματος, οὐδὲ τῆς ὑαίνης, *fulmina neque phocæ, neque hyænæ pellem putantur attingere.* Unde eſt quod illis (h), τὰ ἄκρα τῶν ἱςίων οἱ ναύκληροι καλύπτουσι, *velorum ſummitates nautæ obducunt. Et ad fulminum ictus pavidi*, inquit *Plinius* (i) *altiores ſpecus tutiſſimos putant, aut tabernacula è pellibus belluarum, quas vitulos marinos appellant, quoniam hoc ſolum animal ex marinis non percutiat.* Hinc de *Auguſto Suetonius* capite nonageſimo. *Tonitrua & fulgura paulo infirmiùs expaveſcebat; ut ſemper, & ubique pellem vituli marini circumferret pro remedio.* Sed præter *Alkazuinium*, neminem alium reperies qui phocæ pellem opponat phocæ ſpiculis, quæ nulla ſunt. Et rem eſſe perridiculam ſciunt quotquot phocam viderunt, quod & nobis ſæpè contigit.

(g) Sympoſ. lib. 5. quæſt. 9.
(h) Ibid. lib. 4. quæſt. 2.
(i) Lib. 2. cap. 55.

X. In eodem *Alkazuinio* المنشار *ſerra*, cetus eſt in mari *Zingitano* ad montis molem accedens, cui ſunt à capite ad caudam tanquam ſerræ, dentes bicubitales inſtar ebeni nigri: Et in capite oſſa duodecim cubitorum, quibus remigat à dextris, & à ſiniſtris. Quæ fabuloſa eſt *ſerræ* deſcriptio. *Serras* inter piſces memorat *Plinius* libri noni capite ſecundo, & libri trigeſimi ſecundi capite undecimo, ſed non deſcribit, neque veterum quiſquam alius præter *Iſidorum* cujus verba ſunt *Originum* libri duodecimi capite ſexto. Serra *nuncupatur, quia* ſerratam *criſtam habet, & ſubternatans navem ſecat.* *Geſnerus*, ſcolopacem piſcem intelligit prælongo roſtro, radium verſus caudam habens longum, durum, præacutum, alterâ parte *ſerratum* denticulis quæ *ſerram* planè referunt. *Gillius* marinam belluam ex cujus fronte os unum eminet in modum *ſerræ* dentatum. Quod ad roſtrum pertinere credidit *Rondeletius*, nullo auctore quòd quidem ſciam.

XI. Nihilo verius, quod *ambarum Alkazuinius* ſcribit eſſe ſtercus بقر الما *bovis aquæ*, ſeu aquatici, qui è mari in terram aſcendit ut fruges depaſcatur. Apud veteres raiæ ὀξυρύγχου quædam ſpecies à mole corporis bos appellatur. *Salpa* item in *Heſychio*: Σάλπη, inquit, ἰχθῦς ποιὸς, ὃν καὶ βοῦν καλοῦσιν. Quod habet ex his *Pancratis* ἐν ἔργοις θαλασσίοις·

—— σάλπαι τ' ἰσομήκεες ἰχθῦς,
Ἅς τε βόας πορκῆες ἁλιζόοι καλέουσιν
Οὕνεκα γαστέρι φῦκος ἀεὶ ἀλέουσιν ὀδοῦσιν.

—— *æquali, & corpore ſalpa*
Quamque bovem vocat æquoreus piſcator, aperto
Gutture littoream quia ſemper commolit algam.

Ubi

Ubi tamen à ſalpa bos diſtingui videtur, ut piſcis alius congener. Utut ſit, nec rajæ, nec ſalpæ quicquam habent commune cum ambaro, nec unquam è mari in terram migrant. Sed in *Alkazuinio* bos aquæ haud dubiè eſt phoca, qui mugitu, maxillâ ſuperiore, & naribus, bovem aut vitulum refert. Unde *Phavorinus* ex aliquo veteri *Scholiaſte* : Φώκη, θαλάσσιον ζῶον ὃ χερσαίῳ βοΐ μᾶλλον παρόμοιον. Proinde illum *Maſſilienſes*, & *Genuenſes bovem marinum* appellant *Galli* cum *Plinio vitulum*. Sic apud *Servium* in librum quartum *Georgicorum*, *phocæ ſunt marini boves*. Et *Iſidori Originum* libri duodecimi capite ſexto. *Bocas dicunt boves marinos, quaſi boacas*. Et *Feſtus* : *Bocas, genus piſcis à boando, id eſt, vocem emittendo appellant*. Imò *bocas* pro phocas. Tale Βιγορίνα, Βιλόνιος, &c. Itaque hoc vult *Alkazuinius*, *ambarum* eſſe phocæ ſtercus. Nempe phocæ creduntur ambarum primo devorare, deinde egerere. Unde *Pandectarius* : Azel *eſt nomen piſcis magni devorantis ambarum*. Ex his *Serapionis* capite centeſimo nonageſimo ſexto *Mala eſt & illa ambra quam devorant quidam piſces magni qui dicuntur* azel, *qui cum deglutiunt eam, occiduntur ab ea, & natant ſuper aquas mortui, quos videntes homines de* Gingios (Zingitani) *projiciunt ſuper eos uncos ferreos, & extrahunt ipſos de mari, & extrahunt ambram de ventre eorum*. Nempe *azel* eſt عجل *agel* vitulus. Solemne enim eſt interpretibus *gim*, & ζ permutare, quia literæ ſunt ſono ſimiles, Sic جلاب *giuleb*, illis eſt ζυλάπιον جبة *giubba* ζῦπα, جلجلان *gilgiolan*, ſeſami genus, ζιζυλᾶν جرافة *girapha* camelopardalis *ziraffa*, جدوار *geduar*, planta zingiberi ſimilis, *Zedoaria*, جند بيد ستر *giun debeiduſter* Caſtoreum *zundebeduſter*. Sic عجل *agel* vitulus, *azel* & vitulus, id eſt, phoca.

At ambarum alii volunt ejici à ceto cognomine. *Damir* ودابة التي تاكله تدعي العنبر *& bellua quæ illud vorat, vocatur anbar*. *Leo Africanus* libro nono. *Ambarum à piſce ambaro ejici multi volunt*. Quem piſcem aut balænam eſſe volunt, aut cetum illi mole parem. Leo ibidem: *Ambarum piſcis eſt magnitudinis, & forma terribilis, qui vix conſpicitur niſi mortuus, quia mare in littus illud ejicit. Caput durum eſt inſtar lapidis. Longitudo* XXV *orygiarum, & amplius, ità ut balænæ nomen illi non malè conveniat*. Et *Paulus Venetus* libri tertii capite trigeſimo nono, ubi de inſula *Madagaſcar*: *In mari cete grandia capiuntur, ex quibus ambarum colligitur*. Et *Scaliger* in *Cardanum Exercit*. 104. §. 10. *In* Mauritanorum *libris hæc inveni, ambar ab incolis* Marocci, *&* Fez *balænam dici*. Quin, & apud *Æthiopes* ዐንበር፡ *anbar*, eſt cetus. In *Evangeliis Æthiopicis*, Matth. 12. v. 40. ità vocatur cetus qui devoravit *Jonam*. Hujus *Plurale* ዐናብርት፡ *anabrith*, id eſt, cete occurrit. *Dan*. 7. *v*. 19. & in *Liturgia Romæ* excuſâ paginâ centeſimâ ſeptuageſimâ ſextâ d. Sed obſtat quod ſcuta fiunt ex pelle *ambar*. *Damir* العنبر سمكة بحرية كبيرة يتخذ من جلودها التراس ويقال الترس العنبروي *Alanbar, piſcis marinus magnus, è cujus pelle ſumuntur ſcuta : Et tale ſcutum vocatur ambarium*. Unde colligas *alanbar*, nec eſſe balænam, nec ullum è majoribus cetis. His quippe corium, eſt mollius, quam ut ad ſcuta poſſit adhiberi. Itaque hoc phocæ convenit magis, de qua ſic *Oppianus* libro quinto *Halieuticῶn*,

Φώκη δ' ἐκ ἄγκιστρα τιτύσκεται, ὅτι τις αἰχμὴ
Τρίγλυφος, ἥκεν ἔλοι κείνης δέμας. ἔξοχα γάρ μιν
Ῥινὸς ὑπὲρ μελέων στερινλάχιν, ἔζευμον ἔρκος.
Hiſpida fallaci phoca haud retinetur ab hamo.
Nec trifida corpus violatur cuſpidis ictu,
Nam prædura cutis valida obtegit undique membra.

Sed ſive à majori ceto dicas, aut à phoca ſumi ambarum, aut etiam à piſciculo, quod *Aſſaphius* his verbis aſſerit في البحر دويبة تقصده لذكا ريحه وهو سمها فيقتلها فيلقطها البحر فيخرج العنبر من بطنها *In mari eſt animalculum quod propter odoris fragrantiam illud expetit. Sed eſt ipſi venenum lethiferum; & mare cadaver ejicit, & ambarum educitur ex ventre ejus*. Res *Avicenna* meritò ſuſpecta eſt, qui poſtquam rejecit, ut بعيد *remotum*, id eſt, parum probabile, quod ambarum alii زبد البحر *ſpumam maris, alii* روث الدابة *ſtercus animalis* eſſe aſſerunt, quædam addit quæ hic inſerere viſum eſt, quia in *Latina* editione planè omiſſa ſunt, & in *Arabica* valdè corrupta الا اني سمعت من يثق في قوله انه اخبرني بانه كان ببحر في زمن الشباب وكان يسافر سفر البحر فقال اني لما دخلت بلدا من بلاد البحر المسمي عندهم * بحر جرمانيق ضحوة النهار كنت بخاح مع اقوام في ساحل البحر وعند تموج البحر في الساحل كنا نجد العنبر في اقطاع والوان مختلفا وكل من سبق اخذه منا كان له عادة هذا البحر هكذي ويكون دايما في كثير من الاوقات

* *Ita lege pro* جرمانيق.

Sed quendam audivi, qui ut rem certam aſſeverabat, ſe juvenem olim maria frequentâſſe, & maritima itinera pluria confeciſſe. Et cum, inquit, ad loca maris quædam deveniſſem, quæ ibi vocant mare Germanicum, *circa diem orientem me contuli cum nonnullis ad littus maris. Et cum mare verſus littora fluctuaret, ambari fruſta varia reperimus, & diverſorum colorum, quæ omnia illius erant qui primus occupabat*. Addit

Illius maris hunc morem eſſe, atque id ſemper accidere per certa temporum intervalla. Conſtat agi de mari *Balthico* in *Æſtiis* circa *Dantiſcum* & *Regimontium*, ubi quandoque ſuccinum in littora, fluctus propellunt; ità ut absque ullo labore poſſit à quovis colligi. Et quamvis etiam alibi proveniat ſuccinum, *Germanici* tamen ſuccini ea eſt copia & nobilitas, ut aliorum famam obſcuret. Proinde ſunt è veteribus qui præter *Germanicum* ſuccinum aliud nullum agnoſcunt. *Tacitus* (k) ubi de *Æſtiis*, *Soli omnium, ſuccinum, quod ipſi gleſſum vocant, inter vada atque in ipſo littore legunt.* *Theodoricus* (l) iiſdem gratias agens propter ſuccina dono data, *Hanc leviſſimam ſubſtantiam*, &c. *ante omnes homines patriâ veſtrâ offerente ſuſcipitis.* Veriſimile eſt olim in *Balthici* maris inſulis & peninſulis hoc bitumen exſudaſſe: Ità enim multi veteres. In his *Diodorus Gallia* nomine latius ſumpto, ità ut *Germaniam* etiam complectatur: Τῆς Σκυθίας τῆς ὑπὲρ τὴν Γαλατίαν τ' ἀντικρὺ νῆσός ἐστι πελαγία κατὰ τὸν ὠκεανὸν, ἡ προσαγορευομένη Βασίλεια, εἰς ταύτην ὁ κλύδων ἐκβάλλει δαψιλὲς τὸ καλούμενον ἤλεκτρον. *Ex adverſo* Scythiæ, *quæ ſupra* Galliam, *inſula in* Oceano *eſt* Baſilia *dicta*, *in quam quod electrum vocant, fluctus abunde ejicit.* Et multo antè *Pytheas* à *Guttonibus* (ſeu *Gothis*) *Germaniæ* gente, æſtuarium accoli ſcripſerat *Mentonomon nomine, ſtadiorum ſex millium, ab hoc diei navigatione inſulam eſſe* Abalam (*Baſiliam* legit *Cluverius*, quam eandem eſſe vult cum *Suecorum* peninſula *Scandinaviá*) *Illo vere fluctibus advehi & eſſe concreti maris purgamentum. Incolas pro ligno ad ignem uti eo, proximis que* Teudonis *vendere. Huic &* Timæus *credidit, ſed inſulam* Baltiam *vocavit* (à qua forte mare *Balthicum.*) Et *Methridates in* Germaniæ *littoribus eſſe inſulam aſſerit, vocarique eam Oſerictam, cedri genere ſylvoſam, inde* (ſuccinum) *defluere in petras.* Et *Xenocrates, vocari à Scythis*, (id eſt, populis ſuprà *Germaniam*) *ſacarium, quoniam & ibi naſcatur.* Hæc apud *Plinium* libri trigeſimi ſeptimi capite ſecundo, ubi poſt aliorum ſententias ſuam quoque proferens, *Certum* inquit, *eſt gigni in inſulis* Septentrionalis Oceani, *& à* Germanis *appellari gleſſum. Itaq; & à noſtris unam inſularum ob id* Gleſſariam *appellatam* Germanico Cæſare *ibi claſſibus rem gerente*, Auſtraviam *à barbaris dictam.* Sed & *Tacitus*, *in occidentis inſulis*; Et *Caſſiodorus*, *in interioribus inſulis.* Oceani Septentrionalis. Tamen in *Herodoto* longè antiquiore legas in extremis *Europa* finibus Ἠριδανὸν καλέεσθαι πρὸς βαρβάρων ποταμὸν, ἐκδιδόντα ἐς θάλασσαν τὴν πρὸς βορέην ἄνεμον, ἀπ' ὅτευ τὸ ἤλεκτρον φοιτᾷν λόγος ἐστὶν, *fluvium quendam* Eridanum *nomine in* Septentionalem *Oceanum exire, unde electrum venire fama eſt.* Et *Dantiſci natus Cluverius*, *Eridani* nomine *Rodaunum* vel *Radaunum* amnem intelligit, qui *Dantiſcum* præterlapſus ſub ipſis oppidi mœnibus, tertio à mari milliari in *Viſtulam* amnem fluit. Nempe *Græcos* vocis barbaræ Ionum emollientes ex *Radanno* vult *Eridanum* feciſſe, quod *Attici* fluvioli nomen eſt. Atque id quidem poterat ferri. Sed in eo errârunt longè gravius, quod flumen *Germanicum* è *Venedico* ſinu in *Veneticum* tranſtulerunt. Quid quod *Veneticum* illud flumen aſſerit *Philoſtratus* (m), quâ viâ non ſatis ſcio, ἀπάγειν τοῖς ἐν Ὠκεανῷ βαρβάροις τὰ τῶν αἰγείρων ψήγματα, *deferre ad barbaros* Oceani *accolas populorum ramenta*, id eſt, electrum, quod *Phaethontis* ſorores in arbores populos mutatas, lachrymas fundere fabulantur. Sic apud *Apollonium* libro quarto *Argonaut.* *Rhodanus* cum *Eridano* fluvio electrifero confluens,

(k) De morib. German.

(l) Caſſiod. Var. lib. 5. Ep. 2.

(m) Philoſtr. Icon. in Phaeth.

——— τῇ μὲν τ' ἐπερεύγεται ἀκτὰς
Ὠκεανοῦ, τῇ δ' αὖτε μετ' Ἰονίην ἅλα βάλλει,
τῇ δ' ἐπὶ Σαρδόνιον πέλαγος, καὶ ἀπείρονα κόλπον
Ἑπτὰ διὰ στομάτων ἱεὶς ῥόον.

——— *magno hinc ſe murmure miſcet*
Oceano, Joniæque *illinc defertur in ora*
Littora, Sardoumque *aliunde per oſtia ſeptem*
In mare præcipites fluctus agit ———

Ad quæ verba *Scholiaſtes*, Ῥοδανὸς ποταμὸς τῆς Κελτικῆς τῷ Ἠριδανῷ συμμισγόμενος καὶ σχιζόμενος, τῇ μὲν εἰς ὠκεανὸν φέρεται, τῇ δὲ, εἰς τὸν Ἰόνιον κόλπον, τῇ δὲ εἰς τὸ Σαρδόνιον πέλαγος. Quod idem eſt ac ſi *Rodaunum* & *Viſtulam Germaniæ* fluvios in *Oceanum*, *Eridanum Italiæ* in *Jonii* maris partem *Adriam*, & *Rhodanum Galliæ* in *Sardoum* mare exeuntes in unum compegiſſet. Hanc fabulam ex parte ſequitur *Dioſcorides*, ex quo *Avicenna* libri ſecundi capite *de nuce Romana*, hæc habet ab interprete *Latino* prætermiſſa, & in *Arabico* ſic reſtituenda يقال ان شجرة الحور الرومي ينبت في النهر الذي يسمي ليريدانوس وله صمغ يسيل من تلك الشجرة وعند ما يخرج الصمغ يجمد في النهر وهو الذي يسمي ايلقطرون ومن الناس من يسميه خروسوفورن وهو الكهربا *Dicitur populus* Romana *creſcere ad fluvinum*, Eridanum *nomine*, *& ex illa arbore gummi fluere, quod quamprimum exiit, prope amnem illum concreſcit, & hoc eſſe, quod à* Græcorum *aliis* ἤλεκτρον, *ab aliis vocatur* χρυσοφόρον, *& a nobis carabe.* Pro الجوز id eſt, nuce, ablato utroque puncto, ſcribendum الحور id eſt, λεύκην populum arborem res ipſa docet. Quamvis *Avicennam* ipſum ſcripſiſſe الجوز literarum ordo arguat. Itaque capite de *karabe*, *hoc*, inquit, *eſt gummi arboris*, nempe الجوز الرومي *nucis Romanæ*. Sequitur iſtud gummi eſſe *inſtar Sandarachæ confractæ*, tendens ad flavedinem والبياض شفاف *& albedinem* διαφανῆ *perlucidam ſeu tranſparentem*, Ità legit *Abenbitar*. At in *Avicenna* edito legas والبياض والاسفاق nullo ſenſu. Addit paleas & feſtucas ad ſe trahere, ideò vocari كاه ربا *kahrabe*, nempè بالفارسية *Perſicè*, quomodo hic legunt *Abenbitar*, & *latinus* interpres. *Karabe* ſcilicet *Perſis* eſt سالب التبن *trahens paleam*, ipſo *Avicennâ* interprete. Itaque كاه *kab*, pro palea occurrit *Evang. Perſ.* paginâ centeſimâ decimâ nonâ. Sic in *Syria* ſuccinum vocari ἅρπαγα ſcribit *Nicias*

Nicias apud *Plinium*, quia folia, & paleas veſtiumque fimbrias rapit. Ut ἤλεκτρον dici volunt παρὰ τὸ ἑλεῖν τὰ ἐκτὸς, τεθρύλλητον γὰρ ἁρπάζει τὰ πελάζοντα φρύγανα. Hæc in *Etymologo*. *Syris* ἅρπαξ eſſet ܚܛܦ *chateph*, vel *chataph*. Quod pro ſuccino cum nuſquam extet, mihi ſit veriſſimilius, *Syrum* ſuccini nomen fuiſſe ܟܛܦ *ketaph*, & vocum ſimilitudinem *Niciæ* impoſuiſſe, aut interpreti quo uſus eſt, quiſquis fuerit. ܟܛܦ *ketaph* propriè *Syris* eſt lachryma, vel reſina, vel gummi arborum, in quo genere eſſe ſuccinum veteres crediderunt, & inde illi nomen inditum. *Plinius* libri trigeſimi ſeptimi capite tertio. *Quod arboris ſuccum eſſe priſci noſtri credidere, inde ſuccinum appellantes.* *Tacitus* de moribus *Germanorum*: *Succum tamen arborum eſſe intelligas*, &c. *Iſidorus* libri decimi ſexti capite octavo. *Fertur arboris ſuccus eſſe, & ob id ſuccinum appellari.* Eodem pertinet vetus *Ægyptium ſacal*, de quo *Plinius*: Nicias *in* Ægypto *naſci ſimili modo* (voluit) *& vocari* ſacal. *Lexicon Copto-Arabicum* paginâ tercenteſimâ quinquageſimâ nonâ. Σάχαλ, كماما lege كمكام id eſt, gummi, vel reſina *Arabum*. Vide *Giggeium*, & *Abenbitar* in ضرو. Fortaſſe etiam ἤλεκτρον *electrum*, id ipſum eſt. *Arabibus* enim علك *ilc*, vel *elec*, eſt reſina. Ità paſſim uſurpat *Avicenna*. Et in *Abenbitare* علك الدوم eſt ῥητίνη σχίνου *reſina lentiſcina*, ſeu maſtiche علك الصنوبر ῥητίνη πιτυΐνη *reſina pinea* علك الصنوبر الكبار ῥητίνη στροβιλίνη *reſina ſtrobilina*, علك البطم ῥητίνη τερμινθίνη *reſina terebinthina*; علك الحب الخضرا *reſina grani viridis*. Idem علك السرو ῥητίνη κυπαρισσίνη *reſina cupreſſina*. علك التنوب ῥητίνη πιτυΐνη *reſina picea* علك الانباط *reſina* Nabateorum, id eſt *reſina piſtacii*. *Syri* per *Koph* ܥܠܘܩܐ *aluka* ſcribunt. Indè in *Ferrarii Lexico* ܥܠܘܩܐ gummi, ſuccinum. An hinc electri vocem ſumpſerint *Græci* veteres à *Phœnicibus* edocti, viderint peritiores. Quin cum אֹרֶן *oren*, *Ebræis*, & אורנא *orna*, *Chaldæis*, & *Syris* ſit pinus (ità reddunt LXX, *Hieronymus*, *Kimchius*, *Pagninus*, *Bodérianus*, *Schindlerus*, alii *Eſ.* 44. *v.* 14.) quidni ἤλεκτρον, putemus vocem eſſe compoſitam, & contractam ex עלוקת אורנא, *alukat-orna*, quaſi dicas *reſinam pini*? Id enim eſſe ſuccinum ſenſerunt nonnulli veterum. Plinius: *Naſcitur* (ſuccinum) *defluente medullâ pinei generis arboribus.* Item: *Pineæ autem arboris eſſe, indicio eſt pineus in attritu odor, & quod accenſum, tedæ modò ac nidore flagret.* *Iſidorus* libri decimi ſexti capite octavo. *Conſtat non eſſe ſuccum populi, ſed pineæ arboris.* Et capite vigeſimo tertio. *Ex pinis arboribus fluit quod ſuccinum dicitur.*

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

Probatur *Haſmal* in *Ezechiel* eſſe aurichalcum.

In ſuccino maximè placet color aureus. Proinde χρυσὸν *vocatur*, χρυσίζον, *&* χρυσοήλεκτρον. *Et electri nomine vocatur auri ſpecies, nempe quæ argentum habet admixtum. Unde pallere dicitur hoc aurum. Tamen in eo argenti ſolùm quinta portio; Al. tertia. Electrum hòc naturale. Ejus uſus quam antiquus. Electrum etiam pro cryſtallo ſumptum, quia* ambaro *eſt ſimile. Succinum* Germanis *olim*, gleſs/ *& vitrum* glaſs. *electrum tria ſignificat*, 1. *Succinum*, 2. *aurum argento mixtum*, 3. *cryſtallum. Quæritur quo ſenſu* Græci *uſurpent, cum in* Ezek. חשמל haſmal, *electrum reddunt.* Arabs *in uno loco reddit* Karabe *ſuccinum, in altero* maha *cryſtallum. Beryllus cryſtallo quam ſimilis.* Mahu Æthiopicè *vitrum. In* Æthiopia *vitrum foſſile, ex quo loculi.* Obſidianus, *vel* Obſianus *lapis, aliud pretioſius.* Maha, *vel* mahu *cryſtallum unde dictum. Diatreta quid propriè.* Ἤλεκτρον *in* Græca *verſione non eſt ſuccinum, nec cryſtallum, quæ in igne non lucent.* Orphei *de cryſtallo locus malè acceptus. Cryſtallum Soli oppoſitum ignem concipere, de quo multi veteres. An eo igne in ſacris uti liceat. Electri nomine auri ſpeciem à Senioribus intelligi. Ità accepiſſe veteres. Cur hoc electrum ſtatuant eſſe auro precioſius.* Haſmal Hebræis *Angeli*, *Vocis origines ridiculæ. Cur* Romulus *dictus* Altellus: *Probatur* hasmal *eſſe rem inanimam. Metallum hac voce ſignificari ex auro & ære conflatum.* Nun *initiale ſæpè deficit. Æris multæ ſpecies quibus aurum admixtum, aut quæ auro, colore vel precio ſunt ſimiles.* 1. *Æs* Indicum *ex quo* Darii *batiaca.* Batiacæ *unde dictæ. De hoc ære mentio*; Eſd. 8. v. 27. *vaſa templi ex eodem ære juxta* Joſephum. צהב, *quis color.* 2. *Æs coronarium:* Græcè χολόβαφον, *quia ex taurorum felle tinctum:* 3. Pyropum *æs in quo quinta auri portio. Sardius; & ceraunii idem color; & collis columbarum:* Pyropum *parmis inductum:* 4. Corinthium *æs ex auro; argento & ære. Hujus tres ſpecies. Uſus longe antiquior* Corinthi *excidio.* 5. Aurichalcum, *ſcilicet vox ex auro, & ære compoſita; ut volunt. Quin* orichalcum *eſt æs montanum. Cur ità dictum.* Aurichalcum *nonnullis æs vulgare. Quanti olim pretii. Inter præcipuos ornatus. Dubitant quidam, an nativum verè fuerit.* Plato, Ariſtoteles, Plinius, Pollux, *&c. extare negant. De eo locus* Heſychii *emendatus; Æs* Demoneſium orichalcum *dictum.* Moſſynœcum *æs.* Orichalcum *album. Andrii* orichalcum *arte factum. In* Apocalypſi χαλκολίβανος, *unde dicatur. Variæ conjecturæ.* 1. *Eſſe æs* laban, *id eſt, album* Hebraicè. 2. *Eſſe æs in igne candefactum.* Hebraicè libbon. 3. *Æs Lucianum.* 4. *Æs ex* Libano *effoſſum.* 5. *Thus maſculum æris ſpeciem habens.* 6. *Aliquid mixtum, ex metallis, vitro; & gemmis conſtans; ità* Suida. *Hoc non poſſe intelligi.* Apoc. 1. *quia talis mixtio nondum in uſu. Neque thus, quia in igne non lucet. Neque æs* Libani; *ubi nullum æs fuit: Locus*, Deut. 33. v. 15: *quam obſcurus. Regnum* Soba *non fuit in* Libano, *ſed ad* Euphratem. *Æs in* Cypro; *montibus* Chryſeis, Carmelo, Fenno. Sarepta *unde dicta.* Sidon

tur πολύχαλκ⊕. *Æris* Liviani *non magna gloria.* Καλκολίβαν⊕, Ezech. 1. v. 7. *&* Dan. 10. v. 6. *as* קלל, *id eſt, ſplendens, ut* Arabibus جليل *unde marmor,* Chaldæis גלל. Koph *&* Gimel *permutari.* קלקל *levigare.* Ezech. 21. v. 21. *Sagitta eur levigata. Ibi de* Βελομαντεία. *Concluditur as* קלל kalal Joanni χαλκολίβανον *eſſe as lucidum & album. Quale orichalcum &* Moſſynœcum. *Et* haſmal *eſſe as auro concolor, ex quo* Darii *batiaca. Voces quadam ſemi* - Perſicæ, *ſemi*-Ægyptiæ, *ſemi*-Hebrææ *& ſemi*-Arabicæ.

Bene eſt quod in electri mentionem incidimus, ne ſi per nugas *Arabum*, cum lectoris tædio & faſtidio, tam varium opus finiamus,

——— *turpiter atrum*
Deſinat in piſcem mulier formoſa ſuperne.

Oblatâ igitur hâc occaſione pro corollario libet hic aliquid addere de *Ezechielis electro*, quod *Hebraicè* dicitur חשמל *haſmal*, quia in ea voce hærent interpretes, & *Hebræorum* commentaria fruſtra conſulunt. Ut res repetatur altius, ſciendum eſt inter ſuccini ſpecies illud maximè placere quod eſt aurei coloris. *Heſychius* χρυσίζον vocat: *Calliſtratus*, apud *Plinium* χρυσοήλεκτρον: & *Philoſtratus* χρυσὸν *aurum*, cum dicit λείβειν τῷ χρυσῷ τὴν Ἡλιάδα αἴγειρον, *auro ſtillare populum* Heliadem, *Apollonii* ſui libri quinti capite primo. Inde nomen electri etiam auro inditum, non tamen puro, ſed cui argentum eſt admixtum: Hinc electrum *Strabo* lib. tertio, dicit μίγμα ἔχειν ἀργύρου καὶ χρυσοῦ, *mixturam habere argenti & auri.* Et *Pauſanias* in *Eliacis* prioribus ἀναμεμιγμένον εἶναι ἀργύρῳ χρυσόν, *aurum eſſe argento mixtum.* Et Juris-conſultus, *Si quis electrum ex alieno auro, argentoque miſcueris.* Et *Silius* libro primo,

Electri gemino pallent de ſemine venæ.

Gemino, id eſt, auri & argenti. *Dionyſius Areopagita* libro primo de *Cœl. Hier.* capite decimo quinto, τὸ μὲν ἤλεκτρον ὡς χρυσοειδὲς ἅμα καὶ ἀργυροειδὲς *Tertullianus* adverſus *Hermogenem*, *Electrum licet ex auro & argento fœderatum, nec argentum tamen nec aurum appellabo, ſed electrum*, Et adverſus *Praxeam*, *Ex carne & ſpiritu mixtura quadam, ut electrum ex auro & argento.* *Theodoretus* in *Ezechielem*, Τὸ ἤλεκτρον δοκεῖ μικτὸν τὸ εἶδ⊕ ἔχειν, καὶ οὔτε χρυσῷ οὔτε ἀργύρῳ παρόμοιος, ἀλλ' ὥσπερ ἑκατέρου κρᾶμα τυγχάνει, *Electrum quaſi mixtam ſpeciem habet, & nec auro ſimile eſt nec argento, ſed utriuſque permiſtio. Gregorius* in eundem *Ezech.* libri primi Homil. ſecundâ, *Electrum quippe ex auro & argento eſt. In electro dum aurum argentumque miſcetur, argentum ad claritatem creſcit, aurum verò à ſuo fulgore palleſcit.* Rectè *palleſcit*, ut ante *Silius*, *gemino pallent de ſemine.* Et *Statius Theb.* libro quarto,

Electro pallens, & jaſpide clarus Eoâ.

Et *Martialis*,

Pallida ſic niveo radiant electra metallo.

Et *Plutarchus* in libro de *Pythiæ* oraculis, Ἀνακεραννύντες ἀργύρῳ χρυσὸν, ἰδίαν τινὰ καὶ πικρὰν, ἐμοὶ δὲ φαινομένην νοσώδη χλωρότητα καὶ φθορὰν ἀκαλλῆ παρέχουσι, *Aurum argento miſcentes, proprium quendam & ſingularem pallorem exhibent, ſed qui mihi, qualis ægroti & deformis corruptio, videtur eſſ.* Et *Prudentius Pſychomachia* ſect. 6.

——— *quam ſumma rotarum*
Flexura electri pallentis continet orbe.

Non tamen argentum & aurum in electro miſcebantur æquis portionibus. Sed

Ἤλεκτρον δ' ἐκάλητο, μέρη πρὸς τέσσαρα χρυσοῦ,
Ἀργυρέοιο ὅταν πέμπτον ἐπῆλθε μέρ⊕,
Tunc habet electri nomen, cum partibus auri
Quatuor, argenti portio quinta venit.

Unde *Plinius*, *Ubicunque quinta argenti portio eſt, electrum vocatur.* Nempe ut ibidem additur, *ſi quintam portionem exceſſit incudibus non reſiſtit.* Itaque hoc demum electrum verum eſt, de quo *Martialis* libro octavo *Epigr.* 51.

Vera minus flavo radiant electra metallo.

Tamen electrum fieri ſcribunt *Servius* & *Iſidorus*, *de tribus partibus auri, & argenti unâ.* Et apud *Ennodium* in *Paræneſi* electrum vocantur καταχρηστικῶς multa metalla ſimul conflata, *Semper admirabilis*, inquit, *electri corpus, numeroſa metallorum membra pepererunt.* Electrum vel naturale eſt, vel factitium, Naturalis enim electri multa mentio apud veteres. Vide imprimis *Plinium*, *Servium* & *Iſidorum*. Uſum ejus fuiſſe antiquiſſimum docet ab *Helena* ſacratus ex electro calix in æde *Minervæ Lindia.* Et quod in *Heſiodo* ſcutum *Herculis*

Ἠλέκτρῳ θ' ὑπολαμπὲς ἔην, χρυσῷ τε φαεινῷ
Λαμπόμενον. ——

Et *Odyſſ.* σ', *Penelopes* monile aureum ἠλέκτροισιν ἐερμένον, *electris concluſum.* Et *Odyſſ.* δ', *Menelai* domus bracteis renidens,

Χρυσοῦ τ' ἠλέκτρου τε καὶ ἀργύρου ἠδ' ἐλέφαντ⊕.

Unde *Plinius*, *& electro auctoritas*, Homero *teſte, qui* Menelai *Regiam, auro, electro, argento, ebore fulgere tradit. Sophocles* etiam in *Antigone*, cum auro *Indico* commendat τὸ πρὸ Σάρδεων ἤλεκτρον, *electrum* Sardenſe. *Sardibus* nempe *Gygis* fuit & *Crœſi*, & arenas aureas olim volvebant *Pactolus*, & Ladon *fluens ſub* Sardibus *flumen tulit aureum later, quod conquadravit religio.* Ità *Feſtus* in verbo *later* ex *Varronis Hecatombe.* Proinde ut *Homerus*, *Heſiodus* & *Sophocles*, ità recentiores paſſim aurum & electrum ſimul jungunt, ut vicina metalla. Sic apud *Lucianum* ex ore *Herculis Gallici* prodeunt σειραὶ λεπταὶ χρυσοῦ καὶ ἠλέκτρου εἰργασμέναι, *catenæ tenues ex auro & electro fabrefactæ.* In *Lampridio Heliogabalus ſcobe auri porticum ſtravit & argenti, dolens quod non poſſet & electri. Gregorius Nazianz. Carm.* 2.

Χρυσοῦ τ' ἠλέκτρου τε φαάντερον, ἠδ' ἐλέφαντ⊕.

Et *Carm.* 3.

——— χρυσοῖο καὶ ἠλέκτροιο τάλαντα,

Et *Carm.* 63. in fine,

Χρυσῷ τ' ἠλέκτρῳ τε καὶ ἀργύρῳ, ἠδ' ἐλέφαντι.

Et *Jambico Carm.* 18.

Οὐ χρυσὸς, οὐκ ἤλεκτρ⊕, οὐδ' ἄργυρ⊕.

Sed & cryſtallum à veteribus ἤλεκτρον dicebatur. Hinc in *Dionyſii Periegeſi* verſu 317. verba hæc Ἠλιφαὴς ἤλεκτρ⊕ αὔξεται, *Priſcianus* quidem ità reddidit,

Naſcitur electrum præfulgens luce nitenti,

Sed *Feſtus Avienus*,

Hic dites venæ niveum gignunt cryſtallum.

ità *Ariſtophanis* Scholiaſtes in *Nubes* obſervat ὕαλον, quâ voce recentiores vitrum ſignificant, veteres pro cryſtallo uſurpaſſe: Adeoque Homerum & alios vetuſtiores, cum ὑάλου quoque vocem ignorarent, pro ea ἤλεκτρον dixiſſe. Ὅμηρ⊕, inquit, οὐκ οἶδε τὸ ὄνομα, ἀλλὰ παρ' αὐτῷ καὶ τοῖς ἀρχαίοις ἤλεκτρ⊕ μὲν ἔστιν. Itaque ſi illi credimus, ἤλεκτρ⊕ in *Homero* non eſt metallum, ſed lapis cryſtallinus. Qui nimirum ſuccini inſtar, eſt διαφανής. Unde factum ut utrique nomen eſſet commune. Quin apud *Gorræum* legere eſt ὕαλον, id eſt, vitrum aut cryſtallum, dici ſuccini quandam ſpeciem. Et in *Eudemo Rhetore*, *Heſychio*, & *Suida*, cum legitur, ἤλεκτρον eſſe ἀλλότυπον χρυσίον, *Salmaſius* legi vult ὑαλότυπον χρυσίον, aurum vitri formâ, & ſuccinum intelligit, quod auri formam habet ſimul & vitri. Proinde ut *Germani* veteres ſuccinum *gleſſum* vocabant, ità iiſdem hodie *glaſ* vitrum ſonat. Sed & *ſuccinum Fullerus* deducit ab *Hebræo.* זכוכית *zecucith*, quod vitrum aut cryſtallum exponunt veteres & novi interpretes.

Cum ex his quæ diximus, conficiatur ἤλεκτρον apud veteres tria ſignificaſſe, nempe 1. ſuccinum, 2. metallum ex auro & argento conflatum. 3. lapidem cryſtallinum; Meritò quæri poteſt quid per ἤλεκτρον intelli-

telligant *Græci* interpretes *Ezech*.1. *v*.4.27. & 8. *v*. 2. ſuccinumne, aut metallum, aut cryſtalli lapidem. Hic enim interpretes in diverſa abeunt. *Arabs*, cujus verſio ex *Græca* expreſſa eſt, habet الكهربا *alkarabe*, Ezech.1.v.4. id eſt, ſuccinum. Sed idem parum ſibi conſtans *Ezech*.1.*v*.27. & 8.*v*.2. habet المها *maha*, id eſt, cryſtallum. *Syrus* quoque ܡܗܐ *maha*, videtur reddidiſſe in tribus locis quæ diximus. Sed in primo ſcribæ imperiti, vocem quam non intelligebant planè omiſerunt, in reliquis corruperunt; & pro ܡܗܐ *maha* ſcripſerunt ܐܠܗܐ *eloha*, id eſt, pro cryſtallo Deum, quaſi Propheta dixerit, non *cryſtalli*, ſed Dei colorem aut ſpeciem in medio igne ſe vidiſſe; quod planè eſt alienum. Porrò مها *maha*, cryſtallum eſſe his verbis me docuit vetus ſcriptor *Arabs* de lapidibus, quem citat *Abenbitar*

مها هو صنف
من الزجاج غير انه يصاب
في معدنه مجتمع بالمغنيسيا
ويوجد في البحر الاخضر فقد يوجد
ايضا بصعيد مصر وهو حجر ابيض
جيد لا يخالطه لون غير البياض ومنه
صنف اقل صبغا وحسنا واشد
صلابة اذا انظر اليه الناظر ظن
انه من جنس الملح واذا قرع به
الحديد الصلب اخرج نار كثيرة
والصنف الاول هو البلور يستقبل به
عين الشمس فينظر الي عين الشعاع
الذي قد خرج من الحجر فما
سبقه الشمس بضوءها فيستقبل
بذلك الموضع خرقة سودا فتاخذ
فيها النار حتي تحرقها ومن اراد ان
يشعل من ذلك نار افعل

Maha *eſt vitri ſpecies, niſi quod in fodinis reperitur in* Magneſia *collectum. Sed & in mari viridi* (id eſt, *Perſico*) *invenitur, & in* Said (id eſt, *Thebaide*) Ægypti. *Porrò maha lapis eſt albus, in quo genere excellit is, cui alius color præter album non admiſcetur. Alia etiam eſt ſpecies levioris tincturæ, & bonitatis, & majoris duritiei, quam quisquis intuetur, putat eſſe ſalis genus. Ex ea in ferrum duriſſimum impactâ excitatur multus ignis. Prima autem ſpecies eſt* albelur, *quam ſi radiis Solis opponas, ita ut Sol radiis à lapide emiſſis objiciatur, ne Sol quidem eam luce ſuperabit. Quin, & pannus niger ibidem huic lapidi oppoſitus concipiet ignem, ità ut exardeſcat; quomodo ignem ferventiſſimum accendere nemini non eſt liberum.* *Albelur* hic cryſtalli ſpeciem nobiliſſimam; alibi beryllum ſonat. Quippe etiam *Plinius*, & *Solinus* beryllos deſcribunt cryſtallo ſimiles. Et agri *Piſani* cryſtallos pro beryllis *Itali* vendunt. Quin quia leucoſapphirum inter berylli ſpecies multi numerant, ספיר *ſappir*, id eſt, ſapphirus, *Exod*.24.*v*.10. ab *Arabe Erpeniano* redditur بلور *belur*, & à *Pariſino* مها *maha*. Rursùs, *Exod*.28.*v*.18. & 39.*v*.9. idem lapis illi eſt مها *maha*, huic مها البلور *mahalbelur*, quaſi dicas κρυςαλλοβήρυλλον. Sic in *Lexico Copto-Arabico* ⲟⲩⲃⲉⲣⲩⲗⲗⲟⲥ (id eſt, ὁ βήρυλλος) *Arabicè* redditur مها البلور *mahalbelur*. Ita enim legendum, non مها البكور *mahalbecur*, ut *Kircherius* edidit. Etiam *Eſa*.54. *v*.12. אקדח, *Arabicè* eſt المها *almaha*, ſed ex *Græca* verſione, ubi κρύςαλλος redditur. Et *Apoc*.21. *v*.20. edit. *Erpen*. المها *almaha*, pro cryſolitho, qui ſæpè eſt tam dilutæ flavedinis, ut à vitro vix diſtinguatur. Unde è vitro vel cryſtallo ψευδοχρυσόλιθοι, de quibus *Diodorus*. Et *Plinius*: *Sunt, & vitreæ ſimiles veluti croco refulgentes. Vitreæ verò, ut viſu diſcerni non poſſint.* Et ejuſdem capitis verſu 11. pro jaſpide etiam habetur *maha*. Quomodo *Exod*.39.*v*.11. שפה, *jaſpis*, à *Chaldæo*, & *Vulgato* בורלא *beryllus* explicatur. Sed & apud *Plinium* jaſpidis quinta ſpecies *ad viciniam cryſtalli deſcendit, albicante purpura dejectior*. Et quibus locis diximus, *Gabriel Sionita* المها *almaha*, paſſim adamantem reddit. Videtur itaque المها *almaha*, primò cryſtallum ſignificare, deinde etiam quosvis lapides κρυςαλλοειδεῖς, in quo genere adamas principem locum tenet. Porrò *maha* vox eſt *Æthiopica*. Saltem huic ſimillima ማሕው: *mahu*, vel *machu*, pro vitro reperitur in *Æthiopica* verſione, *Apoc*.15.*v*.2. & 21. *v*.19. Ut in *Thebaide* ſcilicet, ita etiam in vicina *Thebaidi Æthiopiâ* ὕαλος πολλὴ καὶ εὐεργὸς ὀρύσσεται. *vitrum, ſeu cryſtallum plurimum, & maximè tractabile effoditur.* Ita teſtatur Herodotus libro tertio atque hujus in mortuorum loculis plurimum fuiſſe uſum. *Cadaver enim*, inquit, *cùm Ægyptio more condiverunt*, οἱ δὲ περιιστᾶσι στήλην ἐξ ὑάλου πεποιημένην κοίλην. ἐν μέσῃ δὲ τῇ στήλῃ ἐνεὼν διαφαίνεται ὁ νέκυς, οὔτε ὀδμὴν οὐδεμίην ἄχαριν παρεχόμενος, οὔτε ἄλλο ἀεικὲς οὐδέν, *illud cavo cippo circumdant, qui è vitro* (aut *cryſtallo*) *conſtat, in cujus medio interlucet mortuus, nihil neque ingrati odoris, nec fœditatis ullius exhibens.* Et *Diodorus* libro tertio, περιχέαντες ὕαλον, ἐν ταῖς οἰκίαις φυλάττουσι, νομίζοντες δεῖν μήτε τῶν τελευτώντων ἀγνοεῖσθαι τὰς ὄψεις τοῖς συγγενέσι, μήτ' ἐπιλανθάνεσθαι τοὺς προσήκοντας τῷ γένει τῶν προσῳκειωμένων, *vitrum mortuis circumponentes, & in domibus eos aſſervantes, id nefas eſſe putant, ut aut illorum facies cognatos lateant, aut propinquorum obliviſcantur qui eos genere attingunt.* Sunt qui hic vitri nomine *Obſidianum* intelligant, lapidem *Æthiopicum* nigri coloris, & tranſlucidi, & ſpeculi inſtar, imagines reddentem. Itaque cum *Obſidianum* vocet *Plinius*, tanquam ab *Obſidio* primo inventore, ὀψιανὸν ἀπὸ τῆς ὄψεως, appellari vult *Salmaſius*. Et verò ab *Arriano*, & ab alio Scriptore ἀνωνύμῳ, quos ille citat, vocatur ὀψιανὸς λίθος, & ab *Ulpiano* (a) poſt *Servium*, *Obſianus*, & ab *Iſidoro* (b) *Obſius*. Sed ad mortuorum loculos lapidem illum potuiſſe ſufficere non crediderim, cum in uno *Æthiopiæ* loco, nempe in ſinu profundo ſtadiis DCCC. infra *Aduli* emporium, reperiri ſcribat *Arrianus*. Proinde in gemmarum cenſu refert *Plinius*. *Gemmas*, inquit, *multi ex eo faciunt.* Item: *uſus verò ad potandum argenti metalla, & auri pepulit.* Ut ſcias magni pretii fuiſſe lapidem, nec in uſu promiſcuo. In *Herodoto* igitur, & *Diodoro* ὕαλος, aliud fuit, nempe

(a) *Lib. cum aurum* 9. §. *gemmæ*.
(b) *Lib*.16. *cap*.4.

pe ማሐው: *mahu*, vitrum foſſile, ſeu cryſtallum, cujus nomen cum ipsâ re ad vicinos populos ex *Æthiopia* tranſiit. Radix tamen eſt *Hebræa* מחה *maha*, vel *macha*, id eſt, tergere, abſtergere. Inde cryſtallum meritò dictum, quia nihil eſt eo terſius. *Cheth Hebræum* retinent *Æthiopes*, ſed *Arabes* in *He* mutant.

Nec ſine causâ *Herodotus* foſſile hoc vitrum appellat ἐνεργὸν, *tractabile*; Cujuslibet enim formæ & cælaturæ eſt capax. Atque id veriſſimum, quod docti jam obſervârunt in *Martiali diatreta*, & in Juris-conſultorum libris *calices diatretos* eſſe calices cryſtallinos cælatos. Nempe à cælatura ſic dici *Salmaſius* in *Solinum* docet. Et è cryſtallo conſtitiſſe vel ex *Hebræis* diſcere eſt. *Bereſcith Rabba* ſect. 19. משל לעירוני שהיה עובר לפני חנותו של זגג והיה לפניו קופה מלאה כוסות דייטריטון *Simile eſt urbis cujusdam civi qui prope vitrarii officinam præteriit, cui ciſta erat plena calicibus & diatretis.* Et de vitriario rurſus ſect. 25. היה בידו קופה מלאה כוסות דייטריטין *Ciſta erat in manu ejus, plena calicibus & diatretis.* Et in *Scemoth Rabba* ſect. 27. *Parabola eſt de Rege, qui dixit ſervis ſuis, ſervate mihi duos calices* והיא דיאטריטא, *& hi erant diatreti.* Sequitur juvencum degentem in atrio palatii ſervum hos ferentem cornupetiiſſe, & unum fregiſſe. Et in *Midras Eſth.* 1, 7. אלו כוסות דיטריטא של כלי זכוכית שרואין צורת פנידם בהם יפין ויקרין ככלי זהב *Iſti calices diatreti cryſtallini, in quibus faciei ſuæ umbram vident, tam pulchri & precioſi ſunt, ac vaſa aurea.*

Redeo jam ad *Græcos Ezechielis* interpretes, quibus ἤλεκτρον nec videtur eſſe كهربا *karabe* ſuccinum, nec مها *maha*, cryſtallum, ut vult *Arabs*. Hæc enim illorum verba *Ezech.* 1. *v.* 4. πῦρ ἐξαστράπτον, καὶ ἐν τῷ μέσῳ αὐτοῦ ὡς ὅρασις ἠλέκτρου ἐν μέσῳ τοῦ πυρὸς, *ignis fulgurans, & in medio ejus ut electri ſpecies in medio ignis*, neque ad cryſtallum, neque ad ſuccinum pertinere poſſe nulli non patet, cum ea in igne non luceant. Succinum ſi igni admoveas, obſcuratur fulgor inſitus quamprimum concipit flammas, & tota materies in picem, reſinamve lenteſcit. Et cryſtallum aut in ignem non conjicitur, aut ſi conjiciatur, nihil aliud quàm fuliginem contrahit. Nugatur quidem *Orphei* Latinus interpres cryſtallum igne ſubjecto ineffabiles radios emittere. Sed vir *Græcæ* linguæ prorſus rudis, Poetæ verba non intellexit. Ea ſic habent,

Εἰ δ' ἄτερ κρατεροῖο θέλεις πυρὸς ἐς φλόγας ἔρσαι,
Κέκλομαι ὕαλον μὲν ὑπὲρ δαΐδων καταθεῖναι.
Αὐτὰρ ὅγ' ἠελίοιο κατάντιον αὐγάζοντος,
Αὐτίχ' ὑπὲρ δαΐδων ὀλίγην ἀκτῖνα τανύσσει.
Ἡ δ' ὅτε καρφαλέης τε θίγῃ καὶ πίονος ὕλης,
Καπνὸν, ἔπειτα δὲ πῦρ ὀλίγον, μετὰ δὲ φλόγα πολλὴν
Ὄρσει, τὴν δ' ἄρα φασὶ παλαιγενέες ἱερὸν πῦρ,

Quæ ad verbum ſic ſonant: *Si enim ſine forti igne* (id eſt, ſine ignis ulla vi) *velis cryſtallum in flammas accendere: Jubeo ut tædis ſiccis illud imponas. Id porrò Sole ex adverſo lucente ſtatim ſuper tædas radium parvum emittet, qui cum aridam & pinguem materiam attigerit, fumum primo, deinde parvum ignem, mox flammam multam accendet: Quam* Palægoniæ *dicunt eſſe ſacrum ignem.* Itaque hæc verba, quæ ridiculus interpres planè in alium ſenſum torquet, nihil aliud ſignificant quàm accendi facem admotam cryſtallo Soli oppoſito, cujus artis ita meminit *Ariſtophanes* in *Nubibus*.

ΣΤΡ. Ἤδη παρὰ τοῖσι φαρμακοπώλαις τὴν διαφανῆ
Ταύτην ἑόρακας τὴν καλὴν τὴν διαφανῆ,
Ἀφ' ἧς τὸ πῦρ ἅπτουσι; ΣΩ. τὴν ὕαλον λέγεις,

STR. *Vidiſtne apud pharmacopolas pulchrum lapidem illum translucidum, quo ignem accendunt?* SOCR. *cryſtallum dicis.* Ad quæ verba Scholiaſtes, quomodo *Suidas* in ὕαλος deſcripſit emendatiùs quàm noſtræ editiones. Καθεσκευασμένη ἐστὶν ὕαλος τροχοειδὴς, παχὺ, εἰς τοῦτο τεχνασθέν· ὅπερ ἐλαίῳ χρίσαντες καὶ ἡλίῳ θερμάναντες προσάγουσι θρυαλλίδα, καὶ οὕτως ἅπτουσι πῦρ, *Cryſtallinum inſtrumentum eſt rotundum, denſum, ad hoc factum: cui oleo inuncto & ad Solem calefacto ellychnium admovent, atque ita ignem accendunt.* Meminit etiam *Theophraſtus* circa finem libri, de igne. Et ſimilia habet ſcriptor *Arabs* quem citavimus de مها *maha*. *Plinius* quoque libri trigeſimi ſeptimi capite ſecundo, Medicos quosdam ait, *quæ ſunt urenda corporum, non aliter utilius id fieri putare quam cryſtallina pila adverſis poſita Solis radiis.* Et apud *Baronium* ad A. 751. §. 14. *Zacharias Papa* à *Bonifacio* conſultus, niſi fallor, an liceret eo igne in ſacris uti, ita reſpondet, *De igne verò qui ex cryſtallis ſumitur (ut aſſeruiſti) nullam habemus traditionem.* Sed editio noſtra epiſtolarum *Zachariæ* ſolùm habet, *De cryſtallis autem, ut aſſeruiſti*, &c. Sed hæc obiter.

Cum igitur neque ſuccinum neque cryſtallum in medio igne luceant, aliud omnino eſt electrum illud de quo *Græci* in *Ezechiele*, nempe metallum quod diximus ex auro & argento conflatum. Id enim metallorum eſt proprium, ut in ignem conjecta clariùs micent. Auri maximè, cujus in igne nil deperit, tutò in incendiis rogisque durante materia. Quin, quo ſæpiùs arſit, proficit ad bonitatem, & ferè ſimili colore quo ignis, rubet. Proinde *Theodoretus* & *Gregorius*, quorum loca jam citata ſunt, electrum diſertis verbis hic definiunt miſtionem ex argento & auro. Et ad hunc locum palam alludens *Dionyſius Areopagita* de *cœl. hier.* capite decimo quinto, cœleſtibus ſubſtantiis *Theologiam* electri ſpeciem tribuere dicit, ὡς χρυσοειδὲς ἅμα καὶ ἀργυροειδὲς, ἐμφαίνει τὴν ἄσηπτον ὡς ἐν χρυσῷ καὶ ἀδάπανον, καὶ ἀμείωτον, καὶ ἄχραντον διαύγειαν· καὶ τὴν φαεινὴν, ὡς ἐν ἀργύρῳ, καὶ φωτοειδῆ, καὶ οὐρανίαν αἴγλην, *ut quod auri ſimul & argenti ſpeciem præ ſe ferens, declarat & in auro incorruptibilem, inconſumptum, integrum & intaminatum ſplendorem, claramque ut in argento & lucidam & cæleſtem lucem.* Neque dubium eſt quin idem ſenſerint *Origenes* atque *Hieronymus*, licet hoc electrum non ſolùm argento ſed & auro precioſius eſſe velint. Nativum enim electrum ſignificant, de quo *Plinius*, *Quod eſt nativum, venena deprehendit. Namque decurrunt in calicibus arcus cæleſtibus ſimiles, cum igneo ſtridore, & gemmaratione prædicunt.* Et *Q. Samonicus*,

Produnt electri variantia pocula virus.

Itaque ratione virtutis, auro præferebant veteres: Et pocula ex eo conflabant quæ à veneno eos tuerentur. Sic apud *Trebellium*, *Quietus Tyrannus electridem paterem Pontifici propinavit.* Et jam actum eſt de *Helenæ* calice *Minervæ Lindiæ* conſecrato.

Unum ſupereſt disquirendum, an ἠλέκτρου voce *Hebræum* חשמל *haſmal*, *Græci* rectè expreſſerint. Cui quæſtioni reſponſio non eſt obvia. Neque enim *Hebræi* ſciunt quid hoc loco ſit חשמל *haſmal*. Plerique unum eſſe volunt ex Angelorum decem ordinibus, cujus nomen ſit contractum ex חיות אש ממללות, quaſi dicat *animalia ignea loquentia*. Vel compoſitum ex verbis חשה, & מלל, quorum illud tacere, hoc loqui ſignificat: Quia cùm aliquandiu tacuerunt, ut Deum loquentem audiant, mox in illius laudes ora reſolvunt. Tam abſurdè quàm qui in *Feſto Romulum* ideò dici volunt *Altellum*, quod à *Tatio Sabinorum* Rege poſtulatus in colloquio pacis, alternis vicibus audierit, locutusque fuerit. Hæc ferè *Talmudici* doctores. Sed *Maimonides* in *More Nebochim* libri tertii capite ſeptimo חשמל referre mavult ad חוש, & מול, id eſt, feſtinare & excidere. Credo, quia Angeli, Dei judicia ſummâ alacritate exequuntur. *Rabbini* denique recentiores, *Kimchius*, *Jarchius*, *Pomarius* colorem ignis hic intelligunt, quod ſequutus *Junius*, reddit *colorem vividiſſimum.*

mum. Quæ ad amuſſim perpendere, cum otii noſtri non ſit, ſolùm monebo lectorem *Rabbinorum* originationibus nihil eſſe inſulſiùs. Et tria verba literarum duodecim חיות אש ממללות ab iis contrahi perperam in unum τριγραμμάτιον חשמל. Atque id eſſe valdè ridiculum, quòd unum Angelorum ordinem ex eo nomen habere volunt, quòd taceat. & loquatur per vices. Cùm non ſolùm Angelis omnibus, ſive bonis, ſive malis, ſed Deo etiam, & hominibus res hæc æquè conveniat; Etiam longè petitum eſt, quòd idem verbum alii deducunt à celeritate in exſcindendo, id enim in malos potius quàm in bonos Angelos quadrat. Quid quòd חשמל, *haſmal*, in *Ezekiele* neque Angeli neque rei vivæ nomen eſſe palam arguit vox כעין antecedens, cùm in medio ignis fuiſſe dicitur כעין החשמל, *ut color haſmal.* Nam illud כעין, ſolùm uſurpatur de re inanima. Sic *Num.* 11, 7. ועינו כעין הבדלח, *& color ejus ut color bdellii*, (vel *margaritæ* veriùs) *Dan.* 10. v. 6. & *Ezech.* 1. v. 7. כעין נחשת קלל, *ut color æris lucidi.* Ezech. 1. v. 16. כעין תרשיש, *ut color cyanei*: Quod pleniùs, *Ezech.* 10. v. 9. כעין אבן תרשיש, *ut color lapidis cyanei.* Et *Ezech.* 1. v. 22. כעין הקרח, *ut color gelu.* At de re vivâ dicitur דמות *ſimilitudo.* Tale, *Ezech.* 1. v. 5. דמות ארבע חיות, *ſimilitudo quatuor animalium.* Et דמות אדם, *ſimilitudo hominis.* Et verſu 10. דמות פניהם, *ſimilitudo faciei ipſorum.* Et verſu 13. דמות החיות, *ſimilitudo animalium.* Et *Dan.* 10. v. 16. כדמות בני אדם, *ut ſimilitudo filiorum hominis.* Itaque ſi Angeli nomen eſſet חשמל, *haſmal*, Propheta non dixiſſet כעין החשמל, *ut color* haſmal, ſed דמות, *ſimilitudo*, vel כדמות, *ut ſimilitudo haſmal.* Sed neque coloris nomen eſt *haſmal.* Nam ſi color eſſet כְּעֵין, legeretur in ſtatu abſoluto, non כְּעַיִן, in conſtructo. Et כעין הַחַשְׁמַל, *Hebraicè* non magis poſſet dici, quàm *Latinè color flavi*, aut *color aurei*, pro *color flavus*, aut *color aureus.* Quibus incommodis cum non ſit obnoxia *Græca* verſio quæ *haſmal* electrum reddit, illa videtur eſſe verior.

Itaque hoc ſolùm in ea deſidero, quòd illius auctores ad vim vocis *Ebrææ* non videntur ſatis attendiſſe, quæ non tam electrum ſignificat, id eſt, metallum ex auro, & argento, quàm ex auro, & ære conflatum. *Ezekiel* enim hanc vocem à *Chaldæis* mutuatus eſt, inter quos erat captivus, cum Prophetias ſuas ſcriptis tradidit. *Chaldæis* autem nomen חשמל, *haſmal*, compoſitum eſt ex נחש, & מלל, quorum illud *æs*, hoc *aurum* ſonat, propriè aurum rude quale è fodina educitur. Quo ſenſu ex *Talmudico* tractatu *Ketuboth* citant *Baal Aruch*, *David* de *Pomis*, *Aquinas*, & *Ebræorum* alii. Ex נחש, & מלל, compoſitum plenum eſſet, נחשמלל, *nechaſmelal.* Sed finale *Lamed* excidit per *Apocopen* huic linguæ familiarem, quia eſt è geminatis. Et *Nun* initiale per *Aphæreſin*, quia non in verbis ſolùm, ſed & in nominibus ſæpè deficit. Sic זר *zer*, corona eſt pro נזר, *nezer*, & גר *gar*, fluxus pro נגר, *negar*, & בול *bul*, *October* pro נבול *nabul*, & צור *tſor*, vimen *Chaldæis* pro נצור *natſor*, & קולון *koluan*, pro נקולון *nicoluan*, *Nicolaus* dactyli ſpecies. Et *Arabicè* بختنصر *Bucadnetſar*, pro *Nebucadnetſar.* Ita planè חשמל, *haſmal*, dicitur pro נחשמל, *nehaſmal*, vel etiam נחשמלל, *nehaſmelal*, quod eſſet propriè τὸ χαλκόχρυσον, ſive metallum intelligatur ex ære, & auro conſtans, aut æs, aurum pretio, vel colore referens, cujuſmodi æs à *Diodoro* libro quinto vocatur χαλκὸς χρυσοειδής. Hujus æris multæ ſpecies.

Prima eſto æs *Perſicum*, vel *Indicum* potiùs, quod in *Mirabilibus Philoſophus* ita deſcribit: φασὶ δὲ καὶ ἐν Ἰνδοῖς τὸν χαλκὸν οὕτως εἶναι λαμπρὸν καὶ καθαρὸν καὶ ἀνιώτωτον, ὥστε μὴ διαγινώσκεσθαι τῇ χρόᾳ πρὸς τὸν χρυσόν. ἀλλ' ἐν τοῖς Δαρείου ποτηρίοις βατιακὰς εἶναί τινας καὶ πλείους, ἃς εἰ μὴ τῇ ὀσμῇ, ἄλλως οὐκ ἦν διαγνῶναι πότερόν εἰσι χαλκαῖ ἢ χρυσαῖ, *Ajunt æs eſſe in* Indis *tam lucidum, & purum, & rubiginis expers, ut colore ab auro non dignoſcatur. Sed & inter* Darii *pocula aliquot eſſe batiacas, de quibus aliter quàm ex olfactu dijudicari non poſſit, utrum ærea vel aurea ſint. Ezechielis* ævo illud æs in *Babylonia* ſi jam fuit, meritò vocari potuit *haſmal*, vel χαλκόχρυσος, cum auri fulgorem tam perfectè expreſſerit, ut ab eo non potuerit ſolo viſu dignoſci. *Perſica* pocula ex illo ære facta, *batiacas* nuncupat *Philoſophus.* Sic à *Diphilo* βατιάκη, & à *Philemone* βατιάκιον, inter pocula memorantur apud *Athenæum* libro undecimo. Et λαβρώνιον, poculi genus latiſſimum ἀπὸ τοῦ ἐν τῷ πίνειν λαβρίζειν, appellatum, *Didymus* ſimile eſſe ait βομβυλιῷ ἢ βατιακίῳ. Itaque βατιάκη, dicta videtur à cucurbitæ forma, & amplitudine, quæ *Chaldaicè* בטיח *batiach* dicitur, ut *Arabicè* بطيخ *batich.* Fallor, an de hoc eodem ære mentio eſt. *Eſdr.* 8. v. 27. ubi inter vaſa Deo conſecrata cenſentur כלי נחשת מצהב טובה שנים חמודות כזהב, *vaſa duo æris flavi, boni, pretioſa ut aurum.* LXX habent σκεύη χαλκοῦ στίλβοντος. *Vulgata*, & *Caſtalio*, *vaſa æris fulgentis.* Arabs انية نحاس تبرق *vaſa æris fulgurantis.* *Syrus* ܡܐܢܐ ܕܢܚܫܐ ܩܘܪܢܬܝܐ *vaſa æris* Corinthii. Junius, *inſtrumenta ex orichalco præſtante.* Sed *Pagninus*, *vaſa æris flavi*, & *Arias auri coloris.* Nempe מצהב, in *Kimchio* eſt גון קרוב לגוון הזהב, *color auri colori proximus*, ex auro facto nomine, *Zajin* & *Tſade* permutatis. Sic *Talmudicis* צהוב, dicitur color χρυσοειδής, in collo columbarum. Et inter ſigna lepræ, *Levit.* 13. v. 30. שֵׂעָר צהב, *Græcè* θρὶξ ξανθίζουσα, *Arabi Erpeniano* eſt capillus ذهبي *aureus.* Etiam in hoc numero meritò haberetur illud æs ex quo mare æneum, & vaſa ſacra conflavit *Solomon*, ſi verè ſcriberet *Joſephus Antiquitatum* libri ſeptimi capite ſexto, fuiſſe τοῦ χρυσοῦ κρείττονα, *auro præſtantius.* Sed hoc ille de ſuo finxit, cum Scriptura ſolum vocet נחשת ממרט, *æs terſum*, 1. Reg. 7. v. 45.

Secundò in *Cypriæ* æris generibus *coronarium tenuatur in laminas, taurorumque felle tinctum, ſpeciem auri in coronis hiſtrionum præbet.* Ita *Plinius* libri trigeſimi quarti capite octavo. Coronarium inde appellari addit. *Iſidorus* libri decimi ſexti capite decimo nono. *Græci* χολόβαφος vocant, & χολοβάφινον, id eſt, felle tinctum. *Pollux*: Χολόβαφος, χολοβαφίνη, οὕτω γὰρ ἐπὶ τῶν πλασμάτων οἱ Ἀττικοὶ τὸν χρυσοειδῆ ἐκάλουν, Cholobaphus, cholobaphina; *ita enim in ludis ſcenicis colorem auro ſimilem* Attici *appellabant.* Heſychius: Χολόβαφα, τὰ χρυσῷ ἐμφερῶς βεβαμμένα, cholobapha, *quæ in auri ſpeciem tincta ſunt.* *Nicander* de dracone in *Theriacis* 443.

——— πέριξ δὲ πώγων

Ἔπλεθ' ὑπ' ἀνθερεῶνα χολοβάφος.

Infra autem barba ſub mento eſt cholobapha, id eſt, χρυσίζων, *aurum referens*, ut ibi *Scholiaſtes.* Proinde *Philoſophus* ferè initio libri primi de elenchis *Sophiſticis* elenchum veri *Syllogiſmi* ſpeciem habere dicit, quomodo lithargyrina, & ſtannea videntur eſſe argentea; τὰ δὲ χολοβάφινα χρυσᾶ, colobaphina *autem aurea.* Potuit etiam iſtud æs vocari *haſmal*, vel χαλκόχρυσον, non quòd verè eſſet aureum, ſed quod haberet auri ſpeciem.

Tertiò cùm æri coronario in ſingulas uncias ſex addebantur auri ſcrupuli, id eſt, quatuor æris partibus auri quinta, fiebat pyropum æs, ita dictum quòd ignem fulgore ſuo referret. Quomodo *Eumolpus*

(a) *Apud Diodor. lib.* 1. *pag.* 7.

molpus in *Bacchicis* (a) *Bacchum* ſeu Solem appellat.

Ἀστροφαῆ Διόνυσον ἐν ἀκτίνεσσι πυρωπόν.

Strabo libro decimo quinto *Perſas* in auro dicit in honore habuiſſe τὸ πυρωπὸν, id eſt, *igneam ſpeciem*, quia ignem colebant. Et *Sardius* lapis ab *Epiphanio* deſcribitur πυρωπὸς τῷ εἴδει καὶ αἱματοειδὴς, vel ut habet alia editio πυῤῥωπὸς καὶ αἱματώδης. Pyropum id eſſe quod diximus (non carbunculum ut hodiè nullo auctore plerique volunt) his verbis docet *Plinius*, ubi de auro coronario, *Idemque in uncias additis auri ſcrupulis ſenis, prætenui pyropi bracteâ igneſcit*. Addit Iſidorus, *flammasque imitatur*, alludens ad hæc *Ovidii*, ut ſcias idem deſcribi,

Regia Solis erat ſublimibus alta columnis,
Clara micante auro, flammasque imitante pyropo.

Eodem pertinet quòd in *Solino*, *Luſitanis Cerauniis color eſt è pyropo*. His enim fulgorem eſſe igneum alii docent. *Martianus Capella* libro primo, *Cerauniorum vibrans fulgurantique lumen*. Et expreſſiùs *Claudianus* in *Laude Serenæ*.

——Pyrenæisque *ſub antris*
Ignea fulminea legere Ceraunia nympha.

Sed & in variis coloribus quibus columbarum pluma Soli oppoſita fulget, hic quoque à *Lucretio* memoratur lib. 2. verſu 802.

Namque aliàs fit, uti claro ſit rubra pyropo:

ut *Philo* in libro de temulentia, columbæ cervicem Solis radiis oppoſitam, colorem habere dicit φοινικοῦν καὶ κυανοῦν, πυρωπόν, *puniceum cæruleum & pyropum*. Et *Romanos Propertius* ævo ſuo parmis pyropum induxiſſe docet, cum priſci temporis frugalitatem ita laudat libri quarti Elegiâ decimâ,

Picta nec inducto fulgebat parma pyropo.

Quo ſenſu idem Elegiâ primâ ejusdem libri,

Nec rudis infeſtis miles radiabat in armis.

unde pyropum colligas metallum eſſe non carbunculum. Nam auri vel æris bractea, parmæ induci rectè dicitur, ut parieti tectorium: Carbunculus non item. Parmæ enim induci dicuntur quæ illam obtegunt, quod de carbunculo quis putet? Pyropo igitur nomen *haſmal* potuit convenire, cum ex ære & auro fuerit conflatum, & igneo fulgore coruſcaverit, qualis *haſmal* deſcribitur à ſacro vate.

Quarto *Corinthii* æris materia fuit ex ære, argento & auro ſimul conflatis, idque diverſa ratione prout æramentario viſum. Proinde *Corinthii* æris tria genera cenſent *Plinius* & *Iſidorus*, candidum argento nitore quàm proximè accedens, in quo illa mixtura prævaluit, alterum in quo auri fulva natura: Tertium in quo æqualis omnium temperies fuit. In his quidni *haſmal* dicatur vel χαλκόχρυσος *Corinthii* ſecunda ſpecies, in qua prævalet auri cum ære mixtura? Scio *Corinthium* æs rem credi valde novitiam, nec à plerisque ſcriptoribus ejus originem arceſſi longiùs quàm ab excidio *Corinthi* urbis quæ à *L. Mummio Achaico* diruta eſt anno V. C. DCVIII. *Plinius* libri trigeſimi quarti capite ſecundo, *Ex illa verò antiquâ gloriâ* Corinthium *maximè laudatur. Hoc caſus miſcuit*, Corintho *cum caperetur incenſâ*. *Florus* libri ſecundi capite decimo ſexto, *Quicquid* Corinthii *æris toto orbe laudatur*, (Corinthi) *incendio ſuperfuiſſe comperimus. Nam æris notam pretioſiorem ipſa opulentiſſima urbis fecit injuria, quia incendio permiſtis plurimis ſtatuis atque ſimulachris, æris, auri, argentique venæ in commune confluxere*. *Oroſius* libri quinti capite tertio, *Cum propter multitudinem & varietatem ſtatuarum ſimulachrorumque in illo civitatis incendio permixta in unum auri argentique, atque æris, omniaque ſimul metalla fluxiſſent, novum genus metalli factum eſt*. *Iſidorus* etiam libri decimi ſexti capite decimo nono, ridiculè in *Hannibalem* pridem fato functum transferens *Corinthi* à *Romanis* captæ gloriam; *Cum hanc civitatem* (Corinthum) Hannibal *cæpiſſet, omnes ſtatuas æneas & aureas & argenteas in unum rogum congeſſit & eas incendit. Ita ex hac commiſtione fabri ſuſtulerunt & fecerunt paropſides*. Sed mirum eſt hanc fabellam tot habuiſſe aſſertores, cum invicto argumento eam refellat ille ipſe qui primus evulgavit, *Plinium* dico, qui uno ante *Corinthum* captam ſæculo deſiiſſe obſervat nobiles illos fictores quorum omnia ſigna *Corinthia* appellantur. Quin horum unum *Phidiam* annis plus quam trecentis hanc cladem præceſſiſſe. Quid quòd hujus narrationis neque vola neque veſtigium eſt in *Strabone*, qui de *Corintho* tam multa habet, nec in *Ariſtidis Iſthmica*, nec in *Pauſaniæ Corinthiacis*, nec in *Dionis Chryſoſtomi* Orat. 37. quæ tota eſt in *Corinthi* laudem, nec in *Græcorum* ullo alio, quod quidem ſciam? Solùm in *Plutarchi* libro de *Pythiæ* oraculis (b), alii *Corinthi* domum unam arſiſſe dicunt, in qua cum auri argentique nonnihil eſſet, æris autem magna vis, commiſta illa & in eandem confuſa maſſam, ex eo metallo, cujus major inerat pars, *Corinthii* æris nomen acceperint. Alii ærarium quendam fabrum *Corinthi* fuiſſe, qui cum incidiſſet in thecam auri plenam, eamque ſibi abſtuliſſet, ne id reſciretur metuens, diſſectum in minutas particulas aurum paulatim æri admiſcuerit, admirabilemque illam temperaturam effecerit, qua magnas ſibi opes poſtea comparaverit. Sed neutri rem accidiſſe dicunt, tum cum exciſa eſt *Corinthus*. Quod in *Græcia* qui affirmâſſet, riſum debuiſſet *Græcis* omnibus, quorum latebat neminem, uſum æris *Corinthii* multò fuiſſe antiquiorem. Tamen utramque narrationem rejicit *Plutarchus* ut fabuloſam, æs aſſerens arte non caſu ita miſceri. Nec deſunt qui aurichalcum, cujus mentio eſt apud *Heſiodum* & alios Poetas vetuſtiſſimos, ut mox dicturi ſumus, *Corinthii* æris ſpeciem fuiſſe putent. In quo numero fortaſſe fuere *Bibliorum* interpretes *Syrus* & *Arabs*, quorum ille ܢܚܫܐ ܩܘܪܢܬܝܐ *ex ære Corinthio*, hic من نحاس رومي *ex ære Græco* fuiſſe refert omnia vaſa, quæ fecit *Hiram* Regi *Solomoni* pro domo Dei 3. *Reg.* 7. *v.* 45. Id ſaltem inde colligas, ex eorum ſententia *Corinthium* æs fuiſſe in uſu non *Ezechielis* modo, ſed & *Solomonis* ævo, quo tempore templum condidit, id eſt, annis plus nongentis ante *Corinthi* excidium.

(b) *Vide Muret. Var. lib.* 3. *cap* 5.

Quinto, ſi ſcriptorum numero ſtamus, *Latina* vox *aurichalci* planè exprimet *Hebræam* חשמל. Ex auro enim & ære, quod *Græcè* eſt χαλκὸς, multi conflatam eſſe putant, quomodo vocem חשמל ex נחש, & מלל, id eſt, ex ære & auro componi docuimus. Feſtus, *Aurichalcum quidam putant compoſitum ex ære & auro, ſive quod colorem habeat aureum*. *Servius* in *Æneid.* libro duodecimo, *Inter quæ* (metalla) *aurichalcum pretioſius viſum eſt, quod & ſplendorem auri, & duritiem æris poſſideat*. *Iſidorus* Orig. libri decimi ſexti capite decimo nono, *Aurichalcum dictum quod & ſplendorem auri, & duritiam æris poſſideat*. Item, *Fit ex ære & igne multo ac medicaminibus perducitur ad aureum colorem*. *Ambroſius* in *Apocal.* capite primo, *Æs namque in fornace quibusdam medicaminibus tamdiu conflatur, usque dum colorem auri accipiat, & dicitur aurichalcum*. *Primaſius* in *Apocal.* *Aurichalcum ex ære fit, cum igne multo & medicamine adhibito perducitur ad aureum colorem*. Ita etiam *Rupertus* & illum ſequuti plures. Sed & è *Græcis Heſychius*, ὀρείχαλκος, χαλκὸς χρυσῷ ὅμοιος, *Aurichalcum, æs auro ſimile*. Tamen ut dicam quod res eſt, ab aureo colore aurichalcum dici nugæ ſunt. Hujus quippe metalli verum nomen eſt orichalcum, ut *Græcis* ὀρείχαλκος. Aurichalcum quidem ſcripſere *Romanorum* vetuſtiſſimi, ut huic etymo faverent. Ita enim ſcripſiſſe *Plautum* in *Milite* & *Pſeudolo*, metri ratio; & *Feſtum* in Lexico, litera-

rum

rum ſeries apertè docent. Digeſta etiam & Scripturæ Vulgatus interpres, & veterum doctorum non pauci, *Ambroſius, Hieronymus, Primaſius, Iſidorus*, alii, aurichalcum conſtanter ſcribunt. Sed in *Horatio* (c), *Virgilio* (d) & *Statio* (e) legas orichalcum, non aurichalcum. Orichalcum, id eſt, montanum æs. Quod illi nomen veteres ideò videntur indidiſſe, quia vetus erat fabula, è ſylvoſis montibus incendio correptis præſtantisſima metalla defluxiſſe. Ità *Galliæ* montes, olim *Rhiphæi*, dein *Olbii*, nunc *Alpes* dicti, ut ait apud *Athenæum* (f) non optimus *Geographus Poſidonius*, αὐτομάτως ὕλης ἐμπρησθείσης ἀργύρῳ διεῤῥύη, *ſylva per ſe incenſa argento profluxerunt*, & *Strabo* libro tertio. Idem de *Hiſpaniæ* metallis agens, negat ſe illi fabulæ fidem derogare quâ fertur ὅτι τῶν δρυμῶν ποτε ἐμπρησθέντων ἡ γῆ τακεῖσα ἅτε ἀργυρῖτις καὶ χρυσῖτις, εἰς τὴν ἐπιφάνειαν ἐξέζεσε, διὰ δὲ τοῦτο πᾶν ὄρος καὶ πάντα βουνὸν ὕλην εἶναι νομίσματος, *ſylvis olim incenſis terram liquatam, tam quæ argento quam quæ auro fœcunda eſt, & in ſuperficiem ebulliiſſe, & propterea montem omnem atque omnem collem materiam eſſe nummorum*. Et *Ariſtoteles* in *Mirabilib.* Ἐν τῇ Ἰβηρίᾳ λέγουσι τῶν δρυμῶν ἐμπρησθέντων ὑπό τινων ποιμένων, καὶ τῆς γῆς διαθερμανθείσης ὑπὸ τῆς ὕλης, φανερῶς ἀργύρῳ ῥυῆναι τὴν χώραν, *Saltibus in* Hiſpania *incenſis à paſtoribus, & terrâ à ſylva calefactâ regionem ajunt argento palam fluxiſſe*. *Diodorus* quoque libro quinto in *Pyrenæo* ſaltu ſcribit id contigiſſe, καὶ τὰ μὲν ὄρη διὰ τὸ συμβεβηκὸς κληθῆναι Πυρηναῖα, *& montes propter hunc caſum dictos eſſe* Pyrenæos. Ne porrò argenti ſolum & auri metalla eo caſu liquata credas, audi quid *Lucretius* libro quinto verſu 1250.

Quicquid id eſt, quâcunque è cauſa flammeus ardor
Horribili ſonitu ſylvas exederat altas
Ab radicibus, & terram percoxerat igni,
Manabat rivus ferventibus in loca terræ
Concava, conveniens argenti rivus & auri,
Æris item & plumbi.

Unde *Seneca* Epiſt. 90. *Ferri* (malim *auri*) *metalla & æris invenerunt, cum incendio ſylvarum adusta tellus, in ſummo venas jacentes liquefacta fudiſſet*. Et *Iſidorus* libri decimi ſexti capite decimo ſeptimo, *Dum quâcunque causâ ardentes ſylvæ excoquerent terram, ex calefactu venis fudit rivos cujuscunque ſtructuræ, ſive æs illud fuerat, ſive aurum*, &c. Et *Servius* in Æneid. libro duodecimo, *Lucretius dicit cum primum homines ſylvas incendiſſent, nullarum adhuc rerum periti, terra caſu fertilis omnium, ex incendii calore deſudavit metalla, inter quæ orichalcum*, &c.

Hæc fortaſſe plus ſatis de orichalci nomine. Sed rem definire cuivis non eſt obvium. Ut error errorem trahit, qui ab aureo colore dictum putârunt, hoc nomine deſignârunt vulgare illud æs, quod cum naturâ ſit rubrum, admixtâ Cadmiâ flaveſcit. *Feſtus, Cadmia terra quæ in æs conjicitur, ut fiat aurichalcum*. Inde eſt quod *Ambroſius, Primaſius, Iſidorus* & *Rupertus* in locis jam citatis aurichalcum ex ære fieri ajunt, quod concoctione & medicaminibus perducitur ad aureum colorem. Et *Lucretium* citans *Servius*, tanquam de aurichalco dicta accipit, quæ ille de vulgari ære dixerat. Proinde aurichalcum auro opponi ſæpe videas, tanquam multo vilius. *Cicero* libro tertio Offic. *Si quis aurum vendens, orichalcum ſe putet vendere, indicetne ei vir bonus aurum illud eſſe, an emat denario quod ſit mille denariûm?* Suetonius in *Vitellio* capite ſexto, *In urbano officio dona atque ornamenta templorum ſurripuiſſe & commutâſſe quædam ferebatur, proque auro & argento ſtannum & aurichalcum ſuppoſuiſſe*. Digeſta tit. de contrahenda emptione *L. Labeo* 45. *Si vas aurichalcum pro auro vendidiſſet ignorans, tenetur ut aurum quod vendidit, præſtet*. Vulgata verſio *Eccleſ.* 47. v. 20. de Rege *Salomone*: *Collegiſti ut aurichalcum, aurum*, &c. *Apollinaris* Pſ. 31.

Γαμφηλὰς ζεύγνυε ὀρειχάλκοισι χαλινοῖς,

Maxillas conſtringe frænis ex orichalco, id eſt, æreis. Quin hodieque ſermone vernaculo æs vulgare *archal* dicitur, id eſt, aurichalcum. At apud veteres orichalcum aliud fuiſſe ære longè pretioſius, nec multum infra auri pretium res ipſa clamat. Nam in *Critia Platonis Atlantidem* inſulam, inter cætera metalla, produxiſſe legimus τὸ νῦν ὀνομαζόμενον μόνον, τότε δὲ πλέον ὀνομαστὸν ἦν, τὸ γένος ἐκ γῆς ὀρυττόμενον, ὀρείχαλκον κατὰ τόπους πολλοὺς τῆς νήσου, πλὴν χρυσοῦ τιμιώτατον, ἐν τοῖς τότε ὄν, *nunc ſolo nomine notum orichalcum, tum autem metalli genus celeberrimum, & omnium excepto auro pretioſiſſimum, quod ibi è terra multis locis effodiebatur*. Inde apud veteres Poetas inter præcipua ornamenta, cum auro ſæpe nominatur aurichalcum. Sic *Homeri* hymno quinto *Horæ* Veneri ponunt

——— ἐν τρητοῖσι λοβοῖσιν
Ἄνθεμ' ὀρειχάλκου χρυσοῖό τε τιμήεντος,

in auriculis perforatis donum (id eſt, inaures) *ex orichalco & auro pretioſo*. In *Heſiodi* ſcuto, *Hercules* cum aureo thorace induit κνημῖδας ὀρειχάλκοιο φαεινοῦ, *lucentes orichalci ocreas*. In *Virgilio Turnus*.

——— *auro ſquallentem, alboque orichalco*
Circumdat loricam humeris. ———

In *Plauto* non ſemel *aurichalco contrà*, id ferè eſt quod aliis *auro contrà*. Sic in curculione *Act.* 1. *Scena* 3.

Cedo mihi contrà aurichalco cui ego ſano ſerviam,

Et in *Milite Act.* 3. *Sc.* 1.

Cedo mihi tres homines aurichalco contra cum iſtis moribus.

Et in *Pſeudolo Act.* 2. *Sc.* 3.

Dii immortales, aurichalco contra non charum fuit
Meum mendacium, hic modo quod ſubito commentus fui.

Itaque *Heſiodi Scholiaſtes*, orichalcum dicit εἶναι ὕλην τινὰ μεταλλικὴν χαλκοῦ τιμιωτέραν, *materiam quandam eſſe metallicam ære pretioſiorem*. Et *Plinius* orichalcum *præcipuam bonitatem admirationemque diu tenuiſſe*. Et de *Chryſolithis* agens libri trigeſimi ſeptimi capite nono, ex *Salmaſii* emendatione, *Fundâ includuntur perſpicuæ; cæteris ſubjicitur aurichalcum, quondam etiam & per ſe gemmarum in uſu*. Quaſi velit aurichalcum olim & per ſe in uſu gemmarum fuiſſe apud veteres, vel eo, auri vice, uſos veteres ad gemmas includendas.

De cætero tam rarum inventu eſt nativum orichalcum, ut *Plato* illud deſcribat tanquam ὀνομαζόμενον μόνον, *ſolo nomine notum*: Et an verè extet, aut vero unquam extiterit, jam inde ab *Ariſtotele* controverſa res fuerit inter Scriptores. *Apollonii Scholiaſtes* in libro quarto verſu 973. Ἀριστοτέλης δὲ ἐν τελεταῖς φησὶ, μηδὲ ὑπάρχειν τὸ ὄνομα, μηδὲ τὸ τούτου εἶδος· τὸ γὰρ ὀρείχαλκον ὄντως ὑπολαμβάνουσι λέγεσθαι μὲν, μὴ εἶναι δέ· τὴν δὲ εἰκῆ διαδεδομένην καὶ τοῦτο οἱ γὰρ πολυπραγμονέστεροι φασὶν αὐτὸν ὑπάρχειν: Ariſtoteles, *in myſteriis hujus ait neque nomen neque ſpeciem uſpiam extare. Alii nominari quidem arbitrantur, ſed non extare. Sed hoc ex illorum eſt numero quæ temere traduntur. Illud enim extare aſſerunt curioſiores*. Ferè eadem habet *Heſychius*, ſed mutila & corrupta, quæ ſic corrige: Ὀρείχαλκον, τῶν εἰκῆ διαδεδομένων εἶναι τοὔνομα· οἱ δὲ πλείους ὑπάρχειν αὐτό φασι δὲ καὶ ὁλκῇ ὅμοια χαλκῷ. Et Plinius, *Nec reperitur longo jam tempore effœta tellure*. Et *Tzetzes* in *Heſiodum, Etymologus, Phavorinus*, alii, Ὀρείχαλκος, εἶδος ὕλης οὕτω καλουμένης· ἥτις νῦν οὐχ εὑρίσκεται, orichalcum, *materia ſic dicta genus, quæ nunc non invenitur*. Et *Pollux*: Τὸ δὲ τοῦ ὀρειχάλκου μέταλλον, οὐδέπω καὶ νῦν εἰς πίστιν ἀκριβῆ, Orichalci *vero metallum hodieque nondum firmâ fide creditur*.

Tamen æs *Demoneſium*, id eſt, è *Demoneſo* inſula propè

(c) De arte
(d) Æn. l. 12.
(e) Theb. l. 10.
(f) Lib. 6.

prope *Chalcedonem*, pro *orichalco* videbitur eſſe habitum, ex his *Ariſtotelis* in *Mirabilibus*. Ἔϛι δὲ αὐτόθι χαλκὸς κολυμβητὴς ἐν δυοῖν ὀργυαῖς τῆς θαλάσσης. ὅθεν ὁ ἐν Σικυῶνι ἐστὶν ἀνδριὰς ἐν τῷ ἀρχαίῳ ναῷ τοῦ Ἀπόλλωνος. καὶ ἐν Φενεῷ οἱ ὀρειχάλκοι καλούμενοι. ἐπιγέγραπται δὲ αὐτοῖς Ἡρακλῆς ὁ Ἀμφιτρύωνος Ἦλιν ἑλὼν ἀνέθηκεν, *Eſt autem ibi as quod urinando è fundo maris effoditur ad duas orgyas alti: Ex quo eſt* Sicyone *ſtatua in veteri templo* Apollinis, *& qua* orichalcæ *vocantur in urbe* Pheneo, *quibus inſcriptum eſt*, Hercules Amphitryonis *filius*, Elide *captâ, dedicavit*. In quibus nota hæc verba, οἱ ὀρειχάλκοι καλούμενοι, quaſi ex *orichalco* fuerint hæ ſtatuæ. Idem olim ſuſpicabar de ære *Moſſynæco*, quod *Philoſophus* vocat λαμπρότατον καὶ λευκότατον, quæ ſunt *orichalci* notæ characteriſticæ. Nec paradoxum videri debet quod album deſcribimus, cum aureum ei colorem tribuant plerique ſcriptores. Ità enim eximius *Poeta, auro ſqualentem, alboque* orichalco. Et fruſtrà eſt *Servius*, qui album dici tradit *auri comparatione. Nam*, inquit, *album non eſt*. Fruſtrà, inquam, eſt *Servius*, cum *Græci* etiam tam nativum, quam factitium *orichalcum* album deſcribant. *Heſiodi* vetus *Scholiaſtes*: Ὀρείχαλκος, τὸ λευκὸν χάλκωμα, Orichalcum *as album eſt*. Et in eundem *Tzetzes*, poſtquam *orichalcum* ex quorundam ſententia reperiri negavit, addit: Ἄλλοι δὲ λέγουσιν ὅτι χύμευσίς ἐστι χαλκοῦ τοῦ νῦν ἐνεισκομένου. ὁ γὰρ ἐσκευασίᾳ (lege ὑπὸ γὰρ σκευασίᾳ) τινὶ γίνεται χαλκὸς λευκός, φύσει πυῤῥὸς ὤν. *Alii dicunt* Chymicam *eſſe fuſionem aris quod nunc reperitur. Illud enim præparatione quâdam fit album as, cum naturâ ſit rubrum*. *Etymologus* etiam: Χύμευσίς ἐστι τοῦ νῦν ἐνεισκομένου λευκοῦ χαλκοῦ. ὑπὸ γὰρ σκευασίᾳ τινὶ γίνεται λευκὸς φύσει (adde ex *Tzetze* πυῤῥὸς ὤν.) Hujuſmodi præparatione fiebat *orichalcum* in *Phrygiæ* urbe *Andiru*, ut his verbis teſtatur *Stephanus* poſt *Strabonem* libro decimotertio. Ἄνδειρα πόλις, ἐν ᾗ λίθος ὃς καιόμενος σίδηρος γίγνεται, εἶτα μετὰ γῆς τινὸς καμινευθεὶς ἀποστάζει ψευδάργυρον, εἶτα κραθεὶς χαλκῷ, ὀρείχαλκος γίνεται. Andira *urbs in qua eſt lapis, qui exuſtus fit ferrum: Deinde cum terra quadam in camino excoctus pſeudargyrum exſudat, atque æri miſtus poſtmodum fit* orychalcum.

Fortaſſe *Hebræis orichalcum* inde dicebatur נחשת לבנה *nechoſeth lebana*, æs album: Atque ex eo facta fuerit *Græca* vox χαλκολίβανος, quam *Hieronymus* reddit *aurichalcum*, Apoc. 1. v. 15. Vel χαλκολίβανος, eſt æs in igne candens, quia לבן *libben*, *Hebræis* eſt aliquid in igne candefacere. *Miſna* ubi de operibus quæ die *Sabbathi* prohibita ſunt באור סכין ליבן, *gladium in igne candefacit*. Unde לבן *libbon* metallorum in igne candefactio. Firmatur hæc conjectura ex iis quæ ſequuntur in Sacro Textu: Καὶ οἱ πόδες αὐτοῦ ὅμοιοι χαλκολιβάνῳ, ὡς ἐν καμίνῳ πεπυρωμένοι, *Pedes ejus ſimiles* erant *chalcolibano, ut in fornace ardentes*. Illud enim ὡς ἐν καμίνῳ πεπυρωμένοι additum videri poſſit ἐξηγητικῶς. Maximè ſi pro πεπυρωμένοι legatur πεπυρωμένῳ, quomodo legit *Vulgatus*, qui hic habet, *pedes ejus ſimiles* aurichalco *ſicut in camino ardenti*, id eſt, *aurichalco*, vel *chalcolibano* ardenti ut in camino. *Syrus* quoque idem ſequutus

ܘܪ̈ܓܠܘܗܝ ܕܡܝܢ ܠܢܚܫܐ ܕܠܒܢܢ ܕܒܟܘܪܐ ܡܫܠܗܒ ܐܝܟ ܕܒܟܘܪܐ *pedes ejus ſimiles æri Libanitî, quod ardet tanquam in fornace*. Et *Arabs Erpenianus* رجلاه كالنحاس مسبوك كانه سبك في قامين *Pedes ejus ſicut æs fulgens, ac ſi in camino funderetur*. Et alter *Arabs* كانت رجلاه كالنحاس المضي السكب في اتون النار *Erant*

pedes ejus, ut as lucens, incenſum in fornace ignis. Et *Æthiops* ወእገሪሁ፡ ከመ፡ ብርት፡ ሊባ ኖስ፡ ዘአርሰንዎ፡ ወስተ፡ እሳት፡ *Pedes ejus ut as Libani quod fuderunt in igne*. Et capite ſecundo verſu 18. ከመ፡ ርስነ፡ ብርት፡ ሊባኖስ፡ *ut fuſio aris Libani* pro *Græco* ὅμοιοι χαλκολιβάνῳ. Itaque hoc ſi ſequimur χαλκολίβανος ὡς ἐν καμίνῳ πεπυρωμένος, erit *as candens, ut in fornace ardens*. Tertia conjectura eſt χαλκολίβανον, unâ literulâ eliſâ, dici pro χαλκολιβιανόν, quod eſſet *Livianum as*. Nempè ut *Livia, Straboni, Plutarcho, Dioni*, & aliis eſt Λιβία, ità *Livianum as* χαλκὸς Λιβιανός, & compoſitâ voce χαλκολιβιανός. De hujus præſtantia ſic *Plinius* libri trigeſimi quarti capite ſecundo. *Proximum* (aurichalco) *bonitate fuit* Salluſtianum *in* Centronum Alpino *tractu, non longi & ipſum avi. Succeſſitque ei* Livianum *in* Gallia. *Utrumque à metallorum dominis appellatum, illud ab amico divi* Auguſti, *hoc à conjuge, velocis defectus*. Livianum *quoque certè admodum exiguum invenitur. Summâ gloriâ nunc in* Marianum *converſa, quod &* Cordubenſe *dicitur. Hoc à* Liviano Cadmiam *maximè ſorbet, &* aurichalci *bonitatem imitatur*.

His tribus conjecturis quæ noſtræ ſunt, aliorum addo totidem. Prima eſt χαλκολίβανον τὸν χαλκὸν ἐν τῷ Λιβάνῳ ἐξ μεταλλευόμενον, *as ex* Libano *monte effoſſum*, quæ habet ſectatores è veteribus *Andream*, & *Aretham Cæſarienſes*, *Syrum* item interpretem, & *Æthiopicum*. Et noſtro ſæculo magni nominis viros non paucos, qui æs è *Libano* monte olim effoſſum fuiſſe probant his rationibus. 1. De tribu *Aſer*, qui *Libano* proxima fuit, dicit *Moſes*, Deut. 33. v. 25. *Ferrum & as calceamentum ejus*, quibus verbis innui volunt fore ut *Aſeritani*, ſolum calcent, æris & ferri fodinis fœcundiſſimum. 2. Legitur *David* multum æris accepiſſe ex *Adadezeri* urbibus *Betach*, & *Berothai*, 2. *Sam*. 8. *v*. 8. quæ aliter vocantur *Tibchath*, & *Chun*, 1. *Paral*. 18. *v*. 8. Hæ porro urbes ſitæ fuere, ut inquiunt, ad radices montis *Libani*, inter *Emath*, & *Damaſcum*. 3. Ab *Antilibano* parum diſtant *Sidon*, & *Sarepta*, quarum illa dicitur πολύχαλκος ab *Homero Odyſſ*. δ, verſu 424. hæc à fuſione metallorum nomen habet. *Hebræis* enim צרף, unde צרפת, *Sarepta*, eſt metalla fundere, & conflare. Secunda interpretatio, quam poſt *Andream* refert *Arethas*, & noſtro ſæculo multis aſſerere conatus eſt *Antonius Nebriſſenſis Quinquagenæ* tertiæ capite quarto, *chalcolibani* nomine vult intelligi τὸν χαλκοειδῆ λίβανον, ὃν ἰατρῶν παῖδες ἄῤῥενα καλοῦσιν, ἡδονῆς καὶ αὐτὸν πυρὶ ὁμιλοῦντα ἀτμοὺς ἀποπέμποντα, *thus aris ſpeciem habens, medicorum filiis maſculum dictum, quod & ipſum igni admotum ſuaves emittit odores*. Unde Scriptor anonymus de thure in *Solino Salmaſii* paginâ milleſimâ centeſimâ quinquageſimâ primâ. Καὶ ὁ μὲν ἄῤῥην ὀνομάζεται χαλκολίβανος, ἠλιοειδὴς (lege χαλκοειδὴς) καὶ πυῤῥὸς ἤγουν ξανθὸς, *Maſculum thus vocatur* chalcolibanum, *quod aris ſpeciem habet, & fulvum aut flavum eſt*. Addit *Nebriſſenſis Orphei* hymnis hos titulos præponi, Ἀπόλλωνος, vel Λητοῦς θυμίαμα χαλκολίβανος, id eſt, Apollinis *aut* Latonæ *ſuffimentum* chalcolibanum, ſeu thus maſculum, quod tamen in meis editionibus nuſquam reperi. Idem in *Vulgata* pro *aurichalco* ſcribi vult *orichalcum*, & montis maſculum thus intelligi, quod multo eſt abſurdiſſimum. Tertia interpretatio eſt *Suidæ*: Χαλκολίβανον, εἶδος ἠλέκτρου τιμιώτερον χρυσοῦ. ἔστι δὲ τὸ ἤλεκτρον ἀλλότυπον χρυσίον μεμιγμένον ὑέλῳ καὶ λιθείᾳ. Ὁποίας ἐστὶ συστάσεως καὶ ἡ ἁγία τράπεζα τῆς μεγάλης ἐκκλησίας, Chalcolibanum, *electri genus auro pretioſius*. *Eſt autem electrum ex alienis conflatum, vitro & gemmis mixtum, cujus compoſitionis eſt ſacra menſa magna Eccleſia*, id eſt, *S. Sophiæ Conſtantinopoli*, ut idem habet in voce ἤλεκτρον. Eandem menſam *Cedrenus* pluribus ità deſcri-

deſcribit : *Tunc fecit & Sacram menſam*, ἔργον ἀμίμητον, *opus inimitabile; Ex auro enim & argento, & lapide omnis generis, & ligno, & metallo, & aliis ſpeciebus quaſcunque fert terra & mare & univerſus orbis; Cum ex omnibus collegiſſet, quæ quidem optima ſunt & pretioſiſſima largiùs, quæ vero minoris pretii parciùs; fuſilibus fuſis arida in hac injecit : Atque ita eam in typum infuſam perfecit;* ὅθεν καὶ ποικίλη φαινομένη θαύματος παρέχει τοῖς ἐπ' αὐτὴν ἀτενίζουσιν, *unde tam varia apparuit, ut intuentes in ſtuporem conjiceret.* Hunc cinnum quorſum *Suidas* appellaverit χαλκολίβανον, mihi non conſtat, niſi quod voluit rei novæ novum nomen imponere. Sed pro ἀλλότυπον, aut ὑαλότυπον ut emendat *Salmaſius*, legendum fortè ὁλότυπον, id eſt, παντότυπον ex omnibus formatum & expreſſum.

His aliorum conjecturis ideò non acquieſco, quia nihil in iis firmum reperio. Nam ut à prima ordiar, de ære *Libanitico* nihil apud veteres, nihil apud recentiores legas. Neque ad rem faciunt Scripturæ loca quæ afferunt. Primus *Deut.* 33. *v.* 25. *Ferrum & æs calceus tuus*, obſcurior eſt, quàm ut ex eo certa concluſio poſſit elici. Vox enim מִנְעָל *minal*, quæ pro calceo eſt, hâc formâ nuſquam occurrit. Quin alibi נַעַל *naal*, eſt calceus. Et מַנְעוּל *manal*, ſera, peſſulus, cui proximè accedit *minal*. Itaque *Arabs Erpenianus* hic habet اقفالك *peſſuli tui*, & *Pariſ.* مغالقك *ſera tua*. Cujus locutionis ſenſum *Chaldæus* ita expreſſit תקיף כפרזלא ונחשא מותבך, *fortis ut æs & ferrum, habitatio tua*. Et *Kimchius* יהיה אותו מענין הראשון כלומר שתהיה ארצו חזקה כאילו סגורה בחומות נחשת וברזל Jonathan *ex priore ſignificatu hoc interpretatur, quaſi dicat fore ut terra ejus tam munita ſit, quàm ſi eſſet clauſa muris aheneis & ferreis.* Et *R. Selomo* שהיה גבוריהם יושבים בערי הספר ונועלין אותה שלא יוכלו האויב יכנס בה כאילו היא סגורה במנעולים ובריחים של ברזל ונחשת *Quia potentes eorum habitabant in urbibus littoreis, quas obſerabant, ne poſſet hoſtis ingredi, quaſi clauſæ fuiſſent ſeris & repagulis ferreis & æneis.* Sed & נעל *naal*, eſt compes, quomodo quidam accipiunt hæc *Davidis* Pſ. 60. v. 10. על אדום אשליך נעלי, quaſi dicat, *ſuper* Edom *conjiciam compedem meum.* Quod hic ſequutus *Samaritanus* habet ציניקך *compedes tui ex ære & ferro.* Ibi enim ציניק eſt compes, ut *Hebræum* צינק *Jerem.* 29. *v.* 26. Atque ita ferè *Maſius*. Is enim per æs & ferrum barbaros intelligit in *Galilæa Gentium*, qui *Aſeritas* preſſerunt, ut pedem premit calceus ferreus, id eſt, compes. Itaque in hoc loco nihil certi. Multò minus eſt virium in eo, quòd legitur *David* multum æris attuliſſe ex urbibus *Adadezeri* Regis *Soba*. Falſum enim eſt quod ſupponunt, ditionem Regis illius fuiſſe circa *Libanum*. Quamvis inter hujus ſententiæ aſſertores ſit *Arabs* interpres libri *Paralipomenon*. Illi enim urbes *Tibhath* & *Chun*, unde illud æs allatum legitur 1. *Par.* 18. *v.* 8. ſunt حمص *Emeſa*, & بعلبك *Baalbec*. Quarum hæc in *Libano* ſita eſt على سفح جبل *ad radicem montis*, ut habet *Geographus Nubienſis* clim. 3. part. 5. Et creditur eſſe veterum *Heliopolis*, ubi deſcribit *Theodoretus* Hiſtoriæ libri quarti capite decimo nono, ὄρη κύκλῳ πανταχόθεν εἰς αὐτὸν τὸν οὐρανὸν ἀνατείνοντα, *montes circumquaque in cœlum aſſurgentes.* At nos alibi (*d*) docuimus Regnum *Soba* fuiſſe circa *Palmyram*, & ad *Euphratem* attinuiſſe, adeoque urbem *Chun*, quæ alio nomine vocatur *Berothai* 2. *Sam.* 8. *v.* 8. eſſe *Ptolomæi* Σαράθημα, *Arabiæ Deſerta mediterraneum* oppidum à *Libano* valde remotum. Pone tamen Regnum *Soba* in ipſo *Libano* fuiſſe, quidni æs eò potuerit aliunde advehi, ex *Cypro* puta, quæ inſula eſt & *Libano* monti proxima, & ære fœcundiſſima. Nec procul eſt *Carmelus*, de quo *Heſychius*, Κίρμηλος, ἀφ' οὗ χαλκὸς γίνεται, *Cermelus* (id eſt, *Carmelus*) *unde æs gignitur.* Fuerunt etiam in vicinia *Chryſei* montes *Arabiæ Deſertæ* undecim millibus à monte *Choreb*, quos olim auri & æris metallis abundâſſe ſcribit *Hieronymus* in locis, ſed quæ ſuo tempore jam defecerant. Et *Idumææ* caſtrum *Phinon* vel *Phunon*, ubi æris metalla, damnatorum ſuppliciis idem refert effodi inter *Petram* & *Zoaram*. De quo loco plura diximus in capite de ſerpente *Saraph*. Hic ſolùm ex *Theodoreto* hæc afferam libri quarti capite decimo nono, Τοῖς Φαινησίοις καὶ Προκοννησίοις παρεδίδοντο μετάλλοις, *Ad* Phenneſia *&* Proconneſia *metalla damnabantur* : Quæ ſunt maximè ad rem. De iis enim agitur qui *Heliopoli* erant ad *Libani* radices, unde non fuiſſet opus eos ad *Proconneſia* & *Phenneſia*, (id eſt, τοῦ *Phenon*) metalla mitti, ſi quæ fuiſſent in ipſo *Libano*. Jam quod ſupereſt, *Sareptam* à conflando nomen habere, & *Sidonem* ab *Homero* appellari πολύχαλκον, non eſt ullius momenti. Neque enim neceſſe eſt ab æris conflatura dictam *Sareptam*, cum æquè potuerit à conflando vitro ſic appellari, quam artem in iis locis natam eſſe nemo neſcit. Et æs *Sareptæ* conflatum ſi quod fuit, tam potuit *Temeſæum* eſſe ex *Cypro* quàm *Libanenſe*. Quod ipſum quidni dicatur de *Sidoniorum* ære? Aut *Sidonem* πολύχαλκον appellari, non æris, ſed potentiæ vel opulentiæ ratione? Ita enim *Scholiaſtes* vetus, Σιδῶνος πολυχάλκου ἰσχυρᾶς, οὐ γὰρ αὐτῇ χαλκὸς γίνεται. ἢ πλουσίας, ὡς πορφύρας ἐν αὐτῇ γινομένης, *Sidonis* πολυχάλκου, *id eſt, validæ, neque enim ibi gignitur æs, aut divitis, ut in qua fiat purpura.* Neque aliter *Euſtathius*. Sic opum ratione *Trojam* alicubi (*e*) Poëta vocat πολύχρυσον, πολύχαλκον. At reſpectum habet ad firmitatem, cùm cœlum appellat πολύχαλκον *Odyſſ.* γ'. Ut *Job* qui cœlos dicit eſſe חזקים כראי מוצק, *firmos ut ſpeculum* fuſum, capite trigeſimo ſeptimo verſu 18.

(*d*) *Phaleg lib.* 2. *cap.* 6.

(*e*) *Iliad.* σ'. *v.* 289.

Secundò, hoc quoque certum eſt *Joannis* χαλκολίβανον non eſſe thus. Nam utut concederetur thus maſculum à colore fulvo dici χαλκολίβανον (quod ut credam non poſſum à me facilè impetrare, quia album eſſe aſſerunt *Græci, Hebræi, Arabes* quotquot legi hactenus, atque ipſum nomen *Hebræum* id evincit) tamen *Joannis* χαλκολίβανον aliud eſſe oportet, aliquid nempè quod in mediis ignibus perduret & ſplendeat. Neque enim odoris ſed ſplendoris ratione cum *chalcolibano* in fornace ardenti conferuntur pedes viri illius, de quo *Joannes*.

Tertiò, illud etiam ſtatuendum eſt, hic de eo *Chalcolibano* non agi, cujus deſcriptio eſt in *Suida*. Neque enim *Joannes*, viri qui ei apparuit pedes, cum eo comparavit, quod tum temporis nuſquam erat: neque verò fuit uſpiam ante *Juſtiniani* ævum, qui ut omnium quæ à Chriſto largè acceperat, bonorum gratum ſe exhiberet, menſam hanc quam illi obtulit, ita coagmentavit ut nihil eſſet in rerum natura pretii aliquantivis quod in ea non eluceſceret. Proindè circa menſam legebatur hæc inſcriptio, Τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν σοὶ προσφέρομεν οἱ δοῦλοί σου Χριστὲ, Ἰουστινιανὸς καὶ Θεοδώρα, ἃ εὐμενῶς προσδέξαι υἱὲ καὶ λόγε τοῦ Θεοῦ, *Tua ex tuis tibi offe*[re]*cimus ſervi tui, Chriſte,* Juſtinianus *&* Theodora, *quæ* [b]*enevolè accipe. Fili & Verbum Dei.* Cætera in *Cedreno* vide.

Quartò, ut vineta egomet cædam mea, quo minùs χαλκολίβανον pro χαλκολιβανῶ dici putem, obſtat quod [L]*iviani* æris non magna fuit gloria, quia teſte *Plinio* [a]dmodum exiguum inveniebatur. Itaque è *Gallia* in qua naſcebatur, in Orientem famam ejus penetrâſſe parum veriſſimile eſt.

Super-

Supereſt igitur, ut χαλκολίβανος, vel ſit נחשת לבנה, *æs laban*, ſeu album, vel נחשת ליבן, *æs libon*, ſeu *ignes candoris*, quale eſt cùm in igne candet. Id ipſum vocari, *Dan.* 10. *v.* 6. נחשת קלל, *æs kalal*, patebit conferenti loca. Utrobique enim vir deſcribitur aureâ zonâ cinctus, & oculis igneis; & voce magni fragoris, & pedibus multi ſplendoris, qui hic quidem dicuntur eſſe *ſimiles* chalcolibano, & ibi כעין נחשת קלל, *ut color æris kalal.* Sed & *Ezech.* 1. *v.* 7. pedes quatuor animalium quæ adſtabant throno gloriæ, leguntur fuiſſe נוצצים כעין נחשת קלל, *ſcintillantes ut color æris* kalal. Itaque quicquid ſit *æs kalal*, id ipſum eſſe *chalcolibanum* valde veriſimile eſt. Sed non ſatis ſcitur quid ſit *æs kalal.* Plerique *Hebræorum*, ut *Jarchius*, *Kimchius*, *Aben Ezra*, *Jachiades*, &c. æs purum, & terſum reddunt. Et *Saadias* נחשת יתהב ויבהק בנפור עליו עין השמש *æs rutilans, & coruſcans, cùm illud feriunt radii Solis.* Sic à *Syro* ܡܒܗܩ *fulgurans*, ut à Senioribus ἐξαστράπτων, & à *Theodotione* στίλβων, fulgens redditur. Quorum illud in *Ezechiele*, hoc in *Daniele* ſequitur *Arabs* interpres. At apud *Saadiam* alii volunt קלל, *kalal*, idem eſſe quod קלוי ומתוך באש, *kalui*, id eſt, *toſtum*, vel *exuſtum*, & *fuſum in igne.* Quomodo *Menahemum* explicare tradit *R. Selomo.* Quo fortaſſe referendum quod *Chaldæus* reddit נחש מצלהב *æs flammans*; & *Vulgatus*, *æs candens.* Id ſi ſequamur, χαλκολίβανος erit נחשת ליבן, *æs libon*, ſive in igne candens. Sed ut æs in igne fuſum קלל *kalal*, dicatur pro קלוי *kalui*, tanquam à קלה, id eſt, urere, *Grammatica* rei ratio vix permittit. Præterea קלה, propriè torrere, & frigere eſt. Sic *Levit.* 2. *v.* 14. אביב קלוי באש, eſt χίδρον πυρὶ πεφρυγμένον, *ſpica igne fricta* vel *toſta.* Et *Arabicè* مقلى eſt ſartago. Quod ad metallorum fuſionem non videtur poſſe transferri, niſi valdè impropriè. Proinde קלל *kalal*, hoc loco non videtur eò pertinere. Sed fortaſſe id ipſum eſt quod *Arabicum* جليل *gelil*, quod de homine, illuſtrem, & magnificum, de luce vel colore, ſplendidum ſonat. Sic *Apoc.* 21. *v.* 11. editione *Erpenianâ* ونورها نور جليل مثل نور المها الرقيع *Et lux ejus, lux erat ſplendida ut lux cryſtalli coruſcantis.* Quò referendum quod *Chaldaicè* גלל *gelal*, eſt marmor. Ut *Esdr.* 5. *v.* 8. *Ipſa* (domus Dei) *ædificatur* אבן גלל, *lapide marmoreo.* Ita reddunt poſt *Talmudicos Jarchius*, *Kimchius*, *Aruch*, *Elias*, *Pomarius*, *Pagninus*, alii. Lxx λίθοις ἐκλεκτοῖς, *Esdras Apocryphus* libri tertii capitis ſexti verſu 9. διὰ λίθων ξυστῶν πολυτελῶν, *lapidibus politis magni pretii.* At *Vulgata* planè contra *lapide impolito.* Quorſum neſcio, niſi ſit error ſcribæ. Et 1. *Reg.* 14. *v.* 10. ubi prædicitur fore, *ut amoveatur domus* Jeroboami כאשר יבער הגלל, *ut amoveatur galal*; vox *galal*, quam alii ſtercus exponunt, à *Talmudicis* exponitur *dens* שהוא דומה לאבן גלל, *quia eſt ſimilis lapidi gelal*, id eſt, marmori. Ita in *Lexico Kimchius.* Itaque ut אבן גלל, *lapis gelal*, vel *galal* eſt lapis politus, & lucidus ſeu marmor, ſic נחשת גלל, *æs galal*, eſt æs politum, & lucidum.

Sed pro גלל *galal*, quomodo ſcriberent *Chaldæi*, & *Arabes*, *Hebræi* ſcribunt קלל *kalal*, quia *G* & *K* ſunt literæ maximè permutabiles. Proinde *fovea Chaldæis* eſt קומצא, & גומצא, *clava* קולפא, & גולפא, *gilo* vaſis genus קולתא & גולתא *venator* κυνηγὸς קניגי & גניגי, *clamare* קעא, & געא, *ſtannum* κασσίτερος, קסטירא, & גסטרון, Mons *Armeniæ Gordiæus*, in quo requievit arca קרדו, *kardu Chaldæis*, & جرذي *Giordi Arabibus.* Nomen קלל *kalal*, id eſſe quod diximus, apertè docet verbum geminatum קלקל *kilkel*, inde deductum. Nam קלקל eſt levigare, & expolire. De ferro dicitur, *Eccleſ.* 10. *v.* 10. *Si hebetatum fuerit ferrum, & is faciem* (id eſt, aciem ejus) *non expoliat*, *Hebraicè* והוא לא פנים קלקל Et *Ezech.* 21. *v.* 21. *Stetit Rex* Babylonis *in capite viæ, in bivio ad divinandum divinationem*, קלקל בחצים, *expolivit tela.* Fuit hæc ſpecies βελομαντείας juxta *Kimchium* שמהרין ומלטשין פני ברזל החץ עד שיהיה בהיר מאד ורואין בו בעלי הקסם כמו שרואין בבוהן היד בצפורן להרות הצפורן וכן רואין בסיף וכן במראה *Quia acuebant, & expoliebant aciem ferri telorum, ita ut valdè ſplenderet, & conjectores in ea viderent*, (quod futurum erat) *quomodo vident in ungue pollicis manûs, quia ſplendet, ita etiam in gladio vident, & in ſpeculo.* Itaque hæc divinatio pertinebat ad κατοπτρομαντικήν. Ex his omnibus concludimus נחשת קלל, *æs kalal* in *Ezechiele*, & *Daniele* eſſe æs politum, & lucidum. Et *Johannem*, χαλκολίβανον, id eſt, *æs album* reddidiſſe voce *Semi-Hebræa*, vel quia albedo eſt color lucis, vel quia hoc genus æris reverâ fuit album. Quale à *Poëta* deſcribitur *orichalcum*, & à *Philoſopho Moſſynæcum* æs, quod ex *Tubal*, & *Meſech Tyrum* deferebatur, ut alibi multis probamus ex *Ezech.* 27. *v.* 13. Ut non mirum ſit album illud æs notum fuiſſe *Judæis*, ejusque adeò meminiſſe *Evangeliſtam.* At voce חשמל *haſmal*, quâ propriè χαλκόχρυσον ſignificari docuimus, nobile illud æs intelligimus auro concolor, ex quo *Perſarum* Rex *Darius* aliquot batiacas, & vaſa duo habuit *Esdras*, æqualis cum auro pretii. Neque novum videri debet quod χαλκολιβάνου vocabulum *Semi-Hebræum* eſſe diximus, cum multa ſint hujusmodi. Sic *Semi-Perſica* ſunt ψιλοκιδάρῳ, cidari nudo, *Levit.* 10. *v.* 6. & 21. *v.* 10. Γαζοφυλάκιον ſacrum ærarium in *Evangelio* paſſim, & ei præfectus in *Nonno* γαζοφύλαξ; Et in *Xenophonte* τιαροειδὴς, tiaræ ſpeciem habens. Et in *Suida*, & *Euſtathio* ἀγγαροφορεῖν, onera ferre per ſucceſſionem. *Semi-Ægyptia* in *Cicerone*, *Juvenali*, *Joſepho*, & aliis. Ἀλαβάρχης *Alexandriæ*; In *Polluce* veſtium ſpecies, ἡμιτύβιον, & ἡμιφαάριον; In *Athenæo* ἡμίνηρος, pro piſce coracino; In *Joſepho* ἡβαροφὶς, *Feſtum* quo ferebantur rami palmarum; In *Græca* verſione πυργοβάρεις, turrita palatia, *Pſal.* 121. *v.* 7. *Semi-Hebræa* in *Juſtiniano*, novella centeſima quadrageſima ſexta, ἀρχιφερεκῖται, qui publicis lectionibus in *Judæorum* Synagogis præſunt, quia in פרקים *perakim*, vel ἀρχαῖκα: φερεκίμ, id eſt, capitula diſtinguunt quæ legenda ſunt; Et in recentioribus κακομάζαλος infauſtus, ſub malo ſydere natus, quia *Hebræis* מזל *mazal* eſt ſydus. *Semi-Arabica* in *Symeone Sethi* καφουράλαιον, oleum camphoræ, & ἰουζουλάπιον, *zulapium*, vel *giuleb* ex violis, non ex roſis ut perperam interpretatur non nemo.

F I N I S.

INDEX

INDEX
LOCORVM SCRIPTVRÆ.

Quæ citantur & explicantur in ſecunda parte hujus Operis.

GEN. 1.3. col.77.l.46. & 256. l.66
1.10.c.657.l.25
1.28.c.724 l.63
2.7.8.:9. c.486. l.29
2.18. c.669. l.2. & 674. l. 43. & 714 l.49
3.1.c.20.l.1. & 256.l.14. & 440 l.12
3.2.c.660.l.20
3.14.c.438.l.23
3.15.c.418.l.54. & 440.l.32
3.18.c.406.l.9
4 3 c.505.l.41
4.20. c.660. l.23
5.29 c. 34. l.5
6.2 c.403.l.22
6.9.c.34.l.10
6.11.c.234.l.38
6 12.c.34.l.12. & 559.l.22
7.2.3.19.c.229. l.40
7.12. c.209. l.55
7.17.c.784.l.58
7.19.c.28.l.30
8.1. c.29. l.33
8 3.c.211.l.2
8.5.c.30.l.55.& 209.l.52
8.5.6. c.211. l.20
8.5.6.7. c.212. l.39
8.7.c.209.l.37
8.8.c.28.l.67.& 212.l.42
8.9.c.189.l.06
8.11.c.28.l.09
8.13.c.211. l.21
8.20.21.c.34. l.42
8.21.c.34. l.45
9.2.c.774.l.03
10.3.c.130.l.67.& 191. l.30
30 4.c. 191.l.29
10.11.c.458.l.64
11.3.c.614.l.62
11.28. c.404. l.64
12.5.c.660.l.25
12.10 c 482 l.46
13 10.c.474.l.47
14.1.c.7. l.74
14.3.c.727.l.44
14.20.c.666.l.71
15.9.c.4.l.49. & c.6.l.62
15.10. c. 251. l.7
15.14.16.c.37. l.64
19.29.c.669. l.42
21.7.c.669. l.44
21.15.c.607. l.60
22.1.c.210.l.62
24.14.c.44. l.10
24.55.c.505.l.42
25.13.c.101 l.21
26.3.c.481.l.47
27.21.c.531.l.78
28.11.c 669. l.45
30.5.c.156.l.24
30.37.c. 469. l.64
31.7.c.106.l.28
32.14.c.235.l.17
35.8.c.413.l.31
36.24 c.537.l.1
36.26.c.191.l.35
36.39.c.191.l.31
36.41.c.427.l.47
37.25.c.532.l.943.& 808. l.34
38.28.40. c.624. l.6
39.6.c.560. l.30
41.6 c.102 l.72
41.6.c.27.c.484.l.34
41.8.24 c.384. l.14.
Gen.41.18. c.787.l.55
41.30. c 482. l.50
41.31.c.256.l.56
41.56 c.595.l.5
43.11 c 515. l.20. & 521.l.57.73. & 532. l.9. 48. & 533. l.43. & 725. l.18
43.16.19.c.444.l.46
43.25.c.215.l.66
43.32.c.560.l.27
45.21.c.235.l.19
26.7.c.669.l.47
46.13.c.639.l.63
46.23.c.137.l.37
46.26. c.758.l.40
46.34.c.560.l.20
47.18. c 247. l.60
47.19 c.463.l.10
48.22.c.556.l.72
49.5.c.234. l.47
49.9.c.248.l.15. & 777.l.2
49.14.c.248.l.17
49.17.c.400. l.65. & 416.l.43. & 417.l.18.& 419.l.58.& 420.l.49
49.26.c.690.l.12
50.1.c 243.l.72
50.9 c.558.l.67
Exod.1.5.c.758.l.40
1.9.c.659.l.6.10
1.15.c.364.l.4
2.10.c.804.l.6
3.8.17.c.520.l.9
3.19.c.667.l.37
4 3. c.428.l.72
4.6.c.689.l.68
4 12.c.659.l.42
4.16.c.659.l.56
5.2 c.663.l.51
5.3. c.792. l.13
5.21.c.067.l.25
6.29. c.659.l.42
7.7.c.462.l.50
7 9 c.428.l.71
7.13.c.582.l.1
7.15.c.557.l.5. & 664.l.64
7.19.20.c.577.l.6
8.1 2.c.655.l.33
8 3.c.105.l.1. & 657.l.71. & 668.l.55. & 669.l.37
8 3.4 c.656.l.60
8 4.c.658.l.55
8.5.6 c.577.l.7.& 659.l.48
8.6.c.254.l.72. & 663.l.9
8.7. c.663.l.1
8.8. c.663.l.35
8.9. c.663.l.57
8.10.c 664.l.48.& 665.l.5
8.12.c.665.l.17
8.13.c.665.l.15
8.14.c.106.l.15. & 666.l.68
8.16.c.254.l.72. & 497.l.12 & 660 l.29
8.16.17.c.574.l.7. & 576.l.63.& 582 l.65
8.17.c.574 l.29. & 575.l.25.& 577 l.53
8.18.c.391.l.11
8.18.19.c.579.l.36
8.20.c.557.l.6
8.21.c.496.l.74. & 552. l.28. & 557.l.24
8.22.c.552.l.30. & 557.l.52. & 558 l.10.& 582.l.67
8.24 c.552.l.32. & 553.l.63. & 559.l.7. & 668.l.21
8.25.c.559.l.40
8.26.c.559.l.44
8.29.c.552.l.34
8.31.c 552.l.35 & 555.l.54. & 562 l.4.8
9.1 c.558.l.69
9.7.26.c.582 l.67
9.11 c.582.l.6.60
9.25.c.462.l.10
9.16. c.557.l.55
10.5.c.443.l.14
10.5.12.15.c 462 l.65
10.6.c.462 l.69.& 670.l.8
10.6.24. c.461.l.65
30.12.13.c.577.l.14
10.13.c.103.l.25.& 484.l.27
10.14.c.458.l.50.& 465 l.2.& 558. l.70
10.15.c.479.l.17
10.17.c.463 l.5
10.19.c.101.l.22.25.& 481.l.54. & 491.l.38
10.23.c.557.l.58.& 582.l.67
11.5.c.660.l.5
12.13.23.27.c.655.l.47
12.20 c.627 l.54
12.23. c.582.l.67
22 37.c.171.l.73
14.28. c.102.l.74. & 103. l.35. & 409. l.22
15.9.c.418.l.61
15.11.c.18 l.39
15.12. c.669. l.4
15.25.c.665.l.50
15.27.c.820.l.18 55.61
16 2 c.109.l.15
16.12.13 c.109.l.24 (l.57
16.13.c.91.l.72.& c.93.l.20.& c.94. l.31.& c.97.l.13. 38.& c.100.l.40
16.14.c.678.l.41.45
16.16.c.105.l.74
16.19.20.c.627.l.53
16.20.c 619. l.63.72
16.24.c.619.l.62
26.31.c.488.l.33. & 519.l.6. & 523.
16.36.c.106.l.1
17.1.c 97.l.48
17.7.c.558.l.60
19.4.c.171.l.70. & 182.l.38
20.5 c.800.l.30
21.6.c.403.l.19
21.15.17. c.176.l.19
21.22.c.655.l.58
22.8.9.28.c 403.l.20
22.18 c.384 l.15
23.1.c.232.l.63.& 234.l.50
23.27.28 c.536.l.13.25
23 28.c.496.l.64 & 534.l.31
23.29 c.226.l.43. & 229 l.20
24.10.c.731.l.34. & 874.l.8
25.3.4.c.733 l.62
25.4.c.624 l.1. & 721.l.1. & 731.l.49.& 734.l.2
26.31 c.729.l.69
28.7. c.698. l.47
28.9.c.699.l.1
28.17.c.12.l.6. & 58.l.18
28.18 c.874.l.11
29 40. c.403. l.17
30.13. c.687.l.21
30.28.c.574.l.55
30.34.c.803.l.37 & 804.l.60
31.18 c.582 l.34
33.3.c 158.l.50
Exod.33.10.c.608.l.7
34.9 c.558.l.52
34.22.c.718.l.38
35.35. c.607.l.73
38.21.c.248.l.2
39.9.c.174.l.11
39.11.c.874 l.7.
Levit.1.14.c.4.l. 1 & c 25.l.54
1.15.16 17.c.26.l.2 .30.56
1.16.c.165.l.47
2.11 c 518.l.12
2.11 12.c. 28 l.34
2.13. 40.l.31
4.6 c.51 l.60
5.7 c.25.l.35.59
5.7.11.c.4 l.51
5.8. c.26. l.20.30. 53
9.2.c. l.36
10.16 c 388.l.48
11.13 c.161.l 3. & 185.l. 7 & 187. l.54. & 230.l.5. & 812.l.5.44. & 853.l 62
11.13.16 c.225 l.52
11.14 91. 12.&c. & 192.l.68.
11.15.c.198.l.18
11.16.c.220.l.72. & 35 l.11. & 261.l.26 &c. & 266 l.19.&c.
11.17.c.83 4. & 27 l 8 &c. & 278.l 1.&c & 1. 28 &c.
41.18.c.28 l 19 & 292.l 55.&c. & 297.l 47.&c.
11.19.c.321.l 52.&c. & 328.l 53 &c. & 335 l.39.&c. & 341 l.46. & 19. l.58
11.20.c.497.l.51. & 525.l.4
11.20.21.22. c.451.l.53. & 452.l.28
11.21.c.465.l.63
11.21.22.c 491.l.32
11.22.22.c 491.l.32
11.22.c.60.l.19 & 348 l.16. & 447. l.74 & 448.l.16.& 449.l.1.16
11.29.c.824. l.31
31.29 30.c.354 l.56
11.30 c.285.l.20 & 604.l.74
11.6.c.4.l.51. & 25.l.39.59
13.19.c.688.l.64
13.24. c.689. l.4
13 42.c.689.l.5
14.4 c.111.l.23.&c. & 146.l.42. & 150.l.63. & 624 l.4
14.22.c.4 l.51.& 25.l.45
14.49.&c.c 150.l.63
15.13.14.c.25.l.47
35.28.29 c 25.l.48
16.14 c 151.l.61
17.7 c.828.l.58 & 829.l.26
19.31 c.384.l.28
20.9.c.176. 19
21.10 c.888 l.49
21.20.c 679.l.33. & 721.l.2.3. & 758.l.37
22.25 c.668.l.37
22.30.c 627.l.56
23.14.c.46.l.62
23 40.c.765.l.24
24.11.16.c.290.l.27
25.10.c.781 l.42
25.14 29.c.4.l.52
25.29.c.505 l.44
26.1.c.115.l.7
29.16.c.203 l.40
26.26.c 106.l.32.
Num.1.4 c.191. l.37
4.7.c.728.l.25
5.21.c 758 l.40
6.10.c.4.l.52.& 25.l.50
7.42.c.891.l.37
10.1.c.97.l.50 & 101.l.52
10.18.c.97.l.23.

Num. 10. 11.12 33.c.104.l.58
10.11.13.c.112.l.18
10.33.c.97.l.28
11.1.c 109.l.4
11.3.c.109.l.11
11.4.c.689.l.46
11 4.5.6.c.108.l.33
11.6.c.97.l.16
11.7.c.674.l 45.63. & 678.l.36. & 679.l.36.& 877.l.18
11.18.c.104.l.59
11.21.c.97.l.35 44
11.31.&c. c.91. l.73. & 93. l. 28. & 100.l.6 & 104. l.22
11.34. c.109. l.13
12.1.10.c.544.l.40
12.10.c.629.l.68
13.15.c.191.l.38
13.24.c.213.l.32. & 403.l.32
13.34.c.467 l 31
14.14.c.183.l.26
14.22.c.106.l.29
14 37.c.655.l.49
14 42.c.518.l.44
15.5.c 403.l.17
15.32.c 368.l.62
15.38.c.727.l.11.& 733.l.16
16.13.c.121.l.74
16 30.c.247.l.61
16 49.c.655 l.50
18.12.c 470.l.13
20.29.c 424 l.46
21 5.c.134.l.10.& 629 l.47
21.5.6.c.424.l.18. & 425 l.40
21.6.c.425.l.16
21.7.c.c.425.l.48
21.9.c.429.l.49
21.10.c.424.l.52. & 427.l.45
21.17.18.c.424.l.59
22.4.c.446.l 9
23.3.c.419.l.16
23.11.c.663.l.19
23 25.c.261.l.16
23 38.c.424.l.41
24 3 c.118.l 78
24 6.c 156 l.30
24.9.c.777.l 2
24.10 c.663 l 20
24 20.c.759 l.58
24.21 c 413 l.40
25.9.c.635 l.52
26.23.c.630 l.67
26 42.c.137 l.37.& 669.l.49
31 27.c.459.l.24
32.1 c.248.l.4
33.9.c.820.l.55
33.16.c.97.l.21
33.35 36.c.118.l.68
33 42.43.c.427.l.47 49
34 3.c.727.l.44
34 4.c.417.l.73.& 641 l.41
34.5.c.764 l.29 31
34.15.c.103.l.25.

Deut. 1.31.c.183.l.30
1.41.c.558.l 46
1.44 c.496.l.58.& 507.l 41.&c.
2.8.c.118.l.68
2.9.10.11.c.537.l.4
4.9.c.465.l.24
4 17.c.145.l.60
4 19.c.497.l.43
6.6.20.c.465.l.25
6 7.c.607.l.61
7.20.c.496.l.66 & 534.l.33.& 536. l.17 47.& 539.l.20
7.21.c.558 l.34
7.25.c 561.l 7
8.4.c.715.l.62
8.7.c.729 l.42
8.8.c.518 l.19. & 520.l.9
8.15 c.398.l 18.& 429. l 57.& 634 l.36 & 640.l.73.& 641.l.36
9 21.c.608 l.7
10.7.c.424.l 60.& 668. l.67
11.14.c.403 l.30
11.17.c.28.l.54
14.2.&c.c 161.l 3
14.5.c.809.l.26
14.11.c.145.l.64. & 131.l.9
14.12.c.812.l.5.44 & 813.l.63.

Deut. 14.12.15.c 225.l.32
14.13.c 191.l.20.& 195.l.58.&c. & 233.l.10.& 353.l.13.& 813.l.16
14.13.17.c.197.l.4
14.16 c 274 l.16.& 812.l.58
14 17.c.297.l 49.&c.
14 25.c.470.l.13
16.6.7.c 471.l.22
16.10.11.c.471.l.26
16.21.c.247.l.65
18.3.4.c 470.l.13
18.10.c.384.l.10
18.11.c.374.l.28.& 510.l.14
18.42.c.721.l.62
19 16.c 232.l.63.& 234 l.50
21.18.c 176.l.19 & 551.l.1
22.6.c.113.l.39.& 145.l.68
22.6.7.c 158.l 50
23.14.c.558.l.36
28.22.c. 134.l.14.& 263.l. 41. & 484 l.31
28.23.c.248.l.18
28 27.c 41.l.2
28.30.c.41.l.19
28.32.c 445.l.20.& 486.l.43
28.39.c.619.l.63. & 622.l.59
28.42.c.446.l.23. & 426.l.45
28.49.c.170 l.50. & 185.l.16
29.5.c 725.l.62
31.17.c 758.l 47
32.3.c 407.l.17
32.5 c.689.l.40
32.7.c 464.l.68
32.11.c 176.l.66.& 183.l.1
32 13.c.519.l.29. & 522.l.9.& 525. l. 10
32.16 c.561.l.9
32 22.c.103.l.7
32.24.c.790.l.15
32.33.c.181 l.7. & 383.l.19. & 437 l.52.& 438.l.52
33.19.c.720.l 12. & 722.l.4.52. & 720 l.64
33.22 c 248.l 16
33.25.c.884.l.31. & 885.l.21
34.1.5.c.461.l.52.

Jos. 5.10 c.558 l.38
3.15.c.341.l.2
3.17.c.799.l.18
4 6.c.465.l.25
5.6 c.462.l.54
7.1.c.669.l.50
7.2.c.756.l.27
7.21.c.138.l.57
10.24.c.593.l.21
11.18.21.c.624.l.7
15 22.c.761.l.44
15.3.c.641.l. 42
15 4 47.c.764.l.29
16.8.c.216.l.67
17.9.c.216.l.67
24.11.12.c.536.l.38
24.12.c.496.l.67. & 534.l.36. & 536.l.5.12
24.30.c.137.l.34

Jud. 1.36.c.641.l. 42
2.9.c.137.l.35
3.11 c.459.l.68
4.4.c.413.l.32
5.21.c 431.l.63
6.2.c 404.l.59
6.5.c.443 l.1.& 467.l.15
7.2.c.663.l.63.& 664.l.12
7.12.c 443.l.2.& 467.l.16
7.25.c.203.l.7.9
8 21.c.792.l.14
9 6.c 756.l 28
9.13.c.403.l 16
9.53.c.579.l.13
10.1.c 630 l.63
10.1.2.c 630.l.71
11 4.c.503.l.49
11.6 11.c.593.l.21
11.40.c.437.l.45. & 505.l.51
12.17.c.669 l.51
14.8.c.414.l.41.& 490.l.59. & 503 l.70. & 511.l.7. & 519.l.20
14.8.9.c.216.l.19
14 9.c.520.l.54.60. & 522.l.56. & 525.l.27

Jud. 14.14.c.522.l 4.58. & 523. l. 32. 50
14 18.c 523.l.18
15.14.c.792.l.14
15.16.c.106.l.17
18.3.c.736.l.30
18.25.c.792.l.14
18.27.c.420.l 23
19.11.c.756.l.32
20.33.c.766.l.47.

Ruth 1.1.c.482.l.56
2.4 c.46.l.63
2.14.c.183.l.19
2.14.c.215.l.66
2.17.c.247.l.66.
1.Sam.1.3.c.505.l.53
1.7.c.505.l.55
1 8 c.106.l.33
1.20.c.505.l.55
2.6.c.665.l.11
2 19.c.505.l.58
4.3.c.558.l.54
6.5.c.537.l.8.& 559.l.9
8.16.c 607.l.68
8.21.c.502.l.54
9.16.c.261.l.18
9.21.c.669.l 52
13.18 c.360.l.9 & 395.l.26
14 25 26.c 519.l.21
14 25.vel 26.c.520.l.62.64
14.26.c.414.l.20 & 520.l.36
14.27 c.515.l.25.& 519.l.38.& 525. l.17.& 526.l 70
14.29.c.522.l.5
16.2.c.561.l.55
16.4.c.13.l 71
17.17.c.46.l.63
18.25.27.c.130.l.38
24.4.c.611 l.31
24.15.c.385.l.9. & 586.l.2
25.18.c.46.l.63
25.37.c.784.l.33
25.38.c.653.l.53
26.20.c 81.l.5.&c.& 83.l.42.& 153 l 18.& 586.l.5
27.7.c.505.l.60
28.3.c.384.l.28.
2.Sam.1.21 c.248.l.19
2.23.c.170.l.67
2.20.c.114 l.58
3.14 c.130.l.39
3.29.c.143.l.52
6.5.c.668.l.23
6.7.c.756.l.32
8.3.c.191.l.32
8.8.c.884 l.37.& 885 l.74
11.1.c.458.l.66
12.30.c.699.l.9
14 14.c.646.l.45
17.25.c.406.l.67
17.28 c.46.l.59. & 47.l.73
17 29.c.315.l.22
20.8 c.759.l.33
20.8.c.756.l.33
20 12.c.174.l.62
21.1.c.482.l.60
22.1.c 191 l 38
23 25.c.191.l.34.
1.Reg.3 9.c.558 l 71
3 26.c.302.l 55
4 13.c.690 l.51
4 23.c.111.l.74.& 127.l.52
4.33.c 151 l.30
5 4 c.792.l.12
5.17.c 702.l.59
6.7 c 841.l.53.& 842.l.13
6.8.c 649.l.50
7.9 10.11.c.702.l.62
7.10.c 303.l.63
7.11.c.615 l.50
7.45.c.878 l.45. & 880.l.42
8 4.6 c.214 l 50
8.37.c 424 l 21
8.65 c.704 l.30
9 26.c.668.l.73
10 11.c 37.l.12 & 143.l.30
10.22 c 136 l 3 &c.
11 1 33.c 580 l.60
12.11.c.644 l 37
12.14.c.644.l.62
13.14.c.1 4.l.59

1.Reg 14.3.c 591.l.65
14 10.c.187.l.60
17 3.4.5.6.c.213.l.33
17.18.c.28 l 63
18.2.c.412.l.64
18.17.c 14.l.59
18.20.c.446.l.10
18.34.c.44.l 11
19.5.6.c.216.l.5
19.18.c.215.l.73.

2.Reg.1 2.c.499.l.36
4.38 c.482.l.65
5.10.c.151.l 59
5.18.c.113.l.23 &c.
5.27 c.589.l.68
6.25.c.638 l.48.&c.
7 1.c.247.l.67
8.1 c.48 .l.65
10.27.c.41 l.27 & 41.l.85
17 30.c.112 l.58.&c.
17.31 c.109 l.43
18 4 c.427.l 29
18.8.c 4 5.l.17
18.27.c 38.l.72 & 41.l.88
18.30 31 c.8.l 28
18.32.c.29.l 22. & 520.l.9.& 521. l.61
19 24 c.766.l.17
20 9.c.664.l.38
20.12.c.533.l.49
20.14 c 686.l.62
23.8.c.625.l.70.& 626.l.4
23.13.c.161.l.12
24 7.c.764.l.30
25.12.c.723.l.54.

1.Par.1.6.c.191.l.30
1.7.c.191 l.29
1.39.& 41.c.191.l.36
1.46.c.191.l.32
1.52.c.437.l.48
2.1.c.69.l.8
7.2.c 630 l.70
11.27 c 191 l.31
16 32.c 11.l.15
18.3.c.191.l.33
18.8.c.884 l.38.& 885 l.61
19.21 22.c.471 l.28
26 18.c.26.l.64
29 2.c.714.l 31.

2.Par.1.10.c.558.l.72
2.7.c 733.l 72.& 740.l.22
2.7.14.c.733.l.20
2.8.c 137.l.33
3.6 c.702.l.63
3.14 c.725.l.10.& 733.l.20
6.28.c.484 l.31
7.8.c.764.l.30
7.13.c.213.l.7.& 486.l.41
7.14.c 725.l.10
9.2.c.847.l 2
9.10.11.c.143.l.71
9.21.c 136.l.3.&c.
11.5.c.228.l.58
13.20.c.655.l.54
16.4 c.669.l.54
20.2.c.820.l.35
21.16.c.214.l 41
24 25.c.669.l.15
26.6.c.405.l 4
28.18.19.c.405.l.12
31.5.c.518.l.16.& 528.l.4

Esdr.2.46.c.137.l.40
2 69 c.617.l.47
4.14 c 40.l 58
5.8 c.887.l.52
6.11.c.426.l.35.

Nehem.2.3.c.620.l.12
2.13.c.439.l.5
3.3.c.720.l.17
4.7.c.214 l.41
4.12.c 100.l.10
3.18.c 134.l.6
7.48.c.137.l.40
7.80.c.617 l.50
8.6.c.526.l.1
9.21.c 725.l.62
9.29.c.551.l.6.

INDEX.

Nehem 11.4.c.395.l.18
12.3.c.137 l.38
12.15.c.137.l
12.39.c.720. 7
13.16.c.720.
Esther 1.2.c.792. 15
1.3.c.855.l 43
1.4 c.701.l 29
2.6.c.6.l 73. & 708.l.63.&c.
2 7.c 875 l.28
2.7.c.716.l.18
3.8.c.855.l.45
7.10.c 426 l.29
9.13.c.426.l.32.

Job.1.15.c 832.l 45
1.19.c.270.l.54
2.7.c 610.l.35
3.7.c.113 l.24.&c. 239.l.27. & 140. l.8.& 855.l.37
4.10.c.376.l 49
4.10.11.c.815.l.30
4.11.c.599.l.7. & 813.l 71
4.15.c.454 l.61
4 19.c.615.l.60.& 617.l.22
5.19.c 800.l.33
6 6 c 40.l 29
6.12.c.425.l.72
7.5.c.620.l 30.& 621.l 31
7 9.c.248.l 21
8.14 c.603.l.53. & 610.l.18
9 3.c.373.l.15
9.9.c.113.l.60 & 617.l.74
9.26.c.172 l.2
9.30.c.11.l.60
11 12.c.248.l.23
11.24.al.29 c.151.l.72.&c.
13.9.c.361 l.72
13.28.c.615.l 61. & 617.l 11.18. & 618.l 29
13.18.c.121 l.54
14 8.c 463 l.12
15.24.c.713 l.11
17 3.c.750.l.36
17.14 c 621.l 41
19 3.c.106.l.31
20.14.c.381.l.1
20.16.c.359.l.47. & 364.l.31. & 407.l.19
20 17 c.520.l.30
21 21.c 459.l.18
21.26.c.621.l.50
21 33.c.621 l.50
22.20.c.847.l.61
24 13.c.426.l.58
24 20.c.621.l.54
25.5 6 c.629 l.32
25.6.c.919.l.64 & 621.l.36. & 628. l.30
26.13.c.748.l.8
27 16.c 617.l.52
27.18.c.605.l.51-59.& 615.l.61,& 618.l 3
27.21.c.103.l.2
28.7.c.195.l.6. & 353.l.16
28.8 c.791.l.3
28.15.c.457.l.27
28.15.16.17.18.19.c.682.l.71
28.16.c.701.l.17
28.18.c 681 l 18.34 49. & 683. l.46. & 701.l.25.& 718.l.29
29.18.c 413.l.40 & 817.l.58
29.30.c.172.l.15
30.19.c.430.l.3
30.28 29. c.227.l.65. & 437. l.24
30.29.c.218.l.29. & 220.l.73. & 830.l.12.33
31.1.c.11.l 41
32 7.c.464.l 69
32.22.c.618.l 15
33.21.c 416.l.56
36.32.c.792.l.9
37.8.c 404.l.42
27.21.c.689.l.63
38.2.c.394.l.8
38.11.c 215.l.18.& 581.l.69
38.12.c.215.l.13
38.16.c.140.l 11
38.18.c.766.l.46
38.24.c.103.l.26
38.32 c.113 l.35.&c.

Job 38.38 c.114 l.65.&c. & 239.l
30 c.236 l.4. & 855.l.40
38 39 c 376.l.53
38 40 c 404 l 43
39 1.c.208.l.17. & 811.l.4
39 3.c.203.l.44
39.12.c.134.l 48
39 13.al.16.c.115.l 72
39.14.c.81.l.20 & 409 l.17
39.16 c.238.l 39.&c. & 329.l.41.& 855.l.43 57
39.17.c.227.l.53.& 250.l.10 &c.
39 17.18.19.c.233.l 16
39.18.c 250.l.34 & 253.l 60.&c.
39.19.c.254.l.9.&c.
39.20 c 256 l.9 &c.
39 20.al.23.c.457.l.49
39.21 c.261.l.10.&c.
39 22 24.c.250 l.36
39.29 al.26.c.269 l.24 &c.
39 30.&c. c.173.l.7.&c.
39 31.c 173.l 47
39.32.c.174.l.1.
39.33.c.274.l.57
40 10.c 754.l.55. & 756.l.20
40.11.c.750.l.54
40.12.c.756.l 45.65. & 758.l.14
40.13.c.758.l.66
40.14 c.759.l.50.& 760.l.13
40.15.c.762 l.54
40.16.c 763 l.46
40 17.c.764.l.18
40.18.c.765.l.25
40 19.c 768.l.23
40.20 c.684.l.69 & 769.l.55.&c. & 770.l.50
40.20.21.23.25.c.774 l.9
40.22.c.772.l.25
40.23.c.772.l.21
40.24.c.772.l.29
40.25.c.216.l.73.& 773.l.8
40.26.c.773.l.18
40.27.c.773.l.58
40 28.c 773.l.63
41.1.c.777.l.1
41.3.c.777.l.11.
41 4 c.777.l 17.26
41.5.c.777.l.35.70
41.6.c.781.l 9.13
41 6 7 8.c.779.l.16
41.7.c.842.l.37
41 9 c.781.l.35.55
41.10.11.12.c 782.l.13
41.13.c 782 l.35.& 783.l.3 58
41.14 c.783 l.55.
41.15.c.783.l.72
41 16 c.784 l.53
41.17.c 785 l.7.12
41.17.18.19.21.c.784.l.71
41.19.c.785.l.27
41.20.c.785.l.18
41.21.c.786.l.6.
41.22 c.786.l.60
41.23.c.787.l.35.& 789 l.40.53
41.24.c.790.l.11.
41.25.c 790.l.34.

Psal 1 4.c.508.l.50
2 9.c.427 l.37
4.8.c.470 l.46
5.1.c.290.l.15
5.7.c.27.l 73
6.8.c.615.l.67
7.10.c.114 l.70
7.17.c.234.l.54
8 4.c.582.l 36
8.7 8 9 c.774.l.64
8 8 9.c.145.l.74
9.19.c.159.l.15
10.1.c.146.l.43
10 9.c.684.l.71
11 1.c.152 l.72.&c & 248.l.14
11.5.c.234.l.57
14.9.c.708 l 10. & 800.l.64
14.4.c.248 l.86
17.8.c.183.l.22
18 10.c.191 l.40
18.43.c 502 l 55
19.11.c.520. l.41.50. & 525. l.70
22 7.c.619.l 64.& 629.l.35
22.13.c.840.l.66

Psal. 22.15.c.531 l.17 & 650.l.8
25.19.c.234.l.59
26.2.c.114.l 70
26.9.c.202.l.32
27.12.c 234.l.60
31.10.11.c.615.l.67
31.Hebr.32 9.c 882.l.2
33 6.c.350.l 61
34 11.c.208.l.15
36.7.c.156.l.22
36.8.c.183 l.23
37.11.&c.c.232.l 63
39 12.c.605.l.55.& 615 l.61.& 617. l.26
44 4 c.758.l.21
44.20.c.438 l.70
45.3.c.199.l.48
45.5.c.247.l.68
45.8.c.35.l.18
46.6.c.552.l.41
47.4 c.502.l 54
48.3.c.115.l.23
48 8.c.103.l.1
49.8.c.7.9.l 21
50.9.c.615.l.61
50.10.c.762.l 65
50.11.c.116 l.6 &c. & 239.l.35.& 240.l.6.& 855.l 32.51
50.20.c 343.l.71
51.8.c.215.l.2
55.7.c.14.l.14
55.24.c.459.l 21
56.1.c.18.l.2 &c.
57.2.c.183 l 24
57.3.c.611.l.14
58.3.c.234 l.61
58.5.c.407.l.59
58.5.6.c 385.l.30. & 389.l.20. & 390.l.69
58.6.c.580.l.15
58.9.c.646.l 16.&c.
59.16.c.247.l.61
60.10.al.12.c.458.l 71
60 10.c.885.l.47
61.5.c.183.l.24
63.7.c.247.l 61
63.8.c.183.l.24
68 3 c.531 l.18 & 650.l.8
68.14.c 9.l.14.&c.689.l.34
68.17.c.649 l.44
68.19.c.13 l 44
68.31 c.765 l.68
69 2 c.766.l.61
69 3.c.789.l 38
69.3.16 c.646 l.41
69.24 c 756.l.58
72.14.c 234 l 61
73.2.17 26.28.c.33.l.66
73.6.c.234 l.61
73 7.c.115.l.8
73.21.c.114.l 70
74 13.14 c 769 l.58
74 14.c.770.l.38
74 19.c.58.l.35
77.10 c.799.l.13
77 45.c 497.l 2
78.3.4.5.6.7.c.465.l 16
78.8.c.375.l.45.& 551.l.3
78.15.c.789.l.45
78.19.&c. c.108.l.34
78.21.c.109.l.1
78 23 c.15.l.12
78.26.c.103.l.27
78 26 27 c.101 l.10
78.27.c.104 l.62
78.28.c.104.l.22
78.34 c.667.l.48
78.31.c.108.l.56
78.45.c 552.l.36 & 553.l.10. & 554 l.27 & 655.l.63.& 660.l.27. & 668.l 6 35
78 46.c.465.l.68 & 426.l 50 & 582.l.72
78 47 c.404.l.52 & 463 l.14
80.2.c.156.l 22
80.14 c.116.l.13 & 855 l 43
81.17.c 519.l 27.& 522.l.11.& 521 l.11
82 6 7.c.403.l.20 23
82 13 c 4.2.l 16
83.4.c 146 l.43

Psal 83.14 c.712.l.50
84.4 c.51.l.65.& 53.l.24 &c.& 146 l.30.& 153.l.29.&c.
88.16.c.826.l 68
89.10.c.290.l.28
90.10.c.605.l.64
91.4.c.183.l.24
91.11.c.183.l.38
91.13.c.376.l.71. & 381.l.6 & 383.l 19.& 407 l 20.& 644 l.15. 817 l.57
92.11.c.843.l.46
96.11.c.11.l.55
97.5.c.531.l.20.& 650.l.8
98.7.c.11.l.55
101.8.c.146 l 43
102.7.c.83.l.5.& 272.l.62 &c; & 292.l 35.& 296.l 63
102 8.c.153.l 54 &c.
102.11.c 378 l.11
103.5.c.166.l.16
103 13.c 302.l.47
103.16 c.145.l.43
104 15.c.403.l.14
104.16.c.156 l.20.&c.
104.17.c.247.l 9 & 321.l.61.& 310 l.4
104 20.c.146.l 26
104.21.c.204 l.44.& 208.l.16
104.26 c.770.l.38
104.27.c.159.l.19
104 29 c.667.l.18
104.31.c 497.l 3.14.& 552.l.37 & 553.l.12. & 554.l.31. & 559. l.17
104 38 c.92.l 74
105.5.c 544.l.24
105.27.c.665.l.19
105.30 c.668.l 36
105.31.c.582.l 65
105.34 c.443.l.4. & 455.l.66. & 465.l 70.& 486 l.52
105.40.c.92.l.72.& 93.l.23.& 94. l.33.& 109.l.54
106.15.c.108.l 72
107. c.212.l.3
107.33.c.398.l.25
109 23.c 414.l.60.& 457.l.61
109.27.c.582.l 48
111.9.c.558.l.5
114.1.c.131.l.35
116.8.c.20 l.16
118 12.c 496 l.60 & 509.l.21. & 511.l.11
119.20.c.454.l.61
119.37.c.11.l.40
119 70.c 784.l 41
119.103.c.523.l.71
119.119.c.248.l.27
121.7 c.888.l.58
122.4 c 667 l 3
123.7.c.146.l.44
124.4.c.766.l 62
124 7.c.156.l.46.&c.
125.6.c.689 l.44
130.7.c.558.l.5
132.7.c.669 l.57
133.2.c.248.l 6
137.1.c 669.l.59
137.2.c.765.l.25
138.8.c.611.l.18
139.9.c.171 l.49
140.2.5.12.c.234.l.62
140.4.c.364.l.44 & 379.l.28. & 425.l.12.& 604.l.30
144.2.c.582.l.38
145.15.c.204.l.46
147.8.c.762 l 63
147.9 c.203.l.46
148.10 c.146.l.2

Proverb.1.4 c.19.l.67
3.10.c 595 l 6
3.15.c.681.l.20.36.& 682.l.66. & 683.l 25.& 715.l.8 & 718.l.30. & 719.l.19
3 14 c 247.l.62
5.3.c 520.l.43 & 524 l.36
6.6 c.256.l.21.& 591.l.44 &c.
6 8.c.526.l 65
6.16.c.800 l.31.

Proverb.6.18.in Græc.verſ.c.511.l.39
7.22 c.264.l.70
8.5.c.19.l.69
8.11.col.681.l.21.37.53.& 718
l.30
8.36.c.232,69
10.5.c 593.l.45
11.12.c.698.l.42
12 4.c.625.l.72.& 626.l 31
14.14.c.134.l.48
14 15.c.19.l.70
14.30.c.618.l.19
16.24.c.520.l.49
17.21.c.248.l.29
18 11.c.115.l.9
19.25.c 19.l.71
20.1.c.403.l.55
20.15.c.681.l.22.38.& 718.l.30
21.3.c.19.l.72
21.8.c.689.l.41
21 13.c.391.l.24
23.5.c.171.l.60.& 172.l.57
23.15.26.c.14.l.71
23.18 c.247 l.62
23.29.c.403.l.57
23 32.c.399.l.35.& 403.l.7.
23.33.c.403.l.61
24.13.c.520.l.44.& 525.l.12
24.13.14.c.523.l.73
24 16.c.426.l.70
25.12.c.682.l.2.& 717.l.51
25.15.c.593 l.22
25.16.c.519 l.15.& 525.l.13.63
25.20.c.618.l.43.& 626.l.1.35
25.22.c.13.l.43
26.1.c.593.l.47
26.2.c.53.l.21.&c.& 157.l.30
27.1.c.801.l.63
27.7.c.520.l.45.& 525.l.64
27.20.c 802.l.4
27.25 c.762.l.64
29.2.c.798.l.74
29 16.c.799.l.2
30.15.c 799.l.30.&c.
30.17.c.176.l.15.& 178.l.25.&
200.l.65.& 201.l.15.35.& 765.
l.20
30.18.c.800.l.24
30.19.c.171.l.20
30.21.c.800.l.25.64
30.24 c.256.l.25.& 604.l.45
30.25.c.591.l.48.& 598.l.34.&c.
30.25.26.c.467.l.60
30.26.c.593.l.64
30 27.c.458.l.58 & 495.l.69
30.29.c.800.l.27
30.29.31.c.116.l.26.&c.
30.31.c.116.l.2.&c.& 535 l.58
31.10.c 681.l.23.39.& 696.l.57

Eccleſiaſt. 1.2.c.33.l.70
2 8.c.847 l.52
2.10.c.33.l.70
7.19 c.106.l.34
10.1.c.496.l.54.& 498.l 48
10 10.c 888.l.13
10.11.c 390.l.64.& 425.l.6
12.4 al.6.c.118.l.6.&c.& 156.l 7
12.6.c.145.l.35.& 146.l.45
12.7.c.493.l.35
12.8.c.44.l.11
12.13.c.33.l.70.

Cant.1.3.c.620.l 3
1.4 al.5.c.470 l.25
1.6 c.689.l.36.& 791.l.8
1 10.c.56.l.56 &c.
1.12.c.584.l.62
1.14 c.724.l.5
1.15.c.18.l.19 & 248.l.30
1.17.c.847.l.1
2.6.c.641 l.3 37
2.11.12 c.56.l.13
2.12.c.4.l.65.& 5.l.2.& 37.
l.50
2.13.c.213.l.32
2.14.c.17.l.32.&c.
3.11.c.199.l.33
4.1.c.11.l.20
4.11.c.520.l.42.& 524.l.25.& 725.
l.58

Cant.5.1.c.515.l.22.& 519.l.35.&
527.l.17
5.4.c.24.l.35
5 6.c.524 l 23
5.10.c.659 l.70.& 694.l.20
5.11.c.199.l.40.
5.12.c.11.l.20.43
5.15.c.14.l 34
6.10.c.690 l.48
7.1.c.717.l.55.& 718.l.11
7.4.c.248.l.32
7.5.c.725.l.15
8.6.c.156.l.13.

Eſaias 1.c.1.405.l.1
1.5.c.134.l.49.& 256.l.18.& 512.
l.67.& 593.l.3
1.6.c.381.l.11
1.10.c.593.l.22
1.18.c 624.l.9.& 694.l.31.& 718.
l.55
2.16.c.115.l.6
2.20.c 350.l.49.& 580.l.34.& 689.
l.49
3.6.7.c 593.l 22
4.4.c.247.l.62
5.6.c.215.l.13
5.12.c.290 l.17
5.26.c.506.l.29.& 686.l.63
6.2.c 429.l.51
7.11 c.664.l.34
7.15.c.525.l 20
7.18.c.496.l.55.61.& 498.l.59.&
506.l.20.& 509.l.43
7.19 c.200.l.70
7.22.c.525.l.14
8.6.c 439.l.17
8.8.c.184.l.70
8.20.c.149.l.30
8.23.c.261 l.21
9.3.c.470.l 45
9.5.c.603.l.54
9.18.c.116.l.58
10.14.c.149.l.44.& 222.l.49
10 15.c.663.l.65
11.5.c.787.l.38
11.6.c.34.l.38
11.8.c.382.l.2.& 399.l 36.& 404.
l.32.& 407.l.21.& 415.l.8
13.16.c.41.l.19
13.21.c.200.l.62.& 218.l.19.&
220.l 25.& 226.l.65.& 438.l.
66.& 829.l.27.& 830.l.12
13.22.c.413.l.59.& 830.l.13.51.&
835.l.55
14.11.c.254.l.68.& 619.l.62.&
621.l.29.& 628.l.30
14 13.c.172.l.64
14 28.c.405.l.13
14.29.al.15.2.c.399.l.39 & 404.l.71.
& 407.l.23.& 429.l.52
15.7.c.200.l.74.& 765.l.25
16.9.c.593.l.48
17.13.c.202.l.33.& 712.52
19 2.c.669.l.15
19.9.c.607.l.53
22.3.c.593.l.22
22.7.c 280.l.22
22.17.c.118.l.18.&c.
22.18.c.712.l.47
24 7 c.470.l.18
24.15.c.404.l.64
24 22.c.247 l.71
25.7.c.667.l.1
27.1.c 747.l.17.& 769.l.58.& 770.
l.38
27.5.c 379.l.71
27.12.c.646.l.42.& 764.l.30.
29 3.c.712.l.58
29 4.c 149.l.30
29.16.c.247.l.62
30.1.c.290.l.23
30.6.c.359.l.50.57.& 360.l.3.&
364.l.48.& 421.l.52.58.& 423.
l.6.& 448.l.66.& 527.l.34
33.4.c.459.l.5.& 478.l.61
33 9.c.470.l.22
33.15.c.391.l.25
34.10.c.260.l.31
34.11.c.281.l.35.& 284 l.58.& 296.
l.66.& 409.l.56.& 415.l.14.&
835.l.57

Eſa.34.13.c.218.l.20.& 266.l.65.&
220.l.26.74 & 430.l.3.& 438.l.
66.& 830.l.12
34.14.c.829.l.27.& 831.l.26
34.15.c.81.l.7.& 87.l.52.& 353.l.16.
& 408 l.54
35.7.c.398 l.32
35.15.c.84.l.1
36.12.c.38.l.72.& 41.l.23.& 43.
l.12
38.14.c.13.l.13.& 59.l.70.& 63.l.
49.& 69 l.2.& 149.l.34
38.15.c.196.l.4
38.17.c.781.l.12
39.2.c.533 l.49
40.10.c.531.l.60.& 532.l.6
40.22.c.467.l.32
40.31.c.166.l.29
41 14.c.629.l.37
41.15.c.786.l.48
41.19.c.143.l.66.& 847.l.3
42.13.c.458.l.70
42.14.c.364.l.2
42.25.c.247.l.72
43.20.c 218.l.22.& 220.l.74 & 266.
65.& 430.l.3.& 830.l.12
43.24.c.687.l.17
44 4.c.765.l.25
44.13.c.696.l.64
44.14.c.869.l.55
44.20.c.439.l.3
45.12.c.215.l.11
49 2.c.269.l 32.& 690.l.47.
49.15.c.260.l.23.& 302.l.57
50.9.c.615.l.45.& 617.l.11
51.8.c.615.l.53.61.& 617.l.14.&
681.l.32
53.2.c.425.l.68
53.2.3.c.630.l.41
53.6.c.34 l.14
54.11.c.674.l.48.& 874.l.18
58.7.c.187.l.62
58.8.c.473.l.47
59.5.c.359.l.55.& 364.l.59.& 399.
l.40.& 406.l.72.& 409 l.7.&
608.l.49
59.5 6.c.608.l.72
59 9.c.607.l.32
59 11.c.13.l.14
59.16.c.792 l.6
60.8.c.13.l.52.& 17.l.20
60.18.c.234 l.62
63.15.16.c.302.l 49
64.2.c.531.l.5
64.3.c.409.l.23
65.2.c.551.l.4
66.7.c.408.l.67
66.15.c.202 l.35
66.24.c.630.74.
Jerem.2.13.c.666.l.73
4.3.c.766.l.56
4.13.c.170.l.68.& 185.l.14
5.15.c.686.l.65
5.27.c.90.l.9
6.20.c.686.l.73.&c & 687.l.49
8.7.c.506 l.18.&c.& 59.l.67 & 65.
l.28.& 70.l 20.&c.& 79.l.68.&
247.l.8 & 256.l.20.& 325.l.9.&
330.l.72.& 333.l.32 & 512.l.68.
& 593.l.4
8.17.c.390.l 59.& 393.l.17.& 399.
l.42
8.20 c.593 l 49
9.3.c.649.l.37
9.11.c.438.l 66
10.9.c.730 l.15
10.22.c.404 l.43.& 438.l.66
11.10.c.114 l.71
17.1.c.842.l.29
17 6.c.472.l.19.& 606.l.2
17.10 c.114.l.71
17.11.c.81.l.8.&c.& 84.l.10.&c.&
409.l.13
18.17.c.103.l.3
20.12.c.114.l.72
22.3.c.232.l.68
23.9 c.77.l.36
23.12.c.689.l.43
25.28 c.5.l.25
25.38.c 5 l.12
29.26.c.785.l.51
30.13.c.381.l.12

Jer.31.12.c.403.l.28
31.20.c.302.l.51
31.40.c.201.l.12
32.20.c.665.l.28
38.11.c.595.l.7
39.20.c.723.l.61
43.12.c.583.l.17
46.5.c.5.l.26
46.14.c.8.l.24
46.16.c.1.l.14.& 5.l.13
46.20.c.689.l.48
46.23.c 443.l.5
48.28.c.17.l.25.&c.
48.36.c.290.l.18
48.40.c.170.l.70.& 184.l.63
49.16.c.172.l.17.& 173.l.1.& 413.
l.41
49.22.c.170.l.71.& 184.l.64
49.23.c 438.l.66
50 16.c.1.l.14.& 5.13
50.39.c.218.l.18.& 220.l.25.&
226.l 65.& 826.l.12.& 830.l.12.
57
51.11.c 269.l.30
51.14.c.443.l.7
51.27.c.454.l.61.& 457.l.52.&
478.l.72
51.34.c.436.l.45
51.37.c.438.l.66.

Thren.2.8.c.470.l.18
2.11.12.c.227.l.44
3.13.c.785.l.29
4.52.c.146.l.46.& 157.l.7.&c.
4 3.c 218.l.24.& 220.l.27.& 221.l.
1.& 227.l.35.& 229.l.16.& 231.
l.8.& 233.l.16.& 247.l.12.&
254.l.60.& 260.l.28.& 376.l.62.
& 832.l.71
4.4.c.227.l 41
4.5.c.623.l.11
4.7.c.248.l.33.& 681.l.25.40.&
687.l.63.&c.& 690.l.1.& 693.
l.69 &c.& 694 l.22.& 695.l.4
4.10.c.302.l.59
4.15.c.165 l.50
4.19.c.170.l.73.& 185.l.4

Ezekiel.1.4.22.c.871.l.20.&c.& 875.
l.37
1.4 27 c.873.l.1
1.5.c.877.l.25
1.7.c.877 l.20.& 887.l.9
1.10.c.183 l.62 & 877.l.28
1.13.c.877.l.29
1.16.c.729.l 64.& 877.l.21
1 22.c.877.l.24
2.6.c.496.l.70.& 545.l.36.& 550.
l.21.& 642.l.55
3 3.c.523.l.68
3.9 c.842.l.23
7.16.c.13.l.19.& 19.l.63.&c.& 24.
l.37
7.19.c.493.l.66
7.25.c.89.l.12
8.2.c.873.l.1
10 9.c.674.l 40.& 877.l.23
10.14.c.183.l.62
16.10.c.730.l.18
16.13.c.525.l.15
16.19.c.529.l.52
17.3.c.164.l.18.& 169.l.10 71.&
184.l.37.53.& 247.l 32
17.3.c.165.l.35.&c.
17.10.c.102.l.73
17.23.c.146.l.5.& 151.l.29.
18 6.11.15.c.766.l.17
19.2.c.102.l.73
21.21.c.888.l.16
22.24.c.28 l.26
22.26.c.132.l.65
23.6 12.23.c.475 l.53
23.20.c.481.l.10.& 840.l.63
24.16.c.655.l.55
26.7.10.11 c 475.l.53
27.7 c.739 l.24
27.9 c.739.l.52
27 13.c.888.l.40
27.15.c.140.l.20
27.17.c.521.l.72
27 19.c.687.l.57
27.24.c.730.l.23.

Ezek. 27. 26. c, 103. l.1. 26.
27. 27. c.214. l.40.
28. 13. c.674. l.49. & 698. l.49.
29. 3. c.657. l.22
29. 3. 4. c.795. l.15
31. 4. c. l.47
31. 15. c. l.49
32. 2. c.769. l.59
32. 2. 3. c.795. l.21
36. 26. c.784. l.38
37. 11. c.646. l.32
39. 3. c.183. l.60
39. 4. 17. c.146. l.9
42. 16. c.103. l.19
45. 9. c.234. l.64
45. 11. c.106. l.2
47. 3. c.248. l.7

Daniel. 1. 8. c.49. l.58
1. 12. 16. c.49. l.59
2. 44. c.427. l.38
3. 2. c.712. l.31
3. 12. c 669. l.61
4. 9. 18. c.146. l.7
4. 20. c.146. l.11
4. 30. al.33. c.166. l 38. & 185. l. 67
4. 31. c.516. l.69
5. 7. 16. c.739. l.28
7. 2. c.766. l.49
7. 4. c.184. l.54. & 185. l.24
7. 9. c.200. l.3.
7. 19. c.865. l.61
9. 21. c.261. l.20
10. 6. c.877. l.20. & 887. l.4
10. 16. c.877. l.30
11. 18. c.593. l.23

Osee. 2. 8. c 403. l.28
2. 13. c.717. l.56. 68. & 718. l.20
4. 16. c.496. l.71. & 545. l.37. & 550 l. 72
5. 12. c.615. l.61. & 617. l.32. & 618 l. 30.
7. 6. c.607. l.70
7. 11. c.18. l.10. & 20. l 2
8. 1. c.184. l.56
8. 6. c.608. l.3
8. 9. c.154. l.62
11. 1. 3. c 183. l.32
11. 2. c 649. l.44
11. 9. c.24 l.30
11. 11. c.13. l.68. & 14. l.40
13. 3. c.479. l.73
13. 15. c.102. l.74

Joel. 1. 2. c.464. l.64
1. 3. c.465. l.8
1. 4. c.443. l.45. & 444. l.11. & 446. l.39. & 455. l 66. & 465. l.26
1 5. c.467. l.41
1. 6. c.443. l.8. & 467. l.52
1. 7. c.469. l.10
1. 9. c.467. l 46. & 470. l.1
1. 10. c.470. l.10
1. 11. c.470. l.30. & 496. l.3
1. 12. c.470. l.32. 41. & 484. l.6
1. 15. c.470. l.72
1. 16. c.467. l.47. & 471. l.16
1. 17. c.471. l.38. & 595. l.6
1. 18. 19. 20. c.483. l.73
1. 19. c.472. l.10
1. 20. c.204. l.48. & 472. l.13
2. 1. c.457. l.14
2. 1. 2. c.473. l.27
2. 3. c.473. l.64
2. 4. c.474. l.54
2. 5. c.475. l.55
2. 5. 6. 7. 8. 9. c.476. l.64
2. 6. c.478. l.71
2. 10. c.479. l.1
2. 11. c.160. l.12. & 480. l.30
2. 20. c. 444. l. 51. & 480. l. 43. & 667. l.18
2. 22. 23. 24. c.481. l.68
2. 25. c.443. l.46. & 455. l. 66. & 465. l.30. 40. 48. & 466. l. 68. & 481. l.5. & 486. l.55
3. 8. c.687. l 53
3. 11. c.114. l.43

Amos. 1. 3. c.800. l.28
3. 10. c.234. l.66

Amos. 4. 7. c.28. l.56. & 483. l.74
4. 7. 8. 9. c.483. l.41
4. 8. c.484. l.33
4. 9. c.443. l.46. 73. & 484. l.52
5. 26. c.113. l.15
6. 6. c.516. l.31. & 565. l.13. 54
7. 1. c.443. l.23. & 484. l.56
7. 1. 2. 3. c 483. l.54
7. 2. 3. c.487. l.37
9. 3. c.215. l.8. & 747. l.8.
9. 4. c.215. l.13

Abdias. 11. c.413. l.42

Jonas. 1. 5. c.181. l.68
2. 1. c.743. l.17
2. 7. c.669. l.6
2. 10. al. 11. c.215. l.9
3. 4. c.745. l.29. 35
3. 8. c.234. l.67
4. 6. c.293. l.33. &c.
4. 7. c.619. l.64. & 623. l.22
4. 8. c.103. l.5

Mich. 1. 3. c.593. l.23
1. 4. c.531. l.21
1. 6. c.165. l.56. & 666. l.73
1. 8. c.218. l.26. & 227. l.64. & 437. l.26. & 830. l.12
3. 3. c.187. l.6
3. 9. c.593. l.23
3. 12. c.248. l.34
5. 13. c.759. l.8
7. 4. c.619. l.3

Nahum. 2. 1. c.756. l.57
2. 3. c.624. l.13
2. 7. c.13. l.34
2. 12. c.413. l.45
3. 2. c.475. l.53
3. 15. c.443. l.10. & 467. l.50
3. 15. 16. c.455. l.67
3. 15. 16. 17. c.458. l.5
3. 16. c.445. l 23. & 447. l.72. & 455 l. 25
3. 17. c.443. l.23. & 448. l 56

Habac. 1. 2. c.234 l.69
1. 8. c.170. l.74. & 185. l.15. & 475 l.54. & 686. l.66
2. 4. c.426. l.63
2. 9. c.413. l.43
2. 11. 12. c.612 l.14. &c.
2. 15. c.799. l.20
3. 3. c.558. l.71
3. 9 c.668. l.68
3. 11. c.69. l.6
3. 15. c.106. l.13

Sophon. 1. 10. c.720. l.17
2. 2. c.801. l.62
2. 14. c.200. l.33. & 296. l.67
3. 1. c.5. l.17
3. 4. c.231. l.65
3. 15. c.558. l.42

Aggæus 2. 12. 13. c 498. l.54
2. 18. c.484. l.30

Zachar. 5. 9. c.247. l.9. & 321 l.60. & 325. l.9. 57. & 332 l.43. & 333. l.32
7. 11. c.551. l.7
7. 12. c.842. l.29
7. 14. c.474. l.49
8. 33. c.106. l 36
9. 3. c.9. l.62
9. 9. c.669. l.62
10. 8. c 297. l.74
10. 11. c.789. l.39
12. 1. c.558. l.21
14. 2. c 41. l.19
14. 3. c.458. l.69

Malach. 1. 3. c.438. l.66

APOCRYPHA.

3. Esdr. 3. 19. 20. c.403. l.27
6. 9. c.887. l.56
9. 52. c.526. l 63

4. Esdr. 6. 47. 48. 49. c.759. l.54

Tobia. 2. 9. al. 11. c.157. l.13
2. 11. c.67. l.49
6. 2. c.748. l.55
6. 3. c.749. l.34. 50
Tobia. 6. 7. c.751. l.46
8. 3. 4. c.751. l.46.
8. 11. c.121. l.24
8. 13. 14. c.121. l.29

Judith. 2. 2. c. 467. l.17
2. 11. c.443. l.12
16. 17. al. 21. c.631. l.5
16. 18. c.531. l.23

Sapient. 5. 10. 11. c.171. l.26
11. 7. c.661. l.5
11. 21. c 801. l.16
12. 8. c.534. l.56. & 536 l.20. 43
16. 2. c.93. l.26. & 108. 18
16. 5. c.425. l.2
16. 9. c.462. l.72. & 559. l.15
16. 10. c 417. l.59
18. 9. c.559. l.43
19. 2. c.92. l.26
19. 10. c. 108. l.7. & 571. l.50 & 661. l.7
19. 12. c.100 l 8
19. 20. c.523. l.62

Sirach. 7. 17. al. 19. c.631. l.4. 54
10. 13. c.621. l.40
11. 2. c.516. l.36
11. 3. c.516. l.23. & 759. l.60
11. 4. c.516. l.63
11. 5. c.516. l.59
11. 31. al 37. c.89. l.57. &c.
12. 17. c.371. l.33
12. 18 c.612. l 38
19 3. c.618. l 37. & 621. l.42
19 12. c.758. l.26
24. 15. (al. 18.) c.820. l.19
24. 19 20. (al 26. 27.) c.524. l.2
24. 21. c.804. l.55
26. 10. c.642. l.65
27. 15. c.455. l.7
28. 16. 19. c.544 l.60
36 28. c.413. l.36
39. 30. (al. 35.) c.641. l.5
39. 31. c.40. l 71
39. 35. (al 38) c.372. l.34
39. 41. c.524. l.68
41. 25. c.202. l.30
42. 13. c.617. l.15
45. 17. (al. 19.) c.460. l.38
49. 2. c.524. l.18
50. 14. c 820. l 55

Baruch. 6. 11. c.615. l.47
6. 21. c.62. l 20

1. Macchab. 2 41. c.216. l.21
2. 62 c.621. l.31
4. 23. c.738. l.23. & 739. l.17
5. 3. c.641. l 43
6. 30. 37. c.746. l 3
6. 51. c 645. l.19

2. Macchab. 9. 9. c.583. l. 48. & 620. l. 37

NOV. TESTAM.

Matthæus 2. 6 c.516. l.30
2. 20. c 669. l 64
2. 33. c.669. *l.*66
3 2. c 718. *l.*36
3. 4. c.488. *l.*16. &c. & 518. *l.*58. & 525. l.18
3. 7. c.375. *l.*31
3. 10. c.443. *l.*61
3. 16. c.35. *l.*42 & 37. *l.*18
4. 5. c.54. *l.*54
4. 16. c 349. *l* 71

Matth. 5. 15. c.718. *l.*11. & 719. *l* 7
5. 26. c.158. *l* 24
6. 19. c.615. *l.*42. & 617. *l.*42
6. 26. c.204. *l.*19. & 208. *l.* 36. & 593. *l.*30
7. 2. c 667. *l.*29
7. 6. c.674 *l.*13. & 719. *l.*30
7. 13. c.581. *l.*35
7. 19. c.443. *l* 61
7. 31-34. c 627. *l* 65
7 46. c.678. *l* 24
8. 32. c.394. *l* 14
9. 9. c.349. *l.*71
10. 16. c.19. *l.*40. &c. & 256. *l.*15. & 512. *l.*69. & 593. *l.*6
Matth. 10. 29. c.146. *l.* 47. & 159 *l.*66. & 208. *l.*38
11. 11. c.718. *l.*38
11. 16. c.349. *l.*71
11. 28. c.34. *l.*7
11. 29. c.34. *l.*3. & 35. *l.*12
12. 4. c.751. *l.*25
12. 24. c.501. *l.*32
12. 28. c.582. *l* 20
12. 34. c.375. *l.*31
12. 40. c.742. *l.*52. & 865. *l.*56
12. 42. c.687. *l.*55
13. 31. c.431. *l.*55
13. 45. 46. c.674. *l.*14. & 718. *l.*31
13. 46. c.713. *l.*47
16. 20. c.122. *l.*57
18. 20. c.558. *l.*30
19 6. c.689 *l.*6
19. 24. c.43. *l.*1
20. 19. c.426. *l.*21
21. 12. c.27. *l.*31
21 43. c.718. *l.*41
22. 4. c.134. *l.*3
23. 24. c.497. *l.*9. & 564. *l.*30. & 570 *l.*69
23. 33. c.375. *l.*31
23 34. c.426. *l.*23
23. 37. c.125. *l.*17 &c.
24 28. c.175. *l.*39. & 184. *l.*5. & 196 *l.*64.
24. 29. c.479. *l.*56
24 37. &c. c.34. *l.*21
26. 2. c.426. *l.*24
26. 26 &c. c.122. *l.*60
26. 36. c.122 *l.*65
26. 40 c.122. *l.*68
26. 42 43. 44. c.122. *l.*69
26. 47. c.122. *l.*70
26. 57. c.122. *l* 72
27. 22. c.426. *l.*26
27. 28. c 733. *l.*12
27. 44. c.669. *l.*67
27. 51. c.444. *l.*44

Marcus 1 6. c. 488. *l.* 17. &c. & 518. *l.* 59.
1. 10. c.35. *l.*42. & c.37. *l.*19
2. 27. c.216. *l.*21
5. 40. c.667. *l.*5
9. 44. 46. 48. c.631. *l.*8
9 49. c.40. *l.*31
11. 15. c.27. *l.*31
13. 31. c.718. *l* 63
13. 35. c.119. *l.*68
14. 17. c.112. *l* 57
14 26. c 122. *l.*63
14. 30. 68. 69. 70. 72. c.121. *l.*47
14. 32. c.122. *l.*66
14. 37. c.122. *l.*68
14. 39. 40. c.122. *l.*68
14. 39. 40. c.122. *l.*69
14. 42. c.158. l.26
14. 43. c.122. *l* 70
14. 53. c.122 *l.*72
15. 17. 20. c.733. *l.*13
16. 18. c 373. *l.*32. & 644. *l.*7

Lucas. 1. 7. 8. c.718. *l.*51
2. 24 c.25. *l.*62
3. 7. c.375. *l* 31
3. 9. c.443. *l.*61
3. 21. c.37. *l.*20
3. 22. c 35. *l.*42
4. 6. c.394. *l.*7
4. 18. c.35. *l* 17
5. 4. c.216. *l.*23
7 14. c.113. *l.*68
10. 19. c.641. *l.*8. & 643. *l.*62
11. 11. 12. c.641. *l.*9
11. 15. c.501 *l.*32
11 20. c.582 *l* 17
12 6. c.146. *l.*47. & 157. *l.*62
12. 24. c.203. *l.*48. & 208. *l.*20. 40
12. 32 c.34. *l.*30
12. 33. c.617. *l.*42
13. 1. c.561. *l.*21
13 7. 9. c 443. *l* 62
13. 24. c.581. *l.*37
13. 34. c.125. *l.*18 &c.
14. 12. c.215. *l.*65
15. 23. c.134. *l.*58
17. 37. c.175. *l.*39. & 184. *l.* 31. & 196. *l.*64
19. 27. c.196. *l.*40

19. 40.

Lucas. 19.40. c.612. l.72
19 43. c.713. l.3
22. 24 c.122. l.61
22.34. c.121. l.51
22.39 c.122. l.64
22.47. c.122 l.70
22.52. c.26. l.69
22.54. c.122. l.72
22.55. c.607. l 68
22.56.57.58. c.122. l.12
22.59. c.123. l.3
24.42.43. c.525. l.19

Johan. 1. 3. c.350. l.62
1.23. c.35 l.2
1.32. c.35. l.42. & 37. l.19.23
2.8 c 403. l.36
2.14. c.26. l 85
2.16. c.27. l.33
3.14. c.425. l. 61. & 426. l.12. & 429 l.50
3.14.15. c 426. l.50
3.34. c.35. l.15
4 10.11. c.151. l 41
5.19. c 350. l.70
5.21. c 427. l.15
5 23 c.427. l 30
5.25. c.718. l 69
6 45 c.669. l.66
7.38. c.151. l.42
8.44. c.375. l.55. & 436. l 17
11.26 c.427. l.22
12.24. c 431. l.56
12.32. c 426 l.14
12.31. c.34 l.11
13.4. c.122. l.59
13.12. *usque ad* 8. c 122. l.60
16 13. c.35 l.3
18.3. c.122. l.70
18.13. c 122. l 71
18.15 c.122. l 73
18.17. &c. c.122. l.26
18.19 c.123. l.1
18.21. c.122. l 72
18.25. c 123. l.2
19 2 5. c.733. l 13
19.34. c.151. l.39
20.19.22. c.34 l.70
21.8. c.684 l.73
21.11. c.684. l 74

Act. 2. 3 c 37. l.52
2.37. c 425. l.52
7.42. c 669. l.66
7.51. c.375. l.45
8.9. c 384. l.10. & 384 l.16
8 21. c 256. l.74
10.9.10 c.215. l.67
10 15. c.216 l.14
10.38. c.35. l 19
11.1 c.34. l.72
11.28. c 482. l.67
12.22 c.285. l.32
12.23. c.285. l.54. & 516. l 69. & 583 l 53.
13.8. c.375. l. 54. & 384. l. 10. & 581. l.3
13.23. c.620. l.41
13 40. c.669. l 66
13 46. c.718. l 43
14.10.19. c.375. l.28
16. 6. c 583. l.48
16 29 30. c 425. l.55
19.12. c.577. l.28
19.19 c.384. l 12
20.28. c.151. l.50
21.38. c.761. l.18
27.2. c.453. l.24
27 19. c 181. l.68
27 40. c.453. l.18
27.41. c.678. l 2
28.2 c.607. l 63
28 3. c.368 l.48
28 4. c 371. l.7
28.5. c.373 l.30. & 644 l.11
28.6 c.375. l.58

Rom. 1. 1. c.679. l.53
1.16 c.718 l.66
1.17. c 426. l.63
3.13. c.379. l 40. & 604. l.39
8.1 c.34 l.48
8 3. c.425. l.66
8.26. c.35. l.4
10 18 c.426. l.9
16.19. c.21. l.8

1. Corinth. 1. 20. c.779. l.12
4.3. c.471. l.4
8.6 c.350 l.63
9.9. c 160 l.1
13.1. c 426. l 3

1. Corinth. 15. c.825. l.45
15 36. c.463. l.15
15.37. c.431. l.56
15.55. c.427. l.1

2. Cor. 1 20. c.718. l.62
4.4. c.426. l.60. & 719. l.27
4 7. c.151. l 46
11.2. c 24 l 30
11.3. c.440. l.14

Galat. 3. 13. c 34. l.49
3. 28. c.427. l.18. & 718. l.59
5.20. c.384. l.17
5.22. c.34 l.59. & 35. l.8
6 7. c.561 l.72

Epheſ. 2. 2. c.270. l.53
2.8. c.628 l.9
4.7. c.35. l 14
4.8. c.13. l 47
5.1. c 34. l 39
6.16. c.425. l.35

Philip. 1.6. c.611. l.11
2.9.10. c 427. l.34
2.15. c.719 l.9
3 7.8. c.33. l.72

Coloſſ 1. 12. c.350. l.65
3 3. c.427. l.14

1. Theſſ 2 7. c.219. l.45

1. Tim. 1. 20. c.421. l.43
2.9. c.674 l.17. & 719. l.9
5.25. c 403 l.39

2. Tim 3. 13. c 649. l.38
4. 10. c 33. l.54
4.15. c.426. l 18

Tit. 1. 15. c.628. l.15

Hebr. 1. 2. c.350. l.68.
1.6. c.427. l.31
6.19 c.444. l 45
7.25. c.151. l.68
9.22. c 151 l 35
11.1.27. c 426 l.48
11 37. c.669 l 68
12.14. c.644 l 33
13.5. c.628 l.3
13. 8. c 427 l.25

Jac 1. 13. c.210 l 66
2.13. c 667. l.29
3.7. c.774 l 64
4 7. c 427. l.6
5.19. c.67. l.19

1. Pet. 1. 18. c.719 l 33
3.3. c.717. l.66 & 719. l.11
3.18. c.151. l.37
3.20. c.34. l.18
3.21. c.34. l.33

2. Pet. 2. 4. c.11. l.38

1 Joh. 1. 16. c.12. l.38
5.16. c.151. l.40

Apocal. 1. 10. c.34. l.73
1.14 c.200. l.3
1 15. c.883. l 47
2.17. c.718. l.53
2.18. c.884. l.5
4.3. c.34. l.52. & 696. l. 49. & 698. l.53.
4.7. c.383. l.62
7.1. c.270. l.48
8.13. c.169 l.22. & 183. l.63
9 2.3.4.5. &c. c 494. l.71
9 3. c.634. l.38
9 3 10. c.643. l 24
9.5.6. c.639. l.58
9.7. c.474 l.55
9 8. c.456. l 39 & 468. l.68
9.9. c.475. l.61. & 478. l.55
9.10. c.417. l 41
9.17. c.730. l.26.36
10.9.10. c.523. l.69
10.10. c 634 l 49
12.1 3 c.436. l.13
12.4. c.171. l 47
12.7. c.433 l 9
12.9. c 439. l.21
12.12. c 436. l.18
12 14. c.183. l.56
12.14.15. c.433 l.44
15.2. c.874. l.38
16.13. c.670. l.36
16.14 c.672. l.60
17 4. c.674. l.20 & 733. l.17
18.12. c.674 l.22. & 733. l.18
18.16. c.674. l.23
19.6. c.758 l.23
21.10. c.701 l.14
21.11. c.874. l 26
21.19. c.874 l 39
21.20. l.729 l 46. & 874. l.10
21. 21. c 674. l.25

INDEX AUTORUM

Qui citantur, laudantur, notantur, & emendantur in ſecunda parte hujus operis.

A.

A *Barbanel* 142.24. & 467. 1. 54. & 470 50. & 471 19. & 475.58. & 480. 54 & 482.31. & 499 11. & 838.53.

Abdalla 491. 52.

Abderrachman Abubecri filius in Carmine de Atica uxoris repudio 51. 73.

Abenbitar 46.45. & 99.60. & 192.18. & 224.26 & 233.5. & 235.13.47.68. & 236.10. & 282. 63. & 306 55. & 307.25 & 329.22. & 336. 40. & 337 34. & 361. 52. & 362. 3. & 570 35. & 585 62 & 625.22 & 721 28. & 749. 1. & 751. 71. & 753 16. & 804 19 & 862.32. & 869 26 29. &c.

Abenbitar ex veteri Scriptore de Lapidibus 873. 19.

Abenbitar notatus 648 54

Aben Ezra 11 26. & 10 35. & 14 1. & 15.1. & 18. 20. & 50.16. & 58.9. & 100.39. & 101.23. & 102. 23. & 108.70. & 114 31. & 115.11. & 172. 14 & 187.1. & 190. 47. & 193 11 & 205.15. & 224. 32. & 226 43 & 229.13.42. & 240. 19. & 269. 74. & 270 6. & 274. 50 & 279 40. & 290.3. & 301. 4 & 337 50. & 345 15. & 354 56 & 404 50. & 414 60. & 416 52. & 415.6. & 442.6. & 444.31. 545 & 445.67 & 446.16. & 457.65. & 459. 50 & 466. 74. & 494.32. & 528.40. & 534 44. & 554 14 & 558.14. & 559 74 & 579 60. & 612 52 & 646 38.49. & 655. 62. & 657 72 & 659. 21. & 660.13 & 663.5.26 & 665 40. & 678 66. & 689. 9. & 696.69. & 714.73. & 731. 41 47. & 736.70. & 747.12. & 794 37. & 812.47. & 829. 26. & 831.26. & 837.15.

Aben-Ezra laudatus 715. 24.

Aben-Ezra notatus 444. 31. & 853. 65.

R. Abia vel Abu 353 9 74.

R. Abitar 628. 36.

Abſyrtus 627.10.

Aioubecrus Sacerdos Mauſalienſis, aliis Daulienſis 851. 21.

Abuchalid Andaluſius ſeu Hiſpanus 236.24.

Abuchanipha 45.68. & 46 9. & 333 2.

Abuchaſim Andaluſius ſeu Hiſpanus 336. 48.

Abuhamed Hiſpanus 778 38. & 854 12. & 858 62. & 863.53. 55.64. 65 *Is librum ſcripſit cui titulus* Thochphatholalbabi *beneficium animorum.*

Abulabas Cordubenſis Alcorani Commentator 305.39.

Abulbaca Ocbaritanus, Geographus Iſlamia Sacerdos 852 59

Abulſapha Arabis liber de Animalibus quem ex Arabicâ lingua in Hebraeam tranſtulit Kalonymus anno Chriſti 1316. *col.* 16. *l.* 23. *V. Kalonymus & liber Hebr. de Animalibus.*

Abu-Navvas in Opere de Aucupiis cui titulus Tarida 194. 67.

Abu-Vbid. 60.49.

Abu-Vbid notatus 246. 24.

Abydenus Chaldaica 31. 27.

Abyſſinorum hiſtoria 469. 70.

R. Acha 658. 67.

Achilles Tatius 138.44 & 241.31. & 566. 27.73. & 574.30. & 587.16. & 715.37. & 558.5. & 762. 5. & 763 67. & 768.26.31. & 777.38.50 & 778 17. & 780.10. & 782.19.43. & 792.57. & 793.30. & 189. 10.

Ælianus de Animalibus 11. 30. & 15.45. & 21.70. & 23.18. & 55 38. & 57. 40. & 66.30. & 70.39. 56.57. & 71.15. & 72.51.57. & 73 33 66 & 74. 42.55. & 76.38 47. & 78.13.20.68. & 79.10. & 80.12. & 87.41 44. & 88 9 53. & 90 62. & 91.19. & 116 73. & 133.6.10. & 135 11. & 136. 63.70. & 139.10.14. & 154. 46. & 160.32 & 163 2. & 169.13. & 170.32. & 174. 25. 74. & 175.4 30. & 179 13. & 180.2 & 181. 8. & 196. 20. & 197. 41. & 199. 68. & 204. 62. & 207. 58. & 213.11. & 221 30. & 225. 65. & 241. 7.10. & 242. 14. 50. 62 67. 69. & 243 47 & 245 40.50.54. & 250 47. & 251. 57. & 255 63. 73. & 257 8. & 258.23. & 259. 13. & 270.18. & 271 5. & 273.74 & 275 45. & 277.17. & 281.46. & 284 9 & 286.74. & 287. 13. & 291. 4. & 292. 64. & 293.30 & 300 72. & 301.65. & 308.15 18. & 309.9.13 & 312.45. & 313 66. & 316.7 9. & 318.17. & 323.74. & 327 38.51 & 328. 20.44. & 331.20 & 335.72. & 339.51. & 342.28. & 346.23. & 347 19. & 348 23. & 349. 6.14. & 359 5. & 361 29. & 363 17 & 364.11. & 365 2. & 367.26. & 370.71. & 372.68. & 373.64 & 376.13. & 377.64 & 378.60 & 380. 17. & 381. 14. 29.33.40. & 383.20.30. 52.55. & 381.14 & 388.50. & 391. 63.66. & 393.45. & 397 7 55. & 398 1.12. & 400 52. & 401 8 56. & 402.25. & 404.13 & 405. 68. & 410 69.73. & 411.53.70. & 412.52. & 417.47 & 418.11 71 & 419.12. & 422.15. & 428.11 45. & 414 5. & 430.46. & 431.4 47.60 & 431 63. & 435.57 & 437 31.36 71 & 438.60. & 450.18. & 456.31 & 468 49. & 474 7. & 476.3 & 491.26. & 500 40 41. 59. & 503.17. & 504. 29 & 505.1. & 506.46. & 509.61. & 512.38. & 539 35.55. & 540 17

540.27.52. & 541.58. & 521.49. & 542.10. & 543.25.28. & 547.60. & 550.9. & 552.1.39. 41. & 557.41. & 567.36. & 586.74. & 587.13. & 588.44. & 590.4.23. & 591.52. & 592.12. & 593.71. & 594.55.40. &c. & 595.17.27. 53. & 597.37.39. & 599.21.23. & 600.7.70. & 604.4. & 608.67. & 635.7.42. & 636.62. & 637.49. & 638.6.16.19. & 639.50.72. & 650.55. & 652.12. & 657.35. & 662.52. & 684.30. & 686.46. & 710.35. & 714.68. & 726.43.49. & 743.52. & 744.61. & 746.43.49. & 747.42.4. & 749.63. & 750.16.55. & 751.30. & 756.9. & 763.48.53. & 767.24. & 772.45. & 775.6. & 778.4.60. & 780.5. & 781.45. & 782. & 784.49. & 786.35. & 788.13.16.66. & 793.44.57. & 794.74. & 816.34. & 828.13. & 834.15. & 839.25. & 840.2. & 843.27.35.39.51.61.62. & 844.4.33.

Ælianus in variis 4.11. & 9.48. & 15.48. & 21.71. 347.19. & 453.10. & 524.02. & 597.16. & 834.15.

Ælianus emendatus 76.50. & 252.71.74. & 318.27. & 397.24. & 398.11. & 468.50. & 540.5.9. & 642.33. & 662.61.

Ælius Stilo 679.59.

Æneas Gazæus 825.4.

Æſchylus 255.24. & 814.24. & 345.64. & 346.18. & 345.70. & 547.4. &c. & 716.17. & 750.22. & 812.19.

Æſchylus emendatus 319.15.

Æſculapius 306.69.

Æſopus 81.40.

Æthicus 77.4.

Æthiopica regis litera 822.40.

Æthiops Scriptura Interpres 20.71. & 35.50. & 51.68. & 92.73. & 115.66. & 321.63. & 377.9.15. & 398.31. & 511.17. & 607.64. & 640.26. & 874.38. & 884.29.

Æthiopicum Pſalterium 444.66.

Æthiops aliter legit 453.25. & 495.72. & 884.3.

Æthiops notatus 204.36.

In Æthiope ala aquila pro alis Aurora 171.55.

Aetius 226.23. & 360.47. & 361.50. & 366.70. & 374.32.53. & 382.57.68. & 400.57. & 401.22. & 406.20. & 417.12. & 419.10. & 422.31.43. & 430.7.18.43. & 435.61. & 436.32. & 437.47. & 648.52. & 649.36. & 721.15. & 751.41. & 794.72. & 803.55.62.

Afranius 679.63.

Agatharchides 30.10.54. & 95.49. & 131.38. & 225.59. & 411.60. & 412.43.44. & 415.8.25. & 450.64. & 463.54. & 490.10. & 495.9. & 539.34.54. & 540.21.49. & 567.15. & 599.6. & 635.42. & 662.33. & 687.41. & 697.37. & 706.73. & 716.44. & 783.61. & 792.55.74. & 815.42. & 835.73. & 842.52.

Agatharchides emendatus 412.45.

Agathias 64.11. & 789.15.

Georgius Agricola 702.72.

Agrætas 314.30.

Agudda 209.66. & 211.44.

Ainſvvorthius 538.10.

Aira 850.36.

R. Akiba 660.37.

Alachphas 92.43.

Alaſimus 341.42.

Albacra 46.21.

Albertus Magnus 53.44. & 90.74. & 173.43. & 178.39. & 181.44. & 186.1. & 194.25. & 253.30. & 259.17. & 261.57. & 276.21. & 295.46. & 296.33. & 315.1. & 325.67. & 329.60. & 338.16. &c. & 345.24. & 415.63. & 474.60. & 710.64. & 752.33. & 768.41. & 777.7.55. & 781.48. & 813.20. & 823.41.

Albinovanus 64.22. & 688.35.

Albricus 761.9.

Alcamus 7.20. & 11.73. & 16.70. & 17.72. & 26.37. & 30.15. & 41.51. & 45.57. & 46.42. & 52.20. & 82.20. & 89.6. & 98.11. & 114.6.11.19. & 126.4. & 130.15. & 131.27. & 144.16.30. & 149.43. & 150.20. & 155.3. & 157.1. & 163.58.49. & 192.57. & 200.11. & 223.45. & 228.15.20.28. & 233.49. &c. & 234.14.20. & 246.26. & 252.22. &c. & 255.34. & 260.49.59. & 267.60. & 284.53. & 287.41. & 292.64. & 298.25. & 304.61. & 305.11. & 306.45. & 307.8.25. & 311.73. & 317.13. & 329.25. & 333.38. & 336.6. & 341.31. & 350.28. & 359.63. & 376.19. & 378.40. & 379.65. & 388.29. & 393.8. & 395.59. & 413.47. & 416.72. & 417.3. & 418.1. & 429.13. & 430.30. & 443.60. & 445.32.72. & 456.16. & 458.3. & 468.54. & 475.64. & 477.67. & 486.8. & 491.67. &c. & 508.37. & 518.23. & 521.64. & 544.51. & 551.28. & 554.61. & 555.12. & 556.41. & 569.20. & 571.1. & 574.66. & 577.73. & 590.7. & 598.45. & 599.50. & 605.36.45. & 615.50. & 617.4. & 625.8. & 638.69. & 679.43. & 688.58. & 712.16. & 713.45. & 753.12. & 755.64. & 770.13. & 785.11.16. & 789.21. & 795.40. & 800.72. & 816.40. & 843.1.

Alcamus emendatus 307.13.

Alcanzius vel Alchindus medicus Arabs celebris Avicennæ propè æqualis 45.33.

Alchag *ſeu peregrinatio liber Arabs* 82.51.

Alchaitl filius Achmed 805.69. & 808.54.

Alcimus Avitus 32.39. & 390.2. & 391.46. & 666.6.2. & 825.1.

Alcman 180.18. & 220.34. & 571.45. & 623.5. & 862.21.

Alcoranus 347.41. & 350.74. & 351.12. & 576.54. & 602.58.

Alcorani locus explicatus 144.51.

Alcorani Surata Alachrab 305.34.

Vlyſſes Aldrovandus 87.62. & 219.19. & 445.45. & 474.61. & 506.11. & 553.25. & 748.4.

Alexander Aphrodiſæus 97.67. & 259.15. & 584.1. & 619.43.

Alexander Myndius 93.44. & 155.23. & 411.4.

Alexander Trallianus 725.28.

Alexandri Magni ad Ariſtotelem ſpuria epiſtola 755.47.

Alexis Comicus 48.40. & 55.36. & 469.26. & 474.8. & 491.17.

Algiahid 149.20. & 223.51. & 299.13. & 300.14. & 322.13. & 751.36. & 854.11.

Alhazeliterror 92.32.

Alkazuinius de Natura Mirabilibus 16.32. & 52.2. & 62.19. & 73.46. & 75.27. & 92.41. & 98.1. & 123.12. & 137.66. & 201.56. & 105.66. & 223.24.56. & 236.41. & 246.10. & 248.69. & 250.70. & 256.3. & 257.45. & 258.34. &c. & 262.43. & 268.55. & 281.58. & 283.12. & 287.74. & 298.54. & 304.23. & 305.62. & 306.7. & 308.44. & 311.70. & 312.8.67. & 313.11. & 315.21. & 316.33.69. & 322.9. & 330.19.48. & 331.53. & 336.52. & 337.34. & 346.68. & 351.27. & 362.26. & 400.36. & 401.30. & 409.51. & 406.29. & 485.34.62. & 514.2. & 561.65. & 566.41. & 585.3. & 589.26. & 590.49. & 594.3. & 593.61. & 595.70. & 601.38. & 602.46.57. & 604.20. & 608.28. & 610.60. & 673.22. & 675.35. & 683.73. & 702.16. & 709.43. & 715.50. &c. & 771.52. & 775.2. & 778.19. & 675.60. & 787.2. & 806.56. & 846.18. & 847.5.23.30.69. & 848.70. & 849.47. & 850.66. & 851.27. & 852.42. & 858.33.62. & 859.38. & 860.51. & 863.17.39. & 864.42.60. & 865.4.16.

Alkazuinius notatus 246.16. & 807.27. & 864.20.37.

Leo Allatius 320.15. & 758.4.

Allestha Scriptor Arabs 336.15.

Alobab, *id eſt, Verſutias, Arabici libri titulus* 292.64.

Alphora 354.13.

Alphus de Paſchate 42.16.

Alphæus Mitylenæus 126.7.

Alſamius 571.16.

Alvarez 504.56.

Ambroſius 23.73. & 74.68. & 76.2. & 84.27.30. & 85.17.22. & 97.68. & 125.69. & 164.35. & 180.37. & 181.69. & 196.20. & 210.39. & 309.58. & 310.40. & 327.13. et 328.1. et 331.47. et 369.54. et 423.11. et 492.56. et 513.51. et 574.12. et 596.21. et 601.34. et 609.38. et 613.16.20. et 638.35. et 643.35. et 702.48. et 729.45. et 730.25. et 750.23. et 825.5. et 861.36. et 880.60. et 881.3.58.

Sub Ambroſii nomine Autor libri de Sacramentis 36.45.

Ambroſius Leo Nolanus 584.10.

Americus 686.40. & 714.69.

Ammianus poeta Epigramma 642.71.

Ammianus Marcellinus 71.46. et 95.40. et 120.56. et 156.11. et 177.6. et 198.49. et 281.39. et 364.51. et 382.40. et 402.19. et 567.4. et 645.33. et 683.18. et 685.45. et 744.43. et 755.56. et 758.6. et 763.57. et 769.2. et 770.65. et 775.2. et 777.13. et 778.11. et 781.67. et 785.55. et 790. et 792.54. et 794.48.70.

Ammianus Marcellinus emendatus 310.39.

Ammonius 730.54. et 623.3.

Amœnus in Enchiridio V. & N. T. 32.30. et 492.71.

Amynta Manſiones 92.40.

Amymianus 141.4.

Anacreon 11.72. et 18.67. et 43.69. et 65.34. et 66.74. et 741.2.

Anaſtaſius Sinaita 129.53. & 609.39.

Anatolis Geoponica 565.1.

Anaxandrides Comicus 491.6.

Anaxilas Comicus 648.13.

Andreas Cæſarienſis 639.61. & 643.25. & 671.63. & 696.56. & 698.59. & 729.4. & 894.27.

Andreas Cæſarienſis notatus 698.6.

Andromachus 362.34.

Andron 500.56.

Androſthenes 685.39. & 687.74. & 690.42.56. & 715.85. & 716.23.

Anonymus in Anthologia 65.13.

Poeta Arabs Anonymus quem citat Ibnerasik 152.41.

Anonymus Græcus in Phavorino 324.70.

Poeta vetus Anonymus 342.49.

Poeta Anonymus in Anthologia 370.7.

Poeta Anonymus in Statuas Sapphus & Erinnæ & Homeri 554.52.55.58.

Anonymus in Hipponactis Epitaphio 543.9.

Anonymus Epigramma Græcum in Euripidem 553.65.

Poeta Anonymus de Culicibus 574.9.

Anonymus in Anthologiâ 586.27.

Anonymus de Amoribus Callimachi & Chryſorrhoes 15.20.

Anonymus Scriptor in Salmaſio 710.69.

Poeta Anonymus 814.27. & 852.30.

Anonymus Scriptor de Thure 884.44.

Antenoris Cretica 541.29.

Antigoni Caryſtii Mirabilia 73.27. & 76.26. & 88.8.49. & 180.12. & 220.3. & 271.2. & 307.71. & 319.34. & 323.2. & 387.27. & 395.48. & 402.66. & 508.9. & 539.71. & 543.37.44. & 597.31.61. & 635.59. & 657.22. & 7.2.62. & 862.18.

Antigonus emendatus 324.13.23.35.37. *Idem ter emendatus* 294.29.

Antiochus Abbas Sabæ 912.8.

Antipater Sidonius 71.9. & 73.13. & 79.17. & 366.71. & 509.65. & 529.3.

Antiphanes Comicus 123.42. & 243.59. & 500.43.

Antiphilus 513.44.

Antiphontis Oratio de Pavonibus 38.6.

Antiphon in Oratione contra Eraſiſtratum 242.21.27.

Antiſthenes 542.64.

Antonius Auguſtinus 135.20. & 775.28.

Antonius Nebriſſenſis 884.48.

Anyte 476.41.

Appellas 647.12.

Apollinaris in paraphraſi Pſalmorum 93.24. & 153.1.61. & 377.2. & 379.36. & 458.24.27. & 553.3.9.12. & 668.13. & 882.2.

Apollodorus 4.18. & 135.14. & 243.14. & 314.26. & 434.23. & 635.4.71. & 637.25.48. & 828.2.17.

Apollonius 4.16. & 25.4. & 314.24.64. & 383.31. & 387.5. & 434.41. & 548.66. & 529.46. & 547.13. &c. & 548.24.70. & 789.62. & 867.69.

Apollonii Scholiaſtes 314.31. & 434.47. & 509.3. & 546.67. & 548.51. & 868.8. & 882.54.

Apollonii Scholiaſtes emendatus 548.54.

Apollonii Mirabilia 500.16. & 583.68.

Apollonii Mirabilia olim auctiora 774.2.

Aponius 24.2. & 724.9.

Michael Apoſtolius in proverbiorum Centuriis 174.48. & 175.16. & 179.29. & 181.19. & 274.1. & 287.3. & 294.72. & 327.49. & 381.17. & 411.57. & 623.40. & 830.41.

Appianus 49.39. & 186.17. & 510.5. & 541.26.

Apuleius in Aſino aureo 103.57. & 121.22. & 127.61. & 143.58. & 163.17. & 170.25. & 172.19. & 174.5.30. & 192.4. & 199.24. & 271.30.60. & 285.19. et 315.51. et 342.36. et 346.71. et 414.51. et 423.36. et 455.3. et 580.29. et 598.40. et 601.2. et 643.2. et 651.11. et 715.60.74. et 716.6. et 756.16. et 770.64. et 783.33.

Apuleii Herbarium 7.27. et 6 .35.

Aquila 117.34. et 134.51. et 221.14. et 238.48. et 239.18. et 272.70. et 32 .9. et 324.44. et 359.55. et 360.16. et 399.52.59. et 438.69. et 447.56. et 484.32. et 532.11.55. et 533.41. et 554.1. et 612.24. et 611.46. et 646.20. et 650.29. et 681.28. et 714.37. et 729.60. et 743.43. et 769.58. et 773.9.

Aquila aliter legit 200.49.

Aquila laudatus 731.10.

Aquila, Symmachi, & Theodotionis ſpuria epiſtola ad Ptolemæum Ægypti regem 338.73.

Aquinas 42.35. et 43.47. et 81.67. et 112.4. et 115.37. et 142.

37. & 142.28 & 145.55. & 146.38. & 193. & 232.19. & 263.71. & 301.4. & 344 61. & 353. 47. & 379.45. & 395.33. & 399 55 & 696.66. & 727.5. & 740 6. & 8[illegible] 4.53 & 808.5. & 831. 27. & 877. 52.
Arabs Interpres 20.70. & 35.49. & 125.62.64. & 185.71. & 193 8. & 195 64. & 214 46. & 254. 13. & 261.27 61 & 263 31. & 292.40. & 326. 13. & 333.31. & 374.13. & 376.62. & 377.5 13 & 383.13. & 384.1[illegible]. & 398.32.48. & 399.64. & 414 12. & 415.10 & 448.72. & 459 43. & 493.59. & 511 51. & 526.73. & 593 34. & 618 .50. & 644.40. & 681.51. & 694 71 & 717 65. & 745.36. & 755.30. & 758. 32. & 765.7 & 766.71. & 767.1. & 777 58. & 785.22. & 831. 36. & 847.2. & 873 36. & 878 29. & 880. 36. & 885 59 & 887.23
In Arabe ala aquila pro ala auctora 178.51.
Arabs emendatus 457 68. & 513 39. & 544.61. & 565.47.
Arabicus Pſalmorum interpres emendatus 583 6.
Arabica verſio notata 165.40. & 204 37. & 208.23. & 823.68.
Arabs editus & unus è manu-ſcriptis aliter legit 58.69. & 59 1.
Arabs aliter legit 511,24. & 495.5.
Baruchi Arabs Interpres aliter legit 62. 26.
Arabs Pentateuchi Interpres manu ſcriptus aliter legit 507. 49.58.
Arabs uterque aliter legit 883,66.73.
Arabica lectio 799. 40. & 800.38.
Arabs Erpenianus 106, 21 & 887.45.
Arabs Pariſiis editus 106,19. & 211.35. & 321.65. & 534.47.
Arabs uterque 212.50. & 416.64. & 646.26.
Arabes Pentateuchi Interpretes 731.51.
Arabes Pentateuchi Interpretes quatuor, duo editi, & duo manu-ſcripti 345.51. & 626.48. & 678.57. 61.
Arabes Pentateuchi paraphraſta editi duo 281.57. & 554.3. & 803.68 & 885.25.
Arabs Pentateuchi Interpres Erpenianus 446.27. & 536,65. & 653.50. & 712.28. & 874.9.
Arabs Pentateuchi Interpres Pariſiis editus 532 19. & 580,74 & 664 2. & 874 10.
Arabes Pentateuchi Interpretes manu-ſcripti duo in Sueciâ 210.32. & 532.20. & 533 45. & 554.6. & 804 34.
Arabs Ieſaiæ Interpres 538. 4.
Arabs Pſalmorum Paraphraſtes 582.71.
Arabs Pſalmorum Interpres Savarianus 554.26.31. & 769.60.
Arabica . ſalteria manu ſcripta 321.61. & 457.73. & 653.40.
Pſalterium Romæ editum Arabice & Syriace 554.35.
Arabs Eſaiæ paraphraſtes 282.51.
Arabs Ezechielis Interpres notatus 875.34.
Arabica verſio in Straibede corrupta emendatur 91 20.
Arabica paraphraſis N. T. 360 21. & 733.16.
Arabs N. T. *Interpres Erpenianus* 368.53.
Arabs uterque in Apocalypſin 495. 41. 44.
Arabici poeta Anonymi 138 35. & 190.56. & 194. 54. & 275.66. & 283.35 60. & 304.21. & 436.70.
Arabs Anonymus emendatus 475.9.
Arabs Anonymus autor Viridarii doctorum 140.8.
Arabes Onirocritici 31 63.
Aſtrologi Arabes 113.71.
Arabes nondum editi de Onyche 805.68.
Arabica Proverbia 79.1. & 246.24.32. & 248.73. & 2519 & 252.4. & 255.41. & 260.40. & 283 45. & 284.44. & 299.41. & 304.18. & 497. 34. & 642.52.
Arator 369. 63 & 373.53.
Aratus 73.35. & 212.60. & 372 33. & 637.27.
Arati Scholiaſtes 213.6.
Arceſilas 11. 2.
Archelaus Ægyptius 401.8. & 406. 49. & 503.44. & 543.42.
Archeſiſtratus Syracuſius 672.16. & 743.43.
Arculphus Epiſcopus vel Arnulphus 492. 30. & 318. 73.
Arcuſſiani liber Gallicus de Aucupio 289.45.
Arethas Cæſarienſis 696.56. & 730.73. & 884.28.
Arias Montanus 220.48. & 232,23. & 238. 69. & 274.74 & 291.47. & 301.59. & 374 19. & 878.33.
Arias notatus 301.6.
Ariſtænetus 327.71.
Ariſteas Proconneſius nugaciſſimus ſcriptor 285. 56. & 811.56.
Ariſteas ſuppoſititius, ſed vetuſtus ſcriptor & à Ioſepho pro genuino habitus citatur & emendatur 348.5.14. & 355.55.
Ariſtides 819.5. & 880.12.
Ariſto Chius in Laertio 609.45.
Ariſtophanes 21.17. & 46.73. & 48.35. & 63.60. & 65.73.74 & 66.6.9. & 78.46. & 94.3. & 104.5. & 106 62. & 120.48. & 125.24. & 136. 57 58. & 154.41. & 158 57. & 162.1. & 165. 26. & 186 33. & 199 31. & 201 12. 46. 50. & 221.27. & 242 34 & 245.23. & 265.17.20. & 266.51. & 278.37 & 287.51. & 327. 24. & 340.56. & 345.36. & 346 38. 44 & 449.74 & 452.33. & 455.39. & 490.47. & 491. 9. 12 & 524 44. & 554.66.67. & 536.55. & 537.9. 13. & 565.60. & 570.22. & 566.37. & 592 27 & 670.60. & 683.3. & 698. 5. & 730.56. & 753.36. & 810 14. & 812.20. & 875.67.
Ariſtophanis Scholiaſtes 22.21. & 47. 2. & 66. 2. & 72.25. & 78 50. & 94.71. & 95.15. & 104.8 9. & 136.62. & 165.31. & 178 16. & 180. 20. & 186. 34. & 200.28 & 219.31. & 221.48. & 24[illegible]. 24. & 264.34.43. & 265.21.23. & 278. 40. & 287.54. & 302 11. & 327.68. & 340.52. & 380. 23.39. & 452 38 & 455.40. & 490.60. & 503. 13. & 538.43. & 566.4 & 604 55. & 623.68. & 704.48.50. & 738.30. & 828.22. & 861.36. & 862,18. & 872.53.
Ariſtophanis Scholiaſtes emendatus 875.74.
Ariſtophanis Scholiaſtes notatus 243 29.
Ariſtophanis Scholiaſtes manu-ſcriptus in Lyſiſtratum nondum editus 536. 39. & 565.64.
Ariſtophontis Pythagoriſta 474.4.
Ariſtoteles 1. 28. & 10.41. & 21.70. & 22.26.68. & 23.1. & 39.38. & 56 6.20.24 31. 54. 67. & 58.59 & 65.40. & 67.21.57. & 68.7. & 70. 27. & 72.64. & 73.24.55. & 74.48. & 75.19. & 76.61. & 78.12.96. & 87.6.45 . & 88.5.6. 35.43.45. & 89.20.65. & 91.19. & 93.35.41. & 67.54 & 102.38.44.49.51.58. & 103.31. 52.61. & 104.26. & 125.25.26.28. & 147.51. 57. & 154 30. & 164.53. & 195.14 & 168.53. & 173.27. & 174.2.69. & 175.65. & 178.44. & 180.65.72. & 181. 2. 48. 53. 58. & 187. 55. & 188.72. & 189.32. & 192.32. & 193. 30. & 195.17. & 196. 11.15. & 198. 39. & 267 49. & 221 28. & 336.51.54. & 248.46. & 253. 70. & 261.46. & 264.55. & 295.36. & 268. 67.69. & 270.8. & 273.60 65. 73. & 267.42.45 & 280.18. & 286 30 & 287. 3. 9. & 290 72. & 294.36.42. & 296 11. & 300. 40. & 302,1.21.25. & 307.42.48. & 308.37. 39. & 313.60. & 314.1. & 315.68. & 316.28. & 317.21.24. & 319.38.48. & 323.14.18 & 327. 23. & 328.60. & 329.71. & 331 3. & 335.66. & 339.21. & 340.8.14.47. & 342.23. & 345.67. & 346 12.15 & 348.20. & 349 41. & 352.1. & 364.16.68. & 365.13 19. 23. 53. & 381. 20. & 390.53. & 391.3.43. & 410.13.55. & 411. 2. 42. & 415.17 33. & 438 41. & 443 28. & 448. 31. & 449.18.49.69. & 452 43.61.69. & 453. 3. 55. & 472.38. & 476 5. & 484.63.69. & 491.21. & 498.5. & 503.74 & 507.13.15.34. & 509.55. & 512 22.27. & 513.39 67. & 519.67.71. & 521. 49. & 536 43.46. & 542 9. & 543.15. & 547. 33 36.40.42 52 & 553 55. & 555.34.36.38. & 559.10. & 564.61.65. & 565.71. & 569 43. & 574.13 57. & 575.6 & 577.41.46. & 578.24.38. & 591.72 & 593.38. & 597.29. & 599.68 & 600.2 & 608.66. & 610.21.30. & 616.53. & 619.42 & 629.56. & 634.21. & 635.42.55. & 657.58. & 662.63. & 670.51. & 692.54. & 704. 28. & 715.74. & 716.2 . & 725.75. & 726.20. & 730.56. & 737.65. & 744.46. & 746.44. & 755. 33. & 757.25.55. & 767.20.22. & 770.55.74. & 771 1.6.12 15.28. & 775.3 48. & 779 74. & 781. 41.67. & 782.28.54.59.68. & 784.2.7. & 785. 42 46. & 789.11. & 794.4. & 798.32. & 811.12. & 827.59.64. & 835 64. & 861.38. & 877.74. & 878.64 & 881.22 & 882.53. & 883.2.
Ariſtotelis Mirabilia 271.7.55. & 278 30. & 374.57. & 387.20 44. & 388.34 & 540.1.
Ariſtoteles emendatus 147.59. & 307 42.58. & 540. 2.9.10.
Ariſtotelis locus olim corruptus, nunc emendatus 218. 64.
Ariſtoteles emendatus & explicatus 314.10.
Ariſtoteles explicatus 452,66. & 498.16.
Ariſtoteles τὰ Ζωϊκὰ quæ hodie non extant 583 64.
Ariſtoteles aut quiſquis eſt Autor libri de Mundo 372. 10.
Ariſtoteles Spurius 853.25.
Ariſtoxenus in Epitomatibus ornatus libro 314.36. & 514.56.
Ariſtoxenus Cyrenaus 522. 23.
Arnobius 152.34. & 210,36. & 387. 58. & 414.55. & 530.48. & 587 33.
Arnobius notatus 487.15.
Arnobius in Pſalmos 323.56.
Arnoldus Lubecenſis 15.33.
Arnoldus de Villa-nova apud Geſnerum 323.40.
Arrianus 130.74 & 131.49 & 141 7 & 185.57. & 198.57.67. & 682.63. & 686.23. & 728.40. & 790.32. & 811,61. & 821.62. & 874.63 68.
Arriani Indica 342.10. & 684.5[illegible]. & 780.50.
Arrianus emendatus 682,20.
Arriani Epictetus 213.33. & 794.68.
Arrianus in Periplo 129.70. & 138,53. & 143.29. & 145 5. & 682.11. &c. & 706 44 & 711 [illegible].
Artemidorus 57.8 & 132 20. & 172.51. & [illegible]. & 411.64. & 412.74. & 459.70. & 490 26. & 532.67. & 700.74 & 716.42 & 836.16.
Artemidori Opſartytica explicata & Interpres notatus 112.15.
Aruch 353 32. & 354.1. & 383.72. & 395.35 & 396.19. & 456 32. & [illegible]36 61 & [illegible]41.56 & 566. 10.26. & 603.32. & 614.15. & 628.43. & 636. 74. & 715.8. & 720.31.67. & 726.73. & 7[illegible]2. 64. & 772 3. & 794.29 & 800.62, & 877 52.
Aruch emendatus 344.34. & 720.70.
Aruch notatus 794.24 & 803.50.
Aruch manu-ſcriptus 752 19.
Aſclepiades 4.17. & 531.55.
Aſmenus de Signis cœleſtibus 636,24.
Aſſabeli Arabs 745.17.
Aſſaphius 851.40. & 866.10.
Aſſariph vel Sariph 99. 60. & 100.13. & 281.64. & 306.4.70. & 536.40.
Aſſariph emendatus 307. 15.
Ata Choraſanius 575.63.
Athanaſius 215 42. & 427.57.
Athanaſius aut quiſquis ſcripſit in Evangelii parabolas 375 37.
Athenæus 2,3. & 3.61 & 4 6. & 5 39 & 9.39. & 16.3. & 25.1. & 43.09. & [illegible]27.70. & 87 45. & 90 59. & 91.19 & 95. 26. & 96.9 19. & 99.36. & 104 63. & 107.47. & 111.62. & 122.16.32. & 125.38.56. & 132.71. & 138. 69. & 155.13. & 221.27. & 225.64. & 242.29 & 250.57 & 284. 6. & 300 46. & 349.62. & 373 36. & [illegible]76 12. & 410.69.73. & 411.2. & 443.30. & 469 26. & 474 4.9. & 481.24. & 491.4. & 500.44 & 514. 54.55.69. & 523 1.11. & 533.52. & 539 [illegible] & 552.26 & 569.68. & 575.9. et 613 26. et 635. 43. et 646.73. et 647.13. et 648.7. et 649.13 et 662.19 et 681.64. et 685.39. et 687.74. et 691. 18. et 698.14 et 715.15. et 721.54 et 728.35. 64. et 730.57. et 738.30. et 751.17.29. et 752. 38. et 764.6. et 783.70. et 821.9. et 827.2. et 840. 10. et 878.16. et 881.11. et 889.55.
Athenæus emendatus 56,5. et 93.43. et 154.16.39.
Attangidis Arabis liber de Antipathiâ & Sympathiâ 322.47.
Averroes 224.50. et 258,31.
Auguſtinus 35.29. et 36.15.17. et 93.31. et 115. 68. et 126 35.41.44.48.55.60. et 133.73. et 168. 50.56.59. et 203.61. et 210.41. et 212.20.21. et 215 45. et 254.54. et 301,28. et 321.56. et 385.68. et 386.2 6. et 388.66.69.71. et 410. 42. et 430,35. et 433.2 15. et 446.58. et 451.58. et 481 46. et 492.59. et 499.63. et 511.15. et 519. 30. et 537.69.73. et 538.57. et 553.1.3. et 604. 7. et 613.29. et 618.49.65. et 626.29. et 631.39. et 745.52. et 812.8 et 814 74. et 825.2. et 819.9. et 838.10. et 840 31.
Auguſtino adſcriptum opus de Scriptura mirabilibus 36. 41. et 93 71. et 216.2.28.
Auguſtino falſo attributi Sermones ad fratres in eremo 515.44. (*Ubi locus emendatur*) et 550 42.
Auguſtinus, vel quiſquis eſt autor cujuſdam ſermonis de tempore, & libri de decem plagis 572.6[illegible]. et 574.26. et 671 49 52. & *in Apocalypſin ibidem* 67.
Auguſtinus vel quiſquis eſt autor Soliloquiorum 435. 22. et 585.2.
Avicenna 39.32. et 44.33.51.68. et 52.52. et 98.4. 24. et 139 57. et 140.67. et 226.37. et 23[illegible] 4 et 235.13.47.69.73. et 236.22. et 264.5. & 299. 30. et 305.66. et 306.22. et 307.23. et 329.19. et 331.64. et 353.[illegible]9. et 360.28.41 54. et [illegible]61.17. et 365.68. et 366.13.19.37. et 374.34 et 377. 74. et 378.1 4.15.20.22. & 379.62. [illegible] 61 73. et 391.38. et 392.6.65.67 70.72.74 et 393.1 et 395 45. et 397 63. et 398.5. et 399.61. et 405.20. et 402.27. et 40[illegible].47. et 406.21. et 411.30. et 412.6,18.40. et 415.62. et 419. 14.67. et 418.77. et 422.44 et 429.26.17. et 430.3.9.

430.3.9.&c. & 435.40. 54.62. & 436.33. & 444. 37. & 540.66. & 570.73 & 577.46. & 605.19. 25. & 606.24. & 610. 4. & 635 24 71. & 636. 39. & 637.53. & 638 74. & 640.16.54. & 695. 63. & 721.22. & 738 40. & 739 19. & 758.16. & 762.35 & 770.6. & 794.63. & 797.52.63. 71. & 805.26.29.51. & 827.53. & 860. 22.31. & 868.16.
Avicenna emendatus 429 49. & 430.23. & 868.21.
Avicenna notatus 40 27.
Avicenna Interpres 282. 56.
Avicenna interpres notatus 392 48.55. & 402 30. & 570.50. & 571.23. & 807.30.
Avicenna Interpres notatus aut emendatus 429. 44. & 430.9 13.21.
Avicenna versio Arabica textui quid addat 44.58.
Avicenna versio emendata 282.59.
Avienus 66 47. & 73 10 36. & 419.29 & 637.28. & 716.11 & 742.64. & 872.31.
Avienus in Arati versione 3 3.60.
Avoda-Zera, seu de Idololatria Tract. Talmud. 6.27. & 443.55. & 526.10. & 614.12. & 720.28. & 860 61.
Sextus Aurelius Victor 359.27 & 822 16. & *alius eiusdem nominis ab eo tamen diversus, ibidem* 19.
Ausonius 10.71 & 33. 10. & 73.17. & 146.74. & 221 6. & 749 74. & 818.68. & 828.18.
Autocrates in Achaicis 4. 6.
R. *Azarias in* Meor Enaim 4.63. & 6. 13.35. & 569 1.
Azzamachjari 751.65. & 851.72. *Vide Zamachſari.*

B.

B*Aal Aruch* 42 15. & 43.44. & 45.47 & 54.10. 14. & 61.64 & 118 46. & 129.21. & 131. 37. & 156 54. & 263.55. & 293.73. & 140. 71.
Baal Aruch emendatus 294. 1.
Baal Aruch notatus 570.51.
Baal Hatturim 24.9. & 118.74. & 161.6. & 164. 32. & 185.18. & 202.52. & 210 17. & 274.50. & 290.2. & 294.24. & 353 43. & 628.53. & 678.53.
Bacchylides 764 4.
Odoardus Barboſa 130.47. & 413.47. & 759 33.
Barnaba Epiſtola 355.59.
Baronius notatus 488 72
Baſilius 23.48 & 53.4 & 74.64. & 75.73. & 97. 68 & 117 7. & 120.24. & 181.5. & 196. 17. & 221.11. & 227 28. & 309.58. & 310.59. & 327.73 & 331.41. & 368.60. & 370.23. & 498 62 & 512 5 & 525. 2. & 574 17. & 588.59 & 596.16. & 609.32. & 637 71 & 644.15. & 702 29 45. & 746 42. & 747 47. & 784 45. & 838 7. & 861.35.
Baſilius Seleucienſis 626. 7.
Bava Bathra *Tract. Talmudicus* 340 58. & 459.28. & 660.42 & 788.30. & 794 60. & 859.36.
Bava Kama *Tract. Talmud* 353 36. & 395 38.
Bava Metſia *Tract. Talmud.* 127.72. & 527.42. & 614.30.
R. *Bechai* 164 69. & 536.65.
Bechoroth *Tract. Talmud.* 113. 41. & 230 14. & 634 38. & 800 61 & 835 58.
Beda 386.3. & 492.29 & 518.71. & 611.39. & 643 72 & 815.3. & 817 42. & 819 14
Bellarminus 29.8. & 480 61.
Bellonius 48.3. & 67 60. & 81 8 & 104.40. & 147. 66. & 188.29. & 191.61. & 196 12. & 264 29 & 276.64. & 295.51. & 296.37. & 329. 1. & 330. 68. & 332.17. & 364.56 & 378.24. & 418.16. & 562.10 & 573.30. & 722.12. & 747.11 & 748 3. & 750.60. & 751.39. & 752.57. & 757. 61. & 758.7. & 763.60. & 768.20. & 771.56. & 780 25.
Andreas Bellunenſis 192.33. & 282.60. & 304.31. & 317.8. 30. & 678.8.
Petrus Bembus 196.23.
Ben-Sira 831.60.
Benedicti regula 550.52.
Benjamin Iudaeus 677.18. & 703. 46. & 710 58 & 715.2. & 724.62.
Berachoth *Tract. Talmud.* 93.5. & 114 16 & 136. 36. & 621 24. & 634.40. & 720.24. & 735.45. & 804.8.
In Berachoth *vox corrupta emendatur* 83.69.
Bereſcith Rabba 28.13. & 29.3. & 81.26. & 177.45. & 207 73. & 211.44. & 214 41. & 353.40. & 396.11 & 410.46 & 531.63. & 532 11. & 583. 8 35. & 606 6 & 646.61. & 647.33 & 700. 58. & 725.22.41. & 875.15.21.

Pars II.

In Bereſcith Rabba loca emendata 646.68. & 647.16. & 725.55.
Sanctus Bernardus 20.59. & 24.7. & 525.30.
Beroaldus 191. 9.
Beroaldus notatus 453.41.
Beſar Iazadi filius Arabs poeta caecus 173.68.
Betſa *Tract. Talmud.* 51.42. & 415.56.
Beza 21.10. & 296. 56. & 369. 50. & 374.19. & 754.73.
In Beza vetuſtiſſimo exemplari vox aliter lecta 21.13.
Bianor 509 68.
R. *Bibi Bar Abi* 297.70.
Vincentius de Blanc 382. 37. & 423. 55. & 772. 65. & 785 72. & 787.14.19.
Flavius Blondus 107. 4.
Boderianus 419.46. & 650.27. & 740.4.
Boderianus notatus 584.68.
Hector Boethius 684 4.
Boeus in Ornithogonia 162 9. & 302.16. & 525.45.
Bonfinius refellitur 510.10.
Bootius refellitur 693.61. & 779.24.
Bootius alius Rudolphi Imperatoris medicus 707.59.
Borrhaus 538.9.
Briſſonius de regno Perſico 318.4.
Brocardus 724.68.
Brodaeus 423.38.
Budaeus 103.54 & 191.53.63. & 270.11. & 685.60.
Budaei Λογισμὸς 158.3.
Busbequius 329.33. & 598.73. & 816.58.
Buſtamantinus 385.34.52. & 815.20.
Buxtorfius 18.33. & 220.49. & 800.59.
Buxtorfius uterque 709 33.
Buxtorfius notatus 544.28. & 570.71. & 584.68.
Buxtorfii Synagoga 119.24. & 510.39.

C.

A*Loyſius Cadamuſtus* 22. 33. 36. & 386.15. & 389.2 68. & 445.39. & 479.39 43. & 276. 11. & 539. 2.
Caſar 331.18. & 645.42.
Caſarius 20.62.
Cajetanus 29 7.
Caietanus notatus 488.68.
Caelius Calcagninus 753.27.
Callias 417.47.
Callias de rebus Agathoclis 587.7.
Callimachus 268.67. & 278.41. & 413.57. & 548 21.
Calliſthenes 124. 33.
Calliſtratus 87 25
Callixenus Rhodius 141.74. & 143.56 & 218.44.
Calphurnius 66.38. & 529 50. & 768.64.
Cambdenus 822 50.
Martianus Capella 11 2. & 120.64. & 729.42. & 733.32 & 879.19.
Ludovicus Capellus 679.31.
De Capite Anni *Tract. Talmud.* 115.17.
Iulius Capitolinus 95.32. & 152.57. & 178.59.
Cardanus 123 45. & 201.74. & 240 36. & 253.30. & 423.41. & 710.70. & 771.59 & 822.60.
Cardanus notatus 249.24. & 842.33.
Carneades 11. 4.
Caſaubonus 237.21.
Caſaubonus notatus 112.30. & 682.52.
Caſſander 130 64.
Caſſianus 47.12. & 49 3. & 550.32.38.
Caſſiodorus 72.19 & 74.29 71. & 75 72. & 78.70. & 84 39 & 85.33. & 207.6. & 319.63.72. & 386.1. & 616.38. & 867.12.47.
Caſtalio 186.38. 42. & 238.67. & 263.33. & 291. 47. & 301.59. & 369 50. & 374.14. & 399.53. & 416.68. & 513.53. & 689 20.
Caſtalio notatus 128.70. & 129.3.
Catalecta Veterum 732.3.
Cato 50.40. & 112.48.
Catullus 9.72.74. & 64.15. & 152.28. & 158.33. 35.37. & 202.41. & 679.69. & 772.30. & 739.65.
Cauſſinus 775 28.
Cebetis Arabs Interpres notatus 721.49.
Cedrenus 90.38. & 616.47. & 621.1. & 884.74. & 886.67.
Celſus 42.62 & 394 48. & 415.24. & 512. 46. & 587.37. & 588.54. & 721.13. & 827.34. & 37. 40.
Celſus apud Origenem 327.50. & 594.30. & 600.11.
Cenſorinus 120 21. & 121.5. & 196.37. & 817.70.
Cerithuth *Tract. Talmud.* 804 43.
Chabalogiars 856.71.
Chaldaeus paraphraſtes 1.19. & 13 55. & 17. 22. 29. 38. & 113. 26.36 & 115.31.73. & 116 10 15.43. & 140.21. & 189.50. & 258.60. & 239.19. 24. & 253.61. & 254.10. & 256.35.49. & 261. 21. 32. & 325.58 & 359.57 & 379.30. & 384.27. & 398. 28. 50. & 399.49 60. & 404 43. & 407. 45. & 414 10.21. & 426. 29 & 444. 9. & 457.66. & 459.40. & 466.67 & 469.46. & 471.47. & 494. 34 & 499. 1. & 509 44. & 544.25. & 551 20. & 561.20. & 586.9. & 593 24. & 604 69. & 606.2. & 608.21. & 611 22. & 612. 46. & 641.2.36. & 642.56. & 644 52 & 649.6. & 681.49. & 694. 71. & 701.27 29. & 711 19. & 712 68. & 745 47. & 757.46. & 758.68. & 763. 71 & 784 39. & 785.19 & 798.11. & 831 31. & 832 37.45. & 847.1. & 855.33.37.40. &c. & 885.29. & 887. 28
Chaldaeus aliter legit 379.30. & 404 11. & 457.24. & 799 13.
Chaldaeus & Symmachus aliter legerunt 79.64.
Chaldaeus Pſalmorum Interpres 389 25.
Chaldaeus Cantici paraphraſtes 7.9. & 37.60.
Chaldaei duo 291.48.
Chaldaei tres 344.68.
Chaldaeus emendatus 84.1. & 457 35 & 618.51.
Chaldaea verſionis triplex mendum eluitur 116.42.
Chaldaei Interpretis duplex verſio 115.28.
Chaldaica lingua recentiores Lexicographi notati 223. 71.
Nicholaus Challuſius Diepenſis 787.12.
Chaghi Iachmar 206 27.
Chalvea Arabs in libro Laiſa *de rebus quae in aliquo aut alicubi non ſunt* 260 70. *Vide Ibno Chalvea,*
Chamza Grammaticus Arabs 146 53.
R *Chaninna* 138.57
Chares Mitylenaeus 683 14. & 686.24.
Chares emendatus 686.31.
Charito 532 37.
Charon Lampſacenus 9 38.49.
R *Chaſan* 444 53.
Chazkuni 224 31.
Petrus Chieza 390.14.
Chiſamenſis Epiſcopus 211 53.
Choerilus 541.53.
Cholin *Tract. Talmud.* 6.11.73 & 10 22. & 158.46. & 177 42. & 279.64 & 282 65 & 292.42. & 293.55. & 297.55 & 325.56. & 337.52. & 344. 23. & 346 74. & 353 8.32.70. & 354.63. & 355. 30. & 410.25.71. &c. & 456. 29. & 491.35. & 565 22. & 566.62 & 570.70. & 575.61. & 614. 8. & 621.24. & 737. 4. & 753.34. & 841. 48.
Chronica Eſpahan 124 21.
Chryſermus 312.13 & 700.53.
Chryſippus 125 37. & 244 33. & 372. 17. & 636. 33.
Chryſoſtomus 12.71. & 18.61. & 23.60. & 32.27. & 36.37. 64 67. & 60.29. & 86 38. & 152.16. & 206.50. & 210 41. & 216.34. & 218.55. & 220. 43. & 221 9. & 270.55.71. & 271 44. & 370.34. & 492.56. & 528.51.
Chryſoſtomus notatus 81 24.
Cicero 36.44 & 73.54. & 74.60. & 124.34. & 158. 40 42. & 170.27 & 207.18. & 370.66. & 414. 71. & 423 9. & 494.16. & 512 31. & 524 62. & 530.73. & 560.41. & 600 28. & 624.37. & 632.2. & 648.9. & 665.73. & 671.1. & 699.64. & 796.71. & 837.26. & 881.64. & 888.53.
Cicero in Arateis 633 40.
Cicero emendatus 414.74. & 633.3.
Inter opera Ciceronis auctor ad Herennium 65.43.
Cinna 393 54.
Claudianus 12.29. & 67.36. & 69.64. & 71.6. & 74. 25. & 137.41. & 163 18. & 171. 34. & 244 67. & 245.65. & 259.38. & 426.4 & 433 73. et 456. 24. et 478.51. et 495.48. et 507. 1. et 519 64. et 520 26. et 765. 47. et 766. 2. 6. et 818.66. et 842.64. et 879.20.
Cleanthes 600. 6 20.
Clearchus 349.63. et 552.2. et 522.69.
Clemens Alexandrinus 6.7. et 22.53. et 23.21. et 55. 22.39. et 95.62. et 136.74. et 137.4. et 316.11. et 355.69. et 462.17. et 489.8 et 492.37. et 500. 44. et 512.2. et 542.61. et 552.20. et 581 4. et 643.66. et 691.33.49 et 698.17. et 761.21. et 821. 3.55. et 824.60. et 838 7.
Clemens Romanus 825.3.
Nicolaus Clenardus 492.20.
Cleomenis Epiſtola ad Alexandrum 107.49.
Od: Cluniacenſis 550 60.
Cluverius 867.54.
Clytus Ariſtotelis diſcipulus 132 72. et 133.33.40 41. et 250. 58.
Codinus 616. 47.

Cælius Rhodiginus 530. 53.
Caius Aurelians Chronia 773.70.
David Cohen de Lara 131.38.
Columbus 33 29.
Columella 30.56. & 33.5. & 39.16. & 50.43. & 65. 49. 53. & 66.36. & 132.56. & 177. 1. & 219.60 & 240.53. & 244.41. & 389 42. & 413.54 & 444.20. & 455.15.19. & 468.41.42.45.47. & 484.60. & 503.4. & 506. 39 42. & 544 10. & 570.25.30. & 594.62. & 650.59. & 670.71. & 729.54. & 753 49.
Columella emendatus 508.19.23.
Petrus Comeſter in hiſtoriâ Scholaſticâ notatus 41.41.
Compluſenſis editio Græca melius 215. 56.
Concilia Galliæ Agathenſe, Epaunenſe, Matiſconenſe 272.17. &c.
Conon 12 18. & 419. 38.
Conſtantinus Porphyrogenneta 717.25.32.37.
Cor Philoſophia 823. 50.
Cordubenſis Alcorani Commentator 855.64.
Corinna 352. 1.
Corippus 526.41. & 528.14. & 725 33.
Cornelius Celſus 94.61. & 640.64.
Cornelius Gallus 695. 18.
Cornelius Nepos 79. 34. & 624. 43.
Cornutus in Perſium 520.70.
Crates Pergamenus 394.47. & 834 16. & 840.2.
Cratinus 125.41. & 637 43.
Petrus Creſcentienſis 194.34. & 269.67.69 & 291. 35.
Petrus Crinitus 695.21.
Cteſias nugaciſſimus Scriptor 4.62. & 5.42.44 50 & 7.33 54. & 8.44 & 185 55. & 270 74. & 271. 5. 55. & 342.10. & 560.15. & 578.32. & 635. 53. & 700.73. & 701.2. & 738. 7. & 843. 26. 32.48.60 74.
Cteſiæ codex Bavaricus 757. 41.
Curtius 7.14 & 242.56. & 594.65. & 624 37. 38. & 715.41. & 761.33.
Benedict. Curtius 602. 6.
Cyprianus 125. 66.
Cyrillus Alexandrinus 22. 49. & 31. 28. & 36. 39. & 241.4. & 202.39. & 210.43. & 212 24. & 218, 34 & 219.20. & 326.31. & 348.31.36.41 & 356.28. & 421.70. & 448 3. & 466. 54. & 468.74. & 473.50 & 475.67 & 477. 12. 51. & 478.8. & 480 22. & 408 69. & 506 23 30. & 525.25. & 528.52. & 549.69. & 610.15. & 613. 36. & 743 69. & 745.41. & 824 60. & 842 65.
Cyrillus emendatus 218. 34. 61. & 481. 13. 17. & 743.72.
Cyrillus notatus 840.58.
Cyrilli Lexicon ἀνέκδοτον 310.69 & 320.46.
Cyrilli Lexicon manu-ſcriptum emendatum 63.57.

D.

DAimachus 77.34. & 598.65. & 816 6.
Dalechampius 319.52 & 790.62. & 808.63.
Dalechampius notatus 56. 1. &c.
Ioan. Damaſcenus 512 10. & 756.12. & 795.61.
Petrus Damianus 301.42. & 310.67.
Damir 6.67. & 11.73. & 14.54 & 16.48. & 21.64. & 24.11. & 31 68. & 52 39. & 60.65. & 62.17. 20. & 65 48. & 67 64. & 70.10. & 74 74. & 76. 11. & 81 69. & 82. 28. & 84 44. & 85.40. & 91 3. & 100.14. & 138.12. & 139. 52. & 144 35. & 147 20 41.68. & 148.23. & 153. 64. & 154 60.62. & 164 73. & 167.54. & 171.36. & 173.32 35. & 154 45. & 175.41.50. & 178.15. 63. & 187.57.70. & 188.1.12.18. & 190.1. & 192. 30. 36. & 193 38. & 194.54. & 202.49. & 205.67. & 223.23. & 227.8. & 233. 30. & 236.41. & 237.42. & 241.62 & 244 52. & 246 33. & 251.10. 63. & 253.34. & 254.14 & 255. 48. & 257 26. & 258.58. &c. & 259.43. & 260. 29.64. & 268.6. & 273.5.50. & 276.72. & 280. 32. & 281.69. &c. & 283 9 48. & 284 25. & 286 44. & 288.36. & 292 64. & 298.48. & 303.38. 41.60. & 306.54. & 307.25 & 308. 36 & 310.10. & 312 49 & 313 46. & 315 31. & 317.6. & 321.73 & 322.13.36. & 323 9. & 329. 17.31. & 331.63. & 334.45. & 335. 41. & 336. 59. & 337.33. & 341. 50. & 346.56. & 351.40. & 354 4. & 363.46. & 369 14. & 374.69. & 378.44.63. & 395.49. & 400.45. & 471 23. & 405.54 & 406.23. & 414.62. & 415.38. & 446.2 49. & 447.21. & 452.48. & 460. 18. & 461.36.44. & 470.61. & 475.10. & 477. 57. & 478.40. & 482.11. & 485.15 & 491.45. & 498. 22. & 504.31. & 514 3. & 535.21. & 553.31.35. & 554.38.54. & 564.15. & 573. 52. & 576.72. & 585. 54. & 589. 54. & 590.46. & 596.66. & 601.24.41.57. & 602.57. & 608.68. & 617. 4. & 627.20 29.36. & 635.36. & 638.41. & 641. 58. & 642.4. & 647.41. & 672. 66. & 713 65. & 721 25. & 748 74. & 751.54. & 753. 13. & 771.52. & 775.2. & 778. 4. & 779. 2. & 785. 66. & 786.67 & 789 23. & 793.59. & 812.58. & 814.44 & 822. 74. & 823. 8. & 824. 20. & 845.37. & 846.47 & 847 4. & 850.40. & 851. 61. & 852 37. & 853.60. & 854.50. & 855.23. & 856. 22. 32. 69. & 861.3.73. & 864. 28. 57. & 865. 41. 63.
Damir quod in uno exemplari 333. 44. & in altero. ibidem 58.
Damir notatus 570.56.60. & 862. 12.
Damocrates 808. 9. 12.
David de Pomis 274. 24. & 720. 23. & 876.73. & 877. 52.
David de Pomis notatus 263 50. 54 67. vide Pomarius.
Delrio 390.12. & 391. 52.
Demetrius Epheſius 739.1.
Demetrius in Hieracoſophio 175 25. & 267.30. 34 & 269. 41. & 270.61.
Demetrius in Orneoſophio 165.61.
Demetrius in Siciliâ 55.37.
Democritus 528.25.
Democritus Epheſius 728.36. & 733 57.
Democriti Geoponica 450.52. & 478.45.
Democritus de purpurâ 624.73.
Demoſthenes 53. 13 & 55. 54.
Demoſtratus 700. 9.
Deodatus 263.34. & 298. 15. & 472.8. & 538.11. & 754. 73.
Deodatus notatus 136.25. & 783.1.
Paulus Diaconus 196. 48. & 492.73.
Didymus ex antiquiſſimis Cretenſium hiſtoriis 525.41.
Didymi Geoponica 98.18. & 469.15. & 504. 14. & 507.7. & 516.10. & 577.68.
Digeſta 881.71.
Dio Chryſoſtomus 244 42. & 290.54. & 592. 20. & 716.19. & 880.13.
Dio Nicæus 156.5.8. & 172.36. & 196.56. & 240 66. & 267 1. & 285. 24. 29. & 339 15. & 431 16 & 586.21. & 817.69. & 822.6. & 833. 7. & 884 2.
Dio Nicæus emendatus 241.5.
Diodorus Siculus 4.62. & 5.28.44. & 17.58. & 30.37 & 100.70. & 103.66. & 107.56. & 132.31. & 117 6. & 141 8.32.52. & 163. 21. & 221. 72. & 225 60 & 228.56. & 230.51. & 245.32. 35. & 259 57. & 261.49. & 314 27. & 367. 37. & 371. 16 & 380.36. & 411.67. & 412 43. & 413.25. & 417 54.64. & 430.61. & 431.51. & 463. 58. & 490. 23. & 495 16. & 521.29.50. & 528.5. & 539.35 54. & 540.36.50. & 559 65. & 560.48. & 567 21. & 578.56. & 657.58 & 662.44. & 687.44 & 716 44 & 738.25. & 740. 55. & 750.69. & 755 36.54.74. & 756 43. & 757 34.63. & 762.8 & 767.68. & 768.46. 52. & 770.59. & 775.4. 23 & 778.6. & 780 3. & 788. 7. & 790. 43. & 792.25. & 794.52. & 795.4. & 796. 7. & 811. 10. & 828.65. & 836.4. & 838.30. & 867. 17. & 874. 27. 50. 74. & 877.70. & 879 1. & 881. 27.
Diodorus aliter legit in Agatharchide 792.41.
Diodorus de mundo ſuſpectus 342.61.
Diodorus emendatus 30 46. &c. & 792.33.
Diodorus Tarſenſis notatus 319.55.
Diogenes Cynicus 9. 68.
Dionyſius Areopagita 421. 70. & 871. 38. & 876. 31.
Dionyſius in Baſſaricis 162.12.
Dionyſius Carthuſianus 483.36.
Dionyſius Characenus Oppiani paraphraſtes 280.15.
Dionyſius Halicarnaſſeus 371. 47. & 826.40.
Dionyſius Periegetes 71. 38. & 131.60. & 687. 25. & 702.31.64. & 703. 7. & 710. 13. & 742. 37. & 872. 47.
Diophanes Geoponica 514 45. & 515.4.
Dioſcorides 38.24 & 130.50.57. & 140.63. & 141. 5. & 143.9. 16. & 187. 53. & 192.21. & 230. 62. & 235.47.60. & 236.16. & 293.28. & 305. 70. & 312.7.10. & 316.62. & 332.54. & 353.57. & 360 41. & 370.15. & 371. 37. & 373.68. & 374.22. & 422 13 & 450.19.35. & 481 .20 22. & 490.40. & 521. 23.48. & 526.5.59. & 527.18. & 532.61. & 533.2. & 563 74. & 575 11. 13.15. & 606.14.40. & 616.11. & 619.43. & 623.33. & 624.51. & 635.42.45.63. & 640.7.14. & 647.3. & 648.30. & 690.63. & 695.23. & 702.9. & 709.46. & 728.54. & 731.12. & 735.49. & 738. 33. & 751.26. & 781 26. & 803. 54. 59. 60. & 804.1.12.16.69.73. & 807. 54. & 808.16.27. & 842.34. & 868. 16.
Dioſcoridis Auctarium 294.10.14. & 728.55. & 737. 18. & 756.14.
Dioſcorides emendatus 690.69.
Dioſcoridis locus explicatus 144.55.
Dioſcorides vindicatus 807.38.
Dioſcoridis Arabica paraphraſis 55.55. & 144.65. & 690.67. & 695.36. & 721.27. & 752.17. & 808. 60.
Diphilus 376.12. & 821.14. & 878.14.
Dorotheus autor ſpurius in Synopſi 167. 6. & 449. 46. & 756 12.
Doſiadæ ara prima 733.35. & 739.41.
Doſiadæ ara ſecunda 743.62.
Doxapater in Aphthonium 772 72.
Druſius 275.7. & 440.6. & 544 41. & 784 61.
Druſius notatus 516.27
Chriſtianus Druthmarus 489.45. & 519.2.
Durus 314.31.

E.

EBionæorum Evangelium notatum 488.23.
R. Elias Levita Germanus 42. 15. & 43. 45. & 197.16. & 216.68. & 344.64 & 644. 54. & 674. 51. & 797.37. & 804.52. & 831.52.
Elia Methurgeman 345.20.
Elias in Thisbi 129.33. & 230.28.
Elias Cretenſis 204.53.
R. Eliezeris Capitula 205.5. & 568.58.
Elmacinus in hiſtoria Saracenica 772. 57. & 784. 16. & 787. 40.
Conſtantinus l'Empereur 580.1.
Ennodius 141 7. & 872.7.
Ephorus 385.25.
Epicharmus 207.28. & 411.3. & 623.25. & 640 74.
Epictetus 176 24. & 201.38. & 213.33.
Epigrammata veterum 66.43. & 244.30. & 330.18 & 525 68. & 697.14.
Epiphanius 23.72. & 36.25. & 84 21. & 164.39. & 168.35. & 287.24.26.29. 31. & 363. 25. & 367. 43. & 398.14. & 414.37. & 415 1. & 418.46.50. & 427.61. & 488.27. & 489.16. & 588.63. & & 596.29. & 599.19 & 635.19. & 672.4 & 696. 42. & 698.56 & 699.52. & 729.17. & 730. 52 & 731. 17. & 764. 36. & 817. 61. & 819.65. & 879 6. et 824 60.
Epiphanius emendatus 796 9.
Epiphanius notatus 516.52.
Epiphanio adſcripta Prophetarum vita 167.6.
Erachin Tract. Talmud. 544.45.
Eraſmus 369.50. & 391.17.
Eriphus 753.57.
Erpenius 60. 52.
Erubim Tract. Talmud 45. 44. & 772.5. & 832. 49.
R. Eſaias 47 21. & 395.32. & 784.34.
Eſther Rabba 131. 39.
Eſthera Secundum Thargum 119.32. & 792.15.
Etymologicum Magnum 25.3. et 42 24. et 55.18 et 63.58. et 219.37. et 237.13. et 244 50. et 301.15. et 310.68. et 320. 43. et 323. 21. et 329. 67. et 331.37. et 373.69. et 380.10, 41. et 449.65. et 521.4. et 533 31. et 546.20 et 613. 35. et 619. 56. et 730.21. 51. 60. et 737 70. et 740. 73. et 760.67. et 789.25. et 797.19. et 809.21. et 819. 16. et 869.4. et 882.68.
Etymologicum emendatum 43.56. & 883 32.
Evagrius 621.11.
Evangelium Æthiopicum 865.58.
Eubulus 448 50. & 753.57.
Eucherius 429.68. & 746.13.
Euclides Arabs 712.25.
Eudemus Rhetor 872. 62.
Eulogius Alexandrinus 834.64.
Eumolpus 878. 74.
Euphorbus de Signis Cœleſtibus 636. 26.
Euphorion 728. 61.
Eupolemus 54. 23.
Eupolis 730.22.
Euripides 14. 35. & 126. 62. & 219. 43. & 372. 4. et 434 69. et 514. 22. et 520.11. et 530.19. 36. et 552. 21. et 612. 4. et 826. 52. et 828. 13.
Euripides emendatus 537. 17.
Euripidis Scholiaſtes 434.20. & 784.47. & 828.24.
Euſebius 5.57. et 7.58. et 31. 28. et 54. 25. et 214. 10. et 427.53. et 429. 50. et 434. 55. et 529.61. et 537.68. et 581.5. et 620.60. et 760.17. et 793. 36. et 821.4. et 825.3.
Euſebius 285. 49.

Euſta-

Euſtathius Antiochenus in Hexaemeron 10. 62. & 24. 3. & 84.25. & 85.12. & 90.63. & 97 68. & 168. 17. & 180.27. & 181.7. & 241.48. & 294.73. & 301.26. & 309.65. & 310.61. & 316.14. 45. & 317.64. & 320.18. & 331.45. & 363.41. & 588.72. & 595.42. & 758.1 & 763.67. & 777. 52. & 782. 22. 47. & 785. 53. & 794. 37. & 795 5. & 814.37.39. & 821. 4. & 825. 4. & 862. 35.

Euſtathius in Hexaemeron emendatus 780. 12.

Euſtathius Theſſalonicenſis in Homerum 1. 26. & 14. 52. & 22. 12. & 55 27. & 69.67. & 189. 11. & 267 20. & 323.24. & 329.67. & 337.22.71. & 410.69 73. & 411.10. & 430.49. & 438.1.4. & 449.65. & 455. 54. & 494. 25. & 514.62. & 522. 30. & 537. 47. & 539. 32. & 542. 47. & 546.72. & 548. 61. & 552. 19.55. & 553. 44.62. & 569.31. & 613. 54. & 629 43. 46. & 662.18. & 688.44. & 691.56. & 726.30. & 730. 54. & 733.28. & 737. 72. & 738.63. & 763.13. & 764 6.54.61. & 767.9. & 768.27. & 798. 48 & 861.58. & 886 36. & 888.52.

Idem Euſtathius emendatus 411. 12.

Idem Euſtathius in Dionyſium 905.73. & 278. 35. & 490.36. & 788.72.

Euſthenius de Cœleſtibus ſignis 636. 18.

Euthymius 168.73. & 488.64 & 489. 22. & 492. 34. & 521.15. & 602.54. & 643.72.

Euthymii Monastica 767.50.

Eutropius 186.12. & 359.30. & 616.20.

Eutychius Alexandrinus 31.44. & 113.69 & 210. 44. & 215.24 47 & 217.8 & 359.40 & 479.29 & 527.59. & 620. 64. & 713. 71. & 714. 1. & 716 47. & 717.58. & 718.7. & 722.5. & 740. 14. & 787.48.57.65. & 847.5.

Eutychius Alexandrinus refellitur 38.64.

R. Ezechias 658.28. & 668 30.

Ezechiel Iudæorum Tragœdus 820.67.

F.

GEorgius Fabricius apud Geſnerum 170.19.

Fagius 298.13. & 440. 7.

Fauſtus de libero Arbitrio 20.49.

Ioan. Bapt Ferrarii Lexicon Syriacum 339 30. & 621. 63 & 800 54. & 860 49.

Feſtus 49.32. & 70. 4. & 73.5. & 112. 48. & 131. 62 & 147.2 & 170.39 & 187.50. & 221.6. & 273.62. & 276 11. & 284.63 & 410 23. & 623 20. & 627 9 4 & 633 9 60. & 650.52 & 679. 64.72.73 & 783.70. & 827.70. & 825.50. & 832.39.62. & 864.13. & 872.30. & 876.64. & 880.51.74. & 881.55.

Iulius Firmicus 296. 1. & 271. 35.42.62. & 756.13. & 817 70.

Florentini Geoponica 30.64. & 503.34.

Florus 879 60.

Robertus Feleu 724.11.

Freculphus 481.46.

Frontinus 15. 61.

Fulgentius emendatus 314.33.

Fullerus 140. 50. & 143.36. & 232.32. & 334. 14 & 444.13. & 462.28. & 579.71. & 872. 8.

Fullerus notatus 709.1 69.

Fullerus refellitur 42. 33. & 220 51. & 221.10. & 222.30. & 227.59. & 228.43. & 455.72.

G.

GAbrias 244.4. & 369. 40.

Gabriel Sionita 282 53. & 874 32.

Gabriel Sionita notatus 326.19. & 333.34.

Galenus 2. 26. & 22.65. & 39.52.57 58 & 50. 51. 53. & 52.54. & 66.62. & 130.49. & 139.49. & 153.18. & 212.4.7.13. & 223.28. & 226.10. 14.19. & 306 23. & 307 23. & 332.70. & 359. 17. & 360 47. & 361 42. & 362.21. & 363.20 & 367.5. & 371.46. & 381.50. & 401.18. & 406.19.33. & 421.74. & 503.21. & 521.25. & 577 46 & 619 43. & 635.43. & 638.27. & 648 36 & 649.25. & 721 9. & 738.47. & 746.41 & 751 41. & 793.46. & 803.55. & 808.9.11. & 827.30 36 52. & 836 61. &c.

Galeno adſcriptus liber de paratu facilibus 751.48.

Galenus emendatus 571.31.

Gallienus Imperator 13.6.

R. David Ganz in Chronologiâ 5.21. & 568.74.

Gaſſendus 860.25.

Gaza 443.34.

Gaza notatus 484.66. & 498.17.

Ioan Gazæus 818.58. & 821 44.

Gellius 128 38.42. & 372.17. & 523.12. & 769.70.

Gellius ex Phavorino 94. 47.

Genevenſes 301. 60.

Geonim i. e. Illuſtrium Doctorum reſponſiones 293. 62.

Geoponicon Autores 526.7.

Germanicus in Aratum 213.1. & 453.34.

Gerſom Solomonis filius in Porta cœli 84.72. & 85.52. & 88. 11 & 167. 40. & 224. 37. 53. & 258 26. & 328.4. & 747.62. & 767.28. 36. & 771.49.

Geſnerus 83 19. & 88.60. & 104.47. & 153.18. & 186.3. & 190.9. & 194.4. & 196.9. & 264.63. & 295.43. & 296.42. & 298.16. & 315. 1.5. & 319.52. & 329.36. & 330.57. & 335.52. & 345. 23. & 378. 28. & 387.26. & 393. 54. & 397. 4. & 422. 50. & 692 10. & 748. 73. & 752. 73. & 778.4. & 780 22. & 804.53.

Geſnerus notatus 55.69. & & 133.1.

Gianbare 82.10. & 114.23. & 126 3. & 131 27. & 164.73. & 264.2. & 322.2. & 395.57. & 446. 1. & 468.54. & 469 39. & 570.60. & 605.45. & 679.42 & 755.69. & 785.17. & 789.20. & 822.69 & 843.2.

Giggeius 45.2 4.5.8.27. & 46.58. & 52.22. & 89. 5. & 131.21. & 232.50. & 282 61. & 317.8. & 404 65. & 494.62. & 688.58. & 773.27.32. & 822.69 73. & 869.25.

Giggeius notatus 287.7. & 585.8. & 589.61.

Petrus Gillius 341.29. & 431.40. & 743.40. & 744. 70. & 864.56.

Gittin *Tract. Talmud* 5.4. & 47.41. & 347.4. & 568 17.21. & 636.65. & 841.42.

Gloſſa veteres 70 8. & 120.37. & 143.47. & 147.6. & 177.8. & 187 51.52. & 276.14. & 284.19. & 444.24. & 445 5. & 449.8. & 534.73. & 537.55. & 546.61. & 612.42. & 624 62. & 625.2. & 627.12. & 633.8. & 645.2. & 650.56. & 679. 61. & 682.42. & 729 15. & 730.67. & 761.17. & 797.9. & 826.23.

Gloſſa emendata 157.67.68.69.70.71. & 222.54.64. 66.69 & 223.3. & 606.42.

Gloſſa Philoxeni 284.21. & 704.47. *vide Philoxenus.*

Gloſſa in Deuteron. & Pſalm. 325. 73. & 326. 1.

Gloſſator Hebræus notatus 824.33.36.

Gloſſa Maimonidis 10. 39.

Gloſſa Talmudica 6.27. & 10.29.32. & 42.17. & 47. 32. & 53 69. & 83 66. & 93.12. & 224.28. & 274 30 & 297.63. & 298.2. & 323.43. & 353.50. & 383 60. & 450 30. & 456.36. & 508.43. & 565. 24.33. & 566 40.51.68. & 570.69. & 792.46. & 793.37. & 794 13. & 804.46 & 808.5.

Gloſſa Talmudis emendata 189.56 & 344.31.

Gloſſator Talmudicus notatus 803.48.

Gloſſa in Megillath Eſther 726.69.

Michael Glycas 24.6. & 301.44.

Goblerus apud Geſnerum 328.34.

Goffridus Abbas Vindocinus 24 6.

Golius 131.26. & 282.61. & 317.32. & 404.69. & 494 59. & 679.42. & 688.58. & 773.32.

Gorſonidis 131.40 & 757.14.

Gorram 872.60.

Gottofredus notatus 90. 42.

Græci Interpretes 1.15. & 26.29 & 112.6. & 127.65. & 218.33. & 238.46. & 239.18. & 253.60. & 254.35.55. & 256.72. & 261.15.35. & 263.52. & 272.64 70. & 281.34. & 286.23. & 292.35. & 294 20. & 321.56. & 326.24. & 379 36. & 398. 27. & 399 47. & 416.43. & 444.62. & 448.15. 56. & 458.73. & 459.39. & 471 44. & 493.39 & 534.56. & 545.37. & 552.27 & 557 64. & 593 3. & 605.61. & 612.61. & 618. 18. 21. 43. & 688. 73. & 674 49. & 701.18. & 728.24. & 773 8. & 784.41. & 785.18. & 804.33. & 820.5.54.64. & 878.25 & 887 20.

Quinta verſio Græca 272.71. & 612.27.

Sexta verſio Græca 272.72. & 325 12.17.

Græcæ verſionis pleræque editiones 842.6.

Græcæ verſionis exemplar Alexandrinum 715.49.

Græci aliter legerunt 13.23. & 58.4. & 63. 1. & 83.45. & 114 48. & 115 62 & 140 28. & 174.61. & 210 25. & 381.10. & 404.8.40. & 439.17. & 457.20 & 480.4. & 781.17.

Græci idem vocabulum aliter atque aliter legerunt, unde nata duplex verſio 84.13.

Græci aliter legerunt, & fortaſſe melius 211.74. & 212. 16. & 213 68.

Græci & Hieronymus aliter legerunt 57. 50.

Græci, Syrus & Æthiops aliter legerunt 58.55.

Græca lectio 799.39. & 800.37.

Græci quid ſuppleverint, & Syrus, & Chaldæus tres, & unus Arabum 182.41.

Græci Interpretes alii à Senioribus 381 5.

Græca editio Complutenſis & Plantiniana, Syrus & Æthiops Apocal 813. *pro Angelo aquilam habent* 813 66.

In Græca verſione quid additum 209.49.

Græca verſio aſſeritur 220 70.

Græca verſio explicata 714.19.

Græca verſio corrupta in pleriſque exemplaribus 235. 55.

Græca verſio emendata 522. 55. & 56.

Græcus Anonymus in Pſalmos 168 29.

Græci Interpretes emendati 173 25. & 264. 13. & 481.11.17. & 513.62. & 583.30. & 761.45. & 765.10

Græcæ verſionis mira libertas 116 50.

Græca & Vulgata verſio notantur 56. 56. & 830. 12.

In Græca verſione Proverb. 6. 8. *de ape quadam addita* 511. 59.

Græca verſio notata 165.38. & 166.38. & 200.35. 46. & 204 36. & 212.45. & 270.20. & 466.71 & 773. 42.

Græcus Scholiaſtes in Danielem 50. 13. & *in Pſalmos* 784.43.

Gratarolus 298. 16.

Gratiani lex de purpurâ 736.55.

Gratius 117 42.

Gregorius Magnus 11.63. & 12 64. & 20.52. & 24. 2. & 114 62. & 129 61. & 206.66. & 207.45. & 269.58. & 301.34. & 447.64. & 610.10. & 814. 3. & 840.59. & 871 49

Gregorius Nazianzenus 14 25. & 20.27 & 23. 54. & 74.37. & 241 39. & 291 51. & 367 3. & 372.41. & 397. 58. & 398. 15. & 407. 25. & 499. 43. & 509 32. & 609. 5 38. & 638.13. & 809. 28. & 810.6. & 824.71. & 872.38.40.42. 44.

Gregorius Nyſſenus 23.71. & 56. 45. & 175.5. & 201. 54. & 609.12. & 671.72. & 730.12.

Gregorius Turonenſis 202.13. & 616.46.

D. de Grentemeſnil 195.28. & 241.5. & 704.38.

Grotius 420.46.

Guillelmus Tyrius 725.6.

H.

R. Hai 606. 4.

R. *Haitho Armenus* 299. 73. & 770.42.

Hamburgenſis Navigationis Autor anno 1549. *col.* 774. 21.

Hamiri Arabs 985. 55.

Haririus Arabs poeta 205 30.

Haririi Scholiaſtes 205. 41.

Harpocration Alexandrinus 316. 57.

Hebræi 440. 4.

Hebræi vetuſtiores 325. 23.

Hebræi doctores 538. 23. 44.

Hebræi multi notati, & alii hos ſequuti 713.15.20.

Hecatæus 816. 9.

Hedylus in Epigrammate 403.71.

Hedyli interpres notatus 43.74.

Hegeſander 721. 53.

Daniel Heinſius 16 10. & 55 44.

Gaſpar Heldelinus 330.26.52. & 332.5.

Heliodorus 121.10. & 438 14. & 451. 12. & 763. 17. 74. & 773.65. & 783.7. & 790.19. & 842. 64.

Heliodorus notatus 816. 19.

Hellanicus 597 30.

Heraclides 198. 41. & 221. 29. & 228. 69. & 521. 2.

Heraclides in Politiis 539.60.

Heraclides Cumanus 225.62. & 533.52.

Heraclides Lembus 104.69. & 539.32. & 661.74. & 662.20.

Heraclitus 836. 37.

Hermes 851.51.

Hermolaus Barbarus 492.25. & 751.38.

Hermolaus in Dioſcoridem 489.40.

Herodianus 89. 27. 31. & 172.41. & 221. 30. & 717. 4.

Herodorus 314. 31.

Herodorus Ponticus 308.55. & 317.45 71.

Herodorus Bryſſonis Sophiſtæ pater 307.45.52.

Herodotus 3. 50. & 7.65. & 18. 54. & 43.67. & 53.44 & 63.32. & 67. 5. & 70 33. & 131. 31 & 141.8. 58.66. & 143. 38. & 163. 46. & 172. 66. & 174 71 & 221.26. & 248.60. & 267. 49 & 281.38 & 293.21. & 294.13. & 352.2. & 363 3. & 409. 1 & 410.16. & 423.10. & 499.20. & 504 65. & 505.72. & 510 30. & 517.66. & 530.69 & 540.13 & 541.8. & 559. 53.7. & 567.50. & 569.60.63. & 579.26. & 598. 57. & 620.49. & 623.31. & 641.48. & 669.21. & 700.

& 700.1. & 755.34 & 757.27.63. & 760.10. & 763.12. & 765.59. & 770.56. & 775.4. & 778.5. & 779.71. & 781.23.66.74. & 785.34. & 788.12. & 794.65. & 795.47 & 796.6. & 801.71.74. & 811.51.52. & 816.6. & 842.46. & 867.48. & 874.42.74.

Heſiodus 63.52. & 67.44. & 69.56. & 78.51 & 150.5. & 243.11. & 266.47. & 314.23. & 371 64. & 419.51. & 434 46. & 472 30. & 514.19 & 519.44. & 597.46. & 599.59. & 627 3. & 648 4. & 760.23. & 783.18. & 827.72 & 872 15. & 882 22.

Heſiodi Scholiaſtes 519.50 & 599.60. & 827.74. & 882.38. & 883.23.

Heſychius 7.37. & 9.21.22. & 17 68. & 25.3. & 42.23. & 43.52. & 49.11. & 58.1. & 63.56. & 66.22. & 77.19. & 80.20 & 89.31 & 90 4 & 93.49.54. & 96.19. & 107.68. & 143. 44. & 147.9.14.64 & 170.57. & 175.33. & 186.44. & 195.29. & 200.23. & 202.24. & 204.65. & 213.27. & 221.31.64.71. & 223.5. & 229 7. & 232.37. & 237 11. & 264 40 74. & 265.2. & 278.6.19. & 293 52. & 302 14. & 321.3.12. & 345 63. & 370.18. & 373.37.63. & 380.24. & 393.65. & 409 2. & 430.48. & 447.67. & 448.20.53. & 450.9.42. & 455. 35. & 457.14. & 474 14 & 478.74 & 513. 58. & 520.73. & 533.23.31.40. & 546.64. & 547.72. & 552.14 & 553.62.66. & 566. 52. & 569.50.51. & 570.20. & 578.46. & 575. 39. & 588.8.17. & 594.74. & 612 34. & 613 61. & 623.8. & 625.64. & 626.63.66.73. & 627.1. & 635.67. & 636.10. & 637.26. & 643.14 & 644.62.74. & 646.35. & 647.9. 14. & 654.30. & 672.35. & 688.48.49. & 695 29. & 629.21. & 679.51. & 704.46. & 705.31. & 730.20.49 60. & 735.21. & 736. 39 & 737 23. & 738.54.63. & 752.47. & 759. 15 & 760.73. & 761.35. & 765.5. & 775.34. & 781.28. & 792.63. & 798.45. & 803 5. & 816.48. & 820.51. & 832.40. & 840.50. & 842 8. & 864.60. & 871.25. & 872.62. & 878.36. & 880.66. & 886 5.

Heſychius emendatus 43.57. & 264.52 53.54. & 287. 56. & 321.13. & 450.49. & 474.36. & 644.63. & 730.40.46.49. & 882.64.

Heſychius bis emendatus 222.73. & 223.1.7.

Heſychius illuſtratus 290 48. & 524.41.

Hieronymus 1.17. & 5.14. & 11.7. & 20.38. & 21. 48. & 23.74. & 27.17. & 32.24.26. & 46.60. & 49.41. & 50.15. & 67.52. & 74.6. & 93.69. & 97.32. & 101.30. & 105 23. & 115.49 & 117.36. & 118 51. & 125.67. & 140.32 & 152.68. & 158.8. & 159 22. & 164.37. & 168. 72. & 170.53 & 173.21. & 177.29. & 184.27. & 184.19 & 195 64. & 210.31.38. & 212.46. & 215.27. & 221.11. & 227.26. & 232.31 & 234.71. & 238.54 & 239.19 & 245.6. & 251. 32. & 254.16.54. & 261.15.34. & 263.32. & 264 27. & 269.27. & 272.66. & 276.62.68. & 281.34. & 286.26 & 292 37. & 293 37. & 294. 21. & 301 9. & 325.8.10. & 348.46. & 359.53. 55. & 374 16. & 377.1. & 379.37. & 388.64. & 398.28.44 61. & 399.52. & 404.8. & 405. 27.59. & 407.50 & 416.65. & 427 71. & 429. 70. & 432.67. & 443.16.69. & 444.12. & 447. 50. & 455.25. & 457 36. & 459.47. & 463.28. 30. & 4 6 18 37.42.48. & 468.72. & 469.37. & 471.6.46.53. & 477.10.37. & 478.5 & 479. 4.10. & 480.12.60. & 481.34.37. & 482.28 & 487.30. & 490.4 & 491.58. & 493.39. & 498. 61. & 499 65.70. & 501.37. & 511.15. & 512. 7. & 513.52. & 525.29.37 & 527.26. & 528.51. 73. & 529.3. & 532.15. & 533.42. & 534.60. & 546 51. & 554.2. & 571.54. & 588.68. & 592. 37. & 601.37. & 605.62. & 608.10 74 & 609. 72. & 610.1.15. & 612 28.72. & 613.3.8.10, 55 & 618.67.73. & 623.34. & 626.41 51.56. & 631.36. & 634.10.13. & 637.68. & 642 62. & 644.40. & 646 27. & 663.71. & 681.31. & 682.1. & 683.29. & 681.74. & 699.3. & 701. 22. & 712.31. & 724 6. & 728.49. & 729.50. 63. & 730.15.18.23 & 745 45. & 746.16. & 756.36. & 759.5 & 785.19. & 799 33. & 804. 33. & 826.11. & 829.34. & 835 40.51. & 838.12. & 876.41. & 881.3. & 883.46. & 886.10.

Hieronymi verſio 526.1.

Hieronymus aliter legit 404.8.

Hieronymus laudatus 399.57. & 781.10.

Hieronymus emendatus 211.46. & 274.40.

Hieronymus notatus 86.18. & 117.67. & 140.73. & 200.35.46.51. & 212 26. & 253.14. & 280.54. & 552.64.

Hieronymi Spurium opus in Pſalmos 203.65. & 207.6. & 210.37. & 296 73. & 671.50.

Hieronymi Spuria Epiſtola de Lepra 111.50.

Sub Hieronymi nomine Epiſtola ad Præſidium de cereo Paſchali 168.12. & 301.41. & 316.40.67. & 814. 41.

Hilarius 36.28. & 125.67. & 203.52. & 210.36. & 389.67. & 492.55.

Hilaſius de Signis Cœli 636 16.

Hildephonſus Toletanus 24.3.

Hipparchi Ilias Ægyptia 107.57.

Hippocrates 514.36 39. & 522.17. & 619 43. & 649. 25. & 827.30.47.

Hippolytus 80.49.

Hippolytus notatus 81.24.

Hirtius 595.8. & 645.44.

Hiſpani 284.22.

Hiſtoria Hebraica Templi Secundi 358.1. & 582.9. & 679.10. & 683.26. & 757.11.

Hiſtoria Saracenica 479 21. *vide Elmacinum.*

Hiſtoria Tripartita 758.41.

Homerus 3.70. & 4.38. & 17.51. & 24.72. & 55. 32. & 65.31. & 69.34.54. & 70 45. & 85.72. & 101.70. & 131 13. & 149.61 & 164 21. & 170. 12.55.60. & 172.27. & 174.19. & 184.34. & 187.55. & 189.5. & 203.15. & 219.40. & 222. 42. & 243.11. & 253.1. & 266.29.33.38.40.45. & 269.35. & 296.3. & 308.50.52. & 314.50. & 319.18. & 320.74. & 324.9 & 337.67. & 352.1. & 367.35. & 380.35. & 419.51. & 436.6. & 437. 67 & 467.68.72. & 468.3 6. & 471.30. & 473. 53. & 494.16. & 499 30. & 515.26.28.40.48. & 524 27. & 526.44. & 530.22.25. & 541.64. & 542.32.35. & 548.16. & 552.6.10.21. & 553. 57. & 579.57. & 586.18. & 629 38. & 630.21. & 732.17. & 738.60. & 741.1. & 742.67. & 764. 48. & 789.56.59. & 801.32.49 & 830.41. & 839.20. & 872.19 20. & 882.18. & 884.42. & 886 37.

Homerus Hymnicus 530.9.

Homeri veteris Scholiaſtes 25.2. & 170 57. & 174.23. & 203 13. & 219.26. & 243.13. & 253.4. & 321.3. & 338.2. & 380 36. & 410.63. & 467.71. & 545.45. & 547.70. & 552.16.43. & 553.59. & 590.22. & 759.15. & 789.58. & 813.23. & 886.32.

Homeri veteris Scholiaſtes notatus 189.16.

Honorius 645.11.

Horatius 18.70. & 40.45. & 44 4. & 47.10. & 48. 44 49.68. & 64 19. & 65.58. & 79.37. & 94. 74. & 121.18. & 133.47. & 139.28. & 163.9. & 174 26. & 201.26. & 345.30. & 372.58. & 390. 45. & 438.35.37. & 440.28. & 494.7.9. & 513. 6. & 520.21. & 526.22.25. & 551.12. & 567. 70. & 573.20. & 593.9. & 595.38. & 598.40. & 599.6. & 615.71. & 624.26. & 633 71. & 670.46. & 672.42. & 682.37. & 715.24. & 732 44. & 733 22. & 759.27 & 796.74. & 799. 67. & 832.67. & 839 44. & 881.4.

Horus Apollo 22.61. & 23.22. & 57.15. & 73.40. & 75.66. & 78.72 73. & 168.54. & 172.25. & 175. 23. & 231 20. & 246.49. & 267.11. & 309.37. 43. & 310.15.22.27. & 312.34. & 318.38.48. & 327.56. & 348.71. & 397.12. & 401.50.54. & 402.38. & 406.1. & 414.57. & 543.35.46. & 599 43. & 672.27. & 756.11. & 781.57. & 790. 47. & 821.42.

Horus emendatus 57.20. &c. 397.24.

Hori Interpretes notati 57.32.

D. *Huet* 749.17.

Hyginus 4.18. & 5.68. & 12.19. & 212.70. & 290. 70. & 434.14. & 453.32.

Hymnus de Epiphaniâ emendatus 130.61.

I.

Achiades 887.15.

R. Iacob auctor Hatturim, ſive Commentarii Cabaliſtici in Pentateuchum 301.5. *vide Baal Hatturim.*

Iacobus Iſaaci filius Stragienſis 77.39.

Ialcut 818.44. & 841.53.

Iamblichus 884.4. & 510.27. & 530.55. & 828.72. & 829.30.

Iamblichi Babylonica 541.26.

Ianſenius 14.27.

Ianſenii error 93.57.

R. Iapheth 659.17. & 731.42.

Iarchius 831.39. *vide R. Selomo.*

Ibada Ben Muſa 850.35.

Ibno-Abas Alcorani Commentator 347.55.69. & 351. 46. & 752.52. & 850.34. & 853.4. & 856.24.

Ibno-Aſia 864.5.

Ibno-Bari in Marginalibus Notis 322.4.

Ibno-Bitar 92.42. *vide Abenbitar.*

Ibno-Chaluia in libro Laiſa, ſive non eſt 227.18. *vide Chaluia.*

Ibno-Cholcan 822.71. & 851.62. & 853.38.

Ibnolabialaſathi 860.3.

Ibnolatſir in hiſtoriis 851.62.75.

Ibno-Omar 482.18 & 489.49. & 486.58.

Ibno-Maruph 469.33.

Ibno Raduan 805.73.

Ibno-Raſik qui ſcripſit Garaibo, *id eſt* peregrinitates 152.37.

Ibno-Sachith in libro De puritate ſermonis 82.42.

Ibno-Saida 52.31. & 187.57. & 354.7. et 554.74. et 752.13. et 822.72. et 848.7. et 851.47. et 856.7.

Ibno-Zohar 98.52. et 178.65.

De Idololatria *Tract. Talmud.* 47.20. *vide* Aroda Zera.

Jebamoth *Tract. Talmud.* 131.55. et 494.38. & *ibi gloſſa.*

De Jejunio *Tract. Talmudis Hieroſolymitani* 732.61. & *ibi gloſſa* 68.

Jelammedenu 131.38.

Ieroſolymitanus Interpres 26.31. et 130.68. et 182. 60. et 187.27. et 193.5. et 239.15. et 230.7. et 232.25. et 325.50. et 339.41. et 389 19. et 416. 69. et 420.4. et 427.14. et 764.32. et 808.33.

Ieroſolymitana paraphraſis notata & emendata 803.41.

R. Ieſua 559.68.

Ignatius 643.44.

Interpretes recentiores fere quotquot ſunt, & multi veterum refelluntur 154.5. et 280.52.60. et 765 29.

Multi Interpretes notantur & refelluntur 200.48.

N. T. *doctiſſimus interpres notatus* 453.18.

R. Ioannes 280.3. et 297.59.

Iobi Græcus Scholiaſtes 262.3.

R. Iodan 14.65.

Ioma Tractatus Talmudicus 94.20. et 120.1.6. et 123. 30. et 678.50. et 804.9.

Ion Chius 778.5.

R. Ionas 14.65. et 263.58.61. et 736.70. et 737 33.

R. Ionas notatus 39.47.

Ionathan 26.32. et 94.31. et 103.9 et 105.25. et 118. 67. et 181.62. et 185.70. et 189.51. et 193 4. et 211.32. et 212.48. et 223.15. et 230 6. et 232.25. et 279.54. et 281.51. et 286.26. et 292.39. et 297.51. et 325.50. et 339.42. et 354.31. et 383. 20. et 395.35. et 389.13. et 406.57. et 416.62. et 417 62. et 420.6. et 427.25.14. et 438.51. et 444.11. et 445.23. et 491.42. et 497.44.52. et 525.4. et 535.2. et 554.17. et 557 18.67. et 576. 68. et 582.48. et 607.59. et 626.57. et 618.45. et 634.30. et 658.62. et 659.61. et 689.7. et 720. 12.44. et 722.3. et 723.9. et 726.64. et 764.32. et 850.58.

Ionathan in Pſalmos, qui non extat, citatus à Selomone 59 9.

Ionathan emendatus 274.13.

Ionathan explicatus 303.47.

Iornandes 95 70.

Ioſephus 8.32. et 28.7. et 31.48. et 50 15.29.63. et 54.43. et 93 65.67. et 97 30.31. et 100.62. et 107.34 44. et 136.44. et 164 13. et 211.42. et 217.6. et 285.44. et 371 44. et 348.6. et 349. 52. et 414 5. et 423.9. et 499.37. et 501.43.45. et 518.34. et 521.61. et 532.67. et 554.20. et 575.31. et 620.46. et 641.46. et 644 40. et 661. 41. et 667.13. et 668.16. et 674 70. et 698.73. et 699.11.39. et 712.64.74. et 723.29. et 724.1. 44. et 730.2.9.12. et 744.13. et 757.8. et 761.19. et 788.60.62. et 820.29. et 840.54.56. et 874. 43. et 888 14 56.

Ioſephus emendatus 424.43.

Ioſephus notatus 744 17.

Ioſephus refellitur 40.18.

R. Ioſephus Cæcus 94.33. et 274.7.20. et 325.54.

Ioſeph Iachia filius 50.16.

Ioſephus Indus 518.40.

Paulus Iovius 432.41. et 433.5. et 505.17.

R. Ioſue Chanina filius Scholiaſtes legis, id eſt Theologiæ doctor inter Hebræos 81.28.

Irenæus 36.22.

Iſaac Ben Omran Arabs 806.21.

Iſacius 413.61.

Iſidorus 22.54. et 66.72. et 70.2. et 73.38. et 74.8. et 75.71. et 84.43. et 85.37. et 88.58. et 121.7 et 130.58. et 140.64. et 141.5. et 143.20. et 174.32. et 179 68. et 180.1. et 187.46. et 201. 37. et 206.74. et 236 48. et 253.30. et 276.71. et 301.37. et 310.63. et 312.32. et 315.19 & 321.

& 323. 58. & 324.73. & 331. 50. & 334. 62. & 346.54 & 348.51. & 350.24. & 359.35. & 363 38 & 386.2. & 389.4 & 398.4. 15. & 401.40. & 405.44. & 410.25. & 412 4 & 413.7. & 419. 11. 22. & 423,21. & 429.67. & 432.69. & 436.29. & 437.47. & 449.9. & 499.74. & 533.8. & 540.62. 546.59. & 550.56 & 600.32. & 616.72. & 627. 15. & 641.48. & 645.8. & 647.36. & 650.50. & 670.43. & 696.46. & 697.61. & 701.50.709.36. & 715.44. & 729.54. & 775.5. & 785.58. & 811 11. & 814.13. & 826.22. & 843 58.67.37. & 864. 12.50. & 869.17,62.64. & 872 6.13. & 874 66. & 878.51. & 879.13.48,71. & 880.56.59. & 881. 3.42.58.

Iſidorus emendatus 723. 37.

Iſidorus notatus 615.35. & 588.6.

Iſidorus Characenus 681,63. & 683,53. & 691. 43.

Iſidori gloſſa 178,32 (12.

Iſidorus Peluſiota 20 41. & 36.38. & 375.36. & 521.

Iſidorus Peluſiota notatus 488.41,44. & 492.52.

Iſigonus 540. 18

R. Iſmael 282. 44.

Iſocrates 51. 15.

Iſtee de Meleageide 133.12.

Iſychius 528.8.

Iuba 430.42 & 432.46. & 278.28.

R. Iuda 292.44. & 344.24.

R. Iuda filius Salom 658.15.

Iudas Germania 185.72. & 298.12. & 340.17.

Iulianus 142 74.

Iulianus de Signis cœleſtibus 636,14

Iulianus Imperator 573. 38.

Iunius 186.37. & 220.48. & 238,71. & 240.38. & 254 24. & 263.33. & 301 61. & 345.29 45. & 399 51. & 410.30. & 416.66. & 455.33. & 462. 25. & 472.6. & 538.11. & 689.21. & 691.31. & 876.74. & 783.64.

Iunius notatus 18.15 & 41.65. & 247.19. & 451.52. & 532.26.30. & 709.3. & 783.64.

Iuris conſultus 714.45. & 871.34.

Iuſtinianus 888,59.

Iuſtinus Hiſtoricus 565.17. & 661.66.

Iuſtinus emendatus 539.44. & 661.69.

Iuſtinus Martyr 36.20. & 731.14

Autor queſtionum qua Iuſtino tribuuntur 167.5.

Iuſtus Orgelitanus 24.1.

Iuvenalis 1.12. & 58.22 & 88.30. & 94 41. & 106. 68. & 120,52. & 133 52. & 139.61. & 158 43. & 177.9. & 191.70. & 197.27. & 198.46. & 229. 62 & 328.57. & 559.58. & 560 61. & 561 38. & 567 57. & 593.13. & 612.9. & 695.65. & 700 22 &c. & 751.17. & 765.64. & 888 53.

Iuvenalis Scholiaſtes 22.8. & 191.73. & 367.60. & 573.28.

Iuvencus 36.31. & 492.64.

K.

K*Alonymus ex Abulſapha in libro Hebrao manuſcripto de Animalibus* 658.10. & 666.9. & 674.30. & 677.36

Kelaim *Tractatus Talmudicus* 90.46. & 841 61.

Kelim *Tractatus Talmudicus* 189.54. & 224.4. & 508 41. & 712.44. & 725.49.

Ketuboth *Tractatus Talmudicus* 877.52.

Kiddusin *Tractatus Talmudicus* 69.12.

David Kimchius 1.18. & 10.12. & 13 61 & 14 65 & 26 38. & 42.15. & 47.21. & 53.36,51. & 58. 56 & 60.10. & 85.1. & 87.3. & 92 72. & 102. 24. & 112.74. & 115.11.41. & 118.50. & 128. 24. & 129.7. & 142.20.32. & 141.53. & 146.30. & 148.18. & 153.36. & 164.17. & 172.16. & 193.8. & 197.17 & 205.2 & 214.37. & 215.16. 67 & 224.67. & 212.16.30. & 236.73. & 240. 28. & 247.55.73 & 251 8. & 263.59. & 269.74. & 279.66. & 289.64. & 290.3.35. & 292.53. & 293.73. & 294.28. & 301.4. & 332.1.30. & 334 2. & 344.60. & 345.6. & 360.2. & 364 43 & 379.37. & 391.16. & 395.31.42. & 196.5. & 399. 53. & 404.52.57. & 406 65. & 407.2.5. & 414. 60. & 416.55. & 421 67. & 444 60. & 457. 66. & 449.7.57. & 462.25. & 466.74. & 472.3. & 493 67. & 494 32. & 499.15. & 518.13. 16,19. & 531.62 & 532.19 21. & 536.06. & 580 35. & 590.1. & 607 45. & 612.55. & 626.33. & 642 60 & 643 46 & 640.38 & 678.73. & 683.22. & 689 9 & 696 66. & 699.28 41. & 709.95. & 710 49. & 714.74. & 722.2. & 731.37. & 736. 68. & 740.25. & 747.11. & 764 8. & 769,62. & 784 35. & 786.43. & 787.39. & 788,35. & 804 52. & 808.4. & 818 11. & 829 22. & 841.52. & 876.72. & 885.31. & 897.15.65. & 888 20.

Kimchius ex Talmude Hieroſolymitano, tractatu de Idololatria 109. 46.

Kimchius de Aquila 167.24.

Kimchii ridicula verſio 851. 40.

Kimchius notatus 18. 9. et 39.47. et 142,42. et 274. 59. et 275.3. et 407.13. et 824.23.

Ioſephus Kimchius Davidis pater 269.32. et 343.70.

Kiphala, *id eſt ſufficientia, liber Arabicus ita dictus* 228. 7.

Kiranides 100.49. et 319.52. et 751.53. et 753.9.29.

L.

L*Actantius vel Venantius potius in Phœnice* 29.11. et 818.64.

Verus Lactantius 525. 45.

Laertius 9.71. et 40 38. et 207,22. et 290.47. et 522. 35. et 840.8.

Ioannes de Laet. 228.55. et 748.5 et 787.22

Lampridius 99.34. et 156.2. et 178.30. et 224. 73. et 225.7.70,71.73. et 388.62. et 429,58. et 616,23. et 716.70. et 822 39 et 872.36.

Lampridius emendatus 225.16.

Cornelius à Lapide 106.45. et 813.35.

Lavaterus 538.10.

Leander notatus 272,24.

Lectionale 643.14.

Leo Africanus 120.44. et 226.40 et 246.4. et 356.3. et 260.33. et 261.2. et 438.50. et 492. 22. et 640. 59 et 775.2. et 777.62. et 781.49. et 865.43.47.

Leo Byſantius 370. 63.

Leonidas 476.58. et 543 4.

Ioannes de Leri 748.4. et 775.18.

R. Levi 47.21. et 115,11. et 193.13. et 240.17. et 270. 1. et 589.11. et 595. 29. et 596.58. et 644 49. et 694.73. et 748 12. et 784 38.

Lexicon Copto-Arabicum 348,67. et 847. 9. et 850. 72. et 868,21. et 874.14.

Lexicon Copto-Arabicum emendatum 874.15

Libanius 564.37. et 793. 8.

Antonius Liberalis 63.13. et 133,13. et 300,50. et 313. 26. et 325.46. et 671.20.

Linſchottus in Armuſia deſcriptione 16,20.

Licanus 538 8.

Liturgia Æthiopica Roma Æthiopicè excuſa 863,61.

Livius 14 9.32. et 371.26. et 431.41. et 840.20.

Ioannes de Lopez 775. 17.

Lucanus 70.65.68.70. et 141. 20, 26. 29. et 237.21. 27.30.35. et 382.6.389.18. et 390.29.47. et 393. 59 et 394 36. et 395.72. et 398.13. et 401, 13. et 406 44. et 412 54. et 413.4 20.23 et 415. 20. et 422.14 et 412.71. et 433.19. et 435.70. et 418.9. et 506.71. et 531.48. et 760.45. et 761.5. et 764. 41. et 818 2.44.

Lucani vita 524. 65.

Lucas Brugenſis 813. 9.

Lucas Brugenſis notatus 826 72.

Lucianus 3.37.69.73 et 8.44. et 10. 8. et 33. 14. et 163,38 et 171 64. et 219 5 6. et 220 6.9. et 221. 29. et 224.11. et 225 61. et 227,1. et 241.23. et 242.71. et 244.47. et 290.51. et 314.29. et 328.28. et 367.13. et 369.9. et 374 9 et 387.47. et 388.58. et 393.31. et 394 16. et 398.12. et 413.74. et 414. 3. et 425 10.38. et 435.21 et 467. 34. et 497. 25. 71. et 513 48 et 515.60. et 552.51.62. et 588 37. et 601.7. et 604 1. et 620.53. et 626.71. et 634 59. et 636.35. et 698.22. et 700.31. et 702,33. et 703.62 et 710.4. et 728.57. et 760.71. et 772.71. et 811.14. et 817.64. et 836.17. et 840.7. et 872. 33.

Lucianus emendatus 141, 27. et 634. 68. et 704. 22. 30 34.

Luciani Interpres notatus 33, 18.

Lucilius 117.10. et 390 33. et 624.64. et 938.53. et 704 44.

Lucillius Græcus Epigrammatiſtes 102. 60. et 468.16. et 608. 40.

Lucretius 10.46 et 69.61. et 97.69. et 187.28. et 198. 28. et 244.21. et 308.60. et 315 47. et 513.2. et 525. 56. et 528.8. et 531.34. et 629.57 et 725.5. et 827. 8. et 837 44 47.53.60. et 879.25. et 881.22.

Ludovicus de Dieu 459. 65.

Lycophron 278.21. et 329.73. et 508,53.62. et 542. 57. et 626.70. et 642.68. et 736.35. et 743 4 et 760. 32. et 827.73.

Lycophronis Scholiaſtes 642.70. et 743 60. et 812. 25. et 827 74.

Lycus Butheras Rheginus philoſophus Peripateticus, Lycophronis pater 324. 25.

Lycus apud Athenaeum 514. 51.

Lynceus 781. 62.

M.

M*Acrobius ex Metello* 112. 40.

Macrobius 120,31. et 121.5. et 243. 60. et 349. 47. et 371.3. et 383. 36. et 526,15. et 638. 61. et 640.51. et 826.19.

Macſcim *Tract. Talmud.* 536 38.

Mahumetani Theologi 323.12. et 329 4.

Mahumetes 46.46. et 468 53. et 848 30.

Mahomet in Chronicis Eſpahan 239. 43.

Mahometes Adilvvarius urbis Sanaa in Arabia felici Chronologus 845.39.

Maimonides 10.35. et 26.22.60.67. et 27.11. et 49.61. et 158 4. et 190 30. et 224.26. et 229.24. 6 et 352.39. et 353.67. et 354.72. et 355.41. et 383. 0. et 390. 8. et 565.35. et 689.8. et 727.10. et 731 35. et 804 48. et 831,55. et 828.68. et 845. 63. et 876. 68.

Maimonides notatus 727.42.

Maldonatus 519.40.

Maldonatus notatus 35.69.

Malvenda 29. 9.

Manardus 750 31.

Manetho 817. 69.

Manilius 633.52. et 683.68. et 685. 68. et 789.70. et 817.65.

Marcellinus 413.17.31. et 530.49.

Marcellus 195.71. et 306.35 et 307,23.

Marcellus Empyricus 735. 14.

Marcellus Palingenius 479. 48.

Marcellus Virgilius in Dioſcoridem 446. 59.

Marcellus Virgilius notatus 144 57.

Marcellus Virgilius refellitur 807,20. et 808.26.

Martianus Heracleota 129.68.

Mardochaus in Concordantiis Hebraicis 42.16. et 142 28. et 193.13. et 236.74. et 359.74. et 379.38. et 395.32. et 696.70.

Georgius Marcgravius 780.27.

Marmolius 15.30. et 129.45. et 246 8. et 249. 20. et 256,3. et 260 37. et 261.3. et 262 20. et 775 3. et 785.67.

Martialis 12 62. et 16 5. et 19.59 et 26.16. et 36.60. et 48.53.56.60. et 51 71. et 64 45 et 67 10. et 69. 46. et 70 74. et 74 16.19 et 83.33. et 89,20. et 92. 40.54.57. et 95.3.6.9.57 et 133.64.66.68. et 191. 59. et 199.27. et 237.38. et 244.63 69. et 255. 6. et 271.58. et 309.73. et 329.54 et 345.33. et 394. 52 et 521.42. et 526.34 38. et 530.63. et 564.48. 53. et 616.1.3. et 624.35. et 637 34 et 670 55. et 683.38. et 694.57.63. et 695.68. et 706 14 et 704.69 et 715.32. et 716 65. et 730. 71. et 733. 3 et 777.66. et 783.69 et 818 61. et 827.13.17. 20.23.26. et 871.57. et 872.3. et 875.11.

Benedictus Martinus 753. 41

Petrus Martyr 684.63. et 686 49. et 772 64. et 775. 9. et 777.64. et 780. 18.20. et 781.51. et 785. 66. et 787.3.31 et 790.55.

Marupludes Lexicographus Arabs 679 43.

Maſal Kadmoni, *liber Hebraus, in quo fabula Æſopicis ſimiles Hebraicis verſibus ad mores exſequuntur, cum picturis additis* 164.24. et 334.4. et 353 52.

Maſich Arabs 806.54.

Maſius 539. 13

Maſoretha 3 43. et 18,24 32.

Maſoretha an bene legerint dubitatur 200, 73.

Nicolaus Maſſa 98.74.

Maſſarius in Plinium 363 68. et 692.4.

Matron in Parodiis 112,34. et 166.55.

Mauſſacus notatus 710. 43.

Maximianus de Signis cœleſtibus 636.20.

Maximus Martyr 825. 14.

Maximus Tyrius 72. 32. et 78.23. et 432.13. et 504. 69. et 772 49.

Mechiltha 379 45.

Megaſthenes 77 34. et 423. 45. et 436.40. et 598. 57. 65. 68. et 635.8. et 684. 50.58. et 685.52. et 816. 6. 7.

Megilla *Tract. Talmudicus* 41 9. & 709.48.

Megillath Eſther *Tract. Talmudicus* 722. 38.

Meidanus Scriptor Arabs 317 34.

R. Meir 360. 7.

Mela 79 16. & 120 59. & 141,8. & 423.10 19. & 436.54. & 642.49.

Meleager pöeta Græcus 474.28. & 476.25. & 566.19.

Meliſſa Epiſtola 513. 36.

Andreas Melvinus 130. 41.

R. Menachem 404 62. & 607.34. & 608.58. & 801. 29 37. & 887.27

Menachoth *Tract. Talmudicus* 54.2. & 494.45. & 731. 24.

Menander 55.37. & 86.3. & 125.41. & 587. 19. & 616 64. & 698.10.11

Menander emendatus 198. 14.

Menecrates Xanthius 671. 18.

Menedotus Samius 133.25. & 242.74.

Mercerus 240.38. et 579 69. et 696.72. et 708.32. et 755.57. et 801,64. et 815 40
Mercerus notatus 136.30. et 145.38. et 607. 56. et 799.46 et 802. 46
Hieronymus Mercurialis 385.58. et 478.29. et 557.35.
Meſue 139.60.
Monachus in Meſuen 641,21. et 685.8.
Metrodorus 411 4. et 436.61
Matthias à Michow 504.12.15. et 763 18.
Midbar Rabba 628 36.
Middoth Tract. Talmudicus 53.57.
Midras, ſeu Commentarius Myſticus in Scripturam 442.68, et 467.63 et 841,53.
Midras in Geneſin 831 57.
Midras in Exodum 660. 33.
Midras in Samuelis libros 818 45.
Midras in Eſther 711,22 et 875.27.
Midras in Pſalmos 18. 14. et 118, 50. et 788, 36. et 802.41.
Midras in Eccleſiaſten 568,57. et 584 62.
Midras in Cantica 725.59
Minutius Felix 414 54.
Miſna 240.13.
Mithridates 867.34.
Mneſalchus 476 18.23.
Moed Katon Tract. Talmud. 82.67, et 237.1. et 557. 12.
Moed Katon & ibi Scholiaſtes 648, 67.
Mocto Byſantia 3.60.
Ioannes de Montevilla 190.8.
D. Iacobus Moſantius de Brieux 696.1.
Moſchopulus 153.26. et 157.24. et 562 63.
Moſchus 63.71. et 219.49 et 240. 63. et 243.13. et 244 61. et 514 33 et 545.61.
R. Moſes Sacerdos 532.21.
R. Moſes filius Gerſom 146.17.
R. Moſes filius Maimon, vide Maimonides.
Muapitus Arabs in libro cui titulus, Odores florum 163.64.
Muſſitus 470.68 et 472.48. et 544.14. et 553.20. et 556.29 et 578.7.
Muſſetus notatus 504. 44.
Muhammus Addin Aſſarburienſis, Arabs poeta non incelebris 474 66.
Aloyſius Mundella 99.2. et 104.36.
Munſterus 191.51. et 263.33. et 274 74 et 298.13.14. et 399.53. et 689 19.
Munſterus notatus 709 29.
Muretus 821.9. et 880.16.
Muſaus 178. 44.

N.

NAardenſis Academia doctores 818, 10.
Naphis in Alcoranum 347. 61.
Naſrius Scriptor Arabs Onirocriticus Oxonii manuſcriptus 238 46. et 428.73. et 770,8.
Naumachius 739. 65.
Nearchus 387.24. et 390. 21. et 598,59, 68. et 780. 54. et 816 6.
Nedarim Tract. Talmudicus 414 46.
Petrus Nellus Satyricus Italus 586.67.
Nemeſianus 18 46. et 390 51.
Nero apud Senecam 10. 63.
Neſtor poeta 765.42.
Nicagoras in libro Diſtemithea (lege de Prometheo) 314.35.
Nicander 4.23. et 50.3. et 112.12. et 146 60.66. et 161 3. et 198.14. et 265.40 et 352. 2. et 363.1. et 364. 71. et 367.15.21. et 370. 58. et 373,73. et 374 4. et 376.25 et 377 35.47 50.53.55. et 380 2.4 et 382. 46. et 385.38.48. et 395 65. et 398.11. et 400 47. et 401.4 et 404 21. et 406 16. et 417 33.41. et 418. 74. et 419.14.32. et 422 36. et 424.22.33. et 433. 45. et 435.34 49.65. et 437.49.64 et 450.5. et 503.49 et 534.73. et 540.65. et 543 39 56. et 548. 9. et 633.28 et 635.15.71. et 637.9. et 640.24. et 654.0.17. et 671.19. et 736 30. et 756. 45. et 760. 61. et 761.55. et 768.7 et 794.66. et 821.18. et 878. 58.
Nicandri Scholiaſtes 112.14. et 264.61 et 374 7.26. et 411,52. et 633.31. et 637.13. et 638 7.21. et 640. 29 35. et 736.37 et 761.61. et 868,63.
Nicandri Scholiaſtes emendatus 768. 12.
Nicephorus 90,36. et 822 43.
Nicephori Interpres vitatulus 90. 48.
Nicephorus Calliſtus 427.70.
Nicephorus Calliſtus notatus 488.65.
Nicetas 616. 47.
Nicias Malletes 700. 54.
Nicias apud Plinium 869.1 20.
Nicomedes Iatroſophiſta 737. 10.
Niceſtratus 373,36.
Nidda Tract. Talmudicus 274.23,55. et 565.32. et 831.43.
In Nidda emendatur vox ibi corrupta 83.58.
Nigidius 794. 8.
Nilus 815. 4.
Nobilius notatus 709 22.
Leonardus Nogarola 763.31.
Liber Nominum 499.73. et 533 43.
Nonius Marcellus 14, 8. et 143.45.49. et 176 73. et 276.8 et 350.22, et 523.47. et 528,28. et 558. 633.11, et 658.54.
Nonius emendatus 633.17.
Nonnoſus 77.8.
Nonnus 33.7. et 36,29. et 65,64. et 72.39. et 373.33. et 396 39 et 434.11. et 545 50. et 547.23. et 548. 24. et 549.19.29 et 690.35. et 704.42. et 733. 40. et 739 63. et 757 65. et 760.33. et 761. 65. et 765.8. et 767.73. et 818.55. et 834.3. et 839. 38. et 888,50.
Notitiarum liber 228. 74.
Thomas à Novaria 450 38. et 800.56.
Novatianus 221,17. et 356.20.
Nubienſis Geographus 96.16. et 130, 1, 8. et 141.8. et 287 40 et 384,21 et 386.16 et 387 63.72. et 388. 10.13 et 418.22. et 639 20. et 641.26.53. et 642. 26. et 653.19. et 712.12. et 717.71. et 718. 3. et 724.51. et 805.46 et 846.32. et 885 65.
Nubienſis Geographus emendatus 653.24.
Nummi veterum 172.47.
Nummi Samiorum 243.23.

O.

IVlius Obſequens 196.53. et 481.45.
Oecumenius 373.42. et 375.23. et 761.29.
Olaus Magnus 276 22. et 378. 29.
Oleaſter notatus 808,38.
Olympiodorus 86.41. & 206. 58. & 221,11. & 254. 59 & 324 43. & 333,16. & 326.26. & 330 43. & 493 48. & 773 45. & 811.7. & 814,56. & 815.6.
Olympiodorus notatus 81,24. & 33.17.21.
Oneſicritus 431.68.
Oniocriticus poeta in Suida 342. 54.
Onkelos 22.3.14. & 103 9 & 106,19. & 187. 23. & 193.6 & 211.33. & 212 49. & 230.11. & 232. 26. & 274.7.17 & 279 54. & 281.51. & 280.39. & 325 51 & 339. 40 & 416, 63 & 420. 6. & 445.22. & 446 27. & 479.17. & 532 12. & 535. 1. & 557.62. & 628.45. & 663.73. & 804.7.33.
Onkelos aliter legit 507.59. idem emendatus, ibid. 54.
Oppianus 2 8 & 65 61. & 73.11. & 88 9 & 90. 25. & 162. 8. & 166 51. & 175 21 & 181.19. & 219. 13.73. & 251.48. & 259.30. & 261. 51. & 262 48. 50. & 271. 27. 58. & 276. 59. & 278. 53. & 3.9.27. & 312 57. & 395 47.56. & 396. 35. 64. 69. & 455 41. & 468.12. & 504.54. & 548. 37. & 549.22. & 722.71. & 736 17 & 743. 30. & 744.20 32 38. & 746.41. & 747 27 37. & 748. 66. & 774.51. & 782,12 & 788.69. & 795.31. & 797.14. & 709.69. & 862.13. & 866.2.
Oppiani Scholiaſtes 213.21 & 287.60. & 320.49
Oppiani paraphraſtes Dionyſius Characenus 312 73.
Oraculum de Athenienſibus 162.2. & 172 9.
Apollinis Oraculum in Euſebio 529. 60.
Oribaſius 607.25. & 783 70.
Origenes 18. 56. & 23 41. & 36.10.23 & 37.66. & 111 26. & 152 9.11 & 185 54 & 310.58. & 356. 5. & 492.55. & 503.27. & 512.3 51. & 552.74 & 553.5 & 571.52. & 572.60. & 588, 53. & 609 61. & 618.48. & 619.1. & 626, 36. & 671. 42. & 730.4 & 809.22, & 812.8 40. & 824.73. & 876. 41.
Orneoſophion 813. 35.
Oroſius 371.20. & 431.42. & 463.34 & 481.34.46. & 431. 42. & 463.34. & 539. 45. & 661.70. & 838.50. & 879.66.
Orpheus 371.73. & 372.14. & 377.55. & 433.58. & 468.7. & 530.53. & 696.35. & 760, 42. & 830. 44.
Orphei Hymni 884. 59.
Orpheus de Lapidibus, aut potius Timocles Syracuſanus 386.67 & 640.19. & 707.16.
Orpheus de Lapidibus emendatus 387. 2.
Orphei Latinus interpres notatus 707 24. & 875.46.
R. Oſaias qui ſcripſit librum Bereſcith Rabba 818, 21. 26.31 38.
Oſorius 310, 25.
Ottomannus 251. 26.
Ovidius 4. 24. 29. & 5.33. & 9.27. & 12,17. & 22. 49. & 24,48,54. & 26.12, & 29.35. & 32. 65. & 51.47. & 56 70 & 57.3. & 63.3. & 64.24. & 66. 33. & 79.42. & 101 17. & 155.60.63. & 156.65. & 212.65. & 219.55.59. & 222,35. & 240,44 47. 50. & 244.24. & 255.52. & 269.7. & 284.74. & 285.4.7. & 290.69. & 308 63 & 324 64. & 334 54. & 339.52. & 342.42. & 346,33 & 350.17. & 364.1. & 367.30. & 387. 13. & 390.38. 41. 43. & 413.68. & 422.57. & 422.47. & 433. 61. 66.70. & 434.4.24.31.34.37. & 435.9 & 503.55. & 506.65. & 507.69. & 520.18.37. & 521, 38. & 523.52. & 529. 26.54. & 551.40.45 & 534. 70. & 536.49. & 543.67. & 544 2. & 580.21. & 582.61. & 601.30. & 607.38.42. & 604. 55. & 613 53. & 624 30 & 626 57. & 638.57. & 653. 49. & 957.29 46 & 671.7.11 & 695.59. & 704 72 & 715.26. & 729.2 & 731. 65. & 732.32. 35. 38.40.42.46.56.59 & 760.30.52.74. & 762 71. & 789.68. & 794.38. & 819. 73. & 826 47. & & 827.3.6. & 832.52. & 837.68. & 839.33. & 879.13.
Ovidius emendatus 32. 74.
Ovidio adſcriptum poematium de philomela 18.50. & 62. 53. & 70 6.

P.

PAchomii vita 152.21.
Pagninus 112.3 & 220.48. & 240.37. & 339.11. & 689.19 & 696.71. & 709.32. & 878 32.
Pagninus notatus 254,22. & 343.48. & 344. 6.12. & 409. 64.
Pagninus, Caſtalio, Arias, Camerarius, Ianſenius notati 91,26,27.
Pagnini maius Lexicon 325.62.
Palaphatus 546.10. & 836.47 & 838.50.
Palladas 63.73. & 623.41. & 630 11.14.
Palladius de re ruſtica 30. 59. & 39.23. & 243.14. & 291.32. & 526.6.
Palladii Lauſiaca 369 4.
Pamelius 319. 34.
Pamelius notatus 35.61 66. & 166.69. & 437.14.
Pammenes 635.5. & 637.49.
Pamphilis Alexandrini Gloſſa 96.19.
Panaretis Ænygma 349.57.
Pancirolla notatus 272,24.
Pancrates in Operibus marinis 728,64. & 864.67.
Pandectarum Arabicum Matthai Sylvatici 45.15.15. 18. & 233.48 & 294 11. & 317.34. & 346.50. & 400.18. & 682.56. & 710.64. & 715.11 & 737. 11 & 752.71 & 864.18.
Pandectarii autor notatus 349 10. & 807,30.
Pandulphus Collenutius notatus 272 25.
Pantaleon Diaconus notatus 488 57.
Iunius Patricius 819. 35.
Paulinus 524.65. & 611.38.
Paulinus notatus 488.53.
Paulus 360. 47.
Paulus Ægineta 374.31. & 422.14. & 655.67. & 718. 36. & 746.41. & 753.8. & 803.55 61. & 805.17.
Paulus Æmilius de geſtis Francorum 15.6.18.
Paulus Diaconus 826.24.
Paulus Venetus 96.10 & 342 48. & 688.18. & 706. 53. & 823.42. & 854 51. & 865.52.
Pauſanias 12 19. & 65 2. & 152.60. & 179. 30. & 185.57. & 221,30. & 374 60. & 377 70. & 171. 60 & 430 49. & 435.16.73. & 439.8. & 450.2 & 487 13. & 519 27. & 529 70. & 540.68 & 541. 1. & 567.36. & 581 49. & 620 50. & 635.11. & 730. 58 & 742,33. & 750. 40.63. & 766.10. & 772.36. & 811 58. & 826.54 & 871.33. & 880,11.
Pauſaniæ Lexicon 569. 42.
Perdicca in Ieroſolymorum thematibus 30. 73.
Perictyone Pythagorica 739. 60.
Abraham Peritſol 224.30
Perſa 223.54.
Perſius 40.41. & 48.71 et 95.11. et 191.66. et 257.17. et 613.54 et 700.12, et 728.45.
Peſachim Tract. Talmudicus 737.4.
Petronius Arbiter 95.43.93. et 133.52. et 134 1. et 243. 52 et 327.15. et 331.9 et 389.36. et 453.41. et 737. 45.
Petronius emendatus 314.37 43.
Peucerus 472.48.
Phædrus 4 33 et 81.48. et 369.44. et 144 45.
Phaenus 476.30.
Phanias 104 63. et 539 32. et 661,74. et 662.3.
Phanias emendatus 662,26.
Phanodemus in Atthide 100.43.
Phavorinus 42. 24. et 63 59. et 153.28. et 157.25. et 219 38. et 326.32. et 411.9. et 743.68. et 837 22. et 840.50. et 861,58. et 864 6. et 882.68.
Pherecrates in pectoribus 16. 3.
Pherecydes 324.29.
Philargyrius 546. 53.
Philaſtrius 84.34. et 85.29. et 499 55. et 673.24.
Philo 23,17. et 73.70. et 76.46. et 87.7.21.46 et 88. 30.

10. et 117.3. et 163.5.5. et 170.35. et 174 38. et 197.51. et 241.53. et 245.58. et 252 53. et 257.17. et 291.22. et 295.3. et 308.23. et 309.10. et 310. 65. et 313.54. et 316.17. et 381.42. et 436.74. et 504 9. et 515.65.68. et 604.14. et 746.42. et 823. 59.63. et 834.25. et 840.11. et 844.17.
Phile emendata 72.45.61. et 252.73.
Phile notata 57 41. et 586.69.
Philemon 698.10. et 878.15.
Philetas 170,62.
Philetas, qui Ptolemai ſecundi praceptor fuit 503.38
Philippi Epigrammata 598.42. et 601.10. et 602.13. et 697 2.
Philo Byblius 429.50. et 773.13.
Philo Carpathius 23.73.
Philo Iudaus 5.57. et 10.52. et 93.27. et 105.37. et 145.49. et 439 29. et 503. et 528.50.58. et 552 43. 74. et 553.3.15. et 559.25.31. et 571.31. et 572.50 et 578.74. et 663.26.36. et 7.9.74. et 879.28.
Philochorus 434.56.
Philoſtephanus 616,66.
Philoſtorgius 342.38. et 431.7. et 822 42.
Philoſtorgius apud me manu-ſcriptus, adeo ſæpe emendatior 90.28.
Philoſtratus 7.16. et 78,70. et 95.64 et 138.55. et 131. 3. et 183.40. et 201.29. et 221.51. et 312.38. et 314. 27. et 328.30. et 334.57. et 373 37. et 389.60. et 430.53. et 432.52 &c. et 435.45. et 436.3.22 et 439 10. et 680,7. et 704 30 41. et 705.4. et 710. 31. et 716 26 et 730.58. et 740.40. et 790.32. et 811.1. et 819,6. et 821,26. et 828,74. et 867. 64. et 871,26.
Philoſtratus emendatus 74 32
Philoxeni Gloſſa 42.23. et 90.41. et 159.1. et 276.13. et 323.62. et 415.6. et 546.62. et 633.8. et 635.68 et 688.30.
Philoxeni Gloſſa emendata 682.39
Phlegon Trallianus 834 57.
Phlegon emendatur 835.25.
Phocylides, aut quiſquis eſt 512.42. et 513.22. et 519 50. et 595.47. et 600,74. et 630.8.
Phoræcides 345.38.
Phornutus 6.3. & 434.17.
Photius 7,61. & 30.12. & 77.17. & 271.8. & 313.32. & 384 4 & 680.7. & 700,73. & 704.29. & 705. 5. & 738.8. & 795.62. & 810.17. & 833.15. & 843.33.
Photius emendatus 813.2.
Photius notatus 701,3. (& 738.30.
Phylarchus 104.66. & 125.44. & 380.16. & 382.20.
Pigres vel Tigres Car in Batrachomyomachia quam Homero tribuunt 524.12. & 653.57. & 658.2. & 686.30.
Pindarus 161.15. & 170.8. & 171.31. & 524.40. & 525 65. & 836 68.
Pindari Scholiaſtes 84.10. & 141.3. & 171 32. & 300 55. & 839.15.
Pirke Aboth 500.64. & 841.35.
Piſcator 338.10.
Piſidas, aut ut alii Cyrillus Alexandrinus 24.5. & 295. 9 & 310.5 6. & 318.56. & 444 2. & 453.57. & 463.73. & 468.19. & 470.57. & 477.15. & 515. 71. & 516.6. & 589.2. & 596.38. & 604.55. & 610.43. & 691.51. & 710.19. & 825,6.
Piſidas apud Suidam 175.9.
Piſida Interpres notatus 433.67.
Plato 125 22. & 327.22. & 349 61. & 352.1. & 372. 56. & 387.17 & 599.67. & 882.8.50.
Plato in Politico 79.30.
Plato emendatus 64.56.
Plato Comicus 644.59.
Plautus 47.6. & 88.25.28. & 90.47.51.53. & 94. 66. & 146.71. & 152.51. & 165.32. & 221.6. & 232.41. & 245 73. & 309 30. & 440.25. & 499. 25. & 526.18.20 & 527.2. & 534.66. & 623.11. 627.16. & 632 73. & 649 26. & 692.32. & 704. 44. & 712.54. & 717.46. & 772.33. & 796.67. & 880,73. & 882.29 &c.
Plinius 3.44. & 4.46 & 10,66.68. & 14.31. & 15.61. & 21.67. & 22.71 & 23.5.11. & 29.50 61,70. & 33.24. & 39.21. & 40.53.56. & 49 27. & 50.46. 48. & 56.9.50. & 61.70.72 & 62.5. & 67.17.31. 61. & 65.44.55. & 66.54.59.68. & 71.31. & 72. 8.73. & 74.50. & 76.25. & 78.29 & 79.33. & 88. 9. & 89.23 & 90.60. & 93.55. & 98.15.42. & 100.55. & 103.43 72 & 104.3.33. & 107.16. & 112.45. & 116.61,66. & 120.61.68. & 130.52 & 131.6. & 132.51 & 133.72 & 138.61. & 141.2.5. 33.70. & 142.74 & 154 72. & 164.54. & 166.2. & 168.54. & 173 31.42. & 175.66.67. & 178.52. & 185.57. & 187.12.34 37.40. 41.43. 45. & 186. 43 50. & 188.69. & 195.21,30. & 197.20.40. & 199.63. & 202,6. & 207.54. & 208.53. & 228.46. 46. & 229.6. & 236.56.68. & 237.38. & 240.56. 38. & 242.13. & 243.47. & 244 38.57. & 245. 63. & 246.44. & 248.77. & 258.21. & 259.28. & 261.56. & 262.8. & 268.68. & 270.9. & 273. 64.74. & 275.59. & 278.28. & 281.38. & 284. 17.60 67.71. & 287.12. & 293.30. & 294.6.61. & 296.15.21. & 300.42 & 301.63. & 302.29. & 305.13. & 306.26.60. & 307.23.25. & 308.41. & 309.28. & 312.5.24.27. & 313.63.71. & 314.7. & 316.5. & 319 32.49. & 320.4. & 323.20,62.65. & 327.34. & 328.28.70. & 329.72. & 331.11. & 332.55.66. & 334.36. & 335.67. & 337.25. & 342 27.44. & 348.29. & 363.15. & 365 29. & 372. 39 & 374.55. & 376.13. & 381.26. & 385.48. & 388.26.49. & 390.74. & 394.10 & 400.55. & 401.16.62. & 402.22. & 406.17. & 410.1.27. & 412.49. & 413.66.72. & 414.17.29.31.36. & 415.21. & 418.14. & 429.26. & 430.41. & 431. 41. & 432.45. & 433.24.25. & 436.42.60. & 437.43. & 438.47. & 443.35.67. & 445.7. & 446.32. & 448.54. & 449.21. & 450 15. & 461. 67. & 462.20. & 463.28. & 468.70. & 469.19. & 470.56. & 472.1.23 35. & 473 69 & 475.62. & 476.8.12. & 478 27. & 479.21.68 & 484.66. & 485.4.8. & 487.3 9. & 490.32.35. & 491.23. 25. & 500 10.15.31.60. & 503.12. & 504.7.27. 57.61. & 506.44. et 507.28,30. et 508 26. et 509. 59. et 515.9. et 521.48.52.53. et 524.62. et 526. 8.51. et 527.20 62. et 528.22 30. et 532.58.66. 72. et 533.11. et 539.39.49.66. et 540.18,23.54. 65. et 543.23.50 61. et 544.2.2. et 546 49. et 547. 56. et 548.1. et 553.15. et 557.31. et 564 18. et 566.54 57. et 570.25.26.28. et 577.44.66. et 578.54. et 580.38. et 583.37. et 584.70. et 587.27. et 588.35. et 592.1. et 594 34.63 et 596.5. et 597. 32.35. et 598.41.57. et 600.22. et 601.33. et 602 38. et 603.73. et 605.6 et 606.19. et 607.7.18. et 608 66. et 614 36. et 616.9 71. et 623 16.33. et 624.40.54.68. et 626.50. et 627.5. et 635.1.42. 58. et 636.69. et 637.49 65. et 638.50 et 640 69. et 641.47. et 642.49. et 647 25.31. et 649.26. et 650 53.57. et 654.27. et 661.63. et 666 45.65. et 672 60. et 679.58. et 681.69 et 682.49. et 684 41. 60. et 685.11.28.34. et 687 7.40.71. et 690 57. 61. et 692.39.47.51.53. et 696 57.68. et 700 6. et 701.5.39. et 702.12.41. et 704.26. et 705.1. et 706.9. et 707.35. et 709.36. et 710.17. et 716. 44.58.60. et 719.16. et 721.54. et 723 18,22. et 724.18. et 725 38. et 726.4.24.60. et 729 6.9.19. et 731.5 7. et 732.12 71. et 734.6. et 735.24.26. 28.31.33.36.40.47.60,63. et 736.1.10.14 20,42. et 737.47.50.61. et 743.34 et 744.60. et 749.70. et 750.16.20.60. et 751.16. et 755.22,54. et 756. 63.68. et 757.51.56 et 759.70. et 760.7. et 762. 21.32.33. et 765.16. et 770.23.61. et 771.37.40. 72. et 775.4.51. et 777.5. et 778.8.32 et 782.17. 37.61 et 783.69. et 785.35. et 788.2. et 789.26. et 790.30. et 793.43. et 794.7. et 796.60.64 et 803. 54. et 804 1.12.69. et 808.19.20. et 811.10. et 812.2. et 815.23. et 817 66. et 818.6. et 820.9. 16. et 821.9.52.62. et 822.1.14.28.33. et 832.60. et 834.53. et 838.36. et 839.66. et 843.27 54.63 846.12. et 850.60. et 860.39. et 861.27.30.38. et 864 30 47. et 867.39. et 869.13.19.58. et 871. 26. et 872.13.23. et 874.24.29.61.70. et 876 9. 44. et 878 49. et 879.10.48.57. et 880.6. et 882. 41 43.67. et 884.14 et 886.71.
Plinius emendatus 163.61. et 271.13 56. et 585.1. et 723.37. et 726.28.
Plinius notatus 133.30. et 726.24 et 803.64.
Plinius & Frontinus diſſident 15.62.
Plinius Iunior 152.54.
Plutarchus 2.16 20. et 3.54.74. et 29.72. et 31.57. et 40.36.63.67. et 49.17.23 38.49. et 52.11. et 62. 64. et 65.23. et 67.74. et 70.50. et 73.63. et 76. 29. et 87 7. et 95.21. et 111.66. et 126.19. et 134. 54. et 139.1. et 100.29. et 171 33. et 178.48.54. et 179.22 et 180.7. et 184.34. et 219.10. et 220. 27. et 236.58. et 37.5. et 242 45 et 244.36. et 284. 48.49. et 295.20.54. et 308.10.13.55. et 309.3.6. et 310.33. et 314 28 et 317.46 71. et 328.65. et 358.13. et 370 53. et 372 29 et 379 31. et 383.52. et 389.58. et 393 63. et 434.64 et 438 61. et 448 36.40 46 et 490.64. et 494.23. et 503.15. et 512. 34. et 515.62. et 526.52. et 528.7.49. et 529.11. et 530.19 et 541 49. et 543.49. et 548 58. et 553 52. et 557.8. et 560.73. et 564.68.72. et 583.40. et 588.37. et 592.4 et 594.24. et 595 25. et 596.13. et 600.9.20,34.65. et 603.68. et 608.67. et 617. 63. et 626 61. et 645.28. et 652,13. et 687 38. et 700.37.56. et 737.20. et 756,12. et 757.36. et 760.10. et 770.60. et 774.56. et 775.57.59. et 778.56. et 821.6. et 828.2. et 834 44 et 836,13. et 840.7.29. et 864.25. et 871.59. et 880,16.31. et 884.11.
Plutarchus emendatus 701.42.
Plutarchus notatus 671.21. et 820.14.
Plutarchus de fluminibus 370.63.
Eduvardus Pocockius 169.30.
Eduvardus Pocockius laudatus 722.6.
Poemi 7.25.
Poeta veteris anonymi 107.22. et 469.58. et 523.63. *Vide plura in Anonymus.*
Peggetus 822.58.
Politiani Miſcellanea 772.73.
Pollux 13 2. et 43 49. et 55.16.52. et 65.16. et 69.73. et 79.30. et 121 16. et 143 42. 221.56. et 228.72. 396 43. et 455.51. et 523 2. et 533.26. et 587.22. et 640.1. et 643.9. et 644 59. et 698 18. et 733.46. 48. et 736.39. et 738.65. et 761.37. et 777.30. et 878.53. et 882.71. et 888.54.
Pollux ter emendatus 281.16. *rurſus emendatus* 455.53.
Polyænus 826.59.
Polybius 32.56. et 141.2. et 158.63. et 645.24. et 716. 11. et 725.9. et 767.49 62.
Polychronius 326.28.
Polydorus Virgilius 330 59.
Pomarius, vel David de Pomis Hebræus 42.15. et 43. 46. et 45.44 et 60,10. et 81 67. et 112.3. et 128.24. et 145.53 et 146.34. et 149 36 et 185 50. et 193.10. et 224 31. et 240 21 et 301.4 et 334.3. et 344.63. et 353.51. et 359.74. et 379 38. et 395.33. et 396.7. et 4.6.58. et 536 68. et 608.52. et 614.15. et 646 48. 60. et 674 51. et 681.51. et 6 4.73. et 702 20. et 707.50. et 715.5 7. et 721.65. et 727.5. et 731.41. et 736.68. et 740.5. et 804.52. et 808.3. et 818.49. *Vide David de Pomis.*
Pomarius ridiculus 280.67.
Pomponius Porruceatus 276 1.
Pontanus 512.53.
Porphyrius 21.72. et 23.17. et 184.34. et 198.35. et 490.43. et 756.12.
Porta cœli 423.68.72. et 763.55. et 777.59. et 792. 56. et 824.39. *Vide plura in Gerſom.*
In Porta cœli *locus emendatus* 85.60.
Poſidonius 431.23 et 439.37. et 881.12.14.
Liber Precum Hebraicus 115.42.
Primaſius 696.55. et 880.69. et 881 3 38.
Priſcianus 71.42 et 140.37. et 393.53. et 394 48. et 404 20. et 687.32. et 703.27. et 741.62. et 872.48.
Priſcianus emendatus 687.35.
Probus 302.34. et 596.60. et 671.21.
Proclus 64.65. et 760.56.
Procopius Hiſtoricus 129.60. et 150.6. et 210.49 et 221. 11. et 310.62. et 490.57. et 528.52. et 538.23. et 610 15. et 615.47. et 643.5.
Procopius Gazæus 36 49 et 356 47.
Propertius 23.8. et 26.8 et 155.67. et 219.52. et 244. 73. et 567.64. et 732.52. et 805.19. et 879.31.
Proſper 271.72.
Græca quædam Proverbia 66.50 et 99 41. et 264.51. et 265.14. et 274.1. et 514.67. et 543 10. et 535.31. 686 35. et 636.8.
Prudentius 308.74. et 363.30. et 369.31.56. et 373. 48. et 438.19. et 786.15 et 871.64.
Pſellus 710 40.
Pſellus emendatus 710.45.
Ptolemæus 129.68 et 144 26. et 186.17 et 287.34.37. et 297 6. et 641.49. et 678 27. et 682.47,64. et 686 23. et 700.71. et 711. et 711.64. et 807.49. et 821.62. et 885.74.
Ptolemæus emendatus 641.51.
Ptolemæi regis ſpurium ſcriptum de re accipitraria 338. 67.
Publius Syrus 134.26. et 138.50. et 243.51. et 327.14. et 331.9. et 334 53.
Samuel Purchas 771.64. et 787.10.
Pythagoras 65.22.
Pythagoræ Symbola 236.60.
Pythagoras Geographus 834.18. et 840.9.
Pytheas 867.25.

Q.

QUintilianus 140 40. et 410.42. et 772.71.
Quintilius in Geoponicis 39.21.
Quintus Smyrnæus 17.42. et 69.14.20. et 162.13. et 467.20. et 509.13. et 541.50. et 542.12.18.25. et 548 29 et 783.27.
Quintus Smyrnæus emendatus 542.20.

R.

RAbanus Maurus 538 8.
Ramuſius 821.62.
Razes 98.44. & 199 72. & 226.28 & 583.55. & 753.19 & 806,53.

Regino

Regino Abbas 609. 51.
Remigius Aliſſiodorenſis 447.45. & 475 67. & 479.14
Rodericus Toletanus 784 30.
Rondeletius 692 7. & 743.37. & 747.55. & 748 4. & 864.38
Rondeletius refellitur 807 47.
Ruffinus 824. 61.
Rupertus 880.65. & 881.59.

S.

E *Manuel Sa* 813 35.
Emanuel Sa notatus 826. 12.
R.Saadias Gaon 50.16. & 190.46.62. & 447 60 & 579.52. & 678.65. & 714.72. & 812.48. & 857.16.
Saadias quid de aquis 167.24.
De Sabbatho *Tract. Talmudicus* 128.52. & 224.14 292.46. & 445.57.61.62. & 527.41. & 565.20. & 566.25. & 574 67. & 648 13. & 723.65. & & 724 28. & 726.10. & 757.1. & 791.65. & 793.5.69. & 794 21 & 883 49.
Sahibolchili, *id eſt Autor Actium, cognomen Scriptoris Arabis* 299 49
Sadducai 345.12.
Said Ben Giaber Arabs 850.30.
Salmaſius 84 58. & 94.12. & 141.27. & 142.73. & 147.4. & 294.9. & 323.70. & 624 57. & 683.43 & 687.11. & 692 35. & 726 55. & 729.38. & 736.27. & 811.20. & 817.70. & 872.64. & 874.63. & 875 13.
Salmaſius notatus 45.61. & 682.52. & 707.39 & 771.46.
Salmaſius refellitur 691 1 &c.
Salluſtius 470 25. & 559.3.
Salonius 493.48.
Salvianus 747.56. & 750.38.
Samaritanus Interpres 185.68. & 189.53. & 211.34. & 212.49 & 263 30 & 274.9 11. & 281.30. & 287.64 & 291 49 & 326.12 & 398.47. & 416.44 & 532 17 & 679 16 & 885 49.
Samaritanus conſtanter legit הראה *per* daleth 192.11
Samaritanus aliter legit, & fortaſſe rectius 452.26.
Samaritanus emendatus 628 44
Samaritanus notatus 300.28 & 659.22.
Samaritanus codex 211.31.
Samaritanorum liber Ioſue a Iultermus 15.39.
Samonicus 33.14 & 197.30.34.37. & 305 74 & 306.29 & 517 22. & 620 7 & 633 4. & 735 9. & 852 56 & 876.46.
R Samuel 292. 47.
R Samuel Chophni filius 664 30.
Sanhedrin *Tract. Talmudicus* 112.63. & 383.56. & 384 29 & 608 32 & 699.49. & 701.35. & 721.70 & 818.19.70.
In Sanhedrin *Talmudicorum nugæ* 824.47.
Sanhedrin *Talmudis Babylonici* 109 56.
Sanchoniathon 62 42. & 760.18 & 847 62. & 773.13
Sariph Arabs 625.15. & 846.51.
Ioſephus Scaliger notatus 409. 3.
Iulius Scaliger 122. 40. & 129. 43. & 249. 24. & 310.9. & 329.10. & 83 5. & 411.42. & 415.47. & 423.37.54 & 432 44 & 433.7 & 469.73 & 512.58 62 & 564.19 & 584.5. & 743.4. & 759 57. et 763.32. et 768 19 et 771.6.. et 782 40. et 785.70. et 816.53. et 822 54.
Iulius Scaliger notatus 45 20 61 et 452.72. et 501.4.
Schefferus laudatus 453.49.
Schenckbergerus 750.9
Schindlerus 220.48. et 291 48 et 416.66.
Schindlerus notatus 145 44 et 409.64.
Scholiaſta nonnulli 310.69
Græcus Scholiaſtes in Pſalmos 445.13.
Scylax 371.16.
Sedulius 22 57. et 36 34.
Seldenus 408.73.
R.Selomo 1.18. et 11.14. et 12 36. et 17 44. et 24.9 et 42 22. et 47 22. et 50.16. et 58 37. et 60 9. et 84.64. et 92 70 et 105 32 et 112 2.69 et 115 34. et 118 48 et 128.20. et 140.22. et 149 31. et 177 14. et 179 46. et 196.1 et 202 45. et 205.9 et 227 45. et 240.12. et 247 26. et 263.44 53. et 270 38. et 274 51.66. et 289 70. et 325.47. et 334 6. et 359.73. et 379 43. et 383.63. et 385.71. et 395.31. et 400.65. et 404.62 et 407.58. et 415 7. et 416.58. et 421.61. et 444.53 et 451.25. et 458.37. et 466.74. et 493.59 et 494 44. et 497.59. et 499.8.15. et 509 47. et 515.16.52. et 527.37. et 528.38. et 531.62. et 532.82. et 556.69.74. et 554. 11. et 558 11. et 577.1. et 581.44 et 604.33. et 606.9. et 612.51. et 614.14. et 626.21. et 634 46. et 642.60. et 644.43. et 646.37.48. et 655.58. et 657.73. et 658 60. et 659.1. et 660 30. et 668.29. et 674.52. et 681.53. et 689.8. et 690 6. et 694.73. et 713 27. et 717.55. et 720.23 74. et 727 8. et 731.48. et 736.70. et 737.6. et 777 28. et 784.35. et 786. 48. et 802.28. et 804.52. et 807.67. et 818.45. et 842.21. et 846.6. et 855.57. et 876.73. et 885.37. et 887.15.27.
R Selomonis fabula 171. 72.
R.Selomo notatus 18.5 8. et 81.25.
R Selomo ſibi non conſtat 87.62.
Semoth Rabba 120.11.16. et 131.38. et 656,34. et 657 4.11. et 658 28.68. et 660.37 64. et 663.4. et 664 70. et 665.60. et 666.59. et 667.21.39. et 668.31. et 875.23.
Semoth Rabba *emendatur* 658. 71.
Seneca 10 63. et 40.46 et 64 27.31.35.39. et 71.2. et 131.21. et 143.26. et 174.28. et 185.6. et 197.26. et 219.62.63 69. et 285 15. et 309.71. et 364 39. et 387 52 et 338 55. et 389 44. et 412.65. et 480.23. et 512.73. et 546.31. et 581.19 et 640 40 et 715.35.38. et 716.62. et 731.68. et 732.67. et 785.48. et 837.33. et 881.40.
Seniores Interpretes 345.49. et 351.74. et 359.54. et 376.48. et 381.2.4. et 580.67. et 646 23. et 698.73. et 712 31 et 745 33. et 759 3.
Seniores aliter legerunt 531.8 *et* 565.18. *plura vide in* Græci.
Serapion 703.49. *et* 711 53. *et* 715.10. *et* 736.72. *et* 806.54 *et* 804.19.
R Serira Gaon 344.62.
Servius 9.25. *et* 14 8. *et* 141.13.25.36 *et* 226.72. *et* 237 17. *et* 267.40 *et* 290.64 *et* 318.12. *et* 324.6. *et* 429.60. *et* 434 16. *et* 474.16. *et* 494 11. *et* 503.30. *et* 507.16. *et* 521 35.36. *et* 523 44 45. *et* 526.33. *et* 543.53 *et* 546.57. *et* 637.38 *et* 704.12. *et* 728.74. *et* 738.4. *et* 759 23 24. *et* 795 6. *et* 798.55. *et* 826.17. *et* 839 14 *et* 864.10. *et* 872.6.13. *et* 874.65. *et* 880 53. *et* 881 46.61. *et* 883 19.
Servius emendatus 141. 36.
Servius notatus 208.51.59 *et* 213.46. *et* 883 20.
Sextus 199.71 *et* 306.15 42.69 *et* 307.23. *et* 312.31.
Sextus Empiricus notatus 97.72.
Sextus philoſophus in Pyrrhoniarum hypotheſibus 318.1.
Sibyllina Carmina 220.2.
Sidonius Apollinaris 20.55. *et* 65 11. *et* 174.36. *et* 271.74. *et* 272.8 10. *et* 315.55. *et* 600 44. *et* 616. 27.32 35. *et* 648 20. *et* 652.4. *et* 725.30 *et* 735.19. *et* 790.6.
Sigebertus 477 70 & 481.56.
Sigismundus 763.23.
Silius 186.17. *et* 269. 36. *et* 308.68. *et* 318.6.10. *et* 387 84 *et* 389.46.49 54 *et* 393.17.40,61. *et* 420.34. *et* 529 42.65. *et* 694.51. *et* 715.30. *et* 827,10. *et* 871.36.
Simmiæ Ara 743. 62.
R Simon 14 65.
Simon Maiolus Vulturiacenſis Epiſcopus 449.23.
Simonides 66 16. *et* 583.16.
Simonides emendatus 861.45.
Simplicius 595 3.
Sixtus Senenſis 35.56.
Solinus 72 12.15.74. *et* 73.10.38. *et* 74.53 *et* 75.69. *et* 76.27 *et* 98 17.42. *et* 103 46. *et* 104 34. *et* 107.19. *et* 120.63. *et* 131 9. *et* 177 4. *et* 281.39. *et* 323. 67. *et* 327 35. *et* 328 72. *et* 331.14 *et* 334.36 *et* 342.37. *et* 353.31. *et* 391 25.29. *et* 398.15. *et* 401.64. *et* 402,23. *et* 405 4. *et* 406.19 38. *et* 412.50. *et* 413.71. et 417 27. et 412 15. et 422.15. et 423.10. et 436.26. et 490 30. et 500.46. et 540.60. et 598.60. et 684 46 60 et 699.72 et 701.48. et 715.44. et 729 20.40. et 731.10. et 756.63. et 757.59. et 759.71. et 770.24.63. et 775.5. et 777.6. et 778.10. et 781.67. et 785.51. et 790.30. et 794.48.70. et 811.10. et 817.66. et 843.56.64. et 844.36. et 874 4. et 879 17.
Solinus notatus 405.54. et 697 70. et 816.8.
Sophianus Arabs Abina filius 602 24.
Sophocles 14 10. et 24.64 et 278.17.18. et 367.40. et 375 57. et 396 32. et 422.71. et 545.57. et 705,26. et 872 25.
Sophoclis Scholiaſtes 320.48. & 759 19.
Soranus in vita Hippocratis 506. 8.
Soſtratus de Animalibus 47.53.
Sota *Tract. Talmud.* 263 66. et 264.23. et 419. 51. et 580.18. et 841.63. et 842.17.
Sotion in Geoponicis 540 18. et 547.1.
Sozomenus 621 5.
Speuſippus 311. 3.
Spitillus 386. 17.
Statius 10.2. et 64 47.53. et 79 47. et 95.60. et 133.21.58. et 244 27 et 285.12 et 342.47. et 483.67. et 511.32. et 519 61. et 524.37. et 527.54 et 781.71. et 732 61.64. et 765,37. et 783.14. et 789.73. et 871.55. et 881.5.
Statyllius Flaccus 368.31.
Stella Columba 36. 60.
Stephanus 33.2 et 63 30. et 129.74. et 162.11 et 186.18. et 318.29. et 324.3. et 371.16. et 384 32 et 501 60. et 513.35. et 532.67. et 539.74. et 569.17. et 588.28. et 594.68. et 621.66. et 725.8 et 733 5. et 756.10. et 773 16. et 781.24 et 788.71. et 796.7. et 809.21. et 826.8. et 835.34. et 842.42. et 883.36.
Stephanus emendatus 641.43.
Steſichorus 66. 14.
Strabo 12.18 30.32. et 71.49 et 77.20. et 131.13 65. et 132 20. et 144.26. et 171 33 et 199 15. et 211.53. et 225.60. et 260.1 et 281.38. et 293.21 et 311.34. et 358.7 et 382 48. et 383.25. et 387.25 et 390.20. et 394.33.48. et 411.64. et 412.[illegible] 61 et 413.25. et 431.22.72. et 433.21. et 450 4. et 461.60. et 487.14. et 490.26. et 521. 51. et 530.6. et 531.1. et 533.22. et 541.42. et 557 35.37. et 559.50 62. et 567 31. et 571 41. et 579 60. et 598.61. et 599 6 et 622.72. et 623.33.46.66. et 634 72 et 635.10. et 636.56. et 649 47. et 652.29. et 657.59. et 687 45. et 699.65. et 703.12. et 705.17. et 707.1. et 709.44 et 715.17 et 717.18. et 756.10. et 763.3. et 764.47. et 765.6. et 780.68 et 781.43. et 788.9.20. et 789.11. et 790.32. et 792 22. et 795.53. et 796 7. et 815.50.57.63 et 816 8. et 839 43 64. et 871.31. et 879 4. et 880.11. et 883.36. et 884.11.
Strabo emendatus 540. 42. 48.
Strato 221.28.
Stobæus 312.13. et 449 56. et 513 16 et 700 47.
Succa *Tract. Talmud* 42.72. et 608.25.
Suetonius 19.2. et 94.63 et 196.54. et 358.12. et 452.13. et 587.31. et 616.22. et 685.58. et 864.34. et 881 67.
Suetonius emendatus 515 30.
Suidas 24.69. et 25.3. et 42 23. et 49 15. et 55.18 61. et 68.55. et 72.25. et 79 7. et 104.8.9. et 136 71.72 25. et 142.5. et 149 60. et 153.67. et 154 52. et 175.12. et 180.24. et 181.32. et 204.70. et 211.28. et 221.13. et 222 31 46 et 264 44 et 265.40. et 274.1. et 278 34. et 302.12. et 324.12. et 327.68. et 329.67. et 349 63 et 365.6 et 367.24. et 381.67. et 382.8. et 383 31. et 385 68. et 386 8. et 397.57. et 449.41. et 450 43. et 452.39. et 455.51. et 499.40. et 503.39. et 523.67. et 524 41 et 533.31. et 539 74 et 553 62. et 565.71. et 587.20. et 595.3. et 612 36. et 623. 39. 67. et 629 63 et 637 44 et 643.5.16. et 654.31 et 659.57 et 692.28. et 729 28. et 730 25. et 735.22 et 737.67. et 738.58. et 746.42. et 759 13. et 761 4 29 et 779.20. et 780.14. et 822.23. et 861.58. et 862.18 et 872.63 et 876.1. et 884.66. et 886.54 et 888.52.
Suidas emendatus 43.55. et 132.66. et 218.69 et 370.19 et 452.40. et 885 14.
Suidas notatus 65 73. et 518.63.
Suida error 175.70.
In Suida proverbium de columba ſimplicitate 12.9 14.
In Suida poeta vetus 90. 27.
Suleiman Ben Haſan 751. 66.
Sulpicia 542.41.
Sulpicius Severus 210 41. et 382.8. et 393.72. et 748.39.
Surianus Monachus notatus 489.32.
Surius 445 48. et 621.16.
Matthæus Sylvaticus 45.1.61. *vide Pandectarium.*
Sylvius 685.11.
Simeon Sethi 70.24. et 139 46. et 266.25. et 888.64.
Symmachus 140 31 et 142.7 et 221.14. et 238 51 et 256.71. et 272.72. et 274 37.40 et 321.60. et 324.61. et 325.11.14.20. et 387.40 et 454 66. et 494.32. et 612 26. et 628.46. et 646.30. et 650 24. et 649.30. et 681 31. et 729 60. et 745 43. et 764.4. et 766.73. et 799.33 et 831.25.
Symmachus emendatus 57.72 et 117.58. et 325.5.
Symmachi ſocularis error 60 21.
Sympoſius 349 73. et 350 20 et 604 60. et 670 49
Sympoſius emendatus 72. 22.
Syneſius 86 29. *et* 110.16. *et* 717.8. *et* 817.63.
Sexta Synodus anno 681. 609.27.
Syrus 1.17 *et* 7 24. *et* 35 46 *et* 90.11 *et* 125 64 *et* 112.49 *et* 238.55. *et* 253.63. *et* 254. 12. *et* 261 20. *et* 274.8.18 *et* 279.55. *et* 281.50. *et* 286 69 *et* 291 49 *et* 292.39. *et* 297.51 *et* 326.22. *et* 333.28. *et* 346.67. *et* 359.59. *et* 368.51. *et* 369.30. *et* 379.35 *et* 383.12. *et* 384.27. *et* 398 30. 59. *et* 397.40 61 *et* 428.18. &c. *et* 436.18 *et* 444 7. *et* 454 66. *et* 458.42. *et* 471 49.55. *et* 493.40. *et* 505 31. *et* 532 10. *et* 533 45. *et* 535.8. *et* 605 60. *et* 607.61. *et* 618.10 *et* 628.46. *et* 634.49. *et* 644.53. *et* 640.2. *et* 663.72 *et* 681.43. *et* 689.1. *et* 696 32. *et* 739 16. *et* 758.31.

32 & 765 7. & 766.71. & 783.50. & 785.21. & 804.34. & 878.30. & 880,36 & 884.28. & 887. 20.
Syrus aliter quam Hebraicè 210. 29.
Syrus Hebræum verbum ex Syra dialecto aliter explicavit 520.54.
Syrus aliter legit 140. 28. & 200. 48. & 404. 11 & 439.19. & 495.4.72. & 507.47.58. & 773.36. & 883. 92.
Syra lectio 799.40.
Syra verſio notata 165.41. & 166.34. & 830.62.
Syri interpretis error perridiculus 169. 26.
Syrus emendatus 773 7.38. & 873,11.
In Syro ala aquila pro alis aurora 171.49.
Pſalmorum editio Syro-Arabica 554 35.

T.

T*Abranius hiſtoricus Arabs* 478. 33.
Tacitus 180.34. & 723.15 & 817.72. & 822.2. 30. & 835.31 & 867.10 46. & 869.15.
Talmud Hieroſolymitanum 160. 17.
Talmudici 10.16. et 134.60. et 163.26. et 189.51. et 354 36. et 361.10. et 448.68. et 471. 52. et 481. 28. et 566.45.67. et 689.7. et 847.3.
Talmudici de Halmal 876,57.
Talmudici notati 41.28.
Talmudis Gloſſa 636.68.
Talmudis editio ultima notata 800. 64
Talmudici, Syri, & Hebræi recentiores notati 300.25.
Talmudis locus emendatus 819. 1.
Talmudis locus emendatus & explicatus 163.26.
Tamerlanis hiſtoria Arabica 792.59.
Tanchuma 659 68.
Tardivus apud Geſnerum 335.46.49.
Petrus Teixeira 386 32. & 675.10.14 & 673.25. & 686.17. & 790.73.
Terentius 255.56.
Tertullianus 22.55. et 23.37. et 32,20.71. et 35.25. et 36.13. et 49.6. et 50.15. et 137.58. et 138.43. et 166.66. et 243.47. et 248. 68. et 259.35.69. et 310 58. et 359.24. et 369 54. et 437. 12. et 472. 45. et 487.25. et 512,51. et 525.35. et 530.48. et 582.21. et 600 50 et 634.9 et 635.73. et 637.66. 70. et 638.59. et 640.37 49. et 643.51. &c. et 644 23. et 645.36. et 683.30. et 685.72. et 817.60. et 819.65. et 824 60. et 871.40.43.
Tertullianus notatus 582.23.
Thargum 715.8.
Thargum Hieroſolymitanum 679.32. *vide Chaldæa aut Ieroſolymitana paraphraſis.*
Thaugidaus 862 68.
Themiſtius 768.71.
Thamthemi 606. 48.
Theocritus 12.67. et 18.42. et 53.38. et 55.41. et 64. 4. et 78.31. et 107.43. et 142.10. et 220. 21. et 440.21. et 476 48.56. et 474.25. et 450.6. et 499. 23. et 509.71. et 524 29. et 538.25. et 581.10. et 670 66. et 797.11. et 799.60. et 828.52. et 862.42.
Theocriti Scholiaſtes 219.34. & 476.55. & 581.14. & 861. 37.
Theocriti Scholiaſtes notatus 78.35.
Theodoretus 13.28. et 18.57. et 21.44. et 24.1. et 50. 65. et 60.26 et 90.64. et 103 12. et 149. 47. et 150.5. et 153.4. et 154. 52. et 164.42. et 167.4. et 200 39 et 204 48. et 215 45. et 216.21. et 221. 11. et 222.50. et 385.63. et 389.63. et 407 48. et 427.64. et 448 8.11. et 466.54. et 473.71. et 474. 62. et 477.44. et 478.13. et 486.16. et 481.18. et 483.32. et 499 48. et 511.16. et 512.18. et 528.52. 62. et 558.22. et 541.13.16. et 549.52.60. et 566. 33. et 572.72. et 573.8 48. et 583.22. et 586.1. et 604.10. et 612 69. et 661.12. et 729.62. et 730.6. et 745.41.45. et 758.45. et 840.43. et 871. 45. et 885.68. et 886.15.
Theodoricus 867.12.
Theodorus Heracleenſis 164.45.
Theodorus, vel Diodorus potius Tarſenſis Epiſcopus 313. 33.38.
Theodotio 49.62 et 117.34. et 134. 51.56. et 221. 15. et 272.70. et 321.61. et 480.22. et 484.32. et 580. 66. et 612.27. et 615.46. et 646.27. et 714.35. et 745 44. et 887.21.
Theognis de Rhodiorum Sacrificiis 66. 19.
Theon in Aratum 66,26 & 72 36. & 212.62. & 637. 30.
Theophilus Antiochenus 492.55.
Theophraſtus 3.45. et 29 46.52.68. et 50.30. 35. et 66.66. et 88.8.37. et 125.31 et 141.7. et 142.56.61. et 221.35. et 227 68. et 242.13. et 246.39. et 315. 71. et 316.1. et 364.11. et 365.31. et 387.24. et 440. 18. et 444.72.445.5. et 448.22. et 469 21. 55 66. et 539.69 et 569 53 55.70. et 570.9. 15 18. et 571.4. et 577 43. et 584.72. et 616. 60. et 622.62.68. et 626. 44. et 682. 44. et 683.11 et 687.3.39. et 690 73. et 692.57. et 696.37. et 698. 8.30.54 et 702.10. et 709.36. et 712.43. et 715. 13. et 723.44. et 737.53. et 743. 35. et 762. 32. et 764.74. et 820.8. et 821.16. et 842 63. et 876.8.
Theophraſtus emendatus 365.39. & 469 24.
Theophraſti lectio aſſerta contra Salmaſium 691.1. &c.
Theophylactus 21.46. & 24.4. & 123.11. & 314.71. & 488.61. & 489 24. & 613.46. & 631.30. & 643. 72. & 744.1. & 745.41.50. & 815.10.
Theophylactus emendatus 550. 2.7.
Theophylacti error 176. 2.
Theophylactus Simocatta 310.64. & 490,68.
Thomas 35.54. & 356.51. & 518.72.
Thomas notatus 356.63.
Thuanus 189 39. & 266.58.70. & 267.2. & 269. 12. & 289.55. & 369.22. & 479 45. & 816.53.
Thucydides 53.9. & 135.18. & 420.26. & 533.36.
Tibullus 5.66. & 44.1. & 57.5. & 155.65. & 389 34 & 529.22 & 624.32. & 732.9.
Tigres, vide Pigres.
Godefridus Tilmannus 513.53. & 867.33.
Timo apud Laertium 147.11. & 290.47.
Timocles Syracuſanus Vide Orpheus.
Tiphaſius Arabs de diſcrimine Lignorum 741. 13.
Titinnius Setina Comicus 276.3. & 558.74.
Tobias Hebraicus manu ſcriptus 749.17.
Tobias Hebræus Fagii 749.31.41.
Tobias Hebræus Munſteri 749.40.
Tobias Syrus 749. 28.53.
Adrianus Toll 697.37.
Toſtatus 29. 7.
Trebellius Pollio 13.7. & 765.72. & 876.50.
Tremellius 220.48. & 345.29.
Trogus 539.41. & 724 16. & 740.60.
Trophilus 449. 58.
Tryphiodorus 548.24. & 549.7.
Tſemach *David* 6. 49.
Tubero 431. 40.
Turcarum Imperator Naricius 793,12.
Turnebus 90.62. & 391.2. & 683.42.
Turnebus notatus 530.45.
Turnerus 53.44. & 195.24. & 295.48. & 329.61.
Turrianus 819.34.
Tymnaus 214. 14.
Tzetzes 3.5. et 4.30.59. et 12.9. et 64.68. et 71 19. et 71.73. et 76.46 et 135.15. et 163 6. et 201. 29. et 310.45.68. et 320.53.56. et 386.64. et 431.71. et 474.18. et 494.26. et 614 29. et 586.25. et 589. 10. et 596.54. et 597.44 et 614.41. et 627.2. et 637.44 et 654.1. et 670.58. et 688.6. et 691.60. et 770.26. et 778.45. et 839.17. et 882.68.
Tzetzes uterque 766. 58.
Tzetzes emendatus 883.28.
Tzetzes notatus 3.28. & 12.16. & 19.45. & 176.7. & 654.9.

V.

VAjekra Rabbâ, *cujus autor R. Nachmani floruit circa* annum Chriſti 300.7.11. & 29.8. & 131 74. & 384.30. & 568.56 & 689.49. & 734. 41. & 855.54.
Vajekra Rabba *mutilatus* 129.6.
Valerii Flacci Argonautica 24.57. & 219 22. & 314. 57. & 434 47.50. & 580.23. & 699.66. & 760 38. & 764 43. & 783.24.
Valerius Maximus 431.41. & 524. 62. & 581. 54. & 840.20.
Valerola 470 67 & 472 48.
Franciſcus Valleſius 253 30. & 748.62.
Franciſcus Valleſius refellitur 749. 4.
Varro 9.30. & 11.50. & 24 45.46. & 39.13.20. & 40.51. et 49.30. et 51.55 et 56 40. et 104.29. et 107.10 12. et 132 49. et 133.70. et 134.1. et 137. 55. et 139.18. et 159.48. et 196.32. et 142.47.56. et 276.6. et 330.40. et 348.56. et 349.44. et 352. 2. et 393.52. et 394.47. et 404.20. et 410.24.38. et 502.74 et 503.3. et 504.3.5. et 513.41. et 528. 27. et 539.40.67. et 540.18. et 543.42. et 559 4 et 590.30. et 594 59 et 647.19. et 650 51. et 651. 9. et 658.7. et 661.64. et 704 44. et 786 43. et 826.18. et 872.30.
Ludovicus Varthomanus 32.10. & 130.46. & 684. 9 & 686.17. & 699.59.
Vatablus 421. 60.
Vectius 196.30.
Vegetius 420.37. & 645.38. & 687.10. & 751.38.
Velleius Paterculus 358.9.
Venantius 732.54. *Vide Lactantius.*
Veterum multis impoſuit mala verſio 56.59.
Verſiones vernaculæ 238.73.
Cornelius Vieman 607.23.
Victor Antiochenus 631.12.
Claudius Marius Victor in Geneſim 32.36.
Victorinus Pictavienſis 696. 55.
Vilalpandus 419.13.
Vincentius in Doctrinali 15.34 & 296.28. & 301.44. & 325.69. & 336.33. & 743.2 & 752.28. & 755. 44. & 768.42. & 777.54. & 814.19. & 823.34. & 841.69.
Vincentius notatus 418.19.
Vir doctus de Galli cantu 124.20.
Vir doctus in Epiſtola ad Geſnerum 296.46.
Vir doctiſſimus & piiſſimus 480.9.
Vir doctus & pius notatus 762.40.
Vir valde doctus notatus 821.6.
Virgilius 9.29. & 12.59. & 14 6.42. & 17.55. & 18. 73 et 30.26. et 32.42.45.48.50. et 50.56. et 69. 41. et 70.62. et 71.26. et 73.15.35. et 78. 39. et 101.68. et 141.9.15.43. et 155.17.70. 71. et 174. 13. et 176.70. et 216 69. et 226. 70. et 237.14. et 254.48 et 267.28. et 269 9. et 285.8. et 313.23. et 314.47. et 330.9. et 370.51. et 377 61 et 378 36. et 380.32. et 387.31. et 389.38 et 390.27. et 391. 29. et 393 33. et 414.24 et 420.31. et 422.26. et 424.3. et 454.73. et 467.44 et 468.25.28 31.33. 36.38. et 473 55 59 et 503.61. et 504.24. et 506. 53.61. et 507.63. et 509 6 et 516.16 et 519.57. et 520. 6 et 521 52 et 523.42. et 526 30. & 530. 44.65. & 531.30. & 544 7. & 545.67 & 546 21. & 549.15 & 555.28. & 561 30. & 564.44.40. & 592 30 & 596 6. et 603 71 et 617.55. et 617 30. & 666.2 et 688.27. & 692.29 & 695.32 57 & & 702.40. & 705.16 & 711. 2. & 728.68.71 & 731 61 & 732.26. 48.50. & 759.22. & 762. 66. & 770.15.17. & 783.41 44 50. & 786.58. & 798.52.56.58.60. & 801.52. & 838.40. & 839. 47.53. & 881.5 & 882.24.
Virgilii Catalecta 58.20.
Vitalis de ſignis cœleſtibus 636 22.
Iacobus Vitriacus notatus 489.32.
Vitruvius 199.10. & 594 64. & 624 36. & 627.15. & 645 47. & 729.13. & 738.6. & 735.15. & 794 34.
Ioannes Vitus 750 35.
Ludovicus Vives 860. 33.
Vlpianus 874. 65.
Vmbricius 309.29.
Volaterranus 780.17.
Vopiſcus 95.38. & 226.4. & 229.49. & 616.26. & 738 11.
Gerardus Voſſius 527. 11.
Iſaacus Voſſius 180.37. & 278.73. & 355.60. & 775. 12.
Vranius apud Stephanum 733.5. & 737.74.
Vulgatus interpres 101 34. & 125.63. & 221. 15. & 256.35. & 321.57. & 345.50 & 376.74. & 379. 36 & 381.2.6 9. & 398.28 & 417.28 & 444.63. & 447.72 & 455.7. & 612. 41. & 618.50. & 646.24. & 831.34 & 878 26 & 881.2.
Vulgatus aliter legit 453 23. & 883.59.
Vulgata verſio emendatur 114 56.
Vulgata verſio explicatur 813. 16.
Vulgata verſio notatur 204 36. & 398.18. & 466. 7 & 887. 58.

VV.

W*Aheb filius Manba vel Menubba doctor Arabs* 351.54 & 856 32.
VVildebrandus ab Oldenberg notatus 15,35.
Andreas VVilletus 538, 10.
VVitichindus de geſtis Saxonum 510. 12.
VVottonus 747. 50.

X.

X*Enocrates* 753 46 & 867.37.
Xenophon 5.53. & 8.7.11.44. & 80 16. & 90.67. & 184. 34 & 221 27. & 228 65. & 245. 26. & 262.9. & 284.2. & 370.5. & 513 26. & 521.50. & 527.72. & 586.62. & 702 69. & 728. 31. & 733.55. & 757.50. & 761.31. & 821.11.13. & 833. 69. & 888.51.
Xiphilinus 822.13.
Xylander notatus 433.32.

Z.

Z*Acharias Mitylenæus* 810. 10.
Zacharias Papa 876. 14.
Zamachſari 305.50. & 362.42. & 573 58. *vide Azzamachſari.*
Zancaſſanes Perſarum rex 783.18.
Zebachim *Tractatus Talmudicus* 26.21. & 565.32.
Zenodotus 149.65. & 623.39.
Zohar 818.14.
Zonar 507.63.
Zoroaſtris Geoponica 388.49. & 823.26.
Zoſimus 487.11.

VOCES

Hebraicæ, Chaldaicæ, Syriacæ, Samaritanæ, & Æthiopicæ,

Quæ in ſecunda parte hujus Operis explicantur.

אבה *ebe* quid ſit ignotum Job. 9. 26. ubi vir ſanctus dies ſuos præteriiſſe queritur *ut naves* אבה *ebe*. Cum R. Selomone ſuſpicor eſſe fluvii nomen, quia hodieque duo ſunt amnes أبي *Ebe* vel *Ebbe* in illis locis, unus prope Cupham, alter in Babyloniæ regione *vvaſit* Gr. *Μεσήνη*. Poſſunt etiam intelligi naves actuariæ quæ ſunt expeditiores, quia Arab. أبي *aba* eſt ad iter accingi, p. 171. l. 2. Alii ſcribunt أب *abba*.

ܐܒܟܐ *abacha* in Syro eſt gallus, ut in Chaldæo אכבא *achaba* Prov. 30. 31. Neutrum alibi reperitur. Sed Syrum *abacha* mihi magis arridet quia galli ſuperbiam, de qua ibi res eſt, magis exprimit. Fit enim à verbo אבך quod in *Hithpael* efferri & extolli ſignificat Eſa. 9. 18. p. 116. l. 49

אבם *Abas* (à quo Abantes) princeps Coloniæ quam Cadmus deduxit in Euboeam, pecudum ſaginatorem ſonat p. 135. l. 6

האביר plumeſcere. Hinc Job. 39. 26. *An per prudentiam tuam* יאבר *plumeſcit accipiter?* Et Jer. 51. 11. הברו החצים *πληρώσατε τὰ βέλη* (Gall. *empennes les fleſches.*)

אברה חסידה *ala ciconiæ* Job. 39. 16. pro אברת חסידה ſtatus abſolutus pro conſtructo, quod non eſt ſine exemplo p. 247. l. 63

אנפרה amnis ripa. Pro אנפרה ſic puto legiſſe qui *χαραδριὸν charadrium* reddunt, Græci nempe & Hieronymus. Charadrius enim *ἐν ταῖς χαράδραις διατρίβων* in amnium ripis degit, unde illi nomen p. 340. l. 42

אגורי *eguri*, olivæ in Judæa præſtantiſſimæ quarum meminit *Bereſcith Rabba*, unde dictæ & ubi creverint. p. 725. l. 40

אדם Hebr. rubere, ſed Arab candere eſt, p. 688. l. 53. Quin ut Latinè rutilare, id eſt rubere, dicuntur Luna & ſtellæ, quia ſumme candent. Et à Poëtis purpurea vocantur quæ ſunt eximii candoris, ut nix & cygni; Ita Hebræi rubedinem iis tribuunt quæ ſunt maximè candida. Sic Levit. 13. 19. lepræ macula deſcribitur לבנה אדמדמת *alba impenſe rubra*, id eſt ſumme candida. Et Cant. 5. 10. ſponſus eſſe dicitur צח ואדום *candidus & ruber*, id eſt eximie candidus. Et Thren. 4. 7. Nazaræos fuiſſe legas *nive puriores, lacte candidiores, & corpore rubuiſſe præ margaritis*; *ἰσοδύναμα*. Itaque eo loco rubere eſt ſumme candere p. 688. l. 33.

אדמדמת *adamdemeth*, lepræ epithetum ubi ſupra, *ſubrubram* reddunt magno errore, cum geminatæ radicales ſignificationem non minuant, ſed intendant. Ita ירקרק eſt *ſumme flavum*. שחרחר *valde fuſcus*. Et pari ratione אדמדם erit *ſumme ruber*, ſi vocis retineatur propria ſignificatio. At cum tribuitur is color lepræ maculis, quæ non ſolum albæ ſunt, ſed & nivis inſtar candidæ Exod 4. 6. Num. 12. 10. & 2. Reg. 5. 27. patet ruboris nomine non aliud ſignificari quam ſummum candorem. Quod ipſum intelligi par eſt, cum in Jeremia & Cantico rubere leguntur vel margaritæ, vel eorum corpora qui à candore commendantur p. 689. l. 22.

אותיא *ethia* Jonathani *ὠτὶς otus*, quaſi auritum dicas, quia circa aures habet *πτερύγια*. Avis eſt noctuæ ſimilis, ſcurra & imitatrix, quæ ut noctua contra ſaltantem unum aucupum capitur *ὄρχησις χειρῶν*. Nonnulli vocant nycticoracem. Eſt pro Hebræo תנשמת *thinſemeth* p. 286. l. 29

איה *aja* Hebr. avis quam Arabes يويو *juju* vocant, à clamore ſuo ſcilicet. Nam ut aquila clangit, milvus jugit, corvus crocitat, ſic apud Arabes hæc avis يايا *jaja*, unde Hebr. *aja* dicta, & Arab. *juju*. Eſt autem minor accipiter, qui venatur alaudas. Eum Arabes magni faciunt propter ſummam perſpicaciam. Ita Job. 28. 7. laudatur oculus *τοῦ aja*, Græcè dicitur *αἰσάλων*, Germ. Smirle nobis *eſmerillon* p. 193. l. 16

אים Hebr. terribilem, & אימה terrorem ſonat. Inde Hieronymus fieri putavit איים (ac ſi *Mem* ſervile in fine vocis ad radicem pertineret) ac proinde voluit איים eſſe ſpectra terribilia, quales Fauni vel maxime, cum Fauno terrores panicos, & quæcunque *φάσματα* videntibus terrorem incutiant veteres Romani tribuerint. Itaque איים *Faunos* reddidit p. 826. l. 34

אכברה vide ܐܒܟܐ *abacha*.

אכם *acam* nigrum eſſe Chaldæis ſonat. An inde *jacem* appellarunt nigrius corallium in Perſico mari naſcens, de quo Plinius p. 706. l. 34

אל *ad*, pro על *ſuper* p. 766. l. 52

אם *im* plerumque idem eſt quod SI, vel nota interrogationis ut AN, & Græcè *ἆρα, πότερον*. Sed & occurrit pro VERE, & particula eſt confirmantis, ac ſi fiat ab אמן *Amen* deficiente *nun*, ut in אמת pro אמנת p. 247. l. 53

אינומלין *οἰνόμελι* Talmudici definiunt vinum, mel & piper ſimul mixta & temperata. Quæ tamen deſcriptio non tam ad œnomeli quam ad conditum pertinet.

אנף *anaph* iraſci. Inde אנפה *anapha*, avis quæ putatur ita dici quia facile iraſcitur. Talmudici exponunt דיה רגונית *vulturem iracundum*. Forte eſt aquilæ ſpecies quæ Arab. زمج *zummag* dicitur, cujus nomen ab ira factum. Nam aquilæ & vultures non raro confunduntur. Sed in rapacium genere nulla avis eſt falcone montano iracundior p. 338. l. 15. Vide in Arab. زمج in Græc. *Ἀνάπαια* in Latin. *Falco montanus*.

אונשא *onſa* fabuloſum animalculum in Porta cœli, quod in medium leonis corpus ab una parte ingreſſum, exit per partem oppoſitam p. 792. l. 65

אסקרא *askra* locuſtæ genus Syris & Talmudicis, quæ in Dioſcoride *ἀσίρακος* Africæ Lephtanis, de qua in Græcis.

אסתוירא Chald. *malleolus pedis* p. 494. l. 40. & אסוורא *greſſus* ibid. l. 50. An ab Hebr. אשור.

אקמתא *akmetha* Prov. 30. 28. in Chaldæo, non eſt aranea, ſed ſtellio, ut Syrum ܐܩܡܬܐ factum ex Hebr. אנקה de quo prius volumen p. 604. l. 69

אקרוקא *akruka*, Talmud. *rana*, vox à ranæ voce facta, cujuſmodi plures aliæ. In his Æthiopica ቈርንናዕት: *kuornanaath*, Arabica قر *kurron* Ægyptia *χρούρ chroür* & Punica קרור *kurur*. Unde Batrachium Pœnis חציר קרור *aſir kerur* herba ranæ, pro quo legitur *atzi curur* in Apuleii herbario p. 651. l. 10

ארבה *arbe* locuſta à copia nomen habet. Nempe רבה multum eſſe vel multiplicari ſignificat. Et vix ullum eſt animal locuſta fœcundius. Inde magni exercitus locuſtis conferuntur ratione multitudinis Jud. 6. 5. & 7. 12. &c. p. 442. l. 6

ארבה *arbe* locuſta & ארבה *arubba* fumarium, quamvis punctis vocalibus multum differant, tamen iiſdem literis ſcribuntur, quod veteres interpretes fefellit Oſ. 13. 3. p. 480. l. 4

ארג *arag* texere de aranea dicitur Eſ. 59. 5. & paſſim. Inde igitur Græcum *ἀράχνης* p. 608. l. 48

ארגמן *argaman* Hebr. purpura, eaque rubri coloris, non cœrulei, qualis תכלת *thecheleth* p. 733. l. 65. Idem Chald. Syr. & Arab ארגון *argavan* quam vocem Daniel & Eſdras primi uſurparunt ibid. 67

ארגמן *argaman* vel ארגון *argavvan* eſt rubra purpura ex illius cochleæ ſanie facta quæ propriè *purpura* dicitur. Itaque Græci & Hieronymus conſtanter *purpuram* exponunt. Et Hebræi qui purpuram nullam norunt præter תכלת *thecheleth*, tamen ארגמן *argaman* docent ſpeciem eſſe rubrei coloris. Itaque אדום *adom* rubrum, & קרמז *kermez* coccineum vocant, & cum לקא *lacca* conferunt p. 736. l. 64

ארגמן *argaman* & ארגון *argavvan* ſola dialecto differunt, Illud enim mere Hebræum eſt, hoc Chaldæum, Syrum, Arabicum, Perſicum, p. 740. l. 17. Utrumque factum ex ארמגון *aramgavvan*, quaſi Syrum colorem dicas, quia in Syria primo cœpit uſurpari ibid. l. 19

Ad ארגמן *argaman* alludere nonnulli putant *ἀμοργὶς* herbam flore purpureo quæ Amorgo inſulæ nomen fecit. Et Arabicum *magran* pro rubrica Sinopide, & *margian* pro corallio p. 740. l. 65

Ad ארגון *argavvan* alludunt Græca *ῥέγος* vel *ῥῆγος* pro mictu purpureo, & *ῥεγεὺς*, *ῥεγεὺς* vel *ῥογεὺς* pro lanatum infectore p. 740. l. 71

אריח *ariach* later ſeſquipalmi, ut כפים *chephis*, cum לבינה *lebena* ſit later trium palmorum, Gr. *τρίδωρος* p. 614. l. 28

אורן *oren* pinnus Eſ. 44. 14. ut אורנא *orna* Chald. & Syr. Poſt Hieronymum ſic reddunt Kimchius, Pagninus, Bodertanus, Schindlerus, Alii *ornum* malunt propter vocis alluſionem p. 869. l. 52

ארץ terra ſumitur etiam pro aquis, quia terræ ſeu regionis amnes & vicina maria ad eam aliquo modo pertinent p. 668. l. 62

אורשינא *orſina* phœnix in *Sanhedrin*. Sed legi malim אורנישא *ornisa*, quia fit ex Græco *ὄρνις*, quomodo phœnix à Græcis ſcriptoribus paſſim vocatur p. 818. l. 70

ב *Beth* & פ *pe* ſæpe permutari p. 471. l. 50. & p. 478. l. 57

ב *Beth* litera quandoque in fine vocis adſcita p. 379. l. 68

ברלח *bedolach* Seniores qui *cryſtallum* reddiderunt, videntur legiſſe ברלח *berolach*, res pro *daleth*, & pro beryllo accepiſſe, quem inter cryſtalli ſpecies multi numerant, Sic Syra verſio pro ܒܕܘܠܚܐ *bedolcha* conſtanter habet ܒܪܘܠܚܐ *berolcha*. Sed Joſephum, Aquilam, Symmachum, Theodotionem *bedolach* legiſſe apparet, quia *βδέλλιον* aut *βδέλλον* reddunt, quod ſequuntur recentiores p. 674. l. 49. &c. At terra Havila, ubi ברלח *bedolach* à Moſe deſcribitur Gen. 2. 11. bdellii proventu celebris non eſt, ſed unionum. Quod probatur p. 675. 676. 677. Itaq; nomine *bedolach* margaritas intelligũt paraphraſtæ quatuor Arabes, Talmudici, Benjamin, Saadias, Calonymus, alii. Eodem facit quod mannæ alba & rotunda grana conferuntur cum *bedolach* Num. 11. 7. In margaritis enim maxime eminent candor & figura ſphærica p. 677. & 678. In Samaritano exemplari ברלה *bedolah* per *he* ſcribitur, quaſi ſiat à ברל *badal* quod ſeparare eſt, ut Arab. فرد *pharada*. Sic ברלה *bedolach* idem eſſet quod Arabice فريد *pharid*, margarita ſcilicet non quævis, ſed eximia, & præſtantiæ ratione à reliquis ſegregata. Græce *μαργαρίτης* dixeris, & Latine *unionem* p. 679. l. 35

חוטי ברלח *fila margaritarum*, id eſt monilia ex margaritis, in Chronico Templi ſecundi p. 683. l. 27

בהמה *behema*, Arab. بهيمة *bebima*, tam ſinguli, at quadrupedes quæ in aquis quam quæ in terra degunt, quod Arabes diſerte docent. Itaque falluntur qui non niſi de terreſtribus dici aſſerunt p. 755. l. 37

בהמות *behemoth* Job 40. 10. non eſſe elephantem, ut creditum eſt hactenus, ſed Ægyptum hippopotamum, ex Jobi deſcriptione probatur p. 754. l. 56. &c.

בהמות

בהמות *behemoth* Job. 40. 10. plurale non eſt, ſed ſingulare Ægyptium, ut *Thoth, Phaoth, Phamenoth* menſium in Ægypto nomina: *Raceth*, Alexandria: *anoth* telephium: *motheth* chelidonium &c. p. 756. l. 6

בהרת *baheroth* Hebr. lepræ macula lucida Lev 13. 19. בהיר *bahir* lucidus Job. 37. 21 بهر *bahara* Arab. lucere p. 680. l. 60

בוך *buch* in Niphal perplexum eſſe: unde in Talmude חוט של בוכיא filum perplexitatis ſeu perplexum filum araneæ. Alii pro בוכיא *buchja* perperam legunt כוביא *chubja* aut כוכיא *chuchja* p. 608. l. 23

בותא *bautha* in Onkelo pro התנשמת *thinſemeth*, avis nocturnæ genus, quæ Arab. البومة *albuhe* dicitur, & Gr. *βύας* inter bubonum ſpecies p. 276. l. 39

יבחושין *jabchuſin* genus culicum puſillorum qui reperiuntur במרתכורת של יין *in vini facibus*, id eſt *κώνωπες*. Videntur ſic appellati, quia vino immixti ſunt. Nam בחש *bachas* eſt miſcere. In his quidam rubri ſunt p. 565. l. 22 & 31

ביהרת *bichith* & גומר *gomar* Æthiopice hippopotamus. Arabice بكشا *bachaſja* eſt ſcutari, & غمر *gamara* in profundo demergi. Inde igitur dictum animal quod in abyſſis demerſum eos ſcrutatur quaſi p. 769. l. 6

ביצה *beiſa* ovum Hebr. ut بيضة Arab. Radix album eſſe ſonat, quod Hebræos latet p. 252. l. 10

בלטיתא מלטיתא *baltitha* caries, pro quo *maltitha* male Prov. 12. 4. & 20. 25. p. 618. l. 60

בעל זבוב *Beelzebub* muſcarum Dominus, non *Deus muſca*, ut Græci accipiunt p 499. l. 62. An idem qui Gr. *Μυιάγρος* aut *Μυίαγρος* aut *Απόμυιος*? p. 500. l. 6. In Evangelio legitur *Beelzebul* tanquam à זבל *zebel* id eſt ſtercore, quaſi ſtercoreus Deus. Vel errore vulgi *beth* finale mutatum in l. Ut cum Arabici ſinus oſtium *Babel mandel* vocant pro *Bab elmandab*. Et nablium Hiſpanice *rabel* pro رباب *rebab* p. 501. l. 20. At cur Beelzebub Deus Accaron à Phariſæis in Evangelio vocatur dæmonum princeps, qui Hebræorum aliis eſt Samael aut Aſmodæus? An ex Deo Accaron, vel Acharon ut ſcribunt veteres, factus eſt Pluto Deus Acherontis p. 501. l. 32

בצע pro פצע ſauciari Joel. 2. 8.

בקי *bakka* in Talmude יתושין Gr. *ἐμπίδες* aquatici culices p. 566. l. 46. Singulare בקא *bokka* l. 63. ubi dicitur eſſe animal *ἐφήμερον*, E. & in Syro p. 570. l. 69.

בקע rumpere, & excludere de ovis p. 409 l. 6

בר נזא *bargiza* pro בר עזא *filius roboris*, id eſt gryphus in Jonathane & Jeroſol p. 230. l. 6

בר חוריא *bar churja* filius albedinis, in Talmude vultur albus p. 230. l. 6

ברר *barar*, clarum, purum, nitidum eſſe, de Sole & die ſereno dicitur, & de ſagitta bene terſa & expolita p. 690. l. 46. Inde geminatis radicalibus ברברי *berberi* dici potuit concha margaritifera quæ reliquas nitore, claritate & puritate ſuperat, maxime in interna parte. Sic Phœnicium fuerit vocabulum, non Indicum ut vult Andrioſthenes p. 690. l. 42

ברברים אבוסים 1. Reg. 4. 23. *barburim abuſim* vel *barburi* ad præſepe *ſaginati* quid fuerint in Solomonis menſa operoſe quæritur. 1. Alius ברברים *barburim* ſunt animalia quæ aluntur בביברים in *bibarim* ſeu *vivariis*, quæ vox cum Romana ſit, & Solomonis ævo multis ſeculis recentior, eſt certo certius *barburim* inde dici non potuiſſe. 2. Aliis *barburim* ſunt volucres in genere pro *abarburim* vel *eberburim*, quia אבר *ober* eſt ala. 3. Aliis pro *barbarim*, ut ſonet aves e Barbaria allatas nempe Troglodytica, in qua meleagrides præter Agatharchidem deſcribunt Diodorus & Artemidorus apud Strabonem. Nobis ut à חרר *charar* ardere חרחור *charchur* eſt ſummus ardor, ſic à ברר *barar* eligere ברבור *barbur* dicitur quod ſumme electum eſt. Itaque *barburim* in cibariis ſunt ſelectiſſima quæque. Sed pecudes ſignificari potius quam avitia docet adjunctum אבוסים *abuſim*, quo propriè ſignificantur quæ ad præſepe ſaginata ſunt. Quomodo in Scriptura non ſaginantur niſi pecudes p. 127. 130. &c. uſque ad p. 135

בריח דובשא *fluxus mellis* Chald. vide in بزز

בריח *vectis*, unde נחש בריח ſerpens vectis, vide in נחש.

ג *gimel* Hebræorum mutatur in خ *chi* p. 608. l. 59

גבחרת *gabbachath* in locuſta quid ſit non ſatis conſtat. Alii gibbum intelligunt, in cameli modum, dorſo extantem, alii calvitium, quomodo ſumitur in pluribus Talmudis locis p. 456. l. 29

גבר *geber* cum virum ſonet, refelluntur Judæi qui gallum interpretantur Eſ. 22. 17 & in paucis aliis Scripturæ locis p. 118. l. 18. Probatur locum Eſaiæ reddendum eſſe, *Deportabit te Dominus deportatione, ô vir*. Non *deportatione viri*, multo minus *deportatione galli* ibid. l. 44

גדיאן *gadjan* Talmudicis locuſta eadem quæ Moſi חגב *chagab* p. 451. l. 4

Ex הגיח *hegbil* גוח non eſt educere, ut reddunt Job. 40. 18. ſed erumpere 766. l. 45

גוי *goi* gens, & עם *am* populus, etiam de locuſtis, formicis, chœrogryllis dicitur in Joele, & Solomonis Proverbiis. Quod loquendi genus tritum eſt etiam apud Arabes, Græcos & Romanos ſcriptores p 467. l. 52

גוזל *gozal*, non ſolum columbæ pullus, ſed & turturis, palumbi, liviæ, vinaginis, & avis alia ſi qua eſt quæ ad columbinum genus referatur p. 6. l. 62. Ita ſumitur Arabum جوزل *giauzal* iiſdem literis ſcriptum, quamvis paulo aliter ſonet. A pipiru dicitur, ut vox Romana *pipio* (nobis pigeon) nam Arabicè جزل *giazala* pipire eſt, & الجزل *algizalo* pipirus. Syri pullum per metatheſin ܙܓܠܐ *zegal* dicunt. Sed Pœnis *gozal* id fuit. Proinde in Auctario Dioſcoridis herba periſtercon Punice dicebatur *azir gozal* חציר גוזל herba pipionis p. 7. l. 17

גוזל *gozal*, propriè columbæ pullus aut columbini generis. Tamen etiam aquilæ pulli vocantur

גוזליו Deut 32. 11. Ita Lampridio pipiones ſunt pulli columbarum, Sed pipiunculus Iſidoro eſt accipiter p. 178. l. 29

גזם *gazam* apud Talmudicos & in Æthiopica paraphraſi proprie ſignificat reſecare & amputare ramos arborum. Inde גזם dicta eſt locuſtæ ſpecies quæ præacutis dentibus non ſolum gramen & ſegetes à quæ arborum folia, ſed & cortices ipſoſque arborum ramuſculos ita crodit ac ſi amputaret p 443 l. 36

גוזמא *guzma* hyperbole. על דרך גוזמא *per viam hyperbolæ*, id eſt hyperbolice p 39. l. 2

גלל *galal* fere idem quod קלל *kalal*, lucidum eſſe & terſum. Itaque جليل *gelil* Arab. de luce & colore ſplendidum ſonat. Et Eſdr. 5. 8. אבן גלל *lapis galal*, lapis lucidus vel ſplendidus, id eſt marmor p. 887. l. 42. Nempe in illis linguis *Gimel* & *Kaph* ſunt literæ permutabiles p. 888. l. 3

גומר *gomar* Æthiop. hippopotamus, vide ביחת *bichith*.

ܓܠܕܐ *cadaver oſſeum* Syr. id eſt *σκελετός* p. 505. l. 32

ܓܪܣܐ *garſa* Syr. amphisbæna p. 399. l. 51

גרף *garaph* de torrente avehere Jud. 5. 21. Alibi non extat. Sed Arabice جرف *giarapha* hoc ſenſu paſſim occurrit. Unde الجرف *algiorpho* terræ gleba quam torrens avexit. Sic Joel 1. 17. מגרפות *megrephoth* glebæ propriè torrentis, ut Job. 21. 33. רגבי נחל *rigbe nachal* per metatheſin, & *beth* pro *pe* p. 471 l. 59

דאה *daa* in Levitico eſt avis quæ in Deuteronomio ראה *raa* dicitur, *daleth* & *res* permutatis ut ſæpe alias, quia ſunt literæ perſimiles. A volatu דאה *daa* ſumptum, ut à viſu ראה *raa*. Interpretum plerique *milvum* exponunt, quæ verſio ſi vera eſt, malim ראה *daa* legere, ut ad volatum pertineat, qui in milvo eſt eximius. Nam & altiſſime volat, neque facile delaſſatur: Et hoc habet peculiare quod quandoque ex ſummo aere alis per horam integram immotis captat prædam. Id Itali *tendere*, nos *planare* dicimus. Itaque Samaritani conſtanter ܕܐܗ *daa* ſcribunt, non ܪܐܗ *raa*. Et milvus Arab. hodieque vocatur حداة *hida* p. 191. & 192

דביונים *dibjonim* fluxus columbarum 2 Reg. 6. 25. ita habetur in margine pro חריונים *charjonim*, id eſt ſtercore columbarum (de quo ſuo loco) compoſita eſt vox ex דב *fluxus* & יונים *columbis*. Sed Talmudici exponunt *id quod eſt in columbis*, quaſi ſit compoſitum ex Chald. ד pro אשר, id eſt *qui, qua, quod*. Et ב pro *in* & יונים pro *columbis*. Nempe columbas Samariæ urbis tum a Syris obſeſſæ in agros pabulatum iviſſe volunt, unde cum diſtentæ domum rediſſent, dominos excuſſa ingluvie grana eliciuiſſe, & magno vendidiſſe, quæ refelluntur p. 41. l. 28

דביונים ad verbũ *fluxus columbarum*, id eſt excrementa quæ ex alvo quaſi defluunt. Hinc eſt *ῥεῦμα γαστρός, διάῤῥοια, alvi profluvium*. Et *ῥοώδεις πυρετοί* febres quæ alvum laxant p. 42. l. 59. vide חריונים

דבר *dabar* non ſolum loqui ſignificat, ſed & ordinare, regere, quod ſermone fit, *ille regit dictis animos*, &c. Unde apis Hebr. דבורה *debora* dicta, quia animal eſt politicum & Arab. دبر *dabron* examen apum p. 502 l. 52. Ut עדת דבורים p. 503. l. 72

דבורה *Debora* apis & muliebre nomen, ut Græce *Μέλισσα* p. 913. l. 30

דבש *debas* mel; Item dactyli Gen. 43. 11. & 2. Par. 31. 35. Arab. دبس *dubes* Ut دبس *dibs*, mel dactyli & palmæ, id eſt ſuccus ejusdem cum melle dulcedinis, ut teſtantur Joſephi duo, Hebræus unus, & alter Indus p. 518. l. 12

דבשת *dabbeſeth* cameli tuber Eſ. 30. 6. tanquam à voce *debas* quæ mel ſonat. Quaſi ſic appelletur, eo quod oneribus lævum, melle inungi ſoleat. Ita Hebræi. Sed ad דבשת aliquo modo alludit Arabica vox ejusdem notionis سديف *ſadiph* pro دفيس *daphus* per metatheſin p. 527. l. 34

דגר congregare, item ova fovenda colligere p. 409. l. 9

דוכיפת *dukiphath* Hebr. non dicitur upupa, quaſi habens דו כפות *du-kephoth* duas criſtas, ut exponit Pagninus, tanquam ex R. Sclomone, qui nihil habet tale. Et vero eſſet falſiſſimum. Cum neque דו duo ſonet, nec כפות *kephoth* criſtas. Neque ulla ſit avis *δίλοφος*. Sed non minus ineptum eſt quod ex *Cholin* affert R. Selomo, cam avem ſic dici quia habet הודו כפות *hodo kephut, eminentiam ſuam* (id eſt criſtam) *adalligatam*, p. 343. l. 46. Ego Syram vocem fuiſſe ſuſpicor, & Syris דוך *duc* id fuiſſe olim quod ديك *dic* Arabibus, nempe gallum. Ita דוכיפת *dukiphath* erit דוך כפא *duc kepha* gallus rupis, Quomodo Hebræi hodieque upupam vocant *gallum ſylveſtrem* aut *montanum*: Et Æſchylus *πετραῖον ὄρνιν avem* aut *gallinam ſaxatilem*. Helychius, *ἀλεκτρύονα ἄγριον*, Græci recentiores *ἀγριοκόκορον agreſtem gallum*, p. 344. l. 46. Ejusdem vocis alia origo p. 345. l. 8

דוץ *duts* vel דיץ *dits* inſultare Job. 41. 13. Alibi non occurrit in ſacro textu, Sed Arabibus ignotum non eſt quamvis apud Chaldæos & Syros uſitatius, Ter occurrit pro *σκιρτᾶν* in Luca Syro. Hinc caprea דיצא *ditſa* Chald. & *δίζα* Laconibus ut volunt p. 783. l. 47

דור habitare (proprie in orbem) quia rotundæ fuerunt primæ habitationes, aut in orbem digeſtæ circa mediam plateam Proinde urbs ab orbe dicta eſt, & *πόλις ἀπὸ τοῦ πολεῖν* p. 712. l. 27

דור *dur* pila ſeu orbis Eſ 22. 18. *Volvendo volutabit volutatione Dominus* כדור *ſicut dur*, id eſt, *ſicut pilam*. Et Eſ. 29. 3. *Caſtra metabor* כדור *velut in orbem contra te*, id eſt tanquam corona & indagine te cingam. Ut Luc 19. 43. *περιβαλοῦσι καὶ περικυκλώσουσί σε*. Refelluntur interpretes qui *caph* in כדור volunt ad radicem pertinere, cum ſit *caph* ſimilitudinis p. 712 l. 45. Vide دور in Arabicis.

דיה *daja* Deut. 14. 13. in immundarum avium cenſu ſtatim ſequitur poſt איה *aja*. Sed in Levitico Scribas putaverim id omiſiſſe propter *τὸ ὁμοιοτέλευτον*. Vulturem eſſe colligo ex his Eſaiæ 34. 15. de Idumeæ vaſtatione, ibi דיות *dajoth congregabuntur*, *τῶν γαμψωνύχων* ſoli vultures gregatim degunt, quod probatur p. 196. Nomen eſt ab atrore ſumptum. Nam דיו *deio* Hebr. eſt atramentum: ܕܝܘܐ *dajava* diabolus Syris p. 197. l. 7.

דירה לבנרה Talmudicis non eſt milvus albus, qualis nullus eſt, ſed vultur albus, aut varius, id eſt niger & albus p. 325. l. 30. ubi vultur in nigrum & album diſtinguitur. Sic in Lege Jonathan & Jeroſolymitanus habent דיותא חוריתא vulturem albrum. Quomodo legendum Pſ. 104. 17. pro ותיא חוריתא ibid. l. 54

דיה לבנה Talmudicorum nonnulli neque milvus eſt, neque vultur albus, ſed ciconia, quia ut ab atrore factum דיה & à candore לבנה ita vox πελαργὸς avem ſonat nigro & albo diſtinctam p. 334. l. 0

דייטריטין calices διάτρητα, diatreti, id eſt cryſtallini cælati in Bereſcith Rabba, Semoth Rabba & Midras p. 875. l. 15

דר dar Eſther 1. 6. & Chald. דורא dura eſt margarita à globoſa forma ſic dicta. Vide Arab. دور Proinde eam afferri dicit Chaldæus ex æribus maris magni, ad quas ſcilicet eſt κολυμβητὴς τῶν μαργαριτῶν margaritarum piſcatio. Et in Midras Eſther Hebræi exponunt מרגליר margalith ſeu margaritam p. 711. l. 14. A Græcis quinque πίννας λίθος, id eſt margarita, redditur p. 714. l. 42. Arabice denique در dur vel dor, in plurali dar, eſt unio p. 711. l. 39 Neque res eſt ſine exemplo quod legitur Aſſueri cœnaculum margaritis fuiſſe ſtratum p. 711. l. 57

דרור deror, columba fera à libertate ſic dicta, quia eſt liberi paſtus. Veteres turturem reddunt, Æthiops torquatam (nempe palumbum) qui Arab. ſake-horrin, quia liber eſt Id enim ſonat hoc nomen. Sed & hujuſmodi columbas Baſilius αὐτόνομον ἀγέλην, id eſt liberum gregem vocat, & ſuis legibus utentem

דרדר dardar tribulus, ab Arab. دور circumire, in orbem agere: Quia ſemen rotundum habet, & in rotunda ſiliqua iatens, ut Theophraſtus auctor eſt p. 712. l. 41

דרדור ענולרה dardur ſeu cupa vini rotunda p. 712. l. 44

דרומילוס dromilus dumetum in Bereſcith Rabba, tanquam à Græco δρυμὸς vel δρυμών An hinc mons Drimylus prope Euphratem in quo lapides Sardonychi ſimiles, in Plutarcho & Stobæo p. 700. l. 57

הבנים hobnim Ezek. 27. 15. ſoli veterum Symmachus & Hieronymus videntur eſſe hebenum. Quod tamen ſatis docet ſimilitudo vocum, maxime ſi vocales abſint. Et quod eum ebore jungitur, ut merces aliquo modo homogenea. Cum ebur & hebenus in iiſdem naſcantur locis, & pari pretio habeantur, ac utrique inſit extremus color in eodem excellentiæ gradu, uni pulcherrimi candoris, alteri ſpecioſiſſimi nigroris. Unde eſt quod in eoſdem uſus fere adhibeantur p. 140. l. 20 Neque mirum eſt quod hobnim plurali numero dicuntur, cum hujuſmodi pretioſa ligna Hebræi vix aliter quam plurali voce deſignent. Exemplo ſint ſittim, almugim, ſindaphim, &c. p. 143 l. 65

הגרה gemere columbarum eſt Eſ. 38. 19. & 59. 11. Ita Gr. γόειν & Lat. gemere de columbis paſſim uſurpari probatur p. 12. l. 55 & p. 13. l. 11

הלך דבש fluxus mellis, id eſt favus p. 519. l. 24

המרה proprie fremere de columbæ gemitu Ezek. 7. 16. p. 13 l. 20

החבירת barzabith Talmudicis locuſtæ ſpecies congener τῷ chagab p. 451. l. 13

ו ET pro כי CUM p. 439. l. 18

ו copulativa quandoque deeſt, ut Eſ. 38. 14 ut hirum do, grus pipiebam, Hab. 3. 11. Sol, Luna ſteterunt in loco ſuo, 1. Paral. 2. 1. Ruben, Simeon, Levi p. 69 l. 5

ወርቅ: worke aurum Æthiopice à flavo colore vocatur, qui veris eſt auri color p. 9. l. 66

ז Zajin Hebræum Græci in S. non raro mutant p. 184. l. 30

זבוב zebub Hebr. muſca, Chald. דבובא debuba, Syr. ܕܒܒܐ debaba, Arab. ذباب dobab. Et verbum ذب dſabba, divagari, non uno in loco conſiſtere. Quod quam muſcæ conveniat, ex Luciano diſce, ſi neſcis p. 497. l. 19

זבורא zibbora Chald. veſpa, ut ܙܒܘܪܐ zibburtha Syr. & زنبور zunbur Arab. & Gr. in Epiphanio ζώνυρος p. 414. l. 41. & 535. l. 8. Hujus deſcriptio ex Damire ibid. l. 20

זגתא zaggatha gallina Chald. non zagtha, ut vulgo legunt. Fit enim à verbo זגג zegag geminante ſecundam ut Arab. دجاج dſegiagia ex دجج dſaggia p. 113. l. 45

זהור zahor Chald. lux, unde זהורי zahori color coccineus à luce & ſplendore dicitur, Syri per cheth ܚܘܪܝ chehori, Samaritani per Ajin ◊, zoori ſcribunt, quia he, cheth & ajin ſunt literæ permutabiles p. 625. l. 57

זור zur Job. 39 18. non eſt ſpargere, ut Græci & Chaldæus reddunt, ſed comprimere. At ſpargere זרה zara dicitur p. 253 l. 60

זחלא zachala Chald. locuſta repens ſeu ἀττέλεβος p. 444. l. 6

זיז ziz fera quævis à motu dicta Pſ. 50. 11. & 80. 14. ut Græce κνώδαλον & κινώπετον. At Chaldæus interpres hic ridiculus gallum ſylveſtrem intelligit, cujus crura humi ſtant, & caput attingit cœlos p. 116. l. 6

זיזי דטולפחי ופולי vermes lentium & fabarum p. 497. l. 45

זכורו zechuru vel zacchuru Chald. & Syr. hariolus ἐγγαστρίμυθος Babylonius, ut auctor eſt Jamblicus, vide Arab. سحر ſachara.

זמיר zamir cantus avium in genere, & ſpeciatim turturis Cant. 2. 12. Semiramis tamen, quam in columbam mutatam fuiſſe fingunt, inde non habet nomen, ut conjectat R. Azarias in Meor Enajim p. 4. l. 63

זקף zekaph Chald. & Syr. primo eſt ſurſum tollere, deinde crucifigere p. 426. l. 16

זקק διυλίζειν percolare p. 565. l. 13

זרזיר zarzir, avis corvo ὁμογενής, Arab. زرزور zarzur ſturnus non turdus ut habet Avicennæ interpres, quia Hiſpanis zorzal eſt turdus p. 353. l. 27

זרזיר מתנים zarzir mothnajim Prov. 30. 31. proprie ſonat ſuccinctum lumbis. Non patet cur pleri que veterum Græci, Aquila, Theodotion, Hieronymus, Chaldæus, Syrus & Arabs, hoc ad gallum referant. Hebræorum alii canem Gallicum, alii pardum, alii apem, alii ſturnum intelligunt. Nos potius equum, animal ſuperbi inceſſus, & lumbos ſuccingi ſolitum p. 116. l. 22. & 118 l. 1

ח cheth & ה he quandoque permutantur, cum ob figuræ, tum ob ſoni affinitatem p. 625. l. 60. & p. 679. l. 28

ח cheth & ע ajin ſæpe permutari p. 494. l. 29. & p. 625. l. 60

ח cheth initiale Græci in Syrorum vocibus vel per χ efferunt vel plane omittunt. Hinc חבור Chabor fluvius Gr. χαβώρας & Ἀβώρας; חצרמות χατραμῶται & Ἀτραμῶται; חסידים χασιδαῖοι & Ἀσιδαῖοι: חסידה חסירה chaſida avis ἀσίδα in Græca Jobi verſione: Et ex חרגל chargol facti Ἀργόλαι p. 449. l. 28

ח cheth initiale quandoque perit p. 580. l. 32

חובר chober, quaſi conſociatorem dicas, Magus qui ſerpentes, aut ſcorpiones, aut reliqua animalia vi magici carminis in locum unum conſociat p. 389 l. 9

חגב chagab Hebr. pro locuſta, quamvis non ſit Arabica vox ut aſſerit Aben Ezra, videtur tamen ex Arabica lingua poſſe exponi, qua حجب chagiaba velare ſonat, & حجاب chigiab velum. Unde locuſtas חגבים chagabim dici veriſſimile eſt, quia cum turmatim volant, Solis lumini velum obtendunt p. 444. l. 30. Vide סבל.

התחדש renovatur aquilæ juventus, cum poſt ψίλωσιν novæ illi plumæ ſuccreſcunt. De quo Pſ. 103. 5. Eſ. 40. 31. Dan. 4. 33. Ut Job. 30. 29. Plume ſint accipiter alis ad Auſtrum expanſis. Et ſerpens γῆρας, exuvium dicitur exuere, cum veterem pellem deponit Quæ cum ſint valde obvia, tamen ex eo quod Pſaltes renovari ait aquilæ juventutem, nata eſt fabularum longa ſeries p. 167. l. 9. &c.

חזם vide מלק.

חוח & סיר & ◊ חחוח סלוא, quæ proprie ſpinam ſignificant, etiam pro hamo ſumuntur p. 772. l. 11

חול cum arenam ſignificet in his Job. 29. 18. ובחול & ut arenam multiplicabo dies, tamen pro arena Judæi abhinc annis plus mille trecentis phœnicem intelligunt. Et ibi חול chul pro חול chol ſcribunt, ut doceant, aliud ſignificari quam vulgo p. 818. l. 8. Commenti occaſionem dedit Græca verſio, in qua חול redditum σέλεχος φοίνικος truncus palmæ, ſed Judaica gens in fabulas proclivis pro palma arbore maluit phœnicem avem intelligere, quam magiſtri Græcis poetis hàc in parte nugaciores omnium animalium ſolam abſtinuiſſe fingunt à vetiti fructus eſu, ac proinde non eſſe morti æque ac illa obnoxiam. Sed poſt vitam mille annorum, rogo conſumptam ex proprio cinere renaſci, Quæ commenta refellimus libri decimi cap. quinto. p. 817. & ſeq.

חור chur & חרר charar & חרא diverſæ ſunt radices, nec promiſcue ſumendæ, quod à Fullero videtur factum. Prima חור chur, vel chevar eſt albeſcere, & Syra magis quam Hebræa eſt Secunda חרר charar perforare, unde חור chor, חריר charir & חרורא charura foramen, Tertia חרא chara egerere, unde חראים choraim ſtercora, & compoſita vox חריונים charjonim ſtercora columbarum, de quibus infra dicetur p. 42. l. 33. &c.

חטף rapere; inde hirundo Chald. חטפיתא chatphitha vel חטופיתא chatophitha, & Arab. خطاف chottaph, à rapacitate non dicta, etiamſi ſit carnivora, ſed à volatus rapiditate. Cujus locutionis exempla paſſim occurrere multis probamus p. 60. l. 61. & 235. l. 30

חיה chaja, Hebr. fera quævis, Arab. ſerpens. Et Chald. חיוא beſtia & חויא ſerpens parum differunt p. 372. l. 49

חית קנה חית קנה fera arundinis Pſ. 68. 31. alii aprum, alii hippopotamus p. 763. l. 68

חיליין chiliz & חלזון chalazon Talmudicis, & Chaldæis paraphraſtis Levit. 21. 20. morbus in oculo qui Hebr. vocatur תבלל. Græce χάλαζα & χαλάζιον, cujus deſcriptiones ex Ægineta, Galeno, Celſo & Aetio vide p. 721. l. 4

חלזון chilzon vel חלזונא chilzona in Aruch & Selomone abſurde deſcribitur p. 720. l. 66. Limacem ſeu cochleam in genere ſignificat, & ſpeciatim purpurariam, ut Arab. حلزون chalazun p. 721. l. 20

חלי chali ab Hieronymo margaritum redditur Prov. 25. 12. cum id omne ſignificet quod ad muliebrem mundum pertinet, & latius quoque extend tur. Quod probatur ex Arabibus p. 717. l. 51

חמס chamas Hebr. non eſt rapere, ut plerique volunt, ſed inique agere. Itaque תחמס thachmas inde deductum non ſignificat avem rapacem, falconem puta aut accipitrem. ſed avem iniquam & impiam. Quo nomine nulla eſt quæ tam male audiat quam ſtruthio, quæ duram ſe exhibet erga pullos ſuos, ac ſi non eſſent ſui Job. 39. 19. & Thren. 4. 3. Proinde ut bath jaana in Lege eſt ſtruthio fœmina, ita quod ſequitur thachmas videtur eſſe ſtruthio mas, ita dictus, quia iniquus & impius. Quo maxime facit quod Hebr. חמס chamas & Arab. ظلم dalama ſunt prorſus ſynonyma. Itaque Hebræum chamas paraphraſtæ Arabes per dalama plerumque reddunt. Porro à verbo ظلم dalama, ſtruthio mas Arabice vocatur ظليم dalim. Itaque Hebræum תחמס thachmas idem eſſe valde veriſſimile eſt, cum ſit à ſynonymo חמס chamas p. 233. l. 20. Cum ſtruthione Moſes textum diſtinxerit potius quam in corvo aut aquila. &c. p. 215. l. 20

חמצרה Emeſa urbs illuſtris in confinio Judææ à ciceribus ſic appellata p. 41 l. 1

חמרים חמרים acervos, acervos ranarum Ægyptii colligerunt, id eſt acervos plurimos. Nam hæc repetitio copiam aut frequentiam deſignat. Similis locutionis multa exempla p. 666. l. 70

חומר chomer ſeu corus, menſura maxima continens decem batos, ut batus tria ſata, ſatum ſex cabos, cabus quatuor logos, logus ſex ova. Proinde חומר chomer ad חמור chamor revocant, quaſi fuerit aſini onus. Sed triticeorus aſini onere duplo, aut triplo gravior fuit, adeoque camelum oneravit p. 105. l. 22. Sed & chomer pro quovis acervo ſumitur p. 106 l. 12

חומרי Talmudicis ſunt קמיעים ligamina ſeu amuleta collo appenſa; Item margaritæ filo conſertæ. Et ubi de ſcorpione agitur, עקרבא דשב חומרי, eſt ſcorpio in cauda habens ſeptem internodia. Quem vertebrarum numerum in iis eſſe obſervant qui mole corporis, veneno & viribus maxime pollent p. 636. l. 6

חנמל chanamal Pſ. 78. 47. non eſt locuſta, ut multi volunt, ſed pruina, ut Græci reddunt, Saadias, Kim-

Kimchius. Et Pſalterium Arabicum apud me manuſcriptum الصقيع p.444. l. 52. Pruina in Midras חנמל dici legitur, quia נח ומל quieſcit & incidit ibid. l.70

חסידה *chaſida*, id eſt pia & benigna, dicitur Hebr. ciconia, quia parentibus vices rependit nullâ Lege adacta, & ſola bonitate naturæ. Vide Ambroſio *avu pia*, & Publio *pietaticultrix*. Inde dem ἀντιπελαργεῖν, & πελαργικοὶ νόμοι pag. 327. l. 10.

חסידה *chaſida* Job.39.16. non eſt ſtruthio ut volunt. Nam migratoria eſt avis Jerem. 8.7. Et ſurſum volat Zachar. 5.9. Et in abietibus nidificat Pſ.104,17. Et ad verbum *piam* ſonat, quod nomen ſtruthioni non convenit, quæ Thren. 4.3. & in hoc ipſo Jobi loco deſcribitur ut avis in ſuos impia p.247. l.6

חסל *chaſal* vel conſumere eſt, vel conſummare & perficere. A priore ſignificatu חסיל *chaſil* deductum locuſtam ſignificat quæ omnia conſumit & perdit p.445. l.7

חפז non eſt feſtinare, ſed vel trepidare, vel feſtinare præ metu, & fugientis in morem p.766 l.36

חפץ retorquere (de cauda Job. 40. 12) ut Arab. حفض العود inflexit, contorſit lignum p.757. l.45.

חפושית *chapuſith*, Arab. خنفس *chunphas*, ſcarabæus, quia ſcrutatur ſtercora. Nam חפש eſt ſcrutari p.614. l.5

חצץ idem eſt quod חצא dimidiari & dividere. Itaque ut חצר pertinet ad prædæ diviſionem Num.31.27. ita etiam חצץ, ut ex Talmudicis planum eſt. Sic ſumo illud de locuſtis Prov.30.27 *Locuſta regem non habet, tamen exit* (nempe ad bellum) חוצץ כלו *unaquaque dividens*, nempe ſpolia bellica, quorum partem ſuam ſingulæ ſibi ſumunt. Quod ipſum ſignificatur Eſ. 33.4. p.458 l.74. &c. Etiam Arabicè حص dividere eſt, & حصة portio rei p.479. l.34

חררים Jerem.17.6. loca Solis ardore retorrida p. 472. l.1.

מחוראות *latrina*, propriè *loca ſtercoris* 2. Reg.10. 27. pro quo legitur מוצאות ſeceſſus, ut vocabulum honeſtius p. 41. l.21

חרבא *harba* Gr. ἅρπη, falcatus enſis, Phœnicum inventum. Itaque in Sanchoniathone Phœnicio ſcriptore vetuſtiſſimo, καὶ ἅρπην ποιήσας Κρόνος ἐκ σιδήρου ἅρπην, *paravit Saturnus ex ferro harpen*. Harpen, id eſt חרבא *harba* Phœnices ſic efferebant, & ſic ſcripſerat Sanchoniathon pag. 760. l.16. Itaque in vetuſtiſſimis poetarum fabulis, Saturno, Jovi, Mercurio, Nemeſi, Perſeo pro gladio harpe tribuitur p.761. l.38. Et Joſ 13.22. ubi in Hebr. textu Balaam occiſus fuiſſe בחרב *per hereb* & in Chald. בחרבא *per harba*, Græci ſcripſerant ἐν τῇ ἅρπῃ, pro quo male legitur ἐν τῇ ῥοπῇ. Et Job.40. 14 Deus hippopotamo applicaſſe legitur חרבו *harbo* harpen ejus, id eſt χαυλιόδοντας dentes exertos, molliter flexos, quibus tanquam harpe ſeu falce fruges demetit. Proinde Nicander de eodem ἀμέρσει χαυλιόδουσιν ἐπεμβάλλων ἅρπην *harpen damnoſam immittit in agros*. Nec multo aliter Nonnus p.761. l.39

ܚܘܪܒܐ *churba* Syris ciconia pag. 333. l. 28. quaſi ܚܒܘܪܐ *chubra* per metatheſin, quod ſocialem ... em ſonaret p.334. l.31

חרגל *chargol* locuſta unde dicatur Hebræos latet, ſed Arabicè حرجل *chargiala* eſt longa ſeries ſerri, & de equis حرجلة *chargiola* longum agmen ſignificat, de locuſtis longam ſeriem. Ut quandoque in Æthiopia patet duodecim millia paſſuum p.445. l.28

יחרדו *trepidabunt ut avis* &c. Oſ. 11.11. id eſt trepide accurrent. Ut cum Samuel venit Bethlehem, ויחרדו *Et trepidarunt*, (id eſt trepide accurrerunt) Seniores in bis in occurſum ejus p. 15. l.70. Et Oſ. 3. 5. *Trepidabunt ad Dominum* &c. Hebr. ופחדו. Virgilius, *Ne trepidate* &c. id eſt *ne feſtinetis*. Ita Servius & Nonius, Livius, *trepidat ad prima ſigna*, id eſt feſtinat p.14. l.1

חרוזים ὁρμίσκοι monilia Cant. 1. 10. Vox Hebræis alius de ignota ex Arabiſmo explicatur p. 57. l 55. vide خرز

חרטום *hartum* Magus. Eo alludit Ἀγριπας, Diana ſeu Hecate quam Magi ſæpe invocant p. 481. l.9.

חרטמים *hartumim* cur Magi dicantur valde incertum eſt, Hebræorum alii ſic dici volunt, quia ardent cadaverum oſſa, id eſt ardenti ſtudio iis occupantur. Alii à foramine obſtructo, quia ſoramen in arbore factum obſtruunt, ex quo reſponſa exſpectant, ut Græci olim ex Dodonæa quercu. Alii ad חרם *haram* referunt, quod devovere eſt. Alii ad חרט *heret* ſeu ſtylum quo pingunt characteres. Alii ad חרש *haras*, qui magus eſt Chaldæis. Nos ad רטן *retan* quod murmurare & incantare ſignificat p.579. l.40

חריונים *chirjonim* 2. Reg.6. 25. ſunt ſtercora columbarum. Pro quo in margine ſcriptum דביונים *dibjonim*, id eſt fluxus columbarum, Quod poſterius ſolum legitur in ſynagogis, ut delicatis auribus ſic conſulatur. Interim res manet, & utrumvis legas, in his ſtercoribus hæret lector: Nec poteſt concoquere quod habet ſacer ſcriptor, horum cabi quartam partem, id eſt logum, ſeu menſuram ſex ovorum, Samariæ famis tempore veniſſe quinque argenteis, id eſt novem circiter libris noſtræ monetæ. Nec patet in quem uſum res ita vilis tam caro fuerit empta. Refelluntur enim qui hæc ſtercora pro cibo fuiſſe volunt p.38. l.53. Aut ligni vices præſtitiſſe p.39. l.47. Aut fimi ad ſtercorandos agros pag. 40. l.7. Aut ſalis ad condiendos cibos, ibid. l.18. Et qui grana intelligunt ex columbarum ingluvie per vim excuſſa pag. 41. l.32. Aut illarum ventrem, ibid. l.67. Aut exta & interanea p. 42. l. 35. Sed per columbarum ſtercora aliud ſignificari docetur hodieque apud Arabes, nempe cicera toſta vel elixa p.45. & 46. Et hunc cibum in Judæa jam olim fuiſſe receptiſſimum p.46. l.55. & p.47. l. 17.71. & pag.48. l.1. Atque unum è viliſſimis, ut tanto ſit mirabilius, hujus menſuram tam modicam tum temporis tanti conſtitiſſe p.48. l.32. Vide infra קלי *Kali*.

חורמן *hurman* Chald & Syr. baſiliſcus, quia omnia vaſtat & ad internecionem uſque delet. Neque aliud Arabicum حرمان *harman*, quam vis à baſiliſco diſtinguat Avicenna tanquam mole majorem, ſed per errorem qui notatur pag. 399. l.60. & 400. l.20.

חשמל *Haſmal* Hebræis vetuſtioribus Angelorum eſt certus ordo, quod ut probent, afferunt hujus vocis origines deridiculas. Sed *Haſmal* neque Angeli, neque rei ullius vivæ nomen eſſe probatur p.877. l.13. Kimchius, Jarchius & Pomarius *Haſmal* colorem ignis eſſe volunt, quod ſequutus Junius reddit colorem vividiſſimum p. 876. l.72. Et hoc quoque refellitur p.877. l.34. Græci melius ἤλεκτρον reddunt, quamvis *haſmal* non tam electrum ſignificet, id eſt metallum ex auro & argento, quam ex ære & auro conflatum. Vox enim compoſita eſt ex נחש & מלל, quorum illud *æs* hoc *aurum* ſonat, voce utrinque decurtata, initio per aphæreſin literæ *nun*, quæ non in verbis ſolum, ſed & in nominibus ſæpe deficit, & in fine per apocopen literæ geminatæ pag. 877. l.58. Itaque *haſmal* metallum eſt χαλκόχρυσον id eſt ex ære & auro conſtans, vel ſi mavis æs aurum pretio & colore referens, cujuſmodi æs à Diodoro vocatur χαλκὸς χρυσοφαής, cujus in ſequentibus quinque proſeruntur ſpecies ib. l.68. &c.

חתת & frangi ſignificat & metuere, quia animus metu frangitur. Ita etiam Chaldæum תבר ad utrumque eſt ambiguum. Forſaſſe etiam Hebræum שבר unde Job.41. 16. משברים *præ metu* p.784. l.60

טייר *tajer* augurari Chaldæis, vox Arabicæ originis, ut & ipſa ars p.3. l.32

טלופחי lentes, lenticulæ p.497. l.45

טריתא quid ſit ignoratur in Jonathanis paraphraſi Deuter. 33.19. *Qui habitant ad littus maris magni* (ſeu Mediterranei Zabulonitæ) יתפרנקון מן טריתא *in deliciis habebunt taritha*. Alii *thunnum* explicant, aut *thunni frustum*. Alii majores piſces quoslibet. Alii contra piſciculos ſale conditos. Quæ ſententia eſt maxime recepta, quamvis abſurda prorſus. Neq; enim ad maris littus degere neceſſe eſt ut comedantur ſalſi piſces, qui ad loca deferuntur à mari maxime diſſita. Sed maris accolis peculiare eſt quod recentiſſimos comedunt. Et vero טריתא *taritha* id ipſum eſſe, piſces inquam recentes, neque dum ſale conditos, probatur ex Arabiſmo p.720. l.12

יגבים *jegebim* non ſolum agricolas ſignificare, ſed & purpuræ piſcatores, vide in כורמים

יום *jom* id eſt *dies* pro indicio, Pauli & Cilicum phraſis p.471. l.3. ימים plurali numero *dies* pro anno integro p.505. l.37

יונה *jona* columba Hebræis, neque ad ינה *jana* referendum, quod opprimere eſt, quia omnium prædæ patet, & *vexat cenſura columbas*. Neque ad יין *jajin* ſeu vinum, quaſi propriè ſit οἰνὰς *vinago*. Sed ad יון *Javan* ſeu Ioniam id eſt Græciam, ubi columbæ jam olim frequentes, quod probant fabulæ ſeptem antiquiſſimæ, pag.1. l.7. & p.3. l.40. &c. Et eaſdem in Aſia eſſe inventitias traditum à Theophraſto p.3, l. 45. Refelluntur objectiones p.4. l.44

יונה *jona* columba alludit ad ין quod lutum ſonat. Proinde ex verbis Moſis d. columba quam emiſerat Noe, *Et rediit ad eum* היונה veteres collegerunt aves à Noe emiſſas *rediſſe lutoſas*. Ita habent Abydenus, Joſephus, Eutychius Alexandrinus, &c. p.30. l.50

יונת אלם רחוקים *jonath elem rechokim* in titulo Pſ. 56. Cum hæ voces ita lectæ nullum habeant ſenſum commodum. Forſaſſe pro אלם *elem* legendum *elim*, *hiric* pro *ſegol*, ut ſignificetur *columba nemorum remotorum*, id eſt ſylveſtris, in quo numero palumbes, liviæ, turtures, &c. Plenum eſſet אלים *elim* cum *jod*. Sed *jod* pluralis nota ſæpe alibi eſt omiſſum, etiam in hac ipſa voce p.18. l.25. &c.

בר יוכני *bar juchne*, nidi filius, avis fabuloſa in Talmude portentoſæ magnitudinis, ut *ruch* Arabum, à celſo nido ſic dicta. Nempe Chald. יוכני ut Arab. وكنة eſt nidus non quivis, ſed in monte aut rupe. Proinde ibi legitur ונפלה ביצה בר יוכני *Et cecidit ovum bar juchne*, nempe ex montis aut rupis vertice p.230. l.14

ילק *jelek* locuſta à lingendo dicta, quia lingit ſata & fruges. Lingere Hebræis eſt abſumere. Locuſtæ, tineæ, igni, bovi tribuitur. Ita etiam Arab. لحس p.445. l.65

יער *jaar* Hebr. ſylva (ut *jar* Punice lignum in Auguſtino) Hinc יער *jaar* vel יערה *jaara* favus (propriè qui in ſylva repertus eſt) p.519. l.29

יצא *exire* ſimpliciter, ſæpe eſt ad bellum exire Hebr. phraſi, ut Gen. 10. 11. & 2. Sam. 11. 1. Pſ. 60. 10. &c. Ita de locuſta dicitur Prov. 30.27. *Regē non habet, tamen exit* (ad bellum) p.458. l.63

יצוא ושוב *egrediendo & redeundo* corvus à Noa ex arca emiſſus egreſſus eſſe legitur Gen. 8. 7. Ita habetur in Hebræo. Sed Græci qui rediſſe negant, videntur pro יצוא ושוב *egrediendo & redeundo* legiſſe ולוא ישוב *Et non eſt reverſus*, quam lectionem nolim ut abſurdam plane rejici p.21. l.73.

ירקון rubigo p.484. l.28

בירקרק חרוץ *in pallore auri* pro in auro palloris ſeu palido Pſ.68, 14. Ut Hab.2.6 עבטיט *denſitas luti* pro *luto denſitatu* ſeu denſo, התואר במקום המתואר *prædicatum pro ſubjecto*, ut hic habet Kimchius p.9. l.55

ירקרקא in Onkelo eadem avis quæ alius שרקרקא p.297. l.52

יוחנא ירושלמיתא *jochana Hieroſolymitana*, locuſtæ ſpecies congener τῷ סלעם *ſolam* p.451. l.11.

יתוש *jatthus*, ἴψ, culicis aquatici genus, quomodo elephantem terreat & diſcruciet p.756. l.73 & 793. l.5. Unde dicatur vide in נתש

התכבד Talmudicis eſt converti (*eſſe balū*) ſed Hebræis multiplicari, quomodo ſumendum Habac. 3.15. non priori ſenſu ut vult R. Selomo pagin.458. l.38.

כד *cad* à Moſe, Solomone & Elia pro hydria ſumitur. Inde Gr. κάδος *cadus*, qui tamen aquæ non eſt ſed vini menſura p.43. l.67. & p.44. l.7

כדור Eſ.22. 18, & 29.3. quid ſignificet vide ſupra in voce דור

כוס *chos* priſcis interpretibus eſt avis nocturnæ ſpecies, puta nycticorax, bubo, noctua. Ita Seniores, Aquila, Theodotio, Sexta editio, Hieronymus, &c. Nec multo aliter Chaldæi, Arabes, Syrus, Samaritanus, Nec vetuſtiorum ullus eſt qui diſſentiat præter unum Symmachum, qui Hieronymo teſte *upupam* interpretatur. Sed ſi *ululam* legeris, nullus erit inter veteres notabilis diſſenſus pag 267. l 61. Eſt tamen cui כוס *chos* videatur avis eſſe his prorſus diſſimilis, onocrotalus ſcilicet. Priſci Romani hanc avem *truonem* appellabant, quia *truam*, id eſt vas latum & profundum habet in inferiore roſtri parte. Et Hebræis כוס *chos* id ipſum eſt, Prætereà Pſ. 102, 7. hæc habet

habet Pſaltes: *Similis factus ſum pelecano deſerti, & ſum* בכוס חרבות *ut chos ſolitudinum*; Ubi *chos* ſi reddideris onocrotalum, duo hemiſtichia apprime cohærebunt, quia pelecanus & onocrotalus aves tam vicinæ ſunt ut ſæpe promiſcue ſumantur p.275.l.13. Sed Seniores, qui primi *nycticoracem* reddiderunt, videntur בום *bum* pro כוס *chos* legiſſe, quæ duæ voces licet ſono multum differant, tamen ſcripturâ ſunt ſimillimæ. Et בום *bum*, Arabice ſaltem, eſt bubo vel nycticorax p.277.l.28

כור *cor*, corus, idem quod חומר *chomer* p.106. l.41.

כי quandoque idem quod SED p.250.l.29

ܟܘܟܒܐ *coccabi*, nomen avis apud Syros) videbitur eſſe *ἀστερίας*, quia ad כוכב *cocab*, id eſt ſtellam alludit; aut avis *Cocabena* tanquam ex urbe Cocabâ in Baſanitide vel Arabia nomen habens. Sed noctuam interpretantur, quia eſt pro Hebr. תנשמת *thinſemeth*. Et Græce etiam *κικκαβαῦ* vel *κικκαβαῦ* eſt noctua. Et noctuæ vocem exprimit Ariſtophanes per geminatum *κικκαβαῦ*. Latine quoque *cucubare* eſt more noctuæ canere. *Κικκαβάϊαι* denique dicuntur glauci pilees, quia noctuæ ſimiles p.286.l.68.

כולא עורב *chole oreb*, id eſt *corvus arcens*. Ita dicuntur vocabant loricam ferream in ſummo Templi vertice acutis clavis horrentem, qua prohibebantur aves ne ſacræ ædis tecto inſiderent, & ſtercore ſuo illud pollucrent p.53.l.50

כלב *celab* Chaldæis & Syris primo ſpargere & inde ungere, deinde etiam ungere ſonat: Et nomen כילב *cilab* unctorem ſeu inlectorem. Canis porro nomen כלב *celeb*, quia ſcribitur iiſdem literis, Tyrii in ambigua voce ludentes, Herculis Tyrii cani tribuerunt nobilem artem quam lanarum infectoribus ævo Tyri repent p.740.l.1

כלוב *club*, cavea in quam aves illiciuntur Jer. 5. 27. unde Græc. *κλωβὸς* & *κλωβίς*. & Syr. ܩܠܘܒܝܐ *klubja* p.90.l.7. Vide פלצור

כלבית *calbith* & *κυνίδιον* ſeu canicula: Talmudici ichneumonem ita appellant. Et כלבא כלבא דטינא טינא *calba sina* pro *canis adeserna*, quaſi lutricanem dicens, quia in lutoſis Nili ripis plerumque degit. Et Arabes كلبا الما *canem aquæ*. Neque alia ratio Græci nominis. Dicuntur enim *ἰχνεύεται* ab Herodoto & Nicandro, ut ab aliis *ἰχνεύμονες*, quia indagant more canum, quorum proprium eſt *τὸ ἰχνεύειν*. Sed & in eodem genere lutram Græci Scriptores *κύνα ποτάμιον* paſſim nuncupant. Et caſtorem Servius *canem Ponticum* appellat. Pro כלבית *calbith* in Lexico Aruch male ſcribitur כלכית *calcith*, *caph* pro *beth*; quod autoris mendum eſſe docet literarum ordo p.794.l.22

כנים *kinnim* non ſunt culices paluſtres, ut volunt plerique veterum, ſed pediculi. 1. Quia in Ægypto ex terra orti ſunt. 2. Quia erant in hominibus & jumentis, quod culicibus non convenit. 3. Quia nomen כנים *kinnim* à firmitate & ſtabilitate ductum non quadrat in culicem, ſed in pediculum. 4 כנה *kinna* Talmudicis eſt pediculus. 5. Et alluſum *κνὶς* pro lende & *κνιδία* pro minoribus pediculis. 6. Samaritanum item, Chaldæum, & Arabicum pediculi nomen. 7. Joſephus denique, Chaldæi, Syri, Arabes & Hebræi omnes ſic reddunt. 8. Alcoranus etiam, & Mahumetanorum doctiſſimi p.574.l.1

בת כנפא *filia alæ*, in Onkelo vultur p.230.l.9

כף דמין *caph dimjon* ſeu ſimilitudinis ſæpe ſuppleri p.248.l.12

כפים *chaphis* in pariete Hab. 2. 11. alii *ligamentum* reddunt, Alii *clavum* aut *paxillum*, Alii *vermem* aut *ſcarabæum*. Sed Talmudicis כפים *chaphis* eſt later ſeſquipalmi, aliter dictus אריח *ariach*, quæ vocis notio cum hic quadret, aliud quærere nihil opus eſt p.612.l.30. &c.

כפיר *chaphir λεοντίδιον*, & שחל *ſachal* leonem nigrum etiam ad ſerpentes pertinere probatur p.376.l.45. Et ſic ſumi quod habetur Pſ. 91. 13. *Super leonem & aſpidem* &c. Et שחל *ſachal*, ut alibi eſt leo niger, ita ibi niger ſerpens eſſe videtur, quomodo multi ſunt aut plane nigri, aut nigris maculis aſperſi, ibid. p.70. Sed unus præcipue in genere aſpidum. Itaque veteribus שחל in Pſalmo eſt aſpis p.378.l.57

כפיר pro *λεοντίδιον* draconem reddi à Græcis Job. 4. 10. & 38. 39. Ita etiam Arabum شبل *ſablon*, cum proprie leunculum ſonet, tamen ſumitur etiam pro catulo draconis p.376.l.57. Plura vide in שחל

כרוכא *cruca* in Jonathane eſt *cicada* Levit. 11. 22. Et כרוכיא *crucja* vel כורכיא *curceja* eſt grus. Quas voces promiſcue ſumens Symmachus Hebræum סים *ſis* in Jeremia pro grue cicadam reddidit, tanquam ex Chaldæo interprete, in quo כורכיא *curceja*, id eſt grus, videtur eſſe pro סים *ſis*, cum re vera ſit pro עגור *agur* pagin 60.l.11.

כורמים *vinitores* & יוגבים *agricolas* in Judæa reliquit Nabuchodonoſori præfectus Nabuzardan 2 Reg. 25. 12. quibus כרמים ויגבים *vineas & agros* conceſſit quos excolerent Jerem. 39. 10. Hæc etiam clara & obvia ſint, tamen Magiſtri per כורמים *vinitores* non intelligunt, ſed eos qui legunt balſamum. Neque *agricolas* per יוגבים ſed piſcatores purpuræ. Et balſami quidem cultores ideo כורמים ſeu *vinitores* dici volunt, quia balſami arbuſcula viti ſimilior eſt, & vineæ in modum colitur, quod teſtantur multi veteres. Purpurarios vero יוגבים *jogebim* pro יוקבים *jokebim* appellari à יקב *jekeb* ſeu torculari, quia concham purpurariam contundunt, ut ex ea ſanguinem exprimant p.723. l.43.

כרמיונא *charmiona* Chald. & Syr. columba *οἰνάς*, quaſi *columba vitis*. Ita vocabatur una ex illuſtribus illis Cleopatræ ancillis, quæ Plutarcho *Χάρμιον*, Galeno *Χαρμιόνη*, Tzetzi *Χαρμιόνη* p.2.l.9

כרמיל *carmil* cenſetur inter purpuræ ſpecies 2. Paral. 2. 7. 14. & 3. 14. Coccum reddunt interpretes. Non potius purpuræ genus ad Carmelum capi ſolitæ. Huc facit quod כרמל *carmel* & ארגמן *argaman*, id eſt purpura, Cant. 7. 5. ſunt paſſim ſynonyma p.725.l.10

כשת *coſeth* in Jonathane Exod. 30. 34. male redditur *coſhet*, quod eſſet קשט cum *κόστος* ſignificet, ex quo ladanum colligitur. Itaque pro כשת Arabes duo لادن *ladan* habent, id eſt ladanum p.803.l.46

לבן *libben* Hebr. aliquid in igne candefacere, unde לבון *libbun* metallorum in igne candefactio pagin. 863.l.48.

לו id eſt EI, quindecim locis ſcribitur לא NON, & legitur לו p.452.l.14

לויתן *leviathan* & תנין *thannin* Kimchius ſolâ magnitudine diſtinguit, leviathanem definiens תנין הגדול *magnum thannin*. Unde colligit vir doctus vocem eſſe conflatam ex לוית תנים *levjath thannim* id eſt ex draconum conjunctione, quaſi in uno leviathan conjuncti ſint multi dracones. Quin Syllaba תן *than* pertinet ad formam nominis. Et radix لوي Arabicè flecti & in ſpiras convolvi ſignificat, quod draconum eſt maxime proprium p.769.l.62

לויתן *leviathanem* non ſolum draconem ſed & cetum ſignificare apud omnes in confeſſo eſt. Et poſteriore ſenſu interpretes in Jobo ſumunt, c. 40. & 41. Ubi tamen cetus non eſt, ſed crocodilus. Quod probatur longâ eorum inductione quæ de leviathane habentur. Horum enim pleraque in cetum nullo modo quadrare docetur, ſed in crocodilum omnia p.769 &c. A Talmudicis etiam, in minoribus quinque animalibus quæ majoribus terrori ſunt, cum cenſetur כלבית *calbith* ſeu caniculi, quæ in os leviathanis ingreditur, per *calbith* ichneumonem, & per *leviathanem* crocodilum intelligi nemini non apparet p.794.l.20

לחשים magorum ſuſurri & muſſitationes, qui inde מלחשים dicuntur p.388.l.42

ለአ: *laca* purpureus vel coccineus color Æthiopibus, voce per aphæreſin facta ex *κόκκινον*, qua in Ægypto vocabant *τὰ πορφυρᾶ purpurea* pag. 625. l.62 & p.710.l.52.

לילית *lilith* Eſ. 34. 14. nonnullis avis nocturna. Aliis lemures. Lamia, *Algol*, *Ἐμπουσα*, Furia, שידה *ἡ δαίμων*. Aliis una e quatuor matribus dæmonum, ex quibus dæmones genuit Adam annis CXXX. quibus ab uxore abſtinuit. Kimchio ridicule chamæleon avis p.831.l.5

לילית *Lilith*. נעמה *Naama*, אוגרת *Ogereth*, מחלת *Machalath* Rabbinis quatuor matres dæmonum p.832.l.53

לקש fœnum cordum p.483.l.56. & 484 l.59

בלישן תליתי linguâ tertiâ loqui dicitur qui aliquem calumniatur; quia lingua calumniatoris tres occidit, ipſum loquentem, & audientem, & eum de quo agitur. Ita Talmudici: Arabes quoque p.544.l.27. &c.

מנג juncus ex quo fiunt funes, ut Gr. *σχοῖνος* pagin.772.l.1.

ממוני המקדש *præfecti Templi*, qui Luc. 22. 52. vocantur *στρατηγοὶ τοῦ ἱεροῦ* p.26.l.58. In his erat הממונה שעל הקינים *præfectus ſuper nidos*, id eſt ſuper aves ibid. l.70. Ex Talmude & Hieronymo horum ſordidus quæſtus pluribus deſcribitur, Et docetur quam merito Chriſtus eorum cathedras ſubverterit ib. p.27

מטיל *metil*, id eſt *vectis ferrea* Job. 40. 13. Alibi non reperitur. Sed Arab. مطل *matala* eſt ferrum cudere p.758.l.59

מלל *melal*, aurum proprie rude, quale ex fodina educitur. Ita ſumitur in *Ketuboth*, unde citant Aruch, Pomarius, Aquinas &c. Arabes تبر *tibar* vocant, unde Hiſpan. *oro de tibar* p.877.l.50

מלואת אבן *impletio lapidis* Exod. 28. 17. De gemma dicitur quæ palam implet p.12.l.35

די מלח היכלא מלחנא *ſale palatii ſalimur* Eſdr. 6. 14. id eſt ſalarium de regis ſalario percipimus p.40.l.60

מלט parere, unde *Μυλίττα*, *Μυλίττα*, *Μίλιττα*, Aſſyria Dea quæ partui præeſt, non à ילד *jalad* ut vult Scaliger. ملط *malata* etiam Arabes de partu uſurpant, ſed de eo proprie qui abortivus & intempeſtivus eſt p.408.l.65

מלק. Gr. *ἀποκνίζειν*, eſt avem ungue lacerare & abſcindere, quomodo in ſacrificiis Levit. 1. 15. & 5. 8. Id Chald. עזם & חזם. ut Arab. حذم vel خذم p.26.l.27. Quomodo id ſit factum ibid. l.18

מנבג *Mambig* id eſt Hierapolis, vide הרעתא Eadem *Bambyca* multis veterum, ut Straboni, Æliano, Plinio.

ܡܫܘܛܐ *maſouta* locuſta in Syro, inverſum ex Chald. שמוטא *ſamota*. In Syro eſt pro גזם. in Chald. pro חסיל p.444.l.7

מתק vulgo Hebr. *dulcem eſſe*, ſed Syr. *exſugere*. Sic Job. 24. 20. מתקו *exſugit eum* (vermis) ita vertendum eſſe probatur p.621.l.54

נ *Nun* initiale per aphæreſin non ſolum in verbis ſed & in nominibus ſæpe deficit p.877.l.17

נ *nun* & מ *mem* literæ permutabiles p.520.l.45

נארים *naarim* maledicti, tanquam à נאר *naar* ſignificationem habet ab ארר *arar* p.200.l.20

נגף percutere, & nomen inde deductum מגפה plaga ſeu percuſſio, plerumque ad mortem pertinent. Non tamen id perpetuum, ut R. Selomo docet ex plaga ranarum Exod. 8. 2. & mulieris gravidæ percuſſione Exod. 21. 22 p.655.l.45

נדף diſpellere, unde Talm. מדף של דבורים *maddaph apum*, vas in quo ponitur ignis & ſtercus bubulum, cujus ſuffumigatione fugentur apes ex alveari, ut ſumatur mel p.508.l.41

מנהגות כקול יונים *deducentes ut vocem columbarum* Nahum. 2. 7. Agitur de ancillis reginæ Ninives, quæ in captivitatem euntem more columbarum gementes comitantur. Itaque *deducentes* eſt pro *deducentes & gementes*, unum pro duobus. Sic Prov. 15. 22. *Carbones ignis ſuper caput ejus* pro *capies & pones* Pſ. 68. 19. *Accepiſti dona hominibus* pro *Accepiſti & dediſti*, ut Eph. 4. 8. p.13.l.39. Quid ſi pro מנהגות *deducentes* legatur una literula minus מהגות *gementes* (ut voce columbarum) ib. l.47

נופת צופים *diſtillatio favorum* p.520.l.41

נזיר *Nazir* ſeu Nazaræus vocatur qui à cæteris vel voto vel dignitate ſeparatur. Quomodo Nazaræi iidem ſunt qui populi principes. Ita Joſephus fuit Nazaræus fratrum ſuorum p.690.l.8

נחל *nahal*, *ὁ χειμάῤῥους ποταμὸς Νεῖλ*, ut in Epiphanio, cum proprie torrentem ſonet, pro Nilo ſæpe ſumitur. Ita Job. 40. 17. ערבי נחל ſunt ſalices Nili. Et multi veterum *χειμάῤῥουν torrentem* vocant, ut Homerus *διιπετῆ* à Jove delapſum, quia non aliunde augetur quam ex æſtivis imbribus p.764. l.28.

נחילות *nechiloth* tibiæ ſpecies, formam habet à נחל *nachal*, ſed ſignificationem à חלל *chalal*, perforare. Itaque etiam חליל *chalil* eſt tibia, & חלילים *chalalim* tibiæ p.200.l.14

נחש ſerpens, idem qui Jeſſe, ex quo David & Meſſias. Eo reſpexiſſe putatur Eſaias 14. 29. (al. 15. 2.) p. 406. l. 65.

נחש ſerpens pro ceto ſumitur, ut Amos. 9. 3. *Si occultent ſe à conſpectu meo in fundo maris, inde jubebo ſerpentem ut mordeat eos.* Sic תנין *thannin* & לויתן *leviathan* tam de ceto quam de dracone uſurpantur. Et Eſ. 27. 1. Deus ſe dicit animadverſurum in Leviathanem נחש בריח *ſerpentem vectem*, id eſt cetum tranſverſarium, qualem nullum novimus præter Zygænam, cujus caput vectis inſtar tranſverſum eſt pag. 747. l. 8 Fuit etiam inſigne aliquod ſydus hujus nominis de quo Job. 26. 13. Aben Ezra draconem, R. Levi viam lacteam intelligit p. 748. l. 7

נחשת קלל Ezech. 1. 7. & Dan. 10. 6. *aes kalal*, id eſt terſum & lucidum p. 887. l. 15. Unde geminatum קלקל *kilkel*, levigare & expolire, de ferro Eccleſ. 10. 10. de ſagittis Ezek. 21. 21 p. 888 l. 12. Vide גלל *galal*.

ניב *nib* Chald. ناب *nab* Arab. *dens caninus*. Item *dens* exertus, quales habent aper, elephas, hippopotamus p. 762. l. 15. Vide *Nympharena*.

נכאת *necoth* non eſſe *ceram*, nec *myxaria*, ſed ſtyracem p. 532. l. 8. &c. Vide Arab. نكث

נכסים *necaſim*, id eſt opes, formam habet á נכס *necas* Chald. mactavit, & ſignificationem a כסם *caſas* numeravit, ſupputavit pag. 290. l. 19.

נמלה *nemala* formica, fit à נמל *namal* ſuccidere. An quia natura quodam inſtinctu grana quæ ſub terra recondit, aut media dividit, aut eorum capita abſcindit, quaſi timeat ne regerminent p. 588. l. 30. Aut potius quia ſpicarum ſummitates abſcindit, ut ex iis grana eximat. Quod aptiſſime efficitur verbo נמל *namal*. Illo enim utitur Job. 24. 24. cum impios abſcindi dicit ut ſpicæ caput p. 589. l. 69

נסוך *naſuc* obtectum, obductum, formam habet a נסך *naſac* fundere, ſed ſignificationem à סכך *ſacac* tegere, ita etiam מסכה *maſſeca* tegumentum p. 290. l. 23

מסע *maſſa* alibi eſt iter, profectio, quia נסע eſt proficiſci. At Job. 41. 17. מסע pro telo ſumitur, quia نشغ Arab. eſt confodere. Sic in Alcamus نشغ بالرمح *confodit haſtâ* p. 785. l. 7.

נעל eſt calceus, ſed מנעל Deut. 32. 25. ſera, peſſulus aut compes p. 885. l. 21

נעמא *naama* vel נעמית *naamith* Chald. & Syr. & Talmud. eſt ſtruthio. Recentiores Lexicographi qui ululam aut bubonem interpretantur, gravi errore ſe obſtringunt, in quem nunquam incidiſſent, ſi vel minimam habuiſſent Arabicæ linguæ notitiam. Quamvis etiam ex Talmude palam ſit נעמית *naamith* eſſe ſtruthionem p. 223. l. 71

ניפול *niphul* Talmudicis locuſta quæ Moſi חרגל *chargol* p. 451. l. 5

מפלי בשרו *tori carnis ejus* Job. 41. 14. ad verbum *procidua carnis ejus*. Ita Græc. *προπετὰς procidum* is dicitur cui pars aliqua corporis plus juſto prominet p. 785. l. 55

נץ *netz* accipiter à נצה *natza*, id eſt à volando, dictus quia volatu maxime præſtat. Niſus Rex Megarenſium in haliæetum mutatus, ad quem accipitris una ſpecies, *lanarius* ſcilicet, tam proxime accedit, ut viſu non poſſint dignoſci, ſed ſolo paſtu p. 266. l. 23. Niſus recentiorum & *ſparvarius* idem ſunt p. 268. l. 74

נצה volare Thren. 4. 15. unde נוצה pluma vel penna quæ aves ad volandum attollit. Et Ezek. 17. 3 7. aquila מלא הנוצה *plena plumis* & רב הנוצה *multa plumis*. Non plena vel multa unguibus, quomodo habent Græci & Syrus, ſenſu obſcuro & parum commodo p. 165. l. 35

נוצה *notſa* Job. 39. 16. non eſt ſtruthio, ut Junius, nec avis ut reddit R. Selomo, ſed pluma, quod patet ex Ezek. 17. 3. Quin ſi נוצה hoc loco avis eſſe concederetur, tamen non eſſet ſtruthio, quia nomen eſt à volatu factum, cujus ſola avium eſt expers p. 247. l. 26

נקב *nakab* perforare, ter uſurpatur pro קבב *kabab* maledicere p. 290. l. 23

נרגל *Nergal*, Cuthæorum idolum, gallum fuiſſe Hebræi volunt, nulla ratione freti. Quin نارجيل *nargil* vel *neregil* hodieque Arabibus, Perſis & Indis eſt palmæ ſpecies, de quâ mira prædicant. Ab illa denominari potuit hoc idolum, ut à frumento *Dagon*, & *Rimmon* à malis Punicis p. 113. l. 16.

נשמה *neſama*, anima proprie rationalis, formæ ratione eſt a נשם *naſam* ſpirare, ſed ratione ſignificationis a שמים *ſammajim* ſeu cœlis p. 290 l. 30.

תנשמת *thinſemeth* tam in avium quam in lacertorum eſt cenſu. Et in his quidem chamæleontem interpretamur, tanquam à נשמה *neſama* ſeu halitu deductum. Sed in avibus eſt noctua. Et fit à שמם *ſamam*, quod eſt mirari & obſtupeſcere, quia hujus avis formâ plane inſolitâ reliquæ aves obſtupeſcunt. Hebraicè nimirum unius vocis quandoque duæ ſunt origines, una ratione formæ, altera ratione ſignificationis quod multis probatur exemplis p. 290. & 291

ינשוף *janſuph* avis nocturna, à נשף *neſeph* dicta, quæ vox crepuſculum & tenebras ſonat. Chald. & Syr. קפופא bubo p. 284. l. 57

נשר *neſer* aquilam alii dici volunt à נשר *naſar* decidere, quia cum ſe volatu ſuſtulit ad elementum ignis, præceps in mare decidit. Alii à defluvio pennarum, quia נשר Rabbinis eſt defluere. Alii à viſu quia שור eſt intueri. Sed Arabes felicius deducunt à verbo نسر *naſara*, id eſt roſtro carpere & vellicare, quod aquilæ magis convenit quam ulli rapacium, quia eſt roſtro magis adunco, & eo carpit fortius p. 164. l. 57

נתש *natas* vellicare (carnem) inde יתוש *jathus* pro ינתוש *janthus*, quod eſſet formæ ינשוף *janſuph* p. 546. l. 36. aſilus aut culicis ſpecies elephantem in umbilico invadens p. 548. l. 56. Proprie *ἐμπὶς* pag. 566. l. 9. & 26. Multi hujuſmodi oriuntur ex lacu Tiberiadis p. 568. l. 5. De culice qui in Titi nares irrepſit, fabulæ portentoſæ, ib. 15 Idem de Nimrode p. 569. l. 19

סבל portare, bajulare onus; In *hithpael* ingraveſcere. Unde Eccleſ. 12. 7. ויסתבל החגב *& ingraveſcet chagab* ſeu locuſta, quam varie redditur p. 493. l. 35. Eo loco חגב *chagab* non videtur eſſe *locuſta*, ſed ut Arabicè *caput femoris*, à quo cum incipiat motus cruris, merito de ſene dicit Solomon; *Et ingraveſcet chagab.* Ut doceat ſeni graviorem & tardiorem eſſe inceſſum p. 494. l. 54. Vide جحة.

סבת Phalangii ſpecies ut Arab. شبث Ibi vide.

סוס *ſus* equum ſignificat. Sed סיס *ſis* eſt avis nomen: quomodo legendum Hebræi monent Jerem. 8 7. Quidni etiam Eſ. 38. 14. quibus locis ſolum extat p. 59. l. 73. Recentiores Hebræi *gruem* explicant, quod ſequuntur novi interpretes quotquot ſunt. Sed vetuſtiores hirundinem explicaverant. In his Græci ſeniores, Theodotion, Symmachus, Hieronymus, Arabs p. 60. l. 5. & 41. Quibus Jonathan fruſtra opponitur. Is enim Hebræa סיס *ſis* & עגור *agor*, *gruem & hirundinem* recte reddidit, quamvis inverſo ordine, quod non eſt ſine exemplo pag. 62. l. 28. Vox Hebræa סיס *ſis* fictitia eſt, & hirundinis *τιτυβισμὸν* palam imitatur, ut Italica *Zifilla*, a qua *zifillare* factum, ut Latine *zinzilulare*, ibid. l. 48. Et in Plutarcho Iſis in Ægypto mutata fuiſſe legitur in hirundinem, quia *Iſis* ad *ſis* alludit. Deorum enim metamorphoſes hujuſmodi paronomaſiis ſæpe niti probatur multis exemplis ibid. l. 64.

סיר vide חוח.

סכות בנות *Succoth Benoth* Babyloniorum idola 2. Reg. 18. 30. Inepte Judæi exponunt gallinam cum pullis ſuis. Cum aliud non ſignificet quam *ſacellum puellarum*, id eſt Dearum quæ *Benoth* filiæ ſeu puellæ dicebantur, ut Proſerpina Græcis *Κόρη*. Sic Amos. 5. 26. *Portaviſtis Succoth* ſeu ſacellum *veſtri Moloch* p. 212. l. 58

סלוא vide חוח.

סליו coturnices Talmudicis ſunt quatuor ſpecierum 1. שיכלי *ſicli*. 2 קיכלי *kichli*. 3. פסיוני *phaſjoni*. 4. סליו *ſelau*, ſeu coturnices proprie dictæ, quarum, inquiunt, præſtantiſſima eſt, *ſicli*, & viliſſima *ſelau*. *Sicli*, id eſt *συκαλὶς* ficedula. *Kichli* eſt *κίχλη* turdus, & *phaſjoni* phaſianos. Quamvis enim hæ tres ſpecies cum veris coturnicibus nihil commune habeant, tamen ineptis hominibus viſum eſt eas complecti ſub coturnicum nomine, ut patribus ſuis ſic conſulerent p. 94. l. 19

סלמנדרא *ſalamandra* pro עכבר ſeu mure habetur in Chald. Levit. 11. 29. Et gloſſatores ibi nugantur muris eſſe ſpeciem, quæ anno demum ſeptimo ex igne naſcitur, modo ſit continuus, & magus cum accendat, nec ligna habeat niſi myrtea p. 824. l. 30

סלע Siclus in Maimonide valet quatuor denarios. Denarius ſex obolos. Obolus duo pondia. *Pondium* duo aſſaria. Aſſarium octo *perutas*. Oboli pondus, qui *gera* dicitur, eſt ſedecim granorum hordei. Pondus aſſarii quatuor granorum, *peruta* dimidii grani p. 138. l. 5

סלעם *ſalam* Chald. vorare & abſumere. Inde סלעם *ſolam* locuſta. Frigidum enim eſt, quod Hebræi à סלע deducunt, quia conſcendit petras p. 446. l. 14. Vide רשון.

סמר *ſamar* verbum de pilis aut comis eſt *φρίσσειν* horrere, Græci uno verbo dicunt *ὀρθοτριχεῖν*, & poſterior ætas *horripilare*, Syri ܟܦܗܕ *kaphuad*, verbo facto ex Hebræo hericii nomine קפוד, ut Gallicum *heriſſer*. Hinc Jerem. 51. 27. ילק סמר *jelek ſamar*, locuſta aut bruchus *ὀρθόθριξ*: Quod cum glabro animalculo parum videatur convenire, multi recentiorum *jelek* pro brucho erucam reddunt, & Junius *μηλολόνθην*, quod Fullero maxime arridet. *Μηλολόνθη* tamen (Gall. *haneton*) plane depilis eſt: Et erucam licet hirſutam patet non eſſe *jelek*, quia non volat. quomodo *jelek* Nahum. 3. 16. Sed falluntur qui omnes locuſtas putant eſſe depiles: Cum in *Cholin* aliæ glabro, aliæ hirſuto capite deſcribantur. Et quandam locuſtæ ſpeciem Arabes عرفان *orphan* vocent à jubis capitis. Et iiſdem قرن الجراد *cornu locuſtæ* ſint pili duo quos in capite habet: quorum ratione quidni dicatur סמר *ſamar*, cum eos erigit? Proinde Claudianus de locuſta; *Horret apex capitis.* Et in Alcamus الخنتف *alchantapho* locuſta eſt quæ coquenda mundatur & depilatur, p. 454. l. 59. Forte etiam ילק סמר non eſt locuſta horripilans, ſed horrenda, ut in Heſychio *Βρόταλον φοβερὰ locuſta terribilis* p. 471. l. 72.

סממית *ſemamith*, id eſt ſtellio, ſcorpioni eſt terribilis, qui licet mole minor creditur eſſe virtute major p. 793. l. 55

סנונית *ſenunith* Chald. hirundinis ſpecies ut Arab. سنونو *ſununu* p. 60. l. 55. Eam cur Talmudici dicant aquilæ eſſe terrori plane ignoratur. Niſi quis illos per errorem putet id ſenunithæ tribuiſſe, quod *τῇ σίττῃ* Græci ſcriptores. Id aviculæ nomen eſt, quam ſcribit Philoſophus aquilarum ova frangere. A Nigidio *ſubis* appellatur, ut Plinius autor eſt. Gloſſator Talmudicus hirundinem fabulatur, ſub alis aquilæ latitantem, ejus volatum remorari, pennaſque ſpargere & diſſipare. Sed naturæ ſcriptores nihil tale referunt p. 793. l. 69.

סנדלכין *ſandalchin* Chald. *ſardonyches*: Quod mirum eſt nemini veniſſe in mentem, cum in voce tot literarum *ſandalchin* & *ſardonyches* eaſdem habeant conſonas, niſi quod L. eſt pro R & locum cum N permutavit. Nam verus ordo eſſet *ſaldanchin* p. 701. l. 53

סס *ſas* tinea Eſ. 51. 8. Chald. & Syr. ססא *ſaſa* Arab. سوس *ſus*, Gr. *σὴς* p. 615. l. 51

ספון vide שפון.

סרר *ſarar* Hebr. refractarium eſſe & Arab. شر *ſarra* pravum & perverſum eſſe. Unde شران *ſarran* culicis infeſti genus, qui in faciem hominum incidit, eoſque ex improviſo invadit. Itaque Oſ. 4. 16. Hebr. סרר expreſſum per *παροιστρῶσα* p. 550. l. 72.

סרבים *ſarabim* rebelles Ezek. 2. 6. vox Hebræis aliunde ignota, ſed Chaldæis familiaris, quibus סרב *ſerab* renuere & rebellare eſt, סרבן *ſarban* rebellis, סרבנות *ſarbanuth* rebellio Ægyptiis etiam, apud quos *Sarabaitæ* monachi, aliis *Remuita* à renuendo dicti, quia omnis diſciplinæ jugo excuſſo, ſuo arbitratu vivebant p. 550. l. 24.

עבש computreſcere Joel. 1. 17. Alibi non reperitur. Sed Talmudicis idem eſt עפש *beth* & *pe* permutatis p. 471. l. 50

ענב *agab* pudendum p. 494. l. 10

עגור *agor*

עגור *agor* grus Hebraice, non hirundo, ut perperam reddunt Hebræi recentiores. Notandum pleraſque linguas ipſo avis nomine illius vocem utcunque imitari. Ita Hebr. עגור *agor*. Chald. כורכיא *curkeja*, Arab. كركي *curci* & غرنوق *gurnouk* Græcum γέρανος, Cambrobritannum *garan*, Germanicum *cran*, Rom. *grus*. Hinc Iſidorus, *Grues nomen de propria voce ſumpſerunt*, Et in Feſto *gruere dicuntur grues* p.69. l.68.

Ad עגור *agor* alludit Arab. عجر *agiara* quod ſignificat ad lares ſuos poſtliminio reverti. Id enim gruum eſt proprium. Et Perſicum ἄγγαροι *angari*, id eſt regii curſores, quos ajebant θᾶττον τῶν γεράνων *gruibus citius iter ſuum* conficere. Ita Xenophon p.80. l.3

עודא & צדיא & קודא vel קדיא Syris aut Chaldæis noctuæ mas, literis *tſade*, *Koph* & *Ajin* permutatis. Sic terra ארץ dicitur & ארעא & ארקא p.83. l.49. &c. p.274. l.7.

עוש Hebr. coire & congregari Joel. 3.11. Inde Chaldæus deduxit עש vel עיש in libro Jobi & Pleiades eſſe voluit. Ita Gr. Πλειὰς dicitur ὡς ἐν πλειόνων ἀστέρων οὖσα. Et Arab. Pleiadum nomen ثريا à multitudine factum eſt p.114. l.46. Vide infra עיש.

תעזוב Job.39.19. pro תעזבו per numeri enallagen, quæ in hoc libro eſt frequens p.250. l.30. & p.253. l.8.

עזם. vide חום & מלק.

עזניה *ozanija* tam veteres quam novi interpretes pro aquilæ ſpecie habent, quamvis non conſtet quænam illa ſit. Nos quia nomen à robore factum habere palam eſt, μελανάετον intelligimus, qui Homero eſt κάρτιστος τε καὶ ὤκιστος πετεηνῶν *altum fortiſſimus & celerrimus*. Qualem etiam deſcribunt Ariſtoteles, Plinius, & multi alii. Unde eſt quod hanc aquilam Romani à valendo *valeriam* appellabant p.188. l.64

עטלף *atalleph* veſpertilio, dictum videtur pro עפטלל *aphtallel* vel *ephtallel*, quod avem tenebricoſam deſignaret. Nam עוף *oph* eſt avis, Et Hebr. צל *tſel* vel צלל *tſalal* pro umbra & tenebris Chald. ſcribitur טול *tul* & טלל *talal*. Ita hæc avis Hebræum non eſt habuerit naturæ ſuæ tam congruum quam eſt Græcum νυκτερίς, & Romanum *veſpertilio* p.350. l.9

ܥܛܪܐ vapor Syr. pro קטר & ܩܘܪܐ frigus pro קריא *ojm* pro *koph* p.83. l.50

עיט *ajit* avis rapax Hebr. ab involando ſic dicta. Indidem Gr. ἀετὸς vel αἰετὸς aquila p.165. l.3

עיש *ajis* vel עש *as* in Jobo idem quod Arabice نعش *naas*, initiali N excidit, ut paſſim in nominibus quæ deducuntur ex deficientibus *Penun*. Arabibus autem نعش primo eſt feretrum, ſecundo ſydus Urſa majoris & minoris, quod illi vocant نعش *naas* ſeu feretrum majus & minus. Ita ut è ſeptem ſtellis è quibus conſtant ſingula, quatuor in quadrum digeſtas velint feretrum conſtituere, & tres ſequentes, quæ nobis ſunt urſæ cauda, *feretri* filios aut *filias* appellent qui comitantur funus. Quo pertinent hæc Job. 38. 32 *An* עיש *ſeu feretrum deduces cum filiis ſuis*? quæ interpretibus hactenus crucem fixerant pag. 113 l. 17.

עכביש *acchabis* aranea, forte inverſum ex שבך id eſt in retium morem implexum & intricatum eſſe. unde شبكة *ſabecha* rete Arab. & *Xabega* Hiſpan. p.602. l.58

עכוביתא *acchabitha* Chald. aranea. Item Herbæ ſpinoſæ & edulis genus in Chald. Jer 17.6 quæ Dioſcoridi σίλυβον, ut ex Abenbitare probatur p.605. l.73. Fortaſſe quia folia habet araneoſa lanugine obducta, ut acanthium cardui genus p.607. l.23.

עכס *eches* Hebræis recentioribus ἔχις vipera p. 179. l.41

עכשוב *achſub* Pſ 140 4. à Chaldæo redditur *araneæ*, quod eſſet עכביש. Sed aſpidem eſſe probatur, tam ex priſcis interpretibus, in quo numero eſt S. Paulus quam ex vocis etymo p.379. l.28. & 604 l.30. vide عكس.

ותעל *& aſcendit rana* Exod. 8. 6. pro *aſcenderunt ranæ* Singulare pro Plurali p.660. l.18. Ut contra Plurale pro Singulari p.669. l.40. Quæ numeri enallage cum ſit Hebræis familiaris, tamen Magiſtri huic loco freti unicam ranam ex aquis ab Aarone percuſſis exiiſſe nugantur, quæ tam fœcunda fuerit ut impleverit totam Ægyptum, vel tam vocalis ut ejus coaxatio per totam Ægyptum audita ranas omnes evocaverit p.660. l.64

עלקה *alaka* eſt ſanguiſuga, Arabicâ voce ſic dicta à pendendo ſeu adhærendo. Sed עלוקה *aluka* plane aliud, nempe quod unicuique homini impendet & appenſum eſt, & de ejus vita & morte ineluctabile Dei decretum. De quo cum agatur Prov. 30. 15. Solomonis verbis vim faciunt qui ad ſanguiſugam illa transferunt, id eſt interpretes quotquot extant. Vide p. 800. l. 44. Et Arab. علق.

ܠܒܡܐ Syris reſina, gummi, ſuccinum, ut Arab. علك p.869. l.48. עלוקת אורנא *aluhath-orna* reſina pini, inde fortaſſe Græcum ἤλεκτρον pro ſuccino, quod eſſe pini reſinam crediderunt multi veterum, ut ex Plinio & Iſidoro conſtat ibid. l.50

עם *im* pro *juxta* quandoque ſumi p.756. l.26

עומר *gomor* mannæ in diem ſingulis Iſraelitis aſſignatus Exod. 16. 16. eſt Ephæ decima pars Exod.16.36. Et epha decima pars Cori Ezek 45.11 Itaque in Coro ſunt centum menſuræ *gomor*. Et ſi *gomor* in diem ſufficit, Corus ſufficit in centum dies, id eſt in tres menſes & amplius p.105. l.74

בת יענה *bath jaana* ululam aut bubonem eſſe volunt plerique recentiorum, quam verſionem Fullerus multis aſſerit p. 220. l. 47. Sed veteres Scripturæ interpretes pro ſtruthione habuiſſe mihi compertiſſimum eſt. Ita Seniores στρουθὸν reddunt, id eſt στρουθοκάμηλον, quomodo ſæpe ſumitur στρουθὸς etiam ſine epitheto adjuncto. Itaque Aquila, Symmachus, Theodotion, & plerique Patres Græci στρουθοκάμηλον diſerte habent, & Hieronymus ſtruthionem p.220. l.70. Chaldæis quoque & Syris id ipſum eſt נעמיא *naama* vel נעמיתא *naamitha*, & Arabibus نعام *naâm* aut نعامة *naama* pag.223. l.17. Denique Hebræorum doctiſſimi & vetuſtiſſimi quique ſic ſumunt p. 224. l.24. Ac proinde ab omni ævo id illis perſuaſum fuit ſtruthionis eſum in Lege Dei ſibi fuiſſe prohibitum, ibid. l.60. Fruſtra objicit Fullerus nihil fuiſſe cauſæ cur Judæis prohiberetur, cum in Æthiopia naſcatur, & aliis Africæ locis à Judæa remotiſſimis: Quippe in ea parte Arabiæ quæ Judæam attingit, magnam olim ſtruthionum copiam fuiſſe conſtat, p.228. l.43. Nec plus in eo vitium quod *bath-jaana* ferales planctus nonnulli Prophetæ tribuunt, quales ſtruthionem edere nuſpiam legi. Hoc enim abunde refellitur ex monumentis Arabum, qui de ſtruthionum ejulatu multa habent inſignia p. 227. l. 58. Itaque *bath jaana* filiam clamoris ſonat. Quod nomen quia ſtruthioni fœminæ ſpeciale eſt, marem in Lege ſignificari probatur per תחמס *thachmas* proxime ſequens p.231. l.1

ענף *anaph* eſt ramus arboris. Unde avis אנפה *anapha* nomen habere à nonnullis credita, quaſi per *ajin* ענפה ſcriberetur. Itaque Arabes ببغا vel ببغاء id eſt pſittacum interpretati ſunt, quia pſittacus nidum habet ex arboris ramo penſilem p.341. l.15

עפולים *ani morbi*, pro quo leguntur טחורים mariſcæ, ut nomen honeſtius p.41. l.20

עקץ *akas* vel עקם *akas* pungere, & עוקץ *okets* vel עוקם *okes* aculeus, de ſcorpione ſæpe dicitur p.634. l.34.

עקרב *akrab* Hebr. ſcorpio dictus eſt pro עקצרב *akatsrab* à magno aculeo, quia ſolum hoc inſectorum μακρόκεντρον ἐστι magno eſt aculeo, ut obſervat Philoſophus p.634. l.18

עקרבים *ſcorpiones* flagelli genus 1. Reg.12. 11. *cædam vos* בעקרבים *ſcorpionibus*, id eſt flagello ſpinis aculeato. R. Selomo *eſtrianter* reddit, id eſt ἀκάνθινον. Chald. & Syr. מרגנין *maragnin* vel מרגנא *maragna*, ut quo in Græcis p.644 l.37

ערב *arab* quia miſcere ſonat. ערוב *arob* animalis genus quo Deus afflixit Ægyptios Exod.8.21. pleriſque vel muſcarum, vel ferarum, vel ſerpentum & venenatorū animalium miſtionem & colluviem eſſe volunt, qui refelluntur pag 355 l.18 quia hæc ſententia multa habet ἄτοπα. Et *arob* colligitur ad certum animal reſtringi ex Exod. 8.31 Nec quicquam obſtat quominus ad Græcos accedamus, qui κυνόμυιαν interpretantur. Maxime cum verbum ערב *arab* non ſolum miſcere ſignificet, ſed & alia quædam quæ muſcæ caninæ conveniunt p.555. l.68

ערוב כבד *cynomyia gravis*, id eſt, multa, numeroſa. Hujus locutionis multa exempla etiam è Romana lingua p.558. l.64

עורב *oreb* Hebr. corvus, Chald ערבא *orba* Arab. غراب *gorab*, (quo alludit Romanum corvus) ab ערב *ereb* veſpera. Indidem Arab. غربيب *garbib* niger. Sic Gr. ὀρφνινὸς, ὀρφνὸς, ὄρφνη à tenebris ad nigredinem ſignificandam transferuntur p.198. l.66

הערבים qui Eliæ panem & carnes afferebant, neque illi *mercatores*, neque *Arabes*, neque incolas urbis *Arabo*, ut Hebræorum nonnulli volunt, ſed veros corvos, neque aliud poſſe intelligi p.214. l.57.

ערום *prudens*, & פתי *ſimplex* paſſim opponuntur, ut Prov. 1. 4. & 8. 5. & 14. 15. & 19.25. & 22.3. Atque ut ſerpens ערום φρόνιμος Gen.3.1. Ita columba dicitur פתה ſimplex Oſ. 7.11. Quorum utrumque ſolum & per ſe ſumptum eſt in vitio, ſed ſimul juncta in laude. Proinde Chriſtus Matth. 10. 16. *Eſte prudentes ut ſerpentes, & ſimplices ut columbæ* p.19. l.64. & 20. l.1

ערצוביא *artſubja* in Talmude locuſta congener τῷ *chargol* p.451. l.13

עש *as* Hebr. tinea, עשא *aſſa* Chald. عث *athja* Arab. à verbo عث *atthja* rodere lanam p. 615. l. 59.

עשן fumigare. Hinc in verbis Moſis Deut. 1. 44. *Sicut faciunt apes*, pro תעשינה *thaaſena* faciunt, Syrus, Onkelos & Arabs in Succia MSS legerunt תעשנה *theaſſenna* fumigantur p.507. l. 43.

עשר *decem* pro multis p.106. l.26

התפאר עלי *Gloriare ſupra me* Exod. 8. 9. Id eſt, Deo ſic permittente hoc tibi juris in me arroga, qui Dei propheta ſum, ut mihi tempus definias, &c. p.663. l.6

מפגיע *maphgia*, culicis genus ab occurſando dicti quia leoni ſolus audet occurrere p.566. l.65. Leonem voce ſuâ terret, ibid. l. 72. Eſt è genere τῶν ἐμπίδων p.567. l.28. De eo Talmudici, & Arabs qui vitam Tamerlanis ſcripſit. Et è Græcis Agatharchides, Strabo, Diodorus, Achilles Tatius. Heſychius appellat λεοντοφόνον. Et è Romanis ſcriptoribus hujus meminit Ammianus p. 792. l. 16.

פחדים femora Job. 40 12. Sic Syr ܦܚܕܐ & Arabibus فخذ eſt femur. Alii teſticulos reddunt, quomodo ſumuntur פחדין in Onkelo Levit. 21.20. Sed hæc eſt ſecundaria vocis non primaria ſignificatio. Ut Hebræum ירך, id eſt femur, aliquando uſurpatur pro τῷ γεννητικῷ μορίῳ p.758. l.15. Vide *Femur*.

אל פיהו *ad os ejus* Job. 40. 18. id eſt על פיהו *ſuper os ejus* quomodo אל ſæpe ſumitur pag 766. l. 52.

הפליתי *mirabiliter diſtinguam* Exod. 8. 22. Ea enim eſt vis Hebrææ vocis. Et agitur de terra Goſen, quam mirâ ratione à reliqua Ægypto diſtinxit Deus p.357. l.61

פלצור *palſur* Talmudicis cavea capiendis avibus, quæ in Jerem. כלוב *club*, unde κλωβὸς & κλωβίον p 40. l.46. Vide *Tranſenna*.

פנינים *peninim* eſſe margaritas ex ipſa voce colligitur, ad quam alludunt πίννα, πίννη, πιννικὸν vel πιννικὸν, πίννινος λίθος, id eſt margarita p. 681. l.61. Reliquas gemmas ſingulari numero Scriptura plerumque memorat, ſed פנינים ſemper plurali, quia in torquibus & monilibus margaritæ plures conſeri ſolent, pag 683. l. 8. Itaque Job. 28. 18. præfertur משך extractio ſapientiæ extractioni τῶν *peninim*, id eſt margaritarum. Fit enim alluſio manifeſta ad modum quo conchæ vel margaritæ è mari extrahuntur. Unde Iſidorus Characenus τὰς κόγχας ἀπὸ τοῦ λίθου ἀποσπῶσιν, *conchas ex ſaxo extrahunt*. Et Manilius, *Protrahit immerſas* p.683. l.45. Eodem facit quod *peninim* in Jobo & Proverbiis toties recenſentur cum auro & gemmis & rebus pretioſiſſimis p.685. l.14 Item quod Prov. 20.15. legitur eſſe רב פנינים *copia peninim*, cum gemmæ aliquantum pretii non ſint

ſint ita frequentes p.686.l.10. Denique quod à remotis locis comparari ſcribit Solomon Proverb. 30.10. Cum margaritarum piſcatio Judææ proprior nulla fuerit quam in Perſico & Sachalite ſinu p.686 l.56

פסיוני phisjoni phaſianus, una è quatuor coturnicum ſpeciebus, ſi Talmudicis creditur. Unde eſt quod pro סליו ſelau Jonathan habet פסיונין phisjonin phaſianos Exod.16. 2. Ita etiam R. Joſeph Cæcus Pſ.105. 40. Vide p.94. l.20

אפעה epha pro aſpide ſumitur in hiſtoria Cleopatræ p.358.l.2. Et ab Eutychio & Syro interprete. Alii regulum reddunt, & draconem, & volucrem anguem & anguiculum, & ſerpentem calvum aut glabrum p. 359. l.40. Sed Aquila recte viperam, quod probatur ex paraphraſtis, & ex Arabum deſcriptione p.360. l. 16. פעה continua voce clamare proprie in partu. Cur inde אפעה vipera dicta p.363. l.64. Viperarum multæ ſpecies apud Arabes. Ita etiam apud Græcos, p.366. l. 70. In Epiphanio viperæ nomen complecti fere ſerpentum omne genus pag.367. l. 43.

פרפרות parperoth vel pharpheroth ἀρχαιαι Hebræis ſunt cupediæ ex piſcibus aut minutis avibus, quibus irritatur orexis. Inde oomine generis ad ſpeciem translato ፍረፍርት: phorphorath Æthiopice eſt coturnix p.92 l.73

פרבר parbar prima pars templi, in qua victimæ vendebantur, boves, oves columbæ 1.Par.26.18. & Joh. 2. 14.

פרדות grana Joel.1.17. Alibi non extat. Sed Syris ܦܪܕܐ eſt granum p.471.l.54

פורטענא pulex non culex, ut à nonnullis magni nominis viris reddi video p.584.l.66

פרס peres eſſe aquilæ genus probatur ex Græcis, Chaldæis, Arabibus, Hieronymo & pleriſque recentiorum, qui ſic interpretantur. Et ex Macedonica voce πεgαιs, quæ pro aquila eſt in Heſychio. Et eſſe proprie oſſifragam probatur ex verbo פרס paras vel פרש per ſin ſemel, quod frangere eſt, adeoque oſſa frangere in Michea p.186. l. 58. Refelluntur Judæi qui variis originationibus ſiet, vel gryphem, vel falconem cœruleum; vel Perſicam avem exponunt p.185.l.47

פרעש paros pulex unde dicatur vide primo volumine p.70. l.64

Ex Hebræo פרעש fieri Arab. برغوث borguthu. Et Syrum ܦܪܥܘܫܐ & Rabbin. פירטענא quod pro pulice culicem perperam reddunt viri undecunque docti p.584.l.52

פרש pungere de baſiliſco Prov.23.32. Nempe ſerpens dicitur morſu pungere, quia dentes habet acutiſſimos. Varro, admota aſpis cum pupugerit. In Nicandro νύγμα dicitur morſus cherſydri & draconis, ut in Æliano hæmorrhoi. Sic Arab. لدغ ladiga, لسع laſaa & وكع vua chaa, cum proprie pungere ſignificent, tamen ad ſerpentis morſum pertinent p.404. l.2

פשפש piſpes Arab. فسفس cimex p.570.l.52. & p.571 l.1.

פיתום pithom Hebræis ariolus, qui משתיו ex axillis ſuis vocem emittit p.383.l.53. Aruch dicit nugatur quaſi פי תהום pi thehom os abyſſi. Quin Pithom & Python idem ſunt, & utrumque factum ex Hebr. פתן pethen vel ex Chald. פיתון ibid.l.72

פתן pethen eſt aſpis p.380,l.72. Aſpides in Ægypto maximæ, quandoque πεντάπηχεις, quæ draconum eſt magnitudo. Inde פתן pethen non ſolum aſpidem ſed & draconem ſonat p. 382. l.39. Pro quo Jonathan פיתון Pithon. Huc Græcum Πύθων Pythonis nomen palam alludit p.383.l 20. Vide Arab. فتن.

צבועים tſeboim 1. Sam.13.18. inter viperarum genera ponunt Hebræi. Videtur intelligi maculoſi ſerpentes, qualis cenchrites, de quo Lucanus & alii. Idem ab Hebræis ברדלס bardales ſeu πάρδαλις & נפרוזא niphreza ſeu νίφgαgα vocatur, Græcis & Ægyptiis hyana, tam à colore vario quam quia ſexum alternare creditur p.395 l.26 & p.397.l.7 & 12

צדיא tſadja Chald. & Samarit. noctuæ mas ut Arab. صدى tſada. In Jonathane corrupte ſcribitur צירא pro צדיא pagin. 274. l. 6.

צחנה fœtor Joel.2.20. Alibi non occurrit.

Sed à Chaldæo uſurpatur Ezek. 23. 20. Syris quoque ܨܢܚܐ tſanha id ipſum eſt elitâ gutturali pag.481.l. 8. Et ſalitos piſciculos Talmudici צחנתא vocant & Arabes صحنا nempe ab odore viroſo ibid. l.27

צלצלא tſiltſela & צוצילתא tſotſiltha Chaldæis turtur, & Arabice صلصل tſoltſol, tanquam à cymbalo facto nomine, quia vocem habet tinnulam & obſtreperam p.55.l.65

צלצל tſelatſal Deut.28. 42. Græc. ἐρυσίβη Vulg. rubigo. Sed Hebræis omnibus, Onkeloſo, & Arabi Erpeniano locuſta. Multi ab alarum ſtrepitu, quia צלל tinnire eſt. Sed & צלל eſt obumbrare. Unde locuſtas dici veriſimile eſt, quia Solem obumbrant p.446. l.25

צלצל tſiltſal telum aliquod piſcatorium Job.40. 26. geminatis radicalibus alludit ad Arab. ضالة quod ſagittas explicant Lexicographi pag.713. l.29.

צלוליבא tſeluliba planta kik, id eſt kikajon, vel illi ſimilis p.293.l.58

צלבח tſalbach Hebr. anguilla p.752.l.3

צמאון tſimmaon Hieronymo dipſas ſerpens qui morſu ſuo ſitim excitat. Aliis δίψα ſitis, vel ſiticuloſus locus, quæ verſio verior, ut ex ipſo Moſe patet, & Prophetis aliis qui eadem voce utuntur p.397.l.51.

צינוק compes; Samaritanis מצנק pag.885. l.49.

צפצף tſiphtſeph τρυθίζειν, τρίζειν, avicularum more garrire & pipire, Eſ.8.20. & 29.4. & 38.14. ubi de hirundine dicitur. Hebræis צפצוף tſiphtſuph eſt pipitus paſſerum, ut Arab. صفصفة ſaphſapha, unde صفصف ſophſoph paſſer p.149. l.29.

צפע tſepha vel צפעוני tſiphoni ſerpentis nomen varie redditur p.399.l.46. Sed Aquila omnium interpretum longe accuratiſſimus βασιλίσκοι exponit, Hieronymus regulum, Chaldæus conſtanter חורמן hurmah ut Syrus plerumque, ibid. l.57. Et tſepha vel tſiphoni ipſo ſono videtur horrorem ſibili exprimere, quo reliqua animalia vel fugare dicitur, vel occidere; p.400.l.74. Vide ﺳﻌﻊ

צפור tſippor ſolum minutas aves ſignificare Merceri, Schindleri & aliorum error eſt, cum ad omnes æque pateat. Quod tam ex Scripturâ docetur quam ex Hebræorum ſuffragiis p.145. l.50. &c. Tamen hoc ipſum צפור tſippor quandoque paſſerem ſonat, ut Chald. צפר tſippar & Arab. عصفور ophour ex eo deducta. Ita στρουθὸς paſſeri cum gallinâ commune nomen eſt, & cum magnâ ave Libycâ, quæ Romanis etiam paſſer marinus p.146. l.54. Docetur pleraque Scripturæ loca quæ ad paſſeres referunt, ad quaſvis aves pertinere p.150.l.59

צפורת כרמים avicula vinearum, locuſtæ ſpecies in Talmude congener τῷ arbeh p.451. l. 10.

צפרדעים in Aben Ezra quidam crocodilos explicant, qui refelluntur p 655. l.66. & p.656. l.1. Ii quoque falluntur qui ranas omnigenas intelligunt, cum ex hiſtoriâ pateat agi de ſolis aquaticis ibid. l.21

צפרדע Hebræis ranam dici; quod maturinum tempus ſentiat & clamore ſuo indicet, plane ab ſurdum eſt, cum ranarum coaxatio veſpertina ſit, non matutina. Sed nomen illi fecit ضفف & ردع diph radá ripa lutoſa, in qua ranas naſci & paſci nemo eſt qui neſciat. Inde igitur Arabibus olim ضفردع diphrada dicta eſt, & contracte ضفدع Tſàd initiale διλγάζει propter punctum adſcriptum p.651.l.22

צרצור gryllus p.451. l.23

צרעה tſaraa lepra, & צרעה tſira veſpa vel crabro, licet iiſdem ſcribantur literis, nihil habent commune. Itaque à leprâ veſpæ nomen deduci non videtur. Sed tſira per metatheſin fieri potuit ex רצעה ritſa ſubula, cui ſimilis eſt veſpæ aculeus, nec minus pungit. Aut per aliam metatheſin צרעה tſira dicitur pro עצרה itſra quaſi preſſa & conſtricta. Nam עצר verbum premere eſt, & conſtringere. Etiam veſpa quam crabro illa habent mire conſtricta, p. 537. l. 30.

צרעה tſira eſt crabro vel veſpa, non morbi genus, ut quidam volunt, quia morbus non diceretur pepuliſſe Chananæos, morbus enim ægros detinet potius quam è ſedibus ſuis pellit. Itaque veſpam aut crabronem explicant veteres fere quotquot ſunt p.534. l.43

Ab Hebræo צרעה fiunt Chaldæa ערעיתא arritha & אורעיתא urritha, tſade in ajin & ajin in aleph permutato. Nam ab ערע, id eſt occurrere, fieri non putaverim p.535. l.1

צרפתא Sarepta non dicta eſt ab æris fuſione, ſed à vitri conflaturâ. Belus enim fluviolus, in quo vitrariæ arenæ, fuit in proximo pag. 886. l 24.

ק koph & ח cheth permutabilia p.607. l.60

ק koph & ע ajin quandoque permutari pag. 417. l. 68.

קאת kaath pelecanus, Talmudicis קוק kuk & קיק kik. Ita etiam Arabibus paraphraſtis. Tamen kuk & kik multum differunt. Nam kuk in Damire eſt avis aquatica longo collo, ſed kik eſt pica aut cornix. קאת kaath factum ex קאה kaa vomere, unde vocatur pelecanus quia conchas jam abſorptas revomit, poſtquam calore ventris apertæ ſunt, ut ex iis eſculenta legat, p 292 l.40. & p.294. l 21. Idem nomen ardeæ potuit eſſe commune, de qua Plutarchus & Ælianus idem narrant quæ que à pelecano parum differt p.295. l.20.

קב kab ventrem non ſignificat, quomodo reddit vir doctiſſimus, ſed cabum menſuræ genus. At קבה kaba eſt venter ſeu ingluvies pag. 42, l. 12.

קבילא io R. Selomone non eſt vox Hebræa ut putant, ſed Gallica cheville quâ pedis malleolus ſignificatur p.494. l.42

קרא Hebræis olim videtur fuiſſe nycticorax, ut Chald. קדיא & Syrum ܩܕܝܐ permutatis Koph & Ajin, ut in قطر vaper pro קטר & قرة frigus pro קריא. Sed pro קדיא per Daleth in pluribus Talmudis locis ſcribitur קריא per res. Et in Chaldæa paraphraſi Eſ. 34. 15. וקוריהון ubi Latinus interpres; & perdices garrient in umbra ejus, pro quo ſcribendum קודיהון & nycticoraces eorum ululabunt, &c. Agitur enim de Idumeæ deſolatione, ad quam perdicum garritus nihil attinet. Contra 1. Reg. (Hebr. Sam.) 16. 20. Hebr קרא kore per res in Græcâ verſione redditum ὁ νυκτικόραξ, quia lectum eſt קדא kode, id eſt daleth pro res pag.83, l. 4.

קדים kadim ventus, qui locuſtas in Ægyptum advexit Exod. 10.13. proprie ſonat Orientalem; Tamen pro Auſtrali ſumi videtur, ut ſæpe alias, & locuſtas in Ægyptum ex Æthiopiâ advexiſſe, ubi maxime abundant, p.463. l 37. Ventum kadim à Davide pro Auſtrali uſurpari probatur p.102. l.30. &c.

ቀዕ: koe; corvi nomen Æthiopicum, manifeſta eſt imitatio corvinæ vocis; ut Græc. κόραξ & κρώζειν, & Lat. crocire, crocitare, &c. p.198. l.61

קוצותיו antiâ ejus pendula nigra ut corvus. De Solomone dicitur Cant. 5.11. Arab. قصة kuſſa eſt comæ portio quæ fronti imminet, aut ex anteriore parte capitis propendet p.199. l.40

קוק kuk Talmudicis & Arabibus קאת pelecanus p.292. l.41

קוקיאנין kokjanin; in vivo homine lumbricos ita nominant Talmudici ſcriptores pag. 621, l. 21.

קורא kora vel קולא kola, quod tenerum dulce & edule eſt in palmæ cacumine. Talmudicis id ipſum eſt quod Græcis ἐγκέφαλος τῷ φοίνικος palmæ cerebrum p.821. l.30

קורא kore 1. Sam. 26. 20. & Jerem. 17. 11. non eſt perdix, ut poſt Græcos, omnes exponunt, ſed gallinaginis ſpecies in Ægypto & Arabiâ frequens. Chald. קוראה korea & קוריה korea dicitur, & Arab. قارية karia, Avis quæ breves habet pedes,

pedes, roſtrum prælongum, dorſum viride, & pro auſpicatâ habetur, quia pluviæ eſt prænuntia. A roſtro inſtar pali acuto nomen habet. Palus enim Hebr. eſt קורה *kora* ut Gr. σκόλοψ. à quo σκολόπαξ gallinago pag. 80. 81. 82. Sed à Græcis in Jeremiâ perdix vocata eſt potius quam σκολόπαξ, quia σκολόπαξ vox eſt infrequens, neque ab ullo veterum uſurpata præter unum Ariſtotelem duobus credo locis. A Græcorum aliis ratione ſaporis vocatur ἄγρια πέρδιξ, ut à Romanis *perdix ruſtica* p. 89. l. 27

קורי עכביש *tela aranearum* Eſ. 59. 9. ubi קורי pro חורי id eſt retia, *Koph* pro *Cheth* p. 607. l. 32. Ejuſdem mutationis plura exempla ibid. l. 60.

ቍርንናት: *Kuornanaath* Æthiopicè rana p. 651. l. 11. Vide אקרוקא.

קורפדאי *Kurphedai* Talmudicis veſpertilio p. 83. l. 71.

קטניות *Kotnijoth* legumina Dan. 1. 8. זרעים à ſatu, ut Gr. ὄσπρια pro σπόρια p. 50. l. 18

ܟܗܪܒ *Kerabh* Syris lachryma vel reſina vel gummi arborum. In quo genere eſſe ſuccinum cum veteres crediderint, inde illi nomen ܟܗܪܒ indidiſſe veriſimile eſt, quod Nicias apud Plinium ἅρπαγα reddidit, quaſi ſic vocaretur, quia folia & paleas veſtiumque fimbrias rapit. Sed ἅρπαξ eſſet ܚܛܘܦܐ non ܟܗܪܒ p. 868. l. 74

קיץ æſtas proprie. Sed veri & æſtati commune fuit hoc nomen. Itaque æſtas & meſſis Hebr. ſunt ſynonymæ voces, quamvis in Judæâ meſſis verna fuerit, inter Paſcha & Pentecoſten pag. 593. l. 44

שמן קיק *oleum Kik* Talmudici fumi dicunt ex ave *Kik* pag. 292. l. 48. Non ſine magno errore. Cum oleum *Kik* vel *Kiki*, κίκινον ἔλαιον ex ejus plantæ granis exprimatur quam Ægyptii κίκι vocabant, quod ex Herodoto, Strabone, Dioſcoride, Plinio & Heſychio probatur p. 293. l. 15

קיק *Kik* avis Talmudicis eadem quæ קוק *Kuk* id eſt pelecanus, ſed قيق Arabibus eſt cornix aut pica p. 292. l. 41. & 293. l. 1

קיקיון *Kikajon*, Ægyptiis κίκι, Arabibus *elcheroa* الخروع (ut vere obſervat Hieronymus) Herodoto σιλλικύπριον, in Auctario Dioſcoridis σισελὶ κύπριον, in Plinio *ſili*, in Talmude צלוליבא *tſeluliba*, quibuſdam ſeſami ſpecies p. 293. l. 35

קיקיון *Kikajon* quem percuſſit vermis Jon. 4. 7. non fuit ἡ κολοκύνθη, de qua Proverbium vetus habet Athenæus ex Epicharmo, ὑγιέστερος κολοκύνθας, cucurbita ſanior, quia cucurbita vermiculis nullo modo eſt obnoxia. Sed fuit κρότων ſeu ricinus, quem Ægyptii κίκι appellant, & Talmudici קיק *Kik*, & officinæ *palmam Chriſti* p. 623 l. 22.

קיכלי *Kichli* turdus, coturnicis ſpecies juxta nugas Talmudicorum, de quo vide in סליו *ſelau*.

קלי *Kali* Hebr. proprie toſtum aut frictum ſonat. Et vulgo ſumitur pro toſtis frugibus, ut Levit. 23 14. Ruth. 2. 14. 1. Sam. 17. 17. & 25. 18. &c. Sed & pro fricto cicere 2. Sam. 17. 28. quod probatur ex Hieronymo & Hebræis omnibus p. 46. l. 60. &c. Id ipſum vocari *ſtercus paſſerum* 1. Reg. 6. 25. vide p. 47. l. 67.

קליא *Kalia* Talmudicis, idem quod Arabibus *alkali*, nempe cinis τῦ *Vſnen* qui in ſapone ponitur p. 45. l. 43

נחשת קלל *æs Kalal* ſeu lucidum, Johannis χαλκολίβανος. Ut Arab. جليل *gelil* de homine illuſtrem, de colore ſplendidum ſonat p. 887. l. 42.

קמליאון *chamæleon* in lacertarum genere, Kimchio eſt avis quam ex aere ſcribit vivere pag. 824. l. 23.

ࠒࠐࠐࠀ קפופא *Kaphapha* bubo Samaritanis, ut Chald. קפופא *Kiphupha*. p. 287. l. 65

קפוז *Kippoz* Eſ. 34. 15. non eſt קפוד *Kippod* hericius, ut volunt multi veterum, ſed animal oviparum p. 409. l. 51 Neque teſtudo, neque cypſelus avis, cum à ſaltu dicatur *Kippoz*, ibid. l. 70. Neque merula; Degit enim in deſertis, & merula in cultis locis p. 410. l. 19. Neque ſcops, quæ eſt ὀρχηστική, non ἁλτική ibid. l. 59. Sed acontias ſerpens ſeu jaculus ſaltu eximius, qui inde apud Arabes قفازة *Kipphaza* dicitur, ut ab Eſaia קפוז *Kippoz*, cuique adeo ad amuſſim convenit quicquid habet Propheta p. 411. l. 47

קפופא *Kuphupha*, bubonis ſpecies p. 33. l. 62 & 274 l. 8. 24. & 284. l. 47.

קצפה Joel. 1. 7. à Græcis κλασμὸς *fractio* aut συγκλασμὸς *confractio* redditur. Quæ vocis alioqui inuſitatæ verſio confirmatur ex Arab. lingua, qua قصف *Kaſapha* eſt frangere, & القصيف *elkaſiſ* fractus arboris ramus. Hieronymo & aliis קצפה eſt decorticatio p. 469. l. 26

ܩܩܘܦܐ *Kikupha* Syris upupa, ut Ægypt. Κουκουφα de quo vide in Græc. Id ad Hebræum דוכיפת *dukiphath* aliquo modo alludit p. 348. l. 65

קקא *Kaka* in Jonathane & Syro קאת *Kaath* pelecanus, qui aliis קוק *Kuk*. p. 292. l. 39

קרחה *calvitium* proprie eſt capillorum defluvium. Tamen Hebræi avibus tribuunt. Sic Mich. 1. 16. *Dilata calvitium tuum ut aquila*. Calvitium in aquila eſt pennarum ψίλωσις. Sic corvi aquatici Græcè vocantur φαλακροκόρακες, quaſi corvos calvos dixeris. Et Dan. 4. 30. (al. 33.) regis Nebucadnetſaris pili creviſſe dicuntur ut aquilarum, quaſi aquila pilos habeat. Quâ eàdem φαλακρὰ in Oppiano gallina viſo accipitre ἴαις ἔφριξεν ἐθείρας *ſuis inhorruit pilis*. Et Matron gallinas ἀπτερίχας *deplies*, id eſt *implumes*, in conviviis apponi ſcribit p. 165. l. 73. & 166. l. 38

קרסול *Karſol* Hebr. talus, unde Ægyptium *Calaſiris* pro toga talari p. 350. l. 8

קשה *Kaſah* per *he* & קשח *Kaſach* per *cheth* durum eſſe ſonant. Sed in poſteriore videtur aſpiratio fortior ſignificationem intendere. Sic Arab. قسي *Kaſa* durum eſſe, ſed قسح *Kaſach* prædurum & rigidum eſſe ſonat. Unde قساح *Kaſſach* hyæna, quia collum habet rigidum, neque ullo modo flexibile. Et رمح قاسح *romchon Kaſichon* haſta dura & rigida, ut in poeta haſta Lauſi p. 254. l. 37

הקשיח *obduruit* Job. 39. 19. Maſculinum verbum de ſtruthione fœminâ per generis enallagen apud Hebræos frequentiſſimam, maxime circa animalia p. 254. l. 65

ראה videre eſt deſpicere Job. 41. 25. *quicquid altum eſt* יראה *videbit*, id eſt *deſpiciet*. Ut Cant. 1. 6. *Ne videte me, eo quod nigra ſum*, id eſt *deſpicite*.

ראם *reem* eſſe monocerotem Græci interpretes ex eo collegerunt quod hiſtorici monoceroti vel aſino Indico videntur ea fere tribuere quæ Scriptura τῷ *reem*. In qua tamen ratione nihil eſt ſolidi p. 843. l. 25

ראשית שמנים *principium unguentorum* Amos. 6. 6. id eſt unguentum primarium. Sic Sirach. 11. 3. ἀρχὴ γλυκασμάτων *principium dulcedinum* mel appellatur, quia primas tenet inter dulcia. Talia etiam Exod. 30. 23 בשמים ראש *aromata præcipua* Pſ. 141. 5. שמן ראש *oleum præcipuum* Cant. 4. 13. ראשי בשמים *capita aromatum* id eſt præcipua, Ezeck. 27. 22. בראש כל בשם *in capite omnis aromatis* id eſt in præcipuo quoque aromate pag. 516. l. 30.

רדה *rada* Hebr. accipere, ſed Syr. fluere. Itaque hæc verba de melle à Samſone reperto Jud. 14. 9. וירדהו אל כפיו *& accepit illud in manus ſuas*, Syrus reddit ܢܣܓܢ *& defluebat mel illud ſuper manus ejus* p. 520. l. 51

רחם *racham* non tam eſt avis φιλοπάτωρ quam φιλότεκνος. Nam verbo רחם proprie ſignificatur affectus parentum erga liberos. Et patri tribuitur Pſ. 103. 13. Eſ. 63. 15. 16. Jerem. 31. 20. Matri 1. Reg. 3. 26. Eſ. 49. 15. Thren. 4. 10. p. 302. l. 45.

רחם *racham* avis in Moſe ignota hactenus, ſed ex Arabum deſcriptione notiſſima. Ex qua apparet ſpeciem eſſe vulturis p. 303. l. 32. &c. uſque ad finem capitis. Alio nomine vocatur انوق *anuk*, ibid. l. 59. & 304. l. 18. 54 Pro רחם *racham* in Deuteronomio legitur Fœmin. רחמה *rachama*, ut ſæpiſſime apud Arabes, & in Horo Apolline Ægyptio ſcriptore ὁ γύψ, quia vulgi eſt error in Ægypto natus omnes vultures eſſe fœminas pag. 310. l. 2. דיה *daja* & רחם *racham* ſunt vultures diverſæ ſpeciei, ille niger, hic varius p. 316. l. 73. Paradoxum, ſed tamen verum, jure merito τῷ *racham* ſeu vulturi nomen à miſericordia eſſe inditum p. 317. l. 39

רחף *rachaph* proprie movere ſe, ut Jerem. 23. 9. רחפו *ſe commoverunt omnia oſſa mea*. Ita in creatione Spiritus Dei מרחפת *movebat ſe ſuper faciem aquarum*. Inde ad aves tranſlatum רחף eſt *motitare alas*, ut volitantes faciunt. Idem Talmudi is רפרף *raphraph* eliſa gutturali, & reliquis geminatis p. 177. l. 34. Et Arab. رفرف *raphrapha* de ſtruthione; & ارف *arapha* de ave quæ alas extendit ad incubandum, ib. l. 49. Hic motus aquilæ tam naturalis eſt, ut pulli etiam dum à matre cibantur, ſemper alas agitent; Ita teſtantur Arabes p. 176 l. 10

רמה *rimma* Hebr. *vermis*, Arab. *tinea*. Et רמם verbum Hebr. σκωληκιᾶν *vermenare*. Arab. de oſſibus *putreſcere* & carioſum fieri p. 619. l. 65

ܪܡܫܐ *ramſa* veſpera Syr. & Chald. Inde Arab. رامسات *ramiſath* aves quæ veſpere aut noctu volant. Sic à veſperâ veſpertilio p. 284. l. 54

רננים *renanim* Job. 39. 16. pavones explicat magna pars recentiorum, nullo autore idoneo, & contra hiſtoriæ fidem. Cum ignoti fuerint pavones ætate Jobi nec in Judæam allati ante Solomonis tempora. Neque à cantu veriſimile eſt *renanim* dici pavones, quorum vox eſt ſtridor potius. Itaque in Phædri fabulis *Pavo ad Junonem venit indigne ferens ſe deriderit, ſimul ac vocem miſeret*. Nec de ave tam eximia hoc ſolum diceretur, illam alis ſuis ſuperbire aut exultare Quod ipſum eſſet minus verum, cum alas non oſtendet pavo, ſed caudam, cujus nomine ſe maxime effert p. 240. l. 30. &c.

רננים *renanim* Job. 39. 16. Hieronymo ſunt ſtruthiones recte omnino. Nempe ſtruthiones fœminæ tam dicuntur רננים *renanim* quam יענים *jeanim* à clamore & cantu. Ut Arab. زمار *zimar*, id eſt cantus, dicitur ejulatus ſtruthionis fœminæ pag. 245. l. 5. Et alis exultare eædem aves recte dicuntur, cum illarum alacritas ex alis tota pendeat, ibid. l. 21. Denique cum hoc ipſo verſu & quinque ſequentibus ſtruthionem deſcribi pateat, ejus nomen præfigi oportuit in primo ſtatim hemiſtichio, ut aliorum decem animalium quæ in hoc ipſo capite & ſequenti deſcribuntur, p. 246. l. 47. Alioqui nullibi extaret nomen avis cujus ſequitur tam graphica deſcriptio. Aliud enim ſunt חסידה *chaſida* & נוצה *notſa* in hemiſtichio poſteriore ejuſdem verſus p. 247. l. 1

רקב *rakab* Hebr. caries vel putredo. Unde רוקבא *rukba* & רקוביתא *rakbitha* Chald. tinea p. 618. l. 27

רשון *raſon* Talmudicis locuſta eadem quæ in Scriptura סלעם *ſolam* p. 451. l. 2

שאב attrahere, unde magnes Hebraice dicitur אבן שואבת *lapis attrahens* p. 699. l. 50

שאול *ſeol* plerumque ſignificat locum ſeu ſtatum animæ a corpore ſeparatæ, ubicunque ſit. Falluntur enim qui hoc nomine nonniſi inferos intelligunt, ſeu damnatorum locum pag. 802. l. 10.

שבב Talmudicis frangere: Unde שבבים fragmenta Oſ. 8. 6. Itaque Hieronymo videtur impoſuiſſe Hebræus ille quiſquis fuerit, qui שבבים ei interpretatus eſt aranearum fila per aerem volantia p. 608. l. 13

שבוטא *ſibbota* Chald. شبوط *ſabut* vel *ſabot* Arab. piſcis ignoti genus. Alii callionymum eſſe volunt, alii *barbotam*, id eſt ſilurum, alii Hiſpanorum coliam ſcombro non abſimilem, alii thynnum, alii ſcorpionem piſcem aculeis horrentem, pag. 752. l. 14. Sed à Pandectario vere *laurachi*, labrax & *variolus* appellatur. Quæ ad lupum pertinent; Is enim Græce olim λάβραξ à voracitate dictus eſt. Et hodie λαύρακι vocatur. Et Italis *varolo* ut Gallice *bar* à varietate colorum. Neque aliud nomine שבוטא *ſibbota* ſignificatur, quod ſuo loco probamus, & ad hunc piſcem quadrare ad amuſſim quicquid de piſce *ſabot* aut *ſibbota* ſcribitur p. 723 l. 12. &c. Vide infra שבץ.

שובך Columbarium Chald. Cant. 2. 14. & Eſ. 60. 8 p. 13. l. 59. & p. 17. l. 30.

שובלא מוריא ut Jeroſolymitana paraphraſis Exod. 30. 34. abſurde reddunt *ſpica myrrha* qualis nulla eſt. Sed aliter legendum pag. 803 l. 41.

שבלול *ſabbelul* alibi non legitur quam Pſ. 58. 9. ubi alii *ceram* explicant, alii *vermem*, alii *ſecundinas*, alii *limacem*, alii *fluentum aquæ*. Sed *limacem* præferimus cum Talmudicis, & autore *Bereſcith Rabba* & Hebræis recentioribus. Limax ita vocatur, vel à voce שביל *ſcbil*, id eſt ſemita quam ſucco ſuo ſignat, vel quia ישב בלול *jaſab belul* habitat in cochleâ. Nam לול *lul* propriè eſt κοχλίας cochlea, ſeu gradus in cochleæ modum inflexus (Gallis *eſcalier*) p. 646. l. 16. & p. 649. l. 8

שבץ *ſibbets* eſt aurum & varios colores panno intexere. Inde literis *tſade* & *teth* Chaldæo more permutatis שבוטא *ſibbota* Chaldaice dictus eſt piſcis ille quem a varietate colorum Itali *varolo* & nos *bar* appellamus p. 753. l. 41

שגל *ſagal* coire, pro quo in Scriptura legitur שכב concumbere, ut vocabulum honeſtius p. 41. l. 19

כשד משדי ut *vaſtitas ab omnipotente* Joel. 1. 15 in Hebræo eſt paronomaſia elegans: Ut ſi quis dicat, ὡς ἀπώλεια ἐκ Ἀπολλύος, aut ὡς θύελλα ἐκ Διὸς p. 471. l. 8. שדי dicitur omnipotens ab Arab شد roborare. Alioqui latet origo vocis ibid. l. 12.

שדפון שדפורת uredo, ἀνεμοφθορία Spicæ קדים uredine perculſæ a vento *kadim*, Gr. ἀνεμόφθοροι p. 384. l. 2

שחל *ſachal* trahere & attrahere Chaldæis & Talmudicis. Inde credidim שחלת *ſcheleth* Exod. 30. 34. eſſe ladanum, quia ſumus ex ciſtho attrahitur, ut ex Dioſcoride, Plinio & Abenbitare ſcimus p. 804. l. 7

שחלת *ſcheleth* Exod. 30. 34. onychen ſeu unguem aromaticum reddunt Strachides, Græci Seniores, Onkelos, Syrus, Hieronymus, Arabes manuſcripti duo, Talmudici, Maimonides, Hebræi recentiores. Sed dubitatur quid ſit onyx. Recentiores onychem Dioſcoridis & Plinii ſignificari putant, id eſt conchylii operculum in nardiferis Indiæ paludibus reperti, de quo multa etiam Arabes p. 804. l. 31. Sed onyx aliud Hebræis, nempe aliquid in plantâ aromaticâ quod lævore & ſplendore ſuo unguem refert. Bdellium intelligo, quod eſt ὄνυξ ὀνυχος, ac proinde βδελλα appellatur a Galeno & Damocrate. Lachrymam arboris Saracenicæ vocat Dioſcorides, quia in Arabiæ Saracenis ſeu Scenitis magnus fuit ejus proventus. Aromatici igitur onychis duo ſunt genera plane diverſa, quorum cum utrumq; ſit nigrum, R & L permutatis שחלת *ſcheleth* pro שחרת *ſcheereth* ab atrore dici ſuſpicor. Ut leo niger שחל *ſachal* pro שחר *ſacher* dictus eſt. Neque enim Oleaſtro aſſentior, cui שחל *achal* eſt zibethi felis, & שחלת *ſcheleth* ejus ſudor p. 807. l. 62.

שיחלא *ſichala*, Talmudicis dolor auris, quem ſedat חרגל *chargol* p. 445. l. 57

שחף *ſachaph* verbum in *Cal* tabere, in *Niphal* tabidum fieri, in *Piel* tabefacere, unde שחפת *ſchapheth* phthiſis, tabes Lev. 26. 16. & Deut. 28. 22 Arab. etiam سحاف *ſochaph*, quamvis سل *ſil* ſit frequentius. Et magiſtris שחוף *ſachuph* tabidus. Indidem שחף *ſachaph* in Moſe dicitur *larus* vel *cepphus* quaſi ſit naturâ tabidus, quia parum carnis habet. Bellonius de laro ſcribit nullam avem eſſe molis ratione tam levem. Et cum ſit gallinâ craſſior, non habere tantum carnis quantum coturnix p. 263. l. 58. & p. 264. l. 20

בני שחץ *filii elationis*, id eſt procera animalia Job. 41. 25. crocodilo opponuntur, qui eſt in genere reptilium, p. 190. l. 37. & p. 791. l. 1

שחרת, Hebr. vaſtare & perdere eſt. Sic cynomyiæ terram vaſtant Exod. 8. 24. Mures itidem 1 Sam. 6. 5. Eodem pertinere quod ranæ Ægyptios devaſtaſſe leguntur, id eſt Ægyptiorum oras Pſ. 78. 45. Hebræis tamen vaſtare coloco idem eſt quod caſtrare. Ægyptios igitur volunt à ranis fuiſſe caſtratos, quomodo משחרת vaſtatio pro caſtratione videtur ſumi Levit. 22. 25. Quæ nugæ refelluntur p. 666. l. 47

שינים *urina*, pro quo legunt מימי רגלים

aquas pedum, ut auribus ſic conſulatur p. 41. l. 23

שכוי Job. 38. 36. probatur non eſſe gallum, ut volunt, ſed cor ita dictum à verbo שכה. quod cogitare & imaginari ſignificat p. 114. l. 65

שכות *ſuccoth* eſſe miſſilia Job 40. 26. ex Arabica lingua probatur, quâ شوكة *ſcuca* vel شكة *ſecca* miſſile & telı acumen eſt p. 773. l. 23

שיכלי *ſichli* συκαλὶς ficedula, inter coturnicum ſpecies, ſi Talmudicis creditur, vide סליו *ſelau*.

שליו *ſelau* coturnices, Chald. per *ſamech* סליו. Syris ܣܠܘܝ *ſalvai* Arabibus سلوى *ſelvva*, qui referunt ad سلى *ſala* oblivisci. Sed quia maxime abundant, malim referre ad Hebr. שלה. quod Græci ſæpe εὐθηνεῖν *abundare* reddunt, quamvis hoc per ש ſcribatur, illud per ש p. 92 l. 24.

שלך *ſalach* recentiores mergum reddunt, ſed veteres melius *catarrhacten*, qui ex alto cum impetu in mare ſe dejicit, ut ex eo piſces extrahat. Id autem Hebr. eſt שלך & Gr. καταρράκτης pag. 278. l. 1. &c. & 280. l. 54.

שלל של ביצים Ovorum in gallinæ ventre conglobatio, cum ad maturitatem vergunt. Ut אשכול של ביצים botrus ovorum dicuntur ova minora ex ſcaturigine primum congloba ta p. 415. l. 50

שממית *ſemamith* non eſt aranea, ut volunt recentiores, ſed ſtellio, p. 604. l. 44. Vide volum. 1 p. 1083.

שומשמנא *ſumſemana* formica Chald. & Syr ut Arab. سم *ſamma* eſt odorari, quia formica olfactu maxime præſtat p. 590. l. 40

שמיר *ſamir* Hebræis vermis hordei grano non major, cujus ſolo tactu lapides findi & diſſilire crediti pag. 841. l. 31. Unus è decem rebus quas veſpera Sabbathi creavit Deus ibid. l. 35. Ejus opera Moſes Ephodi gemmas & tabulas Legis, Solomon templi lapides aptavit, ibid. l. 28. Ad quem vel ab Aſmodæo rege dæmonum allatus, ib. l. 40. vel ab upupa, ibid. l. 43. vel ab aquila ex horto Edenis, ibid. l. 50. in arca plumbea ſervatus eſt uſque ad templi deſolationem, ib. l. 57. Barbari ſcriptores *Thamur* vocant, & a ſtruthione allatum fabulantur ib. l. 66

Quam vim vermi *ſamir* tribuunt Hebræi nugivendi, eandem Græcos ignotæ herbæ tribuere etiam ab upupa allatæ p. 347. l. 19

שמיר *ſamir* neque vermis eſt, ut Judæi nugantur, neque *adamas* ut volunt noſtri interpretes, ſed *ſmiris* lapis tam durus ut eo utantur gemmarii ad gemmas expoliendas p. 842. l. 30 In ſagittis Æthiopum idem lapis pro ferro fuit, iſque veneno tinctus, quod ex Herodoto & Agatharchide ſcimus, ibid. l. 46. Et ex Arabibus illud venenum غلقة *gulka* vocari ib. l. 67

שעוא *ſaava* cera Chald. unde Hebr. השתעה ceræ inſtar molleſcere Eſ. 41. 10. p. 131. l. 57

שעיר *ſair* hircus dictus, quaſi piloſus p. 828. l. 48

שעירים hirci & idola vel dæmones ſic appellati Levit. 17. 7. & 2. Paral. 11. 5. propter Ægyptios, qui non modo inter Deos hircum retulerant, ſed & in ejus cultum tanto furore ferebantur ut oporteret ſacerdotes huic Deo primum initiari p. 828. l. 57. Aliàs ibi vide.

שפיפן *ſephiphon* Gen. 49. 17. videtur eſſe nomen commune ad ceraſten & hæmorrhoum, qui ſerpentes ſunt formâ ſimiles, ambo cornuti, & flexuoſo inceſſu, quia ſpinam oſſeam non habent, ſed cartilagineam & in utramque partem flexilem. Hinc eos ſolos ex ſerpentibus σκολιὰ & ἐπιπλάζει, id eſt claudicare dicit Nicander. Itaque a שפף *ſaphaph*, quod claudicare eſt, utriq; commune nomen שפיפון *ſephiphon*, id eſt ἀμφικυλλὸς utrimque claudus p. 418. l. 61. Vide Arab. سف *ſiphon*.

שפוני טמוני חול שפוני *thesauros abſconditos arenæ*. Zabulonitis promitti Moſes Deut. 33. 19 Et tribus hiſce vocibus eadem beneficia deſignari nugatur R. Joſeph. Nempe חלזון *chilzon* ſeu purpurariam cochleam voce שפוני quæ *theſauros* ſignificat. טריתת *tarith* ſeu piſces recentes voce טמוני id eſt abſconditos, & חול זכוכית לבנה *vitrum album* voce חול. Undecit quod Lexicographi שפון eſt arena. vel ספון piſcem eſſe ſcribunt ex cujus ſanguine

fit purpura, cum nihil minus ſignificet pag. 722. l. 52.

שריה *ſiria* Job. 41. 17. volunt idem eſſe quod שריון *ſirjon* loricam, ſenſu palam repugnante, quia ibi agitur de armis quæ oppugnant, non quæ propugnant. *Apprehendens eum*, inquit, *gladius non conſiſtet, neque lancea, telum aut* שריה *ſiria*. Nos igitur ſpiculum reddimus, quia illud ipſum شرية Arab. *parvam ſagittam* ſonat. Giauhari & Alfirouzabadius ita exponunt p. 783. l. 12

שרנקא *ſarneka* ſpecies accipitris, qui Talmudicis שורינקא *ſorinka* & בר חוריא *bar churja* filius albedinis, Arab. سرنوف *urnouk*, avis ex accipitrum genere, raptu vivens. Alii شروق *ſarouk* & زرق *zurrak* p. 335. l. 65. Vide ejus deſcriptionem, ex qua videtur eſſe falco albus recentiorum p. 354. l. 18

שרף *ſaraph* eſt ſerpens volucer in Ægypto & Arabia, quodque adurit flatu vel morſu Eſ. 30. 6. & Deut. 8. 15. Quæ notæ in hydros conveniunt. Illos enim quotannis ex Arabia in Ægyptum volare ſcribunt idonei autores, & ab iis demorſos tanquam arcano igne carpi & conſumi p. 428. l. 26

שרקרקא *ſarakraka* Chald. & Syr. avis à ſibilo ſic dicta, pluviæ nuntia, quæ ante Meſſiæ adventum ſibilabit. Hebræi picam eſſe putant, quæ Gr. hodie καρακάξα p. 297. l. 51. Hæc avis Arabibus *ſirikrak, ſikirrak*, & *ſiſirak*, & inauſpicata habetur, cum ſit Hebræis fauſti ominis. Ea neque pica eſt, neque picus viridis, neque *racham*, ſed avis nobis ignota corvini generis p. 298. l. 20

שש *ſes* vel שיש *ſiſa* a veteribus redditur Parius lapis p. 714. l. 30

שתית *ſethith* Talmudicis pulmentum factum ex farina τῶ *Kali* in furno exſiccata p. 47. l. 26 & 37

ת *thau* in Κάππα Græcum mutari p. 739. l. 44

ת *thau* ſervile quandoque ſpeciem habere radicalis p. 620. l. 13

תואר והמתואר prædicatum & ſubjectum p. 1. l. 6

תוכיים *thucijim* dicti pavones pro כותיים *Cuthæijim*, id eſt Cuthæi, qui ex regione *Cuth* ſeu Perſide allati. Sic Phaſiani, Afræ aves & Numidicæ, Seleucides, Garamantides à locis nuncupatæ. Et ipſe pavo a veteribus avis Medica aut Perſica paſſim appellatur pag. 136. l. 40. Et pro *Cuthijim* inverſa voce dicti *toucijim*, ut *algumim* pro *almugim*, & multa hujuſmodi p. 137. l. 31

תור *thor* τρυγὼν *turtur* voce ſimiles, non tamen ab invicem deductæ, ſed διαφόρων ἀντίστοιχα. Quale quod turtur τρύζειν dicitur, & cantus ejus τρυσμός p. 55. l. 11

תורים *thorim* Cant. 1. 10. non eſſe turtures, ſed gemmarum ordines p. 57. l. 54

תכלת *thecheleth* Hebr. תיכלא *thichla* vel תכלא *thachla* Chald. color qui fit ex purpuræ ſanguine p. 726. l. 61. Occurrit trigies circiter id ſolo Exodo: Aliquoties etiam in aliis Scripturæ libris, Græci Num. 4. 7. ὁλοπόρφυρον, reddunt; vel ſimpliciter πορφυροῦν, ut habent Complutenſes: Sed alibi ſemper ὑάκινθος vel ὑακίνθινον, quod ſequuntur omnes veteres p. 728. l. 22. Et Hebræorum pleriſque תכלת eſt color mari aut cœlo ſimilis, ut hyacinthus Græcis pag. 731. l. 21. Kimchius reddit *azurum tranſmarinum*, ib. l. 40. Arabes in Pentateucho اسمانجون cœleſtem l. 51

תכלת *thecheleth* Græci hyacinthum reddunt, non a materia, ſed a colore. Neque enim ex hyacintho Hebræi; ſed illi erat concolor. Materia autem fuit ſanguis τῶ חלזון *chilzon*, ut Hebræi uno conſenſu docent. *Chilzon* autem propriè conchylium eſt p. 736. l. 50

תכלת & ארגמן, id eſt hyacinthum & purpuram, ſacri Scriptores ſæpe diſtinguunt p. 733. l. 60.

תולע *thola* vermis a לוע vorare, deglutire, quia fere totus venter eſt, & aſſiduo lanıat præcordia morſu. Ejuſdem formæ eſt תורק Cant. 1. 3. p. 619. l. 74.

תלעת שני *vermis cocci*, & inverſis vocibus שני תולעת *coccus vermis*, aut ſeparatis שני coccus, & תולעת *vermis* in multis Scripturæ locis pro eodem ſumuntur: Nempe pro cocci.

coccineo colore, qui Arab. قرمز *Kermez* aut قرمزي *Kermezi* dicitur p.624.l.1. &c. & 625 l.5.

מתלעים *vermiculati* Nahum. 2.3. id eſt *coccinati*, ſi venia ſit verbo, ſeu cocco veſtiti. Græci reddunt ἐμπαίζοντες, quia legerant מתעללים p.624.l.13.

תנים *thannim*, id eſt dracones, deſcribuntur ut θηλωτικὰ ζῶα Job.30.29. & Mich.1.8. quia nomen alludit ad תנות *thannoth*, id eſt lugere Jud.11.40. p.437.l.23

תנין *thannin* duo ſignificat, nempe draconem & cetum, ac ſi cetus ſit draco marinus. Sed & pro ſerpente quovis ſumitur Exod.7.9. &c. Apud Arabes تنين draco vel cœleſtis eſt, vel terreſtris, vel marinus, qui araneus Plinii, Gall. *vive* p.429.l.17.

תנין *thannin* & לויתן *leviathan* ſunt ſynonymæ voces quæ primo draconem, ſecundo cetum, tertio crocodilum ſignificant p.770.l.73

תנין *thannin* Ezechieli eſt crocodilus, ut Jobo לויתן *leviathan*. Patet id ex Ezech. 29. & 32. ubi Pharao deſcribitur tanquam *thannin*, jacens in Ægypti rivis ſquamis inſignis, aquas pedibus ſuis turbans, & ex iis ſubinde emergens, qui tandem hamo capitur, & in venatoris caſſes incidit p.705.l.11.

תרנגול *tarnegol* gallus. à quo Phœnices qui cum Cadmo in Bœotiam venerant, videntur urbi Tanagræ dediſſe nomen, ubi Tanagræi galli apud veteres tam celebres p.110.l.69

תרעתא *Tirgata* in Talmude vocatur, id eſt Atergatis, Dea quæ colitur in urbe Mambeg, Gr. Hierapoli, quæ in Plinio *Mambeg* & *Bambyca*, & Arab. *Manbeg* dicitur p.163.l.39

תרקב *tharkab* alii duos cabos (quaſi contractum ex תרי קבין *duo cabi*) alii verius tres cabos ſonat, quaſi תרי וקב *duo & cabus unus* inſuper p.42.l.18

תותח *thothach* Job.41.20 Græci & Hieronymus *malleum*, Chaldæus *ſecures*, Syrus & Arabs *haſtile* exponit, nos *fuſtem*, quia Arabicè وتخ *vvathacha* eſt fuſte percutere p.783.l.18

VOCES

ARABICÆ ET PERSICÆ,

Quæ in ſecunda parte hujus Operis explicantur.

ابابيل *Ababilo* ſunt aves per quas Deus caſtigaſſe fertur ſocios elephantis, lapidibus *ſiggil*, de quibus ſuo loco, in eorum capita injectis. Socii elephantis ſunt milites regis Abaſſenorum Abraheth, magno elephante vecti in expeditione contra Meccham ſuſceptâ, quo anno natus eſt Mahomet p.61.l.54

ابوطاقيون *abutakion* lapis aetites, qui vulgo ἐυτόκιον vel ὠκυτόκιον, quia partum promovet. Hunc ſoli aquilæ tribuunt vetuſtiores. p.312.l.5.&c. Sed vulturi recentiores p.316.l.39

ادم *adama* candere, ادم *adamo* de camelo & jumento quovis, maxime candidus ناقة ادماء *nakatoa admao*, cameli fœmina ſumme candida, ادمة *admathon* candor eximius. Ita exponunt omnes Lexicographi p.688.l.53

ارجوان *argiavan* Arab. & ارغوان *argavvan* Perſ. purpura. Item arbor vel arbuſtum in Perſide ſic dictum à flore purpureo, cujus deſcriptio habetur p.741. l.8.

ارضة *arda* (vulgo *artre*) animalculum dimidiâ lente non majus, lignum rodens; Aliis سرفة *ſerpha* & قتع *katha* p.627 l.20.

اس *os* vel اسة *oſob*, voces quæ cum ſerpenti dicuntur, is ſe demittit, ſi Arabibus creditur p.388.l.29

استرموك *aſtarmuch* camelus avis, vel cameli avis, Perſis ſtruthio, qui videtur ex utroque eſſe conflatus p.223.l.50

اشر ſerra ſecare, unde vocatur تاشر quod à locuſtis deorſum eſt, tanquam in ſerræ modum denticulatum p.469.l.5

اشنان *uſnen* Avicennæ plurium ſpecierum, quarum ſubtiliſſima eſt alba, & vocatur *ſtercus paſſerum* p.44.l.68. Sylvatico, *ſtercus paſſerum uſnen* pag.45.l.1. Giggeio. *Alnſnen, pulvis abſtergens, qui dicitur ſtercus columbinum*, ibid. l.1. Abuchaniphæ, *Genera uſnen multa ſunt, quæ omnia ſunt ex ciceribus* p.45.l.72. Albacra, *uſnen eſt ex genere cicerum* p.46.l.40

ام حفصة *mater congregationis*. Gallinæ eſt epithetum apud Arabes, quia non ſolum ovis incubat, quomodo reliquæ aves: Sed & pullos jam editos ſub alis congregat, ut materno calore foveantur & vegetentur p.125.l.72

انسان الما *Homo aquaticus*, al. شيخ البحر *Senex maris* barbâ canâ in mari Damaſceno viſus magnam annonæ vilitatem præſagit p.859.l.35

انس *aniſa* familiaris fuit, المؤانسة ſympathia, p.322.l.47. Vide منع.

انوق *anuk* avis aquilini generis, quæ alio nomine رخمة *rachama* dicitur pag.303. l.59. & pag.304.l.18.54. Hujus propria decem in Alcamus p.305.l.22

انيقي vide شاهين.

اور unde الار ſpelunca, & מאורת צפעני caverna baſiliſci p.404.l.40. Chaldæus pupillam reddit, tanquam ab אור deducta voce. Et Græci κοίτην cubile, quaſi מעונת legerint ibid.

ابن اوي *filius avvi* ſive latratus; Thos cujus nocturnis latratibus agri perſonant in Syria & Ciliciâ p.230.l.40

البجع *albugia* onocrotalus pag 276.l.72. Vide الحوصل.

الباحثين عن طبايع الحيوان *ſcrutatores naturæ animalium* Hebr. חכמי המחקר Paulo συζητηταὶ 1.Cor.1.20. p.779.l.2

البحر *albachro*, mare. Item Nilus apud Arabes, qui maris nomine Nilum paſſim indigetant, quod probatur ex Elmacino & Eutychio Alexandrino. Ita etiam Scriptura Job.41.22. (*leviathan* ſeu crocodilus) *mare reddit ut mortarium unguenti*, Mare, id eſt Nilum. Et Eſ.11.5. *Lingua maris Ægypti*, quod de Nilo Kimchius recte accipit p.787.l.38. Plinio teſte nimirum, Nili aqua eſt mari ſimilis p.78.l.2. Poſſunt etiam lacus intelligi in Ægypto & extra Ægyptum crocodilis fertiles. Lacus enim Hebræis pro mari habentur, ut cum dicunt *Mare Salis*, *Mare Sodoma*, *Mare Genezareth*. Et cum in terra Chanaan maria ſeptem numerant, ib. l.3. Proinde qui Græce ἱπποπόταμος, id eſt, *fluviatilis equus* dicitur, Arabibus eſt فرس البحر *equus maris*. Etymologus quoque crocodilum dividit in χερσαῖον & θαλάσσιον. Et Nili ripam Plinius littus vocat p.789.l.25

بيدق *baidak* quarta *bazi* ſeu accipitris ſpecies in Damire برز *baraza* Arab. egredi. Inde Chald. בריז דובשא *brez* vel *briz dubſa*, id eſt fluxus mellis è favo egredientis. Et mellis inventor Bacchus *Breſæus* vel *Briſeus* dictus, ut ex Heſychio ſcimus & Cornuto in Perſium. Sic ab Heraclide in Coorum republica Βρίσαι vocantur nymphæ à quibus Ariſtæus didicit mellis conficiendi rationem.

برغوث *borguths* pulex, non culex, ut a Giggeio ſæpe redditur pag 585.l,8. برغوثي *borguthſi* ψυλλίον, herba pulicaris, ib.l.58 vide بزرقطونا

البراق *alborak*, jumentum Mahumetis, quaſi ἀστραπαῖον dictum, quia fulgure velocius.

برقان *borkan*, locuſta varia p.447.l.7

بزرقطونا *bazarkatuna* herba pulicaris, Hiſpan. *zargatona* p.585.l.61. Diverſa ejuſdem nomina vide. ib.l.67

بازي *bazi* rapacis avis ſpecies. Accipiter, vide صقر.

بازي *bazi* ſeu accipiter cujus quinque ſpecies in Damire. 1. بازي *bazi* proprie dictus, cui ab impetu nomen. 2. زرق *zorrak* oculis cæſius. 3. باشق *baſak* ab acuto viſu dictus, quamvis Perſicum eſſe plerique velint. 4. بيدق *baidak* vilis. 5. عصفي *aſphi*, id eſt turbineus, ſeu qui fertur in modum turbinis, quos ſingulos deſcribit Damir p.281.l.68

بسد *boſſad*, radix τοῦ *margian* ſeu coralli p.703.l.44.

بشر de locuſtis, corii inſtar radere & levigare p.461.l.23

باشق *baſak* tertia *bazi* ſeu accipitris ſpecies in Damire, quæ deſcribitur p.282.l.1

بطاقة *bittaka*, epiſtolium quod per columbam mittitur Græcum eſt πιττάκιον, p.16. l.66. vide زجل.

بقة *bakka* Arab. κώνωψ culex arborarius. Ulmus ex quo naſcuntur κώνωπες Arab. دردار *dirdar* vocatur. & شجرة البق *arbor albak*, id eſt arbor culicum aut ſcnipum, non cimicum ut multi volunt p.570.l.32. Tamen البق *albak* etiam eſt cimex, & in quodam Avicennæ loco ita ſumitur ibid.l.73

بقر الما *bakar almai* bos aquaticus è mari in terram aſcendit ut fruges depaſcatur. Hujus ſtercus eſt ambarum. Ita Alkazuinius *p.864.l.60*. Bos aquaticus id eſt phoca. Phocas nempe bovi terreſtri ſimiles eſſe ſcribunt veteres. Hinc boves marinos

rinos vocant Servius & Iſidorus. Et pho-cæ creduntur ambarum deglutire, deinde egerere. Pandectarius: *Azel eſt nomen piſcis magni devorantis ambarum*, *Azel* eſt
عجل *agel* vitulus. Ita etiam Serapio p. 863.l.4. &c.
بوقير *Bukir* avis in Ægypti Thebaide fertilitatem aut ſterilitatem quomodo præſagiat p.850.l.66
البلبل *albulbul*, philomela p.148.4
بلور *belur*, quandoque chryſtalli ſpecies nobiliſſima p. 873.l.71. Item beryllus qui chryſtallo ſimilis p.874.l.4. Et leucoſaphirus qui etiam مها البلور *mahalbelur* dicitur, quaſi dicas κρυςαλλολεύκινον ibid. l.7.&c.
بلشوم vel بلشون ardea p.321.l.67.& 323.l.44. vox eſt à lexicographis plane omiſſa.
ابله *ablaho* ſimplex, & كيس *caiſon* verſutus, ſunt oppoſita. Itaque priore verbo uſus Achmed Mahumetanus ſacerdos in libro de Abſtinentia Jeſum diſcipulis ſuis præcepiſſe dicit ut eſſent بلها *bulban* ſimplices in Deo tanquam columbæ p. 21.l.19
بوتيمة *buthima* Perſ. ardea p.322 l.13
البوم *album* noctua vel nycticorax, ut ex deſcriptione patet. Mas vocatur صدى *ſada* aut فياد *phaiad*. Fœminæ cognomina ſunt ام الخراب *mater ſolitudinis* & ام الصبيان *mater lendium*, quia iis ſcatet p.273.l.37
البيش napellus, id eſt aconitum λυκοκτόνον p.98.l.11
بيضة البلد *baidatho-lbeledi*, ovum regionis, id eſt ſtruthionis à matre relictum & neglectum p.252.l.41
تبون كي *thabundach*, is qui vendit interanea gallinæ, puta cor, ingluviem &c. p.43.l.30
تدرج *thadrug* Arab. & تذرو *thadru* Perſ. phaſianus, ut Græcè τατύρας: in Heſychio & Athenæo ex Gloſſis Pamphili Alexandrini p.96.l.17
تريكة *thuricha* dicitur ſtruthionis ovum, poſtquam ex eo pullus exiit p.252.l.28
تقوع *Thekoa* oppidum prope Jeruſalem, à qua mel Thekoenſe denominatur. Ita Alcamus p.321.l.64
تلب *thalb*, piſcis cubitalis in mari Græco, qui in minimas partes diſſectus moveri non deſinit. Et ſi torreatur ſuper carbones, ex igne in coqui faciem inſilit. Et caput ejus injectum in ollam lapide aut ferro obſtructam ne exeat, non coquitur, neque moritur. Ita in *Thochpha* nugatur Abuhamed Hiſpanus p.863.l.54
ثومة *thauma* dicitur Arab. ſtruthionis ovum, quod Græcè eſt miraculum p. 252. l.15.& 23
ثريا Arab. pleias, quia ثري eſt multiplicare p.114.l.46
الثقلين gravati (ſup. peccatis) Arabes ita vocant dæmones & homines p.855.l.10
ج *gim* Arabum Græci recentiores per *zeta* efferunt in ζύτα, ζυλάπιον, ζίζυλαν, ζοράφα &c. p.865.l.27
جبا *giaba* è terra emergere. Inde locuſta جاب *giab* & جابي *giabi*, ut Hebr. גוב *gob* & גובי *gobai* p.443.l.22. vide نبط.
جندب *gidab* anni ſterilitas, unde جندب *gendab* locuſtæ genus p.450.l.3
جر *giarra* trahere, unde جراره *gerrara* parvi ſcorpionis genus caudam humi trahens in regione Chuſiſtan ſeu Suſiana veterum, cujus punctio maximè lethifera p. 638.l.62. De his ſcorpionibus citatur Æliani locus p.639.l.49
اجريث anguilla ut الجري p.751.l.53
جرد *giarada* de locuſta deglabrare & depilare, unde locuſtæ nomen جراد *girad* p.46.l.23
جرد *giurida*, alicui venter doluit, aut puſtulæ effloruerunt propter locuſtarum eſum p.491.l.71.&c.
جراد *girad*, locuſta cum variis coloribus inſigniri incipit, ita ut flaveſcant mares, & fœminæ nigreſcant p.447.l.39
رجل الجراد pes locuſtæ, herbæ genus, blitum vel rapunculus p.489.l.41
قرن الجراد cornu locuſtæ, id eſt pili duo quos habet in capite p.456.l.26
جردم *giardam*, locuſta viridis capite nigro p.447.l.7
جرز *gerez*, otis Perſice p.283.l.55
جاورسية *giavverſia* cenchrites ſerpens p. 395.l.64
جرمق *Giormok* in Nubienſi Geographo regio Septentrionalis unde muſcus & phaſiani, Paulo Veneto *Ergimulp*. 96.l.10
الجري *algiri* non eſt ſilurus, ut volunt nonnulli Arabum, ſed anguilla, ut ex deſcriptione apparet. Itaque in Abenbitare aliter vocatur انكليس ἐγχέλυς p.752.l.1
الجري *algiri* etiam piſciculus circa Baſoram in Euphratis oſtio, qui pedes habet poſteriores ranarum inſtar, ſed nullos anteriores, ut autor eſt Ibnoſaida, p.752.l.11
جزل *giazala* pipire, unde جوزل *giauzal* pipio ut Hebr. גוזל gozal p.7.l.17
الجساسة *algiaſſaſa*, Antichriſti jumentum in maris rubri inſula latens p 848.l 4
الجعدبا *algiuduba*, domus araneæ p.610. l.50
اجفيل *igphil* timidus, item ſtruthio, quia eſt animal timidiſſimum & fugaciſſimum p.155.l.34
جليل *gelil* de homine illuſtrem & magnificum, de luce vel colore ſplendidum ſonat. Hinc Chald. *lapis* גלל *galal* id eſt marmor, quia lucidum, ut *et* קלל *kalal* id eſt lucidum & nitens, *koph* & *gimel* permutatis p. 487.l.44
جلا *giala*, fumigavit (apem) ut mel ex alveari educeret p.508.l.37
جند الله الاكبر *Exercitus Dei magni*, locuſtarum epithetum apud Arabes, quomodo illas vocat Deus ipſe Joel 2.25. p. 482.l.4. & p.485.l.51
جندب *giondoch* locuſta obeſa p.447.l.5
حباري *hubara* Eſ. 34. 11. non eſt bubo, ut reddit Gabriel Sionita, ſed otis ſeu tarda, ut exponunt Avicennæ interpretes in capite *de ovis*, Andreas Bellunenſis, Giggeius, Golius, &c. Quam verſionem plane confirmat hujus avis deſcriptio in Damire, Abenbitare & Aſſariphe p.282.l.53. In Avicennæ capite de ſtercore ex *tarda turdum* fecit ſcribarum imperitia ibid.l 59
حبرج *hubarig* Perſice mas otidis p.283.l.55
حبشان *hobſan* locuſta Æthiopica p.447.l. 12. Nomen habet ab Abaſenis ſeu Abiſſinis populis in quorum ſolo naſcitur p. 463.l.48
حجبة *chagiaba* caput coxæ utrimque prominens, quæ duo حجبتان *chagiabathani* dicuntur. Intelligo femoris geminum caput, quod Anatomici vocant ἀμφικέφαλον p.494.l.58. Id ipſum eſt חגב *chagab* quem in ſene ingraveſcere dicit Solomon Eccleſ. 12.7.
حدم *badama*, vide מלק in Hebræis.
حرجل *chargiala* de equo eſt ſaltare ad dextram & ſiniſtram, in locuſtæ modum ſcilicet, quæ Hebr. dicitur חרגל *chargol*, ut Arab. حرجلة *chargiola* eſt locuſtarum agmen. Itaque Job. 39.20. & in Chaldæo Jer. 51. 72. equi ſaltantes locuſtis conferuntur p.477.l.50
الحريش *albaris* varii ſerpentis ſpecies in Giauhari p.395.l.59
الحرض *alhord* idem quod *uſnen*, ſeu ſtercus columbinum p.45.l.5
حرقوس *kurkous* Pſ.104.30. in editione Syroarabica pro Heb. ערב *arob*, pulicis inguinalis genus, aculeo veſpæ, quo pungit ut flagri extrema, & muliebris pudendi morſu maxime delectatur. Rubro vel flavo ita diſtinguitur ut color ater prævaleat. Illi quandoque alæ creſcunt, quibus avolat. Vocatur alio nomine نهبك *nahic*, quaſi tortorem dicas p.554. l.34. An hoc animalculum, mulieribus in pudenda parte torquendis natum, ideo per κυνόμυιαν ſignificari voluerunt hujus verſionis autores, quod Græce κύων γυναικεῖον αἰδοῖον, ὅθεν κυνεῖρα, ἡ ἰὸς κύνα εἰςιοῦσα. τοῦτ' ἐστιν ἑταιρουμένη. Ita habetur in Euſtathio p. 554.l.34
الحوصل *albauſal*, ingluvies: Item onocrotalus, quem ita vocant plerique Arabes. ac ſi avis tota ſit ingluvies, propter vas quod habet in roſtro, unde *truo* Latine dictus eſt, & Hebraice כוס ut ſuſpicamur p. 275. l.44
الحق *albukka* domus araneæ p. 610. l.55
حلزون *hallazon* Arab. cochlea ſeu limax, ut Chald חלזון *chilzon* p.648.l.60
حمام *hamam* columba, & سراة *ſerah* mons, شعرا *ſara* ſylva, صحرا *ſahra* deſertum. Ex quarum voci in una aliqua cum حمام *hamam* juncta factum nomen *Serimam* vel *Sarimam*, pro montis, ſylvæ, aut deſerti columba. Unde per metatheſin Græca vox Σεμίραμις, quæ explicatur ab Heſychio περιςερὰ ὀρεινὴ, *columba montana*. Et à columbis ſcribit Cteſias Syros hoc nomen feciſſe, Syros, id eſt Syriæ vicinos Arabes, aut ejus ex parte incolas p.4.l.59. & p.7.l.36
الحمان *albeman* ricini ſpecies p 575 l.58
احتنك حنك *hanac* palatum, fauces, unde احتنك de locuſta *ingurgitare ſe* p 461.l.15
حوت موسي ويوشع *piſcis Moſis & Joſue*, cujus dimidium cum comederint, ut in Alcorano habetur, hodieque ille piſcis non videtur niſi dimidiatus. Se hujuſmodi piſcem prope Septam vidiſſe tradit magnus nugator Abuhamed Hiſp p 863.l 5
حول vertere & convertere, الحول annus vertens حوال الدهر temporum viciſſitudines. An hinc phœnix Hebræis חול dictus, cujus vita magni anni converſione fieri rata eſt fides inter ſcriptores p.818.l.1
الحية الرقشا ſerpens varius in Avicenna p.395.l.45
خدم vide מלק.
خرز *charaza* filo conſerere, ſubula cõſuere. Unde

Unde خرزات *charazath*, grana conſerta: Et in homine ſpinæ vertebræ; in ſcorpione caudæ ſpondyli & internodia, quæ Talmudicis חומרי *chomare*, & Hebræorum aliis חוליות *chulijoth* p.637.l.1. Hinc

الخرز *alcharaz* ſpinæ dorſi, cujus ſpondylia tanquam conſuta & conſerta ſunt. Item monile ex gemmis conſertis, ut Hebr. חרוזים Cant.1.10. torques ex granis vel margaritis p.57.l.56

خرو العصافر *ſtercus avium*, aut الحمايم *columbarum*, pulvis quidam *εμπλικὸς* ex ciceribus confectus, qui Hebr. חריונים 2. Reg.6.25. p.45.l.5 &c.

خضخاض & خضخض locus multis aquis affluens. Ita Hebr. חצצון *haaſſon*. Itaque Engadi urbs alio nomine dicta videtur *Haſaſon-Thamar*, quia in ejus vicinia fuere loca irrigua palmis cõſita p.820.l.34

خاطف ظله *chatipho-dillihi*, quaſi dicas *raptorem umbræ ſuæ*. Avis quædam ab Arabibus ita dicitur, quia cum umbrã ſuam in aqua videt, in eam tanquam raptura ſe conjicit. Diſputatur quæ ſit illa avis p.11.l.62. Graculo Tzetzes id tribuit p.12.l.10

خطاف *chottaph* cur dicatur hirundo, vide in חטף.

خفاش *chopphas* veſpertilio ſic dictus ab oculorum vitio. Nam خفش *chaphas* oculorum parvitatem & debilitatem ſonat, ex quã ſit ut quis noctu plus videat quã interdiu Græce *μυωπία* dicitur p.350.l.27

الخنتف *alchanthapho*, locuſta quæ ut coquatur depilata & mundata eſt p.456.l.60.& 492.l.10

خنفس *chunphus* ſcarabæus, vide חפושית p.614.l.5

اخيل *achial* maculoſus. Epithetum avis سرقراق *ſirikrak* p.298.l.73. Item avis صرد *ſurad* ſeu lanii minoris p.299.l.1

ابن داية filius cervicis, corvus, quia jumentorum cervicibus quas jugum aut onera attriverunt, atque exulcerarunt, libenter incumbit, ut mortuam carnem prærodat p.230.l.35

دبر *dabar* fœtus locuſtæ nuper editus p.486.l.22. vide دبا *daba*.

دبش *dabaſa* decorticare de terra & agris quorum proventum locuſtæ abſumunt, quaſi fruges & herbæ ſint terræ cortex p.461.l.20

دبا *daba*. locuſta cum exit ex ovo p.447.l.36.& p.486.l.20

دحا vel دحي oppandere, Inde ſtruthionis nidus ادحوى *udcha*, ادحي *udchua*, & ادحية *udchia* dicitur, propter arenã circumquaq; oppanſam p.252.l.42

در *darra* lucere, unde درة *dorra* vel *durræ* margaritæ p.690.l.37

دردار *dirdar* ulmus, vide بقة *bakka*.

بنات دروز *filia duronz*, id eſt ſuturarum aut commiſſurarum. Pediculi ſic dicuntur quia firmiſſime adhærent, quaſi لملازمته capiti & corpori per commiſſuras conjuncti p.574.l.59

دوبرادران *du bradran* duo fratres, زمج *zummag* aquilæ genus à Perſis ita vocatur, ut à Græcis recentioribus *φιλάδελφος*, quia cum reliquæ aquilæ fere ſolitariæ ſint, hæc conſorte delectatur, cum quo venetur p.336.l.28.& 55. Vide رهل *rahal.*

دور in prima conjug. circumire, vertere, in orbem agere. Inde دور *daur* orbis, circuitus & quicquid rotundum eſt. Sic دور in circuitu. In inſula دور eſt ambitus, & دور السكك tornus monetæ (Gall. *moulinet*) Indidem Hebrææ & Chaldææ voces plurimæ. Ita דור *dur* habitare, quia rotundæ fuerunt, vel in orbem digeſtæ primæ domus circa plateam. דור *dur* vel מדורה rogus, lignorum ſtrues rotunda. דורא *dura* Dan.3.1. Senioribus *πεδίον*. דור *dor* generatio, ſeu annorum periodus. דרדר *dardar* tribulus, cujus ſemen rotundum eſt, & in rotunda ſiliqua latet. דור *dur* pila ſeu circulus in Eſaia. Et Eſther 1.6. דר *dar* Chald. דורא *dura*, margarita à globoſa forma ſic dicta p.712.l.3

دهلاك *duhlak* vel دلهاق *dulhak*, animal in inſulis maris, forma hominis ſtruthionem inequitantis, veſcens carne hominum quos mare ad littus ejecit. Ita Græcorum Sirenas deſcribit Alkazuinius p.860.l.45

ذر *dſar*, formicæ genus tam parvum, ut centum ex illis non pendant ſupra unum hordei granum. Itaque vox eadem pro atomo uſurpatur. Et ذر *dſarra* verbum ſignificat in minimas partes cõminuere p.598 l.43

رال *raal* ſtruthionis pullus, unde استرال *iſtheraala*, de herba, ſignificat in altum creſcere 261.l.66

المرتجل *almurtegilo*, qui in locuſtæ pedes incidens, eos aſſat p.492.l.5

رخ *Ruch*, avis immenſæ magnitudinis ultra Sinas, cujus alæ ſingulæ patent decem cubitorum millibus p.854.l.5. Ita Arabes. Sed Paulus Venetus longe modeſtior, ib.l.51. Græca fortaſſe eſt fabula. Et Græculus aliquis fabulæ architectus avẽ ita vocavit ἀπὸ τῦ ῥύγχους à roſtri magnitudine ib.l.57

رخم *racham* vel رخمة *rachama*, vulturis ſpecies. Quod probatur toto capite 26. p.303.l.32.&c. cap.27. Solvuntur objectiones. Docetur *racham* non eſſe proprie aquilam ſed avem aquilæ ſimilẽ p.313. l.43. In Alkazuinio *racham*, in Pſeudohieronymo & Euſtathio vultur ex India lapidem affert *enrocium* quo partus ſublevetur p.316.l.32. Quamvis *racham* ſit vultur, non tamen idem eſt qui דיה *daja*. Hic enim niger eſt, ille varius, ut diſerte aſſerit Damir. Proinde equus varius ارخم *archamo* & ovis varia رخماء *rachmao* vocatur. Itaque videtur eſſe Ariſtotelis *περκνόπτερος* ſeu *ὀρειπέλαργος* ib.l.73. Vulturi quam conveniat nomen à miſericordia ductum, contra quam vulgo creditur, p.317. l.39.&c. Itaque in Ægypto vulturis imagine pingebatur miſericors p.318.l.41

رغا *raga* aut رغي *ragia* de camelo, hyæna & ſtruthione, clamavit, ejulavit, Item de puero acriter flente p.228.l.22. In Braſilia ſtruthiones tam altum clamant, ut ad dimidiam leucam audiantur ibid.l.36

رفرف *raphrapha* de ſtruthione, alas motitando currere p.262.l.57

الأرقم *alarkamo*, ſerpens in Damire albo & nigro tanquam Phrygio opere diſtinctus p.395.l.48

روق excolare Am.6.6. quæ vox Matth.23.24. in Arabica paraphraſi corrupta eſt p.565.l.48

بنات الروم filiæ Græcorum, Cete mulicbri forma in mari Græco p.230. l.60. Illas ajunt paſſis crinibus quandoque videri, & in riſum effundi. Alii vocant بنات الما *filias aquæ* ſeu aquaticas p.860.l.1

رهل *rahal*, aquilæ genus Perſis, quæ & دوبرادران *du-bradran* (duo fratres) ut Gr. *φιλάδελφος* dicitur, quia in aquilarum genere hæc ſola inter venandum conſortem admittit p.336 55. vide زمج *zummag.*

زازا *zaza* de ſtruthione capite, alis, & cauda elatis fluere potius quã incedere p.262.l.55

زج *zaggia* proprie in plano proſilire p.411.l.25

زجل *zagiala*, columbam emittere ut epiſtolas ferat. Et زجال *zagial* columba in *eum finem* emiſſa p.16. l.68. vide بطاقة *bittaka.*

زر *zarra* de locuſta, caudam ſuam terræ infixit, ut ovificet p.486.l.14. vide سخت.

مزكوت *mazcuth* locuſta gravida p.486.l.12

زمج *Zummag* aquilæ genus, barbaris ſcriptoribus *Zimiech*, Græcis recentioribus *φιλάδελφος*, ut Perſis *du bradran*, (*duo fratres*) quia venationis ſocium habet p.339.l.39. Idem de falconibus Vincentius p.340.l.34. Nomen τῦ *Zummag* ab ira tactum, ut Hebr. אנפה *anapha*. Et forte avis eſt eadem p.337.l.36

زمج الما *Zummag aquaticus* Arab. نورس *naurus* Ægypt. avis alba, columbæ ſtatura aut major, ex alto in mare ſe dejiciens, ut inde piſces deprædetur, quibus veſcatur, uno verbo *catarrhactes* p.280.l.21.& 337.l.14

زمر *zamara*, vide عار *arra*.

زامور *Zamur* piſcis de quo Arabes eadem fere fabulantur quæ de ave *mazur* p.862.l.59. Canoræ vocis eſſe & naves comitari, ut cantu ſuo vectores recreet: Et cetus ſi accedat, in aurem ejus inſilire, perpetuoque cantu illi obtundere, donec ad vada & rupes eum impellat p.863.l.4

زنجفر *zingiaphir* Arab. ſandix p.695.l.47

زرق *Zorrak* in Damire ſecunda ſpecies *bazi* ſeu accipitris, de qua vide in بازي. proprie oculis cæſium ſonat p.281.l.73

الزهد *alzohdo*, abſtinentia; Titulus libri Sacerdotis Achmed, celebris inter Arabes p.21.l.22

ابو مزينة *Abu-muzaina* (pater decoræ) Piſcis vel cetus humana forma, in Ægypti littore quandoque viſus ambulans, qui cum capitur, ejulatu ſuo venatores ad miſericordiam ita inflectit ut dimittatur intactus p.858.l.25

س *ſin* & ص *ſad* ſæpe permutari, & multa vocabula utroq; modo ſcribi p.401.l.69

سجيل *ſiggil* in Alcorani *ſurata* de elephanto, lapides ſiggil ſunt lapides in Ipſerorum igne excocti & indurati, cum eorum nominibus inſcriptis in quos cadebant, p.61. l.56. Vide ابابيل *ababilo.*

سحر *ſachara* incantare, inde ساحر *ſachir* vel سحار *ſacchar* magus. An hinc Babylonii ventrilo quum *σακχάρας* vocant, quem Græci Πύθωνα & Ἐγγαστρίμυθον, ut habetur in Jamblico p.384 l.2. Potius ex זכור *zacchuru* ibi vide,

سحاف *ſochaph*, tabes, phthiſis; ut سل *ſil*, quod frequentius. Vide שחפת *ſachepheth.*

سخت *ſachatha* de locuſta, caudam ſuam terræ infixit ut ovificet p.486.l.14. Vide زر *zarra.*

اسدف *aſdapha* caligare præ fame p.527.l.9

سرا *ſara* locuſtæ ovum p.486.l.9

سرايس *ſarais* bellua quadrupes in regione Cabul prope Indiam, in naſo habens duodecim foramina, unde ſpiritus erumpens fiſtulæ ſonum imitatur, cujus modulatione allectis animalia ubi inde capit & vorat. Ita Alkazuinius ſcriptor novaciſſimus p.847.l.22

سراط vel صراط via, ſi cum *Keſre*, & gladius longus ſi cum *damma* ſcribatur p.402.l.3

سرعوف *ſuronph* locuſta longa p.447.l.5

سرفة *ſerpha*, vermis lignum rodens, vide ارضة.

أسرنج *aſrengi*, συειϰὸν ſyricum p.695.l.44

سراة *ſera* mons, vide حمام.

ساسم *ſaſim* vel *ſaſem* in ſcriptis Arabum lignum nigrum ebeno ſimile. Alii سمسم *ſemſem* vocant, & plurali سماسم *ſemaſim*. Hæc Græcis τὰ σησάμινα ξύλα *ſeſamina ligna* ebeno ſimilia in Dioſcoridis capite de ebeno. Et in Periplo Arriani, ubi mentio φαλάγγων σησαμίνων καὶ ἐβενίνων *palangarum ſeſaminarum & ebeninarum*, quæ ex Indiæ urbe Barygazis in Perſidem afferuntur p.144.l.12

سعوط vel صعوط ἔῤῥινον purgando capiti p.402.l.13

سف *ſupphon* vel *ſipphon* in Alcamus, ſerpens varius, aut qui volat p.395.l.59. Al. ſerpens pernicioſiſſimus, albo nigroque diſtinctus, fortaſſe hæmorrhous, quem arenoſi coloris deſcribunt, maculiſque nigris & albis interſperſum p.417.l.20. vide שפיפן.

سفع *ſaphaa* flatu adurere, alludit baſiliſci nomen צפע *tſepha*, cujus hoc maxime proprium eſt ut omnia flatu adurat سوافع Καύσωνες, venti adurentes p.401.l.45

اسفنط vel اصفنط ſpecies potus ex ſucco uvarum aromatibus condito p.402.l.11

سقاب vel صقاب *ſikab*, vitta cruenta, qua faſciatæ Arabicæ mulieres ſignificant ſe in gravem aliquam calamitatem incidiſſe p.402.l.6

اسقف *aſcapho* ſtruthio dicitur ab eminentia & longitudine colli p.261.l.63. Epiſcopum quoque ſignificat, ſed tum ſonat *oſcophon*, & eſt contractum ex Græco.

اسقعي vide شاهين.

سكينة *ſochaina* aſina; & nomen culicis qui ingreſſus eſt in nares Nimrodi & ſociorum ejus p.569.l.21

سوريا in Avicenna σμύραινα *murana* piſcis. Sed Latinus interpres hic habet *Semurium*, & doctorem eſſe putat ſic appellatum p.430.l.13

مسرط vel مصرط oblongum de capite p.402.l.15

سماني *ſumana* coturnices à pinguedine dicuntur, quia coturnix eſt avis omnium pinguiſſima p.92.l.67

سمندل *ſemendal* vel سمندر *ſemendar* Arabum (quæ Scaligero *ſemenda*) non eſt phœnix ut is putavit, ſed ſalamandra. Itaque hoc animal in igne comburi negant. De cætero quod diſputant an ſit avis vel mutis genus, aut aliud animal quadrupes aliquanto vulpe minor, ex cujus pilis fiat tela asbeſtos, docet eos hic in meris tenebris verſari p.822.l.67

سنونوة *ſunonnova* vel سنونية *ſunonnia* Arab. & סנוניתא *ſenounitha* Chald. hirundo non quævis, ſed riparia, quæ Græcè dicitur δρεπανὶς à falcatis pedibus. Quod probatur p.60.l.65.&c.

سناد *ſenad*, animal Indicum bove majus lingua ſcabra & aſpera, cujus catuli paſcūtur capite è vulva matris exerto p.846.l.14

سنط vel صنط *ſent* acacia p.402.l.9

سلوى *ſelvva* Arab. coturnix (ut Hebr. שלו) & mel. Itaque cum in Alcorano legitur Deus Iſraëlitis demiſiſſe manna & *ſelvva*, Mahumetani acriter diſputant, an ibi *ſelvva* mel ſignificet aut coturnices. Et de melle ſumptum idem eſſet quod manna. Manna enim eſt ἀερόμελι. Iidem ignari nomen coturnicum Hebraicæ eſſe originis, illud ab oblivione deducunt, quia coturnicum eſus reliquorum ciborum oblivionem inducit p.92.l.27

ساج *ſag* arbor Indica valde procera, foliis ſemper virentibus, ligno nigro & valde duro, quodque ætate non corrumpitur, Chald & Talmud. שאגא שאגי & שגי. Fortaſſe eſt ebenus p.846.l.47. Ibid. vide plura.

السودانية *Sudania* aves Romam quotannis olivas roſtris afferunt quantum ſatis ſit in totum annum p.851.l.31. Alii ſturnis idem tribuunt ibid.l.40

ساق حر *ſako horrin* Arab. Mas (columbæ) liberæ, id eſt palumbi vel turturis p.52.l.68

سوق vel صوق plateæ p.402.l.1

مسهر *muſſahir*, id eſt excitans: Avis quæ nocturno cantu audientes ita afficit, ut nemo de ſomno cogitet p.855.l.50

شبث *ſebths* (barbaris *ſcebt*) araneæ ſpecies, vel araneæ vicinum animal p.605.l.15 Suſpicor סבת Hebræis idem ſignificaſſe, & Job. 27.18. Hebræum כעש *& ut tabernaculum*, Græcos reddidiſſe καὶ ὥσπερ ἀράχνη, *& ut aranea*, quia legerunt כסבת p.605.l.51

شبر Gr. σπιθαμὴ palmus major, menſura duodecim digitorum p.400.l.29

شبوط *ſabut* vel *ſabot*, Chald. שבוטא *ſibbota* λάβραξ lupus piſcis, Ital. *varolo*, Gall. *bar*, quod multis probatur p.752.l.15.&c.

شدا canere, unde شدى cantio, cantilena. Hebr. שרה id ipſum eſt Eccleſ. 2.8. ubi dicit Solomon ſe ſibi comparaſſe cantores & cantatrices, qui recrearent homines שרה ושרות cantu & cantionibus, Nam שרה eſt pro בשירה. Hujus cantus inventrix *Sido* Phœnicia mulier apud Sanchoniathonem p.847.l.47

شاه هزر *ſad hazar* (pro quo lego ساد حزاج *ſad-hazag* id eſt modulate canens) Animal cornu diviſum habens in LXXII. ramos, unde mirabilis concentus, Alkazuinii commentum eſt p.847.l.30

شذا *ſadſa*, muſca canina, quæ camelos etiam invadit. Ita Damir p.553.l.30

شقراق شرقراق *ſirikrak*, & per metatheſin *ſikirrak* & شرشاق *ſirirak*, avis corvini generis Chald. שרקרקא *ſerakreka*. Hujus deſcriptionem ex Arabibus diſce p.298.l.20

شع *Soon*, domus araneæ p.610.l.55

شعرا *ſaara* ſylva, vide حمام.

شعرا *ſira*, muſca cœrulea & rubra, quæ camelos, aſinos & canes invadit & graviſſime lædit p.553.l.43

شهد *ſcahadon* favus, ut Græce χαδὼν in Ariſtophane p.491.l.14.& 511.l.21

شاهين *Sahin* Giggeius inepte cygnum reddidit, cum ſit avis prædatoria ex genere τῶν γαμψωνύχων. Hujus in Damire tres ſpecies, 1. *Sahin* proprie dictus. 2 قطامي *kotami*. 3. اسقعي *aski*, vel ut aliud exemplar habet انيقي *Aniki*. Nomen *Sahin* Perſicum ſtateram explicant, quomodo dicta hæc avis, quia nec tantillum famis, nec tantillum ſaturitatis ferre poteſt. Galli eam cenſent inter falconum ſpecies p.287.l.69.&c.

الشيخ اليهودي Senex Judæus, cetus eſt humana facie & barba cana è mari emergens nocte Sabbathi: Et poſtquam uſque ad Solis occaſum divagatus eſt, ſub noctem in mare inſilit, &c. p.858.l.62

صئبان *ſeiban* Arab. κονίδες lendes, id eſt ova, vel veluti quoddam pediculorum rudimentum p.578.l.46

صحرا *ſabra* deſertum, vide حمام.

صدا *ſada*, ſerpentem incantando vocem illius imitatus eſt, ut صدى *ſada* id eſt Echo noſtram vocem imitatur p.388.l.37

صدي noctuæ mas p.273.l.39. vide بوم.

صراح *ſerrach*, volucre animalculum كالجندب ut bruchus, quod comeditur p.491.l.67

صرد *ſurad* avis prædatoria, quæ & أخيل *achial*, lanius minor p.299.l.1

صعون *ſinu* colli tenuis, & parvi capitis aut verticis, unum è ſtruthionis nominibus apud Arabes p.260.l.43

صفرا *ſaphra* dicitur locuſta cum ova poſuit, quia tum flava eſt p.486.l.19

صقر aut سقر aut زقر per *ſad*, *ſin* aut *ze*, ſed frequentius per *ſad*, acute videre, ut Chald. סקר. Inde صاقر *ſakir*, qui eſt acuti viſus, & صقر *ſaker*, una è quatuor avium rapacium ſpeciebus, quæ ſunt صقر *ſaker* شاهين *ſahin*, عقاب *okab*, & بازي *bazi*. Et τῶ *ſaker* ſunt tres ſpecies, 1. *Sacer* proprie dictus, 2. كونج *chauneg*. 3. يويو *juju* p.267.l.52. Sacri proprie dicti deſcriptio p.268.l.2

الصقيع πάχνη pruina (Hebr. חנמל Pſ. 78. 47.) in Pſalterio apud me manuſcripto p.444.l.66

أصقعم *aſcaara*, de locuſtis, ſignificat illas Sole orto ſtatim avolare. Sic Arabes uno verbo dicunt quod pluribus Nahum. 3.17. p.458.l.33

صل *ſil* ſerpens tinnulus vel ſtridulus, qui ſtridore quodam edito Magis occentat & obſibilat. Hoc Græce eſt ἀττάζειν, Latine *recanere* p.391.l.1.&c.

صلط vel سلط præfecit p.401.l.72

اصلنطح vel اسلنطح latus fuit p.401.l.73

اصم *aſammo* ſurdus dicitur ſerpens in quem cantus nihil poteſt. Et ad cantum obſurdeſcere vel aurem obturare, cum cantu nihilo magis afficitur quam ſi vel ſurdus eſſet vel auribus obtuſis, p.391.l.8. Hujus locutionis exempla l.22. Avicenna صم ſurdos & صلال ſtridulos vocat omnes ſerpentes in quibus venenum eſt tam potens ut mors non differatur ultra tres horas, neq; ulla ſit curatio p.392.l.29. In quo cenſu numerat baſiliſcos, aſpides, ceraſtas, hydros & cherſydros, ibid.l.40.&c. Et de aſpide Ælianus tale quid habet p.391.l.73

صناجة *ſenagia*, bellua immenſæ molis in terra Thebeth Indiæ parte, qua viſa ſtatim intereunt reliqua animalia, ſi quidem prima videant. At ſi quod animal *ſenagia* prior viderit, ipſa moritur. Proinde clauſis oculis ad eam acceditur p.846.l.18

صنجة *ſungia* piſcis in Kaimachitis, ex cujus felle fit venenum præſentiſſimū p.846.l.28

طاخية

طاخيا *tachia* Arab. formicæ nomen quæ Solomonem allocuta eſſe creditur. Sic dicta, ut quidem puto, quia ſermo illius ſatis perſpicuus & explanatus non fuit. Nam طخيا *tachiao* ſermonem obſcurum ſonat p.601.l.60

طروغورون *truguron* mendoſe in Avicenna pro τρύγων, id eſt paſtinaca marina. Sed in verſione multo mendoſius legitur *De Albatraf & Handen*, quæ eſſe volunt inter draconum ſpecies p.430.l.20

طري *taria* verbum recentem eſſe, & طري *tari* nomen de butyro, ovo, piſcibus &c. recentem ſonat, unde piſcis recens in Talmude dicitur טריח *tarith*, & in Jonathane טריתא *taritha* p.720. l.35

طفر *taphara* Chald. טפר *tephar* proprie è ſublimi loco in inferiorem deſilire p.411. l.25

طلسم *taliſmanizare*, ut ita dicam, id eſt certis τελέσμασι magico more conſecrare. Sic de urbe Emeſa وهي مطلسمة Et ea eſt τετελεσμένη, certis τελέσμασι inſtructa & conſecrata p.388.l.13

ابن طامر *filius ſaliens*, id eſt pulex p.230. l.57

طاير *tair* vel طايرة *taira* avis. Unde Tzetzi Τάειρα, una ex ancillis Cleopatræ, quod is male columbam reddit, cum *taira* ſit avis in genere. Ejuſdem ancillæ nomen à Galeno male Νάειρα, nec à Plutarcho melius Εἰρὰς ſcribitur p.3.l.9

طين الراس *lutum capitis*. Luti odorati genus, cujus illitu capilli fiunt longiores. Eo utuntur mulieres in balneis p.797.l.8

اظفار *ungues aromatici*, in Avicenna, & Alchald, & Iſaaco filio Omran &c. Falluntur Avicennæ interpres, Pandectarius, Arabs, & multi alii recentiores qui blattam Byzantiam explicant. Blatta enim Byzantia ex purpura proprie dicta, onyx ex conchylio ſumitur. Nec ungue aromatico panni tinguntur, quomodo blatta Byzantia. Blatta denique Byzantia nihil habet aromaticum p.807.l.29

عجر *agiara* ſignificat aliquẽ ad lares ſuos poſtliminio reverti vel aufugere, quod gruum eſt maxime proprium. Ille enim amore patriæ in Scythiam & Thraciam, unde ortæ ſunt, quotannis revertuntur, ubi unaquæque nidum ſuum recognoſcit, ut homines domum. Itaque Arabicum hoc verbum factum videtur ex עגור *agor* Hebræo gruis nomine, ut & Perſicum Ἄγγαροι, pro curſoribus regiis, quos celeritate curſus cum gruibus certaſſe docet Xenophon p.80.l.5

عار *arra* ejulare, de ſtruthione mare, ut زمر *zamara* de fœmina dicitur. Et عرار *irar* maris ejulatus, ut زمار *zimar* fœminæ p.228.l.8

عرب *araba*, id eſt اكل comedit. An inde ערב *arob cynomyia*, de qua dicitur Pſ. 78.45. *Miſit in iis arob* ויאכלם *& comedit vos* p.556.l.38

معراج *mirag* animal unicorne, cætera lepori ſimile, ſed terribile p.847.l.69

ابن عرس filius nuptiarum, muſtela propter cultum & comptos pilos ſic appellata, ut Græcis recentioribus νυμφίτζα, Italis *donnola*, noſtris *bellette*, (quaſi *bellula*,) p.230.l.45

عرفان *orphan*, locuſta quæ reperitur in arenis Aſigi aut Dahnæ prope Medinam. p.447.l.12. Proprie locuſtam jubatam ſonat, ex عرف *orph* ſeu juba facto nomine p.456.l.43. Vide ὄρφας.

عرن *cornu* ut قرن, *ajin* pro *koph*, ut in ארקא pro ארעא. Sic عران البقر *cornua bovis*. عرنة cornuum radix. عرون limax, cochlea, propter duo cornicula quibus prætentat iter. معرون ceraſtes ſeu cornutus ſerpens in Erpeniano Pentateucho pro Hebræo שפיפן p.418.l.1

اليعسوب *iaſub* rex apum p.460.l.25

عسقول *ukoul*, locuſtæ mas p.447.l.20

عصوف *aſouph* turbo, ita vocatur ſtruthio à curſus rapiditate p.262.l.62

عصفي *aſpbi*, quinta accipitris ſpecies in Damire, vide بازي.

عصفور *uſphour*, locuſtæ mas p.447.l.15

عصفور الشوك paſſer ſpinarum, ἀκανθίς, Gall. *ſerin* p.147.l.47

عصفور الجنة paſſer paradiſi, hirundo p.147.l.38

عظاري *adari*, locuſtæ mas p.447.l.17

عقاب *okab*, aquilæ genus, melanæetus, vide صقر.

عكس *achaſa*, retorquere & reflectere rem ad principium ſuum. Etiam de ſerpentum gyris dicitur. An hinc עכשוב *achſub* aſpis dictus eſt, litera *beth* in fine adſcita, ut in כרכוב *charchub* & aliis p.379. l.57

عكش *acchaſa* texere, unde عكاس *occhas*, mas araneæ, araneus, p.605.l.32. Itaque Hebræum עש *ut tinea* Græci, Syri & Arabes in Jobo & Pſalmis *araneam* reddunt, quia legerunt עכש p.605. l.51

العكاشة *alocchaſa* domus araneæ p.610. l.55

علق *alaka* verbum pendere eſt & adhærere, unde multæ voces deductæ, in his nomen علقة *alaka* pro hirudine p.797. l.23. Quo non utuntur ſoli Arabes, ſed Hebræi quoque, Chaldæi, Syri &c. p.800. l.50. Pro eodem ſumi putatur עלוקה *aluka* Prov. 30.15. ubi leguntur לעלוקה *aluka duæ eſſe filia, quæ dicunt, affer, affer*, p.799.l.30. Sed cum ibi ſanguiſugæ mentio ſit plane extra rem, nec ei ſint ullæ filiæ; Conſultius videtur nomine עלוקה *aluka* more Arabum fatum intelligere, vel quod unicuique homini impendet & appenſum eſt, id eſt à Deo decretum, qui omnia in menſura, numero & pondere diſponit p.800.l.70. Hujus decreti quæ ſint filiæ docetur p.801.l.60. Et veteres quoque Hebræos ſic accepiſſe p.802.l.25

علق *alak*, trochlea ex qua quid pendet p. 797.l.25

عولق *aulak* appendix p.797.l.32

عالق *alik*, caper vel camelus, qui ſummas arboris partes, tanquam ab iis pendens depaſcitur p.797.l.29

عليق *ollaik*, rubus qui veſti adhæret p.797. l.28

علاقة *ilaka* lorum ex quo pendet arcus vel enſis p.797.l.26

تعليق *thalik* vel معلاق *milak*, Scripturæ genus in quo characteres alii aliis adhærent, tanquam ſuſpenſi ab invicem p. 797.l.32. Elias in Thisbi voce משקף hujus meminit.

علك *ilc* vel *elec* reſina, Syris ܥܠܘܟܐ *aluka* p.864.l.28. Reſinæ varia genera, puta lentiſcina ſive maſtiche, pinea, ſtrobilina, terebinthina, cupreſſina, pinea, piſtacii, quomodo Arabicè dicantur ibid.l.30

علما *ulama* Magi vocantur in Arabica Pentateuchi paraphraſi, unde *Elymas* pro Mago p.580 l.74

معمور *Mamur* domus in cœlis, cui ſubeſſe fingitur Mecchanum templum p.856. l.16

عنبر *anbar*, ſuccinum, vulgo *ambarum*. Item cetus à quo ejici creditur. De quo Damir, Paulus Venetus, Leo Africanus, Scaliger. Æthiopibus quoque ዐንበር: *anbar* eſt cetus p.863.l 40. Ceti ex quo ambarum longitudo quanta p.865.l.50. Scuta ex ejus pelle ibid.l.69

الترس العنبروي *ſcutum anbarium* in Damire, id eſt ex pelle τῦ *anbar* p.865. l.63

عنطل *antal* domus araneæ p.610.l.58

عنقا *Anka* in Arabum pleriſque ſcriptis, avis eſt portentoſæ magnitudinis, tam fabuloſa quam gryphus, ſed Saadias, qui voce *Anka* in verſione Legis reddidit Hebr. עזניה, videtur majorem aquilam ſignificaſſe, quæ Arabice vocetur *anka*, quomodo in hominibus ענקים *Anakim* ſunt Gigantes. Sic in Damire العقاب *Alokab*, aquilæ ſpecies, alio nomine dicitur عنقا المغرب *anka occidentis* p. 812. l. 43

عنقا *Anka* avis in extremo occidente elephantos rapiens ut milvus murem p. 852. l.42. ab Handala propheta in remotam inſulam cur relegata, ibid.l.51. Quomodo capiatur p.853.l.29

عيسا *Aiſa* locuſtæ fœmina p.447.l.20

غلغة *gulka*, arbuſtum in Arabia Fœlici valde amarum, quo coria concinnant Arabes. Eodem Abaſeni ſagittas ſuas inficiunt, ut lethifer ſit ictus p.842.l.46

غوغا *gauga*, locuſta cum alæ illi ſuboriuntur & creſcunt p.447.l.38

الغولان *algaulano*, ciceris genus ſimile τῷ *aluſnen* p.46.l.57

فتن *phathana*, concitare tumultus, فتنة *phithna* ſeditio, cædes, فتان *phatthan*, ſeditioſus, latro, graſſator. An hinc à Phœnicibus *Python* dictus latro celebris ab Apolline cæſus, cujus verum nomen fuit Delphynes? Et idem pro dracone habitus, propter alluſionem ad פתן *pethen* & פיתון *python*. Ibi vide p.383 l.30

فرعون *Pharao* Arabicè crocodilus eſt. Quo Ezechiel reſpiciens, ut videtur, Pharaonem Ægypti Regem cum crocodilo aperte confert cap.29.&32. Vide p.795.l.34

الفرقدان *alpharkadani*, duæ ſtellæ polares p.114. l.16

فلك *phalaca* teretem eſſe. An inde Hebr. פלך *pelec* baculus? Et φάλαγξ ſic *phalanges* vel *palanges* ebenini & ſeſamini apud Herodotum & Arrianum. Pro quo *bebenis baculos* in Apuleio legas Apologia prima p. 143.l.51

فلمنط *phalmant*; in Tartariæ regione *Diſt*, ſi Damiri credimus, fera eſt hujus nominis, longa quadraginta cubitos, homines urinæ aſperſione tanquam admota face exurens: Quam locorum incolæ non aliter effugiunt quam conſcenſa arbore *ſag*, de qua ſupra p.846.l.33

فياب noctuæ mas, vide بوم.

قبرة *Kubbara* corydalus p.148.l.3

قتع *Katha* vermis lignum rodens, vide ارضة.

قر *Kurron* rana Arab. ut קרור *Kurur* Punice, & χρούρ Ægyptiacè & Talmud. אקרוקא *akruka* p.651.l.10

ابن مقرض filius roſionis, muſtela faginea, Gall. *fouine* p.230.l.44

قرقفنة *Karkaphenna*, avis quæ proditorum oculos alis ſuis illinens, eos reddit uxorum aquariolos p.851.l.72

القرمز *alkermez*, vermis in ilicem incidens, & color eximius, qui ex ejus ſanie elicitur p.625.l.7. Vide Κόκκ@ βαφικ. Ex قرمز *Kermez* formatur قرمزي *Kermezi* vulgo *cramoiſi* ibid.53

قصة *Kuſſa* comæ portio quæ fronti imminet, aut ex anteriore parte capitis propendit (Gall. *garcette*) idem Hebr. קוצה unde קוצותיו Cant.5 11. p.199.l.40

اقصر *akſar*, bellua mirabilis ſexaginta cubitorum, die judicii ex antro quodam emerſura, ut pios ab impiis ſecernat p.848.l.14

قصم *Kaſam*, locuſtæ ovum p.486.l.9

قطامي *Kotami*, vide شاهين *ſahin*.

قطا *Katta* palumbus, Arab. pro *phatta*. Fit enim ex Græco φάττα. Nempe Græcum φ & π Arabes in *Kaph* ſæpe mutant, quia *Phe* & *Kaph* apud illos ſunt ejuſdem figuræ, nec niſi puncto differunt, quod τῷ *Phe* ſimplex, τῷ *Kaph* duplex imponitur. Hinc illis قوقي *Kauke* ſunt *phocæ*, item πεύκη larix; قوطوما *Kutuma* φύτευμα: قرقسيون *Karkeſion* καρχήσιον, قوقس *Kukos* φῦκος &c. p.52.l.45

القعقع *alkoko* pica, item ciconia, non grus ut vult Gabriel Sionita p.333.l.31

قفز *Kaphaza* proprie ex inferiore loco ſurſum exilire ἄλλεσθαι πρὸς ὕψος p.41.l.28. Inde in Avicenna قفازة *Kipphaza* dicitur ſerpens jaculus ſeu acontias, neque aliud קפז *Kippoz* Eſ.34.15. quem interpretes hactenus vel pro hericio vel pro ave ſumpſerant p.412.l.16

القاقلي *alkakeli* ciceris ſpecies quæ cum lacte comeditur & eſt ut *uſnen* p.46.l.54

قلز *Kallaſa* de locuſta, caudam ſuam terræ infixit ut ovificet p.486.l.14

القلي *alkali* res quæ accipitur ex aduſtione cicerum p.46.l.27.&44. Alchanzio vel Alchindo *alkali* & *uſnen* idem ſunt, p.45.l.31. Vide in Hebraicis קלי & קליא.

قمص *Kamas*, دبا *daba* & دبر *dabar*, fœtus locuſtæ nuper editus p.486.l.22

القمل pediculus. Chald. קלם & Samarit. ... quod ad Hebr. כנם proxime accedit p.575.l.25

القاوند *alkavvand*, avis quæ nido ſuo meditatur locum in maris littore, & ova ſua in arena fovet, & die ſeptimo excludit. Deinde pullos ſuos per ſeptiduum cibat. Quos dies qui navigant pro auſpicatis habent, & placidum cœlum expectant. Ita deſcribunt Arabes avem *alkavvand*, quæ ſcilicet illis eſt Græcorum alcyon p.861.l.1

شحم القاوند adipem ſeu oleum *alkavvand* iidem ex hac ave ſumi nugantur. Quin oleum *alkavvand*, cujus in morbis frigidis & nervorum doloribus multus uſus eſt, animalis adeps non eſt, ſed ſuccus torculari expreſſus ex fructu juglandi ſimili, in Arabia Fœlici, Æthiopia & India p.862.l.28

قوقس *kaukas* vel قوقيس *kaukis* eſt phœnix Arabum, non tamen unicus, ſed geminus mas & fœmina, qui ut pyram accendant roſtra ſua invicem affricant, donec ex mutua colliſione ignis eliciatur p.849 l.47

القوقي *alkoki*, id eſt phocæ caput ſpinis & ſpiculis armatum deſcribit Alkazuinius, quibus non ſolum configat obvios, ſed & naves ita incendat ut contra hanc peſtem non aliud ſit ἀμυντήριον quam ipſius phocæ pellis, quâ latera navium neceſſe ſit obtegi p.864.l.18

كحكص *chahaſa* de ſtruthione, ire tam propere ut viſum prope fugiat p.262.l 58

كندم *chndam*, locuſta nigra capite viridi p.447.l.9

كرز *churiza* de ave μαδίζειν, ... Græcis recentioribus μυτιών, ut Gall. *muer*. كراز *chorraz*, avis cui pennæ defluunt p.165.l 62

كرا vel كروي *cara* perdix. Alias كروان *carvvan* perdix mas, & كروانة *carvvana* perdix fœmina. Itaque Seniores quibus קרא *kore* eſt perdix videri poſſint promiſcue ſumpſiſſe קרא per *koph* & כרא per *caph* p.89.l.1

كسفرة *cuſphara* Giggeio ignotæ ſignificationis, & ab aliis prætermiſſa, idem eſt quod كزبرة *cuzbara*, nempe coriandrum p.587.l.58

كاسبند *caſina* Perſis avis *ſerakrak* p.293.l.43

كونج *canneg*, rapacis avis ſpecies, vide صقر.

كوز كندم *kuz kendem* Perſ. & جوز جندم *giuz Gendem* Arab. In Avicenna Latino, *Nux kendem eſt terra granoſa ſicut cicer, alba, declinans ad citrinitatem, quæ exportatur de Barca & Coraſena, ex qua cum melle fit vinum.* In Arabico legitur hanc in urbe Racca (ad Euphratem infra Samoſatam) vocari خرا الحمام *ſtercus columbarum* p.44.l.25. In quibus notandum grana ciceribus ſimilia vocari *ſtercus columbarum*.

كاه ربا *Cah rabe* id eſt paleam trahens. Perſæ ſuccinum ita vocant p.868.l.70

لالا *Lala* lucere Arab. unde لولو *lulu* margaritæ p.690.l.37

لئام *liam*, aves ignobiles ita vocantur. Eæ autem tres ſunt, corvus, noctua & *racham* p.304.l.15

لحس *lahaſa* lingere & nomen لحس *lahas* linctus de locuſta dicitur, quæ terræ proventum ut tinea lanam lingendo abſumit p.445.l.68. Inde locuſtæ ſpecies ילק *jelek* à lingendo dicta.

لدغ pungere & mordere, vide פרש.

لادان *ladan*, ladanum Arabica vox vetus. Herodotus Τὸ δὲ λήδανον τὸ Ἀράβιοι καλέουσι λάδανον p.803.l.70

لسع pungere & mordere, vide פרש.

لعص vide نعص.

لقلق *leklek* vel لغلغ *legleg*, ciconia. Falluntur qui gruem reddunt p.329.l.19. Ciconia Turcis *Turgon*, ibid. l.39. Arabice *leklek* dicitur à voce ſua, quæ Arab. eſt لقلقة *laklaka* p.334.l.40

ليث leo in Alcamus, araneæ ſpecies p.376. l.19

ليث عفرين *Leo Iphrina*, chamæleontis in Arabia ſpecies à loco ut videtur ſic dicti p.376.l.17

متخ *methacha* de locuſta dicitur cum caudam ſuam terræ ſuæ infigit, ut ovificet p.486.l.14

مخيط *muchait*, μύξαινα Charitoni μυχαῖται p.532.l.31

مر *marra* amarum eſſe unde مرير *merir* robuſtus & مرة *mirra* robur p 525. l.38

مرجان *margian* corallium. Alludit *Margiana* nomen cui Aria vicina eſt, unde corallium effodi fabulantur, p.103.l.40. *Margella* etiam in Philoxeni Gloſſis ibid. l.50

مارماهي *marmahi* anguilla Perſis, quaſi piſcem ſerpentem dicas, quia piſcis eſt ſerpentis ſpeciem habens p.752.l.5

المازور *Mazur* avis, ova ponens in mari tranquillo (ut halcyon) & nautas cum periclitantur, modo ſurſum modo deorſum volitando, monens periculi in quo verſantur, ut ſibi caveant p.862.l.55

مصع *maſaon* Arab. paſſer maſculus, Normannis *moiſſon*, Belgis Moſche p.145. l.16

مطل *matala* ferrum cudere & extendere مطال *mattal* faber ferrarius, qui cudendo caſſides & ſimilia conficit. مطول *mamtul* de ferro *cuſum, & in longum extenſum*, Job.40.13 כמטיל ברזל *ſicut vectis ferreus* p.758.l.71

مكن *machin* locuſtæ ovum p.486.l.9

ملط *malata* abortire, vide Heb. מלט *malat*.

الملك βασιλίσκ@ regulus, quomodo regis figura p.406.l.14

مالك الحزين ardea, ad verbum *aquator triſtis*, nam ملك *malch* inter cætera aquam ſonat. Sic nimirum vocatur ardea, quia nonniſi invita bibit, etiam in medio flumine, timens ne aqua deficiat. Ita Arabes, p.321.l.69.& p.322.l.30

منع prohibuit recuſavit الامتناع والمواساة *antipathia & ſympathia*, libri titulus, cujus autor Attangides p.322.l.47

مول *mul* vel مولة *mula* Arab. aranea p. 605.l.42. Hinc Pſ.89.(Hebr.90.)10. כמו Græce redditum ὡς ἀράχνη, quia pro כמו lectum כעל ibid.l.65

موم *Mum* cera Perſ. & προπολις Arabibus, id eſt materia craſſior ex qua fit cera. An inde مومبا *mumia* vox, quia mortuos Perſæ cera circumlitos condiebant? p. 530. l.68.&c. Eſa 64.2. Hebræa verba כקדח אש המסים מים Seniores reddunt ὡς κηρὸς ἀπὸ προσώπου πυρὸς τήκεται, quia כמסים legerunt pro כמים & pro כקדח כקדם. Jam tum igitur pro cera מום in uſu fuit p.531.l.5

ماء ابن الماء *aqua filius*, anas p.250.l.35

مها *maha* cryſtallum Arab. p.873.l.7. Extat ea vox in Arabica paraphraſi Ezek. 1.27. & 8.2. Et in Syra corrupta eſt à Scribis qui pro ܡܗܐ *maha* ſcripſerunt ܐܠܗܐ *eloha* Deum ibid. l.11. In Lexico Coptico male habetur مها البكور *maha-lbecur* pro مها البلور *maha-lbelur*, quaſi dicas κρυςαλλοειδὴς λίθος. Eſt etiam in paraphraſtis المها *almaha* pro leucoſapphiro, pro Chryſolitho, pro adamante, &c. Ita ut videatur primo cryſtallum ſignificaſſe, deinde lapides omnes κρυςαλλοειδεῖς p.874. l.33. Æthiopibus quoque ማኅው: *machu* eſt vitrum, ibid. l.37. Radix Hebraica מחה *macha* tergere eſt & abſtergere, quia vitro & cryſtallo nihil terſius. *Cheth* Hebræum retinent Æthiopes; Sed Arabes in *he* permutant p.875.l.3

نبب *nabba* Arab. internodiis diſtingui. Unde انبوب *anbub* Arab. אבובא *abbuba* Chald. internodium, & calami pars inter duo internodia. Itaque pro חליל fiſtula ſeu tibia occurrit in paraphraſtis. Hinc *ambubaja* dictæ αὐλητρίδες in Horatio. Et ſcorpius Punice, ut videtur, نبة *nebba*, propter caudæ internodia. Unde Latinum *nepa*. Afrorum enim vocem eſſe ex Feſto ſcimus p.633.l.9. & 60

نبط *nabata* Arab. è terra emergere. An inde Æthiopicè locuſtæ አንበጣ: *anbat*? Etſi enim ad fontes نبط *nabata* proprie pertineat, tamen etiam ad alia transfertur χαλαζηρικῶς p.443.l.39. Vide جبا.

نتل *netbel* Arab. ovum ſtruthionis, poſt quam à matre relictum & neglectum eſt p.252.l.18.33

نسناس *niſnas*. In Arabiæ parte thurifera ſic appellantur dimidiati homines, natura μονοσκελεῖς, μονόχειρες, μονόφθαλμοι &c. qui tamen, ſi credimus, habent ſermonis & rationis uſum. In Maimonide vocantur אדני השדה. In Plinio μονοσκελεῖς. Arabes huic Plinianæ fabulæ cætera ſuperſtruunt p.845.l.15

المنشار *minſar* ſeu ſerra cetus in mari Zingitano ad montis molem accedens, ſerram in tergo habens à capite ad caudam exporrectam: Et in capite duo oſſa cubitorum duodecim, quibus utrimque remigat p.864.l.41

نظم *nadama* certa ſerie jungere & connectere ſignificat, quomodo in monili margaritas. Inde منظوم *mandoum* locuſtarum agmen, propter ordinem quem in volatu & in inceſſu ſervant p.477.l.64

نعب *naaba* crocitare: Unde corvus Arab. نعاب *noab* & Syr. ܢܥܒ *neab* p.198.l.58

نعص vel لعص vorare, *lam* & *nun* permutatis, proprie de locuſtis p.461.l.17

نعم *naam* Arab. camelus, & نعام *naam* ſtruthio vocatur, quia multa habet cum camelo communia p.223.l.30

نغض *nagada* nutare caput, unde نغض *nigd* nomen ſtruthioni à perpetua capitis agitatione inditum p.260.l.56

انتغض *inthephada* per *phe* excuti, unde David Pſ.109.23. in edit. Pariſ. انتغضت (*inthephadtho*) *excuſſus ſum ſicut locuſta*, quæ ſcilicet cum nido caret, vaga eſt, & fertur è ſepe in ſepem. Ita David Saulem fugiens ſine foco & lare huc illuc diſcurrebat. Hinc corrige Savarianam editionem, in qua per *kaph* male ſcribitur انتكضت (*inthekadtho*) conſumptus ſum p.457. l.60

انقخ qui eſt exigui cerebri; Struthionis cognomen apud Arabes p.260.l.58

نقع *neke* vox ſtruthionis p.228.l.30

نقنق *naknaka*, ſtruthio fœmina glocitavit, cum ova poſuit, aut in fuga & metu: Unde ipſa vocatur نقنقة *nikni̇ka*, & mas نقنق *mknik* p.228.l.30

نكت *nachatha* haſta confodere, نكات *nacchath*, qui haſta confodit. Fortaſſe ex Hebræo נכאת *necoth* pro ſtyrace, quia ex ſtyrace arbore, ut Strabo autor eſt, fiunt *ſtyracina haſtilia, ut quæ ex corno fiunt ſimilia*. Itaque in Heſychio ςύραξ haſtam aut haſtæ partem ſignificat. Et ςυρακίζειν eſt pungere tanquam haſta vel haſtæ cuſpide p.533.l.14

نهر *nohar* in nugis Arabum animal in quarto cœlo, qui quotidie ſe excutit: Et ex excuſſionibus ejus exeunt ſeptuaginta guttarum millia. Ex his totidem Angelos creat Deus, qui circumſtant domum معمور *Mamur* p.856.l.5

نهار *nehar* pullus otidis, & ليل *lail* pullus perdicis. Quæ duæ voces cum diem & noctem vulgo ſignificent, in æquivocatione quidam Arabs poëta jocum quærens, dixit ſe medio die vidiſſe ليل *lail*, & media nocte نهار *nehar*. Quod ſic acceptum, quaſi dixiſſet ſe noctem medio die vidiſſe & diem media nocte p.283.l.56

نهيك *nahic*, quaſi tortorem dicas, pulicis inguinalis genus mulieribus maxime in Arabia valde moleſti, vide حرقوس *burkous*.

نوط appendere; Inde تنوط *thenavvout* avis quædam apud Arabes, quaſi penſilis dicta, quia nidum ſuum tenui filo ſuſpenditex arbore p.341.l.32

ناب dens caninus κυνόδους qui ניב *nib* Chaldæis. Radix Arab. نهب eſt canino dente lædere p.361.l.46

بنات وردان *Filiæ vvardan*, animalcula quæ Gr. κυζαρίδας nominat Dioſcorides, Marcellus Empiricus *curiones*, (nos *cloſportes* pro *cloſporcs*) p.230.l.62. Alii σίλφας ſeu blattas malunt; Alii denique gryllos p.616.l.11

الوشع *alvvoſo* domus araneæ p.610.l.55

الوصع *alvvaſa*, regulus avicula p.148.l.33

وكع de ſerpente pungere vel mordere, vide פרש.

الوهيسة *alvvahiſa*, locuſta cum cocta & arefacta contunditur, & cum adipe miſcetur, ut ſit pro cibo p.492.l.15

الهدهد *alhudhud* upupa à voce ſic dicta; Pro quo alaudam in Pandectario perperam legas p.345.l.54. & 349.l.9

هرمس *hirmis* هرماس *hirmas* & هراميس *haramis*, leonis validi ſpecies, qui in homines inſilit p.816.l.38. An is qui Græcè μύρμηξ, vel μυρμηκολέων ibid. l.45

الوطواط *alvvatvvât*, veſpertilio, qui alio nomine خفاش *chopphas* dicitur p.350 l.29

هامة *hama*, al. تدعي *iſada*, bubo: Avis in quam Arabes mutari fingunt animam ejus cujus cædes eſt inulta, & jugiter clamare اسقوني اسقوني *aſkuni*, *aſkuni*, id eſt *potate me*, *potate me*, illius ſcilicet ſanguine qui me interfecit p.850.l.40

VOCES GRÆCÆ

Quæ in ſecunda parte hujus Operis explicantur.

Ἀγαθοὶ δαίμονες in Phœnice & in Ægypto dracones dicti, ut docent Philo Byblius, Lampridius, Servius. Hinc Lucanus de draconibus, *Vos quoque qui cunctis innoxia numina terris &c.* Innoxia numina, id eſt ἀγαθοὶ δαίμονες etiam uno verbo ſcribitur Ἀγαθοδαίμων. Pro quo in Avicenna inter draconum ſpecies corrupte habetur اغاذانيمون *agadanaimon*, & in verſione multo corruptius *Albediſimon* p.429.l.45. & 49

Ἀγγαροφορεῖν onera ſerie per vices p.888.l.52

Ἄγχουσα *anchuſa* pro ἄνθουσα dicta (ut ὄρνιχες pro ὄρνιθες) à purpuræ lumine & flore, qui Græce vocatur ἄνθος. Eadem vocata eſt ποίφυξ, quia purpuræ concolor: Et κάλυξ, quo nomine marinam quoque purpuram vocari ſcribit Heſychius: Et ἀλκιβιάδιον ab Alcibiade in quo accuſabant veteres muliebrem purpurearum veſtium mollitiem. Anchuſæ radice mulieres genas purpuriſſabant, ſeplaſiarii unguenta colorabant, & lanam præparabant purpuræ infectores p.737.l.12

Αἴγωπες pro μέροπες ſcribit Ariſtophanis Scholiaſtes. Et Suidas Αἰγώποδας. Et Heſychio Αἴγωπες ὄρνεά τινα. Et de Eumelo dicit Boeus, *Apollo in avem mutavit* τὸν παρὰ μέροψι *puerum Æropum, qui nunc etiam ſubterra parit, & ſemper volatum molitur*. Quæ de merope dici palam eſt p.302.l.10. Itaque μέροπες etiam αἴγωπες, αἰγώποδες & αἴγωποι dicti. Sed proprie μέροπες, quia earum vox multiplicem capit partitionem, quod *zinzilulare* eſt autori Philomelæ ib. l.31

Αἰτὸς vel αἰετὸς factum ab עיט *ajit*, quod Hebr. avem rapacem ſignificat, p.165.l.3. Alii ab ἀΐσσειν, quod eſt cum impetu ferri & irruere. Sed res eodem redit. Nam fere id ipſum eſt Hebræum verbum העיט. à quo avis rapax עיט *ajit* dicta eſt p.170.l.40

Ἀγκυλοχείλης vocatur aquila quam Penelope vidit in ſomnis. Et dubitatur utrum ad labia ſeu roſtrum id pertineat, aut ad τὰς χηλὰς *ad ungues* p.165.l.22

Ἀθέρες ſpicarum capita in Æliano & Homeri Scholiaſte, quæ formicæ abſcindunt ne regerminent, vel potius ut granum è glumis eximant p.590.l.20. vide Ὄρυζα.

Ἀκίγμα, vide Γρῖφος.

Ἀκαταληψία Arceſilæ, quaſi incomprehenſibilitatem dicas, qualem profitebantur omnes Σκεπτικοί p.11.l.4

Ἀκέραιος non eſt *excornis* ut volunt, ſed *ſincerus* & *ſimplex*, quodque externum nihil habet admixtum, in Chriſti dicto Matth. 10.16. & Pauli Rom. 16.19 p.20.l.64

Ἀκρὶς locuſtis omnibus commune nomē Lev. 11.22. pro certa ſpecie videtur ſumi. Ἀκρὶς nonnullis, quaſi ἀκαρὶς, vel à parvo, vel à magno capite, prout *alpha* præfixum vel στερητικὸν vel ἐπιτατικὸν vim habet: Aliis, quia depaſcitur τὰς ἄκρας ſummitates ſpicarum & arborum: Aliis, quaſi ἀκρὶς ἀπὸ τοῦ κρίζειν τὸ ἰδίον. Vel eſt vox ficititia, quæ locuſtæ ſtridorem utcunque imitatur p.449 l.59.

Ἀκρίδες Joanni Baptiſtæ pro cibo in deſerto Judææ Hæ Ebionæis ἐγκρίδες, id eſt liba cum melle & oleo.

oleo. Aliis ἀκρόδρυα vel ἀκρέμονες, arborum & plantarum extrema. Aliis καρίδες ſquillæ. Aliis ἀχράδες pyra ſylveſtria. Nonnullis ἀκρίδες vel μελάγχρα herbæ genus, blitum vel rapunculus. Aliis aviculæ ἐρυθρόποδες. Aliis locuſtæ marinæ, id eſt κάραβοι. Qui omnes refelluntur, & locuſtarum eſum probatur in toto Oriente, adeoque in ipſa Judæa fuiſſe receptiſſimum p.488.l.11.&c.

Ἀκτέας φύλλα, quibus podagroſos caput cingere fingit Lucianus in Tragopodagra, ſunt folia ſambuci, quæ podagræ non parum proſunt. Quod cum neſciret interpres, ἀκτέας φύλλα male reddidit frondem Actæam p.33 l.15

Ἀκτὴ vocabatur Attica teſte Stephano, unde τὸ ἐθνικὸν Ἀκταῖος. Inde mel Actæum pro Attico in horto Columellæ. Et Ἀκταίης ὄζον ἐλαίης Actææ ramum olivæ dixit Nonnus lib.27. Et ſilurum in Moſella ſua deſcribit Auſonius velut Actæo perductum tergora olivo. Sic in Ovidio deſcribitur pax Frondibus Actiis compta redimita capillos. Ita enim legendum, non Actiacis, ut habent omnes editiones in quas incidere licuit p.32.l.64

Ἀλαβάρχης Alexandriæ, vox ſemiægyptia in Cicerone, Juvenale & aliis p.888 l.53

Ἀλιπόρφυρος & πορφυροῦς cum opponuntur, ut in Polluce, illud marinam, hoc vulgarem purpuram ſonat, quæ diverſæ fuit materiæ p.738.l.65. Neque aliter differunt Σαρδιανοῖς πορφυροῖ & ἁλουργοῖς in Demetrio Epheſio p.737.l.1

Ἀλκιβιάδιον, vide Ἄγχουσα.

Ἀλκυὼν & ἀηδὼν, id eſt halcyon & luſcinia, licet voces ſcriptura non parum diſſimiles, tamen à librariis non raro confunduntur p.218.l 62

Ἀλυβάζειν, alere, in veteri Muſæi carmine de aquila, ἔτρεφε μὲν ζῷον, δύο δ' ἐκλέπει, ἓν δ' ἀλυβάζει. Ita citat Plutarchus in Mario, ſed Philoſophus, ἓν δ' ἀλεγίζει, unum curat, p.178 l 44

Ἀλφὸς & λευκὴ vocatur lepræ macula ab inſigni albedine p.694.l 10

Ἀνθηρὸς, id eſt floridus, dicitur color qui maxime rubet. Proinde ἀνθηρὸν vocant τὴν σανδαράχην, ut eſt in Heſychio. Et ἀνθηρὸν χρῶμα Dioſcoridi eſt color ſandarachinus p.695.l.27

Ἀνθρήνη crabro & σφὴξ veſpa, nonnihil differunt, quia crabro veſpa major eſt, atque alvo minus gracili. Tamen fere promiſcue ſumuntur p.534.l.62

Ἀνόπαια in Homero avis eſt, ut quidam tradunt, ex aquilarum genere, oſſifragæ ſimilis. An hæc eſt Hebr. אנפה anapha. p.339.l.66

Ἀντᾴδειν recanere in ſerpente eſt contrario ſibilo incantationem repellere p.390.l 72

Ἀποκιδαρώσειν, cidari nudo Levit. 10.6. vox ſemiperſica p 888.l.48

Ἅπτεσθαι ἀνθρώπου hominem invadere (Gall. haper) unde ἧψατο & καθῆψεν, quomodo legit Chryſoſtomus pro καθῆψε Act. 28.3. Vide Καθάψαι.

Ἀργόλαι in Suida ſerpentes argola dicti, quod ex Argo Pelaſgico in Ægyptum ab Alexandro tranſlati ſunt, ut aſpides interficerent. Fabula ex eo nata quod locuſta ὀφιομάχης Hebr. dicitur חרגל hargol vel argol aſpiratione dempta ut paſſim. Sed pro locuſta ὀφιομάχῳ in Argo fuit locuſta σκορπιομάχος, de qua Philoſophus in Mirabilibus p.449.l.35

Ἀργύριον argentum Græce dicitur παρὰ τὸ ἀργὸν, τὸ λευκὸν, à candore. Unde argentea vocantur quæ maxime candent. Ἀργυρόπεζα Θέτις Homero, id eſt λευκόπους. Et κρήνη ἀργυροειδὴς, id eſt λευκὰ ῥεύματα ἔχουσα in Heſychio. Sic Virg. argenteus anſer. Et Pſ 68.14. ala columba argento obducta p.9.l.18

Ἀρχιφερεκῖται, qui publicis lectionibus in Judæorum Synagogis præſunt, quia in פרקים perakim, vel ἀρχαικοῖς pherekim, diſtinguunt quæ legenda ſunt. Juſtiniani vox eſt ſemihebræa p.888.l 59

Ἀσίρακος Dioſcoridi locuſtæ ſpecies circa Leptim Africæ ἄπτερος & μεγαλόκωλος, ſine pennis & magnis cruribus quæ Græce quidem ὄνος dicitur, ſed incolarum patrio ſermone, id eſt Punico, ἀσίρακος. Unde factum unius literæ trajectione Talmudicum אסקרא askra p.450.l.20. Thomas à Novaria Syriace perperam ſcribit per dolath ܐܣܟܕܐ askeda pro askra, & Arabice reddit المذنب locuſtam caudatam p.450.l.20

Ἀσπὶς. aſpis quæ dormire ſolet in plures circulos convoluta. Item clypeus Argolicus, qui rotundus eſt, cum umbilico in medio. Cujus formam cum ſpiris ſuis & capite medio aſpis exprimat, dubitatur an clypei nomen ἀσπὶς à ſerpente ſit ductum, aut ſerpentis à clypeo, p.380.l.30

Ἀσσάριον Matth 10 29. Chriſtus dicit duos paſſeres aſſario vendi. Et Luc, 12.6. quinque paſſeres duobus aſſariis venire. Et in Avibus Ariſtophanis graviter queruntur aves de quodam Philocrate, qui τοὺς σπίνους fringillos ſeptem vendebat uno obolo, id eſt duobus aſſariis quod ex Polybio probatur p.158.l 60. ubi dimidium aſſarii eſt oboli quarta pars. Porro paſſer & fringillus ſunt aves ſingillimæ, & fere ἰσότιμοι p.159.l.1

Ἀττέλεβος vel ἀττέλαβος locuſtæ ſpecies Levit. 11. 22. ἀπὸ τοῦ ἄττειν à ſaliendo dicta, ut apud nos ſalterella. Vel pro ἀστακὸς, quo nomine locuſtam marinam vocant, Gall. homar p.449.l.1

Ἀττέλαβος Latinis Patribus medius eſt inter bruchum & locuſtam. Bruchus enim nondum eſt alatus, & attelabus nonniſi modicas habet alas, & volitare primum incipit, p.447.l.47. Sed apud vetuſtiores, ut Ariſtotelem & Plutarchum, attelabus non poteſt eſſe immaturus locuſtæ fœtus, cum attelabi partus atque ovorum non ſemel meminerint. Tamen Heſychio ἀττέλεβος, ἀκρὶς μικρά. Et Plinius: Locuſtarum minima ſine pennis, quas attelabos vocant. Proinde Nahum 3.7. attelabo ſaltus non volatus tribuitur. Et fortaſſe ἀττέλαβος pro ἀττέλαφος à ſaltu cervi dictus eſt. Ἄττειν enim ſalire eſt. Sic inter locuſtas Talmudicas una dicitur קמצא אילא, quaſi ἀκριδέλαφος aut cervilocuſta p.448.l.29

Αὐτόνομος Græce idem eſt quod ἐλεύθερος. Et ſervituti opponitur αὐτονομία p 53.l.8

Ἀφάπτειν appendere aut ſuſpendere, vide Καθάψαι.

Ἄχαρος locuſtam Cretes vocant in Heſychio p. 450. l 44

B & Φ vel F. literæ permutabiles p.588.l.11

Βαιοφόρος ἡμέρα in Joſepho, feſtum quo ferebantur rami palmarum, vox ſemiægyptia p.888.l.56

Βατιακαὶ Batiacæ, ampla Darii vaſa ex ære tam pretioſo ut ſolo viſu non poſſet ab auro dignoſci. Sic videntur appellatæ à forma cucurbitæ, quæ Chald. בטיח batiach dicitur, ut Arab. بطيخ batich p.878.l 3

Βάτραχος rana, quaſi βοάτραχος, ab aſpera voce dicitur, p.651.l.3

Βδέλλα hirudo, παρὰ τὸ βδάλλειν τὸ ἀμέλγειν ab exſugendo. A mutatum in E, ut in Attico λέως pro λαός p.797.l.17

Βήσαλος proprie later beſſalis, deinde quivis later, p. 614.l 30

Βίβλιοι pro Gibliis Græci dixerunt Ezek 27. 9. Et τύχλον pro תכלה techla Poetæ τίτορες pro τέτταρες Æolus πέμπε pro πέντε. Romani lilium pro λείριον, purpuram pro πορφύραν, poſam pro φῦκος (quomodo Æoles φῦκον vocabant) Et recentiores bebrum pro fibro. Ita literæ ſæpe permutatæ ſunt, ut conjunctis ſyllabis ab eadem aut ſimili litera fieret initium 739.l.59

Βλάτας Heſychio ſcorpius terreſtris p.635.l.67

Βλίσαι apes fumo ex alvearibus expellere p.508. l. 30

Βλίττειν proprie ἐκπιέζειν μέλι mel exprimere ut exponit Ariſtophanis Scholiaſtes nondum editus in Ariſtophanis Lyſiſtratam p.536.l.58

Βομβύλιοι, veſparum genus in quibus reperitur mali cujuſdam mellis rudimentum autore Philoſopho. Et in crabronis favis idem teſtatur mellis guttam ineſſe. Itaque veſparum & crabronum mellis meminerunt Ariſtophanes, Ovidius & Talmudici p. 536.l.42

Βύτορος, Heſychio ἐμπὶς culex paluſtris, p. 566. l. 51

Βρίταρα φοβερὰ parva locuſta in Creta p.450.l.45

Βρόμος ſonus, & βρῶμος fœtor, unde βρωμώδης paſſim pro fœtido & viroſo. Sed hoc ultimum etiam per omicron ſcribitur in Dioſcoride, Athenæo & Heſychio. Ita etiam in Græca verſione Joel. 2.20. Ἀναβήσεται ὁ βρόμος αὐτοῦ Aſcendet fœtor ejus, non ſonitus ejus, ut multi reddunt, p.481.l.11

Βροῦχος bruchus, juxta Latinos patres, Hieronymum, Auguſtinum, Gregorium, Iſidorum, Remigium Altiſſiodorenſem, eſt locuſtæ fœtus & rudimentum, cum nondum habet alas; ut attelabus, cum modicis alis tantum volitat. Et locuſta, cum plene volat, p 447.l.45. Quod mirum, cum in Vulgata legatur Nahum, 3.16. bruchus avolaſſe, ut in Græco. Et Levit. 11.22, cenſeatur inter locuſtas volucres. Proinde volatum & alas Græci Patres brucho tribuunt. In his Cyrillus & Theodoretus. Quin hic bruchum diſtinguit à fœtu locuſtarum. Et Græci interpretes bruchum à vulgari locuſta non diſtinguunt ætate, ſed ſpecie Lev. 11. 22. Sed varius fuit vocis uſus, ut ex Theophraſto & Heſychio colligitur. Βροῦχος Heſychio Βρεῦκος, παρὰ τὸ βρύκειν τὸ λάβρως ἐσθίειν vide p 447. l.66.

Βρῶσις tinea Eſ. 50.9. in Aquila, & Matth. 6. 19. Pro quo βρῶμα Baruch 6.11 p.615.l.46

Βύας bubo, Arab. البوم albubo p.286.l.40

Βούζα culicis nomen recens apud Moſchopulum & alios, factum ex Arabico بعوضة baüdſa p. 562.l.63

Γαζοφυλάκιον ſacrum ærarium, & ei præfectus γαζοφύλαξ vox ſemiperſica, p.888.l.49

Γλάνις glanis, piſcis ſiluro ſimilis circa Mæandrum. Unde factum ut plerique glanidem cum ſiluro confunderent. In his Plinius, Gaza, Bellonius, Græci quoque recentiores, qui tam ſilurum quam glanidem communi nomine γλάνιον vocant, p. 750.l.56

Γρῖφος quid ſit, & ab eo quid ænigma differat, p.522. l.69. & 523.l.1

Γρὺψ, avis aurita, quadrupes, roſtro & alis aquilæ, lupi vel pardi corpore, leonis unguibus, apud Indos vel Arimaſpos auri cuſtos, fabuloſum eſt animal, p.811.l 48. Sed γρὺψ in Seniorum & Hieronymi verſione, videtur eſſe γυπαίετος, id eſt aquila major, quæ roſtrum & ungues habet magis aduncos De ea poſt Æſchylum Ariſtophanes, p.812. l 17

Γυρὸς gyrus. Inde γυρῖνοι dicuntur informes ranunculi, quia ſunt rotundi prorſus, antequam pedes habeant. Sed pro gyrinis Jones γέρινοι vel γερῖνος dicunt, quomodo in Nicandro legitur, qui fuit Colophonius. Et in Erpeniana Pentateuchi paraphraſi جران giran ſunt ranæ, voce niſi fallor inde facta, quam alibi non reperio p.653.l.70

Δὶξ vermis in ligno. Unde Heſiodo ἀδιξόπεστος dicitur ſylva quæ hujuſmodi vermes non gignit p. 627.l.2

Διαπόρφυρος purpureis vittis ornatus, p.738.l 70

Διαφανὴς τῇ φύσει natura pellucida legitur eſſe margarita in Theophraſto. Nempe corpora duobus modis ſunt pellucida, perfecte vel imperfecte. Perfecte, cum omnes colores tranſmittunt, imperfecte, cum ſolam lucem Priore modo pellucida ſunt cœlum, & præter terram reliqua elementa, vitrum, cryſtallus, metallum gypſinum, obſidianus lapis, ſpecularis, & ſelenites, qui hodie talchus vocatur. Poſteriore cornu, lapis phengites, alabaſtrites, murrhina vaſa; margaritæ &c. p.690.l.73.& 692. l.10

Διαφωνεῖν perire, ut Pſ. 58.9. in Symmacho διαφωνήσει, διαφωνοῦν diſſolutum partu Et Seniores Ezek. 37.11. Ἀπόλωλεν ἡ ἐλπὶς ἡμῶν, διαπεφωνήκαμεν. Periit ſpes noſtra, Periimus: Ἀπολώλαμεν, ut Heſychius optime reddit, p.646.l.58

Δίκη, Juſtitia Dea, aliis Aſtræa, Nemeſis, Themis, Erigone, Adraſtia Act. 28.4 p.371.l 63. In Ægypto Dike Dea aſpide uti credita ad impiorum ultionem, p.372.l.67

Διπλόη quid ſit in ſcorpionis aculeo apud Ælianum & Nicandri Scholiaſtem p.638.l.5

Δίκρος, culex ex pinu naſcens p.569 l.28.& 35

Δεραλικὸς in Homeri Schol. de aquila, forte pro Δοραλικὸς p.174 l.23

Δρίμυλλος vel Δρίμυλος in Plutarcho de fluviis, Chryſermo & Stobæo, mons prope Euphratem in quo naſcitur lapis ſardonychi ſimilis. Hebr. דרומילום dromilos dumetum, deflexum ex Gr. δρυμὸς p.700 l. 37

Ἐγχρίμπτειν vel ἐγχρίπτειν τὸ κέντρον aculeum infigere, ſcorpionem poſt Megaſthenem dicunt Pollux & Ælianus. Unde κέντρου ἐγχριμφθεὶς in Andrea Cæſarienſi, voces hactenus à Lexicographis omiſſæ p.639 70

Ἐκκωφεῖν ut ἀποκωφοῦν aures obtundere. Unde eleganter Theocritus de garrulis mulierculis, τρυγόνες ἐκκναισεῦντι turtures obtundunt, Nec debuit vir magnus hanc lectionem ſollicitare, p.55.l.40

Ἐμπίδες culices in aquoſis locis naſcentes, qui Hebr. יתושים jattuſim p.565.l.59.& 566.l 9

Ἐναύειν ignem ſuccendere, cujus fumo pellantur apes, p.508.l 33

Ἐνάψας cum ſe alligaſſet, vide Καθάψαι.

Ἐννέα novem Græce pro multis, non præciſe pro novem. Ita in Nicandro ſcorpionis σφόνδυλοι εἰνάδερμοι, vertebra novem juncturis connexa, cum ſolum ſeptem habeat. In Heſychio εἰνάκροσσος, novem habens fimbrias, id eſt multas. In Arato ἐννεάγηρα κορώνη, novies vetula cornix, id eſt πολύγηρα. Et Callirhoe fons Athenis ἐννεάκρουνος dictus, cum re vera fuerit δωδεκάκρουνος. Et Timavo amni poëta tribuit ora novem, cum non habeat niſi ſeptem p 617 l 10

Ἐξαρτᾶν appendere, vel ſuſpendere, vide Καθάψαι.

Ἔποψ upupa nomen à ſua voce. Varro recte deducit. Videtur enim *epop* vel *upup* ſemper ingeminare. Hinc habetur in fabulis Tereum in upupam mutatum clamaſſe πῦ, πῦ ἢ *ubi*, *ubi?* ut inſequentes ſolent, cum Prognen & Philomelam inſequeretur Sed male Iſidorus, *Vpupam appellant, eo quod ſtercora humana conſideret*, p.348 l.58

Ἐποφθαλμιᾶν de libidinoſo aſpectu uſurpat Ælianus, quia *oculi ſunt in amore duces*, & ἐκ τοῦ ὁρᾶν γίνεται ἐρᾶν, *ut vidi, ut perii*. Unde Joannes, ἡ ἐπιθυμία τῶν ὀφθαλμῶν. Et Petrus, ὀφθαλμοὺς ἔχοντες μεστοὺς μοιχαλίδος p.11.l.35

Τὸν ἐρέβινθον καὶ τὸν λάθυρον, *cicer & cicerculam* nonnullis fuiſſe cibos vetitos & exoſos ſcribit Plutarchus, tanquam ad Erebum & Lethen inferorum amnem alludentes p.49.l.17

Ἐρεβίνθιος Διόνυσος, *cicerinus Bacchus*, dictum de rebus nullius pretii, p.49.l.10

Ἐρινεὰ, ficus ſylveſtres, vel ficus quævis immaturæ. Unde hæc Theophraſti: Καταβιβρώσκεται τῶν ἐρινεῶν ὑπὸ τῶν ἀττελέβων Plinius ita reddidit, *Deroſa à locuſtis ficus*. Sed hodie pro τῶν ἐρινεῶν perperam legunt τῶν ἔργων p.469.l.22

Ἐρωδιὸς *ardea* dicitur quaſi Ἑλωδιὸς, quia ταῖς ἑλώδεσι τόποις locis paluſtribus maxime delectatur. Alia hujus nominis origo valde coacta, p.323.l.23

Ἐρυσίβη rubigo, morbi ſegetum, p.466 l.6

Ἐασσὸν rex apum, Arab. يعسوب *jiaſub* p.460.l.24

Ἐχινομήτρα major echinus, vide ὀρτυγομήτρα.

Ζύγαινα, *zygæna* piſcis ἀπὸ τοῦ ζυγοῦ dicitur, ſive jugum intelligas quod tranſverſum boum collis imponitur, aut tranſverſum libile ex quo lances dependent. Utrumque enim monſtroſa capitis forma zygæna refert p.746.l.46

Ζώπυρος veſpæ genus in Epiphanio, quæ Chald. זבורא *zibbora* dicitur, ut Arab. زنبور *zanbur*, p.414.l.37

Ἤλεκτρον apud veteres tria ſignificat 1. ſuccinum, 2. metallum ex auro & argento conflatum, 3. lapidem cryſtallinum p.872 l.71

Ἤλεκτρον Homerus & alii veteres pro cryſtallo uſurparunt, p.872.l.55

Ἤλεκτρον vocatur aurum argento mixtum, cum quinta argenti portio eſt p.871.l.74. Alii electrum fieri dicunt de tribus auri partibus, & argenti una p.872.l.6

Ἤλεκτρον vocantur καταχρηστικῶς multa metalla ſimul conflata p.872.l.7

Ἤλεκτρον in Græca verſione Ezekielis, neque ſuccinum eſt, neque cryſtallum, ſed metallum ex auro & argento conflatum p.875.l.33, & 876.l.21

Ἡμίονος piſcis cotacinus in Athenæo, vox ſemiægyptia, p.888 l.55

Ἡμιτύβιον in Polluce veſtis genus, vox ſemiægyptia, p.888, l.55

Ἡμιφαρώνιον in Polluce veſtis genus, vox ſemiægyptia p.888.l.55

Ἤπιος de nutrice erga parvulos ſuæ curæ commiſſos ab Ariſtotele dictum, & à Paulo Apoſtolo p.319.l.39.&c.

Θηρίον non ſolum beſtiam in genere, ſed & ſerpentem ſeu venenatam beſtiam ſignificat. Unde θηριόδηγμα, & θηριόδηκτος de eo qui a ſerpente morſus eſt. Et θηριακὰ φάρμακα quæ venenatis proſunt. Et terra θηριοτρόφος quæ multos alit ſerpentes. Et Marſi θηριοτρόφοι, quia ſerpentibus veſcuntur. Et σύριγμα θηριῶδες, quia ſerpentum ſibilum imitatur, p.371.l.32

Θρὶψ ligni vermiculus, à quo eroſa ligna Lacones pro ſigillis habuerunt p.626.l.65

Θυλακοτρὼξ, mus, item locuſta quæ rodit culeos p.450.l.45 (599.l.59

Ἴδρις, id eſt docta & perita, formica cur appelletur, p.

Ἱέραξ accipiter Soli vel Apollini ſacer propter motus celeritatem, & ratione etymi. Dictus enim eſt ἱέραξ, quia ἵεται ῥᾷον, *it facile*, p.267.l.20. Cui tamen etymo Virgilianum præferimus. *Quam facile accipiter ſaxo ſacer ales ab alto. Sacer ales*, id eſt ἱέραξ. Hinc accipitres Demetrius in Hieracoſophio appellat *ſacras aves*. Et nominis rationem Servius notam eſſe ait ſacrorum peritis. Nos ad Ægyptiorum ſuperſtitionem referimus ibid.l.30. Cur *Sacrum* hodie cenſeant inter accipitrum aut falconum ſpecies, vide in صقر.

Ἱέραξ ratione molis in duas ſpecies dividitur. Major ὁ φασσοφόνος *palumbarius*, minor ὁ σπιζίας *fringillarius* p.268.l.70

Ἰλύσπασις & ἰλύσπασμα dicitur hirudinis greſſus, ἀπὸ τοῦ ἰλυσπᾶσθαι, quaſi dicas *volutim trahi*, quia poſtquam priore parte proceſſerunt, poſteriorem ad illam ſe convolvendo trahit, ita ut videatur arcuatim & annulatim progredi, p.798.l.19. Ita incedere lumbricos & hirudines obſervat Philoſophus. Quibus alii ſerpentes addunt ibid.l.32

Ἱμάντωσις *loramentum*, lignum quod inter juncturas ædificiorum eſt ad continendos parietes p.612.l.38 &c.

Ἰξὺς *lumbus*, in Pariſ edit. Jud.14.8. Ἐκ τῆς ἰξύος τοῦ λέοντος ἐξεῖλεν τὸ μέλι. Lege ἐκ τῆς ἰξύος p.522, l.57

Ἰοζυλάπιον *Zulapium* vel *gialeb* ex violis, vox ſemiarabica in Symeone Sethi p.888.l.67

Ἶπες vermes vitibus infeſti, propter quos interemptos Hercules ab Erythræis dictus eſt Ἰποκτόνος. Dicuntur ἀπὸ τοῦ ἴπτεσθαι *lædendo* p.500.l.70. Vide Κνίψ.

Ἶπες Jonibus ἶκες, ut κῶς & κοτὲ pro πῶς & ποτὲ. Inde Ἴψ Heſychio Ἴξ p.571.l.44. & p.622.l.60

Κάβος *cabus* menſuræ genus ut Hebr. קב *kab*, Heſychio Philoxeno, Suidæ, Etymologo, Phavorino p.42.l.23 Hinc in Polluce κόβαλος, in Heſychio κόβαλος vocatur qui cibo expleri & ſatiari non poteſt. In Suida male κάβαλος p.43 l.49

Κάβος in Heſychio μέτρον σιτικὸν καὶ οἰνικὸν menſura tritici & vini. Male: Cabus enim ſolum tritici, non item vini menſura eſt. Legendum igitur, κάβος μέτρον σιτικὸν καὶ κάδος οἰνικὸν p.43.l.57

Κάδον eſſe vini menſuram, ut κάβον tritici probatur p.43.l.67. Ibid l.71. Hedyli epigramma à viro docto ridicule redditum. Κάδος Hebr. כד *cad*, ut κάβος Hebr. קב *kab* p.44 l.7.

Καθάπτεσθαί τινος, mordere aliquem cavillis aut dicteriis, vide Καθῆψε.

Καθημένη νυκτερὶς *ſedens veſpertilio* quomodo dici poſſit p.349 l.58

Καθῆψε τῆς χειρὸς αὐτοῦ Act.28 3. *manui ejus ſe alligavit* p.369.l.48. Alii *invaſit, pependit, momordit*. Sed καθάπτειν eſt illigare, ibid.l.50.& p.370.l.2. Unde Proverb. Καθαπτὰ λύεις, *Ligata ſolvis*. Ἔναψας ὁ ἔχις Baſilio idem. Sed ἀφάπτειν & ἐξαπάπτειν eſt *appendere*. Et in Paſſivo καθάπτεσθαί τινος *mordere aliquem*, non tamen dentibus ſed cavillis, p.370.l.17. &c. Et καθῆψε idem quod ἧψε *invaſit* ibid.l.35

Καλαμίνδαι Corynetæ in Cypro vocabant parvas cicadas, 450 l.8

Κάλχη floris genus ad tingendum aptum. Unde κάλλαια gallorum paleæ ſeu barbæ, & purpurea quævis Ita multi veteres p.730.l.40. Tamen aliis *Callainus* color idem eſt cum Veneto, ibid l.66. Et Epiphanio ὑακίνθινα ſunt καλλάινα, ibid.l.32. Nempe utraque vox eadem homonymia laborat. Κάλλαια etiam Ægyptiis τὰ πορφυρᾶ *purpurea*. Unde contractum eſt Æthiopicum ለይ: *laia* pro purpureo vel coccineo p.730.l.52

Καλλιώνυμος *Callionymus*, marinus piſcis vix pedalis magnitudinis, piſciculis veſci ſolitus, quos apophyſi quâdam ex ore demiſſa venatur in ranæ modum. Itaque magno errore Valleſius, & multi alii illum ſequuti, Tobiæ piſcem habuerunt pro callionymo, cum Tobiæ piſcis fluviatilis fuerit, & prope Ninum in Tigri captus procul à mari. Et magnæ molis, nec minoris audaciæ: Ut qui Tobiam aggredi non timuerit, adeoque non parum terruerit, p.749.l.6. Callionymus aliter vocatur οὐρανοσκόπος, quia cum oculos habeat in ſuperna parte capitis cœlum etiam invitus intuetur. Atque hoc pulchrum illud nomen eſt unde vocatur *callionymus*.

Καλομάζαλος Græcis recentioribus qui ſub bono ſydere natus eſt, ut κακομάζαλος qui ſub malo, quia Hebræis מזל *mazal* eſt ſydus p.888.l.63

Κάλυξ, vide Ἄγχουσα.

Κάλχη purpura in Lycophrone & Nicandri Alexipharmacis, ubi κάλχη Scholiaſti eſt purpuræ flos, vel animal quo tingitur. Unde Polluci καλχαίνων tingens p.736 l.30. Scribitur etiam χάλκη &, κάχλη de quibus infra.

Κὰρ vel ἐγκὰρ pediculus, quia eſt in capite. Homerus, Τίω δέ μιν ἐν καρὸς αἴσῃ vel ἐγκάρου αἴσῃ, *non pluris illum facio quam pediculum* p.386.l.18

Καρακάξα pica Græcis recentioribus p.298.l.18

Κάρταλος in Sirachide, cavea in quam perdix venator alios perdices illicit. Heſychius, Κάρταλον, τὸ πλεκτὸν ἀγγεῖον, ἐν ᾧ τοὺς ὀψαρτυτικοὺς κλωβούς. Lege Κάρταλον pro Κάρζαλον, & πηκτὸν pro πλεκτὸν, ut in Ariſtotele, & κλουβὸς vel κλωβὸς, pro κλοβὸς p.90.l.2

Καρυκοειδὲς ſatur de colore quid ſignificet, v. in σάνδυξ.

Καταγρυλλίζειν loquacitate ſua aliquem obtundere: Vox ἀπὸ τῶν ἀκρίδων à locuſtis formata, de qua Heſychius in Καταγρυλλίζει, ubi καταλαλεῖ perperam pro καταλαλεῖ p 474 l.33

Καφουραλαιον *oleum camphora*, vox ſemiarabica in Symeone Sethi p.888.l.66

Κάχλη purpura (ut κάλχη) ex Chald. תכלא *tichla* vel *tachla*, quomodo κιβωτὸς arca ex תיבות *tibus*. Indidem κόχλος & κογχύλιον p 739.l 44 Vide Βόλινθ.

Κιντηνωρεος, ἱπποκιντωρος, id eſt κέντορες ἵππων *ſtimulatores* vel agitatores *equorum*, quod in Homero frequens. Ex κέντωρ factum κένταυρος, ut ταῦρος ex תור *tor*, γαῦλος ex גל *gol*, Τάναϊς ex Ægyptio Θωθ p.839.l.20

Κέπφος avis, quæ aliis λάρος, quamvis eas diſtinguant Ariſtoteles & Nicandri ſcholiaſtes, utut valde ſimiles. Utrique videtur commune nomen Hebr. שחף *ſchaph* à rabe ſumptum, cum avis utraque ociciibatur fere carnis expers, ac ſi ſit tabe conſumpta. Marinæ ſpumæ elu delectari dicitur, & per eam à piſcatoribus ineſcari. Unde Κεπφωθεὶς deceptus, ineſcatus Prov.7.22. In Heſychio ἐπαχθεὶς; ſed legendum ἐπαχθεὶς p.264.l.61.

Κερκώπη *Cercope* in Athenæo animal ſimile τέττιγι καὶ τρυγόνι *cicade & turturi*. At cicada & turtur toto genere differunt Nec poteſt unum animal utrique eſſe ſimile. Et quicquid hic afferunt viri docti meræ nugæ ſunt. Sed pro τρυγόνι legendum τεττιγονίῳ, quomodo minores cicadas vocat Ariſtoteles & Plinius p.55.l.71

Κήλας Indicus onocrotalus in Æliano, qui videtur ſic dictus, propter κήλην ſeu βρογχοκήλην, id eſt tumorem quem habet in gutture p 275.l.41

Κικι Ægyptiis, idem quod Jonæ קיקיון *kikajon*, & Talmudicis קיק *kik*. Aliis κρότων ricinus; In officinis *palma Chriſti* p.293.l.11

Κικκαβαῦ vox noctuæ Ipſa dicitur κικκαβὰ, κοκκαβὰ κικυμὶς. Unde κικυβώδεις glauci piſces, quia τῇ γλαυκὶ, id eſt noctuæ concolores, p.187 l.52. Vide Syr ܟܘܟܒܐ *Cocabi*, & Lat *Cucubare*.

Κίσθος vel κίσσαρος per *tineta* ſcribitur in Plinio, Galeno, Paulo Ægineta, Aetio & Heſychio. Solus Dioſcorides κίσθον habet per τὸ. Chaldaice dicitur כישת *keſeth*, quod pro coſto perperam ſumitur. In eo naſcitur ladanum p.803.l.13

Κλοβὸς vel κλωβὸς potius, aut κλουβὸς (Hebr כלוב *club* Jer.5.27.) cavea in quam aves illiciuntur, in Oppiano, Philoſtorgio, Heſychio, Suida, Philoxeno, Nicephoro, Cedreno p 90.l.21

Κνὶψ vel σκνὶψ culex naſcens ex ulmo, quercu & ficu p.569.l.30. & 70. In Heſychio mendoſe Κνὶξ p.570.l.20. In Galeno vermes vitibus infeſti male vocantur σκνῖπες pro ἶπες p.571.l.31. Græca verſio σκνῖπας habet pro כנים *cinnim* ſeu pediculus in Exodo & Pſalmis ibid.l.41

Κοιλία ἀπὸ τοῦ κοίλου denominatur, & alvus quaſi alveus p.42 l.46

Κοκκοβὰ, vide Κικκαβαῦ.

Κόκκος βαφικὴ coccus tinctorius eſt frutex parvus ſurculoſus, cui grana & lentes adhærent, *Cuſculia* vocat Plinius. Ea grana ſcatent intus minutis vermiculis quorum ſanies tingendo coccineo præclara eſt. Hinc vermiculum pro ipſo cocco dixerunt p.624.l.51

Κοκκύζειν gallorum proprium, ut ex Ariſtophane, Ariſtotele, Theocrito, Luciano & Æliano conſtat. Eſt enim ficticia vox, ut vernacula *Coq* pro gallo, quem nos a cantu ſic appellamus, p.112.l.16

Κόνις lens, lendis, ovum pediculi, Plurale κονίδες, p.575.l.4. & 578.l.46

Κοράκινον χρῶμα color coracinus ſeu corvinus, qui cum aliquo ſplendore eſt nigerrimus, qualis eſt gagatis lapidis, aut noſtri ſerici villoſi. Quem colorem lanis tribuit Strabo circa Laodiceam Phrygiæ. Itaque Apuleius laudat capillum corvina nigredine cœrulum, id eſt κυάνεον. Vide & Cant. 5. 11. ubi Solomonis antiæ nigræ ut corvus p.199.l.12. Hunc colorem in capillis maxime placere, & ſummo ſtudio affectari. ibid.l.18

Κορακίζειν obnixe rogare voce à corvis ſumpta p.204 l.60

Κόρνοπες, Oetæorum locuſtæ, unde nomen Herculi Cornopioni, qui eas pepuliſſe creditus eſt, p.450 l.3. & p.500 l.69

Κοσκύλια, cuſculia Plinio, grana cocci tinctoria, quæ è cortice eraduntur, Græce enim κοσκυλμάτια eſt excreſcentes minutias reſecare. In iis granis naſcuntur vermes ex quorum ſanie fit coccineus color p.624 l.54

Κουκουβὰ & κουκουβάιαι, vide Κικκαβαῦ.

Κουκουφὰ Ægyptium upupæ nomen, cui ſimile Syrum in Ferrario ܟܘܟܦܐ *kukupha*. Et ab Hebræo דוכיפת *duchiphath* neutrum abludit p.348.l.63

Κουράλιον *curalium* vel *corallium* dicitur ἀπὸ τῆς κουρᾶς a tonſione, quod in mari prædatur, ac veluti tondeatur p.701 l.16

Κρεον

Κρότων *ricinus* ad canis aures potiſſimùm ſe applicat, ut ſanguinem inde exſugat, unde vocatur ab Homero & aliis κυνοραιστὴς, pag. 553. l. 50. Etiam κρότων ſeu ricinus vocatur κικι Ægyptium de quo ſupra, quia ſemen ejus cortice denudatum ricino animali eſt ſimile

Κυνόμυια vel κυνάμυια maxime impudentiam ſonat, quia eſt conflata vox ex cane & muſcâ quibus nihil impudentius. In Deorum contentione apud Poetam Mars & Juno Minervam hoc convitio excipiunt p. 551. l. 72. Sed & in Græca verſione κυνόμυια canina muſca eſt. Muſcæ genus eſt tabano non abſimilis, ſic appellatæ quia canibus imprimis eſt infeſta. Quin ipſa etiam canis à Luciano vocatur pag. 552. l. 27. Is proinde non aſſentior qui κυνόμυιαν mutant in κυνόμυιαν vel κοινόμυιαν, ibid. l. 54. Arabice dicitur شذا à nocendo & شعرا quia hirſuta p. 553 l. 30. Turpi errore quidam cum ricino confundunt, qui non eſt muſcæ ſpecies ſed pediculi, ibid. l. 45. In verſione Pſalmorum Syroarabicâ Romæ excuſâ, κυνόμυια Arab. redditur الحرقوس *alhurkous*. Ita vocant Arabes pediculi genus in Arabiâ mulieribus maxime infeſtum de quo in Arabicis.

Κύψελοι *Cypſeli* aves dicuntur ἀπὸ τῶν κυψελίδων ab alveolis quos è luto ſibi conſtruunt p. 410. l. 10. Ut Eetionis filius Cypſelus dictus eſt ἀπὸ τῆς κυψέλης in quâ latens mortem evaſerat ib. l. 16

Κύων θαλάττιος canis marinus καρχαρίας dictus eſt ab aſperitate dentium & acumine p. 743. l. 27

Κώνωψ propriè eſt vinarius culex, qui ex vino aceſcente natus eodem alitur atque paſcitur pagin. 564. l. 58. Hebraice cur vocetur יבחוש *jabchus* p. 565. l. 23. Ab his cur dicta κωνωπεῖα pagin. 567. l. 55.

Κωρύκους à Macedonibus vocari aſperas quaſdam conchas Athenæus ex Hegeſandro docet. Et à Plinio muricum quædam genera *coicia* dicuntur vel *corycia*. Ad quas conchas Arabs Cebetis interpres inepte refert quod de Corycio antro dixerat Cebes p. 721. l. 38

Λάβραξ lupus piſcis, ἀπὸ τῆς λαβρότητος ab immenſa voracitate dictus, Græcis recentioribus λαύρακι. Italis *varolo* & Gallis *bar*, quaſi *varius* aut *variolus*, à varietate colorum. Quo eodem pertinet Arab. شبوط *ſabut* & Chald. שבוטא *ſibbota* pagin. 753. totâ.

Λαβύρινθος unde dicatur, vide in Σύριγγες.

Λάθυρος cicercula, vide in Ἐρέβινθος.

Λάμνη *lamna* & *lamia* dicitur marinus canis ἀπὸ τοῦ ἔχειν μέγαν λαιμὸν à gulæ vaſtitate p. 743. l. 28

Λεοντοφόνος Heſychio animalculum per Syriam oberrans. Significari puto culicis Meſopotameni genus leonibus infeſtum, Hebr. מפגיע *maphgia* dictum p. 792. l. 64

Λευκὸν album ἀπὸ τοῦ λεύσσειν à videndo, quia color eſt maxime conſpicuus. Inde Heſychio λευκὸν, λαμπρὸν, & λευκανθίζοντα, λάμποντα p. 682. l. 45

Λέων αἰόλος, *leo varius*, cenchrines ſerpens in Nicandro p. 376. l. 25

Λέων θαλάττιος *leo marinus*, inter aſtacorum genera p. 376. l. 13.

Λιθοκάρδιος Gr. immiſericors. An eo ſenſu dicitur crocodili cor eſſe firmum ut lapis? p. 784. l. 46

Λιθομάργαρον margarita dicitur à Græcis recentioribus p. 715. l. 19

Λυχνὶς vel λυχνίτης λίθος *Lychnis*, lapis qui noctu in cœnaculum illatus, ibi facis inſtar eſt, & convivis omnibus prælucet, pág 710. l. 2. &c. *Orphanum* vocant recentiores, ibid. l. 73. Lychnis in nido ciconiæ p. 328. l. 27. & 710. l. 33

Λωτομήτρα, loti majoris ſpecies. Vide ὀρτυγομήτρα.

M in B ſæpe mutari p. 588. l. 9

Μαδίζειν, ἀποβάλλειν τὰ πτερὰ, hodie μουτίνειν Gall. *muer* p. 165. l. 62

Μαιμακτηριὼν *Mæmacterion*, menſis Atticus, quem primum non eſſe ſed ſecundum Autumnalium menſium contra Gazam contendit Scaliger, & contra Petavium Samuel Petit. Id ex eo confirmatur quod Philoſophus grues è Thracia migrare ſcribit menſe Mæmacterione, & Ælianus medio Autumno p. 78. l. 12

Μάντις ἁ καλαμαία locuſta in Theocrito quæ aliis ἀρουραία, vates calamorum aut arvorum, quia calamis ſeu ſegetibus ſterilitatem præſagit pag. 450 l. 6.

Μάραγδος vel σμάραγδος, unde dicatur vide in Μαργαρίτης.

Μάραγνα pro equeſtri flagello uſurpatur à Platone Comico. Heſychio eſt μάστιξ, ῥάβδος, ταῦρεια. In Chaldæo & Syro *maragnin* vel *maragna* eſt pro Hebræo עקרבים ſcorpiones, in Roboami verbis, *Caſtigabo vos ſcorpionibus* p. 644. l. 52. *Marragna* forte id ipſum eſt, quomodo paſtum ſpeciem appellari ſcribit Gloſſator optimæ notæ p. 645. l. 2.

Μαργαρίτης, μάρμαρον, & μάραγδος, vel cum προσθέσει σμάραγδος à ſplendore nomen habent. Nempe μαίρειν & μαρμαίρειν ſplendere eſt, & μαρμαρυγὴ ſplendor p. 690. l. 31

Μάρμαρον *marmor* unde dicatur, vide ſupra in Μαργαρίτης.

Μάσσακες in Nicandro locuſtæ, παρὰ τὸ μάσσειν à *mandendo* ſic dictæ p. 450. l. 5

Μελάνδρυα ſalſamenta quæ ex thynni vel orcyni interiore pulpâ fiebant, quernis aſſulis ſimilia. Quod minus intellexiſſe videtur ſacri textus doctiſſimus interpres, cum de animali vivo dixit Job. 41. 14. *melandrya carnis ejus* p. 793. l. 63

Μέλι ἄγριον mel ſylveſtre quo Joannes Baptiſta victitabat, nonnullis herba quædam eſt aliter μελάγρια dicta vel τὰ μέλαγρα. Alii arbores in Judææ deſerto ſibi fingunt latis foliis, lactei coloris, & mellei ſaporis, quæ manibus confricata edantur, & hoc dici μέλι ἄγριον. Alii id ipſum manna fuiſſe quo Iſraelitæ per quadraginta annos paſti ſunt. Qui refelluntur p. 518. l. 62. &c.

Μελίκηρος favus. Vox non extat in Lexicis, ſed Theocriti Idyll. 20. Et Sirach. 24. 27. ὑπὲρ μέλιτος κηρὸν, (alii κηρῷ, alii κλήρου, alii κηρίον. alii κυρίου) fortaſſe autor uno verbo ſcripſerat ὑπὲρ μελίκηρον, voce ex Theocrito deſumptâ, qui paulo ante ſcripſerat, & in eâdem cum illo Ægypto. p. 524. l. 6

Μέροπες, vide Αἴροπες.

Μεσουράνημα medium eſſe cœlum nemo eſt qui neſciat; Tamen Apoc. 8. 13. ubi deſcribitur aquila volans ἐν μεσουρανήματι *in medio cœlo*, Syrus ad hoc verbum impingens, illi aquilæ ſanguineam caudam affingit, quaſi eam legiſſet ἐν μέσῳ οὐρὰν αἱματι ſupple βεβαμμένην ἔχων p. 169. l. 20

Μικρὸν βραχὺ & μετὰ μικρὸν quandoque in Evangelio latius extendi quam putatur, & horam integram ſignificare, aut etiam aliquanto plus p. 122. l. 23

Μήκων quæ purpuræ pars, vide in τράχηλος.

Μολουρίδες, locuſtæ genus in Nicandro p. 450. l. 5

Μολοχὰς alio nomine dicebatur Sardonyx, ut autor eſt Epiphanius. An hinc nata fabula de pretioſo illo Sardonyche in corona regis Ammonitarum, quorum Deus Moloch dictus eſt? p. 699 l. 20

Μονόλιθοι Gr. dicuntur eximiæ margaritæ, quæ Lat. *uniones*, Hebr. בדלח Arab. فريد & ...ر p. 679. l. 56.

Μουτίνειν Gr. recent. *muer* vide ſupra Μαδίζειν.

Μύαγρος, Μυίαγρος aut Ἀπόμυιος, ſive is Jupiter, aut Hercules, aut alius aliquis Deus fuerit à muſcis abigendis ſic appellatus p. 500. l. 17 Forte idem qui *Beelzebub*, id eſt *muſcarum Dominus* p. 499. l. 33

Μύκης capulus enſis. Inde Mycenæ dictæ, quia μύκης ſeu capulus harpes Perſei in vicinia cecidit ſuper montem Melanthidem p. 760 l. 59

Μύξα κοχλιῶν *mucus cochlearum aut limacum*. Plinio cochleæ ſpuma & ſuccus p. 649. l. 26

Μύρμηξ dici formicam veriſimile eſt, quaſi μέρμηξ vel μερμήρηξ, παρὰ τὸ μερμηρίζειν τὸ φροντίζειν, quia formica eſt animal ſollicitum, & de futuro valde anxium pag 588. l. 23. Μίρμηξ & μύρμηξ idem, quomodo eadem urbs Μιρμηκιὸν & Μυρμηκιὸν p. 588. l. 23.

Μυρμήκειον, phalangii ſpecies à formicæ ſimilitudine dicti, de quo Nicander, Plinius, Avicenna &c. p. 540. l. 63.

Μυρμηκολέων Job. 4. 11. Iſidoro *formicoleon*. Alii animalculum eſſe volunt formicis infeſtum, alii animal ex formica & leone compoſitum, alii diabolum, alii ſcarabæi ſpeciem, p. 813. l. 70. Cum ſit leonis genus, de quo Agatharchides, Strabo, Ælianus, Photius p. 815. l. 28. De nominis ratione variæ conjecturæ p 816 l 24. Cum his leonibus a Solino & Heliodoro perperam confundi formicas Indicas auri cuſtodes p. 816. l 3

Νευρόσπαστα, (Gall *des Marionnettes*) nervis alienis mobile lignum p. 410. l. 71

Νεφὼθ ab Ægyptiis vocari crocodilos tradit Epiphanius. Sed Dorotheus, vel quiſquis eſt, in Synopſi rectius habet *Menephoth*, tanquam à منف *Meneph* vel *Memph* facto nomine, quomodo Arabes Memphim appellant p. 796. l. 8

Νομάδα παχεῖαν ἰψε, καὶ νεοττοὺς τοὺς ἤδη κοκκύζοντας in Artemidori Opſartyticis reddendum *Paſcualem* (gallinam) *obeſam elixa*, *& ex pullis eos qui jam glocitant*. Non ut interpres perabſurde, *columbam craſſam* &c. *& ex pullis eos qui adhuc pipiunt*. Ὄρνις νομὰς non aliud eſt quam gallina altilis aut paſcualis. Fallitur doctiſſimus commentator in Athenæum qui Numidicam reddit. Et ἤδη non eſt *adhuc*, ſed *jam*. Denique κοκκύζειν pipire non eſt, ſed *glocitare* p. 112. l. 16

Νύγμα punctio dicitur ſerpentis morſus, quia dentes habet acutiſſimos p. 404 l. 22

Οἴμαι in Homero ſunt αἰετοῦ ὁρμήματα, aquilæ impetus. Sic Iliad. φ. Achilles in Trojanos irruit Αἰετοῦ οἴματ' ἔχων & Iliad. χ. οἴμησεν irruit Hector ut aquila altivolans. Itaque in Homero Philetas οἴματα perperam mutat in ὄμματα. p. 170. l. 55

Οἶμοι circuli aſpidis, cum ſe convolvit in ſpiram p. 380, l. 24.

Οἰνὰς columbæ feræ genus à vino ſic appellatæ, Cum quia vinum vel uvas maturas colore refert, tum quia vindemiæ tempore fere apparet pag 1. l 24. Hæc Syris ܟܪܡܝܘܢܐ *Charmiume* id eſt columba viris, a qua χαρμιον . el χαρμιόνη vel χαρμιονὰ dicta eſt una ex Cleopatræ ancillis pag. 2. l. 9.

Οἶστρος Latine *aſilus*, & Hebr. יתוש *jathus* p. 546. l. 21. 36. Ab οἴω fero dicitur, ut οἰστὸς ſagitta, quia fertur eodem impetu, ibid. l. 18. Muſcæ majoris genus eſt, quod non pungit poſticâ parte ut apes, veſpæ, crabrones ſed anticâ, id eſt ore vel promuſcide, ut ſanguinem exſugat ib. l. 14

Οἶστρος *aſilus* & μύωψ *tabanus* à graviſſimis & vetuſtiſſimis Scriptoribus pro ſynonymis habentur. Diſtinguit tamen Philoſophus p. 547. l. 32. Et re vera differunt 1. origine. 2. mole, aculeo, bombo. 3. quia aſilus fere ſolis bobus, tabanus etiam aliis quadrupedibus infeſtus eſt p. 547. l. 47

Οἰωνὸς pro vulture ſæpe uſurpari à Græcis recentioribus contra Allatium p. 320. l. 42

Ὀκτάπους Heſychio *ſcorpius*, quia octipes. Unde Proverbium, ὀκτάποδα ἀνεγείρειν, *octipedem excitare* id eſt ſcorpionem p. 636. l. 18

Ὁλοπόρφυρος, ἁλιπόρφυρος, πορφυροῦς & διαπόρφυρος quid differant p. 738. l. 69

Ὀνοκένταυροι in Græca verſione non ſunt vera animalia, ſed ſpectra & larvæ Eſ. 13. & 34. Theodoretus ἱμαντόποδας exponit. & ὀνοσκελίδας Reſpondent Hebræi: אבני בהו & לילית & איים pro quo *aleph* omiſſo interpretes legerunt בני בהו *filios inanitatis* ſeu deſerti: Quo nomine ſpectra quævis in deſertis apparentia deſignari crediderunt p. 849. l. 40.

Ὄνυξ unguis aromaticus duplex. Primo enim ita appellatur conchylii operculum, quod in narditeris Indiæ paludibus reperitur. Secundo bdellium etiam dicitur βδέλλα ὄνυξ, quia humani unguis lævorem & ſplendorem habet. Priori modo pleriique ſumunt, Hebræi poſteriori Exod. 30 34. Vide p. 804. l 67. & 807. l. 63.

Ὀξύπτερος *accipiter* in Clemente Alexandrino. Græci recentiores ξυπτέρην ſcribunt & ἐξυπτέρην per E p. 813. l. 30

Ὄρνις Homero & Heſiodo, cum ſit avis in genere, Platonis ævo uſurpari cœpit pro genere gallinaceo. Et per aliquot ſæcula tam ad gallum quam ad gallinam pertinuit, donec obtinuit uſus ut proprium eſſet gallinæ nomen p. 125 l 51

Ὄρνιθες & ὀρνίθια ætate Athenæi gallinæ dicebantur. Unde factum ut Levit. 14. 4. ubi leproſus qui mundatus eſt Deo jubetur offerre δύο ὀρνίθια ζῶντα καθαρὰ, Origenes & alii duas gallinas intellexerint. Tamen ſi de gallinis ibi res eſſet, fruſtra Græci addidiſſent καθαρὰ, cum ex Lege omnis gallina ſit munda p. 111. l. 23

Ὀρνιθίαι venti, quaſi *aviarios* dixeris, quia aves adducunt, verno tempore ex Aquilone flant, in Ariſtotele de Mundo. Sed in Meteorologicis pro Eteſiis habentur. Et eos ad Favonium refert Plinius p. 103 l. 50 In Ariſtophane Ὀρνιθίας ventus eſt qui aves ſternit humi p. 104. l. 5

Ὀρσὰς in Heſychio τῆς ἀκρίδος ὁ γόνος, ἔνθεν γὰρ ὀπτάνεται. nullo ſenſu. Sed legendum, ἔνθεν γάρον ποιοῦσι. *Locuſtæ fœtus*, *ex quo garum conficiunt*, nempe ad ipſas abigendas. Quæ lectio confirmatur ex Democriti Geoponicis. p. 450 l 49. Ad *orſan* Heſychii alludit Arabum *Orphan* locuſtæ genus ibid. l. 60

Ὀρτυγομήτραν Græci reddunt Hebræum שליו. Quam a coturnice diſtinguunt Philoſophus & alii, tanquam ſpecie diverſam, quod ſequitur Auguſtinus. Tamen in Heſychio ὀρτυγομήτρα definitur ὄρτυξ ὑπερμεγέθης *coturnix præmagna*, tanquam aliarum mater aut matrix, ut in cicadis τεττιγομήτρα, in echinis ἐχινομήτρα. in vermibus ἑλμινθομήτρα Heſychio pro ἑλμινθομήτρα. Et in loti ſpeciebus

Plinii

Plinii κολομάχα, quomodo ὀφιομάχας hic plerique ſumunt. Janſenii Gandavenſis Epiſcopi in hujus verbi expoſitione hallucinatio pag 93.l.19. & 57.

Ὄσπρια legumina pro σπόρια à ſatu, ut Hebræis זרעונים, Et in Daniele זרעים p.50.l.17

Οὐβαῖον baſiliſcum Ægyptii veteres ſuâ linguâ vocabant, & Deorum capitibus baſiliſcum aureum circumponebant. Hodie ὀβιὸν vocant ſerpentem quemvis p.402.l.31

Οὐραγὸς vulgo Græce eſt dux extremi agminis. Item in embryo meatus urinarius, qui & οὐραχὸς. Sed multo aliter ſumit Ælianus, qui granorum partem infimam vocat τοὺς οὐραγοὺς τῶν κεγχρίμων. Pro quo ὀρύγγας ſcripſerim vel ὀρρύγκας. Sic in Æliano ἀθέρες, id eſt ſpicarum capita τοῖς ὀρρύγκοις opponerentur. Ut in Varrone frit urrunco, quia hoc in ſummâ, illud in infimâ ſpicâ eſt p.590.l.25

Ὀφιομάχης. ophiomachus locuſtæ ſpecies, quaſi ſerpentes oppugnet. Quod utut παράδοξον aſſerunt è veteribus Ariſtoteles & Plinius & noſtro ævo Simon Majolus. Eſt pro Hebr. חרגל chargol aut argol aſpiratione demptâ. Sic ἀργόλας in Suida aſpides oppugnant. Sed ἀργόλαι illi ſunt aliud quam Moſi bargol p.449.l.16

Ὄφις ἐπικάρπιος aut περιβραχιόνιος armillæ genus p.373 l.35.

Ὀφιανὸς λίθος lapis Æthiopicus tranſlucidus, & ſpeculi inſtar imagines reddens p.874.l.58

Παλευτρία allectatrix (columba) quâ utitur auceps ad alias illiciendas p.22.l.10. & 28

Πάρνοπες in Attico agro locuſtarum genus, à quibus pulſis Apollo Παρνόπιος Parnopius dictus eſt p.450 l.1. & 500.l.68.

Παροιστρῶ tanquam œſtro percuſſus inſanio. Quâ voce utitur Græca verſio p.545.l.37

Πέλαργος, ciconia ſic dicta, quia partim nigra partim alba p.319.l.63. Ἀντιπελαργεῖν, & Πελαργικοὶ νόμοι p.328.l.26

Πελασγοὶ quaſi Πελαργοὶ dicti, vel quod vagi eſſent, & ciconiarum inſtar in quævis loca oberrarent, vel propter veſtes quas ferebant ciconiarum inſtar nigro & albo diſtinctas p.331.l.30

Πέμπε Æolice pro πέντε, vide Βιάλιες

Πέρδιξ θηρευτὴς ἐν κυρτάλλῳ Perdix venator in cavea Sirach. 11. 31. al. 37. eſt perdix cicur, qui feros perdices ſuis artibus in caveam aut laqueos allicit. Ita in Ariſtotele legas τὸν θηρευτὴν πέρδικα, per quem alii capiuntur ἐν ταῖς πυλαῖς in viminea cavea p.89.l.55

Περίπλεκτον χιτῶνα legendum eſſe in Symmacho pro περιθέλιπτον p.57.l.73

Περκνόπτερος in aquilarum genere vulturinam habet ſpeciem p.313.l.58

Πετηλὶς locuſta à foliis quæ abſumit p.450.l.17

Πηδάλια vocantur à Philoſopho locuſtarum crura poſteriora, non quia ſunt πηδητικὰ, & ad ſaltum agilia ut vult Scaliger, ſed quia ſunt πηδαλιώδη, & gubernaculi ſpecie & loco ſunt p.452.l.68

Πηκτὶς, vide Πέρδιξ & Κάρταλλος

Πίμπρασθαι proprie ardere & exuri, deinde etiam præ ardore inflari & intumeſcere p.373.l.71. Utroque modo poſſe ſumi Act. 28. 6. p.374.l.12

Πίννα, pinna pro concha margaritifera uſurpatur à Græcis & Romanis, quod ex Plinio probatur & Iſidoro Characeno p 681.l.61. Hinc πίννινος λίθος pro margarita Eſther, 1. 6. πίννινον ἔριον pro lanâ ſeu byſſo quæ ex pinna educitur: πινικὸς & πινικὸν margaritum, πινικὸν κόγχιον concha pinicia in quâ margarita naſcitur, ibid. l 71

Πίννινος λίθος margarita dicitur, quia λίθος eſt genus, & πίννινος differentia. Margaritam enim eſſe lapidem probamus ex ſcriptorum omnis generis communi ſuffragio, contra Juriſconſultorum, qui eam ex lapidum cenſu eximit p.714.l.43

Πλεκτάνας, vide Πλοχμὸς

Πλόκαμα, vide Πλοχμὸς

Πλοχμὸς & πλεκτάνας Græci vocant polyporum brachia & cirros, quia ἐκ τῶν ἰνῶν πεπλεγμένοι εἰσὶν ex fibris implicati ſunt. Et πλόκαμα τὰ περιέχοντα νεῦρα nervos quæ oſſa ambiunt, quorum rami tenuiſſimi decuſſantur atque implicantur pag. 758. l.57.

Ποίμνη proprie grex ovium, deinde etiam ovile, ſed Epiphanio μυρμηκιὰ nidus formicarum pag. 588. l.66.

Πολύχαλκος ab Homero dicta Sidon, quomodo Troja, non propter vicinas æris fodinas, ſed propter opulentiam p.886.l.30

Πορφυρίς, vide Ἄγχυρα

Πορφυροῦς, vide Ἁλιπόρφυρος & Ὁλοπόρφυρος

Πρηστὴρ quod ſerpentis genus ſit non ſatis liquet. Eum enim cum dipſade confundunt Dioſcorides & Paulus Ægineta. Diverſum faciunt Lucanus & Solinus. Et Ælianus alibi Dioſcoridi, alibi Lucano videtur accedere. p.422.l.12

Πύθμην quæ pars ſit purpuræ ſeu purpurariæ conchæ, vide in Τράχηλος

Πύθων latro celebris, alio nomine Δράκων & Δελφύνης dictus, ab Apolline cæſus, poſtquam cædibus & latrociniis diu fuiſſet Parnaſſiis infeſtus p.383. l.22. Pythonis nomen unde habuerit, & cur draco fuiſſe fingatur, vide in Hebr. פתן & Arab. فتن

Πυργοβάρεις Pſ. 121. 7. turrita palatia, vox ſemiægyptia, p.888.l.58

Ῥόμοξ Heſychio vermis in ligno naſcens, pag. 627. l.1.

Σ & Ψ permutantur p.752.l.44

Σάνδυξ κατακορὴς Sandix ſatur, id eſt cujus color eſt plenus, meracus, preſſus, adſtrictus pag.695. l.30.

Σάρδιος & Σαρδὼ, Sardius vel Sarda lapis an à Sardibus aut à Sardinia dicatur Grammatici fruſtra diſputant, cum neque circa Sardes, neque in Sardinia reperiatur. Proinde potius deduxerim ab Hebræo שרד ſered quod Eſ. 44 13. pro rubrica occurrit. Ruber enim eſt Sardius lapis. Et שרד ſered Phœnicibus & Syris fuit ܣܪܕܐ ſarda, p.596. l.60.

Σαρδόνυχες olim, inquit Plinius, ut ex nomine ipſo apparet, intellegebantur candore (lege candore) in Sarda, hoc eſt veluti carnibus ungue hominis impoſito, & utroque tranſlucido. Senſus eſt ut ſardum carni, ita onychem ungui humano eſſe concolorem, ac proinde tanquam ungue perſpicuo carni item perſpicuæ ſuperinducto fieri Sardonychem pag.697. l.43. Sardonyches Luciano ſunt ὄνυχες οἱ Σαρδῷοι pag 700. l.34. Ita etiam Cteſiæ pagin. 701. l.1.

Σατυριασμοὶ & φῆρα vel φηρέα, gandulosæ eminentiæ circa tempora & aures, quales in Satyris fuere, qui Ionibus φῆρες pag 827.l.45. Item Σατυριασμὸς elephantiaſis, cum incipit efflorescere, eo quod Satyris facie ſimiles fiunt qui hoc morbo divexantur p.827.l.45

Σαχὸλ Ægyptiis gummi vel reſina arborum. In Lexico Coptico Arabice redditur كماما vel كم كام Hinc apud Plinium. Nicias electrum in Ægypto ſimili modo naſci voluit & vocari ſacal p.869.l.20

Σειρῆνες dictæ à Phœnicio שיר ſir, quod cantionem ſonat, quia navigantes λιγυρῇ θέλγουσιν ἀοιδῇ blando cantu demulcent p.830.l.6. Cur pro תנים thannim id eſt draconibus, & בנות יענה benoth jaana id eſt ſtruthionibus, Græci Sirenas habeant minus patet. Niſi Sirenas crediderint eſſe θηριώδη ζῶα, ibid l.11.

Σίσιλος cochlea ſeu limax Epicharmo, Dioſcoridi, Athenæo. Ab aliis ſcribitur σίσηλος, σελάτες, σεσιλίτης, σέμελος Et Heſychio σίσιλος pro cochleis vox eſt Laconum, p.646.l.71

Σέργγυς Ægyptiis idem quod λαβύρινθος Cretenſibus. Utraque vox Phœnicibus perplexa & intricata ſignificabat. Illius enim radix שרג ſarag Hebræis perplexum eſſe ſonat. Et Chaldæis ערבל arbel idem eſt, unde ערבלות arbeluth, pro quo Græci λαβύρινθος dixerunt. Cujus μεταθέσεως varia exempla vide p.599.l.25

Σὴς tinea, ut Hebr. סס ſas in Eſaia p.615.l.51

Τὰ σησάμινα ξύλα ſeſamina ligna quæ pro ebeno venduntur, quid ſint in Dioſcoride docti operosè quærunt. Et quorſum Arrianus in Periplo conjunctim meminerit φαλάγγων σησαμίνων καὶ ἐβενίνων. Reſpondemus id eſſe lignum ساسم ſaſam ebeno ſimile, de quo multa Arabes p.144 l.12

Σιλλικύπριον, al. κικὶ, al. κρότων, al σεσελὶ κύπριον, Jonæ קיקיון kikajon, Talmudicis קיק kik & צלוליבא tſeluliba, Arabibus الخروع alcheroa, Lat. ricinus. Et in officinis palma Chriſti p.293. l.17.

Σίλουρος Silurus inter piſces amnicos ratione molis, roboris & audaciæ, facile primas tenet pag 749. l.68. Hunc eſſe Tobiæ piſcem multis probatur p.750.l.72. Græce σίλουρος dicitur quaſi σείουρος à quatiendâ caudâ, ſi Athenæo fides. Nobis σίλουρος quaſi ψίλουρος, cauda tenuis, quia cum caput habeat ſatis amplum in exilem & tenuem caudam deſinit, anguillæ more p.752.l.36

Σίλφαι blattæ, quomodo Arabice p.616.l.11

Σιροὶ apud barbaros apothecæ ſubterraneæ in quibus conduntur fruges pag. 594. l.51. &c. An ab Hebræo אצר atſar recondere, unde אצר otſar horreum, vel etiam σιρὸν ὑπόγαιον ſubterranea crypta, quomodo Græci reddunt in Jeremia pagin. 595. l.3.

Σίττη Ariſtoteli avicula quæ aquilæ ova frangit, videtur eſſe Nigidii ſubis p.794.l.5

Σκῆνος, ut à Paulo ſumitur pro corpore, ita etiam à Nicandro in Theriacis p.503.l.51

Σκνὶψ vide Κνὶψ

Σκορακίζειν in Heſychio ad corvos, & in deſertum amandare. At in ſacris verſionibus σκορακίζειν & ἀποσκορακίζειν relinquere, repellere, increpare, p.200. l.22. & 202. l.22.

Οἱ σκορπίοι τῆς γῆς ſcorpii terræ ſeu terreſtres dicuntur διαστολικῶς Apoc. 9. 3. quia volucres quoque & marini ſunt ſcorpiones pag. 634. l.58.

Σκορπίος alii dici volunt ἀπὸ τοῦ σκολιοῦ ἕρπειν, ab obliquâ reptatione, alii ἀπὸ τοῦ σκορπίζειν τὸν ἰὸν à veneno quod diffundit. Potuit etiam fieri ex Hebræo עקרב akrab, cum προθέσει τοῦ σίγμα p.634. l.6.

Σκωληκόβρωτος. Act.12. 23. id eſt à vermibus eroſus, non à pediculis ut volunt pagin. 583. l.53.

Σκώληξ ἀπὸ τοῦ σκέλλειν ab attenuando, unde σκελετὸν, quale fit cadaver quod vermes depaſcuntur, pag. 619 l.53.

Σκῶπες, ὄρνεα κακόφωνα, ἤτοι σκαιόπτεροι, noctuæ quarum ſiniſtra vox & mali ominis pag. 410. l.63.

Σκὼψ noctuæ ſpecies, Gazæ aſio, quæ ſaltatione tam delectatur ut aucupe ſaltante capi legatur ἀντορχουμένου ex adverſo ſaltitans. Unde σκὼψ dicitur ſaltationis quoddam genus varietate motuum & geſticulationum inſignis. Et σκώπτειν proprie eſt ſcopis inſtar imitatione ridiculâ aliquid effingere, p.410.l.65

Σοῦχος ſuchus crocodilus dictus eſt in Arſinoite Nomo, ubi in magno cultu fuit. Ita vocatur à Strabone & Damaſcio apud Photium. Qua Coptis hodieque σουχὶ ſuchi id ipſum eſt. Nempe ut Hebr. שחה, ita סחה Talmudicis & سبح igitur vel σουχὶ eſt ὁ κολυμβητὴς. Qualem ſe præſtitit qui primus id nominis conſecutus eſt, cum Menam regem inſequentium canum metu in Mœridem lacum ruentem dorſo excepiſſet, & in ulteriorem ripam trajeciſſet pagin. 795. l.53.

Στεγανώματα, idem quod ἱμαντώσεις, ligneæ compages in parietibus quibus cohærent & connectuntur p.612.l.14

Στένειν gemere columbæ proprium & avium congenerum. Theocritus ἔστενε τρυγὼν gemebat turtur, Idem ex Græcis patribus probatur. Item ex Virgilio, Martiali, autore carminis de philomela. Sic in Ezechiæ Cantico *Gemebam ut columba.* Et Eſ. 59.11. *Ut columba gemendo gememus*, pag. 12. l.55.

Στρουθίζειν Suidæ eſt τρίζειν, quod Fullerus ſtrigum proprium eſſe vult. Tamen Homerus paſſerculos deſcribit τετριγῶτας. Et illa ipſa vox στρουθίζειν Eſ. 10 14. eſt pro Hebræa מצפצף, id eſt paſſeris inſtar pipiens p.222.l.31

Στρουθοκάμηλος pro ſtruthione vox recens, neque ante Diodorum & Strabonem à quoquam uſurpata quod meminerim. Proinde Galenus illam non audet abſque præfatione uſurpare pag. 222. l.4.

Στρουθὸς vulgo paſſerem ſonat. Itaque ut pro ſtruthione ſumatur, dicitur στρουθὸς μέγας, aut κατάγαιος, aut Λιβυκὸς; aut Ἀράβιος, aut ἄγριος, aut Μαυρούσιος, aut χαμαιπετὴς, aut στρουθὸς τῶν ἀπτήνων. Certum tamen etiam ſine ullo epitheto pro ſtruthione uſurpari, quod exemplis probatur p.221.l.26

Σφάγνος Κύπριος, in Plinio ſphagnos Cyprius in quercu bryon ſeu muſcus odore præſtans p.839. l.65.

Σφὴξ veſpa unde nomen habeat p.537. l.48. Inde σφηκίσκοι vocari parva ligna & in acutum collecta. Et σφηκώδεις in hominibus eos qui ſunt corpore graciles ib.l.41

Σχαδόνες apum favi, Ita Arab. شهد ſchahdon favus p.491.l.14 & p.511.l.21

Σχῖδος fere vox quandoque otioſa, ut in Platone paſſim p.717.l.35

T & K cognatæ literæ & facile permutabiles p.759. l.47.

Ταὼρας phaſianus Pamphilo Alexandrino, Athenæo & Heſychio, ut Perſis تذرو *tadru* & Arabibus تذروج *tadrug* p 96. l. 18

Τερηδὼν, *teredo*, ligni vermis in nave naſcens apud Theophraſtum & Plinium. Unde Poeta *Eſtur & occulta vitiata teredine navis* p. 626. l. 41

Τέτορες pro τέσσαρες vide Βιβλίνος

Τετραπτερυλλίδες, locuſtæ in Ariſtophane à quatuor alis dictæ p. 449. l. 74. & 490. l. 51

Τετιγομήτρα cicada major, vide Ὀρτυγομήτρα

Τιαροειδὴς Tiaræ ſpeciem habens, vox ſemiperſica. p. 888 l. 51.

Τισιφόνη, ἀπὸ τοῦ τίειν τοὺς φόνους dicta, vel quodvis aliud grave crimen. Neque enim Tiſiphone ſolius cædis credebatur eſſe vindex. Species pro genere. Ita ſumendum Melitenſium de Paulo judicium, omnino iſte homo φονεὺς homicida eſt, Φονεὺς, id eſt gravis criminis reus p. 371. l. 54

Τραγέλαφος pro mero figmento multi habent. Tamen de tragelapho, ut de vero animali, agunt idonei ſcriptores, Ariſtoteles puta, Diodorus, Lucianus, Plinius, Solinus, Iſidorus, præter Græcos interpretes. Eſtque is in Germania frequens pagin. 809. l. 18.

Τράχηλος cervix vocatur à Philoſopho purpuræ ſumma pars, media μήκων papaver, ima πύθμην fundus. Porro tinctorius fucus non eſt in toto corpore ſparſus, ſed ἀνὰ μέσον τοῦ μήκωνος καὶ τοῦ τραχήλου, inter papaverem & cervicem. Alii ſcribunt inter cirrhum & ſpondylum. Plinius in mediis faucibus p. 726. l. 51

Τρήρων columba toties in Homero & aliis, ἀπὸ τοῦ τρεῖν à tremendo, quia eſt avis meticuloſa pag. 24. l. 72.

Τρυγὼν pro turture, & τρύζειν & τρυσμὸς de ejus cantu voces ὀνοματοπεποιημέναι p 55. l. 11. Quod ſcribit Horus τρυγόνα cantu & ſaltatione capi, ad turturem non pertinet, ut volunt, ſed ad paſtinacam, quæ Græce dicitur ἡ θαλαττία τρυγὼν turtur marinus p. 57. l 30

Τρυξαλὶς in Æliano locuſtæ genus, quæ Plinio male *tryxalis*. Fit enim ἀπὸ τοῦ τρώγειν, pag 450. l. 14. Plinius ἄπτερον deſcribit

Τυλάδας aves in turdorum genere cenſet Athenæus ex Cleomenis ad Alexandrum epiſtolâ, pag. 107. l. 53.

Ὑάκινθος vel ὑακίνθινος hyacinthinus color eximius p. 728. l. 29. Cum rubro purpureo plerique eundem eſſe putant, aut illi ſimillimum, ſive ab hyacintho flore, aut ab hyacintho lapide nomen habeat. Florem enim purpureum deſcribunt Euphorion, Pancrates, Dioſcorides, Lucianus, Ovidius, ſuave rubentem & ferrugineum Virgilius. ibid. l. 50. Et in Gallia præſtitit cocci vices p. 729. l. 7. Et vaccinium quo purpura tingitur in Gloſſario redditur hyacinthus ib. l. 15. Lapis quoque hyacinthus violaceus vel purpureus deſcribitur, ſed dilutior. Et *rubinus* Arabice ياقوت *jakuth* id eſt hyacinthus, dicitur. Heſychio denique & Suidæ ὑακίνθινος eſt πορφυρίζων. Tamen hyacinthinus color aliis eſt cœruleus pag. 729. l. 31. Et Columella vocat cœruleos hyacinthos, ut Græci κυανέους, ibid. l. 34. Et lapis hyacinthus à Solino, Marriano & multis Patrum cœruleus deſcribitur, cœloque & mari concolor. Et in velo tabernaculi hyacinthus iiſdem eſt figura aeris, tanquam aeri ſimilis ibid. l. 68

Ὑακίνθινος hyacinthinus color à purpureo diverſus eſt. Et illos ſæpe diſtinguunt ſcriptores ſacri & profani, p. 733 l. 54

Ὕαλος Veteres pro cryſtallo uſurparunt p. 832. l. 53

Ὑλομήτρα pro ὑλομήτρα vermis major, vide ὀρτυγομήτρα

Φ & Β ſæpe permutantur maxime apud Macedones p. 448. l. 59.

Φαληρίδας Phalaridas aves, de quibus Cleomenes in epiſtola ad Alexandrum, Athenæus ait eſſe in mergorum genere p. 106. l. 30

Φάρα, φαρία, φαρίας, vide in Σαλαμανδρα

Φικὰ pro ſphinge dixit Heſiodus, & Lycophron φίκειον τέρας p. 827. l. 72. Vide *Picatos* in Latinis

Φοῖνιξ ambigua vox, quæ & palmam ſignificat, & phœnicem avem fabuloſam. Pro phœnice ſumptum in his Pſ. 91. (Hebr. 92.) 13. *Iuſtus florebit* ὡς φοῖνιξ, cum palmam aperte ſignificet pag 819. l. 50. Ita etiam Job. 29. 18. ubi tamen Græca στέλεχος φοίνικος neceſſario *palmæ truncum* deſignant. Quid enim eſſet *truncus phœnicis*? Eo tamen loco ex palmæ trunco factus eſt phœnix ales, pag. 820 l. 44. Sic ἑβδομήκοντα στελέχη φοινίκων *ſeptuaginta truncos palmarum* in Elim ab Iſraelitis repertos in phœnicem unum mutavit Ezechiel Tragœdus in Tragœdiâ Exagoge, ibid. l. 60. Et ἐγκέφαλος τοῦ φοίνικος *palmæ cerebrum* in Plutarcho non nemo phœnicis cerebrum interpretatur pag. 181. l. 6. Contrario errore ad palmam referunt interpretes quod dixerat Clemens, *horoſcopum in manu habere aſtrologiæ ſymbola horologium* καὶ φοίνικα *& phœnicem* p. 821. l. 34

Φρύγανα proprie cremia p. 368. l. 72

Χάλινοι *fræna*, pars labiorum in Polluce. Ita Job. 41. 4. de leviathane ſeu crocodilo. *In duplex frænum ejus quis ingredietur?* Id eſt in labia ſeu rictus ejus, qui fræni duplicati ſpeciem habent: Phraſis utrobique eadem p. 777. l. 26

Χάλκη purpura in Heſychio, & κάλχη. Vitriolum inde χαλκάνθον dici vult Salmaſius, quia eſt coloris cœrulei p. 736. l. 40

Χαλκολίβανος Apoc 1. 15. unde dicatur. Variæ conjecturæ, 1. eſſe æs לבן *laban* ſeu album. 2. eſſe æs in igne candefactum, Hebr. לבון *libbon*. 3. Eſſe æs Livianum. 4. Æs ex Libano monte effoſſum. 5. Thus maſculum æris ſpeciem habens. 6. Aliquid mixtum ex variis metallis, vitro & gemmis conflans. Ex quibus conjecturis, ſolâ primâ admiſſâ & multis explicata & probata, cæteræ omnes refelluntur, pag. 883. l 44. uſque ad finem libri

Χαλκολίβανος vox ſemihebræa, quomodo multæ proferuntur ſemiperſicæ, ſemiægyptiæ, ſemihebrææ, & ſemiarabicæ p. 888. l 46

Χαλκόποδες æripedes equi & tauri dicuntur à poetis, quia pedibus maxime valent & duriſſimam habent ungulam. Et χαλκοῦς ἱππεὺς ἀγυρτεύει (in Schol. Sophoclis) lege στερρὰ vel στερεὰ p. 759. l. 18.

Χάμψαι crocodili: Illos Herodoti ævo Ægyptii ſic appellabant. Alludit Arab. تمساح *thimſach* vel *thamſach*. Nam χ & θ ſunt permutabiles. Hinc *Carthada* Καρχηδὼν dicta. ὄρνιθες, ὄρνιχες, ἄνθυνα ἄγχυνα p. 795. l. 47.

Χαρακίζουσι τοῖς προσθίοις σκέλεσι *prioribus pedibus* (tanquam palis) *quidvis in ſublime tollunt*, Ita de muſcis Ariſtoteles. Non *vallant & protegunt* ut Gaza. Heſychio χαρακίζειν eſt μετεωρίζειν p. 498. l. 17.

Χέδροπα dicuntur legumina pro χειρόδροπα, quia manu leguntur. Indidem *legumina* p. 50. l. 21

Χεννιοχήνεια: coturnicum in Ægypto ſpecies, quarum numerus certa anni tempeſtate fuit tam immanis, ut eum omnibus abſumendis Ægyptii pares non eſſent, eas in poſterum ſale condirent pagin. 107 l. 39.

Χιασμὸς figura cujus exempla p. 470. l 35

Χνᾶ in Sanchoniathone legitur primus Phœnicis cognomen habuiſſe. Unde & Phœnice regio Χνᾶ dicitur apud Stephanum. *Chna* Hebr כנען *Chanaan* p. 773. l. 14

Χολίβαφος vel χολοβάφινος χαλκὸς, coronarium æs, quia taurorum felle tinctum, auri ſpeciem in hiſtrionum coronis præbet p 878. l. 52

Χόρια in Ariſtophane edulia ex lacte & melle p. 491. l. 15.

Χρόνο tanâ Ægyptiis, vide in Hebr. אקרוקא *akruka*.

Χρυσοήλεκτρον, χρύσιον, χρυσίζων, ſuccinum p. 871. l. 23. (ut Avicennæ χρυσοφόρον p. 868. l. 45) quia inter ſuccini ſpecies illud maxime placet quod eſt aurei coloris. Inde nomen electri etiam auro inditum, non tamen puro, ſed cui argentum eſt admixtum p. 871. l. 22. &c.

Χρυσὸς aurum ex Hebr. חרוץ *charuts* quod proprie effoſſum ſonat, ſed pro auro ſumitur Pſal. 68. 14. Zachar. 9. 3. & paſſim in Proverbiis p. 9. l. 61

Ψὴν culex ex caprifico vel palmâ natum p. 569. l. 29. & 41.

Ψύλλοι Pſylli Africæ populi, à Græcis ita dicti, quia pulicum more ſanguinem exſugebant, ut à ſerpentibus percuſſos ita ſanarent. Hinc Pſyllos dicit Plinius tactu ipſo levare percuſſos, ſuctuve modico p. 587. l. 23

VOCES
LATINÆ ET BARBARÆ
Quæ in ſecunda parte hujus Operis explicantur.

A*Caros* nonnulli vocant minimos illos pediculos quos Itali *pedicellos* Galli *cirones* vocant p. 578. l. 47

Acer Latine dicitur qui fortis eſt, ut Æn. l. 8. *Aut acrem dubites in prælia poſcere Turnum*, *Acrem* id eſt *fortem* in Nonio & Servio. Recte igitur Junius Jud. 14. 14 18. *Ab acri prodiit dulce.* Item *Quid dulcius eſt melle? Et quid acrius eſt leone? Ab acri* id eſt à *forti*. Et *quid acrius*, id eſt *quid fortius*, ut cum dicitur *genus acre leonum*. Et acre dulci melius opponitur p. 523. l. 42

Actiacæ cur dicantur oleæ frondes in his Ovidii, *Frondibus Actiacis comptos redimita capillos Pax ades.* Legendum eſſe *Acteis*, id eſt Atticis, quia oliva creditur in Atticâ nata, quæ Gr. Ἀκτὴ, unde gentile Ἀκταῖος Nonnus l. 27. Ἀκταίης τε γλαυκὸν φερώνυμον ὄζον ἐλαίης. Et de ſiluro Auſonius in Moſella, *Ac velut Actæo perductum tergora olivo.* p. 32. l. 64.

Æreus pro forti ſæpe ſumitur, ut in Poeta, *temo trahat æreus orbes.* Et ibi Servius, *Æreus, fortis.* Item *Ærea puppis.* Et rurſus Servius, *Ærea, fortis: Nam ærea non eſt puppis, ſed prora.* Sic, *Incluſam Danaem turris ahenea.* Et *hic murus aheneus eſto*, pagin. 719. l. 22.

Æs Corinthium ex auro, argento & ære ſimul conflatis, idque diverſa ratione, prout æramentario viſum pag. 879. l. 45. Corinthii æris tria genera 1. Candidum, argento nitore quam proxime accedens, in quo illa mixtura prævaluit. Alterum in quo auri fulva natura. Tertium in quo æqualis omnium temperies fuit, ib. l. 47

Æs coronarium (Gr. χολοβάφον & χολοβάφινον) tenuatur in laminas, taurorumque felle tinctum, auri ſpeciem in coronis hiſtrionum præbet pag. 878. l. 47.

Altellus Romulus dictus, ut volunt, quod in collo quo cum Tatio alternis vicibus audierit locutuſq; fuerit p. 876. l. 64

Aquila à viſus acumine dicta p. 174. l. 43

Aquilo ventus dictus à vehementiſſimo volatu ad inſtar aquilæ p. 179. l. 39

Aranea ex ἀράχνη ut lana ex λάχνη. Ita multi qui refelluntur p. 608. l. 60

Aſilus Gr. οἶστρος, & tabanus Gr. μύωψ, etſi promiſcue ſumantur, tamen in multis differunt p. 547. l. 46

Aſturum avium primus meminit Julius Firmicus, p. 269. l. 1.

Attelabus, vide *Bruchus*

Aurichalcum nonnullis æs vulgare, quod Cadmiâ admixtâ perducitur ad aureum colorem. Quomodo in Apollinari ſumitur etiam Gr. ὀρείχαλκος p. 881. l. 53. At apud veteres *orichalcum* aliud fuit ære longe pretioſius, & ad auri pretium proxime accedens p. 882. l. 6. Quod an unquam in rerum natura fuerit dubitatur, ib. l. 30

Aurichalci vox Hebræam חשמל *haſmal* plane exprimit, ſi ſic recte ſcribitur p. 880. l. 47. Sed quamvis Plautus & alii Romanorum vetuſtiſſimi ita ſcripſerint, Græci tamen, à quibus hoc vocabulum accepimus, conſtanter ſcribunt ὀρείχαλκον: unde *orichalcum* multi Romani. Origo vocis ib. l. 71.

B & P ſæpe permutari p. 633. l. 74

B Græcum mutari paſſim in Ph aut F Latinum p. 588. l. 11.

Bebrus pro fibro cur dictus, vide in Gr. Βιβλίνος.

Beſſale, ut Græcis recentioribus βήσαλον, proprie later beſſalis, qui Gr. δίδωρος, deinde later quivis p. 614. l. 56.

Blattas & tineas Horatius & Martialis videntur habere pro ſynonymis. Sed blattas putatur Plinius inter ſcarabæorum ſpecies reponere. Poſterioribus denique blatta eſt purpuræ genus, pag. 615. l. 70

Bruchus in Hieronymo, Auguſtino, Gregorio, &c. locuſtæ fœtus dicitur, antequam habeat alas. Et *attelabus* cum volitare incipit. Locuſta denique cum plene volat. Sed Græci multo aliter, p.447 l.44.

Bubularem bubonem dixit autor Philomelæ p.585. l.17.

Bullire vel *burrire* formicarum nidificia legitur in Apuleio p 414. l.52

Callainus color, aliis purpureus, Martiali Venetus ſeu cœruleus. Et Plinio Callais ſapphirum imitatur, candidior, & littoroſo mari ſimilis. Callaicum ſcribit Solinus. Græcis recentioribus γαλάινο cœruleum ſonat, p.731. l 4

Carneolus, & corrupte *corneolus* à gemmariis vocatur lapis Sardius, quia carni concolor p.697. l 35

Cavalette Ital. locuſtæ, quia caput equinum habent p.474. l.59.

Cicania Iſidoro *quaſi cicanis* quorſum p.134. l.62

Cirrhus quæ pars purpuræ, vide in Τρίχαλ⊕

Conchylium à purpura Plinius ſæpe diſtinguit p.735 l.23. Ita etiam Dioſcorides, ibid. l 49. Nempe cum purpura rubeat, conchyliis glaucum colorem & iraſcenti mari ſimilem tribuit Plinius. Et cum heliotropio confert, cui color eſt cœruleus, ibid l.58. Conchylium medii fuiſſe coloris inter purpureum & cœruleum p.736. l. 11

Conditum vide *Mulſum* p.526. l 3

Congruere & *ingruere* à gruibus ſumptæ voces. Utrumque in Feſto legitur. Et Solinus, *Concors omnium cura pro fatigatis, adeo ut, ſi qua defecerunt, congruant univerſa, laſſataſque ſuſtollant* p 72. l 74

Convolvolus, vide *Involvolus*

Coſſi vermes in ligno nati apud Plinium & Feſtum p.627. l.5. Sequior ætas *cuſos* dixit. Gloſſæ, *Cuſus*. ξυλοσκώληξ, unde Hiſpan. *Guſano* p.627 l.9

Crabro veſpâ major eſt & alvo minus gracili, p.504. l. 62. Fit à verbo *cracere* quod apud Ennium gracilem eſſe ſonat. Etiam *gracere* ſcribitur, unde gracilis & *Grabro* per G in Gloſſis, p.537. l.33

Cracere vide *Crabro*

Crocodilitis quæſtio celebris apud Stoicos, de muliere cujus filium accepit crocodilus, ſe redditurum profeſſus, modo illa verum diceret p. 772. l 68.

Crotaliſtria in Publio Syro dicitur ciconia, quia vox illius non prodit ex intimo gutture, ſed ex duabus roſtri partibus adinvicem colliſis crotali inſtar aut crepitaculi. Ovidius, *crepitante ciconia roſtro*. Philoſtratus: πελαργοὺς ἡμᾶς κρότω, p. 334 l 50

Cucubare noctuam dixit ſcriptor carminis de Philomela. Ita Græcis vox noctuæ κικκαβαῦ & ipſa κικκαβὰ vel κουκουβὰ Syris *vocabi*, p.387 l.51

Cuculum Galli eum vulgari ſermone vocant cujus uxor mœcha eſt, quia liberos alienos fovet & nutrit inſcius: Nam cuculi proprium hoc eſſe multi putant, ut ovis alienis incubet. Quo vulgi errore abreptus Acron in Horatium cuculum ait hoc vitio naturali laborare, ut ova ubi poſuerit oblita, ſæpe aliena calefaciat, unde ruſtici ſibi objiciunt. quaſi alieni curam ſuſtinentes. Et quia in Jeremia legitur avis קרא *kore* ova incubare quæ non peperit, R. Selomoni *kore* eſt cuculus, quaſi ad cuculum id pertineat. Cum contra cuculus ova ſua in alieno nido ponat, puta curruca, palumbi, turturis &c. Sed curruca frequentius. Itaque currucam vocabant quem nos cuculum. Juvenalis, *Tu tibi nunc curruca places*, &c. At in Plauto *cuculus* non dicitur qui contumeliam ab uxore patitur, ſed qui facit, mœchus ſcilicet p. 87, l.64

Curruca, vide *Cuculum*

Cuſculia in Plinio grana cocci tinctorii, qui vermiculis ſcatent, unde eximius color elicitur p.624 l.54. vide Κοκκύδια

Cuſus, vide *Coſſi*

Diatreta calices, id eſt cryſtallini cælati p.875. l.10

Ebenus Gr. ἔβενος ex Hebr. הבנים *hobnim* O & E permutatis, ſic genu, pes, dentes ex Gr. γόνυ, πῶς, ὀδόντες. Et olim *vortices*, *vorſus*, &c quæ primus Scipio Africanus in E vertiſſe dicitur. p.140. l.36

Egregius proprie qui è grege lectus eſt & ſegregatus, unde ad alia transfertur p.679. l.55

Eruca ab erodendo, etiam *uruca* in Gloſſis ab urendo appellatur, quia *exurit ſemina morſu*, ut in Columellâ legitur p.444. l.24

Exalbuminatos vocari uniones ſumma laus coloris eſt. Ita Plinius. Nempe à liquidi aluminis colore, cujus probatio eſt ut ſit liquidum, lacteum, ſine offenſis fricantium, cum quodam igniculo caloris, p.690. l.59

Falco montanus barbaris montanarius p.338 l.15. Quam ſit iracundus ib. l.27

Fauni etiam Fatui & Fatuelli dicti, & Fauni uxor Fauna vel Fatua p.826. l.16

Fauni ficarii Jerem. 50. 39. non *ficarii*, quomodo dici putat Emanuel Sa dæmonum genus ficariorum ſpecie apparentium. Nam *Ficarios* ſcribunt Hieronymus, Iſidorus, Paulus Diaconus, Gloſſæ veteres &c. Non quod ficus Fauno ſit ſacra, nec à ficatis vel picatis pedibus, id eſt in ficarum ſeu ſphingum ſpeciem formatis, ſed propter ficos vel carnoſas eminentias in facie efflorefcentes p.826. l. 70.

Favonium quidam ad VII. Calendas Martias Chelidoniam vocant ab hirundinis viſu p.65. l.57

Femur etiam Latine pro pudendo ſumitur, ut Hebræum ירך *jerek* paſſim, & Chald פחדים *pachadim* in Onkelo Levit 21. 20 Hiſtoria tripart. de Benjamine Martyre: *Alium rurſum calamum acutum in ejus femur, unde humana origo deſcendit, juſſit immitti*. Pro quo Theodoretus τοῦ παιδογόνου μορίου p.758 l 43

Ferrugo coloris genus eſt *vicinus purpuræ ſubnigræ*. Ita Servius. Item, *Ferrugo eſt purpura nigrior*. Inde *ferrugineos hyacinthos* Poeta dixit, & ferrugineam Charontis cymbam, p.728, l.74

Ficus, σῦκον, σύκωσις. tumor à fici ſimilitudine ſic dictus. Ficos definit Galenus ex Hippocrate carnoſas eminentias in palpebrarum locis obortas. Alii reliquis etiâ partibus adnatas ſcribunt, ſed iis maxime quæ piloſæ ſunt. Inde Fauni ficarii p.827. l.29

Filum margaritarum, id eſt monile, Hieronymus, *Uno filo villarum inſunt pretia*, p.683. l.29. Vide *linea* & *linum*

Fœnum cordum Columellæ quod Autumno provenit, Hebr. לקש p.484. l.59

Forda unde dicta p 588. l.20

Formicam ex eo dici vult Iſidorus quod ferat micas farris, cum ſit Græcæ originis Formicam enim Græci μύρμηκα, ὕρμηκα, & φορμίγγα appellarunt p 586. l.5

Frit & *urruncum* ſpicæ partes oppoſitæ, quarum illa in ſumma ſpica eſt, hæc in infima, Varro, p. 590. l.30. Vide Ἀθέρες & Οὔραγος

Fulix vel *fulica*, etſi ab ardea multum differat, tamen pro ardea ſumitur etiam à doctiſſimis. Ita in Arati verſione Avienus τὸν ἐρωδιὸν, modo *fulicem*, modo reddit *ardeam*. Et in Philoxeni Gloſſis Ἐρωδιὸς, *Erodius, fulica* Plinius quoque *Fulicarum generi natura dedit cirros*, quod ardearum proprium. Itaque idem & Solinus, & Iſidorus, Diomedeas aves fulicis ſimiles deſcribunt, id eſt ardeis Et Græci pro ardeis habent. Pſalmorum denique vetus interpres, quem ſequuntur Auguſtinus & Arnobius Pſ. 103. (Hebr. 104.) pro *herodie fulicam* habuit p.323. l.55

G fit ex Gr. χ in *galbanum, ango, lingo*, &c. ex Græc. χαλβάνη, ἄγχω. λείχω p.608. l.59

Gallicinia nocturna duo ſunt, primum media nocte, ſecundum medio tempore inter μεσονύκτιον & mane. Hoc ultimum idem tempus eſt cum quarta vigilia. Et ſæpe vocatur ſecundum gallicinium, ſæpe etiam gallicinium ſimpliciter & κατ᾽ ἐξοχὴν, quia tum galli acrius & alacrius canunt, & poſterior ille cantus hominibus utilior eſt, cum ad divinos labores eos excitet. Itaque cum in Marco legitur Petrum ter abnegaturum ante ſecundum galli cantum, & in aliis Evangeliſtis eundem ter abnegaturum antequam canet gallus, diverſis verbis idem dicitur. Intelligitur enim ſolemnis ille galli cantus, qui ſimpliciter, & abſolute *gallicinium* vocatur p.120. & 121

Gauli meropes Iſidoro. *Meropes*, inquit, *eoſdem & gaulos, qui parentes ſuos recondere atque alere dicuntur* p.301. l.68

Gemere de columba, turture & palumbe dictum p.12. l.36.

Gleſſum Æſtii Germaniæ populi ſuccinum vocant. Ita Tacitus p.867. l.10. Plinius quoque, & a gleſſo unam inſularum Septentrionalis Oceani *Gleſſariam* appellatam, ib. l.41. Germanis hodie Glaſ vitrum. Ita ὕαλον apud Gothæum dicitur ſuccini quædam ſpecies. Et Eudemo Rhetori ὕαλος ... eſt ὑαλίνου χρυσίον. Fullerus quoque ſuccini vocem deducit ab Hebræa זכוכית *zecucith* quæ vitrum ſonat,. p.872. l.60

Grabro pro crabrone dictum à verbo *gracere*, unde gracilis, vide *Crabro*.

Grave pro *multo* Latine ſumitur, ut Hebraice, quod ex Titinnio, Cæcilio, Saluſtio & Varrone probat Nonius p.558. l.73

Herodius apud barbaros ſcriptores, Albertum, Vincentium, Liranum &c non eſt ardea, ſed aquila major & γνήσιος aut etiam *bucefalo* p.325 l.64

Hircipli in Feſto denſorum pilorum homines, p.828 l. 50.

Hirudinem quaſi hæredinem ab hærendo dici volunt Grammaticaſtri, repugnante primâ ſyllabâ quæ in hirudine brevis eſt. Quin ut ἐρωδιὸς dicitur pro ἑλωδιὸς, ita *hirudo* quaſi *heludo* vel *helodo*, quia naſcitur ἐν τόποις ἑλώδεσι, vel ſi mavis ἑλωδίας, in locis paludoſis & limoſis, unde Theocrito dicta λιμνᾶτις, & Gloſſario λιμναία, id eſt paluſtris p.797. l.2

Hyacinthina cenſetur inter purpuræ ſpecies in Gratiani Lege p.736. l.56. De hyacintho & hyacinthino colore vide Græca.

Immuſſulum aliqui vulturis pullum arbitrantur eſſe, Plinius p.187. l 35

Involvolus, convolvolus, volvox, vermis vitium, qui Gr. ἴψ vel ἴξ p.623. l.10

Ixon habet Vulg. in immundis avibus Deut. 14 13. Cujus nominis cum nulla ſit, vox videtur eſſe mendoſa. Alii *xyon* & *ixyon* legunt. Ego *oxyn* potius, id eſt τὸν ὀξύπτερον accipitrem p.813 l.15

Lacca quattuor ſpecies, 1. Arabum eſt gummi arboris Arabicæ odoratæ, myrrhæ ſimilis, cujus in ſuffumigiis uſus eſt. Eâdem imbuti panni inſigniter rubent. 2 Talmudicorum res eſt factitia ex ſanguine, furfure &c. quâ coria rubefaciunt alutarii. 3. Λάκχα Græciæ recentioris veterum ſunt ἄγχουσα, de qua in Græcis. 4. *Lacca* Luſitanorum rubra & tranſlucida, ad lanarum infecturas maxime expetita, quam alatæ formicæ in India in vaſtarum arborum ramis conficiunt, quomodo apes ceram & mel p.936 l.72

Lætamen Servio fimus quo ſtercorantur agri, quia facit lætas ſegetes, Ital. *letame* p.470 l 37

Lamiam ajunt muliebri ſpecie pueros arreptos perdere aut vorare vivos, ut Hebr. *Lilith*, p.832 l.66 Ibid. de lamia piſce, & de lamia Libyca fera l.73 & p 833 l 4

Lana Gr. λῆνος; Dorice λᾶνος p.608 l.68

Lilium unde, vide in Βίβλινος.

Limax à limo eſt appellatus, quod ibi vivit. Limacem à cochlea diſtinguit Plinius, aut nudam cochleam vocat, quomodo τὸν κοχλίαν τὸν γυμνὸν Ælianus, & alii uno verbo γυμνοκόχλιον. Itaque Plinio limax proprie is eſt qui conchâ caret. Tamen hæc confundi videas Et in Columella *implicitus concha limax* eſt cochlea terreſtris proprie dicta p.650. l.50

Linea margaritarum, id eſt monile, Juriſconſultus: *Si linea margaritarum ſurrepta ſit*. Item: *Ut pertuſis* (margaritis) *in linea uteretur*. Unde Martiali *linea dives* inter ludorum miſſilia p.683 l.34

Linum margaritarum, id eſt monile, Tertullianus, *uno lino decies ſeſtertium inſeritur*. Unde *dilinum*, *trilinum*, *tetralinum* p.683. l.30

Livianum æs in Gallia à Livia Auguſti uxore dictum, velocis defectus. Admodum exiguum invenitur. Inde igitur χαλκολίβανος nomen non habuit p.886 l. 70.

Locuſtam Grammatici deducunt à locis uſtis, cum à loquutione dicta ſit, quod pluribus probatur pagin. 474. l. 1.

Loramentum, Gr. ἱμάντωσις, lignum quod ad continendos parietes in medio ſtructuræ ponitur. Vide Gloſſas, & Sirach. 22. 18. & Hieronymum in Habac. 2. 11. p.612. l.31

Mares Italiæ incola antiquiſſimus, Centauri ſpecie, cujus nomen idem ſignificat quod Gr. ἱππομιγὴς, forte *mantas* p.814. l.8

Marrugina, palmiti ſpecies, forte μάργαγνα pag. 645. l. 2.

Mellita vel *mitellita* quid ſit ignoratum in his Sueton, Neron. *Indicebat & familiaribus cœnas, quarum uni mellita* (MSS. *mitellita*) *quadragies ſeſtertium conſtiterunt*, id eſt centena aureorum millia ex Budæi ſupputatione p.515. l.30

Muliones, culicum genus, ex eo dici putant quod mulis ſunt infeſti. Plinius tamen ſolum de apibus ſcribit, *impugnare eas è culicum genere qui vocantur muliones*. Et alibi, *Eos qui arborarii proroſtrum habeant, & mella eximant ab apibus non attingi*. Nec plura de mulione: Niſi quod paulo ante tradit in *culicum genere muliones non amplius quam uno die vivere*. Quod ipſum de בקא *bacca* legitur in Cholin p 566 l.53

Mulſum eſt οἰνόμελι, id eſt potus ex melle & vino confectus. Talmudici אינומלין *oinomeli* dicunt eſſe *vinum mel & piper ſimul mixto & temperato*, quod potius eſſet *conditum*.

N epentheticum in Romanis vocibus euphoniæ cauſa ſæpe additur. Talia *longo* ex λόγχω. *linquo* ex Æolico λίπνω pro λείπω, *tango* ex θίγω. *pango* ex ...

ex πάγω pro πήγω, *denſus* ex παχὺς, *pinguis*, ex παχέος, &c. p.62. l.57
Nepa pro ſcorpione, vox Aſtorum, unde deducta p.633. l.60.
Nidus pro pullitie, continens pro contento. Virg. de merope & hirundine, *Ore ferunt dulcem nidis immitibus eſcam*, id eſt crudelibus pullis, inquit Servius. Et Nonius: *Nidos non ſolum domicilia avium, ſed etiam fœtus earum Virgilio autore dicere poſſumus* p.176. l.70
Nominativa Latina ex Accuſativis Græcis orta p.588 l. 18.
Nympharena (lapis) *urbis & gentis Perſicæ nomen habet, ſimilis hippopotami dentibus*. Ita Plinius p.762. l.25. נִיב *nib* vel *niph* Chaldæis erat dens exertus hippopotami. Et *Ariene* ſeu *Ariana* gens Perſica, à qua lapis ille *Niph-Ariene* dici potuit p.762. l.22.
Obſidianum vocat Plinius, tanquam ab Obſidio inventore lapidem Æthiopicum nigri coloris & translucidi, & ſpeculi inſtar imagines reddentem. Sed ὀψιανὸν ἀπὸ τῆς ὄψεως appellari mavult Salmaſius. Nempe vocatur ὀψιανὸς λίθος ab Arriano & aliis, *Obſianus* ab Ulpiano poſt Servium, ab Iſidoro *Obſius* p.874. l.58
Onyx murreus in Propertio non eſt unguentum, ſed vas ex murrha ſeu *porcellanâ* ut vocant. Onyx à materia dictus, quia ex onyche lapide hujuſmodi vaſcula fere conſtabant p.805. l.19 De onyche aromatico vide Ὄνυξ & Hebr. שחלת *ſchcheleth*.
Orca unde dicta p.588. l.20
Orphanus lapis in tenebris lucens, Lychnin aut Lychnitem veterum ita vocant recentiores p.710. l.64
Palangæ Nonio fuſtes teretes qui navibus ſubjiciuntur, cum attrahuntur ad pelagus, Polluci φάλαγγες καὶ φαλάγγια. Hinc *Palangarii*, qui aliquid oneris fuſtibus tranſvehunt. Sic Hebr. פלך *pelec* baculus teres, & Arab. فلك *phalaca* teretem eſſe. Hinc *palangas* vocat Plinius quas Herodotus φάλαγγας ἰδίως, p.143. l.42
Paſſer fœmina, in Gloſſis *paſſa*, ex Æolico πίζα pro σπίζα, id eſt fringillus avis paſſeri ſimilis. Heſychius: Σπίζα, ὀρνιθάριον στρουθῷ παρόμοιον, pagin. 147. l.6.
Paſſer marinus in Plauto & Auſonio eſt ſtruthio, ut Gr. etiam στρουθὸς dicitur. In Nicandro στρουθὸς κατοικάδιος id eſt gallinæ p.146. l.63
Perna, pinnæ ſpecies, quam hiantem ait Plinius in arena ſtare defixam, velut ſuillo crure, unde illi *perna* nomen. A quo *perla* vulgare, non à *perula* ut volunt p.682 l.48. Pernam enim pro margaritâ uſurpavit inferior Latinitas ib. l.56
Picatos quoſdam appellari ait Feſtus, quorum pedes formati ſunt in ſpeciem ſphingum, quas Dorii phicas vocant p.827. l.70
Pinna, concha margaritifera, vide in Græcis.
Pipiones ſunt pulli columbarum. Sed pipiunculus eſt accipiter p.178. l.30
Platea dicitur pelecanus à roſtri latitudine p.301. l.57
Popa ex Æolico φύπας pro θύτης, vide in Βιβλίον.
Protelis boum ſilurum è Danubio extrahi dicit Plinius, id eſt boum tractibus p.750. l.15
A pulicibus dici putatur *terra dipulici*, Siciliæ ager circa Pintiam urbem, cum à templo Pollucis ibi olim culti nomen habeat p.587. l.42
Purpura pro πορφύρα cur dicta, vide in Βιβλίον.
Purpura ex tribus conchatū generibus, purpurâ propriè dictâ, conchylio & murice ſeu buccino p.734 l.70. Quæ licet promiſcue ſumantur, maxime à Poetis, tamen ab iis diſtinguuntur qui loquuntur accuratius p.735. l.5. & 23
Purpuram propriè dictam non commendat cœruleus color, ſed ruber p.738. l.59. Hinc purpuræ colorem Poetæ ſanguini tribuunt. Item Soli, Auroræ, vino, uvis, moris, narciſſo, roſæ, papaveri, violæ, puellarum labris aut genis, maxime in pudore, amethyſto &c. p.732. l.16. Itaque purpureum, coccineum & puniceum colorem promiſcue ſumunt tam ſacri quam profani ſcriptores p.733. l.9.
Præter purpuram marinam purpuræ factitiæ fuerunt variæ ſpecies, puta ex vacciniis, ex alga Cretica, ex amorge herbâ in inſulâ Amorgo, & ex alia herbâ purpureâ in Abaſenis, ex Iberâ ferrugine, ex flore purpureo ad fontes Hyparchi fluminis. Denique ex Indicâ ſandice, quæ fuit divini fulgoris p.737. l.44. Proinde purpura marina ſæpe dicitur θαλασσίτης p.738. l.20
Purpureus quandoque uſurpatur pro ſumme candido. Horatius, *purpureis ales oloribus*. Albinovanus, *Brachia purpurea candidiora nive* p.688. l.33
Pyropum æs fiebat, cum æri coronario in ſingulas uncias ſex addebantur auri ſcrupuli, id eſt quatuor æris partibus auri quinta. Pyropum dicebatur, quia ignem fulgore ſuo referebat p.878. l.71. Ii refelluntur quibus pyropus eſt carbunculus p.879 l.31.
Ranam dicit Varro ab ſuâ voce eſſe dictam p.651. l.9
Ricinus κρότων, animal pediculo cognatum, ejuſdem turpitudinis, infixo ſemper ſanguini capite vivens. Unum animalium cui cibi non ſit exitus &c. pag. 578. l.65. Magiſtris קרדא *karda* dicitur p.628. l.41.
Rutilare dicuntur non ſolum quæ vere rubent, ſed & quæcunque ſplendent, ut Luna & ſtellæ. Hinc Philoxeni Gloſſæ, Λάμπω, niteo, ſplendeo, rutilo p.688. l.25.
Salarium, Plinius de ſale: *Honoribus etiam militiaque interponitur, ſalariis inde dictis, magnâ apud antiquos autoritate*. Item *Ancus Martius Rex ſalis modia ſex millia in congiario populo dedit*. Proinde Eſdr. 4.14. ad Artaxerxem ſcribunt Samariæ præfecti, *Sale palatii ſalimur*. Pro quo Junius, *Salarium de Regis palatio percipimus* p.40. l.54
Salus avicula quæ & Ægithus p.90. l.25
Sanguiſuga à ſuctu ſanguinis Plinii ævo dici cœpit quæ prius hirudo vocabatur p.796. l.59
Sanqualis avis, vel eſt oſſifraga, vel oſſifragæ pullus p.187. l.38.
Scorpiacum in Tertulliano eſt antidotum vel potio adverſus ſcorpios p.643. l.57
Scorpio machinæ genus quò mittuntur ſagittæ 1. Machab. 6. 51. σκορπίδια εἰς τὸ βάλλειν βέλη. Idem ex Polybio, Cæſare, Hirtio, Plutarcho, Tertulliano & Vegetio confirmatur. Et Vitruvius catapultis & ſcorpionibus ſagittas mitti docet, & baliſtis lapides. Huic tamen διαμέτρως oppoſitus Ammianus ſcribit ſcorpione lapides, & baliſta ſagittas mitti p.645. l.17 &c.
Scorpionem pro virgâ nodoſâ & aculeatâ uſurpant Iſidorus & alii ſcriptores ejuſdem notæ p.645. l.8. Forte ex 1. Reg. 12. 11. p.644. l.36
Scorpionis caudam in ictu ſemper eſſe cur dicat Plinius p.638. l.50
Sibilus Iſidoro *idem eſt qui regulus. Sibilo enim occidit*, (inquit) *antequam vel mordeat vel exurat*. Itaque ut Latine ſibilus à ſibilo; Ita Hebr. צפע *tſepha* vel צפעני *tſiphoni* dici potuit à ſono quem edit inter ſibilandum p.401. l.40
Sirena Hieronymo, Iſidoro & Eucherio dracones magni criſtati & volantes p.429. l.67. Quæ animalia ſunt tam fabuloſa quam Poetarum Sirenes.
Siri horrea ſubterranea in quibus conduntur fruges, Gr. σιροί, vox à barbaris ſumpta, Hebr. אוצרות p.594. l.51.
Solpugæ, *Citra Cynamolgos Æthiopas*, inquit Plinius, *latè deſerta regio à ſcorpionibus & ſolpugis gente ſublata*. Quod idem Græci qui narrant Agatharchides, Diodorus, Strabo & Ælianus, pro ſolpugis habent πλῆθος φαλαγγίων, *multitudinem phalangiorum*, quæ ſunt in aranearum genere. Proinde Solinus & Iſidorus *ſolifugas* araneæ formâ deſcribunt. Alibi tamen Plinius *ſolifugas* formicis adſcribit. Sed in phalangii ſpeciebus μυρμήκειον eſt à formicæ ſimilitudine dictum, cujus meminerunt multi veterum. Itaque *ſolpuga* vel *ſolifuga* aut eſt μυρμήκειον, aut ſimile animalculum, mediæ formæ & naturæ inter formicam & araneam p. 540. l. 22.
Soporatus Virgilii vox, apud quem Æneas Cerbero objicit *melle ſoporatam & medicatis frugibus offam*. Pro quo legi vult Turnebus *melle ſaporatam*, id eſt conditam. Quâ voce utuntur Tertullianus, Arnobius & Marcellinus. Sed illam Auguſti ævo non puto à quoquam fuiſſe uſurpatam. Neque verum eſt quod negat vir ſummus, ullam eſſe in melle ſoporandi vim p.531. l.44
Spelunca unde dicta p.588. l.21
Spondylus quæ pars purpuræ, vide in Τράχηλος.
Sporta unde dicta p.588. l.20
Striges quomodo à Poetis deſcribantur p.832. l.50
Subis apud Nigidium avicula quæ aquilarum ova frangit. Ita Plinius. Sicut in Ariſtotele ἡ σίττη κατάγνυσι τὰ ᾠὰ τοῦ ἀετοῦ p.794. l.6
T pro Græco Θ in *lateo, opto, intueor, tumeo, tui, talla, veſtis* &c. p.615. l.38
Tabanus Græce μύωψ, vide *Aſilus*.
Tæda unde dicta p.588. l.21
Tarmes Feſto *genus vermiculi carnem exedens*, Iſidoro *vermis lardi*. Sed in Vitruvio *abies alit tarmitem* p.627. l.13
Teredo, ligni vermis, propriè in nave natus. Vide Τερηδών.
Tineam à tenacitate Iſidorus & alii dictam aſſerunt, cum fiat ἀπὸ τοῦ φθίνειν, quod tabeſcere & corrumpi ſonat. Periit initiale φ, ut in Θὴρ pro Φθὴρ, & Θειροφάγοι pro Φθειροφάγοι p.615. l.35
Tranſenna cavea in quâ per dolum capiuntur aviculæ. Plautus, *Nunc ab tranſenna hic turdus lumbricum petit*. Et in Perſa, *Hunc ego hominem hodie in tranſennam doctis ducam dolis* p.90. l.48
Truo, veteribus Romanis onocrotalus. Nempe *trua* vaſis eſt genus, vox Pomponii & Titinnii, cujus *trulla* diminutivum. *Gloſſæ*, *trua* vas, *truo* vero ὀνοκρόταλος ſup. ſonat. Ita legendum, p.275. l.5. Vide Κάλως & כוס.
Tuci Iſidoro ſunt cuculi. Videtur eſſe Hiſpanica vox vetus p.179 l.68
Vaneſcere ſemen in ſiccitate, & imbre putreſcere dicit Plinius. Sed utrumque ſignificat, Hebr. עבש vel עפש & Gr. πύθεται p.472. l.24
Velia, veſper, veſtis, Veſta, vomo facta ex Græc. Ἔλεια, ἕσπερος, ἐσθής. Ἑστία, ἐμῶ. præfixo *digamma* Æolico. Ita etiam *vermis* ex ἕλμινς, & λ mutato in r p.619. l.46
Vermis nec à vertendo, nec à verrendo, nec à vere dicitur. Sed à Græco ἕλμινς. Et ἕλμινς lumbricus, quaſi εἴλμινς, ἀπὸ τοῦ εἴλειν, quia varie torquetur & convolvitur p.619. l.42
Veſpa, vide *Crabro*.
Vipera quaſi *vipara* aut *vivipara* p.364 l.26
Vipio, id eſt grus minor Balearibus in honore menſarum p.79. l.31
Uniones, μαργαρῖται μεγάλοι, καὶ μονόκοκκοι. Ita Gloſſæ optimæ. Nempe Latine unicum dicitur quicquid in ſuo genere eſt eximium, quod ex Afranio, Catullo, Propertio, Feſto probatur. Hinc in Jugurthino bello unionum nomen impoſitum maxime grandibus margaritis prodit Ælius Stilo p.679. l.56.
Volvox, vide *Involvolus*.
Vrogallus Germanis Orhan / galli ſylveſtris genus vulgari duplo majoris. Albertus appellat urogallum. Elias נגר מורא *gallum montanum* Germanice vocari ait אורהאן *uuerhan*. Geſnerus putat eſſe Plinii *tetraonem*. Ab uris ſic dici volunt, quaſi magnitudine tantum ſuperet vulgares gallos, quantum uri vulgares boves p.345. l.20
Vruncum infima ſpicæ pars, ut *frit* ſumma, p.590. l.30.

INDEX RERUM

Quæ in ſecunda parte hujus Operis explicantur.

Aron quomodo percuſſerit omnes aquas Ægypti p.660. l.8
Ababilo, ignotæ aves quæ lapidibus in igne gehennæ coctis eos impetiverunt qui cum Abaſenorum rege Abraheth Meccham obſeſſuri venerant p.850. l.18
Abantes in Eubœâ unde dicti p.135. l.6
Ab Abaſenis ſeu Abiſſinis populis dicta locuſta حبشان *habaſan* p.463. l.47
Abraheth Rex Abaſenorum quando vixerit, & quid fecerit p.61. l.60
Acanthii folia araneoſâ lanugine obducta pag. 607. l.22.
Acari ſeu *cirones* p.578. l.47
Accipiter נץ *nets* Hebraice dictus à volatu quo maxime præſtat, quod Homerus & alii Poetæ docent p.260. l.19.
De accipitris celeritate hiſtoria inſignis pag. 266. l.69. & 74.
Accipiter, ut aquila, Solem inconniventibus oculis intuetur, nec inde quicquam offenditur p.270. l.33.
An accipiter per prudentiam tuam יאבר *plumeſcet* Job. 39.29. id eſt πτεροφυήσει ut Jerem. 51. in רברי de ſagittis quas Poetæ πτερόεντας & pennigeras vocant pag 269. l.25. Aliis יאבר *volabit* non

non abſurde, quia migratoria eſt avis & ſub hyemem volat ad Auſtrum, ib. l.73. In Græco quædam addita, & quorſum p.270 l.20
Accipiter in plumarum defluvio cur alas ad Auſtrum expandat p.269. l.60
Accipiter cur dicatur ἱέραξ & ſacer ales pag. 267. l. 30.
Accipiter Arabice ſacer dictus à viſus acumine p.267 l. 50.
Accipitrem occidiſſe in Ægypto lethale crimen p.267. l.46.
Accipiter ventorum & ignis ſymbolum, & Soli conſecratus p.267. l.10
Accipitris nomine in Jobo R. Sclomo Angelum intelligit Auſtrali vento præfectum p.270. l 41
Accipitrum ſpecies p.68. l.67
In accipitrum ſpeciebus Arabes صقر ſacrum nominant, qui in tres ſpecies ſubdividitur. Harum prima ſacer proprie dictus, ſecunda كونج chauneg, tertia يويو juju à ſuo clamore vocatus, qui Arabice eſt يايا jaja. Avis parva, brevis caudæ, pernicitate & audacia inſignis, ad alaudarum venationem adhiberi ſolita, Germanis Smirle/ Gallis eſmerillon, cujus perſpicaciam Arabes ſumme prædicant. Hebr. איה aja Levit. 11. 14. & Job. 28. 7. ubi de ejus oculo. Græce ut putant αἰγώλιον p.192. l.63
Accipitris ſpecies الباشق albaſak, Alkazuinio avis pulcherrima, minima rapacium, quæ venatur paſſeres, id eſt niſus ſeu ſparverius p.281 l.60. Sed eadem in Damiricattagenes, columbas & turtures venatur. Et ſi avem aggreditur ſe fortiorem eam non dimittit, donec alterutra pereat. Probantur imprimis ſtaturâ parvæ, pondere graves, longæ cruribus, femore breves p.282. l 46
Accipitris ſpecies שרנקא ſarneka Chald. سرنوق ſarnuk Arab. Hujus deſcriptio p.354. l.10
Accipitris triorchis ſeu buteonis deſcriptio p. 266. l. 59.
Accipitrem cur Chryſoſtomus inutilem judicet. Demetrius utiliſſimum p.270. l.55. & 61
De arte per accipitres aucupandi multa Firmicus qui ſub Conſtantino vixit p.271. l. 35. Proſper quoque, & Sidonius, & concilia Galliæ, ib. l.71. &c. Artis rudimenta in Cteſia, Ariſtotele, Antigono, Plinio, Martiale, Oppiano & Apuleio, ibid. l.1. &c.
Accipiter piſcis p.271. l.34
Ἀκρίς locuſtæ ſpecies in Creta p 450. l.44
Acrabatan in Æthiopia, Æliano Arrbatan p. 642. l.34. Lacus cujus accolæ à ſcorpionibus pulſi, ibid. l.31.
Ægithus, aliis ſalus, avicula p.90. l.25
Ægyptios cur Deus modo immediate modo per ſervos ſuos percuſſerit p.577. l.14
In Ægyptiorum perniciem cur Deus beſtiolis ſit uſus p.579. l.1.
Ægyptiorum abominationem ſacrificare quid ſit p.559. l.45. & p.561. l.5. Boves, oves & hirci in Ægypto culti, ib. l.48. & quam ſuperſtitioſe p.560 l.1. 39.
Magi Ægyptii tribus quaſi gradibus dejecti p. 581. l.70.
Æreus, id eſt fortis p.759. l.7
Æris multæ ſpecies quibus aurum eſt admixtum, aut quæ auro colore vel pretio ſunt ſimiles p.877 l.68.
Æs Corinthium ex auro argento & ære p.879. l.45. Hujus tres ſpecies, ibid. l. 47. Uſus longe antiquior Corinthi excidio ib. l 54
Æs Perſicum vel Indicum ſolo odore ab auro dignoſci, ex quo Darii Batiaca p.877 l.73. De quo, ut videtur, mentio Eſdr. 8. 7. Et ex eodem vaſa templi juxta Joſephum p.878. l.21. & 41
Æs coronarium dictum, quia ſpeciem auri in hiſtrionum coronis præbet, Græce χολόβαφον, quia taurorum felle tinctum p.878. l.47
Æs Moſſynæcum orichalcum album p.883. l.14
Æs pyropum, vide in P.
Æs in Cypro, montibus Chryſeis, Carmelo, Fenno p.886. l.3.
Æſalo ſemper apparet p.270. l.9
Æſtas & meſſis in Scripturâ ſynonyma p 593. l. 44. ſed æſtas ibi pro vere ib. l 56
Æthiopicæ voces ex Hebræo inverſæ p.137. l.42
Agathodæmones p 429. l.49
Aja איה accipitris ſpecies, de quo in Accipiter
Ajin Hebræum Arabes in Gain mutant pag. 584. l.58.
Ἀκανθὶς & ἀκανθυλλὶς Gallis ſerin, tanquam à Sirenum cantu, Heſychius & Arabes ad paſſeres referunt p. 147. l.62
Ἀκέρατος ſimplex, non excornis ut quidam volunt p.20. l.64.
Ἀκρὶς, vide Locuſta
Alauda, vide Cuculus
Alborak, Mahumetis jumentum, quo Meccha Hieroſolymam vectus eſt noctis unius parte decimâ, unde in cœlum uſque evectus, Maccham rediit, poſt multa cum Deo & prioribus Prophetis habita colloquia p.848. l.34
Albukir, aves albæ, quæ circa Antinoum in Thebaide quotannis congregari dicuntur, & totâ die certo foramini caput inſerere atque eximere, donec una aut altera capta maneat. In quo ſi duæ hæreant annus eſt ſumme fertilis, ſi una, mediocris, ſi nulla, prorſus ſterilis p.850. l.66
Alcyon, vide Halcyon
Algeſſaſa, jumentum Antichriſti in Rubri Maris inſulâ latens p.848. l.4
Alharits Muaviæ filius aucupii per ſacros primus autor p.268. l.63
Alkavvand id eſt Alcyon, ubi quædam petita ex hiſtoria ciconiæ p.861. l.18. Item alkavvand olei genus p.862. l.28
Altellus Romulus cur dictus p.876. l.63
Alvus elephanti mollior, hippopotami non item p.757. l.18.
Ambarum (Lat. ſuccinum) alii dicunt eſſe bovis aquatici ſeu phocæ ſtercus p.864. l.60. Alii ejici volunt à piſce عنبر anbar, balænæ ſpecie Mauritanis & Æthiopibus p.865. l.40. Alii ex piſciculo haberi. Avicennæ locus inſignis ab interprete omiſſus, de ambaro ex mari Germanico ſeu Balthico pag. 866. l.61. De eodem loca veterum p.867. l.8.
Ambubaja unde dictæ p.633. l.66
Anca عنقا vel Anca megareb ſeu occidentis, Arabibus avis fabuloſa tantæ molis ut elephantes rapiat quomodo milvus murem, quæ cum aliquando ſponſam cum monilibus ſuis rapuiſſet, eam Handala illorum temporum Propheta relegavit in inſulam hominibus inacceſſam p.852. l. 21. Itaque Saadiam Aben Ezra merito videbitur arguere, quod Levit. 11. 13. hanc avem ponat in cenſu avium à Moſe prohibitarum cum non conveniat, inquit, ut Deus prohibeat uſum rei quæ nuſquam fuit. Sed vox eſt æquivoca: Nam inter veras aquilæ ſpecies una eſt quæ, quia reliquis major eſt, vocatur anka megareb p 812. l.42
Angari cum gruibus celeritate curſus certabant p.80. l.15.
Animalium paria quinque à Talmudicis obſervata, in quibus debilius fortiori metum incutit p.791. l.63.
Ἀνόπαια in Homero avis aquilini generis, oſſifragæ ſimilis, forte Hebr. אנפה anapha pag. 337. l.66.
Ἀνθρήνη Græce crabro. Origo vocis p.543. l.63
Anubis canino nomine & capite p.62. l.71
Apis bos ab Ægyptiis cultus alludit ad Hebr. אביר abir p.62. l.73
Apis Hebr. דבורה debora dicta à mirabili ductu & ordine p.502. l.52
Apis ubique clara & amabilis p.515. l.39
Apis ἐργάτις dicta p.513. l.38
Apis ἐργατίνη cur dicta σοφή: in eam vocem conjecturæ p.513. l.50
Apis cum formica paſſim jungitur p 512. l.20
Apis imitanda ſæpe præponitur pag.512. l.71. Hinc mulier frugi ex ape nata fingitur, & cum ape ſæpe confertur p.513 l.14. Et illuſtribus fœminis impoſitum Deboræ & Meliſſæ nomen ib. l.28
Apis labores, id eſt mel, ad ſanitatem & longævitatem conferre p.514. l.16. Exemplo ſint Pythagoras, Glaucus, Democritus, Pollio Romulus ib. l.60.
Apis parva in volucribus, & principium dulcedinum fructus ejus, id eſt ſumme dulcis Sirach. 11. 3. Vera mens illius loci, quem alio detorſit Epiphanius p.516. l.20. 35
De ape locus inſignis Prov. 6. 8. in Græco textu, qui in Hebræo non reperitur. Sed ex Græcis exſcripſerunt Arabs interpres, Caſtalio & multi Patres p.511. l.39. Is multis explicatur ibid.
Apes audire quidam negant. Tamen ad Eſ. 7. 18. apes ſibilo vocari ait Cyrillus, ut alii tinnitu æris & colliſis teſtis terreri p.506. l.20. Ariſtoteles hic ambiguus p.507. l.13
Apes in bello hoſti objectæ, p.510. l 4
Circumdederunt me ut apes κηρίον favum. Ita Græci Pſalm. 117. 12. ſed voce κηρίον perperam additâ p.511. l.11. & 25.
Examen apum & mel Jud 14. 18. id eſt examen apum mellificarum, ἐν δὲ δυοῖν p.511. l.7
Apes fumo irritari legitur Deut. 1. 44. in Syro, Chaldæo (à nobis emendato) & Arabe manuſcripto p.507. l.43. Id Græce ἐλίσσειν & ὀνεύειν, & Arab. جلا giala. Vas quo fumigantur Hebr. מדף maddaph p.508. l.29. Ex apum fumigatione ductæ ſimilitudines, ut à Moſe, ſic à Poetis ibid. l. 50.
Apibus merito conferri hoſtes infenſiſſimos Pſ. 118. 12. & Eſ. 7. 18. quia apes ſunt fortiſſimæ, nec animalia vaſtiſſima infeſtis aculeis aggredi timent p.507. l.39.
Apes ab Herodoto è Scythia perperam excludi, ut animal δύσριγον p.504. l.66
Apibus adulteri à Judæis nudi expoſiti pag. 510. l. 33.
Apum multitudinem loca quædam inacceſſa reddidiſſe p.504. l 6. & 510. l 30. Ut loca trans Iſtrum p.541. l 20.
Apes Lucullo adverſæ, & Rhauciis Cretæ populis, p.541 l.21. 29.
Apes non ſolum ex apibus, ſed & ex bove naſci p.502. l.65. Quomodo id fiat ibid. l.71
Apes quomodo opus ſuum conficiant ignotum p.513 l.55. Quod ut ſciret Ariſtoteles fecit alvearc vitreum p.514. l.1
Apes quomodo à Samſone repertæ in leonis cadavere, cum inde non naſcantur, & à carne abſtineant, & graves odores fugiant, & apes in alvean mortuas ſuperſtites efferant, ne tetrum odorem exhalent p.503. l.70. Reſp. 1. Apes ibi repertæ, non natæ. Refelluntur qui credunt apes quaſdam eſſe λεοντογενεῖς, & leoninâ ferociâ. 2. Cadaver leonis in quo apes fuit σκελετόν. Mel etiam poſt annum ibi repertum. Sic apes mellificæ in Onesili capite, & in Hippocratis ſepulchro, & in aliis Veronæ p.505. l.26
In apibus ſapientia p.515. l.54. Pars etiam divinæ mentis p.516 l.18
Aquaticis fœno paſci rarum eſt p.756. l 40.
Aquatilia in montibus paſci quam paradoxum p.762 l. 68.
Aquila αἰετὸς Græce ex Hebr. עיט ajit pag. 165. l. 5. Aliis ἀπὸ τοῦ ἀίσσειν, quod eodem redit p. 172. l. 40.
Aquila Hebr. נשר neſer falſæ vocis origines rejiciuntur. Vera aperitur p.164. l.57 & 65
Ab aquila nomen eſt Aquiloni p 170 l 39
Aquila magnis alis, quas in volatu maxime extendit. Poetis τανύπτερος p.169. l.73. In Homero alas habet januæ pares p.170. l.12. Alibi ad ſeptem ulnas ibid. l.19
Aquilam pro Rege avium habent Græci p.161 l.14. Romani p.163. l 9. Ægyptii, ibid. l.21. Arabes, ibid. l.25. Partes ib. l 34
Aquilæ alæ cur Eccleſiæ dentur Apoc. 12. 14. p.183 l. 56.
Aquilæ alæ tribuuntur receſſuris in loca remotiſſima Apoc. 12. 14. & Pſal. 139. 9. In Syro, Arabe & Æthiope p.171. l.45. Sed aliter in Hebræo, ibid. l. 57.
Aquilæ alas aſſumunt fluxæ opes Prov. 23. 5. Idem in Luciano p.171. l.60
Aquila draconem ſolo alarum fragore fugat p. 170. l. 30.
Aquilæ impetus ὅρμημα, Poetis ὁρμὴ pag. 170. l. 56.
Aquilæ volatus conſtans, & in loca remotiſſima p.171. l.25.
Aquila quo ſenſu in cœlum volare dicatur, & nidum habere inter ſtellas p.172. l.54
Aquila quam ὑψιπέτης pag. 172. l.6. Proinde in ſinu Jovis eſſe credita & fulminis adminiſtra, ib. l.31. Et ad ignem elementarem efferri, & ad radios Solis exuri, l 32. Et è rogo in cœlum ferre animas Cæſarum ib. l.34
Aquilâ velocior, id eſt velociſſimus p.170. l.67
Aquila in prædam ruit inſtar fulminis pag.170. l.16. Nulla avis volat vehementius ibid. l.29
In aquilæ roſtro quid ſingulare p.165. l.1
Aquila cur Homero ἀγκυλοχείλης p.165. l.30
Aquila Senioribus Ezek. 17. 3. 7. plena unguibus & multa unguibus p.165. l.35. Quod ſequuntur Syrus & Arabs, ibid. l. 40. Tamen Hebr. plena & multa pennis, ibid. l. 49. Quod opponitur glabræ ſeu calvæ, de qua Micheas, ibid. l. 56.
Aquilæ leonini ungues, qui roſtri formam imitantur p.165 l.8

Aquila-

Aquilarum eſt clangere, milvorum jugere vel lipire, accipitrum pipare, ut crocitare corvorum p. 193. l. 18.

Aquila in præruptis petris nidificat p. 173. l. 5. & 22. quia nidus ibi tutior, ibid. l. 49. Et ut inde cuncta diſpiciat, ib. l. 74

Aquilarum pili Dan. 4. 30. in Theodotione male *loonum* p. 166 l. 37. Fons erroris, ibid. l. 41. Pilos avibus recte tribui, ibid. l. 50. Pamelius notatus ib. l. 69. Accipiter quomodo plumeſcat Job. 39. 29 p. 167. l. 16. Hebræorum & Arabum de aquilæ renovatione fabulæ, quibus nonnulli veterum aſſentiuntur, ib. l. 22

Aquilâ nullum animal perſpicacius p. 174. l. 18. Ab acumine viſus dicta, ibid. l. 52. Solem intuetur oculis inconniventibus, ib. l. 54

Aquilæ multæ ſpecies à colore dictæ p. 169. l. 5. De aquila aſteria Ezech. 17. 3. ibid. l. 10. Syrum Apoc. 8, 13. caudam ſanguineam aquilæ tribuere joculari errore, ib. l. 29

Aquila cum pennas deponit μαδίζειν & πτερορρυεῖν dicitur, & Græcis hodie μυῖτεύει, Gallis *muer* pagin. 165. l. 58. Arabicè كرز *curiza*, ibid. 66. Calvitium avium, ib. l. 73

Aquila renovari dicitur Pſal. 103. 5. cum pennæ renaſcuntur Eſ. 40. 31. ubi notatur Syri error, pagin. 166. l. 14. & l. 33.

Aquilæ cum trochilo certamen p. 164 l. 50

Aqnila oculis maxime inhiat p. 176. l 22

Aquila nunquam bibit p. 174. l. 68

Aquila an veſcatur cadaveribus p. 175. l. 36

Aquilæ affectum erga pullos tenerrimum tribuit Moſes p. 176. l. 64. At Philoſophus aquilam ait pullos è nido ante tempus ejicere. quos oſſifraga ſuſcipit p. 180. l. 65. Sed contrarium eſt in Æliano, Oppiano & Hieronymo pag. 181. l. 8. Et ipſa pæne verba Moſis Suidas habet ex Philoſtrato, ibid. l. 32. Idem in Alberto de aſture, ib. l. 43 Aquila pullorum unum ejicit, quia non poteſt alere, aut tanquam alienum, ib. l. 50. & 69

Aquila quomodo pullos alis aut humeris geſtet, pagin. 179. l. 13. Fabulæ de regulo, Tilgamo & Ariſtomene aquilæ alis exceptis, ib. l. 23. R. Selomonis eâ de re commentum, ib. l. 47

Aquilæ nidus, id eſt pulli, p. 176. l. 68

Aquilæ pulli in nido fere ſinguli p. 178. l. 36. Tamen quandoque plures, adeoque ſeptem reperti, ibid. l. 50. 57. &c.

Aquilæ pullus גוזל *gozal*, dicitur καταχορτάς p. 178. l. 28.

Aquilæ pulli in Jobo ſorbent ſanguinem p. 174. l. 57. Aliter Aquila & Seniores ib. l. 61

Aquilæ pulli dum cibantur alas agitant p. 178. l. 13

Aquila quomodo pullos excitet, & iis incubet ex R. Selomone p. 177. l. 14. Melius Hieronymus, ibid. l. 29.

Deus aquilæ quomodo ſimilis p. 182. l. 33. An quia è duobus pullis, id eſt Jacobo & Eſavo, unum aluit, alterum abjecit ibid. l. 69. Potius quia ut aquila Iſraelitas verbo excitavit, ſuper eos Spiritu ſuo ſe motitavit, providentiæ alas expandit, eoſdem alis geſtavit & brachiis p. 183. l. 8

Cum aquila in Lege, & cum gallina in Evangelio cur ſe conferat Deus p. 183. l. 40

Aquilarum alis Deus Iſraelitas ſuſtuliſſe dicitur tribus de cauſis p. 182. l. 53. De eo fabulæ Judaicæ ibid. l. 62.

Aquilis Angeli ſimiles Ezech 1, & 10. Item Apoc. 4. 7. in nonnullis exemplaribus p. 183. l. 61

Aquilæ, Babylonis & Ægypti reges p. 184. l. 36. Sed ille major aquila, & varius pennis p. 185. l. 1. An quia aquilam habuerunt pro ſigno militari? p. 184. l. 48. Ut non ſolum Romani, ſed & Græci, ſi fides Senecæ p. 185. l. 4

Aquilis ſæpe collati Chaldæi & Aſſyrii pag. 185. l. 10.

Ut aquilæ, ita fideles, quomodo ad cadaver congregentur p. 184. l. 4

Aquila anataria quomodo frangat teſtudines è ſublimi jaciendo, quæ ſors Æſchylum interemit p. 180 l. 45.

Aquilas de quibus Chriſtus Luc. 17 37. Theophylactus haberi vult pro vulturibus. Et Tzetzes negat aquilas ullo modo cadavera attingere, uterque perperam p. 176. l. 2

Aquilæ ſpecies زمج *zummag*, barbaris *zumach* vel *zimiech*, Græcis recentioribus φιλάδελφος, Perſis *du bradran* (id eſt duo fratres) quia cum aquilæ reliquæ ſolitariæ ſint, hæc conſorte delectatur p. 336. l. 13. Idem de falconibus, ibid. l. 33. τῶ *zummag* deſcriptio ex Arabibus, ibid, l. 38. Huc

Pars II.

ſimilis *zummag aquaticus*, id eſt catarrhactes, pagin. 337. l. 15. Nomen ab ira factum, ut Hebræi אנפה, unde conjectura non levis eandem eſſe avem p. 616. l 36

In Arabia privatæ domus gemmas habent parietibus agglutinatas, p. 716. l. 38. In quibus *chelam* ſmaragdi genus ib. l. 45. Arabicæ urbis lateres ex auro fuſi, ib. l. 54

Araneæ nomen Hebræum unde deductum p. 603. l. 58.

Araneæ falſa nomina, Hebræa duo & Chaldæum unum quæ aliud ſignificant p. 604. l. 30. 44. 69

Araneæ Chaldæum nomen æquivocum, quo etiam ſignificatur herbæ ſpinoſæ & edulis genus, nempe ſyllibum p. 605. l. 71

Araneæ Chaldæum & Arabicum nomen ex Hebræo deductum p. 603. l. 3. Hebræum unde factum, ibid. l. 9.

Araneæ Arabica tria nomina, aut his ſimilia, in ſacro textu olim lecta p. 605. l. 9. 16. 33. 42

'Αράχνη unde dicta p. 608. l 48

Aranea an ab ἀράχνη, ut lana à λάχνη p. 608. l. 60

Aranea texit retia muſcis & culicibus venandis p. 603 l. 67.

Araneæ domus Job. 8. 14. id eſt ipſa tela, quia ibi degit & parit. Phraſis in Oriente frequens pag. 610. l. 20.

De aranea fabula in Chald. paraphraſi Pſ. 57. 3. Cui ſimilis in vita Fœlicis Nolani Epiſcopi pag. 611. l. 21. &c.

Ut araneæ opera, ſic impiorum molimina fluxa & evanida, Eſ. 59. 5. 6. p. 608. l. 70. Quod ad hæreticos referunt nonnulli Patrum, ib. l. 73. Alii ad aſtrologos pag. 609. l. 31. ut ad Sophiſtas Ariſto Chius, ibid. l. 45. Melius ad peccatores in genere ib. l. 50.

Aranearum telæ Eſ. 59. 5. קורי vocantur pro חורי *koph* & *Cheth* permutatis pag. 607. l. 32. שבבים Oſ. 8. 6. non idem ſunt, ut Hebræus quidam Hieronymo perſuaſit, ſed fragmenta, pag. 608. l. 3. Eædem telæ quomodo vocentur à Talmudicis p. 608. l. 24.

De telis aranearum quæ deciderunt, cum Monothelitas damnavit ſexta Synodus, & quomodo id acceptum p. 609. l. 25.

Extra arcam Noæ nulla quies p. 33. l. 54

Arceſilæ ἀργυραλγία p. 11. l. 2

Ardeam conchas jam abſorptas revomere ſcribunt Plutarchus & Ælianus quod alii de pelecano. Sed pelecanus ab ardeis nonniſi roſtro differt. Itaque iis accenſetur pag. 295. l. 20. Et Hebræum קאת *kaath* videtur eſſe nomen ardeæ commune cum pelecano. Itaque τῷ *kaath* ſe confert David ratione gemitus ſui Pſ. 102. 7. Ardeæ enim eſt clara vox, Et ejus ſpecies butaurus edit mugitus tam horribiles ut onocrotalo vix cedat, Itaque hæ duæ aves in eodem verſu recte junguntur, ibid. l. 60.

Ardeam iracundam deſcribit Ælianus, Proinde avis אנפה *anapha* (cui nomen ab ira factum) pleriſque recentiorum eſt ardea, Sed ardeæ vana & ſine viribus ira nihil habet conferendum cum irâ rapacium avium p. 339. l 62

Sicut arena multiplicabo dies, Jobi votum cap. 29. Cui ſimile Sibyllæ Cumææ votum, quæ *pulveris hauſti oſtendens cumulum, quot haberet corpora pulvis, tot ſibi natales contingere vana rogavit* p. 819. l. 73

Argaman ארגמן vel ארגון *argavan* rubra purpura, ex ejus conchæ ſanie facta quæ proprie purpura dicitur p. 736 l. 62. Græci & Hieronymus ſemper purpuram reddunt ib. l. 65. Hebræi rubram eſſe dicunt & *carmeſinam*, id eſt coccineam, & laccæ concolorem, ib. l. 66

Argentum unde dictum p. 9. l. 18

Argiavan ارجوان arbor Perſica. Ejus deſcriptio p. 741. l. 12. An ab eâ purpura Syrum & Arabicum nomen traxerit p. 742. l. 1

Argolæ ſerpentes ex Argo allati ad oppugnandas aſpides p. 449. l. 16

Aria & Margiana vicinæ provinciæ optimo vino fertiles. Vites ibi miræ craſſitudinis, uvæ bicubitales p. 703. l. 11

Ariſtodemus male pro Ariſtomacho p. 515. l 44

Armorum tria genera ex Arabiſmo nove explicata p. 785. l. 5.

Arrhatan, vide *Acrabatan*.

Artemiſiam Ægyptii cur vocent *cor Bubaſtis* pag. 63. l. 36.

Aſcendit rana, Exod. 8. 6. id eſt aſcenderunt ranæ. Numeri enallage Hebræis familiaris p. 660. l. 18. Magiſtri tamen ſibi fingunt unam præcile ranam ad Aaronis nutum ex aquis prodiiſſe, quæ reliquas aut pepererit, aut ſibilo ſuo evocaverit p. 660. l 32 36. 59 65.

Aſcenſus *Acrabim* p. 641. l. 41. Acrabatene duplex, ibid. l 43. Acrabeue prope Niſibim, Ptolemæo male Acabene ib. l. 51

Askar, monſtrum horrendum, informe, ingens, quod in extrema die fideles ab infidelibus inſcriptis notis ſecernet p. 848. l. 14

Aſida, vel חסידה *chaſida*, quæ ſit avis non ſatis conſtat. Cum alii ardeam reddant, alii fulicam, alii ciconiam, alii cygnum, alii milvum, alii vulturem album, alii aquilam, alii hirundinem, accipitrem noctuam, gruem, picam, otum, upupam, Indicam avem, ſtruthionem &c. p. 321. l. 56. Vide *Ciconia*.

Aſilus, Latina vox in Virgilio pro œſtro, jam uſurpari deſierat ævo Senecæ, pag. 546. l. 21. Vide Οἶστρος in Græcis.

Arignus locuſtæ genus circa Leptin Africæ, quomodo in Talmude p. 450. l. 21

Aſmodæus princeps dæmonum juxta pleroſque Hebræos p. 501. l. 34

Aſpis ſurda non dicitur, quod natura ſit talis p. 385. l. 34. &c. Aut quod ad cantum aures vere obturet ut volunt veteres, ibid. 61. Sed quia cantu non magis afficitur quam ſi ſurda eſſet, aut aures haberet obſtructas p. 391. l. 7. 13. &c.

Aſpidem à quâ morſa eſt Cleopatra Hebræi אפעה *ephe* vocant. Syrus quoque interpres, & Eutychius Alexandrinus hæc duo promiſcue ſumunt p. 358. l. 1. & 359. l. 40. Aliis אפעה *ephe* eſt *regulus*, aliis *draco*, aliis *volucer anguis* &c. pag. 359. l. 53 Nugæ Talmudicorum de *ephe* pag. 360. l. 10.

Aſpidis venenum crudele & inſanabile pag. 381. l. 7. Et omnium acutiſſimum, ibid. l. 13. Et ſtatim perimit, niſi morſa pars amputetur, ib. l. 20. Nec ultra quartam horam vivit ab eâ morſus l. 41

Aſpidis naturæ maxime convenit Hebræum nomen עכשוב *acſub* à retorquendo vel contorquendo factum, quia aſpis in contrarium ſerpit, & ſe ipſam in orbem contorquens pugnat, Argolici clypei formam ſpiris ſuis exprimens, qui proinde ἀσπὶς dicitur. Et convolutæ aſpidis circuli Græc. ὅλμος p. 380. l. 1. &c.

Super aſpidis foramen etiam pueros luſiſſe, ut Eſaias prædixerat p. 382. l. 7. &c.

Aſpides in Ægypto ſerpentum longe maximæ & πεντάπηχυς, quæ draconum eſt magnitudo p. 381. l. 38. 67. Inde פתן *pethen* non ſolum aſpidem, ſed & draconem ſonat, quomodo ſumunt Græci & Syri interpretes, p. 383. l. 10. Itaque פתן *pethen* & תנין *thannin*, id eſt draco, ſunt ſynonyma Pſ. 91. 13. & Deut. 32. 33 ubi Jonathan habet פיתוניא *pithunja* ſeu *Pythones*, ibid. l. 18

Aſpides non poſſe incantati docet Ælianus pag. 391. l. 56.

Aſpides pictæ in regum Ægypti diademate invictum imperii robur ſignificabant p. 381. l. 38

Aſſarium idem quod as p. 157. l. 55. Quaternos noſtræ monetæ denarios valuit, ibid. l. 71. Hiſpanicæ tres *maravedis* p. 158. l. 2. Maimonidi pondus aſſarii quatuor granorum eſt ibid. l. 16. Arabi *follis*, ib. l. 19.

Quæ aſſe veneunt vilia habentur p. 158. l. 30

Aſtaboras Nili ramus à veteribus creditus p. 77. l. 1. ubi oriatur ibid. l. 2

Aſtur palumbarius de quo Firmicus p. 269. l. 8

Atarnitæ, vide *Rhizophagi*.

Atergatis, vide *Attaga*.

Attacus, vide *Locuſta*.

Attagen in cibis per Legem conceſſis pag. 348. l. 4.

Attelabus, vide *Locuſta*. Unde dicatur pag. 448. l. 58.

Avis quæ propriam umbram rapit varia nomina, p. 11. l 68. Eam non eſſe graculum, ſed paſſeris genus pag. 12. l. 68. Quomodo Arabice vocetur p. 177. l. 62.

Avis Indica palumbi ſpecie, cui cum venenum admovetur, lachrymæ oboriuntur, & in lapidem obdureſcunt, cujus contriti pulvis ſanat vulnera, p. 851. l. 63.

Aves aquaticæ etiam in deſertis degunt, quia non omne deſertum eſt inaquoſum pag. 296. l. 70.

Aves immundas recenſet Maimonides. Sed earum nomina interpretari ne conatus quidem eſt. Tantum ad traditionem amandat, quæ nuſquam extat, aut ad peritos aucupes, quales hâc in parte nulli p. 354. l. 40

Aves immundas in Lege prohiberi propter cauſas myſticas p.355 l.43. Ea de re multa ex Patribus. ibid. l.55.

Aves rapaces omnes immundæ. In aliis tria ſigna requiri, aut ſaltem horum unum, ut pro mundis habeantur p.355. l.22

Aves quarum unâ cæſâ, alterâ emiſſâ purgatur leproſus, Levit.14. Sunt aves quævis mundæ, non ſpeciatim paſſeres p.150. l.63. In illo ritu multa myſteria p.151. l.17

Aves pueris & puellis queis cum luſitent pag. 772. l.35.

Aves multæ à locis dictæ, ut Phaſiani, Afræ gallinæ & Numidicæ, Seleucides, Garamantides. In his Περσικὸς ὄρνις ἢ Μηδικὸς p.136. l.51.67

Aves etiam maximas voce צפור *tſippor* ſignificari, non ſolos paſſeres, aut aves minutiores, ut putant Mercerus, Schindlerus, alii, p.145. l.38. Tamen etiam paſſerem quandoque dici צפור *tſippor* p.146. l.27. Στρουθὸς & paſſer voces pariter ambiguæ p.149. l.58.70.

Aurichalcum q. d. metallum ex auro & ære conflatum pag.880. l.41. Quin aurichalcum idem eſt quod orichalcum, id eſt montanum æs p.881. l.6. Cur ita dicatur, ibid. l.7. Aurichalcum nonnullis æs vulgare, ib. l.54. At orichalcum olim magni fuit pretii p.882. l.6. Et inter præcipuos ornatus p.882. l.16. Dubitant quidam an vere fuerit unquam, ib. l.50. Plato, Ariſtoteles, Plinius, Pollux extare negant, ibid. l.51. De eô Plinii locus emendatus ib. l.64

Auroram ſuper montes ſpargi. Joëlis phraſis poetis quoque familiaris p.473. l.51. Cum Aurorâ ſic ſparſa futura mala cur conferantur ib. l.43

Aurum unde Græce χρυσὸς p.9. l.62

Auri nomen Æthiopicum p.9. l.69

Aurum cur pallidum p.9. l.68

Aurum olim apud Caſandres metallorum viliſſimum p.706. l.68

B, M, & F. literæ permutabiles p.588. l.5

Babylone Beli regia aurotecta & ſtrata pag. 716. l.32.

Bacchus hirci formam ſumpſiſſe cur fingatur pag.63. l.26.

Baharain vel *Bahren*, inſula in mari Perſico magni nominis propter unionum copiam pag. 677. l.11. ubi ſita p.675. l.15

Baharain, id eſt διθάλασσος ſeu bimaris unde appelletur inſula margaritifera p.678. l.1. 11

Balaam quomodo gallo ſimilis p.119. l.8

Balæna facile ad omnes ictus penetrabilis, crocodilus non item p.773. l.19

Balſami arbor viti ſimilis p.724 l.15

Barbariæ nomen pro Numidia, vel pro eâ parte Africæ quæ Mediterraneo mari objacet ab Arabibus non eſt inditum, cum Juſtiniani ævo jam obtinuerit p.129. l.39

Barbariæ Æthiopicæ, mari Arabico, Adulico & Avaliti, & Barbarico ſinui prætentæ meminerunt Ptolemæus & Marcianus pag.129. l.64. Alii Barbaris Troglodytas accenſent, & Arabici maris accolas, circa Berenicen, Orinen, Diodori inſulam, Ptolemaida Theron & Avalite emporium. Ita Arrianus in Periplo & Stephanus, ibid. l.69. Ibid. terra Barbara hodie & Barbora urbs & inſula p.130. l.1. Hinc zingiber alii veterum ex Barbaria, alii ex Troglodytica deferri dicunt. Et myrrha Troglodytica *Barbara* dicta, quod perperam accepit Plinius p.130. l.49

Barbariæ nomine contineri totam oram maritimam Orientalis Æthiopiæ ab Ægypti finibus uſque ad Rhaptam promontorium p.130. l.70. Id nomen illi obtigiſſe propter incultos mores & ſermonem inconditum, qui verius veſpertilionum ſtridor eſt, ibid. l.73. De hac Barbaria in veterum Hebræorum ſcriptis multa mentio p.131. l.36. Neque aliam intelligunt qui ברברים *barburim* dici volunt aves ex Barbaria advectas. Citantur enim hujus ſententiæ autores in libro *Vajekra Rabba* ſcripto circa annum Chriſti trecenteſimum p.131. l.70. Et ab illis deſignari veriſſimile eſt inſulam Troglodyticam, ubi meleagrides p.132. l.11

Barbaricini, qui à Vandalis ex Africæ monte Auraſio in Sardiniam tranſlati ſunt p.129. l.57

Barburim ſaginati ברברים אבוסים in Solomonis menſa quid fuerint p.127. l.50. Variæ ſententiæ, ibid. & p.128. l.20. & p.129. l.11. 20. &c. Concluditur eſſe electas pecudes ad præſepe ſaginatas p.134. l.12. &c.

Baſiliſcus ſeu regulus Chaldæis חורמן *burman* & Arabibus حرمان *harman* dictus quaſi devaſtator pag.400. l.70. Hebræum nomen צפע *tſepha* vel צפעוני *tſiphoni* videtur horrorem ſibili exprimere quo reliqua animalia vel fugat vel interficit. A quo etiam ipſe *ſibilus* appellatur, ſi Iſidoro credimus p.400. l.74. & 401. l.40

Baſiliſcus & حرمان *harman* idem ſunt, nec quantitate differunt, ut putavit Avicenna, quia menſurarum nomina non intellexit p.400. l.20

Baſiliſcum ſibilo ſuo necare uſque ad ſagittæ jactum legitur in Arabico textu Avicennæ, quod interpres alio detorſit p.400. l.1. Sed vetuſtiores, ut Nicander, Archelaus, Lucanus, Plinius, Solinus, Ælianus, tantum ſcripſerant baſiliſcum ſibilo ſuo reliqua animalia fugare & terrere p.401. l.3

Baſiliſcus flavi coloris eſt. In Ægypto, Libyâ & Cyrenaicâ naſcitur, duodecim non amplius digitorum magnitudine p.400. l.48.56

Baſiliſci volantis meminere Chaldæus & Syrus Proverb. 23. 32. ſed pravâ lectione decepti. Cavendum igitur ne alæ addantur monſtro ſolâ reptitatione tam terribili p.404. l.11

Baſiliſcum ſolo flatu adurere Horus, Ælianus, Plinius & Solinus tradunt pag 401. l.50. Itaque in ſymbolis per baſiliſcum ſycophantam deſignabant p.402. l.35. Et ad Hebræum baſiliſci nomen צפע *tſepha* alludit Arabicum verbum سفع *ſaphaa*, quod flatu adurere ſignificat. p.401. l.35. Arabes enim *ſin* & *tſad* ſæpe permutant ibid. l.69

Baſiliſcus aves ſupervolantes halitu ſuo attrahere atque abſorbere dicitur, & eo pertinere quod habet Hieronymus Eſ. 14. 29. *Semen ejus abſorbens volucrem*. Sed ex pravâ lectione nata eſt prava verſio p.405. l.36

Baſiliſcus regis ſymbolum. Regium enim nomen habet. Et diademate inſignis eſt. Et erecto capite ſerpit. Et ſibilo reliquos ſerpentes fugat p.406. l.13.

Baſiliſcus Meſſiæ typus p.406. l.55

Baſiliſcus Deorum capitibus inſertus ut ſolus immortalis, quia in ſuo genere maxime vivax, vitaque & necis jus habere creditus, cum ſolo flatu perimat p.406. l.49.

Super cavernam baſiliſci puer manum mittet Eſ. 11. 8. Alii *ſuper cubile*: Alii *ſuper pupillam*. Sed prima verſio ex Arabiſmo aſſeritur p.404. l.33

E radice ſerpentis exibit baſiliſcus Eſ. 14. 29. id eſt ex Oziæ genere Ezechias, qui Philiſtæos male multabit p.404. l.71

Ova baſiliſci excluſerunt Eſ. 59. 5. id eſt crimina quæ cogitatione concepta per opera excluduntur pagin. 406. l.72. Per varias ſerpentum ſpecies ſæpe idem in Scripturâ ſignificari. Ex urino aſpidis ovo non excludi baſiliſcum, ut ex Eſaia quidam colligunt p.407. l.16. 25

Baſiliſci in quos nulla eſt incantatio Jerem. 8. 17. Quidam hoſtes in genere, alii dæmones intelligunt: nos Aſſyrios p.407. l.49. Cur pro baſiliſcis quidam reddant σκοπούς *ſpeculatores*, ib. l.53. De baſiliſco nugæ R. Selomonis ibid. l.55

Batiaca unde dictæ p.878. l.19

Batus continebat tria ſata p.105. l.53

Βδέλλα, vide *Sanguiſuga*.

Cur בדלח *bedolach* veteres cryſtallum & bdellium reddant p.674. l.50. 61. vide *Havila*.

Bedolach neque bdellium, neque cryſtallum, neque gemmarum ullam eſſe p.680. l.10. 16. 23

Bedolach eſſe margaritam Hebræorum, Arabum & recentiorum non paucis p.678. l.57. &c. De hâc voce conjecturæ p.679. l.27

Bedolach Hebræum, *pharid* Arabicum, & *unio* Latinum eſſe ſynonyma p.679. l.39

Belzebub dictus Deus Accaronitarum 2. Reg. 1. 2. An quia ſub muſcæ imagine cultus, aut quaſi muſcarum Deus? Sic Græcis Deus Μυιάγρης, Μυίαγρος, Ἀπόμυιος pag.499. l.33. Fana & alia loca muſcis inacceſſa p.300. l.38. &c. Templum quoque Jeruſalem ut volunt, ib. l.62. An etiam ædes τοῦ Beelzebub, quod verum fuit illius idoli nomen, non διασυρτικὸν ut vult Scaliger pag.501. l.4. *Beelzebul* pro *Beelzebub*, ut *Babelmandel* & *rabel* pro *Babelmandab* & *rebab* pag. 501. l.19. Dæmonum princeps Deus Accaron quaſi Deus Acherontis, id eſt Pluto, ac ſi *Accaron* & *Acheron* idem ſint p.501. l.37.

Behema בהמה nomen commune aquaticis cum terreſtribus p.755. l.58

Behemoth & *Leviathan* Job. 40. & 41. alii elephantem & balænam, nos hippopotamum & crocodilum explicamus, quia in eos maxime quadrare Jobi deſcriptionem probatur p.754. l.55. &c.

Behemoth & *Leviathan*, id eſt *hippopotamus* & *crocodilus*, conjunctim à Jobo deſcribuntur, ut paſſim à veteribus, quia multa habent communia p.755. l.16.

Behemoth in Jobo non eſt plurale ſed ſingulare Ægyptium p.756. l.7. Plura alia ejuſdem formæ ibid. l.8. &c.

Behemoth quem feci tecum. Hebr. עמך, id eſt juxta te עם pro juxta ſæpe ſumitur p.756. l.21. Plura vide in *Elephante*.

Berberi cur vocetur concha margaritifera pag. 690. l.40.

Beryllus cryſtallo quam ſimilis p.874. l.3

Beſar Jazidi filius, cur optaverit eſſe melanætus p.173. l.68.

Beſſale ſeu beſſalis later, Græcis recentioribus βήσσαλον, Plinio & Vitruvio later δίδωρος, quia menſuram habet beſſis, id eſt duos pedis trientes p. 61[illegible] l.36.

Biblos, Rubri maris inſula margaritifera, forte *bedlach* Barbaris p.680. l.2

Biſton, Thraciæ lacus à quo grues Biſtoniæ pag.70. l.61.

Blatta purpura & purpuræ pars p.616. l.19. 42

Blattæ & tineæ quid differant p.615. l.70

Βλίτλον quid proprie p.536. l.58

Bos aquaticus qui è mari in terram deſcendit ut fruges depaſcatur (id eſt phoca) Ambarum ejus ſtercus p.864. l.60

Bos aquaticus raiæ genus, & ſalpa apud veteres, ibid. l.64. Sed hic phoca ſignificatur, quæ barbaris ſcriptoribus *azel* pro عجل *agel*, id eſt vitulus p.865. l.4. *Gim* Arabum ſæpe efferri per Z, ibid. l.27.

De bove & piſce terræ bajulis p.856. l.31

Βότρυς vide Ἔρυθρις

Βρίτλαι φοβεραί, locuſtæ ſpecies in Creta pag. 450. l.45.

Brez ברין Chald. fluxus mellis è favo egredientis: Unde Βρισαῖος Bacchus in Heſychio. Et *Briſæus* cognominatus à mellis uſu, eo quod ipſe primus mel inveniſſe dicitur, & ex favis expreſſiſſe. Ita Cornutus in Perſium. Et in Heraclide Βρισαὶ nymphæ quæ Ariſtæum docuerunt mellis conficiendi rationem p.520. l.67

Βρῶσις in Matthæo non eſt *eroſio* ſed *tinea*, p.615. l.42

Bruchus unde dicatur p.447. l.67

Bruchus & attelabus à locuſta quid differant apud Latinos patres p.447. l.43. Sed Græci aliter explicant p.447. l.71. & 448. l.19

Brutorum prudentia & ſapientia p.256. l.10

Bubo Hebr. ינשוף *janſuph* dicitur à tenebris nomine facto. Ad Idumeæ deſolationem pertinet quod in ea habitabit *janſuph* Eſ. 34. 11. id eſt bubo, ominoſa & inauſpicata avis, quæque in deſertis degit, & cum corvo jungitur p.284. l.46. Male Græce redditur *ibis*, quæ extra Ægyptum non vivit p.281. l.34

Butaurus, ardeæ ſpecies horrendi mugitus, nempe aſterias vel ſtellaris. vide *Ardea*

Buteo ſemper apparet p.270. l.8. Vide *Accipiter*.

Cabus non eſt extorum menſura, ſed granorum. pagin.43. l.40.

Cabus & *cadus* quid differant, & unde dicti pag. 43. l.60.

Cabus continebat quatuor logos p. 105. l.54. Itaque cabi quarta pars 2. Reg. 6. 25. eſt logus, id eſt menſura ſex ovorum p.38. l.54

Calamus aromaticus è longinqua terra venire legitur in Jeremia, id eſt ex Arabia intima pag. 686. l.74. Non alibi fuiſſe quam in India Salmaſius perperam aſſerit, cum Arabici calami ſit multa mentio p.587. l.11. 23. Fuit etiam calamus aromaticus in Aulone prope Judæam, ſed poſt prophetarum tempora ibid. l.4. & 15

Callais lapis ſapphiro ſimilis p.638. l.6. & 9. Solino callaica, ib. l.10

Camelorum ruber cur dicatur דבשת *dabbeſeth*, tanquam à melle p.527. l.33

Caneſcere non ſolum mare, ſed lacus quoque p.790 l.5.

Canis & muſca duo animalia maxime impudentia. Ex utroque conflata vox κυνόμυια vel κυνάμυια, pagin.551. l.72. Minerva per convitium ſic vocata & Nicion meretricula p.552. l.5. Item muſca tabano ſimilis, mordax & inſidioſa, quæque è longinquo in teli morem cum ſtridore & impetu ruens, cuti maxime inhæret. Nonnulli canem vocant, ibid. l.27. Refelluntur qui ſcribunt κοινόμυιαν vel κοινόμυιαν, ibid. l.54. Dicitur autem κυνόμυια, quia canibus infeſta eſt, & eorum aures lancinat p.553. l.5. Hujus Arabica nomina. ib. l.30. Non eſt κρότων *ricinus*, quamvis ricinus canibus ſit æque infeſtus, unde dicitur κυνοραιστὴς p.553. l.44

Cam-

Canibus carcharis non ſolum Oceanus & mare Rubrum abundant, ſed & mare Mediterraneum pagin. 743. l. 32. vide *Iona cetus*.
In canis carchariæ ventre reperti loricati homines p. 743. l. 41.
Cantici locus quem Hebræi male interpretantur, pagin. 12. l. 30.
Cantiones variæ de adventu hirundinis p. 66. l. 17. 20
Carambis & Criu Metopon, oppoſita promontoria, inter quæ Pontus anguſtiſſimus, quantum ab invicem diſtent p. 71. l. 32
Carmelus mons à Ptolemaide ad Meridiem quantum abſit p. 724. l. 49. Ibi purpuræ ubertas p. 725. l. 5. Vide *Chaipha*.
Catarrhactes in profundo non minus temporis manet quam quo jugerum quis tranſierit p. 278. l. 50. Accipitri palumbario ſeu aſturi ſimilis, ib. l. 54
Catarrhactes jam ſenex cæcutiens ſcopulis alliditur & perit pag. 279. l. 6. Et piſcium imaginibus ſuper tabulas pictis ib. l. 9
Catarrhactes quomodo ova calefaciat & pullos educet p. 279. l. 13
Catarrhactis nomen Arabicum ab ita deducitur p. 280. l. 21.
Caiipha portus inſulæ *Baharain* oppoſitus pag. 675. l. 18. & 677. l. 18.
Centaurus in Italia Mares equorum domitor, unde nomen habuerit, & cur fingatur ter mortuus ter revixiſſe p. 839. l. 25
Centauri variæ ſpecies Onocentaurus & Hippocentaurus p. 833. l. 68
An Centauri vere extiterint magna quæſtio inter ſcriptores p. 833. l. 70. Quæ deciditur p. 835. l. 62
Centauri olim in Theſſalia & Cypro p. 834. l. 1. Et in Italia inter Auſones Mares Centaurus, ib. l. 8
Centauri duo ſub Claudio viſi, unus in Theſſalia, alter in Ægypto p. 834. l. 53
Centauri in Theſſalia αἰόλοις ἵπποις, qui Græcorum primi equos domuerunt p. 835. l. 25. & 839. l. 17
Centauros pro fabuloſis habent multi Græci p. 835. l. 63. & multi Romani p. 837. l. 26. Et è Patribus Clemens, Baſilius, Auguſtinus, ipſe etiam Hieronymus p. 838. l. 7.
Centauros in Cypro cornutos natos è Jovis ſemine in terram ſparſo eſſe naves quibus Centauri appicti. Cornua ſunt antennæ, ſemen Jovis glandes & quercus Jovi ſacræ ex quibus fabricatæ naves p. 839. l. 37.
De Centauris egiſſe Joelem nugatur Abarbanel p 475. l. 42.
Cum cera ad ignem liqueſcente quam multa conferant ſacri & profani ſcriptores pag. 531. l. 16. השעוה ceræ inſtar molleſcere in Eſaia Fabella de Jacobo p. 531. l. 58.
Ceræ varii uſus p. 530. l. 62
Ceraſtes cur vocetur Arabice معرون p. 417. l. 66
Ceraſtæ cornua carnea. Ex illis fieri cultrorum manubria, quæ ſudore venenum prodant, gravis error, & unde natus, p. 418. l. 14. & 25
Ceraſtes, vide *ſephiphon*
Cerchneis Romanis tinnunculus p. 266. l. 54
Ceryli, vide *Halcyones*
Cetum non revomuiſſe Jonam in Euxino mari, ut vult Joſephus p. 744. l. 15. Tantum iter triduo confici non potuit, ibid. l. 25. Et mare illud cetis eſt inacceſſum, ib. l. 31. Nec ibi fuiſſet Jonas Ninivæ propior p. 745. l. 3
A cetis naves integras abſorberi fabulæ monſtrum eſt p. 742. l. 56
Chaipha ſitus ad Carmeli radices, pag. 724. l. 50. Ibi præcipua purpuræ ubertas pag. 725. l. 5. Inde כרמל *carmel* purpura, ibid. l. 11. Et *Chaipha* olim Porphyria ib. l. 7
Chaldæi & Babylonii in Scriptura deſcribuntur ut gens à Judæis valde remota p. 680. l. 60
In Chaldæo multa errata corriguntur p. 818. l. 59.
Χαλκολίβανος in Apocalypſi unde dicatur. Variæ conjecturæ p. 883. l. 44. eſſe æs לבן *laban*, id eſt album, ib. l. 45. vel æs לבון *libbon*, id eſt in igne candefactum ibid. l. 47. vel æs *Livianum* p. 884. l. 9. vel æs *Libanenſe*, id eſt ex monte Libano effoſſum, ibid. l. 25. Vel thus maſculum Hebr. לבונה *lebona*, æris ſpeciem habens, ibid. l. 49. vel aliquid mixtum ex metallis, vitro & gemmis conſtans. Id enim à Suida vocatur Χαλκολίβανον ib. l. 66
Χαλκολίβανος non eſt *Livianum* à Liviâ dictum. Ejus enim non magna fuit gloria, quia teſte Plinio admodum exiguum inveniebatur p. 886. l. 68
Χαλκολίβανος non eſt æs Libani montis, quia in Libano nullum æs fuit pag. 885. l. 19. Locus Deuter, 33. 25. ex quo colligunt æs in illis locis fuiſſe, valde obſcurus eſt, ib. l. 21. Et regnum Soba unde multum æris attulit David, non fuit in Libano ſed verſus Euphratem, ibid. l. 55. Nec à fuſione æris, ſed à fuſione vitri nomen habuit Sarepta p. 886. l. 22. Et Sidon πολύχαλκος dicta eſt, quia urbs fuit opulenta ib. l. 29
Χαλκολίβανος non eſt thus æris coloris. Album enim eſt thus, non flavum, quod Hebræum nomen indicat: Nec ſplendet in mediis ignibus, quomodo χαλκολίβανος. p. 886. l. 42
Χαλκολίβανος non eſt mixtio ex metallis, vitro & gemmis, qualis à Juſtiniano facta eſt. Neque enim in uſu fuit talis mixtio, cum Joannes ſcripſit Apocalypſin p. 886. l. 53
Χαλκολίβανος eſt æs album & lucidum, quale orichalcum aut Moſſynæcum æs pag. 888. l. 31. Et נחשת קלל *kalal* Ezek. 1. 7. & Dan. 10. 6. id eſt æs terſum & ſplendens unde קלקל levigare Ezek. 21. 21. Et marmor גלל *gelal* *koph* & *gimel* permutatis p. 888. l. 12. & p. 887. l. 3
Chamæleon Kimchio avis quæ ex aere veſcitur pagin. 824. l. 28.
Χάμψαι crocodili olim Ægyptiis in Herodoto. Ita hodieque crocodilus Arab. تمساح *thimſach* vel *thamſach*. Nempe permutantur χ & θ, ut in ὄρνιχις & ἄγχυρα p. 795. l. 48
Terræ Chanaan laus Gen. 43. 11. ſita in purpura, vino, balſamo, myrrha etiam, ſi Hebræis credimus, & oliva p. 725. l 24. Sed pro מר *myrrha* lege תמר palmam ib. l. 53
Chananæa terra *melle fluens* p. 520. l. 8. Poetas quoque ſic loqui ib. l. 10
Chananæi, Phœnices, mercatores, idem p. 773. l. 8
Charadrio nomen fecerunt αἱ χαράδραι, id eſt hiatus prope amnes & torrentes, in quibus nidificat. Cur hanc avem Græci voluerint per אנפה *anapha*, ſignificari divinare non poſſum, niſi legerint אגפה *agapha*, *gimel* pro *nun*, tanquam ab אגף *agaph* id eſt amnis à ripâ facto nomine p. 340 l. 40
Charmion vel *Charmiana*, una ex illuſtribus Cleopatræ ancillis, unde appellata p. 2. l. 9
Χελιδονισταὶ vel χελιδονίζοντες, agyrtæ qui hirundinem veniſſe nuntiabant p. 66. l. 21. Νῖν χελιδὼν Prov. p. 65. l. 71.
Chennia, coturnicum ſpecies in Ægypto ſale conditi ſolita p. 107. l. 38
Cherſoneſus urbs cum Cherſoneſo regione perperam confunditur p. 71. l. 61
Χιαρμὸς Joel. 1. 11. 12. & Cant. 1. 5. p. 470. l. 30
Chilzona חלזונא (ut Arab. حلزون *challazon*) cochlea p. 721. l. 19. ſive terreſtris aut marina ſit, ibid. l. 60. & p. 722. l. 1. At חלזון *chalazon* oculi morbus, ut Græce χάλαζα vel χαλάζιον pag. 721. l. 24.
Chirjonim vel *dibjonim* ſeu columbarum ſtercora quid ſint 2. Reg. 6. 25. Horum cabi quarta pars, id eſt logus, cur quinque argenteis Samariæ vendita famis tempore pag. 38. l. 48. Refelluntur qui columbæ ſtercus pro cibo fuiſſe volunt p. 38. l. 64. Aut pro ligno p. 39. l. 47. Aut pro fimo p. 40. l. 7. Aut pro ſale, ibid. l. 18 Et Talmudici qui grana intelligunt ex columbarum ingluvie excuſſa p. 41. l. 28. Et ii quibus *Kab* eſt venter, ibid. l. 69. & *Chirjonim* vel *dibjonim* interanea p. 42. l. 57. Sed *ſtercus columbarum* vocatur frictum cicer pag. 44. l. 64. &c.
Chloris, vide *Cuculus*
Chota in Syagris hodie خور *Chor* p. 821. l. 59
Chos כוס veteribus nocturnæ avis ſpecies, puta bubo, noctua, ulula, nycticorax, &c. Mihi potius onocrotalus, à vaſe quod in roſtro habet ita vocatus, & cum pelecano junctus ut avis congener Pſ. 102. 7. p. 272. l. 61. Sed Arab. بوم *bum* eſt noctua vel nycticorax. Itaque voces בום *bum* & כוס *chos*, quia ſunt ſcripturâ ſimiles, videntur interpretes promiſcue ſumpſiſſe p. 277. l. 28
Chriſtus diverſo reſpectu deſcribitur capillis nigris & canis p. 200. l. 1
De Chriſti ſimilitudine cum verme multa præter rem afferri p. 630. l. 44
Cicer multum in Judæa & vicinis locis pag 47. l. 71. Quo cibo vix quicquam vilius p. 48. l. 31
Cicer in pervigiliis adhibitum p. 49. l. 46
Cicer Gr. ἐρέβινθος, & cicercula λάθυρος cur cibi exoſi p. 49. l. 17.
Cicer, quia natura ſalſum eſt aliis leguminibus citius matureſcit p. 50. l. 32. Itaque ſolum urit, ib. l. 47 Et ſal *alkali* ex eo elicitur, id eſt ſal adusti ciceris ibid. l. 58. Id fefellit Joſephum, qui ſcripſit columbinum ſtercus Samariæ pro ſale fuiſſe ib. l. 63
Ciconia, Hebr. חסידה *chaſida* pia ſeu benigna dicta, Publio *pietatis-cultrix*, quia parentibus vices rependit, non legibus adacta, ſed bonitate naturæ. Animal fœliciſſimum judicio ſeptem ſapientum. Hominibus magis pia. Apud Ægyptios culta & ſymbolum φιλοπάτορος, & in ſummo Regis ſceptro. Unde ἀντιπελαργεῖν & πελαργικοὶ νόμοι pagin. 327. l. 10. Ciconia etiam hominibus grata. Lapis lychnites à ciconia allatus, & zingiberis radix p. 328. l. 18. Eadem φιλόστοργος ib. l. 40
Ciconiæ nomen Arabicum & Turcicum p. 329. l. 19
Ciconia cur Græce πελαργὸς pag. 329. l. 63. Et vulturaquila ὀρειπέλαργος, ib. l. 68. Et naves in Lycophrone πελαργοχρῶτες, ib. l. 73. Et Pelaſgi quibus veſtis fuit bicolor p. 331. l. 39
Ciconia Moſi immunda, quia veſcitur ſerpentibus. Ideo in honore apud Theſſalos, & capitale eam occidiſſe p. 328. l. 53. In Ægypto etiam in pretio p. 329. l. 1. Mahumetani ex aquaticis avibus cur hanc ſolam prohibeant ibid. l. 4. & 10
Ciconia avis migratoria p. 330. l. 72. Quod docent præter Jeremiam, 1. Græci & Romani ſcriptores, 2. Patres, 3. Hebræi atque Arabes, 4 Recentiores p. 331. l. 8
Ciconiæ cur ſub Auguſto magis placuerint quam grues merito miratur Plinius p. 79. l. 34
Ciconiæ vox non prodit ex intimo gutture, ſed fit ex duabus roſtri partibus adinvicem colliſis, crotali inſtar aut crepitaculi p. 334 l. 50
Cum ciconia in Jobo cur conferatur ſtruthio p. 329. l. 41.
Ciconiæ in monte Amano p. 330. l. 68
Ciconiæ unde & quo migrent incertum p. 331. l. 11. & p. 332. l. 57.
Ciconiæ in cœlo p. 332. l. 29
Ciconiarum alæ p. 342. l. 48
Ciconiæ, vide *Halcyones*
Ciconiam Hebræo nomine חסידה *chaſida* ſignificari agnoſcunt multi veterum p. 333. l. 14. Idem Arab. القعقع *alkoko* ibid. l. 32. Cur dicatur Syris [illegible] *thurba*, Arab. لقلق *laklak*, Lat. *ciconia*, *crotaliſtria*, & *crepitans ciconia roſtro* p. 334 l. 31.
Ciconiarum domus abietes p. 330. l. 4. Domus, id eſt nidi, quorum ſtructura mirabilis, ib. l. 6 Hi plerumque in turribus & ædium faſtigiis, ſed & in ramis arborum ib. l. 37
Circus accipitris ſpecies p. 266. l. 36. 39
Cleopatræ ancillarum una *Taira*, non *Naira*, nec *Iras* pag. 3. l. 16. Altera *Charmion* dicta de qua ſupra ſuo loco.
Cocci deſcriptio ex Dioſcoride p. 624. l. 51
Cocci grana unde *coſculia* dicta p 624. l. 54. In illis vermiculi ex quorum ſanie elicitur coccineus color, ibid. l. 58. Inde κόκκος Lat. vermiculus, ib. l. 61. Græce etiam σκώληξ & σκωλήκιον ib. l. 71
Coccineus color Arab. *Kermezi*, quia *Kermez* eſt cocci vermis p. 620. l. 50. Chald. *zehori* à luce & ſplendore p. 625. l. 58. Quomodo idem Syris & Samaritanis, ibid. l. 69. Æthiop. [illegible] *laja* ex Ægyptio *λάια* ibid. l. 62
Cochlea vermis genus p. 647. l. 34
Cochlea Heſiodi φερέοικος *domiporta* p. 648. l. 4
Cochlea ſuo ſibi ſucco vivit p. 649. l. 29. & 32
Cochlea purpurariæ terreſtri ſimillima p. 722. l. 30
Cochleæ Solitanæ magni nominis p. 647. l. 18
Cochlea, vide *Limax*
Cœlum in Scriptura pro aere p. 171. l. 61
Multicolores à locis denominati p. 740. l. 61
Colores quatuor in velo tabernaculi figura quatuor elementorum p. 729. l. 68
Columbam Hebr. יונה *jona* non dici ab oppreſſione, ut volunt, neque à vino, ſed à יון id eſt Ionia ſeu Græcia p. 3. l. 39
Columba Deucalionis p. 3. l. 44
Columba Dodonæa ubi Græciæ oraculum longe antiquiſſimum p. 3. l. 48
Columba *arborum* aut *nemorum remotorum*. Ita haberi in titulo Pſalmi 56, nondum explicato p. 18, l. 1.
Columba ſimplex p. 20. l 3
Columba allectatrix p. 22. l. 15
Columba innoxia, placida, manſueta p. 22. l. 43
Columba an ſit ſine felle p. 22. l. 58
Columba quam pavida p. 24. l. 33. unde τρήρων dicta, ib. l. 72,
Columba Noæ cur veſperæ redierit p. 28. l. 4
Columba Noæ tertio emiſſa, cur non redierit amplius p. 31. l. 22
Columbæ triplex emiſſio quid ſignificet p. 34. l. 35
Columba Noæ typus Spiritus Sanct. qui in Chriſti baptiſmo

baptiſmo ſub columbæ ſpecie apparuit p.34. l.54. non in vera columba, ut ſtatuunt quidam veterum p.35. l.24. Tertulliani hic gravis error p.36. l.52. Auguſtini multo levior p.37. l.2
Columba erga prolem quam pia p.251. l.35
In columbæ collo auri color, & varii colores, ſed ſolum apparentes p 10. l 40
Columbæ ſimplicitas in quo ſita p.21. l.40.73
De columbæ ſimplicitate Mahumetani pag.21. l.19 Juvenalis Scholiaſtes, Suidas, Euſtathius pag.22. l.6.
Columbæ nomen cur Sponſæ datum in Salomonis Cant. p.24 l.16
Columbæ imago reperta in monte Garizim Cuthæorum idolum p.6. l.24.32.50
Columbæ nomen Arab. à calore factum pag. 39. l.43.
Columbæ erga pullos amor p.21. l.55
Columbæ conjugalis caſtitas p.22. l.73
In columbam mutatus Jupiter Phthiam iniit p.4. l.4
Columbam emiſerunt Argonautæ inter Symplegades trajecturi p.4. l.12
In columbam mutatum Ctefillæ Ceæ cadaver p.4. l.19.
Columbam an obtulerit Abraham p.4. l.47. & p.6. l.59.
Columbæ Semiramidis p.4. l.55. ſylveſtres non domeſticæ p.7. l.30
Columbam Cuthæos ſeu Samaritanos coluiſſe meræ fabulæ p.6. l.21. & p.8. l.25
Columbam nigram poſt conjugis obitum viduam permanere p.23. l.22. Quo exemplo monogamiam ſtabilit Tertullianus ib. l.37
Columbam poſt corvum cur emiſerit Noe p.27. l.30
Hiſtoriæ de columba Noæ veſtigia in Abydeno, Plutarcho, & in Arabum onirocriticis, qui de palumbe idem referunt p.31. l.27. & 63
Columbæ Jovem in Creta vagientem ambroſiâ aluerunt p.3. l.59
Columbæ in Aſſyriæ regis vexillo pag.5. l.7. Imo aquila p.7. l.1
Columbæ ab Aſſyriis cultæ p.5. l.43. &c.
Columbæ & congenerum avium pullus quomodo Hebr. & Arab. & unde dictus p.6. l.62. &c.
Columbæ pennæ argento obductæ, & pallore auri p.9. l.14.
Columbæ cur ad aquas libentius degant p.11. l.49. & 63.
Columbæ Cant. 5. 12. cur manere dicantur ad plenitudinem p.11. l.54
Columbæ Can. 5. 12. cur dicantur in lacte lavari, p.11. l.58.
Columbæ trepidant, id eſt trepide volant pag.13. l.68.
Columbæ alarum unam comprimunt, ut alterâ volent p.14. l.73
Columbæ internunciæ p.15. l.4. Quot paraſangas una die volent p.16. l.62. Epiſtolam à columba ferendam, & columbam ad id emiſſam quomodo vocent Arabes p.16. l.65
Columbæ in columbariis degunt pag.17. l.18. Et in foſſis, ib. l.28. Et in fiſſuris petræ, ibid. l.35. Imprimis in accipitris metu, quod tam poëtæ quam Hebræi aſſerunt, ibid. l.41. &c. Et in vallibus & montibus, unde dicta Semiramis ibid. l.64
Columbæ in Canariis inſulis quam ἐνάλιοι pag.22. l.30.
Columbæ & turtures jam ante Legem offerri cœptæ p.25. l.52.
Columbæ & turtures pauperum ſacrificia ut ſanctæ Virginis p.25. l.57
Columbæ etiam ab Ethnicis oblatæ p.26. l.7
Columbæ & turtures cur in templo, & in qua parte, & à quibus venditæ p.26. l.64. Et cur quæſtum inde captantes Chriſto ex templo expulerit p.27. l.16. & 29.
A columbarum frequentia urbes dictæ πολυτρήρωνες, & inſulæ Periſterides p 4. l.36
Columbarum eſus in Syria & Aſſyria vetitus p.5. l.57 uſque ad p.6. l.19.
Columbarum ſacrificia in Lege p.4. l.48. & p.6. l.56 Et ante Legem p.25. l.52
Columbas & turtures quo ritu Judæi mactaverint p.26. l.19.
Columbarum & turturum plumæ quando aureæ; & ipſæ aves quando ad ſacrificia aptæ vel ineptæ p.10. l.12.
Columbarum oculi quales p.13. l.9
Columbarum pullos in ovo variis coloribus poſſe diſtingui p.11. l.9
Columbarum & turturum in ſacrificiis uſus multiplex p.25. l.33
Cur eas reliquis avibus prætulerit Deus, ibid. l.50. Et turtures quidem adulti, ſed columbarum nonniſi pulli oblati ib. l.55
A columbarum eſu an abſtinuerint myſtæ Veneris p.28. l.15.
Columbarum proprium gemere & murmurare p.12 l.55. & p.13. l.56.
Columbarum ſumma pernicitas p.14. l.13. Imprimis cum ad nidos revolant p.13. l.64
Columbarum aut paſſerum ſtercus vocatur apud Arabes id ipſum quod vulgo *uſnen* dici ſolet aut *alkali*, ex cujus cinere fit saponis aut lixivii ſpecies p.45. l.40. Vide *Vſnen* & *chirjonim*.
Columbarum ſtercus, terræ genus Arabibus granoſum ſicut cicer in Barca & Choraſena, quæ cum melle conditur vinum. Aliter vocatur *nux kendem* p.44. l.25
Columbarum ſtercus facile incenditur p.39. l.51
Columbarum ſtercus calidiſſimum, ac proinde ſtercorandis agris optimum p.39. l.3
Columbas etiam proprie dictas arboribus quandoque inſidere p.18. l.68
In columbis quædam maxime albæ p.9. l.30
Columbæ albæ quando in Græcia primũ viſæ p.9. l.35
Columbas in Græcia jam olim fuiſſe frequentiſſimas probant fabulæ ſeptem vetuſtiſſimæ p.3. l.47
Columbas in Aſia eſſe invectitias p.3. l.45
In columbas mutatæ Oenotropæ Anii filiæ, & factæ Veneris aves p.4. l.29
Conchas margaritiferas nonnulli retibus expiſcantur, quod olim factum circa Perimudam inſulam p.684. l.29. Et in Novo orbe hodieq; fit, ib. l.62
Conchylii color medius inter purpureum & cœruleum, ut in purpuriſſo Indico, & in pantherarum oculis p.736. l.11
Conchylium & purpuram ſæpe promiſcue ſumi, p.735. l.4. Sæpe etiam diſtingui, ibid. l.23
Conchylia non ſolum in mari, ſed & in paludoſis locis degere (quod aſſerit Dioſcorides) probatur ex Ptolemæo, qui conchylium deſcribit in Palsuro Africæ lacu p 807 l.48
Concilium de Chriſti capite profundâ nocte eſſe habitum multis probatur p.122. l.39. Quam multa illâ nocte geſta ſint ib. l.55
Congruere à gruibus dictum p.73. l.1
Conopæa reticulati operis ad arcendos culices, p.567. l.35.
Conopæa Cleopatræ ib. l.62
Conſtantinopoli templa Baſilii Macedonis argento, auro, gemmis & margaritis ornata p.717. l.20
Coracinus ſeu corvinus color habet aliquid luminis, contra quam pullus p.199. l.6
Corallium non eſt gemma, ſed λιθόδενδρον ἀπὸ τῆς κουρᾶς à tonſione dictum p.702. l.7
Corallium cur *Iace* in Perſico mari vocatum fuerit p.706. l.35.
In corallio laudatur color ſandicis aut ſandarachæ p.695. l.25.
Corallium Arianos è terra effodiſſe fabula unde orta p.703. l.7.
Corallium quo ſenſu Baſilius vocet πολυτίμητον p.702. l.53.
Corallium in India magni pretii fuit, in Judæa non item p.705. l.61
Corallium hodieque magni pretii & pro moneta in Indiæ provincia Thebeth p.706 l.57
Corallium reperitur in multis maris Mediterranei locis p.706. l.20
De corallii virtute veterum nugæ in Orpheo de lapidibus p 707. l.16. Ejus interpres quam ineptus ibid. l.21.
Corallii præ margaritis quanta vilitas p.707. l.55
Corallina ſunt ſola labra, non reliquum corpus, ne genæ quidem p.695. l.19
Corus Hebræorum maxima fuit menſura, continens decem batos p.105. l.52. Granorum menſura, non carnium p.106. l.41
In corvo duo ſunt maxime inſignia, crocitatio & nigredo p.198. l.18. Græcum, Syrum & Æthiopicum ejus nomen à crocitatione ſumpta ſunt. Hebræum, Arabicum & Latinum ab atrore & nigredine p.198. l.54
Corvi crocitatio quid proprie ſit pag.198. l.20. Ea major, cum pluvias & tempeſtates præſagiunt ibid. l.23.
Corvi vox clamoſa & obſtrepera, & tanquam importuni flagitatoris p.204. l.58
Corvi Ægyptii videntur ſtipem rogare p.204. l.60
Corvi nigredo quomodo Arabice p.200. l.8
Corvi nigredo propria, eaque intenſiſſima, & per totum corpus diffuſa p.198. l.33
Corvi albi quandoque viſi p.198. l.38
Corvina nigredo in capillis laudata Cant. 5. 11. & ſæpe alibi p.199. l.23. 40. Pharmaca ad id adhibita, ibid. p.61. vide ſupra *coracinus color*.
Corvus in locis ſolitariis Eſ. 34.11. Item Soph. 2. 14. juxta Græc. & Vulg. Sed aliter in Hebræo p.200. l.30. & 46.
Corvus cur aquis gaudeat p.212. l.56
Corvi ſpecies juxta Hebræos & Arabes p.202. l.50
Corvi vallis Prov. 30. 17. p.200. l.64. Vallis ſalicum, aut corvorum, aut Arabum Eſ. 15.7. ib. l.72. Vallis cadaverum forte eadem Jerem. 31. 40. p.201. l.10.
Oculum qui ſubſannat patrem corvi vallis quomodo eruant p.201. l.15. Reorum cadavera corvis exponi, qui oculos maxime appetunt, non ſolum cadaverum, ſed & vivorum hominum, boum item & ovium, ibid. l.19. Ita etiam pleræque alites, ib. l.74. Sed corvus corvi oculum non eruit p 200. l.12.
Corvus cur & quando à Noa emiſſus pag 209. l.39. Hebræorum de illo nugæ, ibid. l.66. Dialogus Noæ cum corvo ibid. l.73
Corvus à Noa emiſſus reverſus juxta Hebræos p.209. l.60. Non reverſus juxta Græcos, quos ſequuntur Syrus & Arabes MSS. duo, & omnes veteres præter Procopium p.210. l.22. Duæ rationes hos conciliandi pag.210. l.53. & 211. l.1. Utraque refellitur p.210. l.58. & 211. l.9. Sunt qui Hebræos negationem exemiſſe ſtatuunt, aut Græcos inſeruiſſe p.211. l.30. & 57. Neutrum veriſſimile, ſed Græcos pro יצוא ושוב legiſſe ולוא ישוב, quæ lectio magis perſpicua ibid. l.59. & 73.
Corvorum ſpeciem periiſſe non ſequitur, etiamſi corvus Noæ rediiſſe negetur p.212. l.29. Nec dicit Moſes quod quidam volunt, columbam ſeptiduo poſt corvum fuiſſe emiſſam ibid. l.39
Ex Hebræis verbis de corvo Noæ, prout leguntur, non facile eſt ſe expedire p.213. l.55
Corvos eſſe oblivioſos, neque ad nidos ſuos reverti, tanquam ex Plinio tradit Servius. Quod tamen in Plinio non legitur, nec in Philoſophorum libris, ſed ortum videtur ex famâ de corvo Noæ p.208. l.51. & p.213. l 45.
De corvo Græca fabula, qui ab Apolline aquatum miſſus non rediit, niſi poſt ficus maturas, quo pertineat p.211. l.63
Corvi crimen in diluvio admiſſum quomodo repararint p.216. l.29
Corvum ad Eliam olim mittendum quomodo Moſes obſcure innuat p.210. l.12
Veros corvos Eliæ panem & carnes attuliſſe, & eos falli qui הערבים *mercatores* aut *Arabes* reddunt, aut incolas urbis ערבו *Arabo* quæ nuſquam eſt p.214. l.35.
Corvis præcepit Deus ad obſequium eos inflectendo p.215. l.5. Ita præcepit locuſtæ, ſerpenti, piſci &c. ib. l.7
A corvis quam juſte Deus hoc exegerit ut Eliam alerent p.216. l.60
Corvis quomodo Elias ſimilis p.216. l.34
Corvi plures ad unum Eliam miſſi p.215. l.23. At corvus unus, ſi credimus, Paulo & Antonio panem attulit, quantum ambobus opus fuit ib. l.27
Corvi quomodo dapes Eliæ non polluerint pag.216. l.9. Corvi ad id cur adhibiti, ib. l.7. Et panem & carnes cur afferant, & bis in die p.215. l.40. & 62. Et unde afferant ib. l.67
Corvis & corvorum pullis Deum ſpeciali cura proſpicere tribus locis docet Scriptura p.203. l.41. Quæ ad literam ſumenda veteres qui negant refelluntur p.204. l.2. Corvi ad Deum clamant ut leones Pſal. 104.21. & reliqua animalia Pſ.145. & Joel. 1. p.204. l.43
Corvi pullos ſuos deſerunt, quamprimum editi ſunt, ſi Hebræis, Arabibus, & Patrum nonnullis creditur; Et Deus illis beſtiolas procreat quibus veſcantur p.205. l.3. Sed hæc neque rationi, neque Scripturæ ſunt conſona p.207. l.9. Corvi pullos ex nido pellunt, ſed jam adultos. ib. l.41. Lucas corvis in genere id tribuit, quod Job & David corvorum pullis p.208. l.18
Coſſus vel Cuſus (unde Hiſpan. *guſano*) ligni vermis p.627. l.5. & 12.
Coturnicis nomen Hebræum, Chaldæum, Syrum, Arabicum, Æthiopicum p.92. l.24
Ad coturnicum ſpecies Talmudici perridicule ficedulam referunt, & turdum, & phaſianum pag.94. l.20. & quorſum ibid. l.35
Coturnices Iſraelitis Deus bis dedit. Semel in deſerto *Sin*, & rurſus in *Kebroth-Thaava*. Diverſa fuiſſe hæc miracula pag.97. l.10. Cur Moſes qui

qui prius viderat, de altero dubitaverit ibid. l. 35.

Coturnices aves migratoriæ p.104. l.24. Ex Ægypto venerunt in caſtra Iſraelitarum, quo tempore migrare ſolent ib. l.25. & 51

Coturnices è mari veniſſe leguntur Num. 11. 31. Non quod in mari natæ ſint, ut volunt Arabes, ſed quod eo trajecto volarunt in caſtra Iſraelitarum p.100. l.4. Sic Plinius palumbium vim è mari advolare ſcribit ibid. l.56

Ad coturnices advehendas cur Eurum excitaverit Deus Pſ. 78. 26. cum Ægyptus, unde venerunt, ſit ad occaſum Arabiæ, ubi tum erant Judæi p.101. l. 7. Ex Græcâ & vulgatâ hunc nodum non recte ſolvi, ibid. l.19. Sed Eurum hoc loco & paſſim eundem eſſe cum Auſtro p.102. l.28

Coturnices an Auſtro flante volent pag. 103. l. 32.

Coturnices volando feſſæ quandoque in naves incidunt tantâ copiâ ut naves pondere ſuo demergant p.107. l.14

Coturnices in caſtra Iſraelitarum quantâ copiâ venerint? David pluiſſe dicit ut pulverem & arenam Pſ. 78. 26. id eſt magnâ copiâ p.104. l.60. Nubes coturnicum patebat plus XL M paſſ. & duobus cubitis ſupra terram eminebat, quod tribus modis poteſt intelligi p.105. l.5. Singulos non collegiſſe decem coros ut vulgo reddunt, ſed decem acervos p.105. l.63

Coturnicum magna vis quotannis è mari advolat Rhinocoluram pag. 100 l.68. Et in Delum inſulam, quæ Ortygia inde dicta ibid. l.43

Coturnicum in Græcia & Italia magna copia p.106. l. 61. & 107. l.5. Sed in Libya & Ægypto longe maxima ibid. l.29

Coturnices cur nova creatura vocentur in libro Sapientiæ p.108. l.6

Coturnices an ſint ſalubris cibus? Nonnulli negant, quia venenis veſcuntur p.97. l. 54. Itaque ex earum eſu timetur tetanus, ſpaſmus, morbus comitialis p.98. l.16. Tamen alii maxime commendant ib. l.44

Coturnicum cibus veratrum ſeu elleborus p.97. l.53 Cicuta etiam Sexto Empirico, quæ aliis ſturnorum paſtus, ib. l.72. Et Arabibus البيش napellus, id eſt aconitum λυκοκτόνον p 98. l. 1

Coturnicibus Deum Iſraelitas paſcentem, eis non male conſuluiſſe, ſive ſalubris ſit cibus aut inſalubris p.99. l 69

Coturnices comedentium quam grave peccatum fuerit, & pœna quam juſte inflicta p. 108. l.26. Hæc pœna qualis fuerit, ibid. l 70. Alius peccati ſimilis diſſimile judicium p.109. l.20

Crabro juvencis, hominibus, apibus, aviculis quam infeſtus p.543. l.66

Crabronum ictus qui lethiferi p.543. l.59

Cracere unde *crabro* p.537. l.53

Criu-Metopon, vide *Carambis*.

Crocodilum à Jobo deſcribi ſub nomine leviathanis p.769. & 776. &c. Et à Talmudicis quoque leviathanem pro crocodilo ſumi p.791. &c. Et leviathani ſynonymum *thannin* Ezekielem eodem ſenſu uſurpare p.795. l.11

Crocodili aſpectus quam terribilis p.773. l.64. Et eo viſo quid acciderit Artemidoro Grammatico ib. l.70.

Crocodilus in Auguſti nummo ad palmam revinctus p.775. l.28.

Crocodilus ſæpe captus & domitus eſt. Ergo, inquiunt, leviathan alius eſt à crocodilo, cum deſcribatur ut bellua quæ nec domari nec cicurari poteſt p.774. l.7. Reſp. idem de cetis poſſe objici & de quovis animali, quorum nullum eſt quod non ſubeat jugum hominis, ibid. l. 38. Tamen crocodilus non facile vincitur, cum ſit & mole vaſtus, & viribus tremendus ib. l.68

In crocodili collo eſt robur, quod balæna nullum habet: At crocodilus habet p.782. l.41. Id à nonnullis falſo negari. Nam caput reſupinat ad morſum, & colli motu trochilum excutit ibid. l.42. & 53.

Crocodili cor firmus ut lapis p.783. l.72. Cor viſcus firmiſſimum p.783. l.74. Cor Sabibi durum & compactum inſtar lapidis p.784. l.17. Cor Mahometis quam grave, ibid. l.25. Cor Nabalis in lapidem diverſo ſenſu, ibid. l.32. Cor lapideum ib. l.38. Cor coagulatum l.42. Λιθοκάρδιος, id eſt immiſericors ib. l.46

Crocodili quam truces p.784. l.50

In crocodilo gyrus dentium terribilis pag 777. l.70. Dentes ei ſexaginta vel exerti, vel ſerrati, ib. l.71. Morſus tenax & perniciosus p.778. l. 1. 9. Numerus ſexagenarius in crocodilo quam ſolemnis ibid. l.55.

Crocodilus Job. 41. 25. deſpicere dicitur quicquid altum eſt, id eſt ea animalia quibus corpus eſt procerius, & rex eſſe ſuper omnes filios elationis, id eſt in iis animalibus quæ longiora crura in ſublime evehunt, regnare quaſi, majorum virium fiduciâ p.790. l.37

Crocodili cutis deſcribitur v. 17. &c. contra omnem invicta & impenetrabilis, cum balænæ corium ſit omnibus telis pervium p 785. l.35. & 72. Neque cutem illam, quomodo ſerpens, unquam exuit p.777. l.18.

Crocodilus non eſt prorſus elinguis ut multi ſcribunt p.770. l.72. Sed linguam habet immobilem & inferiori maxillæ adhærentem p.770. l.73

Crocodili elatio eſt ſuper aquas emerſio pag. 784. l. 57.

Crocodilum nemo eſt qui excitare audeat, nempe cum ſatur in littore dormit p.777. l.1

Crocodilus omnia animalia feritate ſuperat p.775. l. 57.

In crocodili naribus juncus, id eſt funis junceus χοῖνος χαινίον, Hebraicè חבל׳ הםגנ p.771. l.70

Ex crocodili ore & naribus cur exire dicantur lampades, ſcintillæ, fumus &c. p.782. l.13. Idem de hippopotamo cognato animali tradi, ib. l.19. At balæna nimbos efflat ib. l.35

Crocodilus non eſt metus expers, ut nec balæna p.790. l 30.

Ante crocodilum mœror inſultat, ut pavor ante Martem & Palladem p.783. l.3. Inſultare quid proprie ib. l.38.

Crocodili moles quam vaſta p.774. l.73

Crocodilorum oculi Auroræ hieroglyphicon p.781. l.55. In balæna nihil tale pag. 782. l.4. Horus emendatus & explicatus p.781. l.57

Crocodili odor ut muſci p.786. l.65

Crocodilis in prædam pueri ſæpe cedunt pag. 772. l. 43.

Crocodilus Job. 41. 24. deſcribitur tanquam in pulvere reptitans, ita tamen ut non atteratur, quomodo cætera reptilia p.790. l.16

In crocodilo rictus oris valvarum inſtar eſt Job. 41. 5. p.777. l.35. Magno hiatu aperitur, ib. l.46. Buculam integram vorat, ibid. l.63. Fauces ſeptem pedum ibid. l.65

Crocodilus licet in pulvere reptitet, tamen ita factum eſt ut non atteratur Job. 41. 24. pag. 790. l. 16.

Crocodilos veriſſimile eſt ſternutare frequentius, quia ad Solem ſæpe apricantur p.781. l.38

Crocodili totum tergum ſquamis ut ſcutorum laminis cohærentibus eſt obductum. Job. 41. 6. 7. 8. ſic deſcribitur p.779. l.22. In balæna nihil ſimile, ib. l.24. Boorum evaſio, & naturæ crocodili quam ſe prodat imperitum, ib. l.29. & 57. Cetum ſquamatum deſcribit Nearchus, ſed ſolus, & ex aliorum fide, ipſe mendaciſſimus ſcriptor p 780. l.50. Cur pro ſigillo arcto Græci habeant σφραγῖδα λίθον p.781. l.16.

Tori carnis in crocodilo מפלי. id eſt procidua, prominentia, non melandrya ut habet Junius p.783. l. 56.

Crocodili venatio quam ardua p.775. l.22

Crocodilitis quæſtio p.772. l.68

Cryſtallum Soli oppoſitum ignem concipere, de quo multi veteres p.875. l.66. An eo igne in ſacris uti liceat p.876. l.14

Cuculi vide *Turt*.

Cuculus in multarum avium nidis ponit, puta curucæ, palumbi, turturis, alaudæ, chloridis, pappi, paſſeris, luſciniæ, motacillæ, rubeculæ, ruticillæ p.82. l.34.

Cuculus Plauto Mœchus eſt p.88. l.22

Culicis generale nomen non habuit Græcia vetus. Nam βύζα eſt recens, & ex Arabibus ſumptum p.562. l.63. Κώνωψ eſt vinarius culex, ut Hebr. יבחוש *jabchus* p.564 l.58. Ἐμπὶς culex in aquoſis locis naſcens, ut Hebr. יתוש *jatthus*, pag. 565. l.59. Λεοντοφόνος culex leonibus infeſtus, ut Hebr. מפגיע *maphgia* p.792. l.63. Δίχρος in pinu naſcitur, ψὴν in caprifico & palma σκνίψ in ulmo quercu & ficu, ut Arabum بق *bak* & Chald. בקא *bakka* p.569. l.27

Culex in minima ſtatura formam habet elephantis, cum alarum auctario p.563. l.61

Culex pro re minima p.564. l.44

Culicis encomium ex Alkazuinio & Plinio p. 562. l. 65. & 564. l.18.

Culicis malleus, id eſt aculeus, quam gravis ex Talmudicis p.573. l.60

Culici vulgo opponitur elephas; ſed camelum oppoſuit Chriſtus ut notiorem p.564 l.36

Leoni metum incutit culex Hebr. מפגיע *maphgea* dictus, ab occurrendo vel incurrendo, quia illum acriter impetit, in oculos maxime irruens. Nec ſolo morſu ſed & voce terricat, & in fugam compellit. Horum culicum olim magna vis fuit in Rhizophagis & in Meſopotamia. Λεοντοφόνους vocat Heſychius p.792. l. 16. Vide & p.567. l.4.

Culicem vinarium aut aliud ſimile animalculum, ne Judæi incauti biberent, vinum percolabant p 565. l. 9.

De culice יתוש *jatthus* dicto, qui in Titi nares ingreſſus, ejus cerebrum toto ſeptennio convulſit, fabula Judaica pag. 568. l.15. Arabes de *jetaina* Nimrodis culice idem narrant p.569. l.19

Culex arborum Arabice بق *bak* vel بقة *bakka*. Et arbor البق *albak* non eſt *arbor cimicum* ut volunt, ſed *culicum*; ulmus ſcilicet. Tamen البق *albak* pro cimice reperitur in Avicenna p.570. l.32.

Culices Myuſiis moleſti, & Perſis prope Niſibin, p.540. l.67.

Culices Niſibeni unde nati p.573. l.36. Horum meminiſſe Arabes ibid. l.51

A culicibus infantes quomodo liberent Tiberiadenſes p.568. l.5

A culicibus quomodo ſe tueantur paluſtres Ægyptii p. 567. l.50.

Curruca quid Juvenali p.88. l.30. In hujus nido ponit cuculus ibid. l.34

Cuth regio dicta à flumine ejuſdem nominis p. 136. l. 50.

Cygnos utut poetæ ſummis laudibus evehant, tamen eſſe immites & ἀλληλοφάγους probatur ex Philoſopho & aliis. Itaque in fabulis homines duri & immiſericordes finguntur in cygnos mutari p.300. l.38

Cynomyia, vide *Canis & muſca*.

Cynomyia gravis, id eſt multa p.558. l.64

Cynomyia terram perdit, id eſt terræ incolas, ut explicatur Pſ. 78. 45. & Sap. 16. 9. pag. 550. l. 8. Quam gravis fuerit hæc plaga ib. l.24

Pro cynomyia in Pſalmorum editione Syroarabica Arabs habet البرقوس *alburkous* pulicis genus, inter Arabes quod muliebris pudendi morſu maxime delectari ſcribunt. Quaſi κυνόμυια ſit hibrida vox, & ſemilatina, qui jocularis eſt error p.554. l.35. Aliter in Κυνόμυια.

Dæmones & Idola שעירים *ſeirim* id eſt hirci, dicuntur Levit. 17. 7. propter Ægyptios qui hircum, ἀποθέωσαν, cui Deo ſacerdotes primum initiabantur p.828. l 57. Multi Dii hac ſpecie culti, ibid. l.66. Et eâdem diabolus ſe videndum ſæpe exhibet, ibid l.71. *Seirim* igitur ſunt ſpectra hirſuta & hircinâ ſpecie, Gr. τραχιῶντες & ὀρθοτραχῶντες p.829. l.28

Dar דר Eſther. 1. 6. non eſt habitatio, ſed pretioſi lapidis genus p.709. l.1. Talmudici lapidem definiunt qui lucem infert cœnaculo; id eſt lychnin ſeu lychnitem. Falluntur enim qui ad carbunculum id referunt p.707. l. 59. Sed verius quod in Midras דר *dar* margarita redditur pag. 711. l. 22. Et in Chaldæa paraphraſi דורא *dura* id ipſum eſt ibid. l.46. Arabice دور circumire eſt. Multæ voces, Hebrææ etiam inde deductæ p.712. l.5. In his כדור in Eſaia *ſicut pila* vel *ſicut orbis*. Servile enim ibi eſt *caph* non radicale, ibid. l.45. Margarita Hebr. דר *dar* & Chald. דורא *dura* quia ſphærica p.713. l.34 Hebræum דר *dar* à Græcis non reddi πάριον λίθον, ut putant, ſed πίννινον, id eſt margaritam p.714 l.20

Decem acervi Num. 11. 32. id eſt plurimi, ut *decies* paſſim uſurpatur pro multoties p.106. l.26

Dei providentiam ad minutula extendi probatur rationibus p.160. l.1. Talmudicos etiam & Græcos ita ſenſiſſe p.160. l.17. & 28

Διοδεῖται à προκοδείλου p.775. l.34

Derceto vel Atergatis quomodo Hebraice pag. 163. l. 38. vide *Atraga*.

Deror דרור avis à libertate dicta, recentioribus hirundo p.51. l.38. Potius columba fera ibid. l.60. Græci veteres *turturem* reddunt, ib. l 62. Æthiops ዋህኒቅ፡ *palumbum*, à torque ſic appellatum, ibid. l.68. Arabice quoque pullus turturis الحر *alhorro* vocatus à libertate dicitur, & palumbus ساق حر *ſaks horrin* p.52. l.16. ut columbæ Baſilio ſunt αὐτόνομοι ἀγέλαι *grex liber* p.53. l 4

Deror דְּרוֹר Prov. 26. 2. cur à volatu commendetur p.53. l.21.
Deror Pſ. 84. 4. ad altare Dei nidificat, id eſt in tabernaculo, aut in templi trabibus p.53. l.24. Tale quid de palumbo Theocritus p.53. l. 38. Et alii de livia columba ib. l.43
Deus cur minetur antequam feriat p 655. l.39
Δρῦς ligni vermis; inde ſylva Heſiodo *ἀδρυοτόμα* p.627. l.2.
Diabolus ſerpens antiquus & magnus draco Apoc.12 Philoni quoque & Hebræis ſic dictus p 439. l.21. quia ſerpentis habuit ſpeciem, & eſt inſidioſus, aſtutus, venenoſus, homini maxime infenſus pagin.440. l. 7.
Diana in Ægypto cur in ſelem mutata p.63. l.28
Diana ſeu Hecate à Magis invocata p.581. l.9
Diatreta quid proprie p.875. l 10
Dibaphum Hebræis שני pag.614. l.25. Non tamen quod purpurâ ut apud Græcos, ſed quod cocco bis tinctum eſt apud Hebræos ſonat ib. l. 46
Dibjonim דביונים. vide *Chirjonim*.
Dies Domini pro iudicio Domini, ut 1. Cor. 4. 3. Cilicum phraſis p.471. l.1
Dies quadraginta Ninivitis aſſignatos Seniores in triduum mutant p.745. l.33. Dubitat Auguſtinus uter ſit verior numerus pag.746. l.8. Huic dubio ſatisfit ibid. l.11
Digitus Dei quid in Scriptura p.582. l.7. Non opponitur manui, ſed pro manu ſumitur ib. l 23
Dii ſub pavonum, phaſianorum & coturnicum ſpecie culti p.109. l.43
Δίκη Act.28. 4. id eſt Nemeſis Dea, de quâ multa p.371. l.62.
Diomedeæ aves catarrhactæ dictæ, quia Græcis parcere leguntur, & barbaros *κατασιαίνειν* pag. 278. l.27. Deiſdem vide p.323. l.69. & p.324. l.63
Dioſcorides ex Plinio & Arabe emendatus p.690. l.63.
Dipſas ſerpens in Ægypto & Arabia morſu ſitim excitans inexplebilem; viperæ ſimilis, ſed minor, vix dodrantalis, albo corpore, caudâ gracili, duabus lineis nigris inſigni, quam incedendo ſurſum attollit p.391. l.51. Aliter vocatur cauſon & preſter, & melanurus, & ammobates, & centrides p.398. l.1. צמאון *tſimaon* Deuter. 8. 15. non eſt *διψὰς* ſerpens, ut Hieronymus reddidit, ſed δίψα ſitis p.398. l.18
Δίεξ culex ex pinu naſcens, vide φθεὶρ.
Draco Hebr. & Arab. תנין *thanin* vel *thannin*, quæ vox etſi de quovis ſerpente uſurpatur, tamen proprie draconem ſonat p.428. l.67
Draco triplex, cœleſtis, terreſtris, marinus. Terreſtris deſcriptio ex Avicenna p.429. l.16. In ejuſdem verſione corrupta draconum nomina reſtituuntur & explicantur, ibid. l. 40. De draconum magnitudine multa p 439. l.29. Draconum minimi ſunt quinque cubitorum, magni triginta, ib. l.43. Sed longe majores ſæpe viſi, ſi credimus, ut Romæ & in Etruria ſub Auguſto, in Africa ad Bagradam, in Cœleſyria, Æthiopia & India p. 431. l.13. Apoſiſaris Indi dracones duo, unus LXXX, alter CXL. pedum ibid. l.67. Taxilæ draco *πεντάπλεθρος* p.432. l.13. Draco ab Arabe deſcriptus duarum paraſangarum ib. l.73
Dracones bipedes, criſtatos & alatos falſo deſcribi, p.432. l.39. & 433. l.12. Alas illis tribuere Strabonis verſionem, cum Græca aliter habeant, ibid. l.30. Draco myſticus *ἄπτερος* in Apocalypſi, ib. l.39. Draconibus alatis Cererem, Triptolemum, Medeam & Circen Poetæ vehunt, ib. l.53. id eſt navibus, quibus draco ſuit pro inſigni p.434 l.54.
Dracones à ſerpentibus diſtinguit, 1. Vaſta moles. 2. Barba & palearia, 3. Dentium ordo triplex. 4. Color niger, rufus aut cinereus. 5. Rictus oris ingens, 6. Quod aſpiratione ſuâ non ſolum aerem attrahunt, ſed & aves ſupervolantes, 7. Sibilus terribilis, & aliquo modo lugubris, unde dicitur תנין *thannin* p.435. l 30
Dracones in Græcia veneno carent. In Africa, Æthiopia & Arabia non item. Venenum illud vini potu fit acrius p 437. l.45
Dracones in vaſtis & deſolatis locis degunt pag. 438. l.59. Fons draconis prope Jeruſalem unde dictus p.439. l.6.
Dulbak Arab. forma hominis ſtruthionem inequitantis, veſcens carne hominum quos mare ad littus ejicit. Videntur Sirenes intelligi p.860. l.58
Duſii Gallorum dæmones incubi p.229. l.8
Ebenus cornu levigato ſimilis p.140. l.64
Ebenus in India & Æthiopia circa Meroen, non in Ægypto p.141. l.4.
Ebenus & ebur Æthiopum tributum p.141. l.50
Ebeni duo genera in Theophraſto, & Plinio, qui tamen Theophraſti mentem parum percepit p.138. l.61.
Ebenum ſignificari voce הבנים *hobnim* Ezech. 27. 15. non ilius, neque pavones p.140. l.20
Ebrios cui excitet Joel p.467. l.41
Ebur & ebenus à propheta quam recte jungantur p.140. l.46.
Ebuſopis palatium in Colchide quam ſplendidum p.716. l.56.
Ἐγκέφαλος φοίνικος palmæ cerebrum, non phœnicis p.821 l.6.
Ἐξχιμενος & ἐξχίμπτειν vel ἐξχίπτειν de ſcorpione quid ſignificent, fugit Lexicographos p.639. l.69
Egure אגורי quod genus olivarum p.725. l.40
Elac vel *ilc* Arab. reſina pag. 869. l.27. Syris idem ܥܠܘܩܐ *aluka*. Hinc עלוקה אורנא *alukath-orna* reſina pini: Et ἤλεκτρον, quod veteres ex pino fluere crediderunt ib. l.48
Electrum cum tria ſignificet, 1. ſuccinum, 2. aurum argento mixtum, 3. cryſtallum; Quæritur quo ſenſu Græci uſurpent, cum in Ezekiele חשמל *haſmal* ἤλεκτρον reddunt pag 872. l.70. Arabs in uno loco reddit *Karabe* ſuccinum, in altero *maha* cryſtallum p.873. l.3. Tamen in Græca verſione ἤλεκτρον, neque ſuccinum eſt neque cryſtallum, illa enim in igne non lucent, quomodo *haſmal* Ezekielis p.875. l.33. Fruſtra opponitur Orphei de cryſtallo locus, qui ab interprete male eſt acceptus, ibid. l.46. Electri igitur nomine Seniores auri ſpeciem intelligunt p 876. l.20. Ita accepiſſe veteres, ibid l.28. Cur hoc electrum ſtatuant eſſe auro pretioſius ib. l.42
Electri Syrum nomen non fuit ܡܕܗܒܐ *chataph* ut vult Nicias, ſed ܟܗܒܐ *Ketaph* p.869 l.5
Elephantem divexat culex Hebr. יתוש *jatthus* dictus & Græcè *ἐμπὶς*, modo in promuſcidem, modo in aures ingrediens, quas hujus animalculi metu elephas habere legitur in perpetuo motu p.793. l.14
Elephantes in aquis ſtatim ſuffocari niſi promuſcis emineat p.767. l.17. At hippopotamus, quamvis natatus expers, tamen integros dies degit in fundo Nili ibid. l.66
Elohim Hebr. non ſolum Deum, ſed & judices & principes ſonat, quibus opponuntur homines, id eſt plebeii p.403. l.17
Emeſa urbs *τετελεσμένη*, ne ſerpentes & ſcorpiones in eam ingrediantur p.388. l.11. Illi à cicere nomen p.48. l.1
Ἐμπὶς culex in aquoſis locis naſcens p.565. l.59. Cujus ſpecies יתוש *jatthus* elephanto infenſus p.566. l.23. & מפגיע *maphgia* qui leonem invadit ibid. l. 66.
Ἐμπὶς ſeu יתוש bubalis quoque & bobus infeſtus p.566. l.44. Inde in Heſychio Βύτυτος l.51
Enallage generis Hebræis frequens, maxime circa animalia, p.254. l.65
Enallage numeri p. 179. l.17. & 250. l.31. & 253. l. 9.
Ἐννεάδερμοι, id eſt πολύδερμοι, neque enim præciſe novem ſonat. Sic ἐννεάχροος veſtis, cornix, ἐννεάγηρος, Calluhoe fons ἐννεάκρουνος, *Timavi ora novem* p.637. l.20
Epha, decima pars Cori p.106. l.1
Ἐφάπτεσθαι in libro Baruch lectum pro ἀφικνεῖσθαι p.62. l 21.
Ἤπιος quid Paulo p.319. l.42
Equi fœtus ſi quid humanum, aut muliebris ſi quid equinum habeat, id monſtrum eſſe, & ex qua cauſa p.840. l.17
Ergimul Arabibus *Giormek*, regio Scythica ut videtur, unde muſcus & phaſiani p.96. l.10
Eridanum Rhodanum & Radaunum prope Dantiſcum, ubi ambarum, tres amnes ab invicem remotiſſimos, veteres promiſcue ſumpſiſſe p.268. l.11.
Eruca morſu exurit, unde in Gloſſis uruca dicitur p. 444. l.20.
Eſaiæ locus explicatus p.13. l.52
ET pro CUM vel pro POSTQUAM p.409. l.19
Eurum & Notum confert Theodoretus ut ventos ſimiles & prope eoſdem p.103. l.12
Euro ſeu vento *Kadim* ſacros Scriptores ea tribuere quæ venti Auſtralis ſunt propria p.102. l.70
Exaluminatus color in margaritis ſumme laudatur p 690. l.69.
Exempla vitæ ex brutis ſæpe petuntur p.512. l.65
Ezekielis locus aliter lectus p.13. l.23
Ezekielis locus explicatus p.28. l.26. & 48
Faba Pythagoricâ ſententiâ damnata p.49. l.25. In ea mortuorum animæ. Hinc parentando aſſumitur, l.28. In flore ejus lugubres literæ. Itaque Flamini eâ veſci non licebat. Imo nec tangere fas ſuit, nec nominare. Et lemuralibus larvis jaciebatur l.29. &c.
Fabulæ monſtrum in Græca verſione p.773. l.42
Fabulæ de phœnice videntur multi Patres aſſenſum præbuiſſe, ut ævo noſtro Turrianus, Pamelius, Patruus, alii pag. 819. l.30. Sed Tertulliano & Epiphanio impoſuit Scripturæ locus perperam acceptus, Cyrillo Clemens, cui hoc homine Photius dicam ſcribit. Cæteri fere de phœnice ſcribunt, ut de re parum comperta & ex ſama tantum nota p.824. l.60. Eam refellunt Maximus & Photius p.825. l.14
Fabulæ de phœnice occaſionem dedit palma in Syagris ex ſe renaſcens p.821. l.50
Facere id eſt conari, Scripturæ phraſis p.581. l.34
Falco montanus, barbaris montananus, ab Alberto deſcribitur maxime iracundus pag 338. l.25. Videndum an hic ſit אנפה *anapha*, vel Chald. רזה רגזנית *vultur iracundus* ibid.
In Falconum genere eſt شاهين *ſahin* (non cygnus ut inepte Giggeius) columbis maxime infeſtum, quæ illo viſo præ metu concidunt. Idem teſtudines ex alto dejectas frangit pag. 288. l.28. Æger eſu canthаridum ſanatur, ibid. l.35. Ejus ampla deſcriptio pag 289. l.25. Nomen *ſlatorum* ſignificat, quia nec famis nec ſaturitatis tantillum ferre poteſt, ibid. l.33. Quo impetu deorſum ſe dejiciat, ib. l.30. Quæ notæ ſint boni *ſahin*, ibid. l.35. Grues venatur l.39. Conſtantinus Imperator Sahinos ſupra caput volitantes habuiſſe fertur, qui umbram ipſi facerent p. 289. l.42. Gall. *ſahins* dicuntur & *pelerins* peregrini ib. l.54
Fauni ficarii leguntur in Vulg. Jerem. 50. 39 & in Hieronymo, Iſidoro, Paulo Diacono, Gloſſano &c. Itaque *Ficarios* in *Sicarios* mutat perperam Emanuel Sa, ut intelligantur dæmones qui ficariorum ſpecie conſpiciendos ſe præbeant p. 826. l. 12.
Fauni etiam Fatui & Fatuelli dicti, & Fauni uxor Fauna & Fatua, unde Ital. *fata*, & Gall. *Fee* p.826 l. 16.
Fauni pro אים Jerem. 50. 39. quaſi in אים *Mem* finale ad radicem pertineat, & terribiles ſonet, ab אימה ſeu terrore factâ voce. Fauno nimirum Panici terrores tribuuntur, quia Faunus idem qui Pan p.826. l.32. Et פן *pan* vel *phan* Hebr. attonitum hæ[re]re ſonat, unde אפונה Pſ.88. 16. ibid. l. 64.
Femur pro pudendo Hebræis, & in Hiſtoria tripartita p.758. l 38
Fera arundinis Pſ. 68. 31. quæ proprie ſit pag.763. l. 68.
Ferrugo quod genus coloris p 728 l.74
Ficarios Faunos alii à ficu dici volunt quæ Fauno fuerit ſacra. Quin illi pinus ſacra fuit, & Baccho ficus p.826. l.71. Alii à ficatis vel picatis pedibus, id eſt in ſphingis modum, quem Heſiodus φῖκα vocat. Quin Faunis caprini pedes, ſphingi leonini fuere, p.827. l.66. Ficarios igitur dictos putamus à ficis ſeu tuberculis quæ in facie emicent ib. l. 12. quæ aliis *κατοχάδες* & φῦμα ibid. l.45
Ficedulam Talmudici coturnicis ſpeciem eſſe ſomniant, eamque præſtantiſſimam p. 94. l. 24. & 27.
Ficedula lurconibus ſola avium tota placuit pag. 94. l. 46.
Ficus ſerotina eſt, nec niſi cum uvis matureſcit p.213. l. 30.
Filia Græcorum بنات الروم Arab. cete muliebri forma p.230. l.59
Filia vardan بنات وردان blattæ p.230. l.62
Filius albedinis בר חוריא albus accipiter pag.230. l. 10.
Filius aquæ ابن الما anas p.230. l.35
Filius cervicis ابن داية corvus p.230. l.35
Filius latratus ابن اوي thos p.230. l 40
Filius nuptiarum ابن عرس muſtela vulgaris p.230. l.45.
Filius nidi בר יוכני *bar juchne*, avis fabuloſa, portentoſæ magnitudinis, de cujus ovo Talmudici mira narrant p.230. l.14
Filius roboris בר גזא pro בר עזא gryphus p.230 l. 5.
Filius roſionis ابن مقرض muſtela faginea, pagin.230. l.45.
Filius ſaliens ابن طامر pulex p.230. l.17

Filius

Filiis Judicia Dei cur narrari velit Joel p 465. l. 12
Filios ſuos duriter tractat, Job. 39. 19. Ova ſtruthionis cur ibi filii vocentur p.255. l.3
Formica cur grana coriandri quadrifariam dividat; lentes, hordeum & fabas ſolum excorticet p.589. l.50.
Formica odoratu inſignis, unde illi Chald. nomen p.590. l.40.
Formica ut à Salomone, ita etiam ab Æliano pigris in exemplum proponitur p.591. l.51
Formica egrediens ingredienti non obſtat pag. 592. l. 42
Formica ducem non habet p.593. l.16. Græci & Syrus aliter l. 24
Formica Ariſtoteli ἄναρχος. p.593. l.42
Formica parat æſtate cibum, eſcam in meſſe colligit p.593. l.43.
Formica quam ſapiens p 599. l.13
Formica cognitionis & ſolertiæ ſymbolum apud Arabes & Ægyptios p.599. l.43. & 45
Formica à ſcientia Græcè dicitur ἴδρις p.599. l.57
Formica nihil neque infirmius, neque fortius p.601. l.25. & 29.
Formica quanto præſtantior cæteris animalibus quæ cibos recondunt p.602. l 30
Aſpice formicæ vias, ſive proprie ſive metaphorice dictas, id eſt vivendi rationem p. 591. l.68. & 592. l. 44.
Aſpice formicæ vias, & ſape, id eſt ita ut non ſolum doctior, ſed & ſapientior fias, & referas ad vitæ praxin pag. 592. l. 73. Sic Horatius & Juvenalis p.593. l.9.
Formicæ vias cecinit Poeta Agathon p.592. l.30
Formicæ eâdem viâ ſemper incedunt p.591. l. 74
Formicæ onera partiuntur p.592. l. 10. & 26
Formicæ viæ, id eſt vivendi ratio de qua citatur Hebræi ſcriptoris locus inſignis p.592. l. 58
Formicæ quomodo ſemina madefacta ſudo cœlo proferant & exſiccent p.596. l. 11
Formicæ ſpecies Arab. ذر *dſar* ſeu atomus dicta, quarum centum non pendunt niſi unum hordei granum p.598. l.43
Formicam ſpicarum capita abſcindere ne regerminent, tradunt ſcriptores omne genus, quod tamen valde incertum, p.588. l.32. Sed ideo abſcindere ut grana ex iis eximant multo verius, & inde dici נמלה *nemala* p.587. l.65. Ea de re inſignis Æliani locus explicatur p. 590. l. 3. *Vade ad formicam* Prov. 6, 6. quomodo itur ad doctores p. 591. l.63
Formicam aliquem divinationis ſenſum habere p. 597. l.21. & 600. l. 53.
Formicæ vacuæ cedunt onuſtis p.592. l.9. & 19
Formicæ ſuccumbentes adjuvant p.592. l.43
Formicæ cryptas quomodo effodiant, & ab aquarum alluvione defendant, ib. l.20. Variæ in iis manſiones, commune ſtabulum, penus, cœmeterium in quo patria monumenta p.594. l. 26. Apothecas earum ſubterraneas Ælianus οἴκους vocat. ibid. l. 51. & 57. Variæ manſiones ſepibus diſtinguuntur p. 595. l.19. Viæ ad illas cur flexuoſæ, ib. l.24 Inde hyeme non prodeunt, ſed circa meſſem ibid. l. 37.
Formicæ quomodo onera vel ore vel humeris ferant, & inter ſe partiantur p.595. l.71
Formicæ quomodo ſemina dividant, ſi meatus ſit anguſtior p.596. l.10
Formicæ noctu in pleniluniis laborant, in interluniis ceſſant p.597. l.27
Formicæ inter minima terræ p.598. l.38
Formicæ illæ majores in India fabuloſæ p.598. l.54
Formicæ cur ingenio maxime valeant p.599. l.69
Formicarum populus p.600. l.62. claſſis p.601. l.5. concio, ib. l. 9. exercitus ibid. l. 12
Formicarum populus debilis p.601. l. 13. tamen ſuo modo potens ib. l.21
Formicarum navigia p 602. l. 11 19
Formicarum myſteria Solomon intellexit p. 602. l.54. Fabuloſa ejus colloquia apud Arabes cum formica *Tachia* nomine ib. l.60
Formicis Cleanthes rationem tribuit pag. 600. l. 16. Celſus colloquii ſpeciem, ibid. l.12. Cicero mentem &c. ibid. l.28. Plutarchus omnium virtutum ſemina ib. l 34
In formicas migrare crediti politici homines p. 599. l. 65.
A formicis Sabbatha ſeptima & trigeſima obſervari nugatur Tzetzes p.597. l.40. Origo fabulæ, ib. l. 71.
A formicis gens exciſa p.602. l.4
Formicæ in India quam timeantur p.602. l.6
Formoſi à candore; non à rubore commendantur p.696. l.18.
De forti exiit dulce, id eſt *de acri* p. 523. l. 35. ut conſtet oppoſitio.
Fractio pro metu, quia animus metu frangitur p.784 l. 60.
Frænum crocodili in Jobo pro labiis, ut Græcè χαλινοὶ pars labiorum p.777. l.29
Fringillarius, qui *muſeti* & *ſparverius* recentiorum p.268. l.72.
Fringillus paſſeri ſimilis. p.158. l.74. Gallis *pinſon* ut Gr. σπίνθιον p.159. l.4
Fringilli ſeptem pro uno obolo in Ariſtophane p.158. l.60. In Luca quinque paſſeres pro duobus aſſariis, quod idem eſt ib. l.67
Fucos ab equis, crabrones à mulis, & veſpas ab aſinis deducit Servius p.543. l.53
Ut fumus ex fumario Oſ. 13. 3. Alii *ex locuſtis* p.480. l. 3.
Galei & ſquatinæ ova intra ſe pariunt, & ex iis viva animalia. De quo Theophraſti locus emendatus & explicatus p.365. l.34
An gallicinium ſignificetur Eccleſ. 12. 4. cum excitari dicitur ſenex ad avis vocem p 118. l.6
Gallicinium ἀλεκτοροφωνία quomodo Talmudicis. Sic vocatur medium tempus inter mediam noctem & mane p.119. l.66. & 120. l.18. Quidam vocant ſecundum gallicinium quaſi primum ſit media nox, ibid. l. 41. Dicitur etiam quarta vigilia, ibid. l. 58. Gallicinium ſimpliciter poſterius illud ſemper ſignificat ibid. l.70. Itaque in Matthæo πρὶν ἀλέκτορα φωνῆσαι, plane idem eſt quod in Marco πρὶν ἢ δὶς ἀλέκτορα φωνῆσαι p.121. l.41. Confertur tempus inter primam & ſecundam Petri abnegationem cum tempore inter primum & ſecundum gallicinium p.122. l.4
De gallicinio quid Theophylactus p.123. l. 11
Gallina altilis & paſcualis p.112. l.40. & 48
Gallinæ Athenæi ævo ὄρνιθες & ὀρνίθια dictæ, p.111. l 65. & multo ante p.125. l.22
Gallinas eſſe volunt δύο illa ὀρνίθια quæ leproſus jubetur offerre, cum ſint aviculæ duæ pag. 111. l. 23.
Gallinam cum pullis ſuis deduces? Job. 38. 32. Ita Chald. p. 113. l.35. Sed in Hebræo eſt עיש, alibi עש, id eſt ſydus urſæ, quod ex Arabiſmo probatur p.213. l. 57. Alia Hebræorum interpretamenta p.114. l.34. Chaldæa, Græca & Vulgata ab invicem diverſiſſimæ unde ortæ ſint ib. l.41
Gallinæ proprium quod non ſolum ovis incubat, ſed & pullos jam editos ſub alis congregat, ni materno calore foveantur p.125. l.71, unde Arabice dicitur *mater congregationis* p.126. l.1
Gallinæ φιλοστοργίας exempla varia p.126. l.6
De gallinæ στοργῇ nonnulla in Euripide Chriſti verbis fere gemina p.126. l.62
Gallinis Numidicis raritas auxit pretium pag. 133. l. 73.
Ad gallinaceum genus referri Prophetarum loca duodecim, ſed incertis conjecturis pag. 111. l. 19.
Gallinaginis videtur eſſe ſpecies avis Hebr. קרא *kore* dicta, Chald. *koraa* vel *koreo*, & Arab. *karia* columbâ minor, edulis, longo roſtro, vocem in gutture reciprocans, breves habens pedes, dorſum viride, pluviæ prænuntia, ac proinde apud Arabes boni ominis eſſe credita, in Arabia & Ægypto frequens pag. 80. l. 22. Gallinagini noſtræ quomodo ſimilis aut diſſimilis pag. 83. l. 3. & 25. Ratio Hebræi nominis eadem quæ Græci σκολόπαξ, Hebræum enim קורה *kora* palum ſignificat ut Græcum σκόλοψ p.82. l 60. De hac ave agitur 1. Sam. 26. 20. ubi à Græcis redditur νυκτικόραξ quia legerunt קרא pro קרא *Daleth* pro *Res* p.83. l. 43. Et Jerem. 17. 11. ubi קרא iiſdem eſt perdix, vel quia קרא per *Koph* ſumptum pro כרא per *Caph*, vel quia gallinago veteribus ἀγρία πέρδιξ *ruſtica perdix* dicta p.89. l.1
Gallus Syre non vocatur אכבא *achaba* (ut in Chaldæo legitur) ſed אבכרה *abacha* & quorſum p.116. l.52.
Gallum Hebræi cur offerant feſto expiationis p.119. l. 16.
Ala galli Job. 39. 13. perperam in Chaldæo pro *ala ſtruthionum* p.115. l.72
Gallus quomodo noctis horas diſpenſet p.123. l.65. Cur id fiat cauſæ commentitiæ p.124. l.23. cauſa vera. l. 41
Gallum non ſignificari Hebræâ voce רננים *renanim* Job. 39. 16. nec *luſcinias*, nec *pavones*. Sed *ſtruthiones* p.239. l.24. & 245. l.5
Galli gallinacei Arabica & Syriaca nomina eſſe vetuſtiſſima, licet à Prophetis non uſurpata. ab uno upupa dicta דוכיפת *ducifbath*, ab altero *Tanagra* urbs antiqua Bœotiæ; & *Tanagrai galli* pag. 110 l. 62.
An gallus Hebr. dicatur שכוי Job. 38. 36. ut Hebræi volunt, & eos ſequutus Hieronymus p.115. l. 12. Quis commenti ſit primus autor, ibid. l.35. Græca verſio prorſus aliena unde nata p. 115. l. 57.
An gallus ſignificetur voce גבר Eſ. 22. 17. ut in Talmude paſſim p.118. l.18
Gallos aut capones qui fuerint in menſa Solomonis ſignificari voce ברברים *barburim* multi volunt p.111. l.74.
Gallus inter fœminas ſuperbe incedens in Græco, Syro & Arabe Prov. 30. 31. Pro Hebræo זרזיר מתנים quod plane aliud ſonat p. 116. l. 29. & p. 117. l. 39. & 50.
Gallus quam ſuperbum animal p.116. l.6
Galli vox quam contenta ſit ex Talmude & aliis p.123. l.27. 35. &c.
Dei gallus cujus caput attingit ad thronum gloriæ, & pedes ſunt in Inferis, qui orandi tempus indicat p.854. l.73. De eodem multa Hebræi p. 855. l. 32.
Gallus ſylveſtris, & ejus cantus in Chaldæa paraphraſi p.113. l.24. & p.116. l. 6. & 13. De hoc eodem gallo nugæ Hebræorum & Arabum p.239. l. 24.
Gallus & Ταναγραῖος apud veteres αἰτιτρόφοι p.111. l. 8.
Γεραινοβοσκίας vel γεραινοβοσκία, circa Theſſaliam p. 79. l. 28.
Gerrara جرارة Arabibus, parvi ſcorpionis ſpecies qui caudam humi trahit p.638. l.63. Ejus natales & deſcriptio p. 639. l. 1. Explicatur de eo locus in Avicenna quem prætererant interpretes ibid. l. 4.
Gibli Græce dicti Βύκλοι p.501. l.56
Γλάνος nomen commune ad ſilurum & glanidem p.750. l.61.
Glanis ſiluro ſimilis eſt p.750. l.58. Et eam ſuffitu ſuo dæmones pellere credunt ſuperſtitioſi ſcriptores p.753. l.51. Id ipſum credunt Arabes de piſce *algiri*, quem ſilurum eſſe volunt, ibid. l.60. vide *Silurus*.
Gomer mannæ ſingulis Iſraelitis in diurnum cibum p.105. l.73. id eſt ephæ decima pars ib. l.74
De Gorgonia Plinii locum à Cl. Salmaſio fruſtra ſollicitari p.707. l.36
Graculus an propriam umbram rapiat p.12. l.8
De gripho Samſonis multa obiter. Griphi apud veteres inter epulas proponi ſoliti, p. 522. l.65. Griphus ab ænigmate quid differat p.523. l. 3. Quæ præmia vel pœnæ ib. l.7
Gruis nomina omnibus linguis ejus vocem utcunque exprimunt p. 69. l.68
Gruis Hebræum nomen עגור *agor* ſolus Chaldæus explicat, idque ordine præpoſtero pag. 79. l. 52. Inde عجر *agiara* verbum quid Arabibus, & Perſarum ἄγγαροι ibid. l. 14. At Cypriis αἰγὸς *aquila*, ſi in Heſychio recte legitur ibid. l. 29.
Grues in Thracia naſci creditæ pag. 70. l. 50. Inde diſceſſuræ ad Hebrum fluvium conveniunt p. 71. l. 14.
Grus cur ſit maxime vocalis ratio anatomica p 68. l. 68. Hinc Ezechias in morbo ejulans cum grue confertur pag. 69. l. 1. Et Talmudici *clamabat ut grus* ibid. l. 12. Ita etiam Poetæ l. 14. Plura de clangore gruum l. 53
Grues quatuor de cauſis alte volant pag. 73. l. 11.
Grues ex ultimis in ultima migrant, id eſt ex Scythia ad Nili fontes p.20. l.20. & 29
Grues Mæmacterione menſe migrant, id eſt medio autumno, non ineunte ut multi volunt p.78. l 12. Redeunt vere & æſtate, ib. l.21. Theocriti Scholiaſtes ſementis initio eas apparere inepte ſcribit, cum contra id ſit migrationis tempus ibid. l. 35.
Grues Scythicæ Pontum tranſvolant, ubi eſt anguſtiſſimus, id eſt inter Criu Metopon & Carambin, quæ loca quantum diſtent p.71. l.25. Strabonis & aliorum error p.71. l.49
Inter grues profecturas mira eſt concordia pag. 72. l. 72.
Grues mare trajecturas ſaburrâ ſtabiliri, & lapillos pedibus vel ore ferre p.72. l. 8. vel etiam vorare, ibid. l. 58. An hi lapilli ſint auri indices ibid. l. 56. &c.
Gruum duces in primo agmine, οὐραγοὶ in extremo, plebs in medio p.74. l.47

I N D E X.

Grues volant agmine triangulari, cujus baſim impellit ventus p.73. l.53

Grues volatu ſuo literas quaſdam imitantur p. 74. l. 4.

Grues inter volandum quomodo ſe mutuo juvent p.74. l.59.

Gruum turbatur ordo Noto flante pag. 74. l.13. aut aquilâ viſâ ib. l.42

Grus cum eſt in cuſtodia ſupprimit vocem p.70. l.14

Grues in quo ſitu dormiant, duce interim vigilante p.75. l.20. Vigiliæ per vices, ibid. l.66. Vigiles cur lapidem pede ferant p. 76. l. 23. Lapis ille gruibus non ἀμίαντον, ut in Æliano legitur, ſed δι ἄνοον ibid. l.50

Grues à Jeremia & aliis proponi in exemplum prudentiæ p.78. l.61

Grues apud veteres in deliciis p.79. l.26

Grus cur ciconiâ mundior p.79. l.4

Γρυπάετος, aquila roſtro & unguibus aduncis p.812 l. 18.

Gryphes in India auri cuſtodes pro fabuloſis nemo non habet. Itaque cum gryphis eſus prohibetur in Lege juxta Græcos & Hieronymum, aliud intelligitur nempe γρυπάετος ſeu gryphaquila. Ita vocatur ab Æſchylo & Ariſtophane aquila major διὰ τὴν γρυπότητα p.811. l.48

Gryphus in Gr. & Vulg. pro פרס peres. Inde Peruſiam dici vult Pomarius, cujus inſigne eſt gryphus p.185. l.45. Sed refellitur.

Gryphus extra habitatum orbem, ſi credimus, in inſulis remotiſſimis p.190. l 30.35

De gryphibus quicquid afferunt Cteſias & Ariſtæus ut fabuloſum rejiciunt Plinius, Arrianus & Pauſanias, p.185. l.55

Ex gryphi unguibus vaſa pototia p.190. l.1

Gubernacula duo olim in navibus p.453. l.8

Γυμνοκοχλίας, limax, quia cochleâ caret p.650. l 57. Tamen in horto Columellæ. Implicitus concha limax, ibid. l.59

Gypætus, vide Percnopterus.

Gypſi metallum perfecte pellucidum p.692. l.23

Hæmorrhous, vide Sephiphon.

Halcyon canora avis littorea propter nidum à fluctibus abreptum (aut ut alii propter Ceycis conjugis fatum) fundit lugubre melos. Cyrillus qui de luſciniis id ipſum ſcribit mutavit ἀλκυόνας in ἀηδόνας, vel imperitiæ ſcribarum id imputandum p 218 l. 50. Eædem voces à librariis alibi promiſcue ſumptæ ibid. l.62

Halcyones cerylos alis ferunt p. 180. l. 4. Et ciconiæ parentes ſuos, ib. l.19. Et phœnix ut ajunt patris cadaver ibid. l.33

De halcyone vide plura in Alkavvand. p.861 l.18

Haliæeto lanarius, accipitris ſpecies, tam ſimilis ut ſolo paſtu dignoſcantur p.269. l.11

In Haliæetum mutatus eſt Niſus Rex Megarenſium p.269. l.6.

Ἁλιπόρφυρος & πορφυροῦς quid differant p.728. l.66. Item πορφυροῖ & ἁλουργεῖς. Harum vocum interpretes notati p.739. l.2

Hallazon حلزون Arabum & κοχλίας Græcorum ex æquo patent, contra Abenbitatem p.648. l.60

Hama هامة bubonis ſpecies, in quem eum mutari fingunt Arabes cujus cædes eſt inulta, & ſepulchro ſuo adſtantem jugiter clamare, askuni, askuni, id eſt potate me, potate me, illius ſcilicet ſanguine qui cædem perpetravit p.850. l 40

Harpe, Hebr. חרב hereb, Chald. חרבא harba, falcatus enſis Phœnicum inventum p.760. l.16

Harpe Saturni, Jovis, Mercurii, Nemeſis & Perſei, quæ in cœlum tranſlata eſt p.760. l.20

Harpe proprie falcatus enſis, Romanis ſica, unde Sicarii Act. 21. Græce κόπις Perſ. σάγαρις, Laced. ξυήλη. In Græca verſ. Joſ. 13. 12. ἅρπη legendum pro ἰόμη p.760. l.73

Haſmal חשמל Hebræis Angelorum certus ordo p.878. l.8. Vocis ineptæ origines, ibid. l.9. Probatur haſmal eſſe rem inanimam p.877. l. 13. Et metallum ex auro & ære conflatum ea voce ſignificari, ibid. l 48. Vel æs auro concolor, ex quo Darii Batiacæ p.888. l.41

Havila ubi bedolach בדלח. Arabiæ pars margaritifera circa Catipham & Baharam pag.675. l.5. Unde margarita Æthiop. ባሕርይ: bahrio pag.678. l.21.

Hebræa quædam nomina, cum formam habeant à defectivis pe nun, ſignificationem ſumunt à geminantibus ſecundam pag. 190 l. 10 Ita תנשמת thinſemeth noctua formam habet à נשם ſpirare, & ſignificationem à שמם obſtupeſcere p. 190. l. 6. Multa hujuſmodi, ib. l.14

Hebræos poſteriores Græca vocabula non pauca adoptaſſe p.501. l.41

Hercules à Typhone interemptus, cur nidore coturnicis in vitam revocatus fuiſſe fingatur, pag. 99. l. 30.

Hercules cur Lycophroni τρίεσπερος λέων p. 743. l. 61. De eo fabula ex hiſtoria Jonæ palam ſumpta ibid. l.69

Hericio perperam ova tribui à Sante Pagnino & Schindlero p.409. l.64

Heth initiale quandoque perit p.580. l 32

Hieroſolymam Joſephus dici vult, quia τὸ ἱερὸν templum ibi conditum p.501. l.43

Hippocentaurus in Arabiæ urbe Sauna repertus à rege Arabum ad Cæſarem miſſus p.834. l. 57. Phlegon qui hoc refert emendatus p.835. l.20. Quando hoc monſtrum Romam allatum, ib. l.29. Sauna urbs cur Saunis Stephano, ibid. l.33

Hippocentaurus Antonio Eremitæ oblatus, p. 835. l. 40. fuit ſpectrum p.840. l.31. Neque aliud Seniorum & Hieronymi Onocentauri, ibid. l.40. Plura vide in Centauris.

Hirudo, vide Sanguiſuga.

Hirundinis Hebræum nomen סיס ſis illius ψιθυρισμὸν imitatur, ut Italicum ziſilla, unde ziſillare & Lat. zinzilulare p.62. l.48. Chaldæum & Arabicum à rapiendo factum, non tam quia hirundo in aere rapit eſcas, ut habet Iſidorus, quam quia rapide volat p.236. l.43.

Hirundo non ſolum Progne ſed & Philomela dicta p.68. l.13.

Hirundo riparia quomodo Arabice p.61. l.67

Hirundinis variæ ſpecies ex Damire p.61. l.40

Vox hirundinis querula & luctuoſa: Ita ſtatuunt Græci & Romani Poetæ p. 63. l.50. Tamen vere negat Plato eam præ mœrore ſic canere p. 64. l.56. Proclus & Tzetzes notati, ibid. l. 65. Pauſanias huic opponitur p.65. l.2

Hirundo minuriens non clamoſa avis p.65. l.11. Gr. ψιθυρίζουσα: Unde eſt quod ψιθύρους, id eſt ſuſurrones ſeu delatores qui clam in aurem inſuſurrant, per hirundines ſignificavit Pythagoras, ib. l.17

Hirundines Tobiæ p.67. l.49. Harum proprium è nido ſtercus foras egerere, ibid. l. 54. Gorgias quid hirundini dixerit, quæ in illum ſtercus egeſſerat p.68. l.1

Hirundinem ab aquila timeri ſcribunt Hebræi, quia ſub illius alis latitans volatum remoratur, & pennas ſpargit atque diſſipat. At in Ariſtotele σίττη avicula, quæ Nigidio ſubis, aquilarum ova frangit. Neque ex aviculis alia ulla eſt aquilæ moleſta p.794. l.69.

Hirundo avis migratoria p.65. l.29. Abit hybernis menſibus, ib. Redit cum Favonius exoritur circa Calendas Martias, ib. l.52. Inde Favonius Chelidonias ib. l.57

Hirundo pulchra tempora reducit, & veris prænuncia eſt, p.66. l.30. Sed una hirundo non facit ver, ib. l.50.

Hirundinis mora ſex menſium eſt pag 66. l. 55. Abit Arcturo oriente circa Autumni æquinoctium, ib. l.59. Quonam abeat ib. l.71. Ex Æthiopia nunquam migrat pag 67. l.6. Agmen deſerere grave crimen, ibid. l. 9. Manentibus à frigore periculum, ibid. l. 16. Manent tamen quædam in apricis locis, ibid. l. 19. Maxime ſi migrationis locus ſit remotior, ib. l. 28. Hyeme nudæ & deplumes ſunt, ibid. l. 31. Cur Eutropius illis ſimilis, ib. l.35.

Hirundinis exemplo, quæ novit tempus ſuum, quid doceamur p.67. l.40

Homicida creditur Paulus, id eſt gravis ſceleris reus p.371. l.53.

Homines marini, ut Abu muzaina in Ægypti littore quandoque ambulare viſus, ejulatu ſuo venatores ad miſericordiam inflectens p.858. l.25. Senex Iudæus è mari emergens nocte Sabbathi, ibid. l. 62. Senex marinus in mari Damaſceno p.859. l.43. Filia Græcorum in mari Græco paſſis crinibus p.860. l.1. Aliæ hiſtoriæ ſimiles, ib. l. 12. Hæc monſtra maris pro veris hominibus habuit Vives, ibid. l.33.

Hippopotamus Græce dicitur θηρίον, Lat. bellua, ut Hebr. בהמות behemoth pag.755. l.52. Ejuſdem Æthiopica duo nomina explicata pag. 769. l. 7.

Hippopotamus cur principium eſſe dicatur viarum Dei p.759. l.50

In hippopotamo multa miranda p.759. l.63

Hippopotamus bovi ſimilis p.756. l.48

Hippopotamus maxime accedit ad formam terreſtrium p.755. l.74

Hippopotami oſſa duriora quam elephanti p. 759. l. 32.

Hippopotamo Deus harpen applicavit, id eſt falcatos dentes quos etiam Poetæ ἅρπην vocant, p. 761. l. 49. Hâc illum ſegetes perdere & demetere, ib. l. 53.

Ex hippopotami dentibus Cybeles ſtatua Proconneſi p.759 l 45

Hippopotami dentibus ſimilis lapis in Perſis, cur dicatur nympharena p.762 l.22. Alii lapides ebori ſimiles ibid l.30

Hippopotami פחדים Job. 40. 12. non ſunt teſticuli, ut volunt, ſed femora pag. 758. l. 14.

Hippopotami nervi perplexi & decuſſati, quia copioſi ſunt, quod ſummi roboris eſt indicium p.758 l 14. & 52.

Hippopotami cauda cur dicatur eſſe ut cedrus p.757. l 65.

Hippopotamus caudam retorquet inſtar ſuis p.757. l. 50.

Ex hippopotami corio haſtæ & miſſilia p.757 l.24. Vide Leſta.

Hippopotamus repertor detrahendi ſanguinis p 760 l. 6.

Hippopotamus quam vaſtum animal pag. 755. l. 30.

Hippopotamus cubat in latibulo arundinis, non item elephas p 763 l 46 & 48

Hippopotamum nonniſi dolo capi, & quâ arte p.768 l. 25.

Hippopotami quando Romæ primum viſi p. 768. l. 57.

Hippopotami quando in Ægypto defecerint p.768. l. 70.

Hyacintho lapidi violaceus vel purpureus color, ſed dilutior pag. 729. l. 19. At idem cœruleus Solino, Martiano & multis Patrum, ibid. l. 39. & hyacinthinus color paſſim in veterum ſcriptis cum cœlo & mari confertur ibid. l. 65.

Hyacinthi flos Columellæ & Græcis Poetis cœruleus p.729. l.34 & hyacinthinus color à purpureo ſæpe diſtinguitur pag. 733. l.53. Et ex diverſa fit materia p.734. l.3. tamen alius Hyacinthi flos purpureus aut ferrugineus fuit pag. 728 l 54. & 72. Et in Gallia pro cocco fuit pag. 729. l. 7.

Hyacinthinum Heſychio & Suidæ πορφυρίζον p 729. l. 28. aliis cœruleum ibid l 31

Hyæna ſerpens ita dictus, ut Hebr. צבוע, tum quia maculoſus eſt ut hyæna quadrupes, tum quia hyænæ inſtar ſexum alternare creditur p.396 l.73. De hoc ſerpente Ælianus & Horus egerant, & modo marem, modo fœminam eſſe dixerant ἄλλοτε ὄφιν, quomodo legerat Geſnerus. Sed deleta eſt vox ὄφιν in recentibus editionibus p.397. l. 4. Hebræi de hoc agi volunt, 1. Sam, 13. 18. & tot coloribus inſigniri quot annus habet dies. Generale hujus ſerpentis nomen eſt ברדלס bardales, ſeu πάρδαλις, maris צבוע tſebua, id eſt hyæna, & fœminæ נפריזא nephriza ſeu νεφρίζα p.395. l.26. & 396. l.2. &c.

Hydrus, Hebr. שרף ſaraph, Chriſti typus, cum Angelorum nobiliſſimis, id eſt Seraphinis, commune nomen habens, & ſerpentum ſolus volucer, in Arabia & Ægypto degit. Nomen habet ab uſtione p 421. l.49. Non tamen eſt preſter, ſed hydrus, qui æſtate fit cherſydrus, cum aquam conſumpſit æſtus. Et cum ſiti angitur, virus habet multo acrius, & morſu ſuo exurit quicquid attingit. Quo igne conſumptus Hercules juxta fabulam pag.422. l.6. In Ægypto deſcribitur ſeraph volans Eſ. 30. 6. Ibi nempe ſunt ſerpentes alati hydrorum ſpecie. Iſidorus Sirenas vocat. Quorum gravis eſt odor p. 423. l. 5. In deſerto Iſraelitæ ab his ſerpentibus morſi ſunt, qui tum ex hydris cherſydri facti, quia caniculares dies proxime præterierant, p. 424. l 12. Hujus plagæ cauſæ juxta Hebræos p.425. l. 4. Noſtrorum allegoriæ ib. l.31

Ὕλις & ὕλος ex Hebræis חול vel חולסית p.723. l. 42.

Hyperbolen portentoſam autori ſacro affingit recepta verſio Job. 40. 18. cum dicit elephantem fluvium integrum ſorbere, quod de Pythio dracone Poetæ fabulantur, & de Xerxis copus Græcia mendax pag.765. l.36. Hanc verſionem cum Hebræis verbis non convenire p 766 l. 27. Proinde illa longe aliter explicatur, ibid. l. 65.

Jabneel

Jabneel, Græcis Ἰάμνια, quaſi hoc nomen habuerit, quia locos humidos & virenſes ἰάμνας vocabant p. 501. l. 57.

Jabok torrens, Græcis dictus Ἰόβακχος, tanquam ab Jobaccho Deo p. 501. l. 45

Jaculum ſerpentem ſeu acontiam Hebr. à ſaltu dici, קפוז *kippoz*, ut Arabice قفازة *kiphaza*. Ad illum hæc pertinere Eſ. 34. 15. ubi de Idumææ deſolatione: *ibi nidificabit kippoz, & pariet, & excludet ova, cum foverit in umbra ſua.* Veteres hericium intelligunt, id eſt קפוד *kippod*, de quo verſu 11 p. 409. l. 3. Sed cum de animali oviparo agi viderint recentiores, alius *merulam*, alius *teſtudinem*, alius *cypſelum*, alius *ſcopem* interpretatus eſt, quæ omnia præter rem. Nam in deſertis degit *kippoz*, merula in cultis locis. Et à ſaltu dicitur *kippoz*, quod neque teſtudini, neque cypſelo convenit, imo nec ſcopi, quæ avis eſt ἀλτικὴ non ὀρχηστικὴ p. 409. l. 50. At nomen & res apprime quadrant in acontiam ſerpentem, p. 411. l. 47

Jaculus ſerpens maxime pernicioſus. Salit tanto impetu ut prævertat omnem fugam. Venenum ejus præſentiſſimum: Morſus inſanabilis, ſi ſit ſupra ilia. Quod à Strabone recte obſervatum alio detorſit interpres. Saltus cubitorum viginti. Narales Libya, Ægyptus & Arabia, cujus Idumæa pars p. 412. l. 36.

Jaculo convenire quicquid de *kippoz* habet Eſaias. Avem eſſe concluſerunt, quia nidulari legitur, cum nidus etiam tribuatur reliquis animalibus, ipſiſque adeo ſerpentibus p. 413. l. 35. Eoſdem ova parere, fovere & excludere. Et de iis naturæ ſcriptores illa ipſa verba uſurpare quæ hic Eſaias p. 415. l. 14. Ova ſerpentum congregari, & ſimul connecti, ibid. l. 35. Aves ova ſub alis vel pennis fovere dicuntur, ſed *kippoz* ſolum ſub umbra ſua, ibid. l. 57. Serpentes de ovis ſuis quam ſolliciti p. 415. l. 62.

Ichneumon à Talmudicis כלבית *calbith*, id eſt canicula appellatur, & כלבא טינא *calba tina* (pro כלבא דטינא *calba detina*) id eſt canis luti, quia in luto degit, ſeu lutoſis Nili ripis: Et canis inſtar ἰχνεύει, unde ab Herodoto & Nicandro ἰχνευτὴς, ab aliis ἰχνεύμων dicitur. Eundem quoque Arabes كلبا الما *calba almai* id eſt *canem aquæ* nominant. Ita huic congener animal lutra vocatur κύων ποτάμιος *canis fluviatilis*; & caſtor *canis Ponticus* p. 794 l. 50

Icterias lapis, ſeu lapis hirundinis p. 62. l. 11.

Jeſſe aliter נחש *Naas* ſeu ſerpens dictus pag. 406. l. 65. Itaque in Eſaiæ verbis, *Ex radice Naas exibit baſiliſcus*, intellexit Chaldæus Meſſiam exiturum ex ſtirpe Jeſſe ib. l. 68

Ἶπες vermes vitibus infeſti, ſingulare ἴψ in Heſychio. Vide ἶπες.

Ἱμάτια σητόβρωτα in Jobo & Jacobo p. 617. l. 17

In India templum Solis margaritis ſtratum pag. 716. l. 28.

Ingruere, ut congruere, à gruibus dictum p. 73. l. 8.

Interpretum diſſidium in verſione loci Job 39. 16. qui primus eſt ſex verſuum de ſtruthione p. 238. l. 40.

Joan. Baptiſtæ cibus Ebionæis ἐγκρίδες, id eſt liba cum melle & oleo: Iſidoro Peluſiotæ, Paulino, Pantaleonti & Nicephoro ἀκρέμονες vel ἀκροδρύα herbarum & arborum. Satiano monacho & aliis apud Euthymium & Theophylactum ἀκρίδες ſeu μελάγρα herbæ genus, blitum ſcilicet ſeu rapunculus ut volunt. Aliis apud Druthmarum aviculæ ἀκρόπτεροι. Aliis locuſtæ marinæ, id eſt οἱ κάραβοι. Aliis καρίδες ſquillæ. Aliis denique ἀχράδες pira ſylveſtria. At in utroque Evangelio conſtanter leguntur ἀκρίδες καὶ μέλι ἄγριον *locuſta & mel ſylveſtre* p. 488. l. 23

Johanni Baptiſtæ non fuit peculiare quod locuſtis & agreſti melle, ſed quod his ſolum cibis veſcebatur, iiſque ſorte oblatis, ut Judæi Johannem ſcirent extraordinarium habere munus p. 492 l. 46. Iſidorus Peluſiota imperitiæ non debuit accuſare ſic ſentientes, qui & magno numero, & celeberrimi ſunt, & firmiſſimis rationibus fieri ib. l. 52

Jobi ſtylus conciſus p. 255. l. 12

Jonæ cetus non fuit cetus proprie dictus. Cete enim & quotquot animalia pulmone ſpirant, gulæ meatus habent anguſtiores quam ut poſſint ſolidum hominem deglutire p. 742. l. 51. & 74. Sed fuit *piſcis magnus*, ut à Jona vocatur p. 743. l. 14. Canis ſcilicet carcharias, qui & lamia dicitur a gulæ vaſtitate, ib. l. 20. & 28. Vide *Canis carcharias*.

Ἶπες vel ἶκες Ionice, vermes vitibus infeſti, unde Hercules ἰποκτόνος p. 571. l. 39

Iſis cur in hirundinem mutata fuiſſe fingatur pag. 62. l. 64.

Juno cur bovis figuram ſumpſerit p. 63. l. 38

Jupiter cur in arietem mutatus p. 63. l. 23

Ixion ponit Vulgatus in immundarum avium cenſu, cujus nominis nulla occurrit. Forte legendum *oxyn* quæ ſit eadem cum oxyptero, quomodo poſt Clementem Alexandrinum multi accipitrem appellant p. 813 l. 15

Καλαμίνδαι, locuſtæ genus in Cypro p. 459 l. 8

Κάλχη vel χάλκη purpura, p. 736. l. 29. Inde χάλκανθος chalcanthum ſeu vitriolum, quod eſt cærulei coloris ibid. l. 40

Κάλλαια purpurea quævis, & gallorum paleæ ſeu barbæ à colore purpureo p. 730 l. 47. Inde ለይ *laja* coccineus color Æthiopice ib. l. 62

Καλλάϊνος coloris glauci ſeu veneti p. 730. l. 66

Κάλλη flos ad tingendum aptus, à quo καλλάϊναι veſtes, aliis purpurei, aliis cærulei coloris p. 730. l. 40.

Κ pro π Iones pro πι uſurpant p. 623. l. 1

Karabe ſuccinum Perſis, quia trahit paleam p. 868. l. 66.

Karkaphenna قرقفنة Arabibus avis fabuloſa, quæ productis oculos, ut ajunt alis ſuis illinens, cum reddit propriæ uxoris aquariolum, ita ut illam videat ſe præſente proſtitui, abſque ullo ſenſu pudoris p. 851. l. 72

Katar, Arabiæ portus ad meridiem inſulæ *Baharam* oppoſitus. Ao Ptolemæi Κάδαρα p. 678. l. 26

Καταῤῥάκτειν cum impetu dejicere, unde καταῤῥάκτης, aquilæ, accipitris, harpyiarum & Diomedis avium epithetum p. 278. l. 1. Item avis marinæ ſpecies aquilæ vel accipitri ſimilis, quæ non in aves, ut vult Euſtathius, ſed in piſces irruit, & ad ulnæ ſpatium in aquas immergitur, ut inde piſces extrahat, ibid. l. 32. Ova quoque & pullos ſuos in mare demittit, & ſubinde extrahit pag. 279. l. 12. Inde שלך Hebr. & καταῤῥάκτης Græce, ibid. l. 29. Ejuſdem avis nomen Chaldæum, Syrum, Arabicum & Ægyptium, ibid. l. 34. & p. 280 l. 21. 48. Minus recte *mergus* redditur, & peſſime *merula* ibid. l. 54. Alia vocis interpretamenta nihilo meliora ibid. l. 60

Kaukis, Arabum phœnix, non tamen unicus, ſed geminus mas & fœmina, qui pyrâ roſtrorum affrictu accenſâ comburuntur, & ex cinere renaſcuntur p. 849. l. 47.

Kedron torrens, Græce dictus χειμάῤῥους τῶν κέδρων, tanquam à cedris p. 501. l. 48

Κέπφος larus avis, aut cepphus laro ſimilis, quam ſpumâ oblatâ pueri facile ineſcant. Item fatuus, unde κεπφωθεὶς Prov. 7. 22. deceptus, ineſcatus p. 264. l. 32.

Kermez قرمز Arab. tam vermis quam color *Kermeſinus* ſeu coccineus p. 625. l. 6

Κιχλίζειν, id eſt turdis veſci júvenibus vetitum fuit apud Athenienſes p. 95. l. 15

Kikajon eſt κρότων ricinus, non animal, ſed planta pag. 623. l. 30. De neutro uſurpatur proverbium Κρότωνος ὑγιέστερος, ſed de Crotone urbe p. 623. l. 38.

Kikajon Jonæ percuſſit vermis, p. 623. l. 21. Ergo *kikajon* non eſt κολόκυνθα ut Græci reddunt. Eam enim vermes non attingunt. Inde Prov. ὑγιέστερος κολοκύνθας. ibid.

Kiſon torrens Græce dictus eſt χειμάῤῥους τῶν κισσῶν tanquam à picis p. 501. l. 48

Κλωβὸς vel κλουβὸς, ut Jeremiæ כלוב *cloub*, Talmudicis פלצור *paltſur*, Sirachidi κάρταλλος, Ariſtoteli πανίας. Plauto *tranſenna*, cavea quâ capiuntur aves p. 90. l. 65

Κνῖπες vel σκνῖπες, culices in ulmo, aut robore, aut ficu nati, qui *pſenes* vorant, Arab. بق *bak* p. 570. l. 7.

Κοκκύζειν gallorum proprium; non columbarum p. 112. l. 26.

Τῶν κοχλιῶν ἀπιστότερος Proverbium p. 648. l. 16

Κόχλος concha purpuraria p. 739. l. 59

Κώνωπες cur Hebr. יבחושין p. 565. l. 27

Κώνωψ non quivis culex. ſed vinarius. Ita ſumitur in Matthæo p. 564. l. 57

Κοράζειν, obnixe rogare, à corvis ſumpta vox p. 204. l. 67.

Kore קורא *collegit* ſeu fovit, *quæ non peperit.* Jerem. 17. 11. R. Selomo cuculum eſſe vult, quaſi cuculus aliena ova incubet, cum contra ſua in alieno nido ponat. Vetuſtus tamen eſt hic error p. 87. l. 64 Sed vide in Hebraicis

Κόρνοπες locuſtæ circa Oetam, quibus fugatis Hercules Κορνοπίων dictus eſt p. 450. l. 3

Κοράκινοι ἰχθῦες in Cebete quid eſſet cum non caperet Arabs interpres, putavit ſignificari κορώνας vel κορώνια, id eſt, murices pag. 721. l. 38.

Κυανῆαι glauci piſces p. 287. l. 59

Κυράλια in Luciano vox corrupta & à Bootio in alienum ſenſum detorta p. 704. l. 2. In eam conjecturæ, ibid. l. 22

Κυνόμυια in Exodo & Pſalmis conſtanter habent Græci interpretes pro Hebræo ערוב *arob*. Sed quia ערב *arab* miſcere eſt, *arob* pleriſque aliis vel muſcarum eſt, vel ſerpentum colluvies, vel ferarum quadrupedum p. 553. l. 70. Sed hæc ſententia multa habet ἀπόρα p. 555. l. 19. Et Exod. 8. 31. patet ערוב *arob* non eſſe animalium colluviem, ſed certi animalis genus, ibid. l. 51. Denique *arob* miſtionem eſſe & colluviem non ſequitur, quia ערב *arab* miſcere ſonat. Eſt enim vox πολύσημος, quæque non ſolum miſcere, ſed & alia ſignificat quæ in muſcam caninam apprime quadrant. Itaque cauſa non eſt cur à veteri verſione diſcedamus ib. l. 68. &c.

L finale ex Hebræis vocibus Græci rejiciunt, p. 111. l. 3.

Laccæ quatuor ſpecies omnes rubræ 1. Arabica, 2. Talmudica, 3. Græciæ recentioris, 4. Luſitanorum p. 376. l. 72

Lacca Græciæ recentioris, olim ἄγχουσα, πορφυρίς, ἀλκιβιάδιον & κάλυξ dicta, quæ nomina excutiuntur p. 737. l. 10. &c.

Ladanum Arabica vox vetus, ut conſtat ex Herodoto, p. 803. l. 70

Ladanum ſcribit Plinius eſſe œſypum hircorum barbis genibuſque villoſis inhærens, ederæ flore deroſo. Ederam pro ciſtho vel ciſto ſupponens, quia κισσὸν legit, non κίστον vel κισθὸν pag. 803. l. 64.

Lamiarum fabuloſa deſcriptio in Dione p. 833. l. 4

Landia in Aben-Ezra eſt pro India. Idem de Landis ſeu Indis & Ægyptiis multa mentitur pag. 560. l. 7. & 20.

Lanarius vel lanius. vide *Niſus*.

Lapides arma conſueta in populari ſeditione p. 561. l. 20. 36.

Lapides *ſigil* in inferorum igne cocti, in eos conjecti qui venerant ut Mecchanum templum diruerent, cum eorum in quos cadebant nominibus inſcriptis p. 61. l. 58.

Later eſt gleba terræ in lapidis duritiem excocta, quæque proinde in ædificio lapidis vice fungitur Gen. 11. 3. p. 614. l. 60

Latona in coturnicem pag. 94. l. 5. Jupiter quoque ibid. l. 9.

Legumina cur Græcè χέδροπα p. 50. l. 21

Legumina faba & lens maxime in feralibus cœnis p. 49 l. 23. Cicer in pervigiliis ib. l. 46

Legumina Danielis & ſociorum victus pag 49. l. 55. Ea dici Hebr. זרעים & זרענים ſemina, ut Gr. σπέρματα pro σπόρια p. 50 l. 18

Leodes p. 578. l. 44

Lens olim inter lugubria & mortuis appoſita pagin. 49. l. 36. Phariſæorum in luctu cibus fuit ibid. l. 41.

Leonis nomen multis animalibus commune p. 376. l. 11. In his ſerpens cenchrines Gr. λέων αἰόλος, ib. l. 21. Et כפירים aliis *leunculi* Senioribus dracones, ibid. l. 47. Vox Arabica شبل *ſablon* pariter æquivoca. Et שחל leo niger, videtur eſſe ſerpentis genus Pſ. 91. 13. Fortaſſe niger ſerpens pag. 377. l. 31. Arabum fabulæ de Chriſto & ſerpente nigro ibid. l. 74

Leſtæ in India pellem habent qualem hippopotami p. 717. l. 37.

Leviathan à multiplici flexu draco dictus, quod ex Arabiſmo probatur p. 770. l. 1

Leviathanis nomine ut in Jobo ita etiam in Talmudicis crocodilum ſignificari patet cum כלבית *calbith* ſeu caniculam leviathani eſſe terrori, & in illius ora ingredi ſcribunt, p. 790. l. 20. *Calbith* enim ſeu canicula illa quæ leviathani eſt terribilis, quid aliud ſit quam ichneumon, qui in crocodili fauces irrumpens, illius viſcera populatur, & alvo eroſâ inde excedit? ib. l. 32

Lilith לילית Eſ. 34. 14. ſingulare & fœmininum nomen à nocte factum. Sed mutato genere & numero Græci reddunt ὀνοκένταυροι, & Chaldæus לילין lemures. Aben-Ezra *avem nocturnam*, Vulgatus ex Symmacho *Lamiam*. Hebræi quidam in Hieroſolymo Ἐρινὺν & *Furiam*.

Jarchius שׂירה τῶν δαίμονα. Talmudici monſtrum capillatum. Elias in Thisbi unam eſſe ait ex quatuor matribus dæmonum, de qua mitas fabulas narrant. Deſcribitur ut ſpectrum muliebre noctu apparens, pueris maxime infeſtum. Itaque ne quid attentet in infantes nuper editos, in puerperæ cubiculo Judæi carmen ſcribunt ἀποτρόπαιον, quale habetur in Feſto. Fortaſſe ſtrix Poetarum eſt p.831. l.26 & p.832. l.7.48

Lilith regina Zmargad in Sabæis, quæ in Jobi greges irruit, in cujus odium fingi potuit quicquid de *Lilith* fabulantur p.832. l.41

Limax à limo dicitur pag.650. l.50. Quid à cochlea differat, ibid. l.53. Ejus deſcriptio ex Damire p.647. l.41.

Limax Gr. σίελος, σίαλος, σιλάτης, σιαλίτης, σίμιλος p.646. l.71

Limax non totus contabeſcit, ut Hebræi volunt, ſed ut habet Chaldæus, *humectat viam ſuam*, unde dicitur ὑγροκέλευθος p.648. l.73. Vir ſummus notatur, qui hoc alio refert perperam p.649. l.16

Ut limax liqueſcens impius, quorſum? p.649. l.3

Limacis ad tumores uſus p.648. l.26

Linguâ tertiâ loqui quid ſit p.544. l.40

Liqueſiant ut aqua Pſ. 58. 8. quo ſenſu dicatur p.650. l.38.

Literæ quandoque permutantur, ut conjunctis ſyllabis ab eadem aut ſimili litera ſit initium p.739. l.49.

Liviæ columbæ arboribus inſident p.18. l.54

Loca ab animalculis deſolata, & gentes pulſæ vel exciſæ, puta à ranis, à muribus, à ſerpentibus, à ſolpugis & phalangiis, à culicibus, ab apibus p.529. l.29. &c. Ita Phaſelitas veſpæ leguntur pepuliſſe, id eſt Phœnices ſeu Chananæos, qui ex Phœnice pulſi Phaſelidis montana occupaverant p.541. l.41.

Locuſtæ non dicuntur à locis uſtis, ut volunt, ſed à loquendo p.473. l.73. De cicadarum & locuſtarum loquacitate obiter p.474. l.2. & 24

Locuſtarum plures ſpecies variis nominibus ſignificari ex Moſe & Joele probatur p.446. l.39

Locuſtarum Hebræa in Prophetis nomina decem accurate explicantur p.441. &c. uſque ad 446. l.35

Locuſtæ quam copioſæ, unde illis nomen ארבה *arbe* p.442. l.6.

Locuſtas è terra emergere, unde nomen illis גוב *geb* & גובי *gobai* p.443. l.22. Et Æthiop. አንበጣ: *anbas* ib. l.40

Locuſta גזם *gazam* ſolas arbores vaſtat pag. 484. l.45.

Locuſtas arborum cortices & ramuſculos quaſi amputare morſu, unde illis nomen גזם *gazam*. Proinde locuſtarum agminibus tribuit Piſidas *μυριάρχου ξίφος enſem mille acierum* p.443. l.45

Locuſtæ cum turmatim volant Solis lumini velum obtendunt. Itaque à velando locuſta dicitur חגב *chagab* p.444. l.48

Locuſta חסיל *chaſil* vocatur, quia conſumit omnia. Nam חסל *chaſal* eſt conſumere p.445. l.17

Locuſtarum agmina tam longa ſerie feruntur ut in Europa quandoque ita, in Africa duodecim milliaria in longitudinem pateant. Inde locuſtæ vocantur חרגל *chargol*. Nam Arabicè حرجل *chargiala* eſt longâ ſerie ferri p.445. l.28

Locuſtæ ſata & fruges lingunt, & lingendo abſumunt. Unde locuſta vocatur ילק *jelek* p.445. l.65. Lingere locuſtæ, tineæ, bovi, & igni tribuitur ibid. l.72.

Locuſtæ ſpeciem ילק *jelek* alii pro eruca perperam habent, cum *jelek* volet Nahum. 3. 16. Eruca autem non volet. Alii pro μηλολόνθη (nobis *haneton*) quod animalculum eſt plane glabrum. At ילק *jelek* ὀρθοτριχεῖ horripilat Jerem. 51. 27. Denique *jelek* in Scriptura eſt inter locuſtarum genera, & veteres omnes ſic intelligunt p.455. l.12

Locuſtis nomen צלצל *tſelatſal* videtur ab umbra factum, quia locuſtarum agmina Solem obumbrant p.446. l.25.

Locuſta סלעם *ſolam* dicitur à voracitate: Chaldæis enim סלעם *ſalam* vorare eſt, ut Hebr. בלע *bala* p.446. l.13.

Locuſtarum voracitatem Arabes quibus verbis efferant p.461. l.13.

Locuſtæ ſuâ multitudine Solem obumbrant p. 479. l.10. Unde חגב & צלצל dictæ, ib. l.52. Lunam quoque obſcurant, cum noctu volant. Falſum enim eſt eas non volare niſi interdiu ib. l.63

Locuſtæ ſpecies ילק *jelek* cur vocatur סמר, id eſt ὀρθόθριξ horrens Jerem. 51. 27. Quæ affectio non videtur in locuſtam poſſe cadere, cum ſit glabra & depilis. Reſp. in locuſta horrere duos pilos quos pro cornibus in capite habet, quod teſtantur Arabes. Hinc de locuſta Claudianus. *Horret apex capitis.* Et in Talmude aliæ calvo, aliæ hirſuto capite ſunt. Joannes comatas deſcribit Apoc. 9. 8. Arabice etiam عرفان *orphan* eſt *locuſta jubata*. Et خنتف *chantchaph* locuſta depilata & mundata ut coquatur p.454. l.59

Locuſtarum diverſa nomina apud Arabes, ratione formæ, coloris, natalium, ſexus, ætatis p.447. l.2

Locuſtæ ova quomodo vocentur Arabicè, & fœmina vel ante vel poſt partum, & fœtus nuper editus p.448. l.9.

Locuſtarum Græca nomina præter ἀκρίδα, βροῦχον, ἀττέλαβον, ἀττάκην, ὀφιομάχην quibus utuntur ſacri textus interpretes, τετραπτερυλλίδες, πάρνοπες, κόρνοπες, μάσταξ, μολυκίδες, μάντις καλαμαία vel ἀγρεμία, καλαμινδας, τρωξαλλὶς, ὄνος, ἀσίρακος quæ Talmudicis אסקרא *aſkra*, ἄχεος, βειτὸν φορά, θυλακοφόρος, πτηλις, ὄρμος ex qua fit garum Arab. *orphan* p.449. l.70

Locuſtæ ſpecies ὀφιομάχης quæ ſerpentes oppugnat. Hæc Hebr. חרגל *chargol* vel *argol*. Unde nata eſt fabula apud Suidam & alios de argolis ſerpentibus ex Argo in Ægyptum tranſlatis ad oppugnandos aſpides p.449. l.16. In Argo locuſtæ σηποτομάχαι ibid. l.48

Locuſtæ ſpecies βροῦχος vel βρύκος unde dicatur p.447. l.66.

Locuſtæ ſpecies ἀττάκης vel ἀττακὸς unde vocata p.449. l.1.

Locuſta unde dicatur ἀκρὶς quatuor ſententiæ p.449. l.59. & p.469. l.36.

Locuſtarum quatuor ſpecies in Lege conceſſæ p.491 l.31.

Locuſtæ mundæ volucres & quadrupedes p.451. l.65.

Locuſtis mundis quatuor notæ, item quinta quæ ſola gryllo deeſt p.451. l.19

Locuſtarum quatuor ſpecies in Joele Judæam devaſtaſſe, non ſingulas ſingulis annis, ſed omnes ſimul p.465. l.28. Etiam in Ægypto plures locuſtarum ſpecies ib. l.57

De locuſtarum ſpeciebus quam obſcure Talmudici p.450. l.73.

Locuſtarum ſpecies in Damire & Marcello Virgilio p.446. l.48.

Locuſtarum ſpecies R. Selomoni ignotæ. Notæ tamen erant Judæis Chriſti ætate, ſed paulo poſt ignoratæ p.451. l.28

Locuſtis natura decem magnorum animalium p.475 l.23.

Locuſtis alæ quatuor, unde τετραπτερυλλίδες, p.452. l.31.

Locuſtis leonini dentes, cur Arabicè ناشر dicatur quod ab iis demorſum eſt p.469. l.5

Locuſtis quæ alis ſunt τετράποδες, cur Moſes ſolum quatuor pedes tribuat. Crura poſteriora in pedibus à Moſe non cenſeri, quia nonniſi ad ſaltum pertinent. Non tamen à ſaltu vocari πηδάλια, ut vult Scaliger, ſed quia ſunt πηδαλιώδη, id eſt gubernaculi formâ. De his cruribus Piſidæ locus inſignis ab interprete male acceptus p.452. l.42

Locuſtis caput equinum p.474. l.58

Locuſtæ quædam caudam & gibbum habent, quædam alterutrum, quædam neutrum. Ita Talmudici p.451. l.15

Locuſtarum greſſus quam firmus. Per medios enſes illæſæ ruunt, nec viſo homine fugiunt p.478. l.42 Sunt quaſi loricatæ, ibid. l.51. Talis hoſtis quam terribilis ib. l.69

Locuſtæ inexpugnabiles, p.477. l.10. Ordo earum in acie mirabilis, ib. l.31. Agmen quomodo Arabicè, ib. l.66. Neque urbes, neque domus iis inacceſſæ. Per feneſtras ingrediuntur pag.478. l.1. Etiam in menſas decidunt ibid. l.32

Locuſtæ cur vocentur gens valida. Hæc metaphora quam frequens p.467. l.52. & 473. l.34

Locuſta regem non habet, tamen exit ad bellum, *unaquaque ſibi dividens* (nempe ſpolia) Prov. 30. 27. Quod alioqui Regum & Imperatorum eſt. Aſſeritur hæc verſio loci quem interpretes non ſatis intelligunt, & refelluntur qui aliter explicant, p.458. l.58. &c. Arabes qui locuſtas ducem habere ſcribunt cum Solomone conciliantur p.460. l.8.

Locuſta facili ſaltu aut volatu fertur ubivis. Huic proinde confertur ſaltantis equi agilitas in Jobo & Chaldæa Jeremiæ paraphraſi p.457. l.48

Locuſta vagum animal & inſtabile, præcipue cum nido carens fertur è ſepe in ſepem: Aut cum orto Sole avolat & ſepem illam deſerit quæ in tempore frigoris ei fuerat pro ſuffugio. Huic conferuntur principes Ninivitarum Nahum, 3. 17. Illi David cum Saulem fugiens, ſine foco & lare, huc illuc diſcurreret Pſal. 109. l.23. p.457. l.61. & 458. l.3.

In locuſtarum multiplicatione Dei providentia ſpecialis elucet pag. 486. l.39. Id etiam ab Ethnicis agnitum p.487. l.3. Tamen Arnobius hujuſmodi animalcula negat eſſe Dei opus. Quod ex Marcionitarum lacunis hauſtum p.487. l.15

Locuſtas à Deo formari cur Propheta dicat p.486. l.24. Arabum ineptiæ Deum locuſtas ex eo luto formaſſe ex quo factus eſt Adam ib. l.32

Locuſtæ Dei exercitus Joel. 2. 25. Ita etiam Arabibus p.482 l.10. & p.485. l.59

De locuſtarum partu multa ex Ariſtotele, Plinio & Arabibus p.484. l.68.

Locuſtæ pariunt Autumni tempore p.484. l.63

Locuſtarum major proventus ſicco vere p.472. l.73

Locuſtæ ficubus, & bruchi vitibus quam infeſti p.469. l.14. Theophraſtus emendatus p.469. l.22

Locuſtas etiam fruticum truncos exſcindere p. 469. l.70.

Locuſtæ an arbores decorticent p.469. l.37. Nudati arbores, & ramos earum exalbeſcere etiam ſine decorticatione ib. l.50. & 61

Locuſtæ ipſis arboribus noxiæ p.470. l.55

Locuſtarum proprium exſcindere p.467. l.48

Locuſtæ non ſolo morſu nocent, ſed & contactu adurunt p.461. l.28

Locuſtarum ſaliva perdit omnia p.461. l.32. & 470. l.64.

Locuſtæ totius anni proventum paucis horis abſumentes, dominis famem indicunt p.461 l.8

Locuſtis nullum animal pernicioſius p.461. l.45

Locuſtæ ſæpe multo plus damni mortuæ quam vivæ afferunt p.461. l.13

Locuſtarum ſonitus tanquam curruum ad ſextum milliare auditur, p.475. l.55. & 65. Is fit alis cum volant, & dentibus cum comedunt ibid. l.71. Eſt & illis propria vox, de cujus origine diſputatur, ibid. l.74. & p.476. l.7. Tam locuſtarum quam cicadarum cantum Poetæ laudant ib. l.37

Cum locuſtis in Scriptura non conferuntur hoſtes, niſi ratione numeri p.467. l.13. Aut homines in genere, niſi κατ' ἐξαίρετον ib. l.28

Locuſtas vento vehi tralatitium eſt p.463. l.17

Locuſtam καταλύειν diverſari dicit Siracides, ita etiam Arabes p.460. l.27

De locuſtis locus in Lege parum intellectus ab interprete celeberrimo, qui affirmativam mutat in negativam, bombycemque & cantharum cenſet inter locuſtas Lege conceſſas p.451. l.58

Locuſtæ Ægyptiæ quibus ventis adductæ vel abductæ, & in mare projectæ p.463. l.24. Ventus קדים *kadim* in Scriptura non ſolum eſt Orientalis, ſed & Auſtralis. Quo potiſſimum locuſtæ in Ægyptum adductæ, nempe ex Æthiopia, quæ iis plurimum ſcatet, p.463. l.37. Miraculum in quo ſitum ib. l.71

Locuſtas Ægyptiis pares fuiſſe vel futuras negat Moſes Exod. 10. 14. Joel tamen ſuo ævo locuſtas ſcribit eam cladem intuliſſe qualis nulla memoratur. Hæc quomodo concilientur p.464. l.71

Locuſtæ circa vernum Æquinoctium in Ægyptum adductæ, quo ipſo tempore ſolebant ad Acridophagos deferri p.463 l.13

Locuſtæ in Ægypto abſumpſerunt quicquid reliquum fecerat grando, id eſt 1. triticum & zeam, quæ grando non læſerat, quia in Ægypto ſunt ſerotina. 2. Herbas, ramos & fructus arborum, qui grandinis impetum evaſerant. p.462. l.7. Refelluntur qui annum interceſſiſſe volunt inter plagam grandinis, & plagam locuſtarum p.464. l.37

An Ægyptiæ locuſtæ hominibus quoque fuerint pernicioſæ, ut habetur Sap. 16. 9. Et quo ſenſu Exod. 10.17. hæc plaga mors vocetur p.462. l.70

Locuſtæ Ægyptiæ ſolito graviores, quia numero ſuperarunt quicquid unquam fuit uſpiam locuſtarum in uno loco, & magis noxiæ fuerunt. Nemo poterat videre terram p.461. l.63

De locuſtis quæ habet Joel ad literam ſumenda, contra quam ſentiunt nonnulli Patres, & ex Hebræis Abarbanel p.466. l.12

Locuſtas Joelis Judæam devaſtaſſe templo nondum exciſo p.470. l.5

Object. A locuſtis ſi fames & vaſtitas fuiſſet quæ in Joele deſcribitur, cur Scriptura tacuiſſet? Reſp. hiſtorias famis in Scriptura paucas referri, nec niſi ex occaſione p.482. l.24

De locuſtis Joelis non egiſſe Prophetam Amos p.481 l.32.

l.32. Sed duas alias clades refertè à locuſtis illatas. Unam cap.4. quæ præceſſit meſſem, & cum ſiccitate, uredine & rubigine conjuncta fuit, & omnes arborum fructus conſumpſit. Alteram cap. 7. poſt fœniſecia, Autumno, cum locuſtæ pariunt p.484. l.12. & 62

Locuſtarum adventum in Judæam præceſſit & ſecuta eſt ſumma ſiccitas p.474. l.42

Locuſtæ Amos cap.7. neque ſegetibus, neque arboribus noxiæ, ſed ſolis herbis, & prophetæ precibus amotæ p.487. l.39

Locuſtarum fœtor Hebr. צחנה Joel. 2. 20. Gr. βρέμος aut βρῶμος potius, quod pro ſonitu perperam accipiunt p.481. l.6. Fœtor ille quam peſtifer, & quot hominum millia quandoque abſumpſerit ib. l.36

Locuſtarum eſus in Oriente & Auſtro eſt receptiſſimus. Acridophagi inde dicti, p.490 l.2. Iiſdem Parthi victitant, & Mauritaniæ confines populi, Naſamones, Libes ad Leptin; Exercitus in Libya his ſuſtentatus, ibid. l.10. In Græcia quoque fuere in cibis ἀκρίδες, πτερωτοὶ ἀκρίδες, τέττιγες, κέρκωπες, ibid. l.46.

Locuſtæ ab Ægyptiis, ſale conditæ in cibi uſum Exod. 10. 19. in Jonathane p.491. l.42. Arabes quoque & Judææ incolæ eas in cibis hodieque recipiunt ib. l.45. & p.492. l.28

Locuſta ingraveſcet, aut *gravitabit*, aut *creſcet*, aut *impinguabitur*, Eccleſ. 12. 7. de ſene dictum. Et varia hic quæruntur myſteria, ſed longius petita. Salonius ex his verbis vocationem gentium elicit. Olympiodorus modo vitam æternam, modo inferos ſtatuit hic deſcribi R. Selomo refert ad ſtatuam à Nebucadnetſare erectam. Kimchius ad ſenem ita infirmum ut ne locuſtam quidem ferre poſſit. Sunt quibus locuſtæ ſenex videatur ſimilis, ut Tithonus cicadæ. Sed חגב *chagab* alibi locuſta, hoc loco eſt caput femoris, quæ pars ſenibus ingraveſcit, unde inceſſus fit tardior. p.493. l.35.

Locuſtæ myſticæ Apoc.9. multa habent ex veræ locuſtæ deſcriptione petita, ut quod ex fumo prodeunt (quomodo per fumum locuſtas venantur Acridophagi.) Quod nocent per quinque menſes. Quod equis ſunt ſimiles, ut Joel. 2. 4. Et leonum dentes habent ut Joel. 1. 6. Et loricas tanquam ferreas. Et ſonum alarum ut curruum, ut Joel 2. 5. Sed ſeptem illis ſunt notæ peculiares quæ ad myſterium pertinent p.494. l.71

Locuſtæ ſcorpionum caudis Apoc. 9. cur noceant ſolum per quinque menſes p.640. l.45

Logus continebat ſex ova p.105. l.54

Loramentum, Gr. ἱμάντωσις & σύμπηγμα, ædificii compages p.612. l.36

In Luciano vox corrupta p.634. l.67

In lumbis vis animalium p.756. l.56. Itaque *elumbis* pro debili ſumitur, & *delumbare* eſt debilitare, l.60.

Luſcinia, vide *Cuculus*

Lux in Scriptura res ſecundas, tenebræ adverſas notant, p.473. l.41

Luxus Pompeii, Neronis, Domitiani, Heliogabali p.716. l.59.

Lychnis in templo Syriæ Deæ p.710. l.9

De lychnite Pſelli locus emendatus p.710. l.40

Lychnites in nido ciconiæ p.710. l.32

Lychnites in corona Imperatorum Orientis p.710. l.55. *Orphanum* vocant recentiores ib. l.63

Lychnites pro face Tyri regi p.710. l.48

Lychnitæ duo in cœlo, Sol & Luna p.706. l.26

M & N literæ permutabiles p.580. l.45

Machu Æthiopice vitrum p.874. l.30. *Maha* Arab. cryſtallum inde dictum

Magi fatentur ſe eſſe θεομάχους p.582. l.55

Magi cur Hebræis חרטמים *chartumim* p.579. l.40. Vocis variæ origines p.579. l.42. Autoris ſententia p.580. l.8

Magorum principes Janes & Jambres pag. 580. l.24.

Magica murmura p.530. l.20

Magnes, ſi Hebræis credimus, coronam regis Ammonitarum. & Jeroboami vitulos in aëre ſuſpenſos tenuit p.699. l.43. Quomodo voluit Dinocrates Arſinoes ſtatuam in Alexandrino templo ſuſpendere, ib. l.54. Idem de Mahumetis ſepulchro falſo creditum ib. l.58

Maledicus non crabronibus ſed lepræ eſt obnoxius in Chald. Pſ. 101. 5. ut Maria Moſis ſoror p.544 l.24.

Mancipium unde dictum p.772. l.23

Manna Amyntæ ἀερόμελι p.91. l.38

Manna cum בדלח *bedolach* ſeu margaritis confertur Num. 11. 7. quia alba & rotunda eſt p.678. l.38. Quod Talmudici non ignorarunt ib. l.49

Mannam cur in craſtinum ſervari prohibuerit Deus p.627. l.51. Iſraelitarum incredulitas, ibid. l.61. & 628. l.7. Miraculoſum fuit quod manna contra mandatum ſervata vermes produxit p.628. l.18

Μάντις, καλαμαία vel ἀγρωστὶς in Theocrito locuſtæ genus p.450. l.6

Μαργαρῖται pro ſpinis, Græca vox vetus à Chaldæo etiam & Syro uſurpata p.644. l.56. An *Marrugina* idem ſint p.645. l.2

Mare, profundum, abyſſus de Nilo & lacubus vicinis in quibus crocodili p.787. l.34

Mares, vide *Centaurus*

Margaritas ſonant tres voces à Prophetis uſurpatæ, quas interpretes aliter reddunt p.674. l.40. &c.

De margaritis N. T. loca p.674. l.11

Margaritæ à ſplendore dictæ tam Græce quam Arabice p.690. l.30

In margaritis tympana vocantur quibus una tantum eſt facies, & ab ea rotunditas, averſis planities. Quæ conchis hærent, nec niſi lima poſſunt avelli p.685. l.14.

Margaritæ quando & quomodo generentur p.676. l.63.

Margaritarum filum, linum, linea p.683. l.28

Margarita lapis διαυγὴς multis veterum p.691. l.42

Margarita quo ſenſu a Theophraſto lapis διαφανὴς appelletur p.690. l.73. Refellitur vir magnus qui addita negatione legi vult οὐ διαφανὴς p.691. l.1

Margaritam Juriſconſultus e cenſu lapidum eximit p.714. l.45. Tamen alii aliter, ibid. l.51. In animalibus multi lapides p.714. l.52. Margarita conchæ nucleus, callus, verruca, oſſiculus non vocatur niſi improprie, ib. l.61. Margarita lapis eſt Hebræis, Arabibus, Græcis, ib. l.70. Recentioribus λιθομάργαρος p.715. l.19. Romanis etiam Poetis, hiſtoricis, philoſophis, ibid. l.23

Margaritas in pavimento ſterni, quomodo Eſther. 1. 6. res videbitur ſine exemplo p.715. l.57. Sed Perſarum luxus ingens, & profuſæ divitiæ, ib. l.70 Suſiſque & Ecbatanis regiæ admirabiles, ibid. l.72 Atoſſæ χρυσόκολλοι δόμοι pag.716. l.18. Denique etiam alibi ſimilis luxus, ib. l.25. &c. Romæ Muſæa & cubicula ex margaritis ib. l.60

Margaritarum Cleopatræ & Serviliæ Bruti matris pretium quam immane p.685. l.58

In margaritarum piſcatione ducentæ cymbæ prope *Baharain*, quandoque etiam trecentæ p.675. l.22. & p.686. l.16.

Margaritarum piſcatio, cur dicatur extractio p.681. l.48.

Margaritarum piſcationis tempus, pag. 675. l.20. & p.677. l.26.31.

Ut margaritas expiſcentur urinatores ad viginti ulnas in mare deſilientes, nonnulli duas referunt conchas, ſingulas unaquâque manu, p.483. l.56. Et ſi in hiantem concham recta manum indiderint, illa clauditur, & urinatorum digitos ſic abſcindit; quo cruciatu intereunt. Sed a latere manum ſubjicientes, facile concham extrahunt ibid. l.60.

Margaritæ non ſolum urinando, ſed & retibus ex mari extrahuntur p.683. l.51. & p.684. l.29

Margaritas una cum manna pluiſſe Hebræi ſcribunt p.678. l.55.

Margaritis præter adamantem nihil eſt pretioſius p.685. l.34.

Margaritæ maris Perſici ubi potiſſimum capiantur p.675. l.25. & p.676. l.60.

Margaritæ ſinus Perſici circa *Baharain* reliquis ſpecie & pondere longe præſtant pag.675. l.28. Et quotannis inde educuntur ad valorem quingentorum millium ducatorum, præter magnum numerum qui celatur, ibid. l.33. Loca alia margaritifera p.686. l.20

Margaritis eos paſſim conferri vel præferri quos volumus à candore commendari p.694. l.48

Margaritis ſæpe præfertur ſapientia p.718. l.18

Margaritis quomodo ſimile regnum cœlorum p.718. l.31.

Margaritæ ex remotis locis afferuntur Et eas commendant candor, lævor, ſoliditas, vires abditæ, ſplendor, ornatus, pretium, quæ omnia in Evangelio pag. 718. l.48. Pretium barbaris ignotum p.719. l.23. Nec eæ margaritæ porcis ſunt objiciendæ ib. l.28

Margianes provinciæ, quæ Ariæ vicina eſt, nomen alludit ad مرجان *margian*. Arabes corallium ſic vocant. ut Romani & Græci recentiores μαργέλλαν *margellam* p.703. l.40

Maria ſeptem in terra Chanaan ab Hebræis memorata p.788. l.26

Marſi, vide *Pſylli*

Μάσταξ, locuſtarum ſpecies in Nicandro p.450. l.5

Matar avis ova ponens in mari tranquillo, & nautas periculi monens p.862. l.44

In medio terræ Goſen quomodo fuerit Deus p.558. l.10. ut in medio regno Reges ut plurimum degunt, ita Deus eſſe dicitur in medio Eccleſiæ, & eorum quos tuetur ib. l.17. & 29

Mel Hebræis דבש *debas*, quæ vox ſumitur etiam pro dactylorum ſucco Deut. 8. 8. & 2. Par. 31. 5. ut Arab. دبس *dibs* quia ſapor is eſt mellei p.518. l.1.

Mel à dulcedine commendatur Sirach. 11. 3. & Jud. 14. 14. ubi Græci τρύφημα pro σῶμα, ut verſ. 9. ἔξειμι pro ἐξῄει p.522. l.47

Dulcia omnia cum melle in Scriptura conferuntur, ut manna, ambroſiæ genus Sap. 19. 20. Volumen, Ezek. 3. 3. Apoc. 10. 9. Lex, Pſ. 19. & 119. Sapientia, Prov. 24. 13. Verba Sponſi & Sponſæ Cant. 4. 11. & 5. 16. Ita Poetæ paſſim p.523. l.55

Mel in maxime neceſſariis Sirach. 39. 26. Ad quam multa utile p.524. l.67

Mel mundum, licet apis immunda Levit. 11. 20. in Jonathane. Ut lac humanum permiſſum, quamvis caro prohibita p.525. l.3

De mellis eſu Scripturæ loca & exempla p.525. l.9

Mel infantum cibus Eſ. 7. 15. olim in Baptiſmo lac & mel, Jupiter lacte & melle nutritus p.525. l.19

Mel principum etiam cibus p.515. l.16

Mellis eſu aperti Jonathanis oculi, quia propter inediam caligo ei fuerat oborta. Id Arabice أسدف *aſdapha* pag.526. l.69. Quod notant mel oculo illitum caliginem diſcutere ad rem non facit p.527. l.15. Mel Jonathanis meretrix fuit, ſi Hieronymo creditur p.527. l.26

In melle ſoporandi vis: Hinc Poeta *Melle ſoporatam*, *&c.* Non *ſaporatam* ut vult Turnebus, quia Auguſti ævo hæc vox in uſu non fuit p.530. l.44

Mel etiam in potu Nehem. 8. 10. in Vulg. *Bibite mulſum*, id eſt, οἰνόμελι. Sed Hebr. ſolum *Bibite dulcia*. Quædam obiter de mulſo, cujus uſus alius vetus alius recens p.523. l.74

An melle pollinctus fuerit Jacob, ut in Ægypto fiebat p.527. l.52. Mos idem alibi p.528. l.8. Democritus corpora ſic aſſervari voluit in ſpem reſurrectionis, ib. l.25

Mellis etiam uſus in mortuorum inferiis p.530. l.20

Mel in primitiis oblatum Levit. 2. 11, 12 non tamen ſuper altare. Ibi agi de melle apum, non de fructibus arborum p.528. l.34. Cur mel ſuper altare Deus offerri vetet, pias cauſas Patres afferunt, ſed ridiculam Plutarchus, quæ refellitur, ibid. l.58. & p.529. l.11.

Mel Baccho & aliis Diis oblatum p.529. l.20

Mellis quoque faſtidium Prov. 25. 16. & 27. 7. p.525 l.61.

Mellis torrentes Job. 20. 17. p.520. l.30

Mellis fluxum Hebræi quot modis efferant pag. 520. l.33 רדה Jud. 14. 9. a Syris huc referri, ib. l.52

Mel ſylveſtre μέλι ἄγριον Joh. Baptiſtæ victus, non μελάγρια vel μελάγρα herbæ genus, aut fructus arboris, aut manna ut quidam volunt p.518. l.57. Sylveſtre mel in Judæa paſſim reperiebatur, Hinc Prov. 25. 16. *Mel reperiſti, &c.* Quale reperit Samſon Jud. 14. 8. Et populus 1. Sam. 14. 25. 26. Ubi vocatur יערה, id eſt *favus mellis* proprie ſylveſtris. Quomodo Cant. 5. 1. Ut *mel è petra* Deut. 32. 13. Et rupes mellis, Pſ. 81. 17. pag.519. l.14.

Mel ſylveſtre etiam in Scythia ſeu Moſcovia reperitur, in Bætica, & circa Themiſcyram ac Thermodontem, &c. Itaque apud Poetas apes in cavis arborum, arundinetis & antris degunt p.519. l.38

Mel ſylveſtre Judææ amarum non fuit & inſuave, ut volunt Iſidorus Peluſiota & Euthymius; quale Sardoum, Corſicum & Ponticum ad inſaniam adigens. Quin fuit in terræ bonis, Jerichuntinum & Thecoenſe imprimis, & Tyrum delatum, & in Ægyptum: Et in deliciis habitum. Tamen in Joanne Bapt. magnæ id fuit abſtinentiæ quod nonniſi melle & locuſtis vixerit. In melle enim parum eſt alimenti pag.521. l.9. Ariſtoxeni & Pythagoræ abſtinentia aliqua ex parte ſimilis fuit, ſed multo minor p.522. l.23

Melanæctus aquilarum una fœtus ſuos alit atque educit. Eſt & pernix, elegans, ſine invidia, ſine metu, boni ominis, neque clangit &c. p.189. l.32

Melanæetus, Plinio VALERIA, quia in aquilarum genere eſt viribus præcipua, ut Homero & Ariſtoteli

teli eſt avium robuſtiſſima. Eadem à robore Hebr. עזניה *ozanja* dicitur p. 188. l. 63. Alii haliæetum reddunt, alii gryphium pag. 189. l. 50.

Melanæetus duos pullos alit p. 178. l. 61. Aquilarum aliæ fere ſingulos ib. l 36

Meleagrides ex inſula Troglodytica primum allatæ p. 132. l. 11.

Meleagrides quæ proprie ſint non ſatis conſtat. Sunt qui cum Africanis ſeu Numidicis gallinis eandem avem eſſe putent. Sed Columella diſtinguit p. 132. l. 47. In Græcorum fabulis Meleagridum duplex origo. Aliæ in Lero inſula (male in Oleo Geſnerus) quæ alebantur in gratiam Jocallidis in Lero cultæ. Aliæ in Ætolia circa Calydonem & Pleuronem in Meleagri gratiam, ibid. l. 65. Meleagridum in Clyto deſcriptio tam ambigua eſt ut neſcias an gallinam Numidicam aut gallopavonem aut tertium genus deſcribat p. 133. l. 33

Melitæ inſulæ nomen Punicum p. 371 l. 26

Melitenſes barbari, id eſt Pœni p. 371. l. 10. Ab his Pœnis Africa tandem Barbaria dicta, ib. l. 28

Melitenſes rectè judicant ſceleratis impune non eſſe, & viperas quoque in eorum pœnam adhiberi p. 372. l. 54. 61. Sed in multis aliis peccant p. 373 l. 2.

Mellita, vel mitellita à Nerone indicta p. 515. l. 32

Memphis Arab. منف *Menph*, unde crocodili *μεμφῶθ* in Dorothei Synopſi, quaſi Memphitæ ſeu Ægyptii, melius quam Νιφῶθ in Epiphanio p 796. l. 8.

Merops, ut ciconia, parentes ſuos viciſſim alere legitur in Philoſopho. Unde colligit Junius eam Hebr. רחם *racham* vocari, quod miſericordem ſignificat. Sed *racham* φιλότεκνον potius quam φιλοπάτορα ſonat p. 302. l. 3. & 41

In meſſe gaudium p 470. l. 43

Μίλα βραχὺ Luc, 22. 59. Et in aliis μίλα μικρὸν latius extendi quam putatur p. 121. l. 23

Milvinos oculos habet Apuleius pro ſumme perſpicacibus. Sed alibi nihil tale. Et hæc oculorum perſpicacitas milvo communis eſt cum reliquis rapacibus p. 192. l. 5

Milvus Hebr. דאה *daa* potius à volatu dicitur quam ראה *raa* à viſu, quia in volatu milvi multa ſunt ſingularia, nihil in viſu pag. 191. l. 45. Et accedit Arab. حداة *hida* pro milvo p. 192 l. 14

Milvus alis prope immotis in aere omnium avium diutiſſime libratur. Neque ulla eſt avis quæ altius volet. Volando denique milvus non facile delaſſatur p. 191. l. 50

Mirag lepori ſimile animal, unicorne, viſu tam terribile ut eo conſpecto reliquæ feræ ſtatim fugiant p. 847. l. 70.

Μελανείδης in Nicandro locuſtarum ſpecies p. 450. l. 5.

Moloch dictus Deus Ammonitarum, & ſardonix in corona regis Ammonitarum dicta *molochites*, quaſi illi Deo ſacra p. 699. l. 29

Monoceros creditus idem eſſe quod ראם *reem*, quia Græci fere eadem monocerοti tribuunt quæ Scriptura τῷ *reem*, inſignem proceritatem, cornu elatum, robur magnum, naturam feram & indomitam p. 843. l. 25

Μονοκνήμος Plinii, Arabibus نسناس *niſnas* dicti, & Hebræis אדני השדה. His dimidiati hominis forma tribuitur. Caput, collum, & pectus dimidia, venter quoque dimidius. Singuli oculi, aures, manus, & pedes. Mira tamen pernicitas. Sedes terra *ſeger* in Arabiæ parte thurifera. Cibus ſemen *ſumak* ſeu rhois arbuſti, & granum terebinthi. Sermo Arabicus, quo colloquuntur, & verſus pangunt, eoſque minime rudes p. 843. l. 14

Montes fœno fœcundi p. 762, l. 62. Etiam in Ægypto inferiore p. 763. l. 9

Mordere & pungere in ſerpentibus idem ſunt p. 404. l. 17. Arabica tria verba quæ utrumque ſignificant ibid. l. 25.

Morion Indica (autore Plinio) *nigerrimo colore tranſlucet*. Contra Ariſtotelem, qui nigrum negat eſſe pellucidum p. 692. l. 53. In Theophraſto etiam lapis in Ægypto & Chio niger & pellucidus, ibid. l. 57.

Mors etiam ægrotum eſt, & herbarum atque arborum p. 463. l. 8

Morſs in Samogithia, hippopotami ſpecies, mari relicto montes petit p. 763. l. 18

Moſes quomodo Aaroni Deus p. 659. l. 5

Moſes cur aquas per ſe non percuſſerit, ſed per Aaronem juxta Hebræos p. 659 l. 58

Moſem non mentiri, cum nullam diſceſſus ſui ex Ægypto cauſam prætexit quam ſacrificandi neceſſitatem p. 561. l. 49

An Moſi licuerit Pharaonem in os impoſturæ arguere p. 561. l. 68

Motacilla. vide *Cuculus*.

Mulio culicis genus Animal ἐφήμερον, apibus infeſtum non mulis, ut volunt p. 566. l. 53

Mum מום pro cera vox vetus, unde *Mumia* p. 511. l. 1. Cadavera ſcilicet cerâ condiebantur p. 530. l 68.

Mumia vide *Mum*

A muribus pulſi ſedibus ſuis Abderitæ, Troes, in Italia quædam gentes, Megarenſes, Chalcidenſes & Gyarentes p. 539. l 41

Muſca nonnullis Arabum munda, ſed immunda in Lege Moſis, & Eccleſ. 10. 1. p. 498. l. 38

Muſca Hebræis ſolum quadrupes, quamvis Græcis ἑξάπους, quia duo pedes anteriores manuum potius vices gerunt. His oculos abſtergit, cibos ſumit, quicquid tollendum eſt evehit, p. 497. l. 63. Id proprie in Philoſopho χαρακίζειν, quod Gaza non intellexit p 498. l. 17

Muſcis Ægyptios conferri, cum aliis de cauſis, tum propter multitudinem p. 498. l. 58

Muſcarum copia ſæpe peſtifera p. 557. l 28

Muſcarum ſeptem ſpecies in Scriptura aut verſionibus, muſca proprie dicta, apis, veſpa, œſtrum, cynomyia, culex, ſciniphes, p. 496. l. 50

Muſca canina, vide *canis & muſca & cynomyia*

Muſcæ caninæ Ægyptus magis odioſæ, quia canes colebant p. 557. l 49

A muſcæ caninæ plaga immunis fuit terra Goſcen Exod. 8. 22. Ita etiam à reliquis Quæ diſtinctio merito dicitur mirabilis. Id enim ſubinnuit Hebræa diſtinguendi vox, p. 557. l. 51

Muſcæ caninæ omnes quomodo ex Ægypto remotæ, quæ iis maxime ſcatebat p. 561. l. 4

Muſſabir avis, poſtquam totâ die in quærendo victu laboravit, totam noctem ducit inſomnem, & perpetuâ modulatione audientes ita afficit, ut eorum nemo ſit qui de ſomno cogitet p. 851. l 50

Mycenæ ſic dictæ, quia ibi decidit Perſei harpes capulus, qui Græce μύκης p. 760. l. 59

Μυλίττα, Μυλήττα vel Μιλίττη Aſſyria Dea unde dicta p. 409. l. 1.

Μύωψ, vide οἶστρος.

Myrmecoleon ſeu formicaleo pro animalculo formicis infeſto, quod priora leonis habeat, & poſteriora formicæ, qualem deſcribunt veteres, mere fabuloſus eſt, p. 813. l. 70. Sed in leonum generibus in Arabia Troglodytica ab Agatharchide cenſetur myrmecoleon, quem Strabo & Ælianus μύρμηκα vocant. Et eum majoribus formicis, quæ aurum in India eruere & cuſtodire dicuntur, confundunt Solinus & Heliodorus. Sed ratio nominis latet. Utut ſit, cum in leonum cenſu ponatur à Græcis μυρμηκολέων pro Hebræo ליש, non capio cur veteres animalculum eſſe voluerint in formicino genere, p. 815. l. 28

Myuſii, vide *Rhizophagi*

Μύξα κοχλίου p. 649. l. 28

Nun initiale ſæpe deficit p. 877. l. 57

Nabatæorum pater Nabajot Iſmaelis primogenitus p. 101. l. 19.

Nabar aut *nobar* apud Arabes, fabuloſum animal in quarto cœlo, ex cujus plumis excutiuntur in dies ſeptuaginta guttarum millia, quæ in Angelos mutatæ ſtant circa domum *Mamur* in cœlo, cui ſubeſt Mecchanum templum p. 856. l. 5

Nahumi locus explicatus p. 13. l. 34

Narciſſus Bœotus non Laçon ut vult Tzetzes p. 12. l. 15.

Nardum nonniſi in aridis locis provenire Marcelli error, quem refellit Dioſcorides, tam in capite de onyche quam in capite de nardo p. 807. l. 33

Naves אבה *ebe* quid ſint in Jobo p. 171. l. 2

Nazaræi alii voto, alii dignitate dicuntur, ut principes, quomodo Joſeph fuit Nazaræus fratrum ſuorum p. 690. l. 11

Necoth נכאת *ceram* non eſſe, nec *myxaria*, nec *aromata in genere*; ſed *ſtyracem* p. 532. l. 8

Nergal Hebræis gallus ut volunt. Imo palmæ ſpecies quæ hodieque *Neregil*, a qua Deus dici potuit, ut à malis Punicis *Rimmon*, & à frumento *Dagon* p. 113. l. 17

Nepa occurrit pro cœleſti ſcorpione in Cicerone & Manilio p. 633. l. 41

Nepa Plauto ſcorpio non cancer p 632. l. 72

Nepa vox Afrorum unde orta p. 633. l. 60

De nepa Nonnii locus emendatus & explicatus p. 633. l. 11.

Νηφῶθ crocodili, vide *Memphis*

Nilus in honore apud Ægyptios pag. 557. l. 8

Nilus δενδρώδης p. 764. l. 4 Vide *Salices*

Nilus mare vocatur Ez. 11. 15. & paſſim in ſcriptis Arabum p. 787. l 38. Ejus aqua mari ſimilis p. 788 l. 3. Lacus Hebr. marta, ibid. l. 5. & 20. Hinc ſeptem maria in terra Chanaan, quorum cenſus inſtituitur ibid. l. 27. Hippopotamus Arab. *equus maris* p 789. l. 23. Et in Etymol. κροκόδειλος χερσαῖος καὶ θαλάσσιος, ibid. l. 25. Nili littus in Plinio, ibid. l. 28. Profunda Nili in Zacharia, ib l 30. Abyſſi de rivis & fontibus Deut. 8. 7. &c. ib. l 40. Non ſolum mare ſed & lacus caneſcere p. 790. l. 5.

Nili verus dominus fuit Deus, non Ægypti rex Pharao p. 657. l 20

Nili fontes ignoti veteribus p. 76. l. 73

Nili nomine veteres Aſtaboram intelligere, quem Nili ramum eſſe crediderunt p. 76 l. 74

Niſus ex Hebr. נץ *nets* dictus p 269 l. 2. Vide *Fringillarius*.

Niſus rex Megarenſium in haliæetum mutatus, cui ſimillimus accipitris ſpecies *lanius* ſeu *lanarius* p. 269. l. 4.

Nitocris Laboniti mater, quem devicit Cyrus p. 7. l. 66.

Noe in multis Chriſti typus p. 34. l. 1

Noctua תנשמת *thinſemeth* Hebr. quia שמם obſtupeſcit quiſquis illam intuetur p 290. l 4. Et eam mirantur aliæ aves propter inſolitam formam, vel juxta fabulam propter Nyctemenes ſcelus in noctuam mutatæ p. 290. l. 46. Itaque noctuâ utuntur aucupes ad aviculas capiendas, quod Ariſtoteli θαυμάζειν *mirari* eſt, ib. l. 71. Plura de hoc aucupio p. 291. l 3. &c. De ſtupenda noctuæ forma Nazianzeni locus inſignis ibid l. 50

Noctua Syris ܩܘܩܒܐ *cocabi* à voce dicta. Noctuæ enim eſt *cucubare*, & vox κικκαβαῦ, & ipſa avis κικκαβὰ vel κουκουβὰ dicitur p. 287. l. 47

Noctua Arabice cognominatur *mater lendium* quibus ſcatet p. 273. l. 40

Noctua noctu ingreditur in reliquarum avium nidos, ut eas inde ejiciat, & veſcatur pullis & ovis p. 273. l. 42.

Noctua noctu reliquis avibus prævalet. Sed reliquæ aves noctuam de die viciſſim impetunt, & plumas ejus vellicant p. 273. l. 44

Noctua ſub reti ponitur, ut aves in eam irruant, quod eſt aucupii genus p. 273. l 47. & 69

Noctuæ diſſidium cum corvo ſeu cornice potius p. 273 l. 57. 72. & p. 274 l. 1.

Nomina quædam animalium quæ genere fœminina ſunt, quamvis maſculina terminatione p. 250. l. 40.

Nominativus caſus Latinis ex Accuſativo Græco formatus p. 588. l. 18

Nummi argentei quinque 2 Reg 6, 25. ſunt novem libræ Turonicæ p 18. l. 51

Nux *Kendem* ſive *Gendem*, terræ genus quod alio nomine vocatur ſtercus columbarum pag. 44 l. 25. Ejus definitio ib. l. 57

Νύμφη juxta Hebræos unde dicatur p. 115. l. 21

Obſidianus lapis in Æthiopia vitro foſſili pretioſior p. 874. l. 58.

Obſidianus vel obſianus lapis perfecte pellucidus p. 692. l. 23.

Obturare vel *obſtruere aurem* Hebræâ phraſi eſt alicujus verbis non affici, pag 391. l. 13. Ita etiam in Virgilio ib. l. 28

Oculi ſunt in amore duces p 11. l. 36

Oeſtrum οἶστρος Lat. aſilus, Hebr. יתוש *jattus* pro נתוש. muſcæ genus carnem vellicans p 546. l. 36 Ore pungit non caudâ, ibid. l. 14 Elephanti umbilicum invadit p. 548 l. 46

Oeſtro perciti boves quam graviter afficiantur ex Poetis docetur & ex Patribus p. 548. l. 56. & 549. l. 51. plura vide in οἶστρος.

Οἰνάς, columbæ feræ genus, unde dicta p. 1. l. 24. & quomodo vocetur a Syris p. 2. l. 9

Οἶστρος œſtrum ſive aſilus ab οἴω fero, ut οἰστὸς ſagitta, quia pari impetu fertur p. 546 l. 18

Οἶστρος aſilus, licet ex vetuſtis Poetarum fabulis de Bellerophonte, Ampelo & Jo οἰστροπλῆγι celeberrimus. tamen hodie paucis notus p. 545. l. 40

Οἶστρος aſilus & μύωψ tabanus à graviſſimis & vetuſtiſſimis ſcriptoribus pro ſynonymis habentur, p. 546. l. 48. Tamen diſtinguit Philoſophus p. 547 l. 32. Et differunt 1. origine, 2. mole, aculeo, bombo, 3. quia aſilus fere ſolis bobus, tabanus etiam aliis quadrupedibus infeſtus eſt. Ita Heſychius pag. 547. l. 47. At alii camelos quoque & equos ab œſtro, chelidros à tabano agitari volunt pag. 548. l. 1. Sed uterque boves ut plurimum invadit,

vadit, idque maxime in ilibus ἐν λαγόσι, non in oculis ἐν λαγόσι, ut mendoſe habet Apollonii Schol. ibid. l. 14. & 40. Alii in auribus ſcribunt ibid. l. 57.
Οἰωνὸς non ſolum avem in genere, ſed & in ſpecie vulturem ſonat p. 320. l. 42
Ὀπισθόκεντρος Oſtipes pro ſcorpione p. 636. 18
Oleæ folium ex Aſſyria attulit columba Noæ p. 29. l. 21.
Oleam & ſimiles arbores ſub aquis diu ſervari p. 29. l. 44.
Oleam in collibus fœliciſſime provenire, non in celſis montibus p. 30. l. 55
Oleaſtri ſomnium eſt שחר eſſe zibeti felem, & שחלת odoratum ſudorem quem emittit illud animal, Cum שחר ſit leonis ſpecies, & שחלת onyx aut bdellium atoma; utrumque ab atrore dictum p 808. l. 36
Olivæ Decapolitanæ in Syria parvæ, nec cappari majores, carne tamen commendantur p. 725. l. 39
Oliva ubique pacis ſymbolum, etiam in America p 32. l. 18. & 33. l. 27.
Olivæ ramum quem attulit columba Noæ fuiſſe decerptum ex oliveto monte, quem aquæ non demerſerint, aut ex Paradiſo terreſtri, qui ſupra diluvii aquas multum eminuerit, Judæorum fabulæ ſunt, quæ refelluntur p 28. l. 10. & 29. l. 1
Onocentauræ Indicæ deſcriptio ex Pythagora p 834 l. 17. Quem Phile deſcribere videtur ex αὐτοψίας. ibid. l. 25. Hæc fabuloſa, nec magni illius Pythagoræ, qui nihil ſcripſit, ſed alius recentioris p. 840. l. 1. Cur Phile vidiſſe ſe dicat ib. l. 10
Onocentauri dæmonum genus, & quale p. 840. l. 49
Onocentauri Cyrillo onagri, & Gregorio ὀνοταύροι. p. 840. l. 57.
Onocentauros vere naſci Hieronymus tanquam ex Scriptura aſſerit p 835 l. 52
Onocentauri Eſ. 34. 12. cur ex lapidibus nati p. 840. l. 51.
Onocentauri, vide *Centauri.*
Onocrotalus olim *truo* dictus à *trua* ſeu trulla quam in roſtro habet p. 275. l 14. Arab. vocatur *albanſal*, id eſt ingluvies, Æliano κήλας propter κήλην ſeu tumorem gutturis, ut Sabaudis *gutturoſa* ſeu ſtrumoſa, ab ingluvie quæ in gutture ſtrumæ inſtar prominet, ib. l. 41. &c. Eam ingluviem amphoram aut urnam capere nonnulli ſcribunt, ibid. l. 52. Et infantem in ea eſſe repertum. Et pugnum cum toto brachio, aut pedem cum toto crure immiſſum Et pro cucullo capiti imponi, & eâdem Ægyptios nautas ſentinam exhaurire ib l. 53. &c.
Onocrotali duo genera, aliud aquatile, aliud ſolitudinis p 276. l. 69. Arabes onocrotalum modo in aquis degere ſcribunt, modo ab iis divelli, nempe ut in intimam ſolitudinem ſecedat p. 277. l. 9
Onocrotalus circa Antiochiam, & Gazam, & in Ægypto frequens p 277 l. 25
Onocrotali vox mœſtum aliquid habet & horribile p 277 l. 15. Græcè ὀνοκρόταλος dictus, quaſi rudat inſtar aſini, Arab. *camelus aquæ*, quaſi blateret in cameli modum. Alii cum butauro conferunt. Alii cum rauco cornu ſonitu ib. l. 18
Ὄνος locuſtæ genus in Dioſcoride p. 430. l. 23
Onyx Hebr. שחלת *ſchecheleth*, unum ex quatuor aromatibus ex quibus factum fuit ſacrum thymiama Exod 30 34. Jeroſolymitana paraphraſis hic eſt corrupta. Jonathan reddit כשרת κίσθον (non coſtum ut volunt, quod eſſet קשט) itaque Arabes editi duo *ladan* ſeu ladanum hic habent, quod ex ciſtho funibus attrahi notum eſt. Unde שחלת dici creditum, quia שחל trahere & attrahere eſt, ibid. l. 47. Senioribus tamen, Onkelo, Syro, Arabibus manuſcriptis, Talmudicis, Hebræis denique omnibus שחלת eſt onyx ſive unguis odoratus, & Sirachidi etiam p. 804 l. 31
Onyx ſeu unguis aromaticus vox eſt æquivoca. Primo enim ſignificat conchylii operculum in nardiferis Indiæ paludibus reperti, de quo poſt Dioſcoridem & Plinium Arabes multa ſcribunt, p. 804. l. 67. Secundo Hebræis aliquid eſt in planta aromatica quod lævore & ſplendore ſuo unguem refert: bdellium ſcilicet, quod à Democrate & Galeno vocatur βδέλλα ὄνυξ, quia eſt ὅμοιος ὄνυχι unguis ſimile, ut habet Dioſcorides. Id ipſum erit Moſis שחלת, ſi Hebræorum judicio ſtamus p 807. l. 61.
Onyx & blatta Byzantia perperam pro eodem ſumuntur, cum in multis differant p. 707. l. 31
Ophiogenes, vide *Pſylli.*
Ophiomachus, vide *Locuſta.*
Oppoſitio elegans p. 255. l. 14
Oreb, id eſt corvus, hominis nomen. *Petra Oreb* Jud. 7. 25. ut in Homero Κόρακος πέτρα p. 203. l. 7.
Orichalcum vere album p. 883. l. 18
Orichalcum dictum æs Demoneſium p. 882. l. 74
Orichalcum Andiris arte factum p. 883. l. 35. Plura vide in *Aurichalco*
Orneoſophion juſſu Michaelis Imperatoris conſcriptum p. 813. l. 35
Ὄρνις νομὰς Nicandro βοσκὰς ὀρνιθίς, gallina altilis aut paſcualis p 11. l 11. Νομὰς Numidicam non ſignificat, ut putavit vir ſummus ib. l. 30
Ὄρνις olim avis in genere, Platonis ævo cœpit uſurpari pro genere gallinaceo, & tam de gallo quam de gallina dici p 125. l. 20. Donec obtinuit uſus ut proprium eſſet gallinæ nomen ibid. l. 53
Ornithiæ venti qui ſint, & unde ſpirent p. 103. l 51
Oroates & Batrachites cur dictus idem Perſidis fluvius p. 653. l 67
Ὄρφος, locuſtæ genus ex qua fit garum ad locuſtas abigendas. Forte quæ Arab. *orphon*. Heſychii de illa locus ab inſigni mendo expurgatus pag. 450. l. 49.
Ὀρτυγομήτρας à coturnice multi diſtinguunt. Tamen ortygometra nihil eſt quam magna coturnix p. 93. l. 20. De ea Janſenii hallucinatio, ib. l. 57. Cur Hebræum שליו *ſelau* à Græcis reddatur ὀρτυγομήτρα p 94. l. 16
Oſſifragæ nomina Græca & Arabica p. 187. l. 51
Ab oſſifraga deductum Gallicum *orfraye* eſt haliæetus p 188 l 27
Oſſifraga oſſa ab alto demittit & frangit, unde illi nomen p. 187. l. 47
Oſſifragæ unde natæ p. 187. l. 32
Oſſifraga aliis aquila barbata p. 187. l. 33
Oſſifragæ unum eſt inteſtinum omnia devocata conficiens. Itaque venter ejus areſactus & potus iis qui cibos non conficiunt eſt utiliſſimus pag. 187. l 42.
Oſſifragæ pullus ſanqualis p 187. l. 40
Oſſifraga pullos excipit ab aquila ejectos, & educat cum ſuis p. 187. l. 37
Oſtreum margaritiferum cum avellitur, ſtatim ſe aperit, & margarita eximitur p. 675. l. 27
Otis Arab. حباري (*hubara*) *tarda* non *turdus* ut perperam habet Avicennæ interpres p. 282. l. 55. Avis coloris cinerei, magni colli, roſtri longioris, in Oriente notiſſima, carnis inter gallinaceam & anſerinam mediæ. Cui ſtercus eſt pro telo, quo accipitria oculos poſtquam ferit, ejus plumas impune vellicat, unde accipitri certa mors p. 283 l 3. &c.
Otidis nomen Perſicum & Ægyptiacum p. 283. l. 55
Otis ſeu tarda nonnullis eſt Hebr. אנפה cui ab ira nomen eſt. Sed otis licet ſumme triſtis, non tamen eſt iracunda p. 340. l. 23
Otidis ea ova ex quibus mares naſcituri ſunt comas denigrant pag. 283. l. 49. Lapis in ingluvie latet, quo profluvium ſiſtitur ibid. l. 52
Otidem brevis & tardi volatus Græci & Romani deſcribunt, unde eſt quod *tarda* vocatur, p. 284. l. 1. Sed Arabes volatus fortiſſimi & longiſſimi. Ita ut circa Baſoram capiantur otides cum grano viridi in ingluvie, quod ex terebintho decerpſerunt circa Damaſcum ibid. l 38
P & B homogeneæ & permutabiles literæ pag. 584. l. 38. & p. 633 l. 74.
Padi populos electriferos cur in nuces mutaverit Avicenna p. 868. l. 46. Idem emendatus ibid. & l. 62.
Palma eſt arbor vivaciſſima p. 820. l. 8. Plinii ævo una extitit ab Apollinis ætate, qui Plinium anteceſſerat annis plus mille quingentis p. 820. l 9
Palmam gaudere riguis, contra quam ſcribit Plutarchus p. 820. l. 10
Palmæ ſeu φοίνικες in *Elim* ſeptuaginta, non unus phœnix, ut vult Ezekiel tragœdus p. 820. l. 60
Palumbus Gall. *ramier*, ab arborum ramis in quibus nidificat p. 18 l. 42
Palumbi caſtitas p. 23. l. 11. Palumbos & columbas albas adulterium morte punire ib. l. 16
Palumbum cur Arabes columbæ præferant p. 32. l. 7
Palumbus, vide *Cuculus.*
Panapana, vide *Zygæna.*
Pappus, vide *Cuculus.*
Par pari refert Deus in peccatorum pœnis, & ut loquuntur Hebræi *menſuram pro menſura.* p. 667. l. 24.
Pardus Arſacis cum aureo torque captus p. 705. l 8
Πάρνοψ locuſtarum ſpecies in agro Attico p 450 l. 1
Παροιστρήσουσι tanquam œſtro percuſſæ inſanient Ezek. 2. 6 pro Hebr. סרבים *ſarabim*, id eſt rebelles. Vox Hebræis aliunde ignota, ſed Chaldæis familiaris & Ægyptiis, apud quos *Sarabaitæ* monachi, aliis *Remuitæ* à renuendo dicti, quia omnis diſciplinæ jugo excuſſo ſuo arbitratu vivebant, p. 550. l 19. Et ὡς δάμαλις παροιστρῶσα, *ut vacca œſtro percita inſanivit* Oſ. 4. 16. Hebr. סררה *refractaria fuit* ib. l 72.
Paronomaſia elegans Joel 1 15. p. 471. l 8
Paſſer etiam *paſſa* dicitur ex Æolico πίζα pro σπίζα, id eſt fringillus, avicula paſſeri ſimilis p 147. l. 3
Paſſer unde Normanis *moiſſon* p. 150. l. 16
Paſſeris domeſtici deſcriptio ex Damire p 149 l. 7
Paſſer pugnacis eſt naturæ, & ferinum aliquid habet p. 149. l. 6.
Paſſer carne veſcitur, nec pullos ſuos cibat roſtro in illorum ora inſerto, pag 149. l. 8. Sed neque roſtrum neque ungues habet aduncos, & grana ac olera comedit ib l. 10
Paſſer è quatuor digitis tres in anteriora porrigit, & unum retro p. 149 l. 13. Reliquæ aves duos anterius, & totidem poſterius ib l 14
Paſſer mas à fœmina diſtinguitur nigra barbâ p. 149. l. 15.
Paſſer maxime eſt φιλόστοργος p. 149. l. 16. Proinde in locis cultis & ſub ædium tectis rapacium metu nidificat, ib. l. 19. Cum deſolatur urbs ex ea excedunt paſſeres, & cum incolis redeunt ib. l 21
Paſſer ambulare neſcit nec niſi ſaltuatim fertur p 149 l. 22.
Paſſer coit in hora centies, ac proinde brevis eſt ævi p. 149. l. 23.
Paſſeris pulli ſunt dociles, & vocati reſpondent p 149 l 25.
Paſſer redit à paraſanga p. 149. l 26
Paſſerum ſpecies apud Arabes acanthis, corydalus, philomela, alauda &c. p. 147. l 35
Paſſer Hebraicè צפור *tſippor* æquivocâ voce dicitur, quæ & in genere avem quamlibet, & in ſpecie paſſerem ſonat. Illa igitur pro ſubjecti ratione exponenda eſt p 145 l. 34. & 150. l. 59
An ut paſſere eo ludet? Job. 40. 24 vel *ut ave* in genere. Nam & aliis avibus pueri oblectantur p. 151. l. 71.
Migra in montem ut paſſer Pſ. 10. 1. vel potius *ut avis*, quia paſſer non eſt avis montana p 152 l 7. Paſſer montanus quem vocant, eſt in merularum genere, pag. 153. l 14. In Galeno montani paſſeres ſunt aviculæ quævis ib. l. 20
Paſſer invenit ſibi domum Pſal. 84. 4. recte redditum p 153 l 40.
Vigilavi & fui ſicut paſſer ſolitarius in tecto Pſ. 102. 8. Imo *ſicut avis ſolitaria* Neque enim de paſſere res eſt ſed de ave nocturna p. 153 l 55
Ubi paſſeres nidificant Pſ. 104 16. Imo *ubi aves nidificant* Agitur enim de Libani cedris, ubi paſſeres nidificare non ſolent p 156. l 20
Sicut paſſer anima noſtra erepta eſt ex aucupum laqueo Pſ 124. 7. Potius *ſicut avis*. Paſſeres enim viſco potius quam laqueo capiuntur p. 156. l. 46
Excitatur ad vocem paſſeris Eccleſ. 12. 4. Aut *ad vocem avis* id eſt *ad galli cantum* p 151. l. 57
Me venantur ut paſſerem Lam 3. 52. Potius *ut avem*, nempe unam è majoribus, in cujus aucupio libentius operam inſumimus p. 157 l. 7
Paſſer abſque Deo non cadit, nec in oblivione eſt apud Deum Matth. 10 29. & Luc. 12 6 Sumpta phraſis ex Pſ. 9. 19. p. 149. l. 18
Paulus primo homicida, deinde Deus creditur p. 371. l. 53 Hoc in fidem peccat, illud in charitatem p. 375. l. 16. Ita Lyſtrenſes ibid. l 26
Paulus illæſus ſerpentem excuſſit, quaſi manui ejus ſe alligaſſet, non ut læderet, ſed ut ornaret, ut ὄφις ἱστικά πως p 373 l 33
Pavones Hebraicè תוכיים *thucijim* pro כותיים *cuthijim* inverſa voce ut paſſim, *Cuthij* autem Cuthæi ſeu Perſici, quia Solomonis ævo è Perſide ſunt advecti, quamvis horum primi natales in India ſint p. 136 l. 40. & 137. l. 9
Pavonis natales in India, non in inſula Samo ut volunt p. 242. l. 57. & p. 243 l 1
Pavones Solomonis ævo in Judæa primum viſi, in Græcia multo ſerius p 242. l. 8. & 13
Pavones quando Athenis primum viſi p. 139. l. 1 & p. 242. l. 47.
Pavones in Græcia rari adhuc ſub Alexandro p 242. l. 49.
Pavones Romæ quando primum in cibis p 243. l. 46
Pavonum olim immane pretium in Græcia & Romæ p. 139. l. 7. 19. & p. 242. l. 58.
In pavonem mutatum fuiſſe Argum nemo ſcripſit ante Moſchum p. 243. l. 12. Ariſtophanem eo alludere falſum eſt ib. l. 24

Pavonis deſcriptio ex Tertulliano & Arabibus p.137. l. 58.

Pavonem propter caudam ſuam creatum fuiſſe, non contra p.244. l.33

Pavonis alis à Poetis tribui quod caudæ proprium p.244. l.60.

Pavones pennarum oſtentatione maxime gloriari, non tamen alarum ſed caudæ p.244. l.58

Pavonis caro parum ſapit, & mali ſucci eſt pag. 139. l. 22 46.

Pavo avis mali ominis apud Arabes p.139. l.66. Cauſa cur in Paradiſum diabolus ingreſſus eſt, & Adam ex eo pulſus ibid. l.70

Pavonis ſanguine vitis à diabolo aſperſa eſt juxta Arabes p.140. l 3

Pavonis non ſit mentio Job. 39. 16. Aliud ſunt רננים *renanim*, nempe ſtruthiones p.140. l.11

Pavones voce הבנים *hobnim* ſignificari Ezech. 27. 15. Chaldæi interpretis commentum eſt p.140. l.20.

Ex pavonum oſſibus quædam opera fieri nugatur Kimchius p.142. l.39

Pediculos potius quam paluſtres culices ſignificari Hebræo כנים *kinnim* 1. quia כנים ex terra non ex aquis orti ſunt, 2. quia erant in hominibus & jumentis, quod de culicibus dici non poteſt, 3. quia nomen habent à firmitate ſumptum, 4. quia כנה *kinna* Talmudicis eſt pediculus. 5. Quo alludunt Κόνις pro lende, & κονία pro minoribus pediculis. 6. Samaritanum quoque, Chaldæum & Arabicum pediculi nomen. 7. Proinde Joſephus, Chaldæi, Syri, Hebræi, Arabes כנים pediculos reddunt. 8. Alcoranus etiam & Mahumetanorum doctiſſimi. Græci tamen σκνίπες hic habent, & Hieronymus *ſciniphes*, quod ſequuntur omnes patres p.574. l.1

Pediculi tam beſtiis quam hominibus infeſti, herbis etiam & vitibus p.577. l.54

Pediculorum in ſolo homine plures ſpecies p. 578. l. 37.

Pediculi inguinales p.554. l.34 & p.578. l.43

Pediculi alati in Rhizophagis p.578. l.49

Ad pediculos Scripturæ loca perperam relata p.583. l. 46.

De pediculis Ægypti inſigne mendum in Græca verſione p.582. l.26

Pediculos non cibari fructibus, quod habet Arabica verſio, ſed mendoſe p.582. l 71

Pediculus in Homero pro vili p.586. l.17

Ad pediculos procreandos cur terra ab Aarone potius quam à Moſe ſit percuſſa, Hebræorum commentum quod refellitur p.576. l.72

Pediculi ex pulvere quomodo procreati p.577. l.38

Pediculi per totam Ægyptum, non tamen in terra Goſen p.582. l.64

Pediculos procreare cur Magi non potuerint, Hebræorum ratio futilis p.581. l.37. Vera ratio, ib. l. 66.

A pediculis quanto ſtudio ſibi caverint ſacerdotes Ægyptii, tanquam in hujus plagæ memoriam p.579. l.26.

Pediculorum plaga nullam fuiſſe Ægyptiis moleſtiorem ſcribunt Mahumetani p.576. l.43

Pediculi morituri hominis corpus deſerunt p. 585. l. 63.

Pelaſgi quaſi Πελαργοὶ p.331. l.30

Pelecanus & onocrotalus, aves ita congeneres ut etiam à doctiſſimis promiſcue ſumantur p. 276. l. 57.

Pelecanus à vomitu קאת *Kaath* dicitur, quia conchas jam abſorptas removit, poſtquam calore ventris apertæ ſunt, ut ex iis eſculenta legat p.294 l. 32.

Pelecanus Chald. קוק *Kuk* vel קיק *Kik*. A qua ave dici oleum *Kik* nugantur Talmudici. Cum ſit oleum κίκινον à κικὶ dictum, quod Græcis κρότων ricinus dicitur, & in Jona קיקיון *Kikajon*, & Arab. *alcheroa* p.292. l.40. & p.293. l.16

Pelecanum pullos ſuos triduo poſt mortem vitæ reſtituere, proprio ſanguine in eorum vulnera inſtillato, neque verum eſt, neque vero ſimile, licet è Patrum choro nonnulli hoc ab aliis acceptum chartæ illeverint p.301. l.11

Pellucida perfecte dicuntur quæ omnes colores tranſmittunt, imperfecte quæ ſolam lucem p.692 l.20. & 26.

Pellucida etiam quæ nigra, licet Philoſophus id neget, vide *Morion*.

Peninim פנינים Hebr. conſtat eſſe margaritas, quia alludit πίννα & πιννικὸν pag.681. l.61. Et *peninim* ſemper plurale eſt, quia in torquibus & armillis margaritæ plures conſeri ſolent, cum gemmæ ſint in annulis fere ſingulæ p.682. l.3. Proinde *extractio peninim* Job. 28. 18. videtur eſſe piſcatio margaritarum quæ è fundo maris aut ex concha extrahuntur p.683. l 47. Et cenſentur *peninim* inter res pretioſiſſimas p.685. l.25. Et è remotis locis afferri leguntur p.686. l.56

Peninim eſſe margaritas multi negant, quia Lam. 4. 7. Nazaræi leguntur *rubuiſſe corpore ut peninim* p.687 l. 65. Sed rubere eo loco candere & rutilare eſt. Nam in illo ipſo loco iidem Nazaræi propter ſummum candorem lacti & nivi comparantur p.690 l. 1. Et Levit. 13. 19. lepra alba dicitur eſſe אדמדמת, id eſt lucida vel candida p. 689. l.59. Et ſponſus Cant. 5. 10. deſcribitur *albus* ואדום id eſt *& candidus* vel *lucidus*, ibid. l 70. Sic Arab أدم *adama* candere eſt p.688. l.52 Et Latinè rutilare, rutila, purpurea dicuntur etiam quæ ſunt ſummè candida ibid. l.23

Peninim nonnulli veterum margaritas interpretantur p.681. l.48.

Peninim quid proprie ſint Hieronymum ignoraſſe docet verſionis inconſtantia p.681. l.41

Peninim non eſſe corallium, quomodo reddit Bootius, qui pluribus refellitur p.693. l.61

Percnopterus vel gypæetus, degeneris aquilæ genus vulturinâ ſpecie, ſola aquilarum exanima fert corpora p.175. l.63

Percnos ſeu morphnos, aquilæ genus à percnoptero diverſum, Suidas tamen in Μόρφνος illi tribuit quæ ſunt percnopteri propria p.175. l.66

Perdix mas quandoque ea ova incubat quæ non ipſe peperit, ſed fœmina. Quod tamen ad locum Jerem. 17. 11. Hebræi fruſtra obſervant p.87. l.3

Perdix ſæpe fovet ova quæ non excludit, idque tribus de cauſis. Quod à viro docto notatum in Jerem. 17. 11. Sed parum ad rem p.87. l.29

Perdicem aliena ova ſuffurari & fovere. Aut in alieno nido incubare, & pullos perdicis ab aliena matre excluſos eam relinquere auditâ voce veræ matris. Aut perdicem fœminam alterius pullos imitatione maternæ vocis allicere, in Jeremiam ſcribunt veteres abſque autore idoneo pag. 84. l. 17. Quæ refelluntur pluribus p.84. 85. 86. &c.

Perdix venator in caveâ quid ſit in Sirachide pag. 89. l.35. De eodem Ariſtoteles & multi veterum ib. l.65. & p.90. l.60.

Perdicis eſus, vide *Starna ſſus*.

Peres פרס cur aliis *gryphus*, aliis *accipiter*, aliis *falco cyaneпus*, aliis *avis Perſica* p.185. l.47. Sed probatur eſſe *oſſifragam* p.187. l.1. &c. De ea ave quid ſcripſerint Romani, Græci & Arabes ib. l.27. vide *Oſſifraga*.

Perna pinnæ ſpecies, quam hiantem ait Plinius in arena ſtare defixam, velut ſuillo crure, unde illi pernæ nomen p.682. l.48

Περονοῦνται πιννικὸν *margarita perforantur* p.682. l.20

Perſica avis gallus aut pavo p.186. l.34

Perſidis nomen Moſe recentius annis fere nongentis p.186. l.32.

Πετηλὶς, locuſtæ ſpecies in Heſychio p.450. l.47

Phalangæ vel Palangæ ebeni, ſunt baculi teretes, quales ex India & Æthiopia magno numero afferuntur p.143. l.36

Phalmant in Arabum ſcriptis, fera fabuloſa cubitorum XL. in regione *Diſt*, quæ Tartariæ eſt portio, ungue & dente minax, urinâ etiam cui vis cauſtica eſt, quamque in obvios eminus ejaculatur p.846. l. 33.

Pharao فرعون Arabicè crocodilus eſt. Et videtur apud Ægyptios id ipſum ſignificaſſe, & Ezekiel huc alluſiſſe, cum Pharaonem Ægypti regem nomine ſuo compellans, prædicit fore ut crocodili inſtar ferreo hamo captus, aut ferreis retibus involutus è rivis ſuis ad necem trahatur p.795. l.36

Pharaonem ſub quo Moſes, Hebræi putant fuiſſe Magum ὑδρομάντιν p.557. l.10

Phariſæi progenies viperarum, id eſt ἀρχὰ κάκων Φ- ... p.375. l.30. Aliud in Sophocle ἐχίδνης θρέμμα ib. l.55

Phaſianus ex Phaſi & aliis ad Aquilonem locis, p.95. l 44. &c. Itaque ex Auſtro non potuit cum coturnicibus advehi, prout Hebræi volunt pag. 96. l. 4. Nomen ejus verus ταταύρας alludit ad Perſicum *tazeru* & Arabicum *tadrug* p 96. l.17

Phaſianis raro uſi ſunt Pertinax, Alexander Severus, Tacitus & Julianus Imperatores p.95. l.32

Phaſianus Ptolemæi Phyſconis κοιμάλιον p.95. l.27

Phaſianus Jonathani & Talmudicis nugivendis ſpecies coturnicis p.94. l.26. & 30

Phengites lapis pellucidus, ſed non perfecte pag. 692. l. 38. In æde Fortunæ ex eo conſtructa foribus opertis claritas erat diurna, ibid. l. 43.

Philiſtæi Gr. Ἀλλόφυλοι p.501. l.56

Phocarum genus in fabulis Arabum, quæ naves ſpiculis ſuis incenderent, niſi ipſarum pelle obtegerentur p.864. l.18

Phœnicum inſulæ in Perſico mari Tyrus vel Tylus & Aradus p.137. l 21

Phœnix, vide *Halcyones*.

Pro phœnice Tertullianus & Epiphanius hæc Pſaltis fruſtra citant Δίκαιος ὡς φοῖνιξ ἀνθήσει Pſalm. 91 (Hebr. 92.) 13. Cum ibi phœnix ſit palma arbor, non phœnix avis. Hebr. enim eſt תמר *thamar* palma. Et in tota ſerie orationis juſti cum arboribus, non cum avibus, conferuntur p.819. l.50

Phœnicis avis Hebræa nomina duo ſunt, חול *choul* & אורשינא *orſina*. Quorum hoc ex Græco ὄρνις deflexum eſt, quomodo Græci phœnicem non raro appellant, p.818. l.70. Illud ex his Jobi 29. 18. וכחול *& ſicut choul multiplicabo dies*, id eſt, inquiunt, *ſicut Phœnix*, cum reddendum ſit *ſicut arena* Idem enim ſunt חול *choul* & חול *chol*. Græci quidem habent, quâ de cauſâ neſcimus ὥσπερ στέλεχος φοίνικος, unde nata eſt occaſio hæc ad phœnicem referendi. Tamen hæc ipſa verba palam eſt ad palmam pertinere, cum στέλεχος *truncus* non dicatur niſi de arbore p.820. l 44

Phœnicis annos vivere Proverb. de longævis p. 817. l. 63.

Phœnicis annis fieri magni anni converſionem qui eſt annorum MCCCCLXI Eo ſcilicet annorum ſpatio crediderè veteres quandam fieri ſyderum ἀποκατάστασιν, quâ Planetæ ad idem ſignum referantur unde profecti fuerant, & ſtellæ etiam revolvantur ad idem principium p.817. l.66

Phœnix avis in *Elim*, pro ſeptuaginta palmis juxta Ezekielem tragœdum p.820. l.67

Phœnicis cerebrum pro palmæ cerebro p.821. l.6

Phœnix Ægyptiis Aſtrologiæ ſymbolum, non palma p.821 l.34

Pro phœnice perperam habita avis *ſemenda* in Cardano & Scaligero p.822. l.54

De phœnice fabulæ quomodo aſſenſerint nonnulli Patrum p.824. l.55

Phœnicem ſolum animalium de fructu vetito non comedute Hebræi aſſerunt, ac proinde mille annos vivere, & combuſtum mox de cinere ſuo renaſci p.818. l.26. Eidem mille annos aſſignant multi Poetæ ibid l.4

Phœnices ſub Tiberio & Claudio Romæ viſi, ſed uterque merito ſuſpectus, unus Tacito, alter Plinio p.821. l.72

Phœnicem in regno ſuo naſci jactat Æthiopiæ rex, quod jam olim creditum p.822 l.40

Phœnicem convivis promiſit Heliogabalus p. 822. l. 35.

Phœnicis pluma ad Hibernos à Papa Clemente VIII, miſſa p.822. l.46

Phœnicis fabulam Schottanus quatuor rationibus confutat p.825. l.38

Φθεὶρ culex in Caria ex pinu effloreſcens, pediculo ſimilis. Idem dicitur Δίερος p.509 l 30

Phthiriaſi qui perierint p.583. l.37

Phthiſis ſeu tabes Hebraicè שחפת *ſchephoth*, ut Arab. سحاف *ſchaph*. Hinc larus aut cepphus שחף *ſachaph*, quaſi tabidam avem dicas, quia fere carnis eſt expers p.263. l.26

Phunon locus in deſerto, ubi æris fodinæ magni olim nominis. Ex eo ære ſerpentem conflaſſe videtur Moſes. Ibi enim eſt erectus. Neque id ſine myſterio p.427 l.43. & 428. l.11

Πίμπρασθαι *ardere* vel intumeſcere Act 28. 6. Utroque modo poſſe reddi p. 373. l.61. & p.374 l.12

Πίννα, πίννινος λίθος, πίννινοι ἱερεῖς, πιννικὸν, πινικὸν, πινίκιον κόλχον quid ſint p.681. l.62

Pinnam tum maxime concipere, & plurimam generare margaritam & ampliorem, cum tonitrua continua ſunt, & imbrium effuſiones p.681. l.67

Pipire paſſerum more quomodo Græcè & Hebraicè p.149. l.35.

Pipio columbæ pullus, at pipiunculus eſt accipiter p.178. l.31.

Piſcatoria tela שכות & צלצל unde dicta p.773. l. 23.

Piſcis Borealis cur χελιδονίας dictus p.66. l.27

Piſcis cui Dei & Mahometis nomen inſcriptum p. 863. l.40.

Piſcis Moſis & Joſue, cujus dimidium cum comederint, is hodieque non videtur niſi dimidiatus. Ita Arabes p.863. l.68

Piſcis ثلب *thalb*, cujus in mille fruſta diſſecti viruit

vivunt & moventur ſingulæ partes, & in coqui faciem inſiliunt. Ut carnes boum Solis apud Poetam p.863. l.57

Piſcis Tobiæ non fuit callionymus, ut poſt Valleſium multi volunt p.748. l.12. Ille fluviatilis, magnus, anthropophagus fuit. Hic marinus, parvus, nec niſi piſciculis infeſtus p.749. l.6. Nec duobus viris in viaticum ſuffecerit, neque vero edulis eſt ibid. l.61. &c. & p.751. l.27.

Tobiæ piſcis ex fundo aquarum emerſit, non tamen in terram ſe contulit, ut ſupponit Valleſius p.749. l.35. Vide *Silurus* & *Callionymus*.

Tobiæ Hebræi MSS. diverſa lectio, ſed falſa. ibid. l.18.

Πλεκτάναι, πλέγμα, πλοχμοὶ quid Græce p. 758. l.57.

Plumatum Babylonicum, id eſt purpureum p.238. l.51.

Pluviæ tritici, piſcium & ranarum p.104. l.68

Polycratis gemma Plinio ſardonyx, ſed ſmaragdus Herodoto p.699. l.61

Πορφύρεος θάνατος quid in Homero p.726. l.30

Porphyrio quidam convictore gallo privatus mediâ periit p.300. l.70

Poſt dies Hebræâ phraſi, id eſt *poſt annum* p. 305. l.39.

Prædicatum Hebræi pro ſubjecto uſurpant pag. 9. l.60.

Pretioſa ligna ut *ſittim, almugim, hebnim, &c.* Hebræi vix aliter quam plurali voce nominant p.143 l.64.

Προβασκάνιον in Templi tecto Hieroſolymis ad aves ab illo arcendas p.53. l.43. Hoc fuiſſe in ſecundo templo ab Eſdra, & in tertio ab Herode, non in primo à Solomone extructo, quamvis aliter ſtatuat Eupolemus p.54 l.21. Hoc aves ab omnibus Templi partibus arcere non potuiſſe ibid. l.50

Prudentia ſerpentis & ſimplicitas columbæ ſeorſim ſumptæ ſunt in vitio, ſed conjunctim ſunt in laude p.20. l.20.

Pruina חנמל *chanamal* unde dicatur p.444. l.60.69. Falluntur qui locuſtam exponunt ib. l.53

ψὴν culex qui ex caprifico vel ex palma oritur p.569 l.29.

Pſittacus Gr. hodie παπαγᾶς, noſtratibus *papegay*, Arab. *babga* vel *babgia*. Quibus vocibus cur Hebræum אנפה *anapha* reddiderint Arabes paraphraſtæ duo mihi non liquet. Niſi per *ajin* ענפא *anapha* legerint, tanquam ab ענף *anaph* facto nomine, id eſt ab arboris ramo, à quo pſittacus videatur dictus, quia nidum habet ex arboris ramo penſilem p.341. l.5

Pſittacos in extrema Syria naſci mirum unde habeat Diodorus, cum pſittacus apud veteres non ſit aliunde notus quam ex India, aut ex inſula Gagaude inter Syenen & Meroen. Quod confirmat Paulus Venetus p.342. l.10

Pſylla vel Pſyllium urbs p.587. l.20

ψύλλαν id eſt pulicem ad ceraſtis morſum non adhiberi, ut putat Phile, ſed ψύλλον Pſyllum hominem qui virus exſugat p.586. l.79

Pſylli populi unde dicti p.587. l.24

Pſylli, Marſi & prope Helleſponti Parium Ophiogenes non vi magicâ ſed naturali à ſerpentibus immunes fuere, aut audaciâ quâdam ipſo uſu confirmatâ p.394. l.18. & 50

Pſyllis nonnulli ſcriptores aſpides quoque, ceraſtas, hydros & cherſydros ſubjiciunt p.393. l.30

Pſyllici canes p.587. l.22

Pſyllium quomodo Arabice & Hiſpanice pag. 585. l.58.

Pſyllus Græcis viri nomen p.587. l.20

Ptolemais in Phœnice pro עכו *Accho* Ἄκη dicta eſt, tanquam ἀπὸ τοῦ ἀκεῖν, quia ibi ſanatus Hercules p.501. l.60.

Πτῶμα Matth. 24. 28. σῶμα Luc. 17. 37. Sed res eodem recidit, quia σῶμα ſæpe eſt cadaver p.184. l.31.

Pulex Hebr. פרעש *Paros* vel *Pharos* in Eſdra, viri illuſtris nomen p.587. l.17

Pulicis Hebræum, Arabicum & Syrum nomen ex eadem origine p.784. l.52

Pulex Arab. dicitur *pater ſaltus* p.585. l.43

Pro pulice culex legitur in Plinio, Auguſtino, Boderiano, Buxtorfio. In Giggeio etiam multoties p.784. l.66.

Terra di pulici in Sicilia dicitur quidam ager, non à pulice, ſed à Polluce; qui ibi templum habuit p.587. l.41.

Pulex non ſolum anterius ſed & retrorſum ſalit, ut venatorem fugiat p.585. l.48

Pulicum ſaltus Socratem metitum eſſe non ex ſolo Ariſtophane, ſed etiam ex Xenophonte colligi p.586. l.34.

Pulex gibboſum animal p.585. l.49

Pulex habet elephantis proboſcidem p.585. l.49

Pulicem cur ſe vocet David p.585. l.72

Pulicum nubes aut equitatus, id eſt imbelles copiæ p.586. l.26.

Pulices à Claudio vocati populi tenuiores p. 586. l.21.

Pulices excoriat, ut pellem habeat, de viro ſordido dictum p.586. l.66

In pulicis morſu Deum invocat, Proverb. pag. 586. l.34.

Pulicem apud Arabes inter orandum occidere nefas p.585. l.51.

Pungere, vide *Mordere*.

Purpuræ color Hebr. תכלת *thecheleth* Chald תִּכְלָא *thichla* vel *thechla* p.726. l.61. Color ille quâ arte fiat ex Maimonide, in quo notatur craſſum σφάλμα p.727 l.30. & 41

Purpura non à cœruleo, ſed à rubro colore commendatur p.731. l.59. Itaque purpuræ colorem Poetæ ſanguini tribuunt, Soli, Auroræ, vino, uvis, moris, narciſſo, roſæ, papaveri, violæ, puellarum labris & genis, maxime in pudore: Amethyſto denique p.732. l.16. &c.

Purpura ex tribus concharum generibus, purpurâ proprie dictâ, conchylio & murice ſive buccino p.734. l.72.

Marinæ purpuræ diverſæ ſpecies תכלת *thecheleth* & ארגמן *argaman* vel ארגון *argavan*, quarum hæc rubra, illa cœrulea p.739. l.21. Utraque in inſulis Eliſæ ſeu Græciæ Ezek. 27. 7. ib. l.23

Purpuræ proprie dictæ color ruber pag. 735. l.58. Conchylii glaucus, & irato mari ſimilis ib. l.62

Purpura ex *Aram* ſeu Syria Ezech. 27. 16. p.740. l.52.

Purpuræ ſex annos circiter vivunt, & in concha tot orbes habent quot annos agunt p.726. l.1

Purpuræ tres partes, τράχηλος, μήκων & πύθμην. Purpuræ flos inter primam & mediam p. 726. l.51.

Purpuram contundi quamprimum capta eſt, ne florem evomat p.726. l.20. De locis Ariſtotelis & Plinii conjecturæ ib. l.28

Purpuræ non ſolum in petris, ſed & in arena degunt p.722. l.70.

Purpuræ inventionem Herculis cani cur tribuerint Phœnices p.739. l.73

Præter purpuram marinam, purpuræ factitiæ plures ſpecies, puta ex vacciniis p.737. l.48. alga Creticâ l.53. amorge herbâ l.66. purpureâ herbâ in Abaſenis l.74. Iberâ ferrugine p.738. l.4. flore purpureo ad fontes Hyparchi fluminis, ibid. l.7. & Indicâ ſandice, quæ fuit divini fulgoris ibid. l.12. Proinde purpura ſæpe marina dicitur ἁλουργικῶς, ibid. l.20.

Purpureus coccineus & puniceus color promiſcue ſumuntur, tam à ſacris quam à profanis ſcriptoribus p.733. l.9

Purpurarii cur vocentur יוגבים *jogebim* vel יקבים *jokebim* p.723. l.70. & 724. l.28

Purpurarium Judææ littus à Tyri ſcalis uſque ad Chaipham p.723. l.71. Utriuſque ſitus p. 724. l.39.

Pygmæi non prorſus fabuloſi p.76. l.60. & p.77. l.8, & 20. Arabum fabella de horum pugnâ cum gruibus ib. l.39

Pyropum æs in quo quinta auri portio p. 878. l.71. Sardiis & Ceraunis & collis columbarum idem qui pyropo color p. 879. l.6. Pyropum parmis inductum, ibid. l.31

Pyropum eſſe metallum, non carbunculum ut volunt p 879. l.37

Python פיתום Hebr. ariolorum genus ex auxilio vocem emittens p.383. l.53

Python alludit ad פתן *pethen* p.383. l 22. & 42

Pythonis ab Apolline cæſi fabula quomodo intelligenda p.383. l.24

Pythones in Jonathane פיתוניא *pithonja*, vide *Aſpides*.

Pythonos Come, in Aſia locus, quo primo adventus ſui tempore ciconiæ advolant p.331. l.15

R & L transpoſita per metatheſin p.599. l.37

Racham רחם vel *rachama* רחמה. avis Levit. 11.18 & Deut. 14. 17. Jonathani & Syro שרקרקא *ſerakraka* p.297. l.51. Samaritano *ſtruthio* p. 300. l.28. Græcis *cygnus*, ibid. l.37 Hieronymo *porphyrio* ibid. l.66. Ariæ *pelecanus* p.301. l.11. Junio *merops*, ibid. l.61. qui omnes refelluntur.

Racham vel *rachama* vulturis ſpecies avis Arabibus notiſſima p.303. l.33. Ejus amplæ deſcriptiones ex Damire, Alkazuinio & Alcamus, ubi decem ejus propria, item ex Andrea Bellunenſi p. 303. 304. 305. Alcorani interpretes, qui ſurdam & mutam deſcribunt, refelluntur ex Zamachſari p.305. l.35. Apud Arabes *rachama* pluma, fel, jecur, caro, &c. eaſdem quas apud Græcos & Romanos vulturis in medicina vires habet, ibid. l.54. Nidus in locis inacceſſis, & tam raro videtur, ut à nonnullis aut nuſquam, aut nonniſi in altero orbe extare ſit creditus p.307. l.36. Unicum ovum aut geminum edit p. 308. l.35. Cadaveribus veſcitur ibid. l.43. Sequitur exercitus triduo, aut etiam ſeptiduo ante, futuræ cladis præſcius p.309. l.12.

Racham multi Arabes ponunt in aquilarum genere p.311. l.70. Sed Damir ſolum dicit eſſe aquilæ ſimilem. Γυπαίετος & αἰγυπιὸς inter aquilas & vultures medii ſunt p.313 l.43. Aquilæ ex diverſo coitu tandem in vultures degenerant, ib. l.69. Promethei jecur plerique ab aquila, nonnulli à vulture exeſum fuiſſe volunt p. 314. l.22. Herba Prometheis in Apollonio ex aquilæ, in Valerio Flacco ex vulturis morſibus nata p.314. l.56. Aquilæ circa cadaver ſunt Theophylacto vultures, ibid. l.71. In Alberto & aliis aquila & vultur ſæpe promiſcue ſumuntur pag.315. l.1. Aquilæ Arabes multa tribuunt quæ vulturis propria ibid. l.17.

Rachamam dicunt Arabes lapidem afferre ex India quo partus ſublevatur, lapidem nempe aetitem ſeu aquilinum p.311. l.1. Sed idem vulturi tribuunt etiam alii præter Arabes p.316. l.27. Lapidem illum Arabes *abutacion* vocant, & Græci ἰκτίνιον vel ἀκυλάνιον p.316. l.37. & 52

Racham רחם & *daja* דיה vulturum diverſæ ſpecies דיה *daja* vultur ater. רחם *racham* vultur bicolor, aliis nigris, cætera albus, ut περκνόπτερος ſeu ὀρειπέλαργος. Itaque ut hic vultur Arab. رخم *racham* vel رخمة *rachama* ſic equus varius qui nobis *pica*, Arab. dicitur ارخم *archama* & رخما *rachmaa* ovis varia 317. l.8

רחם *racham* in Levitico, & רחמה *rachama* in Deuteronomio legitur fœminina terminatione, quod frequentius apud Arabes, quia hæc opinio apud vulgus pridem invaluit, omnes vultures eſſe fœminas. Ita in Ægypto creditum. Proinde cum ὁ γὺψ pro vulture Græce ſit Maſculinum, in Horo tamen Ægyptio legitur ἡ γὺψ pag. 310. l.2. &c.

Racham רחם à miſericordia vultur merito appellatur, cum avis ſit juſtiſſima, & omnium ſui generis minime noxia. Nihil animatum necat. A morticinis ſui generis abſtinet. Sata non lædit p. 317. l.45. Romanis ales fauſti ominis, Herculi quoque, ib. l.69. Indi, Perſæ, Hiſpani mortuos ſuos vulturibus objiciebant, eos maxime qui pro patria fortiter dimicantes occubuerant, ibid. l.74. Vultur Junoni & Iſidi ſacer pag. 318. l.33. Apud Ægyptios fuit miſericordiæ ſymbolum. Per dies CXX. pullos ſuos vix deſerit. Et eos exſecto femore nutrit proprio ſanguine, quod in pelecanum perperam eſt translatum, ib. l.38. Etiam reliquas aves ab accipitre defendit, quomodo & tinnunculus p. 319. l.61. In Homero & Æſchylo αἰγυπιοὶ de pullis ſuis maxime ſolliciti pag. 319. l.2. In Libya vultures patres à pullis ſuis aluntur, æque ac ciconiæ p. 320. l.8.

Radaunus, vide *Eridanus*

Ranæ pleraque nomina, ut Romanum, Æthiopicum, Talmudicum, Arabicum, Ægyptium, Punicum ἰσφαλτεσουλιθὰ p.651. l.7. &c.

Ranæ جران *geran* dicuntur in Arabica Pentateuchi paraphraſi ab Erpenio edita. Ita Græce ranunculi γέρυνοι vel γυρῖνες pag. 653. l.70. Hujus vocis origo p.654. l.32

Rana cur Græce βάτραχος p.651. l.8

Rana Hebr. צפרדע *tſephardea*, cujus vocis origo hactenus ignota aperitur p.651. l.22. &c. Falluntur qui crocodilum aut bufonem explicant p.655 l.69. & 656. l.22.

Ranæ Chaldæum, Syrum & Samaritanum nomen quomodo ex Hebræo deductum p 653. l.63

Ranæ elogium in Hebræo libro de Animalibus p. 673. l.3.

Ranæ in pretio Mahumetanis p. 673. l.2. Unum è quinque animalibus quæ occidere nefas eſt, 1. quia Deum laudant, 2. quia Abrahami rogum aquis inſperſerunt ibid. l.3.

Ranarum cultores in Philaſtrio p.673. l.24

Ebulliet fluvius ranas Exod. 8. 3. Apparet ex verſu 5. fluvii nomine rivos etiam & ſtagna & paludes & quaſvis aquas ſignificari p.656. l.59

Ranæ etiam naturaliter ex limo generantur p. 657. l. 27. Et Nilus his fœcundiſſimus, ib. l. 44. Miraculoſa tamen fuit hæc ranarum productio, ib. l. 65.

Si fluvius ranas produxit, cur dicitur Pſalm. 105. 30. *Ranas produxit terra eorum?* p. 668. l. 52. Reſp. Terram intelligi limoſam & uliginoſam, quæ in fluvio latet. Vel terra, id eſt regio, cujus pars fluvius, quod probant multa Scripturæ loca, ib. l. 56. 57. 61.

Aſcendit rana, id eſt aſcenderunt ranæ per enallagen numeri. Non una præciſe rana, quæ reliquas aut pepererit, aut coaxatione ſuâ evocaverit p. 660. l. 32. &c. uſque ad l. 70.

Rana magna ut pagus Hagaroniæ, qui fuit ſexaginta domorum, ut nugantur Talmudici pag. 660. l. 41.

Ranæ animal amphibium, proinde è flumine in terram aſcendunt p.657. l.74

Ranis percuſſa fuit tota Ægyptus p.656. l.32

An ranarum plaga controverſos Ægyptiorum & Æthiopum fines diſtinxerit, ut Hebræi dictitant p.656. l.35

A ranis immunes Iſraelitæ p.659. l.19

Ranæ quomodo in ædium intima penetraverint p.658. l.25. Etiam *in regum conclavia* ut habetur Pſ. 105 30. At unus erat rex Pharao p.669. l. 12. Volunt intelligi principes, ut Eſ. 19. 2. ubi de Ægypto dicitur, *regnum in regnum pugnabit*, id eſt inquiunt, principatus. Quin varia Ægypti regna tum erant. At unum erat ætate Moſis. Numeri ergo eſt enallage ib. l. 18 & 40

Ranas proceriſſimas Pharaonis palatio fuiſſe deſtinatas, quam inepte probent Hebræi pag 658. l. 15.

Ranas Judæi nugantur in intima hominum corpora penetraſſe, aut in iis fuiſſe productas p. 658 l. 58. Et Pharaonem primum ſic fuiſſe multatum, ibid. l. 73.

Cum *ſuper verbum ranarum* Moſes ad Deum clamâſſe dicitur, Exod. 8. 12. Hebræi intelligunt propter ranarum vocem quæ in Ægyptiorum ventre coaxaverint p.665. l. 17. & 53

Rana vaſtavit eos Pſ. 78. 45. Id eſt corrupit quicquid eorum erat, p.668. l. 10. At Hebræis *vaſtavit*, id eſt caſtravit, quod ex Levit. 22. 25. inepte probant. Refelluntur p.668. l.27

Plagæ ranarum cum Ægyptiorum peccatis analogia p.661. l.7. Eadem plaga quam fuerit gravis ibid. l. 5. Nullum eſſe ſenſuum corporis cui non fuerit moleſta, ibid. Hujus elegans ex Philone & Joſepho deſcriptio ibid. l 26. & 33

Ranarum plagæ alibi ſimiles, in Gallia, Thracia, Pœonia & Dardania. Et locorum incolæ a ranis pulſi p.539. l. 29. & 38. & pag. 661. l.64. 67. 72 Phanias & Ælianus qui id referunt emendati p.662. l.25. & 61.

An veras ranas Magi produxerint p.662. l.74. Eos malum quod avertere debuerant in majus auxiſſe p.663. l. 16,

In plaga ranarum cur ad Deum confugerit Pharao p.663. l.45. Quid hæc Moſis ad eum verba ſignificent Exod. 8. 9 *Gloriare ſupra me, quando precabor pro te* pag. 663. l.57. Cur temporis optionem Pharaoni dederit Moſes p.644. l. 24. Cur liberationem petat Pharao, non in præſens, ſed in craſtinum ibid. l. 49. Quomodo Moſes miraculum Pharaoni certo promiſerit Deo non prius conſulto p.665. l.12.

An ranas Deus fulmine ſubegerit, ut vult Alcimus p.666. l.19.

Cur ranas ſuper terram mortuas Deus jacere voluerit p.666. l.50

Ranarum acervi juxta Hebræos quot fuerint p.667. l.7.

In ranis multa odioſa p.670. l.41

Ranæ Poetis loquaces, loquuleæ, & in Cicerone *ἀνηρεσίωπ* p.665. l. 72. Arabibus diſertæ p. 666. l. 12.

Poetæ à Patribus cum ranis collati propter inanem loquacitatem p.671. l.41

Ranæ convitiari videntur, quia radunt aures mordaci quâdam vocis acrimoniâ p.670. l.70. Convitia ranæ, ib. l.74. Ulubrenſes ranunculi p. 671. l. 1. Lycii cur in ranas à Latona mutati pagin. 671. l. 2. Plutarchum hanc fabulam ignoraſſe ibid. l. 21

Ranis vox rudis & incondita. Itaque ranis conferuntur clamoſi, obſtreperi, &c. p.670. l.42

Ranis ſimiles tres impuri ſpiritus Apoc. 16. 13. p.670 l. 36.

Ranis hæretici & ſophiſtæ ſimiles p.671. l.54

Ranæ ſuperbiæ ſymbolum, propter inflatas buccas p.672. l.32.

Ranæ cur *πηφυσίδης*, ibid. l.35. Fabula de rana & bove ibid. l.40

Rana propter oculos ſanguineos impudentiæ ſymbolum p.672. l.20

Ranis ſimiles qui perpetuo potu ſe ingurgitant p.672. l.13.

Ranis ſimiles impii, qui in peccatorum ſordibus tanquam in luto permanent p.672. l.60

Ranis ſimiles monachi boni & mali, apud Epiphanium p.672. l.4

Ranæ ultra ſolitum vocales tempeſtatem præſagiunt p. 672. l.60.

Ranæ numeroſæ peſtem afferunt p.672. l.64

Refractarium humerum habere Nehem. 9. 29. & Zachar. 7. 11. A bobus ſumptum, qui jugo obnituntur p.551. l.6. cur boves ſint refractarii ibid. l. 10.

Renes & cor in Scriptura ſæpe junguntur, ut cogitationum propriæ ſedes p. 114. l.68

Renuita, vide *Παρεισρέοντες*

Repetitio ejuſdem vocis multitudinem ſignificat. Sic *in acervos, acervos*, id eſt in multos acervos p.666. l. 69.

Rhizophagi per culices è regione ſua pulſi, ut prope Mæandrum Myuſii, & infra Pergamum Atarnitæ p.567. l.34

Rhodanus, vide *Eridanus*.

Rubecula, vide *Cuculus*.

Rubinus Arab. ياقوت *Jakuth*, tanquam hyacinthinus p.729. l.26

Rubor in facie non eſt color bene ſe habentis, ſed ægri potius aut ebrioſi p.695. l.61

Ad rubrum pertinet Hebræum אדם cum albo opponitur, non item cum illi jungitur ut color ſimilis p.694 l.28

Ruch avis in ultimo oriente ultra anni Soliſque vias, cujus alæ ſingulæ patent decem cubitorum millibus. Reliqua vide p.854. l.5. Et quanto ſit modeſtior Paulus Venetus ibid. l.50

Ruticilla, vide *Cuculus*

Ricini deſcriptio ex Plinio p.578. l.63

Ῥόμαξ, ligni vermis p.627. l.1

Sabbelul שבלול vocem Hebræam Pſal. 58. 9. varii varie explicant, ceram, vermem, ſecundinas, limacem, fluentum aquæ. Nos limacem præferimus, cum libro *Bereſchith Rabba*, cujus verba emendantur p.646. l 17. & 58

Sabbelul eſſe limacem probatur ex Talmude p. 648. l. 20. Cur vocetur *ſabbelul* conjectura duplex pag.639. l.39. & 45. Aliæ interpretationes refelluntur p.650. l 4

Sabbelul cur Symmachus *ſecundinas*, & Aquila *vermem* reddiderit p 650. l.23. 24

Sacal olim electrum Ægyptiis, hodie *ſackel* p. 869. l. 20.

Sacri proprie dicti deſcriptio ex Arabibus p. 268. l. 41.

Sacer pro ave Latina vox non eſt, ſed Arabica. Nempe Arabes eam avem ita nuncupant à præſtantia viſus p.267. l.53

Sacer in capreas & grues involat p. 268. l.56. & 60. Hujus aucupii quis fuerit primus autor inter Arabes ib. l.63

Sacer ſe habet ad alias aves rapaces ut mulus ad reliqua jumenta p.268. l.41

Sacrum in gruem tanto majorem inſilire quam mirabile p.268. l.60

Sacrorum in capream involantium, & eam detinentium donec in venatorum manus incidat venatio quam mirabilis p.268 l.56

Sacrorum ſpecies apud Arabes p.267. l.65

Σαχχάρης hariolus Babyloniis apud Jamblichum, quomodo Chaldaice ſcribatur p.384. l 3. & 24

In ſacrificio Abrahami myſteria longe petita, pag.25. l.70.

In ſacrificiis exultatio p.471. l.20

Sad hazar aut *ſad hazag* potius, id eſt *modulatus cantus* fera fabuloſa in Alkazuinio, cornu concavum habens in ramos LXXII. diviſum, per quos ſpiritum ducens, mirabilem edit concentum p.847. l.30

Sabin, vide Falco

Sagittæ, *filia arcus*, *filia pharetræ*, *filia mortis* p. 785. l. 28.

Sal datus pro ſtipendio, unde *ſalarii* vocabulum p. 40. l.53.

Salis uſus & elogium p. 40. l.26

Sal *alkali* dictum ex cicere elici, quod naturâ ſalſum eſt, hoc Joſephum latuiſſe p.50. l.58. & 61

Salamandra Chaldæo interpreti muris ſpecies p. 824 l. 30. Illam generari ajunt in vitri fornacibus, cum arſerunt per ſeptem annos, p. 824. l.30. Addunt myrtea ligna in ignem eſſe conjicienda, quæ per Magos accendantur ibid. l.33

Salices torrentis; id eſt Nili p. 764. l.16. Nilus cur dicatur *torrens* & *Διιπετής*, ibid. l 39. & 48. Nilum non aliunde augeri quam ex æſtivis imbribus ib l. 63.

Samaritani in ipſum Moſis textum multa de ſuo intruſerunt p.659. l 31

Samir שמיר vermis cujus tactu lapides findi & diſſilire crediti, cujus operâ, ſi credimus, Moſes Ephodi gemmas & tabulas Legis, Solomon templi lapides aptavit & dedolavit p. 841. l. 28. 32. Fons erroris p.842. l.12

Samir fuit una è decem rebus quas ſtatim initio Deus veſpera Sabbathi creavit p 841. l.35

Samir vermis in arca plumbea ſervatus eſt uſque ad templi deſolationem p.841. l.37

Samir vermis ab Aſmodæo rege dæmonum, vel ab upupa vel ab aquila ex horto Edenis Solomoni allatus p.841. l.40. 43. 56

Samir barbari ſcriptores *thamur* vocant & à ſtruthione allatum ſcribunt p.841. l.67

Samir שמיר in Scriptura non eſt vermis, ut nugatores volunt, nec adamas ut ſtatuit vulgus interpretum, ſed lapis *σμίρις* vel *σμύριος*, quo veteres uſi ſunt ad gemmas expoliendas, quod probatur contra Cardanum p. 842. l. 28. In ſagittis Æthiopum idem lapis pro ferro fuit, iſque veneno tinctus, ib. l.46. Quale ſit illud venenum, ib. l.66. Cur fingatur *Samir* ab upupa fuiſſe allatus p 841. l.3

Sandal סנדל Chaldæis vox *πελάγιος* pag. 701. l.62.

Sanguiſuga olim *hirudo* quaſi hiludo, ut *ἱρώδιος* pro *ἑλώδιος* à paludoſis locis. Græce *βδέλλα* ἀπὸ τοῦ *βδάλλειν* ab exſugendo Arabice علاقة *alaka*, quia علق *alaka* verbum pendere ſignificat, & à corpore pendet ſanguiſuga, ut ſanguinem exſugat p.796. l.60. & p.797. l. 2.

Ut ſanguiſugæ in circuitum ambulare dicuntur impii Pſ. 12. 9. in Chaldæa paraphraſi. Quia ſanguiſugæ greſſus ſpecies eſt volutationis, unde Græce dicitur *ἰλυσπᾶσθαι*. In Davide tamen nihil habetur de ſanguiſuga. Sed docetur quid Chaldæum fefellerit p 798. l.11

Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ, quæ dicunt, affer, affer. Ita interpretes Prov. 30. 15. p.799. l 30. At ſanguiſuga non habet filias, quia non generat. Duæ illæ filiæ Mercero ſunt duo linguæ ſegmenta, quam in ſanguiſuga biſurcatam eſſe vult. Quod abſurdum eſt, cum ſanguiſuga nullum habeat linguæ veſtigium, ibid. l.45. Alii diſputant an hæc Solomonis verba cum antecedentibus aut cum ſequentibus jungenda ſint; Et neutris ſuccedit ſatis, p.799. l 54. Græcus, Syrus & Arabs cur ſanguiſugæ tres filias pro duabus aſſignent p. 800. l.37. Sanguiſuga Hebr. עלקה *alaka* dicitur. Sed in Solomone eſt עלוקה *aluka* non *alaka*. *Aluka* autem aliud ſignificat, id ſcilicet quod Dei decreto unicuique appenſum eſt, ut Sap. 11. 21. & in Daniele *Mene thekel*, &c. Sic lances in manu Jovis apud Poetas, pag. 800. l.43. Hoc Dei decretum parit Sophon. 2. 2. Et duas habet filias, nempe foſſam & שאול *ſeol*, quarum una corpus, altera animam appetit. Aut paradiſum & gehennam, unum piis, alterum impiis. Hujus expoſitionis veſtigia in Midras. Mercerus rurſus notatus p.801. l.61

Saphon non eſt conchylium ut volunt pag. 732. l.59.

Sapphirus, chryſolithus, jaſpis, cryſtallus, beryllus & adamas cur reddantur per Arabicum مها *maha* p.874. l.8. &c.

Sarabaita, vide *Παρεισρέοντες*.

Saracenicæ arboris lachrymam eſſe bdellium ſcribit Dioſcorides, quod Marcello ſuſpectum, quia Dioſcoridis ævo nulli fuere Saraceni. Horum tamen meminit Plinius Dioſcoridi fere æqualis, & qui utroque creditur eſſe antiquior Jeroſolymitanus interpres p.808. l.18

Sarais fera in terra Cabul vorat animalia vocis ſuæ modulatione allecta p.847. l.23

Sarda Solino gemmarum viliſſima, cum Plinius utiliſſimam dixerit p.697. l.67

De ſardæ pretio multa, & de pretio ſardonychis, quæ ſardæ ſpecies nonnullis p.698. l.5

Sardi lapides viliores plus centum cenſet Plinius p.698. l.2.
Σαρδίω πολυτελὴς Prov, 31. 12. p 698. l.45
Sardius neque à Sardibus, neque à Sardinia dictus, ſed ab Hebræorum סרד ſered, quæ fabrorum eſt rubrica p.696. l.60
Sardius lapis ruber p.696 l.34
Sardius in Exodo & Ezekiele lapidum duodecim primus p.698. l.47
Sardius lapis à Theophraſto cenſetur in rariſſimis p.698. l.50.
Sardii ruborem Bootius negat quicquam habere commune cum rubore carnis p. 697. l. 26. cum tamen inde carneolum vocent (corrupte corneolum, Gall. cornaline) quod carnis colorem proxime referat p.697. l.35
Per Sardium Apoc. 4. 3. veteres ultimi judicii ignem intelligunt p.698. l.52
Sardonyx Indiæ mons p.700. l,69
Sardonyx lapis pretioſiſſimus Job, 28. 16. pag. 701. l. 21.
Sardonyches in Drimylo monte prope Euphratem p.700, l.40.
Sardonyches in Arabia p.701. l.38
Sardonyches duo in Aaronis humerali p.698. l,74
Sardonyx in corona regis Ammonitarum p.699. l.11. De eâdem coronâ Hebræorum commentum ib. l. 40.
Sardonyches in pretio Romæ & in Syris p.700. l. 7. & 30.
Sardonyche Romanorum primus uſus eſt Scipio Africanus. Inde Romæ hæc gemma cœpit exquiri p.700. l,8
Sardonyches Claudii Cæſaris p.700. l.7
Sardonyches Chald. סנדלכין ſandalchin p. 701. l. 27
Saſem apud Arabes lignum inſtar ebeni. Ut in Dioſcoride & Arriano τὰ σπαράμενα ξύλα, quæ lectio ſuſpecta eſſe non debuit, & multo minus mutari p. 144. l.12 25. 34.
Sata non ſolum ex pluviis, ſed etiam ex nimio æſtu putreſcere, aut vaneſcere verius p.472. l 20
De Satyro qui Antonio apparuit judicium pag. 829. l. 45.
Scarabæus è ligno clamavit Habac, 2. 11. id eſt Chriſtus è cruce ut quidam volunt p.613. l,10. Scarabæus Græce eſt κάνθαρος, quod ibi loci alii aliter reddunt, ibid. l. 46. Sed Hebraice eſt כפיס. quâ voce ſignificari laterem ſeſquipalmo longum probatur ex Talmude. Neque aliud quærendum, cum ea notio ſit maxime ad rem p.614. l.27
Σκῆνος tabernaculum pro corpore in Nicandro, ut in Paulo p.503. l.51
Scin Hebræum Arabes in thſe mutant p.584. l.58
Scitta urbs Græce dicta Scythopolis, tanquam à Scythis p.501. l.50
Scnipes ſeu ſciniphes à Patribus ita deſcribi ut videantur potius ἐμπίδες intelligi, ſeu paluſtres culices p.573. l.10
Σκνῖπες in Græca verſione pro Hebr. כנים kinnim, in Galeno pro ἶπες, qui ſunt vermes vitibus infeſti p. 571. l.32. & 48. vide Κνῖπες.
Σκώληξ ἀπὸ τοῦ σκάλλειν, unde σκάλλεται p.619. l 54
Σκορακίζειν ad corvos amandare, eſt alicui imprecari ut in ſolitudinem relegetur pag. 100. l 23. Quid proprie ſit σκορακίζειν in ſacris Scriptoribus p.202. l.22. & 27.
Σκορπιανοὶ qui Stephano p.642. l.44. Παρθιανοὶ potius, ibid. l.46
Σκόρπιος Græcamne habeat originem aut Hebraicam p.634. l.6. & 15
Scorpionis deſcriptio p.634. l.4
Scorpii terræ opponuntur volucribus de quibus multa p.634. l.58. Eſt & marinus ſcorpio p.635. l.41. Itaque qui preſſius loquuntur ſcorpionem terreſtrem dicunt, non ſcorpionem ſimpliciter p. 634. l. 50.
Scorpionem Poetæ à cauda maxime deſcribunt, in qua venenum & aculeus p.636. l.11
Scorpionis cauda πολυσφόνδυλος p. 636. l. 35. Avicenna ſex vertebras illi tribuit, ibid. l. 39. Alii ſeptem ibid. l, 56. Quæ Arab. خرزات p. 637. l. 3. Et Talmudicis חוליות, de qua voce diſputatur p.636. l 66. At Nicandro ſcorpionis σφονδύλοις ἐννεάδεσμος, id eſt πολύδεσμος, non præciſe novem p.637. l.9
Scorpiones ſæpe δίκεντροι p.637. l.47. Aculeus tenui fiſtula perforatus, ib. l.63. Quæ Nicandro διπλόος & quorſum p.638. l.5. Foramen non videtur, ib. l 17. Galenus ullum eſſe negat, ibid. l.28. Tam tenui aculeo maximas belluas interimunt p.638. l. 40.
Scorpio hyeme torpet, æſtivis menſibus caudam erigit p,640. l.47
Scorpionis cauda ſemper erecta eſt, & in ictum intenta p.638. l.50
Ex ſcorpionis puncturâ qualis dolor p.639. l.56. De eo plura ex Patribus, medicis & Poetis p 639. l.61 & p.640. l. 6. & 17.
A ſcorpionibus & ſolpugis vel phalangiis gens deleta p. 540. l.22
Scorpiones cum ſerpentibus Scriptura ſæpe jungit, & multi ſcorpiones in ſerpentum genere ponunt p.640. l.64.
Scorpione odioſior, Arabum proverbium p.642. l.30
Scorpiones voce DUO cohiberi, & ſerpentes voce OS vel OSO, p.388. l. 27. An quia ſerpentum ſibilum imitatur ib, l.33
Scorpio pro ovo Luc. 11. 12. quia ſcorpio magnus & albus, quales in Judæa ovis ſimiles p.636. l. 4. & p.641. l.11.
A ſcorpionibus loca dicta, aut iis infeſta maxime p.641. l.35.
Scorpiones prope Sabazur vel Sabarux in Aderbigian, quæ olim Atropatia p. 641. l.71. & p.642. l. 23.
Scorpiones ex crocodilo naſci, ut veſpas ex equo p. 543. l.37.
Cum ſcorpionibus habitas Ezek, 2. 6. id eſt cum hominibus ſævis & truculentis pag. 642. l 56. Uſitata phraſis, ibid. l.65
Scorpionum nomine Apoc. 9. 3. 10. Patrum alii dæmones, alii hæreticos intelligunt p.643. l. 24 & 43. Ignatii de eo locus emendatus ib. l. 45. Etiam ad dæmones referunt poteſtatem datam Apoſtolis calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, ib. l.62. Quod tamen ad literam poſſe ſumi probatur ex Marc, 16. 18. & Act. 28. 5. p.644. l.6
Scorpio machinæ bellicæ genus p.645. l, 17. An eâ lapides vel ſpicula conjiciantur p.645. l.21. 29. 38. 39. 50.
Scorpiones flagri genus 1. Reg. 12. 11. Μάραγνα Syro & Chaldæo p.644. l.36, & 52
Σκορπιοφόρος regio in Aſiâ p.642. l.50
Scriptores ſacros multa obiter referre circumſtantiis plane ſuppreſſis, quod exemplis probatur p.538. l.69.
Selenites lapis (qui hodie talchus Arabicâ voce vocatur) perfecte pellucidus p,692. l.25
Semenda avis in India pro Phœnice habita à Cardano & Scaligero p. 822. l. 54. Eadem Arab. Semend, ſendal, ſemendal, ſemendar, quam ajunt in igne non comburi, & ex ejus plumis fieri telam asbeſton pag. 862. l. 67. Phœnicem non intelligi, ſed ſalamandram, de qua hoc idem alii tradunt p. 823. l.26. Phile etiam ſalamandræ alas tribuit, ib. l.59. Variæ Arabum & Hebræorum de ea ſententiæ, ibid. l. ult. Ezechias ſalamandrâ unctus ignem evaſit p.824 l.48
Seminum in Maimonide tres ſpecies p.50. l.3
Semiramis an dicta ex זמיר zamir ſeu cantu avium, ut vult R. Azarias pag. 4. l 72. Vera vocis origo p. 7. l. 36.
Semiramis multo recentior quam putatur p.7. l.54
Semiramis in columbam mutata p.5. l.27
Senad, fera Indica ſtaturæ inter bovem & elephantem mediæ, cujus catulos paſci fabulantur capite è vulva matris exerto: Et quamprimum invaluerunt fugam capeſſere, ne mater luctu linguæ, quæ limâ quavis aſperior eſt, carnem divellat ab oſſibus p 847. l.14
Senagia, vaſtum animal in terra Thebeth, cui natura eſt Gorgonum. Moritur enim quiſquis illud prior viderit p,846. l.18
Senes compellat Joel qui ætatis beneficio plura viderant & audiverant p.464. l,64
Sephiphon dubitatur quod ſit animal in his Jacobi Gen. 49. 17. Dan ut ſephiphon שפיפן ſuper ſemitam, qui mordet talces equi, & ſeſſor cadit retrorſum Hebræi quidem omnes ſerpentem eſſe intelligunt, ſed ſpeciem prorſus ignorant. Arab. سف ſuphon vel ſipphon ſerpens eſt nigro & albo diſtinctus hominum infenſiſſimus, fortaſſe hæmorrhous, p. 416. l, 69. Hieronymo ſephiphon eſt ceraſtes, qui in arenis & rotarum orbitis viatoribus inſidiatur. Morſus ejus hominibus & brutis eſt lethifer, nec facile vitatur, quia eſt arenæ concolor. Ita etiam uterque Arabs p.417. l.28. Nobis ſephiphon tam ceraſtem quam hæmorrhoum ſonat, qui ſunt formâ tam ſimiles ut hæmorrhous pro ceraſtis ſpecie poſſit haberi p.418. l,55. Et utriſque communis eſt flexuoſus inceſſus, quia ſpinam oſſeam non habent, ſed cartilagineam, & utrimque flexilem, Hinc utrumque claudicare ait Nicander, Eo pertinet nomen ſephiphon, quod claudum ſignificat p.419. l.6
De ſephiphon quicquid dicitur Hebræi ad Samſonem referunt, cum ad totam Danitarum tribum pertineat, quæ potius aſtu quam aperto Marte res geſſit. Neque id in bello illicitum, p 420. l. 1. Alii eadem hæc verba, & ad Samſonem Chriſti typum, & ad Antichriſtum accommodant, quæ videntur ἀνόητα p 420. l,49
Per Septentrionalem Joel, 2, 20. nec Aſſyrios nec Romanos ſignificari, ſed locuſtas ad Aquilonem urbis in Arabiam Deſertam & utrumque mare impellendas p.480. l.43. &c.
Serpentum ſtridulorum & ſurdorum morſum nulla arte curari docent Arabes, in quo cenſu numerant baſiliſcos, aſpides, ceraſtas, hydros, cherſydros p.392. l.27.
Serpentes ex virgultis & ſarmentis ſæpe erumpunt, & calore vel recreati vel irritati mordent p. 369. l. 1.
Serpentis varii ſeu maculoſi multæ ſpecies apud Arabes p.395. l.43
Hebræa ſerpentum nomina p.357. l.8
Serpentum in Scriptura variæ ſpecies, acontias ſeu jaculus p.408. l.54. aſpis p.379. l.28. & 380, l.72. cenchrines pag. 376. l, 22. ceraſtes pag. 415. l.43. dipſas juxta Hieronymum qui refellitur pag. 397. l. 51. draco p.428. l.67. hæmorrhous p.418. l.63. hydrus ſeu cherſydrus pag. 423. l 20. regulus ſeu baſiliſcus p.399. l.35. ſerpens niger p.326. l.70. vipera p.360. l.16
Serpens τὸ γῆρας id eſt ſenectam exuit pag. 166, l. 25.
Serpens φρόνιμος p.20. l.1
Serpens in genere regis ſymbolum, ſed præcipue regulus ſeu baſiliſcus p 406. l.1
Serpentes & ſcorpiones cur Chriſtus vocet vim inimici ſeu diaboli p.644. l.30
Serpentes Neuris, Amyclis, Rhodo, Chio, Teno & Salamini infeſti p.540. l.11
Serpens incantationi cur maxime obnoxius p. 386. l. 6. Hoc faſcini genere infames Marſi, Pſylli, Ægyptii, Melindenſes, Nigritæ, Peruani, Indi, ib. l.11. &c. Incantationis genus antiquiſſimum, ibid, l.54. Orpheus eo uſus, quod probat fabula vetus de Eurydice, & ipſius verba ad quæ Paulus alluſit, ibid. l. 56. Medea etiam & Jaſon pag 387. l.6. Alia de eodem faſcino ex Platone, Ariſtotele, Nearcho, Theophraſto, Antigono, ibid. l.17. Hujus faſcini multa genera ib. l.30
Serpentes ſola manu & tactu quidam faſcinant p. 387. l. 30. Ab aliis orbis deſcriptus, medicamina adhibita & barbara verba, loca ſulphure & igne luſtrata, laminæ, lapides, ligna peregrina, figuræ Taliſmanicæ ib. l,42
Serpentes præcipue cantu & carminibus faſcinari, quæ Hebræi לחשים. id eſt ſuſurros aut muſſitationes vocant, quia Magi cantus ſuos ſolent inter labia demurmurare pag. 388. l. 41. Hinc Pſaltes aſpidem dicit aurem obturare, ne audiat vocem מלחשים muſſitantium ibid. l. 45.
Serpentes cantu Magico creduntur è cavernis elici & evocari p.388. l.48. fugari, pag.389. l.28. Siſti, deliniri, ſtupefieri. ibid. l. 33. A veneno expurgari, ne morſu noceant, ibid. l. 73. Etiam ii ſanari quos morſu aut tactu læſit ſerpens p. 390. l 19 Serpentes denique rumpi, ita ut medii crepent ib. l. 32.
Serpentes qui cantu ſuo evocat Hebraice חובר chober, id eſt conſociator dicitur, quia evocatus in unum congregat & conſociat pag. 389. l. 9.
Serpens ſi recanat, aut ad cantum obſurdeſcat, Mago creditur creare periculum p.390. l.70. & p.391. l. 41.
Serpens qui ἀντᾴδει ſeu recanit Arab. سل ſillon dicitur, id eſt ſtridulus. Surdus أصم aſamme, non quod revera ſit ſurdus, aut quod aurem obruret, ſed quia cantu non magis afficitur quam ſi ſurdus eſſet p.391. l.6. & 13
Serpentes quoſdam non poſſe incantari multi colligunt ex Pſ. 58. 5. 6, Eccleſ 10. 11. & Jerem. 8, 17. Scriptura tamen nuſquam diſerte docet ſerpentum ullam eſſe ſpeciem in quam incantatio nihil poſſit p.394 l.17
Serpentes nigri plurimi ſunt; ſed unus imprimis quem Arabes vocant ſerpentem nigrum, à quo quendam narrant per Jeſum Chriſtum fuiſſe miraculoſe ſervatum pag. 378. l, 38, vide Leonis nomen &c.

Serpens æneus in quorum gratiam erectus pag. 425. l.47. & 55. Idem ſerpens Chriſti typus, 1. Serpentis figuram habuit non venenum. 2. Æræus non aureus. 3. Ex metallo firmiſſimo. 4. Et maxime ſonoro. 5. In altum ſubvectus, זקף quod & crucifixum ſonat. 6. Solo aſpectu ſanavit, quæ omnia in Chriſtum quadrant, ibid. l. 59. Veritas ſupra figuram p.427. l.8. Serpens erectus in loco *Phunon* dicto, ubi æris fodinæ, ex quo ſerpens conflatus, & quorſum, ibid. l.43. & p.428. l. 11.

Serpens Dei thronum ambiens, cui ſunt alarum ſeptuaginta millia p.855. l 62

Serpens antiquus, vide *Diabolus*.

Serra piſcis ſerram habens a capite ad caudam exporrectam & in capite duo oſſa quibus remigat p.864. l.42.

Sexus in caprifico, ficu & palma obſervatur p. 569. l. 46.

Sibbota שבוטא Chald. & شبوط *ſabut* Arab. piſcis, nonnullis ſilurus eſt p.752. l.48. aliis coltas, aliis thynnus, aliis ſcorpio, ibid. l.64. Nobis λάβραξ ſeu lupus, quia deſcribitur mugili ſimilis, retia lacerat, cerebrum habet eximii ſaporis. Et alludit ad Hebr. שבץ, id eſt varios colores intexere. A quibus hic piſcis *varolo* Italice dicitur & Gallice *bar*, quaſi *varium* aut *variolum* dicas, p.753. l.1

Σίγμα quorſum vocetur litera Ͽηϱιαῖδος p.371. l.32

Signi nomen inditum rei ſignificatæ, & contra p.182. l. 51.

Silurus, Tobiæ piſcis, qui edulis eſt, magnæ molis, robore & audaciâ inſignis, anthropophagus, &c. p. 749. l.68.

Silurus à barbatis Solaris appellatur, tanquam à Sole facto nomine, cum σίλουϱος ſit idem quod ψίλουϱος, σ & ψ permutatis ut paſſim p.752. l.30. & 44.

Silurus glanidi eſt ſimilis p.750. l.51

Silurus eſt in Euphrate, adeoque in Tigri pag.750. l. 64.

Silurus branchiâ potuit attrahi p 751. l.3

Silurus Judæis quidem immundus eſt, æque ac callionymus p.751. l.19. Sed aliis cibi penuria eſt licitus ibid. l.22

Siluri fel ad oculorum albugines extergendas eſt utile p 751. l.37. *Sillurarium* Vegetio ibid. l.39

Silurus Arabice male redditur الجري *algiri*, id eſt anguilla. p.752. l.1

Silurus in quodcunque animal graſſatur, etiam in homines p.750. l.19

Silurus in viaticum potuit ſale condiri p.751. l.14

Silybum vel ſillybum in Dioſcoride & Plinio quid ſit, & quomodo Chaldaice & Arabice dicatur, p.606. l.12 23. 30.

Simplicitas & prudentia non ſunt ſynonyma Matth. 10. 16. ut vult Tzetzes, ſed oppoſita p.19. l.51

Sir Avicennæ draco, ut Iſidoro & Eucherio Sirenæ ſunt dracones, aut ſerpentes cum aliis pag. 419. l. 67.

Sirenes à cantu dictæ, Hebræis enim שיר *ſir* eſt cantio p.830. l.6

Sirenes Græci interpretes uſurpant pro Hebræis draconum & ſtruthionum nominibus, quâ de cauſâ nullus capio. Quia hæ Sirenes cum Poeticis vix quicquam commune habent. Poeticæ enim fabuloſæ ſunt, ad maris littus, & blandâ voce viatores detinent. Dracones & ſtruthiones vera animalia, & in intimis deſertis. Et pro cantu draconi eſt horrendus ſibilus, ſtruthioni aſpera vox & incondita p.830. l.30

Siti quid ſint & unde dicti p.594. l.57. & p.595. l.4

Sirikrak شرقرق Arabibus, שרקרקא *ſerakreka* Chald. Nonnullis Arabum *ſikirrak* & *ſiriſak* (in Haithone Armeno *Seccerak*) avis à voce ſua ſic dicta, quia ubicunque ſedet, ingeminat ſuum *ſerakrak*. Ita Arabes, ſed Hebræi à ſibilo vocari aſſerunt, quia שרק *ſarak* eſt ſibilare, & frequentem hujus avis ſibilum cenſent inter proxime venturi Meſſiæ præſagia. Hinc Talmudici in *Cholin*, *cum in terra ſedebit ſibilans* (id eſt avis *ſerakreka*) *veniet Meſſias*, *ut dicitur Zachar.* 10. 8. *Sibilabo ad eos, & congregabo eos*, p.297. l.67. Judæi Germaniæ *picam* interpretantur, quæ Græcis recentioribus eſt κιϱάκαξα p. 298. l.12. Sed Arabibus hæc avis eſt corvi ſpecies, viridis, elegans, magnitudinis columbæ. Viride ejus pulchrum & ſaturum. Aliis nigra eſt, aut rubro & albo diſtincta. Roſtro rubro, quandoque etiam flavo. Apibus infeſta. A coitu multum abſtinens. Furax. Querula & clamoſa. Ita ut ſi alia avis prope accedat, eâ verberatâ clamet, quaſi ipſa vapulaſſet. Tam hyberna quam æſtiva. Ab omni hominum conſortio remotiſſima. Nido ſumme fœtida. Eſum Arabum alii concedunt, alii vetant, propter fœditatem ejus. Illam Hebræi boni ominis eſſe volunt, & pluviæ prænuntiam, ſed Arabes inauſpicatam. Aurum illius felle affuſo gravius fieri traditur. Cum ad Caucaſias portas (hodie *Derbend*) hæ aves turmatim volant, hoſtes inſtare ſignificant. Itaque loci cuſtodes ad defenſionem ſe parant p 298. 299. & 300

Sis סיס pleriq; recentiorum Hebræos ſequuti gruem exponunt pag. 60. l. 5. Et Symmachus *cicadam* magno errore, ibid. l.21. Cum ſit *hirundo*, ut recte reddiderant Seniores, Theodotio, Hieronymus, Arabs, Symmachus quoque uno in loco pag. 60. l. 41. Neque aliter Jonathan & Syrus, quamvis vocum ordo præpoſterus lectoribus impoſuerit p.62. l.29. Nempe Hebr. *ſis* hirundinis ſuſurros tam imitatur quam Italica *ziſilla* & *ziſillare*, & Latinum *zinzilulare* p.62. l.51

Sis lignum ebeno ſimile ut *ſaſem* ſeu σησάμινον ξύλον p.144. l.9. 24. 34.

Σμίϱις vel σμιϱίτης, lapis qui Hebr. שמיר *ſamir* p.781. l.17. &c.

Solpuga, ſolipuga, ſoliſuga, ſalpuga, phalangii genus mediæ formæ inter formicam & araneam p.540. l. 52.

Sorek vallis prope Askalonem ubi vinum eximium. Inde allata eſt uva illa mirabilis p.725 l.37

Σοῦχος, id eſt κολυμβητὴς natator vel urinator, unum è vetuſtis crocodili nominibus apud Ægyptios in Strabone & Damaſcio p.795. l.53

Sparverius, vide Fringillarius.

Spectris noctu maxime locus eſt. Unde Pſ. 91. *Non timebis à pavore nocturno.* Hinc לילית *Lilith* Hebr. muliebre ſpectrum, & לילין *lilin* Chald. lemures à noctu nomen habent. Et Furiæ noctis filiæ. Strix νυκτιπόμα, νυκτοϐία, &c. p.832. l 34

Σφηκεία Cyprus olim dicta p.543. l.31

Σφηκίας ἐϱεθίζειν irritare crabrones pag. 534. l.65. & p. 543. l.10.

Σφήκισκοι, σφηκώδεις & διασφαγὴ quid ſint pag.537. l. 43.

Σφηκῶν δϱιμύτεϱοι veſpis aſperiores, Proverb. p. 542. l. 63.

Σπίζαι fringillæ. Item aviculæ quævis, *paſſa* p.147. l. 10.

Spina חוח pro hamo p.772. l.10. Voces aliæ ſimiles l. 12.

Squatinæ, vide *Galei*.

Starna, id eſt perdicis eſum maxime commendat Razi p.98. l.46

Stellio ſcorpioni viſu pavorem affert, & torporem frigidi ſudoris p 793. l.41

Strix fabuloſum animal pag. 229. l.5. In Gloſſario mendoſe στϱουθὸς redditur p.222. l.55

Striges, noctuas, ululas habent multi interpretes pro Hebræis בנות יענה, quam verſionem Fullerus multis tuetur. pag 220. l 43. Quin בנות יענה ſunt ſtruthiones. Seniores στϱουθοὺς reddunt, id eſt, στϱουθοκαμήλους, non paſſeres ut volunt Novatianus & Fullerus: Multo minus ſtriges quæ nuſquam ſunt p.220. l.70. & p.221. l.8. & 14

Στϱουθία, paſſeres vel aviculæ in Tobia ſunt hirundines p 157. l.34. Sic Arabes hirundinem ad paſſerum genus referunt, & paſſerem paradiſi appellant ib. l.26

Στϱουθίζειν & τϱίζειν quid in Suida p.222. l.31.41

Στϱουθοκάμηλος pro ſtruthione vox eſt Græcâ verſione recentior, quam ante Diodorum & Strabonem nemo uſurpat p.221. l.70

Στϱουθὸς etiam ſine epitheto ſtruthionem ſæpe ſonat p 221. l.32.

Στϱουθοὺς eſſe ſtrigem aut ululam in Græcâ verſione multis contendit Fullerus, ſed iis rationibus quæ nullum momentum habent p.222. l.28

Struthionis Hebræa duo nomina habet Moſes Levit. 11. 16. unum mari proprium תחמס *thachmas*, alterum fœminæ בת היענה *bath hajaana*, quæ mari præfertur propter ova, & quia notior p.231. l.25.

Struthionis ſexus cur diſtinxerit Moſes p.235. l.12

Struthionem marem Hebraice vocari תחמס *thachmas* in Lege, ut Arab. ظليم *dalim*, quæ duæ voces ſunt plane ſynonymæ. Neque enim חמס *chamas* rapere ſignificat ut volunt, ſed impium & iniquum eſſe, ut Arab. ظلم *dalama*. Unde aptiſſimum ſtruthioni nomen inditum, qui pullos ſuos deſerit, quaſi non eſſent ſui Job. 39 19 & Thren. 4. 3. p 232 l.58. &c.

Struthiones fœminæ cur dicantur Hebr. בנות יענה *benoth jaana* id eſt *filiæ clamoris*. Judæorum rationes commentitiæ. Omnes eſſe fœminas p. 229. l. 15. Aut ſolum filias, id eſt pullorum fœminas eſſe edules, ibid. l.20. Aut per filias ova intelligi, ibid. l. 26. Quæ refelluntur, ibid. l. 38 Animalium nominibus filii aut filiæ nomen ſæpe præfigi, ſine reſpectu ad ætatem p.230 l 3

Struthiones fœminas ſignificari per Hebræa יענים *jeenim* aut בנות יענה *benoth jaana*, quaſi clamoſas aves aut clamoris filias dixeris. Sirenes Græci ſæpe reddunt. Et Sirenum nomine Cyrillus ἀηδόνας luſcinias intelligit. Sed legendum ἀλκυόνας *halcyones*, quæ duæ voces à librariis ſæpe confunduntur, p 218. l.33. Halcyon canora eſt avis, littorea, propter nidum à fluctibus abreptum fundens lugubre melos, aut juxta fabulam propter fatum Ceycis conjugis p.219. l.3. Lugubris quoque eſt avis בת יענה *bath jaana* ſeu ſtruthio, ſed in deſertis procul a mari, non littorea ut halcyon. Crudelis item & ἄστοϱγος, cum halcyon conjugem & pullos impenſe amet p.220. l.15

Struthioni fœminæ nomen רננים *renanim* à cantu factum magis convenire quam pavoni pag. 245. l.14.

Struthio Chaldæis, Syris, Arabibus & recentioribus Hebræis *naama* vel *naamith*. Quibus vocibus Orientales paraphraſtæ Hebræum בנות יענה conſtanter reddunt p.223. l.14. & p.224. l.25

Struthio Job. 39. 16. vocibus חסידה *chaſida* & נוצה *notſa* non ſignificatur p.247 l.6. & 25. Supereſt igitur ut deſignetur voce רננים *renanim*, aut plane non nominetur avis quæ tam graphice deſcribitur, quod eſſet abſurdiſſimum ib. l.40

Struthio animal proceriſſimum p.261. l.45

De ſtruthione locus in Jobo obſcuriſſimus explicatur p.247. l.49

Struthionis celeritatem Arabes quibus verbis efferant p.262. l.55

Struthiones alis exultant, quæ mire juvant currentes, tanquam vela in navi p.246. l 21

Struthio quomodo ad curſum ſe incitet p.262. l.63

Struthio equitem ſpernit, non vitium, ut volunt, ſed celeritatis fiduciâ, quâ è conſpectu ſe ſtatim proripit p.262. l 9 14

Struthionem ſi qui equi currentem aſſequantur, ii pauciſſimi ſunt, & immenſi pretii p 262. l. 35.40

Struthio avis Φιλίεϱμος p.226. l.66. Surda p. 217. l.21. Quæ à potu diu abſtinet p.227. l.6. 21. Et in pullos ſuos dura & crudelis eſt ibid. l.35

Struthio quot ova pariat p.258. l.1. & p.260. l 34

Struthio propria ova ſtulte deſerit, ut aliena foveat p.260. l.20.

Struthionem ova ſua deſerere docent Arabes p.251. l 61. Ova deſerta quomodo vocent p.252. l.18. Multa de ejus nido, ibid. l.42. Ova deſerta calefieri, id eſt corrumpi, non foveri, ut volunt p.253. l. 25. Ova in longitudinem diſpoſita quomodo foveat ſtruthio ib. l.50

Struthio in prolem quam durus p.254. l.30

Qui ſtruthionem volunt ovorum partem certo conſilio negligere, refelluntur p.257. l. 3. & p. 258. l. 12.

Præter ſtruthionem avis nulla eſt quæ ova aut pullos ſuos negligat pag. 250. l.45. Idem falſo tradi de cygno, ib. l.47. meleagride, l.57. otide l.67. columbâ p.251. l.32. corvo ib. l.53

Struthio omnia ſine delectu vorat, prunas etiam & ferrum candens p.258. l.17

Struthio quo ſenſu dicatur oblivisci ſapientiæ, p.256. l. 50.

Struthio ſtultiſſimum animal p.258 l.14

Struthio parum habet cerebri, & caput valde exile, quod frequenter agitat p.260. l.41. & 56

Struthio timidiſſimum animal, cur dicatur eſſe abſq; metu, pag. 255. l.31. Timor parentum pro filiis unde oriatur ib. l 52

Struthio cur in ferrum ruat p.256. l.5

Struthio naturaliter ſurdus eſt p.260. l.68. & p.261. l. 3.

Struthio non eſt ἄφωνος, ut Fullero viſum pag. 227. l. 60. Sed acri & aſperâ voce clamat p.228. l.8. & 35.

Struthio Judæis non eſt ignotus, ſed in Syria & Arabia frequens p 228. l.43. & 14

Struthionum pennæ quam elegantes pag. 246. l. 37.

Struthio capite abſcondito putat ſe totum latere p.259. l. 26. quod excuſare Diodorus fruſtra conatur ib. l.57

Struthio quam accedat ad naturam quadrupedum p.248. l.44

Struthio habet ciconiæ pennas p.240. l.18

Struthionis pennæ apud Ægyptios æquitatis ſymbolum, quia maxime æquales p.246. l.47
Struthio quâ arte capiatur p.259. l.74
Struthionis eſus Judæis prohibitus, non præceptus, ut ex Lampridio quidam adſtruunt, p. 224. l.60. In quo inſigne mendum eluitur p.225, l.16
Struthio cur avis immunda, quamvis ab ejus eſu multi non abhorreant p.225, l.52. & p.226. l.7
Strymon Thraciæ fluvius, è quo grues Strymoniæ p.70. l.60.
Sturnum juxta Hebræos avem eſſe corvo congenerem p.353. l.27. Is Hebr. זרזיר zarzir dicitur, ut Arab. زرزور zarzour, quod pro ſturno turdum reddunt Avicennæ interpretes, errore in Hiſpania nato, ubi zarzal eſt turdus p.353. l.55
Succinum à ſucco p.869. l.14
In ſuccino maxime placet color aureus. Proinde χρυσὸν vocatur, χρυσίζον, χρυσοῦ λαμπρὸν pag. 871. l.23. Et electri nomine vocatur auri ſpecies, nempe quæ argentum habet admixtum, ib. l.29 Unde pallere dicitur hoc aurum, ibid. l.53. Tamen in eo ſolum argenti quinta portio, quamvis nonnulli tertiam maline, ibid. l.70. Electrum hoc naturale. Ejus uſus quam antiquus p.872. l.10. Electrum etiam pro cryſtallo ſumptum, quia ambaro eſt ſimile ibid. l.46
Succinum Germanis olim Gleß/ & vitrum Glaß/ ib. l.66.
Succoth benoth 2. Reg. 17.30. Hebræis gallina cum pullis ſuis p.112. l.60. Quin ſuccoth-benoth ſunt tabernacula ſeu ſacella puellarum id eſt Dearum hujus nominis p.113 l.10
Sudania (ſi Arabibus fides) Romæ eſt avis ex ære conflata, arbori æreæ inſidens, quæ cum olivæ maturuerunt, omnes ſudanias ſibilo ſuo evocat, Illæ autem ſtatim advolant undecunque locorum, ſingulæ cum tribus olivis, unde Romani olei exprimunt quantum ſatis eſt in totum annum, p.851. l.31. Sunt qui ſturnos exponant ib. l 40
Suidæ μνημονικὸν σφάλμα. p.65. l.72
Sulpitius Severus Geographiæ quam imperitus p.745. l.8.
Surdi cur dicantur ab Arabibus baſiliſci, aſpides, ceraſtæ, hydri, cherſydri p.392. l.31. & pag.393. l.6. Cur in eoſdem Magi non idem poſſint quod in reliquos ſerpentes p.393. l.22. & p.394. l.1
T & K cognatæ literæ & permutabiles p.739. l.44
Tabanus, vide οἶστρος.
Taira, Cleopatræ illuſtris ancilla, cujus nomen non ſignificat columbam, ut Tzetzi viſum, ſed avem in genere pag. 3. l.30. Male ſcribitur in Galeno Naira & in Plutarcho Iras ib. l.26
Talmudis explicatur & corrigitur locus inſignis de Belo Babylone, Nebo Borſippa, Atergati Hierapoli, Uraniâ Venere Aſcalone, & aquila in Arabia cultis p.163 l.30. Dulkela ſcilicet in Homeritis aquila colebatur, ibid. l.56
Taphnes à Græcis mutatum in Δάφνας, tanquam ἀπὸ τῶν ἐκεῖ φυομένων δαφνῶν, à lauris ibi conſitis p.501. l.53.
Taritha טריתא in Jonathane Deut. 33. 19. non eſt thunnus ut volunt, nec piſciculus ſalitus, ſed quivis piſcis recens neque dum ſalſus, quod ex Arabiſmo probatur p.720. l.21
Tarmes vermis lardi, item abietis p.627. l.13
Tarigas, vide Phaſianus.
Tentyritas crocodilos ultro inſequi, fugienteſque injecto laqueo trahere parum credibile eſt, quamvis Strabo & Plinius ita aſſerant p.774. l.15. & 775. l.40.
Teredo vermis in ligno, proprie in navibus p. 626. l.44. & 59.
Terra lugere, muſtum erubeſcere, oleum languere quomodo dicantur p.470. l.16. His opponuntur lætus ager, læta ſegetes. Unde fimus lætamen, Ital. letame ib. l.24
Terra ſcobe auri & auroſa arenâ ſtrata p.716. l.74
Teſtarum fragmenta impoſita jacentibus ſubſtrata inter tormenta veterum p.786. l. 13. An Leviathan dicatur tale cubilis genus ultro ſibi ſternere Job.41.21. Loci illius nova explicatio l.6. & 24. In Æliano ut in Jobo ipſam crocodili cutem cum teſtis conferri ib. l.35
Τιτρωσκοβόλιδες, vide Locuſtarum Græca nomina.
Thau ſervile quandoque radicalis ſpeciem habet p.620. l.1. & 13.
Θ & Δ permutabilia p.678. l.31
Ex תכליתא thichla vel thachla facta κόχλος & κάχλος p.739. l.44.
Thannin & Leviathan, Hebrææ voces ſynonymæ, primo draconem ſonant, ſecundo cetum, tertio crocodilum p.770. l. 34. Nam ut in Jobo leviathan, ita in Ezekiele thannin pro crocodilo ſumitur c. 29. & 32. ubi Pharao deſcribitur ut magnus thannin in flumine Ægypti degens, qui aquas turbat pedibus ſuis, & ex iis ſubinde aſcendit, ſed hamo tandem capitur, & in ſagenam inducitur, ejuſdem fluvii piſcibus ſquamis ejus agglutinatis p.795. l.11. Quin hæc Prophetæ verba, Pharao, rex Ægypti, magne thannin, ad Pharaonis nomen alludunt quo crocodilus ſignificatur ib. l.34
Θαρὼ inſula in Ptolemæo, forte eadem quæ Baharain, & inſula Tharo dicta pro inſula Dar ſeu margaritarum p.678. l.29
Thecheleth תכלת color à veteribus hyacinthinus dictus, non à materia, ſed à colore p.736. l.50
Thecheleth תכלת Hebr. color cœlo & mari ſimilis p.731. l.21. Kimchius exponit Azurum tranſmarinum l.40. In Aben-Ezra R. Japheth à תכלית thachlith ſeu perfectione deducit, ibid l.42. Arabes cœleſtem reddunt, l. 53. Græci ſemel purpuram: Alibi ſemper hyacinthum, aut hyacinthinum colorem p.728. l.24. Ita etiam omnes veteres ib. l.27
In Theodoreto lapſus interpretis p.13. l.30
Thogarma cur Barbariam reddat Jeroſolymitanus interpres p.130. l.67
Thorim תורים Cant. 1. 10. non ſunt turtures ut Græci volunt, ſed gemmarum ordines, ut טורים turim per teth p.57. l.44. Gemmæ in genis, id eſt in mitrarum faſciis l.58
Θρὶψ ligni vermis, à quo ligna eroſa pro ſigillo apud Lacones p.626. l.64
Θυλακοτρὼξ locuſtæ ſpecies in Heſychio pag. 450. l.46.
Tinea unde dicta p.615. l.35. Et cur Græce σὴς, ib. l.51. De tineis loca quatuor in Græca verſione, quæ Hebræi non agnoſcunt p.618. l 12. In primo & ultimo male lectum, ib. l.16. & p.619. l.1. In ſecundo רקב, id eſt caries (oſſium) pro tinea ſumptum p.618. l.19. Tertius in Hebræo plane deeſt, quamvis illum habeant multi interpretes p.618. l.43. Et quidam Patrum, ibid. l.65. Sed Origenes & Hieronymus ſub obelo l.69
Tineæ domus in Jobo p.617. l.64. non Arcturi, ut vult vir doctus p.618. l.1
Tineæ proprium laneas & lineas veſtes conſumere p.616. l.52.
Tinea quomodo veſtes corrumpat p.617. l 41
Coram tineâ conteri quid ſit Job. 4. 19. p 617. l 24
An cum tinea conferatur Deus in Pſalmis & in Oſea p.617. l 26.
Tinnunculus κεγχρηΐς p.266. l.55
Torrens Kerith vel Kana Joſ. 16. 8. & 17. 9 Ratio utriuſque nominis p.216. l.65. Ejus ſitus Joſepho ignotus, & Eutychio Alexandrino p.217. l.5. 8
Trajectio verborum in Gloſſis frequens, p.222. l.63 Gloſſarum & Heſychii multa loca per hujuſmodi trajectiones corrupta, quæ emendantur, ibid. l.65.
Tragelaphus ſeu hircocervus vox æquivoca. Nam & figmentum ſignificat, ſeu merum ens rationis; Et verum animal in Germania frequens, & Lutetiæ viſum non ita pridem, ex hirco & cervo aliquid habens, cujus poſt Ariſtotelem meminerunt Diodorus, Plinius, Solinus, Lucianus, Olympiodorus, Iſidorus &c. Itaque non debuit Origenes Moſi dicam impingere, quaſi tragelaphum, id eſt animal quod nuſquam extet, ut purum offerre juſſerit. Nam ut taceam non ſatis ſciri an אקו akko ſit tragelaphus, quomodo Græci reddunt, τραγέλαφος eſt verum animal. Et in Arabia reperiri ſcimus ex Diodoro p.809. l.18
Trepidandi verba quandoque ad feſtinationem pertinent p.13. l.70
Τρωξαλλὶς locuſtæ genus, vel locuſtæ ſimile animalculum p.450. l 14
Tuci, id eſt cuculi, milvorum ſcapulis ſuſcepti p.179. l.69.
Turdus Talmudicis coturnicis ſpecies p.94. l.25
Turdo nihil præſtantius creditur p 94 l.69
Turdum à Lucullo peti noluit Pompeius p.95. l.17
Turtur Hebr. תור thor, Gr. τρυγὼν, cantus τρυσμὸς, à verbo τρύζειν, voces ὀνοματοποιητικαὶ pag. 55. l.11.
Turturem tibiâ delectari cum ſcribit Horus, avem non ſignificat, ſed turturem marinum, id eſt paſtinacam p.57. l.30
Turturis garrulitas & vox incondita, de quo varia Proverbia pag. 55. l.18. Unde & צלצל Hebr. Chald. & Arab. dicta, ibid. l.65. Falluntur tamen & refelluntur qui eam putant ob id ipſum ab Athenæo cum cicada conferri ib. l.69
Turturis caſtitas pag. 23. l.11. Illi patres poſteriores tribuiſſe quod priores columbæ, ibid. l.30.
Turtur veris prænuntia p.56. l.13. Avis migratoria eſt, quæ obſervat tempus adventus ſui ibid. l.19. Alii hyeme latere putant ibid l.49
Turtures μονογάμοι p.58 l 30
Turtures in arboribus nidificant p.18. l.56
Turturis genis ſponſæ genas perperam confert Græca verſio Cant. 1. 10. cum turtur non habeat genas p.56. l. 56 Cur Ovidius aves dixerit ungue notare genas, ibid. l.69. Et Horus Apollo turturem habere dentes. Ibi mendum quod corrigitur p.57. l.15.
Turtur typus Spiritus Sancti juxta Hebræos & Origenem p.57. l.58
Turturi cur conferatur Eccleſia Pſ. 74 19. Veteres aliter legiſſe p 58. l.54. & 62
Turturum ſacrificia, vide in Columbis
Tyri ſcalæ ubi p.724. l.30 & 44
Tzetzis σφάλμα μνημονικὸν p.654. l.9
Vaccinium eſt hyacinthus p.729. l. 12
Venti principales olim duo ſolum, nempe Boreales & Auſtrales. Occidentales Boreæ apponuntur tanquam frigidiores, & Orientales Auſtro, quia ſunt calidiores p.102 l 2
Velia ex Græco Ἔλεα p.619 l 46
Urania Venus Aſcalone culta, quomodo Hebr dicta p.163. l.46.
Verba tria Joel. 1. 17. quæ nuſquam alibi occurrunt, accurate explicantur. Variæ de his ſententiæ p.471. l.40.
Verbum unum pro duobus p.13 l 42
Vermiculatæ pelles, & emblemate vermiculatus p.624. l.63. 67.
Vermiculus, vide Cocci grana
Vermis Hebræa duo nomina unde facta p.619. l.60
Vermium Hebræa duo nomina promiſcue ſumpta p.628. l 24.
Vermis Hebr. nomine Thola cur dicti Iſraelitarum nonnulli p.630. l.60
Vermis ex Græco ἕλμινς p. 619 l.42. Et ἕλμινς ἀπὸ τοῦ εἱλεῖν quia varie torquetur & convolvitur, ib. l.51.
Vermis vitium ἶπος (unde Hercules ἰποκτόνος) ἀπὸ τοῦ ἴπτεσθαι à lædendo, p 622. l 61. Idem Latine volvox, involvulus, convolvulus p 623. l 10
Vermes à thynnis nati, primo muſcarum, deinde locuſtarum, tandem coturnicum ſpecie & magnitudine p 100 l 50
Vermis ligni tria nomina Arabica p.627. l.19
Vermis in ligno quatuor genera p.626. l 41 & 50
De verme ligni tria loca in Græca vel Vulgata verſione, Hebræis ignota pag 625. l.68 Primus & ſecundus unde p.626. l.4. & 31 Tertium Hebræi non habent: Sed habent omnes verſiones, & multi Patrum ibid l.35
Vermes mortuo ſubſternuntur p 621. l.29. Gloria hominis εἰς κοπρίαν (vel σκωρίαν) καὶ σκώληκας ibid. l.33. Cadaveris hæreditas vermes, & contra cadaver hæreditas vermium p 621. l.40 & 42
Vermes etiam in vivo homine pag.620. l.30. Multi vivi σκωληκόβρωτοι, ut Herodes Agrippa ib l 42. Antiochus ibid. l.36. Alii, ib. l.46. vide & [illegible] l.46.
In verme duo contemnuntur 1. origo, 2 ipſa n[illegible]ra p.629. l.54. Animal enim eſt cæcum, [illegible] informe, inerme, ſine pedibus, omnibus [illegible] expoſitum. Rudimentum animalis potius [illegible] verum animal [illegible]
Vermes in Scriptura metaphorici p 61[illegible]
Vermis nomen tribuitur homini in genere, [illegible] & Eccleſiæ. Sed homo in [illegible] vere vermis [illegible] ſtus & Eccleſia in hominum opinione [illegible] 28. 24.
Homo vermis dicitur πρὸς ἐξουθενισμὸν. [illegible] to Harpalion p.620 [illegible]
Vermis Jobi mater & ſoror p.621. l 47. [illegible] tandem eſſe pabulum, ſors omnibus [illegible] ibid. l. 51.
Vermis pro peccati conſcientia, quæ [illegible] mordet p. [illegible]
Cum immortali verme cur conferantur [illegible] torum [illegible]
Vermem etiam ad corpus pertinere p[illegible] nus ex Sirachide 7. 17. ſed falſa [illegible] p.631 l 46.
Vermis מתקו exſugit eum Job. 24 20 [illegible] pret[illegible]
Veſpa cur צרעה dicatur duplex co[illegible] l. 20.
Veſpa σφὴξ & crabro ἀνθρήνη no[illegible] quia crabro veſpâ major eſt, atq[illegible]

I N D E X.

gracili. Tamen ſæpe promiſcue ſumuntur, & Hebræum צרעה videtur utrique eſſe commune p.534. l.62. & p.544 l 20.
De veſpa tria Scripturæ loca p.534. l. 38 Sunt qui morbum eſſe velint, quia vox צרעה *tſira* , id eſt veſpa ad צרעת *tſaraa*, id eſt lepram, alludit. Sed plerique melius veſpam aut crabronem reddunt ibid. l 42.
Veſpæ Chananæis infeſtæ, an veræ veſpæ fuerint, vel timoris aculei, quomodo multi ſumunt magni nominis interpretes, qui pluribus refelluntur p.537. l.62.
Veſpæ deſcriptio ex Arabibus p.536. l 17
Veſpas ex equo putrefacto naſci p.503. l.16. &c,
Veſpæ ab equis & aſinis, crabrones à mulis orti p.543 l.53.
Veſpa ex crocodilo nata iracundior, ex equo animoſior p.543. l 34. & 55
De veſpæ & crabronis melle p 536. l.38. & 44
Veſpæ apibus & hominibus moleſtiſſimæ p.542. l.7. & 17.
Veſpæ quæ acerbiores, & quomodo ictus inferant lethiferos p.543. l.14
Veſpis proprium τὸ ἀμυντικὸν p.542. l 47
Veſpa oculos impetit p.536. l.72. & p.537. l.4 Euripides emendatus ib. l.19. & 23
Veſparum in pullos amor p.542. l.35
Veſpæ in ſomnis viſæ quid ſignificent p.542. l.53
Veſpis cur ſimilis Antiſthenes p.542. l.64
Veſpæ cur Archilochi & Hipponactis tumulis inſculptæ p 542. l.69
Veſpera ex Græco ἕσπερος p.619. l.47
Veſpertilio Hebr. עטלף *atalleph* pro עפטליל *aphtallel*, quaſi dicas *avem tenebroſam*. ut a nocte & veſpere Græcum & Romanum nomen habet p.350. l.9.
Veſpertilio Arabicè خفاش *choppha* dicitur, propter oculorum parvitatem & debilitatem p.370. l.27. Ad talpas & veſpertiliones idola projicere Eſ. 2. 20. eſt in tenebras detrudere, ut ne amplius ſuperſtitioſis hominibus fulgore ſuo illudant p.350. l.50.
Veſpertilio inter aves & quadrupedes media p. 349. l. 40.
Præter veſpertiliones Chriſtum quicquam creaſſe negant Mahumetis impuri aſſeclæ. At ex Scriptura ſcimus omnia per ipſum facta fuiſſe, & ſine ipſo factum eſſe nihil quod factum eſt p.350. l.57
Veſta ex Gr. Ἑστία p.619. l 47
Veſtis ex Gr. ἐσθὴς p.619. l 47
Veſtes Iſraelitarum in deſerto creviſſe volunt Hebræi doctores, ut concham חלזון cochleæ, quod ex Ariſtotele explicatur p 725. l.66
Veſtes olim in theſauris p.617. l.46
Vineæ Engadi Cant. 1. 14. id eſt balſameta p. 723. l.74. & 724. l.5.
Vinitores cur dicantur qui balſamum colligunt p.723. l.69.
Vinum Sorek Tralliano Aſcalonite p.725. l.36. Alia vina eximia in terra Chanaan ib. l.27
Vinum mordere dicit Solomon Prov. 23. 32. & *pungere ut baſiliſcus*, non ut hæreticis faveat, qui illud vocabant *fel draconis*. Eſt enim naturâ bonum: Sed propter ebrietatis mala p.403. l.7. Obiter de vini uſu & abuſu ib. l.13
Vinum percolabant Judæi p.565. l.9. De quo more Græci interpretes Amos. 6. 6. ubi Hebræa aliter legerunt. Et Talmudici paſſim. Ad eum morem alluſit Chriſtus Matth. 23. 24. ubi in Arabe mendum eſt ibid. l.47
Vipera Hebr. אפעה & Arab. أفعي quod probatur ex Arabico N. T paraphraſte, & aliis Arabum, qui de أفعي *ephe* dicunt quæcunque de vipera Græci: Marem habere duos dentes caninos, fœminam plures. Eidem latum eſſe caput, collum tenue, caudam mutilam, colorem flavum: Carnem coctam viſum acuere, ut & ſal ex ea factum. Ejus eſum lepram ſanare, ipſam cæcutientem fœniculo curari, ore coire, & in ardore coitus fœminam maris caput & genitalia abſcindere p.361. l.17. &c.
Vipera cur אפעה *ephe* dicatur p.363. l.63
Viperarum multæ ſpecies apud Arabes pag. 366. l.7. &c. Ita etiam apud Græcos, dipſas, ceraſtes, hæmorrhous, hydra in viperis p. 366. l. 70. Hydra Herculis & Philoctetis nonnullis *echidna* p. 367. l.27. In Epiphanio viperæ nomen complecti fere ſerpentum omne genus, p.367. l.43. Vipera Pauli Prudentio aſpis, coluber & hydrus p.373. l.49
Viperæ Ægyptiæ Eſ. 30. 6. & apud Ammianum & Bellonium p.364. l.48
Viperæ ventrem non rumpi in partu ut ajunt, ſed membranas quibus catuli involvuntur p.364. l.8
Vipera quaſi vivipara, quia ſola ſerpentum vivos catulos parit p.364. l.23
Viperam eſſe oviparam multi negant p.364. l.65. Tamen illi ova tribuuntur Eſ. 59. 5. & in Ariſtotele & Plinio p 365. l.11
An viperæ morſum ſequatur mors repentina. Nonnulla in utramque partem p.374. l.48
A vipera demorſa pars ſtatim tumet p.374. l.20
Linguæ viperæ Jobum & Senecam tribuere quæ dentium propria p.364 l.36
Paulum à vipera fuiſſe morſum docent multi veterum, qui refelluntur p 369. l.51. & 70
Pauli vipera non ſponte decidit, ſed ab eo excuſſa p 373. l.42. nec in aerem, ut vult Prudentius, ſed in ignem conjecta eſt p.373. l.47
A vipera quidam occiſus eſt in Libyæ littore, cum è naufragio evaſiſſet Alter Paulus p.368. l.28
Vipera Pauli, diaboli typus p.373. l.51
Vipio, id eſt grus minor, Balearibus in honore menſarum p.79. l.31
Virgam Moſis in ſe non habuiſſe vim ullam θαυματουργικὴν p.557. l.20
Viticis & papyri copia in Ægypto, maxime circa Sain, ubi hippopotami pag. 764. l.73. & p.765. l.10. 13.
Vitrum ex Beli fluvioli arenis conflatum ad ſecundum à Ptolemaide ſtadium pag. 723. l.13. Vitri origo ibid. l.25
Vitrum foſſile in Æthiopia ex quo loculi pag. 874. l. 40.
Vivaria quid ſint, & horum quot ſpecies p. 128. l.31. Inde Hebr. ביבר *bibar* & Gr. βιβάριον, Hiſpan. *bivar*, Gall. *vivier* ibid. l.67
Unicum pro eximio p.679. l.62
Voces in Lege obſcœne ſcriptas honeſte legi p. 41. l. 11.
Voces Hebrææ inverſæ p.137. l.31
Voces ארגמן *argaman* & ארגון *argavan* factæ ex ארם *Aram* & גון *gun* vel *gavan*, quaſi Syriæ colorem dicas p.740. l.17. Ad eas voces variæ alluſiones ib. l.63
Voces quædam ſemiperſicæ, ſemiægyptiæ, ſemihebrææ & ſemiarabicæ à Græcis uſurpatæ p. 888. l.47
Vomo ex ἐμῶ p.619. l.46
Vox à Poetis tribuitur iis ædibus in quibus crimen eſt perpetratum, ut in Habakuk, *lapis è pariete clamat*, &c. p 612. l.1
Upupæ nomen Hebræum דוכיפת *dukiphath* unde R. Selomo deducat poſt Talmudicos, Pagninus non intellexit p.343. l. 48. Et ipſos Talmudicos latuit hujus vocis vera ratio, quâ gallum rupicolam ſignificari ſuſpicor p.344. l.44. Aut vero gallum ominoſum vel portentoſum pag. 345 l.1. Et prius nomen explico ibid. l.60. poſterius p. 346. l. 29.
Ad Hebræum upupæ nomen *dukiphath* accedunt Syrum *kikupha* & Ægyptium *kukupha* p.348. l.65
Upupæ & ἔποπος nomen à voce factum. Videtur enim hæc avis *epop* vel *upup* ſemper ingeminare. Quo pertinet etiam Arabum *hudhud*. Avium enim voces, cum articulatæ non ſint, poſſunt varie exprimi p. 348. l. 56. In Pandectario *alauda Arabice eſt upupa avis*. Autor ſcilicet ex *alhudhud* fecit alaudam p.349. l.10
Upupa per Legem immunda, quia ſpurciſſima eſt avis, quæ ex ſtercore nidum ſibi comparat, & ex rebus fœdiſſimis veſcitur p.348. l.18
Upupa Solomoni vermem שמיר *ſamir* attuliſſe fertur, cujus vi ſciſſi Templi lapides p 346. l.71. Similis de upupa fabula in Æliano p.347. l 19
Solomonis cum upupa colloquium p.347. l.42
Fontes ad upupa revelari p. 347. l.51. Terra ſcilicet ipſi erat translucida ut vitrum ib. l.57
Upupæ legatio ad reginam Sabæorum p.347. l.42
Uredo & rubigo, Græcè ἀνεμοφθορία, quæ fit à vento *Kadim* p.484. l.27
Uſnen ſeu *Kali*, id eſt ut docti volunt *ſoda* ſeu *ſolida* ex qua vitrum conficitur p.45. l.11. Quin *Uſnen* ſeu *Kali* eſt ciceris genus, cujus uſus maxime in lixivus. Ita ſtatuunt multi Arabes p.45. l.6. &c. & p. 46. l.1. &c. Et 2. Sam. 17. 28. *Kali* ab Hieronymo recte redditur *frictum cicer*, cibus Græcis & Romanis notiſſimus p.46. l 59. Ab Hebræis leguminis genus ex quo fit puls שתית *ſethith* dicta p. 47. l. 19. *Kali* & *uſnen* unde dicantur, ibid. l. 50. Id ipſum eſſe *chirjonim* quod *ſtercus columbarum* reddunt 2. Reg. 6. 25. multis probatur ib l.69
Vultur ater Hebr. דיה *daja* vocatur, ut דיו *dejo* eſt atramentum. In immundarum avium cenſu Levit. 11. 14. ſequi debuit דיה *daja* poſt איה *aja*, ut Deuter. 14. 13. Sed videtur omiſſum propter τὸ ὁμοιοτέλευτον. Eſaias Idumææ deſolationem deſcribens cap. 34. v. 15. dicit ibi conveniſſe דיות *dajoth*, id eſt vultures. Neque enim in rapacibus ullæ aliæ ſunt gregales aves p.195. l.58
Vultur in Onkelo vocatur בת כנפא *filia ala* p.230. l.10.
Vultur niger Græc. αἰγυπιὸς non αἰγύπτιος ut legit Phile pag. 197. l.49 &c. Vulturum prævalere nigros dicit Plinius, præterquam in remediis contra ſerpentes. Et Samonicus in pharmacis. his libentius utitur ib. l 20. &c.
Vulture nihil eſſe immanius plerique putant, ac proinde non eſſe cur à miſericordiâ vocetur רחם *racham* p.313 l.19. qui refelluntur p.317. l.39
Tityi vultur in fabulis idem ſignificat quod in Scriptura vermis qui non moritur p.631. l.62
Vultures duodecim à Romulo viſi portenderunt Romano imperio finem fore poſt exacta totidem ſæcula. Ita prædixit augur Vectius, neque defuit eventus vaticinio p. 196. l.28 Cæſari quoque & Auguſto veluti Romuli auſpiciis novam urbem condituris par vulturum numerus apparuit ibid. l.49. & 54.
Ὑακινθινα & πορφύρεα in Epiphanio idem ſunt p.730. l. 32.
Ὕαλος veteres pro cryſtallo uſurpaſſe p.872. l.53
Zabulonitis tria ex littore beneficia: Purpura p.720. l.16. & p.722. l.52. Piſces edules, p. 720 l.21. Vitrum ex arena Beli fluminis conflatum p. 723. l. 5.
Zamir piſciculus balænis cantu ſuo quam moleſtus p. 863. l. 7. & 29.
Zingiber ubi proveniat p.332. l.62
Zygæna Hebræis *ſerpens vectis* נחש בריח Eſ. 27. 1. p.747. l.2. Serpens pro magno piſce, ut Amos. 9. 3. Ita תנין *thannin* & לויתן *leviathan* tam cetorum ſunt quam draconum nomina, ibid. l.7. Serpens vectis etiam ſyderis nomen Job. 26. 13. p. 748. l. 7.
Zygæna, Italis *baliſta* & *martello*, Maſſilienſibus *barretella* p 745. & 746. ima
De zygæna piſce Romani veteres altum ſilent. Sed eam Oppianus, Ælianus, Galenus, Ægineta, Baſilius, Phile, Suidas inter maxima cete numerant p 746. l.40.
Zygæna non eſt proprie cetus, ut multi volunt, ſed cetaceus piſcis p.746. l.45
Zygæna nomen habet à jugo boum vel bilancium, utrumque enim capite refert p.746. l 46
De zygæna veterum & recentiorum loca p.747. l.27 & 50.
Zygænæ ſimilis piſcis *Panapana* in Braſilia p.748. l.1

F I N I S.